












THESAURUS NOVUS ANECDOTORUM.

TOMUS QUINTUS,

COMPLECTENS SS. PATRUM,
Aliorumque Auctorum Ecclesiasticorum
omnium ferè sæculorum, à quarto ad decimum-quartum,
OPUSCULA.

Prodit nunc primùm studio & operâ
Domni EDMUNDI MARTENE & Domni URSINI DURAND,
Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congr. S. Mauri,





LUTETIÆ PARISIORUM,
Sumptibus
FLORENTINI DELAULNE, | JOANNIS-GAUFRIDI NYON,
HILARII FOUCAULT, | STEPHANI GANEAU,
MICHAELIS CLOUZIER, | NICOLAI GOSSELIN,
Bibliopolarum Parisiensium.

M. DCCXVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS ET SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO.

SANCTORUM Patrum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum à sæculo quarto ad decimum-quartum opuscula non pauca hoc in quinto Anecdotorum tomo exhibemus, quibus cùm admonitiones prævias singulis præfixerimus, à præfatione abstinere possemus: verùm ne quid à studiosis & eruditis lectoribus à nobis desideretur, nonnulla hîc paucis juvat retractare.

S. Orientii Commonitorium, & quidem, ut nobis probabilius visum est, Ausciensis episcopi, secundo loco edidimus, quem juxta vitam illius à Labbeo in Bibliotheca nova, & à Papebrochio ad Maii primam diem typis mandatam, circa medium sæculum quintum præfuisse diximus. Verum huic nostræ sententiæ opponi posset vetus instrumentum anno 1108 datum, & cartario Auxiensi præmissum, in quo hæc legimus: *A transitu S. Orientii usque ad præsentem annum, qui est annus* MCVIII. *computantur anni* DCCXII. *A passione ergo Domini usque ad transitum B. Orientii* CCCLXIV. *computantur. A passione verò Domini usque ad ordinationem B. Orientii computantur anni* CCCXIII. *A transitu autem B. Orientii usque ad transitum B. Martini* XLVII. *anni computantur.* At tanta non est hujus instrumenti antiquitas aut auctoritas, ut vitæ ipsi S. Orientii præponderare debeat. Et certe in chronicis illius notis occurrunt nonnullæ difficultates, quæ non ita facile solvi possunt. Nam si annos à passione Domini hic accipias pro annis ab Incarnatione, ut nonnullis placet, à transitu S. Orientii ad annum MCVIII. non annos DCCXII. invenies, ut dicit instrumentum, sed DCCXLIV. Præterea Amentarius Orientii successor, qui epistolæ synodicæ episcoporum Galliæ ad S. Leonem anno CDLI. subscripsisse verisimiliter creditur, annis minimum LXXXVII. sedem Auxitanam occupasse dicendus erit, quod à vero omnino abhorret. Si vero annos à passione Christi, non ab ejus incarnatione, sed ab ipsius obitu hic accipias, non minor occurrit difficultas in conciliandis annis à transitu S. Orientii ad transitum S. Martini: nam si Orientius anno CCCLXIV. à passione, hoc est CCCXCVII. migravit à sæculo, & à transitu Orientii ad S. Martini obitum intercipiantur anni XLVII. S. Martinus anno CCCCXLIV. ad cœlos migrasse dicendus erit contra fidem omnium auctorum, qui ipsius mortem aut ad annum CCCXCVII. cum Gregorio Turonensi reponunt, aut cum Sulpitio Severo ad CCCCI. Hæc cùm ita se habeant, nullum ex præfato Ausciensi instrumento argumentum desumi potest, quo à nostra deturbemur sententia.

Explicationi antiquæ Liturgiæ Gallicanæ præmisimus vetustissimum Ecclesiæ Romanæ calendarium, cujus antiquitatem quinque potissimum rationibus demonstravimus. His sextam addere possumus repetitam ex libro Comitis, sancto Hieronymo vulgo attributo, cujus auctor certe antiquissimus fere integrum hoc nostrum calendarium, sed variis additionibus auctum & interpolatum, operi suo inseruit, uti videre est apud Pamelium.

Liturgiæ Gallicanæ expositioni subjecimus antiquum ordinem Romanum ad usum Morbacensis ab annis circiter mille accommodatum, ex quo validissimum eruimus argumentum de missæ canone à sacerdote celebrante submissa voce recitando. Idem olim probaveramus ex variis antiquorum scriptorum auctori-

tatibus, asserentibus secretas orationes atque canonem sub *silentio* recitari debere. Cujus argumenti vim, ut eluderent novatorum amatores, subtili potius quàm vera responsione asserunt silentium hic non altæ voci, sed plano ac figurato cantui opponi. Verum futilem hanc responsionem omnino conterit editus à nobis ordo Romanus, præscribens illas orationes *secrete nullo alio audiente recitari.* Et certe cùm scriptores antiqui canonem missæ sub *silentio* dicendum esse asserunt, alia plane vocis inflexione recitandum censent atque aliæ sacræ liturgiæ partes. Porro aliæ sacræ liturgiæ partes non cum cantu figurato seu plano pronuntiantur, sed alta tantum voce; non ergo volunt alta, sed submissa omnino voce canonem recitari.

Inter vulgata hoc in volumine opuscula non infimum locum tenere debent Humberti cardinalis libri tres adversus Simoniacos, in quorum primo capite 16. adversus ordinationes Simoniacorum auctoritatem S. Ambrosii adducens, ejusdem sancti antistitis citat librum de vita & ordinatione episcoporum; quem librum apud Ambrosium tam inter sincera quàm inter spuria ejus opera à me diu frustra quæsitum, tandem inveni ex ms. S. Martialis Lemovicensis editum in Mabillonii Analectorum tomo 2, Silvestri II. papæ nomen præferentem, cum hoc titulo *Sermo Girberti philosophi papæ urbis Romæ, qui cognominatus est Silvester, de informatione episcoporum.* Consimilis alicujus scripti & forte ejusdem auctoris extat locus apud Algerum libro de Misericordia & Justitia, parte 3. cap. 36. sub nomine Ambrosii in *libro de Pastorali* citatus adversus Simoniacos.

Petri Abaëlardi Theologiam christianam hactenus desideraverant viri eruditi ad elucidandas nonnullas difficultates, & componendas quæ de ejusdem doctrina quæstiones agitantur in scholis. Hanc ex manuscripto codice Majoris monasterii editam habes, Lector erudite, in hoc volumine, cum admonitione prævia, in qua plurima quæ nobis animadversione digna visa sunt annotavimus. Neque tamen ignoravimus Petrum Abaëlardum hac nostra ætate patronos habuisse, qui ipsum purgare nitentes, Bernardum Claravallensem Abbatem, virum sanctissimum ac mansuetissimum præcipitis judicii accusare non formidarunt. Utrum autem jure purgetur Abaëlardus, ac Bernardus damnetur, paucis inquirendum est. Atque ut res clariùs elucescat, adeo laborare non debent Abaëlardi defensores, ut demonstrent ipsum catholicam ecclesiæ doctrinam de distinctione trium in Deo personarum, & unitate substantiæ in suis scriptis tradidisse: sed utrum aliquid huic doctrinæ contrarium scribendo non docuerit. Fieri enim potest, nec raro id contingit, ut auctores vere catholici & in fide ecclesiæ stabiliti, sive oscitantia, sive acris ingenii præcipitatione dubias & erroneas propositiones veris immisceant, quæ debita quotidie censura afficiuntur. Primum in Abaëlardo non negavit, secundum asseruit Bernardus. Et certe hujusmodi sunt inter alias istæ propositiones, *In Deo Pater est omnipotentia, Filius aliqua potentia, Spiritus sanctus nulla potentia. Omnis homo habet naturaliter fidem sanctæ Trinitatis*, quæ cuivis catholico sensum erroneum & hæreticum obvium exhibent. At, inquies, hodie viri eruditi has propositiones ad catholicum sensum deflectunt. Ita plane: sed si res ita se habeat, vix ulla est apud hæreticos scriptores propositio, cui sensus catholicus affingi ab homine subtili non possit. Sicut è converso nullus est catholicus scriptor vel piissimus, in quo viri inquieti aliquas propositiones per se rectas & piissimas in pravum sensum non detorqueant. Hæreticæ v. g. sunt istæ propositiones, *Christus pro omnibus non est mortuus, Deus non vult omnes salvos facere.* Et tamen istas propositiones in sensu catholico possunt aliqui interpretari. Sed esto Abaëlardi memoratas propositiones posse ad sensum orthodoxum deflecti. An ideo purgandus ille & damnandus S. Bernardus, qui extractas ex ipsius scriptis propositiones ad sedem apostolicam detulit, aut sedes ipsa apostolica quæ eas censura affecit, minorem meretur venerationem? Minimè quidem: quod quidem his argumentis demonstro.

Quotiescumque aliquis auctor scribendo propositiones aliquas dubias profert, quæ sinistrum aliquem sensum sortiri possunt, & ille canonicè citatus coram legitimis judicibus eas explicare recusat, is certe à suspecto errore purgari non debet, nec damnandi illi qui auctorem erroris insimulant. At Petrus Abaëlardus postquam Bernardum ad concilium Senonense etiam reluctantem provocavit, & coram legitimis judicibus quos ipse doctrinæ suæ arbitros elegerat, rogatus ab eodem Bernardo, ut extractas ex suis scriptis propositiones aut negaret, aut fateretur, aut saltem explicaret, & catholicum eis sensum, si possit, affingeret, neutrum præstare voluit. Quis ergo æquus rerum arbiter eum excusare poterit, aut sine temeritate Bernardum condemnare?

Deinde quotiescumque alicui auctori scribendo aliquæ excidunt propositiones, quæ in sensu obvio pias aures offendunt, & ille de errore obvio in suis propositionibus insimulatus, negat eas propositiones à se umquam prolatas fuisse, easque damnat ut hæreticas ubicumque reperiantur, si illæ propositiones revera in ejus occurrant scriptis, nonne eas in sensu erroneo & ab omnibus damnato exaratas ab eodem fuisse fatendum est, nec absque temeritate culpari posse eos qui auctorem damnant. Verum id contigit Abaëlardo. Audi quid ipse in sua retractatione dicat. *Quod autem mihi vel per malitiam impositum est, quod scripserim, quia Pater plena potentia est, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia: hæc ergo verba non tam hæretica quàm diabolica, sicut justissimum est, abhorreo, detestor, & ea cum suo auctore pariter damno. Quæ si quis in meis reperiat scriptis, non solum me hæreticum, verum hæresiarcham profiteor.* Quibus verbis quasi proprio se gladio jugulat Abaëlardus, ac Bernardo scriptorum suorum censori applaudit, cùm ea verba in ipsius Theologiæ libro 4. reperiri certissimum sit.


Et sane qui Petri Abaëlardi genium semel agnoverit, is facili negotio advertit hominem ita à natura comparatum fuisse, ut oppositas sibi invicem propositiones haud ægrè docere potuerit. Est penes nos ejusdem Abaëlardi liber, in quo genio suo indulgens, omnia christianæ religionis mysteria in utramque partem versat, negans quod asseruerat, & asserens quod negaverat: quod opus aliquando publici juris facere cogitaverat noster Acherius, verum serio examinatum æternis tenebris potius quàm luce dignum de virorum eruditorum consilio existimavit. Hæc qui attente perpenderit, Petrum Abaëlardum uno in loco eamdem tribus in Trinitate personis potentiam tribuisse, in alio vero Patri omnipotentiam, Filio aliquam potentiam, Spiritui sancto nullam potentiam adscribere potuisse haud difficile judicabit, nec proinde culpandum esse Bernardum, qui has propositiones in Abaëlardo reprehendit.

Certe cùm Trinitatis mysterium hactenus vel eruditissimis Theologis incomprehensibile apparuerit, Petro Abaëlardo tanta lux affulserat, ut illud vel ipsa ratione cognosci posse affirmaret, quin & ipsi discipuli ejus tantam in eo subtilitatem prædicabant, quod rimatis sanctæ Trinitatis profundis mysteriis, PERFECTE ET AD PLENUM cognosceret *qualiter tres personæ sint in una divina essentia & in personarum pluralitate unitas divinæ essentiæ*, qua de re sugillat eum Galterus, qui post Bartholomæum Laudunensis antistes effectus est, in epistola ad eum scripta Spicilegii tom. 2. p. 473. in qua etiam omnipotentiæ Dei explicandi rationem ejus refutat, arguitque eum vehementer, quod divinæ scripturæ introductionem conscripturus *non tam veritatem docere* promitteret, quàm *opinionis suæ* sensum exponere. *Quis* enim, inquit, *orthodoxus de fide catholica tractaturus, non* VERITATEM *sed* SENSUM OPINIONIS SUÆ *promittat exponere? Quis etiam audiens non* VERITATEM *sed* OPINIONEM *promitti, fidem audeat sequentibus adhibere?* Sub finem verò epistolæ suæ sic eum alloquitur: *Per litteras vestras scire desidero, si in notitia Dei vos imperfectum esse creditis, aut si jam in hac vita ad summum ejus augmentum vos per-*

venisse confidatis. Hoc enim vestri jactitant discipuli, quibus scripta videntur attestari. Præterea notificate mihi, si adhuc creditis quod Deus essentialiter non sit in mundo vel alibi, & quod angeli & animæ nusquam sint: quod, si bene memini, audivi vos fateri, quando novissime invicem contulimus de quibusdam sententiis. Præterea apud nos ventilatum est, vestram affirmare sapientiam, quod Christus prædicando, laborando, ad extremum moriendo, nihil meruerit, quod nemo propter opera sua bona vel mala nisi pro sola voluntate remunerari debeat vel puniri. Ceterum etsi Abaëlardi scribendi licentiam haud probemus, Gerardi de Alvernia tamen de eo censuram multo minus ferendam esse censemus. Sic enim ille in manuscripto chronico Cluniacensi, quod extat in Bibliotheca regia, sub Petro Mauricio scribit: *Eo tempore fuit Petrus Abaëlardi celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide dogmatizans perfide. Fuit autem nigromanticus & dæmoni familiaris.* Longe æquius fert de eo judicium Chronicon Cluniacense editum, cujus hæc verba: *Abaëlardus, Petrus nomine, ab erroribus fidei per Petrum venerabilem abbatem nostrum & sanctum Bernardum abbatem Clarevallensem revocatus, quæ antea de fide dogmatizaverat perfide [retractans] monachus Cluniacensis factus est, & deinde mens ejus, lingua ejus, opus ejus, semper divina fuere, semper philosophica, semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Et sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire solebat minime, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. Lectio ei continua erat, oratio frequens, silentium jugе: nisi cùm aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in conventu de divinis publicus sermo eum urgebat. Quare ipsum Petrus venerabilis sollicite commendans, tale de ipso scripsit epitaphium:* Gallorum Socrates &c.

Dialogus inter Cluniacensem monachum & Cisterciensem de diversis utriusque ordinis observantiis, in ms. codice monasterii sanctæ Crucis in Austria hunc præfert titulum: *Dialogus duorum monachorum Cluniacensis & Cisterciensis de novitate ordinis Cisterciensis.* Deinde sic incipit præfatio, quæ in nostro codice desideratur, *Dominæ R. inferioris monasterii quod est Ratispona venerandis venerandæ abbatissæ, L. peccator* &c. Hæc observatio quam erudito viro Bernardo Pez Benedictino & Bibliothecario Mellicensi debeo, confirmat conjecturam nostram, qua Dialogi hujus auctorem fuisse Germanum asseruimus.





INDEX OPUSCULORUM,

Quæ hoc in volumine continentur.



ALTERCATIO



ALTERCATIO
INTER THEOPHILUM CHRISTIANUM ET SIMONEM JUDÆUM:
Auctore Evagrio qui initio Sæculi V. floruit.


Ex Ms. codice Vindocinensi.

ADMONITIO

In sequentem Altercationem inter Theophilum Christianum & Simonem Judæum.



UINTUM hunc tomum incipimus ab Altercatione inter Theophilum Christianum & Simonem Judæum : *quod opus sua antiquitate meritò venerandum nobis suppeditavit vetus codex Ms. Monasterii Vindocinensis, in quo tribus Altercationum seu Consultationum Zacchæi Christiani & Apollonii Philosophi libris immediatè subjicitur tanquam quartus Altercationum liber; adeo ut ejusdem auctoris fœtus esse videatur, qui postquam sub nomine Zacchæi Christiani tribus libris confutavit Philosophos, singulari opere aggressus est Judæos sub nomine Theophili. Et sanè id persuadere possunt tres præsertim conjecturæ. Primò enim idem in utroque opere titulus; quippe Consultationum Zacchæi Christiani & Apollonii Philosophi libri tres, in codice Lemovicensi S. Martialis, & in Vindocinensi* Altercationis *titulo donantur: & quidem in Lemovicensi hoc modo* Altercatio Apollonii Philosophi cum Zacchæo Christiano. *In Vindocinensi vero ita.* Incipiunt capitula libri Altercationum primi. *Immo in aliis etiam codicibus quibus usus est noster Acherius, cùm eos Spicilegii tomo X. in lucem emisit: nam in libri primi calce hæc leguntur.* Finit liber Altercationis Zacchæi Christiani & Apollonii Philosophi. *Et in fine libri tertii* Explicit Zacchæi & Appollonii Altercatio. *Secundò eadem in utroque etiam opere scribendi ratio, nimirum ad modum dialogi seu disputationis, in qua gentilis vel Judæus*



objectiones & difficultates suas proponit, quas ita explicat ac solvit Christianus, ut tandem persuadeat & vincat. Tertiò stilus pariter ubique idem, nimium turgens & incertosus, ut utrasque Altercationes conferenti manifestum esse poterit. Porro cùm Consultationum Zacchæi Christiani libros sæculo V. saltem ineunte scriptos fuisse optimè probet Acherius in præfatione ad Spicilegii tomum X. quodnam sit de tempore Altercationis Theophili Christiani & Simonis Judæi ferendum judicium facile advertent eruditi lectores. Certè antiquissimam esse demonstrat vel ipsa scripturæ versio, quâ auctor usus est, primis Ecclesiæ scriptoribus familiaris. Hinc conjicies quanto ab omnibus habenda sit in pretio. Hæc ubi scripseram deprehendi apud Gennadium auctorem hujusce Altercationis esse Evagrium, qui circa annum 400. floruit. Sic enim ille cap. 50. libri de illustribus Ecclesiæ scriptoribus : Evagrius alter scripsit Altercationem Simonis Judæi & Theophili Christiani, quæ omnibus nota est. *Cui succinit Marcellinus comes in Chronico ad annum 423 his verbis :* Evagrius scripsit Altercationem Judæi Simonis & Theophili Christiani, quæ pene omnibus nota est. *Quem quidem Evagrium utriusque Altercationis auctorem fuisse mecum conjecerat etiam clarissimus vir Sebastianus* de Tillemont. *Ceterum quam hic damus, Altercatio visebatur olim in Centulensi monasterio, ut constat ex recensione librorum ejusdem cœnobii tempore Ludovici Pii, quam refert Hariulfus in chronico Centulensi Spicilegii tom. IV. Ceterum cum Consultationes Zacchæi tanti fecerit Acherius, ut variantes earum lectiones ex codice Lemovicensi ediderit ad calcem tomi XIII. Spicilegii ; ejus exemplo alicujus operæ pretium existimavi, si in gratiam eorum qui Spicilegii alteram editionem aliquando fortè curabant, codicis Vindocinensis, novas earum lectiones cum capitulis libri primi quæ in editis desiderantur, in fine hujus tomi subjicerem, si tamen hanc editionem non sequatur ipsa Spicilegii secunda editio.*



FUIT igitur altercatio legis inter quemdam Simonem Judæum & Theophilum Christianum. Judæus igitur sic ait : Crucicola signifer, Christianæ legis te
a profiteris esse [a] auctorem. Habes & me patientem auditorem, si modo interrogationibus meis, non lenociniis sermonum aut argumentis, sed legis præsentiâ comprobes veritatem. Quod si tu me hodie viceris, facito Christianum ; aut ego
b cum te superavero faciam [b] Nazaræum Judæum.

THEOPHILUS. Non glorietur giberosus ut rectus.

SIMON. Quem colis?

THEOPHILUS. Sane si dicimus, & audenter probamus.

Deut. 32. 39. SIMON. Sacri venerandique Deuteronomii vox resultans dicit, *videte quod ego sum, & non*
Isa. 44. 6. *est alius præter me Deus.* Et Esaïas dicit. *Ego primus & ego novissimus, & præter me non est Deus.*

THEOPHILUS. Sacratissima Christi vox est, quam si tu volueris cognoscere, oportet te primum credere, & tunc demum poteris in-
Isa. 7. 9. telligere. Esaïas enim redarguit te dicens : *nisi crediderititis, non intelligetis.* Indubitanter igitur Deum omnipotentem invisibilem novimus, & scimus, & colimus : deinceps Christum Deum

A & Dei Filium profitemur. Quod autem dicit : *Ego primus & ego novissimus*, duos adventus Christi significat.

SIMON. Quid illud quod ait : *Præter me non est Deus?*

THEOPHILUS. Christus Deus & Dei Filius de se dixit, quia prævidebat antichristum venturum. De quo Zacharias propheta dicit : Zach. 11. 16.
Ecce suscitabo pastorem in terra, & quod deficiet non visitabit, & dispersos non requiret, & contribulatum non salvabit, & integrum non consummabit, & carnes electorum comedet, eorum [c] evertet. Gladius super c
brachium ipsius est, & super oculum dextrum ipsius are-
B *fiens arefiet, & oculus ipsius obcæcabitur dexter*, proinde Christus dicit : *Ego primus & ego novissimus.*

SIMON DICIT : Ergo tu duos facis?

THEOPHILUS DIXIT : Deus unus est, ex quo Christus, & in quo Deus, sicut [d] Abra- d
hæ ad ilicem mambræ tres vidit, quibus occurrens, unum salutavit dicens : *Domine si inveni* Genes. 18. 4.
gratiam ante te, accipe aquam, & laventur pedes vestri, & refrigera te sub arborem istam ; quod scilicet Abraham videbat præsentiam divinitatis, quod arbor crucis Christi tegmen credentibus refrigerii præstaret, de quo propheta in psal-
C mo : *Deus stetit in synagogâ Deorum, in medio au-* Psal. 81.
tem Deos dijudicat. Utique de Christo dicit, qui in synagoga deorum docuit, & virtutes fecit : proinde in psalmo quadragesimo quarto dicit :

[a] lege *Doctorem.* [b] Legendum videtur *Ex Nazaræo Judæum.* [c] Deest aliquod verbum. In vulgata editione legitur. *Et ungulas eorum dissolvet.* [d] Forte *Abraham.*

Psal. 44. 7. *Thronus tuus Deus in sæcula sæculorum, virga æquitatis, virga regni tui: dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea benedixit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Quis Deus propter quem Deum dixit, Judæe? Utique Deus Pater Christum Dei Filium pro quo & de quo receptissimus prophetarum Jeremias dicit: *Hic Deus & non est alius, nec æstimabitur absque illo, qui invenit omnem prudentiam, & dedit Jacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Item in psalmo quadragesimo quinto dicit: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Et in psalmo sexagesimo septimo: *Cantate Domino, psallite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Longum est ut exempla persequar plura, his paucis veritas comprobatur.

Baruch 3. 36. Psal. 45. 11. Psal. 67. 5.

SIMON DICIT: Rectè quidem ad colentes testimonia unito spiritu fatentes, ori tuo consentientes; sed illud volo edisseras sicubi in loco Deus per semetipsum Christum Deum constituit, tunc demum Christum Deum & Dei Filium cogitabo.

Christus in scripturis Deus dictus.

THEOPHILUS DIXIT: Incredule Judæe, jam & de prophetis disputas? accipe tamen interrogationibus tuis responsum, Deus ad Moysem loquitur dicens: *Ecce dedi te Deum Pharaonis, & frater tuus Aaron erit propheta tuus.* Prævide nunc Moysem, typum Christi fuisse gentium incredibilium Deum. Quantò magis Christus credentium est Deus? Sicut enim Moyses populum de Ægypto, durissima Pharaonis servitute; sic & Christus credentes de diaboli potestate liberavit.

Exod. 7. 1.

Genes. 1. 1. SIMON DIXIT: Si ergo Christus Deus est & Dei Filius, quomodo ergo in Genesi scriptum est: *In principio fecit Deus cælum & terram?* Potuerat dixisse In principio fecit Pater & Dei Filius cœlum & terram.

THEOPHILUS DIXIT: Erras Judæe, nec umquam invenies veritatem, nisi veritatis intelligas originem. Nam si velis credere, poteris & in principio ejus invenire quis est Christus Dei Filius, sic enim ait: (a) *Fecit Deus cælum & terram,* hoc est in Christi arbitrio, & ad voluntatem ejus, & ad cujus imaginem hominem dignatus est facere, dicit enim. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem Dei: masculum & feminam fecit eos.*

Genes. 1. 27.

SIMON DIXIT. Potuit hoc & ad angelos dixisse.

Heb. 1. 5. Psal. 88. THEOPHILUS DIXIT: Erras, Judæe. *Cui umquam angelorum dixit Deus: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et rursus in psalmo dicit: *Principem ponam illum excelsum præ regibus terræ.* Angelis autem jubet Christum adorent. Et iterum in Canticum Deuteronomii dicit: *Lætamini gentes cum eo, & adorent eum omnes angeli Dei.*

SIMON DIXIT: Proba mihi Christum esse principem.

Christum principem.

THEOPHILUS DIXIT. Jam dixi. Accipe nunc aliam probationem, si potueris vel sic credere. Nam cùm Hiesus filius Nave staret trans Jordanem, virum vidit stantem, & gladius utraque parte acutus in manu ejus. Dixit illi Hiesus: *Noster es, an adversariorum? Ego princeps militiæ majestatis Domini.* Josue 5. 14.

SIMON DIXIT. Et hoc volo mihi edisseras, quomodo est Filius Christus, nam & omnes Sancti filii Dei dicti sunt: proinde sicut mihi probasti principem illum esse; proba nunc Dei Filium illum ex Deo natum. Longè enim remota est divinitas à coïtibus humanis, nec miscetur amplexui.

Christum esse Dei Filium.

THEOPHILUS DIXIT. Loqueris quasi Judæus. Nam, Christus Deus, Deus Filius, primogenitus, verbo editus, ore prolatus. Sicut enim Deus eum hominem in principio è limo terræ fecerat, flatum suum in eumdem spiraverat, & factus est homo in animam vivam; & ita Verbum suum, hoc est Christum ex utero cordis sui genuit; sicut in Basilion libro secundo dicit: Et fuit verbum Domini ad Nathan prophetam dicens: *Vade & dic servo meo David: non tu ædificabis mihi domum ad habitandum, sed cùm impleti fuerint dies tui, suscitabo semen tuum post te: hic ædificabit domum nomini meo, & erigam thronum ejus usque in sæcula, & ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, & fidem consequetur & domus ejus.* Et in psalmo 2. dicit: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Item in psalmo quadragesimo quarto: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.* Isaias dicit: *Consummatas quidem & adbreviatas res audivi; quoniam Verbum breviatum faciet Deus in omni terra.* Hic est Verbum qui verbera nostra sanavit, dequo in psalmo centesimo quinto dicit: *Misit Verbum suum, & sanavit eos.* Item in alio psalmo testimonium perhibet propheta dicens quod cœlum, de quo supra diximus, Christo & in Christo, qui est Verbum Dei, fecerit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Hic est Verbum qui velociter mundum percurrit, & animas errantium per legem novam ad Deum convertit: de quo in psalmo centesimo quadragesimo sexto: *Qui emittit Verbum suum terræ, velociter currit sermo ejus.* Et Isaias dicit: *Ecce Verbum Domini factum est illis in maledictum, & noluerunt illud.* (b) Nam prophetam nostrum Johannem prophetico ore clamantem: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum factum est, & sine ipso factum est nihil.* Et rursus Filius pari genere testimonium reddit Patri, & nativitatis suæ exordia testatur, dicens per Salomonem: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenitus ante omnem creaturam. Ego in cælis feci ut oriretur lumen indeficiens. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.* Vides ergo exeuntibus patribus tuis de Ægypto, quia Christus erat, qui in columna nubis præcedebat eos. Item illic in Proverbiis ejusdem: *Dominus condidit me in initio viarum suarum in principio in opera sua, antequam terram faceret, & ante omnes colles genuit me. Cùm pararet cælos aderam cum illo; & cùm secerne-*

2. Reg. 7. 12. Psal. 2. 1. Psal. 44. 2. Isa. 10. 22. Psal. 106. 20. Psal. 32. 6. Psal. 147. 15. Eccl. 24. 5. Prov. 8. 22.

(a) lege *In principio fecit, &c.*
(b) Hic aliquid videtur deesse. Forte *Non velles prophetam nostrum Johannem*: quia Judæi non recipiunt Novi Testamenti scripturas.

ret sedem suam, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram simul cum illo disponens. Ego eram cui adgaudebat, quotidie autem lætabar in faciem ejus, cùm lætaretur orbi perfecto.

SIMON DIXIT. Potest hoc pro sapientia dixisse.

THEOPHILUS DIXIT: Erras, Judæe, & veluti velamen ignorantiæ sensus tuus contectus est. Non immerito sanctissimus Moyses velaminis tegmine faciem velabat, quod velamen corda vestra contexit. Accede proinde ad Dominum & Dei Filium, & auferetur de sensibus tuis tegmen ignorantiæ. Sapientiæ dictum existimas, ignorans quoniam Christus ipse est Dei virtus & Dei sapientia. Adeo reges vestri qui per successionem regnabant, non poterant sapientiam & virtutem accipere, nisi per vocabulum nominis Christi. Hujus rei auctorem Danielem dabo dicentem: *Signabitur visus & prophetia. Orietur justitia sempiterna, & ungetur Sanctus Sanctorum, & scies, & intelliges ab exitu sermonis in respondendo; & ædificabo Jerusalem usque ad Christum christorum, & Regem regum vestrorum, unctio Samariæ deficiet cornu illud.* Deinde reges vestri ungebantur, & omnes prophetæ siluerunt quia de quo loquebantur venit, sicut Isaias ait: *Ego sum qui loquebar, & veni ut evangelizarem vobis.* Proinde, ut diximus, ipse est Christus christorum, Dominus dominorum. Auctorem Esaiam dabo dicentem. *Sic dicit Dominus Christo meo Domino, cui tenuit dextram, ut exaudiant eum gentes, fortitudinem regum disrumpam, aperiam ante eum portas, & civitates non claudentur. Portas æreas aperiam, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos.* Cui ergo tenuit dextram Pater, nisi Christo Filio quem & omnes gentes exaudierunt, sicut in Psalmo dicit: *Tu mecum semper tenuisti manum dextram meam?* Aut quæ civitas illi clausa est? Et cui omnes portæ æreæ patent? Aut numquid & de nativitate ejus audebit disputare? cùm isdem propheta, *Factum verbum Domini*, inquit, *ad Achaz: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum. Et ait: Audite nunc domus David: Non pusillum vobis certamen erit cum hominibus; & ideo vos præstabitis certamen cum hominibus, quoniam Dominus Deus dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus.*

(Christus virtus & sapientia. — Dan. 9. 24. — Isa. 52. 6. — Isa. 45. — Psal. 72. 24. — Isa. 7. 10.)

SIMON DIXIT: Ego prophetis Credo. Præterea Isaiam receptissimum accipio; sed aliam virginem dixisse arbitror. Cùm enim Salmanassar rex Assyriorum ducem suum misisset ad Jerusalem exprobrare Deum vivum; tunc Isaias prophetavit adversus Salmanassar regem dicens: *Sprevit te, & subsannavit te, virgo filia Syon. Caput suum movet adversum te, filia Jerusalem.* Quando & angelus de castris Assyriorum centum octoginta millia percussit, in hoc fuit nobiscum Deus.

(Isa. 37. 22.)

THEOPHILUS DIXIT. Erras, Judæe, nondum removes incredulitatem. Si ergo filiam Jerusalem dicis; quem filium peperit? vel quis butyrum & mel manducabit? aut quis infans fuit qui priusquam cognosceret patrem aut matrem spolia Samariæ detraxit? aut quem filium de semine David aluit? Isaias enim dixit: *Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, butyrum & mel comedet, priusquàm cognoscat vocare patrem, vel matrem accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ contra regem Assyriorum.*

(Isa. 7. 14.)

SIMON DIXIT: Enarra mihi igitur ista quid se habeant, ut credere possim, quid mel aut butyrum intelligitur, aut quæ spolia Samariæ Christus acceperit.

THEOPHILUS DIXIT. Si removeas incredulitatem, audies veritatem, ne forte impleatur in te illud quod scriptum est: *Sicut aspides surdæ & obturantes aures suas, quæ non audiunt vocem incantantium.* Audenter enim Isaias adversus incredulitatem vestram clamat dicens: *Erunt vobis verba libri hujus sicut libri signati, quem si dederis homini scienti litteras ad legendum, dicit non possum legere: signatum est enim. Aut si dederis non scienti litteras, & dicas lege: dicet, non didici.* Primùm quia Christus secundùm nativitatem infantium omnium butyrum & mel manducavit: Hoc credimus, & sic vitam nostram custodimus; & quia octavo die circumcisus est. Butyrum autem unctio Spiritus intelligitur; mel autem dulcedo doctrinæ ejus quam nos assequimur. Spolia autem Samariæ hoc genere detraxit, quod cùm infans esset, munera à Magis accepit, aurum, thus & myrram; & postea adultus cùm doceret, & omnem veritatem demonstraret, relictis idolis, Samaria & Damascus bene crediderunt, relinquentes Assyrium, id est diabolum.

(Psal. 57. 5. — Isa. 29. 11.)

SIMON DIXIT. Bene quidem per omnia patefacis mysteria. Et quia Christum & Dei Filium ore Dei prolatum (a) verbo genitum, & ex Virgine natum probasti. Quomodo ergo ex semine David in Bethleem civitatem natum asseveras?

THEOPHILUS DIXIT. Auctorem Isaiam dabo: *Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Virga enim Maria Virgo fuit, quæ ex semine David processit, ex qua Christus flos patriarcharum secundùm carnem nascitur. Deus enim qui in Numeris signum fecit, ut asina loqueretur, multum majus signum facere voluit, ut Christus ex Virgine nasceretur. Aut quid mihi & tibi esset certamen, nisi ut Virgo peperisset?

(Isa. 11. 1. Christus ex Virgine natus.)

SIMON DIXIT: Credo Virginem, ut dicis, potuisse de Spiritu concipere. Agitur si virgo potuit parere.

THEOPHILUS DIXIT: Incredule! Saxum Deus potuit rumpere, & aquam in fitientem (b) producere, quantò magis Deus jubere potuit ut virgo partum ederet? Adhuc tibi dico aliud testimonium, si tamen credas Baruch Neri filium, qui in Babilonem prophetavit.

SIMON DIXIT. Ergo me infidelem jam existimas, ut Baruch discipulum Jeremiæ non recipiam, qui à Jeremia toties missus populum alloquutus est, qui & prophetiam suam Baruch

(a) Forte *Patre genitum*.

(b) Addendum existimamus *populum*.

conſcribere juſſit. Et quia ſciebat Jeremias illum populum effuſum in captivitatem, & prophetavit; ſed de Chriſto nihil meminit.

THEOPHILUS DIXIT. Quomodo ergo prope finem libri ſui de nativitate ejus, & de habitu veſtis, & de paſſione, & reſurrectione ejus prophetavit dicens: *Hic unctus meus, electus meus vulva incontaminata, jaculatus, natus & paſſus dicitur.* (a) Et quoniam tunicam illius deſuper contextam, ut hæc omnia, Simon, ſi credideris, aut cùm veneris in plenitudine Evangeliorum noſtrorum, impleta cognoſces. Quod autem in Bethleem natus eſt, audi Michæam prophetam dicentem: *Et tu Bethleem domus illius Euffrata exigua non eris, ut conſtituaris in millibus Juda. Ex te enim mihi prodiet, ut ſit princeps in Iſraël, & poſſeſſio ejus à principio, à diebus ſæculi.*

a

Mich. 5. 2.

B

SIMON DIXIT: Multa quidem legimus; ſed non ita intelligimus, proinde volo per ſingula quæ interrogo cognoſcere comprobata teſtimonio veritatis. Præterea quia Deus circumciſionem præcepit, quam primum Patriarchæ tradidit, quam circumciſionem Chriſtum habuiſſe ſuperius profeſſus es, quomodo ergo mihi credere ſuades, qui circumciſionem prohibes?

C

THEOPHILUS DIXIT. Circumcidere carnem prohibemus, circumciſos autem credere libenter habemus. Abraham enim qui priuſquam circumciſus eſſet, amicus Dei effectus eſt, & juſtitiam adeptus eſt per fidem, non per circumciſionem. Sic enim dicit: *Patrem multarum gentium conſtitui te ante Deum, quia crediſti.* Proinde dicit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Hoc enim priuſquam circumcideretur audivit, & poſtea circumciſionem accepit, oſtendens duos populos ad fidem Chriſti venturos, unum ex circumciſione, & unum ex præputio. Nam ſi Chriſtus circumciſus non fuiſſet, quomodo mihi hodie crederes, aut prophetis, quod ex ſemine David veniret? Circumciſio enim ſignum eſt generis, non ſalutis.

Geneſ. 17. 4.

Geneſ. 15. 6. Rom. 4. 3.

Chriſtus cur circumciſus.

D

SIMON DIXIT: Ergo quo modo filium Moyſi, cùm eſſet in præputio, angelus ſuffocabat, niſi Seffora mater ejus accepto calculo circumcidiſſet; & cum ſanguis immineret, oravit dicens: *Stet ſanguis circumciſionis pueri.*

Exod. 4. 25.

THEOPHILUS DIXIT: Contra te loqueris, Judæe, & ſuperius tibi [dixi] quod Moyſes (b) typum fuit Chriſti, omnia quæcumque fecit in imagine Chriſti præcurrebat. Nam Seffora mulier quæ puerum circumcidit, Synagoga intelligitur. Quod autem dicitur. *Stet ſanguis circumciſionis pueri*; adeo Deus in Moyſem ſic dicit: *Ædifica mihi altare de lapidibus non circumciſis, & ferrum non inities in eis*, quod ſcilicet adveniens Chriſtus, Eccleſiam ædificaturus erat de populo incircumciſo.

Moyſes Chriſti figura.

b

E

Exod. 20. 25.

A SIMON DIXIT: Proba mihi Chriſtum neminem circumcidiſſe.

THEOPHILUS DIXIT: Crede, & ipſe tibi probabis, cùm cœperis plenitudinem evangeliorum revolvere, ibi invenies Matthæum apoſtolum publicanum, & Zacchæum principem publicanorum, & multos invenies (c) incircumciſos, qui cum Judæis crediderunt. Nam ſi ſæculi ſacrificia, hoſtiæ taurorum & arietum & agnorum juſſa immolabantur, & prohibita ſublata ſunt, & populus minor, id eſt noſter, majori prælatus, & teſtamentum novum veteri præpoſitum; ita & circumciſionem jam non carnis, ſed cordis celebrare præcepit. Dicit Deus ad Rebeccam in Geneſi: *Duæ gentes in utero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Et in Deuteronomio dicit: *Eritis gentes in caput, incredulus autem populus in cauda.* Et Jacob benedicens Effraim & Manaſſe, immutans manus, dextram minori ſuperponens, immutationem creaturæ demonſtrabat. Pro teſtamento autem noviſſimo ſic dicit Iſaias: *Ecce facio nova, quæ nunc orientur, & ponam in deſerto flumina*, hoc eſt in Eccleſia Evangelia. Et Jeremias dicit: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & conſummabo domum Iſraël, & domum Juda, teſtamentum novum, non tale teſtamentum quod diſpoſui patribus veſtris, in die quâ eduxi eos de terra Ægypti.* Audi nunc de circumciſione legiſlator Moyſes quid dicit: *In noviſſimis diebus circumcidet Dominus cor tuum & cor ſeminis ad Dominum Deum tuum ad mandatum.* Et Jeremias ait: *Viri Juda, & qui habitatis Jeruſalem, renovate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Circumcidimini Deo veſtro, & circumcidite præputia cordis veſtri, ne exeat ira & exurat, & non ſit qui extinguat.* Et ad Jeſum Nave dicit Deus: *Fac tibi gladios petrinos nimis acutos, & circumcide ſecundo filios Iſraël.* Numquid tunc (d) ferrum deerat? Sed Deus ad Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum loquebatur, quod per apoſtolos ſuos ſpiritaliter corda circumciderit; adeo apoſtolus noſter Simon dictus, & poſtea Petrus nomen accepit.

Chriſtum non circumcidiſſe. c

Geneſ. 25. 23.

Deut. 28. 44.

Iſa. 43. 19.

Jer. 31. 31.

Deut. 30. 6.

Jer. 4. 4.

Joſ. 5. 2. d

SIMON DIXIT: Manifeſta ſunt quæ mihi oſtendiſti, & circumciſio cordis quæ eſſe poteſt, & quod præputium de corde circumcidendum eſt?

THEOPHILUS DIXIT: Omnis concupiſcentia & libido corde concipitur, proinde circumciſio novi teſtamenti talis eſt, quam Deus & Chriſtus filius ejus oſtendit. Circumcidamus libidinem, avaritiam, malitiam, cupiditatem, furta, fraudes, fornicationes; & omne quod tibi fieri non vis, alio non feceris. Hæc eſt circumciſio Chriſtianorum, quam & primi ſanctorum habuerunt, ſcilicet Enoch, Noe, Job, & Melchiſedech, qui non carnis, ſed cordis circumciſionem habuerunt. Potuerat Deus Adam (e) circumciſum formare.

Circumciſio cordis quæ.

e

(a) Hæc hodie non reperiuntur in proph. Baruch. (b) lege *typus*.

(c) Exiſtimat hic Evagrius Matthæum apoſtolum fuiſſe incircumciſum, hoc eſt gentilem, non Judæum. Ipſi præiverat Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 9. cujus opinionem miratur ac erudite refutat S. Hieronymus ad Damaſum ſcribens his verbis: *Quaſi vero & Matthæus non ex Circumciſione fuerit publicanus, & ille qui cum Phariſæo in templo orans, oculos ad cœlum non audebat erigere, non ex Iſrael fuerit publicanus .... aut cuiquam credibile poſſit videri ethnicum templum ingreſſum, aut Dominum cum ethnicis habuiſſe convivium.*

(d) Eadem fere habet Lactantius lib. 4. Inſtit. divin. cap. 17, quem ſequi videtur Evagrius noſter.

(e) Ita Lactantius loco citato: *Si Deus vellet, ſic à principio formaſſet hominem, ut præputium non haberet.*

SIMON DIXIT. Exæstuo vehementi cogitatione Christum tam maledictam & ludibriosam sustinuisse passionem. Si tamen vera sunt quæ dicitis, à patribus crucis (a) patibulum eum esse suffixum. Scimus Aman maledictum à patribus nostris pro merito suo esse suspensum, qui genus nostrum petierat in perditionem, in cujus morte peracta revoluto [anno] gratulamur, sollemnia votorum festa celebramus, quod à patribus traditum accepimus; & Abessalon qui ad cædem patricida fuit pependisse in arbore legimus. Christus autem si patibulum mortis hujus sustinuit, & in cruce pependit, cur non hoc ipsum à patribus nostris accepimus, nec passum in scripturis nostris invenimus, ut sicut inimicum genti nostræ gauderemus affectum? Erubescere poteris, Theophile, si hoc dictum minimè comprobaveris. Nam scriptum est in Deuteronomio, *Maledictus homo qui pendet in ligno.* (Deut. 21. 23.)

(Christi passio ex scripturis probata.) THEOPHILUS DIXIT. Primùm hujus dicti accipe rationem. Recole superius Deuteronomii lectionem, de quibus dictum est: *Sic enim ait Moyses: Si quis peccaverit, in judicium mortis puniatur exemplo, suspendetis eum in ligno; & omnis qui pendet in ligno maledictus erit.* (Deut. 21. 22.) Sed hoc de peccatore dicit, qui mortale peccatum fecit. Christus autem peccatum non fecit, sicut omnes prophetæ testantur; sed pati necesse habuit, ut scriptura impleretur. Dicit enim Isaias, *quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; sed Dominus tradidit eum pro peccatis nostris.* (Isa. 53. 9.) Nam alibi Prophetam dixisse ostendimus. *Ecce verbum Domini factum est illis in maledictum, & noluerunt illud.* Et iterum dicit: *Inter maledicos reputatus est.* (Isa. 53. 12.) Audi & Jeremiam in Lamentatione dicentem: *Spiritus vultus nostri Christus Dominus comprehensus est in interitum gentis nostræ; sub cujus umbra vivimus inter gentes.* (Thren. 4. 20.) Scimus autem Sanctissimum David plenum annis in pace quievisse, nec aliquam passionem mortis aut crucis sustinuisse. Audi ergo in psalmo vicesimo primo dicentem Christum: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt & viderunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum, ad defensionem meam conspice* (Psal. 21. 17.) & cetera quæ tribus sequentibus versibus dicuntur. Item per Isaiam: *Expandi manus meas ad plebem non credentem & contradicentem, qui ambulat vias non bonas, sed post peccata sua.* (Isa. 65. 2.) Item apud Jeremiam: *Venite, mittamus lignum in panem ejus, & eradamus de terra vitam ejus.* (Jer. 11. 19.) Item in Deuteronomio: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vita tua.* (Deut. 28. 66.) Item in psalmo centensimo quadragesimo: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* (Psal. 140. 2.) Item apud Zachariam: *Et intuebantur me quem transfixerunt.* (Zach. 12. 10.) Item in psalmo LXXXVII. *Exclamavi ad te, Domine, tota die, expandi ad te manus meas.* (Psal. 87. 10.) Item in Numeris: (b) *Quasi homo Deus suspenditur, neque sicut filius hominis minas patitur.* Et in Canticis canticorum ex persona Ecclesiæ dicit: *Frater meus candidus & rubicundus lancea compunctus à militibus.* (Can. 5. 10.) (c) Quæ candor quid aliud quàm fidem populi demonstrat? Rubor enim passionem significat. In hoc enim primo adventu suo ut omnem humilitatem & deformitatem usque ad mortem sustineret, audi denique in psalmo vigesimo primo quid dicat: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, loquuti sunt labiis & moverunt caput.* (Psal. 21. 7.) Item illic: *Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti.* Item illic: *Placebo Domino super vitulum novellum cornua producentem & ungulas.* (Psal. 68. 32.) Quid dicis, Judæe, numquid David cornutus erat? Age nunc intellige racemum illum in Numeris, quem in terra repromissionis duo vectentes reportabant: quod utique figura fuit Christi pendentis in ligno. (Num. 13. 24.) Adveniens de terra repromissionis id est de Maria, quæ ex genere terreno fuit. (Maria terra repromissionis.) Subvectantes autem (d) phalanguam, duorum populorum figuram ostendebant: unum priorem, scilicet vestrum terga versum Christo dantem; alium vero posteriorem, racemum respicientem, scilicet noster populus intelligitur.

SIMON DIXIT: Quid de malagranata dicturus es, quæ ad Moysem allata sunt cum eodem racemo?

THEOPHILUS DIXIT: Rectissimè mala granata racemum secuta sunt. Figura scilicet Ecclesiæ fuit habens intra se populum rubore sanguinis Christi censitum.

SIMON DIXIT: Quid de ficulneis dicturus es, vel quibus argumentis, tractatibus tuis probabis ficum peccatum non esse, cùm (e) quando protoplastus Adam in transgressione sua folia (f) ficus contexit pudenda, quod fuit prurigo & amaritudo peccati?

THEOPHILUS DIXIT: Supra cutem istam intelligis, Judæe, nam arborem ficus & (g) foliarum tegmen veteris hominis figura intelligitur. Nam si velles spiritalem hominem considerare, hoc est interiorem, pomum de ficulneis ad Moysem de terra repromissionis allatum invenies spiritaliter, sicut Ezechiæ regi Judæ post augmentum vitæ suæ, massa fici in sanitatem carnis suæ accepisse. Adjungens & dicens: *Accipe tibi massam ficus terræ, & cataplasmare, & sanaberis:* (4. Reg. 20. 7.) ut scilicet confractis impietatibus, libidinis sanitatem recipias. Revertamur nunc ad humilitatem Christi & adventus ejus, de quo agebamus, audies Isaiam dicentem: (De humilitate ad ventus Christi.) *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Annunciavimus de eo, sicut infans non species ei, neque decor; & vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem, homo in plaga positus, & qui scit infirmitates sustinere, quia adversata est facies ejus, depreciata est, nec computata. Hic peccata nostra portavit, & pro nobis in doloribus est. Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum; in humilitate judicium ejus sublatum est. Nativitatem autem ejus quis enarrabit?* (Isa. 53.)

(a) Legendum *patibulo.* (b) lege *Non quasi homo,* ut apud Lactantium lib. 4. Institutionum cap. 18. ubi hunc locum citat etiam ex Numeris, tametsi hunc locum in Numerorum libro reperire nequiverim. (c) lege *qui.* (d) Phalanga seu Palanga aut Palangæ sunt teretes quibus bajuli ferendis oneribus utuntur. (e) Vox *quando* est superflua. (f) lege *folia.* (g) lege *foliorum.*

quia tolletur à terra vita ejus, à malignis plebis meæ adductus est in mortem; & dedi divites pro morte ejus, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus in ore ejus; sed Dominus voluit tradere eum pro peccatis nostris, & inter iniquos reputatus est. Item illic de humilitate primi adventus ejus testatur dicens: *Posui dorsum meum ad flagella, maxillas autem meas ad palmas, faciem meam non averti à fœditate sputorum, & fuit Dominus adjutor meus.* Et Jeremias dicit: *Ego sicut ovis ad victimam ductus sum & nesciebam.* De quo quidem agno in imaginem Christi Moyses apud Ægyptum pascha celebravit in liberationem populi, nec aliter poterat populus Dei de domo servitutis & de pressura Pharaonis liberari, nisi agnus occideretur, & pascha celebraretur, & de sanguine ejus limina domus signarentur, ut cùm venerit
a angelus vastator, viso [a] agno sanguinis in domibus salvarentur. Quod sacramentum ante prædictum adventum Christi impletum est. Pro hoc enim in primo adventu suo occisus est, ut nos liberaret de diaboli potestate, & de idolorum cultura. Anniculus autem dictus est, quia postea quam tinctus est in Jordane, [b] annum prædicavit, & sic passus est, & sanguine ejus fronte signati censemur, ut in secundo adventu, cùm venerit vastatio mundi istius, salvi esse possimus.
(Ezech. 9. 4.) Hujus rei auctorem Ezechielem prophetam dabo, qui & ipse duos adventus Christi significat dicens: *Transi per mediam Jerusalem, & da signum in frontibus virorum dolentium & gementium ab iniquitate quæ fit in terra.* Et rursum secundum adventum significat vastationem non signatorum dicens: *Ite in civitatem, & nolite parcere seni, neque juveni, & mulieribus, & parvulis, nolite parcere gladio. Super quos autem signum inveneritis, nec tetigeritis, & sanctis meis nolite parcere.* Hoc signum Raab meretrix quæ in figura Ecclesiæ fuit, coc-
c cum & [c] spartum in fenestra pependit, ut cùm Jesus Nave veniret Jerico debellare, viso signo coccineo, Raab & qui in domo ejus essent salvarentur. Ita & in adventu Christi, cùm venire cœperit Christus Filius Dei secundum sæculum istum ex igne cremare, Ecclesiæ & qui in ea fronte signati fuerint, salvabuntur. Sic &
Osee 1. 2. Osee, qui typum Christi tenuit jubet accipere uxorem fornicariam, hoc est Ecclesiam, quam de fornicatione idolorum Christus accepit, quia initium fornicationis est idolorum servitus.

SIMON DIXIT. Ergo Ecclesia fornicaria est?

THEOPHILUS DIXIT: Quid enim interpretatur fornicaria, nisi omnibus venientibus ad se questum fidei nulli denegare? Repudiata enim Synagoga, assumsit sibi Christus Ecclesiam. Audi enim Jeremiam dicentem: *Dimisi matrem, vestram & dedi illi libellum repudii, quod dedi matri vestræ, quia dimisi eam.* Et alius propheta dicit: *Judicamini ad matrem vestram, quia non sum vir.* Hic est etiam Dei virtus Christus, de quo Salomon in persona Judæorum prophetavit dicens: *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Improperat enim nobis peccata nostra, & disciplina nostra. Filium Dei se nominat, videamus si sermones illius veri sint: morte turpissima condemnemus eum. Erit enim respectus ex sermonibus nostris, vel ejus. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum de manu contrariorum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei.* Et Moyses in Deuteronomio dicit: *Innocentem & justum non occides.* Surrexisse autem illum à mortuis scriptura testatur in psalmo dicens: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Item in psalmo XXIX. *Domine eduxisti ab inferis animam meam.* Item in psalmo indicit: *Ego dormivi & somnum cœpi, & exsurrexi quia Dominus suscipiet me.* Et Osée: *Vivificabit nos post duos dies, & die tertia suscitabit nos.* Et ad Moysem Dominus in Exodo: *Descende*, inquit, *& testificare populo, & purifica illos, ut levent vestimenta sua, & sint parati in die tertia.* Et Isaias: *Nunc exsurgam dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc videtis, nunc erubescitis, vana erit formido spei vestræ, ignis vos consumet.* Et de morte ipsius: *Occidet sol meridie & obtenebrabitur dies lucis, & convertam dies festos vestros in luctum.* Et Jeremias dicit: *Occidit cum adhuc dies esset.* Quod autem in cœlos ascendit testatur David in psalmo LXVI. *Iter*, inquit, *facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Item in XLVI. *Ascendit Deus in jubilatione, Dominus in voce tubæ.* Item in XVIII. *A summo cœlo egressio ejus, nec est qui se abscondit à calore ejus.* Item in XXIV. Ascendente Christo in cœlis janitoribus angelis dictum est: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* At illi qui nesciebant Christum Verbum in Virginem insinuatum, mirantes quod tali habitu, & [d] trophæam victricem reportans cœlum ascenderet, interrogant: *Quis est iste rex gloriæ?* Quibus responsum datur: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Item in CIX. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* De claritate regni secundi adventus ejus apud Danielem: *Videbam nocte in visu, & ecce in nubibus cæli, quasi filius hominis veniens venit usque ad veterem dierum, & data est ei potestas regia, & omnis claritas serviet ei; & fides ejus æterna, quæ non movebitur, & regnum ejus non corrumpetur.* XCV. *Dicite in nationibus Dominus regnavit à ligno.* Item apud Isaiam: *Puer natus nobis, cujus imperium super humerum ejus; & vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Et si volueris omnem plenitudinem evangeliorum cognoscere, invenies apud Johannem nostrum, euntem ad passionem Christum crucem sibi in humeris portasse, pro quo hæc Isaias dicit.

SIMON DIXIT. Omnia quidem in Christo præfigurata manifesta probatione [e] præ scripturis meis mihi ostendisti, & volueram quidem credere, si non me psalmi istius deliberatio revocaret. Nam hic psalmus in Salomone dictus

Margin notes (right column): De Christi resurrectione. Psal. 15. 10. — Psal. 29. 4. — Psal. 3. 6. — Osee. 6. 3. — Exod. 19. 21. — Amos 8. 9. Passione & ascensione. — Jer. 15. 9. — Psal. 67. 5. — Psal. 46. 6. — Psal. 18. 7. — Psal. 23. 7. — d — Psal. 109. 1. — Dan. 7. 13. — Isa. 9. 6. — e
Margin notes (left column, partly cut): b — ...9. 5. & — Synagoga repudium (?) — ...3. 8. — ...1. 2. — ...2. 12.

[a] Legendum *agni sanguine*. [b] Eamdem opinionem secuti sunt inter latinos Tertullianus lib. contra Judæos, & Lactantius libro 4. Institut. Nullus vero, quem sciam, post sæculum quartum, si tamen unum excipias Orosium. Hinc scriptoris antiquitatem colligas. [c] Spartum genus herbæ, quam quidam latini genistam interpretantur. [d] Forte *rompheam*. [e] Id est *scripturis* vel *per scripturas meas*.



est. *Deus judicium tuum*, quem dudum mihi proposuisti: adeo ut titulus ejus te revincat, cùm dicat: *Psalmus in Salomone.*

THEOPHILUS DIXIT: Invisor ille qui protoplastum fefellit & populum vestrum decepit, per cujus invidiam mors in orbem terræ venit; hic videlicet sensus cordis tui præoccupavit, ut rem manifestam & in lucem positam errollus non intelligas. Salomon enim in Judæa quadraginta annis regnavit à Dan usque Bersabée, & postea deliquit, sicut in Basilion libro tertio dicitur: *Et fecit Salomon malum, & non ambulavit in via David patris sui, sed ædificavit excelsum Chamos, idola Moab, & regi eorum idola filiorum Ammon & Astaron, idola abominationis Sidoniorum; & excitavit Deus satanam ipsi Salomoni Ader Idumæum.* Christi autem regnum in omni porrectum est orbe terrarum. Ideo de eo Propheta commemorat dicens: *Permanebit cum sole & ante lunam in sæcula, & dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ.* Non de Salomone dicit, cujus regnum & annos superius tibi ostendi.

3. Reg. 11. 7.

Psal. 71. 5.

SIMON DIXIT. Recedit, ut video, de sensu meo inimicus patrum meorum diabolus, qui mentem meam cœcabat. Cœpi enim lumen veritatis agnoscere.

THEOPHILUS DIXIT. Crede ergo, illuminatus de vinculis exire [a] tenebrarum. Sic enim Isaias de Christo dicit: *Spiritus Domini super me, propterea unxit me. Misit me bene nuntiare pauperibus, sanare contritos corde, educere de vinculis alligatos, & de domo carceris, aperire oculos cæcorum.* Quid aliud intelligi potest, nisi sæculi istius homines ignorantiæ cæcitate detentos, & diaboli vinculis alligatos?

Isa. 61. 1.

SIMON DIXIT. Multa quidem & inaudita manifestasti mihi, sed adhuc animæ meæ inest scrupulum diffidentiæ, eo quod omnia [b] relegisse colitis: sabbatum vero quem Deus custodiendum servandumque mandavit, negligitis. Cibos præterea & vinum gentiliter sumitis Cum Deus specialiter præceperit quæ debeant ex animalibus & ex piscibus esse sumenda, & quæ excerenda, vel exsecranda, nec mortua illorum tangenda. Nisi hoc per scripturas probaveris, periclitor credere.

THEOPHILUS DIXIT: Jam superius dixi, quod diabolus invideat tibi, quod scilicet filius sis patrum tuorum, qui tot beneficiis fulti, ex Ægypto liberati ad [c] vicem metallini æris rubri maris circumsteterunt: unde largis etiam dapibus apparati, cœlesti manna saturati, oblivione transgressi profanos deos quos colerent, ausi sunt postulare. Merito de vobis Hieremias dixit: *Si mutabit Æthiops colorem, & pardus varietatem, sic & vos.* Edocta mala sabbata, scilicet imaginaria requies septimi diei tradita fuit, primum quod Jesus Nave ut Hierico debellaret septem diebus vicissim muros circuibat, arma bellica arcam testamenti gestantes: septima autem die septies circuierunt. Manifesta veritas est, aut sabbato cœperunt, aut in sabbato, cadentibus muris, Hierico debellaverunt. Accedit quod humanum sabbatum Deus repellit dicente Isaia: *Jejunium & diem festum vestrum & sabbata odit anima mea. Fecistis mihi tædium, non dimittam peccata vestra.* Illud autem sabbatum Deus desiderat, requiescere te ab operibus malis, ut millesimo anno, quod sabbatum sabbatorum est, mundus inveniaris ab operibus malis. Hæc erunt sancta tenenda [d] in qua Deus delectetur. Cibus autem quod ambigis manducare debere, non carnes suillas, sed facta porcorum prohiberis ammittere. Similiter aqua mixto luto voluptas, sororem tuam tibi in concubitu copulas, sanguinem sanguini incitas, rapinis terram perscrutaris, festa tua publicas, in plateis oras. Ecce quomodo peccas, & non intelligis de te scriptum in psalmo: *Saturati sunt filiis, & reliquerunt quæ superfuerunt parvulis suis.* Hoc est peccatum vestrum & posteritatis vestræ. De piscibus autem squamis cutem vestitis comeditis; cetera autem quæ configitis vitare, retibus extracta, & in multitudine piscium permixta, penitus exsiccata in liquamine dulciter manducatis. Vinum autem Christianorum ostende mihi per scripturas ubi sit prohibitus bibere, & azymas tuas manducare vetamur. Audies prophetam dicentem: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Et rursus: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et in Deuteronomio: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & propago eorum ex Gomorra. Uva eorum, uva fellis, & botrus amaritudinis. Ira draconum vinum eorum, ira aspidum insanabilis.* Si his tot & tantis testimoniis, Simon, credere nolueris; saluti tuæ contradicis. Lege, Simon, Danielem, & invenies Nabugodonosor barbarum: Filium Dei ipse cognovit, quem tu tardas agnoscere. *Nonne tres viros in fornacem misimus? Ecce video quatuor viros, & facies quarti similis Filii Dei.* Quid dicis, Judæe? Vide ne in te impleatur invectio Abacuc prophetæ dicentis: *Videte contemtores, & inspicite, & desperate, quoniam ego opus operor in diebus vestris, quod non creditis si quis narraverit vobis.*

Jer. 13. 23.

Isa. 1. 7

Psal. 13. 14.

Ps. 13. 3

Deut. 32. 32.

Dan. 3. 91


Abac. 1. 5

SIMON DIXIT: Lator salutis Theophile, ægrorum bone medice, neque ultra differe possum. Jube me catezizari, & signo fidei Christi consecrari. Arbitror enim quod per manuum tuarum impositionem me peccatorum meorum abolitionem, [e] immo sicut Jacob benedixit, & per impositionem manus accepit, ut major fieret ex minore; sic Epphraim & Manasse per impositionem dilatati sunt manuum.

Tunc Theophilus Simonem tinxit, & adeptus est fidem. Simon gratias agere Deo cœpit dicens: Gratias ago tibi, JESUS, quem non vidi facie ad faciem, nunc autem credo in te spiritu & tota mente. Gratias ago tibi, JESUS, quem non audivi, nunc autem audito invoco, JESU, cujus sensum ante non habui. Nunc autem cupio in te sensum meum esse, per quem cognovi Theophilum discipulum tuum. Domine JESU CHRISTE, si quidem dignus sum tua convocatione,

[a] Supple *incipe.* [b] legendum videtur *religiose.* [c] Hic locus mutilus & depravatus ita forte posset restitui: *Ad vocem metallini æris rubri maris littora circumsteterunt.* Vide Exod. cap. 14 vers. 31. & cap. 15. vers. 20. [d] legendum *in quibus.* [e] Ita videtur hic locus legendum *Arbitror enim per manuum tuarum impositionem me peccatorum meorum abolitionem accepturum.*

tione, confirma me. Etenim errantibus viam demonstras, & perditos revocas, mortuos suscitas, infideles in fide tua configuras, & cæcis oculos cordis illuminas. Tu es ipse qui fuisti cum patribus nostris in deserto, tu es candelabrorum lumen, tu es altarium, & panis propositionum, tu es ara & victima voluntaria, tu es ipse vita mea, margarita, cristallum, jugum argenteum. Oro, Domine, ignorantiam meam infelicitatis meæ ne memineris; tu enim absconsa beneficia præstans es, qui mihi dignatus es omnia ostendere. Tibi sit honor, potestas, laus, gloria, hic & in cuncta sæcula sæculorum. Amen.



SANCTI ORIENTII COMMONITORIUM

Ex Ms. codice insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis.

ADMONITIO PRÆVIA

In Commonitorium Sancti Orientii.



ABES hic, ô Lector, COMMONITORIUM SANCTI ORIENTII, *inter antiquos poëtas Christianos celeberrimi, cujus Fortunatus, qui sub finem sæculi VI. florebat, meminit in libro de Vita Sancti Martini brevi hoc versiculo:*

Paucaque perstrinxit florente Orientius ore

& *Sigebertus monachus Gemblacensis in libro de viris illustribus cap.* 34. Orientius Commonitorium scripsit metro heroico, ut mulceat legentem suavi breviloquio. *Carmen istud hactenus desideraverant viri eruditi, maximè vero illustrissimus Annalium ecclesiasticorum concinnator cardinalis Baronius ad annum* 484. dolens nobilis ingenii omnia periisse monimenta, immo & nomen ipsum pene oblivione sepultum; quod vix tandem eruderatum obtectaque rubigine purgatum reddere liceat. *Ejus votis aliqua ex parte fecit satis Martinus Delrio Societatis Jesu presbyter eruditus, qui reperto in ms. codice Aquicinctensis monasterii Commonitorii libro primò, tamquam invento thesauro pretioso exultavit, eumque quàm citius cum omnibus etiam, quibus scatebat, mendis & lacunis anno* 1600. *typis mandari curavit: ratus nihilominus in illo suo codice integrum Orientii opus non contineri, sed plura* deesse, minimùm de ceteris peccatis, gula, acidia, superbia, fors & plura. *Nec sane sua eum fefellit opinio: nam revera deerat integer liber secundus, quem cum aliis ejusdem auctoris versibus, de Nativitate, de Trinitate, de nominibus Domini & orationibus, ex pervetusto codice insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis ab annis circiter* 800. *exarato beneficio Cl. viri Gatiani* de Galiczon *tunc præcentoris ejusdem ecclesiæ, nunc episcopi Agathopolis, descriptum,* obtectaque rubigine purgatum *aliquibus ab hinc annis publici juris feci, ac denuo ad manuscriptum codicem emendatum iterum profero, erratis quæ in editione Delrii occurrerant correctis, ac repletis lacunis: tametsi religio mihi fuerit, ea omnia, in quibus aliquando auctor in exactas artis poëticæ leges peccavit, immutare. Nam & in antiquis scriptoribus vel ipsa menda venerari debemus.*

Quis autem fuerit ille ORIENTIUS *non ita facile est explicatu. Si quam tamen fidem merentur Acta S. Orientii, quæ in Bibliothecæ novæ tomo* II. *vulgavit Philippus Labbe, eaque cum his versibus comparentur; non levia inde eruere licebit rationum momenta, quibus eidem adjudicandos esse saltem conjicere possemus. Ipse enim* ecclesiasticis dogmatibus eruditus, *inquiunt ejus Acta,* commissum sibi populum sacro sermone correxit, paganorumque perversitatem destruxit, & ita plane doctus tanta doctrina eos erudivit, ut spreta idolorum vilitate, auctorem suum cognoscerent, & legem ejus baptismatis gratia accipiendam concederent. *Quæ verba quàm bene concinunt iis, quæ scribit Orientius Oratione* XXIV!

Et nos à fæce ethnicorum emersimus,
Eamque tamdem rupimus caliginem,
Dum spiritales exaudimus angelos.

Qui verò in Commonitorii libro II. *versus leguntur, hi strages & incendia Alanorum, Vandalorum, Gothorumque mirum in modum repræsentare videntur.*

Per vicos, villas, per rura, & compita, & omnes
Per pagos, totis inde vel inde viis,
Mors, dolor, excidium, strages, incendia, luctus,
Uno fumavit Gallia tota rogo.

Porro cum adversus Gothos missi fuerint ab imperatore Aëtius & Littorius duces strenuissimi, quibus S. Orientius Auxitanus episcopus occurisse in præfatis Actis dicitur, nemo non videt Commonitorii nostri versus ad illius tempora respicere potuisse, hoc est ad annum circiter CDL. *Adde quod auctor in ultimo hocce versiculo se Gallum, aut saltem in Gallia agentem se satis clarè demonstrat. At vero Baronius existimat Orientium nostrum eumdem esse cum Oresio Tarraconensi, ad quem Sidonius Appollinaris anno* CDLXXXIV. *epistolam* XII. *libri* IX. *scripsit, interpellatus ab eo, ut carmen aliquod de fertili depromtum ingenio mitteret. Et certè illud ejus conjecturæ favet, quod Oresium virum doctum & facultatibus poëticis excultum fuisse constat ex hac Sidonii epistola. Huic sententiæ subscribit Delrius.*

LIBER PRIMUS.

QUISQUIS ad æternæ festinus præmia vitæ,
Perpetuanda magis quàm peritura cupis,
Quæ cælum referet, mortem fuget, aspera vitet,
Felici currat tramite, disce viam.
Nam nos, & carnis vitiis, & tempore victi,
Terrenum gradimur, sive doloris iter:
Solaque permixtis hæc sunt modo gaudia votis,
a Si, (a) quod non facimus, saltem alii faciant;
Ut quia nunc istud, quod protinus effugit, ævum
b Insidis capti (b) degimus illecebris.
Lascivum, miserum, fallax, breve, mobile, vanum,
c (c) Heu mala noxarum origo præcipitat.
Omnibus his, raptim quæ sunt moritura, relictis:
Tu forti teneas non moritura fide.

A Ergo, age da pronas aures, sensumque vacantem:
Vita docenda mihi est, vita petenda tibi.
Sed, quo sit melior nostri doctrina libelli,
Et teneat rectas carminis ordo vias:
Te, Deus omnipotens, & corde, & voce rogare,
Te sine (d) nec linguam solvere, Christe, placet: d
Demere qui tenebras revocato lumine cæcis,
Auditum surdis auribus inserere,
Corporis & mentis sævos depellere morbos,
Solvere mutorum qui (e) pius ora soles: e
Te penes officium nostri est, & cordis & oris,
Da sentire mihi, da mihi posse loqui:
(f) Nimirum ut nostram vegetent tua munera linguam; f
Ac per te de te sit (g) tibi sermo placens. g
B Mandato cum jussa tuo superaverit omnem
Naturam, nostra voce (h) fruens asina, h
(i) Et stimulis propria subigentem terga Balaam i

[a] *al.* quid. [b] Ita in editione Delrii, in mſ. vero legitur *egimus*. [c] Hic versus integer deest in editione Delrii. [d] *Delrius* ne.

[e] *In mſ.* solus. [f] *al.* nec mirum. [g] *Del.* mihi. [h] *al.* loquens. [i] *al.* Atque sua stimulis.

Terruerit miro quadrupes alloquio: A
Qui magno regis trepidi crebroque rogatu,
Dira super sanctum verba parans populum,
Non potuit propriè motam sibi subdere linguam,
Ore aliud dicens, corde aliud cupiens.
Nam maledicturus nimiè benedicere cœpit,
Impendens aliis ora parata aliis.
Ergo nisi eloquium, sensum nisi, Christe, ministres,
Conatus animæ tu nisi, Christe, regas;
Ora homines omnes, & muta, & bruta tenebunt;
Quodque etiam possunt, hoc quoque non poterunt.
Principio geminam debes cognoscere vitam, B
A Domino indultam cum ratione homini:
Ut: quoniam brutum terreno est pondere corpus,
Est anima afflatu vivificata Dei;
Nullum sentirent animæ dispendia finem,
Esset in hoc fragili corpore vita brevis.
a (a) Unam nascendi ratio priùs omnibus affert,
b Hanc cura & propriis consequitur (b) meritis.
Nasci non nostrum, nec longum vivere nostrum:
Vitam quæ sequitur vita parare potest.
At licet arbitrio Domini sumamus utramque,
Et neutra obveniat, ni Deus hoc jubeat:
Prima tamen celeri fertur per prona rotatu, C
c Quæ sequitur (c) totis est data temporibus
In primam ignari nulla mercede venimus,
Altera de summo parta labore venit.
Nascimur ut Dominum cæli, terræque, marisque,
Quæramus toto pervigiles studio;
Quærimus; ut qui sit, qualis, vel quantus, agat quid,
Possimus vero noscere judicio.
Noscimus; ut digna compertum laude colamus
Ut vitam tribuat perpetuam; colimus.
d Et colimus non (d) thure dato, non sanguine fuso, D
Non vino madidi, non epulis gravidi;
Aurum, vestis, odor, pecudes, libamina, gemmæ
e Et quæ (e) rara homines vel pretiosa putant;
Ante Deum, ut viles terreno è pondere moles
f Ut (f) cœnum, ut sordes, sic inhonora jacent.
Omnia sunt ejus, cujus nos esse fatemur.
Nil proprium est nobis, ipse habet, ipse dedit.
Ecce etenim sancto proclamat in ore prophetæ:
Nolo tuos hyrcos, nolo tuos vitulos.
g Et species (g) agri mecum est, & gloria cæli,
h Orbis (h) enim meus est, & quod in orbe meum.
Debita solvantur sancto mihi pectore vota,
Hostia me laudis, puraque vox celebret. E
Ergo nihil noster poteris prætendere Lector,

Istis quod tibi sit difficile in monitis.
Non longe positum, non est aliunde petendum,
Non re, non sumtu, non opus est precio.
Sufficit ut Dominum mundi, rerumque parentem,
Cujus in arbitrio, vel bona, vel mala sunt;
Censu majori vincentem verba loquentis,
Unum, incorporeum, (i) perpetuumque sacrum, i
Omnia complexum, vel semper in omnibus unum,
Corde (k) pius credas, credulus ore roges: k
Sed quid sic nudis tantum sermonibus utor,
Tamquam nulla Dei sint super hoc monita?
Nam primùm veteri cautum sub lege memento,
Quæ dudum in solidis scripta fuit tabulis,
Quod nunc per Dominum renovat data gratia Christum,
Atque Evangelii vox veneranda sonat:
Ut, quod saxa priùs, modo pectora nostra tenerent,
(l) Esset & uberior bis repetita fides, l
Affectu toto Dominum, totisque medullis;
Atque (m) tuum toto dilige corde Deum! m
Et rectè, quid enim poteris tu justius umquam
Obstrictus tantis solvere muneribus?
Qui tibi, cùm limus terrena in fæce jaceres,
Demsit perpetui temporis esse lutum:
Qui tibi, quod membris constas, quod mente moveris,
Quod lingua loqueris, quod ratione sapis,
Quod manibus tangis, graderis pede, lumine cernis,
Aure audis, sentis naribus, ore probas,
Ante aliquod meritum, propria pietate ministrat,
Corporis ac animæ sic Pater ut Dominus:
Et non hoc solo contentus munere, (n) quo te n
Instruxit membris, sensibus excoluit:
Qui tribuit vitam, largitur commoda vitæ,
Omnibus ut tibi sit prædita deliciis:
Ecce tibi cælum pendet, tibi terra recedit,
Aëra librantur, fluctuat Oceanus:
Noctibus atque dies succedunt, mensibus anni,
Sol splendet, lucent sidera, luna rubet.
Ver varios blandus (o) perfundit germine flores, o
Æstas jam gravida fructibus arva coquit,
Autumnus musto madidus, præpinguis oliva est,
Ignibus ammotis frigora nescit hyems:
Imbribus arcendis confirmas pendula tecta;
Ignoras ventos ædibus oppositis;
Hirtaque lanigeræ depectens terga bidentis
Mollibus involucris algida membra tegis;
(p) Lenia nec desunt nivei velamina lini, p
Sunt etiam Eois pallia velleribus:
Illa (q) ferax jacto (r) reddet tibi semine tellus q r
Hæc celsis carpent (s) Seres in arboribus. s

[a] *Del.* Unica. [b] Ita mſ. subintelligitur *homo* sive *mortalis*. Cave ergo ne corrigas *consequimur*. Nam hæc verba referuntur ad ea quæ paulo antea dixerat.

Principio geminam debes cognoscere vitam,
A Domino indultam cum ratione homini.

[c] *Del.* turris. [d] *Del.* rure. [e] *Del.* tanta. [f] *Del.* cætum. [g] *Del.* igitur. [h] *Del.* hunc versum ita corrupte legit. Orbis & meus est, & quod in urbe meum. [i] *al.* perpetuòque. [k] *Del.* pio. [l] *Del.* cesset. [m] *Del.* tuo.

[n] *Del.* quæ *male*. neque melius qui pro suo libitu legere volunt *qua*, nam hoc loco pronomen *quo* refertur ad præcedentem vocem *munere*.

[o] Ita mſ. nec mireris hic *blandus* pro *blandum* legi: nam *solæcismos & barbarismos quos vocant poetæ adamaverunt*, inquit S. Augustinus lib. 2. de Ordine cap. 4. In mſ. alio modo legitur hic versus sic: *Ver fundit blandus varios ut germine flores*. [p] *al.* levia. [q] *Del.* verax.

[r] *Del. jacta semina*, quæ lectio tolerari potest, nam veteres, nonnumquam primo pro sexto casu utebantur, & dicebant V. G. *Petrus existens* pro *Petro existente*.

[s] Seres sunt Scythiæ Asiaticæ populi, à quibus nobilis illa lana ex arboribus, ex qua fit sericum, advehi dicitur.

Denique per totum, qui circumvolvitur annum, A
Quidquid habes totum dat tibi cura Dei.
Campus messe viret, vestitur palmite collis,
Arbore diversa mitia poma metis,
Et studium impendens fœcundo providus horto
Utile quo libuit tempore sumis olus.
Accendis pinguem quæcunque in lumina pinum,
Nobilibus mensis cerea flamma micat.
Nec modo terreno tantum servire jubetur
Per varios usus subdita terra homini:
Ipsa etiam quidquid fertur prope nubila, (a) quidquid
Alto subductum volvitur in pelago.
Nunc fallente cibo, nunc texto in retia lino. B
Artibus innumeris inde vel inde petis. (b)
Et tibi nunc imo trahitur de gurgite piscis,
Aëre nunc summo decipiuntur aves.
Agmina venanti prorumpunt densa ferarum
Icta procul jaculis vel laqueata plagis.
Prona petis ferro, canibus fugientia sistis
Contundis (c) frænis ora ferocis equi.
Ad juga panda boves cogis, ad mulctra capellas,
Distillant crispis dulcia mella favis.
De saxis gemmas, aurum producis arenis
Lentaque de terris igne metalla coquis:
Gramina discernis (d) tristes medicantia morbos,
Pellis lethiferum sedulus arte malum.
Quin etiam ut mercem peregrino à littore sumas, C
Et tua des aliis atque aliena petas,
Flumina remigio percurris & æquora velo;
Ibis longinquas absque labore vias:
Aut si formidas pelagus, carpenta movebis,
(e) Teque tuis sternet terra notanda rotis.
Tunc si (f) jactatum quærit blanda otia corpus
Humida pulvereum balnea suscipient,
Atque cavo tota spoliatur veste lavacro
Marcida perdomitis membra fovebis aquis.
Tot tantisque bonis Domini tibi munere partis
Quid tandem dignum reddis amore pio?
Aut quibus hæc (g) opibus, quibus & persolvere donis, D
Vel quanto poteris pendere servitio?
Nec tamen hæc, Dominus, cujus sunt omnia, quærit,
Sufficit ut Dominum servus amatus ames.
Hæc quoque mandati sucedit forma secundi
Proximus ut tibi sit sic velut ipse tibi es.
Nosco salutiferam mansuro munere legem,
Uno quæ cunctis prospicit officio.
Nam cum aliena mihi mandatur cura, necesse est
Ut mea mandetur sic quoque cura alii.
Ecce pecus pecudem fœcunda ad pabula ducit,
Ammugit proprio buccula læta gregi.
Murmure respondent, qua possunt voce loquuntur, E
Inque vicem docilis lambere lingua solet.
Non caret affectu quod fluctibus occulit æquor,
Et volucris volucri est, & (h) fera blanda feræ.
Tum si quando venit quocunque ex agmine (i) prædo,
(k) Fortior invalidos ungue vel ore premens;
Seu volucrum res est, seu res est illa ferarum,
Undique collectis tenditur auxiliis,
Captivam comitem cursu, grege, voce, volatu,
Et si non possunt, eripuisse volunt.
Cumque ita se solo naturæ munere servent,
Quæ nec consilio, nec ratione vigent:
Quid mirum Domini si jussa verenda (l) secutum
Mutua constringet cura hominis hominem,
Atque usu, ingenio, rebus, ratione peritus
Ut, sua quæ tua sunt commoda frater agat;
Hinc venit illa placens merito sententia, nectens
Humanum parili conditione genus:
Nec facias aliis quidquid fieri tibi non vis,
Idque aliis facias, quod tibi vis fieri.
Quod genus est hominum, quis sexus, ritus, & ætas,
Quis neget hoc rectum, quis neget (m) esse probum?
Quid non mandatum late complectitur arctum?
(n) Plenius hac tradi quid brevitate potest?
Namque ea quæ mala sunt, fieri modo sic mihi nolim
Ut rursum cupiam quæ bona sunt fieri.
Judice non opus est, doctor nec quæritur ullus:
De nobis scimus quæ bona, quæ mala sunt.
Gaudebis certe si quis de nocte viantem
Blandus vicinum ducat in hospitium:
Tu quoque sollicitus provisis excipe tectis
Illum, qui sera nocte viator erit.
Veste tegi nudus, sitiens ad pocla vocari,
Esuriens optas ut (o) satiare cibis:
Te quoque permoveat proprii par (p) causa laboris,
Divide cum miseris, pallia, pocla, cibos.
Ecce manum poscis lapsus, solatia mœstus,
Auxilium trepidus, consilium dubius:
Id mœstis, dubiis, trepidis, labentibus (q) offers:
In simili causa fac ut ameris amans:
Certè incusari (r) falso te crimine non vis,
Crimine falso, alios (s) insimulare noli.
Odisti furem; furtum cave: perdere non vis
Per vim quæ tua sunt; nil violenter agas.
Pacta tibi dubio non vis (t) nutare paratu:
(u) Promissam certo pectore redde fidem.
Quæ tibi detraxit velles succidere linguam:
Cura sit ut nullum livida verba notent.
Mutua (x) cumque petas, vis sumere protinùs æra,
Mutua poscentem dextera promta juvet.
Inflatos fastu damnas: depone tumorem,
Quod fugis in celsis nesciat inferior.
Certè (y) si soror est, vel mater, caravè conjunx
Quarum ne vitam fama gravis maculet,
Perpetui curam cauta pietate (z) pudoris
Filius, aut frater, sive maritus agis:
Hæc veneranda tibi si nomine tentat adulter,

(a) *Sic restituimus tametsi Delrio legat* nubile & *ms.* nobile. (b) *Del.* petes. (c) *Al.* fræno. (d) *Del.* Discernens. (e) *Al.* Deque. (f) *Del.* lassatum. (g) *al.* copiis. (h) *Del. male* & blanda fera feræ. (i) *Del.* prædæ. (k) *al.* Fortiori validus. (l) *Al.* sequutus. (m) *Al.* hoc facile. (n) Totum hunc versum invertit editio Delrii. (o) Ita ms. nec corrigendum est *ut satiere*, cùm optimi etiam auctores indicativum in hujusmodi pro subjunctivo frequenter usurpent. (p) *Al.* cura. (q) *al* offer. (r) *Del.* falso de *minus bene.* (s) *Del.* insimulasse time: sed timendum ne quis corrector ad elegantiorem versum condendum *time* pro *noli* proprio motu reposuerit, itaque ms. nostri lectionem retinemus, donec ad alios mss. emendari possit. (t) *Al.* mutare paratum. (u) *Del.* commissam. (x) *Al.* cum poscis. (y) *Del.* tibi (z) *Al.* custodis.

Ferrum in vindictam non satis esse putas. A
Nonne eadem pœna reus es, si tu quoque furtim
Aggrederis castos sollicitare toros?
Hinc fuit ut Dominus prima sub lege juberet
Pensari paribus crimina suppliciis;
Pro damno damnum, vulnus pro vulnere, dentem
(a) Dente lui raptum, lumina luminibus;
Nec minus ut propriam sub judice redderet audax,
Alterius cuperet qui rapuisse, (b) animam:
Judiciumque reus, non posset dicere pravum,
(c) Pravis decreta est ultio criminibus. B
Et licet hæc melius mutarit gratia Christi,
Mitia quæ potiùs quam violenta docet:
Ast tamen est rectum, quicquid jubet ista vel illa,
Seu cito restituas, seu patienter agas.
Hoc tamen est melior qui Christo vindice gaudet:
Servet se Domino, quod dedit ille sibi.
Ergo piis votis, & sanctis perfice rebus,
Vita quod hæc præsens, quodque futura probet.
(d) Ut te, quem raptim fugiens commendat honestas, C
Perpes post obitum gloria suscipiat.
Nam nostris certus monitis, mansura memento
Omnia, nunc stulti quæ peritura putant:
Atque animas, iisdem membris redeuntibus, ipsum
Crede recepturas corporis involucrum.
Ora, color, sanguis, venæ, cutis, ossa, capilli,
Ut nunc labuntur, sic iterum venient;
Non modo quæ tumulis bene (e) condita saxa reservant
(f) Aut Aravum solidans pulvis odorque (g) tegit:
Sed dicto citius, (h) firmanda in membra redibit
Portio de tumulis, portio de fluviis: D
Quod ventus flatu minuit, quod bestia morsu,
Flamma quod (i) exussit, quodque ruina premit,
Totum aderit, totum diversa ex parte coïbit,
Pars volucri, aut pisci; pars laniata feris:
Et quod nunc ætas sensim longæva resolvit,
Id raptim Domini buccina restituet.
Ut, pro factorum meritis, in corpore eodem,
In quo gesserunt seu bona, sive mala;
Scilicet, ad motus (k) animorum carne reversa,
Pœna reos, justos gloria suscipiat.
Cur autem dubites, cum præcedentia monstrent E
Ut tibi venturi sit manifesta fides?
Respice nudatas brumali frigore sylvas,
Jam desperatis luxuriare comis:
Quæ stabat mærens decusso palmite vitis,
Vestitur foliis, fructibus induitur.
(l) Spicæus densis calamus flavescit aristis,
In terra granum quod modo putre fuit;
Et quæ nunc tristi squallebant arva veterno,
Læta novo rident germine, flore (m) rubent;
Ipse etiam, variis conclusus mensibus, annus
Tempore mutato mortis habet speciem:
Cùm ver autumno, frigus depellitur æstu;
Utque hominum res est, hoc venit (n), illud abit.
Hoc tamen æterno, donec Deus annuit, usu,
Inque vicem alterno volvitur officio,
Et dum se longi sequitur rota mobilis anni,
Nascitur & moritur, (o) succidit atque redit.
Nam finis noster finem non accipit, & mors
Qua primò morimur, perpetuo moritur:
Victuro semper motu sensuque manente,
Omnis perpetuo tempore (p) vivit homo.
Vivet homo, fletus ast hic mea verba sequuntur.
Nam puto sic hominis sors melior fuerat
Cum sensu vitæ sensum deponere pœnæ,
Et natum innatis consimilem fieri:
Quàm nunc, peccatis toto dominantibus ævo,
Extingui vitæ, vivere suppliciis.
Nam rogo ne credas diræ ad compendia pœnæ
Quod raptim fontes debita flamma voret.
Ignibus æternis (q) immersos respice colles
Jugiter amburi, non tamen imminui:
Et gelidos fontes & cærula flumina cerne
Fundere semper aquas, semper habere tamen.
Sic miseros vindex semper populabitur ignis,
Ut semper servet pabula læta sibi.
Hæc si falsa putes, merito post vera probabis:
At falsa effugies, si modo vera times.
Quare post mortem sequitur si vita perennis,
Lætificans justos, discrucians que reos;
Viribus & totis, & totis nitere votis
Quæ rectum ducunt continuare vias:
(r) Contere calcatum cum mundi principe mundum,
Et fuge lascivis credere deliciis,
Præcipue semper (s) famosos despice (t) vultus,
Judiciumque tuis eripe luminibus.
Nemo feret rutilos intactis vestibus ignes,
Nemo inter lituos non trahet (u) aure sonum,
Nemo inter flores blandorum ambitus odorum
Naribus assiduam non metet ungue rosam.

(a) *Del.* Pro dente, atque lui. (b) *al.* vitam. c *Del.* parvis. (d) *Del.* vitæ quem rectæ *malè omnino.* (e) *al.* credita. (f) In prioribus editionibus legebatur *aut arvum*, quæ lectio eruditorum virorum mire torsit ingenia. Delrius qui primus hoc edidit carmen, locum istum ita restituendum conjicit, *aut arvum solidum.* Lipsius existimat legendum esse *aut carnem solidans.* Fabricius primam lectionem retinendam censet. Recens Corrector Anonymus legendum putat *aut artus* pro *aut arvum*, quasi auctor alludat ad conditas Ægyptiorum cárnes, quas aromata solidant. Jacobus Sirmondus, cujus eruditioni quid non debet respublica litteraria? felicius hunc versum ita emendavit in notis ad Sidonii epistolam 13. libri 9. *Aut Arabum solidans pulvis odorque tenet.* Quæ emendatio recte omnino concinit cum nostro manuscripto, in quo legitur *aut Aravum.* Nam veteres literam V. pro B. frequenter usurpabant. (g) *Del.* tenet. (h) *al.* formanda. (i) *Del.* excussit. (k) *al.* animarum. (l) Del. *Aspiceus*, existimatque legendum esse *Aspicis ut densi.* Lipsius verò *Spiceus ex densi.* (m) *Del.* virent. (n) *Del.* hoc abit, illud venit. (o) *al.* succedit. (p) *al.* vivet. (q) Eodem utitur argumento ut pænarum æternitatem probet Pionius Martyr: *Vos gentis*, inquit, *videtis & enarratis incendium, illam æstuantem rupibus flammam. Conferte quoque Lyciæ & diversarum insularum ignem ex infimis terræ visceribus effluentem, aut si hæc non potuistis agnoscere, considerate calidæ aquæ usum, non dico de illa quæ fit, sed de illa quæ nascitur. Aspicite fontes tepentes, & anhelantes ibi unde extingui solent flammæ, unde putatis hunc ignem, nisi quia cum inferni igne sociatur?* Vide etiam, si lubet, ea quæ hac de re observavit Methodius Martyr lib. de Resurrectione apud Photium Biblioth. cod. 234. (r) *al.* Contere calcatu mortis & comprime donum. (s) Contra fidem ms. Corrector legendum dicit *formosos* pro famosos: nec certè melius. (t) *Del.* cultus. (u) *Del.* Ore.

Nemo diu ſitiens, & multo ſole peruſtus,
Incumbet gelidis, nec potietur aquis.
Nemo, vias pedibus brumali tempore carpens,
(a) Conſperſus pluviâ, nec madefactus erit.
Nemo, licet mediis muris, ſub tempore belli
Aut bene ſecurus, aut bene tutus (b) agit.
Congreſſus præſtat viſum, mox lumina viſu
Concipiunt flammas, parturiuntque nefas.
Dum veluti jacto piſcantis fraudibus hamo,
Primò animus capitur, poſt etiam moritur.
Prima mali labes, heu! femina, te dolus anguis,
Ac hominem per te reppulit à Domino.
Erepti tu cauſa boni, tu janua mortis,
Tu decepta cito, tu cito decipiens.
Ergo age, (c) quæ nullo maculari pectora nævo,
Et purus puro niteris eſſe animo;
Ut laqueos,(d) ignis validos, & (e) acuta venena,
Cernere laudatam ſic fugies faciem.
Non ego nunc (f) repetam per tot jam ſæcula quantos
Feminei vultus perdiderint populos,
Prætereo clades Spartanas, Troïca bella,
Et raptim excidium quam prope Roma tuum:
Cùm gentes nulla Domini ſub lege, nec ullis
Sanctorum ad vitam perdomitas monitis,
Qua furor impulerat, laſcivus duceret error,
Eſſet & hoc licitum quod fuerat libitum.
De ſacris, inquam, de ſacris percipe libris,
Opprobrio quantis turpis amor fuerit.
Te Dinæ ſpecies nimio ſub amore ruentem
Extinxit Sichem, cum patre, cum patria.
Nam male compreſſam fratrum pia cura ſororem
Permittit thalamo, vindicat in gladio.
Hunc quoque laudatum pſalmorum carmine David
Forma placens celſo depoſuit ſolio;
Cum male laſcivum comperto crimine corpus
Sacco contegeret, contereret cinere.
Thamar forma duos ſub eodem tempore fratres
Inceſti & ferri (g) perpulit in facinus:
Unus corrumpit, corruptam ulciſcitur alter,
Ultio quæ juſta eſt, deſinit eſſe pia.
Ipſe etiam Salomon; cujus ſapientia priſco
Tempore, (h) & toto nobilis orbe fuit;
Ducitur in facinus vetito laqueatus amore,
Femineo ſubdens turpia colla jugo:
Et Domini immemorem merito præconia laudum,
Quæ juvenem ornarant, deſtituere ſenem.
Forma placens regi letho te tradidit Aman:
Forma tuum rapuit dux Oloferne caput.
Illum mirifico famoſum robore Samſon
Forma decens ſævis tradidit Allophylis.
Sanctus & victor per tot modo prælia miles,
Heu! male femineis ſubditur arte choris,
(i) Ut jam pollutus; pariunt quia crimina pœnam;
Oſcula virginibus, terga daret gladiis.

A Tu quoque levitis tantum dilecta, nec uxor,
Inſano juvenum ſubdita nocte toro,
Vindictæ ſtudio totas (k) in bella dediſti,
Perdere contentas ſive perire Tribus.
Ut membris lacero diſperſis funere (l) Gabaat
Efficeret diris ignibus uſta rogum.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Expediam quantum forma placens noceat.
Laſcivo clamat benedictus Apoſtolus orbi,
Dans etiam licitis jura ſevera toris;
Conjuge poſſeſſus, contemta conjuge liber,
Non ſimilem cauſam relligioni habent.
Conjugis implicitum detentat cura maritum:
Solum vult cœlebs emeruiſſe Deum.
B Sed quia nonnumquam ſuccumbunt lumina formæ,
Ancipiti rectus labitur in bivio.
Si purum maculare animum parat impius hoſtis,
Semper ovans caſtam ſollicitare fidem:
Accipe tela quibus cordis pia mœnia ſerves.
Crux tibi ſit clypeus, crux tibi ſit gladius.
Supplicibus lacrymis, gemitu, prece, pectore tunſo,
Quære ſalutiferum nocte dieque Deum.
Ac ne paulatim facilem ſpes palpet amorem,
Lapſum à præcipiti perge referre pedem.
Non ignarus enim miſeris ſuccurrere quæro,
Omnia perpeſſus, quæ fugienda loquor.
Reſpicis ad formam? Sed ſævas reſpice pœnas,
C Reſpice quid laudes, reſpice quid timeas:
Interniſque oculis & vero lumine cerne,
De terra ad cœlum, deque homine ad Dominum.
Hic brevis eſt fine exiguo claudenda voluptas.
Illic perpetuo ſulfure flamma vorax.
Audi clamantem magna cum voce propheten;
Seu mandata legas priſtina, ſive nova:
Quæ laus in vultu eſt; fœnum omnem credite carnem,
Quippe ut flos fœni gloria carnis erit.
Nam veluti flores ictus metit, atterit æſtus,
Confundunt imbres; fortior aura rapit:
Sic vultum, quicumque placet, conſumere tempus,
D Et tumor & livor deſpoliare poteſt.
Atque, ipſam ut taceam, quæ conterit omnia, mortem,
Quanta licent morbis, febribus, ulceribus?
Hi modo, qui canent albo ſordente capillo,
Collatas olim non timuere pices:
Pendula, quæ mœrent rugis deformibus, ora,
Protulerant vanum conſpicienda decus.
Qui nunc in laxa tremulus (m) pia pelle vacillat,
Vix dederat tenui ſigna notata ſolo.
Cervix, colla, manus, & quod nunc omnibus horret,
Heu miſeris quondam cauſa furoris (n) erant.
Lumina, quæ madidus deformia ſubluit humor,
Stellarum rutillæ ceu micuere faces.
E Reſpice quod paucis floret, nec permanet, annis,

[a] *al.* aſperſus. [b] *al.* erit. [c] *l.* qui. [d] *ignis* pro *ignes* uſu antiquis ſatis familiari, qui litteram *i* pro *e* frequenter uſurpabant. [e] *al.* ac cuncta. [f] *al.* referam. [g] *al.* pepulit. [h] & in toto. [i] *Del.* vitam. [k] *Del.* vel. [l] Hanc vocem uſurpat ſcriptura Joſue 18. 28. & regum lib. 2. cap. 23. 29. & 1. Paralip. cap. 11. 31. denique Iſa. 10. 29. Non ergo debuit Corrector dicere in ſcriptura legi Gabaa & *Gabaon* non verò *Gabaat*. [m] *Del.* perpelle ſed *legendum exiſtimat* pes pelle, cui libens ſubſcribo. [n] *al.* erat.

Et tamen æternis culpa manet lacrymis.
Ergo puellares vultus formasque decentes,
Aut verso aut merso despicies capite.
Atque ut sis penitus sic corde ut corpore purus,
Ut nullum facias suspicione reum;
Da studium, (a) curas, & semper providus opta,
Ut tibi sit nulla femina juncta nimis.
Amittet vires, si non sint obvia, ventus.
Pabula si desint, irritus ignis erit.
Ac ne mandatis tantum par una putetur
Ad vitæ rectas sollicitata vias:
(b) Si qua viri discunt, credat sibi femina dici,
Et meritum & pœnas, hic quoque sexus habet.
Oderit ignotos audax attendere vultus,
Seque (c) tamen notis addere luminibus.
Nam male permixto ludentia lumina visu,
Blandè sæpè solent ore tacente loqui.
Atque amor, ut lacrymæ, quas fundi injuria cogit,
Ex oculis surgit, pectoris ima petit.
Ergo ea qua juvenes præcepti lege monentur,
Hac fugiat cunctos femina casta viros.
(d) Jam si corporeas, calcaris corpore casto
Illecebras, reliquum decute cordis onus.

DE INVIDIA.

Namque subire solet nigri de felle veneni,
Multiplicis mater criminis Invidia.
Invidia infelix mortem moritura paravit:
Angelus hac celsi decidit arce poli;
Dumque hominem properat cælesti pellere regno,
Detrudi in tenebras ipse prior meruit.
Hinc Domini in cunctos vindex sententia venit:
Omnibus hæc reliquis mortibus una rea est.
Hæc belli rabies, hæc est discordia pacis,
Plus sibi, quam cui vult sæva nocere, nocens.
Hæc Joseph (e) nimio fratrum sub crimine causa
Primum servitii, mox fuit imperii.
Hæc justi (f) fratris maculavit sanguine Cain.
Hæc David mortis quam prope causa fuit,
Cum, jam confecto solius robore bello,
Extolli nollet laude socer (g) generum.
Hac primæ cogente gemens operarius horæ,
Vincere fossorem nititur undecimæ,
Hæc postrema dedit crucis in ludibria Christum,
Dum peragit livor crudelitatis opus,
Et præceps populus signa & miracula rerum
Obtutu cernit, pectore non recipit.
In tantum studiis furialibus improba cunctos
Ah! verum in facinus verterat invidia:
Ut non nescirent, sed nollent credere; quod tunc
Esset per Dominum glorificandus homo.

DE AVARITIA.

Nec cura (h) leviore dehinc vitare memento
Unius innumerum crimen Avaritiæ.
A Omnibus in terris, (i) quas sol videt, æquora claudunt,
Quasque dies adeunt, quasque tegunt tenebræ,
Ignoto nobis quicquid diffunditur orbe,
Omnibus in regnis, omnibus in populis,
Infectis morbo multorum (k) mentibus, hæc est
Radix, causa, caput, fons, & origo mali.
Innocuos quicquid Dominus formarat in usus,
Hæc male mutatis perdidit officiis.
Quid quereris diros portus, ventosque furentes,
Tristia famosis æquora naufragiis?
Tu cæsam sylvis annoso robore quercum,
B Si lignis non est utilis adde focis.
Contentusque tuo, submotum si qua per orbem
Nascuntur, patiens crede negata tibi.
Et pelagi motus, & sævas flare procellas
Securus tuto littore perspicies.
Usum naturæ vitium fecistis, avari,
Nata bona & pravis usibus esse mala.
E terra genitum terrena in munera ferrum
Falcibus incurvum vomeribus rigidum.
In cædem, & diras, bellorum crimina, (l) mortes
Armamus contis, missilibus, gladiis;
C (m) Pelleret ut frigus violentum accepimus ignem,
Pelleret ut tenebras discoqueretque dapes.
Cœpimus insani flammas immittere tectis
Atque exurendis subdere corporibus,
Tamquam esset parvum prædandi in crimine crimen,
(n) Ni ferret sparsas sanguine raptor opes;
Et miseros pœnis variis vis ultima cogat,
Cum quod habent perdant, dicere si qua latent.
Fratribus invisos fratres, vitamque parentum
Exosam natis fecit avaritia.
D De vero falsum, de falso fingere verum
Sæva per innumeras hæc docet insidias.
Hac faciente reus dum partem subtrahit auri,
In mortem totus transiit Ananias,
Nec solus, sociam nam (o) fœdi in crimine falsi
Conjunxit misero par quoque pœna viro.
Hæc miseros homines mortis sub tempore fecit
Non bene postremis fidere judiciis.
Subduntur tabulæ, conquiritur undique testis,
Ore ferens falsum, pectore vera premens:
Scalpuntur gemmæ similes, manus improba discit
Heu! male mentitas assimilare manus:
E Ut pater alterius factus credatur, & heres
Non possit proprii filius esse patris.
Hac duce custodes inter securus adulter
Pervenit ad castos muneribus thalamos.
Itur in omne nefas animis manibusque paratis,
Aurum si pretium constituas sceleris.
Dic rogo quid miserum tantus furor laxat habenas;
Ut tibi sat non sit, quod tibi jam satis est?
Immensis properas terris conjungere terras,

[a] *al.* curans. [b] *Del.* Si viri. [c] *al.* tam &. [d] *al.* Nam si torpores. [e] *Apud Del. deest* nimio. [f] *Del.* fratrem. [g] Loquitur hic Orientius de bello Saülis contra Allophylos, quod, cæso Goliatho, Davidis virtute confectum est. Davidem autem Saülis generum per anticipationem vocat. [h] *Del.* leviora. [i] *Del. male* quos. [k] *Del.* montibus *male*. [l] *al.* mentes. [m] *al.* Vinceret. [n] *al.* Si ferret. [o] *f* fœdo.

Claudendus parvi marmore ſarcofagi?
Alterius damno fieri locupletior ambis?
Quod rapis ex aliis, mox erit alterius,
Et curſu celeri ſic poſt amiſſa dolebis,
Ut doluere illi, qui tenuere prius.
Ceu non caſuras immenſas conſtruis arces;
Ipſe tamen raptim qui moriturus eris?
(a) Cum itur in ſomnos tenuato lucida vitro,
Marmoribus variis lubrica, cella tibi:
Tamquam non adeat (b) lignis coëuntia tecta
In bene ſecuro pectore tuta quies.
Certè non aliter ſitientia proluit ora,
Quem palmæ obtulerint, quem (c) cava gemma liquor:
Et ſic ſuſcipient rabidi jejunia ventris
Quos criſtalla dabunt, quoſque patella cibos.
An non pellendo glacialis (d) frigore brumæ
Hirta tibi melius pallia præbet ovis;
Quam quæ, lentato per lubrica fila metallo,
Alternos frangit veſtis onuſta gradus?
Quo tibi perlucens habitus, qui tegmine raro
(e) Offerat ignotis membra tegenda oculis?
Argentum, & auri moles, & gemma coruſcans,
E mundo, & mundi eſt, hinc venit, hic reſidet.
Veniſti in (f) mundum nudus, nuduſque redibis:
Nil tecum attuleras, ferre nihil poteris.
Ferre tamen poteris contemta hic munera mundi,
Mitte ſecuturus, (g) quæ duplicentur, opes.
Nam ſervata nimis, quæ mox bona, non tua fient,
Si tibi non (h) ſerves, ſic erit ut tua ſint.
Munera quæ donat moriens, hæc munera non ſunt,
Donat enim quod jam deſinit eſſe ſuum.
Qui ſanus metuenſque nihil, qui mente quieta,
Qui ſibi dum vivit demſerit, ille dedit:
Quodque ſibi demſit melius reparabitur illi:
Integra mox capiet, qui peritura dabit:
Condita nam cælo non fur, non auferet hoſtis,
Non (i) tinea aut pluviæ, flammaque carpet edax:
Cælo autem condes, quicquid pro nomine Chriſti,
Chriſtum (k) reſpiciens, pauperibus tribues.
Qui poſt aſſumtæ carnis myſteria dicit:

A Veſtior in nudis, ſublevor in miſeris,
Viſitor in clauſis, curor confotus in ægris,
Adjuvor in parvis, protegor in viduis,
Et quodcumque facis miſeris, vel non facis, illud
Crede mihi fieri, vel mihi non fieri.
Ac ne pauperiem pauper prætendere (l) poſſis,
Ut color injuſtæ detur avaritiæ;
Si tibi non fuerint ſumtus quos quærit egenus,
Non cibus, aut calida eſt qua foveatur aqua,
Cùm poſcit gelidus ſitiens ſub nomine Chriſti,
Oblatus poterit præmia ferre calix.
B Hoc, quo quiſque potes; miſerum ſolare rogantem,
Et ſi defuerint munera, vota dabis.
Ipſa etenim ante Deum non eſt peritura voluntas,
Si benè non poterit, qui bene (m) vel cupiet.
Hinc fuit ut Dominus monitis felicibus omnes
Conjungi vellet pacis amore homines.
Et quæ per ſanctos (n) prædixerat ante prophetas,
Diſcipulis proprio traderet ore ſuis:
Dum nihil injuſtum, nil durum, nil violentum,
Nil leve, nil cupidum, nil grave, nil varium,
C Vel facere in rebus, vel verbis dicere poſſet
Caſto ſervatus pectore pacis amor.
Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,
Quæ brutis etiam cum ratione datur;
Et cùm flammiferis frigentia, mollia duris,
Siccis cùm pugnent humida, lenta citis;
Omne per ignotas tacito moderamine cauſas
Uno conſociat fœdere pacis opus.
Sic modo, ſi parvis cupias componere magna;
Corporeum (o) frænat pacis amor populum,
Ut ſub terreno ſociatus principe diſcat
Regi cælorum ſolvere vota ſimul.
D Ergo mei ſimilis peccator, me minor immo,
Omnes criminibus namque ego vinco meis,
Pacem placatus, pacem quoque læſus amato,
Pax in viſceribus, pax ſit in ore tuo.
Pelle odium, contemne minas, depone (p) rigorem,
Offenſam teneant tempora nulla tuam:
Ut te ſol blandæ ſervantem vincula pacis
Deſerat abſcedens, inveniat rediens.

LIBER SECUNDUS.

A SI monitis gradiare meis, fidiſſime lector,
Cærula ſecurus colla premis colubri.
Cumque aderit Chriſtus judex, mox obvius ibis
Per tenerum blandis aëra rectè notis.
Tantum ut mandatis quovis ſub tempore in iſtis
Prætereat curam portio nulla tuam.
(q) An ſi ventoſæ moveat te gloria linguæ,
Quam ſuadet vano Tullius eloquio:
Sin fugienda, jocus, convivia, ſermo, voluptas,
Sique etiam æquævis diſſociande tuis,
Quo ſtudio noſtri ſervabis verba libelli,
Ut vitæ meritis conſociande Deo?

(a) *Del.* cur itur *ſed Lipſius legendum credit*, Quæritur. (b) *Del.* tectis coeuntia lignis. (c) Hic reſpexiſſe videtur Orientius ad illa S. Hieronimi verba in vita S. Pauli primi eremitæ: *Vos gemma bibitis, ille natura concavis manibus ſatisfecit.* (d) *Del.* frigora. (e) *al.* Afferat. (f) *al.* vitam. (g) *Del.* quas. (h) *Del.* ſervo. (i) *al.* tineæ. (k) *al.* recipiens. (l) *al.* poſſit. (m) *Del.* Velle cupit. (n) *al.* laudaverat. (o) *Del.* premit. (p) *al.* rumorem. (q) *l.* at ſi.

DE

DE VANA LAUDE.

Præcipuus labor est blandam contemnere laudem,
Quæ trahit in præceps ambitiosa homines,
Et semper tacito festinat ad intima motu,
Visceribusque ipsis pestis acerba sedet.
Omnia dum volumus, facimus quæcumque probari,
Utque suis nullus non faveat vitiis.
Lenito titulo parcum se dicit avarus,
Acris velatur nomine sævitia,
Ac studiis totis & tota nitimur arte,
Ut quidquid loquimur vel facimus placeat.
At tu si Christo soli vis esse probatus;
Gloria quæratur nulla tibi ex homine.
Nam cum dejectus, mox exaltabere; erisque
Pro Domino parvus, magnus apud Dominum.
Contemtum vexet quæcumque injuria, nulli,
a (a) Simile pertuleris, par quoque redde malum.
Ecce Patrem Christus pro se lacerantibus orat:
Supplicat & Stephanus, supplicat & Jacobus.
Dum miti magnoque animo licet ultima passi
Pœnarum nulli causa volunt fieri.
Nullum sæva reum faciat sententia, nullum
b Austero (b) proceres plectere judicio.
Festucam tenuem fraterno in lumine cernis,
Luminibusque tuis nescis inesse trabem.
Injuste alterius cupiet describere vitam,
Assertor vitæ qui nescit esse suæ.
Sed nos damnati vitiis insistimus, & quæ
Ipsi persequimur, mox etiam facimus.

DE CAVENDO MENDACIO.

Fallere crede nefas, durat sententia dicens:
Os quod mentitur morte animum perimit.
Et quod verax est semper dixisse memento
Et non quod non est sermo tuus resonet.

DE GULA.

Dulci præterea frænos impone palato,
Ne sapor antiquus sæviat illecebris.
Illos cælorum donis regnisque potitos
Fecit mortales ambitiosa gula.
Dum magis in vetitum ruimus, cupimusque negata,
Et quod difficile est hoc potius volumus.

DE EBRIETATE.

Præcipue largo venas perfundere vino
Respue, ne raptim vina venena fiant.
Ut nimiis quoties sitit æstibus arida tellus,
Solers in fructus quam parat agricola,
Si prius evulsas quam sol internecet herbas,
Inroret madidos nubila densa dies.
Protinus & sentes, & gramina noxia messi
Seminibus victis, heu! male læta feret.
Corpora sic multo fuerint quæ dedita vino,
A Consiliis pereunt, luxuriant vitiis.
Et quid sordidius, quid erit deformius umquam,
Quam si te tibimet subtrahat ebrietas?
Cum caput huc illuc vergat, gressusque vacillet,
Mensque neget sensum, lingua tenere sonum,
Claudantur gravido vergentia lumina somno,
Quid facis ignores, tu quoque cum facias.
Quid loquar (c) ablatum, vultu fumante, calorem, c
Et male compositis verba soluta modis?
Labentes manibus calices, mensasque per ipsas
B Immixtos vino sæpe redire cibos,
Teque per innumeros, cum vult mens, (d) sauciat motus d
Vel gaudere nimis, vel modo flere nimis;
Et nunc saltatu vergentia membra rotare,
Nunc dare lascivis brachia mota choris.
Exclamare libet vino dapibusque sepultum,
Forte etiam proprii nominis immemorem?
Ejus qui donet largus tibi talia quando
Orandi subeat tunc pia cura Dei.
Pascere tam magno sumtu quot posses egenos?
Quotque dies lætos hæc daret una dies?
At te nunc saturo pauper jejunus oberrat:
C Tu vinum revomis, vix habet alter aquam.
Et si forte cibum vox poscit egena, negabis
Ollis queis nihil est hoc tibi quod superest.
Sentio jam dudum tacitum te dicere, lector,
Vera quidem, sed sunt ardua quæ statuis.
Ardua præcipimur, de terra scandere cælum.
Non est quod parvo stare labore putes.
Magnus enim labor est; sed merces magna labori:
Præmia qui sperat, desidiam fugiat.
Palmam nemo feret, nisi qui certaverit ante:
Non nisi victori blanda corona datur.
An tibi (e) fragiles mundi quærantur honores e
D Munere quos speres emeruisse hominem?
Quidquid id est variis quod vexat corpora sævis
Dum celeri vitam currimus in stadio:
Contemtum, pluvias, frigus, jejunia, rixas
Contento poteris sustinuisse animo.
Discurrens urbem totis lustrare diebus
Vix media fessus nocte redire domum.
Continuoque iterum prima consurgere luce,
Ut clausas possis primus adire fores.
Et cum te tenuis per dura sedilia somnus
Compulerit fessum deposuisse caput,
Ille prior forsan qui serior adfuit ibi
E Atria pulsabit, stulta querela notus.
Aut si lictorem tanget vox clarior, opta
Ut bene submotus, nec male cæsus eas.
Sed fac quod rarum est, ut victus Janitor auro
Ac precibus tandem dicat, adire potes.
Ingrederis lingua blandus, vultuque modestus,
Corpore subjectus, nil tamen ista juvant.
Omnis honor pretii est: ibi pro pondere nummi:
Carta seu foliis sive potens tabulis.
Nam si cessarit dives manus, irrita res est.
Et si verba dabit, tu quoque verba feres.

[a] l. si male. (b) f. properes. (c) l. oblatum. (d) f. savoia. (e) l. perfragiles.

A An honor arrisit, quem semper in ordine mos est
Sumere sero quidem, sed posuisse cito?
Nam quod tu dederas, mox conferet alter & alter:
Quod multi cupiunt nemo diu tenuit.
Fac tamen ut longum durans honor insiet, agat te,
Numquidnam finem non habiturus erit?
Finge, age, mansuri signent tua nomina fastus,
Atque tuo felix annus eat titulo.
Quid tandem prodest, cum desinit esse potestas?
In quo sentitur quod fuit atque abiit?
B Et quod paulatim succedens nesciet ætas,
Et quod si scierit, quid tibi merces erit?
Sed qui terreno tantum dependis honori,
Tantaque nunc homines ambitione colis,
Ut Domino placeas, cujus sunt omnia, Christo,
Insuper & regnum promereare Dei.
Anteferens verum falsis, ingentia parvis,
Vilia magnificis, perdita perpetuis,
Devotum vincet quæ tandem injuria pectus?
Et quid erit celsum? quid tibi difficile est?
Namque nihil durum est, cum spes succedit, & omnis
Pervenit ad fructum victus honore labor:
C Et fructum, toto qui duret tempore, quem non
Auferat ambitor, prodigus, impatiens?
Audis spondentem Dominum nova præmia justis,
Promissis semper qui meliora dabit.
Non conspecta oculis, non auribus insinuata,
Ipso non sensu præmeditata prius.
Non tibi distillant pretioso cortice myrrhæ,
Thuris odorato cespite terra tumet.
Adde thymum, violas, casias, melilota, crocumque,
Candida puniceis lilia junge rosis.
D Cum tot in his terris peccator munera sumas,
In cælis sanctus quæ bona percipies?
Finge, age, quid clarum? quid pulcrum? quid pretiosum?
Et totum magnum quidquid in orbe putas.
Hoc meritis dandum felicibus, aurea tecta,
Gemmatos postes, purpureumque solum,
Ruraque (a) vernantis semper redolentia flore,
Lacte & melle simul flumina plena trahi
Nec quia conscendunt animos, & mente videntur,
Inferiora illis crede futura bonis.
Nec vereare tamen longo ne tempore victus,
Impar mandatis repperiare Dei.
E Nil habet hæc longum, longo licet acta rotatu,
Quo nunc perfruimur tempore vita brevis.
Lassa senescentem despectant omnia finem;
Et jam postremo volvitur hora die.
Respice quam raptim totum mors presserit orbem,
Quantos vis belli perculerit populos.

(b) Condensi nemoris, celsi non aspera montis,
Flumina non rapidis fortia gurgitibus,
Nec castella locis, non tutæ mœnibus urbes,
Invia non pelago, tristia non heremo,
Non cava non etiam metuendis sub rupibus antra
Ludere barbaricas prævaluere manus.
Multis ficta fides, multis perjuria, multis
Causa fuit mortis civica proditio.
Insidiæ multum, multum vis publica fecit.
Robore quæ non sunt, sunt superata fame.
Concidit infelix cum prole & conjuge mater,
Cum servis Dominus servitium subiit.
(c) Hic canibus jacuere cibus, flagrantia multis
Quæ rapuere animam tecta dedere rogo.
Per vicos, villas, per rura, & compita, & omnes
Per pagos, totis inde vel inde viis
Mors, dolor, excidium, strages, incendia, luctus
Uno (d) fumavit Gallia tota rogo.
Cur tamen enumerem labentis funera mundi,
Quæ per consuetum semper aguntur iter?
Quid repetam quanti toto moriantur in orbe,
Ipse tuam videas cum properare diem?
Prætereo gladiis quantum, quantumque ruinis,
Igni, graminibus, fluminibus liceat.
Quantos bella, fames perimant, morbique furentes,
Et quæ per varias mors ruit una vias.
Quantos & mediæ pacis sub tempore, ut esse
Pax possit, cruciat debita pœna reos.
Omnis paulatim letho nos applicat hora,
Hoc quoque quod loquimur tempore præmorimur.
Et per fallentes tacito molimine cursus
Urget supremos ultima vita dies.
Cum cibus, & somnus, dum verba, & pocula mulcent,
Sive domo sedeas, seu peregrina petas,
Dumque geris quodcumque geris, vel non geris ultro,
Mors movet alternum nil remorata pedem.
Cereus ut cæcæ positus sub tempore noctis
Compensare diem luminis officio,
Dum non sentimus, lento consumitur igne:
Semper & ad finem flamma vorax properat:
Sic hominum res est, pereunt quæcumque geruntur.
Proficit & moritur quod sibi vita trahit.
Sed fac vivacis spatia hæc tam longa senectæ
Orbis ut immunis funera respicias.
Sero licet veniat, veniat tamen ille necesse est
Qui non in totum finis abesse potest.
Jam quæ nascuntur, crescunt post, atque senescunt,
Et senio fessis nil nisi mors superest.
(e) Intereunt decies qui ternos vixerit annos
Atque illum vixit quomodo millesimus.

(a) f Vernanti. (b) Similem Galliarum vastationem, quæ anno Domini 407. contigit eodem fere modo describit alter Poeta Gallus, auctor Carminis de Providentia inter opera S. Prosperi cujus hîc versus libens exscribam.

Non castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, aut urbes amnibus aquoreis
Barbarici superare dolos atque arma furoris
Evaluere . . . . .

(c) *f.* Hi. (d) Ita etiam præfatus scriptor libri de Providentia.

Cumque animum patria subiit fumantis imago,
Et stetit ante oculos quicquid ubique perit.

(e) f Interdum.

Postquam postremus finis retinebit utrumque, A
Certe supremo tempore mortis idem est.
Quid vitam traxisse juvat, si vivere cessas?
Quæve bonis merces si teneare malis?
Cum, nisi dum frueris, fructu, tangere fruendi
Et vita hæc vitæ vivat in officio.
Jam quod jam fuerat nihil est, si desinit esse;
Et quod non sentis, non juvat an fuerit.
Quid tandem prodest si te jejunia vexent,
Hesternis large membra onerasse cibis;
Cumque tua hodie stringat assidua sitis,
Ante diem nimio præmaduisse cibo?
Cum mediis celeri quæ sunt decursa rotatu
Eripiat sensum non reditura dies?
Sed nos decursæ primævo flore juventæ
a Jam (a) dubii gressu, lumine, voce, manu
Cum quicquid fuimus dolor est meminisse, fidemque
Omnibus eripiant proxima præteritis.
Incurvos querulos consumto corpore numquam
Hæc quoque quæ gravis est vita satis satiat.
Hinc est quod toto penitus velut orbe remoti
Spectamus toto quidquid in orbe perit.
Nec miseros alio tamquam sub sole manentes
Mortis nos propriæ mors aliena monet.
Ante oculos longeque simul fraudamur amicis,
Luminibusque illinc, hinc venit aure dolor. C
Intereunt dulces ævo vergente parentes,
Eque ipso conjux eripitur gremio.
Et fratris fratrem mors è complexibus aufert,
Et natu forsan junior ille fuit.
Ordine nec vitæ senior subducitur ætas,
Cum videat nati funera sæva pater.
b Nemo tamen cautus credit quod cernit, (b) & illum
Quod non vult cernit se quoque posse pati.
Hoc tamen inde venit, factis quia semper iniquis
Mortem perpetuum ducimus esse malum.
Et quas criminibus pœnas lex sancta minatur
Serius excipere credimus esse lucrum.
Felix qui licitum finem putat esse laborum,
Quid pœnæ timeat caverat ante timens.
Felix qui magnum magnaque indage movendum
Urbibus & populis nobile judicium
Constanti sperare animo vultuque sereno
Securus vitæ de probitate potest:
Quem faciat certis bene mens sibi conscia causis
Sub tanta intrepidum mole tenere caput.
Illic imperio quondam regnoque potentes,
c Illic conspicui facibus & trabeis,
Queis (c) aurum lectis dapibus; cristalla falerno,
Subtratoque ostro mos onerare toros:
Robore famosi, laudati munere formæ,
Ac male fidentes corporeis opibus:
Quorum venter erat Dominus, lascivia votum,
Spes in præsenti, gloria divitiæ.
Qui neglexerunt miseri vel morte sub ipsa
Claudendis Dominum quærere luminibus.
Pœnam expectabunt clausi. Nunc quære doceri
Quam pœnam: factis congrua pœna manet.
Hos tenebræ juges cæca sub nocte manebunt,
His lumen (d) tunc flamma severa dabit. d
Isti sulfureo flagrantes igne caminos
Cogentur laceris scandere corporibus.
Illos constringet violento infusa rigore
Flatibus hibernis dura gelu glacies.
Et cum tam discors pugnet natura gehennæ,
Nominis unius vis tamen est varia.
Nec tam diversâ possis dignoscere pœnâ
Igne sit, an gravius frigore supplicium.
Non quot nos istic terrena morte peremtis,
Excipient unam crimina multa necem.
B Cum quamvis sævus pro rerum pondere judex
Non aliud possit quam rapuisse animam.
Et quodam scelerum lucro si plurima restent
Vindictam reliquis ultio prima neget.
Ast istic omnis persolvet in ordine noxas,
Succedens factis congrua pœna suis.
Atque unum corpus per singula membra patebit
Quot patuit vitiis, tot quoque suppliciis.
Altera crudeles, lex altera plectet avaros,
Facta aliter solvent, & meditata aliter.
Est sua perjuris, est & sua pœna superbis,
Atque alia effusi causa cruoris erit.
Invidus, impatiens, mollis, falsator, adulter,
Et vini totus, totus & illecebræ.
(e) Dextram cæde nocens, linguam in convitia promtam, e
Pervasor, jactans, impius, indocilis,
Judicii ante diem pœnas dabit, ut neque parvum
Supplicii spatium det mora judicii.
Ambibunt alios sinuosis flexibus angues
Ast alios candens igne catena teret.
Omnia plena illic lacrymis, terrore, dolore;
Et vox nulla, nisi quam dederit gemitus.
Et quidnam ulterius per singula crimina curram
D Vexabunt diris quæ miseros crucibus,
Quando etiam incauto si quid nunc ore loquaris,
Sermonis ratio est discutienda tibi?
Hos inter rerum Dominum quicumque negarit
Summittens saxis stipitibusque caput.
Ille miser vere, nec erit miserabilis ulli,
Excipiet solus quidquid ubique nocet.
Innumeri vermes morituro in corpore vivent,
Nec finis fumo, quem dabit ignis, erit.
At parte ex alia blandorum verba piorum
(f) Sed nec vexati restituere malum, f
E Auxilium miseris, victum tribuere petenti,
Affectum notis, servitium patribus,
Instar flammantis fulgebunt lumina solis,
Velati niveis splendida membra togis.
Præcipueque illi, quos Christi in lege paratos
Excipiunt noctes inveniuntque dies,
Queisque fuit votum niveam baptismate vestem
Numquam femineis commaculare toris,

(a) *l.* dubio. (b) *Pro,* illud, *quod scriptoribus mediæ ætatis non erat infrequens.* (c) Eleganter aurum hic sumitur, aureo pro disco in ore poëtarum, qui materiam pro vase ipso quandoque usurpant: ita Virgilius Æneidos lib. 1.

Ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

(d) f. tenue. (e) *Hic versus ita videtur restituendus.* Dextera cæde nocens, lingua in convitia promta. (f) f. qui.

Corpore nec solo, sed toto & pectore cauti, A
Et qualem lector te meus esse velim.
a Vel jam felices (a) quæ primæ gloria virtis
Lucis & infidi corporis illecebris,
Veram quærentes vitam, pro nomine Christi
Fundere devotas non timuere animas,
Atque sacerdotes hoc sanctum agmen habebit,
Secretosque hominum turbinibus monachos,
Qui nunc spernentes blandæ oblectamina famæ,
Venturi sperant præmia judicii,
Mollia securis ducentes otia rebus
Pro merito vivunt nunc bene, post melius.
Namque ipsi denso stipabunt agmine Regem, B
Cum terris judex institerit Dominus,
Atque omnes Agnus quoquo se verterit ibunt,
Perfusi vero lumine, luce Dei.
Et tantum ipsorum capient vegetata decoris
Cernentum ut non sint ora videnda oculis.
Ergo ubi terribilem dederit cava buccina cantum,
Adventum tandem testificanda Dei;
Mox longis tellus rimis divulsa patebit,
Ac passim flammæ, fulgura, grando ruent.
Imis concusso penitus de sedibus orbe
Dum totæ fervent inde vel inde viæ,
Hinc tristis gemitus, illinc pia gaudia vitæ, C
Una in diversis vox erit agminibus.
b Atque (b) omnibus raptim celeratis gressibus ibit
Deducens sobolem prosapiamque pater.
Cunctaque contento ducetur linea tractu,
Cum fuerit medius progenitor genitis.
Nec tibi famosas urbes, gentesque remotas,
Regnaque quæ nunc sunt, quæve fuere loquar.
Frigore non segnes populos, non sole perustos,
Quosque habuit nascens, occiduusque dies,
Sed fuit à primi genitum quod tempore mundi
Usque diem mundo qui modo finis erit.
Omnibus è terris animas justasque reasque D
Uno constituet jussio prima loco.
Nec tamen ulla illinc tanta inter millia perget,
Quæ non sit Domino dinumerata suo.
Mox rutilum scandens eadem cum carne tribunal,
Quam cælo intulerat, glorificans hominem.
Omnia quæ reliquis labantur in ordine sæclis,
Quæ tunc, quæve dehinc lege manente fiant
Ore sacer, celsus solio, terrore videndus,
Conspicuus, sed vix conspiciendus aget:
Atque inter flammæ tractus, sonitusque tubarum,
Angelicosque choros, militiamque sacram, E
Inter & infantum, matrum, juvenumque, senumque,
Pallores, fletus, gaudia, vota, metus,
Ultima suspensæ dabitur sententia turbæ,
Quæ sacro sancti judicis ore sonet.
In requiem & laudem justorum perge caterva,
A regno numquam dissociando meo,
Quæ vobis gnarus meriti vitæque futuræ
Dat modo, sed dudum dona parata Pater,
At tu mandatis semper contraria nostris,
Impia tartareis claudere turba locis.

Illic stridorem, dentes, & lumina fletum,
Ignibus immodicis discrucianda dabunt,
Et tamen, ut vere maneant quæcumque jubentur,
Hæc erit æterni formula judicii,
Gloria quæ justum, summota morte, tenebit:
Atque reus pœnæ non moriturus erit.
Hæc ego debueram factis tibi tradere, lector,
Ut pondus verbis vita probata daret.
Sed quia negligimus miseri quæcumque monemur,
Et satis est levius discere, quam facere:
Tu si commendes animo demissa per aurem
Omnia quæ scriptis sunt numerata meis:
Constanter dicam, cæli statione receptus,
Discuties sævæ vincula dura necis;
Atque etiam fueras qui filius ante gehennæ,
Incipies summi filius esse Dei.
His illud superest sine quo nihil omnia prosunt,
Ut Christum credas de Patre, cumque Patre
Spiritus & Sanctus nullo discrimine junctus.
Unum consumment nomina trina Deum.
At tu cum legis nostrum quicumque libellum,
Nostri, seu malus est, seu bonus, esto memor.
Et quoties Dominum perlecto carmine Christum
Orabis; simus semper in ore tuo.
Quod ne me primis credas injungere labris,
Neque istud tuto dissimulare putes.
Sic te nulla dies curis compungat amaris:
Sic Christo totum quidquid agis placeat:
Sic sumas sanctam (c) dono tradente coronam: c
Nominis abscedat ne tibi cura mei.
Ut peccatores vincens ORIENTIUS omnes
Sanctorum veniam promerear precibus.

Explicit Sancti Orientii Liber secundus.

INCIPIT DE NATIVITATE DOMINI.

Splendidior lux luce micat, majorque diei
Fulget clara dies, toto festivior anno:
Natalis quæ lecta Deo, qua nascitur ille
Cum Patre qui semper cæli in consortia regnat.
Virtus magna Patris carnis primordia nostræ
Mox hominem in cælum revehens, sic morte peracta
Sumere qui carnem voluit, nec carne senescit.

DE EPITETIS SALVATORIS NOSTRI.

Janua, Virgo, Leo, Virtus, Sapientia, Verbum,
Rex, Baculus, Princeps, Dux, Petra, Pastor, Homo,
Retia, Sol, Sponsus, Semen, Mons, Stella, Magister,
Margarita, Dies, Agnus, Ovis, Vitulus,
Thesaurus, Fons, Vita, Manus, Caput, Ignis, Aratrum,
Flos, Lapis angularis, Dextra, Columna, Puer.
Mitis Adam, Digitus, Speculum, Via, Botruo, Panis,

[a] f. quæ prima est gloria, victis. [b] f. omnis. [c] f. Domino.

Hostia, Lex, Ratio, Virga, Piscis, Aquila.
Justus, Progenies regis, regisque Sacerdos,
Nomina magna Deo: Major at ipse Deus.

ITEM PLUS DE TRINITATE.

Quod fuit à seculis, quodque est in secla seclorum
Semper erit, quia semper erat, sine fine manendus.
Et super omne quod est, sine quo nihil, omnia cui,
Omniparens Verbum, Verbum Deus omnipotens (a),
Cum Patre qui solus, cum quo Pater & Deus (b) solus
Hoc erat, & nondum natum acceperat ortum,
Semen enim Christus, Christus primordia rerum,
Christus honor terræ, tremor orbis, gloria cæli.
Ex dominante Deo Rex & Dominator in altis,
Unicus ante omnes genitus, genitore sed illo,
Quem genuit nullus, per quem gignentia cuncta:
Quæsumus, optamus, tremimus, veneramur, amamus.
(c) Totus ex toto totum diffusus in orbem.
Non idem, sed prorsus idem, similisque, simulque,
Tantumdem, & pariter, sic Filius & Pater unum.
Nomine divisum nomen substantia mixta est
Consummans sacri (d) mysterii sancta profundi.
Plenitudo potens, (e) dedita sibi, nexa vicissim
Trina potestatum conclusio parificatur.
Spiritus & volitans perfectio tota supernæ.
Ergo honor in Christo est, laus est Patris, in Patre Christi est
Ipse Patris mens est, & sermo, & testis, & heres.
Ipse recognoscit quantum Pater audet in ipso,
Ipse caput nostrum, sapientia, gratia, vita,
Ipse hominum custos, speculator, & arbiter ipse,
Ipse salutis iter, luxque immutabilis, ipse
De vero verus splendor, de lumine lumen,
De bonitate bonus, de pleno & divite plenus,
Providus, indulgens, clemens, miserator, abundans,
Perfectus, patiens, justus, immaculatus.
Æternum Æterni donum, tutela (f) priorum.
Firmamentum animæ, fuga dæmonis, arma fidei,
Perpetuum regnans, censor judexque futuri.
Tempore non clausus, clausurus tempora jussu,
Principium ac finis, vegetator & intus & extra.
Velle tenens, & posse potens, & mite severus,
Pax mundi & gaudium, pravique bonique director.
Dum mortale quod est Deus immortale probavit.
O felix Domini dominatio, nobile lætum!
O miseræ gentis cor durum, & perfidus error!
Impie damnator, tua mors hoc stipite pendet,
Credule confessor, tua vita hoc sanguine (g) vivat.
(h) Flecteris judicante Deo qui plectere visus,
Salvavit populos, populus quem odit iniquus.
Hic est ille suis reprobus prius, & maledictum,
Sputamenta hominum, perituri opprobria vulgi,
Hic cui sæva manus fel mixtum fudit aceto,
Palmea quem cæco violarunt verbera pulsu.
Aspice, percussor, demens, venerabile lignum,
Cerne prophanati victricia signa cruoris.
Est ne Deus vivus, Deus insuperabilis hosti,
Ultio, profugium, requies, lux, vita, fides, spes?
A Patre noscendus quod sit sator atque animator:
A cruce quod vindex, propulsatorque gehennæ,
Errorum ablutor, pax fida, remissio larga,
Natus amore hominis, passus ratione salutis,
Functus lege obitus, redivivus in æthera celsus,
Sede sedens patria, super omne salutifer ævo,
Unde humilem dignatus humum, remeabilis illo.
Peccati pretium, peccandi nescius ipse,
Participans famulos, conformans glorificatos.
En tibi quam pulcrum per limina nostra trophæum,
Christe, micat; quam clara patri vexilla reportans,
Sanguinolentus adhuc, etiam quod & antea, semper
In virtute potens, in majestate perennis.
Cur tamen hanc speciem teneat crucis edita forma
Monstrat adorandum tota ratione caracter,
Quod divisa nota est in partes quatuor extans,
Dat mundi Dominum cognosci, & archangelos omnes.
Tot regis ipse plagas, cæli quot crux videt oras.
Crux imitata pias orantis imagine palmas,
Crux restata Dei pacem (i) pingit, & est pax
Quæ data per lignum est, pax ligno scripta tenetur.
Vis (k) gratias miratur, item spectare figuras?
Aspice perfectum signi locupletis enigma
P græcum videas, caput est, vel brachia fixi.
Iota quod erectum est suspensio corporis hic est.
Littera prosequitur pœnam, fert pœna salutem,
Alpha dehinc juxta est, atque altera comminus est ω
Prima quod hic primus, postrema novissimus hic est.
Hæc elementa apicum Deus hic super omne elementum
Omnia conveniunt cælesti insignia signo,
Cum subit in ligno, lignum Deus indicat esse
Materiem fructus; cum ramum extendere (l) in altum
Altior excelsis Dominus superemineat omnes.
Fixorum est medius, numerus dat trinus honorem.
Percutitur, cruor exit, aqua de vulnere facto
Exit, & ex ipso mox sanguis vulnere, nempe

[a] *Adde* est. [b] f. unus. [c] l. Ex toto totus. [d] f. mysteria. [e] l. sibi dedita. [f] f. piorum. [g] f. vivit. [h] f. Plecteris. [i] l. depingit. [k] f. gratas miratur. [l] *Supple* videtur *aut quid simile*.

Martyrium ſanguis, ſibi vindicat unda lavacrum.
Sic ope divina mors arbore vitaque venit.
Per pomum, Protoplaſte, cadis: cruce Chriſtus medens:
a Illic mortiferam drago peſtifer [a] detulit eſcam.
Nec mirum vix digna Deo ſi nomina mille
Laus numeroſa trahat, laus tot virtutibus impar,
Quot titulos peperere pii miracula Chriſti.

EXPLANATIO NOMINUM DOMINI.

Janua, quod reſidet cælo ſecretaque pandat.
Virgo incorruptæ matris cui partus origo eſt.
Et Leo Rex hic eſt regum, rex ille ferarum
Dicitur & Virtus, nihil hoc quoque fortior uno.
Unde autem dictus eſt Sapientia? regula vitæ eſt.
Quomodo ſit Verbum? Patrio quia fluxit ab ore.
Cur modo Rex idem, modo Regis Filius idem?
Cum Patre quod ſolium cæli commune retentet.
Cur Baculus? lapſos quod ſublevet, erigat ægros.
C Cur Princeps? ſubjecta throno quia cuncta gubernet.
Cur Dux militiæ cæleſtis? ab agmine ſancto.
Cur Petra? Quod valido ſtatuat fundamine firmum.
Unde Bonus Paſtor? maculam quod ovilibus [b] obſtet.
b Nunc Homo: Natus enim eſt & carnem à Virgine ſumſit.
Retia cur? ſparſas quod colligat undique gentes.
Cur Sol juſtitiæ? quia juſtum illuminat omnem.
Cur Sponſus? deſponſa Deo quod Eccleſia virgo eſt.
D Cur Sanctum? quod regna ferat felicia verbo.
Mons, quod in aſcenſum non omnibus ardua cedat.
Stella, quod incertos duce lumine dirigat itus.
Unde Magiſter? amat famulantia corda docere.
Margarita, quid hoc pretioſius inveniatur!
c Unde Dies? quod luce magis reſplendeat [c]
Tunc quia ſit ſanctus, innoxius Agnus habetur,
Qui potuit ſolus peccatum tollere mundi.
Et modo fertur Ovis, quod ſe jugulantibus aptet.
Dicitur & Vitulus: contenta hoc paſſio monſtrat.
Fons, quia purificat vitium baptiſmate largo.
E Vita, quod æternum dat vivere vivificatis.
Eſt Manus, occurit virtutum operatio dives.
Eſt Caput, in promtu eſt quo noſtro auctore creemur.
Ignis in hoc quod adhuc probatio noſtra ſuperſit.
Unde Aratrum? ſubigat quod pectora fructificetque.
d Flos, quia [d] Confeſſor eſt, Martyres ipſe coronat.

A Cur Lapis angularis? populum quia nectit utrumque.
Dextera, qua patrium latus aſſidet, ornat, honorat.
Sæpe Columba, dolum quia neſcit, ac ſine felle eſt.
Unde Puer? quod purus eat genitoris ad arcem.
Vitis, adoptivo quod ſe herede propaget.
Unde ſecundus Adam? quia ſit caput ipſe renatis.
Eſt Digitus, Stilus iſte, Dei eſt lex ſcripta per ipſum
B Nunc Speculum, quod imago Patris perlucet in illo.
Nunc Via, quod ſanctis ſit prævius in paradiſo.
Botrio, quod ſuccis cæleſtibus irriget orbem.
Panis in hoc, noſtræ quod ſint alimenta fidei.
Hoſtia viva Deo, Summus cur ipſe Sacerdos?
Se quia ſanctificans patriis altaribus offert.
Nunc Ratio, hæc ratio eſt, per quam ſtat fabrica mundi.
Virga, quod errantes ut verbere corrigat actus.
Piſcis natus aquis, auctor baptiſmatis ipſe eſt.
Sæpe Aquila, è terris quoniam revolavit ut ales.

LAUDATIO.

Denique ne multis tam multa & magna moremur.
Eſt Oculus, cognoſco Deum, videt omne Deus cor.
Unde Propheta? brevi quoniam futura revelat.
Angelus unde? ſui quia nuncius extitit ipſe.
Brachium, ab amplexu, quo continet omnia dictus.
Quicquid id eſt, agnoſce, tuum eſt quod ſancte vocaris.
Magnitudo operum tot rerum nomina celat
Sed propriis meritis tanti cenſentur honores
Cauſa facit titulos, dat ſcire vocabula virtus.
Tu ſublime ſedens; Agios, benedictio noſtra;
[e] Te Deus Emmanuel, nobiſcum habitabile nomen. e
Tu Dominus Sabaoth pugno [f] teges omne quod uſquam eſt. f
Te domus Iſraël, confeſſoreſque beati,
Te Patriarchæ omnes, teque [g] angeli omnes adorant, g
Tu ſuper [h] ignotum cherubim, ſuper aſtra coruſcas; h
Qui promiſſus Abræ fueras, de ſemine David,
Glorificum in cælo oſanna laudabilis audis.
Reſpice nos tantum, Crucifixe, Paraclite, Chriſte,
Nazarene; Deus, quem credimus, & Galilæe,
Et Deus Abraham, ſancti Patris & Deus Iſaac,
Et Deus alme Jacob, ſpes unde eſt noſtra fideſque.
Reſpice, Chriſte, tuos, longumque tuere redemtos.
Supplico ego indignus, & tu dignare rogantem.
Omnipotens miſerere mei, miſerere meorum

[a] *l.* obtulit. [b] *f.* aufert. [c] *adde* ipſe *aut quid ſimile.* [d] f. Confeſſores &. [e] *l.* Tu. [f] *Pro* tegis *uſu antiquis familiari* qui litteram *e* pro *i* frequenter uſurpabant & viciſſim. [g] *l.* angelus omnis adorat. [h] *l.* ignitum.

a Da dolor absistat, cura & formido (a) facesset,
Et socier sanctis famulis tuis, & timeam te,
Et placeam dum vivo tibi, nec sim reus illo
Tempore, cum stetero meriti memor ante tribunal.
Christe, tuum vereque colam quod prædico nomen.
Crux tua fronte, manu, labiis, crux intima sidat.
Crux clipeata domus, crux sit lorica salutis,
Hoc melius signo fulgebit lucida turris,
Quam cum sacrilego polluto cruore maderet.

EXPLICIT.

INCIPIUNT ORATIONES ORIENTII NUMERO XXIV.


Tibique, Domine, celsum Cherubim dicatum est,
b Et illa (b) molis quadriformis machina
Te sempiterno confitentur carmine,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Te septem primi deprecantur angeli,
Seu civitatis septem principes viri,
Solio propinqui, Janitores proximi,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus
Te solis astrum cum sorore menstrua,
Vergiliæ, Jugula, Vesperugo, lucifer,
Omnesque guttæ præmicantes invocant
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Aër aquosus sive sudus invicem,
Simulque venti, pluviæ, grando, flumina,
Ritu suomet conditorem concinunt,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Solum stativum cum fertura mobili
Quæ paret homini, quæque capta de una,
Tibi cantat uni, conticescit ceteris,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Oceane, qui cinctam coerces aream,
Et intestini fossa media gurgites,
A Deum sonantes cum marinis belluis,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Infernæ sedis flamma, (c) fulva tartara, c
Trucesque præsidentes, pariter angeli,
Amen minaci decantantes carmine,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.

INCIPIT XXIV.

Postremo dico deprecandi canticum,
Id facio quantum per xx. cantica,
B Sed ne quis audax interpellet quippiam,
Anguem magistrum falsitatis increpo
Ut non adjiciat sive demat litteram.
Quod si (d) quemquam lædit spiritalis lectio, d
Ei licebit lectionem spernere,
Non commutare lectionis formulam,
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat neve demat litteram.
Si scriptor errat in mutanda littera,
Ignarus errat, venia Christo, si præsto est:
Nam non voluntas, verum dextra labitur.
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat neve demat litteram.
Ad illos homines interdictum pertinet,
C Qui voce vera nominantur physici,
Si non probatis, præterire liberum est
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat, neve demat litteram.
Et nos à fæce ethnicorum emersimus,
Eamque tandem rupimus caliginem,
Dum spiritales exaudimus angelos
Anguem malignum.
De signo sextum præcavendam spiritu
Mortis Dei prophetas instrumenta dæmonum
Numa & mortis semper in sæculum.
Deus Sancte, te rogamus, Patrem Unigeniti
Christe Deus, te precamur vivum Dei Filium,
D Sancte Christe, te obsecramur judicem verum Deum.

EXPLICIT ORATIO XXIV. (e)

[a] f. facessat. [b] Pro moles juxta observationem supra annotatam. [c] f. furva. [d] f. quem lædit.
[e] Orationes viginti quatuor composuerat Orientius ex titulis. At primam tantum & ultimam exhibet noster codex manuscriptus.





SERMO BEATI AVITI

VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI.

FERIA TERTIA IN ROGATIONIBUS.

Ex mſ. Majoris Cartuſiæ.

ADMONITIO PRÆVIA

In ſequentem Sermonem Sancti Aviti.



Ancti Aviti Viennenſis archiepiſcopi Sermonem in Rogationibus feria III. pronuntiatum reperimus in veteri codice manuſcripto Majoris Cartuſiæ, quem pro ſua in nos humanitate tranſcripſit R. P. Domnus Innocentius Bouchart *ejuſdem loci monachus nobis ſingulariter amicus.*

In eo duo præſertim advertere licet. Primum Rogationes ſeu ſolemnes ſupplicationes quæ ante Aſcenſionem in Eccleſia celebrantur, ejus tempore, ſeu ut ipſe ait, noſtro ſæculo *inſtitutas fuiſſe, & quidem à ſancto Mamerto qui anno 462. Viennenſem adminiſtrabat eccleſiam, ut docet alibi idem Avitus, qui poſt Heſychium in eadem ſede ipſi ſucceſſit, & Sidonius Apollinaris Arvernenſis antiſtes lib. 1. epiſt. 7. & lib. 7. epiſtola 14. quibus accedit Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſtoriæ Francorum capite 34. ubi etiam cauſam iſtius inſtitutionis modumque deſcribit in hæc verba:* In his temporibus fuit in Vienna urbe terræ motus maximus, ubi multæ eccleſiæ & domus multorum concuſſæ fuerunt & ſubverſæ, ubi beſtiæ multæ oberrantes, lupi, urſi acerbi ingreſſi per portam civitatis devorantes plurimos, per totum annum hoc faciebant. Nam veniente ſolemnitate ſancti Paſchæ, ſanctus Mamertus, qui in ea urbe erat epiſcopus, dum miſſarum ſolemnia ipſa vigilia celebraret, palatium quoque regale, quod in ea civitate erat, divino igne ſuccenſum eſt. Cumque hæc agerentur, appropinquante Aſcenſione Domini, indixit jejunium vir Sanctus Dei triduanum in populo cum gemitu & contritione, &c. *Alterum quod in eccleſia Viennenſi feria tertia Rogationum in divinis legeretur officiis prophetia Amos, cujus locum hoc ſermone explicandum populo ſuſcipit Avitus. In antiquo tamen lectionario Gallicano, quem ex Luxovienſi manuſcripto publici juris fecit noſter Mabillonius, non prophetia Amos feria III. legebatur, ſed ad tertiam epiſtola 1. S. Petri, ad ſextam epiſtola 1. Johannis, ad Nonam liber Judith. Verum id mirum videri non debet,*

debet, cum non una eſſet in omnibus eccleſiis Gallicanis divini officii celebrandi ratio; ſed neque idem ordo in legendis ſacræ ſcripturæ locis ubique ſervabatur: cum ad epiſcoporum nutum fierent omnia. Porro ſupervacaneum hic non erit notare id quod habet Herbertus Turritanus archiepiſcopus lib. 1. *mirac. cap.* 21. *quod ſcilicet in Normannia* in diebus Rogationum cum clerus & populus proceſſionem longius procedendo extenderent, conſuetudo erat, ut pauſantibus interdum clericis, mulieres viciſſim modulando ſuccederent.

LEGIMUS in hiſtoria Regum, quemdam celebrem prophetarum, exiguo ſuperni paſtus alimento, multis diebus iter longiſſimum ſine ullo adminiculo cibi terreſtris egiſſe: adeo divini beneficii virtus in corpore humano ſequeſtrata infirmitate prevaluit. Comparatio autem modo hæc in ſermone non cauſa eſt. Sic ergo etiam nobis annuum quoddam iter actionum, caſuum, timorum diverſitate currentibus, quidam qui nos inter iſta confortet Rogationum veluti cælo porrectus ſumitur panis: cujus fortitudo atque ſalubritas non ſolum inopiam præteritæ ſterilitatis ſuppleat, verum etiam periculum famis ab ſpiritu noſtro non in pane ſolo, ſed in verbo Dei vivente ſecludat. Quod ſi quiſquam
Rogationes quando institutæ. Rogationes noſtro ſæculo inſtitutas miretur; quas tantis ante temporibus eccleſiarum multitudo neſcivit, conſtat hunc poſſe & muneribus redemtionis, quæ mundi ævo jam penè conſumto in ſæculorum fine aſtuit, derogare.
a Viderit (a) quis certè quid ſentiat, qualitatem medicaminis rideat furibundus, neſciat deſperatus, ceterum frequenter expertus. Sed quis eſt iſte ſic ad integrum ſanus, ut medicinæ non egeat, ut nulli ægrotantis animæ morbo ſuccumbat, ut non aut cupiditate ardeat, aut avaritia palleat, aut invidia liveat, aut ſuperbia tumeat, aut iracundia caleat, aut obloquio pruriat? Si quis ergo ex his alicujus tædii ſibi conſcius eſt, qui cuncto tempore pœnitentiam debet, non renuat triduum. Quod etiam pleno ordine atque digeſto prophetia quæ lecta eſt, ſi gradibus ſuis replicetur, inſinuat, ſic à principio ſermonis exorſa: *Vos*,
Amos 3. 2. inquit, *cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* Hic ſtatim ſe Judæorum populus, in quamdam rapinam non amore ſed ambitione præcipitat, ut ad divinæ familiaritatis notitiam præ omnibus videatur adſcitus: Sed diſiſtat hinc opportunitas obſtrependi, quia potius
b ſub judicio rationis (b) de proprietate ſermonum cauſarum certa metienda ſunt. *Vos cogno-*
Amos 3. 2. *vi*, non dixit Inter omnes, ſed *Ex omnibus cognationibus terræ.* Qui ſunt autem qui acquiruntur ex omnibus cognationibus terræ, niſi qui ab univerſitate gentium in unum redacti fiunt ex diverſis mundi partibus unus populus, & de multis membris ſub Chriſto capite unum corpus? Cui poſtmodum vocationi agnoſcendæ atque

A prædicandæ Beatiſſimus Petrus per mentis ſtuporem defixus vidit linteum quoddam cœlo deſcendere, quod quatuor angulis ſinu turgente ſubmiſſum, omne genus animantium cum volatilibus atque reptilibus continebat, commonituſque ut neceſſariæ refectioni quod vellet ipſe mactaret: Appetitum quidem talem, cùm talis ciborum modus præcipiebatur, per obſervantiam legalem exhorruit. Sed mox ad eum ſermo divinus, *quæ Deus*, inquit, *munda-* Act. 10. 15.
vit, tu immunda ne dixeris. Atque ille, *In veritate*, inquit, *comperi, quia non eſt perſonarum ac-* Ibid. 34.
ceptio apud Deum, ſed in omni populo & gente, qui
B *timet Deum & voluntatem ejus facit, acceptus eſt illi.* Tunc ergo qui cogniti ſunt ex omnibus cognationibus terræ vides, nempe prophetis atque apoſtolis, qua unitate conveniat. Hoc eſt profecto, quod etiam nunc lectio ait: *Num-* Amos 3. 3.
quid ambulabunt duo pariter niſi convenerit eis? Convenit autem duobus, Chriſto & Moïſi, quia de iſto ille ſcripſit. Convenit legi & gratiæ, quia illa diſtrictius impoſuit, ut pretioſius iſta laxaret. Convenit veritati & Prophetiæ, quia iſta peperit, quod illa concepit. Apud Judæos iſta duo non pariter ambulant, ideo non concordant. Inter ipſa enim duo teſtamenta quaſ-
C dam minutias ponunt. AD UNUM verum Deum niſi uno itinere non itur. Certè ſi propter quaſcumque alias cauſas poteſt diverſo, adverſo non poteſt. Apud nos verò iſta duo pariter junguntur atque conveniunt. Eſt tamen in hoc prophetæ verbo etiam quod perſonaliter accipi queat, ſi dualitas ipſa, quam convenire neceſſe eſt, ſit primum in homine uno, ſit deinde in genere humano. Spiritus enim noſter & corpus noſtrum ex diſparis ſubſtantiæ qualitate compacta ſunt. Quæ duo viam hujus ſæculi currere nullatenus queunt, niſi inter ſe cuſtodita divinæ ordinationis lege conſenſerint. Si enim non
D ſubjaceat ſpiritus carni, ſed ad refrænandam concupiſcentiam cedat potius menti caro, ducit duos pariter concordia rationis per viam legis ad patriam æternitatis. Si autem dum per hujus ſæculi iter curritur, ſpiritu retardante, animam caro prævenerit, & facultatem viæ, permiſſa ſibi peccati libertate, præcluſerit, deſerit ipſa currendi æqualitas, quæ homini à creatore præcipitur, & incipit impedita lege mentis perire, & ſuperexaltare lege corporis, nec jam duo pariter pergunt, ubi unum jacet

(a) f. is. (b) Hic locus manifeſte depravatus, tametſi ſenſus ſit obvius. Dicit Avitus falli Judæos, qui verba Ames de ſe interpretarentur, cum ex judicio rationis potius quam ex vocum proprietate ea metienda ſint. Nam ſi litteram ſequamur, hæc quidem de filiis Iſraël; ſi judicium rationis, de Chriſtianis vere & propriè dicuntur.

& aliud premit. Et hæc, quod magis dolendum est, non tam ignaris subrepunt, quàm dominantur allisis. Docet hoc sermo qui sequitur : *Leo*, inquit, *irrugiit*, *quis non timebit ? Dominus locutus est*, *quis non prophetabit ?* Peccatum longè apparet, quare non fugimus ? Scriptura prope clamat, quare non credimus ? Quis est leo rugiens, nisi de quo Apostolus dicit, quia *adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens devorare vos ?* Facit furoris incontinentia, ne tacens discubitet qui rugitum longè præmittit : sed audit rugitum, & non cavet qui præcepti conscientiam secum fert ad exordia peccati, confestimque rabido invaditur morsu, nisi præmisso terretur auditu, quod revera nec absurdè conjicimus, nam statim in consequentibus qualitas ipsius morsus ostenditur : *Quomodo*, inquit, *si eruat pastor de ore leonis duo crura ovis*, *aut extremam partem auriculæ.* Pastor nobis procul dubio ille est bonus, qui relictis nonaginta novem ovibus, unam vagantem non despexit inquirere. Operæ pretium autem est diligentius intueri, quòd illas nonaginta novem, quas iste pastor in montibus reliquit, manifestatus in carne, non deseruit permanens in nativitate. Angelorum enim in cælesti altitudine gloriantium, qui utique jam errare non possunt, evidenter gerunt figuram. Leo enim de quo supra diximus, post illam proprii casus ruinam, qua consortium divinitatis affectans, etiam homine miserior factus est, dum dedignatur esse inferior creatore, omnis archangelicæ potestatis dignitate nudatus est. Sed huic tamen quantulamcumque potestatem cælestium ministrorum, ne solus periret, casui suæ dejectionis innexuit. Et his hoc tamen de illo eminentis creaturæ vigore nunc superest, ut damnationem futuram jam patientes dum præsciunt, cùm vivendi meritum perdiderunt, & ipsum saltem moriendi remedium habere non possint. Ab illo itaque, ut dixi, casu quisque in amore conditoris sui & angelicæ beatitudinis honore permansit, ulterius seduci non potuit, ac proinde nec periclitari, & factum est in principio de angelis quod de hominibus in fine faciendum est, ut evolutus scilicet salutis & perditionis cursus exacto impletoque numero terminetur. Istas ergo supernæ celsitudinis oves reliquit pastor bonus, & venit ad illam unam ovem perditam, in cujus signatione jacebat genus humanum, & illam quæ ab isto leone corrosa per se ascendere ad illas nonaginta novem non poterat, suis humeris vexit, quia in suo corpore sublevavit : Et quando cum homine carnis assumtæ ad superna cælorum rediit, eamdem utique, quæ de paradiso erraverat, angelis retulit. Quo circa jam patet, qui sit pastor qui liberat duo crura & partem auriculæ, & qui sit leo qui reliquum devorat : hoc est iste Christus, ille diabolus. Omissa verò utcumque consideratione carnali, videamus quæ sit minima pars corporis, quæ devoranti legitur remansisse. Neque enim puto quod ille pastor bonus rem tam dilaceratam & pænè consumtam tanto studio vellet eruere, nisi particulæ ipsi adhuc aliquid palpitantis vitæ inesse cognosceret. Ovis ista, sicut jam prolocuti sumus, quicumque peccator est utique, si de caulis se protegentibus evagatus suopte vitio incursurus bestiam, cùm à pastore declinavit. Dum enim ambulat per deserta, hoc est dum cogitat inania perituraque, occurrit illi diabolus, & cogitationem ejus morsu pestiferæ persuasionis invadit. Qui cùm jam concupiscentiam captivi hominis in potestate habere cœpit, priorem quodammodo ejus partem vorax laniator absorbuit. Et tamen si concupiscentiam & definitionem peccati non sequatur effectus, liberantur quasi duo crura, hoc est pars posterior, quæ adhuc comesa non fuerat. Nam etsi quosdam priores suæ cogitationis pedes per concupiscentiam in fauce leonis amisit, & residuos quos ad effectum non deduxit operis gressus (a) misericordia pastoris eripuit. Animadvertendum est tamen quòd illius se miscuit corporis portionem (b) extremi auriculæ quæ videtur superesse liberaverit. Postquam enim dixerat *quomodo si eruat Pastor duo crura*, addidit *& extremam partem auriculæ.* Auris ergo nostra est obedientia nostra, nam cùm precamur & resipiscimus, primam istius auris partem leo devorat, novissimam pastor (c) solvat. Prima pars auriculæ est *Non concupiscas.* Ista jam deglutita est, quia cogitatio concupivit. Sequens pars est *Post concupiscentias tuas non eas.* Itaque si malum, quod concepimus cogitatione, opere non impleamus, priore parte obedientiæ vulnerata, & illa quæ extrema est ab ore leonis eruitur. Quomodo ? Utique per pœnitentiam & correctionem. Quæ multipliciter lectio ipsa per totum à Domino revolvente, quæ & qualia passi necdum resipiscamus : *Misi in vos indigentiam panum*, *stuporem dentium*, *percussi vento urente.* Indigentia panis est, ut sciamus quod CUM A DOMINO receditur, non est unde vivatur. Stupor autem dentium unde contrahitur ? puto convenire illud quod Salomon quodam loco ait, dum comparationem poneret dicens : *Sicut uva acerba dentibus noxia est.* Uva autem acerba est præmaturè occupata promissio & contenta cum differtur temporis plenitudo. Nam ut dulcedinem & suavitatem, quæ nobis in æternitate promittitur, in hoc mundo habere velimus, immaturum satis atque acerbum est. Hujus uvæ adhuc asperæ viridisque non vinum sed virus intra paradisum Adam in sui nostrique perniciem degustavit ; & quia parentes comederant uvam acerbam, dentes filiorum obstupuerunt. Sed prævidens Ezechiel originale debitum Christo solvente vacandum,

Marginalia: Amos 3. 8. — 1. Pet. 5. 8. — Amos 3. 12. — a Locus corruptus. b — c — Locus corruptus. Amos 4. 6.

[a] Hic respexisse videtur Avitus ad illum canonem concilii Neocæsariensis : *Si quis concupita muliere, etiam concubitus ejus desiderium habeat, non autem subsequatur effectus, manifestum est eum per divinam gratiam fuisse liberatum.* Ita in vetusta canonum versione quæ Aviti ævo Latinarum ecclesiarum in usu fuit.
[b] f. extremæ. [c] f. servat.

Ezech. 18. 3. ne ait: *Vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra proverbium illud in Jerusalem. Patres comederunt uvam acerbam, obstupescent dentes filiorum.* Jam tibi non nocet quidquid esset Adam quod concupivit superbè, quod præsumsit illicitè, quod desideravit incautè, tu tibi de tuo esu stuporem dentium metue, tu tactum appetitus ab inutili aviditate restringe. Desideras uvam acerbam, sed sustine maturitatem promissionis. Non tuo sæculo delectatio ista debetur. SI DULCEM quæris, expecta cælestem; si humanam appetis, patieris immitem. Quæ est autem mundi gloria, nisi ipse quem infra dixit, Ventus urens? cujus etiam si lenitas delectat homines, B terror tamen percutit amatores. *Et quia nec sic redistis ad me, dicit Dominus, nunc* (a) [*præparare* Amos 4. 10. *in occursum Dei tui Israël.* Dicit quidem Paulus apostolus, ubi Redemptoris describit adventum, qualiter rapiemur ad nubes obviam Christo in aera; hic tamen puto occursum istum ad alium pertinere. Nam & hic viventes quasi occurrimus Deo, si præceptum quod porrigitur amplectamur; & quia paratus est ille ad ignoscendum, occurrat ei correctio ad pœnitendum. Sed & quicumque propter amorem æternæ vitæ non solum ab illicitis abstinet, verum etiam à licitis se coercet, sponte C occurrisse judicandus est. Nam ut exempli gratia unum quodcumque dicamus, adulterio generaliter interdicto, simplex conjugium lege permittitur; cui tamen virginitatis nitor sine comparatione præfertur: unde *qui dat nuptum Virginem suam benefacit, & qui non dat melius facit.* Hoc ergo de omni debemus observatione sentire: qui male facit, fugit; qui bene, expectat; qui melius, occurrit.] Jam verò post multas & piissimas admonitiones, quæ profectui nostro etiam secundùm litteram constant, convenienter Rogationes nostras in ipsius lectionis fine describit, dicens: *In omnibus plateis* D *& viis sit planctus.* Viæ istæ & plateæ actus nostros significant, per quos humanam conversationem mortalitate decurrimus. Viæ minora delicta, plateæ verò latiora peccata sunt, quæ ad illam amplam & spatiosam mittunt quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui inveniunt eam. Per angustam verò semitam itur ad illum, de quo prædixit propheta, quod vocem ejus in platea nemo audivit, cujus utique verbum in peccati libertate non sonuit. Ergo in ista platea quia est noster actus, sit noster & planctus: quem tamen planctum non confusum & tumultuarium esse debere, testa- E tur sermo subjectus, *Vocabit*, inquiens, *agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui sciunt plangere.* Cernis nempe quod istud plangere, non

(1. Thes. 4. 11. — 1. Cor. 7. 38. — Amos 5. 16. — Amos 5. 16.)

A omnes sciant, sed illi tantum vocandi sunt qui noverunt. Agricola est, qui isto pœnitentiæ luctu & compunctionis affectu terram, id est substantiam suam spinis purgat, præceptis edomat, lacrymis rigat, humilitate fœcundat, semine ditat, fruge multiplicat. Enimverò secundùm statum calamitatis humanæ, nullus est qui plangere nesciat, quippe est ita generatio, ut etiam ille qui non noverit aliud, istud noscat, ut ipsa quoque intrans hunc mundum nova ætas infantium primam vocem fletu erumpens, quasi quodam vaticinio calamitatum careat omni sensu, planctum quem adhuc non habet in scientia, jam tamen afferat in natura, & sine ullo doctrinæ adminiculo ipsa inchoatio discriminum pariat magisteria lacrymarum. Quæ cùm ita sint, quæramus secundum spiritum quæ distantia sit inter eos qui sciunt, & illos qui nesciunt flere. Nam prout sunt genera & ordines hominum, istam scientiam flendi habere singuli debent. Alia regi, alia subjecto; alia peccatori, alia justo causa lacrymarum. Quemdam Parthicum regem (b) sæcularis historia refert, inspectâ (c) post victoriam de eminentiore loco numerosissima sui exercitus multitudine lacrymasse: qui mox à satrapis, quæ in tali beatitudine causa flendi esset interrogatus; istam, inquit, multitudinem lugeo, quæ quamlibet victrix, intra non multos annos omnis omnino naturæ lege finienda est. Si ad sæcularem sapientiam (d) .... ecce lacrymas dignas rege mundano, quam libet etiam Christiano principi conveniret post triumphos de morte magis quàm de culmine cogitantem non tumere, sed plangere: quid si causa præsente istum (e) religiosi principis fletum testem sciamus, cùm David ille virtute magnus, potestate præditus, pietate præcelsus, inter aurea serta, gemmataque diademata, cælestis magis regni coronam instantissimo æstu ferventis desiderii suspiraret, *Quando veniam*, dicens, *& apparebo ante faciem Dei mei?* Psal. 41. 3. Numquid non lacrymas suas habuit panes die ac nocte, dum dicebant illi per singulos dies, *Ubi est Deus tuus?* quod ei certè dicebat, non negare compellens persecutor externus, sed videre concupiscens animus suus. Loquebatur enim sibi spiritus cælestibus intentus, ubi est Deus tuus? quando veniam & apparebo ante faciem ejus? Si decuerunt igitur regem sanctum lacrymæ tales, quid nunc de ipso sanctorum Sancto dicamus, qui quatriduano funeri antequam resuscitandi virtutem ostenderet, flendi impendit infirmitatem? In summo itaque gradu conveniunt tales lacrymæ Redemtori. Multum namque il-

(a) Hic ansulis inclusa retulit Florus magister ecclesiæ Lugdunensis diaconus in Expositione in epistolas S. Pauli, quam ex scriptis decem Sanctorum patrum concinnavit, sed ea citat tamquam *ex Sermone die primo Rogationum*, cum titulus in manuscripto nostro præferat feriam III. Rogationum.

(b) Id de Xerxe Persarum rege refert Herodotus lib. 7. sed paulo aliter: *Et cum intueretur Xerxes* inquit, *omnem Hellespontum navibus obductum, omnia littora atque Abydenorum plana hominibus referta, ibi se beatum esse jactavit, & post hac lacrymas fudit. Quod animadvertens Artabanus ejus patruus .... his verbis interrogavit: quàm diversa, Rex, inter se nunc facis & dudum dixisti; qui te beatum dixeras, nunc lacrymas fundis? Et ille, reputantem me, inquit, quam brevis sit omnis humana vita, subiit horum miseratio; quorum cùm tot sint, nemo ad centesimum annum supererit.*

(c) Immo nondum pugnaverat Xerxes, nec trajecerat in Europam.

(d) Deest hic aliquod verbum, forte *respiciamus* aut quid simile.

(e) Religiosum principem hic vocat, quem paulo ante regem mundanum appellaverat, quod sane mirum videri non debet, cum Gallienus imperator ὁσιώτερος ϗ φιλοθεώτερος religiosissimus Deique amantissimus magno Dionysio Alexandrino sit dictus apud Eusebium lib. 7. hist. Eccles. cap. 23.

lic ipse deflevit. Ibi Adæ peccatum, ibi peccati stipendium mortem; ibi Lazarum, hoc est genus humanum; ibi defunctum lapide obtectum, id est duritiam qualitatis; ibi lacrymosos consolatores, id est incredulitatem resurrectionis; ibi quartam diem venisse defuncto: quæ quatuor accidunt peccatoribus in animarum funere conclamatis: prima cogitandi malum, definiendi secunda, perpetrandi tertia, quarta in crimine permanendi. De quarto omnes nos per Lazarum recurrentes, ut resuscitemur, non solùm miserendi dulcedo, sed etiam flendi opus est amaritudo. Post hæc quia tali magisterio etiam nos docuit plangere, discernamus scientiam imperitiamque lacrymarum. Ecce hodie ad ecclesiam conveniunt multi, si quicumque semetipsum in oratione prosternens cœpit quantolibet fletu aliquid quod ad sæculum pertineat orare, aut conversationis mundanæ felicitatem, aut inimicorum mortem, aut divitiarum amplificationem, aut vitæ hujus longitudinem, aut honorem sæcularium dignitatum, numquid non hujuscemodi lacrymæ docent hominem nescire quid plangat, quas inutiles satis imperi-

A tasque procul dubio perdidit, quotiens sic profudit. Quod non tam miserum, quàm si ea flendo ille sibi petat tribui, quæ multi Deum nescientes sine ullis precibus peccando videntur adipisci. Econtra vides alium ingemiscentem & clamantem: Domine, propitius esto mihi peccatori, plangere vitam malam, quærere bonam, iisdem lacrymis quibus irrigat stratum, lavare delictum, ostendere Deo in gemitibus imbecillitatem carnis, ardorem mentis, horrorem mortis, amorem resurrectionis. Hic plangendi peritus, hic doctissimus flendi est. Non cadit in terram lacryma talis, quia

B commendata est Deo, cui dicitur: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Postremo quoniam si Rogationes nostræ ritè solvuntur, sine planctu nequeunt expediri, scientiam plangendi quàm potero brevissimè discernam. Maxima peritia est hic impendi fletum, ut sanari possit quem supra diximus dentium stupor, quàm illic servari ubi numquam finiendus est dentium stridor. Nam illis dicitur Væ, qui nunc rident, quia lugebunt flebuntque: Istis autem Beati qui nunc fletis, quia ridebitis & gaudebitis, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Psal. 55. 9.



INCIPIT HOMILIA SANCTI FAUSTINI

Ex mſ. Sancti Illidii Claromontensis.

ADMONITIO PRÆVIA

In Homiliam Sancti Faustini.



ERMONI Sancti Aviti Viennensis archiepiscopi subjicere placuit homiliam S. Faustini de Passione Domini, quam ex manuscripto codice S. Illidii Claromontensis descripsi. Quis autem fuerit ille S. Faustinus necdum certò scire mihi licuit. Equidem reperio apud Gennadium libro de illustribus Ecclesiæ scriptoribus Faustinum presbyterum, qui scripsit ad personam Flaccillæ reginæ adversum Arianos & Macedonianos libros septem, editos in Bibliotheca Patrum; & alterum librum quem Valentiniano & Theodosio & Arcadio imperatoribus pro defensione suorum cum Marcellino presbytero obtulit. Verum hic Faustinus non fuit sanctus, immo schismati Luciferiano aperte consensit. Fuit & alter Faustinus Episcopus, cujus homiliam dominica ante quadragesimam Æneas Parisiensis in libro adversus Græcos Spicilegii tom. 7. *pag.* 86. *citat: quam ho-*

miliam integram reperit noster Acherius in mſ. Corbeienſi, eumque eumdem eſſe cum Fauſto Rhegienſi epiſcopo arbitratur ex conjectura tantum. An vero idem fuerit cum Fauſtino ſequentis homiliæ auctore, nec affirmare, nec negare audeo. Cujuſcumque tandem illa ſit, ſane antiquiſſimi auctoris eſſe extra aleam eſt.

Beneficia Dei noſtri cùm magna ac mirifica ſint, tamen nec nova probantur eſſe nec ſubita; ſed ab initio ſæculi, & prædicta oraculis & præfigurata myſteriis. Sacram Domini paſſionem ab ipſius mundi coaleſcentis exordiis veteris teſtamenti reſponſa cecinerunt, & ideo Chriſtum Dominum prædicatum atque nunciatum Judæis apertè ex ipſorum libris & voluminibus aſſerimus, validis abſque dubio nititur privilegiis, qui cauſam de (a) adverſariis aſſerit inſtrumentis. Specioſa victoria eſt contrariam partem cartulis ſuis velut propriis laqueis irretire, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutare & æmulum (b) telis ſuis evincere, ut pugnatoris tui argumenta tuis probentur (c) utilitatibus militare. Itaque in Domini noſtri perſona dum ex Adæ primi hominis coſta mater cunctorum viventium Eva producitur, ex hujus ſacro latere ac ſalutari vulnere Eccleſia omnium fidelium parens reparanda monſtratur. In ejus typo Abel juſtus occiditur, & innocens fraterna tamquam Judaica impietate mactatur. Hic idem Dominus in noviſſima mundi ſeneſcentis ætate per figuram beati Abrahæ longævi patris offertur. Quo tempore dum novo ſacrificio in unici ſui jugulum pius parricida conſurgit, ex improviſo aries oculis ejus apparuit, ſicut loquitur ſermo divinus: *Et vidit Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus.* (Gen. 22. 13.) Inter vepres, inquit, requiramus quæ ſit iſta novitas, id eſt in multitudine circumſtantium peccatorum hærentem cornibus, id eſt ad crucis cornua clavorum confixione pendentem, ſicut in alio loco legimus: *Cornua in manibus ejus ſunt.* (Abac. 3. 4.) Hoc ideo quia venerandas manus ejus patibuli brachia ſuſceperunt. Inter ſpinas autem deputatus eſt, quando ſpineo ſerto innocentiæ & juſtitiæ actor illuſus eſt. Sed altius introſpicere debemus quidnam ſit quod Iſaac à Patre altaribus admovetur, ac ſubito aries pro eo non mutata ſed duplicata oblatione ſupponitur. Gemina hic adoranda ſubſtantia Redemtoris oſtenditur, Dei enim unigenitus offertur, & Virginis primogenitus immolatur. Hoc quoque Dominicæ Paſſionis præfigurabat inſignia, quod legimus beatum Elizeum ſepulchro conditum ingeſto à latrunculis cadavere intra tumulum ſuum corpus extincti tactu ſacri corporis ſuſcitaſſe. Quis hic alius præfigurabatur, niſi Dominus noſter Jesus-Christus, qui reſurrectionem de morte largitur, & vitam ſepultus operatur? In latrone reum mundum, in Prophetæ virtutibus Chriſtum Dominum recognoſce. Adhuc celeberrimè per ſcripturas ſanctas etiam in Jonæ prophetæ laboribus & ærumnis Chriſti Paſſio & reſurrectio præſignantur. Hic Jonas, quod fidei noſtræ non arbitramur incognitum, typum Domini geſſiſſe præſcribitur. Ipſe enim Dominus dicit: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ita erit Filius hominis in corde terræ.* (Matth. 12. 40.) Hic, inquam, Jonas ad prædicandum Ninivitis iræ cæleſtis offenſam, Domino jubente, dirigitur; ſed præſcius triſtem prophetiam populi converſione vacuandam, profugusque Tharſum petebat, ingreditur navim, ſed nautis exorta tempeſtate turbatis, ſorte fluctibus datur, & faucibus ceti piſcis dimerſus excipitur; ſed piſce illæſum eructante depoſitum, tertia die terris refunditur. Videte Dominum etiam in veteri teſtamento in ſervi forma mirabiliter apparere. Videte quomodo ſe ante actis ſæculis judicavit ſecundum ſervilis formæ humilitatem venturum. Jonas iram Domini prædicaturus ad magnam Ninivitarum urbem, dicturus *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*; (Jonas 3. 4.) & Chriſtus ad mundi mittitur civitatem, ut diem ſalutis & præfinitum judicii tempus annunciet. Jonas navim expetit, Chriſtus Eccleſiam. Jonas fluctibus agitatur, Chriſtus mundi turbinibus exercetur. Niſi Jonas perditum detur, naufragæ navis periculum non ſedatur; Sic non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti morte ſalvetur. Nautæ dimiſſuri Jonam tamen verentur & dicunt: *Domine ne des ſuper nos ſanguinem innocentem.* (Jonas. 1. 14.) Nonne vobis videtur nautarum imprecatio Pilati eſſe confeſſio, qui tradidit Chriſtum, & tamen lavat manus ſuas, & dicit: *Mundus ego ſum à ſanguine juſti hujus?* (Matth. 27. 24.) Quàm congruè per perſonam [d] gentilem fides gentium prædicatur! Dicit itaque Jonas in oratione ſua: *Tolle igitur, Domine, animam meam, quia melior eſt mihi mors quàm vita.* (Jonas. 4. 3.) Id eſt vivens unam Judæorum gentem ſalvare non potui; moriar, & univerſus mundus mea morte ſalvetur. Jonam cetus piſcis excepit immerſum, ſed non contigit devoratum; & quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodivit. Plenis viſceribus famem patitur, & in prædam quam abſorbuit, nihil ſibi licere miratur. Quis eſt iſte qui intra avidos rictus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? Cibus eſt, corruptio non eſt, traditur perditionis profundo, & ſervatur ipſius mortis obſequio. Quis eſt iſte qui vaſtiſſimos ſinus

(a) Sic præclare Auguſtinus in Pſalm. 40. *Proferimus codices Judæorum, nempe Judæi inimici noſtri ſunt. De chartis inimici convincitur adverſarius.*


(b) Sic iterum S. Auguſtinus Tract. adverſus Judæos: *De ſanctis ſcripturis quarum & apud ipſos magna habetur auctoritas, ſumenda ſunt teſtimonia, quorum etſi nolint oblata utilitate ſanari, aperta poſſint veritate convinci.*

(c) Hinc eſt quod idem S. doctor in Pſalm. 56. *Judæi*, inquit, *librarii noſtri facti ſunt.* Et in Pſalm. 40. *Nobis ſerviunt Judæi, tamquam capſarii noſtri facti ſunt, ſtudentibus nobis codices portant.* Et lib. 12. contra Fauſt. c. 23. *Quid eſt aliud hodieque gens ipſa, niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum, bajulans legem & prophetas ad teſtimonium aſſertionis eccleſiæ.*

(d) Per gentilem perſonam intelligit Pilatum.

periculorum totus ingreditur, & sub altitudine conclusus immensa atque mortifera, vitali aëre pascitur, & dimissus in alienam rerum naturam, in vitæ exilium, cum vita peregrinatur, & mortis superstes annunciat venturam mundi salutem? Puto quod hic est Dominus noster JESUS-CHRISTUS, quem sæva mors, inexplebilis bellua, in escam suam rapuit, & prædam suam captiva contremuit. Contremuit, inquam, nam si noverat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna, sed causa. Quasi solitum cibum perditum in mundi origine hominem devoravit; sed magnam esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognovit, atque ideo divinus sermo commemorat: *Et præcepit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam.* (Jonas 2.11.) Hoc debemus accipere quod ex imis visceribus mortis victrix vita remeavit, atque eam ex imis præcordiis inferni perditio exulcerata reddidit. Videmus itaque in Prophetæ afflictionibus apertissimè præfiguratam mortem pariter & resurrectionem. Quapropter quod impletum cernis in servo, credere non cuncteris in Domino. Quæ cùm ita sint, perspice, ô homo, quantum valeas & perpende quid debeas. Perspice quantum valeas, ut tandem vilis esse tibi desinas, ut vel per hoc erubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de Creatoris & Reparatoris nostri dignitate metiris. Habet causas quibus ipse confundatur cur indignis Dominis victo corde subdatur, cui gloria æterna promittitur, ac sic gemino privilegio, qui dudum divinæ imaginis participatione efficeris etiam commercii nobilitate pretiosus. Vide quàm fortis esse possis contra hostem tuum, interroga statum tuum, quod tibi Dominus ad debellandum in membris tuis mundi principem ac spirituales nequitias superandas liberam contulit facultatem; ac sic impossibile non putes, ut transferri obtineas in angelicas beatitudines, cum hoc sæculo angelicas deviceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrem protulisse vel gratia, sed cursum fideles Christi ad superna fiducialiter extollant. Nam qui se cælesti precio vident redemtos ad cælestia non dubitant præparatos.

Explicit Homilia Sancti Faustini.



DICTIO ENNODII IN NATALI LAURENTII MEDIOLANENSIS EPISCOPI.

Ex Ms. Sancti Remigii Remensis.

ADMONITIO

In sequentem Ennodii dictionem.



E Ennodio Ticinensi episcopo, qui anno DXI. *diem clausit extremum, non est quod plura loquar, cum eum litteratis viris satis commendaverit Societatis Jesu Clarissimum lumen Jacobus Sirmondus numquam sine laude nominandus, qui omnia ejus opera ad manuscriptos codices recognita edidit notisque eruditissimis illustravit. Hanc autem* Dictionem in Natali Laurentii Mediolanensis episcopi, *quæ tam oculati viri diligentiam fugit & cum sequenti ad Venantium brevi epistola eruimus ex optimæ notæ codice manuscripto Sancti Remigii Remensis.*

USU rerum venit inter homines, ut A quantum famæ decerpitur per audaciam, superfluum non minus pereat per timorem. Superflua scribere res jactantiæ est, necessaria reticere contemtus. Sæpe vituperationis mater est doctoris occulti laudatio. Verborum abundantiam transmittit affectio, amor suggerit quod negat ingenium. Facessat formido venerando proposito inimica. Fugitiva gloria est mens subjecta terrori. Sine culpa vincitur oneris immensitate, qui ad portandum sarcinam etsi impar, tamen devotus occurrit. Marcida est sine sermone hilaritas & simulacrum mœroris occultare quod gau- B deas, & afflictionis imitatio vocem in lætitia non habere.

Libet dicendi principia derivare de tempore, cum anni renascentis infantia florulenta, si valeo, dictione vernare. Nunc cum terræ succus per venas arentium virgultorum currit in gramina, & alvus sicci fomitis humori maritatus turgescit, cum in blanda lucem novelli præseminis comæ explicantur arboreæ, & omnis ramorum plectura diffunditur, vel quæ intra tunicam natura frondium decora solvuntur. Cum avium cantilena comitur sapore modulato, cum vita segetum glebis sepulta hyemalibus quasi algoris repagulo emissa & tepore fœta concipitur. Nunc in cano flore spem fructuum metitur agricola, cum mutuis palmitum brachiis vinearum texitur aprica formositas, & ante maturitatis tempus frugiferum vultum cultura componit, dans venustatem falce domitrice, & luxuriam infœcundam ferro fructificante compescens. Cum profundi gurgitis rabies blandum transit in sibilum, & enervata tepore ventorum ferocitas migrat in delicias navigantis. Cum tutum est cymbam salo laxare & anchoram in morsus absolvere. Dum fractura procellarum, quæ navitas hactenus terrebat, invitat & per uda æquoris spatia somnum gubernantis admittit. Cum colore distincta gemmato vernis opibus prata ditescunt.

Te ad pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia, venustas adduxit, statuat ista loco laudes, cui nunc suppetit quod possit prædicare de moribus. Momentis enim aura popularis impellitur, & nescia examinis turba dum studiis rapitur amat incognitos. Alteri quod pius es ostendis, alteri quod severus; alteri quod bene adquisiti distributor patrimonii, alteri quod scis recte parta servare. Id studii sumsit universitas, ut cùm de proposita laude unusquisque vinceret, vel collatione, vel collocutione, tamen in præconiis tuis melioris tituli ab altero vinceretur. Tu prædonis nescisti timere sævitiam, tu blandimentorum, quod in malitiosis nocentius telum est, scuto constantiæ venena respuisti.

VENANTIO ENNODIUS.

DOmine admiror sermonis abstinentiam quia qui exigua condiderit, nihil C producit. Credis sub hac occasione profectus tui latere scientiam, & taciturnitas imperitiam prodit, & infabricata confabulatio manifestat infantiam. Interea ante inops gratia non fuisti, sciens quid diligentia quid amantis sollicitudo flagitaret. Factus es bonarum rerum conscius, postquam te ad obtinenda quæ putantur maxima transmisimus. Quod restat vale, accipiens monitoris verba, & melioratus in te scriptionis assiduitate divulga.





ANTIQUUM CALENDARIUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

Ex Mff. codicibus Graffenfis monafterii & Sanctæ Andreæ Avenionenfis.

ADMONITIO

In fequens Calendarium Romanum.



QVANTVM conferant ad res ecclefiafticas illuftrandas vetera Calendaria, probant tot jam a viris eruditis edita. Omnium antiquiffimum primus vulgavit Ægidius Bucherius Societatis Jefu presbyter doctiffimus, quod ad calcem Actorum Sincerorum fanctorum martyrum recudit nofter Theodericus Ruinartius. Africanum ex mf. codice Cluniacenfi uncialibus litteris ante annos mille exaratum publici juris fecit Mabillonius Analectorum tom. III. Calendarium Romanum ex manufcripto codice S. Genovefæ aureis litteris fcripto ante annos nongentos eruditiffimis notis ac differtationibus illuftratum edidit Johannes Fronto Canonicus regularis è congregatione Gallicana. Quartum habemus anno 826. compactum in Spicilegii Acheriani tomo X. Denique librum Comitis ad calcem Capitulariorum regum Francorum protulit Stephanus Balufius; fed tot additionibus auctum, ut omnium recentiffimum haberi merito debeat. Verum quod hic damus Calendarium Romanum, hanc præ omnibus prærogativam habet, ut, fi forte Bucherianum quod mediante quarto fæculo in ufu fuit, excipias, omnibus antiquitate præftet, ut pote quod fæculo quarto conditum exiftimemus aut faltem initio fæculi V. verum in hoc Bucheriano præferendum, quod Bucherianum nuda fanctorum nomina proferat, noftrum vero Calendarium præter Sanctorum nomina qui fingulari veneratione Romæ colebantur, etiam ftationes affignet antiquas, ac fuum fingulis per anni circulum diebus legendum Evangelium repræfentet.

Antiquitatem Calendarii noftri probat in primis quod nullum fanctorum Silveftro pofterius feftum exhibeat: non S. Gregorii, non S. Benedicti, non S. Damafi, non S. Martini, denique nullius confefforis, præter unius S. Silveftri, qui ineunte fæculo IV. *Romanam regebat ecclefiam.*

Deinde ex omnibus Deiparæ feftis unius meminit fefti Affumtionis; prætermiffo Annunciationis fefto, quod tamen eft antiquiffimum, & Nativitatis quod fedente in Petri Cathedra Sergio Papa I. jam Romæ celebre erat, atque Conceptionis quod tempore Hildephonfi Toletani archiepifcopi faltem in Hifpania colebatur. Habet quidem die 2. februarii Hypapante, fed illud potius Domini feftum, quam B. Mariæ eft.

Tertio antiquitatem noftri codicis arguit, quod nullum per totam quadragefimam feftum habeat, quo tempore, ut ait concilium Toletanum X. anno 656. celebratum, nihil de fanctorum folemnitatibus, ficut ex antiquitate regulari cautum eft, convenit celebrari. *Qua in re concinit cum Calendario Buccheriano & cum Africano, in quibus nullum tempore quadragefimæ feftum affignatur.*

Quarto

Quarto, cum in Decembri usque ad natale Domini *perinde ac in quadragesima olim jejunium servaretur, ut constat ex concilio Turonensi II. ac cum pœnitentiæ atque abstinentiæ luctu festivitatum gaudium non conveniret, nulla toto hoc intervallo in calendario nostro sanctorum solemnitas occurrit. Sed neque toto mense octobri atque novembri usque ad festum S. Andreæ, quia, ut conjicimus, fidelibus eo tempore colligendis terræ frugibus occupatis libera satis non manebat facultas ad ecclesiasticos conventus conveniendi.*

Quinto non solum dominicis diebus sed etiam quartis & sextis feriis in calendario nostro assignantur evangelia in missis publicis cantanda, quia, ut ait S. Epiphanius lib. 3. *adversus hæreses num.* 22. Sacri conventus & synaxes ab apostolis sunt instituti his diebus quarta sextaque feria & dominica. *Cui concinit S. Hieronymus lib.* 2. *Commentari in epistolam ad Galatas his verbis.* Quartam sabbati observantes & parasceven & diem dominicam. *Quarta autem & sexta feria sacri fiebant conventus propter jejunium ab apostolis illis diebus institutum. Nam ea erat sæculis illis aureis fidelium devotio, ut jejunium nisi orationi conjunctum observare religioni ducerent. In calendario Frontonis quod idem est cum calendario præfixo veteri codici Evangeliorum aureis caracteribus tempore Ebonis archiepiscopi Remensis exarato, atque in Altivillarensi monasterio asservato, non solum quarta & sexta feria, sed etiam sabbato evangelia assignantur. Quia nimirum postea quartæ & sextæ feriæ jejunium sabbati additum est, cujus institutionem ad Innocentium papam I. qui anno* 410. *Romanam regebat ecclesiam, referunt. Atque hinc etiam colligi potest calendarii nostri antiquitas, in quo nulla sabbatis assignantur evangelia.*

Denique in nostro calendario perpauca assignantur sanctorum festa, evangelia passim variant, & non solum à nostris missalibus, sed etiam à calendariis vetustis, quæ nonagintos attingunt annos superantque, ut plurimum sunt diversa. Quæ omnia summam denotant antiquitatem.

Ceterum tam pretiosum antiquitatis monumentum reperimus in duobus antiquis manuscriptis codicibus, uno monasterii S. Andreæ propè Avenionem annorum minimum 700. *altero Grassensis monasterii in Septimania, quod à Carolo-magno imperatore eidem cœnobio dono collatum perhibent. Porro tametsi calendarii Romani titulum non præferant illi codices, nulli tamen dubium esse debet, quin Ecclesiæ Romanæ fuerit, attendenti nullos in eo sanctos referri nisi Romæ martyrium passos aut valde celebres, ac præterea stationes Romanæ ecclesiæ in eo assignari.*

INCIPIUNT CAPITULA LECTIONUM EVANGELII anni circuli ad missam.

[a] IN vigilia Natalis Domini, secundum Matthæum. Capitulo III. *Cum esset desponsata Mater* JESU MARIA *Joseph*, usque, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Item, [b] in vigilia Natalis Domini in nocte, secundum Lucam cap. III. *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, usque, *bonæ voluntatis.*

Item, ad sanctam Anastasiam, mane prima, secundum Lucam cap. III. *Pastores loquebantur ad invicem*, usque, *sicut dictum est ad illos.*

Item, in die Natali Domini, ad S. Petrum, secundum Johannem caput I. *In principio erat Verbum*, usque, *plenum gratiæ & veritatis.*

In natale S. Stephani, secundum Matthæum cap. CCXL. *Dicebat* JESUS *turbis Judæorum & principibus sacerdotum, ecce ego mitto ad vos prophetas*, usque, *in nomine Domini.*

In natali S. Johannis apostoli & evangelistæ, secundum Johannem cap. CCXXII. *Dixit* JESUS *Petro sequere me*, usque, *quia verum est testimonium ejus.*

In natali Innocentium secundum, Matthæum cap. VI. *Ecce angelus Domini in somnis apparuit Joseph*, usque, *quoniam Nazaræus vocabitur.*

In natali S. Sylvestri papæ, secundum Matthæum cap. CCLXIII. *Dixit* JESUS *discipulis*

[a] In omnibus antiquis Sacramentorum libris annus ecclesiasticus incipit à Natali Domini, ad quod pertinebat ejus vigilia.

[b] Prima missa Natalis Domini hic inscribitur *in vigilia natalis Domini in nocte.* Eodem modo in missali Gelasiano, in plerisque sacramentorum libris inscribitur *in Galli cantu*; quod de primo gallorum cantu intelligendum alibi probavimus.

suis [a] *vigilate*, usque, *supra omnia bona sua constituet eum.*

In octava Domini ad sanctam Mariam [b] ad martyres, secundum Lucam cap. III. (c) *Postquam consummati sunt dies octo ut circuncideretur puer, vocatum est*, usque, *plebis tuæ Israël.*

Dominica prima post Natale Domini secundum Lucam cap. III. *Erat Joseph & Maria mater* JESU, usque, *Gratia Dei erat cum illo.*

In vigilia Epiphaniæ, in basilica S. Petri, secundum Matthæum cap. XIII. [d] *Venit* JESUS *à Galilæa in Jordanem ad Johannem*, usque, *mihi complacuit.*

In Epiphania in die, secundum Matthæum capitulo IV. *Cum natus esset* JESUS *in Bethleem Judæ*, usque, *reversi sunt in regionem suam.*

Item [e] de Epiphania, secundum Johannem cap. XIII. *Videns Johannes Jesum venientem ad se*, usque, *quia hic est Filius Dei.*

Dominica I. post Epiphania, in Pachimis, secundum Lucam cap. III. *Cum factus esset* JESUS *annorum* XII. usque, *apud Deum & homines.*

Feria IV. secundum Lucam cap. XVII. [f] *Regressus est* JESUS *in virtute Spiritus in Galilæam*, usque, *quæ procedebant de ore Dei.*

Feria VI. secundum Matthæum cap. XVIII. *Cum audisset* JESUS *quod Johannes traditus esset*, usque, *appropinquabit enim regnum cælorum.*

Dominica II. post Epiphania, secundum Johannem cap. XVIII. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*, usque, *crediderunt in eum discipuli ejus.*

Feria IV. secundum Marcum cap. [g] L. *Egressus* JESUS *venit in patriam suam*, usque, *paucos infirmos impositis manibus curavit.*

Feria VI. secundum Lucam cap. XXIII. *Descendit* JESUS *in Capharnaum civitatem Galilææ*, usque, *in omnem locum regionis.*

Dominica III. post Epiphania, secundum Matthæum cap. LXIII. *Cum descendisset* JESUS *de monte*, usque, *& sanatus est puer in illa hora.*

Feria IV. secundum Lucam cap. XXVI. [h] *Surgens* JESUS *de synagoga introivit in domum Symonis*, usque, *regnum Dei.*

Feria VI. secundum Matthæum cap. secundum..... cap. XXIII. *Circuibat* JESUS *totam Galilæam*, usque, *sequentes eum turbæ multæ.*

Dominica IV. post Epiphania, secundum Matthæum cap. LXIX. *Ascendente* JESU *in naviculam*, usque, *venti & mare obediunt ei.*

Feria IV. secundum Matth. cap. LXIX. [i] *Cum venisset* JESUS *transfretum in regione Gerassenorum*, usque, *transiret à finibus eorum.*

Feria VI. secundum Marcum cap. XXXVI. *Cœpit* JESUS *docere ad mare*, usque, *qui habet aures audiendi audiat.*

Die secundo mense Februario [k] Hypapanti, secundum Lucam cap. III. *Postquam impleti sunt dies purgationis* MARIÆ *matris* JESU, *ut circumcideretur puer*, usque, *plebis tuæ Israël.*

MENSIS JANUARII.

Die XIV. natalis sancti Felicis in Pincis, secundum Lucam cap. CXVI. *Dixit* JESUS *discipulis suis qui vos audit me audit*, usque, *nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Die XVI. mensis Januarii, natale S. Marcelli papæ, secundum Matthæum cap. CCLXIX. [l] *Dixit* JESUS *discipulis suis homo quidam peregre proficiscens*, usque, *illic erit fletus & stridor dentium.*

Die XVIII. mensis Januarii, natalis S. Priscæ, secundum Matthæum cap. CXL. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro*, usque, *nova & vetera.*

Die XX. mensis Januarii, natalis (m) S. Sebastiani, secundum Lucam cap. XLV. *Descendens* JESUS *de monte stetit in loco campestri*, usque, *merces vestra multa est in cælis.*

Die XXI. mensis Januarii, natalis sanctæ Agnes, secundum Matth. cap. CCLXVIII. *Simile est regnum cælorum decem virginibus*, usque, *nescitis diem neque horam.*

Die XXII. mensis Januarii, natale S. Vin-

[a] Idem assignatur evangelium in Calendario Frontonis, hodie in Romano missali legitur evangelium ex Luca, *Sint lumbi vestri*, usque, *Filius hominis veniet.*

[b] Ecclesiam S. Mariæ ad martyres vulgo vocant celeberrimum illud Pantheon, seu deorum omnium templum, quod à Bonifacio papa IV. tempore Focæ imperatoris in honorem B. Mariæ & sanctorum martyrum consecratum vulgo aiunt auctoritate libri pontificalis, cujus in rebus ita antiquis non omnino indubia fides. Nam ex hoc Calendario constat id longe ante evenisse, aut saltem fuisse Romæ ecclesiam B. Mariæ ad martyres. Certè S. Gregorius, qui Bonifacium aliquot annis præcessit, meminit in suo sacramentorum libro dedicationis ecclesiæ S. Mariæ ad martyres 13. Maii, quod festum in omnibus ejusdem libri antiquioribus mss. reperitur.

[c] Hodierno in missali Romano omnino decurtatum est hoc Evangelium, quod integrum habetur in Calendario Frontonis, in quo præter hanc missam habetur altera de Natali S. Mariæ cum Evangelio, *Simile est regnum cælorum decem virginibus.* Sed manifestum in eo errorem demonstrat Calendarium Altivillarense, ubi pro natali S. Mariæ, legitur natale S. Martinæ, cujus olim prima Januarii festum colebatur, cuique evangelium de virginibus omnino congruit, cum in plerisque aliis vetustis Calendariis ad stationem S. Mariæ assignetur evangelium de circumcisione.

[d] In Calendario Frontonis atque etiam in hodierno missali Romano aliud habetur evangelium ex Matthæo, scilicet *Defuncto Herode*, usque, *Quoniam Nazaræus vocabitur.*

[e] In Calendario Frontonis legitur missa die prima post Theophaniam cum statione ad S. Petrum ad Vincula & evangelio ex Marco, *Fuit Johannes in deserto baptisans*, usque, *Filius meus dilectus in quo complacui.* Deinde duæ aliæ missæ post Theophaniam, una cum evangelio ex Johanne, *Vidit Johannes* JESUM *venientem ad se*, usque, *quia hic est Filius Dei*, & alia cum evangelio ex Matthæo, *Venit Johannes Baptista*, usque, *Filius meus dilectus in quo complacui.*

[f] In Calendario Frontonis feria IV. dominicam primam post Epiphaniam subsequentem aliud habetur evangelium desumtum ex Johanne, *Vidit Johannes* JESUM *venientem ad se*, usque, *quia hic est Filius Dei.* Nullum vero habetur feria VI.

[g] In Calendario Frontonis aliud omnino diversum hac feria IV. & aliud etiam feria VI. legitur, scilicet pro feria IV. ex Marco, *Venit ad* JESUM *leprosus.* Feria VI. etiam ex Marco, *Egressus* JESUS *venit in patriam.* Sabbato vero ex Luca, *Surgens* JESUS *de Synagoga, introivit in domum Simonis.*

[h] In Calendario Frontonis hac feria IV. legitur evangelium ex Marco, *Introivit* JESUS *in synagoga, & erat ibi homo manum habens aridam.* Feria vero VI. ex Luca, *Cùm esset* JESUS *in una civitate, ecce vir plenus lepra.* Sabbato vero ex Marco, *Cœpit Jesus docere ad mare.*

[i] Calendarium Frontonis hac feria IV. profert evangelium ex Matthæo, *Loquente* JESUS *ad turbas ecce unus de principibus*, feria VI. ex Marco, *Dicebat* JESUS *discipulis & turbis videte qui audiatis*, Sabbato ex Luca, *Dicebat* JESUS *parabolam, intendens quo modo primos accubitus eligerent.*

[k] Sunt qui festum Hypapantis tempore Justiniani institutum tradunt. Verum longe antiquius esse certissimis auctoritatibus probavimus in libro de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis.

[l] Ita etiam Calendarium Frontonis. Hodiernum vero Missale Romanum legit evangelium *Si quis vult venire post me.*

(m) In Calendario Frontonis duæ hac die habentur missæ, una de S. Sebastiano, altera de S. Fabiano cum evangelio ex Matthæo, *Vigilate quia nescitis diem.*

a centii, secundum Lucam cap. XCVI. [a] *Si quis vult post me venire*, usque, *donec videant regnum Dei.*

Die v. mensis Februarii, natale S. Agathes.
b [b] require retro die XXI. mensis Jan. in natali sanctæ Agnes.

IN SEPTUAGESIMA.

AD sanctum Laurentium, secundum Matthæum cap. CC. *Dixit* JESUS *discipulis suis, Simile est regnum cælorum homini patrifamilias qui exiit primo mane cum*, usque, *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

c Feria IV. (c) secundum Lucam c. CLXXVIII. *Dicebat* JESUS *ad invitatos parabolam*, usque, *beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

Feria VI. secundum Lucam cap. CIV. *Factum est dum complerentur dies assumtionis Jesu*, usque, *& abierunt in aliud castellum.*

IN SEXAGESIMA, AD S. PAULUM.

SEcundum Lucam cap. LXXVI. *Cum turba plurima conveniret*, usque, *fructum affer .....*

Feria IV. secundum Marcum cap. XXXIX. *Numquid venit Lucerna*, usque, *discipulis suis disserebat omnia.*

Feria VI. secundum Lucam cap. CCII. *Interrogatus à Pharisæis* JESUS *quando venit regnum Dei*, usque, *illuc congregabuntur aquila.*

IN QUINQUAGESIMA, AD S. PETRUM.

SEcundum Lucam cap. CCXXII. *Assumsit* JESUS *duodecim*, usque, *plebs ut vidit dedit laudem Deo.*

Feria IV. ad S. Sabinam, secundum Matth. cap. XLV. *Cum jejunatis*, usque, *ubi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.*

d Feria v. (d) secundum Johannem cap. LXXIX.
e (e) *Dicebat* JESUS *ad eos qui crediderunt ei Judæos*, usque, *quia ex Deo non estis.*

Feria VI. in Pachimis, secundum Matth. cap. XL. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum*, usque, *qui videt in abscondito reddet tibi.*

Feria VII. secundum Marcum cap. LXVII. A *Cum sero esset factum*, usque, *quotquot tangebant eum salvi fiebant.*

IN XL. AD LATERANIS.

SEcundum Matth. cap. XV. *Ductus est* JESUS *in desertum à Spiritu*, usque, *& ecce angeli accesserunt & ministrabant ei.*

Feria secunda, ad S. Petrum ad Vincula, secundum Matth. cap. CCLXXIII. *Cum venerit filius hominis in majestate sua*, usque, *justi autem in vitam æternam.*

Feria III. ad anctam Anastasiam, secundum Matth. cap. CCX. *Cum intrasset* JESUS *Jero-*
B *solymam commota*, usque, *ibique mansit.*

Feria IV. ad S. Mariam majorem, secundum Matth. cap. CXXVII. *Accesserunt ad* JESUM *scribæ & pharisæi dicentes*, usque, *ipse meus frater & soror & mater est.*

Feria v. ad sanctum Laurentium (f) Foris- f
murum, secundum Johannem cap. XLI. *Dixit* JESUS *turbis Judæorum non possum ego a me ipso facere quicquam*, usque, *quomodo meis verbis credetis.*

Feria VI. ad Apostolos, secundum Johannem cap. XXXVIII. *Erat dies festus Judæorum*, usque, *qui fecit eum sanum.*

Sabbatto in (g) XII. Lect. ad S. Petrum, g
C secundum Matth. cap. CLXXII. *Assumsit* JESUS *Petrum & Jacobum & Johannem*, usque, *donec Filius hominis à mortuis resurgat.*

Dominica II. (h) in quadragesima, secundum h
Matth. cap. CLVII. *Egressus* JESUS *secessit in partes Tyris & Sydonis*, usque, *& sanata est filia ejus ex illa hora.*

Feria II. ad S. Clementem, secundum Johannem cap. LXXXIX. *Dixit* JESUS *turbis Judæorum ego vado & quæritis me*, usque, *quia ego quæ placita sunt ei facio semper.*

Feria III. ad (i) S. Albinam, secundum i
Matth. caput. CCXXVII. *Locutus est* JESUS *ad turbas & ad discipulos suos dice , super cathe-*
D *dram Moysi sederunt scribæ & pharisæi*, usque, *& qui se humiliaverit, exaltabitur.*

Feria IV. ad S. Cæciliam secundum Matth. cap. CCI. *Ascendens* JESUS *Hyerusolymam*, usque, *& dare animam suam redemtionem pro multis.*

Feria v. ad S. Mariam Trans-Tyberim, se-

(a) Aliud Calendarium Frontonis exhibet evangelium, scilicet ex Johanne *Nisi granum frumenti* & aliud hodiernum missale Romanum, nempe ex Luca, *Cùm audieritis prælia & seditiones.*

(b) In hodierno Missali Romano legimus evangelium ex Matthæo, *Si licet homini dimittere uxorem, &c.* Sequuntur in Calendario Frontonis aliæ sanctorum festivitates, scilicet S. Valentini, S. Gregorii, & Annunciationis B. Mariæ, quæ in nostro Calendario desiderantur, propter rationem in observationibus præviis adductam. Numerantur etiam post Theophaniam decem hebdomadæ, cùm in nostro Calendario quatuor dumtaxat numerentur.

(c) In Calendario Frontonis nulla assignantur evangelia feria quarta, sexta, & sabbato infra Septuagesimam & Sexagesimam.

(d) Nulla hac die, sed neque sabbato statio assignatur in hoc Calendario, sed in indice stationum Romanarum, quas Musei Italici tom. II. edidit Mabillonius & in Calendario Frontonis feria v. statio consignatur ad S. Georgium, cujus in ecclesia nulla omnino statio assignatur in toto hoc nostro Calendario, forte quia nullam tunc Romæ haberet S. Georgius, cum Calendarium istud compactum est. In indice vero Mabillonii sabbato habetur statio ad S. Triphonem, quo die nec stationes nec missam habet Frontonis Calendarium.

(e) Istud evangelium aliud omnino est ab eo quod habet Calendarium Frontonis & hodiernum missale Romanum.

(f) In Calendario Frontonis legitur *in Formonsum*, quam lectionem præferendam contendit eruditus vir. Habuit tamen S. Laurentius ecclesiam extra muros.

(g) Hic locus virorum eruditorum & antiquitatis studiosorum mirum in modum torsit ingenia, qui in explicanda ratione cur sabbatum istud & alia nonnulla dicantur, *Sabbatum in XII. Lectionibus*, non parum laboraverunt, omnesque irrito conatu. Sed hujus difficultatis nodum in libro I. de antiquis ecclesiæ ritibus cap. 8. articulo 4. solvimus ope antiqui ordinis Romani ad usum ecclesiæ Salisburgensis accommodati.

(h) In omnibus fere antiquis sacramentorum libris perinde ac in Calendario Frontonis hæc Dominica vacare officio dicitur, quia cum sabbato præcedenti summa vespera a jejuniis sacræ celebrarentur ecclesiasticorum ministrorum ordinationes, officium seu missa sabbati vespera incœptum ad matutinam lucem diei dominici protelabatur, ac proinde ad utramque diem pertinebat: unde etiam hodie evangelium dominicæ repetitur ex sabbato præcedenti.

(i) *l.* S. Balbinam.

cundum Johannem cap. LII. (a) *Dixit* Jesus *turbis operamini non cibum qui perit*, usque, *& qui credit me non sitiet umquam.*

Feria VI. (b) ad S. Vitalem, secundum Matth. cap. CCXIX. *Dixit* Jesus *discipulis suis & turbis Judaeorum, homo erat paterfamilias*, usque, *quoniam sicut prophetam eum habebant.*

Sabbato, ad SS. Marcellinum & Petrum, secundum Lucam cap. CXC. *Dixit discipulis suis, homo quidam habuit duos filios*, usque, *perierat & inventus est.*

Dominica III. in XL. ad S. Laurentium Foris murum, secundum Lucam cap. CXXVI. *Erat Jesus ejiciens daemonium*, usque, *verbum Dei & custodiunt illud.*

Feria II. ad S. Marcum, secundum Lucam cap. XX. *Dixerunt pharisaei ad* Jesum *quanta audivimus facta in Capharnaum*, usque, *per medium illorum ibat.*

Feria III. ad S. Pudentianam, secundum Matth. cap. CLXXXIII. *Respiciens* Jesus *discipulos suos dixit, si peccaverit in te frater tuus*, usque, *septuagies septies.*

Feria IV. ad S. Xystum, secundum Matth. cap. CLIV. *Accesserunt ad* Jesum *ab Jerosolymis scribae & pharisaei*, usque, *non coinquinat hominem.*

Feria V. ad SS. Cosmam & Damianum, secundum Johannem cap. XXXIX. (c) *Dicebat* Jesus *turbis Judaeorum, pater meus usque modo operatur & ego operor*, usque, *Judicii.*

Feria VI. ad S. Laurentium in Lucinae secundum Johannem cap. XXXII. *Reliquit* Jesus *Judaeam & abiit iterum in Galilaeam*, usque, *quia hic est vere Salvator mundi.*

Sabbato, ad S. Susannam, secundum Johan. cap. LXXXVI. *Perrexit* Jesus *in montem oliveti*, usque, *noli peccare.*

Dominica IV. in XL. ad Hierusalem secundum Johannem cap. XLVI. *Abiit* Jesus *trans mare Galilaeae*, usque, *qui venturus est in mundum.*

Feria II. ad sanctos IV. Coronatorum, secundum Johannem cap. XX. *Prope erat pascha Judaeorum*, usque, *ipse enim sciebat quid esset in homine.*

Feria III. ad S. Laurentium in Damascum, secundum Johannem cap. LXXV. *Jam die festo mediante ascendit Jesus in templum*, usque, *de turba autem multi crediderunt in eum.*

Feria IV. ad S. Paulum secundum Johannem cap. LXXXIX. *Praeteriens* Jesus *vidit hominem caecum a nativitate*, usque, *& procidens adoravit eum.*

Feria V. ad S. Sylvestrum, secundum Johan. cap. LXXXII. (d) *Cum audissent quidam de turba sermones* Jesu, *dicebant hic est vere propheta*, usque, *& reversi sunt unusquisque in domum suam.*

Feria VI. ad S. Eusebium secundum Johannem cap. XCIV. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania*, usque, *& viderant quae fecit, crediderunt in eum.*

Sabbato ad S. Laurentium Foris murum secundum Johannem cap. LXXXVI. *Dicebat* Jesus *turbis Judaeorum ego sum lux mundi*, usque, *quia necdum venerat hora ejus.*

Dominica V. in quadragesima de passione, ad S. Petrum, secundum Johannem cap. LXXXIX. *Dicebat* Jesus *turbis Judaeorum & principibus sacerdotum, quis ex vobis arguet me de peccato*, usque, *& exivit de templo.*

Feria II. ad S. Grisogonum, secundum Johannem cap. LXXIX. *Miserunt principes & pharisaei ministros ut apprehenderent* Jesum, usque, *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.*

Feria III. ad S. Cyriacum, secundum Johan. cap. LXXV. *Ambulabat* Jesus *in Galilaeam*, usque, *metum Judaeorum.*

Feria IV. ad S. Marcellum, secundum Johannem cap. XCII. *Facta sunt encania in Hierusolymis*, usque, *quia in me est Pater, ego in Patre.*

Feria V. ad S. Appollinarem, secundum Johan. cap. LXVI. (e) *Dixit* Jesus *turbis Judaeorum, Amen amen dico vobis nisi manducaveritis carnem filii hominis*, usque, *hic enim erat traditurus eum cum esset unus de XII.*

Feria VI. ad S. Stephanum secundum Johannem cap. XCIV. *Collegerunt principes & pharisaei consilium*, usque, *& ibi morabatur cum discipulis suis.*

Sabbato (f) ad S. Petrum, quando elemosyna datur, secundum Johan. cap. CXI. *Dixit* Jesus *turbis Judaeorum qui cred.* usque, *Sicut dixit mihi pater, sic loquor.*

Dominica in Palmas, ad sanctum Johan. in Lateranis, secundum Matth. cap. CCLXXIV. *Dixit* Jesus *discipulis suis, scitis quia post biduum pascha fiet*, usque, *signantes lapidem cum custodibus.*

Feria II. ad (g) S. Praxedem, secundum Johannem cap. XCVIII. *Ante sex dies paschae venit* Jesus *Bethaniam*, usque, *& abiit & abscondit se ab eis*

Feria III. ad S. Priscam secundum Johannem cap. CXII. (h) *Ante diem festum paschae sciens* Jesus, usque, *& continuo clarificabit eum.*

Feria IV. ad S. Mariam majorem, secundum Lucam cap. CCLX. *Appropinquabat dies festus*

(a) Aliud evangelium hodie legit Ecclesia Romana, nimirum ex Luca, *Homo quidam erat dives:* quod quidem habet etiam Calendarium Frontonis.

(b) Stationem eamdem consignat Index stationum à Mabillonio vulgatus. Aliam Calendarium Frontonis, scilicet *ad Apostolos inter. Vestina.* Ubi vir eruditus legendum putat *titulo Vestina* & tamen in Calendario Altivillarensi legimus etiam *inter Vestina*: existimo nihilominus legendum *in Vestina*, sicut infra *in titulo Lucinae.*

(c) In Calendario Frontonis & in hodierno missali Romano hac die legitur evangelium ex Johanne de muliere Samaritana, & sabbato sequenti de muliere adultera.

(d) Hodie & in Calendario Frontonis legitur Evangelium ex Luca, *Ibat* Jesus *in civitatem quae vocatur Naim.*

(e) Hodie legimus evangelium ex luca, *Rogabat* Jesum *Pharisaeus, ut manducaret cum illo:* quod etiam assignat Frontonis Calendarium.

(f) In Calendario Frontonis & in quibusdam etiam Sacramentorum libris haec legitur epigraphe *Sabbato datur Fermentum in consistorio Lateranensi* nullumque eo die assignatur evangelium. Cujus diversitatis rationem adducere conatur Mabillonius in Commentario ad Romanum ordinem cap. 10. pag. 64. vide etiam quae diximus in libro de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis cap. 19. pag. 187. Porro in hodierno Missali Romano hac die legitur evangelium ex Johanne, *Cogitaverunt principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent.*

(g) In Calendario Frontonis & in Indice stationum à Mabillonio vulgato statio assignatur ad SS. Nereum & Achillaeum.

(h) Hodie feria III. legimus Passionem Domini secundum Marcum, cujus loco hic & in Calendario Frontonis aliis quequam pluribus ponitur evangelium ex Johanne, *Ante Diem festum paschae sciens* Jesus. Cujus ratio praecipua est, quod olim in plerisque ecclesiis Dominica palmarum in nocturnis vigiliis pro nona lectione legebatur passio Domini secundum Marcum, nec repetenda videretur feria III.

Azymorum, usque, *in quo nondum quisquam positus fuerat.*

Feria v. quando chrysma conficitur ad Lateranos secundum Johannem cap. CXII. *Ante diem festum paschæ*, usque, *ita & vos faciatis.*

Feria VI. ad Hierusalem, secundum Johannem cap. CLVI. *Egressus est* JESUS *cum discipulis suis trans torrentem Cedron*, usque, *quia juxta erat monumentum ubi posuerunt Jesum.*

Sabbato sancto, ad Lateranis, secundum Matth. cap. CCCLII. *Vespere autem sabbati, quæ lucessit in prima sabbati*, usque, *ibi eum videbitis ecce dixi vobis.*

DOMINICA SANCTA, ad S. Mariam, secundum Marcum CCXXX. *Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome*, usque, *ibi eum videbitis sicut dixit vobis.*

a Feria II. (a) in albas, ad S. Petrum, secundum Lucam cap. CCCXL. *Exeuntes duo ex discipulis* JESU *ibant ipso die in castellum*, usque, *in fractione panis.*

Feria III. ad S. Paulum, secundum Lucam cap. CCCXLI. *Stetit* JESUS *in medio discipulorum suorum, & dixit eis, pax vobis*, usque, *& remissionem peccatorum in omnes gentes.*

Feria IV. ad S. Laurentium Foris murum, secundum Johannem cap. CCXIX. *Manifestavit se* JESUS *ad mare Tiberiadis: manifestavit autem*, usque, *cum resurrexisset à mortuis.*

Feria v. ad Apostolos, secundum Johannem cap. CCXI. *Maria stabat ad monumentum foris plorans*, usque, *quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.*

Feria VI. ad S. Mariam ad martyres, secundum Matthæum cap. CCCLV. *Undecim discipuli abierunt in Galilæam*, usque, *ad consummationem sæculi.*

Sabbato, ad S. Johannem, secundum Johannem cap. CCIX. (b) *Una sabbati Maria Magdalene*, usque, *quia oporteret eum à mortuis resurgere.*

Die dominico post albas secundum Johannem cap. CCXIII. *Cum esset sero die illo una sabbatorum*, usque, *vitam habeatis in nomine ejus.*

In pascha annotina, secundum Johannem cap. XXIIII. *Erat homo ex pharisæis*, usque, *ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Item de pascha, secundum Lucam cap. CCCXXXVI. *Una sabbati valde diluculo*, usque, *& abiit secum mirans quod factum fuerat.*

MENSE APRILI.

Die quarto decimo Natalis SS. Tiburtii & Valeriani, secundum Johannem caput CXXXIV. (c) *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem*, usque, *quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.*

Die XXVII. mensis Aprilis, natalis S. Vitalis; secundum Johannem cap. XXXII. *Ego sum vitis vera*, usque, *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

MENSE MAIO.

KAL. Maij, natal. apostolorum Philippi & Jacobi, secundum Johan. cap. CXXVII. *Non turbetur cor vestrum*, usque, *si quid petieritis in nomine, meo hoc faciam.*

Die III. mensis Maij, natal. SS. Alexandri Eventi & Theodoli, secundum Johannem cap. CXXXVIII. *Hæc mando vobis ut diligatis*, usque, *quia odio habuerunt me gratis.*

Die x. mensis Maij, natal. SS. Gordiani & Epimachi, secundum Matthæum cap. XCV. *Nolite arbitrari quia venerim mittere pacem in terram*, usque, *non perdet mercedem suam.*

Die XII. mensis Maij, natal. SS. Nerei & Achillei, secundum Matthæum cap. CLXXXIX. *Accesserunt ad* JESUM *pharisæi tentantes eum*, usque, *qui potest capere, capiat.* (d)

Die XXVI. mensis Maij, natal. S. Urbani papæ, secundum Matthæum cap. CCLXIII. (e) *Vigilate quia nescitis*, usque, *illic erit fletus & stridor dentium.*

MENSE JUNIO.

Die secundo, natal. SS. Marcellini & Petri, secundum Lucam cap. CCXLIX. *Cum audieritis prælia & seditiones, nolite*, usque, *possidebitis animas vestras.*

Die XVIII. mensis Junii, natal. (f) SS. Marci & Marcelliani secundum Lucam CXLIV. *Attendite à fermento pharisæorum*, usque, *denegabitur coram angelis Dei.*

Die XIX. mensis Junii, natal. SS. Gervasii & Prothasii secundum Marcum cap. CXXVII. (g) *Egrediente* JESU *de templo, ait illi unus de discipulis suis*, usque, *qui autem sustinuerit in finem hic salvus erit.*

Die XXIII. mensis Junii, vigilia S. Johannes Bapt. secundum Lucam cap. I. *Fuit in diebus Herodis regis Judæ*, usque, *parare Domino plebem perfectam.*

Die XXIV. mensis Junii, natal. S. Johannes Bapt. secundum Lucam cap. III. *Elisabeth impletum est tempus pariendi*, usque, *& fecit redemtionem plebis suæ.* (h)

Die XXVIII. mensis Junii, vigilia S. Petri, secundum Johannem cap. CCXXVII. *Dixit* JESUS *Symoni Petri, Symon Johannes, diligis me plus his*, usque, *qua morte clarificaturus esset Deum.*

(a) Feria II. post pascha intitulatur *in Albas* propter vestes albas quas recens sabbato Sancto baptizati deferebant per totam hebdomadam.

(b) Aliud evangelium assignat Frontonis Calendarium, scilicet *Cum sero esset die illo una sabbatorum.* Aliud etiam sequenti dominica, nempe *Thomas unus ex duodecim.* Quæ evangelia etiam habentur in hodierno missali Romano.

(c) Hodie in festo S. Tiburtii legimus evangelium *Ego sum vitis vera.* Festum S. Georgii quod legitur in Calendario Frontonis, locum non habet in nostro Calendario, forte quia necdum Romæ ecclesiam haberet S. Georgius, cùm Calendarium istud compactum est.

(d) In Calendario Frontonis altera hac die missa assignatur de S. Pancratio, tum subjicitur dedicatio S. Mariæ ad martyres, deinde festum S. Pudentianæ, quæ in nostro desiderantur.

(e) Hodie legitur evangelium ex Matthæo, *Homo peregre proficiscens.*

(f) In Calendario Frontonis die nona notatur festum SS. Primi & Feliciani; die duodecima festum S. Basilidis; die decima quarta natale S. Feliculæ; deinde die decima octava festum SS. Marci & Marcelliani cum evangelio ex Johanne *Hoc est præceptum meum.* Cujus loco missale Romanum habet evangelium, *Væ vobis qui ædificatis.*

(g) Missale Romanum hodiernum aliud exhibet evangelium, scilicet *Descendens* JESUS *de monte.*

(h) In Calendario Frontonis post nativitatem S. Johannis duæ habentur missæ, una die 26. in natali SS. Johannis & Pauli, altera die 28. de translatione corporis S. Leonis, quæ festa in nostro desiderantur Calendario.

Die XXIX. mensis Junii, natal. S. Petri secundum Matthæum cap. CLXVI. *Venit* JESUS *in partes Cæsareæ Philippi*, usque, *erit solutum in cælis*.

Die XXX. mensis Junii, natal. S. Pauli, secundum Matthæum cap. CXCV. (a) *Dixit Simon Petrus ad* JESUM, *ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*, usque, *& vitam æternam possidebit*.

MENSE JULIO.

DIe secundo, natal. SS. Processi & Martiniani secundum Matthæum cap. CCXLIII. *Sedente* JESU *super montem Oliveti*, usque, *hic salvus erit*.

In octavas apostolorum, secundum Matth. cap. CXLVIII. *Jussit* JESUS *discipulos suos ascendere in naviculam & præcedere eum trans fretum*, usque, *vere filius Dei es*.

Die X mensis Julii, natal. VII. Fratrum, secundum Matthæum cap. XXIII. (b) *Videns* JESUS *turbas ascendit in montem, & cum sedisset*, usque, *merces vestra copiosa est in cælis*.

Die XXIII. mensis Julii, natal. S. Appollinaris martyris Ravennæ, secundum Lucam cap. CCLXX. *Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major*, usque, *judicantes* XII. *tribus Israël*.

Die XXV. mensis Julii, natal. S. Jacobi apostoli, secundum Matthæum cap. XCII. (c) *Nihil opertum quod non revelabitur*, usque, *negabo & ego eum coram Patre meo qui est in cælis*.

Die XXVIII. mensis Julii, natal. SS. Felicis, Simplicii, Faustini, & Beatricis, secundum Lucam cap. CLIV. *Sint lumbi vestri præcincti*, usque, *qua hora non putatis filius hominis veniet*.

MENSE AUGUSTO.

KAL. Augustas.

(d) Natal. S. Felicitatis, secundum Matthæum cap. CXXX. *Loquente* JESU *ad turbas, ecce mater ejus & fratres stabant foris*, usque, *ipse meus frater, & soror, & mater est*.

Die II. mensis Augusti, natal. S. Stephani pontificis, secundum Lucam cap. CCXXVIII. (e) *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam*, usque, *& interficite ante me*.

Die VI. mensis Augusti, natal. (f) S. Xysti episcopi secundum Matthæum cap. LXXXVI. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, usque, *hic salvus erit*.

Die IX. mensis Augusti, vigilia S. Laurentii, secundum Matthæum cap. CLXX. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*, usque, *venientem in regno suo*.

Die X. mensis Augusti, natal. S. Laurentii, in prima missa, secundum Matthæum cap. XCVI. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me*, usque, *non perdet mercedem suam*.

Item ad missam, secundum Johannem cap. CIV. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram*, usque, *honorificabit eum pater meus qui est in cælis*.

Die XIII. mensis, natal. S. Yppoliti, secundum Johannem cap. CXLIX. (g) *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos*, usque, *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis*.

Die XV. mensis Augusti (h) Assumptio S. Mariæ secundum Lucam cap. CXXII. *Intravit* JESUS *in quoddam castellum, & mulier quadam Martha nomine excepit illum*, usque, *quæ non auferetur ab ea*.

Die XXIV. mensis Augusti, natal. S. Bartholomæi apostoli, secundum Lucam cap. CLXXXII. (i) *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem*, usque, *non potest meus esse discipulus*.

Die XXIX. mensis Augusti, Passio S. Johannis Baptistæ, secundum Marcum cap. LXIV. *Misit Herodes, ac tenuit Johannem*, usque, *& posuerunt illud in monumento*.

MENSE SEPTEMBRI. (k)

DIe XI. mensis Septembris, natal. sanctorum Proti & Jacinthi, secundum Matthæum cap. LXXIX. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, usque, *negabo & ego eum coram patre meo qui est in cælis*.

Die XIV. mensis Septembris, natal. SS. Cornelii & Cypriani, secundum Lucam cap. CXL. (l) *Dicebat* JESUS *turbis pharisæorum & principibus Judæorum, væ vobis quia ædificatis monumenta prophetarum*, usque, *requiretur ab hac generatione*.

Die XXI. mensis Septembris, natal. S. Mat-

(a) In missali Romano hodie legitur evangelium ex Matthæo *Ecce ego mitto vos sicut oves.*

(b) Aliud evangelium habet missale Romanum, nempe ex Matthæo, *Loquente* JESUS *ad turbas, Ecce mater ejus.* Hac die in Calendario Frontonis tres assignantur missæ : prima ad Aquilonem, secunda ad S. Alexandrum, tertia ad S. Felicitatem. Postea vero die 15. habet natale S. Cyriaci, & die 21. natale S. Praxedis, quæ frustra quæsieris in nostro Calendario.

(c) In hodierno missali Romano legitur evangelium ex Matthæo *accessit ad* JESUM *mater filiorum Zebedæi.* In Calendario vero Frontonis natale S. Jacobi desideratur.

(d) Hodie S. Felicitatis memoriam recolit ecclesia die 23. Novembris, quo die etiam occurrit in Calendario Frontonis cum evangelio hic assignato; sed in nostro Calendario nulla occurrunt eo tempore festa propter rationem in observationibus prævìis assignatam.

(e) Ita etiam in Calendario Frontonis, sed in hodierno missali Romano legitur evangelium, *Si quis vult venire post me.*

(f) In Calendario Frontonis Xysto adjiciuntur Felicissimus & Agapitus, deinde die 8. natale S. Cyriaci hic desideratum.

(g) In Calendario Frontonis habetur hac die evangelium, *Attendite à fermento pharisæorum.* Huic vero festo præmittuntur die 11 natale S. Tiburtii & S. Susannæ cum duabus missis. Una de S. Tiburtio, alia de S. Susanna : die vero 12. natale S. Eupli. Die autem 14. natale S. Eusebii.

(h) Duas hac die missas habet calendarium Frontonis : prima cum evangelio, *Intravit Jesus in quoddam castellum*, altera cum evangelio, *Factum est cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier.* Postea 18. augusti habet natale S. Agapiti, die 22. natale S. Timothei, die 25. S. Genesii, die 28. S. Hermetis, die 29. S. Sabinæ, die vero 30. natale SS. Felicis & Audacti, & de decollatione S. Johannis Baptistæ, nulla facta mentione S. Bartholomæi.

(i) In hodierno Missali Romano in festo S. Bartholomæi, legitur evangelium, *Exiit* JESUS *in montem orare.*

(k) In Calendario Frontonis die 8. occurrit festum nativitatis Mariæ cum evangelio. *Exurgens Maria abiit in montana*, & secunda missa de S. Adriano.

(l) Hodie festum SS. Cornelii & Cypriani die 16. recolitur, aliudque habet evangelium. In Calendario Frontonis die 14. Septembris occurrit, & eodem die Festum Exaltationis S. Crucis, die 15. festum S. Nicomedis, die 16. Natale SS. Luciæ & Euphemiæ, die XI. [ita enim legit in suo mss. Calendario Fronto, ita & nos legimus in Calendario Altivillarensi] natale S. Eustochii, die 27. SS. Cosmæ & Damiani, quæ festa in nostro Calendario non comparent. Sicut nec omnia festa quæ mense Octobri & Novembri habet.

thæi apostoli, secundum Matthæum cap. LXI. *Cum transiret* JESUS, *vidit hominem sedentem in telonio*, usque, *non enim veni vocare justos, sed peccatores.*

Die XXIX. mensis Septembris, dedicatio ecclesiæ S. Michaelis Angeli, secundum Matthæum cap. CLXXVIII. *Accesserunt discipuli ad* JESUM *dicentes, quis putas major est in regno*, usque, *salvare quod perierat.*

Die XXIX. mensis Novembris vigilia S. Andreæ apostoli secundum Johannem cap. XVI. *Stabat Johannes & ex discipulis ejus duo*, usque, *supra filium hominis.*

Die XXX. mensis Novembris, natal. S. Andreæ apostoli, secundum Matthæum cap. XX. *Ambulans* JESUS *juxta mare Galilææ vidit duos*, usque, *relictis retibus & patre secuti sunt eum.*

Dominica I. post octavas Paschæ, secundum Johannem cap. LXXXIX. *Ego sum pastor bonus*, usque, *& unus pastor.*

Dominica II. post octavas Paschæ, secundum Johannem cap. CXLIX. *Modicum & jam non videbitis*, usque, *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Dominica III. post octavas Paschæ, secundum Johannem cap. CXLVII. *Vado ad eum qui me misit*, usque, *de meo accipiet & annuntiabit vobis.*

Feria IV. secundum Matthæum cap. CXVII. *Exeuntes Pharisæi consilium faciebant adversus* JESUM, usque, *& in nomine ejus gentes sperabunt.*

Feria VI. secundum Matthæum cap. CXCII. *Oblati sunt* JESU *parvuli ut manus eis imponeret & oraret*, usque, *apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

Dominica IV. post octavas Paschæ, secundum Johannem cap. CL. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, usque, *in hoc credidimus quia à Deo existi.*

(a) Lætania majore, secundum Lucam cap. CXXIV. *Quis vestrum habebit amicum*, usque, *dabit spiritum bonum petentibus se.*

In vigilia Ascensionis Domini, secundum Johannem cap. CLIII. *Sublevatis oculis* JESUS *in cælum, dixit*, usque, *& hi in mundo sunt, & ego ad te venio.*

In Ascensione Domini, secundum Marcum cap. CCXXXIV. *Recumbentibus undecim discipulis apparuit eis* JESUS, usque, *sequentibus signis.*

Feria VI. secundum Lucam cap. CCCXIII. (b) *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad eos*, usque, *& benedicentes Dominum.*

Dominica I. post Ascensionem Domini, secundum Johannem CXLV. *Cum venerit Paracletus*, usque, *reminiscamini quia ego dixi vobis.*

Feria IV. secundum Johannem cap. CLIII. (c) *Sublevatis oculis* JESUS *in cælum dixit, Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi*, usque, *ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis.*

In sabbato Pentecostes, secundum Johannem cap. CXXVIII. *Si diligitis, me mandate mea servate*, usque, *& manifestabo ei me ipsum.*

In Dominica Pentecostes, secundum Johannem cap. CXXX. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, usque, *& sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Feria II. ad Vincula, secundum Johannem cap. XCIV. *Sic enim dilexit Deus*, usque, *quia in Deo sunt facta.*

Feria III. ad S. Anastasiam, secundum Johannem cap. LXXXVIII. *Dicebat* JESUS *turbis Judæorum, amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile*, usque, *& abundantius habeant.*

Feria IV. ad S. Mariam majorem, secundum Johannem cap. LX. *Dicebat* JESUS *turbis Judæorum nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, usque, *Caro mea est pro mundi vita.*

(d) Feria V. ad Apostolos, secundum Lucam cap. LXXXVI. *Convocatis* JESUS *duodecim apostolis*, usque, *evangelizantes, & curantes ubique.*

Feria VI. ad (e) SS. Johannem & Paulum, secundum Lucam cap. XXXIII. *Factum est in una dierum, &* JESUS *sedebat docens*, usque, *quia vidimus mirabilia hodie.*

Sabbato in XII. Lectiones, mense quarto, secundum Lucam cap. XXVI. (f) *Surgens* JESUS *de Synagoga introivit in domum Symonis*, usque, *& erat prædicans in Synagogis Galilææ.*

Dominica octavas Pentecostes legitur evangelium secundum Johannem cap. XXIV. quod est in Pascha annotina.

Feria IV. secundum Johannem cap. XXVII. *Facta est quæstio ex discipulis Johannis*, usque, *sed ira Dei manet super eum.*

Feria VI. secundum Matthæum cap. LXXIII. *Accesserunt ad* JESUM *discipuli Johannis dicentes*, usque, *& ambo conservantur.*

(g) Dominica post octavas Pentecostes, secundum Lucam cap. CXCVI. *Homo quidam erat*, usque, *neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.*

Feria IV. secundum Matthæum cap. CVIII. *Cœpit Jesus exprobrare civitatibus in quibus facta sunt plurimæ virtutes ejus*, usque, *& onus meum*

(a) Letaniæ majoris meminit S. Gregorius tamquam de ritu ante eum instituto & ab omnibus cognito. Huic nulla dies in nostro Calendario assignatur, sed in Frontonis diem habet 25. Aprilis, quem hactenus observat ecclesia Romana. Præter Letaniam majorem, triduo ante Ascensionem celebramus letanias minores cum processionibus: quas rogationes vulgo appellamus, à S. Mamerto Viennensi archiepiscopo sæculo V. institutas, de quibus nulla hoc in Calendario fit mentio.

(b) Nullum hac feria in Calendario Frontonis evangelium.

(c) In Calendario Frontonis habetur hac feria evangelium ex Johanne, *Si manseritis in me.*

(d) Nullum hac feria V. evangelium exhibet Calendarium Frontonis.

[e] In Calendario Frontonis & in Indice stationum ad Apostolos assignatur statio.

[f] Idem evangelium retinet hodie missale Romanum, cujus loco in Calendario Frontonis legitur evangelium ex Matthæo *Egrediente* JESUS *ab Jerico, secuti sunt eum.*

(g) Quinque hic habes dominicas post octavas Pentecostes, unicam invenies in Calendario Frontonis, apud quem passim in sequentibus variant evangelia. Sex in Calendario nostro extant dominicæ post octavas Apostolorum, totidem in Calendario Frontonis post festum eorumdem Apostolorum. Sequuntur in nostro Calendario septem dominicæ post festum S. Laurentii, quinque vero dumtaxat in Calendario Frontonis, in quo consequenter habentur septem dominicæ post festum S. Cypriani. In nostro vero Calendario sex dominicæ post festum S. Angeli. Quæ ratio dinumerandi dominicas à festo S. Angeli huic Calendario est peculiaris, denotatque ejus antiquitatem: nam in omnibus aliis Calendariis manuscriptis à nongentis annis & supra, dinumerantur dominicæ aut à festo S. Cypriani, aut à festo Pentecostes.

leve est. A

Feria VI. secundum Matthæum cap. CXIV. *In illo tempore abiit* JESUS *sabbato per sata*, usque, *Dominus est enim filius hominis etiam sabbati.*

Dominica II. post octavas Pentecostes, secundum Lucam cap. CLXXXI. *Dixit* JESUS *discipulis suis similitudinem hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam*, usque, *nemo virorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

Feria IV. secundum Lucam cap. CXLVIII. *Ait quidam de turba ad* JESUM, *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem*, usque, *& non est in Deum dives.*

Feria VI. secundum Lucam cap. CL. *Nolite solliciti esse animæ, quid manducetis*, usque, *ibi & cor vestrum erit.* B

Dominica III. post octavas Pentecostes, secundum Lucam cap. CLXXXVI. *Erant appropinquantes ad* JESUM *publicani & peccatores*, usque, *gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

LECTIONES MENSIS QUARTI.

Feria IV. secundum Lucam cap. XCIII. *Accedentes discipuli ad* JESUM, *dixerunt illi, dimitte turbas*, usque, *fragmentorum duodecim cophinos.* C

Feria VI. secundum Lucam cap. LXXXV. *Venit ad* JESUM *vir cui nomen Jairus, & ipse princeps synagogæ erat*, usque, *nec alicui dicerent quod factum fuerat.*

Sabbato in XII. Lectiones, secundum Matthæum cap. CCV. *Egrediente* JESU *ab Hierico, sequutæ sunt eum turbæ multæ*, usque, *& confestim viderunt & secuti sunt eum.*

Dominica IV. post octavas Pentecostes secundum Lucam cap. LV. *Estote misericordes*, usque, *festucam de oculo fratris tui.*

Feria IV. secundum Marcum cap. CXXXI. *Accessit ad* JESUM *unus de scribis*, usque, *non es longe à regno Dei.* D

Feria VI. secundum Matthæum cap. CXXXVI. *Simile factum est regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo*, usque, *triticum autem congregate in horreum meum.*

Dominica V. post octavas Pentecostes, secundum Lucam cap. XXIX. *Cum turbæ irruerent in* JESUM *ut audirent verbum Dei*, usque, *relictis omnibus, secuti sunt illum.*

Dominica I. post octavas Apostolorum, secundum Marcum cap. LXXVI. *Cum multa turba esset cum* JESU, usque, *& dimisit eos.*

Feria IV. secundum Lucam cap. CLX. *Ignem veni mittere in terram*, usque, *etiam novissimum minutum reddas.* E

Feria VI. secundum Lucam cap. CLXIII. *Aderant quidam nuntiantes* JESU *de Galilæis*, usque, *omnes similiter peribitis.*

Dominica II. post octavas Apostolorum, secundum Marcum cap. LXXXVI. *Cum multa turba esset cum* JESU, usque, *& dimisit eos.*

Feria IV. secundum Matthæum cap. CLXI. *Accesserunt ad* JESUM *pharisæi & sadducæi*, usque, *à doctrina pharisæorum & sadducæorum.*

Feria VI. secundum Lucam cap. XCIX. *Descendente* JESU *de monte cum discipulis suis*, usque, *in magnitudine Dei.*

Dominica III. post octavas Apostolorum, secundum Matthæum cap. LVI. *Attendite à falsis prophetis*, usque, *ipse intrabit in regno cælorum.*

Feria IV. secundum Lucam cap. CXIX. *Ibat* JESUS *per civitates & castella docens*, usque, *& sunt primi qui erant novissimi.*

Feria VI. secundum Lucam cap. CLXXIV. *Accesserunt quidam pharisæorum ad* JESUM *dicentes illi, exi & vade hinc*, usque, *benedictus qui venit in nomine Domini.*

Dominica IV. post octavas Apostolorum, secundum Lucam cap. CXC. *Homo quidam erat dives qui habebat villicum*, usque, *recipiant vos in æterna tabernacula.*

Feria IV. secundum Lucam cap. CXCI. *Nemo servus potest duobus dominis servire*, usque, *& qui dimissam à viro ducit, mœchatur.*

Feria VI. secundum Lucam cap. CXCVII. *Impossibile est ut non veniant scandala*, usque, *quod debuimus facere fecimus.*

Dominica V. post octavas Apostolorum, secundum Lucam cap. CCXXXVI. *Cum appropinquaret* JESUS *Hierusalem videns civitatem flevit super illa*, usque, *& erat docens quotidie in templo.*

Feria IV. secundum Lucam cap. CCXIV. *Dixit* JESUS *discipulis suis parabolam hanc, quoniam oportet semper orare*, usque, *putas inveniet fidem in terra?*

Feria VI. secundum Lucam cap. CCXXV. *Ingressus* JESUS *perambulabat Jericho:* usque, *& salvum facere quod perierat.*

Dominica VI. post octavas Apostolorum, secundum Lucam cap. CCXIV. *Dixit* JESUS *ad quosdam qui in se confidebant tamquam justi*, usque, *& qui se humiliat, exaltabitur.*

Feria IV. secundum Lucam cap. CCXLIII. *Accesserunt ad* JESUM *quidam Sadducæorum*, usque, *& amplius non audebant eum quicquam interrogare.*

Dominica II. post Laurentii, secundum Marcum cap. LXXIV. *Exiens* JESUS *de finibus Tyri venit per Sydonem*, usque, *bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui.*

Dominica II. post S. Laurentii, secundum Lucam cap. CXX. *Beati oculi qui vident quæ videtis*, usque, *vade & tu fac similiter.*

Dominica III. post S. Laurentii secundum Lucam cap. CCI. *Dum iret* JESUS *in Jerusalem transiebat per mediam Samariam*, usque, *vade quia fides tua te salvum fecit.*

Dominica IV. post S. Laurentii, secundum Matthæum cap. XLVIII. *Nemo potest duobus dominis servire*, usque, *& hæc omnia adjicientur vobis.*

Dominica V. post S. Laurentii, secundum Lucam cap. LXVII. *Ibat* JESUS *in civitatem quæ vocatur Naim*, usque, *Deus visitavit plebem suam.*

Dominica VI. post S. Laurentii, secundum Lucam cap. CLXXXVI. *Cum intrasset* JESUS *in domum cujusdam principis pharisæorum sabbato*, usque, *exaltabitur.*

LECTIONES

LECTIONES MENSIS SEPTIMI.

FEria IV. secundum Marcum, cap. XCI. *Respondens unus de turbis dixit ad* JESUM, *Magister attuli filium meum ad te*, usque, *nisi in oratione & jejunio.*

Feria VI. secundum Lucam cap. LXXIV. *Rogabat* JESUM *quidam de pharisæis ut manducaret cum illo*, usque, *vade in pace.*

Sabbato in XII. Lectiones, secundum Lucam cap. CLXIV. *Dicebat* JESUS *turbis similitudinem hanc: arborem fici habebat quidam plantatam in vineam*, usque, *in universis quæ gloriose fiebant ab eo.*

Dominica VII. post S. Laurentii, secundum Matthæum cap. CCXXIV. *Convenerunt Pharisæi in unum, & interrogavit* JESUM *unus ex eis legis doctor*, usque, *& qui se humiliaverit, exaltabitur.*

B Dominica I. post S. Angeli, secundum Matthæum cap. LXX. *Ascendens* JESUS *in naviculam*, usque, *qui dedit potestatem talem hominibus.*

Dominica II. post S. Angeli, secundum Matthæum cap. CCXXI. *Loquebatur* JESUS *in parabolis dicens, Simile factum est regnum cælorum homini regi*, usque, *pauci vero electi.*

Dominica III. post S. Angeli, secundum Johannem cap. XXXVII. *Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum*, usque, *& credidit ipse & domus ejus tota.*

C Dominica IV. post S. Angeli, secundum Matthæum cap. CLXXVIII. *Simile est regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis*, usque, *unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Dominica V. post S. Angeli, secundum Matthæum cap. CCXXIII. *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent* JESUM *in sermone*, usque, *& quæ sunt Dei Deo.*

Dominica VI. post S. Angeli, secundum Matthæum cap. LXXIV. *Loquente* JESU *ad turbas, ecce princeps unus accessit*, usque, *in universam terram illam.*

D (a) Dominica V. ante natale Domini, secundum Johannem cap. XLIX. *Cum sublevasset oculos* JESUS *& vidisset quia multitudo maxima venit ad eum*, usque, *qui venturus est in mundum.*

Dominica IV. ante natale Domini, secundum Matthæum cap. CCVI. *Cum appropinquasset* JESUS *Jerosolymis & venisset Bethphage*, usque, *benedictus qui venit in nomine Domini.*

Dominica III. ante natale Domini, secundum Lucam cap. CCLVII. *Erunt signa in sole luna & stellis*, usque, *verba autem mea non transibunt.*

E Dominica II. ante natale Domini, secundum Matthæum cap. CII. *Cum audisset Johannes in vinculis opera Christi*, usque, *qui præparabit viam tuam ante te.*

Dominica I. ante natale Domini, secundum Johannem cap. IX. *Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes & Levitas ad Johannem*, usque, *ubi* A *erat Joannes baptizans.*

LECTIONES MENSIS DECIMI.

FEria IV. ad S. Mariam, secundum Lucam cap. III. *Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ*, usque, *fiat mihi secundum verbum tuum.*

Feria VI. ad Apostolos, secundum Lucam cap. III. *Exurgens* MARIA *abiit in montana cum festinatione*, usque, *in Deo salutari meo.*

Sabbato ad S. Petrum in XII. Lectiones, secundum Lucam cap. VI. *Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris*, usque, *& videbit omnis caro salutare Dei.*

IN NATALI OMNIUM Apostolorum.

SEcundum Johannem cap. CXXXII. *Ego sum vitis vera*, usque, *& gaudium vestrum impleatur.*

Item cap. CXXXV. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem*, usque, *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.*

Item cap. XXXVIII. *Hæc mando vobis ut diligatis invicem*, usque, *quia odio habuerunt me gratis.*

IN NATALI OMNIUM SANCTORUM Martyrum.

SEcundum Matthæum cap. XCV. *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram*, usque, *non perdet mercedem suam.*

Item cap. XCII. *Nihil opertum quod non revelabitur*, usque, *negabo & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.*

Item cap. CXXXII. secundum Lucam. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum*, usque, *non potest esse meus discipulus.*

Item secundum Matthæum cap. XXIV. *Videns* JESUS *turbas*, usque, *merces vestra copiosa est in cælis.*

Item cap. LXXXVI. *Ecce ego mitto vos sicut oves*, usque, *hic salvus erit.*

Item secundum Lucam cap. CCXLVIII. *Cum audieritis prælia & seditiones*, usque, *possidebitis animas vestras.*

IN NATALI VIRGINUM

SEcundum Matthæum cap. CXXX. *Loquente* JESU *ad turbas, ecce Mater ejus & fratres ejus stabant foris*, usque, *ipse meus frater & soror & mater est.*

Item cap. CXL. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro*, usque, *nova & vetera.*

Item cap. CLXXXIX. *Accesserunt ad* JESUM *Pharisæi tentantes eum*, usque, *talium est enim regnum cælorum.*

(a) Quatuor dumtaxat dominicas ante Natale Domini numerare solemus, nec plures habet S. Gregorii liber sacramentorum. At quinque reperiuntur in Gelasii Sacramentario, in libro Comitis quem vulgo S. Hieronymo tribuunt, in Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, & in pluribus mss. sacramentorum libris ab annis 900. & supra. In missali Mozarabum & in Ambrosiano sex sunt dominicæ ante Natali Domini.

Item cap. CCLXIX. *Simile est regnum cælorum decem virginibus*, usque, *quia nescitis diem neque horam.*

IN NATALE CONFESSORUM.

SEcundum Matthæum cap. CCLXIII. *Vigilate quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*, usque, *illic fletus & stridor dentium.*

Item cap. CCLXIX. *Homo quidam peregre proficiscens*, usque, *illic erit erit fletus & stridor dentium.*

Item secundum Lucam cap. CXXXIII. *Nemo lucernam accendit & in abscondito ponit*, usque, *illuminabit te.*

Item cap. CLIV. *Sint lumbi vestri præcincti*, usque, *supra omnia quæ possidet, constituet illum.*

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

SEcundum Lucam cap. LX. *Non est arbor bona quæ facit fructus malos*, usque, *& facta est ruina domus illius magna.*

Item cap. CCXXV. *Ingressus* JESUS *perambulabat Jericho*, usque, *& salvum facere quod perierat.*

IN ORDINATIONE DIACONORUM.

SEcundum Johannem cap. CIII. *Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram*, usque, *honorificabit eum Pater meus qui est in cælis.*

IN ORDINATIONE EPISCOPI sive presbyteri.

SEcundum Marcum cap. CVII. *Convocavit* JESUS *duodecim*, usque, *& ungebant oleo multos ægrotos & sanabant.*

Item secundum Lucam cap. CVII. *Designavit Dominus & alios septuaginta duos*, usque, *quam illi civitati.*

PRO SERENITATE VEL PLUVIA postulanda.

SEcundum Lucam cap. LXXXIII. *Factum est una dierum*, usque, *quia & ventis imperat & mari, obediunt ei.*

IN COMMOTIONE GENTIUM.

SEcundum Matthæum cap. CCXLIII. *Accesserunt ad* JESUM *discipuli secreto*, usque, *hic salvus erit.*

PRO VELATIONE ANCILLARUM DEI.

SEcundum Matthæum cap. CCXXI. *Loquebatur* JESUS *in parabolis dicens simile est regnum cælorum homini regi*, usque, *pauci vero electi.*

A

AD VELANDAS MARITATAS.

SEcundum Matthæum cap. CLXXXIX. *Venit* JESUS *in fines Judææ*, usque, *Deus conjunxit, homo non separet.*

IN MISSA VOTIVA

SEcundum Marcum cap. CXXIV. *Dixit* JESUS *discipulis suis, habete fidem Dei*, usque, *nec Pater vester, qui in cælis est dimittet vobis peccata vestra.*

B

Item secundum Matthæum cap. LIII. *Petite & dabitur vobis*, usque, *& pauci sunt qui inveniunt eam.*

Item secundum Lucam cap. LII. *Diligite inimicos vestros*, usque, *sicut Pater vester misericors est.*

Item cap. LXXIV. *Rogavit* JESUM *quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo*, usque, *vade in pace.*

Item cap. CCLIX. *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra*, usque, *& stare ante filium hominis.*

Item cap. CCXIV. *Dixit* JESUS *discipulis parabolam hanc quoniam oportet semper orare & non deficere*, usque, *putas inveniet fidem in terra.*

C

Item secundum Marcum cap. CXXXVI. *Sedens* JESUS *contra gazophilacium*, usque, *misit totum victum suum.*

PRO INFIRMIS.

SEcundum Lucam cap. XXVI. *Surgens* JESUS *de synagoga*, usque, *curabat eos.*

Item cap. LXV. *Intravit* JESUS *Capharnaum*, usque, *invenerunt servum qui languerat sanum.*

Item secundum Marcum cap. LIII. *Convocavit* JESUS *duodecim & cœpit eos mittere binos*, usque, *& ungebant oleo multos ægrotos, & sanabant.*

D

Item secundum Matthæum cap. LXVII. *Cum venisset* JESUS *in domum Petri*, usque, *& ægrotationes portavit.*

IN AGENDA MORTUORUM.


SEcundum Johannem cap. XCIV. *Dixit Martha ad* JESUM, *Domine, si fuisses hic*, usque, *qui in hunc mundum venisti.*

Item cap. XXXIX. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat*, usque, *sed transiit à morte in vitam.*

E

Item cap. LVI. *Omne quod dat mihi Pater, ad me*, usque, *& resuscitabo ego eum in novissimo die.*

Item cap. LXV. *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*, usque, *in novissimo die.*



EXPOSITIO BREVIS

ANTIQUÆ LITURGIÆ GALLICANÆ

Ex mſ. codice S. Martini Auguſtodunenſis.

ADMONITIO PRÆVIA

In ſequentem expoſitionem antiquæ miſſæ Gallicanæ.



OST abrogatam apud patres noſtros antiquam eccleſiæ Gallicanæ Liturgiam, quæ ei ſuffecta eſt miſſa Romana, brevi tempore adeo prævaluit, ut paucis poſt annis omnis illius memoria apud univerſos pene obliterata videretur, vixque ipſius nomen apud aliquos audiri contingeret. Quapropter qui noſtra ætate de rebus liturgicis tractaverunt ſcriptores acurati, hanc in ſe provinciam in primis ſuſceperunt, ut eam jacentem ac pene ſepultam in tenebris, ex pulvere ſuſcitarent. Primus nec ſine digna laude id tentavit piæ memoriæ Cardinalis Bona in libro 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 12. *ubi antiqui ritus Gallicani veſtigia ex veteribus ſcriptoribus ob oculos ponit. Sed hæc pro rei dignitate & magnitudine levia ſunt. Multo felicius rem exſequutus eſt vir multæ eruditionis Joſephus Thomaſius, qui Romæ tres veteres codices Liturgiæ Gallicanæ ex bibliotheca Reginæ Sueciæ typis mandavit, rurſum Pariſiis recuſos à Mabillonio cum veteri Lectionario Gallicano ab eo in Luxovienſi monaſterio reperto, & eruditis obſervationibus illuſtrato: qui & ipſe quartum Liturgiæ Gallicanæ codicem ex bibliotheca Bobienſi publici juris fecit in Muſei Italici tomo primo. Verum his omnibus in libris, id unum duntaxat, quod tamen præcipuum eſt, habemus, ut eas ſciamus preces, quas ad altare celebrans ſacerdos recitaret, cum lectionibus quas ſacri miniſtri populo pronunciabant. At quid interim chorus decantaret, quove ordine nos hactenus latebat. Id quidem auctoritate veterum demonſtrare quidam tentaverunt; verum omnino ferè incaſſum. Nam præterquam quod in multis defecerunt; in aliquibus etiam erraverunt.*

Illud autem emolumenti ex ſequenti expoſitione Antiquæ Gallicanæ Liturgiæ accidit, ut integrum illius ordinem, quidve in choro cantaretur penitus reſciamus.

Nam primo Liturgia incipiebat ab Antiphona, quam cum verſu pſalmi & gloria Trinitatis chorus præcinebat.

2. *Antiphonam ſequebatur præfatio, ſeu admonitio ad populum, quam ſacerdos prælegebat ad hortandam plebem, ut ad quam convenerat ſolemnitatem debita cum veneratione celebraret. Non me latet quoſdam inter antiphonam & præfationem conſtituere hymnum angelicum à choro decantandum. Verum id abſque ullo auctoritatis fundamento. Nam duo ex Gregorio Turonenſi loca, quæ ad id probandum proferunt, nihil prorſus evincunt, ſed hymnum illum in quibuſdam aliis ſupplicationibus publicis decantatum fuiſſe demonſtrant. Immo in Liturgia Gallicana, quam ex codice Bobienſi vulgavit Mabillonius, hymnus* Gloria in excelſis Deo *pro gratiarum actionibus poſt miſſam privatim recitandus conſtituitur. Itaque antiphonam ſequebatur præfatio ſeu prælectio, unde in noſtra ſequenti Expoſitione dicitur* Antiphona ad prælegendo, *id eſt ante præfationem quam per modum exhortationis prælegebat ſacerdos.*

3. *Post præfationem diaconus alta voce silentium indicebat, cujus ritus meminit Gregorius Turonensis lib. 7. hist. Franc. cap. 8. his verbis :* Unde factum est, ut quadam die dominica postquam diaconus SILENTIUM populis, ut missæ auscultarentur, indixit, *&c. Quo loco* missæ *pro* orationes *sumi non dubito.*

4. *Indicto silentio, sacerdos populum salutabat, ac populi responsioni collectam subjiciebat à cunctis flexis genibus devote audiendam, ut probant S. Cæsarii quidam sermones.*

5. *Post collectam chorus cantabat trisagium, & quidem græce & latinè, quod sequebatur canticum Zachariæ* Benedictus Dominus Deus Israël. *Hoc tamen canticum in quadragesima cum aliis lætitiæ hymnis supprimebatur.*

6. *Sequebatur lectio ex Prophetis & ex Apostolo. Nam præter Evangelii lectionem, duas, unam ex veteri, alteram ex novo testamento, lectiones cantabant, quem ritum videre est apud Gregorium Turonensem lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 5. ubi hæc habet :* Factum est ut illa dominica, prophetica lectione jam lecta, ante altarium staret, qui lectionem B. Pauli proferret. *In sanctorum festivitatibus sive martyrum sive confessorum acta eorum etiam publicè legebantur, ut auditis eorum virtutibus populi ad similia perpetranda accenderentur. Ita Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria martyrum cap. 86. lectam fuisse S. Polycarpi passionem narrat.*

7. *Lectionibus pronunciatis, chorus hymnum trium puerorum decantabat, & quidem, ut reor, per modum responsorii, quem sane hymnum a Gregorio Turonensi Historiæ Francorum lib. 8. cap. 3.* psalmum responsorium *dici conjicio. Nam quælibet ex scripturis cantica psalmorum nomine donare consueverant veteres. Porro ad hunc ritum spectare existimo canonem 13. concilii Toletani* IV. ut per omnes Hispaniæ ecclesias vel Galliæ in omnium missarum solemnitate decantetur hymnus trium puerorum in pulpito.

8. *Dum diaconus ad analogium evangelium cantaturus procederet, chorus interim trisagium præcinebat, quod cantato evangelio iterum repetebat.*

9. *Post evangelium, Episcopus verbum è suggestu habebat ad populum; aut si per infirmam valetudinem id sibi non liceret, vel fortè tardioris esset linguæ, homilias proprias aut ab aliis compositas, maxime Sanctorum patrum, pronunciari à sacerdotibus aut diaconis jubebat.*

10. *Deinde diaconus super audientes & catechumenos preces constitutas effundebat, de quibus ritibus satis egimus in libro 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus.*

11. *Ejectis catechumenis, diaconus silentium indicebat; tum corpus domini in turri conservatum ex præcedenti sacrificio deferebat ad altare, ut constat tum ex hac nostra Expositione, tum ex Gregorii Turonensis libro de Gloria martyrum cap 85. Romani non in turri, sed in capsa illud deferebant, idque in nonnullis etiam Gallicanis ecclesiis observabatur. Porro ex hoc ritu lucem aliquam afferre possumus canoni 17. concilii Arausicani 1. ad quem omnes fere eruditi hactenus cæcutiunt.* Cum capsa & calix offerendus est & admixtione Eucharistiæ consecrandus, *ut scilicet capsa dominicum corpus continens afferatur ad altare, cum facienda est in missa oblatio calicis cum admixtione seu præsentia Eucharistiæ consecrandi.*

12. *Allata ad altare Eucharistia, fiebat panis & vini consecrandi oblatio, atque interim chorus canebat* Sonum, *id est antiphonam quæ nostro offertorio respondebat, aut quid simile. Fortè* Sonus *aliud nihil erat quam quod Expositio nostra mox* laudes *appellat.* Laus *autem in missali Mozarabum constat ex Alleluia & uno versiculo, sed in Gallicana Liturgia ter repetitum fuisse Alleluia ad significanda tria tempora, ante legem, sub lege, & sub gratia, docet nostra Expositio, idque forsan cum triplici versiculo.*

13. *Facta oblatione, sacra recitabantur diptycha, hoc est nomina episcoporum & aliorum scripta in tabella altari superposita, Hujusmodi tabellam eburneam vidi in ecclesia Bituricensi, in qua archiepiscoporum nomina continentur, sed hodie nullus illius usus superest apud Biturigas.*

14. *Recitatis diptychis, sacerdos* Collectionem post nomina *dicebat, postea pacis osculum fideles sibi invicem impertiebant; tum sacerdos recitabat* collectionem ad pa-

cem, *quam sequebantur contestatio, (ita præfationem illi appellabant) & canon qui brevissimus erat.*

15. *Post consecrationem sacerdos recitabat orationem* post Secreta, *quæ verba demonstrant consecrationis verba secreto ac sub silentio à sacerdote fuisse prolata. Postea fiebat confractio & commixtio corporis Christi. Atque interim chorus antiphonam concinebat, eaque finita, sacerdos collectam ante orationem dominicam recitabat, orationem dominicam sequebatur altera collecta à sacerdote pronuntiata.*

16. *Ante communionem, benedictio populo impertiebatur, & quidem tribus orationibus ab episcopo, unicâ eâque brevi à simplici sacerdote, hoc modo* Pax, fides, & caritas, & communicatio corporis & sanguinis Domini sit semper vobiscum.

17. *Dum fiebat communio, aut ea peracta, chorus psallebat Trecanum. Quid autem esset Trecanum non satis capio. Triplicem cantum vocis etymologia significare videtur. In regula autem S. Aureliani præscribitur, ut* psallendo omnes communicent. *Erit forte qui Trecanum interpretetur symbolum apostolorum sanctæ Trinitatis fidem explicans, quod in missali quidem Mozarabum post consecrationem ante communionem dicendum præscribitur: in Gallicana vero Liturgia post communionem recitaretur.*

18. *Tandem sacerdos dicebat orationem* post Eucharistiam, *quam sequebatur alia collecta.*

Hæ sunt fere omnes antiquæ Gallicanæ Liturgiæ partes, quas hic breviter ob oculos ponere & illustrare libuit, ad promtiorem sequentis operis intelligentiam; in cujus parte seu epistola secunda multa alia notatu dignissima occurrunt, ea maxime quæ de Quadragesima, & de traditione symboli competentibus narrat, in quibus ritus hactenus ignoti expenduntur.

Verum ad antiquorum rituum cognitionem, quam ex sequenti opere accipimus, illud accedit, & quidem longè majoris momenti, quod duo præcipua Ecclesiæ Catholicæ dogmata de Eucharistia in ea clarè omnino asseruntur. Transsubstantiationem dico, & realem Christi sub speciebus panis & vini præsentiam: quæ duo præsertim impugnant hodie heterodoxi. Primum clarè enuntiatur his verbis: Panis vero in Corpore & vinum TRANSFORMATUR in Sanguine dicente Domino de corpore suo Caro mea VERE est cibus, & Sanguis meus VERE est potus. *Alterum cum ait:* Antiquitus Sanctis patribus fuit, ut dum sacerdos oblationem frangeret, videbatur quasi angelus Dei membra fulgentis pueri cultro concidere, & sanguinem ejus in calicem excipiendo colligere, ut VERACIUS diceret verbum dicente Domino, carnem ejus esse cibum & sanguinem esse potum.

Reliquum est ut de auctore hujus operis & de tempore quo scriptum sit breviter inquiramus. De auctore, cum nomen ejus non præferat vetus codex S. Martini Augustodunensis, ex quo illud descripsimus, nihil certo definire possumus; conjecturas tantum damus. Initio hæc leguntur Germanus episcopus Parisius scripsit de missa. *Igitur aut Germani fœtum hic esse existimamus, aut prolixioris ejus operis epitomen, ab aliquo ejus discipulo conscriptam, & forte in Æduensi S. Symphoriani cœnobio, ubi ille vitam monasticam profitebatur, priusquam ad infulas ecclesiæ Parisiensis eveheretur.*

De Tempore quo scripta fuerit sequens missæ Gallicanæ Expositio, duo mihi certo constare videntur, primum post assumtum ad sedem Parisiensem Germanum; alterum ante abrogatam in Gallicanis ecclesiis antiquam patrum nostrorum liturgiam, quæ statim post inductam ejus loco missam Romanam non comparuit, scriptam fuisse: id autem factum à Carolo magno, hortante Adriano papa, vulgo docent qui de his rebus accuratius scripserunt: hoc est sub finem sæculi VIII. Verum ut ad Germani episcopi tempora hanc scriptionem referam, illud facit, quod post lectas sanctorum patrum homilias, declarat preces à diacono super catechumenos factas ante eorum & infidelium de ecclesia ejectionem, qui ritus vix Germani tempora attigit. Quapropter saltem medio sæculo sexto opus sequens scriptum fuisse existimamus, cujus vel inconditus scribendi modus & barbaræ voces antiquitatem demonstrant; unde & religio nobis fuit quidquam in eis corrigere.

QUOMODO SOLEMNIS ORDO ECCLESIÆ AGITUR.

QUIBUS VEL INSTRUCTIONIBUS CANON ECCLESIASTICUS DECORATUR.

GERMANUS episcopus Parisius scripsit de missa. Prima igitur ac summa omnium carismatum missa canetur, in commemoratione mortis Domini, quia mors Christi facta est vita mundi, ut offerendo proficerit in salute viventium & requiem defunctorum.

DE PRÆLEGERE.

ANtiphona ad prælegendo canetur, in specie patriarcharum illorum qui ante diluvium, adventum Christi mysticis vocibus tonuerunt, sicut Enoc septimus ab Adam, qui translatus est à Deo, prophetavit dicens: *Ecce venit Dominus in sanctis mirabilibus suis facere judicium* & reliqua. Quod testimonium Judas apostolus frater Jacobo, in epistola sua commemorat. Sicut enim prophetantibus venit manus Domini super arcam, ut in damnatis daret reliquias terræ; ita psallentibus clericis procedit sacerdos in specie Christi de sacrario tamquam de cælo in arca Domini, quæ est ecclesia, ut tam (a) monendum quam exhortandum nutriat in plebe bona opera, & extinguat mala.

Jud. 14.

DE SILENTIO.

SIlentium autem diaconus pro duobus rebus adnunciat, scilicet ut tacens populus melius audiat verbum Dei, & sileat cor nostrum ab omni cogitatione sordida, quo melius recipiatur verbum Dei.

Sacerdos ideo datur populo, ut dum ille benedicit plebe dicens, *Dominus sit semper vobiscum*, ab omnibus benedicatur dicentibus *Et cum spiritu tuo*: ut tantò magis ille dignus sit populo benedicere, quantùm, favente Deo, de ore totius populi recipit benedictionem.

DE (b) AIUS.

AIus vero ante prophetia pro hoc cantatur in græca lingua, quia prædicatio novi testamenti in mundo per græca lingua processit, excepto Mathæo apostolo, qui primus in Judæa evangelium Christi hebræis litteris edidit. Servate ergo honorem linguæ, quæ prima evangelium Christi vel suo senio recipit, vel suis litteris docuit primum canticum. Incipiente præsule Ecclesiæ (c) Aius psallet dicens latino cum græco, ut ostendat junctum testamentum vetus & novum. Dictum *Amen* ex hebræo instar tituli quod in trinitate linguarum instigante Deo Pilatus posuit super crucem confitens quamvis ignarus *Jesus Nazarenus*, id est Sanctum & Regem. Tres autem parvoli qui ore uno sequentes *Khyrie eleison* hebræa scilicet græca & latina, vel trium temporum sæculi, ante legem scilicet sub lege & sub gratia.

DE PROPHETIA.

(d) CAnticum autem Zachariæ pontificis in honorem S. Johannis Baptistæ cantatur, pro eo quod primordium salutis in baptismi sacramenta consistit, quod in ministerium Johannis Deo donante suscipit & deficiente umbra veteris, & oriente nova evangelii claritate Johannes medius est prophetarum novissimus & evangelistarum primus ante faciem veræ Lucis radians lucerna fulsit: ideo prophetia quam pater ejus ipso nascente cecinit, alternis vocibus ecclesia psallet.

DE PROPHETA ET APOSTOLO.

LEctio vero prophetica suum tenet ordinem, veteris videlicet testamenti corripiens mala & adnuncians futura, ut intelligamus ipsum Deum esse, qui in prophetia tonuit, quam qui & in apostolo docuit, & in evangelico splendore refulsit.

DE APOSTOLO.

QUod enim propheta clamat futurum, apostolus docet factum. Actus autem apostolorum vel Apocalypsis Johannis pro novitate gaudii Paschalis leguntur, servantes ordinem temporum sicut historia testamenti veteris in Quinquagesimo, vel (e) gesta sanctorum confessorum ac martyrum in solemnitatibus eorum, ut populus intellegit quantum Christus amaverit famulum, dans ei virtutis indicium, quem devota plebicula suum postolat patronum.

DE HYMNUM.

HYmnum autem trium puerorum; quod post lectionis canetur in figura sanctorum

(a) Id est monendo & exhortando.

(b) Aius pro Agios hic poni nemo non videt, intelligiturque de trisagio seu brevi oratione quam chorus post benedictionem ante prophetiam decantabat, qualem forte legimus in missa Mozarabum in hunc modum, *Agios, Agios, Agios, Domine Deus rex æterne, tibi laudes & gratias*. Aut similem illi quam in Parasceve concinit Ecclesia *Agios o Theos, Agios Ischyros, Agios Athanatos eleyson imas*.

(c) Ita sacro Parasceves die Ecclesia græce & latine decantat *Agios o Theos, Agios Ischyros, Agios Athanatos eleyson imas. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis.*

(d) Canticum illud ipsum est quod refertur Lucæ capite 1. quodque Ecclesia quotidie in matutinis laudibus frequentare solet, scilicet *Benedictus Dominus Deus Israël, &c.*

(e) Acta sanctorum martyrum & confessorum in liturgia Gallicana olim recitata fuisse demonstravimus in lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 4. art. 4. quem ritum Ecclesia Romana non recipiebat.

veterum, qui sedentes in tenebris adventum A Domini expectabant. Sicut enim illis silentibus quartus angelus adfuit in nubem roris, inferens ignis incendia vicit: ita & istis Christo præstolantibus ipse Dei Filius magni consilii Angelus adfuit, qui tartaria frangens imperia, gaudium resurrectionis illos liberans intulit, quod Evangelista docet. Secundum hoc etiam ecclesia servat ordinem, ut inter benedictionem & evangelium lectio intercedat nisi tantum modo responsorium, quod à parvolis canetur, instar innocentum qui pressi in evanglium consortis Christi nativitatem leguntur, vel eorum parvolorum qui properante ad passionem Domini, clamabant in templum *Osanna Fili David*, psalmista canente *ex* Ps. 8. 3. *ore infantium & lactentium perfecisti laudem*.

DE AIUS ANTE EVANGELIUM.

TUnc in adventu sancti Evangelii claro modulamine denuo psallet clerus *Aius* in specie angelorum ante faciem Christi ad portas inferi clamantium *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Dominus virtutum rex gloriæ.* Ps. 23. 7.

DE EVANGELIO.

EGreditur processio sancti Evangelii velud potentia Christi triumphantis de morte, cum prædictis armoniis, & cum septem candelabris luminis quæ sunt septem dona Spiritus-sancti, vel v. legis lumina mysterio crucis confixa, ascendens in tribunal (a) analogii, velud Christus sedem regni paternæ, ut inde intonit dona vitæ, clamantibus clericis *Gloria tibi Domine*, in specie angelorum qui nascente Domino *Gloria in excelsis Deo* pastoribus apparentibus cecinerunt. Luc 2. 4.

DE SANCTUS POST EVANGELIUM.

SAnctus autem quod redeunte sancto evangelio clerus cantat, in specie sanctorum, qui redeunte Domino JESU CHRISTO de inferis canticum laudis Dominum sequentis cantaverunt, vel septuaginta quatuor seniorum quos in Apocalypsin Johannes commemorat, qui mittentes coronas suas ante Agnum dulce canticum cantaverunt.

DE OMELIAS.

HOmelias autem sanctorum quæ (b) leguntur pro sola prædicatione ponuntur, ut quicquid Propheta, Apostolus, vel evangelium mandavit, hoc doctor vel pastor Ecclesiæ apertiori sermone populo prædicet: ita arte temperans, ut nec rusticitas sapientes offendat, nec onesta loquacitas obscura rusticis fiat.

DE PRECE.

PReces verò psallere levitas pro populo ab origine libris Moysacis ducit exordium; ut audita apostolis prædicatione; levitæ pro populo deprecentur, & sacerdotes prostrati ante Dominum pro peccata populi intercedant, dicente Domino ad Aaron, B *Tu & filii tui vel omnis tribus Levi portabitis peccata populi mei*, utique non pænaliter sustinendo; suis sed precibus sublevando.

DE CATICUMINO.

CAticuminum ergo diaconus ideo clamat juxta anticum ecclesiæ ritum, ut tam Judæi, quàm hæretici, vel pagani instructi, qui grandis ad baptismum veniebant, & ante baptismum probantur starent in ecclesia, & audirent consilium veteris & novi testamenti, postea deprecarent pro illos levitæ, diceret sacerdos collecta, post prece exirent postea foris, C qui digni non erant stare, dum inferebatur oblatio, & foras ante ostium absculrarent prostrati ad terram magnalia: quæ cura ad diaconum vel ad ostiarium pertinebat, ut illis admoneret exire, iste provideret ne quis indignus retardaretur in templo dicendo nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Quid enim in terra sanctius confectione corporis & sanguinis Christi? & quid plus immundum canis & porci? Similitudine comparandum eo, vel qui non est purgatus baptismo, vel non monitus crucis signaculum.

D Spiritaliter jubemur silentium facere observantes ad ostium, id est ut tacentis à tumultu verborum vel vitiorum signum crucis ponamus ante faciem nostram, ne intret concupiscentia per oculis, ira per aurem, ne prodeat sermo turpis ex labiis, & hoc solum cor intendat, ut in se Christum suscipiat.

DE SONO.

SOnum autem, quod canetur quando procedit oblatio, hinc traxit exordium. Præcepit Dominus Moysi, ut faceret tubas argenE teas, quas levitæ clangerent quando offerebatur hostia, & hoc esset signum, per quod intellegeret populus qua hora inferebatur oblatio, & omnes incurvati adorarent Dominum, donec veniret columna ignis aut nubes, qui

(a) Analogium dicitur locus altus supra chorum, ubi stant libri sanctæ prædicationis, inquit Petrus Boherius: cui favet S. Isidorus lib. 15. Origin. cap. 4. Alii analogium interpretantur pulpitum.

(b) Hinc colliges pastores olim intra missarum solemnia non semper perorasse ad populum, sed eos qui inpeditioris erant linguæ aut infirmæ valetudinis, homilias sanctorum patrum, aut à se compositas legisse aut ab aliis legi jussisse. Ita Cæsarius Arelatensis antistes, cum propter valetudinem jam concionari per se non posset; à sacerdotibus atque diaconis sermones proprios, aut sanctorum Ambrosii, Augustini, sive aliorum conciones recitari jubebat, ut legitur in ejus vita.

benediceret sacrificium. Nunc autem procedentem ad altarium (a) corpus Christi non jam tubis inrepræhensibilibus, sed spiritalibus vocibus præclara Christi magnalia dulci modilia psallet Ecclesia. Corpus verò Domini ideo defertur in turribus, quia monumentum Domini in similitudinem turris fuit scissum in petra, & intus lectum ubi pausavit corpus dominicum, unde surrexit Rex gloriæ in triumphum. Sanguis vero Christi ideo specialiter offertur in calice, quia in tale vasum consecratum fuit mysterium Eucharistiæ pridie quam pateretur
Math. 26. 28. Dominus ipso dicente, *Hic est calix sanguinis mei mysterium fidei qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Panis vero in corpore & vinum TRANSFORMATUR in sanguine, di-
Johan. 6. 55. cente Domino de Corpore suo *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. De
Math. 26. 26. pane dixit *hoc est corpus meum*, & de vino *hic sanguis meus*. Aqua autem ideo miscitur, vel quia decet populo unitum esse cum Domino, vel quia de latere Christi in cruce sanguis manavit & aqua, & unum mundemur à labe culparum, alio præparemur ad regna cælorum.

Patena autem vocatur ubi consecratur oblatio, quia mysterium Eucharistiæ in commemoratione offertur passionis Domini. Palla vero linostima in illius indumenti tenet figuram, quia in gyro contexta à militibus non fuit divisa, tonica scilicet Christi. Corporalis vero palla ideo pura linia est super quam oblatio ponitur, quia corpus Domini puris linteaminibus cum aromatibus fuit obvolutum in tumulo. Coopertum vero sacramentorum ideo exornatur, quia omnia ornamenta præcellit resurrectio Christi, vel camara cæli quæ nunc Dominum teget ab oculis nostris. Siricum autem ornatur, aut auro, vel gemmis, quia Dominus Moysæ in tabernaculo fieri velamina jussit ex auro, iacincto, & purpura, coccoque bis tincto & bysso retorta: quia omnia illa mysteria in Christi præcesserunt stigmata.

Laudes autem, hoc est Alleluia, Johannes in Apocalypsi post resurrectionem audivit psallere. Ideo hora illa Domini palleo quasi Christus tegitur cælo, Ecclesia solet angelicum canticum (b): quod autem habet ipsa Alleluia prima & secunda & tertia signat tria tempora ante lege, sub lege, sub gratia.

Nomina defunctorum ideo hora illa recitantur qua palleo tolletur, quia tunc erit resurrectio mortuorum, quando adveniente Christo cælum sicut liber plicabitur. Pacem autem ideo Christi mutuo proferunt, ut per mutuo osculo teneant in se caritatis affectum,

A & qui aliqua fuscatur discordia, cito recurrat ad gratiam, vel petat proximo veniam, ne pacem falsam dando incurrat proditoris consortium, & tantum melius proficiat Eucharistia, suscepta vel benedictio tradita, quantum Christus conspicerit pacifica esse corda, quia ipse mandavit discipulis cælos ascendens, *pacem relinquo vobis pacem meam do vobis*, & in Joh. 14. 27. hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si vos invicem dilexeritis.

Sursum corda ideo sacerdos habere admonet, ut nulla cogitatio terrena maneat in pectoribus nostris in hora sacræ oblationis, &
B tantò melius recipiatur Christus in mente, quantò sola cogitatio ipsum conatur adtendere. Confractio verò & commixtio corporis Domini tantis mysteriis declarata antiquitus Sanctis Patribus fuit, ut dum sacerdos oblationem confrangeret, videbatur quasi Angelus Dei membra fulgentis pueri cultro concædere, & sanguinem ejus in calicem excipiendo colligere, ut veracius dicerent verbum dicente Domino Carnem ejus esse cibum & sanguinem esse potum. In hac confractione sacerdos vult augere, ibidem debet addere, quia tunc cælestia terrenis mixcentur, & ad
C orationem sacerdotis cæli aperiuntur. Sacerdote autem frangente, supplex clerus psallet antiphona, quia patiente dolore mortis omnia trementis testata sunt elementa.

Oratio vero Dominica pro hoc ibidem ponitur, ut omnis oratio nostra in Dominica oratione claudatur. Benedictionem vero populi sacerdotibus fundere Dominus per Moysem mandavit dicens: *Loquere ad Aaron & ad filios* Num. 6. 23. *ejus; sic benedicetis populo: Benedicat tibi & custodiat te* & cetera quæ sequuntur. Aaron igitur locum Christi, filii ejus locum presbyterorum portaverunt. Ambobus igitur mandavit Do-
D minus benedicere populum; sed tamen propter servandam honorem pontificis, sacræ constituerunt canones, ut (c) longiorem benedictionem episcopus proferret, breviorem presbyter funderet, dicit *Pax fides & caritas & communicatio corporis & sanguinis Domini sit semper vobiscum*. Nam licet illam benedictionem quam Moysi Deus dictavit & nullus contradicere presbytero potest; quia cælum & terra transibunt. Hoc ergo ante communionem benedictio traditur, ut in vas benedictum benedictionis mysterium ingrediatur. Jam vero quam dulcis sit animæ & corporis sacra communio, Christus
E verbis evangelicis ostendit dicens *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis*. Joh. 15. 7.

Trecanum vero quod psalletur signum est catholicæ fidei de Trinitatis credulitate pro-

(a) Olim solemnis missa non celebrabatur, quin ex præcedentis diei sacrificio Eucharistia deferretur ad altare; id in ecclesia Romana initio missæ præstabant acolythi in capsis, ut constat ex veteri ordine Romano 1. num. 8. Musei Italici tom. II. In Gallicana vero diaconi hoc munus obibant ante oblationem, corpus Christi deferentes in turribus, ut patet ex hoc loco, quem mirè illustrat Gregorius Turonensis libro de Gloria martyrum cap. 85. his verbis: *Tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre diaconus in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre capit ad ostium ingressusque templum, ut eam altari superponeret, &c.*

(b) *Adde* cantare.

(c) Longiorem benedictionem super populum ante communionem proferebat olim episcopus, ut pote tribus constantem orationibus, qualem videre est in plurimis Sacramentorum libris mss. qualem etiam nunc proferunt adhuc pontifices in quibusdam ecclesiis, cum solemnibus diebus celebrant. E contra vero benedictio presbyterorum unica & brevi perficiebatur oratione.

cedere.

cedere. Sic enim prima in secunda, secunda in tertia & rursum tertia in secunda & secunda rotatur in prima. Ita Pater in Filio, mysterium Trinitatis complectet. Pater in Filio, Filius in Spiritu-sancto, Spiritus-sanctus in Filio, & Filius rursum in Patre. Sed jam epistola finem accipiat in qua sollemnis Ordo brevi declaratus ostenditur quatenus in sequutura epistola de commune officio donante Domino auribus pandatur. Qui vivit

INCIPIT EPISTOLA SECUNDA *de communi officio.*

QUia favente Domino ordinem sacræ oblationis in priore epistola breviter explananda perstrinximus, nunc diversa Ecclesiæ carismata qua ratione subsistant, juxta quod Dominus nobis intelligere tribuit, brevi paginola commendemus.

Antiphonas vero quas dulci cerimonia psallet Ecclesia hinc traxerunt exordium. Rex Salomon cum domum celeberrimum instruxisset, ibidem cantores instituit, qui cum diversis organis Dei magnalia decantarent, ut inter reliqua ornamenta quæ fulgebant in templo, etiam divina eloquia dulci proferrentur eloquio, ut (a) toto plus delectaretur Dei verbum, quantò elegantius volvebatur vocis ornatu. Propter carnalis namque in ecclesia non propter spiritualis consuetudo est constituta cantandi, ut qui verbis non compunguntur, suavitate modolaminis moveantur, pensantes quanta sit dulcedo cælestis cantici, quando in incolatu hujus sæculi tam eleganter resonat ecclesia laudes Christi. Antiphona autem dicta, quia prius ipsa anteponitur, & sic ponetur psalmi versiculum, cum gloria Trinitatis adnectetur, quarum quaterna sunt genera, organo ex prophetico, tympano ex evangelii sacro tonitruo, vel (b) compassione catholicorum patrum pro ordine temporum, vel deprecando, vel narrando, vel laudes divinas tympanizando compositæ.

Responsoria verò quæ in divinis officiis die aut nocte cantantur, de Pentateucho Moysi duxerunt originem, quando Pharaone submerso, Maria prophetissa sumens tympanum, præcinebat canticum, & respondebat populus adunatus in choro. Horum verò quaterna ratio constat, sicut de Antiphonabus superius continetur. Consuetudo præcinendi & respondendi non solum ad mare rubrum, sed in multis Ebræorum gentibus comprobatur, quod plenius veteris testamenti narrat historia.

Sanctus Deus archangelorum in quadragesimo concinetur & non canticum Zachariæ, quia ista modulatio deprecabilis est populo, sicut verba texti ipsius continentur. Et propter hoc non canetur prophetia, propter quod & baptisterium claudetur; scilicet quia canonis præcipiunt, vel baptismum quadragesimæ non est.

Oleum autem quod cum chrisma benedicitur, A voce psalmi ostenditur, qui de Christo profertur: *Unxit te Deus de oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, vel illud *Oleo sancto meo linui eum*, prius ergo ungebantur veteris oleo, sic perfundebantur unguento. Specialiter autem oleum græcè latinè misericordia dicitur,& per oleum Sancti Spiritus gratia designatur. Hunc enim liquorem consecravit Deus in Ecclesia ad mystica conficienda unguenta, vel præparanda lucerna, vel fovenda peccaminum vulnera. Psal. 44. 8. Psal. 88. 21.

Symbolum quoque pro hoc competentibus supra scripto die tradetur, ut sicut quando dixit Deus Fiat lux, quod signat illuminatio cre- B dulitatis, appareat. Septima Die benedixit & sanctificavit in requie: ideo hac die fides populi firmatur, symbolum & lacte chrismatis enutritur, quia in die septima requies Christi in sepulcro coletur, & declinante jam die triumphum resurrectionis illius consecratur. Ideo autem venientem sacerdotem symbolum tradere, expandetur super cancellum mollitiis plumarum, vel candida sabana, & defertur in calicis vascula chrismatis & olei benedicenda, vel codix sacri evangelii rubro tectus velamine, quia populus ad fidem veniens infantiæ figuram tenet. Sicut enim infans est C tener & novus in corpore: ita caticuminus tener & novus in fidem, infantis membra super plumacia ponuntur, ut melius nutriatur. Caticumino blanda verba Domini proferuntur, quo amplius delectetur. Non enim potest sustinere fortiora præcepta ante quam per baptismum Spiritus-sancti confirmetur in gratia. Membra parvoli sabana, id est candido ac vilati linteo extergŭntur, ne corium ei lædatur: Ita caticumino subtilitas fidei aperitur in symbulo, ut per credulitate tergatur ab omni peccato. Prius liniter per blanda præcepta, ne exasperetur tener in intelligentia, post mo- D dum .... per fortiora mandata ut convalescat per opera. Infans lacte nutritur, & caticumenis chrismate unguetur. Lac ex matris ubera suggetur, & chrisma in sinu sanctæ matris Ecclesiæ consecratur.

Liber autem evangelii in specie corporis Christi rubro tegitur velamine, sanguinis signo monstrante! In calicis autem chrismæ vascula deferuntur, quia omnia sacramenta baptismatis in Christi passione firmantur. Vitrea autem vel cristallina vasa chrismatis, claritatem signant baptismatis. Balsamum autem chrisma conficitur. Lentiscus genus ligni dici- E tur, unde risina balsamæ tolletur, de hoc lentisco in cruce dominica illa pars fuisse traditur, ubi sanctas manus Domini clavo confixit impius, perficitur. Ideo & risina ligni ipsius dispensante... etiam ab antiquis temporibus imprimatis .... transfundetur. angelus enim Dei ad secreta super altare tamquam super monumentum descendit, & ipsam hostiam benedicit, instar illius angeli qui Christi resurrectionem evangelizavit. Tunc libera lingua, & voce clara omnia cantica quæ in quadragesima fuerunt sub silentio clausa recipiuntur, & submersio Pha-

(a) *l.* tantò.

(b) *l.* compositione.

raonis & Sanctus de cælis & alleluia cum gaudiis quia surrexit Dominus. Media autem nocte in officio consummatur, quia media nocte fregit infernum Salvator, tunc ab ore fidelis populi Agni caro comeditur, & sanguis dulciter bibetur, per quod omnis mundus pretio præclaro redimitur, atque ilico discitur ut auroris tentæ diluculo laus resurrectioni Domini claro cantico cum benedictionibus celebretur.

Palleum verò in pascha cum tintinnabulis Eucharistia velatus instar veteris testamenti, ubi tonica sacerdotis plena tintinnabulis signans verba prædicationis ostenditur. Præcinctio autem vestimenti candidi quod sacerdos baptizaturus præcingitur in signa S. Johannis agetur, qui præcinctus baptizavit dominum. Albis autem vestibus in Pascha induetur, secundum quod angelus ad monumentum albis vestibus cerneretur. Albæ etenim vestis exultationem significant.

Casula quam amphibalum vocant, quod sacerdos induetur, tota unita per Moysem legiferum instituta primitus demonstratur. Jussit ergo dominus fieri dissimilatum vestimentum, ut talem sacerdus induerit, quale indui populus non auderetur. Ideo sine manicas, quia sacerdus potius benedicit quam ministrat. Ideo unita prinsecus, non scissa, non aperta; quia multæ sunt scripturæ sacræ secreta mysteria, quæ quasi sub sigillo sacerdoti doctus debet abscondere, & unitatem fidei custodire, non in hærese vel schismata declinare.

Palleum vero quod circa collo usque ad pectus venit, rationale vocabatur in vetere testamento, scilicet signum sanctitatis super memoriam pectoris, dicente propheta ex persona Domini *Spiritus Domini super me.* Et post pau-
Isai. 61. 3. ca, *ut ponerem gloriam lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu.* Palleum laudes pro spiritu mæroris. Quod autem collo cingit, antiquæ consuetudinis est, quia reges & sacerdotes circumdati erant palleo veste fulgente, quod gratia præsignabat. Quod autem fimbriis vestimenta sacerdotalia adnectuntur, Dominus Moysi præcepit in Numeris, ut per quatuor angulos palleorum filii Israël fimbrias facerent, ut populus Domini non solum opere, sed etiam & vestitu mandatorum Dei signum portaret.

Manualia verò, idest manicas induere sacerdotibus mos est instar armillarum, quas regum vel sacerdotum brachia constringebantur. Ideo autem ex quolibet pretioso vellere, non metalli duritia extant, vel ut omnes communiter sacerdotes, etiam minoris dignitatis in sæculo, facilius inveniant.

Vestimentum parvolum, quod non sit in alio uso, nisi ad frequentandum sacrificium, vel significat quod non graventur manus nostræ honoribus sæculi, sed circumdentur subtilia exercitia mandatorum Dei. Prohibet autem manica tonica ne appareat vile vestimentum, aut quocumque indignum tactum sordium super divina sacrificia, quo manus immolantes discurrunt.

Albas vero, quas levitæ utuntur, ideo statuerunt patres, quia in vestimento tincto non sic apparet cito macula quomodo in albo: & minister altaris ideo utitur, ut observet & caveat omnem maculam, & nullatenus vestimenta ministrantium vel leviore tactu appareant sordida; sed candida sint exterius veste, interius mente. Sirico aut vellere fictur, quia Dominus sacerdotibus ideo exinde habere indumenta mandavit, ut eorum vestis spem resurrectionis ostenderet. Sirico enim de ligno per verme fictur. Vermis post mortem procedit in alate, & post occasum & volatum figurans Christum, qui ex ligno crucis quiescens in sepulchro tamquam vermis clausus in sacculo angusto, surrexit de tumulo, & ad cælos sumsit volatum. Alterius verò velleris alba innocentiam tantum vitæ demonstrant. Alba autem non constringitur cingulo, sed suspensa tegit levitæ corpusculum, quia omnis conversatio Levitica in desiderio cælestis patriæ à terrenis operibus debet esse suspensa, nec cingulo peccatorum constricta.

Stola autem quam super alba diaconus induit, significat subtilitatis intelligentiam in divina mysteria, licet veteri stola induentes gaudium solemnitatis se habere monstrabant. Et pro hac causa in quadragesima pro humiliatione non utetur, sicut nec alleluia in nostra Ecclesia, Sanctus, vel prophetia, hymnum trium puerorum, vel canticum rubri maris illis diebus decantantur. Stola alba namque angelus præcinctus apparuit quando sedens in monumento Domini, solemnitatem resurrectionis illius nunciavit. Ideo in quadragesima prohibendum hæc cantica, quia cælestia & angelica sunt. De cælis enim columna ignis in nocte, & columna nubis in die, angelus in camino flammæ in cælis audita est. Alleluia vel (a) Sancti tacentur ergo in pœnitentia, ut nova fiant in resurrectione Dominica quando referantur & baptisma. Oportet ergo levita cælestem cantet canticum.

(a) Id est breves orationes illæ quæ à verbo *Sanctus* incipiebant, quales cantabantur ante prophetiam, ante & post evangelium.



ANTIQUUS ORDO ROMANUS

AD USUM MONASTERIORUM

AB ANNIS CIRCITER MILLE ACCOMMODATUS.

Ex ms. codice Morbacensi.

ADMONITIO

In sequentem ordinem Romanum.



ETERI Calendario Romano & Liturgiæ Gallicanæ expositioni subjicere libet antiquum Ordinem Romanum ad usum monasteriorum ab annis circiter mille accommodatum, cujus antiquitatem probat non solum codicis Morbacensis, à quo illum accepimus, caracter annos minimum 900. repræsentans; Sed etiam varii ritus qui in ea præscribuntur, qui jam dudum & in Romana ecclesia & in Galliarum monasteriis, quibus usui fuisse videtur, obsoleti sunt. In primis est illud quod festum de conceptione B. Virginis, qua Incarnatum Dei Verbum annunciante angelo in utero suscepit, hebdomada ante natale Domini celebrari præscribit: quem ritum commendat concilium Toletanum X. anno 656. celebratum, tamquam per diversas jam mundi partes observatum, servantque hactenus ecclesiæ Medionalensis & Toletana. Nec minus antiquitatem spirat ordo sacrorum librorum in nocturnis vigiliis, legendorum, quo prophetas post Epiphaniam, non epistolas Apostoli, legendos decernit, id quod alio in codice Morbacensi annorum minimum mille præscriptum reperimus. Eamdem antiquitatem, repræsentare existimamus ritum post communionem annunciandi à diacono ventura festa, qui nullibi nobis aliquando præscriptus occurrit.

Porro cum plura notatu digna hoc in ordine videantur, illud præsertim singulari consideratione ponderandum est, quod orationes post oblationem dicendæ secrete nullo alio audiente *recitandæ præscribuntur, qui locus sufficere debet ad refutandos nonnullos novitatum amatores, qui contra universalis ecclesiæ Romanæ consuetudinem, propria auctoritate integram missam, secretas orationes canonemque ipsum eodem vocis sono, hoc est alte pronuntiant. Nam quod respondent variis antiquisque auctoribus secretas & canonem sub* silentio *recitari præscribentibus, quod, inquam, aiunt, silentium apud illos cantui tantum non altæ voci opponi, omnino falsi convincitur, ut nullus sit amplius effugiendi locus, cum* SECRETE NULLO ALIO AUDIENTE *ante annos mille in ecclesia Romana aliisque ipsius ordinem sequentibus hæc dicerentur.*



IN NOMINE DEI SUMMI INCIPIT BREVIARIUM ECCLESIASTICI ORDINIS,

Qualiter in cœnobiis fideliter Domino servientes, tam juxta auctoritatem catholicæ atque apostolicæ Romanæ ecclesiæ, quàm & juxta dispositionem Regulæ S. Benedicti missarum solemniis, vel natali sanctorum, sive officiis divinis anni circuli die noctuque, auxiliante Domino, debeant celebrare, sicut in sancta ac Romana ecclesia sapientibus ac venerabilibus patribus traditum fuit.

PRIMITUS enim in adventum Domini cum omni officio divino à Kalendis decembris incipiunt celebrare, & in ipsa nocte initiantur legi ad vigilias Esaïam prophetam usque in natalem Domini, semper à capite rependendum ipsum leguntur. Deinde una hebdomada ante natale Domini de (a) conceptione S. MARIÆ incipiunt canere. In ipsa vero Ebdomada quarta & sexta feria seu & sabbato stationes publicas faciunt, & omnes jejunium faciant, & missarum solemniis cum omni officio divino de ipso ordine pertinentem celebratur. In ipso vero sabbato sacerdotes & ceteri ministri Ecclesiæ, si necesse fuerit, ordinantur. Si autem & vigiliæ venerint natalis Domini sabbato præcedente hebdomata, omnem celebrationem vel ordinationem quam diximus usque in sabbatum consummantur. In ipsa autem ordinatione sacerdotum præter quatuor tempora anni, nullatenus ordinatur. Id est primum ver, quod est ebdomata prima mensis primi Martii : ita tamen si ipsa ebdomata infra quadragesima contigerit. Deinde requiritur aliud tempus æstatis, quod venit mense IV. Junii, quod sequitur ebdomata prima post pentecostem. Sequitur tertium tempus autumni, quod est mensis septimi Septembrii, quod agitur tertia ebdomata ipsius mensis. Inde sequitur quartum tempus anni hiems, quod est mensis decimi, december sicut supra diximus. Hoc est ebdomata prima ante natale Domini ordine quo diximus quarta & sexta feria seu sabbato celebrantur.

Gesta (b) S. Eugeniæ vel ejus commemorationem pridiè natalis Domini tantum ad vigiliis celebrantur. Matutinis vero de supradicto die pridiè natalis Domini ejus missa hora tertia cantatur & celebratur. Ipsa vero die nisi forte dominica contigerit omnes publicum jejunium faciant, & hora nona vigilia natalis Domini ad missas celebrant, & *alleluia* minime canuntur. Omni vero tempore quando jejunium faciunt, & hora nona missas celebrant, nec *Gloria in excelsis Deo* nec *alleluia* canuntur. In ipsa vero vigilia natalis Domini in cœnobiis monachorum nocte superveniente paulolum requiescunt; deinde surgentes temporius, celebrant sicut decet vigilia Domini. Id est expletis novem psalmis cum antifonis seu novem lectionis de humeliis S. Augustini vel papæ Leonis aut S. Grigorii cum responsoriis, & finiunt vigilia, dein se secuntur matutinæ cum antefonis. Expletis vero matutinis, præparantur se qualiter missas celebrare debeant; & (c) ut gallus cantaverit: mox cum omni decore vel ordine sacerdotum ad missas ingredientur. Expleta vero missarum solemnia, communicent omnes, & in ipsa nocte ad missas semper *Gloria in excelsis Deo, alleluia* pariter canunt. Deinde mox luce super veniente, procedunt ad (d) aliam ecclesiam, & similiter celebrantur aliam missam sicut & prius. Similiter iterum competente hora diei procedant ad ecclesiam, & celebrant missas sacræ nativitatis Domini. Unam postquam gallus cantaverit, aliam mane prima, tertiam in die, sicut mos est, in honore Sanctæ Trinitatis celebrantur, sicut S. Gregorius in humiliis suis loquitur dicens: *Quia missarum solemnia ter hodiè celebraturi sumus; ita & nos oportet ut similiter sancta nativitatis Domini diem in Trinitatis numero missarum solemnia celebremus.*

Modus autem vel ordo in agendis missarum solemniis tam ipsius diei, quam & omnium principalium festivitatum talis esse videtur. Cùm autem hora adpropinquaverit, ut missas introeant, ingrediuntur sacerdotes & levitæ in sacrarium, induent se vestibus, cum quibus missas celebrare videntur. Ordinantur per ordines, sicut mos est, ipsas oblationes reverenter ad sedem suam; & iterum lavet manus. Item in monasterio ubi non ingrediuntur feminæ, postquam primitus sacerdos lavaret manus, ingrediuntur sacerdotes cum levitis in sacrarium, & accipient oblationes, & procedant de sacrario, & offerentur super altare, canentibus interim fratribus offerturia. Deinde vero accedens sacerdos ante altare, & accipiens proprias oblationes elevatis oculis & manibus cum ipsis ad cælum orat ad Dominum, & ponet eas super altare. Similiter offerat & vinum. Diaconi vero vadant retro sacerdotum, & ordinantur super ordinem. Subdiaconi autem ambulant retro altaris, & statuuntur per ordinem. Sacerdotes autem stent in ordine suo ante altare. Tunc vero sacerdos

(a) Hic locus de activa conceptione B. Virginis qua Verbum divinum in utero operante Spiritu-sancto concepit, intelligendus est.

(b) S. Eugeniæ memoriam III. idus Septembris olim recolebant Cassinenses monachi una cum SS. Prothi & Hiacinthi.

(c) Hic non obscure indicat primam in natali Domini missam in primo Galli cantu circa mediam noctem celebratam fuisse, quod præscriptum in pluribus iisque antiquis Sacramentorum libris reperimus, ac demonstravimus in libro de Antiqua ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis pag. 88.

(d) Hinc colliges tres in Natali Domini missas non in una, sed in diversis ecclesiis celebratas fuisse, quod alias a nobis probatum est.

dextra lævaque aliis sacerdotibus postulat pro se orare ; & inclinans vultum ad terram, dicat orationem & (a) secrete nullo alio audiente, nisi tantum ut venerit ad hoc verbum *per omnia sæcula sæculorum*, & dicant omnes *Amen*. Statim dicat *Dominus vobiscum*. Deinde dicit *Sursum corda*. Deinde *Gratias agamus Domino Deo nostro*, & ingrediatur in præfationem, ita ut ab omnibus pene audiatur. Deinde cum venerit ut dicat *Adorant Dominationes*, omnes sacerdotes vel levitæ inclinent vultum ad terram. Cùm autem pervenerit ut dicat *Supplici confessione dicentes* SANCTUS, inclinent iterum diaconi, clerus, cum omni populo. Proclamantibus vero cum magna reverentia & tremore SANCTUS, incipit sacerdos canonem dissimili voce leniter. Ipsi vero presbyteri, diaconi, subdiaconi semper permanent inclinati usque in eo loco ubi dicant, *Nobis quoque peccatoribus*, & mox ut veniret ad hoc verbum *propitio ac sereno vultum respicere digneris*, inclinato capite sacerdos ante altare suppliciter deprecans usque dum dicit, *ut quotquot ex hac altaris participatione*. Cùm autem surrexerint subdiaconi, unus ex ipsis venit, & accipit patenam ab acolytho, & revertetur in ordine quo steterat, & tenens eam ante pectus suum usque dum dixerit *Omnis honor & gloria*. Sacerdos vero cum venerit ut dicat *per ipsum & cum ipso* elevat oblationes proprias de altare, & mittit in ore calicis, tenente ipso calice à diacono, sublevans eum modice usque dum dixerit *Per omnia sæcula sæculorum, amen*. Sacerdotes vero & diaconi usque in istum locum semper manent inclinati, præter tantum diaconus qui ipsum calicem sublevatur. Subdiaconus autem qui patenam tenet, tradat eam ad ipso verbo diacono, ubi dicit *omnis honor & gloria* ; & ille tenet eam usque dum finiatur oratio Dominica, & porriget eam Sacerdoti. Sacerdos verò post orationem Dominicam oratione subsecuta, accipiens oblationes & ponat eas in patenam, & frangat modicum de ipsa oblatione, & mittat in calicem ter faciendo crucem, & dicat *Pax Domini sit semper vobiscum*, & faciat populus pacem. Deinde vero sacerdotes confrangant ipsas oblationes super altare, si necesse fuerit. Diaconi vero juxta altari, tenente subdiacono ante ipsis patenam, & (b) confrangant ipsas oblationes, canentibus interim fratribus *Agnus Dei*. Deinde communicent sacerdotes & levitæ in ordine suo. Postea quidem accipiens diaconus calicem in dextera parte altaris, elevans eum in manibus suis, pronuncians natalitia sanctorum in ipsa hebdomada venientia, ita dicendo : *Illa feria veniente, natale est S. Mariæ, aut confessoris, vel alius sancti* cujus evenerit, secundum martyrologium. Et respondent omnes *Deo gratias*. Post hæc canentibus interim antifona ad communionem ; communicantibus is omnibus, dat orationem sacerdos, & dicat diaconus *Ite missa est*. Respondentibus omnibus *Deo gratias*, & completum est. Post hæc revertetur sacerdos ad sacrarium cum ministris ecclesiæ, vel omni ornatu, sicut prius exierit, & exuant se vestibus cum quibus jam missarum solemnia celebraverunt, & consummata sunt omnia.

NOTA.

Post nativitatem vero Domini usque in octabas, præter sanctorum festivitatibus, omne officium divinum tam in die quàm in nocte de ipsa die natalis Domini est canendum. Octabas Domini in omni officio Divino nocte & die, ordine quo in natali Domini in omnibus observatur. Deinde usque in Theophania, præter dominicis diebus vel nataliciis sanctorum, de cotidianis diebus canetur. Pridiè Theophaniæ (c) jejunium publicum faciant, & hora nona missa celebrentur, & medio noctis tempore ingredientur ad vigilias, Psalmos quoque vel lectiones vel responsoria de ipso die canentes tantum de muneribus Magorum & baptismo. De nuptiis vero quæ factæ sunt in Chanan Galilææ, octabas Theophaniæ celebrantur. Omne ebdomada usque in octabas theophaniæ canuntur. Missa vero Theophaniæ ordine quo diximus natale Domini secuntur. Postea quidem, die secundo, mense Februo, quod est IV. nonas ipsius mensis, celebrantur cum magno decore vel accensis multis luminibus purificationem B. MARIÆ, quando obtulit Dominum JESUM-CHRISTUM in templo, & accepit eum B. Simeon in ulnis suis, & benedixit Deum.

NOTA.

Post Nativitatem vero Domini usque quindecim diebus ante initium Quadragesimæ Isaïam atque Jeremiam & Ezechiel & Daniel, seu & XII. prophetas minores cum expositionibus eorum legantur. Epistolæ vero Pauli apostoli omni tempore in posterioribus lectionibus in die dominica ad vigilias legantur. Tractatus vero S. Hieronymi, Ambrosii, vel ceterorum patrum, ut ordo poscit, legantur. In tempori veris, hoc est quindecim diebus ante initium Quadragesimæ, quinque libri Moysi, cum Hiesu Nave & Judicum atque Rut, usque quindecim dies ante Pascha. Inde vero librum Esaïæ prophetæ & Lamentationes Hieremiæ, Osée & Zachariæ unde ad passionem Christi convenit. In diebus autem Paschæ epistolæ Apostolorum & Actus atque Apocalypsis usque Pentecostem. A Pentecostem vero libri Regum & Paralippominon, deinde Salomonis libri, Job, Tubi, Judit, Ster atque Machabæorum usque Calendas Decembris.

In vigiliis omnium apostolorum & ceterorum sanctorum pluralium omnes jejunium faciunt. Et hora nona natale eorum prævenientes absque *Gloria in excelsis Deo* & *alleluia* missarum solemnia celebrantur, & ipsa nocte ad vigilias passiones eorum vel gesta leguntur. Quod si in Dominica natalitia venerint tam in adventu Domini quam & omni tempore, psalmi

(a) Hic locus egregiè confirmat ea quæ in libro I. de Antiquis ecclesiæ Ritibus cap. 4. art. 8. n. 5. diximus de secretis & canone missæ sub silentio pronunciandis.

(b) Hinc colliges non minores oblatas pro populi communione olim consecratas fuisse, sed maximas ; quas diaconi in plures particulas confringebant.

(c) Jejunium olim in vigilia Epiphaniæ à fidelibus observatum fuisse singulari libello demonstravit olim Johannes *Des Lions* Decanus ecclesiæ Silvanectensis adversus prophanas quorumdam superstitiones, qui hanc diem porationibus insumunt.

cum eorum passionibus, vel gestis cum responsoriis vel antefonis de istis pertinentibus canuntur. Si autem gesta eorum minor fuit, quod IX. lectionibus sufficere non possit, in tribus tantum posteribus lectionibus leguntur, & octabæ eorum cum responsoriis vel antefonis suis, missarum solemniis, sicut & in die primo festivitates eorum ita celebrantur. Quod si in eorum octavas natale sanctorum venerit, præcedente die octavas eorum celebrantur per auctoritatem Sanctæ Regulæ. Omni tempore diebus Dominicis legitur lectio S. Evangelii secundum tempus quo fuerit, & sequitur hymnum *Te Deum laudamus*, & versum cum *Kyrie eleison* & finiuntur Vigiliæ. Matutinis vero laudibus diebus Dominicis, præter quadragesimæ cum *Alleluia* sunt canendi. Una autem ebdomata ante natale Domini ex conceptione B. MARIÆ incipiunt celebrare.

Hoc autem quod super scribi debuimus Septuagesimo die ante paschæ tamen dominica ingrediente septuagesima apud eos celebrant. Hoc enim faciunt pro reverentia tantæ festivitatis, vel pro eruditionem populi, & per numerum dierum cognoscant adpropinquare diem sanctum paschæ, & præparet se unusquisque secundum devotionem & virtutem suam, qualiter ad ipsum sanctum diem cum tremore & reverentia, contrito corpore & mundo corde perveniunt, & non solum septuagesima, sed & sexagesima, quinquagesima, quadragesima, tricesima, vicesima, decima & octaba semper per ipsum ordinem celebrantur, ut quantum plus cognoverint adpropinquare diem sanctum paschæ redemtionis nostræ, tanto amplius ab omni inquinamento carnis vel immunditia se absteneant, ut digni sint communicare corpus & sanguinem Domini. Monachi vero & Romani devoti vel boni Christiani à quinquagesima, rustici autem & reliquum vulgus a quadragesima.

Primum autem jejunium IV. & VI. feria post quinquagesima, id est una ebdomata ante quadragesima apud eos publicè agetur. Inde vero prima ebdomata in quadragesima iterum IV. & VI. feria seu & Sabbato stationes publicas faciant, & jejunium cum XII. lectionibus in ipso sabbato consumantur. Et si fuerit ipsud sabbatum de Martio mense, ordinationem sacerdotum faciant. Si autem in alia ebdomata vel tertia quando pontifex judicaverit, iterum IV. & VI. feria seu & sabbato cum XII. lectionibus sicut prius ordinare videntur, & ordinantur qui ordinandi sunt.

A quinquagesima vero incipiente usque quinto decimo die ante pascha jam diximus ad vigilias Eptaticum leguntur & responsoria inde canuntur. Quod si inde responsoria minus habuerint, quadragesimalis responsoria canentur. In matutinis vero laudibus Dominicis à A quadragesima incipient, id est *miserere mei Deus*. Inde sequatur psalmus centesimus XVII. cum antefonis tam de prophetis quam de evangelio canentur. Et a XV. diè ante pascha lectiones vel responsoria & antefonæ cum versibus de passione Domini incipiant celebrare. Quinta vero feria ante pascha, id est cæna Domini NOTA. ad missas antefona ad introitum non canuntur, apostolum & evangelium non legatur, nec responsorium cantatur, nec salutat presbyter, id est *Dominus vobiscum*; nec pacem faciant usque in sabbato sancto. Sed cum silentio ad missas ingredientur. Et in ipsa nocte in vigilia parasceven, id est VI. feria non canuntur, *Gloria*, nec *Kyrie eleison*, nec signum pulsa- B verit, usque, in sabbato sancto ad vigilias. In parasceven autem, quod est VI. feria passio Domini, hora nona colleguntur omnes in ecclesiam, & legantur duæ lectiones, quas in capitulare vel in sacramentario commemorat cum responsis suis, & legatur passio Domini secundum Johannem, & dicantur illas orationes à presbytero, quas in Sacramentario commemorat. Post unamquamque orationem admonentur omnes a diacono. Dicat *Flectamus genua*: ita prosternent se omnes in terra cum lacrymis vel contritionem cordis. Oratione facta, iterum admonentur a diacone ut surgant, & dicat diaconus, *Levate*. Expletas autem ipsas orationibus, dicat presbyter, *Oremus*. Et dicat ora- C tionem, *Præceptis salutaribus moniti*, cum oratione Dominica, & sequitur oratio, *Libera nos quæsumus Domine*. Et accipit diaconus Corpus & Sanguinem Domini, quod ante die cœna Domini remansit & consecratum fuit, & ponet super altare, & communicant omnes corpus & sanguinem Domini, cum silentio nihil canentes. Et in ipsa nocte lumen in ecclesia non accenditur, sed absconditur, ut non ab omnibus videatur, usque in sabbato. His expletis ingrediuntur ad vesperas, & ipsa nocte omnes devoti monachi vel viri venerabilis & religiosi abstinentes se ab omne delicia corporale, ut præter tantum panem & aquam cum aceto mixtum non sumentes cibum. Cui autem Domi- D nus [a] virtutem dederit pertranseunt sine cibo, usque in vigilia paschæ in sabbato sancto, hora nona diei ingrediuntur ad vigilias.

Primitus enim induunt sacerdotes una cum diaconibus vestibus cum quibus vigilias celebrantur, & procedunt de sacrario levitæ tantum cum subdiaconibus duo & duo juxta se adhærentes, sine luminibus accensis, canentibus interim fratribus lætania. Ut autem ad altare venerint stantes in ordinis suis, ille qui cereum benedici debet, stans in medio postulans eos pro se orare, & faciens crucem super cereum, & accipiens a subdiacono lumen quod in parasceve absconsum fuerit, & accenso cereo dicit, *Dominus vobiscum*. Respondent om- E nes, *Et cum Spiritu tuo*. Deinde dicit, *Oremus*,

[a] Huic voto favet concilium Quini-sextum can. 89. *Dies salutiferæ passionis in jejunio, & oratione, & cordis compunctione peragentes fideles, usque ad mediam magni sabbati noctem jejunare oportet.* Et Regula Magistri cap. 58. decernit, ut qui præter infantes infirmos & senes, die parasceves cibi aliquid gustare voluerit, benedictione quæ cibis impenditur privetur.

& dicit orationem primam. Deinde dicit, *Dominus vobiscum.* Respondent omnes, *Et cum Spiritu tuo.* Iterum dicit, *Sursum corda.* Respondent *Habemus ad Dominum.* Iterum dicit, *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Respondent. *Dignum & justum est.* Vel omnia sicut in sacramentorum commemorat. Benedicto autem cereo, revertentur in sacrario. Deinde procedent sacerdotes de sacrario cum diaconibus juxta ordines suos cum accensis cereis de ipso lumine cum turabulis thimiamatum. Iterum canuntur lætania. Ipsa autem expleta, stantibus vero & dat sacerdos orationem retrò altare, sicut mos est. Et sedentibus sacerdotibus in ordinis suis, & ingredientur ad legendum. Post unamquamque lectionem dat Sacerdos orationem, sicut in Sacramentorum commemoratur. Expletis vero lectionibus, cum canticis eorum & benedictionibus, revertentur omnes ministri ecclesiæ in sacrarium cum accensis cereis, expectantes horam qua ad missas ingredi debeant. Cùm autem stella in cælo apparuerit, statim iterum incipiunt tertio lætania, & procedunt de sacrario sicut ante fecerunt cum cereis accensis vel turabulis. Expleta autem lætania, incipiat abbas aut presbyter qui missas celebretur, *Gloria in excelsis Deo*, Hoc finito, legatur lectio Apostoli & cantetur, *alleluia. Dominus regnavit.* Tractum qualem volueris, & legatur lectio evangelii, aut episcopus, aut presbyter legatur. Ad communionem cantetur, *Agnus Dei*, & complebuntur omnia missarum solemnia ordine sicut reliquis diebus Dominicis. Et in ipsis VII. diebus paschæ, & in omni officio divino, ita agatur sicut & diem sanctum Paschæ præter tantum psalmum de unamquemque die psalluntur semper cum *alleluia* & usque quinquagesimo die à Pascha, quod est Pentecotem, tam psalmi quàm responsoria cum versibus & antefonis omnes cum *alleluia*, sunt canendi. Ascensione vero Domini, cum omni officio divino de ipsa die pertinente sicut reliquis diebus dominicis celebrantur. Responsorium vero vel antefonæ, usque in sabbato Pentecosten de ascensione Domini, canuntur. Sabbato Pentecosten omnes jejunium faciunt, & omne officio divino tam & lectiones quàm & baptismum ordine quod diximus in sabbato sancto celebrantur. Tanto hora septima incipiente ingrediuntur ad vigilias vel missarum solemniis, ut hora nona diei expleta omne consumentur. Diem sanctum pentecosten, sicut & diem sanctum paschæ celebrantur. Ipsa vero ebdomata post Pentecosten a IV. & VI. feria seu sabbato jejunium faciunt, & missarum solemnia cum omni officio, sicut & in Sacramentorum commemorat, celebrantur. Octavas autem pentecostes sicut & dominica præcidente ita celebrentur. Post hos vero dies anni circulus quæ adventum Domini præter natalitia sanctorum, vel quod commemoravimus, tam psalmi quàm responsoria, vel antifonæ & matutinis & vespertinis laudibus de cotidianis diebus canuntur. Agenda vero mortuorum ad vigilias, psalmi quoque & lectiones cum responsoriis vel antefonis in matutinis laudibus sine *alleluia*, de ipsis est canendum. Ad missas eorum *Gloria in excelsis Deo* nec *alleluia* cantatur, & consummata sunt omnia.

Explicit Breviarium Ecclesiæ ordinis Rominsæ. Deo gratias, Amen.





VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI LIBRI QUATUOR,

IN PRINCIPIUM GENESIS, USQUE AD NATIVITATEM ISAAC ET EJECTIONEM ISMAELIS.

Ex pluribus mss. codicibus.

ADMONITIO PRÆVIA.



QUI inter scriptores ecclesiasticos non inferiorem locum tenet Beda Venerabilis presbyter & monachus Benedictinus, inter Anglicanos primarium sibi facilè vindicat. Nam si doctrinæ quam tradit soliditatem ac puritatem spectes, eo nullus aliquando sanctiùs aut veriùs scripsit; si codicum multitudinem, nullus uberius; si multiplicem tractatuum varietatem, nullus tot disciplinarum aut scientiarum genera ita feliciùs assecutus est: adeo ut hoc uno in homine & egregium Grammaticum græcè non minus quàm latinè peritum, Poëtam pro tempore non vulgarem, Rhetorem, Astrononum, Arithmeticum, Chronographum, Cosmographum, Historicum, Philosophum, Theologum, & super omnia præstantissimum scripturæ sanctæ Interpretem demirari liceat: ut meritò à Willelmo Malmesburiensi libro de Gestis Regum Anglorum dicatur Vir, quem mirari faciliùs, quàm dignè prædicare possis, qui in extremo natus orbis angulo, doctrinæ corusco terras omnes perstrinxerit. *Quæ verba mutuatus fuisse videtur ab ipsius Bedæ vitæ scriptore.*

Verùm etsi liberales artes omnes, divinas humanasque scientias apprimè calluerit, easque, ut scribit Pithsæus, exactè didicerit, solidè noverit, firmiter tenuerit, explicatè docuerit; *sibique illo ævo conferendos perpaucos, superiorem profectò habuerit neminem: præcipuum tamen & pene unicum ejus studium, in meditandis sacris scripturis versabatur, ad cujus perfectam intelligentiam omnem laborum suorum rationem componebat, vigilias, lucubrationesque suas dirigebat. Id sanè testatur Beda ipse in sua Epitome, ubi hæc habet:* Cunctum ex eo tempus vitæ in ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter observantias disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. *Hinc meritò ab Acca Hagustaldensi episcopo,* in lege Domini meditanda dies noctesque duxisse pervigiles, *laudatur in epistola, quæ Bedæ Commentariis in Lucæ Evangelium præmitti solet, & à Bonifacio Moguntino episcopo & Germanorum apostolo* Sagacissimus investigator scripturarum

scripturarum *appellatur. Nam scribens ad Cutbbertum seu Vbertum abbatem*, interea, *inquit*, rogamus ut aliqua de opusculis sagacissimi investigatoris scripturarum Bedæ monachi, quem nuper in domo Dei, apud vos vice candelæ Ecclesiæ scientia scripturarum fulsisse audivimus, conscripta nobis transmittere dignemini. *Et in epistola ad Egbertum archiepiscopum:* modo autem inhianter desiderantes flagitamus a vobis ad gaudium, ut memores nostri, eo modo quo & ante mecum fecistis, aliquam particulam vel scintillam de candela Ecclesiæ, quam illuxit Spiritus-sanctus in regionibus provinciæ vestræ, nobis destinare curetis, id est de Tractatibus, quos spiritualis presbyter, & investigator sanctarum scripturarum Beda reserando composuit, partem qualemcumque dignemini mittere.

At cum vitam omnem in meditandis exponendisque scripturis Beda consumserit, stupendum planè videtur, primam omnium, quas in Indice operum suorum ipse recensuit, lucubrationem in omnibus hactenus editionibus desiderari, nec publicam ad nostra usque tempora lucem vidisse, scilicet in principium Genesis, usque ad nativitatem Isaac & ejectionem Ismaëlis libros quatuor. *Ita enim legendum, non* libros tres, *ut vulgo in editis, suadent antiqui tres manuscripti Bedæ codices, unus celeberrimi S. Audoëni Rotomagensis monasterii ante annos 600. exaratus, alter ejusdem circiter ætatis Sagiensis S. Martini asceterii, tertius Vindocinensis: quibus favet editio & antiqua versio seu paraphrasis Saxonica Chiffletiana ad alios mss. codices emendata & adornata; sed & Sigebertus, qui in libro de viris illustribus cap. 68. operum Bedæ catalogum, ab ipsomet conscriptum propriis ejus verbis refert. His adde Honorium Augustodunensem presbyterum, qui in libro de luminaribus Ecclesiæ, sive de scriptoribus Ecclesiasticis de Beda nostro sic scribit:* Beda monachus & presbyter Anglicæ provinciæ scripsit infinita, ex quibus sunt hæc: in Genesim libros quatuor. *Et Trithemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Beda, *inquit*, monachus & presbyter monasterii SS. Petri & Pauli, quod est in Anglia ordinis S. Benedicti, vir in divinis scripturis studiosissimus, & valde eruditus.... subjecta opuscula composuit: in Genesim, usque ad Isaac libros quatuor. *Suffragantur antiquissimi sex codices, in quibus Bedæ hoc opus quatuor in libros distributum continetur: unus Floriacensis monasterii S. Benedicti ab annis circiter nongentis eleganter scriptus, duo alii Corbeïenses quartus Divionensis S. Benigni, quorum caracter annos bene octingentos refert, quintus Clarevallensis annorum circiter 600. & sextus Metensis S. Vincentii ejusdem circiter ætatis. Qui quidem codices fere omnes eò majorem merentur fidem, quò ad ipsius Bedæ ætatem propius accedunt.*

Neque tamen quatuor hosce libros uno eodemque continuo labore conscripsit; sed tria dumtaxat Genesis priora capita primò suscepit exponenda, nimirum adusque Adæ ejectionem è paradiso, in subsequentia collaturus operam post Esdræ expositionem, quam tunc meditabatur: id quod præstitit adjectis tribus libris, quibus ea quæ ab expulsione Adæ è paradiso, usque ad nativitatem Isaac & Ismaëlis ejectionem intercipiuntur, commentatus est. Et priorem quidem lucubrationem, hortante Acca Hagustaldensi episcopo, qui illius familiaritate plurimum delectabatur, susceptam, duos partitus est in libros, ut constat ex nuncupatoria ad eumdem Accam epistola; qui duo postmodum libri in unicum coaluerunt, cùm opus suum perfecit, quemadmodum colligere licet ex vetusto codice Corbeïensi, in quo præfata distributio seu divisio ita reperitur, ut post expositionem in Hexameron sic legatur, Explicit liber primus: *deinde post ejectionem Adæ è paradiso iterum* Explicit liber primus; *quia nimirum postquam additi fuerunt tres posteriores libri, ex prioribus illis duobus unicus & primus confectus est.*

Porro cum hosce libros ab annis jam bene multis editioni parassemus, eos tandem didicimus non ita pridem in Anglia editos esse. Quapropter dubii aliquandiu hæsimus utrum eos iterum typis mandaremus. Verum cum illa editio vix mare transierit, rarissimisque reperiatur in bibliothecis, nec hactenus quæsita à nobis reperiri potuerit, cunctantibus nobis & quasi repugnantibus auctores fuerunt amici nostri, ut optimos libros non solum & Anglis, sed insuper Gallis aliisque nationibus profuturos nihilominus prælo

committeremus: maxime cum collatis invicem summa cum diligentia ac labore pluribus codicibus manuscriptis, appositisque in inferiori margine variantibus lectionibus, cum nonnullis etiam notis hic eos proferamus, ac libri primi partem priorem, quæ unica hactenus prodierat in lucem, infinitis propemodum mendis expurgaverimus; demumque cum Bedæ genium & reverentiam erga sanctos patres ubique spirent libri isti, & eorum verba tacitis plerumque nominibus, non semel proferant, patrum citationes ac libros unde desumtæ sunt pro modulo nostro adnotare curaverimus.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO AD ACCAM EPISCOPUM HAGUSTALDENSEM.

Dilectissimo ac Reverendissimo antistiti Acca, humillimus famulorum Christi Beda salutem.

DE principio libri Genesis, in quo A mundi hujus creatio descripta est [a] multi multa dixere, multa posteris ingenii sui monimenta reliquere; sed præcipue quantum nostra pusillitas ediscere potuit, Basilius Cæsariensis, quem Eustathius interpres de græco fecit esse latinum; Ambrosius Mediolanensis, Augustinus Hipponensis episcopus; quorum primus libris novem, secundus vestigia ejus sequens libris sex, tertius libris duodecim, & rursum aliis duobus specialiter adversum Manichæos descriptis, prolixa legentibus doctrinæ salutaris fluenta manarunt: completo in eis promisso Veritatis, B quo dicebat: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* (Joan. 7.38.) E quibus Augustinus etiam in libris Confessionum suarum, in libris quoque quos contra adversarium Legis & Prophetarum eximiè composuit; sed & in aliis sparsim opusculis suis nonnullam ejusdem primordialis creaturæ memoriam, cum expositione congrua fecit. Verùm quia hæc tam copiosa, tam sunt alta, ut vix, nisi à locupletioribus tot volumina acquiri; tam profunda, ut vix nisi ab eruditioribus, valeant perscrutari: placuit vestræ sanctitati id nobis officii injungere, ut de omnibus his ve- C lut de amœnissimis late florentis paradisi campis, quæ infirmorum viderentur necessitati sufficere, decerperemus. Nec segnior in exequendo, quæ jubere es dignatus, extiti: quin potius statim perspectis Patrum voluminibus, collegi ex his, ac duobus in libellis distinxi, quæ rudem adhuc possent instituere lectorem, quibus eruditus ad altiorem disceret fortioremque majorum ascendere lectionem. In quo opere sensum per omnia memoratorum, aliorumque æque catholicorum Patrum, nunc ipsis eorum, nunc breviandi causa meis sermonibus; nunc tacitis eorum vocabulis, nunc commemoratis, pro ut opportunitas locorum dictabat, ponere studebam, perduxique opus usque dum ejectus Adam de paradiso voluptatis, exilium vitæ temporalis intravit: aliqua etiam de sequentibus sacræ historiæ, si Deus voluerit, auxilio vestræ intercessionis comitante, scripturus, dum primò librum sancti Ezræ prophetæ ac sacerdotis, in quo Christi & Ecclesiæ sacramenta sub figura solutæ longæ captivitatis, restaurati templi, reædificatæ sanctæ civitatis, reductorum in Hierosolymam vasorum quæ abducta, rescriptæ legis Dei quæ incensa fuerat, castigati ab uxoribus [b] alienigenis populi, & uno corde atque anima in Dei servitium conversi, ut propheta simul & historicus conscripsit, parumper perscrutatus fuero, & aliqua ex his quæ commemoravi sacramentis, apertiora studiosis, Deo favente, reddidero. Bene vale semper, amantissime Antistes, nostri memor in Domino.

Explicit prologus.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CÆLUM ET TERRAM. Creationem mundi insinuans scriptura divina, aptè primo statim verbo æternitatem atque omnipotentia m Dei creatoris ostendit. (Dei æternitas & omnipotentia probatur.) Quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designat. Et quem ipso conditionis initio cælum

[a] Inter alios *Rhodon genere Asianus à Tatiano Romæ in scripturis eruditus, in Hexaëmeron elegantes tractatus composuit*, teste Hieronymo in lib. de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. 37. qui de Candido idem scribit cap. 48. de Appione cap. 49. & de Hippolyto cap. 61.

[b] *Editi cum uno ms. Corb.* alienis.

& terram creasse narrat; in tanta celeritate A operationis omnipotentem esse declarat [a] cui voluisse fecisse est. Nam humana fragilitas cùm aliquid operatur: verbi gratia, cùm domum ædificamus, in principio operis materiam præparamus, & post hoc principium fodimus in altum, deinde immittimus lapides in fundamentum, deinde parietes augescentibus lapidum ordinibus apponimus, sicque paulatim ad perfectionem operis propositi proficiendo pervenimus. Deus autem cujus omnipotens manus est ad explendum opus suum, non eguit mora temporum, quia scriptum est: *omnia quæcumque voluit fecit.* (Psal. 113. 3.) Unde beneplacitum B est, quia *in principio creavit Deus cælum & terram*: ut apertè detur intelligi, quod utrumque simul [b] à Deo factum est, quamvis utrumque simul ab homine dici non possit. Denique dicit propheta: *Initio terram tu fundasti, Domine.* (Psal. 101. 26.) Hic autem Dominus, in principio cælum & terram creasse narratur: unde liquidò colligitur, quia factura est utriusque elementi pariter expleta, & hoc tanta velocitate divinæ virtutis, ut necdum primum mundi nascentis momentum esset transcensum.

(Filius Dei principium cæli & terræ.) Potest autem non improbabiliter intelligi in principio fecisse Deum cælum & terram in C Unigenito Filio suo, qui interrogantibus se Judæis, quid eum credere deberent, respondit: *Principium* [c] *quod & loquor vobis.* (Joan. 8. 25.) Quia *in ipso*, ut ait Apostolus, *condita sunt omnia in cælis & in terra.* (Colos. 1. 16.) Sed diligenter intuendum, ut ita quisque sensibus allegoricis studium impendat, quatenus apertam historiæ fidem allegoriando non derelinquat.

Quod autem vel quale sit cælum, quod in principio cum terra factum est, sequentibus verbis insinuatur cum dicitur.

(Cælum superius quid.) TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA, ET TENEBRÆ SUPER FACIEM D ABYSSI. Ut quid enim hæc de terra, prætermisso cælo, intulit, nisi quia nihil tale de cælo intelligi voluit? Ipsum est enim cælum superius, quod ab omni hujus mundi volubili statu secretum divinæ gloriæ præscientiæ manet semper quietum. Nam de nostro cælo, in quo sunt posita luminaria, huic sæculo necessaria, in sequentibus scriptura, vel quomodo, vel quando sit factum declarat. Non ergo superius illud cælum, quod mortalium omnium est inaccessibile conspectibus, inane creatum est & vacuum ut terra, quæ nihil in prima sua creatione virentium germinum vel viventium E produxit animantium: quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est beatissimis angelorum agminibus impletum est; (Angeli cùm cælo creati.) quos in principio cum cælo & terra conditos esse, ac mox conditionem suam simul & totius creaturæ primordialis ad laudem creatoris retulisse testatur ipse Conditor, qui loquens ad sanctum famulum suum Job dicit: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* (Job. 38. 4.) Et paulo post: *Cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*; (Ibid. 7.) astra videlicet matutina eosdem angelos; quos & filios Dei nuncupans ad distinctionem nimirum hominum sanctorum, qui postmodum creandi, ac velut astra vespertina post confessionem divinæ laudationis per mortem erant carnis occasuri; è quibus videlicet astris matutinis, unum ob dispectum sociæ Dei laudationis audire meruit: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cælum ascendam, super sidera Dei exaltabo solium meum.* (Isa. 14. 12.) In cujus expositione sententiæ sanctus Hieronymus meminit etiam superioris cæli, ita scribens: (lib. 6. in Isaiam.) « Vel antequam de cælo corrueret, ista dicebat, vel postquam de cælo corruit: si adhuc in cælo positus, quomodo dicit: *Ascendam in cælum?* sed quia legimus, *cælum cæli Domino*: cùm esset in cælo, id est, firmamento; in cælum, ubi solium Domini est, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Sin autem postquam de cælo corruit ista loquitur; verba arrogantiæ debemus intelligere, qui nec præcipitatus quiescat, sed adhuc sibi [d] grandia repromittat, non ut inter astra, sed super astra Dei sit. » Merito itaque cælum cæli non inane vel vacuum esse factum memoratur, sed nec tenebris in eo vel abysso locus remanere ullus perhibetur, quod Dominus Deus illuminat, & cujus lucerna est Agnus. Et meritò inanis erat ac vacua terra, cùm adhuc tota abysso, id est, immensa profunditate tegebatur aquarum.

Meritò tenebræ super faciem erant abyssi, cùm necdum lux, quæ has fugaret creata est. Non autem audiendi sunt qui reprehendentes Deum, dicunt tenebras eum antequam lucem creasse: quia non Deus tenebras in aqua vel aëre fecit ullas, sed ordine distincto providentiæ suæ, prius aquas cum cælo creavit ac terra, & has postmodum cùm voluit ipse, lucis gratia venustavit: quod eum usque modo & in aqua ipsa & in aëre per quotidianum solis accessum ac discessum facere videmus. Neque enim aquas nisi à Deo factas credere fas est, quod etsi hic scriptura palam non dicit, palam tamen significat, cùm has à Deo illustratas atque ad jussum ejus ordinatas insinuat, sed & Psalmus dicit apertè: *Et aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini: quia ipse dixit, & facta sunt.* (Psal. 148. 4.) (Quatuor elementa simul creata.) Ubi notandum, quod cum cælo in principio duo mundi hujus elementa, aqua videlicet & terra nominatim facta memorantur, quibus tamen duo reliqua fuisse constat indita, ignem videlicet in ferro & lapidibus, quæ terræ viscere jam tunc condita latebant: aërem verò in ipsa terra, cui esse permixtus, ex eo cognoscitur, quòd cùm fuerit humectata, & temperiem solis acceperit, mox vapores exhalat largissimos. Ignem quoque ardentem

[a] *Al.* cujus. [b] *Editi* ab eo.
[c] Ita antiquiores duo codices mss Floriacensis, & Corbeiensis unus, atque ita legunt SS. Patres Ambrosius l. 1. in Hexameron, cap. 2. & 4. & lib. 3. de Fide ad Grat. c. 4. & l. 5. c. 4. & S. Aug. in lib. imperfecto de Genesi ad litteram. Ita etiam legit antiquus codex ms. Evangeliorum Majoris-monasterii ante annos 800. exaratus. Editi cum minori Corbeiensi ms. *qui & loquor.*
[d] *Ed.* gaudia:

terræ interioribus insitum, calidi aquarum fontes, [a] produnt, quæ cum percepta quædam metalla in profundo aquarum transcurrunt, non solùm calidæ, sed & ferventes insuper faciem telluris emanant. Non enim hæc, ut quidem disputant, informiter invicem mixta, sed terra ipsis quibus & nunc est finibus undique versùm circumscripta talis tunc erat tota, qualis adhuc sub imo [b] maris profundo ex parte remanet. Aquæ autem universam ejus superficiem in tantam tegebant altitudinem, ut ad [c] illa usque loca pertingerent, ubi nunc usque super firmamentum cæli ex parte residentes, nomen Dei creatoris, cum cælis cælorum laudare non desinunt. Ad hæc tantum informis est illa materies, de qua mundum esse factum testatur scriptura, quæ in Dei laudibus dicit: *Qui fecisti mundum de materia informi.* Nam cuncta quæ cum aquis & terra videre solemus in mundo, vel de ipsis exordium naturæ, vel sumsere de nihilo: Ipsa autem terra & ipsæ aquæ propterea nomen sortitæ sunt materiæ informis, quia priusquam in lucem venirent, undè formositatem haberent non erat. Quid autem inconveniens, si mundanæ materiæ fuerant tenebrosa primordia, ut accedente luce melius quod factum est redderetur, & tam quam proficientis hominis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur affectio, exponente Apostolo ac dicente: *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui illuxit in cordibus nostris?* Unde alibi dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: Illo videlicet qui cum tenebræ essent super faciem abyssi, dixit, *fiat lux, & facta est lux.*

2. Cor. 4. 6.
Eph. 5. 8.

Spiritus Dei qua ratione ferebatur super aquas.

ET SPIRITUS DEI SUPERFEREBATUR SUPER AQUAS. Non est opinandum pueriliter quòd Spiritus creator, de quo scriptum est, *quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, positione loci, his quæ erant creanda superferretur: sed intelligendum potiùs, quia virtute divina præcellebat creaturis, habens in propria potestate, quando aquarum illustraret abyssum, quando in locum eas secerneret unum, ut appareret arida, quando & quomodo creaturas ceteras pro suo nutu disponeret, in similitudinem videlicet fabri, cujus voluntas his quæ fabricandæ sunt rebus solet superferri. Quod ipsum quoque ad distinctionem superioris cæli pertinet, in quo mox perfectè omnia disposita spiritus-sancti præsentia illustrabat: Hæc autem ut in inferioribus; hoc est, hujus mundi creaturis bene primordia conditionis ex tempore ad perfectum deducere intendebat. Nam & ideo Moyses superioris mundi tam breviter fecit mentionem, quia de mundo hoc in quo homo factus est, ad instructionem generis humani sermonem facere instituerat, sufficere credens, si omnem creaturæ spiritalis & invisibilis statum atque ornatum, uno cæli nomine, quod in principio factum dixit, comprehenderet: corporalem verò, visibilem

Sap. 1. 7.

& corruptibilem creaturam latius ex ordine describeret: id est tacitis eis, quæ altiora quæsitu & fortiora scrutati sunt homines, illa potius quæ essent à Deo præcepta sive promissa hominibus cogitanda proponeret. Unde etiam consultè de casu prævaricatoris angeli & sociorum ejus penitus reticuit: quia hoc nimirum ad statum invisibilis illius ac spiritualis creaturæ pertinebat, cujus superioris & invisibilis creaturæ sanctus Basilius in libro hexameron secundo ita meminit: Arbitramur enim, quia « si fuit quippiam ante institutionem sensibilis « hujus & corruptibilis mundi, profecto in luce « fuit. Neque enim dignitas angelorum, nec « omnium cælestium militiæ, vel si quid est, « nominatum aut incompellabile aut aliqua « rationabilis virtus, vel ministrator spiritus « degere posset in tenebris, sed in luce & lætitia decentem sibi habitum possidebat. « Bene autem cùm in principio Deum, id est in Filio Patrem fecisse cælum & terram prædiceret, etiam Sancti Spiritus intulit mentionem addendo: *Et Spiritus Dei superferebatur super aquas*, ut videlicet totius simul Trinitatis in creatione mundi virtutem cooperatam esse signaret.

De angelorum casu cur taceatur.

Trinitas tota cooperata in mundi creatione.

ET DIXIT DEUS, FIAT LUX, ET FACTA EST LUX. Congruit operibus Dei, ut mundi ornatum à luce incipiat: qui cùm ipse sit lux vera, lucemque habitet inaccessibilem; cujus beatissima visione mox creati in cælis cælorum angeli jam perfrui cœperant. Aptè huic quoque sæculo ornando primam materialis gratiam lucis donavit, ut esset unde cetera quæ crearet apparerent. Quod autem dixisse Deus, sive ut lux fieret, sive ut alia quæque, perhibetur; non nostro more per sonum vocis corporeum [d] credendus est, sed altiùs intelligendum dixisse Deum ut fieret creatura, quia per Verbum suum omnia, id est, per Unigenitum Filium fecit: de quo manifestiùs Evangelista Johannes: *In principio*, inquit, *erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt.* Quod ergo ait Johannes, omnia facta sunt per Verbum Dei: hoc est, quod Moyses ait, quia dixit Deus: fiat lux, dixit: fiat firmamentum; dixit: fiat & cetera creatura. Hoc quod Psalmus adjuncta Spiritus-sancti persona dicit: *Verbo Domini cæli firmati sunt & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Si autem quæritur quibus in locis, jubente Deo, facta sit lux, cùm adhuc abyssus omnem terræ amplitudinem contegeret: patet profectò, quia in superioribus ejusdem terræ partibus, quas & nunc diurna solis lux illustrare consuevit, tunc principalis illa lux emicuit. Nec mirandum nobis divina operatione lucem in aquis posse resplendere, cum & hominum operatione constet eas sæpius inlustrari, nautarum videlicet, [e] qui in profundo maris demersi, emisso ex ore oleo, perspicuum sibi hoc ac lucidum reddunt. [f] Si enim

Deus quomodo loqui dicatur.

Joan. 1. 1.

Psal. 32. 6.

Lux quibus in locis facta.

[a] *Editi* prodeunt *minus bene.* [b] *Flor.* sub imo terræ, maris profundo.
[c] *Al.* illos usque locos.

[d] *Editi addunt* fecisse, *quod deest in mss. nec requiritur.*
[e] Hæc ex S. Ambrosio l. 1. in Hexameron cap. 9. desumta. [f] *In mss. deest* Si enim.

homo talia per oleum sui oris potest, quantum Deus per Spiritum oris sui creare posse credendus est, presertim cùm multò rariores, quàm modo in terris videre solemus, aquæ in principio fuisse factæ credendæ sint, priusquam in locum essent unum, [a] ut appareret arida, congregatæ.

Et vidit Deus lucem quod esset bona. Non velut incognitam antea repente lucem videns laudavit, quia bonam [b] dicit; sed eam quam laudabilem se facturum noverat, jam factam hominibus laude dignam ac mirandam esse declaravit. Verum quia non totas mundi tenebras luce infusa dispulit (hoc enim superni est sæculi fixa ac perpetua luce perfrui.) Sed ab una illum parte illustrans, aliam reliquit obscuram, rectè subditur:

Divisio lucis à tenebris qualis fuerit.

Et divisit lucem ac tenebras: Divisit namque eas non solùm qualitatis, sed & locorum distantia, lucem videlicet in superiore orbis parte diffundendo, in qua humana erat conversatio futura: inferiora verò ejus priscis in tenebris remanere sinendo.

Appellavitque lucem diem et tenebras noctem. Hoc ad intellectum nostrum dictum est: qua enim lingua appellavit Deus lucem diem ac tenebras noctem; utrum hebræa, an græca, an alia aliqua: Et sic omnia quæ vocavit quæri potest qua lingua vocaverit: sed apud Deum purus intellectus est sine strepitu & diversitate linguarum. Appellavit autem, dictum est: Appellari fecit: quia sic distinxit omnia & ordinavit: ut & dies cerni possent, & nomina accipere. Sic enim dicimus, ille paterfamilias ædificavit istam domum, id est ædificari fecit, & multa talia per omnes libros divinarum scripturarum inveniuntur.

Appellasse Deus quomodo dicatur.

Factumque est vespere et mane dies unus. [c] Factumque est vespere occidente paulatim luce post expletum spatium diurnæ longitudinis, atque inferiores mundi partes subeunte, quod nunc usitato solis circuitu noctibus agi solet: factum & mane redeunte eadem paulatim super terras, atque alium diem initiante; & huc usque dies expletus est unus, viginti scilicet & quatuor horarum, cujus commendatione verbi scriptura vigilanter admonet, ut lucem quæ facta est, inferiora orbis occasu suo lustrasse discamus. Nam si non hoc faceret, sed magis facto vespere paulatim tota periret; ac rursum paulatim mane recreata resurgeret, non jam in mane diei sequentis, sed potius in vespera primi unum diceret esse diem perfectum, unde etiam vesperam & mane, quam noctem & diem factam dicere maluit; ut insinuaret tunc primariæ lucis actum esse circuitu, quod nunc circuitu solis die noctuque geri constat: [d] præter hoc solummodo quod post creata sidera, nox quoque tam sua etsi minori, quàm dies luce perfunditur. Triduo autem illo primo tenebrosa prorsus & obscura manebat, decebat namque omnimodis ut dies incipiens à luce, in mane diei sequentis esset protelatus: quatenus intimaretur opera ejus qui est lux vera, & in quo tenebræ non sunt ullæ, à luce inchoari, & in lucem cuncta esse completa.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis: et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum cælum, et factum est vespere et mane dies secundus. Hic nostri cæli, in quo fixa sunt sidera, creatio describitur; quod in medio constat firmatum esse aquarum. Nam suppositas ei esse aquas, & ipsi in aëre terrisque videmus: superpositas autem non solùm hujus scripturæ auctoritate, sed prophetæ verbis edocemur, qui ait: *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus.* In medio ergo aquarum firmatum esse constat sidereum cælum, neque aliquid prohibet ut etiam de aquis factum esse credatur: qui enim cristallini lapidis quanta firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas novimus, quem de aquarum concretione certum est esse procreatum: quid obstat credi quòd idem dispositor naturarum in firmamento cæli substantiam solidarit aquarum? Si quem verò movet, quomodo aquæ, quarum natura est fluitare semper atque ad ima delabi, super cælum consistere possint, cujus rotunda videtur esse figura: meminerit scripturæ dicentis de Deo: *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*; & intelligat, quia qui infra cælum ligat aquas ad tempus cùm vult, ut non pariter decidant, nulla firmioris substantiæ crepidine sustentatas, sed vaporibus solùm nubium retentas; ipse etiam potuit aquas super rotundam cæli sphæram, ne umquam delabantur, non vaporali tenuitate, sed soliditate suspendere glaciali. Sed etsi liquentes ibi aquas sistere voluit, numquid majoris hoc miraculi est, quàm quòd ipsam terræ molem, ut scriptura dicit, appendit in nihilo? Nam & undæ sive rubri maris, seu fluvii Jordanis, cùm ad transitum Israëliticæ plebis in altum erectæ murorum instar figuntur, nonne evidens dant indicium, quod etiam supra rotunditatem cæli volubilem, fixa possint statione manere? Sane quales ibi aquæ sint, quosve ad usus reservatæ, conditor ipse noverit: esse tantum eas ibi, quia scriptura sancta dixit, nulli dubitandum reliquit. Quid sit autem dicere Dei fiat hæc vel illa creatura, jam supra dictum est. Dixit enim ut fieret, cùm in coæterno sibi Verbo, unigenito videlicet Filio, cuncta creando disposuit. Cùm ergo audimus; *dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*; intelligamus quod in Verbo Dei erat ut fieret, in quo faciendum intus, ante omne tempus prævidit, quicquid foras Deus ex tempore fecit. Cùm verò au-

Psal. 103, 2.

Cælum ex aquis factum instar cristallini lapidis.

Job 26. 8.

Quid sit dicere Dei.

[a] *Editi* ut apparerent congregatæ, *male omnino*.
[b] *Al.* didicit.
[c] *Al.* Factumque occidente paulatim luce *emisso* est.
[d] *Al.* vel nisi propter.

divimus, *Et fecit Deus firmamentum, & divisit aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, & factum est ita*; intelligamus factam cæli aquarumque creationem, ac dispositionem non excessisse præscriptos sibi in verbo Dei terminos, juxta illud Psalmistæ: Ps. 148. 6. *præceptum posuit, & non præteribit.* Quod æquè de creaturis sequentibus quatuor diebus factæ referuntur, intelligendum est. Ubi verò adjunctum audimus, *Et vidit Deus quòd esset bonum*, intelligamus in benignitate spiritus ejus, non quasi cognitum postea quia factum est, placuisse, sed potius in ea bonitate placuisse, ut maneret, ubi placebat ut fieret. Notandum enim, B quod hujus verbi adjectio hoc in loco in Hebraïca veritate non habetur. Et mirum quare inter omnia quæ creasse Deus legitur, hic solummodo, id est, in secundi diei operibus, probatio divinæ visionis minimè addatur, quæ tamen ipsa cum ceteris quæ fecit, Deo bona visa esse demonstrantur, cùm in sequentibus dicitur, *viditque Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona*, nisi fortè, sicut quidam Patrum exponunt, intelligere nos in hoc scriptura voluit, non esse bonum duplicem numerum, qui ab unitate dividat, & præfiguret fœdera nuptiarum: unde & in arca Noë omnia animalia quæcumque bina ingrediuntur, immunda sunt, & impar numerus esse mundus ostenditur. De his sane quæ hactenus exposita sunt, id est de creatione diei primi & secundi, in historia sancti Clementis ita refertur dixisse apostolum Petrum: (Recognit. S. Clem. lib. 1. cap. 27.) » In principio cùm fecisset Deus cælum » & terram, tamquam domum unam, ipsaque » ex corporibus mundi reddita est umbra his » quæ intrinsecus clausa erant, tenebras ex se » dedit. Sed cùm voluntas Dei introduxisset » lucem, tenebræ illæ, quæ ex umbra corporum factæ fuerant, continuo devoratæ sunt; » tum deinde lux in diem, tenebræ deputantur in noctem: Jam vero aqua quæ erat intra mundum, in medio primi illius cæli terræque spatio, quasi gelu concreta, & cristallo solidata distenditur: & hujusmodi firmamento velut intercluduntur media cæli ac terræ spatia, idque firmamentum cælum conditor appellavit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum, & ita totius mundi machinam, cum una domus esset, in duas divisit regiones. Divisionis autem hæc fuit causa, ut superna regio angelis habitaculum; inferior verò præberet hominibus. Hæc nostro operi paucis inserere libuit, ut quantum hoc Patrum sensui concordet, lector agnoscat.

DIXIT VERÒ DEUS: CONGREGENTUR AQUÆ QUÆ SUB CÆLO SUNT IN LOCUM UNUM, ET APPAREAT ARIDA, FACTUMQUE EST ITA. Subducuntur aquæ quæ inter cælum & terram universa compleverant, & unum congregantur in locum: ut & lux quæ præterito biduo aquas clara lustrabat, clarior puro in aëre splendesceret; & terra quæ late- A bat appareret, quæque contecta aquis limosa manebat & invalida, harum abscessu redderetur arida, & suscipiendis apta germinibus. Si quis verò quæsierit ubi congregatæ sint aquæ, quæ omnes terræ partes ad cælum usque cooperuerant; sciat fieri potuisse, ut terra ipsa longè latèque jussu Creatoris subsidens, alias partes præberet concavas, quibus confluentes aquæ reciperentur, ut appareret arida ex his partibus, unde humor [a] abscesserat. (Congregatio aquarum quomodo facta.) Potest etiam non absurdè credi rariores, sicut & supra commemoravimus, primarias fuisse aquas, quæ velut [b] nebulæ terras tegerent; congregatione autem esse spissatas, quæ datis sibi locis capi possent; apparente arida in reliquis. Bene autem cùm multa constet esse maria, in locum tamen unum congregatas dicit aquas: quia videlicet cuncta hæc jugi unda atque continua oceano ac mari junguntur magno: sed etsi qui lacus in semetipsis videntur esse circumscripti, & hos ferunt occultis quibusdam [c] perforatos cavernis, in mare suos evolvere meatus. Nam & fossores puteorum hoc probant; quia tellus omnis per invisibiles venas aquis est repleta manantibus, quæ trahunt ex mari principium.

ET VOCAVIT DEUS ARIDAM TERRAM, C CONGREGATIONESQUE AQUARUM APPELLAVIT MARIA. Prius quidem ad distinctionem aquarum totam hanc solidiorem mundi partem appellavit terram, cùm diceret, *In principio creavit Deus cælum & terram; terra autem erat inanis & vacua:* at nunc postquam formari jam mundus incipit, & aquis suum in locum recedentibus terræ facies appareret, ad distinctionem partis ejus quæ adhucaquis premebatur, cetera portio quam aridam esse licebat, terræ nomen accepit: inde [d] dicta latinè, quòd animantium pedibus teratur. Congregationes vero aquarum appellantur maria, videlicet [e] pro D maxima sui parte. Nam & apud hebræos cunctas aquarum congregationes sive salsæ, seu sint dulces, appellari dicunt maria. Et apte [f] qui prius propter continuationem omnium quæ in terris sunt aquarum, in locum unum eas dixit congregatas, nunc & earum congregationes aquarum pluraliter nominat, & hæc appellari maria pluraliter dicit, propter videlicet multifidos earumdem sinus, qui diversa pro regionum vocabulis & ipsi nomina sortiuntur.

ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM. Necdum terra germinabat, necdum vel ipsa, [g] vel aquæ animantia viva produ- E xerant; & tamen videre dicitur Deus quod esset bonum, cedentibus aquis apparuisse aridam: quia videlicet aquæ creator atque [h] æstimator universitatis prævidens quæ futura sunt, quasi perfecta jam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt: nec mirum apud quem rerum perfectio non in consummatione operis, sed in suæ est prædestinatione voluntatis.

ET AIT: GERMINET TERRA HERBAM VIRENTEM ET FACIENTEM SEMEN,

[a] *Editi* abscederet. [b] *Al.* nebula.
[c] *Al. addit* meatibus. [d] *Al.* dictum.
[e] *Editi* proxima.

[f] *Al.* quia.
[g] *Al. addit* maria.
[h] *Al. deest* creator atque.

ET LIGNUM POMIFERUM FACIENS FRUCTUM JUXTA GENUS SUUM; CUJUS SEMEN IN SEMETIPSO SIT SUPER TERRAM. ET FACTUM EST ITA: ET PROTULIT TERRA HERBAM VIRENTEM, ET AFFERENTEM SEMEN JUXTA GENUS SUUM, LIGNUMQUE FACIENS FRUCTUM, ET HABENS UNUMQUODQUE SEMENTEM SECUNDUM [a] SPECIEM SUAM. ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM, FACTUMQUE EST VESPERE ET MANE DIES TERTIUS. Patet ex his Dei verbis, quod verno tempore mundi est perfectus ornatus. In hoc enim solent herbæ virentes apparere in terra & ligna pomis onustari: simulque notandum, quod non prima herbarum arborumque germina de semine, sed prodiere de terra: nam ad unam Conditoris jussionem terra, quæ arida parebat, repente herbis comta, & nemoribus est vestita florentibus, atque hæc continuo sui quæque generis poma ex sese, ac semina [b] produxerunt. Oportebat enim ut forma quæque rerum ad imperium Domini primò perfecta procederet, quomodo & homo ipse, propter quem omnia facta sunt in terra, perfectè, hoc est, juvenilis ætatis plasmatus esse credendus est.

Mundus verno tempore creatus.

DIXIT AUTEM DEUS: FIANT LUMINARIA IN FIRMAMENTO CÆLI: Decenti satis ordine mundus ex materia informi congruam procedit ad formam. Postquam enim ante omnem hujus sæculi diem cælum & terram & aquam Deus creavit, hoc est, superiorem illum, & spiritalem cum suis incolis mundum, & informem totius hujus mundi materiam, juxta hoc quod scriptum est: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*; primo hujus sæculi die lucem fecit, [c] quæ ceteras creaturas specie capaces redderet. Secundo firmamentum cæli, superiorem videlicet hujus mundi partem, in aquarum medio solidavit. Tertio in inferioribus mare terrasque suis discrevit finibus, aëremque suis in locis, cedente aqua, diffudit. Oportuit ergo ut eodem quo creata sunt ordine profectum caperent elementa amplioris ornatus, id est, quarto die cælum luminaribus insigniretur. Quinto aër & mare, sexto terra suis impleretur animantibus. Nam quod die tertio terra herbis est arboribusque vestita; non ad ornatum ejus, sed ad ipsam, ut ita dixerim, figuræ ejus superficiem pertinet.

Eccl. 18. 1.

Elementa eodem ordine ornatum quo creationem sumserunt.

DIXIT ERGO DEUS: FIANT LUMINARIA IN FIRMAMENTO CÆLI, UT DIVIDANT DIEM AC NOCTEM. Ea videlicet divisione, quæ in sequentibus explicatur apertiùs, ut sol quidem diem, luna verò & stellæ noctem illustrent. Hoc enim factis sideribus ad augmentum primariæ lucis accessit, ut etiam nox luminosa procederet, vel lunæ utique splendore, vel stellarum, vel utroque inradiata, quæ eatenus nihil præter tenebras noverat antiquas. Nam etsi nobis sæpissime nox tenebrosa videtur, & cæca, obscurato videlicet nebulosis turbinibus aëre qui terræ proximus est: superiora tamen illa spatia, quæ ætheris nomine censentur, & à turbulento hoc aëre usque ad sidereum pertingunt cælum, semper ob siderum circumeuntium reddunt lucida fulgorem. Sed & hoc divini muneris exorta sidera cum additamento lucis mundo obtulerunt, ut distinctio quoque temporum labentium per ea posset dinosci: unde sequitur.

ET SINT IN SIGNA ET TEMPORA, ET DIES ET ANNOS: Quia nimirum priusquam sidera fierent, non erat quibus ordo temporum adnotaretur indiciis: non erat unde meridiana hora dinosceretur, antequam sol medium cæli conscenderet igneus orbem; [d] non unde ceteræ diei noctisque signarentur horæ, donec astra polum æquali inter se sorte die noctuque dividerent. Sunt ergo luminaria in signa & tempora & dies & annos: non quod à conditione eorum vel tempora inciperent, quæ constat cepisse à principio quo fecit Deus cælum & terram; vel dies & anni, qui originem sumsisse noscuntur, ex quo dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux*: sed quia per ortus eorum sive transitus temporum ordo dierumque annorumque signatur. Nam totum illud triduum superiùs indiscreto cursus sui processu transierat, nullam penitus dimensionem habens horarum, ut pote quia lumine primario adhuc generaliter omnia replente, nullumque caput habente, quod nunc de sole accipit, nusquam radii ardentiores inluxerant; nulla sub caute vel arbore quasi remotior umbra frigebat. Sed & excepta adnotatione temporum, sunt luminaria in signa hujus vitæ usibus necessaria, quæ vel nautæ in gubernando, vel in desertis Aethiopiæ arenosis quique viantes observant: ubi quàm levissimo venti impulsu cuncta, mox quæ inventa fuerint, itinerantium vestigia complanantur. Ideoque non minus illis in regionibus euntes, quàm qui in mari navigant nocte dieque signis egent siderum. Sunt item signa, [e] quibus nonnunquam aëris quoque qualitas quæ sit ventura horum contemplatione prævidemus.

Sidera quomodo sint in signa.

UT LUCEANT IN FIRMAMENTO CÆLI, ET INLUMINENT TERRAM, ET FACTUM EST ITA. Semper quidem luminaria in firmamento cæli lucent, ut diximus, & proxima ei loca claro lumine perfundunt; sed temporibus opportunis inluminant terram. Namque aliquoties nubilosus obsistit aër, ne vel lunæ, cùm parva est, vel stellarum lumen terris appareat: sed & ortus sol lunam stellasque majore lumine, ne terram inluminent impedit: unde & nomen latine accepit, quòd solus obtunsis unà stellis cum luna per diem terris fulgeat.

Sol unde dictus.

FECIT QUOQUE DEUS DUO MAGNA LUMINARIA. Luminaria magna possumus accipere, non tam aliorum comparatione, quàm suo munere, ut est cælum magnum & mare magnum. Nam & magnus sol qui complet orbem

[a] *Al.* per speciem. [b] *Al.* produxerint. [c] *Al.* ut ceteras.

[d] *Al.* vel hæc unde, *al.* hæc unde, *al.* non hæc unde. [e] *Al.* quia, *al.* quæ.

terrarum suo calore, vel luna suo lumine, A quæ in quacumque parte fuerint cæli, terræ inluminant omnia, & æque spectantur à cunctis. Exemplum magnitudinis eorum evidens, quòd omnibus hominibus orbis ipsorum idem videtur. Nam si longè positis minor videretur, & propius constitutis major refulgeret, proderet exiguitatis indicium.

Quomodo luminare majus.

LUMINARE MAJUS, UT PRÆESSET DIEI, ET LUMINARE MINUS, UT PRÆESSET NOCTI, ET STELLAS: ET POSUIT EAS IN FIRMAMENTO CÆLI. Luminare majus est sol, non solum forma sui qualiscumque est corporis, sed etiam magnitudine luminis, qua & ipsum luminare minus & B stellas illustrare creditur. Major est & virtute ardoris, qua mundum calefecit exortus, cùm præteritis ante ejus creationem diebus, nihil omnino caloris habuisset: quod autem æqualis uniusque magnitudinis luna cum sole cernitur, ex eo fieri dicunt, quod ille multò longinquior à terris atque altior quàm luna incedat: ideoque magnitudo ejus quanta sit, nequaquam à nobis qui in terris degimus, valeat dinosci. Omnia enim longiùs posita solent breviora videri.

ET LUMINARE, inquit, MINUS UT PRÆESSET NOCTI, ET STELLAS; ET POSUIT EAS C IN FIRMAMENTO CÆLI: quia etsi lunam omni mense si aliquotiens & stellas majores in die videri contingat; nequaquam eas diei, sed nocti solummodo lucis solatium aliquod afferre certissimum est.

UT LUCERENT SUPER TERRAM, ET PRÆESSENT DIEI AC NOCTI, ET DIVIDERENT LUCEM AC TENEBRAS. Hæc & de luminaribus magnis & de stellis intelligi possunt ea tantum distinctione, ut quod dictum est *& præessent diei*, ad solem specialiter; quod subjunctum *& nocti*, ad lunam & stellas pertineat; quod verò subinfertur *& dividerent lucem ac* D *tenebras*, omnibus æque sideribus conveniat, quæ ubicumque incedunt, lucem secum circumferunt: ubi autem absunt, tenebrosa cuncta relinquunt. Sin autem quærit aliquis, quale poterit esse lumen diurnum ante creationem siderum, non ab re [a] quòd tale fuerit, quale videmus quotidie mane, adproximante scilicet solis ortu, sed necdum terris apparente, quando lucet quidem obtusis stellarum radiis dies, sed minimè adhuc, [b] donec sol oriatur, refulget. Unde nulla tunc esse discretio temporum præter diei solùm & noctis poterat, meritoque factis sideribus dictum est: *Et sint in* E *signa & tempora & dies & annos.* Cœperunt namque discerni temporum vices, ex quo sol die quarto mundi nascentis à medio procedens orientis, æquinoctium vernale suo consecravit exortu, & quotidianis profectibus ad alta cæli culmina scandendo, rursumque à solsticiali vertice ad infima paulatim descendendo, nec mora ab infimis hibernisque locis æquinoctiales gyros repetendo discretis temporibus qua-

Quale fuerit lumen diurnum ante siderum creationem

tuor notissimis, diebusque præfinitis anni spatium complevit. Sed & luna vespere plena apparens, ea quæ in celebrationem paschæ servanda erant tempora, primo suo præfixit ascensu. Ipsa est enim hora [c] qua non solùm antiquus ille populus Dei, sed & nos hodie primam in agendo pascha servamus, cùm æquinoctii die transcenso plena vespere luna, hoc est, quartadecima in faciem cæli prodierit. Nam mox post hæc ut Dominicus dies advenerit, aptum hoc celebrandæ resurrectionis dominicæ tempus instabit: completo ad litteram quoque prophetæ verbo, qui dixit, *Fecit lunam* [d] *in tempora, sol cognovit occasum suum.* Stellæ quoque, excepto [e] quod supra diximus, quia vel sua specie quæ sit futura qualitas aëris, vel suo cursu quota sit vigilia noctis ostendunt, sunt in signa & tempora; quia hæ in cælum venientes æstiva tempora, illæ designant hyberna. Sunt & in dies: quia istæ vernis diebus solem, illæ comitantur autumnalibus. Sunt & in annos, quia quæ nunc verbi gratia in æquinoctio verno matutinæ oriuntur, ipsæ omnibus annis in eodem æquinoctio in cæli faciem veniunt: quæ nunc in solsticio vespere vel mane, hæ semper in illo eisdem horis oriuntur. Sed & quædam sunt stellæ, quas planetas, id est, errantes vocant astrologi, quæ majores annos suo circuitu faciunt, quo ad eumdem cæli locum redeunt. Nam stella quæ Saturni dicitur, triginta annis: quæ Jovis, duodecim annis: quæ Martis, duobus annis fertur solaribus, circuitu cæli expleto, ad eadem loca siderum, in quibus fuerant ante redire. Luna quoque cum duodecies spatia sui cursus peregerit, annum facit communem, id est, dierum trecentorum quinquaginta quatuor, & ut anno solari possit ejus concordare circuitus, tertio quoque vel secundo anno tertium decimum addit mensem, quem embolismum vocant annum calculatores, & fit dierum trecentorum octoginta & quatuor.

Psal. 103 19.

Stellæ quomodo in signa & tempora & annos.

Embolismus.

ET VIDIT DEUS QUÒD ESSET BONUM: necessario sancta scriptura multoties repetit, quod vidit Deus bona esse quæ fecit, ut hinc informaretur pietas fidelium: non tamen pro humano sensu, qui sæpe etiam bonis rebus offenditur quarum [f] causas atque ordinem nescit, de creatura visibili atque invisibili judicare, sed laudanti Deo credere & cedere. Tantò enim quisque faciliùs aliquid proficiendo cognoscit, quantò religiosiùs antequam [g] cognosceret Deo credidit. Vidit ergo Deus quòd essent bona quæ fecit: quoniam quæ facienda placebant, ut fierent facta placuerunt, ut manerent, quantum cuique rei existendi sive manendi à tanto fabricatore fuerat constituenda mensura.

FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES QUARTUS: hæc est vespera illa memoranda, in qua populus Dei in Ægypto in celebrationem paschæ obtulit agnum hoc mane quod

[a] *Editi addunt* est credi, *quæ verba in mss. desiderantur, sed subintelligenda videntur.*
[b] *Al.* Solis ortus refulget.

[c] Ita mss. editi habent *quàm.* [d] *Al.* in tempore.
[e] *Al.* eo quod. [f] *Mss. omnes* causis.
[g] *Al.* regnosceret.

primum

primum post excussum longæ servitutis jugum cœpto libertatis itinere vidit. Scriptum est dicente Domino ad Moysen: *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, & servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël, ad vesperam, &c.* Qua etiam vespera ad consummanda paschæ legalis sacramenta, Dominus noster post esum agni typicè mysteria nobis sui Corporis & Sanguinis celebranda initiavit: quo lucescente mane, quasi agnus immaculatus suo nos sanguine redimens, à dæmonicæ dominationis servitute liberavit. Quæ videlicet lunæ plenissimæ dies in creatione quidem mundi quarta processit: at in tempore Dominicæ passionis altioris gratia sacramenti, in quintam sabbati incidit: ut videlicet Dominus sexta sabbati crucifixus, sabbato ipso in sepulchro quiesceret, ac primam sabbati sua resurrectione consecraret, & nobis quoque in ea, in qua lux facta est, resurgendi à mortuis ac lucem perpetuam intrandi fidem spemque donaret.

Exod. 12. 2.

DIXIT ETIAM DEUS: PRODUCANT AQUÆ REPTILE ANIMÆ VIVENTIS, ET VOLATILE SUPER TERRAM SUB FIRMAMENTO CÆLI: Post ornatam quarto die cæli faciem luminaribus, ornantur consequenter quinta inferioris mundi partes, aquæ videlicet & aër, his quæ spiritu vitæ moventur: quia & hæc elementa quadam quasi cognatione & sibi ad invicem & cælo copulantur. Sibi quidem, quia natura aquarum aëris qualitati proxima est: unde exhalationibus earum pinguescere probatur, ita ut nubila contrahat, & possit volatus avium sustinere, attestante scriptura: *quia subito aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.* Denique per noctes etiam serenas rorat, cujus roris guttæ mane in herbis inveniuntur: cælo autem hoc modo junguntur, quia adeo vicinus est ei aër iste, ut & ipse nonnunquam ejus nomen acceperit, sicut volatilia cæli cognominat scriptura, quæ volare constat in aëre: & Dominus ipse turbis, quæ tempus adventus sui de virtutum ostensione non cognoverant, loquitur dicens: *Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: nimbus venit, & ita fit; & cùm austrum flantem, dicitis: quia ventus erit, & fit. Hypocritæ faciem terræ & cæli nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?* Ubi certum est, quia faciem cæli non aliam quàm variantem hunc statum aëris appellat.

Copulatio elementorum ad se & ad cælum.

Job. 37. 11.

Luc. 12. 54.

DIXIT ERGO DEUS, PRODUCANT AQUÆ [a] REPTILE ANIMÆ VIVENTIS, ET VOLATILE SUPER TERRAM SUB FIRMAMENTO CÆLI. Et ne forte, quia sunt aquarum animantia, quæ non reptando, sed natando, vel pedibus ambulando incedunt; sunt inter volatilia quæ ita pennas habent, ut omni usu volandi careant, putaret quisquam aliquod genus volatilium sive aquatilium animantium in hoc Domini verbo esse prætermissum, vigilanter adjungitur.

[b] CREAVITQUE DEUS CETE GRANDIA ET OMNEM ANIMAM VIVENTEM ATQUE MOTABILEM, QUAM PRODUXERANT AQUÆ IN SPECIES SUAS, ET OMNE VOLATILE SECUNDUM GENUS SUUM. Nullum igitur genus exceptum est, ubi cum cetis grandibus creata est omnis anima vivens [c] eorum quæ produxerant aquæ in species diversas: hoc est, & reptilium, & natatilium, & volatilium; sed & eorum quæ nullo aptæ incessui fixa cautibus inhærent, ut sunt plurima concharum genera. Quod autem dictum, *& volatile super terram sub firmamento cæli*, nihil rationi veritatis obsistit, quia nimirum, etsi immenso interjacenti spatio, sub sidereo tamen cælo volant aves quæ super terram volant: quomodo etiam nos homines in terra positi, sub cælo ac sole esse constituti veraciter & rectè dicimur, attestante scriptura, quæ ait: *Qui erant in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub cælo est*: & *quid habet amplius homo de universo labore suo quo laborat sub sole.* Sanè juxta aliam Translationem movet nonnullos quod dictum est, *& volatilia volantia secus firmamentum cæli*, id est juxta firmamentum cæli. Sed intelligendum est, quòd ideo dictum sit volare aves sub firmamento cæli, quia hoc nomine etiam æther indicetur: hoc est, superius illud aëris spatium, quod à turbulento hoc & caliginoso loco in quo aves [d] volant, usque ad astra pertingit, & esse tranquillum prorsus ac luce plenum non immeritò creditur. Nam & errantia sidera septem, quæ in hoc ætheris spatio vaga ferri perhibentur, scriptura in firmamento cæli esse posita dixit. Ideoque aves rectè dicuntur secus firmamentum cæli volare; quia vicina sunt, ut diximus, ætheri turbulenta hæc aëris spatia, quæ volatus avium sustinent. Nec mirandum si æther firmamentum cæli nominetur, cum aër appellatur cælum, ut supra docuimus. Nec prætereundum quod cùm creasse diceretur Deus omnem animam viventem, additum est, *atque motabilem*: ad distinctionem videlicet hominis, quem facturus erat ad imaginem & similitudinem suam, ita ut si ejus præcepta servaret, perpetua viveret incommutabilitate beatus. Nam animantia cetera, ita sunt prima mox conditione facta, ut vel alia aliis in alimoniam cederent, vel ipsa suo senio deficientia perirent.

Act. 2. 5.

Eccle. 1. 3.

Nomine firmamenti etiam æther intelligitur.

ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM, BENEDIXITQUE EIS DICENS: CRESCITE ET MULTIPLICAMINI ET REPLETE AQUAS MARIS, AVESQUE MULTIPLICENTUR SUPER TERRAM. ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES QUINTUS. Quod dixit, *crescite & multiplicamini & replete aquas maris*, ad utrumque genus animantium de aquis factorum; hoc est, & ad pisces pertinet, & ad aves:

[a] *In mss. deest* reptile.
[b] *Flor* creavit Deus.
[c] *Flor. deest* eorum.
[d] *al.* volitant.

[a] quia sicut [a] pisces omnes non nisi in aquis vivere possunt; ita sunt pleræque aves quæ etsi in terris aliquando requiescunt, fœtusque propagant; non [b] tantùm de terra, sed de mari vescuntur, marinisque sedibus libentiùs quàm utuntur terrestribus. Quod vero subjungit, *avesque multiplicentur super terram*, ad utrumque genus avium, hoc est, & earum quæ de aquis, & earum quæ vescuntur de terra, respicit: quia videlicet etiam illæ quæ sine aquis vivere nesciunt aves, ita ut multo sæpe anni tempore sub profundo aquarum, quomodo pisces lateant, nonnunquam egredi super terras solent, maximè cùm fœtant & nutriunt pullos.

Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias secundum species suas. Factumque est ita. Post radiatum sideribus cælum, post impletum volatilibus aërem, qui ob [c] viciniam, ut diximus, cæli nomen meruit. Post locupletatas suis animantibus aquas, quæ & ipsæ aëri sunt magna naturæ vicinitate conjunctæ: unde & de illis sumsit animantia, de illis imbres, nives, grandines & cetera sumit hujusmodi: consequens erat etiam terram suis animantibus, hoc est, ex se genitis impleri. Nam & ipsa præcipuam habet cognationem cum aquis, ut pote quæ sine earum succo & inrigatione non solùm fructificare, sed nec ipsa consistere possit, Petro attestante, qui ait: *quia cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.* Jubet ergo producere Deus terram, jumenta, & reptilia, & bestias terræ: quia verò nomine bestiarum omne quicquid ore vel unguibus sævit, exceptis serpentibus, constat esse comprehensum: nomine autem reptilium terræ etiam serpentes continentur; nomine verò jumentorum, ea quæ in usu sunt hominum, animalia designantur. Ubi ergo conditio describitur ceterorum animalium quadrupedum, verbi gratia, cervorum, caprearum, bubalorum & [d] caprorum ceterorumque hujusmodi, nisi forte & hæc ob ferocitatem indomitæ mentis inter bestias esse adnumerata dixerimus, juxta antiquam sanè translationem, in qua scriptum est: *Ejiciat terra animam vivam secundùm genus, quadrupedia, & reptilia & bestias terræ*, nihil omnino quæstionis est, quia videlicet nomine quadrupedum cuncta comprehensa sunt, quæ, exceptis bestiis & reptilibus, terra produxit, sive quæ sub cura humana, seu quæ sunt fera & agrestia.

1. Pet. 3. 5.

Bestiarum nomine quid intelligatur.

Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas et jumenta et omne reptile terræ in genere suo. Notanda transmutatio verborum, quia supra dictum est, quod producere jusserit Deus terram, & jumenta, & reptilia, & bestias terræ: nunc autem mutato ordine fecisse dicitur Deus bestias terræ & jumenta & omne reptile terræ: & intelligendum, quod dicto citiùs omne quod voluit, fuit: nilque differt quod loquela humana prius in creaturarum ordine nominet, quas divina potentia condidit simul cunctas.

Cùm autem sequitur: Et vidit Deus quod esset bonum, quæritur merito, quare non hic addatur illud quod dictum est de eis, quæ aquæ produxerant de animantibus, *benedixitque eis dicens: Crescite & multiplicamini & replete terram.* An fortè quod de prima creatura animæ viventis dictum à Deo commendaverit, etiam de secunda nobis subintelligendum reliquit? maximè, quia in hujus diei operibus plura erat alia subjuncturus: porro de homine facto hoc necessario iterare curavit dicens: *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram*; ne quis honorabili connubio inesse peccatum [e] thorumque fœditati fornicationis putaret esse comparandum. Facta autem atque ornata habitatione mundana, superest ut ipse etiam propter quem omnia parabantur, habitator ac dominus rerum homo crearetur, sequitur. [e]

Et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Nunc apparet evidentius quare de creatis herbis & arboribus, piscibus & volatilibus, terrestribus quoque animantibus dictum sit, ut fierent singula juxta genus & species suas. Prævidebatur enim futura ejus creatio, qui non solùm suo generi similitudine congrueret & specie, sed etiam ad imaginem sui Creatoris ac similitudinem fieret: cujus nobilitati creationis etiam hoc testimonium dat, quod non sicut in ceteris creaturis dixit Deus: fiat homo, & factus est homo; vel: producat terra hominem, & produxit terra hominem; sed priusquam fieret, faciamus hominem dicitur, ut videlicet quia rationabilis creatura condebatur, quasi cum consilio videretur facta. Quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet non per [f] jussionem vocis, sed per dignitatem operationis existeret, quia ad Conditoris imaginem fiebat. Cùm autem dicitur, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; unitas sanctæ Trinitatis apertè commendatur. Si quidem eadem individua Trinitas, in præcedente rerum formatione mysticè erat insinuata, quando dicebatur: Et dixit Deus fiat, & fecit Deus; & vidit Deus quod esset bonum. Nunc autem manifestiùs hæc ipsa insinuatur, cùm dicitur: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & rectè, quia donec is qui doceretur non erat, in profundo fuit abdita prædicatio Deitatis: ubi verò cœpit hominis expectari creatio, revelata est fides, & evidenter dogma veritatis emicuit. In eo enim quod dicitur, *faciamus*, una osten-

Homo quasi cum consilio factus.

Trinitatis mysterium commendatur.

[a] *In omnibus mss. desideratur* pisces.
[b] *Ita mss. omnes. Editi* tamen.
[c] *al.* vicinitatem.
[d] *al.* capreorum.
[e] Hujusmodi fuit error Encratitarum, de quibus S. Augustinus in lib. de hæres. cap. 25. *Nuptias*, inquit, *damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem sive feminam.* Et ante eos Saturnillus *uxores ducere liberosque gignere à satana esse pronunciabat*, teste Epiphanio Hæresi. 23. qui similia attribuit Apostolicis hæreticis lib. 2. Hæres. 61.
[f] Editi & unus ms. *jussionis vocem.*

ditur trium personarum operatio : in eo verò quod sequitur, ***ad imaginem & similitudinem nostram***, una & æqualis substantia ejusdem sanctæ Trinitatis indicatur. Quomodo enim una esset imago & similitudo, si minor Patre Filius, si minor esset Filio Spiritus-sanctus, si non consubstantialis ejusdem potestatis esset gloria totius Trinitatis? aut quomodo diceretur, ***faciamus***, si trium in una deitate personarum cooperatrix virtus non esset? neque enim angelis à Deo dici poterat, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram : quia nulla prorsus ratio sinit, ut Dei & angelorum unam esse eamdemque imaginem sive similitudinem credamus. In quo autem sit homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, testatur Apostolus, cùm nos solerter admonet, ut hanc quam in primo parente perdidimus, per gratiam ejusdem Conditoris recuperemus in nobis. ***Renovamini***, inquit, ***spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia, sanctitate, & veritate.*** Creatus est ergo Adam novus homo de terra secundùm Deum, ut esset justus, sanctus & verus, subditus & humiliter adhærens gratiæ sui Conditoris, qui æternaliter ac perfectè justus, sanctus & verus existit : qui quoniam pulcherrimam hanc novitatem in se divinæ imaginis peccando corrupit, corruptamque ex se prosapiam generis humani procreavit unde venit secundus Adam, id est, Dominus ipse & conditor noster, natus ex Virgine, creatus incorruptibiliter atque incommutabiliter ad imaginem Dei, immunis omnis delicti, & plenus omnis gratiæ & veritatis, ut imaginem in nobis suam ac similitudinem exemplis suis restauraret & donis. Ipse est enim novus homo veraciter secundum Deum creatus: quia nimirum ita veram de Adam carnis substantiam sumsit, ut nihil de illo vitii sordentis traheret : cujus exempla pro captu nostro sequi, cujus adhærere donis, cujus obtemperare mandatis, hoc est, imaginem Dei quam in veteri homine perdidimus, recuperare in novo. Non ergo secundùm corpus, sed secundùm intellectum mentis ad imaginem Dei creatus est homo. Quamquam & ipse in corpore habeat quamdam proprietatem quæ hoc indicet, quod erecta statura est factus, ut hoc ipso admoneretur, non sibi terrena esse sectanda, velut pecorum, quorum voluptas omnis ex terra est : unde [a] in altum cuncta prona, atque prostrata sunt, juxta quod quidam poëtarum pulcherrimè ac verissimè dixit:

In quo fit homo ad imaginem Dei factus.

Ephes. 4. 23.

Homo cur erecta facie creatus.

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque videre,
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus :

Ovid. lib. 1. Metamorph.

Congruit ergo & corpus ejus animæ rationabili, non secundùm lineamenta figurasque membrorum, sed potius secundùm id quod in cælum erectum est, ad intuenda quæ in corpore ipsius mundi superna sunt, sicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in spiritalibus natura maximè excellunt, ut quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram. Bene autem additur.

Et præsit piscibus maris et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra : quia nimirum in hoc maximè factus est homo ad imaginem Dei, in quo inrationabilibus antecellit : capax videlicet rationis conditus, per quam & creata quæque in mundo rectè gubernare, & ejus qui cuncta creavit [b] posset agnitione perfrui. In quo honore positus, si non intellexerit ut bene agat, eisdem ipsis animantibus [c] insensatis, quibus prælatus est, comparabitur, sicut Psalmista testatur.

Psal. 48. 13.

Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum. Quod prius dixerat, ***ad imaginem suam*** : confirmationis gratia geminavit, addendo, ***ad imaginem Dei creavit illum*** : ut diligentiùs inculcaret nobis, quales à Deo facti sumus, & spem recipiendæ Dei imaginis arctiùs nostris mentibus infigeret : ne qui in imagine Dei ambulamus, vane conturbemur, thesaurizantes in incerto divitiarum, sed expectemus potiùs Dominum sitientes quando veniamus & pareamus ante faciem ejus, certi quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quod autem nunc dicitur, ***ad imaginem Dei creavit illum***, cùm superius dictum sit, ***faciamus ad imaginem nostram***; significat, quod non id agat illa pluralitas personarum, ut plures Deos credamus; sed Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, propter quam Trinitatem dictum est, ***ad imaginem nostram***, unum Deum accipiamus, propter quod dictum est, ***ad imaginem Dei.***

Trinitatis mysterium iterum commendatur.

Masculum et feminam creavit eos. Plenius in sequentibus, unde & quomodo protoplastos fecerit Deus exponitur. Sed nunc brevitatis causa [d] tantùm creati referuntur, ut sexti diei operatio, ac septimi dedicatio cum ceteris explicetur, ac sic ex tempore liberius, & hoc & alia prætermissa quæ erant, relatu digna dicantur. Masculum autem unum & feminam in primis creavit Deus unam, non ut animantia cetera, quæ in singulis generibus non singula, sed plura creavit : ut per hoc humanum genus arctiore ad invicem copula caritatis constringeret, quod se ex uno totum parente ortum esse meminisset; cujus causa unionis scriptura sacra cum dixit, ***& creavit Deus hominem : ad imaginem Dei creavit illum***, statimque subjungeret; ***masculum & feminam creavit eos.*** Noluit addere, ad imaginem Dei creavit eos : femina enim ad imaginem Dei creata est, secundum id quod & ipsa habebat mentem rationalem : sed addendum hoc de illa non putavit scriptura, quod propter unitatem conjunctionis etiam in illa intelligendum reliquit; immo in omni quod de eis ortum est genere humano intelligendum esse signavit.

Femina cur non dicatur ad imaginem Dei creata.

[a] *Leg.* in terram. [b] *al.* posset. [c] *Flor.* sensatis. [d] *Editi* tunc.

Omnis enim homo etiam nunc in quantum ratione utitur, imaginem in se Dei habet: unde dicit Johannes: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Joan. 1. 9.) Ipsum est enim lumen de quo Psalmista gloriatur in Domino dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* (Psal. 4. 7.) Et quidem aptè hoc in loco masculus & femina creati esse commemorantur: tametsi modus ejusdem creationis necdum referatur, ut videlicet habeat locum congruum sermo divinæ benedictionis, de quo sequitur.

BENEDIXITQUE ILLIS, ET AIT: CRESCITE ET MULTIPLICAMINI ET REPLETE TERRAM, ET SUBJICITE EAM. Hæc etenim multiplicatio hominum & repletio terræ non nisi per conjunctionem erat maris & feminæ perficienda. Si autem benedictione Dei crescit ac multiplicatur genus humanum; quanta sunt maledictione digni, qui prohibent nubere, & dispositionem cælestis decreti quasi à diabolo repertam condemnant? Non ergo damnandæ sunt nuptiæ, quas ad propagationem generis humani, terramque replendam, supernæ gratia benedictionis instituit: sed magis honoranda, majore est digna benedictione virginitas, quæ postquam repleta est terra hominibus, casta mente simul & corpore Agnum quocumque ierit, id est, Dominum JESUM in cælestibus sequi, & canticum novum, quod nemo alius potest ei cantare, desiderat. Deus namque ac Dominus noster, qui in primordio mundi nascentis feminam ex virili latere formavit, ut mutua illorum conjunctione terram esse implendam doceret, ipse in fine sæculi assumsit virum de carne Virginis, totius contagionis expertem, tota divinitatis plenitudine perfectum, ut virginitatis se gloriam potiùs quàm nuptias diligere probaret.

Nuptiæ non damnandæ, sed præferenda virginitas.

ET DOMINAMINI PISCIBUS MARIS, ET VOLATILIBUS CÆLI, ET UNIVERSIS ANIMANTIBUS QUÆ MOVENTUR SUPER TERRAM. Meritò quæritur, in quam utilitatem homo dominatum in pisces, & volucres, & animantia terræ cuncta perceperit, vel quos ad usus quæve solatia sint hæc [a] creata homini, si numquam peccaret: cui sicut sequentia scripturæ hujus declarant, non hæc ad escam, [b] sed herbæ solùm, & arborum sunt fructus in prima conditione concessi: nisi fortè dicendum est, quia peccaturum præsciebat Deus hominem, & mortalem peccando futurum quem immortalem ipse creavit, ideoque ea illi solatia primordialiter instituit, quibus suam fragilitatem mortalis posset tueri, vel alimentum videlicet ex his, vel indumentum, vel laborum vel itineris habens adjumentum. Nec quæsitu dignum est, quare non etiam nunc cunctis homo dominetur animantibus: postquam enim ipse suo Conditori subjectus esse noluit, perdidit dominium eorum quæ suo Conditor juri subjecerat.

Homo cur dominatum in creaturas receperit.

Denique in testimonium primæ creationis legimus viris sanctis atque humiliter Deo servientibus & aves obsequium præbuisse, & rictus bestiarum cessisse, & venenum nocere non potuisse serpentium.

DIXITQUE DEUS: ECCE DEDI VOBIS OMNEM HERBAM AFFERENTEM SEMEN SUPER TERRAM, ET UNIVERSA LIGNA QUÆ HABENT IN SEMETIPSIS SEMENTEM GENERIS SUI, UT SINT VOBIS IN ESCAM, ET CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ, OMNIQUE VOLUCRI, ET UNIVERSIS QUÆ MOVENTUR IN TERRA, ET IN QUIBUS EST ANIMA VIVENS, UT [c] HABEATIS AD VESCENDUM. Jam hìc patet, quòd ante reatum hominis nihil noxium terra protulit, nullam herbam venenatam, nullam arborem sterilem: cùm manifestè dictum sit, quòd omnis herba & universa ligna data [d] hominibus ac volatilibus, terræ quoque animantibus cunctis in escam, patet quia nec ipsæ aves raptu infirmorum alitum vivebant, nec lupus insidias explorabat ovilia circum, nec serpenti pulvis panis ejus erat: sed universa concorditer herbis virentibus, ac fructibus vescebantur arborum. Sanè inter hæc nec prætereunda nascitur quæstio, quomodo & immortalis sit factus homo præ aliis animantibus, & nihilominus acceperit communiter terrenam cum illis alimoniam. In qua intuendum nobis est, quia alia est immortalitas carnis, quam in prima conditione in Adam accepimus: alia quam nos in resurrectione per Christum accepturos esse speramus. Ita quippe immortalis factus est ille, ut posset non mori, si non peccaret; sin autem peccaret, moreretur. Ita verò immortales erunt filii resurrectionis, cùm erunt æquales angelis Dei, ut nec mori ultra, nec peccare possint. Ideoque caro nostra post resurrectionem nulla [e] eget refectione ciborum, quia ei nulla suppetit à fame vel lassitudine vel alia qualibet infirmitate defectio. Caro autem Adæ ante peccatum ita est immortalis creata, ut adminiculis adjuta temporalis alimoniæ, mortis expers ac doloris existeret, donec corporalibus incrementis ad illam usque perductus ætatem, quæ Conditori placeret: tum creata progenie, multa hujusmodi jam, jubente ipso, sumeret etiam de ligno vitæ, ex quo perfectè immortalis effectus, sustentacula cibi corporalis ulterius nulla requireret. Sic ergo immortalis & incorruptibilis est condita caro primorum hominum, ut eamdem suam immortalitatem atque incorruptionem per observantiam mandatorum Dei custodirent: in quibus mandatis & hoc erat, ut de lignis paradisi concessis vescerentur; ab interdicti autem se esu temperarent, per horum edulium inditæ sibi immortalitatis dona conservarent, in illius tactu ruinam mortis invenirent. Sic verò incorruptibilis & immortalis in fine erit caro nostra, ut ad similitudinem angelicæ sublimitatis, in eodem sem-

Ante peccatum nihil noxium terra protulit.

Homo quomodo immortalis factus.

[a] Ita omnes mss. sed editi *creati hominis*.
[b] Ante diluvium vescendæ carnis copiam non esse factam docent Tertulianus lib. de jejunio cap. 4. Orig. Homil. 1. in Gen. Basilius Orat. 1. de jejunio, Chrisost, Hom, 27. in Genesim, Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum cap. 10.
[c] Ed. & Corb. *habeant*.
[d] Ed. addunt *sint*, quod certè supplendum videtur,
[e] *Al.* egebit.

per statum permaneat, neque cibis corporalibus, A quippe qui in vita spiritali nulli erunt, egere possit. Nam quòd angeli cum patriarchis manducasse leguntur, non indigentiæ causa, sed benignitatis agebant, ut videlicet hæc agendo dulciùs hominibus, quibus apparebant, [a] congrueret. Dominus quoque post resurrectionem manducavit cum discipulis, non ut indigus refectionis, sed ut veram se post mortem recepisse carnem monstraret.

Angeli cum hominibus cur manducasse leguntur.

ET FACTUM EST ITA, id est, ut dominaretur homo cunctis quæ in terra vel aquis creata sunt, & ut facultatem potestatemque edendi de fructibus terræ cum volatilibus cæli & animantibus terræ perciperet.

VIDITQUE DEUS CUNCTA QUÆ FECIT, ET ERANT VALDE BONA. Quia de singulis Dei operibus singulatim fuerat dictum quòd videret ea esse bona, rectè in conclusione, perfectis omnibus, positum est cum additamento, quia *vidit cuncta quæ fecit, & erant valde bona.* Sed quæritur meritò, quare de homine facto non sit adjunctum singillatim, *& vidit Deus quod esset bonum,* sed ipsius magis factura inter cetera universaliter laudando reservetur? An quia præsciebat Deus hominem peccaturum, nec in suæ imaginis perfectione mansurum, non singillatim, sed C cum ceteris eum dicere voluit bonum, velut intimans quid esset [b] futurum? Homo igitur ante peccatum & in suo utique genere bonus erat, sed scriptura prætermisit hoc dicere, ut potiùs illud diceret quod futurum aliquid prænunciaret. Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium verò justissimus ordinator est: ut etiam si qua singillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen universitas cum eis pulchra sit.

ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES SEXTUS: IGITUR PERFECTI SUNT CÆLI, ET TERRA, ET OMNIS ORNATUS EORUM. Senarium D numerum constat esse perfectum, quia primus suis partibus impletur, sexta videlicet quod est unum, & tertia quæ sunt duo, & dimidia quæ sunt tria. Unum etenim & duo & tria faciunt sex, quale in monadibus numeris nusquam præter hîc invenies: sed neque in decadibus præter vicesimum & octavum numerum. Sex ergo diebus perfecit Deus omnem ornatum cæli & terræ, ut qui omnia in mensura & numero & pondere constituit, ipso etiam numero in quo operaretur sua opera doceret esse perfecta. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat. In alia Translatione dicitur, quia *consummavit Deus in die sexto opera sua quæ fecit.* Quod E nihil omnino quæstionis affert, quia manifesta descriptione quæ in eo sunt facta declarantur. Sed merito quæritur, quomodo nostra editio, quæ de Hebraïcæ veritatis fonte descendit, complevisse Deum in die septimo dicat opus suum quod fecerat, in quo nihil novum creasse commemoratur, nisi forte ipsum diem septimum tunc eum fecisse, atque in ejus factura opus suum complevisse dixerimus, quòd eo facto

Senarius numerus perfectus.

mensuram numerumque consummaverit dierum, quorum circuitu omnia dehinc sæcula ad finem usque procurrerent. Nam in revolutione temporum octavus idem qui & primus computatur dies.

COMPLEVIT IGITUR DIE SEPTIMO DEUS OPUS SUUM QUOD FECERAT. Quia dierum quos fecerat, summam [c] in eo terminavit; addito ipso septimo, quem sabbatum dici & esse voluit, eo quod eum mystica præ ceteris benedictione & sanctificatione donaret, ut sequentia docent. Unde etiam dies judicii & consummationis sæculi, quia post septimam sabbati ventura est, octava in scripturis nuncupatur, videlicet quia septem soli præcesserint. Dictum enim est in titulo psalmorum: in finem in hymnis pro octava psalmus David: quod de die judicii scriptum totus sequentis Psalmi textus docet, in quo iram venturi judicis timens Propheta exclamat: *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me, &c.* Sed & dies Dominicæ resurrectionis cùm post tot dierum millia ventura esset, octava tamen & ipsa dicta est in titulo alterius Psalmi: quia nimirum septimam sequebatur, ut septimanæ sequentis prima existeret: id est, eadem ipsa in qua in principio dixit Deus, *fiat lux & facta est lux.* Quem quidem psalmum de resurrectione Dominica scriptum probat ipse qui in eo loquitur, dicens: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* Potest autem rectè accipi complevisse Deum die septimo opus suum quod fecerat, etiam in eo quod ipsum diem benedixit & sanctificavit. Neque enim nullum opus est benedictio & sanctificatio. Neque Salomon nihil operis fecisse dicendus est, cùm templum quod fecerat, dedicavit: immo eximium Dei opus est, cùm ea quæ fecit, benedictione ac sanctificatione æterna [d] glorificavit. Denique de hoc opere quod in æterno die sabbati facit, dicit ipse in parabola fidelium servorum: *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Qui enim præcingit se, qui discubitum præparat, qui transit, qui ministrat, utique operatur. Sed his tamen verbis omnibus nihil aliud intimatur, quàm quòd sanctos suos Dominus in æternum benedicit & sanctificat, id est visione suæ gloriæ post opera illorum bona quæ donavit, remunerat.

Dies judicii octava appellata.

Psal. 6. 1.

Item & dies resurrectionis Dominicæ.

Psal. 11. 6.

Luc 12. 37.

ET REQUIEVIT DIE SEPTIMO AB UNIVERSO OPERE SUO QUOD PATRARAT. Non quasi lassus ex nimio labore Deus instar humanæ fragilitatis completa mundi fabrica requievit: sed requievisse ab universo opere suo dicitur, quia novam creaturam ultra instituere aliquam cessavit. Solet namque scriptura sæpe nomine requiei, cessationem operis sive sermonis indicare, sicut in Apocalypsi de sanctis animalibus: *Et requiem*, inquit, *non habebant die ac nocte dicentia, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus, Deus omnipotens.* Pro eo ut diceret, non cessabant hæc semper decantare. Nam maxima & unica san-

Deus quomodo requievisse dicatur.

Apoc. 4. 8.

[a] Duo mss. *congruerent.* [b] *Al.* facturum *Flor.* venturum. [c] *Al.* in eis.

[d] *Editi* glorificat.

ctis est requies in cælo, laudem summæ Trinitatis, quæ Deus est, indefessa voce dicere. Potest verò altiùs intelligi requievisse Dominum ab omnibus operibus suis, non eum [a] scilicet opus habuisse [b] illis operibus suis in quibus requiesceret, quippe cujus requies in seipso sine initio ac termino semper vera est: sed sola bonitatis suæ causa fecisse opera, quæ in ipso requiescerent: quod è contrario faciliùs intelligitur, cùm meminerimus humanam indigentiam pro hoc maximè laboribus quotidianis insistere, ut in operibus suis requiem percipere possit, dicente ei Domino: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Deus autem qui ante creationem mundi æternaliter in seipso perfectam habebat requiem, ipse etiam creato mundo, non in operibus quæ fecit, sed ab omnibus quæ fecit operibus requievit, ut potè nihil habens secum necessitatis in creaturis requiescere suis: quin potius creaturis rationabilibus ipse requiem præstans, cùm in seipso [c] perfectè semper requiescat, eoque bono beatus sit, quod ipse sibi est.

Genes. 3. 19.

Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum. Illa videlicet benedictione & sanctificatione, quam populo suo in lege pleniùs intimat dicens: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem sabbati Domini Dei tui, non facies omne opus.* Et paulo post: *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo.* Idcirco benedixit Dominus diem septimum & sanctificavit eum. Quæ profectò benedictio & sanctificatio diei septimi in typum majoris benedictionis ac sanctificationis facta est. Nam sicut per crebras, immo quotidianas in lege victimas, sanguis Dominicæ passionis, qui semel erat pro salute mundi effundendus signabatur; ita etiam per requiem diei septimi, quæ post opera sex dierum semper celebrari solebat, præfigurabatur magnus ille dies sabbati, in quo Dominus semel in sepulcro erat requieturus, completis ac perfectis in die sexto omnibus operibus suis, quibus mundum, quem in die sexto perfecerat, jam perditum restaurabat. In quo etiam die quasi antiqui recolens operis, aperto sermone declaravit salvationem se jam mundi perfecisse. *Cùm enim accepisset acetum, dixit: Consummatum est, & inclinato capite, tradidit spiritum.* Sed & hæc sanctificatio ac benedictio septimi diei, & requies in illa Dei post opera sua valde bona designavit, quòd nos singuli post opera bona quæ in nobis ipse operatur & velle & perficere, ad requiem tendimus vitæ cælestis, in qua æterna ejus sanctificatione & benedictione perfruamur. Unde bene idem dies septimus vesperam habuisse non scribitur, quia nimirum perpetuam nostram in illo requiem significat.

Benedictio & sanctificatio septimi diei quid significat.

Exod. 20. 8.

Exod. 20. 11.

Joan. 19. 30.

Cur septimus dies vesperam habuisse non dicatur.

Et benedixit, inquit, diei septimo et sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret. Id est, completo mundi ornatu, cessaverat ab instituendis ultra novis rerum generibus. Neque huic sententiæ contrarium debet istud æstimari, quod in Evangelio dicit: *Ipse Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Respondens videlicet eis qui propter requiem Dei, scripturæ hujus auctoritate antiquitus commendatam, sabbatum ab eo non observari querebantur. Cessaverat enim septimo die à condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova: deinceps autem usque nunc operatur, eorumdem generum administrationem, quæ nunc instituta sunt: [d] non ut ipso saltem die septimo potentia ejus cæli & terræ, omniumque rerum quas condiderat gubernatione cessaret, alioquin continuo dilaberentur.

Joan. 5. 17.

Huc usque primordia mundi nascentis juxta sensum litteræ dixisse sufficiat: libet autem paucis intimare, ut etiam ordo sex illorum sive septem dierum in quibus factus est, [e] totidem ejus ætatibus conveniat. Primus namque dies, in quo dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux:* primæ ætati congruit, in cujus initio mundus idem factus, & homo in deliciis paradisi voluptatis positus est, ubi præsente gratia sui Conditoris malorum omnium liber ac nescius frueretur: sed hic dies ad vesperam jam cœpit declinare, cum protoplasti peccando felicitatem patriæ cælestis perdiderunt, atque in hanc convallem lacrymarum dimissi sunt quod etiam significatum est hora temporis illius, cùm Adam post culpam prævaricationis audivit Dominum deambulantem in paradiso, ad horam post meridiem: deambulavit quippe Dominus, ut se ab homine, in cujus corde quietus manserat, recessisse signaret: & hoc ad horam post meridiem, ut lucem in se homo divinæ cognitionis fervoremque divinæ dilectionis minoratum esse cognosceret. Plena autem vespera diei hujus advenit, cum crebrescentibus vitiis humani generis corrupta est omnis terra coram Deo, & iniquitate repleta: adeo ut deleri diluvio omnis caro, præter quos clauserat arca, mereretur.

Primus dies quomodo primæ ætati conveniat.

Secundo die factum firmamentum in medio aquarum: & secunda ætate sæculi, arca in qua reliquiæ generis humani, & semen, ut ita dixerim, sequentium servabatur ætatum, posita est in medio aquarum, quas certatim hinc rupti fontes omnes abyssi, inde apertæ cæli cataractæ fundebant. Sed & hic inclinatus est ad vesperam dies, cùm se nationes oblitæ proximæ vel iræ vel misericordiæ Dei contulissent ad ædificandam superbiæ turrem: plenam verò accepit vesperam, quando cum confusione linguarum humani generis est discissa societas.

Quomodo secundus secundæ ætati.

Tertio die confluentibus in loca sua aquis, arida apparuit terra, & mox herbis virentibus ac frondentibus est vestita nemoribus: & ætatis initio tertiæ separatis in loca sua gentibus idolatris, quarum error instabilis, & vanis simulacrorum doctrinis tamquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene significatur,

Quomodo tertius tertiæ.

[a] Al. deest scilicet. [b] Al. ullis. [c] al. perfecto. [d] Flor. ut ipso. Unus Corb. ita ut ipso.

[e] al. addit mundus.

semen patriarcharum ab eorum societate diremtum est, ac spiritali fruge fœcundatum, (Gen. 12. 1.) dicente Domino ad Abraham: *Exi de terra tua & cognatione tua, & de domo patris tui in terram quam monstravero tibi: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi &c.* usque dum ait: *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* In qua videlicet gente discreti ordines fidelium quasi herbæ virentes, & arbores pomiferæ, ex una (a b) eademque terra [a] prodibant, [b] suscipientes imbrem cælestem divinorum eloquiorum. Verùm hic quoque ad vesperam vergere cœpit dies, cùm eadem gens Israëlitica & fidem patriarcharum, & cerimonias datæ sibi legis abjiciens, exterarum gentium, & polluta sceleribus & servitio depressa est. Supervenit jam vespera, quando ipsa gens una cum rege, quem sibi, neglecto Deo elegerat, alienigenarum est gladio maxima ex parte deleta.

(Quartus quartæ.) Quarto die luminaria cælum accepit: & quarta ætate præfatus Dei populus nova est factus claritate conspicuus, per imperium David & Salomonis aliorumque regum Deo auctore regnantium, per nobilissimum illud quod Salomon Deo condidit templum, per signa (c) prophetarum, quæ cunctis regum [c] eorumdem non destiterunt florere temporibus, perque illud maximè, quod primo ac præeminentissimo regum sibi placentium juravit Do- (Psal. 131. 11.) minus dicens: *De fructu ventris tui ponam super se- (d) dem* [d] *meam.* Verum & hic ad vesperam dies inclinari cœpit, cùm post modum & reges, iidem & populi templum legesque Dei spernentes, vastati ac dilacerati sunt ab hostibus. Gravissima verò ei non solùm vespera, sed nox succedit, cùm totum illud regnum eversum, templum incensum, populus est in Babiloniam captivus omnis abductus.

(Quintus quintæ.) Quinto die produxerunt aquæ reptilia animarum viventium, & volatilia volantia super terram sub firmamento cæli: & quinta ætate creverunt filii transmigrationis, & multiplicati sunt in Babilone, quæ sæpe aquarum nomine designatur. Quorum plurimi ibidem quasi in aquis pisces residere, è quibus tamen erant nonnulli qui velut ceti magni dominari magnis fluctibus sæculi, quàm servire studuerunt: quia nullo terrore ad idolatriam depravari potuerunt. Alii soluta captivitate, quasi acceptis pennis libertatis, ad terram Israël reversi sunt & instar volantium tota intentione cælestia petebant: ita ut etiam templum ac civitatem Dei reædificare, legem quoque ejus summa instantia restaurare niterentur. Sed appropiabat vespera, cùm postmodum inter alias scelerum tenebras, etiam domesticis contra se invicem dissidere conflictibus, patriæque suæ Romanis ipsi fuere proditores: quæ & advenit, cum eos non solum tributarios effici, sed etiam alienigenæ regis contigisset imperio subdi.

(Sextus sextæ.) Sexto die terra jumenta, bestias & reptilia produxit, quo etiam die creavit Deus hominem primum Adam ad imaginem suam, ac de latere ejus dormientis feminam creavit Evam: sexta ætate sæculi inter multos reprobos, qui meritò serpentibus comparari poterant ac bestiis, propter sævitiam scilicet, & quia toto animo terrestribus inhærere curis vel inlecebris nati sunt; & sancti in plebe Dei perplures, qui ad similitudinem mundorum animalium verbum Dei ruminare, ungulam discretionis in via tenere, bonæ operationis jugum divinæ legis portare, & de velleribus opus suum calefacere noverunt, quorum in Evangelio utrorumque mentio est idonea, inter quos secundus Adam, mediator Dei videlicet & hominum, in quo tota plenitudo erat imaginis Dei, in mundo apparuit, & de latere ejus in cruce dormientis exivit sanguis & aqua: de quibus sacramentis nascitur ac nutritur Ecclesia, quæ est mater omnium per orbem vera vita viventium, quod Evæ nomen sonat. Unde de eisdem sacramentis dicit ipse Dominus: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* (Joan. 6. 57.) cujus diei vesperam jam nunc appropinquare cernimus, cùm abundante per omnia iniquitate, refrigescit caritas multorum. Adveniet autem multò tenebrosior ceteris, cùm apparente homine peccati, filio iniquitatis, qui extollitur & elevatur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, tanta fuerit tribulatio, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Subsequente statim hora universalis judicii de qua scriptum est: *veruntamen Filius hominis veniens, putas, inveniet & fidem in terra?* (Luc 18. 8.)

(Septimus septimæ.) Septimo die requievit Deus ab omnibus operibus suis, & sanctificavit & benedixit illum: & septima est ætas perpetuæ quietis in alia vita, in qua requiescit Deus cum sanctis suis in æternum post opera bona, quæ operatur in eis per sex hujus sæculi ætates. Hæc autem ætas summæ pacis & quietis in Deo quidem est, & erit sempiterna: sed hominibus tunc cœpit, quando protomartyr Abel corpore quidem sedem sepulcri; anima verò gaudium vitæ perrennis intravit, ubi vidit requiescentem pauperem dives ille, cùm apud inferos ipse torqueretur. Perseverabit autem hic sabbatismus animarum sanctarum usque ad finem sæculi, & cùm ultima ætas sæculi post vesperam suam, de qua præfati sumus, finem, interfecto per Dominum Jesum Antichristo [e] perceperit, tunc & ipse sabbatis- (e) mus majori benedictione ac sanctificatione resurrectionis ad vitam perpetuam corporibus donabitur. Et ideò bene septimo diei vespera successisse non legitur, quia tristitiam qua terminetur septima hæc ætas, nullam habebit: quin potiùs ampliori lætitia, ut diximus, octavæ ætatis perficitur, illius videlicet quæ per gloriam resurrectionis tunc incipiens, cùm hæc tota vita transierit, nullo umquam fine, nulla rerum vicissitudine à contemplando Dei vultu trans-

[a] *Al.* prodebant. [b] Duo mss. *suscipiente.*
[c] Mss. non habent *eorumdem.* [d] Ita mss. editi *tuam.*

[e] *Al.* perfecerit.

A mutabitur. [a]

[b] ISTÆ GENERATIONES CÆLI ET TERRÆ QUANDO [c] CREATÆ SUNT. Hac conclusione scriptura tangit eos qui mundum sine initio semper fuisse adfirmant, vel qui factum quidem à Deo putant, verùm ex materia quam non fecerit Deus, sed quæ coæterna ipsi absque initio fuerit creatori. [d] Dicit enim [e] generationes cæli & terræ ipsum ordinem divinæ institutionis, quo ornatus eorum per opera sex dierum ad illam usque perfectionem, quæ superius est designata, pervenit, juxta quod in decalogo legis suæ dixit ipse Conditor: *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram mare & omnia quæ in eis sunt:* quod verò sequitur: IN DIE QUO FECIT DOMINUS CÆLUM ET TERRAM ET OMNE VIRGULTUM AGRI ANTEQUAM ORIRETUR IN TERRA OMNEMQUE HERBAM REGIONIS PRIUSQUAM GERMINARET, nequaquam memoratæ Dei sententiæ videri debet adversum, sed apertè intelligi, quia diem hoc loco scriptura pro omni illo tempore posuit quo primordialis creatura formata est. Neque enim in uno quolibet sex dierum cælum factum est, vel sideribus inlustratum, & terra est separata ab aquis, atque arboribus & herbis consita; sed more sibi solito scriptura diem pro tempore posuit quomodo & Apostolus, cum ait: *Ecce nunc dies salutis*, non unum specialiter diem, sed totum significat tempus hoc quo in præsenti vita pro æterna salute laboramus. Et Propheta non de uno specialiter die, sed de plurimo tempore divinæ gratiæ dicit: *In die illa audient surdi verba libri hujus.* Ceterùm difficile intellectu est quomodo in [f] hoc die fecerit Deus cælum & terram & omne virgultum agri, omnemque herbam regionis, nisi fortè dixerimus, quòd in materia informi pariter omnis creatura sit facta juxta hoc quod scriptum est; *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, sed hoc utique ante omnem diem hujus sæculi fecit, cùm in principio cælum creavit & terram, quando etsi terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant super abyssum, in ipsius tamen terræ & abyssi, idest aquarum natura quasi per substantiam seminalem simul condita latebant, quæ postmodum ex his [g] opere Creatoris non simul erant producenda: ideoque si hoc dicimus, ad eumdem revolvitur memorata quæstio finem, ut appellationem diei pro significatione temporis positam intelligamus, illius videlicet, quo hæc Deus in principio simul cuncta creavit, *In die*, inquit, *quo creavit Dominus Deus terram & cælum & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.* Quod si in die quem dicit, tempus intelligimus illud designatum, quando ante omnem hujus sæculi diem facta sunt omnia simul, facilis patet sensus quod & herba & arbor omnis [h] in ipsius terræ substantia sit causaliter facta priusquam visibiliter orirentur aut germinarent ex terra. Sin autem appellationem diei, ut consequentiùs arbitramur, pro significatione positam accipiamus temporis illius, in quo mundus iste per sex dies factus & ornatus est; possumus intelligere quia nunc apertiùs scriptura voluerit explicare quo modo supra dixerit quia *protulit terra herbam virentem & afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum.* Non enim sic in primordio rerum hæc terra [i] produxit quomodo nunc ubi inrigatio adfuerit aquarum, disponente Deo, terra ultro fructificat; sed mirabiliore prorsus opere Conditoris tunc antequam aliqui fructus ex terra crescendo orirentur, aut germinarent, [k] campi repente, montes & colles herbis erant & arboribus cooperti, habentibus congruam altitudinem staturæ, diffusionem ramorum, opacitatem foliorum, copiam fructuum, quam non paulatim ex terra oriendo vel germinando & accessu incrementorum proficiendo, sed subito ex illa existendo acceperunt. Nam & hunc magis sensum subjuncta quoque videntur verba juvare, quibus dicitur.

NON ENIM PLUERAT DOMINUS DEUS SUPER TERRAM, ET HOMO NON ERAT QUI OPERARETUR TERRAM, SED FONS ASCENDEBAT E TERRA INRIGANS UNIVERSAM SUPERFICIEM TERRÆ: Quis enim non videat quod hæc dici non poterant de prima creatione terræ, quando erat adhuc inanis & vacua, & tenebræ super faciem abyssi? Numquid opus erat de pluvia non descendente in terra narrari eo tempore, quo nec ipsa adhuc accipere pluviam, nec aër dare poterat, eo quod loca utriusque adhuc aquæ cuncta [l] complerent? Sed nec fons ascendere de terra ad inrigandam eam potuit, quandiu tota tegebatur abysso: unde, ni fallor, restat intelligi quòd nomine diei supra cùm dicitur, *In die quo creavit Dominus Deus terram & cælum* &c. tempus sit intimatum illud sex dierum primorum, in quo universa mundi est creatura formata: ubi rectè [m] memorat quòd non pluisset Deus super terram, & homo non esset qui operaretur terram, ut intelligamus quantum prima terræ germinatio à moderno distaret: Nam modo & inrigatione pluviarum terra sponte germinat, & industria cultuque hominum multa in hor-

Margin notes: Exod. 20. 11. — Dies pro tempore. — 2. Cor. 6. 2. — Isa. 29. 18. — Eccl. 18. 1. — Quomodo Deus omnia simul creasse dici possit. — Germinatio prima terræ à modernaquantùm differat.

[a] Hic desinunt editi, atque hic desinebat liber primus ex illis duobus, quos antequam scripsisset in Esdram, Accæ antistiti nuncupavit Beda: id quod constat ex minori codice Corbeiensi, in quo hoc loco legitur *Explicit liber primus.* Quæ verò sequuntur usque ad secundum librum, alterum ex dicatis Accæ episcopo constituebant. Sed postmodum hi duo libri in unum coaluerunt, cùm scilicet sequentes tres libros adjecit: unde præfatus codex Corbeiensis post secundum illum librum iterum habet *Explicit liber primus.*

[b] *Al.* istæ sunt. [c] Ita mss. omnes. In vulgata legitur *creata sunt.*

[d] Tales extiterunt Aristoteles cum suis & Plato, de quorum primo S. Ambrosius lib. 1. in Hexam cap. 1. *Ipsum mundum semper fuisse & fore Aristoteles usurpat dicere*; de secundo verò ait: *Tantumne opinionis assumsisse homines, ut aliqui eorum tria principia constituerent omnium, Deum, & exemplar & materiam, sicut Plato & discipuli ejus; & ea incorrupta & increata ac sine initio esse asseverarent: Deumque non tamquam creatorem materiæ, sed tamquam artificem ad exemplar, hoc est ideam intendentem fecisse mundum de materia.*

[e] *al.* gubernationes.
[f] *al.* in hunc diem. *al.* in uno die. [g] *al.* opera.
[h] *al.* ipsius *omisso* in. [i] *al.* produxerat.
[k] *al.* campi repente omnes & colles. [l] *al.* implerent.
(m) *al.* memoratur.

tis

tis satis ac nemoribus procreantur; sed longè aliter prima herbarum & arborum est perfecta creatio, in qua novo summi opificis imperio terra quæ arida parebat absque pluvia & absque opere humano, repente longè latèque multifariis fructuum repleta est generibus, SED FONS, inquit, ASCENDEBAT E TERRA INRIGANS UNIVERSAM SUPERFICIEM TERRÆ. A

De hoc fonte & ascensu ejus in terram dicturi, primò videamus, quia prima illa germinatio terræ, cujus præmissa sententia meminit, sine ulla inrigatione aquarum, Deo jubente, facta est. Hujus autem fontis, qualiscumque erat, inrigatio post vestitam herbis ac lignis terram supervenit, quod ipsis etiam scripturæ syllabis probatur, quæ postquam verbo præteriti temporis dixit, quia *creavit Dominus Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, omnemque herbam regionis*, subjunxit mox verbo temporis præteriti plusquam perfecti, *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram*, ostendens quod ante creationem virgultorum & herbarum pluviam Deus non miserat: quid verò postea factum sit, statim verbo præteriti temporis imperfecti subnexuit dicens: *Quia fons ascendebat è terra inrigans universam superficiem terræ*, ipsa declinatione verbi significans non hoc semel, sed sæpius esse gestum, dum non ait *ascendit*, sed *ascendebat*, dum ascendisse dicitur fons è terra, qui universam ejus superficiem rigaret, meritò quo ordine ascenderit quæritur: neque aliquid obstat credi quòd ita per vices ad inrigandam eam ascenderit ac redierit, quomodo usque hodie solet Nilus ad inriganda Ægypti plana annuatim ascendere, quomodo inrigabat aliquando Jordanis terram Pentapolim, de qua scriptura ait: *quia universa inrigabatur sicut Paradisus Domini*, & sicut Ægyptus antequam subverteret Deus Sodomam & Gomorram, quomodo, teste S. Augustino, de quorumdam fontium mira vicissitudine perhibetur certo annorum intervallo sic eos inundare, ut totam illam regionem rigent, cui alio tempore ex altis puteis ad potandum sufficientem præbent aquam. Cur sit ergo incredibile, ut idem dicit, si ex uno abyssi capite, alterna mutatione fluente atque refluente, tunc universa terra rigata est? Quod si, inquit, ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta, quod mare dicitur, & evidenti altitudine atque à maris fluctibus terras ambit, in ea sola parte quam reconditis finibus terra continet, unde se omnes fontes omnesque [a] aquæ diversis tractibus venisque distribuunt, & suis quique locis erumpunt, fontem voluit scriptura appellare, non fontes propter naturæ unitatem, eumque per innumerabiles vias antrorum atque rimarum ascendentem de terra, & ubique dispertitis quasi omnibus inrigantem omnem faciem terræ, non continua specie tamquam maris aut stagni, sed sicut videmus ire aquas per alveos fluminum flexusque rivorum, & eorum excessu vicina perfundere; quis non accipiat nisi qui contentioso spiritu laborat? Potest quippe etiam ita dicta intelligi omnis terræ facies inrigata, quemadmodum dicitur omnis vestis facie colorata, etiamsi non continuatim, sed maculatim fiat; præsertim quia tunc in novitate terrarum etsi non omnia, plura tamen plana fuisse credibile, quà latiùs erumpentia fluenta dispergi atque distendi. Quapropter de istius fontis magnitudine, vel multitudine, qui sive unam habuit aliunde eruptionem, sive propter aliquam [b] in terræ occultis finibus unitatem, unde omnes aquæ super terram scatent, omnium fontium magnorum atque parvorum unus fons dictus est, per omnes dispersiones suas ascendens de terra, & inrigans omnem faciem terræ: sive etiam, quod est credibilius, quia non ait, unus fons ascendebat de terra, sed ait, fons autem ascendebat de terra, pro numero plurali posuit singularem, ut sic intelligamus fontes multos per universam terram, loca, vel regiones proprias inrigantes, sicut dicitur miles, & multi intelliguntur, sicut dicta est locusta & rana in plagis quibus Ægyptii percussi sunt, cùm esset innumerabilis locustarum numerus & ranarum; jam non diutius laboremus. Cùm ergo dictum esset creasse Deum herbas, & virgulta, necdum pluvia descendente, neque homine existente qui operaretur terram, consequenter hominis creatio subinfertur ac dicitur:

Genes. 13. 10.

Lib. 5. de Genes. ad litt. cap. 10.

B

C

FORMAVIT IGITUR DOMINUS DEUS HOMINEM DE LIMO TERRÆ, ET INSPIRAVIT IN FACIEM EJUS SPIRACULUM VITÆ, ET FACTUS EST HOMO IN ANIMAM VIVENTEM. Hic itaque latiùs hominis factura describitur, qui in die quidem sexto factus est: sed ibi breviter ejus est commemorata creatio, quæ hic pleniùs exponitur, quia videlicet in corporis & animæ [c] substantiam factus sit, è quibus corpus de limo terræ formatum, anima verò de nihilo sit, Deo inspirante, creata; sed & femina de ejus sit latere dormientis condita. In qua videlicet sententia vitanda est paupertas sensus carnalis, ne fortè putemus Deum vel manibus corporeis de limo formasse corpus hominis, vel faucibus labiisve inspirasse in faciem formati, ut vivere posset & spiraculum vitæ habere. Nam & Propheta cùm ait: *manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me*, tropica hoc locutione magis quàm [d] propria, id est juxta consuetudinem qua solent homines operari, locutus est. Spiritus enim est Deus, nec simplex ejus substantia liniamentis membrorum corporalium esse composita nisi ab ineruditis creditur. *Formavit igitur de limo Deus hominem.* Quem verbo suo de limo fieri jussit. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, cùm ei substantiam animæ ac spiritus, in qua viveret, creavit. Nam ita rectè intelligitur spirasse Deum in faciem hominis spi-

Hominis creatio describitur.

D

Ps. 118. 73.

E

[a] In mss. desideratur *aquæ*; sed extat in S. Augustini textu quem hic citat Beda.

(b) *Al.* inter se. (c) *Al.* substantiæ. (d) *al.* propriè.

raculum quo viveret creasse, sicut supra intellectum est. *Vocavit Deus lucem diem* pro eo positum quod est vocari ab hominibus fecit. Bene autem in faciem inspirasse [a] Deus homini dicitur, ut fieret in animam viventem, quia nimirum insitus ei spiritus ea quæ foris sunt contemplatur, ut pote qui pars cerebri anterior unde sensus omnes distribuuntur, ad frontem collocata est. Nam & tangendi sensus qui per totum corpus diffunditur, etiam ipse ab eadem anteriore parte cerebri ostenditur habere viam suam, quæ retrorsus per verticem atque cervicem ad medullam spinæ deducitur. Congruit autem huic sententiæ quod supra de homine dictum est.

Pars cerebri anterior quid.

AD IMAGINEM DEI CREAVIT ILLUM. MASCULUM ET FEMINAM CREAVIT EOS. Quod enim dictum est *ad imaginem Dei*, non nisi in anima; quod additum *masculum & feminam*, non nisi in corpore factum rectè intelligitur. Non ergo audiendi sunt qui putant animam partem Dei esse, quasi hominis anima pars Dei esset, nec à se ipsa nec ab aliquo diripi, nec ad aliquid malè faciendum sive patiendum ulla necessitate compelli, nec in melius vel deterius mutari omnino potuisset. Flatus autem ille Dei qui hominem animavit, factus est ab ipso, non de ipso, qui nec hominis flatus hominis pars est, nec homo eum facit de se ipso, sed ex aëreo halitu sumto & effuso. Deus verò potuit & de nihilo, & vivum rationabilemque potuit quod non potest homo: quamvis nonnulli existiment non tunc animatum primum hominem, quando Deus in ejus faciem sufflavit, & factus est in animam vivam, sed tunc accepisse Spiritum-sanctum. Quodlibet autem horum credibilius ostendatur; animam tamen non esse partem Dei, nec de substantia ei naturam creatam sive prolatam, sed ex nihilo factam dubitare fas non est.

Animam non esse Dei partem.

PLANTAVERAT AUTEM DOMINUS DEUS PARADISUM VOLUPTATIS A PRINCIPIO, IN QUO POSUIT HOMINEM QUEM FORMAVERAT. Ab illo utique principio plantasse Deus paradisum credendus est, ex quo terram omnem, remotis quæ eam operuerunt aquis, herbas & ligna fructifera producere jussit: in quo tamen hominem die sexto, [b] quo & ipsum formaverat, posuit Neque ullatenus dubitandum est paradisum, in quo positus est homo [c] primus, etsi vel Ecclesiæ præsentis, vel futuræ patriæ typum tenet, ad proprietatem tamen litteræ intelligendum esse, locum scilicet amœnissimum, fructuosis nemoribus opacatum, eumdemque magnum, & magno fonte fœcundum. Pro eo autem quod nostra Editio, quæ de Hebraïca veritate translata est, habet *à principio*, in antiqua Translatione positum est *ad orientem*: ex quo nonnulli volunt quod in orientali parte orbis terrarum sit locus paradisi, quamvis [d] longissimo interjacente spacio vel oceani vel terrarum à cunctis regionibus, quas nunc humanum genus incolit, secretum. Unde nec aquæ diluvii, quæ totam nostri orbis superficiem altissimè cooperuerunt, ad eum pervenire [e] potuerunt. Verùm seu ibi, seu alibi, Deus noverit; nos tantum locum hunc fuisse & esse terrenum dubitare non licet. Denique sequentibus verbis scriptura pleniùs qualiter eum Deus plantaverit exponit dicens.

Paradisus quando & ubi plantatus.

PRODUXITQUE DOMINUS DEUS DE HUMO OMNE LIGNUM PULCRUM VISU, ET AD VESCENDUM SUAVE, LIGNUM ETIAM VITÆ IN MEDIO PARADISI, LIGNUMQUE SCIENTIÆ BONI ET MALI. Hoc eo die factum intelligitur, quo & reliqua ligna fructifera terra, Deo jubente, produxit. Sed hic ideo necessario repetitur, ut qualis sit locus paradisi nosse [f] possemus: maximè quia de ligno vitæ lignoque scientiæ boni & mali erat specialiter referendum; in quorum uno homini signum obedientiæ quam debebat, in altero sacramentum vitæ æternæ, quam per ipsam obedientiam mereretur, inerat. Et quidem lignum vitæ inde dictum, quia hanc virtutem, ut diximus, divinitùs acceperit, ut qui ex eo manducaret, corpus ejus stabili sanitate firmaretur, neque umquam ulla infirmitate vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur; sed hoc ita corporaliter factum est, ut sacramenti quoque esset figura spiritalis, id est Dei & Domini nostri JESU CHRISTI, de quo in laude sapientiæ dictum est: *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Et in Apocalypsi S. Johannis: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei edere de ligno quod est in paradiso Dei mei.* Quod est apertè dicere: Qui vicerit tentationem serpentis antiqui, à qua victus est Adam, dabo ei quod daturus eram Adæ si vinceret, ut præsenti visione gloriæ Christi in æternum reficiatur, ideoque nullo possit incursu mortis adtingi: quia videlicet Dominus Christus virtus & sapientia Dei Patris in paradiso est regni cælestis, quem cum ceteris sanctis, etiam confitenti se in cruce latroni promittere dignatus est, [g] lignumque sapientiæ boni & mali. De hoc ligno S. Augustinus: Mihi autem, inquit, etiam atque etiam consideranti dici non potest quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam. Neque enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiso instituerat aliquid mali, sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Oportebat autem ut homo sub Domino Deo positus aliunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissimè dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationabili agenti sub Dei potestate; primumque esse & maximum vitium tumoris ad ruinam, sua potestate velle uti, [h] cui summum vitii nomen est inobedientia. Non est ergo unde se homo Dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi ei aliquid juberetur. Arbor itaque illa non erat mala,

Lignum vitæ unde dictum.

Prov. 3. 18

Apoc. 2. 18.

Unde lignum scientiæ boni & mali.

Lib. 8. de Genesi ad litteram c. 6.

Obedientia sola virtus, inobedientia summum vitium.

(a) *al.* Deum.
(b) *al.* quem. (c) *al.* primum. (d) *al.* largissimè.
(e) *al.* potuerint. (f) *al.* possimus.

(g) Ita mss. prius tamen legunt *Lignum scientiæ*, ut in vulgata. (h) *al.* cujus vitii nomen.

" sed appellata est scientiæ [a] dignoscendi bonum & malum: quia si post prohibitionem ex illa homo ederet, in illa præcepti futura transgressione homo per experimentum pœnæ disceret quid interesset inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum. Proinde & hoc non in figura dictum, sed verè quoddam lignum accipiendum est, cui non de fructu vel pomo quod inde nasceretur, sed ex ipsa re nomen impositum est, quæ, illo contra vetitum tacto, fuerat secutura. "

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad inrigandum paradisum. Id est ligna illa pulcra atque fructuosa, quæ omnem terram regionis illius opacabant, quo eo factitatum fuisse credendum est, quo in hac, quam nos incolimus, terra Nilus plana inrigat Ægypti, unde, quod & supra posuimus, dictum est de terra Sodomorum, quæ universa inrigabatur sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus. Et provida utique dispositione Dominus ac Conditor rerum in nostro orbe voluit habere similitudinem nonnullam patriæ illius ad quam possidendam in primo parente creati sumus, ut ad promerendum ejus reditum de vicino nos admoneret exemplo, maximè & flumine illo quod de paradiso constat emanare. Nilus namque qui inrigat Ægyptum, ipse est Geon, qui in sequentibus de paradiso procedere memoratur. Sicut etiam eversis eisdem Sodomorum civitatibus, quæ quondam ut paradisus Domini inrigabantur, exemplum eorum qui impiè acturi sunt posuit, ut vestigia perditionis malorum certissima in mundo vigilantia æterna eorum tormenta fugeremus.

Genes. 13. 10.

Qui inde dividitur in quatuor capita nomen uni Fison. Constat, astruentibus certissimis auctoribus, horum omnium fluminum, quæ de paradiso exire referuntur, in nostra terra fontes esse notos. Fisonis quidem, quem nunc Gangem appellant, in locis Caucasi montis; Nili verò, quem Scriptura, ut diximus, Geon nuncupat, nunc procul ab Athlante monte, quod est ultimus finis Africæ ad occidentem. Porro Tigris & Euphrates ex Armenia, unde credendum est quoniam locus ipse paradisi à cognitione hominum est remotissimus, indeque quatuor aquarum partes dividi: sed ea flumina quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi esse sub terris & post tractus prolixarum locis regionum aliis erupisse, ubi tamquam in suis fontibus noti esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere quis ignorat? Sed ibi hoc scitur, ubi non diu sub terris currunt. Denique eadem ipsa flumina Tigrum, Euphratem, & Nilum ferunt Historici plerisque in locis terræ sumi, & aliquanto interjacente spatio rursus emergentia solitum agere cursum: quod etiam ipsum Dominus ad indicium facere credendus est illius cursus, quo ad nos de paradiso per occultiores terræ sinus venasque longiores exeunt. Interpretatur autem Fison oris mutatio, & rectè quia nimirum

Fontes fluminum Paradisi quibus in locis sint.

A aliam in nostra gratiam suæ faciei, id est viliorem multò quam in paradiso habent ostendit.

Ipse est qui circuit omnem terram Evilath. Hæc est Indiæ regio, nomen inde habens quod possessa sit post diluvium ab Evila filio Jectan, qui fuit filius Heber patriarchæ Hebræorum, quem etiam Josephus refert cum fratribus suis à flumine Cephene & regione Indiæ usque ad eum locum qui appellatur Hieira possedisse.

Indiæ regio.

Antiq. Jud. lib. 1. cap. 7.

Ibi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est. Et Plinius secundus In-
B diæ regiones auri venis præ ceteris abundare terris, unde & insulæ eorum chrysa & argyra à copia auri sive argenti vocabula sumserunt.

Auri abundans.

Ibique invenitur [b] Bdoellium et lapis Onichinus. Bdoellium est, ut idem Plinius scribit, arbor aromatica, colore nigro, " magnitudine oleæ, & folia roboris, fructu " caprificis, ipsius natura quæ gummis. Est autem lacryma ejus lucida, subalbida, levis, pinguis, æqualiter cerea, & quæ facile molliatur, gustu amara, odoris boni, sed vino persusa odoratior, cujus & liber Numerorum meminit, " *Erat autem*, inquiens, *man quasi semen coriandri bdoellii*, id est lucidi & subal-
C bidi. Onix autem lapis est pretiosus, inde appellatus, quòd habet in se permixtum candorem in similitudinem unguis humani. Græci enim unguem onichem dicunt. Hanc & Arabia gignit, sed Indica igniculos habet, albis cingentibus zonis; Arabica autem nigra est cum candentibus zonis. Antiqua Translatio pro his habet carbunculum & lapidem [c] prassinum. Est autem carbunculus sicut & nomine probat, lapis ignei coloris, quo noctis quoque tenebras inlustrare perhibetur. Est lapis Prassinus viridantis aspectus: unde & Græcè à porro, quod
D apud eos prason dicitur, nomen accepit.

b Bdoellium quid. Plin. Hist. nat. lib. 12. cap. 9.

Num. 11. 7.

Quid onix.

c Quid carbunculus.

Lapis prassinus.

Et nomen fluvio secundo Geon. Ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen vero fluminis tertii Tigris. Ipse vadit contra Assyrios. Fluvius vero quartus ipse est Eufrates. Idcirco de Eufrate ubi vadat quasve terras circumeat non dicit, quia ipse in vicino profluens terræ repromissionis, facillimè à populo Israël, qui ibidem positus, hæc lecturus erat, poterat sciri. Quia verò per aquas regeneratrices regressus nobis ad cælestia patet, congruit satis dispensationem divinæ pietatis,
E ut ipsum elementum per quod ad supernam patriam reducimur nobis sit cum paradiso, in quo positus sit homo primus, commune, & sicut gratia nos recreans invisibiliter regni cælestis ingressui præparat: ita etiam invisibiliter ad Dominum orbem de paradiso per terræ venas ipsa per quam nos recreat unda prosiliat. Sicut ergo *Spiritus ubi vult spirat*, *& vocem ejus audis*, *sed* [d] *non scis unde veniat*, *aut quo vadat*; sic etiam decebat, ut aqua quæ eos quos vult Spiritus sanctificat, ignotis ad nos viis de para-

Joan. 3. 8. d

[a] *al.* & dignoscendi.
[b] *al.* Bdellum.
[c] *al.* parassinum.
[d] *al.* nescis.

diso adveniat, ad ignota nobis loca redeat, quia tantùm de paradiso voluptatis originem constat habere.

TULIT ERGO DOMINUS DEUS HOMINEM QUEM FORMAVERAT, ET POSUIT EUM IN PARADISO VOLUPTATIS, UT OPERARETUR ET CUSTODIRET ILLUM. Quod ait, ut operaretur & custodiret illum, ad eum videtur respicere locum, in quo dictum est, *Et homo non erat qui operaretur terram.* Verùm nos & in hujus expositione verbi dicta sancti Patris Augustini ponamus. Quid operaretur, inquit, vel custodiret? Numquid forte agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non est credibile quod eum ante peccatum damnaverat ad laborem? Ita sanè arbitraremur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolari quosdam, ut magna eis pœna sit inde ad aliud evocari. Quidquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc utique longè ampliùs erat, quando nihil accidebat adversi vel terræ vel cælo. Non erat enim laboris adflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum ea quæ Deus [a] creavit humani operis adjutorio lætiùs feraciùsque provenirent, unde Creator ipse uberiùs laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi ac facultatem, quantum animæ volentis satis esset, non quantum invitum indigentia corporis cogeret. *Ut operetur*, inquit, *& custodiret illum*, custodiret videlicet eumdem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret quare inde mereretur expelli. Denique accipit & præceptum, ut sit quod sibi custodiat paradisum, id est quo servato, non inde projiciatur. Rectè enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit ut amitteret eam, etiam si alteri salva sit, qui eam vel invenit vel accipere meruit. Est alius in his verbis sensus, quem puto non immerito præponendum, ut ipsum hominem operaretur Deus & custodiret, sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam; Sic Deus hominem multò magis quem ipse creavit ut homo sit, eum ipse operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat. Posuit ergo Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum. Operaretur scilicet ut bonus beatusque esset: custodiret vero, ut [b] totus esset, ipsius se dominationi ac protectioni humiliter subdendo.

Lib. 8. de Genesi ad litt. cap. 8.

a · Agricultura ante peccatum non erat afflictio laboris, sed exhilaratio voluntatis.

Custodiendi paradisi præceptum.

b

PRÆCEPITQUE EI DICENS: EX OMNI LIGNO PARADISI COMEDE, DE LIGNO AUTEM SCIENTIÆ BONI ET MALI NE COMEDAS. Non est credendum quod in ligno illo aliquid mali naturaliter inesset, sicut & supra docuimus, sed ab eo ligno quod malum non erat prohibitus est homo, ut ipsa per se præcepti conservatio bonum illi esset & transgressio malum. Denique à peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur sola deberet jussio [c] dominantis adtendi, quæ si sola adtenderetur quid aliud quàm Dei voluntas amaretur? quid aliud quàm Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? Nec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit quid interesset inter bonum & malum, scilicet bonum obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id est superbiæ, contumaciæ, perversæ imitationis Dei, & noxiæ libertatis. Hoc autem in quo accidere potuit ex ipsa re, ut supra dictum est, nomen accepit.

Homo cur prohibitus sit comedere de ligno scientiæ boni & mali.

c

IN QUOCUMQUE DIE COMEDERIS EX EO, MORTE MORIERIS. Non ait, si comederis mortalis eris, sed *in quocumque die*, inquit, *comederis ex eo, morte morieris.* Mortuus namque est homo in anima cùm peccavit, quia recessit ab eo Deus, qui est vita animæ, cujus meritò [d] mortem secuta est mors corporis, discedente ab illo anima, quæ est vita ejus, quæque mors eidem primo homini tunc evenit, cùm præsentis vitæ terminum accepit non parvo post tempore quàm vetitum comedit. Potest [e] etiam intelligi quod illam mortem in eis fecerit dies ille in quo peccaverunt, quam Apostolus gemit dicens: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit, de corpore mortis hujus?* Non enim [f] sufficit ei si diceret: Quis me liberabit de corpore mortali hoc, sed *de corpore*, inquit, *mortis hujus.* Sicut etiam illud: *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum*; nec ibi ait, mortale, sed mortuum, quamvis utique & mortale quia moriturum, non ita credendum est fuisse illa corpora, sed licet animalia nondum spiritalia, non tamen mortua, id est quæ necesse esset ut morerentur, quod eo die factum est, quo lignum contra vetitum tetigerunt.

Mortem animæ sequitur mors corporis.

d

e

Rom. 7. 22.

f

Rom. 8. 10.

DIXIT QUOQUE DOMINUS DEUS: NON EST BONUM ESSE HOMINEM SOLUM, FACIAMUS EI ADJUTORIUM SIMILE SUI. Et hæc locutio Dei non corporali voce foris in auras emissa, sed in terra ratione divinæ voluntatis, per quam creata sunt omnia, ineffabiliter facta esse credenda est, juxta quod & supra docuimus, ubi scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Si autem quærit aliquis ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium; audiat responsum S. Augustini, cujus & superiùs verba sæpissimè, tacito ejus nomine, posuimus. Nihil, inquit, aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos, sicut adjutorium semini [g] in terra est, ut virgultum ex utroque nascatur. Hoc enim & in prima rerum [h] conditione dictum erat: *Masculum & feminam fecit eos, & benedixit eos dicens: Crescite & multiplicamini, & implete terram & dominamini* [i] *ejus.* Quæ ratio conditionis & conjunctionis masculi & feminæ atque

Adjutorium propter sobolem.

De Genesi ad litt. lib. 9. c. 3.

g

h

i

[a] *al.* creaverat. [b] *al.* tutus. [c] *al.* dominationis. [d] *al.* mortis. [e] *al.* & ita.

[f] *al.* sufficeret. [g] *al.* terræ. [h] *al.* creatione. (i) *al.* eis.

benedictionis nec post peccatum hominis pœnamque defecit. Ipsa enim est secundùm quam nunc terra hominibus plena est dominantibus [a] ejus. Quamquam enim jam emissi de paradiso convenisse & genuisse commemorentur; tamen non video quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus, hoc Deo præstante, fideliter justèque viventibus, eique obedienter instanterque servientibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi, fœtus ex eorum semine gigneretur, non ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illis qui genuissent in aliquo formæ statu manentibus, & ex ligno vitæ quod ibi plantatum erat corporalem vigorem sumentibus, & illi qui gignerent ad eumdem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si justè omnes obedientesque viverent, tunc fieret illa commutatio, ut sine ulla morte animalia corpora conversa in aliam qualitatem, eo quòd ad omnem nutum regenti se spiritui deservirent, & solo spiritu vivificante sine ullis alimentorum corporalium sustentaculis viverent, spiritalia vocarentur. [b] Nam si Enoch & Elias in Adam non mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant creduntur etiam redituri ad hanc vitam, &, quod tamdiu dilatum est, morituri, nunc tantum in alia vita sunt ubi, ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo nec senectute deficiunt, quantò justiùs atque probabiliùs primis illis hominibus præstaretur sine ullo suo parentumve peccato viventibus, ut in meliorem aliquem statum filiis genitis cederent, unde sæculo finito cum omni posteritate sanctorum in angelicam formam, non per carnis mortem, sed per Dei virtutem multò feliciùs mutarentur.

FORMATIS IGITUR DOMINUS DEUS DE HUMO CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ, ET UNIVERSIS VOLATILIBUS CÆLI, ADDUXIT EA AD ADAM. Si quem movet quia non dixit, formatis de humo cunctis animantibus terræ & de aquis universis volatilibus cæli, sed tamquam utraque genera de terra formaverit, *Formatis igitur*, inquit, *Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & universis volatilibus cæli*; videat duobus modis esse intelligendum: aut tacuisse nunc unde formaverit volatilia cæli, quia & tacitum posset occurrere, ut non de terra utrumque accipiatur Dominum formasse; sed tantummodo animantia terræ & volatilia cæli, etiam tacente scriptura intelligamus unde formaverit; aut terram universaliter sic appellatam simul cum aquis, quemadmodum appellata est illo psalmo ubi cælestium laudibus terminatis, ad terram facta est conversio sermonis & dictum: *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi*, &c. Nec postea dictum est, Laudate Dominum de aquis. Ubi enim sunt omnes abyssi quæ [c] de terra laudant Dominum, ibi etiam reptilia & volatilia pennata quæ nihilominus de terra laudant [d] Deum secundùm istam universalem appellationem terræ, secundùm quam etiam de toto mundo dicitur: Deus qui fecit cælum & terram, sive de arida sive de aquis quæcumque creata sunt de terra creata veraciter intelliguntur.

Ps. 148. 7.

ADDUXITQUE EA AD ADAM, UT VIDERET QUID VOCARET EA. Non est cogitandum carnaliter quòd ita adduxerit Deus animantia terræ vel aves ad Adam, quomodo solet pastor gregem minare suum de loco ad locum: sed magis intelligendum, quia sicut divina potentia cùm voluit, hæc de aquis creavit; ita etiam [e] eadem occulto nutu suæ potentiæ quando voluit ad hominem conspicienda perduxit, quomodo etiam ad arcam Noë cunctis generis volatilia vel quadrupedia non hominis manu congregata, sed divinitus acta venisse, eamque intrasse leguntur, nescientibus quidem ipsis ad quid venirent, sciente autem homine, qui ea venientia in arcam, Deo adducente ac jubente suscipiebat.

Deus quomodo animalia ad Adam adduxisse dicatur.

OMNE ENIM QUOD VOCAVIT ADAM ANIMÆ VIVENTIS, IPSUM EST NOMEN EJUS, APPELLAVITQUE ADAM NOMINIBUS SUIS CUNCTA ANIMANTIA TERRÆ, ET UNIVERSA VOLATILIA CÆLI, ET OMNES BESTIAS TERRÆ. Constat Adam in ea lingua, qua totum genus humanum usque ad constructionem turris, in qua linguæ divisæ sunt, loquebatur, animantibus terræ & volatilibus cæli nomen imposuisse. Ceterum in dejectione turris, cùm Deus suam cuique genti propriam atque diversam tribueret linguam; tunc eis credendus est etiam animantium vocabula quomodo & rerum ceterarum juxta suam cuique distinxisse loquelam: quamvis etiam non latet homines postea plurimis, quæ sive [f] nova fortè occurrerunt rebus, hæc animantibus per singulas gentes juxta suum placitum indidisse vocabula, & nunc etiam indere solere. Denique de piscibus adductis ad Adam, ut eis nomina imponeret, nihil scriptura refert: quibus tamen credibile est paulatim cognitis pro diversitate gentium nomina ab hominibus esse diversa imposita. [g] Prima autem lingua fuisse generi humano Hebræa videtur, ex eo quod nomina cuncta quæ usque ad divisionem linguarum in Genesi legimus, illius constat esse loquelæ. Causa autem adducendi ad Adam cuncta animantia terræ & volatilia cæli, ut videret quid ea vocaret, & eis nomina imponeret, hæc est, ut sic demonstraret Deus homini quantò melior esset omnibus inrationabilibus animantibus. Ex hoc enim apparet ipsa ratione hominem meliorem esse quàm pecora, quòd distinguere & nominatim ea discernere non nisi ratio potest quæ melior est.

Animalia quare ad Adam adducta.

ADAM VERÒ NON INVENIEBATUR ADJUTOR SIMILIS EJUS. IMMISIT ERGO DOMI-

[a] *Al.* eis. [b] Quæ sequuntur apud Augustinum præcedentibus non subjiciuntur, sed sunt ex cap. 6. ejusdem libri. [c] *Al.* tam de terra. [d] *Al.* Dominum.

[e] *Al. deest* eadem. [f] *Al.* sibi nova. [g] *Al.* primam linguam hebræam.

NUS DEUS SOPOREM IN ADAM, CUMQUE OBDORMISSET, TULIT UNAM DE COSTIS EJUS, ET REPLEVIT CARNEM PRO EA, ET ÆDIFICAVIT DOMINUS DEUS COSTAM QUAM TULERAT DE ADAM IN MULIEREM. Quod mulier viri de latere facta est, propter ipsius conjunctionis vim commendandam ita fieri oportuisse credendum est. Quod autem dormienti illi factum est, quod osse detracto in cujus locum caro suppleretur, altioris mysterii gratia factum est. Significabatur enim quòd de latere Christi in cruce per mortem sopiti sacramenta essent salutis exitura, videlicet sanguis & aqua, de quibus sponsa illi conderetur Ecclesia, nam si [a] tanti sacramenti non esset figura in creatione feminæ præmittenda, quid opus erat dormisse Adam, ut costam illi Deus, de qua feminam faceret, tolleret, qui & vigilanti ac non dolenti idem facere poterat? Quid necessarium ut cùm os quod de viri latere sumtum est, [b] unde femina condebatur, in locum ossis non os, sed caro suppleretur, nisi quia figurabatur quòd Christus propter Ecclesiam infirmus, at verò Ecclesia per ipsum esset firma futura? Unde ejusdem mysterii gratia typico quoque verbo usa est Scriptura, ut non diceret fecit, aut formavit, aut creavit, sicut in omnibus supra operibus; sed *ædificavit*, inquit, *Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*, non tamquam corpus humanum, sed tamquam domum, quæ domus nos sumus, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. Taliter enim decebat, ut humani generis origo, Deo operante, procederet, quatenus redemtioni ipsius quæ in fine erat sæculi per eumdem ventura conditorem concinentibus figuris testimonium daret.

Femina de viri latere facta, Ecclesiæ figura de Christi latere prodeuntis.

ET ADDUXIT EAM AD ADAM. DIXITQUE ADAM: HOC NUNC OS EX OSSIBUS MEIS, ET CARO DE CARNE MEA. Quoniam Adam adductis ad se animantibus terræ & volatilibus cunctis nullum in his sibi [c] simile invenerat, meritò nunc ubi adjutorium simile sui factum atque ad se adductum vidit, agnovit, & exclamavit dicens: *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Nunc videlicet, quia visis priùs animantibus aliis similem sibi non viderat: Os autem *de ossibus meis & caro de carne mea*, quia cetera quæ os & carnem habentia viderat nominatimque distinxerat, non ex sua substantia, sed ex terra vel aquis esse facta noverat. Sicut verò illis vocabula ad se adductis posuerat, sic restabat ut ei quam sibi similem, ac de suo corpore creatam cognovit, nomen inderet.

HÆC, inquit, VOCABITUR VIRAGO, QUONIAM DE VIRO SUMTA EST. Quomodo autem latina etymologia congruit in his nominibus, cùm à viro nuncupatur virago; ita convenit & Hebræa in qua videlicet lingua vir appellatur *his*, & derivato ab hoc nomine femina dicitur *hissa*. Denique quod his appellatur Hebraicè vir, testatur etiam nomen Israhel, qui vir videns Dominum interpretatur. Sed & sacramentis Christi & Ecclesiæ convenit aptissimè quòd Adam mulierem de sua carne creatam nominis sui participem fieri voluit, quia & Dominus noster JESUS CHRISTUS æquè Ecclesiæ, quam per sui corporis ac sanguinis pretium redemit, sibique adoptavit in sponsam, participium sui nominis donavit, ut à Christo videlicet christiana vocaretur, ab JESU, id est Salvatore, salutem [d] requireret æternam. Non autem prætereundum quod sopor ille, sive exstasis, id est mentis excessus, ut antiqua Translatio habet, quam Deus immisit in Adam rectè intelligitur, ut S. Augustinus dicit, ad hoc immissa, ut [e] priùs mens per exstasim particeps fieret tamquam angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret in novissima. Denique [f] evigilans tamquam prophetia plenus, cùm ad se adductam mulierem suam videret, eructuavit continuò quod magnum sacramentum commendavit Apostolus: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumta est*, & quod sequitur.

d Sopor Adamo quare immissus.
De Gen. ad litt. l. 9. c. 19.

QUAMOBREM RELINQUET HOMO PATREM SUUM ET MATREM, ET ADHÆREBIT UXORI SUÆ, ET ERUNT DUO IN CARNE UNA. Quæ primi cùm verba hominis fuisse scriptura ipsa testatur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit. Ait enim: *Non legistis quia qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos, & dixit propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, ut hinc intelligeremus propter exstasim quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tamquam prophetam dicere potuisse. Si ergo Christus adhæsit Ecclesiæ, ut essent duo in carne una, quomodo reliquit Patrem, quomodo matrem? Reliquit Patrem quia *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Hoc est enim *reliquit Patrem*, non quia deseruit & recessit à Patre, sed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri, quomodo reliquit matrem relinquendo synagogam Judæorum, de qua secundùm carnem natus est, & inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregavit, ut pace novi Testamenti essent duo in carne una: quia cum sit Deus apud Patrem per quem facti sumus, factus est per carnem particeps noster, ut illius capitis corpus esse possemus.

Matt. 19. 4.

Christus quomodo Patrem & matrem reliquisse dicatur ut Ecclesiæ sponsæ adhæreret.
Phil. 2. 6.

ERAT AUTEM UTERQUE NUDUS. Adam scilicet & uxor ejus, & non erubescebant. Et meritò, quid enim puderet quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ? quæ illos pœna peccati post perpetrationem prævaricationis secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, & justitia puniente commissum: quod antequam fieret, nudi erant, ut dictum est, & non confundebantur. Nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur, nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrænandum.

Auguft. de Genes. ad litter. lib. 11. c. 1.

[a] *Al.* tanta. [b] *Al.* in feminam.
[c] *Al.* similem.

[d] *Al.* sequentur. [e] *al.* ipsius.
[f] *al.* vigilans.

SED ET SERPENS ERAT CALLIDIOR CUNCTIS A ANIMANTIBUS TERRÆ QUÆ FECERAT DOMINUS DEUS. Poteſt iſte ſerpens non irrationabili anima ſua, ſed alieno jam ſpiritu, id eſt diabolico, callidior dici cunctis animantibus: quantumlibet enim prævaricatores angeli de ſupernis ſedibus ſuæ perverſitatis & ſuperbiæ, merito dejecti ſint, natura tamen excellentiores ſunt omnibus animantibus terræ propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum ſi ſuo inſtinctu diabolus jam implens ſerpentem, eique ſuum ſpiritum miſcens, eo more quo vates dæmoniorum impleri ſolent, callidiſſimum eum reddiderat omnium animantium terræ; ſi- B ve, ut alia Editio habet, ſapientiſſimum beſtiarum ſecundùm animam vivam inrationabilemque viventium? Si ergo quæritur cur Deus tentari permiſerit hominem, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat; occurrit ratio vera, non magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene vivere, quia nemo male vivere ſuaderet, cùm & in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle non conſentire ſuadenti, adjuvante tamen illo qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Nec arbitrandum eſt, quòd eſſet hominem dejecturus tentator iſte, niſi præceſſiſſet in anima hominis C [a] quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati quàm de ſe falsò [b] præſumſerat, diſceret veriſſimè: quippe dictum eſt: *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur?* [c] Sic autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quod eam fieri permiſerit Deus, quaſi nunc non videant univerſum genus humanum diaboli inſidiis ſine ceſſatione [d] vexari, cur & hoc permiſit Deus? an quia probatur & exercetur virtus & eſt palma glorioſior non conſenſiſſe tentatum, quàm non potuiſſe tentari. Si autem quæritur cur potiſſimum per ſerpentem diabolus [e] tentare permiſſus ſit, D jam hoc ſignificandi gratia factum eſt, non [f] quo diabolus aliquid ad ſtructionem noſtram ſignificare voluerit, ſed cùm accedere ad tentandum non poſſet, niſi permiſſus, neque per aliud poſſet, niſi per quod permittebatur accedere. Quidquid igitur ſerpens ille ſignificavit, ei providentiæ tribuendum eſt, ſub qua & ipſe diabolus ſuam quidem habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non niſi quæ datur vel ad ſubvertenda ac perdenda vaſa iræ, vel ad humilianda [g] ſive probanda vaſa miſericordiæ. Non itaque ſerpens verborum ſonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem: neque E enim converſa credenda eſt anima ejus in naturam rationalem, quando nec ipſi homines, quorum rationalis natura eſt, cùm dæmon in eis loquitur ea paſſione cui ab exorciſta requiritur, neſciunt quid loquantur: quantò minus ille intelligeret verborum ſonos, quos per eum & ex eo diabolus illo modo faciebat qui hominem loquentem non intelligeret, ſi eum à diabolica paſſione immunis audiret.

Aug. ibid. cap. 4. Homo cur tentari permiſſus ſit.

Ibid. c. 5.

Prov. 16. 18.

Ibid c. 6.

Ibid. c. 11. Cur tentatus per ſerpentem.

Ibid. c. 28. Serpens prolata verba an intellexerit.

DIXIT ERGO AD MULIEREM: CUR PRÆCEPIT VOBIS DEUS UT NON COMEDERETIS DE OMNI LIGNO PARADISI? CUI [h] RESPONDIT MULIER: DE FRUCTU LIGNORUM QUÆ SUNT IN PARADISO VESCEMUR, DE FRUCTU VERÒ LIGNI QUOD EST IN MEDIO PARADISI PRÆCEPIT NOBIS DEUS NE COMEDEREMUS, ET NE TANGEREMUS ILLUD, NE FORTE MORIAMUR. Ideo prius interrogavit ſerpens & reſpondit hoc mulier, ut prævaricatio eſſet inexcuſabilis, neque ullo modo dici poſſet id quod præceperat Deus oblitam fuiſſe mulierem.

DIXIT AUTEM SERPENS AD MULIEREM: NEQUAQUAM MORTE MORIEMINI. SCIT ENIM DEUS QUÒD IN QUOCUMQUE DIE COMEDERITIS EX EO, APERIENTUR OCULI VESTRI, ET ERITIS SICUT DII SCIENTES BONUM ET MALUM. Quid hic intelligitur, niſi perſuaſum [i] ei eſſe, ut ſub Deo eſſe nollent, ſed in ſua poteſtate potius ſine Deo, ut legem ejus non obſervarent quaſi invidentis ſibi, ne ſe ipſi regerent, non indigentes illius æterno lumine, ſed vacantes propria providentia quaſi oculis ſuis ad dignoſcendum bonum & malum quod ille prohibuiſſet. In quibus verbis notandum quanta arte nequitiæ diabolus hominem ab initio [k] tentaverit, qui non ſolùm eum inobedientiam contemtumque ſui Creatoris velut ſibi invidentis docuit; ſed & numeroſitatem deorum illi credendam proponit dicens: *Et eritis ut dii*, quatenus etſi fortè ad inobedientiam eum protrahere nequiret, fidei tamen, [l] qua unum Deum colebant, caſtitatem corrumperet: ſi verò pertraheret, in utroque victor exiſteret. Quando autem his verbis crederet mulier à bona atque utili re divinitùs ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumtio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda? Denique verbis non contenta ſerpentis, conſideravit lignum, viditque, ut ſcriptura dicit, quòd bonum eſſet ad veſcendum, & pulcrum oculis, aſpectuque delectabile; & non credens poſſe inde ſe mori, arbitror quòd putaverit Deum alicujus ſignificationis cauſa dixiſſe; ſi manducaveritis, morte moriemini; Atque ideo TULIT DE FRUCTU ILLIUS, ET COMEDIT, DEDITQUE VIRO SUO, fortaſſis etiam cum verbo ſuaſorio, quod ſcriptura tacens intelligendum reliquit. An fortè nec [m] ſuaderi jam opus erat viro quando illam eo cibo mortuam non eſſe cernebat?

QUI COMEDIT. ET APERTI SUNT OCULI AMBORUM. Quò? niſi ad invicem concupiſcendum, ad peccati pœnam carnis ipſius morte conceptam, ut jam eſſet corpus non animale tantùm, quod poterat, ſi obedientiam conſervarent, in meliorem ſpiritalemque habitum ſine morte mutari, ſed jam corpus mortis, in quo lex in membris repugnaret legi mentis. Neque enim clauſis oculis facti erant, & in paradiſo delicia-

Aug. l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 30.

k Quantâ arte homo fuerit tentatus.

Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litter. c. 30.

Quomodo aperti oculi. Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 31.

Luc. 24.

[a] *al. deeſt* quædam. [b] *al.* præſumſerit. [c] *al.* ſi autem. [d] *al* attari *al.* certari. [e] *al.* tentari. [f] *al.* quod.

[g] *al. deeſt* ſive probanda. [h] *al.* reſpondens. [i] *al.* eis. [k] *al.* tentaverat. [l] *al.* qui *al.* quia. [m] *al.* ſuadere.

rum cœci palpanteſque oberrabant. Tale eſt illud Evangelii cùm diceret de illis duobus, quorum erat unus Cleopas, quòd cùm fregiſſet eis Dominus panem aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum quem per viam non [a] cognoverant: non utique clauſis oculis ambulantes, ſed eum cognoſcere non valentes. Ad hoc ergo aperti ſunt oculi primorum hominum, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent.

Origo libidinis. August. l. II. de Gen. ad litt. c. 31.

CUMQUE COGNOVISSENT ESSE SE NUDOS, CONSUERUNT FOLIA FICUS, ET FECERUNT SIBI PERIZOMATA. Anima rationalis beſtialem motum in membris ſuæ carnis erubuit, eique incuſſit pudorem, non ſolùm quia hoc ibi ſentiebat, ubi numquam ante tale aliquid ſenſerat: verùm etiam quòd ille pudendus motus de præcepti tranſgreſſione veniebat. Ibi enim ſenſit qua priùs gratia veſtiretur, quando in ſua nuditate nihil indecens patiebatur. Denique illa conturbatione ad folia ficulnea concurrerunt, quæ fortè perturbati prima invenerunt: perizomata, ideſt, ſuccinctoria conſuerunt: & quia glorianda deſeruerunt, pudenda texerunt. Nec arbitror eos cogitaſſe aliquid in illis foliis quòd talibus congrueret contegi jam membra prurientia, ſed occulto inſtinctu ad hoc illa conturbatione compulſi ſunt, ut etiam talis pœnæ ſuæ ſignificatione neſcientibus fieret, quæ [b] peccatorem facta convinceret & doceret ſcripta lectorem. Miſterium autem hujus arboris ſub qua & Nathanael adhuc poſitum Dominus vidit, S. Ambroſius breviter quidem, ſed patenter expoſuit dicens: Beati qui ſub vite & olea equos ſuos alligant, laborum curſum ſuorum faciei lætitiæ conſecrantes. Me ficus adhuc, id eſt inlecebroſa deliciarum obumbrat prurigo mundi humilis ad altitudinem, fragilis ad laborem, mollis ad uſum, ſterilis ad fructum. Et in alio loco: Quod igitur gravius eſt, inquit, hac ſe Adam interpretatione ſuccinxit [c] eo loci ubi fructu magis caſtitatis ſe ſuccingere debuiſſet, in lumbis enim quibus præcingimur quædam ſemina generationis eſſe dicuntur, & ideo malè ibi ſuccinctus Adam foliis inutilibus, ubi futuræ generationis non frúctum futurum, ſed quædam peccata ſignaret.

e Lib. de Paradiſo c. 13.

ET CUM AUDISSET VOCEM DOMINI DEI DEAMBULANTIS IN PARADISO AD AURAM POST MERIDIEM, ABSCONDIT SE ADAM ET UXOR EJUS. Poſt meridiem tales jam convenerat viſitari qui defecerant à luce veritatis. Unde aptè Dominus meridie crucem aſcendit, & promiſſa latroni habitatione paradiſi, poſt meridiem, id eſt hora nona ſpiritum tradidit; ut videlicet eadem hora qua primus homo lignum prævaricationis tetigerat, ſecundus homo lignum redemtionis aſcenderet, & qua hora diei prævaricatores paradiſo expulerat, ea confeſſorem in paradiſum induceret.

Christus ea hora cruci affixus qua peccaverat Adam.

Aug. lib. II. de Gen. ad litter. c. 33.

ABSCONDIT SE, inquit, ADAM ET UXOR EJUS A FACIE DOMINI DEI IN MEDIO LIGNI PARADISI. Cùm Deus avertit intrinſecus faciem ſuam, non miremur hæc fieri quæ ſimilia ſunt dementiæ, per nimium pudorem ac timorem, illo quoque occulto inſtinctu non quieſcente, ut ea neſcientes facerent, quæ aliquid ſignificent, quandoque ſciturıs poſteris propter quos iſta conſcripta ſunt. Abſcondunt ſe [d] namque à facie Dei qui peccant, quia indignos ſe divinæ pietatis reddunt aſpectu. Abſcondunt ſe à facie Dei, non ut ipſorum conſcientiam internus arbiter non videat, ſed ut ipſi gloriam vultus ejus numquam niſi reſipiſcendo conſpiciant.

VOCAVITQUE DOMINUS DEUS ADAM, ET DIXIT EI: UBI ES? Non utique ignorando quæſivit, ſed increpando admonuit, ut adtenderet ubi eſſet in quo Deus non eſſet. Jam enim quia de arbore vetita comederat, mortuus erat morte animæ, cùm eam deſeruiſſe vita ſua dicitur. Et hoc ſanè ad aliquam pertinet ſignificationem, quòd ſicut præceptum viro datum eſt per quem perveniret ad feminam; ita vir prior interrogatur. Præceptum enim à Domino per virum uſque ad feminam: peccatum autem à diabolo per feminam uſque ad virum. Hæc myſticis ſignificationibus plena ſunt, non id agentibus in quibus facta ſunt, ſed de his id agente potentiſſima ſapientia Dei, non autem nunc ſignificata reſeramus, ſed geſta defendimus.

Aug. ibi. cap. 34. Quare homo prius interrogatus.

Aug. ibid.

QUI AIT: VOCEM TUAM AUDIVI IN PARADISO, ET TIMUI EO QUOD NUDUS ESSEM, ET ABSCONDI ME. Satis probabile eſt ſolere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere, quos tamen numquam permiſit advertere nuditatem ſuam, eorum intentionem in ſuperna ſuſtollens, niſi poſt peccatum pudendum in membris motum pœnali membrorum lege ſenſiſſent. Sic ergo affecti ſunt, ut ſolent affici homines ſub oculis hominum: & talis affectio de peccati pœna erat, eum latere velle quem latere nihil poteſt. Quod enim jam ipſos pudebat erga ſe ipſos, unde ſibi & [f] ſuccinctoria fecerant, multò vehementiùs ab illo etiam ſic ſuccincti videri verebantur, qui tamquam familiari temperamento ad eos videndos per creaturam viſibilem velut humanos oculos afferebat.

Dominus ergo volens jam peccatores more juſtitiæ interrogatos punire amplius quàm erat illa pœna, de qua jam cogebantur erubeſcere, QUIS ENIM, inquit, INDICAVIT TIBI QUOD NUDUS ESSES, NISI QUOD EX LIGNO DE QUO TIBI PRÆCEPTUM NE COMEDERES, COMEDISTI? Hinc enim mors concepta propter Dei ſententiam, qui ſic fuerat comminatus, fecit adverti concupiſcentialiter membra: ubi dicti ſunt aperti oculi, & ſecutum eſt quod puderet.

Aug. ib. cap. 35.

DIXITQUE ADAM: MULIER QUAM DEDISTI MIHI SOCIAM, DEDIT MIHI DE LIGNO ET COMEDI. Superbia numquid dixit, peccavi? Habet deformitatem confuſionis, & non habet humilitatem confeſſionis. Ad hoc iſta conſcripta ſunt, quia & ipſæ interrogationes nimirum ad hoc factæ ſunt, ut utiliter ſcriberentur

Excuſatio hominis ſuperbia. Aug. ib. c. 35.

[a] al. cognoverunt.
[b] al. peccatorum.
[c] al. eo loco.
[e] al. deeſt namque
[d] al. abitione.
[f] al. ſua cinctoria.

a berentur, ut advertamus quomodo [a] superbia laborent homines hodie, non nisi in Creatorem conantes referre si quid egerint mali, cùm sibi velint tribui si quid egerint boni. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi*, quasi ad hoc data sit, ut non ipsa potius obediret viro, & ambo Deo.

ET DIXIT DOMINUS DEUS AD MULIEREM: QUARE HOC FECISTI? QUÆ RESPONDIT: SERPENS DECEPIT ME, ET COMEDI. Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu, *Serpens*, inquit, *decepit me & comedi*; quasi cujusquam suasio præcepto Dei debuerit anteponi. Et ipsa B autem culpæ causam in Creatorem refert, qui serpentem in paradiso per quem deciperetur, creaverit.

ET AIT DOMINUS DEUS AD SERPENTEM: QUIA FECISTI HOC, MALEDICTUS ES INTER OMNIA ANIMANTIA ET BESTIAS TERRÆ. Quia serpens cur hoc fecerit non est interrogatus, potest videri quod non ipse utique id sua natura & voluntate fecerat, sed diabolus de illo & per illum fuerat operatus, qui jam ex peccato impietatis ac superbiæ suæ igni destinatus fuerat. Nunc ergo quod [b] serpenti dicitur, & ad eum, qui per serpentem C operatus est, utique refertur, procul dubio figuratum est. Nam in his verbis tentator ille describitur qualis generi humano futurus esset.

Aug. lib. 11. cap. 36. Cur serpens à Deo non interrogatus.

b

SUPER PECTUS TUUM GRADIERIS, ET TERRAM COMEDES CUNCTIS DIEBUS VITÆ TUÆ. Super pectus quippe graditur serpens, quia omnes gressus diaboli nequitiæ sunt & fraudes: nam in pectore calliditatem & versutias cogitationum ejus indicat, quibus ad eos quos vult decipere serpit, pro quo antiqua Translatio habet: *Pectore & ventre repes*. Repit autem pectore, cùm terrenas hominibus, quos sua membra facere desiderat, cogitationes suggerit. Repit D & ventre, cùm eos ingluvie superatos in æstum libidinis excitat. Omnia namque quæ repunt, corpus per terram trahunt. Corpus autem diaboli sunt omnes reprobi; & ipse pectore & ventre suo repit, cùm eos per iniquas cogitationes vel illecebras comessationis ac luxuriæ ad infima deprimit. Devorat autem terram, cùm errore peccantium pascitur ac delectatur, eosque seducens ad interitum rapit. Sicut enim sancti sæpe cælorum; ita nomine terræ hi qui terrena sapiunt, indicantur, quomodo in sequentibus Adæ dicitur: *Terra es, & in terram ibis*, quod nostra Translatio habet, quia *pulvis* E *es & in pulverem reverteris*. In cujus signum devorationis spiritalis ipse etiam serpens inrationalis, quo ad decipiendum hominem velut organo suo usus est diabolus, nunc terram materialem comedere jubetur, cui prius una cum ceteris animantibus terræ [c] herbis & lignorum [d] fructu vesci concessum erat.

Diabolus super pectus & ventrem gradi quomodo dicatur.

c
d

INIMICITIAS PONAM INTER TE ET MULIEREM, ET SEMEN TUUM ET SEMEN ILLIUS. Semen mulieris totum est genus humanum: semen diaboli prævaricatores sunt angeli, qui exemplo sunt superbiæ illius ac rebellionis depravati. Semen illius est perversa suggestio: semen mulieris fructus boni operis, quo perversæ suggestioni resistitur. Hujus autem serpentis ac seminis ejus memorati inimicitiam quantum genus humanum toleret, quantam adversus eum inimicitiam omnes electi rectè vivendo exerceant, cunctis sole clariùs fidelibus constat. Cujus signum inimicitiæ in natura etiam apparet inrationabilis serpentis, qua cunctis animantibus & bestiis terræ pro insita sibi peste veneni generalis semper existit inimicus: quod videlicet ei à tempore maledictionis hujus, & non ante insitum esse credendum est.

Semen mulieris & diaboli.

IPSA CONTERET CAPUT TUUM, ET INSIDIABERIS CALCANEO EJUS. Mulier conterit caput serpentis, cùm Ecclesia sancta insidias diaboli & suasiones venenosas in ipso mox initio deprehensas abigit, & quasi conculcans ad nihilum deducit. Conterit caput serpentis, cùm superbiæ, per quam Eva decepta est, sæpe sub potenti manu Dei humiliando resistit: initium enim omnis peccati superbia. Et serpens insidiatur calcaneo mulieris, quia circuiens Ecclesiam diabolus velut leo rugiens quærit quem devoret, quomodo gressus bonæ nostræ actionis evertat. Insidiatur calcaneo, cùm in fine vitæ præsentis nos rapere satagit. Calcaneo namque, qui finis est corporis, non immerito finis vitæ nostræ designatur, quod utrumque ipsa quoque serpentis conditio figuratè denuntiat, qui conteri solet ab omnibus qui possunt, & ipse feriendis hominum vestigiis insidiari non desinit.

Mulier quomodo conterat caput serpentis.

MULIERI QUOQUE DIXIT: MULTIPLICABO ÆRUMNAS TUAS ET CONCEPTUS TUOS. IN DOLORE PARIES FILIOS TUOS. Hæc quoque in mulierem Dei verba figuratè ac propheticè multò commodiùs intelliguntur. Verumtamen quia nondum pepererat femina, nec dolor & gemitus parientis nisi ex corpore mortis est, quæ præcepti transgressione concepta est, refertur hæc pœna & ad proprietatem litteræ: nam & in eo quod sequitur: *Et sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, cùm & ante peccatum aliter [e] factam fuisse non deceat credere mulierem, nisi ut vir ei dominaretur, & sub ejus ipsa potestate degeret, rectè accipi potest hanc servitutem significatam, quæ cujusdam conditionis est potius quàm dilectionis, ut etiam ipsa talis servitus, qua homines hominibus postea servi esse cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Apostolus: *Per caritatem servite invicem*; sed nequaquam diceret invicem dominamini. Possunt itaque conjuges per caritatem servire invicem; sed mulierem non permittit Apostolus dominari in virum. Hæc enim viro potiùs sententia detulit, & maritus habere dominium meruit mulieris, non natura, sed culpa: quod tamen nisi servetur, depravabitur ampliùs & augebitur culpa. Figuratè autem verba hæc ad Ecclesiam conjugem videlicet Christi [f] conveniunt, cujus

Mulieris pœna.

Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 37.

e

Gal. 5. 13.

f Figuratè quomodo accipienda.

[a] *Al.* per superbiam.
[b] *Al.* de serpente.

[c] *Al.* herbarum.
[d] *Al.* fructibus.
[e] *Al.* facta.
[f] *Al.* veniunt.

ærumnæ post reatum primæ prævaricationis multiplicantur in hac vita, ut ad vitam perpetuam castigata perveniat; multiplicantur & conceptus, cum spiritalem Deo sobolem prædicando ac rectè vivendo gignere satagit: unde eidem suæ soboli per egregium prædicatorem dicitur: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Parit in dolore filios, cùm sollicita metuit, ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus eorum, & excidant à simplicitate quæ est in Christo. Agit sub viri potestate, quia servit Domino in timore & exultat ei non in securitate, sed cum tremore: cui, si numquam peccasset, solo securæ dilectionis copularetur amplexu. Et ipse dominabitur ejus, carnales ejus cohibens motus, eamque ad [a] perceptionem vitæ cælestis continuo supernæ institutionis exercitio provehens, à qua si numquam recessisset, socia cum illo semper libertate regnaret.

Gal. 4. 19.

Pœna hominis.

ADÆ VERO DIXIT: QUIA AUDISTI VOCEM UXORIS TUÆ, ET COMEDISTI DE LIGNO EX QUO PRÆCEPERAM TIBI NE COMEDERIS, MALEDICTA TERRA IN OPERE TUO. IN LABORIBUS COMEDES EAM CUNCTIS DIEBUS VITÆ TUÆ, SPINAS ET TRIBULOS GERMINABIT TIBI, ET COMEDES HERBAS TERRÆ, &c. Hos esse in terra labores humani generis quis ignorat? & quia non essent si felicitas, quæ in paradiso fuerat, teneretur. Per peccatum enim hominis terra maledicta est, ut spinas pareret, non ut ipsa pœnas sentiret quæ sine sensu est, sed ut peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando averti à peccatis, & ad Dei præcepta converti. Nam & herbæ venenosæ ad pœnam vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt. Et hoc notandum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas quoque arbores insultatur hominibus, ut intelligant quàm sit erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in Ecclesia, & ut timeant ne deserat illos Deus, quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptum quod terra protulerit nisi herbam pabuli & ligna fructuosa: post peccatum autem videmus multa horrida & infructuosa nasci, propter eam videlicet quam diximus causam. Mysticè verò terra quæ in opere prævaricationis Adæ maledicta esse perhibetur, non alia melius quàm caro accipitur. Namque spinas jam & tribulos germinat nobis, quia per carnis concupiscentiam propagati, punctiones & incentiva vitiorum de ipsa carne patimur.

Aug. ib. 8. 38.

IN SUDORE VULTUS TUI VESCERIS PANE DONEC REVERTARIS IN TERRAM DE QUA SUMTUS ES, QUIA PULVIS ES ET IN PULVEREM REVERTERIS. Illum hic panem intellige qui ait: *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi*; quo in sudore vultus nostri vescimur, quia ad conspectum divinæ celsitudinis, non nisi per laborem necessariæ afflictionis ascendimus.

Joan. 6. 51.

ET VOCAVIT ADAM NOMEN UXORIS SUÆ EVA, EO QUOD MATER ESSET CUNCTORUM VIVENTIUM. Et hoc nomen Adam divino instinctu constat uxori suæ posuisse, quod aptissimè congruit Ecclesiæ sanctæ, in cujus solùm unitate, quæ catholica vocatur, vitæ cunctis janua patet.

FECITQUE DOMINUS DEUS ADÆ ET UXORI EJUS TUNICAS PELLICIAS, ET INDUIT EOS. Et hoc significationis gratia factum est, sed tamen factum. Nam hujusmodi indumento Dominus eos mortales jam factos fuisse insinuat; pelles quippe, quæ non nisi mortuis pecudibus subtrahuntur, mortis figuram continent. Ita [b] cùm contra præceptum non imitatione legitima, sed inlicita superbia Deus esse appetit homo, usque ad belluarum mortalitatem dejectus est. Et quidem ipsi sibi fecerant perizomata de foliis fici, quibus pudenda tegerent; sed Deus facit illis tunicas pellicias, quibus omne corpus illorum induat: quia ipsi, perdita per prævaricationem gloria innocentiæ, prætenderunt sibi velamen excusationis, quo suam culpam in Conditorem transfunderent: & ipse Conditor illos per sententiam justi judicii, [c] ablato statu vitæ immutabilis, in anima simul & carne multavit pœna mortalitatis. Narrat autem evangelica parabola, quia pius pater revertenti ad se per pœnitentiam filio luxurioso inter alia munera etiam stolam primam proferri, & eum indui præcepit, mysticè insinuans quòd electi habitum immortalitatis, quem in Adam in exordio sæculi perdiderunt, in fine sæculi sint recepturi in Christo, & quidem ampliori gratia. Nam Adam ita immortalis factus est, ut posset non mori, si præceptum servaret: filii autem resurrectionis ita erunt immortales, ut nec mori umquam, nec metu mortis possint affici. De cujus receptione stolæ dicit Apostolus: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem:* ubi induere sonat, ablatam utique significat nuditatem, quam Adam in se & Eva post peccatum agnitam erubescebant.

Tunicæ pelliceæ mortis figura.

1. Cor. 15. 53.

ET AIT: ECCE ADAM FACTUS EST QUASI UNUS EX NOBIS, SCIENS BONUM ET MALUM. De hoc S. Augustinus: Quoniam, inquit, per quodlibet & quomodolibet dictum sit, Deus tamen dixit, non aliter intelligendum est, quod ait *unus ex nobis*, nisi propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur, sicut dictum erat *Faciamus hominem*, sicut etiam Dominus de se & Patre: *Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Replicatum est igitur in caput superbi quo exitu concupiverit quod à serpente suggestum est *Eritis sicut dii. Ecce*, inquit, *Adam factus est sicut unus ex nobis.* Verba enim sunt hæc Dei, non tam ei insultantis, quàm ceteros ita ne superbiant deterrentis: propter quos ista descripta sunt: *Factus est*, inquit, *tamquam unus ex nobis, sciens bonum & malum.* Quid aliud intelligendum nisi exemplum timoris incutiendi

Aug. de Genes. ad litt. lib. 11. cap. 39. Trinitatis mysterium commendatur. Joan. 14.

[a] *Al.* receptionem.
[b] *Al.* illi qui contra.

[c] *Al.* oblato.

„ esse propositum? quia non solùm non fuerit factus qualis fieri voluerit, sed nec illud quod factus fuerat conservaverit. De hoc alio loco: Nec Dei confitentis, inquit, verba sunt, sed potius exprobrantis. *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*, sicut Apostolus ubi dicit: *Donate mihi hanc injuriam*, utique à contrario vult intelligi.

1. Cor. 12. 13.

Expulsio è paradiso. Aug. ibid. cap. 40.

Nunc ergo ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ & comedat & vivat in æternum Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumtus est. Superiora verba Dei sunt, hoc autem factum propter ipsa verba secutum est. Alienatus enim à vita non solùm quam fuerat, si præceptum servasset, cum angelis accepturus; sed ab illa etiam, quam ducebat in paradiso, felici quodam corporis statu, separari utique debuit à ligno vitæ, sive quod ex ipso illi subsisteret felix ille ipse status corporis ex re visibili virtute invisibili, sive quod in eo esset & sacramentum visibile invisibilis sapientiæ. Alienandus inde utique fuerat vel jam moriturus, vel etiam tamquam excommunicatus, sicut etiam in hoc paradiso, id est in Ecclesia, solent à Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesiastica removeri.

Excommunicatio.

Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Hunc locum antiqua Translatio sic habet: *Et ejecit Adam, & collocavit eum contra paradisum voluptatis, & ordinavit cherubim & flammeam rompheam*, &c. Quam si sequimur, & hoc significandi gratia factum credere debemus, sed tamen factum, ut contra paradisum, quo beata vita etiam spiritaliter significabatur, habitaret peccator utique in miseria. Quod autem dicitur collocasse Deus ante paradisum voluptatis cherubim & flammeum gladium, hoc per cælestes utique potestates in paradiso visibili factum esse credendum est, ut per angelicum ministerium esset illic ignea quædam custodia, non tantùm frustra factum esse, nisi quia significat aliquid etiam de spiritali paradiso, non est utique dubitandum: quæ etiam custodia bene versatilis esse asseveratur pro eo quòd quandoque veniret tempus, ut etiam removeri potuisset. Remota est namque, Enoch à peccatoribus translato; remota, Helia in curru igneo rapto; remota omnibus electis, cùm Domino baptizato, aperti sunt ei cæli; remota item singulis electis, cùm baptismi fonte lavantur; remota hisdem perfectius, cùm soluti à vinculis ad cælestis paradisi gloriam suo quique tempore conscendunt. Item quia cherubim scientiæ multitudo, sive scientia multiplicata interpretatur, bene cherubim & flammeus gladius ad custodiendam viam ligni vitæ collocatus esse perhibetur: quia nimirum per disciplinam nobis scientiæ cælestis, & per laborem afflictionum temporalium reditus ad supernam patriam patet, ex qua per stultitiam prævaricationis, perque appetitum carnalium voluptatum discessimus. Et bene non simpliciter flammam, sed dicit gladium flammeum ante paradisum esse collocatum, ut feriendas in nobis inlecebras concupiscentiæ temporalis insinuet gladio spiritus, quod est verbum Dei, si ad lignum vitæ, qui est Christus Dominus, penetrare concupiscimus. Et bene eumdem gladium versatilem esse refert, ut indicet mysticè non nobis semper hunc necessarium esse gladium, sed, ut scriptum est, tempus esse belli, tempus pacis; belli, videlicet cùm in hujus vitæ stadio adversum aëreas potestates, vel etiam nostræ mentis aut corporis vitia certamus; pacis autem, cùm perfecta victoria coronamur, ac fructu ligni vitæ perpetuo sine fastidio satiamur. Quærit autem adversarius legis & prophetarum, Sed ista, inquiens, arbor quæ in paradiso vitæ fructus ferebat cui proderat? Cui respondens S. Augustinus: Cui, inquit, nisi prius illis primis hominibus qui in paradiso fuerant constituti? Deinde istis de paradiso pro merito suæ iniquitatis ejectis, mansit ad memoriam significandæ spiritalis arboris vitæ, [a] quæ est sapientia beatorum, cibus immortalis animarum. Utrum autem illo cibo nunc vescatur aliquis, nisi forte Enoch & Helias, non temerè asseverandum puto. Ligno tamen illo vitæ, quod est in spiritali paradiso, nisi alerentur animæ beatorum, non pro munere pietatis & fidelissimæ confessionis latronis animæ credentis in Christum legeremus paradisum eodem die fuisse concessum. *Amen*, inquit, *dico tibi hodie mecum eris in paradiso* Esse autem ibi cum Christo, hoc est esse cum vitæ ligno, ipse est quippe Sapientia, de qua scriptum est.: *Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam*. Amen.

Aug. ibid.

Luc. 23. 43.

Prov. 3. 18.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Adam vero cognovit Evam uxorem suam, quæ concepit et peperit [b] Cain dicens: Possedi hominem per [c] Deum Hinc jam post delicias paradisi & prævaricationis primæ reatum, hujus sæculi ac vitæ mortalis gesta narrantur, cùm protoplasti, qui immortales fuerant conditi, post acceptam moriendi conditionem mortalium ex se sobolem gignere incipiunt, omnibus in iniquitate conceptis, & in delictis materno ex utero prodeuntibus. Interpretatur autem Caïn possessio, cujus causam vocabuli exposuit genitrix ipsa cùm ait: *Possedi hominem per Deum*. Et hoc dicto, mater nostra jam catholica discretione nos docet, quòd ita filium peccato suæ prævaricationis obnoxium genuit, ut tamen hoc quod homo natus est, id est quod [d] anima constans & corpore, [e] effectu divinæ creationis ac primæ

[a] *Al.* quod est. [b] *al.* filium Cain. [c] *al.* Dominum.

[d] *al.* ex anima. [e] *al.* affectu.

benedictionis munere possideret.

Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Abel interpretatur luctus sive miserabilis: quo nomine præsagabatur à prima ætate dolenda immaturæ mortis ejus conditio. Nam etsi pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, gustato calice salutiferæ passionis, quantum tamen ad humanum pertinet intuitum, lugubre est satis, in tantum nos ab innocentia primæ conditionis recessisse, ut nec illi qui primi in terra editi sunt germani fratres pacem inter se & concordiam habere potuerint, sed alter alterum invidendo occiderit, dum soli adhuc cum parentibus orbis totius domini extitissent; manifestè jam tum præsagantes quod sancti in hac vita pressuras essent à reprobis mortesque passuri: in quibus & hoc notandum, quòd Caïn in hac vita prior natus, sed Abel de hac vita prior est sublatus, quia nimirum HÆC VITA propriè malorum est vita, de qua in mortem præcipitantur æternam; at verò electorum vita propriè futura est vita, ad quam ut feliciùs perveniant, mortificantur in hac vita quotidie, & æstimantur ut oves occisionis.

Vita præsens propriè reproborum, futura electorum.

Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum. Manifestè ostenditur quòd ambo fratres fidem in Deum habuerint, ambo vel naturaliter admoniti, vel à parentibus edocti, noverint offerenda Deo dona, & reatum paternæ [a] transgressionis oblatis ei [b] sacrificiis esse diluendum: sed quia non æquali mente obtulerunt, non æqualiter sunt utriusque vota accepta. Non enim in hoc peccasse Caïn arbitror, quòd vel opus exercuit agricolæ, vel munera Deo de fructibus terræ obtulit, sed quòd minus perfecta pietate in agenda carnis cura laboraverit, minus perfecta devotione ad offerenda Deo munera accesserit. Denique & Noë vir agricola exercebat terram, plantavitque vineam: & Melchisedech sacerdos Dei altissimi offerebat de fructibus terræ panem & vinum. Non ergo Caïn ob genus oblationis vile reprobatus est. Inde etenim offerebat Deo, unde & ipse vivere consueverat; sed ob mentem impiam offerentis, ipse una cum muneribus ab eo qui corda inspicit abjectus est, juxta quod sequentia verba manifestant cùm dicitur:

Caïn in quo peccaverit.

Et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, ad Cain vero et ad munera illius non respexit. Non enim ait: Et respexit Dominus ad munera Abel & ad ipsum; ad munera verò Caïn & ad ipsum non respexit: sed primò personam offerentis acceptam Deo vel non acceptam, deinde munera respecta, vel non respecta esse testatur. Homines etenim sæpe muneribus eorum à quibus fuerant offensi placantur; DEUS AUTEM, qui est discretor cogitationum & intentionum cordis, nullo magis munere quàm pia offerentis devotione placatur: Qui cùm puritatem nostræ mentis probaverit, consequenter etiam vota orationum

Deus in quo magis placetur.

A vel operum nostrorum suscipiet.

Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. Unde noverat Caïn respexisse Dominum ad Abel & ad munera ejus; à se autem ac suis muneribus vultum avertisse, nisi quia, sicut quidam interpretati sunt, inflammavit Dominus super Abel & sacrificium ejus, super Caïn verò & sacrificium ejus non inflammavit, id est igne misso de cælis hostiam Abel suscepit, quod sæpissime factum offerentibus viris sanctis legimus. Caïn verò ipse sacrificium suum consumere igne debebat. Nam & hoc significare videtur Apostolus, cum ait: B *Fide plurimam hostiam Abel quàm Caïn obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo.* Testimonium ergo perhibuit muneribus Abel Deus per ignem, hæc suscipiendo de cælis, quo etiam Apostoli testimonio docemur, quòd hostia Abel per fidei illius devotionem acceptabilis Deo facta est, & è contrario subintelligere debemus Caïn propterea reprobatum, quòd non integra suo Conditori fide servierit.

Quomodo respexit ad munera Abel.

Heb. 11. 4.

Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es, et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? C Quare, inquit, irasceris, & invidiæ in fratrem livore cruciaris, vultum dimittis in terram? Nonne si bene egeris, si pura mente sacrificium obtuleris, recipies, respiciente Domino ad te & ad sacrificium tuum: sin autem malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit, & tali janitore intrans semper exiensque comitaberis, pro eo ut Dominus, custodiret introitum tuum & exitum tuum, & sicut de sapientia dicitur: *Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit. Assidentem enim illam in foribus suis inveniet.* Et iterum: *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, &* D *in viis ostendit se illis habitator, & in omni providentia occurrit illis*;

Sap. 6. 15.

Ibid. 17.

Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Juxta idioma linguæ Hebraicæ indicativum modum pro imperativo posuit, qualia habes innumera. *Diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum, non fornicaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices*, pro eo ut diceretur, dilige, & ne occidas, ne forniceris, ne furtum facias, ne falsum testimonium dicas. *Sub te ergo*, inquit, *erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*; tu quia liberi es arbitrii, moneo ut E appetitum peccati quo impugnaris compescas, & non illud tui amplius crescendo, sed tu magis illius correctius vivendo domineris. Hunc locum antiqua Translatio sic habet: *Nonne sic rectè offeras, rectè autem non dividas peccasti? quiesce, ad te enim conversio ejus, & tu dominaberis illius.* Rectè autem offertur Deo, cui uni tantummodo sacrificandum est. Non autem rectè dividitur, cùm non discernuntur rectè vel loca, vel tempora oblationum, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, vel hi quibus ad vescendum distribuitur quod oblatum est, ut divisionem hic discretionem intelligamus. In quo autem horum Do-

Deut. 6. 5.

Rectè offerre & dividere quis dicatur.

[a] *Al.* prævaricationis.

[b] *Al.* muneribus,

mino displicuerit Caïn, facilè non potest inveniri. Sed quoniam Johannes Apostolus, cùm de his fratribus loqueretur, *Non sicut Cain*, inquit, *qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et cujus rei gratia occidit? quia opera illius maligna fuerunt, fratris autem ejus justa*; datur intelligi propterea Deum non respexisse in munus ejus, quia hoc ipse malè dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum, quod omnes faciunt qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est non recto, sed perverso corde viventes; offerunt tamen Deo munus, quo putant eum redimi, ut eorum non opituletur sanandis pravis cupiditatibus, sed explendis. *Quiesce*, inquit, *ad te enim conversio ejus, & tu dominaberis illius*. Desine peccato invidiæ in fratrem contabescere, quia ad te erit conversio ejusdem tui peccati, & in tuum caput iniquitas tua [a] redundabit, & tu dominaberis illius, habens in potestate per gratiam divini adjutorii conceptam de tuo corde repellere nequitiam. Hæc Deus locutus est ad Caïn, eo more quo cum primis hominibus per creaturam subjectam velut eorum socius forma congrua loquebatur. Verùm quia ille non intus, sed foris est admonitus, nihilominus deliberatum scelus in necando fratre etiam post verbum divinæ admonitionis vel correptionis implevit, sequitur enim.

1. Joan. 3. 12.

DIXITQUE CAIN AD ABEL FRATREM SUUM: EGREDIAMUR IN AGRUM: CUMQUE ESSENT IN AGRO, CONSURREXIT CAIN ADVERSUS ABEL FRATREM SUUM, ET INTERFECIT EUM. Et hic perfidia Caïn simul & innocentia demonstratur Abel: innocentia quidem Abel, in eo quod majorem fratrem, sed erga se hostili odio accensum simpliciter quo jubebatur ut fratrem frater secutus est: perfidia verò Caïn, in eo quod occisurus fratrem foras ducit, quasi in loco secretiori divinam possit declinare præsentiam: non recogitans, neque intelligens quia qui occulta cordis sui quæ redarguit [b] noverat, etiam quo ipse secederet quidve in abdito gereret posset intueri.

Perfidia Caïn, innocentia Abel.

ET AIT DOMINUS AD CAIN: UBI EST ABEL FRATER TUUS? Non tamquam ignarus eum à quo discat interrogat, sed tamquam judex reum quem puniat.

QUI RESPONDIT: NESCIO. NUM CUSTOS FRATRIS MEI SUM? Stulta pariter & superba responsio; stulta, cùm illum falli posse putabat, qui conscientiam suam peccantis & ante patratum scelus fratricidii velut occultorum cognitor arguebat: superba, cùm in modum servi pervicacis custodem fratris se esse negabat, qui manifestatione, si quid periculi immineret, minoris fratris curam habere, & eum ab ingruentibus adversis tutari quasi major debuerat.

Stulta & superba responsio Caïn.

DIXITQUE AD EUM: QUID FECISTI? VOX SANGUINIS FRATRIS TUI CLAMAT AD ME DE TERRA. Magnam vocem habet sanguis, non solùm Abel, sed & omnium interfectorum pro Domino: vox est enim sanguinis eorum ipsa fidei constantia, ipse fervor caritatis, per quem pati pro Domino meruere. Ipse clamat ad Dominum de terra: quia etiam si in abditis terræ finibus sicut Abel fuerint ab impiis interemti; causâ tamen ipsa mortis eorum in conspectu interni [c] arbitri pretiosa existit & clara, justè postulans, ut & hi qui in sua simplicitate sunt injustè peremti, coronentur; & illi qui eos injustè persequendo trucidavere, damnentur. Eorum ergo sanguis occisorum clamat ad Dominum, quorum & vita ante mortem clamasse probatur ad illum, qui dicere solent: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, justificationes tuas requiram.* Ille enim ad Dominum corde clamat, qui magna postulat, qui cælestia precatur, qui æterna sperat, qui non gloriam hujus sæculi ab illo, sed justificationum ejus custodiam requirit. Qui videlicet clamor unde in cordibus justorum nascatur docet Apostolus dicens: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, abba Pater*; clamantem namque in cordibus nostris ad Patrem dicit Spiritum, quia nimirum ipse hæc ad clamandum cùm impleverit accendit. Hunc clamorem piæ devotionis & animas martyrum post mortem habere manifestat Johannes cùm ait: *Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: usquequo, Domine sanctus & verus, non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra.* Clamant enim hæc animæ sanctorum non odio inimicorum, sed amore justitiæ, quam semper esurire ac sitire didicerunt, simul & desiderio recipiendæ suæ carnis, ut quam pro Domino in mortem dederant, [d] in hac immortali atque incorruptibili Domino adstare mereantur. Magna autem est vox clamoris eorum, magnum est desiderium justitiæ. Clamante vero ad Dominum sanguine sanctorum, id est justam ultionem suæ injustæ necis expetente, quid de persecutoribus eorum agatur, subsequenter ostenditur, dicente Domino ad Caïn:

Vox sanguinis.

Psal. 118. 145. Clamor ad Deum.

Gal. 4. 6.

Apoc. 6. 9.

NUNC IGITUR MALEDICTUS ERIS SUPER TERRAM QUÆ APERUIT OS SUUM, ET SUSCEPIT SANGUINEM FRATRIS TUI DE MANU TUA: CUM OPERATUS FUERIS EAM, NON DABIT TIBI FRUCTUS SUOS: VAGUS ET PROFUGUS ERIS SUPER TERRAM. Juxta mensuram peccantium justus Judex & mensuram ponit vindictæ: Adam namque vetitum comedens nequaquam ipse maledicitur, sed terra potius in ejus opere maledictioni subjicitur, non quidem adeo ut fructus operanti deneget, sed ut laboranti ac desudanti suos cultori proferat fructus; & ut labor idem aliquando posset finiri, ac requies æterna ingredi. Carnis etiam morte addicitur: quod beneficii gratia factum, ne semper ita laboraret ac doleret, soli qui præsentis sæculi quàm sit ærumnosa vita perpendere nesciunt, dubitant. Porro Caïn cùm sciret prævaricationem suorum damnationemque parentum,

Pœna peccati Caïn gravior.

[a] *Al.* reclinavit.
[b] *al.* novit.

[c] *al.* judicis.
[d] *al.* in hoc.

A addidit ejusdem noxæ prævaricationis, quam de [a] traduce traxerat, graviorem perfidiæ, livoris, homicidii, & mendacii reatum: unde meritò & pœna plectitur acriore: primò ut ipse maledictus sit super terram, quam cruore fratris eatenus mundam polluerat: deinde ut in terra exercenda supervacuè desudaret, nulla suis laboribus frugum copia respondente: tertiò ut in eadem terra vagus semper esset & profugus, neque ausus uspiam sedes habere quietas, sive ut alia Translatio habet *tremens gemensque viveret super terram.* At [b] ille audita pœna tantæ suæ maledictionis, noluit veniam deprecari, sed peccatis peccata congeminans,
B tantum putavit nefas, cui à Deo non posset ignosci. Denique respondit ad Dominum:

MAJOR EST INIQUITAS MEA, QUAM UT VENIAM MEREAR. ECCE EJICIS ME HODIE A FACIE TUA, ET A FACIE TERRÆ ABSCONDAR, ET ERO VAGUS ET PROFUGUS IN TERRA. Ejicior, inquit, à conspectu tuo, & conscientia sceleris lucem ipsam ferre non sustinens, abscondar [c] ut latitem. Vel certè ejicis me à facie terræ, ne videlicet in ulla terrarum regione, ne inter ullos habitatores ejus orbis securus liberque manere permittar, à facie quoque tua abscondar, ne hanc ultra videre merear, quam usque hodie sæpius
C intuendo, ac tuam vocem audiendo, felicior vivebam.

OMNIS IGITUR QUI INVENERIT ME, OCCIDET ME. Dum ex tremore corporis & furia trementis, sive ex instabilitate vagi ac profugi, eum esse [d] intelligit qui mereatur interfici. Verum Deus nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnæ qua seipsum damnaverat.

NEQUAQUAM, inquit, ITA FIET, SED OMNIS QUI OCCIDERIT CAIN SEPTUPLUM PUNIETUR. Non ut æstimas morieris, & mortem pro remedio accipies, sed vives plurimo tempore ad exem-
D plum ceterorum, ne sic peccare audeant; tantumque abest ut te [e] abs quolibet interfici velim, ut si quis te interfecerit, septuplum, id est gravissima ultione puniatur, qui nec tuæ damnationis acerbitate admonitus, à sanguine effundendo voluit manus cohibere. NON ENIM illum debuit homo occidere hominem cui Deus vitam peccanti donaverat, vel ad cumulum pœnæ ipsius, vel ad exemplum cautelæ & aliorum correctionis. Solet namque nonnumquam scriptura septenario numero plenitudinem ejus de qua loquitur rei significare, sicut in Levitico: *Si ambulaveritis*, inquit, *ex ad-*
E *verso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras septuplum.* Et paulo post: *Et percutiam vos septies propter peccata vestra*, pro eo quod est multipliciter. Et in bonam partem Psalmista: *Septies in die laudem dixi tibi*, quod est aliis verbis dicere: *Semper laus ejus in ore meo.* Quod verò antiqui interpretes dixerunt: *Omnis qui occiderit*

Vita Caïn prolongata ad cumulum pœnæ, vel ad exemplum cautelæ.

Lev. 26. 21.

Ibid. 24.

Psal. 118. 164.

Psal. 33. 2.

Caïn septem vindictas [f] *exsolvet*, hunc habet sensum. Vives usque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torquebeis: ita ut quicumque te occiderit, secundùm duplicem intelligentiam, aut in septima generatione, aut magno te liberet cruciatu: non quo ipse qui occiderit Caïn septem ultionibus subjiciendus sit, sed quo septem vindictas, quæ in Caïn toto tempore cucurrerunt, solvat in interfecto, occidens eum qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam. Nam & septimus ab Adam fuit Lamech à quo occisus esse Caïn perhibetur: & hic eumdem Caïn per mortem septem vindictis, quas septempliciter peccans meruit, absolvit. Primum namque ejus peccatum est, quòd offerens Deo non rectè dividebat; secundum, quòd fratri invidit; tertium, quòd dolosè egit dicens: *Egrediamur in agrum*; quartum, quòd interfecit; quintum, quòd procaciter negavit: *Nescio*; sextum, quòd se ipsum damnavit: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*; septimum, quòd nec damnatus egit pœnitentiam.

Multiplex Caïn peccatum.

POSUITQUE DEUS CAIN SIGNUM, UT NON EUM INTERFICERET OMNIS QUI INVENISSET EUM. Ipsum videlicet signum quòd tremens & gemens vagusque & profugus semper viveret: eadem sua ærumna admonitus, quia non passim à quibuslibet posset occidi; quicumque autem eum occideret, vel magnis miseriis ipsum Caïn liberaret, vel se ipsum hoc faciens septemplici vindictæ manciparet.

EGRESSUSQUE CAIN A FACIE DOMINI, id est à penetralibus illarum ædium in quibus eatenus cum parentibus inhabitans, sæpius illum videre in angelica forma solebat.

HABITAVIT IN TERRA PROFUGUS AD ORIENTALEM PLAGAM EDEN. Eden interpretatur voluptas sive deliciæ, quo nomine paradisus designatur, de quo supra dicitur: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio*, quod antiqui Interpretes ita transtulere: *Et plantavit Dominus Deus Paradisum in Eden contra orientem*: unde datur intelligi ad orientalem mundi plagam paradisum esse conditum. Habitavit ergo Caïn, non ad orientalem plagam paradisi, alioquin ultra hunc mundum habitaret, sed in orientalibus mundi partibus, quibus in proximo est paradisus, quamvis inaccessibilis & ignotus mortalibus. Cuncta autem quæ de justitia vel [g] martyrio Abel, & de pravitate ac damnatione Caïn juxta litteram dicuntur, mysticè Dominicæ passioni vel conversationi in carne & persecutioni ac perditioni Judæorum testimonium ferunt. Neque enim frustra ipse Dominus eisdem Judæis dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* [h] Ergo Caïn erat primogenitus, Abel secundus. Erat prior populus Judæorum possessio Dei, sicut ipse ad Mosen, *Filius*, inquit, *meus primogenitus Israël*, [i] secundus

Paradisus ad orientem conditus.

Abel Christi, Caïn Judæorum figura.

Joan. 5. 46.

Exod. 4. 22.

[a] *al.* radice. [b] *al.* illa. [c] *al.* & latitem.
[d] *al.* intelliget. [e] *al.* à quolibet.
[f] *al.* obsolvet.
[g] Veteres & maximè circa Bedæ tempora martyris titulo donabant non solum eos qui pro fide in odium Christi occidebantur, sed eos etiam omnes qui injustè quacumque ex causa v. g. ex invidia necabantur. Ita Leodegarius Augustodunensis Episcopus martyr dicitur, quem Ebroinus ex sola invidiæ causa trucidavit. Ita Lambertus Trajectensis episcopus qui simili casu occubuit. Hinc infra Abel dicitur Protomartyr.
[h] *al.* Erat enim. [i] *al.* secutus est.

est populus gentium, pro cujus maximè vita Dei Filius [a] & nasci in carne & mori dignatus est. Fuit Abel pastor ovium, & Dominus ait: *Ego sum pastor bonus.* Caïn autem agricola, quia populus Judæorum terrenis ac temporalibus negotiis insistebat, vel hæc videlicet sola quærens, vel horum intuitu Domino serviens, utpote carnaliter intelligens ea quæ illi prophetæ mysticè de cælesti promissione loquebantur dicentes: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.*

[a]
Joan. 11. 14.
Isai. 1. 19.

OFFEREBAT ENIM CAÏN DE FRUCTIBUS TERRÆ MUNERA DOMINO. Quia populus ille per bona opera, quæ terrenæ retributionis gratia sectabatur, Domino se placere putabat. Vel certè de fructibus terræ munera obtulit, cùm se populus idem per terrenam circumcisionem, terrenum sabbatum, terrenum azyma, terrenum Pascha justificari credens, justitiam fidei quæ in Christo est accipere despexit.

ABEL QUOQUE OBTULIT DE PRIMOGENITIS GREGIS SUI ET ADIPIBUS EORUM. Quia Dominus interpellans Patrem pro sanctis, secundùm formam adsumtæ humanitatis offert illi vota eorum, opera videlicet bona, & pinguedinem internæ dilectionis. Hæc sunt enim primogenita gregis ejus & adipes eorum. Respicit Dominus ad Abel dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Respicit [b] & ad munera ejus, quia vitam electorum quam offert illi gratanter, Deus Pater accipit, & quasi per ignem de cælo hostiam ejus incendit, quia eos qui se pro Domino mortificare curaverint, ipse virtute sui spiritus, quò amplius in cælestibus ignescant, immo toti cælestes efficiantur, inflammat. Ad Caïn verò & ad munera ejus non respicit; quia redarguens carnalia Judæorum opera dicit per prophetam: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus: Plenus sum, holocausta arietum & adipem pinguium & sanguinem taurorum & hircorum & vitulorum nolui.* Et paulo post: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote*, videlicet per fidem gratiæ Christi. [c] Irascitur Caïn contra fratris pietatem, nec redargutus à Domino à concepto per invidiam furore resipiscit. Quanto Judæi contra Dominum & gratiam novi Testamenti livore bacchati sint, quoties ab illo correpti vel admoniti nihilominus malignis perstiterint in cœptis, sufficienter evangelica prodit historia, quibus aptè convenit quod de Caïn dicitur, quia conciderit vultus ejus: non enim poterant revelata facie gloriam Domini speculari. Perdiderant namque gaudium illud divinæ gratiæ, de quo justi gloriantes aiunt: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiam in corde meo.*

Matth. 17. 5.
[b]
Isai. 1. 11.
[c]
Psal. 4. 7.

EDUXIT CAÏN FRATREM SUUM FORAS, ET OCCIDIT IN AGRO. Eduxit populus Judaïcus Dominum foras de civitate sua Hierusalem, & crucifixit in loco Calvariæ: quo utriusque loco passionis admonemur typicè, ut exeamus ad Dominum extra castra, improperium ejus portantes, id est RELICTO MUNDI consortio ac societate pravorum, libenter abjecta quæque sæculi pro patriæ cælestis amore toleremus. Interrogante Domino Caïn, ubi esset Abel frater ejus, nescire se respondit, nec ejus esse custodem. Hactenus Judæi interrogantibus se fidelibus, membris videlicet Christi, de Christo, se nescire dicunt. Essent autem ipsi quodammodo Christi custodes, si christianam fidem suscipere & custodire voluissent. Nam qui custodit in corde suo Christum, non dicit quod Caïn, nescire se fratrem suum, nec ejus esse custodem.

[d] DIXIT DEUS AD CAÏN: QUID FECISTI? VOX SANGUINIS FRATRIS TUI CLAMAT AD ME DE TERRA. Sic arguit in scripturis sanctis vox divina Judæos. Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cùm eo accepto ab omnibus gentibus respondetur [e] Amen. Hæc est clara vox [f] sanguinis quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemtorum, de quo bene fidelibus dicit Apostolus: *Accessistis ad testamenti novi mediatorem* JESUM, *& sanguinis sparsionem melius loquentem quam Abel.* Melius quippe loquitur sanguis Christi quàm Abel, quia nimirum ille in condemnationem fratricidæ clamabat ad Dominum, hic autem in salvationem Christi fratrum fidelium vocem suam tollit ad cælum.

[d]
(e) (f)
Heb. 12. 24.

NUNC IGITUR MALEDICTUS ERIS SUPER TERRAM, QUÆ APERUIT OS SUUM, ET SUSCEPIT SANGUINEM FRATRIS TUI DE MANU TUA. Terram dicit Ecclesiam: ipsa enim, non alia, aperit os suum gustare in mysterio sanguinem Christi qui effusus est manibus populi Judæorum. Super hanc maledictus est populus idem: quia nimirum hæc quantò artiùs amori sui Conditoris inhæret; tantò gravius inimicam ei gentem maledictam esse intelligit, quamvis seipsam, adhuc superbiens specialiter benedictam glorietur.

CÙM OPERATUS FUERIS EAM, NON DABIT TIBI FRUCTUS SUOS. Operatus est populus idem in ea terra quam caput Ecclesiæ Christus portavit, id est in ejus carne salutem nostram, crucifigendo eum qui mortuus est propter delicta nostra, nec ei dedit eadem terra fructus suos, quia non justificatus est fide resurrectionis ejus qui resurrexit propter justificationem nostram: unde nec resurgens eis à quibus erat crucifixus apparuit, tamquam Caïn operanti terram, ut granum illud seminaretur, non ostendens eadem terra fructum virtutis suæ. Sed eam terram quæ est Ecclesia, operati sunt Judæi, suis persecutionibus agendo ut amplius in Deum proficeret: sæpe etiam in multos ad mortem usque sæviendo, sed ipsi fidei & pretiosæ mortis eorum fructum videre non merue-

Judæi salutem nostram, non suam operati sunt.

[a] *al.* incarnari. [b] *al.* Dominus & ad munera. [c] *al.* irascatur. [d] *al.* dicit Dominus, *al.* dixitque Deus.

[e] His alludit ad antiquam Ecclesiæ consuetudinem, qua fideles communicandi Eucharistiam percipientes dicebant, *Amen.* De qua vide si lubet ea quæ diximus in lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus c. 4. art. 10.

[f] *al.* deest sanguinis.

runt. Quod autem respondit Domino Caïn MAJOR EST INIQUITAS MEA QUAM UT VENIAM MEREAR. ECCE EJICIS ME HODIE A FACIE TERRÆ, ET A FACIE TUA ABSCONDAR, ET ERO VAGUS ET PROFUGUS IN TERRA; patet de Judæorum populo luce clarius, quia major est iniquitas qua Filium Dei occidit, quàm ut veniam mereatur; & ideo quicumque ex eo veniam pœnitentes accipiunt, hi profectò trans meritum suum divinæ gratia pietatis salvantur. Patet quia ejectus est à facie terræ, id est à sorte sanctæ Ecclesiæ, & absconsus à facie divinæ contemplationis; quod sibi ipse protendebat, quando faciem Christi in passione velavit, quod illi etiam cælestia signa protendebant, quando eo crucifixo sol radios suæ lucis abscondit, perditoque regno profugus ac vagus per orbem quacumque dispersus est, timens ne ipsa etiam temporali vita privetur, & quasi dicit cum Caïn: [a] OMNIS IGITUR QUI INVENERIT ME, OCCIDET ME. Sed quid ei respondit Deus? NEQUAQUAM ITA FIET, SED OMNIS QUI OCCIDERIT CAIN SEPTEM VINDICTAS EXSOLVET, id est non corporali morte interibit genus impium carnalium Judæorum. Quicumque enim eos ita perdiderit, septem vindictas exsolvet, id est auferet ab eis septem vindictas quibus alligati sunt propter reatum occisi Christi, ut hoc toto tempore, quod septenario dierum numero volvitur, magis quia non interiit gens Judæa, satis appareat fidelibus Christianis quam subjectionem meruerint, qui superbo regno Dominum interfecerunt. Hujus expositionem sententiæ propterea juxta antiquam Translationem posuimus, quia de opusculis S. Augustini qui hanc sequebatur, sicut & alia multa decerpsimus.

Lex signum quo Judæi à gentibus distinguntur.

POSUITQUE DEUS CAIN IN SIGNUM, UT NON EUM INTERFICERET OMNIS QUI INVENISSET EUM. Habet gens Judæa sive sub paganis regibus, sive sub christianis signum legis suæ, quo à ceteris gentibus populisque distinguitur, & omnis imperator vel rex, qui eos in regno suo invenit, cum ipso signo eos invenit, nec occidit, id est non efficit ut non sint Judæi, certo quodam & proprio suæ observationis signo à ceterarum gentium communione discreti; nisi quicumque eorum ad Christum transierunt.

EGRESSUSQUE CAIN A FACIE DOMINI HABITAVIT IN TERRA PROFUGUS AD ORIENTALEM PLAGAM EDEN. In facie Domini agnitio ejus, qua se manifestat ac dignoscitur, solet intelligi. Merito ergo populus, qui à divinæ cognitionis gratia recessit, in terra habitare perhibetur. Non enim potest dicere cum electis: *Nostra autem conversatio in cælis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM. (Phil. 3. 20.) Hunc locum LXX. Interpretes ita transtulere: *Exiit autem Caïn à facie Domini Dei, & habitavit in terra Naid contra Eden.* Naid autem in profugum, sive ut in libro Hebræorum nominum invenimus, instabilem motum & fluctuationem vertitur, quod nonnulli, quibus & Josephus consentit, locum esse, in quo habitaverit Caïn, autumant. (Joseph. lib. 1. Antiquitatum Judaic. c. 3.) Porro noster interpres non hoc nomen loci, sed rei ipsius esse significantiam intellexit: quia Caïn instabilis semper & fluctuans atque incertarum sedium esset futurus. Quod [b] quantum præsenti Judæorum statui conveniat, universus testis est mundus. Qui bene etiam contra Eden [c] habitare perhibetur. Eden quippe voluptatem sive delicias significat: quia nimirum perfidus ille populus quantùm aversus à cognitione veritatis terrenis se negotiis implicat, tantùm contrariam deliciis cælestibus vitam gerit: & quia temporalia solummodo gaudia sitit, torrenti voluptatis divinæ, quo justi potantur, siccis faucibus cordis adversarius existit.

COGNOVIT AUTEM CAIN UXOREM SUAM, QUÆ CONCEPIT, ET PEPERIT ENOCH, ET ÆDIFICAVIT CIVITATEM VOCAVITQUE NOMEN EJUS EX NOMINE FILII SUI ENOCH. Sicut ab initio sæculi incipientis in occisione Abel passiones sanctorum; in livore autem & persecutione Caïn perfidiæ sunt insinuatæ reproborum, quæ ad finem usque sæculi erunt ambæ in mundo permansuræ; sic & in civitate quam ædificavit Caïn typicè intimabatur, quòd spes tota pravorum in hujus sæculi regno esset ac felicitate figenda, ut pote qui futurorum bonorum aut fidem aut desiderium nullum haberent. De qua civitate loquitur Dominus per prophetam Osee: *Deus ego & non homo in medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem.* (Ose. 11. 9.) Neque enim Abel sive Seth, qui pro eo natus est, civitatem aut [d] domos [e] ædificasse leguntur: quia nimirum eos designabant, immo eorum erant primitiæ, qui suo gaudent cantare Creatori: *Quoniam incola ego sum apud te in terra & peregrinus sicut omnes patres mei.* (Psal. 38. 13.) Quibus aptè convenit hoc quod præmisimus Domini promissum: *Deus ego & non homo in medio tui sanctus:* quia quò A MUNDANÆ civitatis consortio se reddunt extraneos, eò inhabitatione sui Conditoris existunt digniores. Aptè autem Caïn nomen civitatis ex nomine filii sui Enoch vocavit, ut successores se tales habiturum designaret, qui patriæ cælestis exsortes, in hujus vitæ delectatione corda fundarent. Et bene Enoch interpretatur Dedicatio, quia reprobi dum pro eis quæ operantur in præsenti gaudere desiderant, quasi civitatem, quam sibi ædificant, in prima generatione dedicant. At contra in illa generis humani prosapia quæ per Seth ad Noë descendit, septimus ad Adam nascitur Enoch, qui ambulasse coram Deo legitur, & non apparuisse, quia tulerit eum Deus: quia nimirum requies & lætitia spesque omnis electorum nonnisi in futuro sabbato est, qui postquam in hac vita ambulant cum Domino, humiliter ejus præcepta sequentes, tolluntur ab eo in vitam perpetuæ quietis, & non apparent ultra inter mortales: quia cum illo immortaliter vivunt.

[a] *Al.* omnis enim. [b] *Al.* tantum.
[c] *Al.* habitasse. [d] *Al.* domus.
[e] *Al.* ædificasse.

Ipsi

Ipsi enim sunt civitas ejus & templum, nunc quotidianis profectibus bonorum operum ad perfectionem tendentes, tunc finitis laboribus, cum illo regnantes, & in sua ipsi dedicatione, quæ per præsentiam Sancti Spiritus perpetuo celebrabitur, singuli quasi in Enoch nomine gaudentes.

[a] PORRO ENOCH GENUIT [a] IRAM, ET IRAM GENUIT MAVIAHEL, ET MAVIAHEL GENUIT MATUSAHEL, ET MATUSAHEL GENUIT LAMECH, QUI ACCEPIT UXORES DUAS: NOMEN
[b] UNI ADA, ET NOMEN ALTERI [b] SELLA, GE-
[c] NUITQUE ADA JABEL. [c] Progenies Caïn usque ad septimam generationem computatur, & in hac ipse à Lamech occisus, septem vindictis quas diutissimè miser gestabat, absolutus est. In hac tota quæ de illo nata erat soboles, postquam ad augmentum maledictionis etiam adulterio
[d] Lamech polluta est, [d] ingruente diluvio periit. In sexta quidem generatione adulterio fœdata, in septima verò diluvio deleta: in quo spiritaliter insinuatur, quòd impiorum civitas, id est societas tota reproborum in sex hujus sæculi ætatibus se corruptura sceleribus, in septima autem, quæ est in futuro, in æternum sit peritura. Sicut enim septimus ab Adam Enoch raptus est in paradisum, & non vidit eum homo, quia vivit in pace cum Deo; ita septimus à Caïn Jabel, interpretatur Mutatus, cum suis fratribus & universa progenie deletus est diluvio, & non vidit eum homo, quia æterna morte multatus, & ab ea quam dilexerat gloria sæculi, illam quam non prævidebat est mutatus in pœnam. In quibus apertè designatur, ut diximus, quòd sancti post hujus sæculi sex ætates ad requiem in alia vita, & reprobi tendant ad supplicium, ut etiam, narrante Domino, Lazari pauperis & divitis superbi manifestè probat historia.

Progenies Caïn diluvio deleta.

GENUIT, inquit, ADA JABEL, QUI FUIT PATER HABITANTIUM IN TENTORIIS ATQUE PASTORUM, ET NOMEN FRATRIS EJUS JUBAL. IPSE FUIT PATER CANENTIUM CITHARA ET ORGANO. SELLA QUOQUE GENUIT TUBALCAIN, QUI FUIT MALLEATOR IN CUNCTA OPERA ÆRIS ET FERRI. Cuncta hæc quæ filii Lamech invenisse vel egisse referuntur, ad cultum vel ornatum vel inlecebras hujus vitæ
[e] pertinent: nihil autem tale Abel, nihil [e] tale natus pro eo Seth, aut nepotes ejus fecisse leguntur, sed velut peregrini in terra simplicem duxisse vitam probantur. Nam etsi Abel pastor erat ovium, non tamen voluit adeo huic se officio mancipare, ut tentoria sibi in quibus familarius hoc exercere posset contexeret. Citharæ autem & organo absit ut vir tantus ullum tempus indulgeret. Si quis verò cuncta opera quæ de ære ac ferro fiunt, sollerter intuetur; manifestè cognoscit, quia si rectè naturalem legem servaret genus humanum, etiam de paradisi gaudiis culpa prævaricationis expulsum, nequaquam his omnibus opus haberet: unde hæc omnia à filiis maledictionis esse constat inventa, quamvis postmodum, degenerante humano genere à castitate primæ conversationis, etiam boni Dei famuli pro communione vitæ socialis aliquotiens hujusmodi rebus operam dabant. Sed magna utique distantia, quia nimirum reprobi talibus quasi summo suo bono [f] delectabantur: electi verò his aut om- [f]
nimodis abrenuntiant, aut pro commodo vitæ hujus aliquo, donec ad æternam perveniant, sicut viator stabulo sive viatico, transeuntes utuntur. Denique patriarchæ habitabant in tentoriis, sed hoc velut peregrini in mundo, ad distinctionem eorum qui in urbibus ac domibus quasi terræ cives habitare solebant. Utebantur psalmistæ cithara & organo, sed ad laudandum in eis Dominum: & è contra arguit propheta eos qui cithara, tympano & lyra in conviviis personabant. Erant in populo Dei viri docti in cuncta opera æris & ferri, necnon & argenti & auri: sed hos ipse hanc artem ad distinctionem sui tabernaculi transferre præcepit. Propheta quoque gaudia Dominicæ incarnationis evangelizans, opera ferri noxia tollenda atque in melius commutanda prædixit, *& conflabunt*, inquiens, *gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Isa. 2.4. Nec prætereundum negligenter quòd cùm homines adulterio inquinari, cùm pascendis pecoribus amplius justo insistere, cùm modis musicis dissolvi, cùm fabrilibus operam dare artibus cœperunt, tunc diluvio sunt superveniente deleti. Sed cavendum sollertiùs ne nos hujusmodi rebus ultra modum irretitos ultimus dies inveniat, cùm etiam Dominus de die judicii loquens commemorato hoc tempore, ad cautelæ nos studium incitet, dicens: *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes &* [g] *nuptum tradentes usque ad eum diem quo intravit Noë in archam, & non cognoverunt donec venit diluvium & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.* Matth. 24.38. [g]

Organa, citharæ, & instrumenta æris & ferri à reprobis inventa.

SOROR VERO THUBALCAIN [h] NOEMA. [h] Noëma interpretatur Voluptas. Bene autem series generis Caïn in nativitate feminæ terminatur; & eadem femina Voluptas nominatur: quia tota pravorum intentio mundi servit inlecebris, & in expletione carnalium voluptatum vitam finire desiderat. Verum nata hac femina, non multò post universa progenies maledicta diluvio consummata est: quia cùm delectationibus mundi colla mentis subdiderint, cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Notandum autem quod delectatio sive voluptas duobus modis, id est

Tota pravorum intentio servire illecebris.

[a] *Al.* Iran & Iran. *Al.* Irad & Irad.
[b] *Al.* Sela.
[c] *Al.* primo genitus est Caïn.
[d] *Al.* incongruente.
[e] *Al.* deest tale.
[f] *Al.* delectantur.
[g] Ita in mss. qui alia manu correcti legunt *nuptui*. Nuptum tamen reperio in vetustissimo codice ecclesiæ Turonensis ante annos centum supra mille exarato, in duobus aliis codicibus ecclesiæ S. Martini, quorum unus ante annos mille aurei characteribus, alius ab annis circiter nongentis scriptus est. Quibus etiam accedunt alii duo codices Majoris-monasterii non ita antiqui.
[h] *Al.* Noemma.

& in bono & in malo, solet intelligi: In bono, videlicet cùm dicitur, *mansueti autem possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Et rursum: *Inebriabuntur*, inquit, *ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* A qua voluptate & paradisus cognominatur: quia nimirum ad hoc in eo positus est homo, ut in præsentia sui Conditoris ibidem beatissimis ac sanctissimis carnis & animæ deliciis perpetuo frueretur. In malo autem voluptas accipitur, cùm notantur ab Apostolo quidam voluptatum amatores magis quàm Dei. Quibus aptè vocabulum [a] Noëmæ, in cujus generatione prima, mundi ætas, paucis exceptis, deleta est, congruit. Recessisset ergo genus humanum ab Eden, id est à deliciis internorum bonorum; & exercebat relictis cælestibus terram, [b] & pervenit usque ad nativitatem feminæ, quæ Noëma, id est Voluptas vocaretur: nec multò post totum cataclysmo periit: ut profectò nativitate talis sobolis & eventu subsecutæ cladis insinuaretur, quia meritò ad ruinam properant quique, neglectis spiritalibus, carnis sese voluptatibus subigunt. Et quidem Noëma in septima à Caïn generatione nata est. Si autem ab ipso Adam generationes Caïn computare, & omnes etiam filios Lamech adnumerare volueris, invenies Noëmam in undecimo loco positam. Lamech namque est septimus ab Adam, quibus cùm quatuor liberos ejusdem Lamech adjeceris, undecimum profectò numerum implebis. Solet autem undenario numero, qui denarium transgreditur, peccatum designari, quod transgressione decalogi legis perpetratur. Atque ideo rectè generatio reproba in undenario numero, & hoc in femina, terminatur ac deperit: quia dum legis divinæ scita contemnens, pravis suis voluptatibus satiari contendit, repentinum sibi struit exitium.

Psal. 36. 11.
Psal. 35. 9.

DIXITQUE LAMECH UXORIBUS SUIS ADÆ ET SELLÆ: AUDITE VOCEM MEAM UXORES LAMECH, AUSCULTATE SERMONEM MEUM, QUONIAM OCCIDI VIRUM IN VULNUS MEUM, ET ADOLESCENTULUM IN LIVOREM MEUM. Virum vel adolescentulum, quem dicit, Caïn significat, quem idem Lamech, sed non sponte, interfecit, sicut Hieronymus in quodam Hebræo volumine scriptum esse testatur. Occidit autem eum in vulnus & in livorem suum, quia & ipse sibi [c] in hoc mortem adscivit ac damnationem, quod eum, quem Deus vitæ donaverat, peremit.

SEPTUPLUM ULTIO DABITUR DE CAIN: DE LAMECH VERÒ SEPTUAGIES SEPTIES. Septuplum ultio data est de Caïn, quia usque ad septimam generationem fratricidii & invidiæ suæ vagus profugusque pœnas luebat. De Lamech verò septuagies septies, quia sicut Hieronymus [d] relatum sibi ab Hebræis testatur, & Josephus idem adfirmat LXX. & VII. animæ progenitæ sunt de stirpe Caïn, quæ diluvio perierunt. Et in hoc numero de Lamech factam aiunt esse vindictam, quòd genus ipsius usque ad diluvium perseveraverit. Interpretatur autem Lamech Percutiens sive Percussus, quæ utraque interpretatio eidem uni convenit qui & percussit Caïn, & ob hoc idem parricidium etiam ipse divina ultione percussus est. Mysticè autem Lamech genus humanum significat, & percussum fraude antiqui hostis in primo parente, & percutiens seipsum quotidianarum augmentatione culparum, de quo ultio septuagies septies data est; quia usque ad adventum Christi, qui in septuagesima & septima generatione in mundo apparuit, noxa primæ prævaricationis genus premebat humanum, donec adveniens ille [e] tolleret peccata mundi, & in æternam nos vitam, quam in Adam perdidimus, aperta suo baptismate vel passione janua regni cælestis, induceret. Tunc ergo ultio de Lamech cessavit, quia contrito per passionem ac resurrectionem Dominicam aculeo mortis atque peccati, genus humanum ad regnum cæleste rediit.

Joseph. Antiq. Judaic. lib. 1. cap. 3.

COGNOVITQUE ADHUC ADAM UXOREM SUAM, ET PEPERIT FILIUM, VOCAVITQUE NOMEN EJUS SETH, DICENS: POSUIT MIHI DEUS SEMEN ALIUD PRO ABEL. Postquam Caïn fratricidam extinctum commemoravit, & progeniem ejus in septima generatione denuo maledictam replicavit, revertitur ad restaurationem seminis sancti exponendam, [f] utque hoc pereuntibus impiis perpetuo [g] manserit narrat. Interpretatur autem Seth Positio, sive Resurrectio, cujus causa nominis aperitur, dicente parente:

POSUIT MIHI DOMINUS SEMEN ALIUD PRO ABEL QUEM OCCIDIT CAIN. Positus est pro Abel, non solùm ordine nascendi, sed & merito virtutis, locum fratris implens, cujus devotio mentis etiam ad sobolem ipsius transisse monstratur, cùm subditur:

SED ET SETH NATUS EST FILIUS, QUEM VOCAVIT ENOS. ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI. Enos interpretatur Homo vel Vir: unde rectè qui tale nomen ipse habet, nomen Domini incipit invocare, tantò instantius quotidianis in precibus auxilium Conditoris implorans, quantò se fragilis naturæ factum meminit. Mysticè autem sicut Abel occisus à Caïn passum Dominum; ita natus pro eo Seth resuscitatum eum à morte designat: unde aptè apud Septuaginta Translatores nato eo dixisse fertur pater sive mater ejus: *Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn.* Quod ideo rectè juxta mysticos sensus semen aliud appellatur, cùm idem Dominus qui occisus est resurrexit, quia nimirum mortalis occisus est, resurrexit immortalis: mortuus est ne nos mori timeremus: surrexit ut nobis resurgendi à morte spem fidemque tribueret: quorum distantiam seminum, loquens de nostra resurrectione, Apostolus manifestè discrevit, *seminatur*, inquiens, *in corruptio-*

1. Cor. 15. 42.

[a] *Al.* Noëmmæ & ita semper eum dupplici M hoc nomen scribit.
[b] *Al.* pervenit.
[c] *Al. deest* in hoc.
[d] *Al.* revelatum.
[e] In uno mſ. altera manu *qui tolleret.*
[f] *Al.* atque hoc *Al.* & quæ.
[g] *Al. alia manu* mansuram.

ne, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Et de ipso Domino, *Etsi mortuus est*, inquit, *ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*. Enos verò filius Seth populum [a] christianum figuraliter exprimit, qui per fidem ac sacramentum Dominicæ passionis ac resurrectionis quotidie per totum orbem ex aqua & Spiritu-sancto nascitur. Iste enim gratiam regenerationis suæ primæ generationi præferens, in universis quæ [b] agit auxilium nominis Domini invocare consuevit, dicens: *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*, &c. ejusdem Dominicæ orationis, sive aliarum quibus gratiæ ejus, sine qua nihil valemus, supplicare solemus: unde etiam rectè nos propter conscientiam nostræ fragilitatis, Enos, id est, Hominis vocabulo cognominamur: propter verò spem futuræ nostræ immortalitatis filii Seth, id est Resurrectionis, existimus.

1. Cor. 15. 4.

Matth. 6. 9.

Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum: masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis. Hic est liber primæ creationis hominis, quòd ad similitudinem suam fecit illum Deus, ut videlicet participatione bonitatis ejus esset perpetuò bonus, immortalis & felix; quòd masculum & feminam fecit eos, quòd factos gratia suæ benedictionis inlustravit. Talis erat generatio Adam cum uxore sua in die qua creatus est: Sed heu! Proh dolor! [c] profanavit ille similitudinem Dei, hosti magis quàm Creatori credendo, contraxit primogenitus ejus pœnam maledictionis graviorem invidendo & occidendo fratrem, corrupit septimus ab illo Lamech statutam masculi & feminæ legem, de qua dictum erat, *Erunt duo in carne una*, accipiendo duas uxores, & in una carne tres conjungendo, & crebrescentibus passim malis, in tantum à similitudine sui Conditoris ac prima benedictione genus recessit humanum, ut in decima generatione, exceptis paucis, quos arca cohibuit, totum deleri meruisset; ad quam tamen similitudinem ac benedictionem nobis redire concessit Conditor ipse, in nostræ naturæ similitudine nasci ac maledici morique dignatus, quatenus per ipsum redemti & dicere de ipso mereamur: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum sicuti est*, & audire ab ipso: *Venite benedicti Patris mei, possidete* [d] *paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

Genes. 2. 24.

1. Joan 3. 2.

Matth. 25. 34.

Et vocavit nomina eorum Adam in die quo creati sunt. Adam sicut & Enos interpretatur Homo, sed sic Enos sonare fertur Hominem, ut masculis tantum congruat: Adam vero ita ut utrique sexui possit aptari: unde rectè dicitur, quia vocavit nomina eorum Adam, id est Homo. Sicut autem homo latinè ab humo nominis etymologiam habet, quia de humo carnis originem traxit: ita apud Hebræos Adam à terra nominatur, quia de limo terræ homo formatus est: unde etiam Adam Terrenus, sive terra rubra potest interpretari. Porro apud Græcos homo aliam habet etymologiam: vocatur enim antropos, ab eo quòd superna speculari & ad cælestia contuenda debeat oculos mentis attollere. Inest autem nomini Adam, excepta interpretatione qua hominem designat, & aliud sacramentum quod silentio præteriri non debet. Habet enim litteras quatuor A. & D. & A. & M. à quibus litteris & quatuor orbis plagæ, cùm Græcè nominantur, initium sumunt. Vocatur namque apud eos anatole oriens, dysis occidens, arctos septentrio, mesembria meridies; multumque decebat ut nomen protoplasti omnes mundi plagas ipse mysticè contineret, per cujus progeniem mundus erat omnis implendus. Quod autem [e] dicit, *Et vocavit nomina eorum Adam*, [f] & addidit, *In die quo creati sunt*, patenter insinuat quod uno eodemque die, id est sexto mundi nascentis, Adam & uxor ejus facti sunt, & non uxor de latere ejus post sextum aut septimum diem seorsum creata.

Nominis Adæ mysteria.

Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit ad similitudinem et imaginem suam, vocavitque nomen ejus Seth. Adam quidem creatus est ad imaginem & similitudinem Dei, quia immortalis est in anima & carne conditus. Postquam vero imaginem in se Dei ac similitudinem peccando corrupit, genuit ad similitudinem & imaginem suam filium, id est mortalem, corruptibilem, rationis capacem, reatu suæ prævaricationis adstrictum, & non nisi ejusdem Conditoris sui gratia solvendum. Notandum autem quod ubi nostri codices ex Hebræo fonte transfusi habent vixisse Adam centum triginta annis, & genuisse Seth, antiqua Translatio habet pro centum triginta, ducentos triginta: ubi autem in nostris codicibus sequitur, *Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth octingenti anni, & genuit filios & filias*, illa pro octingentis septingentos habet. Ubi vero in conclusione subjungitur: *Et factum est omne tempus*, [g] *quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est*, ibi & illa eamdem summam ponit, talisque distinctio numerorum in omnibus usque ad diluvium generationibus inter utramque editionem servatur, ut ante natum filium quisque in LXX. Interpretibus centum annos plus, & post natum centum minus quàm in Hebraïca veritate annos habuisse legatur. At in conclusione utraque editio æqualem numerum ponit, præter in sexta solummodo generatione; ubi in utrisque codicibus Jaret annorum centum sexaginta duorum genuisse Enoch, & post ejus ortum octingentos annos vixisse reperitur: & in nona, in qua novo genere distantiæ secundùm Hebraïcam veritatem Lamech genuisse Noë cùm esset annorum centum octoginta, &

Adæ ætas in diversis codicibus diversa.

[a] *Al.* christianorum.
[b] *Al.* ait.
[c] *Al.* profanabat.
[d] *Al.* quod vobis paratum est.

[e] *Al.* dicens.
[f] *Al.* omittit &.
[g] *Al.* quo.

eo nato supervixisse annis quingentis nonaginta A quinque reperitur. Porro in Septuaginta Interpretibus ante natum Noë inveniuntur anni centum octoginta octo: post natum verò quin- [a] genti sexaginta quinque, sicque fit ut [a] viginti quatuor annis plus vixisse Lamech in Hebræis quam in Septuaginta Translatorum codicibus inveniatur: qua interpretum diversitate efficitur, ut tempus vitæ Mathusalem quatuordecim annis ultra diluvium videatur extendi, utque anni ante diluvium juxta Hebræos mille quingenti centum quinquaginta sex; juxta Septuaginta autem Interpretes, quos Chronographi sequuntur, duo millia ducenti qua- B draginta duo reperiantur: quamvis doctissimus Augustinus profiteatur quod etiam in Septuaginta Translatione Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex [b] annis ante diluvium reperiatur fuisse defunctus: qui cùm studiosissimè causam dissonantiæ præfatæ interpretationum inquireret, nec vellet Septuaginta Translatorum fidei derogare, quos & apostoli atque evangelistæ plerisque in locis probantur esse secuti; & ipse [c] transferendo scripturas prophetico magis dono quàm officio interpretandi usos esse credebat; ita conclusit ut diceret: Credibilius ergo quis dixerit cùm primo de bibliotheca [d] Ptolomæi describi isti cœperunt; tunc [e] aliud tale fieri potuisse in codice uno, sed primitus inde descripto, unde jam latius emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris error. Sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalem non absurdum est suspicari. Et post aliquanta: Rectè fieri, inquit, nullo modo dubitaverim, ut cùm diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest, verùm ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio. Itaque juxta Hebraïcam D veritatem vixit Adam centum triginta annis, & genuit Seth. Vixit Seth centum quinque [f] [f] annos & genuit Enos. Vixit Enos nonagin- [g] ta annis & genuit [g] Caïnan. Vixit Caïnan octoginta annis & genuit Malalehel. Vixit Malalehel sexaginta quinque annis & genuit Jared. Vixit Jared centum sexaginta duobus annis & ge- [h] nuit Enoch. Porro Enoch vixit saxaginta [h] [i] quinque annis & genuit [i] Mathusalam, & am- [k] bulavit [k] cum Deo. Postquam genuit Mathusalam vixit trecentis annis, & genuit filios & filias. *Ambulavit cum Deo* dictum est, Dei in omnibus voluntatem & præcepta secutus est, E Deo in se commorante, & cor ejus possidente ac regente, bona foris opera exercuit, juxta illud Prophetæ: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus quærat à te: utique facere judicium & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Et sicut Zacharias ait: *Confortabo eos in Domino, & in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.* Non autem ita dictum est quia

Lib. 1. Quæst. in Genes. quæst. 2.

De Civit. Dei l. 15. cap. 13.

Ambulare cum Deo quid.

Mich. 6. 8.

Zach. 10. 12.

post natum Mathusalem ambulaverit Enoch cum Deo trecentis annis, quasi non etiam ante nativitatem ejus divinis obtemperaverit jussis; sed hac potius sententia simpliciter indicatur, quia non amplius quàm trecentis annis post ortum Mathusalam in hac vita Deo bonis actibus servierit. Verùm his completis ad ulterius vitæ gaudia ducatum ejus secutus [l] sit. [l]
Sequitur enim:

Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. Pulcherrimè autem dicitur, quia qui ambulavit in hac vita priùs cum Deo, obediendo præceptis ejus, ambulavit postmodum cum illo transeundo de hac vita in aliam, ubi in maxima carnis & spiritus quiete ac felicitate viveret: [m] quem ta- [m] men fides Ecclesiæ universalis habet ante diem judicii, id est imminente adventu antichristi, rediturum cum Helia ad conversionem hujus sæculi, quatenus auctoritate ac doctrina tantorum virorum erudiantur & confirmentur corda hominum ad tolerandam & superandam persecutionem ejusdem filii [n] perditionis; & [n] tunc eos, consummato suo martyrio, ad immortalis vitæ gaudia consensuros, juxta quod [o] in Apocalypsi Dominus Johanni: *Et dabo,* [o] inquit, *duobus martyribus meis*, id est testibus, *& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis*, id est tribus semis annis in magna continentia & agonia conversantes. Et paulo post: *Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversum illos bellum, & vincet eos, & occidet illos.*

Enoch & Elias ante diem judicii in hunc mundum redituri.

Apoc. 11. 3.

Ibid. 7.

Diximus autem præoccupando supra, quia sicut Lamech in septima ab Adam generatione maledictus interitum designat reproborum, quem in futuro sæculo, ubi requiem sperare debuerant, inveniunt: ita Enoch in septima generatione translatus de mundo veram demonstret requiem electorum, quam post hujus vitæ labores, qui sex ætatibus transeunt, sine fine percipiunt. Unde rectè Lamech & uxores legitur accepisse duas contra decretum ejus qui dixit: *Erunt duo in carne una*, & prolem ex his genuisse mundi actibus atque inlecebris deditam, ac sic patrato homicidio proprii oris maledictus esse sententia. Porro Enoch ambulasse cum Deo perhibetur. [p] Quæ laus hominis [p] major esse poterit? nulla, [q] cùm sit comes [q] individuus, in cunctis actibus divinæ vestigia sequitur jussionis: quod [r] si fecisset Adam, [r] nequaquam à comitatu Conditoris ad audienda serpentis conloquia pedem avertisset, hactenus cum genere suo toto in paradiso maneret. Quod verò omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni esse dicuntur, quo dierum numero annus solis [s] includitur, significat mys- [s] ticè per totum hujus sæculi tempus eos qui fideliter Domino serviunt, & ad æternam re-

Lamech reproborum, Enoch electorum figura.

[a] Triginta quatuor. [b] *Al.* annos. [c] *Al.* in transferendo. [d] *Al.* Tholomæi. [e] *Al.* aliquid. [f] *Al.* annis. [g] *Al.* Caïan. [h] *Al.* sex. [i] *Al.* Mathusalem. [k] *Al. addit* Enoch. [l] *Al.* est.

[m] *Al.* quem tunc. [n] *Al.* persecutionis. [o] *Al.* in Apocalypsin. [p] *Al.* quia. [q] *Al.* cum sicut. [r] *Al.* cum fecisset. [s] *Al.* inducitur.

[a] quiem tendunt, numquam [a] defuturos. Nec A frustra trecenti anni seorsum excipiuntur, quibus specialiter ambulasse cum Deo Enoch perhibetur. Hic etenim numerus apud Græcos per T. litteram solet notari. T. verò littera crucis figuram tenet; & si apicem solum qui deest in medio suscepisset, non jam figura crucis sed ipsum crucis esset signum manifesta specie depictum.

Littera T crucis figura.

Ambulavit ergo Enoch cum Deo, qui dicitur Dedicatio, trecentis annis: quia nimirum vitam & conversationem expressit, immo ipse egit eorum qui in fide Dominicæ passionis gaudium perpetuæ salutis expectant, abnegantes B seipsos, tollentesque crucem suam quotidie, & sequentes Dominum: quod est aliis verbis dicere, ambulantes cum Deo, & ad ingressum paradisi tendentes. Notandum autem quòd cum progeniem Seth usque ad Noë, & deinde usque ad Abraham scriptura sub tanta distinctione contexuerit, stirpem Caïn usque ad Lamech & liberos ejus absque ulla ætatum mentione descripsit, quasi tacitè nobis intimans illud psalmistæ: *quoniam novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit.* Psal. 1. 6

VIXIT QUOQUE MATHUSALAM CENTUM OCTOGINTA SEPTEM ANNOS, ET GENUIT C LAMECH. VIXIT AUTEM LAMECH CENTUM OCTOGINTA DUOBUS ANNIS, ET GENUIT NOE, DICENS: ISTE CONSOLABITUR NOS AB OPERIBUS ET LABORIBUS MANUUM NOSTRARUM IN TERRA CUI MALEDIXIT DOMINUS. Providit Lamech spiritu prophetico qualis suus filius, quantæ virtutis esset futurus, quodque in diebus ejus impiorum natio exterminanda, & per ipsum esset, transacto diluvio, generatio restauranda fidelium. Opera autem & labores manuum, quos dixit, non alios, credo, majores voluit intelligi, quàm eos quibus progenies electorum eo tempore à malorum D improbitate premebatur: consolationem verò suam suorumque illam dixit, cùm perdito per diluvium mundo qui tunc erat, ablatis de medio cunctis mundi rebus atque habitatoribus, [b] novum iterata sæculi facie genus justorum [b] præscirent esse nasciturum. NAM ET HOC tempore consolatio bonorum est, cùm viderint crebrescentibus mundi ruinis adpropinquare diem judicii, in quo consumta universitate pravorum, ipsi cum Domino nova futuri sæculi regna possideant. Pro eo autem quod nostra Editio habet *consolabitur*, antiqui Interpretes dixerunt, [c] *Iste requiescere* [c] *nos faciet ab operibus nos-* E *tris*, quod nomini Noë magis convenire videtur. Noë quippe Requies interpretatur. In quo juxta litteram illud potest intelligi quod temporibus ejus omnia retro opera hominum quieverint per diluvium. Juxta sensum verò spiritalem eadem est requies quæ & consolatio sanctorum, intueri videlicet, adpropinquante mundi termino, & interitum impiorum, & suorum adesse tempus præmiorum. Bene autem Noë, in cujus meritis Domino devotis requies

Bonorum hic consolatio.

& consolatio erat sæculo danda, in decima ab Adam generatione nascitur: quia nimirum per completionem decalogi legis æterna nobis requies & vita tribuitur. Bene cùm eum genuisse scriptura dixit, nequaquam unum ejus filium voluit nominare, ne in viro perfecto numerus undenarius quasi transgressio denarii aliquem habere locum videretur, sed velut de viro virtutis mysticè loquens, tres ei pariter natos filios refert.

NOE VERO, inquit, CÙM QUINGENTORUM ESSET ANNORUM, GENUIT SEM, [d] CHAM ET JAFETH. Natus est ergo Noë in decima [d] generatione, quia illorum vitam [e] & figuravit & egit, qui in observatione decalogi perfecti sunt. Genuit tres filios, ut in fide sanctæ Trinitatis se Domino servisse ac virtutum spiritalium frugem protulisse etiam carnalis sobolis fructu designaret: quamvis etiam juxta historiam tres creasse filios decebat eum, in quo pereunti mundo semen erat nasciturí denuo sæculi relinquendum, ut per trium videlicet progeniem filiorum totidem orbis terrarum partes implerentur. Sem etenim filii maximè Asiam, Cham liberi Africam, Jafeth posteri Europam possedere. [e]

CUMQUE COEPISSENT HOMINES MULTIPLICARI SUPER TERRAM ET FILIAS PROCREASSENT, VIDENTES FILII DEI FILIAS EORUM QUOD ESSENT PULCRÆ, ACCEPERUNT SIBI UXORES EX OMNIBUS QUAS ELEGERANT. Homines dicit progeniem Caïn, quæ à divinæ voluntatis intuitu aversa, humanis solummodo negotiis animum subjugaverat: filios verò Dei, eos qui de prosapia Seth generati, exemplo paternæ devotionis servitium quod Deo debebant inviolata mente servabant. Qua [f] distinctione & Dominus in evangelio discipulos suos à ceterorum comparatione discrevit, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et accepto eorum responso, *vos verò*, inquit, *quem me esse dicitis?* videlicet eminentiores eos hominibus volens intelligi, & in eorum numero computandos, de quibus ipse ait: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes.* Quidam codices pro Filiis Dei habent Angelos Dei; quod in eadem utique significatione accipitur. Angeli quippe Dei rectè appellantur homines justi, qui juxta modum suæ capacitatis angelicam in terris agere vitam curant: qualibus dicit Apostolus: *Vos autem fratres non estis in carne, sed in spiritu.* Et iterum: *Nostra autem conversatio in cælis est.* Videtur ergo quia generatio stirpis Seth, quamdiu cum progenie Cain non est commixta, inlibatam suæ castitatis normam servaverit; at postquam in concupiscentiam lapsa nequam feminarum maledictæ se soboli conjunxit, tunc & ipsa vitiato sobriæ mentis decore, maledictionis ejus cœperit exsistere consors. Denique in lege diligenter ac sedulo præcipitur filiis Israël, ne cum alienigenis misceant connubia, *ne seducat*, inquiens, *filia ejus filium tuum, & sequantur Deos eorum.*

Justi filii Dei & angeli rectè appellati. [f] Matth. 16. 13. Psal. 81. 6. Rom. 8. 9. Phil. 3. 20. Deut. 7. 4.

[a] *Al.* defecturos. [b] *Al.* deest nos. [c] *Al.* prædicerent. *Al.* prædiscerent.

[d] *Al.* & Cham. [e] *Al.* & figuram tenet & egit. [f] *Al.* qui ad distinctionem.

Dixitque Deus, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. Hos versiculos exponens S. Hieronymus, in Hebræo, inquit, „ scriptum est: *Non judicabit Spiritus meus homines „ istos in sempiternum, quia caro sunt:* hoc est, quia „ [a] fragilis est in homine conditio, non eos „ ad æternos servabo cruciatus; sed hic illis res- „ tituam quod merentur. Ergo non severita- „ tem, ut in nostris codicibus legitur; sed cle- „ mentiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo „ scelere visitatur: unde & iratus Deus loquitur „ ad quosdam: *Non visitabo filias eorum cùm fuerint „ fornicatæ, & sponsas eorum cùm adulteraverint.* Et „ in alio loco: *Visitabo in virga iniquitates eorum, „ & in flagellis peccata eorum, verumtamen misericor- „ diam meam non auferam ab eis.* Porro ne videretur „ in eo esse crudelis, quod peccantibus locum pœ- „ nitentiæ non dedisset, adjecit: *Eruntque dies illius „ centum viginti annorum,* hoc est, habebunt centum „ viginti annos ad agendam pœnitentiam: quia „ vero pœnitentiam agere contemserunt, noluit „ Deus tempus expectare decretum, sed viginti an- „ norum spatiis amputatis, induxit diluvium anno „ centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.

Quæst. in Genes. — [a] — Osee. 4. — Psal. 88. — Genes. 6.

Gigantes unde dicti.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Gigantes dicit homines immensis corporibus editos ac potestate nimia præditos, quales etiam post diluvium, id est temporibus Moysi vel David multos fuisse legimus, qui nomen habent græcè ex eo quòd illos juxta fabulas poëtarum terra genuerit. Videntur autem tunc fuisse progeniti, cùm posteri Seth de stirpe Caïn uxores sibi gratia pulcritudinis contra jus suæ dignitatis elegerant. Nam sequitur:

Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt: isti sunt potentes a sæculo viri famosi. Notandum autem quòd hoc in loco pro gigantibus, in Hebræo *cadentes*, id est *annafilim* leguntur; facilisque atque absolutus est sensus, quia cadentes erant in terram homines in diebus illis, id est terrenis concupiscentiis adhærentes, amisso statu Deo devotæ rectitudinis. Gigantes autem illorum lingua propriè Rafaim nominantur. Ponitur verò & gigans aliquando in bono, ut est [b] istud de Domino: *Exultavit ut gigans ad currendam viam;* sed hoc pro potentia singulari qua ceterum genus humanum jure transcendit, dispositumque Incarnationis sacramentum mirabili virtute peregit, sicut etiam leo aliquando Dominum, aliquando diabolum [c] designat; sed diabolum, propter superbiam & ferocitatem; Dominum, propter potentiam: quamvis in Hebraïca veritate memoratus psalmi versiculus ita scriptus sit: *Exultavit ut potens ad currendam viam.*

[b] Psal. 18. 6 — [c]

Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. Pœnituisse Deum dicit, non quia verè sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœniteat, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia quàm certa præscientia: sed utitur scriptura talibus verbis, ut se quodammodo familiarius insinuet nobis, qui mutare cœptum aliquid & in aliud transferre non nisi pœnitendo solemus: quamquam ergo divina providentia sereno corde intuentibus appareat cuncta certissimo ordine administrare; congruit tamen scriptura, & se coaptat humili intelligentiæ tardiorum, quorum longè major est multitudo, ut dicat quasi per pœnitentiam Dei ablata ea quæ incipiunt esse, neque perseverant quantum perseveratura sperata sunt: cui simile est [d] illud quod sequitur:

Pœnitere Dei quid. — [d]

Et tactus dolore cordis intrinsecus; delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli; pœnitet enim me fecisse eos. Humano etenim more dolere dicitur Deus, cùm homines quos ipse creavit hosti potius maligno peccando, quàm sibi piè vivendo adhærere considerat, juxta illud Salomonis: *Et dolor patris filius stultus.* Et iterum: *Ira patris filius stultus, & dolor matris quæ genuit eum.* Quod autem etiam interitum omnium animantium terrenorum volatiliumque denuntiat, magnitudinem futuræ cladis effatur: nam animantibus rationis expertibus, tamquam & ipsa peccaverint, minatur exitium.

Prov. 19. 13. — Ibid. 17. 25.

Hæ generationes Noe. Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. Eadem laude Noë qua Enoch prædicatur, videlicet quòd divinæ vestigia jussionis rectis operum bonorum gressibus secutus sit, atque ideo mundo perituro ille in paradisum translatus; iste mundo pereunte in arca salvatus est. Justus autem atque perfectus [e] fuit Noë, non sicut perficiendi sunt sancti in illa immortalitate qua æquabuntur angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti; & propterea adjungitur *in generationibus suis,* ut significetur eum, non juxta justitiam consummatam, sed juxta generationum suarum justum fuisse justitiam, illarum videlicet generationum in quibus Seth, Enos, Enoch & ceteri illius temporis viri sancti ac perfecti fuere. Ad quas generationes etiam filios ejus Sem & Japheth pertinere sequens sanctæ scripturæ textus insinuat.

[e]

Cumque vidisset Deus terram esse corruptam: omnis quippe caro corruperat viam suam. Omnis caro omnis homo dicitur, juxta illud Prophetæ: *Et videbit omnis caro Salutare Dei.* Non enim volucres aut quadrupedia viam suam peccando corruperant, sicut nec illa Salutare Dei nostri, id est Christum, sed omnis homo videbit.

Omnis caro omnis homo. — Luc. 3. 6

Dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate (f) a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra.

[f]

[a] *Al.* fragilitatis est. [b] *Al.* illud in Domino. [c] *Al.* significat. [d] *Al.* & illud.

[e] *Al.* est. [f] *Al. deest* à facie.

FAC TIBI ARCAM DE LIGNIS LÆVIGATIS, &c. Multiforme in fabrica arcæ ac superventu diluvii continetur mysterium. Primò quidem quòd sicut Dominus ipse ostendit per inundationem diluvii repentinam improvisa novissimi examinis hora designatur: *Et sicut factum est*, inquit, *in diebus Noë, ita erit & in die filii hominis. Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias usque in diem qua intravit Noë in arcam. Et venit diluvium & perdidit omnes.* Fabricatio enim arcæ quæ per centum annos agebatur, universum tempus significat hujus sæculi, quo & Ecclesia sancta construitur, atque ad finem perfectum deducitur. Nulli enim dubium [a] quin numerus centenarius perfectionem [b] significet, vel quia decem decadibus impletur, vel quia de sinistra transit in dextram, velut illam exprimens actionem, quæ in hac quidem vita quasi in læva exerceatur; sed in vita futura velut in dextera consumetur. Sicut autem facta arca, & inlatis in eam omnibus quæ erant salvanda, venit diluvium, & tulit omnia quæ extra eam erant; sic ubi omnes qui præordinati sunt ad vitam æternam, Ecclesiam intraverint, veniet finis mundi, & peribunt omnes qui extra Ecclesiam fuerint inventi; & juxta hunc sensum manifestè arca Ecclesiam, Noë Dominum qui Ecclesiam in sanctis suis [c] ædificat, diluvium finem sæculi vel judicium [d] designat extremum. Verùm excepta arcæ fabrica, etiam in eo Noë, quia Requies interpretatur, & requiem daturus hominibus sive consolaturus, præsagabatur homines ab operibus [e] & laboribus manuum suarum quiescere, in terra cui maledixit Dominus, Domini Salvatoris imaginem tenet. Ipse enim [f] consolatur nos per inlustrationem Spiritus sui, qui propterea Paraclitus, id est consolator vocatur. Ipse eripuit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Ipse vocat ad requiem laborantes: *Venite*, inquiens, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite jugum meum super vos, & discite* [g] *à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Ipse veraciter in generationibus, id est in omni sanctorum congregatione solus per omnia vir justus atque perfectus fuit, ut pote quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Juxta aliam vero interpretationem æque piam & catholicam, arca Ecclesiam, diluvium aquam baptismi, qua ipsa Ecclesia in cunctis suis membris abluitur & sanctificatur significat, juxta quod Petrus apostolus exponens ait: *Quando expectabat Dei patientia in diebus Noë cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio* [h] *in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Quod autem ait per resurrectionem JESU CHRISTI nos esse in baptismate salvatos, breviter exponit [i] quid octo animarum quæ salvæ factæ sunt per aquam numerus mysticè designet. Dies etenim Dominicæ resurrectionis à die quidem Passionis ejus tertius, sed à die primæ conditionis octavus est. Undas quoque diluvii nonnulli Patrum sæpe super tentationibus hujus sæculi interpretantur, quibus sancta Ecclesia quotidie pulsatur, nec tamen superatur: QUIN POTIUS ipsa tentationibus [k] exercita magis à terrenis cupiditatibus in cælestia quærenda sustollitur. Quicquid verò extra illam est, eisdem mundi tentationibus necatur, quemadmodum dicitur, quod multiplicatæ ac vehementer inundantes aquæ in superficie terræ arcam quidem elevaverint in sublime à terra: quicquid verò extra arcam fuit perdiderint. Cui expositioni convenit illa Domini de duabus domibus parabola, una supra petram, alia super arenam ædificata; quæ cùm æqualiter pluviæ, ventis, & fluminibus essent pulsatæ, illa quæ super petram fidei fundata erat, tentationibus probata; quæ verò in caducis vitæ hujus delectationibus velut in arenis spem posuerat, labefactata est. Quod enim [l] in arca structor Noë, hoc in domo fidei fundamentum petra; & quod extra arcam corrupta gigantum mens atque in terram proclivis, hoc in domo perfidiæ congesta exprimit arena. Designet ergo arca Ecclesiam: designet diluvium fontem baptismi quo abluitur: designet fluctus mundi tentantis quibus probatur: designet finem in quo coronatur. Porro Noë fabricator arcæ vel ipsum Dominum ac Salvatorem nostrum vel unumquemque devotum ejusdem sanctæ Ecclesiæ rectorem typicè denuntiat.

Matth. 24. 38. — Arcæ & diluvii mystica explicatio. — Matth. 11. 28. — 1. Pet. 3. 20. — Tentatione ad cælestia tollimur.

FAC TIBI, INQUIT, ARCAM DE LIGNIS LÆVIGATIS. Non solùm homines qui in arca salvati sunt, sed & animantia quæ eam pariter intrarunt; ipsa etiam ligna de quibus facta est fideles sanctæ Ecclesiæ mysticè denuntiant. Ligna ergo de quibus facta est, lævigata esse jubentur, quia quicumque [m] in fabrica Ecclesiæ ad fidem veniendo imponitur; necesse est ut abscissus primò à radice priscæ conversationis per eruditionem vel castigationem eorum qui in Christo præcesserunt, omne quod sibi [n] noxiæ tortitudinis ac deformitatis inesse deprehenderit eruat, atque ad regulam catholicæ fidei ac veritatis tota se mente & actione componat, quatenus in ordine ædificii cælestis suo loco ac tempore novus homo creandus oportunè possit imponi.

Ligna arcæ quid significent.

Pro lignis autem lævigatis antiqua Translatio *ligna quadrata* posuit, quod ad eamdem electorum perfectionem æque respicit. Ubicumque enim verteris quadratum, stabit, neque ulli poterit obnoxium esse casui. Sic nimirum, sic electorum mens, quæcumque sibi tentamenta occurrerint, inviolabilem piæ intentionis statum servare meminit.

MANSIUNCULAS IN ARCA FACIES. Uni-

Quid mansiunculæ.

[a] *Al.* quia. [b] *Al.* designat, *al.* significat.
[c] *Al.* ædificavit. [d] *Al.* signat.
[e] *Al.* deest & laboribus. [f] *Al.* consolabitur.
[g] *Al.* deest à me. [h] *Al.* in Deo.

[i] *Al.* quod ... designat. [k] *Al.* exercitata.
[l] *Al.* instructor in arca ac rector Noë.
[m] *Al.* in fabricam.
[n] *Al.* noxæ.

versæ in arca mansiones ad receptacula sunt A diversorum animantium, quæ eam erant ingressura dispositæ, & in Ecclesia multi sunt ordines institutionum pro diversitate eorum qui ad fidem veniunt. Neque enim una eademque debet esse vita vel conversatio conjugatorum & continentium; peccatorum & rectorum: Matth. 19. 17. & huic dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices*, & cetera hujusmodi. Ibid. 21. Alteri autem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Unde etiam de ipso præmio æternæ retribu- Joan. 14. 2. tionis Dominus ait: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ergo mansiunculæ sunt in arca, quia non unum in Ecclesia meritum omnibus, B nec idem in fide profectus est, licet omnes intra unam fidem contineantur, eodemque baptismate diluantur.

Quid arcæ bitumen. ET BITUMINE LINIES INTRINSECUS ET EXTRINSECUS, ET FACIES SIC EAM. Bitumen est ferventissimum & violentissimum gluten, cujus hæc virtus est, ut ligna quæ ex eo [a] fuerint [a] lita, nec vermibus exedi, nec solis ardore, vel ventorum flatibus, vel aquarum possint inundatione dissolvi: unde quid aliud mysticè in bitumine quàm constantia fidei accipitur? Bituminatur autem arca intrinsecus & extrinsecus, & sic universe perficitur, dum & cogitationes electorum & opera, ne ullis vincantur aut decipiantur vitiorum incursibus, C fidei in omnibus virtute muniuntur.

Quid ejus dimensiones. TRECENTORUM CUBITORUM ERIT LONGITUDO ARCÆ, QUINQUAGINTA CUBITORUM LATITUDO, ET TRIGINTA CUBITORUM ALTITUDO ILLIUS. Longitudo arcæ longanimitatem patientiæ, qua fortiter adversa tolerantur; latitudo amplitudinem caritatis, qua & hi qui adversa inrogant complectuntur; altitudo sublimitatem spei, qua æterna in cælis retributio præstatur insinuat: unde bene longitudo arcæ trecentorum cubitorum esse jubetur, qui numerus sicut & supra perstrinximus per T. litteram græcè notatur. Hæc autem littera in crucis figura scribitur, quia nimirum sancta Ecclesia dum invicta & stabilis inter ad- D versa perdurat, Dominicæ passionis vestigia Matth. 10. 38. sectatur, memor sermonis ejus quo dixit: *Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Latitudo in quinquaginta cubitos extenditur, in quo numero Spiritus-sanctus mittitur, & in lege populo Dei universalis requies ac remissio donatur: quia caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, non ex merito nostræ actionis, sed per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. ET HÆC EST REQUIES atque in [b] hoc nostrorum remissio [b] debitorum, cùm Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum in Deo tamquam nosmet ipsos, adversarium autem propter Deum diligimus. Altitudo triginta cubitorum est, quia videlicet hæc E est sola & unica spes electorum, ut per observationem decalogi legis, qui in Dei & proximi dilectione perficitur; ad contemplationem sanctæ Trinitatis ascendant. Ter enim deni triginta faciunt.

Est autem aliud memorabile in arcæ figura mysterium, quod in mensuram humani corporis probatur esse formata. Alia figuræ arcæ mystica explicatio. Humani quippe corporis longitudo à vertice usque ad vestigia sexies tantùm habet quàm altitudo, quæ est ab uno latere ad alterum latus, & decies tantum quàm altitudo, cujus altitudinis mensura est in latere à dorso ad ventrem, velut si jacentem hominem metiaris supinum seu pronum, sexies tantùm longius est à capite usque ad pedes, quàm latus à dextera in sinistram vel à sinistra in dextram, & decies quàm altus à terra: unde facta est arca trecentorum in longitudinem cubitorum, & quinquaginta in latitudinem, & triginta in altitudinem: & quia de Ecclesia dicit Apostolus quod sit unum corpus & unus spiritus in Christo; rectè arca quæ hujus figuram præferebat, in effigiem humani corporis formata est: quia etiam ipse Christus Deus & Dominus noster pro nobis incarnari & per sacramenta humanitatis suæ nos à peccatis ablui & consecrari voluit; rectè arcam in qua pereuntibus impiis reliquias humani generis salvare decrevit, in modum humani corporis fieri præcepit, sicut templum quod fecit Salomon Domino non solùm Ecclesiam ejus, sed & ipsam ejus carnem quam de Virgine sumsit figurabat, teste ipso, cùm ipse ait Judæis: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat*, inquit Evangelista, *de templo corporis sui.* Joan. 2. 19. Sic & arca, quam in figuram fecit Noë corporis humani, & nostri typum tenuit, de quibus dixit Apostolus, *donec occurramus omnes in virum perfectum*; Eph. 4. 13. & ipsius Domini, qui per mysterium suæ Incarnationis nos in unitatem fidei colligere atque à peccatis emundare gratia Sancti Spiritus, quam columba olivam arcæ inferens designavit, inlustrare atque à pereuntis mundi exterminio salvare dignatus est.

FENESTRAM IN ARCA FACIES, ET IN [c] CUBITO CONSUMMABIS SUMMITATEM EJUS. [c] Quid arcæ fenestra significet. Fenestra ad hoc fieri jubetur in arca, ut cessantibus postmodum imbribus, & requiescente arca, per hanc posset volucrem Noë emittere, ad dignoscendum si jam cessassent aquæ, vel si arefacta esset aut germinaret terra, ut ipse etiam hac aperta, lumen cæli videret: unde bene in hebræo pro fenestra meridianum fertur haberi, eo quòd fenestræ meridiano sole clarius soleant inlustrari: quod etiam sacramentis spiritalibus aptissimè congruit. Nam fenestra quæ non nisi transacto diluvio inhabitatores arcæ splendore meridiani solis inlustravit, illam cælestium arcanorum scientiam, quæ baptizatis fidelibus plenius revelatur, insinuat. Quod verò summitas arcæ in [d] cubito esse consummata perhibetur, videtur quia in imo trecentos cubitos longitudinis, & quinquaginta latitudinis habuerit: paulatim verò angulis in artum adtractis, in spa- [d]

[a] *Al.* oblita.
[b] *Al.* peccatorum.

[c] *Al.* cubita.
[d] *Al.* in cubita.

tium

tium sit unius cubiti in cacumine collecta: tantò videlicet brevior atque angustior, quantò altior facta. Et quidem quantum ad necessitatem pluviarum ac diluvii spectat, nulla alia tam congrua potuit arcæ species dari, quàm ut ab angusto tecti culmine ruinæ diffunderentur imbrium, dum cataractis cæli apertis, pluvia tanto tempore facta est: sed & Ecclesiæ sanctæ statui species hæc arcæ mysticè convenit. Sicut enim arca latior in inferioribus, ubi bestias habuisse creditur; in superioribus erat angustior, ubi homines volucresque continebat, donec ad unius cubiti mensuram in summitate perveniretur: sic Ecclesia plures in se carnales quàm spiritales, plures habet qui quadrupedum more toto mentis intuitu ad terrena concupiscenda sint proni, quàm qui pennis virtutum cælestia petant; & quantò quique in ea sanctiores, tantò inveniuntur pauciores, quo usque ad ipsum Mediatorem Dei & hominum perveniatur, qui ita inter homines homo apparuit, ut sit super omnia Deus benedictus in sæcula.

Quid ostium. [a] OSTIUM AUTEM ARCÆ PONES EX LATERE DEORSUM. Ostium hoc per quod [a] & homines & omnia quæ in arca salvanda erant animalia intrabant, ipsam fidei unitatem, sine qua Ecclesiam nemo ingredi potest, insinuat: unus enim Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus, quod aptè ex latere arcæ poni præcipitur, quia illam nimirum januam designat, quæ in latere positi in cruce Domini Salvatoris lancea militis patefacta est, de qua continuò exivit sanguis & aqua: per quæ sacramenta singuli quique fidelium in societatem sanctæ Ecclesiæ tamquam in arcæ interiora recipiuntur. Non solùm autem ex latere, sed & deorsum fieri ostium arcæ mandatur, ut humilitas vel ipsius Domini per quam pro nobis occubuit vel nostra insinuetur, sine qua salvari nequimus. Item ostium arcæ deorsum & juxta terram factum est, ut ibi homines vel animantia quæ erant salvanda ingrederentur, & ingressa mox ad superiora in suas quasque sedes ascenderent: quia Dominus in profundo hujus mortalitatis apparens, vulneratus est propter iniquitates nostras, ut nos per sacramenta suorum vulnerum redemtos ad supernas virtutum mansiones in præsenti ad superna in cælis præmia invisibili ascensu perduceret. Quod bene etiam in templo Salomonis illud
[b] [b] quo ad superiora ascendebatur ostium designat, de quo ita scriptum est: *Ostium autem lateris medii in parte erat domus dextræ:* quam videlicet sententiam nonnulli ita intelligunt, quasi templum dicat à meridiana parte habere introitum, quod longè aliter fuit. Nam si hoc vellet intelligi, scriptura posset breviter dicere: Et habebat ostium ad meridiem sive ad austrum. Nunc autem templum quidem ipsum ab ortu solis habebat introitum. Quod verò dicitur: *Ostium autem lateris medii in parte erat domus dextræ*; domus dextra vocatur domus pars meridiana, in cujus latere medio ostium erat illud per quod ad superiora ascendebatur, incipiente videlicet introitu ab orientali parte ejusdem lateris, hoc est ab ipso angulo, & paulatim ad superiora cœnaculorum per interranea medii parietis [c] procedente: unde [c]
consequenter adjungitur: *Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* Quia ergo Dominus cùm ait Judæis: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, dicebat hoc de templo corporis sui, ostium in latere dextro templi hujus, nonne manifestè claret quia ipsum est hoc quod in latere illius dextro expleta passione apertum est, ut supra [d] diximus, per cujus apertionem nos de præsenti sanctæ Ecclesiæ vita ad æternam requiem animarum in vita futura transeamus in exemplum eorum qui ingressi latus dextrum templi per cochleam ad medium cœnaculum penetrabant. Sed & post animarum beatissimam requiem ad receptionem corporum spiritalium, quasi de medio cœnaculo ad tertium usque scandentes perveniamus: ex quo in utriusque simul, hoc est animæ & corporis perpetua immortalitate cum [e] Deo lætemur. (Joan. 2. 19.) [d] [e]

Quid cœnacula & tristega. COENACULA ET TRISTEGA FACIES IN EA. Tristega triplex tectum designat. Stege etenim græcè tectum dicitur: unde antiqui Interpretes pro hoc verbo *tricamerata* posuerunt. Denique in Actibus Apostolorum, ubi adolescens, quem [f] resuscitavit à morte Paulus apostolus, de tertio tecto sive cœnaculo cecidisse perhibetur; in græco à tristego cecidisse scriptum est. Cœnacula autem & tristega, sicut prisci Translatores dixerunt, bicamerata & tricamerata ad hoc facta sunt in arca, ut in sedibus [g] multifariam distinctis diversi generis animantia manerent. Bestiæ quidem, ut credibile est, in inferioribus, munda animalia in superioribus, homines & volatilia in supremis. Constat enim quia ubi homo sedebat, ibi & corvus & columba, & consequenter ceteræ quoque volucres, & hoc in vicinitate fenestræ, quæ in supremis arcæ locis facta esse credenda est: Nam per hanc præfatas volucres emisit, ut videret quomodo sese terræ facies haberet: in quibus etiam tectis variæ sunt factæ mansiunculæ, ut supra dictum est, ob distinctionem eorumdem animalium sive volatilium, ne aliis alia, mitioribus ferociora nocerent. Non autem frustra scriptura cœnacula & tristega in arca facta, sive bicameratam & tricameratam factam eam dixit, cùm posset uno verbo dicere quinque cœnaculorum sive tectorum eam esse dispositam; sed bicameratam eam dixit, ut significaret in Ecclesia circumcisionem & præputium, Judæos & Græcos esse salvandos. Tricameratam verò propter triplicem seminis evangelici fructum, tricenum, sexagenum, centenum, ut in infimo habitet pudicitia conjugalis, supra vidualis, atque hac superior virginalis. Dicit autem Origenes quod in inferioribus arca bicamerata sit facta, ut infima regio (Origen. Homil. 2. in Genesim.) [f] [g]

[a] *Al. deest* & homines & omnia. [b] *Al.* quod. [c] *Al.* protendente. [d] *Al.* dictum est. [e] *Al.* Domino. [f] *Al.* suscitavit. [g] *Al.* multifarie.

stercora reciperet, secunda conservandis pabulis deputaretur: in superioribus verò tricamerata, ut in prima harum parte bestiæ cubilia, in secunda mansuetiora animalia stabula, in suprema homines sedem haberent.

ECCE EGO ADDUCAM DILUVII AQUAS, SUPER TERRAM, UT INTERFICIAM OMNEM CARNEM, IN QUA SPIRITUS VITÆ EST SUBTER CÆLUM. UNIVERSA QUÆ IN TERRA SUNT CONSUMENTUR, PONAMQUE FOEDUS MEUM TECUM, ET INGREDIERIS ARCAM TU ET FILII TUI, & cetera. Adductæ super terram aquæ diluvii omnem carnem, quæ extra arcam reperta est, interfecerunt: Noë verò & quæ in arca fuere cuncta salvata sunt. Lavans mundum aqua baptismatis quoscumque in unitate sanctæ Ecclesiæ fideliter manentes reperit, salvat: qui verò extra Ecclesiam ab hæreticis sive schismaticis baptisma accipiunt, nisi ad catholicam unitatem redeundo resipiscant, intereunt. Item veniente articulo novissimi examinis, quicumque in sancta Ecclesia fide & actione perseverantes inveniuntur, in æternum salvantur: qui ab Ecclesia vel fide, vel opere, vel utroque separati, pereunt.

Extra Ecclesiam nulla salus.

TOLLES IGITUR TECUM EX OMNIBUS ESCIS, QUÆ MANDUCARI POSSUNT, ET COMPORTABIS APUD TE, ET ERUNT TAM TIBI, QUAM ILLIS IN ESCAM. Et Ecclesiam suam Dominus [a] multifariam, vitæ spiritalis alimonia replevit, & ut turbas fidelium generalibus mandatorum suorum institutis ad perceptionem invitaret cælestium præmiorum, & perfectiores quoscumque arctioris observantiæ disciplinis ad altiora ejusdem regni perennis dona vocaret. Sed quæri solet utrum arca tanta capacitate quanta describitur animalia cuncta quæ eam ingressa dicuntur, cum escis eorum ferre potuerit? Quam quæstionem cubito geometrico solvere conatur Origenes, asserens non frustra scripturam dixisse, quod Moyses omni sapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, qui geometricam dilexerunt. Cubitum autem geometricum dicit tantum valere quantum nostri cubiti sex valent. Si ergo tam magnos cubitos intelligamus, nulla quæstio est tantæ capacitatis arcam fuisse, ut posset illa omnia continere. Sed notandum quia si Moyses geometricos cubitos didicerat, populum tamen, cui librum scribebat harum artium noverat expertem, nec fallere eum voluit scribendo, quæ non ille in veritate, sed ipse solus cum Ægyptiorum peritissimis intelligeret. Hoc quoque intuendum, quod idem Moyses etiam de tabernaculi constructione scribens, non alterius modi, sed ejusdem quem in arca posuerat cubitos [b] notavit. Neque enim in eodem opere & eisdem lectoribus sive auditoribus scribens, [c] diversum quid ponere potuit. Si autem & ibi geometricos cubitos sectabatur: ergo ipsum tabernaculum non triginta cubitos longum & denos cubitos altum ac latum factum est, ut legitur: verum [d] sescuplicato hoc numero, centum octoginta cubitos in longitudine & sexagenos in altitudine ac latitudine habebat, sicque longior multò & latior quàm templum Salomonis factum est; quod [e] quadraginta tantùm in longitudine, & viginti habebat cubitos in latitudine. Tabulæque ipsius tabernaculi, quæ denos cubitos longitudinis ac latitudinis cubitum & semissem habere dicuntur, sexagenos cubitos longitudinis, & [f] novenos latitudinis habebant, majoresque fuerunt quàm vel generales silvæ gignere soleant, vel tali ædificio convenire aut manibus hominum circumferri facile possent. Saga quoque quibus tegebatur, quæ triginta cubitos singula longitudinis, & quatuor latitudinis habuisse dicuntur, centum octoginta cubitos longa & viginti quatuor lata fuerunt: sed hæc ita debere intelligi prohibet etiam Josephus, qui de constructione tabernaculi scribens ejusdem: Facta est autem, inquit, & arca longitudinis quidem quinque palmorum, latitudinis verò trium: pro quo in Exodo scripsit Moyses, quod habuerit longitudo arcæ duos semis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, qui juxta adtestationem Josephi, non geometrici, sed vulgares intelliguntur esse cubiti. De arca ergo Noë altiùs animadvertendum, quòd omnia quæ in ea vel erga eam gesta sunt divinæ virtutis erant plena miraculis. Si enim consueto hominibus more res ageretur, quomodo sufficerent octo homines tantæ avium, jumentorum, bestiarum & reptilium multitudini quotidie cibum potumque [g] adponere, & cetera quæ usus [h] deposcit ministrare? præsertim cum de potu in arcam inferendo scriptura nihil à Deo jussum retulerit? Quomodo non stercus & urina tot animantium vel intolerabilem fœtore ipsis animantibus locum faceret, vel fundum arcæ quamvis optimè bituminatum [i] non corrumperet? quomodo una in sede per annum integrum manentia, nec volatum volatilia, nec quadrupedia gressum perderent: Ipse ergo Dominus qui arcam cum eis quæ gestabat omnibus incorruptam servavit, quique hanc ne in mare dilaberetur gubernavit, sed tali in loco montium deposuit, ubi de ostio quod habebat facilis esset ac promtus ad terram egressus cunctis quæ in illa continebantur animantibus, [k] providit etiam eisdem qualiter in arca vescerentur, ac salva perdurarent. Nec abs re est credi, ut quidam astruunt, quòd ingressuris arcam animantibus, Noë victum singulis qui unius diei usui sufficeret præparaverit, & hoc refecta singula ob significandum mysterium, quod in Ecclesia cuncti pro modo propriæ capacitatis vitæ cibo reficimur, deincepsque ad diem egressionis suæ quieta divino nutu vel etiam sopita manserint.

Aug. lib. 1. quæst. in Genes. q. 4.

An arca animalia omnia continere potuerit.

Josephus antiq. Judaic. lib. 3. cap. 6.

FECIT ERGO NOE OMNIA QUÆ PRÆCEPERAT ILLI DEUS, DIXITQUE DOMINUS AD EUM: INGREDERE TU [l] ET OMNIS DOMUS TUA ARCAM, &c. Omnia quæ præceperat Deus fecit, id est

(a) Al. multifarie. (b) Al. notabat. (c) Al. adversum. (d) Al. sexcuplato. (e) Al. LX. (f) Al. nonagenos.

(g) Al. adferre. (h) Al. poscit. (i) Al. deest non. (k) Al. prævidit. (l) Al. in arcam & omnis domus tua.

arcam ædificavit, & mansiunculis dispositis, escas in eam cunctis animantibus comportavit.

EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS TOLLE SEPTENA SEPTENA, MASCULUM ET FEMINAM: DE ANIMANTIBUS VERÒ NON MUNDIS, DUO ET DUO, MASCULUM ET FEMINAM: SED ET DE VOLATILIBUS [a] CÆLI SEPTENA SEPTENA, MASCULUM ET FEMINAM, UT SALVETUR SEMEN SUPER FACIEM [b] UNIVERSÆ TERRÆ. Quod ait septena septena, non in singulis generibus bis septena, sed septem solummodò tolli vult, è quibus unum quod paribus supererat post diluvium Deo posset offerri. Septena autem septena dicit, propter multa animantium genera, quæ hoc erant numero comprehendenda. Similiter quod ait duo duo, non [c] binis bina in uno quolibet genere animantium immundorum, sed duo tantummodo, marem designat & feminam. Dicit autem duo & duo, quòd in pluribus animantium generibus eadem paria essent accipienda, ubi facillimè cuilibet patet, quia si salvandi tantum generis & non altioris arcani gratia res gereretur; sufficeret minor animantium numerus ad [d] restitutionem sobolis conservandam: nunc autem quia non omnes qui lavacrum baptismatis in Ecclesia subeunt, etiam boni operis munditiam custodiunt, immunda quoque cum mundis arcam animantia intrant: Et bene munda septenario numero continentur; quia septiformis est gratia Spiritus, qua fidelium corda mundantur ac sanctificantur. Immunda duali numero comprehenduntur, quia falsi catholici sacramenta fidei duplici corde percipiunt; & hic volentes gaudere cum mundo, & in futuro regnare cum Christo: de qualibus dicit Jacobus: *Non ergo æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino, vir duplici animo inconstans [e] est in omnibus viis suis.* (Jac. 1. 7.)

FECIT ERGO NOE OMNIA QUÆ MANDAVERAT EI DOMINUS, ERATQUE SEXCENTORUM ANNORUM QUANDO DILUVII AQUÆ INUNDAVERUNT [f] SUPER TERRAM. ET INGRESSUS EST NOE, ET FILII EJUS, UXOR EJUS, ET UXORES FILIORUM EJUS CUM EO IN ARCAM, & cetera. Ætas Noë magnam eorum qui Ecclesiam ingrediuntur, & per fidem atque actionem fide condignam ad æterna gaudia perveniunt, perfectionem designat. (Ætas Noë quid designet.) Sexies enim centeni fiunt sexcenti: senarius autem numerus, in quo factus sive formatus est mundus, non immeritò [g] perfectionem designat bonæ actionis. Centenarius verò, qui, sicut & supra meminimus, in compoto digitali de læva transfertur in dextram, maximè convenit eis, qui in novissimo examine ad dextram stantes judicis, audituri sunt: *Venite benedicti, Patris mei percipite regnum.* (Matth. 25. 34.) Et ideo multiplicatus per senarium numerus centenarius illam virtutum spiritualium perfectionem designat, quæ non ad hominum favorem ostentata forinsecus; sed ad gloriam est Conditoris in spe supernæ retributionis impleta, meritòque præsul arcæ, in qua Ecclesiæ status est expressus, etiam in tempore suæ ætatis devotionem designat eorum, qui hanc ita ingrediuntur, ut etiam per bonæ merita actionis ad salutem [h] transire mereantur æternam: quamvis & ita rectè possit intelligi, quia cùm aquæ diluvii baptismatis undam designant; tunc ætas Noë perfectionem, ad quam hi qui baptizantur contendere debeant, insinuet. Cùm verò tempus ultimi examinis præfigurant, tunc idem annorum ejus numerus quales cum Domino ad requiem perpetuam, quod nomen Noë sonat, intraturi sint figuratè denuntiat, id est effectu boni operis & intentione mundi cordis cælesti introïtu digni.

CUMQUE TRANSISSENT SEPTEM DIES, AQUÆ DILUVII INUNDAVERUNT TERRAM. Septima dies sabbatum, id est requiem indicat vitæ futuræ. Cùm ergo diluvium aquam baptismi significat, aptè post septem dies ex quo arca facta est venit; quia [i] in spe perpetuæ quietis baptizamur. Cùm verò fluctus tentationum aquæ diluvii figurant, meritò etiam tunc post septem dies veniunt; quia propter fidem ad spem futurorum bonorum, persecutionem [k] justi patiuntur ab eis qui terrena miseri bona cælestibus, mansuris temporalia præponunt. At verò diluvium cùm adventui novissimi examinis assimilatur, etiam sic congruenter post dies septem terram inundat; quia tunc electi omnes qui jugum Christi suave & onus leve portaverunt, inveniunt requiem animabus suis.

ANNO SEXCENTESIMO VITÆ NOE, MENSE SECUNDO, SEPTIMO DECIMO DIE MENSIS, RUPTI SUNT OMNES FONTES ABYSSI MAGNÆ, ET CATARACTÆ CÆLI APERTÆ SUNT, ET FACTA EST PLUVIA SUPER TERRAM QUADRAGINTA DIEBUS ET QUADRAGINTA NOCTIBUS. (Noë arcam quando ingressus.) Menses apud Hebræos non nisi juxta lunæ cursum à prima usque ad primam computantur, primusque eorum mensis in quo pascha fieri præceptum est, & in quo mundus est factus, appellatur Nisan, quem nos Aprilem vocamus. Secundus Jaïr, quem nos Maium dicimus, cujus die septimo decimo, id est cùm luna ejusdem mensis esset septima decima, venit diluvium, cùm eodem ipso die intrasset Noë in arcam cum hominibus & animantibus cunctis ac volatilibus, quæ per illam erant salvanda, hoc est enim quod sequitur.

IN ARTICULO DIEI ILLIUS INGRESSUS EST NOE ET SEM ET CHAM ET JAPHET, FILII EJUS ET UXOR EJUS, ET TRES UXORES FILIORUM EJUS CUM EIS IN ARCAM. IPSI ET OMNE ANIMAL SECUNDÙM GENUS SUUM, & cetera usque dum ait: OMNESQUE VOLUCRES INGRESSÆ SUNT AD NOE IN ARCAM. Cuncta ergo animantia [l] uno eodemque die ingressa sunt in arcam, quia non Noë laboravit ea multo labore ac longo tempore colligere atque [m] introducere vel minare in arcam: sed divino nutu coacta, sponte cuncta venie- (Animalia quomodo arcam intrarunt.)

(a) *Al. deest* cæli. (b) *Al. deest* universæ.
(c) *Al.* bis bina. (d) *Al.* restaurationem.
(e) *Al. deest* est. (f) *Al. deest* super terram.
(g) *Al.* perfectionis bonæ designat actiones.

(h) *Al.* transisse. (i) *Al.* in spem.
(k) *Al* justè.
(l) *Al* una
(m) *Al.* inducere.

bant in suo quæque numero, præcedente illo cum liberis suis & uxoribus, sequebantur ex ordine, ac suas singula mansiunculas, Domino agente, quasi propria sponte subibant. Ad hoc enim valet quod dicitur de avibus, ingressæ sunt ad Noë in arcam, & supra generaliter, & ex omni quod movetur super terram duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam. Eodem quoque die, id est septimo decimo mensis secundi factum est quod sequitur.

ET INCLUSIT EUM DOMINUS DEFORIS, FACTUMQUE EST DILUVIUM QUADRAGINTA DIEBUS SUPER TERRAM. Hic autem dies octavus est ex (a) quo arcæ [a] ædificium omne perfectum est. Ex quo constat quòd arca in magno mysterio ejusdem secundi mensis decimo die facta est. Primus namque mensis antiquus ille qui de Hebræis collectus est Dei populus apte potest accipi. Secundus autem mensis populus novi testamenti. Hinc est enim quòd in lege præcipitur, (b) ut quicumque vel immundi super mortuo, vel [b] in itinere longius positi, vel alia qualibet necessitate præoccupati ad faciendum Pascha in primo mense non possent occurrere, in secundo hoc mense facerent in sanguine agni & azymis panibus quarta decima die ad vesperum. In cujus videlicet mensis adjectione nos signati sumus, qui cum priore Dei populo sacramentum Dominicæ passionis celebrare nequivimus, utpote longè adhuc positi à communione sanctorum, & immundi, immo mortui peccatis; sed qui post peracta eadem. Dominicæ Incarnationis sacramenta ad fidem venimus, quasi in luce secundi mensis pascha Dominicum facimus; cujus videlicet mensis die decima arca perfecta est, quia Dominus in carne apparens denarium nobis regni cælestis promisit, decalogum legis nos perficere posse, data Spiritus sancti gratia, concessit: quæ vi- (c) delicet gratia etiam illo septem dierum numero [c] quo post factam arcam, ingressio ipsius ac diluvii adventus expectabatur, potest figurari: quia nimirum accepta promissione regni, quæ denario exprimitur, datur fidelibus gratia Spiritus, per quam Ecclesiæ sanctæ membris possint adunari. Possumus & ita rectè intelligere quòd arca septimo decimo die mensis & non ante diluvio perfusa sit, quia singulos quosque fidelium primo in fide percipiendæ veræ quietis & denarii cælestis, id est imaginis regis æterni, catherizari oportet, & sic in societatem Ecclesiæ per lavacrum regenerationis intromitti. Quod autem propter diluvium rup- (d) ti sunt omnes fontes abyssi magnæ & catarac- *Scriptura abyssus magna.* tæ; id est fenestræ [d] cæli apertæ sunt, abyssi magnæ nomine designata est scriptura testamenti veteris, quæ diutius velamine litteræ præclusa, spiritalis intelligentiæ venas mundo aperire non potuit, sed per Dominum revelata & ipsa nunc Ecclesiæ fontes largissimos scientiæ salutaris ministrat. Cataractæ autem cæli apertæ effusionem evangelicæ & apostolicæ prædicationis, quæ manifestè de supernis terrena corda inrigant, designant. Quia ergo & revelatis prophetiæ verbis, & palam prædicantibus novi testamenti præconibus, in fide regenerationis confirmamur; rectè dicitur quia ad faciendum diluvium, rupti omnes fontes abyssi magnæ & cataractæ cæli sint apertæ.

Inclusit autem Dominus arcam deforis, quia Ecclesiam suam & in ablutione sacri baptismatis gaudentem cælesti semper munimine tutatur, ne quis ex eis quos ad vitam præordinavit ulla ratione pereat; & inter mundi fluctus laborantem, ne opprimi aut mergi pressuris vel delectationibus sæculi valeat, undique custodit. [e] Immittit enim angelum Dominus in (e) circuitu timentium, eum, & eripiet eos. Sed & in die judicii Dominus Noë cum habitatoribus arcæ deforis [f] includit, cùm electis suis (f) secum in domo patris sui conlocatis, januam regni à perditorum ingressu, tametsi serò pœnitentium [g] in perpetuum præstruit, juxta illam (g) in Evangelio parabolam decem virginum, ubi dicitur quia quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua, & cetera. Bene autem dicitur, quod quadraginta diebus & quadraginta noctibus [h] plueril super terram: decem namque quater ducta quadraginta faciunt, quia omnis reatus peccatorum, qui in decem præceptis legis admittitur, per universum orbem terrarum, qui quatuor partibus continetur, sacramento baptismi cælestis abluitur, sive ille reatus, quod ad dies pertinet ex rerum prosperitate, seu quod ad noctes ex rerum adversitate contractus sit. (h)

ET MULTIPLICATÆ SUNT AQUÆ, ET ELEVAVERUNT ARCAM IN SUBLIME A TERRA, VEHEMENTER INUNDAVERUNT [i] AQUÆ, ET OMNIA REPLEVERUNT IN SUPERFICIE TERRÆ. Et aquæ (i) baptismatis ac fidei multiplicatæ per orbem universum Ecclesiam à terrenarum rerum appetitu in cælestis vitæ spem ac desiderium sustollunt: SED ET UNDÆ tribulationum frequenter Ecclesiam pulsantes, quantò vehementiùs omnia repleverunt, tantò altiùs eam [k] ad quærenda vitæ alterius gaudia compulerunt: *Tribulationum utilitas.* (k) quod bene in sacra historia designatur, cùm dicitur, quia artavit Amorræus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descenderent. Amorræus quippe Amarus, Dan interpretatur Judicans sive Judicium: & qui per filios Dan, nisi illi designantur, qui omnia quæ agunt, diligenter ut recta sint, in libra veritatis examinant? qui ad lucernam verbi Dei incedentes jurant & statuunt custodire judicia justitiæ ejus? qui verò exprimuntur per Amorræum, nisi hi qui dulcedinem vitæ sanctorum amaritudine tribulationum conturbare vel etiam subvertere tentant? Artatque Amorræus filios Dan in monte, nec ad planiora descendere sinit, cùm tantus plerumque electos turbo persecutionum afficit, ut nequaquam eis liceat infirmis cogitationibus aliquod tempus

(a) *Al.* factum est ædificium. (b) *Al.* itinere. (c) *Al.* qui. (d) *Al. deest* cæli. (e) *Al.* immittet. (f) *Al.* includet.

(g) *Al. deest* in perpetuum. (h) *Al.* plueret. (i) *Al. deest* aquæ. (k) *Al.* ad acquirenda.

indulgere; sed in summa continentia viventes necesse habeant orationibus & jejuniis & divinarum meditationibus scripturarum continuè operam dare: quatenus majori exercitio virtutum majora tentationum valeant superare certamina.

PORRO ARCA FEREBATUR SUPER AQUAS, ET AQUÆ PRÆVALUERUNT NIMIS, OPERTIQUE SUNT OMNES MONTES EXCELSI SUB UNIVERSO CÆLO. Montes superbos quosque & in hujus sæculi gloria se extollentes significant: quos videlicet montes aquæ operiunt sed ipsis aquis arca superfertur, quia tentationum gurges superbos quidem atque impios premit ac demergit, sed ipse à justis superatur, qui libero boni operis cursu atque alacri mente ad portum salutis æternæ tendere non desinunt: quod bene, Petro super mare ad Dominum transeunte, figuratum est; quia videlicet Ecclesia calcatis sæculi fluctibus ad tranquillitatem esset vitæ cælestis perventura. Item aquæ diluvii arcam in sublime tollunt, montes operiunt & abscondunt, quia sacramentum baptismatis, quo Ecclesia sublimatur, superbam sæculi altitudinem contemnit, & nihili habendam demonstrat: & quia in spe futuræ animarum quietis ac resurrectionis corporum in vitam æternam baptizamur, quam sapientia carnalis ignorat rectè subditur:

[a] QUINDECIM [a] CUBITIS ALTIOR FUIT AQUA SUPER MONTES QUOS OPERUERAT. Septem quippe & octo quindecim faciunt: septem autem ad requiem animarum quæ post mortem futura est pertinent: quia nimirum Dominus septima sabbati in sepulcro quievit: quia verò post sabbatum, id est octava die resurrexit à mortuis, octo rectissimè tempus nostræ resurrectionis insinuant. Quindecim ergo [b] cubitis, id est septem & octo aqua montes excelsos transcendit, quia fides Ecclesiæ, quæ fonte lavacri salutaris sanctificatur, spe futuræ requiei & immortalitatis antecellit omni fastui philosophiæ carnalis, quæ de mundi quidem creatura novit subtiliter disputare, sed de Creatore mundi & ea quæ supra mundum in illa est vita sanctorum nihil dicere novit.

Fides antecellit fastui philosophiæ.

OBTINUERUNTQUE AQUÆ TERRAS CENTUM QUINQUAGINTA DIEBUS. Et hic numerus ad idem sacramentum quod quindenarius pertinet: quia enim septuaginta à septem, & ab octo denominantur octoginta, conjuncto utroque numero centum quinquaginta diebus obtinuerunt aquæ terras, eamdem, ut dixi, commendantes & confirmantes actionem baptismi in consecrando novo homine ad tenendam quietis ac resurrectionis fidem.

RECORDATUS AUTEM DOMINUS NOE, CUNCTORUMQUE ANIMANTIUM, ET OMNIUM JUMENTORUM QUÆ ERANT CUM EO IN ARCA, ADDUXIT SPIRITUM SUPER TERRAM, ET IMMINUTÆ SUNT AQUÆ. Potest in nomine *Spiritus* ipse vivificator [c] Dei Spiritus accipi, de quo in principio dictum est *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*, de quo dubium non est, quia sicut tunc congregatis aquis in locum unum arefecit terram; ita etiam nunc, ablatis de medio aquis diluvii, denuo faciem terræ revelavit. Potest & ventus iste aëreus nomine *Spiritus* appellari, juxta illud Psalmistæ: *Dixit & stetit spiritus procellæ*, cujus flatibus crebris plerumque solent aquæ minui vel de loco moveri: unde est illud Exodi: *Cùmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in siccum, [d] divisaque est aqua.*

Genes. 1. 3. — Psal. 106. 25. — Exod. 14. 27.

ET CLAUSI SUNT FONTES ABYSSI, ET CATARACTÆ CÆLI, ET PROHIBITÆ SUNT PLUVIÆ DE CÆLO, REVERSÆQUE SUNT AQUÆ DE TERRA EUNTES ET REDEUNTES, ET COEPERUNT MINUI POST CENTUM QUINQUAGINTA DIES. Quod dicit reversas esse aquas de terra euntes & redeuntes, apertè indicat juxta litteram quod omnes fluviorum ac rivorum decursus per occultas terræ venas ad matricem abyssum redeant, juxta illud Salomonis: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Mysticè autem post centum quinquaginta dies clauduntur fontes abyssi & cataractæ cæli, pluviis cessantibus, aquæ revertuntur, quia verba sacri oraculi, postquam nos in fide ac spe perpetuæ quietis atque immortalitatis instituerint, ultra nos docere cessabunt; quia nihil majus quod promittere debeant habebunt, postquam immortali carnis & spiritus gloria perfectos ad beatam nos visionem nostri Conditoris [e] adduxerint. Unde bene liber Psalmorum, qui centenario & quinquagenario numero continetur, in divina laude consummatur. Initium quidem beatitudinis à continentia & divinæ legis meditatione sumens, dicendo: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, & cetera. Circa finem verò nova futuri sæculi gaudia commendans dicendo, & in ipso fine cuncta in Dei laude consummans: *Cantate Domino canticum novum, [f] laus ejus in ecclesia sanctorum*; ita [g] concludendo; *Omnis spiritus laudet Dominum.* Qui centesimus & quinquagesimus psalmus merito totus in Dei laude canitur, atque completur, QUIA NIMIRUM totius nostræ beatitudinis in hoc summa est, ut inhabitantes in domo ejus ipsum sine fine laudemus.

Eccle. 1. 7. — Psal. 1. 1. — Psal. 149. 1. — Psal. 150. 6.

REQUIEVITQUE ARCA MENSE SEPTIMO, VIGESIMA SEPTIMA DIE MENSIS SUPER MONTES ARMENIÆ. Quod arca septimo mense requievit, ad illam septimam requiem, de qua sæpius dictum est significatio recurrit: quia perfecti quique, & qui constantia fixæ in Deum cogitationis [h] velut quadrati sunt, ad requiem tendunt. Bene vicesima septima die mensis ejusdem, qui numerus est juxta arithmeticam rationem ternarius quadratus solidus, ad requiem arca pervenit. Ternarius namque nu-

[a] *Al.* cubitos. [b] *Al.* cubitis.
[c] *Al. deest* Dei. [d] *Al.* divisa est.
[e] *Al.* pervenerent.

[f] *Al.* laudatio. [g] *Al.* conclusit.
[h] *Al.* vel ut quadrati ad requiem tendunt.



merus devotioni nostræ mentis congruit propter memoriam qua Deum recolimus, propter intelligentiam qua cognoscimus; propter voluntatem qua diligimus. Sed hæc ipsa trinitas ut de simplici ac recta linea ad quadraturam perveniat, multiplica tria per tria, fiunt novem: ut verò eadem quadratura etiam altitudinem sumat ac solida efficiatur, item multiplica novem per tria, erunt viginti septem, id est numerum ternarium quadratum solidum complebis, in quo arca requievit; quia Ecclesiæ suæ mentis atque actionis stabilitate quasi conquadrata requiem & in hac vita expectat, & in futura percipit æternam. Requievit autem super montes Armeniæ, quia calcato apice pompæ mundialis, etiam in hac peregrinatione vitam ducens, cælestibus gaudiis animo propinquat.

AT VERO AQUÆ IBANT ET DECRESCEBANT USQUE AD DECIMUM MENSEM. Potest in mense decimo illud tempus exprimi, quo ad æternæ lucis gaudia sancti cum Domino ingrediuntur. Nam & ipse in Evangelio nomine denarii, qui cultoribus vineæ daretur, perceptionem ejusdem regni cælestis insinuat. Denarius quippe decem obolos habet. Eunt ergo aquæ, quæ arcam diluerant, & decrescunt usque ad decimum mensem, quia lavacrum baptismatis, ubi in singulis quibusque fidelium suum munus impleverit, cessat. Neque enim quisquam, si peccaverit, potest denuo eodem sacri baptismatis fonte mundari; sed eos jam semel ablutos ac sanctificatos ad spem mittit vitæ cælestis, videlicet quando veniant & appareant ante faciem Dei.

DECIMO ENIM MENSE PRIMA DIE MENSIS APPARUERUNT CACUMINA MONTIUM. Potest dies prima decimi mensis initium illud vitæ perennis intelligi, quo etiam in hac vita positi gustant & vident sancti quoniam suavis est Dominus. In qua die apparent cacumina montium; quia quantò perfectiùs hoc in eorum mundo corde geritur, tantò certiùs mundana celsitudo quàm frustra inflетur patescit.

CUMQUE TRANSISSENT QUADRAGINTA DIES, APERIENS NOE FENESTRAM ARCÆ, QUAM FECERAT, DIMISIT CORVUM, &c. Diximus supra de fenestra arcæ, quæ transacto diluvio aperitur, quod illa designet arcana mysteriorum cælestium, quibus baptizati specialiter initiantur; sed eisdem ipsis sacramentis quidam ad inlecebras sæculi, quidam verò ad opera pietatis utuntur: & hi quidem in corvo, illi exprimuntur in columba. Quod verò quadraginta per decem quater ducta complentur, potest in numero [a] dierum quadragenario non immerito divinæ legis impletio, quæ per evangelii gratiam perficitur, intimari. Lex enim in decem præceptis continetur: Evangelii doctrina in quatuor libris descripta est, & aptè post initium decimi mensis, post appa-

A rentia montium cacumina quadraginta dies transeunt, & sic fenestram suam aperiens Noë novæ lucis in arcam patefecit introitum: quia nimirum patefacta fidelibus vita futura quam percepturi sunt, patefacta superbia eorum qui extra Ecclesiam positi de mundana se gloria jactant, etiam hoc patefacit fidelibus suis Christus, quia præcepta legis non viribus humanæ libertatis, sed evangelicæ gratiæ per ipsum debeant munere perfici, qui cùm & hanc fidem atque humilitatem flagitandi in omnibus divini auxilii perceperint; tunc etiam altiora supernæ patriæ dona cognoscere, quasi aperta

B noviter fenestra in arca merentur, sed [b] eamdem donorum cælestium cognitionem, ut diximus, alii ad perniciem suam, alii utuntur ad salutem: unde bene de emisso ex arca corvo subjungitur.

Corvus egressus de arca quos designet.

QUI EGREDIEBATUR ET REVERTEBATUR, DONEC SICCARENTUR AQUÆ SUPER TERRAM. Non ait egressus est & reversus est in arcam; sed *egrediebatur*, inquit, *& revertebatur donec siccarentur aquæ* [c] *super terram*; quia videlicet huc illucque volatu dubio vertebatur, modo abire incipiens, modo ad arcam velut intraturus rediens, nec [d] tamen fenestram unde egressus

C fuerat repetens, sed potius foris vagans usque dum remotis aquis requiem sibi ac sedem extra arcam reperiret: cujus egressui atque itineri rectè comparantur hi qui sacramentis quidem cælestibus instituti atque imbuti sunt, nec [e] tamen nigredinem terrenæ oblectationis exuentes, lata potius mundi itinera, quàm ecclesiasticæ conversationis claustra diligunt.

EMISIT QUOQUE COLUMBAM POST EUM, UT VIDERET SI JAM CESSASSENT AQUÆ SUPER FACIEM TERRÆ: QUÆ CÙM NON INVENISSET UBI REQUIESCERET PES EJUS, REVERSA EST AD EUM IN ARCAM. AQUÆ ENIM

D ERANT SUPER UNIVERSAM TERRAM: EXTENDITQUE MANUM, ET ADPREHENSAM INTULIT IN ARCAM. Columba, ut diximus, spiritalem ac simplicem designat mentem electorum, qui patefacta sibi fenestra supernæ contemplationis, tantò cautiùs quæ in infimis volvuntur omnia spernunt, quantò altiùs ea quæ perpetuò manent gaudia cernunt. Tales namque in exemplum hujus columbæ adeo cuncta sæculi oblectamenta quasi sublimius volando despiciunt, ut ne ultimis quidem suæ mentis vestigiis ea tangere curent, utpote qui nullam sibi in hoc mundo invenire veram requiem

Columba electorum figura.

E possint: cujus & adversa simul & prospera instar aquarum labentium vaga feruntur ac dubia. Non solùm autem hi intra septa Ecclesiæ ipsi manere, sed & alios quantum valent vel exemplo suo vel hortatu in hanc introducere satagunt: unde rectè subditur:

EXPECTATIS AUTEM ULTRA SEPTEM DIEBUS, RURSUM DIMISIT COLUMBAM EX ARCA: AT ILLA VENIT AD VESPERAM PORTANS AD EUM RAMUM OLI-

Ramus olivæ quid significet.

[a] *Al.* quadraginta dierum.
[b] *Al.* eadem... cognitione. *Sed non rarò cum accusativo etiam construitur verbum* utor, *ut apud Ciceronem lib. Academ.* Et quæ à superioribus acceperant, utebantur; *& apud Varronem.* Utile utamur potius quàm ab re abutamur.
[c] *Al. deest* super terram. [d] *Al.* tunc.
[e] *Al.* tunc.

VÆ VIRENTIBUS FOLIIS IN ORE SUO. Ramus enim olivæ foris inventus, [a] & ore columbæ in arcam inlatus typum gerit eorum qui extra Ecclesiam quidem baptisma percipiunt; sed [b] pinguedine caritatis fructuosi, & pia intentione velut foliorum sunt viriditate integri: quorum plurimi posteriore tempore quasi ad vesperam reconciliatione spiritalium virorum velut ore columbæ revocantur ad Ecclesiam, quod bene post septem dies ex quo foris ipsa requiem non invenit columba fecit. Septenarius quippe dierum numerus mysticè luci gratiæ spiritalis solet aptari: quia nimirum viri spiritales postquam à carnalibus desideriis mentem abstrahunt suam, eodem spiritu gratiæ admoniti abstrahere ab his & alios conantur. [c] Potest in columba, quæ aperta post diluvium fenestra ramum olivæ intulit in arcam, etiam hoc præfiguratum intelligi, quod baptizato Domino in Jordane, aperti sunt cæli, & descendit Spiritus-sanctus in specie columbæ super eum, quod accipientibus baptisma singulis Ecclesiæ filiis, ad aperiendam & illis januam regni cælestis imponitur manus à pontifice per unctionem sacrosancti chrismatis, ut accipiant Spiritum sanctum. Cui figuræ congruit aptè quod corvus ante inlationem olivæ [d] per columbam egressus fuerat, nec reversus in arcam, ne videlicet prophetia vel Simonis perfidiam silendo præteriret, qui baptizatus quidem in Ecclesia, sed priusquam per manus impositionem gratiam Sancti Spiritus acciperet, est ab Ecclesia repulsus, eo quòd felle amaritudinis plenus non innocentiam columbinæ simplicitatis, pio sed maligno potiùs in corde corvinam gestaret nigredinem.

Confirmationis sacramentum.

Columba non rediens figura animarum de hoc mundo exeuntium.

INTELLEXIT ERGO NOE QUOD CESSASSENT AQUÆ SUPER TERRAM, EXPECTAVITQUE NIHILOMINUS SEPTEM ALIOS DIES, ET EMISIT COLUMBAM, QUÆ NON EST REVERSA ULTRA AD EUM. Columba quæ, cessantibus aquis, super terram exiit de arca nec rediit, significat exeuntes de hac vita animas sanctorum in liberam lucem patriæ cælestis, neque ultra ad terrenam conversationem remeantes: in qua videlicet patria sicut prophetia evacuabitur, scientia destruetur, linguæ cessabunt; sic & unda [e] baptismi siccabitur; caritas autem numquam [f] cadet, per quam [g] veritas & vita incommutabilis perpetuò præsens videbitur atque laudabitur. Et quia non solùm, ut bona operemur, verùm etiam ut post bona opera ad vitam perveniamus æternam superni est donum muneris, rectè columba non solùm post dies septem exiit, ut surculum olivæ inferret in arcam, sed & adducta oliva post dies septem alios egressa est, ut libero solis & velut novi orbis frueretur aspectu. Gratia enim Dei vita æterna in CHRISTO JESU, & de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia; gratiam videlicet retributionis pro gratia bonæ actionis.

IGITUR SEXCENTESIMO PRIMO ANNO, PRIMO

A MENSE, PRIMO DIE MENSIS [h] IMMUTATÆ SUNT AQUÆ SUPER TERRAM; ET APERIENS TECTUM ARCÆ NOE ASPEXIT, VIDITQUE QUOD EXSICCATA ESSET SUPERFICIES TERRÆ. Tectum arcæ supremam ejus tabulam dicit, dequa prædictum erat, *& in cubito consummabis summitatem*: In quo videlicet tecto unum cubitum longo ac lato ipsum Mediatorem Dei & hominum significari diximus, qui ita membris Ecclesiæ suæ voluit humanitus sociari, ut dignitate suæ potestatis singulariter hanc transcenderet, ac totam ab alto protegeret. Hoc autem tectum, abeunte diluvio, aperuit Noë, quia celebrato baptismi sacramento, singulis fidelium oportet diligentius ex tempore Dominicæ Incarnationis arcana doctorum ore reserari, ut cognitis eis, quæ ille gessit vel docuit in carne, vestigia ejus pro modulo suo imitando sequantur. Et hoc aptissimè primo post sexcentos annos, primo mense, prima die mensis factum esse perhibetur, ut primordium quoque anni, mensis, & diei, novam vitæ spiritalis inchoationem quæ fidelibus esset inchoanda monstraret. Denique idem mensis in lege in quo & Pascha fieri præceptum est, mensis novorum vocatur, ob magnum utique sacramentum innovandæ in Christi passione nostræ vitæ veteris.

MENSE SECUNDO, VIGESIMA SEPTIMA DIE MENSIS AREFACTA EST TERRA. Supra dictum est quòd primo mense inchoante exsiccata esset superficies terræ: & nunc mense secundo pene completo arefacta esse terra describitur: quia nimirum tunc in superficie virentibus herbis tellus exsiccata est, ut posset revirescere, atque herbas, quas absumserat aqua, denuo germinare. Nunc verò in tantum etiam interius arefacta est, ut calcantium gressus sustineret: in tantum herbis vestita florentibus, ut etiam pascendis esset idonea pecoribus ac jumentis.

LOQUUTUS EST AUTEM DEUS AD NOE DICENS: EGREDERE ARCAM TU ET UXOR TUA, FILII TUI ET UXORES FILIORUM TUORUM TECUM: CUNCTA ANIMANTIA QUÆ SUNT APUD TE EX OMNI CARNE, TAM IN VOLATILIBUS, QUAM IN BESTIIS, ET UNIVERSIS REPTILIBUS QUÆ REPTANT SUPER TERRAM EDUC TECUM; ET INGREDIMINI SUPER TERRAM. CRESCITE, ET [i] MULTIPLICAMINI, ET REPLETE EAM. EGRESSUS EST ERGO NOE ET FILII EJUS, & cetera. Multifariam multis modis eadem Christi Ecclesiæ mysteria sæpius iterata significatione repetuntur. Egressio ergo Noë de arca in terram diluvio mundatam cum his quos secum induxerat hominibus & animantibus, illi tempori figurate convenit, cùm quique fidelium fonte baptismatis abluti ad exercenda etiam in publico bona opera, Christo duce, spiritali videlicet Noë procedunt, & continuo virtutum spiritualium augmento crescunt & multiplicantur. *Euntes*, inquit, *in mundum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti*: quod est figuratè dice-

Egressio ex arca mysticè explicata.

Matth. 28, 19.

[a] *Al.* ex ore columbæ intus inlatus. [b] *Al.* in pinguedine. [c] *Al.* Potestque columbâ. [d] *Al.* post. [e] *Al.* baptismatis.

[f] *Al.* cadit. [g] *Al.* via & veritas incommutabilis. [h] *Al.* imminutæ. [i] *Al.* multiplicamini super eam.

re: cuncta animantium genera in arcam aquis diluenda inducire, statimque adjunxit: *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, quasi typicè diceret: Et egressa post diluvium animantia de arca ingrediantur in novam terræ faciem, novis vernantem floribus, [a] ibique multiplicentur & crescant. Quod autem vigesima septima die mensis egrediuntur arcam, qui est numerus ternarius quadratus solidus, ut præfati sumus, significat perfectionem fidei quæ in baptismo consecratur, quod nulla possit ex parte titubare, sed adversus omnes diaboli insidias invicta semper ac stabilis perduret. Notandum quasi juxta litteram, quòd annum solis integrum fuerunt in arca qui septima decima die mensis secundi eam ingressi sunt, & post annum vicesima septima die ejusdem mensis egressi. Si enim hodierna die, verbi gratia, per calendas Apriles esset luna septima decima, sequenti anno pridiè calendarum earumdem vicesima septima esset luna ventura, decursis ex ordine diebus trecentis sexaginta quinque, quibus annus solis expletur. [b] Anno ergo toto erant in arca, id est quo usque sol transcurso circulo signifero per duodecim suos menses omnes mundi plagas inlustraret, ut sicut aqua orbem totum operiens diluebat, ita velut cooperans illi sol eodem temporis spatio totum circuiens orbem luce sui fulgoris inradiaret. Quomodo autem Fons vitæ Dominus, sic & Sol justitiæ solet figuratè vocari. Fons, [c] quia regenerat; Sol, quia nos inluminat, juxta illud Psalmographi: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Et [d] anno solis integro erat Noë cum his quæ salvanda erant per diluvium animantibus & hominibus in arca: quia Dominus per totum hujus sæculi tempus, perque omnes orbis plagas Ecclesiam suam & unda lavacri salutaris abluit, & gratia sui Spiritus inlustrat.

Ibid. 20. — [a] — [b] — [c] — Psal. 35. 10. — [d]

ÆDIFICAVIT AUTEM NOE ALTARE DOMINO, ET TOLLENS DE CUNCTIS PECORIBUS ET VOLUCRIBUS MUNDIS, OBTULIT HOLOCAUSTA SUPER ALTARE. Ut vir justus & verè perfectus in generationibus suis postquam tantæ cladi superfuit, mox ædificato altari, gratias agit Conditori, simul obsecrans ne ultra mundus tali plaga mereatur percuti. Et quia devotè ac piè supplicat, ociùs auditu dignus efficitur. Sequitur enim:

ODORATUSQUE EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS, ET AIT AD EUM: NEQUAQUAM ULTRA MALEDICAM TERRAM PROPTER HOMINES. Dignumque fecit ut vir sanctus & futurorum providus, sicut Abel primæ, ita & ipse initium secundæ mundi ætatis, oblatis Deo sacrificiis, consecraret; quod ipsum & Abraham ac Melchisedech inter initia tertiæ ætatis fecisse memorantur. David etiam rex quartæ patriarcha ætatis hoc ipsum in area Areunæ Jebusæi; Jesus quoque sacerdos magnus, &

Initia ætatum sacrificiis consecrata.

A Zorobabel in principio quintæ ætatis, restaurato altari quod destruxerunt Chaldæi, in eodem loco fecisse referuntur; quæ cuncta figuram prætulere summi Regis ac veri Pontificis nostri, qui initium sextæ ætatis, immo totam sextam ætatem hostia sui corporis & sanguinis in altari sanctæ crucis Deo [e] dicaret: quod autem dicitur quia offerente Noë *odoratus est Dominus odorem suavitatis*, non illum significat odorem [f] suavitatis, qui de accensis exiens hostiis humanas poterat nares delectare; sed illum potius virtutum dicit odorem, qui de purissimo offerentis corde procedens, ad conspectum divinæ majestatis ascendebat;
B qualem in filio suo Jacob Isaac Patriarcha olebat, cùm diceret: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri* [g] *pleni, cui benedixit Dominus*, & de quo Apostolus, *Christi*, inquit, *bonus odor sumus Deo in omni loco*. Juxta mysticos verò sensus aptissimè post diluvium immolat Noë; quia & hic est ordo nostræ in Christo consecrationis, ut primò fonte vitæ lavemur, ac deinde ad sacrum altare Dominicæ oblationis libamine reficiamur: [h] unde dicit Apostolus: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*. Abluti videlicet in baptismo, sanctificati hostia salutari, justificati bonis actibus.
C Possunt autem in holocaustis quæ post diluvium Domino de mundis animantibus oblata sunt, etiam sancti martyres specialiter figurari, qui post lavacrum baptismi non solùm vitæ munditiam servavere, sed & sanguinem suum pro Domino fudere. Holocaustum quippe totum incensum dicitur, quo nomine illa sacrificia nuncupabantur, quæ sacro igni tota solebant absumi, & de quibus nihil in usum cedebat offerentium: unde meritò tales hostiæ martyribus sanctis figuratè conveniunt, qui non in vita tantummodo sua, verùm in morte etiam Deum clarificare meruerunt. Altare au-
D tem in quo hæc holocausta offeruntur, ipsum est cor electorum, à nostro Noë videlicet Christo ædificatum, & igne Spiritus ejus quem misit in terram & voluit vehementer accendi, cælitus imbutum. Et bene multa holocausta, unum verò altare; quia multitudinis credentium erat cor & anima una, nec erat in eis separatio ulla; & Apostolus: *Solliciti*, inquit, *servare unitatem Spiritus in vinculo pacis*. Offeruntur autem holocausta de cunctis pecoribus & volucribus mundis; quia de omni natione, de omni hominum genere, de omni ætate, fideles ad palmam pervenere martyrii. Si quid sane inter
E pecora munda & volucres mundas distare credendum est, in pecoribus in holocaustum oblatis designantur hi qui de communi vita populi Dei sunt martyres effecti; in volucribus verò, illi qui crebro contemplationis volatu cælestia petere soliti, pretiosa insuper sunt morte coronati. Exeunt ergo arcam diluvio ablutam munda simul & immunda animalia sive volatilia: sed de mundis solummodo Domino sa-

[e] — [f] Odor suavitatis qui Deo gratus. — Genes. 27. 27. — [g] — 2. Cor. 2. 15. — [h] — 1. Cor. 6. 11. — Martyrium vel holocaustum. — Eph. 4. 3.

[a] *al.* ubi. [b] *al.* annum ergo totum.
[c] *al.* qui regenerat sol, qui nos inluminat.
[d] *al.* annum solis integrum.
[e] *al.* dedicaret. [f] *al.* deest suavitatis.

[g] *al.* deest pleni.
[h] Antiquum hic Ecclesiæ ritum designat, quo baptisati, de sacro fonte levati, statim Eucharistiæ sacramento participes fiebant, uti demonstravimus in lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus.

crificium

crificium offertur. Ascendunt de lavacro baptismi fideles accepta remissione peccatorum, sed plures ex his ad peccatorum sordes post baptisma redeunt. Alii in accepta vitæ munditia usque ad finem firmum perseverant. Nonnulli tantam perceptæ semel munditiæ curam gerunt, ut etiam animas pro hujus custodia ponant: quia verò munda animalia sive volatilia septena & septena arcam intraverant, constat quia de his quæ paribus superfuerunt holocausta Domino oblata sunt. Et bene septima volatilia sive pecora in hostiam Domini deputata sunt, propter gratiam videlicet Spiritus septiformis, cujus dono præstatur fidelibus non solùm ut credant in Dominum, sed etiam ut patiantur pro illo. Potest etiam rectissimè in pecoribus & volatilibus quæ in septimo numero inventa holocaustum Domini sunt facta, virginum gloria designari, quæ velut impari numero continetur; quia nimirum copulæ conjugalis expers, cœlibem ducere vitam maluit, & quasi in holocaustum Domino offertur, cum neglectis curis & actionibus carnalibus, totam se Conditori per ignem summi amoris consecrat, de quibus in Apocalypsi Johannes ait: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt:* [a] *hi qui sequuntur agnum quocumque abierit: hi emti sunt ab hominibus primitiæ Deo & Agno.* Offerente autem Noë holocausta, odoratus est Dominus odorem suavitatis, quia vel passionem beatorum martyrum vel vitam fidelium virginalem per Christi gratiam sibi consecratam atque oblatam Deus Pater gratanter accipit.

Virginitas holocaustum.

Et ait ad eum: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: sensus enim et [b] cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur ultra percutiam omnem animantem sicut feci. Non se ultra maledicturum terræ, neque omnem animantem percussurum Dominus pollicetur, eo quòd in tantum sint homines ad peccandum proclives, ut etiam si diluvio rursum puniantur, nihilominus transacto illo, denuo sese vitiis ac sceleribus involvant. Ubi intuendum [c] quia etsi sensus humani cordis ab adolescentia ad malum pronus esse perhibetur; ex qua nimirum ætate carnalium in nobis desideriorum solent incentiva generari: non tamen est consequens ut à tempore pubertatis primùm incipiamus peccatis esse obnoxii, quamvis ex tunc ad majora patranda ætas lasciva incitet. Nam & illa divina est sententia [d] quæ dicit: *Grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum*, ipsum videlicet jugum primæ prævaricationis, propter quam omnes in iniquitatibus concepti & in delictis sumus editi, quamvis ab ineunte adolescentia sponte plura addimus eis quibus non nostra sponte, sed paterni merito reatus gravati hanc in lucem venimus; à quibus omnibus non nisi gratia Dei per Jesum Christum liberamur. *Non igitur*, inquit, *ultra percutiam omnem animantem sicut feci*; sed hæc promissio pietatis quo usque pertingat subdendo manifestat cùm [e] dicit:

Homo ad peccandum proclivis.

Eccli. 40. 1.

Cunctis diebus terræ sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies, non requiescent. Cùm enim dixisset *cunctis diebus*, mox addidit *terræ*, ut intelligeres cunctis diebus quibus terra modernum habitura est statum, securos homines ab impetu universalis diluvii esse debere; nec tamen [f] defuturum tempus quando cessante hac labentium rerum vicissitudine quæ annuatim geritur, orbis universus cum animantibus sit igne periturus, Petro attestante, qui ait: *Quia cæli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistens Dei* [g] *verbo, per qua ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cæli autem qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem judicii.* Ubi notandum quia cælos quos vel aqua perditos vel igni perituros dicit, non alios quam turbulentum hunc aërem qui terræ proximus est accipere debemus, à quo volucres cæli, quod in eo volitent, cognominantur. Non enim ætherei aut siderei cæli igne consumendi sunt, sicut nec aqua consumti sunt.

2. Pet. 3. 5.

Benedixitque Deus Noe et filiis ejus et dixit ad eos: Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et terror vester ac tremor sit super cuncta [h] animantia terræ, et super omnes volucres cæli cum universis quæ moventur super terram. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, et omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Patet sensus litteræ quod secundæ ætatis sæculi quomodo & primæ & ceterarum initia benedicantur à Domino. Benedicitur enim Noë cum filiis suis, omnibus scilicet illis qui ejus & carne progeniti, & fide atque obedientia præditi, veraciter se ejus esse filios docent; quod progenies ejus terram implere jubetur, sicut & factum esse constat, quod animalibus terræ cunctis ac volucribus cæli prædicantur homines terrori esse debere, quod hæc una cum piscibus illis edenda conceduntur, [i] quomodo usque ad diluvium olera comedenda acceperunt. Ubi notandum quia terrorem eorum ac tremorem cùm esse super animalia præcipit, profectò esse super homines prohibet. Contra naturam quippe superbire est ab æquali velle timeri; & tamen necesse est, ut rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt. In eo enim quod metum sibi à perversè viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini jacere substrati. Juxta intelligentiam verò spiritalem benedicitur Noë cum filiis suis, Dominus videlicet & Salvator noster cum Apostolis, quos [k] etiam filios appellare dignatus est, dicens: *Non possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus.* Hos

Matth. 9. 15.

[a] *Al.* & sequuntur. [b] *Al.* cognitio.
[c] *al.* qui. [d] *al.* qua dicitur.
[e] *al.* dicitur. [f] *al.* de futuro tempore quo.
[g] *al.* verbum. [h] *al.* animalia.
[i] quo usque. [k] *al.* filios vocare.

crescere ac multiplicari Deus pater toto orbe præcepit, cùm ait discipulis Dominus: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, id est omnibus gentibus. Cuncta namque Domini Salvatoris præcepta, Patris utique præcepta sunt. Ipse etenim dixit: *Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Horum namque [a] dominio cuncta animalia quæ moventur in terra, universas volucres cæli, omnes pisces maris subjecit cum ait: *Quæcumque* [b] *alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in* [c] *cælo.* Animalia [d] quippe, volatilia, pisces diversorum ingeniorum ac morum personas insinuant, quæ cuncta post diluvium filiis Noë dantur in cibum, quia postquam mundo Dominus donum lavacri salutaris attulit, cunctis etiam nationibus hoc ministrari voluit dicens Apostolis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Dantur enim hæc filiis Noë in escam juxta hoc quod Petro ostensis in linteo mystico cunctis quadrupedibus ac reptilibus terræ dicitur: *Surge, Petre, occide, & manduca*; id est extingue gentiles ab hoc quod malè vixerant, veritatem prædicando; & infer in Ecclesiæ membra sacris mysteriis initiando: unde hic quoque rectè subjungitur:

Marc. 16. 14. Joan. 12. 50. Matth. 18. 18. Matth. 28. 19. Act. 10. 13.

EXCEPTO QUOD CARNEM CUM SANGUINE NON COMEDETIS. Sanguine namque carnalia desideria carnalemque sensum meritò designat. Effunditur autem sanguis cùm abrenuntiatur carnalibus inlecebris atque cogitationibus, in quibus male vivebatur, ut possint dicere tales cum Apostolo: *Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus.* Et iterum: *Continuò non adquievi carni & sanguini*: alioquin qui perseverantes quosque in sceleribus pristinis unitati sanctæ ecclesiæ incorporari baptizando incipit, quasi animalia sibi à Domino [e] data cum sanguine comedit: quia in societatem recipit eos quorum adhuc conscientia conversatio prisca velut suffocata tenetur. Ferunt autem quòd in hoc maxima fuerit prævaricatio gigantum; quia cum sanguine carnem comederent; ideoque Dominus illis diluvio extinctis, [f] carne quidem vesci homines concesserit; sed ne id cum sanguine facerent prohibuerit.

Gal. 2. 29. Gal. 1. 16. Gigantum peccatum maximum.

SANGUINEM ENIM ANIMARUM VESTRARUM REQUIRAM DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM, ET DE MANU HOMINIS, DE MANU VIRI ET FRATRIS EJUS REQUIRAM ANIMAM HOMINIS. QUICUMQUE EFFUDERIT HUMANUM SANGUINEM, FUNDETUR SANGUIS [g] IPSIUS. Sanguinem enim animarum typicè [h] dicit ipsum vitale quo vegetantur, & sustentantur, & vivunt homines in carne per animam; sicut etiam manum bestiarum typicè vocat ipsum devorandi effectum, quo hominem occidunt. Quis namque sanum sapiens veraciter sanguinem hominis ad substantiam animæ credat pertinere? quamvis idem legislator alibi manifestiùs dicere videtur: *anima enim omnis carnis in sanguine est.* Sic etenim dictum est hoc quomodo dictum est *Petra autem erat Christus*, non quòd hoc erat, sed quòd hinc significabatur. Non autem frustra lex voluit animam significare per sanguinem; rem scilicet invisibilem per rem visibilem, nisi quòd sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus in nostro corpore plus ceteris humoribus principatur, ita ut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat. Itaque anima quæ omnibus quibus constamus invisibiliter prævalet illo melius significatur, quod omnibus quibus constamus visibilibus prævalet. In promtu est autem intelligere quomodo de manu hominis requirat Deus animam hominis, ultionem expetens ab eo qui peccavit; sed quæri meritò potest quomodo & à bestiis quæ rationis sunt expertes requiratur, nisi fortè mysterium futuræ resurrectionis hic nobis intimatum intelligere valemus quando cuncta generis humani corpora quæ vel à feris comesta vel alio quolibet consumta modo sive corrupta fuerant, incorrupta redduntur, cunctæ animæ hominum quocumque genere mortis separatæ à corpore sua quæque remittuntur in corpora, ut vel vitam pro bonis, vel mortem pro malis meritis in judicio cum eisdem corporibus consequantur æternam. Aptè autem additur:

Levit. 17. 14. Sanguine designatur anima.

QUICUMQUE EFFUDERIT SANGUINEM HUMANUM, FUNDETUR SANGUIS ILLIUS. Quanti effuderunt sanguinem humanum, & sanguis eorum effusus non est. Et alii occiderunt hominem veneno vel suspendio, & tamen cùm homo mortuus sit, non est sanguis effusus: quomodo ergo Dominus effusurus est sanguinem eorum in tali homine, cùm ille qui occidit, sanguinem non effudit, nisi quia sanguis hominis, ut diximus, ipsum vitale ejus quo subsistitit debet intelligi? quod qui effuderit, id est qui aliquo genere mortis hominem occiderit, fundetur sanguis illius, quia peccando vitam perdit æternam. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur.* Cui simile est hoc quod Petro dicitur: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*; ac si aperte diceretur, Omnes qui injustè occidunt hominem, & iidem occisione ipsi in anima pereunt. Aptè autem subditur:

Ezech. 18. 20.

AD IMAGINEM QUIPPE DEI FACTUS EST HOMO. Idcirco namque majoris est sceleris innocentem occidi hominem, quoniam qui hoc facit, non solùm opus quod fecit Deus solvit, sed & imaginem ipsius corrumpit. Idcirco requirit Deus animas hominum à bestiis vel hominibus à quibus fuerant effugatæ de corpore, quia ad imaginem suam fecit hominem in eo quod hunc manere ad æternitatem voluit, neque ad similitudinem animantium cum corporis morte [i] perire; & hujus sacramenti causa carnem cum sanguine non licet comedi, ut ammoneamur hoc præcepto semper, quod ad imaginem Conditoris nostri secundùm animæ substantiam creati sumus, eamdemque in nobis imaginem peccando corrumpere timeamus.

HÆC QUOQUE DIXIT DEUS AD NOE ET

[a] *al.* domino. [b] *al.* ligaveritis. [c] *al.* cælis. [d] *al.* quoque. [e] *al.* donata.

[f] *al.* carnem. [g] *al.* illius. [h] *al.* dicitur. [i] *al.* periisse.

AD FILIOS EJUS CUM EO: ECCE EGO STATUAM PACTUM MEUM VOBISCUM, ET CUM SEMINE VESTRO POST VOS, & cetera usque ad id quod ait: ET NEQUAQUAM INTERFICIETUR ULTRA OMNIS CARO AQUIS DILUVII: NEQUE ERIT DEINCEPS DILUVIUM DISSIPANS TERRAM. Patet litteræ sensus, quia non ultra timendum est mundo judicium aquæ, sed ignis; crebraque repetitione redarguitur ac damnatur hæresis Origenis, qui revolutiones sæculorum infinitorum eodem ordine semper currentium, dogmatizare præsumsit. Mysticè autem non reditura in terram aqua diluvii significat quod aqua baptismi semel accepta non valet repeti: qui enim lotus est, non indiget ut lavet, ut Dominus ipse testatur, quique aquis tribulationum semel abluti ad salutem pervenere perpetuam, nequaquam ultra iisdem aquis purgandi [a] immittuntur, sed læti in æternum suo Redemtori cantabunt: *Transivimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.* Neque verò significatione lavacri salutaris debet contrarium videri quod de aquis diluvii supra dicitur, *nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*; vel quod hic dicitur, *neque erit diluvium deinceps dissipans terram*; cùm aqua baptismi nequaquam maledictionem vel dissipationem nostræ mentis sive carnis; sed benedictionem potius & sospitatem soleat conferre: sed intelligendum quia priscæ nostræ conversationi Dominus quodammodo maledicat in baptismo, & [b] hanc dissipet cùm abrenunciare nos diabolo & omnibus operibus ejus ac [c] pompis præcipiat; ac sic demum [d] nova confessione mundati ad benedictionis æternæ gratiam mereamur adtingere.

Origenis hæresis.

Joan. 13. 10.

Psal. 65. 12.

ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS; ET ERIT SIGNUM FOEDERIS INTER ME ET INTER TERRAM; [e] CUMQUE OBDUXERO NUBIBUS CÆLUM APPAREBIT ARCUS MEUS, ET RECORDABOR FOEDERIS MEI VOBISCUM, ET CUM OMNI ANIMA VIVENTE QUÆ [f] CARNE VEGETAT, ET NON ERUNT ULTRA AQUÆ DILUVII AD DELENDAM UNIVERSAM CARNEM. Arcus in cælo usque hodie quotiens videtur, signum nobis divini fœderis quod non sit ultra terra diluvio perdenda in memoriam reducit: sed & futuri judicii quod per ignem est mundo futurum, si bene consideretur, signum nobis ante oculos prætendit. Neque enim frustra cæruleo simul & rubicundo colore resplendet, nisi quia cæruleo colore aquarum quæ præterierunt, rubicundo flammarum quæ [g] venturæ sunt nobis testimonium perhibet. Aptè autem arcus cælestis, quem irim vocant, in signum divinæ propitiationis ponitur: arcus quippe ille resplendere solet in nubibus, & radiis solis quo roscida inlustratur obscuritas, grata quodammodo confessione respondere. Sol ergo justitiæ Christus est, nubes ab illo inlustratæ Sancti, quorum nomina scripta sunt in cælo, & de quibus Psalmista: *Domine, in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Et apparente arcu in nubibus memor fit promissionis suæ Dominus, ne perdat terram diluvio, quia per intercessiones sanctorum, qui non de suo, sed de ipso lucere sciunt, propitiabitur fidelibus, cùm oculos mentis ad cælestia desideranda sustollunt, ejusque gloriam in præcedentium justorum factis sive dictis seu etiam [h] se sopitis tamquam in ipsius nubibus agnoscunt, eritque arcus in nubibus & videbo illum & recordabor fœderis sempiterni quod factum est inter Deum & inter omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. Humano more dicitur recordari Deus fœderis sui, viso in nubibus arcu, qui propter merita sanctorum, quibus ipso inlustrante gloriosi & cælestes existunt, nostræ fragilitati parcit & miseretur: non autem ipse noviter aliquid recordatur qui nihil umquam potest oblivisci. Memor enim fuit in sæculum testamenti sui, sed nobis tunc recordari videtur fœderis quod nobiscum pepigit, cùm in tribulatione positis auxilium suæ protectionis impendit: unde bene in psalmo ex persona quorumdam adflictorum, quibus tardum videbatur divinæ subsidium [i] pietatis, dicitur: *quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?*

Arcus cælestis quid significet.

Psal. 35. 6.

Psal. 43. 24.

COEPITQUE NOE VIR AGRICOLA EXERCERE TERRAM, ET PLANTAVIT VINEAM, &c. Libet sæpe repetere sermonem Domini, quem dixit Judæis: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Nam & in hac lectione Moyses historiam texens Noë ac filiorum ejus, passionem Domini devotionemque credentium in eum populorum, nec non & fidei contradicentium perfidiam figuratè denuntiat: Noë quippe terram exercens vineam plantavit, quia Dominus curam generis humani gerens, synagogam Judæa in gente constituit: Cujus videlicet vineæ & Psalmista meminit dicens: *Vineam* [k] *ex Ægypto transtulisti*; & Dominus in Evangelio loquens ad Judæos, *homo*, inquit, *plantavit vineam & sepem circumdedit ei*, & cetera usque ad finem parabolæ, ubi ait: *quid ergo faciet Dominus vineæ agricolis illis? Dicunt: malos malè perdet, & vineam locabit aliis agricolis.*

Noë vineam plantans Christi figura.

Joan. 5. 46.

Psal. 79. 9.

Luc. 20. 9.

BIBENSQUE VINUM INEBRIATUS EST, ET NUDATUS IN TABERNACULO SUO. Bibit vinum Dominus cùm calicem passionis accepit. Inebriatus est bibendo, cùm patiendo pro nobis usque ad mortis extrema pervenit. Nudatus est in tabernaculo suo, cùm in populo Judæorum, quem suum fecerat proprium, & in quo jam dudum velut in tabernaculo suo manere consueverat, probra irrisionesque sustinens, ad ultimum crucis patibulum subiit, manifestissimè omnibus patefaciens veritatem substantiæ mortalis quam suscipere dignatus est.

QUOD CUM VIDISSET CHAM PATER CHANAAM, VERENDA SCILICET PATRIS SUI ES-

[a] *Al.* immittantur. [b] *Al.* hæc. [c] *Al.* pompis ejus. [d] *Al.* novæ vitæ confessione. [e] *Al.* cùm obduxero. [f] *Al.* carnem.

[g] *Al.* ventura. [h] *Al.* ne se. [i] *Al.* potestatis. [k] *Al.* de Ægypto.

SE NUDATA; NUNTIAVIT DUOBUS FRATRIBUS SUIS FORAS. AT VERO SEM ET JAFETH PALLIUM IMPOSUERUNT HUMERIS SUIS; ET INCEDENTES RETRORSUM OPERUERUNT VERENDA PATRIS SUI, FACIESQUE EORUM AVERSÆ ERANT, ET PATRIS VIRILIA NON VIDERUNT. Cham qui verenda sui patris [a] nudata conspiciens inrisit, populum Judæorum contradicentem atque incredulum designat, qui passionem Domini & Salvatoris nostri magis habere contemtui periturus, quàm salvandus per eam honorari gaudebat: qui & fratribus suis quæ accidissent patri foras narravit, quia per ipsum manifestatum est, & quodammodo publicatum quod erat in prophetia secretum passionis Dominicæ sacramentum, quoad secundæ generationis donum pervenimus: unde dicit Apostolus: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* (1. Cor. 1. 23.) Porro in duobus filiis maximo & minimo illi sunt figurati, de quibus subsequenter addidit: *Ipsis autem vocatis Judæis & gentibus Christum Dei virtutem & Dei Sapientiam, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus,* [b] *& quod infirmum est Dei fortius est hominibus.* Qui unum idemque ambo sacramentum jam præteritæ atque transactæ Dominicæ passionis quasi unum pallium à tergo portant, & nuditatem patris neque intuentur, quia in Christi [c] necem non consentiunt, & tamen honorant velamento, tamquam scientes unde sint nati, ut essent filii misericordiæ qui fuerant in prima nativitate filii iræ. Medius autem filius, id est populus Judæorum, qui ideo medius est, quia nec primatum apostolorum tenuit, nec ultimus in gentibus credidit, vidit nuditatem patris, quia consensit in [d] necem Christi. Bene autem dicitur de duobus illis quod faciebus aversis verecunda Patris velaverint, velut quibus factum sceleratæ vineæ displicuerit: quæ [e] videlicet vinea, id est gens Judæa quantum à nobilitate paterna [f] degeneraverit, tempore Dominicæ passionis mysticè signatum est, cùm sitienti in cruce Domino acetum pro vino obtulit: sitiebat enim ille fidem ac dilectionem gentis ejusdem, sed illa pro suavitate fidei, ac fervore dilectionis, acredine illum odii atque infidelitatis potavit.

EVIGILANS AUTEM NOE EX VINO, CUM DIDICISSET QUÆ FECERAT EI FILIUS SUUS MINOR, AIT: MALEDICTUS CHANAAM, SERVUS SERVORUM ERIT FRATRIBUS SUIS. Evigilans ex vino Noë progeniem ejus à qua inrisus est maledicit; eos verò qui se ut patrem honoravere benedictione debita remunerat: & Dominus juxta vocem psalmi (Psal. 3. 6.) cùm dormisset in morte, ac resurgeret immortalis, percussit omnes adversantes sibi sine causa, dentesque peccatorum contrivit; super populum verò suum benedictionem perpetuæ salutis profudit. Non solùm autem Chanaam maledictioni, sed etiam servitio fratrum suorum subjicitur. Quid est enim aliud hodie gens ipsa, nisi quædam [g] scriniaria Christianorum, bajulans legem & prophetas ad testimonium adsertionis ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum quod [h] nuntiat illa per litteram. (Judæi Christianorum scrinarii.)

DIXITQUE: BENEDICTUS DOMINUS DEUS SEM: SIT CHANAAM SERVUS EJUS. Diximus in Sem primogenito [i] filio Noë primitivam Ecclesiam quæ ex Israhelitico populo collecta est, in Jafeth minimo filio electionem gentium quæ secuta est esse designatam: unde & rectè dicitur:

BENEDICTUS DOMINUS DEUS SEM. Quamquam enim sit Deus omnium gentium, quodammodo tamen proprio vocabulo & [k] in ipsis jam gentibus dicitur Deus Israël: & unde hoc factum est, nisi ex benedictione Jafeth? In populo enim gentium orbem terrarum occupavit Ecclesia. Hoc prorsus [l] prænunciatur cùm dicitur subsequenter.

DILATET DEUS JAFETH, ET HABITET IN TABERNACULIS SEM. In tabernaculis quippe Sem [m] habitat Jafeth, quia in fide patriarcharum & prophetarum, in scripturis propheticis, in sacramentis legalibus spiritaliter intellectis peregrinatur Ecclesia in terris. Tabernaculis namque in bello vel itinere uti solemus, & in tabernaculis Israëlitici populi nos, qui de gentibus ad Christum venimus, habitamus, quia nimirum quamdiu in hujus vitæ via positi cælestem patriam suspiramus, quamdiu contra insidias antiqui hostis, Christo duce atque adjutore, certamus, necesse est, ut semper antiquorum patrum dicta pariter & facta & opera in exemplum vitæ & professionis teneamus: quatenus horum auctoritate protecti, certiùs ac securiùs ad palmam remunerationis perfecto agone tendamus. Congruit autem profectibus Sanctæ Ecclesiæ, quibus orbem implevit totum, etiam nomen Jafeth, quod Latitudo dicitur: unde adludens ad nomen ipsum dicit Noë *Dilatet Deus Jafeth*, id est [n] latitudinem. Bene [o] autem quod dictum fuerat de Sem repetitur & de Jafeth, *Sitque Chanaam servus ejus*; quia nimirum utroque populo credentium Judæi perfidi, quamvis impia mente, salutis præbent obsequium, non solùm in eo [p] quod auctoritate sacrorum voluminum eos juvant, atque in fide conroborant: verùm etiam in illo quod eos quantum valent insequuntur; quia videlicet insequendo propter justitiam, altiùs eos participes æternæ beatitudinis reddunt, nec non & in eo quod offensa sua duritia cæcitatis, majores gratias illos suo Redemtori atque Inlustratori reddere monent. Cui nimirum populo nomen Chanaam, quod interpretatur Commotio, aptissimè convenit.

[a] *Al. deest* nudata.
[b] *Al. deest* & quod infirmum est Dei fortius est hominibus.
[c] *Al.* nece. [d] *Al.* nece.
[e] *Al. deest* videlicet. [f] *Al.* degenerat.
[g] Hæc verba desumsit Beda ex S. Augustino lib. 12. contra Faustum cap. 23. Similia habet in Psalmum 40. n. 14. & in Psalmum 56. n. 9. & alibi passim.
[h] *Al. deest* nuntiat. [i] *Al. deest* filio.
[k] *Al.* ipsis.
[l] *Al.* prænuntiabatur cùm diceretur.
[m] *Al.* habitet. [n] *Al.* latitudine.
[o] *Al. deest* autem.
[p] *Al.* pro auctoritate.

Psal. 39. 3. Non enim potest dicere: *Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos*; sed incertus & fluctuans semper in motu est. Notandum autem etiam juxta sensum litteræ quòd non frustra Cham peccante, non ipse, sed filius ejus Chanaam maledicitur: maximè cùm non ipse primogenitus Cham, sed ultimus esset filius. Scriptum quippe est: *Filii Cham, Chus, Saba, & Mesraim, & Futh, & Chanaam.* Prævidebat enim pariter in spiritu quòd progenies Chanaam ampliùs multò quàm cetera stirps filiorum Cham esset peccatura, ideoque digna futura, quæ vel maledictione periret, vel servitio subacta gemeret; quod Sodomorum maximè qui de genere Chanaam exiere vel scelere nefando, vel horrenda ultione probatum est ostensum, & exterminio sive servitio Chananæorum, quod, egressa de Ægypto plebe Israëlitica, quæ de stirpe Sem descenderat, perpessi sunt. De Chus namque Æthiopes, de Mesraim Ægyptii, de Futh orti sunt Lybies, quod ipsa earumdem gentium apud Hebræos usque hodie vocabula testantur, de quibus omnino nihil talis flagitii vel vindictæ, quale de Sodomitis & Chananæis scriptura refert.

Cur Cham peccante, non ipse, sed filius Chanaam maledicatur.

Dilatavit quoque Deus Jafeth, ut habitaret in tabernaculis Sem, & esset Chanaam servus ejus, cùm Græci sive Romani, exorti utique de genere Jafeth, regna Asiæ, in quibus posteri Sem habitabant, possiderent, & inter alia Chananæos quoque sibi tributarios facerent.

Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis, et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est. Sicut sexcenti anni vitæ Noë, quibus exactis arcam intravit, perfectionem designant fidei ac professionis eorum, qui gratiæ cælestis & perpetuæ mercedis Ecclesiæ sacramenta subeunt, ut supra docuimus; sic etiam trecenti & quinquaginta anni quibus post diluvium vixit, magnam eorum perfectionem figurant, qui perceptis vitæ sacramentis fideliter Domino ad mortem usque deserviunt. Diximus enim quod trecenti, quia per Tau litteram græcè notantur, (Tau vero in [a] figura crucis scribitur,) illorum aptissimè typum gerant, qui nesciunt gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: unde & Gedeon, Domino jubente simul ac juvante, cum trecentis viris innumerabilem Madianitarum superavit exercitum, docens figuratè, quod fide Dominicæ crucis adversantia nobis & mundi hujus & vitiorum nostrorum essemus bella victuri. Quinquagenarius vero numerus, [b] quia per figuram designet requiem legis scriptura docet, quæ anno semper quinquagesimo universum Dei populum maximam habere remissionem laborum omnium ac servitiorum libertatem sanxit. Ideoque certi gratia mysterii Noë post diluvium trecentis quinquaginta annis vixit, ut insinuaret nos, accepto baptismi lavacro, labores pro Domino sustinere in spe supernæ quietis ac felicitatis debere. Vixit enim trecentis annis, ut simus in tribulatione patientes: vixit & quinquaginta, ut simus & spe gaudentes. Verum quia septies quinquageni faciunt trecentos quinquaginta; septenarius autem numerus gratiæ Sancti Spiritus, quinquagenarius veræ requiei, quæ per eumdem Spiritum electis tribuitur, typicè congruit. Possumus & ita numeri hujus sacramentum interpretari, quod ille qui post diluvium trecentis quinquaginta annis vivat, qui toto tempore accepti baptismatis adjutus [c] dono spiritali, pro æterna in [d] cælis requie laborare non cessat, felixque mortem videbit carnis: immo de morte transiet ad vitam, quæ sola vera est vita dicenda, qui cursum vitæ præsentis tali perfectionis summa compleverit. Amen.

[e] *Explicit liber secundus in Genesi Bedæ Presbyteri.*

INCIPIT LIBER TERTIUS
in Genesi Bedæ Presbyteri.

Hæ generationes [f] filiorum Noe. Sem, Cham, et Jafeth: natique sunt eis filii post diluvium. Filii Jafeth, Gomer, et Magog, et Madai, Javan, et Thubal et Mosoch et [g] Thiras. Series stirpis Noë à minimo ejus filio incipit, & in maximo completur, quæ scripturis sanctis est usitata locutio, mysticè significans quòd minor populus gentium Christo in carne veniente præferendus esset in fide majori populo Judæorum. Filii autem filiorum Noë qui commemorantur, creduntur singuli singularum gentium progenitores extitisse, qui ita inter se orbem diviserunt, ut Sem primogenitus Asiam obstineret, & Cham secundus Africam, Jafeth ultimus Europam: ita dumtaxat ut, quia major est multò Asia terrarum situ quàm Europa vel Lybia, progenies Cham & Jafeth etiam nonnullam in Asia portionem teneret. De Jafeth ergo septem filii nati sunt qui possederunt terram in Asia [h] ab Amano & Tauro Syriæ [i] Coëlis & Cyliciæ montibus, usque ad fluvium [k] Tanaïm. In Europa vero usque ad Gadira, nomina locis & gentibus relinquentes, ex quibus postea immutata sunt nomina plurima, & cetera permanent ut fuerunt. Sunt autem *Gomer* Galatæ, *Magog* Scythæ, *Madai* Medi, *Javan*, Jones, qui & Græci, unde & mare Jonium, *Thubal* Hiberi, qui & Hispani ab Hibero flumine hoc vocabulo nuncupati, è quibus Celtiberi, licet quidam Italos suspicentur; *Mosoch* Cappadoces, unde & urbs apud eos usque hodie [l] Mazecha dicitur, quæ & Cæsarea ab Augusto Cæsare dicta est. Porro septuaginta Interpretes *Capturim* Cappadoces arbitrantur, *Thiras* Thraces, quorum non satis immutatum vocabulum est.

Filii Noë quas orbis partes occupaverint.

Hieron. Quæst. in Genesim.

[a] *Al.* figuram. [b] *Al.* quia figuram designet.
[c] *Al.* de oleo spiritali *nec forte male.*
[d] *Al* ecclesiis.
[e] *Al.* explicit liber secundus. Incipit liber tertius Hexameron Bedæ presbyteri. *In alio nullus extat titulus.*
[f] *Al. deest* filiorum. [g] *Al.* Chiras.
[h] *Al.* Ab Amar. [i] *Al.* Coeles.
[k] *Al.* Fanaum. *Al.* Tanau. [l] *Al.* Magica.

PORRÒ FILII GOMER ASCHENEZ ET [a] RIPHATH ET THOGORMA. *Aſchenez* Sarmatæ quos Græci Riginos vocant. *Riſath* Paflagones, *Thogorma* Phryges.

FILII AUTEM JAVAN ELISA ET TARCIS, CETHIM ET DODANIM. De Jonibus id eſt Græcis naſcuntur Eliſæ, qui vocantur Elides, unde & quinta lingua Græciæ Eolis appellatur, quam illi penten dialecton vocant. *Tharſes* Joſephus Cilicas arbitratur, *Thar* adſpirationis litteram vitioſè à poſteris in *Tar* dicens fuiſſe corruptam: unde & metropolis eorum civitas [b] Tarſis appellatur, Paulo apoſtolo glorioſa. [c] (Nonnulli Tharſis unde aurum Salomoni deferebatur Indiæ putant eſſe regionem.) *Cethim* [d] Cethi à quibus uſque hodie urbs [e] Cyptotium nominatur. [f] *Dodanim* Rhodii, melius enim legitur Rodanim ſive Rodim, ut ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt, & in libro Hebræorum nominum etiam noſter interpres poſuit. Similitudo enim litterarum *Daleth* & *Res* hunc apud Hebræos ſæpe facit errorem, ut alia legatur pro alia. Eſt autem Hrodus Cycladatum maxima, & in Jonio mari quondam urbs potentiſſima, navalique certamine glorioſa, & propter tutiſſimum portum mercatorum omnium receptaculum.

AB HIS DIVISÆ SUNT INSULÆ GENTIUM IN REGIONIBUS SUIS UNUSQUISQUE SECUNDUM LINGUAM [g] SUAM ET FAMILIAM IN NATIONIBUS SUIS. Legamus [h] antiquorum hiſtorias, & videbimus omnes pene inſulas, & totius orbis littora, terraſque mari vicinas, [i] à Græcis accolis occupatas, qui, ut ſupra diximus, ab Amano & Tauro montibus omnia maritima loca uſque ad oceanum poſſidere Britannicum. Dum vero dicitur *unuſquiſque ſecundùm linguam & familiam in nationibus ſuis*, liquido oſtenditur, quia juxta opinionem vulgatam ſinguli qui hic commemorantur filii Noë, vel nepotes filiorum Noë, ſingulas gentes ſive cognationes diverſarum fecere linguarum. Nam eadem ſententia, enumerata quoque ſtirpe Cham ſive Sem, de varietate generationum linguarumque ſubinſertur.

Hier. quæſt. in Geneſ.

FILII AUTEM CHAM: CHUS, ET MISRAIM, ET FUTH ET CHANAAN. *Chus* hodieque ab Hebræis Æthiopia nuncupatur, *Meſraim* Ægyptus, *Futh* Lybies, à quo & Mauritaniæ fluvius uſque in preſens Futh dicitur, omniſque circa eum regio Futhenſis. Porro Chanaam obtinuit terram quam Judæi deinceps poſſederunt ejectis Chananæis.

Hier. quæſt. in Geneſ.

FILII CHUS: SABA, ET HEVILA, ET SABATHA, (k) ET RECMA ET SABATACA. *Saba* à quo Sabæi. Virgilius *ſolis eſt*, inquit, *thurea virga Sabæis*. [l] *Centúmque Sabæo thure calent aræ*. *Hevila* àquo Getuli in parte remotioris Africæ eremo coherentes. *Sabatha* à quo Sabathani, qui nunc Aſtabari nuncupantur. *Recma* verò & *Sabatbacha* paulatim antiqua vocabula perdidere; & quæ nunc pro veteribus habeant [m] ignorantur. Attamen ex eo quod in viſione Tyri dicit Hiezechiel venditores Saba & Recma, ſive ut LXX. Interpretes dixerunt Regma ipſi negotiatores tui, videtur etiam ille ſuam gentem feciſſe, & quia jungitur Saba vicinam provinciæ huic ejus eſſe regionem.

FILII SABA RECMA ET [n] DADAN. Hic Saba per *Sin* litteram ſcribitur, ſupra verò per *Samech*, à quo diximus appellatos Sabæos. Interpretatur ergo nunc Saba Arabia. Nam in ſeptuageſimo pſalmo, ubi nos habemus *Reges Arabum & Saba munera offerent*, in Hebræo ſcriptum eſt *Reges Saba & Saba*, primum nomen per *Sin*, ſecundum per *Samech* [o] (quæ noſtræ litteræ ſimilis eſt.) Dadan gens eſt Æthiopiæ in occidentali plaga.

Pſal. 71. 10.

PORRO CHUS GENUIT NEMROD. IPSE COEPIT ESSE POTENS IN TERRA, ET ERAT ROBUSTUS VENATOR CORAM DOMINO. Progenie Sem & Jafeth in vitæ ſimplicitatis innocentia [p] permanente, naſcitur de ſtirpe Cham [q] maledictus qui ſtatum humanæ converſationis novo vivendi genere perverteret, dum ſingulari potentia elatus, primùm venatu viveret; dein collecto exercitu inſolitam in populos tyrannidem ſtuduit exercere; denique in ſequentibus regnum habuiſſe & civitates maximas ædificaſſe legitur: quod quia primus ipſe fecerit teſtatur ſcriptura quæ ait: *ipſe cœpit eſſe potens*. Cœpit enim, quia primus fecit. Potens autem erat in terra, quia neglectis cæleſtibus, in quo juſti ſunt potentes, infima quærere, & in his ſpem ponere didicit.

Nemrod primus regnum habuit & civitates ædificavit.

AB HOC EXIVIT PROVERBIUM QUASI NEMROD ROBUSTUS VENATOR CORAM DOMINO. Ideo in proverbium verſa, quia inſolita ſæculis ejus facta fuere: quod verò additur *coram Domino*, exagerandi facinoris cauſa eſt, quia videlicet ſatis temerarium fuerit & ſuperbum, ut coram Domino, qui de cælo proſpicit ſuper filios hominum, taliter vivere homo in terra preſumeret; exquo nimirum proverbio patet, quia multi tempore illo fuere, qui talia facere metu ſuperni reſpectus vitabant: quamvis alia Editio habet *quia Nemrod Gigans venator contra Dominum*. Ex ambiguo quippe græco, quod eſt *enantion*, utrumque poteſt interpretari. Denique in pſalmo ubi canimus *ploremus coram Domino qui fecit nos*, hoc verbum eſt *enantion Cyrium*. Hoc & in libro Job, ubi ſcriptum eſt, *in furorem erupiſti contra Dominum*. Facilis ergo patet intellectus de Gigante, quia robuſtus fuerit venator brutorum animalium, quaſi homo potens; ſed [r] quia homo impius, contra voluntatem Conditoris vitam duxerit ſuperbam.

Pſal. 94. 6.

FUIT AUTEM PRINCIPIUM REGNI EJUS BABYLON, ET ARACH, ET [s] ARCHAD, ET CHALANNE IN TERRA SENNAAR. In ſe-

[a] *Al.* Niphath. [b] *Al.* Tarſus.
[c] Incluſa parentheſi deſiderantur apud S. Hieronymum.
[d] *Al.* Cethii. [e] *Al.* Cyprocitium. *Al.* & Ipſo citium. [f] *Al.* Donanim. [g] *al. deeſt* ſuam.
[h] Scilicet *Varronis de antiquitatibus libros*, *& Sinii Capitonis*, *& Græcum Phlegonta*, *ceteroſque eruditos viros*, ut habet Hieronymus. [i] *Al.* græcis. [k] *Al.* Recina.
[l] Adde *& alibi* ut apud Hieronymum.
[m] *Al.* ignoratur. (n) *Al.* Dadanus. *al.* Dodanim.
(o) *Incluſa parentheſi deſiderantur apud Hieronym.*
(p) *al.* permanentibus. (q) *al.* maledicta.
(r) *al.* quaſi. (s) *al.* Achad.

quentibus quomodo sit facta Babylon plenius intimatur: sed hic præmittitur quod ibi reticetur, quia civitas illius & turris superbissimæ Nemrod auctor extiterit. Principium autem regni ejus fuit Babylon, quia vel prima civitatum ejus condita vel metropolis regni illius pro sui magnitudine ac decore est habita. [a] Arach vero ipsa est quæ nunc Edissa [b] Archad quæ nunc [c] Nisibis civitas Mesopotamiæ. Chalahne quæ nunc Seleucia à Seleucó rege, vel certè quæ nunc [d] & Ession appellatur. Quod autem additur *in terra Sennaar*, ad omnes easdem quatuor videtur pertinere civitates. Sennaar quippe tantæ latitudinis esse campus perhibetur, [e] quæ & ipsam Babylonem, & alias urbes non paucas facillimè caperet. Quià verò Babylon cum civitatibus, quarum caput est, superbam hujus mundi gloriam, quæ confusioni obnoxia est, designat; Babel enim confusio dicitur, rectè conditor ejus ipsum malorum omnium caput diabolum figuratè denuntiat: cui etiam Nemrod vocabulum, quod tyrannum vel profugum vel transgressorem sonat, aptè congruit. Tyrannus est enim quia contra conditorem rebellans arcem divinitatis ac regnum orbis obtinere contendit. Profugus est, quia de cælo lapsus, & à persistentium in suo statu angelorum societate dejectus, miser nimis exultat. Transgressor, quia voluntati auctoris obedire contemsit, cui persona quoque venatoris non immeritò aptatur: ponit namque in sylva hujus mundi suarum pedicas insidiarum, atque homines sua natura & ingenio mundos [f] quasi cervos & capreas decipiendo venatur ad mortem: contrarius nimirum illis venatoribus, qui animas hominum ob id sua doctrina capere quærunt, ut ad vitam æternam pertrahant: quibus Dominus loquitur: *Venite*, inquiens, *post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*: quorum ob id patria Bethsaida, id est Domus venatorum dicta est: quoniam homines erant venaturi ad vitam. Est autem Nemrod filius Chus, quod interpretatur [g] Æthiops: quia nimirum antiquus hostis semper de obscuro perfidorum populo per exsecutionem doctrinæ sive operationis nequam quasi recens nascitur.

(Margin: Babylon prima civitas. — Hieron. quæst. in Gen. — Matth. 4. 19.)

A QUO ET USQUE HODIE MANET PROVERBIUM, UT DICATUR QUASI NEMROD ROBUSTUS VENATOR CORAM DOMINO. Cùm imitantibus diabolum his qui sunt ex parte illius dici [h] possit verissimè, quia tales cùm animas hominum suo vel verbo vel exemplo venantur ad interitum, antiqui transgressoris ac deceptoris facta sequantur.

DE TERRA ILLA EGRESSUS EST ASSUR, ET ÆDIFICAVIT NINIVEN, ET PLATEAS CIVITATIS. De terra illa, de terra Sennaar dicit, de qua Assyriorum pullulavit imperium, qui ex nomine Nini Beli filii Ninum condiderunt urbem magnam, quam Hebræi appellant Niniven. Sanè quia tacere videtur scriptura unde Assur ortus sit, à quo Assyriorum gens nasceretur; sed tantùm de qua terra exierit ad construendam Niniven, vel alias quas commemorat civitates dicere; nonnulli patrum intellexerunt, hunc esse Assur filium Sem, de quo in sequentibus legitur. Sed sive idem, sive alius Assur fuerit, constat quia primum in terra regnum Babyloniorum, secundum Assyriorum, quorum metropolis erat Ninive de eadem terra prodeuntium, fuerit.

AT VERO MESRAIM GENUIT LUDIM, ET ANAMIM, ET LAABIM [i] NEPTHUHIM, ET FETHUSIM, ET CHESLUIM; DE QUIBUS EGRESSI SUNT PHILISTIM ET CAPTURIM. Magis hæc gentium quàm hominum singulorum videntur esse vocabula, cùm dictum sit manifestè *& Chesluim de quibus egressi sunt Philistim*. Nam & cuncta in *im* desinunt; quod est proprium numeri pluralis apud Hebræos in genere masculino, sed & interpretata pluralem magis numerum quàm singularem significant. Sunt autem Laabim Lybies, Philistim Palæstini, Capthurim Cappadoces, ut in libro nominum Hebræorum juxta opinionem septuaginta Interpretum positum invenimus. Ceterarum quæ nunc habeantur ignota sunt nobis Gentium vocabula. Possederunt autem terram à Gaza usque ad terminos & fines Ægypti.

CHANAAM AUTEM GENUIT SIDONEM PRIMOGENITUM SUUM, ETHÆUM, ET JEBUSÆUM, ET AMORRÆUM, GERGESÆUM, EVÆUM ET ARACHÆUM, SINÆUM, ET ARADIUM, SAMARITEN, ET AMATHÆUM. A Sydone primogenito Chanaan urbs in Phœnice insignis Sidon vocatur, olim terminus Chananæorum ad aquilonem. Arachæus Arcas condidit, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani situm, à quo haud procul alia civitas fuit nomine [k] Sim, quæ postea vario eventu bellorum eversa nomen tantummodo loco pristinum reservavit. [l] Aradii sunt qui Aradum insulam possederunt angusto [m] freto à Phœnicis littore separatam: quæ videlicet insula in vicinia Tyri posita, tuta esse civitas, & contra se positum oppidum [n] Antaradum habere usque hodie cernitur. *Samari* [o] Emissa nobilis Syriæ civitas. Æmath usque ad [p] nostrum tempus tam ab Assyriis quam ab Hebræis, ita ut apud veteres dicta fuerat appellatur. Hanc Macedones, qui post Alexandrum in Oriente regnaverunt Æpiphaniam nuncupaverunt, nonnulli Antiochiam ita appellatam putant. Revera autem duæ fuere Emath civitates; una Æmath magna, quæ nunc Antiochia nominatur, magna autem ad distinctionem minoris Emath, quæ appellatur Epiphania, in qua à Nabugodonosor oculi Sedechiæ excæcati sunt.

(Margin: Hieron. quæst. in Gen.)

FACTIQUE SUNT TERMINI CHANAAM VENIENTIBUS A SYDONE GERARAM USQUE GAZAM DONEC INGREDIARIS SODOMAM, ET GOMORRAM, ET ADAMAM,

[a] *Al.* Arcah. [b] *Al.* Achad.
[c] *Al.* Nisibi, *al.* Nisibins.
[d] *Al.* & Issson, *al.* Ession. *Lege ut apud Hieronymum* ἀτησιφῶν.

[e] *Al.* quo. [f] *Al.* quos. [g] *Al.* Æthos,
[h] *al.* potest. [i] *al.* Nephtum. [k] *al.* Sini.
[l] *al.* Aradi. [m] *al.* fretu [n] *al.* Amaradum.
[o] *Apud S. Hieronymum*, Edessa. [p] *al.* ipsum tempus.

ET SEBOIM USQUE [a] LESA. Pro Lesa antiqua Translatio habet Lice. Ipsa est autem quæ nunc [b] Callirhoë dicitur, ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare mortuum defluunt. Sidon ergo erat terminus Chananæorum, ad Aquilonem [c] Gerara, ad meridiem Gaza juxta Ægyptum.

DE SEM QUOQUE NATI SUNT [d] PATRES OMNIUM FILIORUM HEBER FRATRE JAFETH MAJORE. Fratrem Jafeth dicit, fratrem vero Cham eum esse reticet, quia quos in fide pietatis unanimes novit, [e] eos jure fratres vocandos intelligit; perfidum verò quamvis eisdem parentibus natum à fraterna justorum societate demonstrat alienum. Videtur autem hac sententia designari quòd cùm multi de Sem nati filii multos populos procreaverint, illa tamen progenies specialius ejus sit fidem ac pietatem secuta, quæ per Heber ad Abraham ac populum descendit Hebræorum: unde & ipsorum propriè, id est omnium filiorum Heber pater appellatur. Denique soli in constructione turris, ut scriptura dicit, labio universæ terræ in domo Heber, qui illa ætate fuit, ut in sequentibus legitur, prima humani generis loquela remansit, quod nomina sequentis ævi hominum Hebræa manifestè probant, illo ut credendum est merito, quia fidem proavi Sem cum sua domo secutus, à conjuratione superbi operis se se immunem servaverit. Neque enim frustra Abraham Hebræus appellari elegit; sed quia hujus Seth vitam imitari noverat, hujus vocabulum & sibi habere cognomen & suis in posterum relinquere voluit.

Hebræa lingua omnium prima.

FILII SEM: ÆLAM, ET ARPHAXAT, ET LUD, ET ARAM. Hi ab Eufrate fluvio partem [f] Asiæ usque ad Indicum Oceanum tenent. Est autem Ælam à quo Ælamitæ principes Persidis. De Assur ante jam dictum est, quòd Ninom urbem condiderit. Arphaxat à quo Chaldæi. Lud à quo Lydia. Aram à quo Syri, quorum Metropolis est Damascus. Nam hebræo sermone Syria dicitur Aram.

Hier. quæst. in Genes.

FILII ARAM: HUS, ET UL, ET GETHER, ET MES. Hus Traconytidis & Damasci conditor inter Palæstinam & [g] Coëles Syriam tenuit principatum. Ul à quo Armenii. Gether à quo [h] Arcannii, sive Carii. Porro Mes pro quo Septuaginta Interpretes Mosach dixerunt, qui vocantur Meones.

AT VERÒ ARPHAXAT GENUIT [i] SALA, DE QUO ORTUS EST HEBER. Ab hoc Heber & Abraham & populus ex eo natus, ut præfati sumus, Hebræus cognominatur.

NATIQUE SUNT HEBER FILII DUO: NOMEN UNI FALEG, EO QUOD IN DIEBUS EJUS DIVISA SIT TERRA, ET NOMEN FRATRIS EJUS JECTAN. Divisionem terræ eam dicit, quæ in confusione linguarum facta est. Vocavit [k] filium Faleg, id est, Divisionem, ut perpetuam in hoc posteris suis memoriam suæ devotionis relinqueret, quia nimirum divisis ob superbiam linguis perfidorum; ipse merito fidei primitivam generis humani loquelam servaverit.

[l] QUI JECTAN GENUIT HELMODAD, ET SALEPH, ET ASARMOTH, JARE ET ADURAM ET UZAL DECHA, ET EBAL, ET ABIMAEL, SABA ET OPHIR, ET EVILA, ET JOBAB. Omnes isti filii Jectan. Harum gentium posteriora nomina Hieronymus se invenire non potuisse testatur. Sed usque in præsens, inquit, quia procul à nobis sunt, vel ita vocantur, ut primùm: vel quæ immutata sunt ignorantur. Legimus autem supra quia Fison unus de quatuor paradisi fluminibus, quem nostri Gangen vocant, & esse in India non dubitatur, circumeat omnem terram Evilath; quæ videlicet terra ab hoc Evila nomen accepisse videtur. Narrat enim eum Josephus cum fratribus suis à fluvio [m] Coephere omnem Indiæ regionem, quæ vocatur [n] Hieira possedisse, sed & Verba dierum narrant, quia servi Salomonis per mare rubrum [o] abierunt in Ophir, & adtulerunt inde aurum, & ligna thina, & gemmas pretiosissimas, quæ esse Indiæ regio, & ab Ophir filio Jectan vocabulum traxisse credibile est.

Quæst. in Gen.

OMNES ISTI FILII JECTAN. ET FACTA EST HABITATIO EORUM DE MESSA [p] PERGENTIBUS USQUE SEPHAR MONTEM ORIENTALEM. Diximus supra quia Sem primogenitus Noë credentes ex antiquo Dei populo, Jafeth credentes ex gentibus significet; Cham verecundiam patris [q] deridens, & ob hoc maledictus, illam ejusdem populi partem [r] insinuet, quæ velut in medio remanens, nec prius cum suis contribulibus, nec postmodum voluit cum gentibus fidei socius existere. Horum ergo figuris & loca habitationum aptissimè congruunt: filii quippe Heber qui præeminentissimus posterorum Sem ostenditur, habitationem de Messa usque ad montem Orientalem, qui vocatur Sephar, extendisse perhibentur. Messa est autem Indiæ regio quæ interpretata dicitur Elatio, quæ non vituperabilem ac superbam, sed illam magis [s] extollentiam mentis significat, ad quam nos hortatur Apostolus dicens: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, [t] ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Mons verò Orientalis quis, nisi ille est, de quo Esaias dicit: *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob?* qui rectè mons vocatur, quia omnes ad se ascendentes ab infimorum appetitu ad cælestia [u] desideranda sustollit. Rectè Orientalis mons, quia cunctis ad se confluentibus exortum veræ lucis aperit. Rectè etiam Sephar, id est Liber cognominatur. Ipse est

Colos. 3. 1.

Isa. 2. 3.

[a] *Al.* Sela. Pro Sela.
[b] Ita legit S. Hieronymus, codices verò nostri variè hoc vocabulum enunciant. Al. *Callir-Noë*, al. *Caltur-Noë*, al. *Calliso hoë*.
[c] *Al.* Genera. [d] *Al.* patre.
[e] *Al.* veros fratres. [f] *Al.* Syriæ.
[g] *Al.* Coëlen, *al.* Coële. [h] *Al.* Arnanii. *Al.* Acarcannii. [i] *Al.* Sale.
[k] *Al.* eum filium. [l] *Unus Corb.* Sceleps qui genuit Jectan. [m] *Al.* Cophere. [n] *Al.* Ehira, *al.* Hieric.
[o] *al.* abierint ... & attulerint.
[p] *al.* pergentium. [q] *al.* designans.
[r] *al.* insinuat. [s] *al.* extolerantiam.
[t] *al.* in dexteram. [u] *al.* desideria.

est enim liber vitæ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, in quo electorum omnium nomina conscripta sunt. Facta est ergo habitatio filiorum Jectan, qui interpretatur Parvulus, de Messa, id est Elatione [a] pergentibus usque ad montem [b] Orientalem, qui vocatur Liber: quia sancti quique priorum justorum humilitatem sequentes, de quibus dicitur, *Custodiens parvulos Dominus*, in principio religiosæ conversationis mentem à terrenis contagiis sublevant, ut ad videndam æterni Solis claritatem ascendere mereantur, & de ipso libro vitæ, [c] qui est Dominus Christus, patefactis æternæ sapientiæ paginis, instrui. Similiter de filiis Jafeth quod dicitur *ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis*, nonne manifestissimè etiam ipso nomine gentium per orbem Ecclesias indicat, quæ sicut insulæ fluctibus maris, ita tumidis amarisque sæculi procellis continuè pulsantur, nec tamen superantur: & nunc quidem blandiente mundo quasi lenibus [d] labuntur undis, nunc sæviente velut in altum elatis adversitatum fluctibus feriuntur; sed in suæ statu fidei nihilominus invincibiles perdurant? At contra filii Cham principium regni habent in Babylone, id est Confusione, quæ est in terra Sennaar, id est fetoris eorum: & hoc in campo, quia neque montem contemplationis, qua superna inquirant, ascendunt reprobi; neque tranquillitatem intellectualium adeunt insularum, per quam labentis sæculi curas altiori animi libertate transcendant.: sed in concupiscentiis tantùm terrestribus [e] effrenata gaudent petulantia circumferri: quo nimirum principio condignus sequitur finis, dum dicitur, quia *facti sunt termini Canaan venientibus à Sydone Geraram usque Gazam donec ingrediaris Sodomam & Gomorram &* [f] *Adamam & Seboim usque Lesa*. Sidon quippe Venatio mœroris dicitur: quia non alia hoc in loco debet intelligi quàm ea per quam hostis antiquus animas venatur ad interitum: unde meritò Venatio mœroris vocatur, quia omnes quos ceperit, æternis doloribus subjicit: qualem [g] Nemrod utique Gigans, qui Robustus venator contra Dominum appellatur, significat. De Sodoma & Gomorra & finitimis civitatibus nulli dubium quin sempiterna impiorum tormenta portendant.

Hæ familiæ Noe juxta populos et nationes suas: Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium. Recenseat diligens lector ex ordine nomina hominum sive populorum qui ex tribus filiis nati esse perhibentur, & [h] invenientur numero LXX. & unum: XIII. videlicet de Jafeth, XXXI. de Cham, XXVI. de Sem, ex quibus totidem gentium linguas & nationes mundum implesse [i] creduntur, vel potius LXXII. ut clarior fama habet, cùm aliquis fuerit eorum, de quo postmodum duæ nationes & populi nascerentur: nisi forte duo esse Assur, & duos creasse populos intelligendi sunt: unus qui de terra Sennaar egressus Ninivem ædificavit, & alter filius Sem: & sic numerus LXX. duarum nationum adimpleatur. Neque abs re videtur quòd Dominus ideo LXX. duos ad prædicandum discipulos miserit, quòd tot essent gentes & linguæ, quibus verbum prædicationis erat committendum: ut sicut prius duodecim apostolos elegit propter totidem tribus Israël ad fidem vocandas; ita postmodum septuaginta duos designaret doctores ad insinuandam gentium universarum salvationem, quæ eodem essent numero comprehensæ.

Ps. 114. 6. (margin)

Gentium nationes & linguæ LXXII. (margin)

Erat autem terra labii unius et sermonum eorumdem. Quia præoccupando dixerat filios Noë terram secundùm cognationes & linguas & regiones in gentibus suis divisisse, redit ostendere quomodo fuerint homines ab invicem disjuncti: ubi certissimè claret, quia genus humanum quamdiu Conditori suo debita humilitate servivit, etiam sibimetipsi pacifica caritate concordavit. At ubi contra Auctorem cervicem superbiens erexit, mox justè punitum, nec [k] ad seipsum pacem habere potuit. Quanta autem hominum esse felicitas posset etiam paradiso dejectorum, si vel tunc Creatori suo servire humiliter vellent, testatur gratia ejusdem Domini Conditoris ac Redemptoris nostri, qui discipulis sibi fideliter adhærentibus misso de super Spiritu omnium notitiam tribuit linguarum: unde mira immutatione dexteræ Excelsi factum est, ut sicut hic linguis ob superbiam divisis gentes sunt ab invicem toto orbe dispersæ; ita illic ob meritum humilitatis adunata diversitate linguarum, collecti ex omni natione quæ sub cælo est populi, una & non dispari confessione ac fide laudes & magnalia Dei resonarent; meritoque hæc civitas, in qua linguæ divisæ ac gentes sunt dispersæ, Babylon, id est Confusio, illa dicitur Hyerusalem, id est Visio pacis, in qua adunatis in Dei laudem loquelis universarum gentium, est facta concordia. Sed hæc postmodum latius. Interim textum litteræ videamus.

Deo humiliter servire quanta felicitas. (margin)

Cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo. Apparet ex his verbis quia verum etiam primi homines plagam Orientis tenuerunt; ideoque hanc caput esse orbis computandam, non solùm quia lux siderum inde exoritur, verùm etiam quia hanc primò genus incoluit humanum:

Homines primi Orientem incoluerunt. (margin)

Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni, habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento. Forte ideo lateribus pro saxis & bitumine utebantur pro cæmento, quia illis in regionibus copia lapidum, unde tantum opus compleretur, deerat: vel quia murum lateritium periculo ignium fortiùs obsistere noverant. Fit autem bitumen de arboribus, fit & de terra sive

[a] Al. pergentium. [b] al. deest Orientalem. [c] al. quæ. [d] al. lambuntur. [e] al. effrenati, al. effrenate.
[f] al. Adama. [g] al. Nembrot. [h] al. & inveniet, al. invenietur. [i] al. dicuntur. [k] al. a seipso.

aquis: unde scriptum est in sequentibus de A terra Sodomorum: *Vallis autem sylvestris habebat puteos multos bituminis*; & Mare mortuum græce Lacus [a] Asfalti, id est bituminis appellatur; eo quod bitumen supernatans soleat in illo colligi, quo magis videtur muros Babylonis fuisse compactos.

[a]

ET DIXERUNT, VENITE, FACIAMUS NOBIS CIVITATEM ET TURREM, CUJUS CULMEN ASCENDAT AD CÆLUM, ET CELEBREMUS NOMEN NOSTRUM ANTEQUAM DIVIDAMUR IN UNIVERSAS TERRAS. Quod ait *cujus culmen*, non civitatis, sed turris significat, id est arcis quam in editiore loco altiorem ceteris B mœnibus facere disponebant. Mirandum sanè quâ intentione & culmen suæ turris ad cælum usque adtolere disponant, & se nihilominus in universas terras dividendos esse perhibeant; nisi forte ita se per orbem dividere vanissima ac superbissima mente cogitabant, ut si forte delectaret pertæsos terrenæ habitationis, vel certè si aquæ diluvii rursum terris ingruerent, per hanc superiora aëris sive cæli spatia peterent.

Turris quare ædificata.

DESCENDIT AUTEM DOMINUS, UT VIDERET CIVITATEM ET TURREM QUAM ÆDIFICABANT FILII ADAM. Pro filiis Adam, C vetus Translatio habet filios hominum, hoc est non filii Dei, sed hi qui secundùm hominem viventes mererentur audire à Domino: *Ego dixi dii estis, & filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini.* Non autem loco movetur Deus qui semper est ubique totus, sed descendere dicitur, cùm aliquid facit in terra quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam ejus quodammodo ostendit: nec videndo discit ad tempus, qui numquam potest aliquid ignorare; sed ad tempus videre & cognoscere dicitur, quod videri & [b] cognosci facit. Non sic ergo videbatur illa civitas D quomodo eam Deus videri fecit, quando sibi quantùm displiceret ostendit: quamvis possit intelligi Deus ad illam civitatem descendisse, quia descenderant angeli ejus, in quibus habitat: ut quod adjunctum est *& dixit: Ecce unus populus & unum labium omnibus*, & cetera; ac deinde additum: *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*, recapitulatio sit, demonstrans quemadmodum factum sit quod dictum fuerat *descendit Dominus*: si enim jam descenderat, quid sibi vult *venite descendamus* quod intelligitur angelis dictum, nisi quia per E angelos descenderat, qui in angelis descendentibus erat?

Psal. 81. 6.

Descendere Deus qui dicatur.

[b]

ECCE, inquit, UNUS POPULUS ET UNUM LABIUM OMNIBUS: COEPERUNTQUE HOC FACERE, NEC DESISTENT A COGITATIONIBUS SUIS DONEC EAS OPERE COMPLEANT. Multa est distantia peccandi inter eos qui ita Dei mandata contemnunt, ut aliquos inter se [c] justi æmulatores & cultores habeant; & inter eos qui omnes unanimo consensu mandatis cælestibus contradicunt. Multa item distantia inter eos qui ita peccant, verbi gratia, tempore adolescentiæ, ut postmodum succedente senecta pœnitentiam admissorum agere disponant; & inter eos qui in malis quæ faciunt nullum correctionis propositum gerunt. Ut ergo monstretur hoc in loco unanimitas peccantium, dicit invisibilis arbiter: *Ecce unus populus & unum labium omnibus*; & [d] propositum non pœnitendi adjungit: *Cæperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*: quibus aptè congruit principium psalmi tertii decimi, in quo dictum est: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*, id est [e] Nemrod artifex operis nefandi; ac deinceps de opificibus perditæ civitatis: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.* Hæc autem de quibus loquimur verba internus Judex ministris virtutibus incomprehensibili [f] nobis ordine loquitur: cujus loqui ad eos est eorum cordibus occulta sua invisibilia ostendere, ut quicquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant: quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur: unde cùm eorum cordibus Deus contra humanam superbiam animadversionem ultionis infunderet, dicit:

[c]

Peccantium differentia.

[d]

Psal. 13. 1.

[e]

Ibid.

[f]

Loqui Dei quid.

VENITE, DESCENDAMUS, ET CONFUNDAMUS IBI LINGUAM EORUM. Dicitur eis qui aderant *Venite*, quia nimirum hoc ipsum numquam à divina contemplatione decrescere, in divina contemplatione semper adcrescere est; & numquam corde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus & dicit: *Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Ascendunt angeli in eo quod Creatorem conspiciunt, descendunt angeli in eo quod creaturam se se inlicitis erigentem examine [g] districtionis premunt. Dicere ergo est *descendamus & confundamus linguas eorum*, in se ipso eis hoc quod rectè legatur ostendere, & per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda judicia occultis motibus inspirare. Et bene non ait: venite, & descendentes confundite; sed *confundamus ibi linguam eorum*: ostendens ita se operari per ministros suos, ut sint etiam ipsi cooperatores Dei, sicut Apostolus dicit: *Dei enim sumus [h] cooperarii.*

[g]

[h]

CONFUNDAMUS, inquit, IBI LINGUAM EORUM, UT NON AUDIAT UNUSQUISQUE VOCEM PROXIMI SUI. Meritò malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus: quoniam verò dominatio imperantis in lingua est, ibi est damnata superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere ut obediret Deo jubenti.

ATQUE ITA DIVISIT EOS DOMINUS EX ILLO LOCO IN UNIVERSAS TERRAS, ET CESSAVERUNT ÆDIFICARE CIVITATEM; ET IDCIRCO VOCATUM EST NOMEN

[a] *al.* asfaltu. [b] *al.* cognoscere.
(c) *al.* justos. (d) *al.* ut propositum non pœnitendi adjungat.
(e) *al.* Nembrot.

(f) *al.* deest nobis.
(g) *al.* distinctionis.
(h) *al.* cooperatores.

EJUS BABEL, QUIA IBI CONFUSUM EST LABIUM UNIVERSÆ TERRÆ. Meritò confusum est labium in [a] dispersionem, quia malè conjuraverat in locutionem nefariam: ablata est potestas linguæ superbis principibus, ne in contemtum Dei subditos possent quæ cœperant [b] mala docere, sicque judicium divinæ severitatis in adjutorium humanæ versum est utilitatis, ut tacendo cessarent ab opere, cui perversè loquendo congregati insistebant: ac sic descendente ac vidente Domino civitatem elationis, Babylonem, hoc est confusionem appellari contigit: cui contrarium satis civitas veritatis sicut nomen, ita habet & statum; dicitur enim Hierusalem, id est Visio pacis, in qua cœtum fidelium atque humilium spiritu Dominus videns, misit gratiam Spiritus-sancti, qui eis scientiam omnium tribueret linguarum, quibus imbuti, omnes qui in diversis erant linguis populos ad constructionem ejusdem sanctæ civitatis, id est Ecclesiæ Christi, unanimam convocarent; quique humiliter [c] auditum veritati adposuerant, sublimiter ora ad prædicandam toto orbi scientiam veritatis aperirent. Notandum autem quòd scriptura dicit quidem, dispersis per orbem structoribus, cessatum ab ædificatione civitatis; non tamen dicit ab inhabitatione ejus fuisse cessatum: unde colligendum videtur, aliis inde descendentibus, & à structura cessantibus, [d] Nemrod operis auctorem cum sua domo ibidem ac familia remansisse, donec progenito ex sua stirpe pro majore & in hac potentius regnare [e] & alias regno suo posset addere civitates. Neque enim, ni fallor, aliter intelligi sinit quod supra dictum de illo est: *Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, &* [f] *Achad, & Chalanne in terra Sennaar:* quamvis eamdem urbem Babyloniam postea Ninus vel Semiramis conjux illius majorem ex tempore & augustiorem reddidisse ferantur; unde est illud poëtæ [g] quod dicitur olim *coctilibus muris cinxisse Semiramis Urbem:* & præcipue Nabugodonosor de spoliis Hyerosolymorum ejus ornamenta accumulans: unde ipse superbiens dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* de cujus magnitudine ac decore Hieronymus ita narrat: Babylonem fuisse potentissimam, & in campestribus per quadrum sitam, ab angulo usque ad angulum muri XVI. millia tenuisse passuum, [h] id est simul per circuitum [i] LXIII. refert Herodotus, & multi alii qui græcas historias conscripserunt. Arx autem, id est capitolium illius orbis est turris quæ post diluvium ædificata, quatuor millia passuum tenere dicitur. Horosius in suis historiis ejusdem ita meminit: Hæc campi planitie undique conspicua, natura loci [k] lætissima, castrorum facie mœnibus paribus per quadrum disposita, murorum ejus, vix credibili relatu, firmitas & magnitudo, id est latitudine cubitorum quinquaginta, altitudine quater tanta: ceterum ambitus ejus quadringentis LXXX. stadiis [l] circumvenit, murus coctili latere atque interfuso bitumine compactus, fossa extrinsecus late patens, vice amnis circumfluit. A fronte murorum centum portæ æreæ: ipsa autem latitudo in consummatione pinnarum [m] ex utroque latere habitaculis defensorum, atque dispositis media intercapedine [n] sui quadrigas capit. Domus intrinsecus quater geminæ habitationis minaci proceritate [o] mirabiles. Quia verò juxta spiritalem sensum Babylon est diaboli civitas, hoc est reproba hominum multitudo universa, structores Babyloniæ qui sunt nisi magistri errorum, qui vel contrarium veritati cultum divinitatis introducunt, vel agnitam fidem veritatis malis actibus sive verbis impugnant?

Ovid. lib. 4. Metam. — Hier. in cap. 14. Isaiæ. — Herod. lib. 1. — Orosf. lib. 2. cap. 6.

ERAT AUTEM OMNIS TERRA LABII UNIUS ET SERMONUM EORUMDEM, quamdiu homines in Oriente permanserunt: at ubi ab Oriente pedes moverunt, mox propter verba sive opera superbiæ, & ab invicem disjuncti, & à suo sunt Creatore longius expulsi. Orientis plaga unde mundus ortu siderum lumen accipere solet, ipsum rectè significat qui ait: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non* [p] *ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ:* in quo quamdiu manent homines, unius sunt labii & vocis ejusdem: quia nimirum una est confessio fidei, eadem castitas actionis, communis caritas & spes æternorum: quia omnes qui in Christo perseverant, inlustrantur. AT QUI à contemplatione veræ lucis recedunt, nec cum Domino pacem habere, nec ad se invicem possunt: quia non sicut una fidei, ita etiam una eademque infidelitatis est norma; sed unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, in quo electorum salus est: multi autem Domini reproborum, diversi anfractus perfidiæ, diversa [q] pollutionum volutabra, diversi sunt dii gentium, quibus ad unum damnationis interitum omnes miseri pertrahuntur: quod bene utriusque illius civitatis figura [r] significavit, cùm divisis in Babylonia linguis, nemo vocem proximi sui posset agnoscere. Porro in Hierusalem sociatis per gratiam Spiritus sancti linguis, fideles etiam exterorum omnium qui advenerant vocem intelligerent & in una omnes compage caritatis ac fidei eumdem Deum ac Dominum conlaudarent.

Christus Oriens. Joan. 8. 12.

Profecti de Oriente invenerunt campum in quo habitarent, quia recedentes à luce justitiæ reprobi, latas sæculi vias sibimetipsi, in quibus fluxa mente manerent, invenerunt; & hoc in

[a] *Al.* dispersione. [b] *Al.* male.
[c] *Al.* ad auditum veritatis. [d] *Al.* Nembrot.
[e] *Al.* & alia regno suo posset addere regna.
[f] *Al* Acadh. [g] *Al.* quam.
[h] *al. in editis Hieron.* id est simul per circuitum quadraginta octoginta stadia. *Verum in pervetusto codice ms. Majoris-monasterii ante annos* 800. *scripto legitur*, id est simul per circuitum sexaginta quatuor.
[i] *al.* LIII. *sed lege* LXIV. [k] *al.* latissima.
[l] *al.* circumit. [m] *al.* utroque.
[n] *al.* sitas quadrigas, *al.* sui citas quadrigas.
(o) *al.* mirabilis. (p) *al* ambulabit.
(q) *al.* pollutione. (r) *al.* significat, *al.* signavit.

fetore vitiorum carnalium. Sennaar namque, ut diximus, Fetor eorum interpretatur: Et quid per terram Sennaar, nisi putrida [a] concupiscentia carnalis socordiæ exprimitur, in qua quicumque habitare, id est secura & fixa intentione perdurare non devitant, mox augescente nequitia, etiam proximos ad injuriam Conditoris atque opera nefanda provocant. Sequitur enim quia dixit alter ad proximum suum: *Venite, faciamus nobis lateres, & coquamus eos igni.* Accendunt ergo se alterutrum ad lateres faciendos, quibus civitatem [b] Nemrod in campo Sennaar condant; quia nimirum omnis impiorum multitudo lutulentis, sordidis ac terrenis operibus diabolo servit, & ei civitatem non aliam quàm seipsos malè vivendo ædificant: at contra civitas Hierusalem, in qua David & Salomon, manu fortis scilicet & pacificus regnat, non de latere, sed de lapide: non in campo, sed in monte construitur, dicente ad eum Rege ipsius: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphyris*; & de qua Propheta: *Mons Sion, latera Aquilonis civitas Regis magni*: quia videlicet civitas diaboli profugi utique transgressores & tyranni, quod Nemrod vocabulum sonat, hoc est universa reproborum multitudo, per fluxam corruptionem vitæ præsentis vagabunda oberrat. Ecclesia autem civitas nimirum Christi, de vivis ædificatur lapidibus, hoc est animabus fide atque operatione robustis, qualibus sapiens ejus Architectus cùm de rege illius loqueretur, ajebat: *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum; & ipsi tamquam lapides vivi superædificamini*: neque hoc in campo Sennaar, sed in monte sancto Domini: quia non se in infirmis carnalium rerum voluptatibus relaxare, sed ad superna potiùs desideria electi stringere atque exaltare contendunt: unde dicunt quia *conversatio nostra in cælis est.*

Impii diaboli civitas. Isa. 54. 11. Psal. 47. 3. Ecclesia civitas Christi. 1. Pet. 2. 4. Phil. 3. 20.

Quod autem lutum in lateres formant, quæ æquis per quadrum lateribus fieri solent, unde & nomen accipiunt, compositionem & ornatum eloquentiæ sæcularis ostendit, per quam civitas superba diaboli, sive in philosophia fallaci, seu in hæretica versutia, multum ad tempus videtur erigi; sed in examine districti judicis quam sit damnabilis & confusione digna patebit.

COQUEBANT LATERES QUOS FECERANT IGNI. Videlicet illo de quo dictum est *omnes adulterantes velut clibanus corda eorum*; & de quo Esaias: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri & in flammis quas succendistis.* Ignis quippe iste amor est vitiorum & cupido favoris humani, quo nimirum igne inventa semel dogmata falsitatis stulti deceptorum magistri confirmare & in tantum obdurare satagunt, ne ullo veritatis ac doctrinæ cælestis possint certamine superari: sed nihilominus vincente militia veritatis, ut scriptura ait, *cecidit, cecidit Babylon magna*, [c] duplici nimirum casu, & in præsenti dejecta per manifestationem veritatis, & in futuro damnanda per sententiam ultimæ severitatis. Hujusmodi civitates quondam in Ægypto plebs Israelitica de luto & latere faciebat, quia & ipsa necdum legis auditu erudita, vitiis atque erroribus serviebat, & eorum quoque figuram in suis operibus exprimebat, qui obscuris adhuc immundorum spirituum, quibus duris adhuc Ægyptiorum imperiis mancipati, nullam adquirendæ patriæ cælestis fidem spemve habere didicerunt; ideoque mundi hujus solum inlecebris adhærere ac subdi noverunt. Bitumen verò quo structores Babyloniæ utebantur pro cæmento, quod de terra vel puteis adsumebatur, intentionem nimirum terrenæ & infimæ voluptatis ostendit, qua homines hujus sæculi cuncta sua opera [d] muniunt, ut pote qui nulla supernorum bonorum spe sive cognitione se ad appetenda ea quæ in cælis sunt gaudia suspendant, & propterea omne quod agunt temporalis oblectationis sive favoris gratia gerunt: cui contra bene templum Domini cæmentarii fecisse leguntur: cæmentum quippe de lapidibus incensis atque in cinerem versis conficitur, quibus ex igne agitur, ut qui prius singuli [e] viritim firmi ac fortes extiterant, postmodum cum additamento candoris emolliti, & sibi ad invicem infusa aqua melius connecti sunt, & positos in muro lapides possint alios connectere, ipsi quoque non multò post recipientes melius firmitatem, quam parumper amisisse videbantur. Qui ergo in cæmento, nisi hi debent accipi, qui sedulo tribulationum temporalium fornace decocti, prius in seipsis omnem vitiorum obscuritatem virtutum candore mutarunt, dicentes suo Creatori: *Lavabis me & super nivem dealbabor*, deinde etiam proximos [f] suis exhortationibus sive exemplis candificare atque [g] copula dilectionis alterutrum nectere student? de quibus rectè dicatur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*: qui quo magis tribulationum flamma humiliati mollescunt, eò fortiores ad confirmanda & continenda in tribulationibus proximorum corda existant. Quod etiam templum de lapide albo construitur, dicente David ad Salomonem cum ei impensas daret, ac mensuras templi faciendi ostenderet, *sed & marmor parium abundantissimè præparavit*: quia nimirum Ecclesia Christi de fortibus fide & actione fulgidis animabus colligitur electorum. Marmor quippe insulæ [h] Pariæ validæ virtutis & candidi constat esse coloris; sed hujus materiæ structores Babyloniæ copiam, sive curam non habentes, bitumine puteorum suos lateres conglutinant: quia candorem innocentiæ, robur, fidei, concordiam fraternitatis, disputationum argumentis munire conantur.

Osc. 7. 4. Isa. 50. 11. Amor vitiorum ignis. Apoc. 18. 2. Psal. 50. 9. Matth. 5. 9. 1. Par. 29. 2.

VENITE, inquit, FACIAMUS NOBIS CI-

[a] *Al.* concupiscentiæ carnalis socordia, *al.* concupiscentiæ carnalis exordia.
[b] *Al.* Nembrod.
[c] *Al.* duplicium.
[d] *Al.* munientur.
[e] *Al.* viri tam firmi.
[f] *A.* suos.
[g] *Al.* in copula.
[h] *al.* Parii.

VITATEM ET TURREM, CUJUS CULMEN ASCENDAT AD CÆLUM. Faciunt sibi civitatem mali doctores, cùm relicta civitate cælesti, cujus artifex & conditor Deus est, id est sancta Ecclesia, propria sibi conventicula colligunt. Faciunt sibi civitatem omnes reprobi, cùm neglecto præsidio præceptorum Dei, sensus ac desideria sui cordis in agendis sive loquendis, quæ [a] ipsoslibet sequuntur. Ædificant civitatem Babyloniam, cùm opera confusione digna faciunt: Faciunt & turrem cujus culmen ascendat in cælum, cùm etiam in sui Conditoris injuriam impias exerunt linguas, cùm juxta Psalmistæ vocem, iniquitatem in [b] Excelsum loquuntur, cùm ponunt in cælum os suum; quod gentiles faciunt, multos deos colendo, hæretici fidem unius Dei erroribus polluendo; Judæi Filium Dei Christum negando, falsi Catholici fidem malis operibus sive schismatibus rectam profanando: quibus omnibus convenit illud Psalmistæ ad Dominum: *superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*, ad te, id est in memoriam tui justi examinis. Ascendente autem superbia pravorum quasi culmine turris nefandæ ad cælum, æquum est ut Conditor cæli descendens destruat unanima cœpta malignorum, & hoc eis primum beneficii conferat, ne valentes implere manus eorum quod cœperant, gravius in æternum damnentur; deinde ut etiam inter se scissa noxia conspiratione diffidentes, minus bonis noceant. Hoc autem semel fecit per se ipsum descendens de cælo Dominus: hoc cotidie per prædicatores suos in Ecclesia facit: [c] confundit enim linguas superbientium Judæorum, qui contra gratiam Evangelii, quam prædicabat, unanimo omnes consensu & quasi omnes uno labio rebellant; eosque ab impiis conatibus retardans, totum dispersit in orbem. Præcipitat & dividit per doctores catholicos linguas hæreticorum, & eos ab invicem dissocians, ne contra Ecclesiam suam portas inferi erigere possint, prohibet. Nulla est enim hæresis, quæ non ab aliis hæreticis impugnetur; nulla philosophiæ sæcularis secta, quæ ab aliis æque stultæ philosophiæ sectis mendacii redarguatur; sicque fit ut dum inter se alterutrum confusas habent linguas reprobi, ita ut nemo vocem proximi sui idem sapiendo cognoscat, & sibi nomen Babyloniæ, id est confusionis congruere probent, & visionem pacis in qua Ecclesia gloriatur, minus lædant. Constat enim quia quantò nequam doctores sive operarii mali ab invicem diffidente animo secernuntur, tantò magis Ecclesiæ colligendæ spatium tribuunt.

Civitas diaboli quomodo ædificatur.

Psal. 73. 23.

Malorum cœpta qui destruat Christus.

HÆ GENERATIONES SEM. SEM CENTUM ERAT ANNORUM QUANDO GENUIT ARFAXAT BIENNIO POST DILUVIUM. Destructa fabrica Babyloniæ, festinat scriptura, enumeratis generationibus secundæ mundi ætatis (prima enim usque ad Noë ac diluvium cucurrerat) pervenire ad Abraham patriarcham tertiæ ætatis, immo omnium gentium, per cujus fidem & obedientiam nova denuo civitatis sanctæ fundamenta jacerentur, & in cujus semine dispersio gentium ad unam confessionem ac fidem divini cultus rediret. Quod verò numerus centenarius, qui de sinistra transfertur in dexteram, magnam perfectionem sive bonæ actionis seu spei aut vitæ cælestis solet insinuare; aptè Sem filius benedictionis centesimo vitæ anno genuit filium, cujus stirps ab Heber atque ad Abraham perveniret; qui & ipse Abraham ejusdem gratia sacramenti centesimo suæ ætatis anno genuit Isaac filium promissionis, in cujus exemplum nos filii promissionis facti, quasi ad dexteram judicis nostri interim per spem positi, per bona opera benedictionem vitæ cælestis expectamus: nam duo filii, quos ante centesimum annum Sem genuit, Ælam & Assur, ut supra lectum est, extra semen [d] sanctum positi, & quasi in læva adhuc manu retenti, terrenæ adhuc potius civitatis, id est mundi hujus, ex se cives creaverunt. Unus quippe Ælamitarum id est Persarum, alter progenitor Assyriorum extitit. Sed magna nobis secundùm litteram quæstio nascitur quomodo Sem biennio post diluvium centum esse annorum dicatur, cùm supra quingentesimo anno Noë natus asseritur, & sexcentesimo ejusdem Noë anno diluvium venisse legitur. Si enim quingentesimo anno sui patris natus est, utique eo sexentos annos habente quando diluvium venit, ipse centenarius fuit, ideoque biennio post diluvium duos & centum habebat annos ætatis. Ut ergo numerus temporum sibimetipsi non repugnet, intelligendum est aut Noë duo plus quam quingentos habuisse annos quando natus est Sem, aut duo minus ad sexcentos quando venit diluvium, aut Sem habuisse centum & duos quando natus est Arfaxat. Solet enim sic loqui scriptura nonnumquam, ut etsi modicum supersit vel desit, plenarium tamen & perfectum in computo numerum sonet. Videtur [e] autem verisimillimum, ut mea fert suspicio, quia cùm natus esset Sem, duos super quingentos annos habuerit Noë: neque enim falsum dixit scriptura, quòd quingentos annos habuerit, etiamsi quingentos & duos habuit: quia nimirum minor numerus intra majorem continetur. Nam & ipsa scriptura multum libere se locutam eo loci significavit, cùm diceret Noë quingentos habentem annos genuisse filios tres, Sem, Cham, & Jafeth; cùm nulli sit dubium, quòd uno eodemque anno unus vir de una conjuge tres filios generare non possit: quod ideo fortè sacræ scriptor historiæ diligentius hoc loco curavit explicare, dicendo Sem biennio post diluvium centum fuisse annorum, quia se meminit annum nativitatis ejus quasi negligentius adnotasse.

Centenarii numeri perfectio.

Quæstio de ætate Sem & Noë.

VIXITQUE SEM POSTQUAM GENUIT ARFAXAT QUINGENTOS ANNOS, ET GENUIT FILIOS ET FILIAS. Nusquam in tota hac se-

(a) *Al.* ipsis. (b) *Al.* excelso. (c) *Al.* confundit.

(d) *Al.* sancti. (e) *Al.* ad verisimillimum.

rie generationum additur, ſicut in ea quæ diluvium præceſſit ætate, *& mortuus eſt*; quia nemo erat in tota hac complexione naſcentium, de quo à ceteris excepto dici poſſet, ſicut ibi de Enoch *ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Gen. 5. 24.

Porro Arfaxat vixit triginta-quinque annos et genuit Sale. In hoc loco ſeptuaginta Interpretes unam generationem pluſquam Hebraïca veritas poſuere, dicentes quòd Arfaxat cùm eſſet annorum centum triginta quinque genuit Caïnan: qui cùm centum triginta annorum fuerit, genuerit ipſe Sale: quorum tranſlationem Evangeliſta Lucas hoc in loco videtur eſſe ſecutus. Verum Chronographi Græcorum hac comperta diſtantia, generationum quidem ſeriem ad auctoritatem Hebraïcam, ablato Caïnan, emendarunt: nec tamen numerum annorum in generationibus, quas cum Hebreis codicibus habuere communes, ad eorum auctoritatem emendare curarunt: ſed propriam ſecuti auctoritatem, dederunt huic ætati quæ à diluvio tendit ad Abraham annorum ſummam; minorem quidem LXX. Tranſlatorum editione annis centum triginta, ſed Hebraïca veritate annis ſexcentis & quinquaginta majorem.

Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber. Septuaginta Interpretes habent centum triginta.

Vixit autem Heber triginta-quatuor annis, et genuit Faleg. Septuaginta Interpretes habent centum triginta quatuor.

Vixit vero Faleg triginta annis, et genuit Reu. Septuaginta Interpretes habent centum triginta.

Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug. Septuaginta Interpretes habent centum triginta duos.

Vixit vero Sarug triginta annis, et genuit Nachor. Septuaginta Interpretes habent centum triginta.

Vixit autem Nachor XXVIIII. annis, et genuit Thare. Septuaginta Interpretes habent LXXVIIII.

Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram et Nachor et Aran. Septuaginta Interpretes in hac ſola generatione nihil à veritate differunt Hebraïca. Et huc uſque ſecunda mundi ætas pertingit, habens juxta Hebraïcam veritatem annos CXCII. juxta Septuaginta Interpretes mille ſeptuaginta duos, juxta verò ſtatuta chronographorum DCCCCXLII. Ita autem dicitur Thare cùm annis ſeptuaginta vixiſſet genuiſſe Abram & Nachor & Aran, ſicut ante diluvium Noë tres filios, cùm eſſet annorum quingentorum, genuiſſe narratur; cùm unus vir de una conjuge uno anno tres filios [a] generaſſe non poſſet. Intelligitur enim, quia ſeptuaginta annorum cum eſſet, genuit Abram, qui nunc Abraham, ac deinde fratres ejus tempore ſequente; ſed minus curavit ſcriptura nativitatis eorum tempus exprimere, cùm ſola adnotatio temporis quo natus eſt [b] Abraham ad [c] ſignificantiam ætatis illius [d] exprimeret & ſufficere poſſet.

Hæ sunt generationes Thare. Thare genuit Abram et Nachor et Aran. Una Thare domus erat, de quo natus eſt [e] Abraham, in qua unius veri Dei cultus; &, quantum credibile eſt, in qua jam ſola etiam Hebræa lingua remanſerat, cùm & ipſe ſicut jam manifeſtior Dei populus in Ægypto, ita in Meſopotamia ſervire diis alienis, Hieſu Nave narrante, refertur; ceteris ex progenie illius Heber in linguas paulatim alias & in nationes alias defluentibus proinde ſicut per aquarum diluvium una domus Noë remanſerat ad reparandum genus humanum, ſic in diluvio multarum ſuperſtitionum per univerſum mundum una remanſerat domus Thare, in qua cuſtodita eſt plantatio civitatis Dei. Denique ſicut illic enumeratis ſupra generationibus uſque ad Noë ſimul cum annorum numeris, & expoſita diluvii cauſa, priuſquam Deus inciperet de arca fabricanda loqui ad Noë, dicitur *hæ generationes Noë*: ita & hic enumeratis generationibus à Sem filio Noë uſque ad [f] Abraham, deinde inſignis articulus ſimiliter ponitur, ut dicatur *hæ generationes Thare. Thare genuit Abram & Nachor & Aran.* Si quidem ibi ſecundæ mundi ætatis, hic tertiæ patriarcha naſcebatur.

Porro Aran genuit Loth, mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ, in Ur Chaldæorum. Quod dicit *ante Thare* & præſentiam poteſt & tempus deſignare; tempus videlicet, quia ante moreretur quàm pater ſuus; præſentiam verò, quia & coram illo, id eſt præſente illo, vita excederet. Denique quidam codices habent quia *mortuus eſt ante conſpectum Thare patris ſui.* Quod verò dicitur *in Ur Chaldæorum*, nomen videtur eſſe loci, in quo ſepultus eſt; cujus hodie, ſicut Joſephus refert, tumulus oſtenditur: ex quo videtur magnæ alicujus excellentiæ vel dignitatis idem Aran extitiſſe. Quia verò apud Hebræos, Ur dicitur Ignis, [g] narrant quòd igni Chadæorum conſumtus ſit: quia videlicet Deum verum cum Abraham majore ſuo fratre cognoſcens, ignem quem illi adorabant, adorare ipſe reſpuerit; ideoque ambobus in ignem miſſis à Chaldæis, ipſe flammis aſſumtus; Abraham verò ſublimioris fidei merito ſit liberatus à Domino: unde in ſequentibus ad eum loquitur: *Ego Dominus, qui eduxi te de igne Chaldæorum*; & hujus gratia diſſentionis Abraham quamvis ignem evaſerit, apud Chaldæos tamen habitare nequiverit; ſed cum ſua cognatione ſit à parente aliam tranſlatus in terram: quibus concordant verba Achior ducis omnium Moabitarum & Ammonitarum, qui quaſi vir inclytus, quæ in vicina & cognata ſibi gente, immo de qua ipſe ortus eſt, facta fuerant ignorare non potuit: ait enim loquens

Joſeph. lib. 1. Ant. Jud. cap. 7. — Thare igne conſumtus.

[a] *Al.* generare. [b] *Al.* Abram. [c] *Al.* ſignificationem. [d] *Al.* expreſſa ſufficere.

[e] *Al.* Abram. [f] *Al.* Abram. (g) *Al.* Hanc narrationem pro fabula habet Hieronymus in quæſtionibus ſuper Genes.

de populo Israël ad Holofernem principem militiæ Assyriorum: *Populus iste ex progenie Chaldæorum est: hic primum habitavit in Mesopotamia, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes* [a] *itaque cærimonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, unum Deum cæli coluerunt, qui & præcepit eis ut exirent inde, & habitarent in Haran.*

Judith. 5. 6.

DUXERUNT AUTEM ABRAM ET NACHOR UXORES. NOMEN UXORIS ABRAM SARAI, ET NOMEN UXORIS NACHOR MELCHA, FILIA ARAN PATRIS MELCHÆ ET PATRIS JESCHÆ. Dicunt majores nostri Jescham hanc ipsam esse [b] Saram uxorem Abrahæ, quia videlicet iidem fratres germani Abraham & Nachor duas sorores filias Aran uxores habuerint. Quod si ita est, non potest Aran pater earumdem idem intelligi qui fuit frater junior Abrahæ & Nachor, sed alter ejusdem nominis [c] homo. Constat enim quia Abraham decem solum annis Saram conjugem suam præcessit, dicente ipso coram Domino, *Putas ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet filium?* Et quomodo frater ejus junior potuit habere filiam, quæ illo decem annis minor esset, se autem ipso septem aut non amplius quàm octo?

Genes. 17. 17.

ERAT AUTEM SARAI STERILIS, NEC HABEBAT LIBEROS. Divinæ providentiæ consilio gestum est, ut sterilis esset in adolescentia, quatenùs in senectute filium promissionis generans, Ecclesiæ sanctæ typum insinuaret, cui dicitur *Lætare sterilis quæ non paris*, & cetera. Decebat enim, ut quæ in figuram unicæ fidei ac spei nostræ unum erat filium de promissione paritura, non hunc in Chaldæa, non in Mesopotamia, sed in terra promissionis generaret.

Sara Ecclesiæ typus.

Gal. 4. 27.

TULIT ITAQUE THARE ABRAM FILIUM SUUM ET LOTH FILIUM ARAN, FILIUM FILII SUI, ET SARAI NURUM SUAM UXOREM ABRAM FILII SUI, ET EDUXIT EOS DE UR CHALDÆORUM, UT IRENT IN TERRAM CHANAAN. Vetus Translatio habet, quia *eduxit eos de regione Chaldæorum*, quod nullam omnino quæstionem habet. Quod verò juxta Hebraïcam veritatem dicitur, quia *eduxit eos de Ur*, id est de igne vel incendio Chaldæorum, potest ita rectè intelligi, quod [d] eduxerit eos de illa regione ubi ignis colebatur, pro eo ut diceretur, eduxit eos de idolatria Chaldæorum. Quod vero dicitur *ut irent in terram Chanaan*, statimque subjungitur VENERUNTQUE USQUE HARAN, ET HABITAVERUNT IBI, ET FACTI SUNT DIES THARE DUCENTORUM QUINQUE ANNORUM, ET MORTUUS EST IN HARAN, propositum mentis Thare ostendit, quia cogitabat quidem cùm à Chaldæis profugeret, ire in terram Chanaan: sed cùm Haran perveniens, opportunam in ea sibi suisque ac tutam à Chaldæorum insecutione sedem reperit, ulterius terram Chanaan ad peregrinandum invisere supersedit, sed in civi-

A tate ad quam pervenerat ad mortem usque [e] pertransiit: ita ut ne filio quidem Abraham ac nepote Loth inde ad præceptum Domini exeuntibus, ipse ex ea pedem movere curaret. Nam quod dicitur ibidem, cùm habuerit ducentos & quinque annos, esse defunctus, longo post abscessionem eorum tempore factum esse constat. Si quidem Abraham, qui septuagenario patre natus est, septuaginta quinque erat annorum, cùm exiret de Haran, qui sunt anni centum [f] quadraginta quinque. Hac ergo ætate patris exivit de Haran, sexaginta videlicet ante obitum illius annis. Sed

B scriptura mortem Thare ante abscessum Abrahæ præoccupando adventui ipsius & habitationi in Haran conjunxit, ut deinceps ex quo cœpisset liberum narrandi de Abraham & Loth spatium haberet. Haran autem civitas est Mesopotamiæ trans Edissam, quæ usque hodie [g] Charra dicitur, apud Romanos Crassi consulis interitu, apud nos Patriarcharum habitatione insignis: quæ etiam in libro sancti patris Tobiæ hospitio Raphaëlis archangeli nobilitata refertur.

DIXIT AUTEM DOMINUS AD ABRAM: EGREDERE DE TERRA TUA, ET DE COGNATIONE TUA, ET DE DOMO PATRIS TUI IN

C TERRAM QUAM MONSTRAVERO TIBI, FACIAMQUE TE IN GENTEM MAGNAM, ET BENEDICAM TIBI, ET MAGNIFICABO NOMEN TUUM, ERISQUE BENEDICTUS. Quia distinctè loquens Dominus, terram, cognationem & domum patris dicit; terra Abrahæ est intelligenda in regione Chaldæorum, unde jam recesserat: cognatio ejus, frater Nachor cum familia sua, quam jam relinquerat: Domus patris, in qua tunc manebat in Haran. Quomodo ergo tunc cum domo patris de terra quoque & cognatione, de qua jam egressus es-

Abraham cur exire de terra & cognatione jubetur.

D se videbatur, nunc exire jubetur? Nisi forte intelligendum quod eo proposito, ut supra jam diximus, de terra & de cognatione sua cum parente exierat, ut ad hanc, reconciliatis Chaldæis, ævo sequente rediret: cui nunc à Domino præcipitur, ut à repetenda Chaldæa propositum mentis avertat, nec non & ab inhabitatione Mesopotamiæ mentem simul & corpus auferat, relictaque terra in qua civitas superbiæ facta, ac Domino judicante confusa est, veniret in terram, in qua gratiam supernæ benedictionis acciperet, novamque ex se ac meliorem progeniem fidei & obedientiæ

E suæ merito procrearet. Quod enim ait, *faciamque te in gentem magnam*, ad populum Israël propriè pertinet. Nam de aliarum generatione nationum quæ de illo similiter erant orituræ, Ismahelitarum videlicet, Idumæorum, & eorum qui de Chettura secunda ejus post Sarram [h] conjuge erant nascituri populorum, dicit in sequentibus ad eum: *Faciamque te crescere vehementissimè, & ponam in gentibus, atque in te benedicentur universa cognationes terræ.* Hæc est major

(a) *Al. deest* itaque. (b) *Al.* Sara.
(c) *Al. deest* homo.
(d) *Al.* deduxerit.

(e) *Al* pertransit. (f) *Al.* LXXV.
(g) *Al.* Carran.
(h) *Al.* conjugem.

superiore ac longè præstantior promissio benedictionis. Illa enim terrena, hæc cælestis est: quia nimirum illa propagationem carnalis Israël, ista spiritalis significat: illa populi ejus qui de eo secundùm carnem natus est, hæc ejus qui de universis cognationibus terræ in Christo salvatur, in quibus sunt & illi quicumque ex eo secundùm carnem nati, etiam pietatem fidei ejus imitari voluerunt: quibus omnibus dicit Apostolus Paulus: *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis.* Quod ergo ait: *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ*, tale est ac si diceret, & in semine tuo benedicentur familiæ terræ: ut enim Apostoli verbis loquar, in lumbis Abrahæ erat MARIA jam tunc, de qua nasciturus erat Christus, quando hæc dicebantur ad eum. Et mira supernæ [a] dispensatio severitatis ac pietatis. Convenientes enim ad opus superbum homines, plurimi dividi ab invicem per diversas linguas & cognationes meruerunt: relinquens verò provinciam illam unus, & sponte ad imperium Domini exulans, omnes in se gentes, quæ in variis erant provinciis ac linguis divisæ, communi benedictione recolligendas audivit. Notandum sanè quòd licet à nativitate Abrahæ tertia ætas mundi computari soleat, hoc tamen oraculo Domini ad Abraham specialiter secundùm ipsam sufficientiam rerum, tertiæ ætatis sunt [b] consecrata primordia: siquidem tunc semen sanctum à nationibus secretum, & nasciturus ex eo Salvator omnium gentium prædictus est: usque ad hoc enim tempus fideles & justi omnes illa vitæ [c] moralis scientia utebantur, [d] quam vel natura duce noverant, vel parentum doctrina originaliter traxerunt: nunc autem cognitionem per operam etiam venturi in carne Salvatoris, in quo esset benedictio & salus omnibus sanctis ventura, & his videlicet qui Incarnationem ejus prius nascendo [e] præcederent, & nobis qui posterius nati per nomen ejusdem Domini JESU, ut Petrus ait, credimus salvari quemadmodum & illi.

Gal. 3. 29.

EGRESSUS EST ITAQUE ABRAM SICUT PRÆCEPERAT EI DOMINUS, ET IVIT CUM EO LOTH. SEPTUAGINTA QUINQUE ANNORUM ERAT ABRAM CUM EGREDERETUR DE HARAN. Claret ex hoc numero annorum Abrahæ, quia vivente adhuc patre, ut supra expositum est, de Haran exierat. Numerus autem ille septuaginta & quinque annorum mysticus esse non est dubitandum, dum in eo & ipse promissionem divinæ benedictionis accepit, & Isaac filium ejusdem benedictionis heredem reliquit moriens: de quo ut breviter dicamus, septuaginta quia septies deni sunt, perfectionem bonæ designant actionis, cùm mandata decalogi per gratiam Spiritus-sancti, quæ septiformis à propheta describitur, implemus: quibus quinque superadjiciuntur, ut in cunctis nostri corporis sensibus eadem divina præcepta juvante Spiritus gratia faciamus. Septuaginta & quinque annorum erat Abram quando ad præceptum sive ad promissa Domini exiens de Haran, terram repromissionis intravit; ut ostenderetur quia & ipse per auxilium Spiritus, anathematizatis erroribus Babyloniæ conversationis, Dei præcepta servaret; & hoc in omni quod vel vivendo vel audiendo vel gustando vel tangendo gerebat, ne quid prorsus in suo corpore esset, quod non obedientiæ præceptorum cælestium dono Spiritus ipsius inlustratus & adjutus impenderet, & omnibus quoque eisdem promissionis heredibus simili ordine vitam ducendam esse signaret. Nam & hoc quod ille jussus exiit de terra & cognatione & de domo patris sui, universis promissionis ipsius filiis, in quibus & nos sumus, constat imitandum. Egredimur quippe de terra nostra, cùm carnis voluptates abdicamus; de cognatione nostra, cùm vitiis omnibus cum quibus nati sumus, in quantum hominibus possibile est, nos exuere studemus; de domo patris nostri, cùm ipsum mundum relinquere cum principe suo diabolo vitæ cælestis amore contendimus. Omnes enim propter reatum prævaricationis primæ filii diaboli [f] nascimur in mundo; sed per gratiam regenerationis quique ad semen Abrahæ pertinemus, filii Dei efficimur, dicente nobis, id est Ecclesiæ suæ, Patre nostro qui est in cælis, *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum patris tui:* unde bene Haran, de qua egressus est Abraham, Ira interpretatur. Chanaan, ad cujus terram invitatur, Mutatus sive Negociator dicitur. Non ergo solus Abraham cum fratre Loth egressus est de Haran, ut veniret in terram Chanaan, sed & omnes electi qui nati sunt lavacro regenerationis, exeunt profecto de Haran veniuntque in terram Chanaan; sed & omnes electi cùm iram primi reatus in vitæ suæ statu, abdicata consuetudine vitiorum, virtutibus operam [g] dant, & felicissimo commercio temporalibus insistunt laboribus, ut æterna præmia consequantur; terrenas divitias spernunt, ut possint accipere cælestes; humani gaudia regni contemnunt, ut in regno Dei partem habere mereantur. Hæc est enim terra quam se Dominus sequacibus suis monstraturum esse promisit: quia non humanæ ingenio sapientiæ, qua sit actionum bonarum via incedendum, potest investigari, sed illius est in omnibus ducatus expetendus, cui dicit Psalmista: *Tenuisti manum* [h] *dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria adsumsisti me.*

Abrahæ obedientia.

Egredi de terra, cognatione, & domo nostra, quomodo debeamus.

Psal. 44. 11.

Psal. 72. 24.

TULIT ITAQUE SARAI UXOREM SUAM, ET LOTH FILIUM FRATRIS SUI, UNIVERSAMQUE SUBSTANTIAM QUAM POSSEDERANT ET ANIMAS QUAS FECERANT IN HARAN; ET EGRESSI SUNT UT IRENT IN TERRAM CHANAAN. Quod dixit *animas quas fece-*

(a) *Al.* dispensatione severitatis ac pietatis convenienter.
(b) *Al.* constituta.
(c) *Al.* mortalis.
(d) *Al.* quia.
(e) *Al.* præcesserunt.
(f) *Al.* nascuntur in mundum.
(g) *Al.* dent.
(h) *Al.* dexteræ meæ.

rant

Anima pro toto homine. rant pro eo positum est, ut diceret filios quos genuerant. Solet enim in scripturis homo aliquando animæ solius, aliquando carnis nomine solius indicari. Animæ, sicut dictum est: *anima qua peccaverit, ipsa morietur*; carnis, ut in Psalmo: *ad te omnis caro veniet*, cùm neque caro sine anima ad Deum venire, neque sine carne possit anima peccare; sed propter unam partem totus homo signetur. Neque ex hac sententia quicquam habent auxilii qui sicut carnem ex carne, ita ex anima animam æstimant procreari: cùm vocabulo animæ, ut diximus, totus homo designetur. Animas autem fecisse, id est animas procreasse in Haran non Abraham & Loth, sed familiæ eorum & vernaculi intelligendi sunt: nam ipsos patriarchas adhuc absque liberis permansisse sequentia sacræ historiæ testantur.

Ezech. 18. 20. Psal. 64. 3.

(a) CUMQUE [a] VENISSENT IN EAM, PERTRANSIVIT ABRAM TERRAM USQUE AD LOCUM SYCHEM, USQUE AD CONVALLEM INLUSTREM. CHANANÆUS AUTEM TUNC ERAT IN TERRA: APPARUITQUE DOMINUS ABRAM, ET DIXIT EI: SEMINI TUO DABO TERRAM HANC: QUI ÆDIFICAVIT IBI ALTARE DOMINO. Supra legitur quia commorantem adhuc in Haran Abram Dominus allocutus est, eumque multiplici benedictione promissa, exinde abire, & in terram quam ipse monstraret, venire præcepit: quod ubi fecit, & divinis libenter obedivit præceptis, mox majore Dei gratia dignus efficitur; ita ut non solum allocutione ejus, sicut prius, sed & visione frui mereretur. Qui cum eadem visione atque allocutione divina cognovisset hanc esse terram, quam sibi possidendam promiserat; confestim eam quasi vir Deo devotus posito altari ei attitulare, atque ad offerendas ei victimas consecrare curavit. Verùm quia sacra historia mysteriis typicis est plena, notandum quòd eadem Domini apparitio atque altaris erectio in loco Sychem & in convalle inlustri facta esse memoratur, QUÆ CONVALLIS inlustris figuratè, nisi humilitas intelligenda est? quam vocati à Domino à laboribus & oneribus sæculi hujus primam inter virtutes habere debemus, dicente ipso: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve est.* Cujus oneris [b] portationi congruit mysticè locus Sychem, quia hic cum valle inlustri pariter nominatur: Sychem quippe latinè in humeros transfertur, quia nimirum cum humilitate mentis bonorum nos operum oportet onera gestanda suscipere: quod cùm agere sollicitè curamus, mox Dominicæ visitationis & consolationis accipere gratiam merebimur, ut paulatim ad sublimiores virtutum gradus valeamus ascendere. Unde rectè de [c] processibus itinerum Abrahæ quæ bonorum operum profectus designant, adjungitur:

Humilitas convallis illustris.

Matth. 11. 29.

(b)

(c)

ET INDE TRANSGREDIENS AD MONTEM QUI ERAT CONTRA ORIENTEM BETHEL, TETENDIT IBI TABERNACULUM SUUM, AB OCCIDENTE HABENS BETHEL ET AB ORIENTE AI: ÆDIFICAVIT QUOQUE ALTARE IBI DOMINO ET INVOCAVIT NOMEN EJUS. Post convallem quippe ad montana conscendit, quia per humilitatem propriæ dispectionis ad sublimitatem debemus Deo devotæ actionis ascendere. Et ibi quoque, sicut & in convalle, ædificavit altare Domino, ac nomen ejus invocavit, quia & ut humiliemur in conspectu Domini, & ut sublimia virtutum opera faciamus, utrumque divinæ dignationis est donum: pro utroque illi gratiarum laudes debemus offerre. Et quia semper in virtutibus esse debet ad altiora progressus, aptè subditur:

PERREXITQUE ABRAM VADENS, ET ULTRA PROGREDIENS AD MERIDIEM. Meridiana quippe plaga, unde sol ardentior mundum inlustrare consuevit, fervorem dilectionis mysticè demonstrat, [d] qua corda electorum, ne in rerum infimarum appetitu ac desideriis torpeant, Sole justitiæ desuper, videlicet Christo, [e] inlucente, semper accenduntur. Itaque Abraham videre ac nosse desiderans terram quam accepturus erat in possessionem, humana quidem curiositate perrexit, vadens & ultra progrediens ad meridiem: mystica autem significatione docuit se se ascendentem de virtute in virtutem continuum divinæ dilectionis, sicut & omnes electos, semper agere profectum, donec ipsum videre donetur Deum deorum in Sion. (d) (e)

FACTA EST AUTEM FAMES IN TERRA, DESCENDITQUE ABRAM IN ÆGYPTUM UT PEREGRINARETUR IBI. Post accepta promissa benedictionis, post ingressam terram promissionis, post ædificatum in ea altare Domino, post invocatum nomen illius, fame tentatur Abraham, & tanta fame, cujus gratia eam quam in promissione acceperat, mox ut vidit & adiit, terram relinqueret; sed & Isaac, sed & Jacob, ac filii ejus simili cogente necessitate eamdem promissionis terram relinquebant, & sicut Psalmista canit, *pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum*: quod non casu, sed [f] superna utique provisione factum esse credendum est, ut & ipsi videlicet, & omnes ejusdem promissionis heredes intelligerent, ita se divinæ benedictionis dona suscepisse, ut in hac tamen vita labor sibi & adflictio sustinenda temporalis, sed in futuro sit requies ac beatitudo expectanda perennis, ubi & hoc quoque daretur intelligi, quòd ita terra Chanaan in possessionem sit promissa Abrahæ ac semini ejus, ut hæc magis hereditatem patriæ cælestis significet, de qua scriptum est: *Justi vero [g] hereditate possidebunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* Quod de terra hujus sæculi quæ justis & injustis est communis dictum non esse constat, dum & in sæculum sæculi & [h] à justis possidenda narratur. Promittitur ergo

Psal. 104. 13. (f)

Labor in præsenti, requies in futura vita.

(g) Psal. 36. 29. (h)

(a) *Al.* venisset. (b) *Al.* portioni. (c) *Al.* processionibus. (d) *Al.* quia.

(e) *Al.* inlucescente. (f) *Al.* divina. (g) *Al.* hereditatem. (h) *Al* justis solis.

terra Chanaan Abraham & semini ejus, ac post longum laborem Ægyptiæ servitutis Jesu duce redditur, ut insinuetur mysticè quia promissa nobis olim patria cælestis post adflictionem exilii præsentis sit reddenda per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Sed & in eadem terra Chanaan filii promissionis numquam à laborando sive contra hostes certando cessabant, ut intelligerent, sicut præfati sumus, aliam sibi magis patriam post hanc esse quærendam, in qua veraciter benedictione cælesti & requie fruentur æterna: cui nimirum dispensationi divinæ providentiæ congruit etiam hoc quòd peregrinans in Ægypto Abraham periclitatus est propter uxorem; sed periclitanti ne læderetur divina protectione subventum est, ut videlicet patesceret quia non solùm generalia mundi mala, ut est fames, morbi, captivitas, justi cum reprobis in hac vita subituri, verùm etiam speciales ab ipsis reprobis essent tribulationes passuri, pro quibus tantum omnibus ea quæ reprobi non norunt præmia in futuro perciperent. Sequitur.

CUMQUE PROPE ESSET UT INGREDERETUR ÆGYPTUM, DIXIT SARAI UXORI SUÆ: NOVI QUOD PULCHRA SIS MULIER, ET QUOD CUM VIDERINT TE ÆGYPTII, DICTURI SUNT QUOD UXOR IPSIUS EST, ET INTERFICIENT ME, ET TE RESERVABUNT: DIC ERGO, OBSECRO, QUOD SOROR MEA SIS, UT BENE SIT MIHI PROPTER TE, & cetera usque dum dictum est, FLAGELLAVIT AUTEM DOMINUS PHARAONEM PLAGIS MAXIMIS ET DOMUM EJUS PROPTER SARAI UXOREM [a] ABRAM; VOCAVITQUE PHARAO ABRAM, ET DIXIT EI: QUID NAM EST QUOD FECISTI MIHI? QUARE NON INDICASTI QUOD UXOR TUA ESSET? QUAM OB CAUSAM DIXISTI ESSE SOROREM TUAM, UT TOLLEREM EAM MIHI UXOREM. Nihil mentitus est Abraham quia uxorem suam dixit sororem. Erat enim & hoc, quia propinqua sanguine, sicut etiam Loth eadem propinquitate, cùm fratris ejus esset filius, frater ejus est dictus. Itaque uxorem tacuit, non negavit sororem, conjugii tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas insidias cavens ut homo, quoniam si periculum, quantùm caveri poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quàm speraret in eum. Denique factum est quod de Domino præsumsit Abraham, nam Pharao rex Ægypti, qui eam sibi uxorem acceperat, graviter adflictus, marito reddidit: ubi absit ut eam credamus alieno concubitu fuisse pollutam, quia multò est credibilius hoc Pharaonem facere adflictionibus magnis non fuisse permissum. Potest & hoc dici, quòd juxta librum Hester ubi quæcumque mulierum placuisset regi, sex mensibus oleo ungebatur myrtino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus utebatur, & tunc demum ingrediebatur ad regem. [b] Poterat fieri ut Saraï postquam placuit regi, dum per annum ejus ad eum præparatur introïtus, & Abrahæ Pharao multa donaverat, & Pharao postea sit percussus à Domino, illa adhuc intacta ab ejus concubitu permanente.

Abraham excusatur à mendacio.

ASCENDIT ERGO ABRAM DE ÆGYPTO, IPSE ET UXOR EJUS, ET OMNIA QUÆ HABEBAT, ET LOTH CUM EO AD AUSTRALEM PLAGAM. Australem plagam non Ægypti dicit, sed terræ repromissionis: neque enim de Ægypto ad austrum fecit iter, quod quicumque fecerit, longius à terra repromissionis abscedit: sed Ægyptum totam deserens, cujus partem adierat, Australem terræ repromissionis plagam, quæ [c] proxima erat, primùm conscendit. Notandum quoque juxta litteram quod & supra in Ægyptum descendisse, & nunc de Ægypto ascendere memoratur Abraham, quia nimirum terra Ægypti non solùm terræ Chanaan, sed & ceteris mundi regionibus jacere perhibetur inferior, sicut econtra Sytharum regio aliis terrarum partibus fertur eminere sublimior: quod ex fluminum cursibus in hanc aliunde defluentium, ex illa profluentium, facillimè potest conjici. Congruit autem aptissimè typicis sensibus, ut terra Chanaan altior sit Ægypto, quia hæc nimirum promissionem patriæ cælestis, illa designat pressuras ac labores vitæ præsentis. Nam hanc Dominus & promisit & dedit hereditatem Israhel populo suo: in illa verò & Abraham periclitatus, quamvis citissimè à Domino tutatus, & progenies ejus gravissimo est diutius servitio pressa, quamvis & ipsa ad ultimum mirabiliter redemta, atque inde educta est. Altior ergo est terra repromissionis finibus Ægypti, tametsi in proximo sita, quia etsi communem in hoc sæculo justi [d] ac reprobi vitam foris agere videntur, magna tamen sublimitate devotæ mentis cæli cives omnibus mundi hujus amatoribus antecellunt. Quod ergo dicitur de Abraham quia ascenderit de Ægypto, & cum suis omnibus venerit ad australem plagam, significat typicè quòd & ipse dum viveret in carne, & omnes electi, filii videlicet ejusdem promissionis, ita cogitationem pro tempore ad curanda corporis necessaria deflectunt in infimis, ut mox expleta eadem corporis cura, ad contemplanda ea quæ sursum sunt totam mentis intentionem revocent, ac sese fervore dilectionis & luce gratiæ cælestis à Sole justitiæ quærant innovari: hoc est enim mysticè ascendentes de Ægypto ad australem plagam venire, expletis nos carnis necessariis, supernæ lucis & caritatis profectum [e] à Domino sedula intentione postulare. Tali namque voto ac proposito mentis ad cælestem nos patriam iter facere non dubium est: unde aptè subditur,

REVERSUSQUE EST PER ITER QUO VENERAT A MERIDIE IN BETHEL. Per meridiem nos quippe ad Bethel tendere est per lumen scientiæ cælestis, perque inspirationem intimi amoris ad ingressum domus Dei, quod Bethel significat, crebris bonorum operum gressibus properare; illius videlicet domus, quæ sicut Apostolus ait, non manufacta sed est æterna in cælis, 2. Cor. 5. 1.

[a] Al. Abræ.
[b] Al. poterit.
[c] Al. pro maxima.
[d] Al. cum reprobis.
[e] al. ad Dominum.

quam videre desiderabat Propheta, cùm dice- A
Psal. 25. 8. bat : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum*
[a] [a] *tabernaculi gloriæ tuæ.*

USQUE AD LOCUM UBI PRIUS FIXERAT TABERNACULUM INTER BETHEL ET AI : IN LOCO ALTARIS QUOD FECERAT PRIUS, ET INVOCAVIT NOMEN DOMINI. Notandum quod beatus Abraham profectus electorum itinere suo figurans, in Bethel quidem à meridie sive per meridiem reversus esse narratur, nec tamen eamdem civitatem ingressus esse subjungitur; sed inter hanc & Aï
[b] pervenisse, ibique Dominum [b] invocasse perhibetur. Qui locus orationis in monte esse positus supra memoratur, quia nimirum electi carnis adhuc vinculo retenti, & in profectu virtutum positi, tota quidem mentis intentione ad domum supernæ habitationis pervenire satagunt, continuis bonorum operum gressibus ad hanc properare contendunt; sed necdum hanc intrare, necdum cives Regemque ejus in
[c] [c] decore suo cernere possunt : verùm inter acceptionem fidei, qua Domino consecrati sunt, & ingressum regni in quo eum videre desiderant, altitudinem bonæ actionis quasi medium montis eximii verticem conscendunt. Ai namque sive Aggaï, ut antiqui Translatores nomen urbis illius posuerunt, interpretatur Quæstio, sive Festivitas : quod videlicet nomen aptissimè tempori congruit illo, quo quisque fidelium Domino consecratur sacramentis salutaribus : de quo ammonens Apostolus ait :
Ephes. 4. 30. *Nolite contristare Spiritum-sanctum Dei, in quo signati estis in die redemtionis.* QUANTA enim festivitas mentis est redimi à potestate tenebrarum, & inlustratione Spiritus-sancti signaculum veri Regis effici? quæ civitas invictæ fidei etiam quæstio potest rectè vocari : per hanc enim sive electi Dominum, à quo longius
[d] [d] aberraverunt, quærere didicerunt, sive ipse Dominus eos quasi oves suas bonus pastor se
Luc 19. 10. quæsisse innotuit, juxta quod ipse ait : *Filius hominis venit quærere, & salvum facere quod perierat.* Ædificant autem sancti in præfato monte bonæ conversationis altare Domino, non aliud utique, quàm suum corpus & animam, in quo & nomen ejus invocant, scientes se absque auxilio nominis ejus nec viam justitiæ cœpisse, neque cursum boni propositi consummare valere. Hæc de loco altaris Abraham idcirco diligentius explanare curavimus, ne quis putaret beatum Moysen historiæ gratia diligentiæ & non potius intuitu spiritalis intelligentiæ tam solerter locum tabernaculi & altaris vel orationis ejus iterata narratione voluisse describere. Ubi & hoc notandum quod Abraham non in Ægypto, sicut nec in Chaldæa, sive in Haran, sed tantùm in terra Chanaan, quam in promissione accepit, vel fecisse altare vel Dominum invocasse describitur : quia nimirum non nisi in unitate fidei catholicæ, non nisi in spe supernæ
[e] promissionis, perfecta opera [e] facere, ac digna Deo vota offerre valemus. Bethel autem ipsa est quæ prius Luza vocabatur, & à Jacob, cùm ibi dormiens cælestia miracula atque agmina vidisset, Bethel nomen accepit; civitas sicut & Ai duodecimo circiter milliario ab Hyerusalem sita euntibus Neapolim.

SED ET LOTH QUI ERAT CUM ABRAM FUERUNT [f] GREGES OVIUM, ET ARMENTA, ET TABERNACULA; NEC POTERAT EOS CAPERE TERRA UT HABITARENT SIMUL : ERAT QUIPPE SUBSTANTIA EORUM MULTA, ET NON QUIBANT HABITARE COMMUNITER : UNDE ET FACTA EST RIXA INTER PASTORES GREGUM ABRAM ET LOTH, & cetera quibus ex ordine replicatur quomodo [f]
B Loth ab Abraham salva caritate discessit, malente illo fratrem carissimum & sanctissimum à se corporaliter separari, quàm cum scandalo & jurgiis [g] infirmorum secum teneri : quem [g] tamen à se corpore separatum nequaquam ab intimo suæ mentis amore separavit, sicut sequentia sacræ historiæ manifestissimè probant : ubi eum ab hostibus captum strenuissimè cum suis omnibus salvavit, & meritò quia nec ipse Loth opus virtutis ac fidei, quod cum fratre majore consueverat exercere, etiam separatim conversatus ulla in parte mutavit.

C ELEVATIS ITAQUE LOTH OCULIS, VIDIT OMNEM CIRCA REGIONEM JORDANIS, QUÆ UNIVERSA INRIGABATUR ANTEQUAM SUBVERTERET DOMINUS SODOMAM ET [h] GOMORRAM, SICUT PARADISUS DOMINI ET SICUT ÆGYPTUS VENIENTIBUS IN SEGOR : ELEGITQUE SIBI LOTH REGIONEM CIRCA JORDANEM, ET RECESSIT AB ORIENTE, & cætera usque dum ait : HOMINES AUTEM SODOMITÆ PESSIMI ERANT ET PECCATORES CORAM DOMINO NIMIS. Fertilitatem terræ laudat, simul & incolarum notat impietatem, ut eo majori damnatione digni esse intelligantur, quòd maxima Dei munera non ad [h]
D fructum pietatis, sed ad incrementum vertere luxuriæ : ubi etiam tacitè laudibus beati Loth additur, quia in ipsa terra inter ipsos degens indigenas, neque ubertate soli divitis, neque exemplo cohabitantium potuit ullatenus à suæ puritatis integritate corrumpi. Quibus autem peccatis Sodomitæ fuerint subjugati, excepto illo infando quod in sequentibus scriptura commemorat, Hyezechiel propheta sufficienter exponit, loquens ad Hierusalem : *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus; & manum egeno & pauperi non* [i] *porrigebant, & elevatæ sunt, & fecerunt abominationes* [Loth in quo laudandus.] [Peccata Sodomorum quæ.] [Ezech. 16. 49.] [i]
E *coram me.* A quibus omnibus immunem fuisse beatum Loth, & textus sacræ historiæ testatur, quem angelos hospitio recepisse, ac per eos à pereuntibus impiis ereptum esse declarat; & sententia beati Petri apostoli probat, qua dicitur : *Et justum Loth oppressum à nefandorum injuria & conversatione* [k] *eruit.* Aspectu enim & auditu justus erat, habitans apud eos qui de die [2. Pet. 2. 7.] [k]

[a] *Al.* habitationis. [b] *Al.* invocare.
[c] *Al.* corde. [d] *Al.* erraverant.
[e] *Al. deest* facere.

[f] *Al.* tabernacula & armenta & oves.
[g] *al. deest* infirmorum. [h] *al.* Gomurram.
[i] *al.* porrigebat. [k] *al.* eripuit.

in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Quid enim boni meriti ei deesse poterat, qui justus apostolica voce astruitur? in quo præsentes non nisi justitiæ famam audire valebant, cujus oculis & auribus mundis audita ac visa proximorum facinora non nisi cruciatus & adflictio erant? quod verò dicitur de eo quia recessit ab oriente ad Haran, significat [a] & Mesopotamiam, unde jam dudum corporaliter Abraham ducente discesserat; sed quia de proposito mentis ejus dubitare lector poterat utrumnam adhuc amore cognationis ac patriæ teneretur, an jam perfectè quomodo Abraham & ipse de terra & cognatione & de domo patris sui fuerit egressus, curavit scriptura etiam de ipso specialiter intimare, quòd ab illis locis atque incolis non solùm corpore, sed & mente recesserit, atque ob fidem ac spem divinæ benedictionis perpetuus ubicumque Abrahæ placuisset hospes ac peregrinus manere consenserit. Nam quia Haran, civitas ad orientalem plagam à terra repromissionis sita sit, testatur scriptura, quæ in sequentibus dicit: *Profectus ergo Jacob venit ad* [b] *terram orientalem*, cùm utique de Bethel ad Haran iter fecisset.

DIXITQUE DOMINUS AD ABRAM POSTQUAM DIVISUS EST LOTH AB EO: LEVA OCULOS TUOS, ET VIDE A LOCO IN QUO NUNC ES AD AQUILONEM, ET MERIDIEM, ET AD ORIENTEM, ET AD OCCIDENTEM: OMNEM TERRAM QUAM CONSPICIS TIBI DABO ET SEMINI TUO USQUE IN SEMPITERNUM. Quidam codices habent *usque in sæculum*, quod utrumque ex uno græco quod est [c] Æonion, *i. d.* transfertur. Si ergo legatur usque *in æternum*, meritò movet quomodo in sempiternum possidere valeat semen Abrahæ terram illam, cùm humana conversatio in hac vita non possit esse sempiterna. Si vero legatur *in sæculum*, sicque accipiatur, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri sæculi à fine præsentis ordiri, nil quæstionis movebit: quia etsi expulsi sunt Israhelitæ de Hierosolymis, manent tamen in aliis civitatibus terræ Chanaan, & usque in finem manebunt, & universa terra illa cum Christianis inhabitatur, & ipsum semen est Abrahæ. Potest autem etiam mysticè dictum intelligi beato Abrahæ, *omnem terram quam conspicis tibi dabo & semini tuo usque in sempiternum*; quia regio patriæ cælestis, quam terra illa repromissionis figurabat, ita ab electis omnibus, semine videlicet Abrahæ percipitur, ut in ea sine fine permaneant, juxta illud quod de igne holocausti dicitur in [d] Exodo: *Ignis est iste perpetuus qui numquam deficiet de altari.* Neque enim ignis ille materialis quo hostiæ cremabantur in tabernaculo perpetuus esse poterat, cùm & ipsum tabernaculum, & ipsum altare, & ipsum sacerdotium, etiam dudum ablata sint. Sed ignis dilectionis quo electi accenduntur ad offerenda Deo sacrificia orationum sive actionum bonarum numquam deficit de altari, id est de cordibus eorum quæ illo Moysaïco altari designabantur: quia in hac vita divino fervent amore, & in futuro Deum videntes perfectius, ex toto corde, tota anima, tota [e] virtute diligunt, & multa hujusmodi in cerimoniis legis invenies, quæ cùm perpetuo jure facienda sive mansura dicta sint, non tamen fuisse perpetua, nisi spiritaliter intellecta, probantur.

MOVENS IGITUR ABRAM TABERNACULUM SUUM, VENIT, ET HABITAVIT JUXTA CONVALLEM MAMBRE QUOD EST IN HEBRON. Hebron civitas est distans ad meridianam plagam ab Hierusalem millibus circiter viginti duobus, quæ temporibus Moysi Arbe sive Chariatharbe, id est civitas Quatuor vocabatur, eo quod ibi tres patriarchæ Abraham, Isaac & Jacob sepulti sunt, & Adam protoplastus, ut in Jesu libro scriptum est, postea verò Hebron ab uno filiorum Chaleb sortita vocabulum est, ut Verba dierum narrant. Si quem movet quomodo nunc & ante tempora filiorum hoc appellatur nomine, intelligat ab Ezra sacerdote cùm renovaret scripturam sacram, quæ à Chaldæis fuerat exusta, hoc in loco vocabulum Ebron addi potuisse, qualia multa in scripturis ab eo addita [f] periti litterarum sanctarum repperiunt.

Patriarchæ quatuor in Hebron sepulti.

Scripturis multa addita ab Esdra.

ÆDIFICAVITQUE ALTARE DOMINO. Tertiumque hoc altare Abraham ædificat: primum quippe juxta locum Sychem, secundum inter Bethel & Aï ædificaverat. In quibus omnibus notandum quia nusquam ab eo sacrificium oblatum, sed tantùm nomen Domini invocatum scriptura commemorat; sed nec in scripturis sequentibus ullam Deo victimam aut sacrificium obtulisse reperitur, excepto uno ariete, quem pro filio obtulit holocaustum Domino, in quo Passio est Mediatoris Dei & hominum apertissimè figurata. Sed nec Isaac filius ejus aliquam Deo hostiam obtulisse, sed tantum altare Domino ædificasse legitur. Similiter & Jacob cùm jubente Domino altare fecerit, nullas tamen victimas mactasse reperitur, excepto cùm, relicta terra repromissionis, Ægyptum propter Joseph erat ingressurus. Tunc etenim perveniens Bersabée, mactatis ibi victimis, Dei ad se oraculum accepisse perhibetur: quarum tamen ibi & species reticetur & numerus: neque ullam exinde usque ad tempus Paschæ, quod in Ægypto in agni sanguine immolatum est, oblata Deo hostia à patribus per tot annorum curricula invenitur. Quid est ergo quod à tempore repromissionis factæ ad Abraham usque ad tempus datæ legis nullæ offerebantur victimæ, præter unam solummodo, quam pro filio pater immolavit in figuram Dei Patris, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, & tanta postmodum in lege copia victimarum cotidie non cessabat offerri, nisi quia manifeste præsagabatur, quòd gratia & veritas quæ

Sacrificia rara ab antiquis Patriarchis oblata.

[a] *Al.* & Mesopotamia, *al.* & à Mesopotamia.
[b] *Al.* Orientalem plagam.
[c] *Al.* deest Æonion.
[d] Immo in Levitico c. 6. 13.
[e] *Al.* mente.
[f] *Al.* imperiti.

Abrahæ & semini ejus erat promissa, non in A
[a] oblationibus [a] hostiarum, sed in Christi erat passione mundo reddenda? per cujus fidem ac sacramenta passionis non solum nos, sed & illi qui ejusdem passionis tempora præcesserunt,
[b] salvi facti sunt justi. Cui [b] figuræ astipulatur quod Melchisedech sacerdos Dei excelsi, qui temporibus patriarcharum fuit, non sanguinem victimarum, sed panem & vinum Domino legitur obtulisse, & non legalis sacerdotii, sed Evangelici formam prætulisse: qui etiam ipsum Abraham, cui benedictio, & in quo benedictio omnium gentium erat promissa, benedixit, ut per omnia patesceret quia promis- B sio patribus data non per cerimonias legis Moysaïcæ, sed per gratiam esset dominicæ passionis implenda.

Factum est autem in illo tempore ut Amraphel rex Sennaar, et Arioch rex Ponti, et Chodorlahomor rex Ælamitarum, et Thadal rex gentium
[c] inirent bellum contra [c] Basra regem Sodomorum et contra Bersa re-
[d] gem [d] Gomorræ, & cetera. Quibus refertur quomodo Chodorlachomor rex Ælamitarum, id est Persarum cum sociis sibi regibus contra Pentapolim bellum agens vicerit, C quasque gentes, cùm ad hoc certamen properarent, sibi itinere occurrentes peremerint: Non est autem putandum hæc sacræ auctorem
[e] scripturæ historici tantum studii gratia [e] memoriæ mandasse, & non intuitu potius commendandæ nobis gratiæ cælestis, docet namque nos per victoriam Abrahæ, qua tantos reges cum paucis superavit; quæ sit virtus fidei, qua erat ipse munitus; quanta gratia benedictionis divinæ, qua erat præditus: quia modo per eamdem fidem sancti postmodum nascituri, devicturi regna, operaturi justitiam, adepturi essent promissiones. Sed & alia permagna, D neque ullatenus prætereunda causa est, quorum pugna regum, & Sodomorum primo fuga, ac post ereptio scriberetur, quos etiam in sequentibus cælesti ira penitus constat esse subversos. Videns quippe eorum scelera Deus, primò hac cæde hostili & captivitate corripuit:
[f] sed mox per fidelem suum [f] famulum ab eadem eos captivitate cum omnibus quæ erant capta eripuit: & hoc ob gratiam beati Loth, qui inter eos fideliter Deo servivit, ut tali dono divinæ protectionis adjuti, ac liberati de malis, discerent & ipsi relictis erroribus Deo servire, ejusque ad bona opera sequerentur E exemplum à quo & per quem Dei sunt gratia salvati. Verum quia nec ipsi, nec correptionibus divinis, nec donis à sua iniquitate voluere corrigi; quin potius priscæ scelera pravitatis recentibus cotidie accumulaverunt flagitiis, restabat ut ira cælesti perpetuò damnarentur, cujus correptionis ac punitionis ordo usque hodie, immo usque in finem sæculi erga impios & peccatores eodem modo agi non desinit,

cùm hi qui nec beneficiis, nec flagellis cælestibus curant emendari, postmodum cælesti [g] ultione damnantur. [h] Taliter & ipse mundus statum suum sine fine consumet, dum homines per orbem universum & ad dona superna ingrati & ad flagella insensibiles perdurantes, subito novissimi examinis turbine ad æternum rapientur interitum. Quod verò dicitur, *omnes hi convenerunt in vallem silvestrem quæ nunc est mare salsum*, præoccupando perstingitur ubi sit pugna peracta. Nam subsequenter explicatur quæ sit causa duellii, quove itinere hostilis exercitus quanta strage patrata illò advenerit: ut quò major ostenditur virtus adversariorum, eò fortior appareat fides Abrahæ, per quam horum robur omne facillimè confregit. Vallis autem silvestris ipsa est regio in qua tunc Pentapolis, id est provincia Sodomorum & finitimarum erat civitatum, nunc autem superfusis post incendium de Jordane, mare salis, sive mare mortuum in scriptura sacra; ab historicis autem Græcorum lacus [i] Asfalti, id est bituminis appellatur, & est inter Hiericho & Segor. [g] [h] [i]

Percusseruntque Raphaim in Astarothcarnaim, et Zuzim cum eis, et Emim in Save, Cariathaim, Raphaim Hebraïce, Græcè [k] dicuntur Gigantes: singulari autem numero Rapha Gigans vocatur. Terra verò eorum, quæ vocabatur Astarothcarnaïm, in supercilio erat Sodomorum. Denique usque hodie vicus trans fluenta Jordanis Carnea dictus ostenditur. Interpretatur autem Astarothcarnaïm Ovilia cornuum, quia nimirum fortium erant mansiones virorum. Sava autem civitas Emiorum super regionem posita Sodomorum, quæ usque hodie sic vocatur. Quòd verò additur Cariathaïm, interpretatur Civitas eorum; & est sensus, percusserunt & Emim in Save civitate eorum, sicut & Septuaginta Interpretes transtulerunt. Emim sanè sicut & Zuzim gentem fuisse fortissimam, etiam ipso nomine probatur. Zuzim namque Terribiles, Emim dicuntur Horrendi. [k]

Et Horreos in montibus Seir. Hos quidem montes cum finitimis regionibus sequenti post hæc tempore filii Esaü, qui vocabatur & Seir, eo quod esset pilosus, ejectis Horreis, possederunt: non tamen ipse, ut verisimile videtur, sed alter erat Seir, à quo montes Seir vocabulum acceperunt: patriarcha videlicet Horreorum, de cujus stirpe Esaü accepit uxorem, dicente scriptura in sequentibus, *Esaü accepit uxores de filiabus Chanaan, Ada filiam Helam Hethei, & Oolibama filiam Ana filii Esebon Evhæi*. Quæ autem vel unde hæc progenies fuerit paulo post aperitur cùm, enumerata stirpe Esaü, ita concluditur: *hi duces* [l] *Oolibama filiæ Ana uxoris Esau isti filii Esau, & hi duces eorum* [m] *ipse est Edom*; statimque novus subjungitur titulus quod dicitur: *isti filii Seir Horrei* [n] *habitatores terræ Lotham & Sobal & Sebeon.* Genes. 36. 2. [l] [m] [n]

[a] *Al.* victimarum. [b] *Al.* figuratè.
[c] *Al.* Bara. [d] *Al.* Gomurræ.
[e] *Al.* memorare. [f] *Al.* deest famulum.
[g] *Al.* damnatione multantur. [h] *Al.* tali.... statum suum fine. (i) *al.* afflati. (k) *al.* dicitur.
(l) *Al.* Oolibania. (m) *al.* deest ipse est.
(n) *al.* habitatoris.

Et post pauca: *Et hi filii Sebeon Achia & Anam. Iste est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine cum pasceret* [a] *asinos Sebeon patris sui, habuitque filium Disan, & filiam* [b] *Oolibama.* Cùm ergo Esaü uxorem habuit de genere Horreorum, Oolibama filiam Ana filii Sebeon filii Seir, constat utique quia montes Seir, in quibus Horrei [c] percussi sunt, non ab Esaü qui longè post natus, ea loca possidere cœpit, sed à Seir patriarcha eorumdem [d] Horreorum nomen accepit.

REVERSIQUE SUNT, ET VENERUNT AD FONTEM MESPHAT. IPSA EST CADES. Mesphat interpretatur Judicium: unde vetus Translatio modo dicit apertiùs, *venerunt ad fontem judicii*. Dicitur autem & hoc per anticipationem, cùm longè post illud nomen locus acceperit, eo quod ibi Dominus egressum ex Ægypto populum judicaverit.

ET PERCUSSERUNT OMNEM REGIONEM AMALECHITARUM. Superiori versu jungendum est, ut intelligatur juxta Cades Barne cæsum esse populum Amalech, ubi accubuit Maria, & Moyses rupe percussa aquas sitienti populo de petra produxit.

Quod vero sequitur: ET AMORRÆUM QUI HABITABAT IN ASASON THAMAR, ad alium locum pertinet, hoc est oppidum quod nunc vocatur Engaddi, balsami & palmarum fertile: unde Asason Thamar Urbs palmarum interpretatur. Thamar quippe Palma dicitur.

ET DIREXERUNT CONTRA EOS ACIEM IN VALLE SILVESTRI. Pro valle silvestri in hebræo habet *in valle Seddim*, quod significat amœna & nemorosa loca. Talis enim erat Pentapolis quæ propter malitiam inhabitantium non solùm ignibus absumi, sed & aquarum abysso meruit à cunctorum viventium intuitu in perpetuum abscondi.

ET ECCE UNUS QUI EVASERAT, NUNCIAVIT ABRAM HEBRÆO. Patet ex hoc loco quia errant nimium qui gentem Hebræorum à nomine Abraham esse cognominatam quasi Ebream putant, cùm & ipse Abraham Hebræus appellatur; videlicet ab Heber filio Jectan, cujus temporibus linguarum divisio facta est. Interpretatur autem Hebræus Transitor, quod fidei ac meritis Abraham manifestè congruit. Transcendebat namque desideria temporalia, & de præsenti sæculo ad futura gaudia transire festinabat. [e] SANCTUS etenim habitator terræ non est, sed viator & advena, dicens suo Conditori, quoniam incola ego sum apud te in terra & peregrinus sicut omnes patres mei. Non enim frustra, cùm ambo fratres Abraham videlicet & Loth de Heber stirpe descenderint, non tamen ambo Hebræi, sed Abraham solus vocatus est; & hoc quoque nomen nascenti ex se Dei populo reliquit; sed quia ipse perfectiùs mundum transeat, ejusdemque transitus quasi hereditarium jus suos [f] transmisit in posteros, designatur ex cognomine quid amplius fratre percepisset in munere. Et aptè

Abraham cur dictus Hebræus, non Loth.

Abraham hoc loco primum Hebræus, id est Transitor appellatur, cùm fratrem periclitantem ab hostibus erat erepturus, ut scriptura tacitè intimaret, QUIA ILLORUM propriè est alios à periculis tentationum sua vel doctrina vel intercessione salvare, qui non ipsi tentamentis vitiorum enerviter succumbere, sed hæc alacri animo transcendere norunt. Liberavit autem Abraham Loth fratrem suum virum Deo devotum ab hostibus, liberavit & Sodomitas homines Deo multùm odiosos, ut mysticè præfiguraretur quia per merita & intercessiones ejus sæpe & electi in populo Israël & reprobi de temporalibus essent malis erudiendi: [g] cùm non nisi electi solummodo ab æterno possint interitu salvari. Notandumque quia manente adhuc, nec punita provincia Sodomorum, & propter reprobos Loth justus temporalibus est [h] damnis adflictus, & propter Loth justum reprobi sunt à temporalibus ærumnis, Deo miserante, subducti. At ubi reprobis civibus judicium ultimæ districtionis incubuit, tunc nec justus sceleratorum pœnis ullatenus adtingi, neque mirabili ejus salvationi pravorum quispiam valuit participari, sed soli tunc boni salvati, soli sunt pravi perditi: in quo liquido mundi totius & status est expressus & finis, quia nimirum in hac vita nonnumquam & propter malorum viciniam temporaliter affliguntur boni, & propter viciniam bonorum eripiuntur ab adversitatibus temporaliter mali. At in articulo ultimi examinis soli æternaliter perdentur iniqui, soli sine fine liberabuntur justi.

Electi propter reprobos hic afflicti, reprobi propter electos salvati.

QUOD CUM AUDISSET ABRAM CAPTUM [i] VIDELICET LOTH FRATREM SUUM, NUMERAVIT EXPEDITOS VERNACULOS SUOS TRECENTOS DECEM ET OCTO, & cetera. Miraculum quidem est divinæ potentiæ permaximum, quòd cum cohorte tam modica tantam hostium stragem fecerit Abraham, sed altius sacramentum fidei, in qua nobis spiritalis est pugna superanda, continet numerus ille militum cum quibus superavit. Erant quippe trecenti decem & octo, quo nimirum numero signum victoriosissimæ crucis & nomen Salvatoris nostri JESU CHRISTI, per quem hoc in munimentum nostræ salutis consecratum est, designatur. Si quidem apud Græcos trecenti per T. litteram notantur, quæ in crucis figuram aptatur. Nam si apicem in medio recepisset, non figura crucis, sed ipsum jam signum crucis manifestè cerneretur expressum. Decem verò & octo apud eos per I. & H. quæ in nomine JESU primæ sunt litteræ notantur: & ideo cùm trecenti decem & octo græce notantur, non multum distat ab eo ut crux JESU legi possit. Bene ergo in trecentis decem & octo sociis vicit hostes, ac fratrem liberavit Abraham, ut mysticè figuraret nasciturum de suo semine eum, qui per passionem crucis mundum à morte revocaret; & ipse quoque nomine Salvatoris, id est JESUS, sublimis atque omni mundo

Numeri CCCXVIII. mysterium.

[a] *Al.* asinas. [b] *Al.* Oolibania.
[c] *Al.* percusserunt.
[d] *Corb.* Chorreorum *qui tamen supra legit* Horreos.

[e] *Al.* Spiritus. [f] *Al.* transmitteret.
[g] *al.* quæ non nisi, *al.* quò non nisi.
[h] *Al.* malis. [i] *Al. addit* esse.

colendus emineret: sed & omnes qui ad salutem pertinerent, non nisi per hoc signum venerabile, [a] perque nomen ejus terribile salutem esse consecuturos.

ET PERSECUTUS EST EOS USQUE DAN, ET DIVISIS SOCIIS INRUIT SUPER EOS NOCTE, PERCUSSITQUE EOS; ET PERSECUTUS EST USQUE HOBA, QUÆ EST AD LÆVAM DAMASCI. Cuncta [b] sacri eloquii series mysticis est plena figuris, nec tantùm dictis & factis, sed & ipsis in quibus agitur locis ac temporibus congruit illud apostolicum, quia *omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos.* (1. Cor. 10. 11.) Dan interpretatur Judicium, Hoba Condemnatio, Damascus Sanguinis poculum. Persequens ergo hostes Abraham invenit in Dan, & incautos securosque nocte percussit eos, qui usque ad id locorum sævisse gloriantes, quasi capta præda lætabantur; quia peccatores quique & in hujus vitæ divitiis atque in oppressione innocentium se extollentes usque ad discrimen divini examinis de suis gloriari permittuntur operibus; sed cum cæcitate improvida, quasi in media nocte positi, dixerint pax & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus: unde bene dicitur percussisse, persecutosque eos esse usque Hoba, id est Condemnationem, quæ non alia condemnatio, quàm repentini & æterni interitus debet intelligi. *Quæ est*, inquit, *ad lævam Damasci.* Damascus, ut diximus, interpretatur Sanguinis poculum: quo nomine delectatio vitiorum rectè significatur. QUID ENIM delectatio peccati, nisi sanguinis est poculum, cùm quis ea quæ carnis sunt & sanguinis absque ulla retractatione complere studuerit? Et est Hoba ubi percussit adversarios Abraham ad lævam Damasci, quia damnatio quæ impios punitura est, in pœnam eos perpetuam cum diabolo & angelis ejus, quæ per lævam solet designari, retrudet. Est autem Damascus urbs nobilis Fœnicis & Syriæ quondam totius metropolis. Dan quoque Fœnicis oppidum erat terminus Judææ provinciæ contra Septentrionem ubi hodie Paneas, quæ quondam Cæsarea Philippi vocabatur: unde & Jordanis sortitus est vocabulum, qui fluit de Libano. Dan quippe unus est de fontibus ejus; alter vocatur Jor, quod interpretatur Rivus. Duobus ergo fontibus qui haud procul à se distant in unum rivulum fœderatis, Jordanis deinceps appellatur. (Jordanis fluvius unde dictus.)

AT VERO MELCHISEDECH REX SALEM PROFERENS PANEM ET VINUM (ERAT ENIM SACERDOS DEI ALTISSIMI) BENEDIXIT EI, ET AIT: BENEDICTUS DEUS ABRAM DEO EXCELSO QUI CREAVIT CÆLUM ET TERRAM, ET BENEDICTUS DEUS EXCELSUS, QUO PROTEGENTE HOSTES IN MANIBUS TUIS SUNT, ET DEDIT EI DECIMAS EX OMNIBUS. Notandum primò in hac lectione quia præmonstraverant patriarchæ quod prædicant apostoli: *Et si quid patitur*, inquit Paulus, *unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* (1. Cor. 12. 26.) Patiente quippe Loth adversa, compassus est Abraham; gaudentibus illis de ereptione ac victoria sua, congratulabatur Melchisedech, ac vincentem eum, qui pro fraternis ærumnis se se periculo dederat, cælesti benedictione perfundit: nec solummodo hominem victorem, sed & largitorem victoriæ Dominum digna laude magnificat, juxta illud Evangelicum: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* (Matth. 5. 16.) Deinde intuendum quod post certamen & victoriam benedicitur Abraham; & hoc à Rege ac sacerdote Dei altissimi: quia & nos omnes ad promissionem patriæ cælestis pertinemus, post labores bonorum operum benedictionem expectamus regni perennis, quod nobis paratum est ab origine mundi per Regem & sacerdotem magnum, Mediatorem videlicet Dei & hominum JESUM CHRISTUM; de cujus regno quod habet coæquale & coæternum cum Patre dicit in psalmo: *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & cetera: (Psal. 109. 1.) de cujus sacerdotio in quo se se obtulit hostiam Patri pro nobis, subdidit in eodem psalmo dicens: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* (Ibid. 4.) De cujus expositione versus & sacerdotio ac regno Domini JESU CHRISTI, quod in Melchisedech figuratum est, ideo nostram parvitatem hoc in loco brevissimè loqui ac tractare oportet, quoniam Apostolus maximam partem epistolæ ad Hebræos de his sublimissimè disputando atque explanando complevit, tantum vestigia ejus sectantes pauca de pluribus quæ ille posuit hic inserere commodum duximus.

Itaque Melchisedech Dominum Salvatorem significat: *primum quidem*, ut Apostolus ait, *qui interpretatur Rex justitiæ, deinde autem Rex Salem, quod est Rex pacis:* (Melchisedech Christi figura. Heb. 7. 2.) quibus verbis beatus Apostolus ita figuram Melchisedech qualiter sit intelligenda demonstrat, ut & nos apertissimè doceat in litteris Testamenti veteris non solùm rerum sed & nominum significationes quærere. Sicut ergo Melchisedech vocabulo suo & persona sua Regem justitiæ Christum, ita etiam vocabulo suæ civitatis Ecclesiam sanctorum, civitatem videlicet magni Regis figuratè denuntiat; de qua scriptum est: Et factus est in Salem, id est in pace locus ejus. (Psal. 75. 3.) Salem autem ipsa est quæ postea Hierusalem dicta à David rege, totius Judææ provinciæ metropolis facta est, eo quòd ibi locum Templi [c] emerit, & impensas structuræ Salomoni filio dereliquerat, quæ videlicet cuncta & alia innumera quæ de eadem civitate facta vel dicta leguntur, ad Ecclesiam pertinere cunctis legentibus patet. Qui etiam genere suo sacrificii sui, cujus & Abraham dum benediceret participem fecit, oblationem Novi Testamenti præmonstravit, (Eucharistiæ sacramentum in oblatione Melchisedech præmonstratum.) quam Dominus noster in sacramentum sui corporis ac sanguinis & ipse primus obtulit, & Ecclesiæ semper in remissionem peccatorum offerendam reliquit: in cujus participatione singulari omnes promissionis filios benedicendos esse perdocuit: adeo ut nemo absque hujus consortio vitæ consors possit esse perennis: *nisi enim manducaveritis*, in- (Joan. 6. 54.)

[a] *Al.* per quod. [b] *Al.* sacra.

[c] *Al.* elegerit, *al.* emserit.

quit, *carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* In magni ergo significatione sacramenti Melchisedech sacerdos benedixit Abrahæ, proferens ei partem sacrificii, quod Domino in pane & vino obtulerat: typicè nimirum insinuans, quia non solum nos qui post passionem Dominicam in carne venimus, sed & ipse Abraham qui acceperat repromissiones, & omne semen ejus electum per oblationem esse dominicæ passionis æterna benedictione donandum. Et quidem idem Abraham audierat à Domino: *Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Audierat: [a] *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ*; sed priusquam ullus ei filius, qui ejusdem benedictionis esset coheres, nasceretur; priusquam aliquam Deo hostiam pro donata benedictione gratias acturus offerret, occurrit Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum quæ Deo obtulerat, & benedixit ei, ut patenter intelligeret quia promissam sibi benedictionem per Regem justitiæ & auctorem summæ pacis, per pontificem eximium, per sacrificium mysticum panis & vini, esset cum omni suo semine percepturus. Non ergo glorientur Judæi de sacerdotio Levitico contra Christianos, cùm illi victimas carnium, nos panem & vinum Domino offeramus. Nostrum namque & tempore & dignitate sacrificium præstat: tempore videlicet, quia prius hoc obtulit Melchisedech, quàm illud Abraham vel qui ex eo de stirpe Levi venere pontifices: dignitate autem, quia de hoc non de illo dictum est ad Dominum Christum à Patre: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quod & ipso opere esse completum, & nunc in toto orbe manifestum, non nisi stultus & impius negat. Constat ergo majorem fuisse Melchisedech sacerdotem Abraham patriarcha. *Sine ulla enim contradictione*, ut Apostolus ait, *quod minus est à meliore benedicitur.* Majus sacrificium Melchisedech hostiis quæ in sequentibus obtulisse legitur Abraham: quia hoc Dominus Christus, illud Aaron: hoc Novi Testamenti sacerdotes, illud veteris erant oblaturi. Unde & bene subditur: *Et dedit ei decimas ex omnibus.* Quod multum sublimiter intellexit atque exposuit Apostolus; ut decimas ei daret Abraham non solum pro se, verum etiam & pro omnibus eis qui ex se erant nasciturì, in quibus fuerunt & ipsi sacerdotes qui decimas erant accepturi à populo: *Per Abraham*, inquit, *& Levi qui decimas accepit decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat quando obviavit ei Melchisedech.* Sicut ergo præcellebat tribus Levitica, id est sacerdotalis populus, à quo decimas accipiebat; sic & ipsis sacerdotibus ac levitis præcellebat Melchisedech, quando ab eis in patre Abraham [b] accepit: adhuc enim in lumbis erant. Abraham quippe hoc loco populum Israël cum suo sacerdotio designat, porro Melchisedech Mediatorem Dei & hominum cum sacerdotio quod & heredibus Novi Testamenti reliquit, singulariter exprimit: Et benedicitur, ac decimatur à Melchisedech Abraham, quia ipsi etiam qui in lege ac levitico sacerdotio præcipui extiterunt, non nisi à Domino Jesu Christo benedicerentur, non nisi ad eum cuncta quæ habere poterant virtutum referrent, & hæc ipsius fuisse gratiæ confiterentur, salvi esse potuerunt: unde & Petrus, clarescente jam gratia Evangelii, quasi sacerdotio quod secundùm ordinem Melchisedech promittebatur futurum, ait æmulatoribus observantiæ [c] legalis: *quid tentatis Deum imponere jugum servitutis super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus: sed per gratiam Domini* Jesu *credimus salvari quemadmodum & illi.* Dedit ergo Abraham decimas ex omnibus Melchisedech sacerdoti, à quo benedictionem acceperat: quia nimirum quod ille melioris intellexit sacerdotii typum & imaginem quam ipse præferebat; hoc est quod ipse legalis, ille pontificatus [d] Evangelici figuram gerebat. Ipse enim temporale sacerdotium quod per successiones pontificum servaretur ex se erat generaturus; ille neque initium sacerdotii neque finem neque præcessorem neque successorem habuisse legitur: unde convenienter imaginem præfert illius cui dictum est: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Hæc de Melchisedech paucis sint dicta prout nostro operi sufficere videbantur. Ceterum qui plenè de illo, deque eis quæ figuravit ille sacramentis scire desiderat, totam ad Hebræos epistolam sedulus legat.

Marginal notes: Sacrificium Christianorum præstat sacrificiis Judæorum. — Psal. 109. 4. — Hebr. 7. 7. — Ibid 9. — Act. 15. 10. — Abraham pecuniarum contemtor.

Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cetera tolle tibi. Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli et terræ quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, & cetera. Diligenter notandum, & ad exemplum vitæ moralis trahendum, quod Abraham qui quasi necessitatibus proximorum [e] veraciter compatiens, pro liberando Loth se periculo obtulerat, quasi Deo devotus sacerdoti à quo benedicebatur decimas dederat: ipse quasi pecuniarum contemtor, aliquid de præda quam eripuerat, etiam cùm rex cui vicerat obtulisset, accipere renuit. Quasi justitiæ amator militibus qui secum pugnaverant suas partes distribuere non neglexit. Merito talis conscientia ut ad arcem virtutum pervenire ociùs possit, novis semper gratiæ supernæ beneficiis adtollitur. Unde rectè his ita transactis [f] confestim dono cælestis oraculi ac divinæ benedictionis compos efficitur, quæ sequentis libri melius lectione consideranda & pertractanda servemus.

[g] *Explicit liber Bedæ tertius in Genesi.*

[a] *Al.* itaque. [b] *Al.* suscepit.
[c] *Al.* legis.
[d] *Al.* evangelii.

[e] *Al. deest* veraciter. [f] *Al. deest* confestim.
[g] *Flor.* Explicit liber tertius Hexameron Bedæ presbyteri. Incipit liber quartus.

INCIPIT

INCIPIT LIBER QUARTUS ejusdem in Genesi.

His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens: Noli timere, Abram, Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis. Benedictionem quam à sacerdote Melchisedech perceperat Abraham, hanc per se Dominus ipse confirmat. Dixerat
Gen. 14. 20. quippe sacerdos: *Et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Dicit Dominus: *Ego protector tuus sum.* Dixerat sacerdos:
[a] *Benedictus* [a] *Deus excelsus*; Dicit ipse Deus: *Et merces tua magna nimis.* Mercedem autem dicit, non tantùm dilectionis, quam fratri in angustia posito exhibuerat; sed & totius [b] dilectionis, qua ipsi Domino ex quo patriam parentesque deseruerat, integro ex corde servierat. [b]

Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi, ego vadam absque liberis, et filius procuratoris domus mea, iste Damascus Elieser. Additque Abram: Mihi autem non dedisti semen; et ecce [c] vernaculus meus heres meus erit. Non quasi dubius de promissis Dei, titubat; sed simpliciter interrogat quam sit mercedem à Domino percepturus, qui filium non habens, in quo herede ac participe divinæ promissionis exultet, vernaculum suum potius sit habiturus heredem. Vocabatur vernaculus ille duobus nominibus, id est, Damascus, Elieser, à quo Damascum civitatem & conditam aiunt & nuncupatam. Favens autem desideriis Abrahæ Dominus, & hanc illi quam quærebat mercedem promisit, cùm protinus subjunxit.

Abraham in fide non titubavit. [c]

Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem. Quod de Isaac & semine ejus dictum ratio probat; de quo postmodum audivit: *Quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Neque enim filii concubinarum, etsi Abrahæ semen sunt, [d] hereditatis ejus participes esse potuerunt; & quoniam ad hanc hereditatem Deo dilectam in qua protectio divina, & merces esset magna futura, cælestes solum animæ pertinent, aptè subnectitur: [d]

Eduxitque eum foras, et ait illi: Suspice cælum, et numera stellas, si potes, et dixit ei: Sic erit semen tuum. Stellis enim rectè comparantur justi & electi; non solùm quia sicut stellæ ab hominibus dinumerari nequeunt; verùm etiam quia cælesti sunt felicitate sublimes, quia abjecta vitæ hujus & infima desideria magna mentis sublimitate transcendunt; quia inter reprobos lucent tamquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. De qualibus & in fine rectè dici [e] possit: *Stella autem à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Quod autem ait: *Sic erit semen tuum*, non de illis solùm dicit electis, qui de ejus stirpe corporaliter erant nascituri; sed etiam de nobis, quibus ab Apostolo dicitur: *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis.* Unde bene primùm intro positus audivit: *Sed qui egredietur de utero tuo ipsum habebis heredem.* Propter eos videlicet qui ex ejus semine prodeuntes, etiam promissæ benedictionis ac hereditatis erant coheredes futuri. Postmodum verò educens foras eum, numerare stellas, si possit, imperat; *sic erit*, inquiens, *semen tuum*: propter eos nimirum, qui non ex ejus utero procreandi; sed ad ejus tamen erant semen ex toto orbe colligendi; juxta quod in Evangelio credenti centurioni, qui non carnaliter, sed spiritaliter ad semen Abrahæ pertinebat, ait ipse Dominus: *Dico autem vobis quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob, in regno cælorum.* Eduxit enim eum foras ut in latitudine totius orbis semen se benedictionis accepturum esse disceret. Suspicere cælum jubet, & numerare stellas, ut in cælesti patria se hac hereditate locupletandum esse cognosceret.

Electi stellis comparati.

[e] 1 Cor. 15. 41.

Gal. 3. 29.

Matth. 8. 11.

Credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Hujus sententiæ meminit Apostolus, propter Dei gratiam [f] commendandam, ne circumcisio glorietur, gentesque incircumcisas ad fidem Christi nollet admitti: hoc enim quando factum est, ut credenti Abrahæ deputaretur fides ad justitiam, nondum fuerat circumcisus. Reputatur ergo fides ad justitiam, non otiosa & nuda, sed ea quæ per dilectionem operatur; reputatur & ea quæ etsi necdum operandi tempus habet, perfectam tamen operandi voluntatem habet. Reputata est namque fides latronis ad justitiam, quæ etsi instante mortis articulo, nullum operandi tempus habere potuit, adeo perfecta tamen ab inspectore cordis judicata est, ut ipso die in habitatione paradisi cum ipso remunerata sit. Reputata est fides Cornelii ac domus ejus ad justitiam, adeo ut etiam ante lavacrum regenerationis, donum Sancti-Spiritus acciperet; quia nimirum mox concepta in corde, parata ad operandum per dilectionem erat. Sic & fides Abrahæ quantum sufficeret [g] reputari ad justitiam probavit, cùm parata erat etiam unicum filium ad præceptum Domini, in holocaustum offerre. *Justus ergo ex fide vivit*, illa nimirum fide, quæ parata est per dilectionem operari, & si habet tempus, operatur.

[f] Rom. 4. 3.

Quæ fides ad justitiam reputatur.

[g]

Rom. 1. 17.

Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam. Quidam Ur nomen loci esse autumant, sed quia Ur interpretatur Ignis, magis intelligendum est juxta traditionem Hebræorum, ut & supra diximus, de igne Chaldæorum erep-

Abraham divinitus ereptus ab igne Chaldæorum.

[a] *Al.* Abram Deo excelso.
[b] *Al.* devotionis quia ipse.
[c] *Al.* unus vernaculus. [d] *Al.* & hereditatis.
[e] *Al.* potest.
[f] *Al.* committendam.
[g] *Al.* deest reputari.

tus sit, qui eum, dum ignem, quem ipsi pro Deo colebant, colere atque adorare respuisset, ignibus consumere [a] voluerint, sed Deo illum protegente hoc perficere [b] nequiverant.

At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam? Non est putandus Abraham postquam credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam, in fide defecisse, ut diceret: *Domine Deus unde scire possum quòd possessurus sim eam?* Non enim quasi adhuc incredulus, signum cui credat inquirit, sed obsecrat ut ei rei quam crediderat, aliqua similitudo adhiberetur, qua ejus modus agnosceretur; unde significantius vetus habet Translatio: *Dominator Domine, secundum quid* [c] *sciam quia heres ejus ero:* sicut non est Virginis Mariæ diffidentia cùm ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quòd enim futurum erat certa esse, modum quomodo fieret inquirebat. Et hoc cùm quæsisset audivit. Denique & hic similitudo est data de animalibus, juvenca, & capra, & ariete, & duabus volucribus, turture & columba, ut secundùm hæc futurum sciret quod futurum esse non ambigebat: sequitur enim:

Ejus fides non vacillavit.

Luc. 1. 34.

Respondens Dominus: Sume, inquit, [d] mihi vaccam triennem, et capram trinam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam. Qui tollens universa hæc divisit per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit, aves autem non divisit. Sive enim per juvencam significata sit plebs sub jugo legis posita; per capram eadem plebs peccatrix futura, per arietem eadem plebs etiam regnatura. Propterea trina dicuntur hæc animalia, quia tertia ætate sæculi populus ille adolevit, ac terram repromissionis [e] intravit. Prima quippe ætas ab Adam usque ad Noë, secunda à Noë usque ad ipsum Abraham, tertia ab Abraham usque ad David; in qua de Ægyptia servitute [f] salvatus, atque in terra promissionis populus ille [g] translatus est. Sive aliud aliquid convenientius ista significent; nullo modo tamen dubitaverim spiritales in eo præfiguratos additamento turturis & columbæ; & ideo dictum est: *aves autem non divisit:* quoniam carnales inter se dividuntur; spiritales autem nullo modo; sive à negotiosis conversationibus hominum se removeant sicut turtur; sive inter illas degant, sicut columba; utraque tamen avis est simplex & innoxia, significans & in ipso Israëlitico populo, cui terra illa danda erat, futuros individuos populos promissionis, & heredes regni in æterna felicitate mansuri.

Vacca trina, capra & aries plebem significat.

Turtur & columba spiritales significant.

Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram. Divisæ volucres hæ, quæ super ea quæ erant cadavera descenderunt, non boni aliquid, sed spiritus indicant aëris hujus pastum quemdam suum de carnalium divisione quærentes; vel certè carnales ejusdem populi adversarios, qui juxta consilium Balaan arioli, de sceleribus eorum occasionem sibi victoriæ aucupabantur, de quibus dicit Propheta: *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.* Thren. 4. 19.

Abigebat autem eas Abram, quia ejus meritis sæpe, & de angustia temporalium malorum, & de insidiis spirituum malignorum liberatus est Israël.

Quod verò subjungitur: Cumque sol occumberet, sopor inruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum; significat circa sæculi hujus finem magnam perturbationem atque tribulationem futuram fidelium. De qua Dominus in Evangelio: *Eris enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio.* Matth. 24. 21.

Dictumque est ad eum: Scito prænoscens, quia peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et adfligent quadringentis annis, &c. Hoc de populo Israël qui fuerat in Ægypto serviturus apertissimè prophetatum est. Non quod in eadem servitute sub Ægyptiis adfligentibus quadringentos ille populus annos fuerat peracturus, sed in ipsis quadringentis annis prænuntiatum est hoc futurum. Quadringenti sanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamvis aliquanto amplius sint; sive ex hoc tempore computentur, quo ista promittebantur Abrahæ, sive ex quo natus est Isaac propter semen Abrahæ de quo ista prædicuntur. Computantur enim ab anno septuagesimo & quinto Abrahæ quando ad eum facta est prima promissio, usque ad exitum Israël ex Ægypto, quadringenti & triginta anni, quorum Apostolus ita meminit: *Hoc autem dico*, inquit, *testamentum confirmatum à Deo*: [h] *quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non infirmat ad evacuandam promissionem.* Jam ergo isti quadringenti & triginta, quadringenti poterant nuncupari, qui non sunt multò amplius; quantò magis cum aliquot jam ex isto numero præterirent, quando illa in visu demonstrata & dicta sunt Abrahæ, vel quando Isaac natus est, centenario patri suo, à prima promissione post viginti quinque annos; cùm jam ex istis quadringentis triginta, quadringenti & quinque remanerent, quos Dominus quadringentos voluit nominare. Gal. 3. 17.

Generatione autem quarta [i] revertentur huc. Caath cum patre suo Levi ingressus est Ægyptum, cujus filius Amram, cujus filius Aaron, cujus filius Eleasar, qui cùm esset quartus à Caath, cum patre suo Aaron egressus est [k] Egypto; & illo in solitudine defuncto, [l] ipse terram repromissionis intravit.

Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumigans, et lampas ignis tran-

[a] *Al.* voluerunt. [b] *Al.* nequiverunt.
[c] *Al.* faciam. [d] *Al. deest* mihi.
[e] *Al.* ingressus est. [f] *Al.* salvatus est.

[g] *Al.* salvatus. [h] *Al.* quod.
[i] *Al.* revertuntur. [k] *Al.* Ægyptum.
[l] *Al.* ipsam.

SIENS INTER DIVISIONES ILLAS. Hæc caligo & clibanus ignis post occasum solis factus, significat jam in fine sæculi per ignem judicandos esse carnales. Sicut enim afflictio civitatis Dei, (a) qualis antea [a] numquam fuit quæ sub antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahæ circa solis occasum, id est propinquante jam fine sæculi; sic ad solis occasum, id est ad ipsum jam finem, significatur isto igne dies judicii dirimens carnales per ignem salvandos & in igne damnandos.

IN ILLO DIE PEPIGIT DOMINUS FOEDUS CUM ABRAM, DICENS: SEMINI TUO DABO TERRAM HANC, A FLUVIO ÆGYPTI USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEN. Fluvium Ægypti, hoc est Nilum, non dicit magnum sed parvum, qui dividit inter Ægyptum (b) & Palæstinam, ubi est civitas [b] Rinocorura. Pepigit ergo Dominus fœdus cum Abram in die illo, quo ei hostias animantium & avium obtulerat; illud nimirum fœdus, ut ipse ac semen ejus Domino vota orationum ac victimarum fideli semper corde offerret; & Dominus ipsi ac semini ejus terram Chanaan perpetuò possidendam donaret.

IGITUR SARAI UXOR ABRÆ NON GENUERAT LIBEROS, SED HABENS ANCILLAM ÆGYPTIAM NOMINE AGAR; DIXIT MARITO SUO: ECCE CONCLUSIT ME DOMINUS NE PAREREM, INGREDERE AD ANCILLAM MEAM, SI SALTEM EX ILLA SUSCIPIAM FILIOS. CUMQUE ILLE ADQUIESCERET DEPRECANTI, TULIT AGAR ÆGYPTIAM ANCILLAM SUAM POST ANNOS DECEM, QUANDO HABITARE COEPERAT IN TERRA CHANAAN, ET DEDIT EAM VIRO SUO UXOREM, QUI INGRESSUS EST AD EAM; AT ILLA CONCEPISSE SE VIDENS, DESPEXIT DOMINAM SUAM, &c. De Agar & Ismahel quomodo sy- (c) nagogam & vetus Testamentum [c] designent, sicut Sarra & Isaac filius ejus Ecclesiam ac novum Testamentum, Apostolus ad Galathas plenissimè disseruit. Quod autem ad rem pertinet (d) gestam, nullo modo est [d] inferendum, inurendum de hac concubina crimen Abrahæ, usus est ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem; nec insultans, sed potius obediens conjugi, quæ suæ sterilitatis (e) credidit esse solatium, si [e] fœcundum ancillæ (f) uterum, [f] quod natura non poterat, voluntate fecerat suum; & eo jure, quo dicit Apos- 1. Cor. 7. 4. tolus: *Similiter & vir non habet potestatem corporis, sed mulier*, uteretur mulier ex altera ad pariendum, quod non poterat ex seipsa. Denique cùm ancilla gravida superbiret dominæ steri- (g) li, & hoc [g] Sarra suspicione muliebri, viro (h) (i) potius [h] imputasset, etiam ibi [i] demonstravit Abram non se amatorem, sed liberum (k) fuisse genitorem, & in Agar [k] Sarræ conjugi pudicitiam custodisse, nec voluntatem suam,

A sed voluntatem illius implevisse. Ait enim: *Ecce ancilla tua in manu tua est, utere eâ ut libet.*

CUMQUE INVENISSET EAM ANGELUS SEDENTEM JUXTA FONTEM AQUÆ IN SOLITUDINE QUÆ EST IN VIA SUR, DIXIT AD EAM: AGAR ANCILLA SARAÏ UNDE VENIS ET QUO VADIS? Consequenter Ægyptia in via Sur, quæ per heremum ducit ad Ægyptum ire festinabat. Extenditur enim desertum Sur usque ad mare rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit.

ECCE, AIT; CONCEPISTI, ET PARIES FILIUM, ET VOCABIS NOMEN EJUS ISMAEL. Is- B mael interpretatur, Exauditio Dei; causaque nominis exponitur, cùm protinus subinfertur; EO QUOD AUDIERIT DOMINUS ADFLICTIONEM TUAM. Notandum autem quia hic primus antequam nasceretur, secundus Isaac à Domino nomen accepit, certi utique gratia mysterii, quia & veteris Testamenti, quod significatur in Ismaël; & novi, quod in Isaac, heredes ante sæcula fuerunt in divina electione præcogniti.

Ismaëli & Isaac cur nomen impositum antequam nascerentur.

HIC ERIT FERUS HOMO, MANUS EJUS CONTRA OMNES, ET MANUS OMNIUM CONTRA EUM, ET E REGIONE UNIVERSORUM FRA- C TRUM SUORUM FIGET TABERNACULA. Significat semen ejus habitaturum in heremo, id est, Saracenos vagos, incertisque sedibus, qui universas gentes quibus desertum ex latere jungitur incursant, & expugnantur ab omnibus: sed hæc antiquitus. Nunc autem in tantum manus ejus contra omnes, & manus sunt omnium contra eum; ut Africam totam in longitudine, sua ditione premant, sed & [l] Asiæ (l) maximam partem, & Europæ nonnullam omnibus exosi & contrarii teneant. Quod autem dicit: *Figet tabernacula*; morem gentis antiquum ostendit, quæ in tabernaculis semper non in do- D mibus habitare solebat.

Saraceni omnes incursant & ab omnibus expugnantur.

VOCAVIT [m] AUTEM NOMEN DOMINI QUI (m) LOQUEBATUR AD EAM: TU DEUS QUI VIDISTI ME. DIXIT ENIM: PROFECTÒ HIC VIDI POSTERIORA VIDENTIS ME, PROPTEREA APPELLAVIT PUTEUM ILLUM PUTEUM VIVENTIS ET VIDENTIS ME. Patet ex his verbis quod Agar non faciem angeli loquentis secum, sed posteriora tantùm à se abeuntis videre potuit: quem tamen se miserando vidisse & hunc viventem, id est, verum esse Deum, vel in persona viventis Dei ad se venisse cognovit. Mira autem feminæ prudentia, vel potius non miranda, quoniam E ad Abrahæ familiam pertinebat, quòd puteum, juxta quem oraculo divino confortata est, à vocabulo ejusdem Dei cognomen habere voluit; quasi palam intelligens quod puteus ille profunda [n] divina dispositionis arcana de- [n] signaret, quibus adflictioni ejus misereretur, eamque ad dominam redire præciperet; ac sobolem ejus magnam futuram esse prædiceret: Et

[a] *Al.* Non fuit. [b] *Al.* Rinocosura *variè apud auctores legitur hujus civitatis nomen.* Rinocolura, Rhinocurara; *sed Ptolemæus & Josephus legunt* Rhinocorura.
[c] *Al.* significent.
[d] *Al.* ignorandum. De hac concubina crimen Abrahæ orsus est.

[e] *Al.* fœcundæ. [f] *Al.* quo, *al.* quoniam.
[g] *Al.* Saraï. [h] *Al.* imputaret.
[i] *Al.* demonstraret [k] *Al.* Saraï conjugæ.
[l] *Al.* Assyriæ.
[m] *al.* nomen ejus.
[n] *al. deest* divina *forte legi debet* divinæ:

sicut in puteo sive fonte illo, ut supra nominatus est, vivam ac perennem videbat aquam; ita altitudinem divinæ substantiæ semper viventem ac sine fine atque principio manentem intellexit, atque ab ea puteum rectè cognominandum credidit. Cui figuræ congruens Psalmista, cùm dixisset: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*; continuò subdidit: *Sitivit anima mea ad* [a] *Deum vivum.* Ut colligeremus quia sicut fontes vivas & indeficientes aquas habent, ita Deus vitam habeat in se manentem. Notandum autem quòd puteus Agar inter desertum Cades & Barad hodieque demonstratur, & meritò; in testimonium videlicet fidei & confessionis ejus.

Psal. 41. 2.

[a]

Puteus Agar.

Postquam vero nonaginta et novem annorum esse coeperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus, ponamque foedus inter me et te, et mutiplcabo te vehementer nimis. Unde centenario Abrahæ nomen amplificatur, testamentum circumcisionis datur, Isaac nasciturus promittitur, ut in magno mysterio centenarius filium promissionis jam circumcisus accipiat. Ambulat autem coram Domino, ut possit esse perfectus, qui omnibus momentis in conspectu divinitatis se consistere & quasi in obsequium ejus positum se esse meminit; quomodo Helias qui ait: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*; semper se ad divinum promtum obsequium, præsentiam sui Conditoris in mente habere signavit; & quia primus perfectionis gradus humilitas est, rectè subjungitur:

3. Reg. 17. 1.

Cecidit Abram pronus in faciem: Legimus autem in prioribus sacræ historiæ locis viros sanctos Dominum invocasse, ei hostias laudis obtulisse, innocentes in conspectu ejus vixisse, nullum verò ante Abram pronum in faciem coram Domino corruisse. Verùm ille quò altiora prioribus dona percepit, eò majores largitori donorum gratias se se humiliando reddidit; & quia suæ fragilitatis cadens in terram humiliter meminit, mox divinæ potestatis eminentiam sublimiter agnoscere meruit. Nam sequitur:

Abraham primus ante Deum corruisse legitur.

Dixitque ei Deus: Ego sum, et pactum meum tecum. Quid est enim Domino dicere: *Ego sum*, nisi statum æternitatis suæ, qua semper idem est, manifestè denuntiare? De qua dicit & Psalmus: *Tu autem idem ipse es.* Huic autem loco [b] concinit illud Evangelii ubi dixit Dominus Judæis: *Antequam fieret Abraham ego sum.* Apparens enim in carne docuit se ipsum esse qui in spiritu quondam apparuerat Abrahæ, cùm idem testimonium essentiæ suæ, quod perhibuerat Abrahæ, repetit perhibendo Judæis; sed Judæi, quia audierant: *Antequam fieret Abraham ego sum*, turbabantur; Abraham quoniam audivit: *Ego sum* lætabatur, nec dubitabat quod antequam ipse fieret, Deus erat:

Psal. 101. 28.

[b]

Joan. 8. 58.

A unde & ipse quia verbum divinæ æternitatis fideliter audivit; accepit in augmentum præmii, ut pater multarum gentium & vocaretur & esset. Porro Judæi, quia audita divinitatis arcana capere non poterant, ejecti de stirpe Abrahæ, & inter genimina sunt viperarum computati: *Denique tulerunt lapides ut jacerent in eum; at ille abscondit se ab eis, & exivit de templo*, ut videlicet à lapideis cordibus eorum absconsus, & exiens ad revelandam gentibus suæ majestatis agnitionem veniret. Nam & tunc egressus de templo cæco nato lumen reddidit. In figuram videlicet gratiæ, qua inlustraturus erat corda gentilium.

Joan. 8. 59.

B Sequitur:

Erisque pater multarum gentium, nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Quia beatus Abraham cognationem ac domum patris sui ad imperium Domini deseruit, meritò & hoc in munere retributionis accepit, ut pater multarum gentium existat; adeo utique multarum, ut non solùm earum quæ ex ejus semine secundùm carnem prodirent; sed & earum quæ aliunde originem carnis ducentes, fidei & obedientiæ ejus vestigia sequerentur, sicut Apos-

Abraham omnium credentium pater.

C tolus ad Romanos scribens plenissimè exponit. Sciendum autem quod Abram Pater excelsus, Abraham verò Pater multarum dicitur, ut subintelligatur, gentium.

Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno; ut sim Deus tuus et seminis tui post te. Vetus Translatio habet: *Et statuam testamentum meum.* Notandum autem quod ubicumque in Græco legimus testamentum, ibi in Hebræo sermone sit fœdus, sive pactum, id est berith. Non est autem mirandum quare testa-

D mentum sive pactum Dei sit cum Abraham & semine ejus fœdere sempiterno, ut sit Deus eorum: quia nimirum hoc fœdus, & toto tempore vitæ hujus sine ulla intermissione in generationibus electorum sese ex ordine sequentium servabitur, & in futuro sæculo sine ullo fine celebrabitur. Quod verò sequitur:

Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ omnem terram Chanaan in possessionem [c] æternam. Operosiore expositione indiget quomodo accipiatur impletum, sive adhuc [d] expectetur implendum, cùm possessio quæcumque terre-

[c]

[d]

E na, æterna cuilibet genti esse non possit. Sed sciendum est æternum à nostris interpretari quod Græci appellant Aeonion, quod à sæculo derivatum est. Aeon quippe, Græcè sæculum nuncupatur. Sed non ausi Latini hoc dicere sæculare, ne longè in aliud mitterent sensum. Sæcularia quippe dicuntur multa, quæ in hoc sæculo sic aguntur, sicut brevi etiam tempore transeant. Aeonion autem quod dicitur, aut non habet finem, aut usque in hujus sæculi

[a] *al.* ad te Deum vivum.
[b] *al.* congruit.

[c] *al.* Sempiternam.
[d] *al.* expectet.

tenditur finem: Et ideo, sicut & supra diximus, A terra Chanaan in possessionem æternam semini datur Abrahæ, quoniam in ea Christiani usque ad finem sæculi hujus, sive de Judæis, sive de gentibus, semen videlicet Abrahæ numquam defuturi esse creduntur.

DIXIT ITERUM DEUS AD ABRAHAM: ET TU ERGO CUSTODIES PACTUM MEUM, ET SEMEN TUUM POST TE IN GENERATIONIBUS SUIS; HOC EST PACTUM QUOD OBSERVABITIS INTER ME ET VOS ET SEMEN TUUM POST TE: CIRCUMCIDETUR EX VOBIS OMNE MASCULINUM; ET CIRCUMCIDETIS CARNEM PRÆPUTII VESTRI, UT SIT IN SIGNUM FOE- B DERIS INTER ME ET VOS. Benigna provisione Dominus primò pactum gratiæ suæ statuit beato Abrahæ & semini ejus; ac deinde ab illis pactum obedientiæ requirit: ut minus videlicet terreat labor certaminis, audito prius præmio perpetuæ remunerationis. Circumcidi ergo præcipitur caro præputii in signum fœderis inter Deum & homines: ut hoc signo admonerentur fideles illius temporis, mundandos se ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficiendam sanctificationem in timore Dei; sed & altiore mysterio fiebat circumcisio illa carnalis in signum fœderis inter Deum & semen C Abrahæ, quia nimirum in illius fœderis signum data est, de quo supra dictum est eidem Abrahæ: *Atque in te benedicentur universa cognationes terræ*; quod ad gratiam novi testamenti pertinere nemo fidelium dubitat. In hujus ergo fœderis signum nemo fidelium dubitat, quòd circumcisus est Abraham & semen ejus in carne præputii sui, ut præfiguraretur typicè nasciturus de illius semine, qui electos suos ab omni macula peccatorum expurgaret, ac perpetua benedictione donaret; cujus expurgationis sacramento congruit aptè quod sequitur:

INFANS OCTO DIERUM CIRCUMCIDETUR D IN VOBIS. Octava etenim die Dominus, id est post sabbatum resurrexit à mortuis, in cujus passionis ac resurrectionis exemplum baptizamur à vetustate vitiorum absoluti, quasi spiritali circumcisione renovemur; exponente Apostolo ac dicente: *Quicumque enim baptizamur in* CHRISTO JESU, *in morte ipsius baptisati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos novitate vitæ ambulemus*; qui etiam numerus tempori nostræ resurrectionis potest aptissimè congruere, quando immortalitate carnis quam per mortem deposuimus universaliter induti, nec peccati aliquid ultra in carne, nec corruptionis sumus [a] aliquid passuri. Nam & nostra resurrectio octavi diei numero non incongruè figuratur; quia post sex sæculi hujus ætates & [b] septimam sabbatismi, id est, requiei animarum, quæ nunc in alia vita celebratur, futura est. Octava ergo die circumcidi præcipiebantur infantes in signum fœderis divini, ut indicaretur

Rom. 6. 3.

(a) Circumciditur octava die.

(b)

mysticè quia omnes electi per gratiam Dei in hoc numero essent à cunctis iniquitatibus absolvendi, à cuncta corruptione carnis emundandi, ab ipsa [c] morte etiam quam per reatum primæ prævaricationis incurrerunt, liberandi.

(c)

OMNE MASCULINUM IN GENERATIONIBUS VESTRIS, TAM VERNACULUS, QUAM EMTITIUS CIRCUMCIDETUR, ET QUICUNQUE NON FUERIT DE STIRPE VESTRA. Significat gratiam regenerationis & immortalitatis ad omnes pertinere fideles, sive ex stirpe Abraham, seu aliunde carnis originem ducant.

ERITQUE PACTUM MEUM IN CARNE VESTRA IN FOEDUS ÆTERNUM. Quo fœdere utique significatur quod carnem vestram & animam simul perpetua sim innovatione atque immortalitate vestiturus.

MASCULUS CUJUS PRÆPUTII CARO CIRCUMCISA NON FUERIT, DELEBITUR ANIMA ILLA DE POPULO SUO: QUIA PACTUM MEUM IRRITUM FECIT. Hac sententia majus ejusdem circumcisionis arcanum proditur, quia non solùm futuræ in Christo innovationis signum est, sed & factæ in Adam transgressionis abolitio; quod enim nunc facit baptismum in fide Christi, hoc fecit ex illo tempore circumcisio in die octava; qua resurrectio Christi designata est; excepto quod circumcisis necdum regni cælestis patebat ingressus, priusquam resurgens à morte Dominus omnibus electis ejusdem regni januam ad cælos ascendendo reseraret. Propter quod maximè die circumcidebantur octava; ut significaretur eos non nisi per effectum Dominicæ resurrectionis veraciter ab omni vitiorum labe purgandos. Potest autem movere quomodo dicatur, [d] *delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, cum hæc nulla culpa sit parvuli, cujus dixit animam perituram, nec ipse irritum fecerit pactum Dei, sed majores qui eum circumcidere non curarunt; nisi quia etiam parvuli non secundùm suæ vitæ proprietatem, sed secundùm communem generis humani originem, omnes in illo uno pactum Dei irritum fecerunt, in quo omnes peccaverunt. Quia ergo circumcisio signum regenerationis fuit, & non immerito parvulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est pactum, generatio disperdet nisi liberatio liberet; sic intelligenda sunt hæc verba divina tamquam dictum sit: Qui non fuerit regeneratus, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum Dei irritum E fecit; quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccavit.

Circumcisionis idem effectus qui & baptismi.

(d)

Infantes non circumcisi qui pactum Dei irritum fecisse dicantur.

DIXITQUE DOMINUS AD ABRAHAM: SARAI UXOREM TUAM NON VOCABIS SARAI, SED SARRAM, ET BENEDICAM EI, ET EX ILLA DABO TIBI FILIUM, CUI BENEDICTURUS SUM, ERITQUE IN NATIONES, ET REGES POPULORUM ORIENTUR EX EO. Hic apertiora promissa sunt de vocatione gentium in Isaac, id est in filio promissionis, quo signi-

Promissa de vocatione gentium.

[a] *Al. deest* aliquid.
[b] *al.* septimum sabbatismum.

[c] *al.* æterna morte.
[d] *al.* peribit.

ficatur gratia non natura: quia de sene & anu sterili promittitur filius: Quamvis enim & naturalem procreationis excursum Deus operetur, ubi tamen evidens opus Dei est, vitiata & cessante natura, ibi evidentius intelligitur gratia; & quia hoc non per generationem, sed per regenerationem futurum est, ideo nunc imperata circumcisio est. Quando de Sarra promissus est filius, parentum mutantur & nomina, omnia resonant novitatem, & in testamento vetere obumbratur novum. Interpretatur autem Saraï Princeps mea, Sarra autem Princeps; causaque nominis immutati haec est; quod antea dicebatur Princeps mea, id est unius tantummodo domus materfamilias; postea verò dicitur absolutè Princeps; sequitur enim:

Et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges [a] populorum orientur ex eo. Signanterque non ut in Græco legimus: *dixit Deus ad Abraham, Saraï uxor tua non vocabitur Saraï*; in Hebræo habetur *non vocabis nomen ejus Saraï*; id est non dices ei Princeps mea es: futura quippe omnium gentium jam princeps esse, unde & Apostolus Petrus mulierum vitam instituens ait: *Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Domino, ornabant se subjectæ propriis viris, sicut Sarra obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans; cujus estis filiæ benefacientes, & non perturbationem timentes ullam.* (1. Pet. 3. 5.)

Cecidit Abraham in faciem, et risit dicens in corde suo: Putas-ne centenario nascetur filius; et Sarra nonagenaria pariet? Risus Abrahæ exultatio est gratulantis, non invisio diffidentis: verba quoque illa quæ dicebat in corde suo, non sunt dubitantis, sed admirantis; attestante etiam Apostolo qui de ipso loquens ait: *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confirmatus est in fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quia quæcumque promisit potens est & facere.*

(Risus Abrahæ exultatio gratulantis non invisio diffidentis. Rom. 4. 20.)

Et ait Dominus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac. Isaac interpretatur Risus, nec dubitandum est eum ita vocatum ab eo, quòd audita ejus nativitate, Abraham riserit in corde suo; Risus autem ille decenter significat gaudium novi testamenti, in quo filii promissionis, inhabitante in eis Domino, in æternum exultabunt.

(Isaac unde dictus.)

Quod enim sequitur: Et constituam pactum illi in foedus sempiternum, et semini ejus post eum, &c. Semen ejus dicit in eis qui fidem imitando Abrahæ, merentur audire à Domino: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*; qualibus se jungens Apostolus ait: *Nos autem secundùm Isaac promissionis filii sumus.* Specialiter autem nomen Isaac, id est risus, qui ex promissione nascitur, congruit Mediatori Dei & hominum, de cujus nativitate dixit angelus pastoribus: *Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo.*

(Fideles semen Abrahæ. Luc. 6. 21. Gal. 4. 28. Luc. 2. 10.)

Nonaginta novem erat annorum quando circumcidit carnem sui præputii, et Ismahel fillius ejus tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ. Unde centenarius erat Abraham, & Ismahel tredecim annorum quando circumcisi sunt; ut post annum nato Isaac Abraham centum annorum ætate, & Ismahel quatuordecim, id est bis septem, annorum perfectè complesset? in magno utique mysterio: quia videlicet Isaac novi testamenti, & Ismahel veteris tenuere figuram. Isaac namque cùm natus est, centenarius erat pater ejus, ut insinuetur gratia novi testamenti ad hereditatem regni cælestis filios suæ promissionis adducere. Centenarius quippe numerus, ut sæpe dictum est, in compoto articulari de sinistra transit in dexteram, & superna Hierusalem mater nostra cælestis merito per dexteram signatur; nam & quibuscumque hanc intrare conceditur, ad dexteram sunt Judicis in novissimo examine staturi. In qua nativitate ejusdem Isaac duas annorum hebdomadas impleverat Ismahel; propter videlicet sacramentum sabbati, quod in veteri testamento servabatur; ut incipiente anno quinto decimo, quasi in signum resurrectionis, veræ videlicet circumcisionis, nasceretur Isaac; ubi typicè claresceret quia transeunti legali observantiæ, quæ per Moysen data est, succederet gratia & veritas quæ per Jesum Christum facta est: Nato ergo Isaac, qui gratiam novi testamenti præfigurabat, Ismahel frater ejus major, qui testamentum vetus designabat, septenarium in sua ætate numerum compleverat; quoniam observantiam legis, in qua maximum locum sabbatum tenebat; usque ad tempus gratiæ decebat extendi; Quod autem geminatus est idem numerus septenarius ad perfectionem ejusdem sacramenti pertinet; quod lex Dei nos & à servilibus, id est à malis operibus in corpore, & à noxiis cogitationibus in mente, feriatos esse desiderat. Geminatur numerus septenarius, quia lex & in hac vita suis sequacibus requiem [b] corporibus præcipit, & in futura vita requiem habendam promittit animarum; nato Isaac & primum suæ ætatis annum inchoante, Ismahel inchoat quintumdecimum, quia apparente gratia evangelii, & ipsa quoque lex spiritaliter intellecta, cælestibus sacramentis plena fuisse, & gloriam resurrectionis prædicasse reperta est; quod autem postmodum adulto Isaac, ad præceptum Saræ ejectus est cum matre sua Ismahel, nequaquam debet putari qui vetus testamentum significet abolendum per successionem novi testamenti; sed potius quòd carnalis observantia legis cum his qui eam carnaliter, etiam coruscante gratia evangelii, observandam contendunt, sit ab Ecclesiæ finibus expellenda; ipsa autem spiritali sensu intellecta nec unum iota, neque unum sit apicem perditura, donec omnia fiant.

(Abraham cur centum annorum, Ismael quatuordecim quando natus est Isaac.)

Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, &c.

(a) *Al. addit* populorum.

(b) *Al.* corporis.

Hæc apparitio Domini cunctis superioribus, quibus beato Abrahæ toties visus est, constat esse sacratior. Et rectè post acceptum circumcisionis sacramentum, post amplificatum nomen quo futurus pater omnium gentium signabatur, secretiora Dei arcana cognoscit, quorum videlicet arcanorum quia non solùm circumcisio, sed & præputium particeps esse debuit; rectè apparitio in convalle Mambre facta esse memoratur, Mambre namque, ut supra legimus, genere quidem Amorræus, sed cum fratribus suis fœderatus erat Abrahæ; unde aptè convallis Mambre nostram designat humilitatem, qui de gentibus originem carnis habentes, patrem in spiritu ac fide habemus Abraham, quibus dicit Apostolus trahens ex Abraham & carnis & virtutis originem: *Adnuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis; quod vidimus & audivimus adnuntiamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum.* (1. Joan. 1. 2.) Et quidem in hac lectione, excepto spiritali intellectu, multum ædificat legentes, quod Abraham ignotos viros aspiciens, statim cucurrit in occursum eorum quasi peregrinis hospitalitatis gratiam præbiturus; quod adpropians eis humiliter adoravit in terra, quod ministerium suum eos expectare atque accipere rogavit, quod consentientibus festinus exhibuit; neque hoc per servos & ancillas, sed per seipsum & Saram complevit. Mirum namque, si non homines, eos cùm primo vidisset, credidit; cur ad lavandum pedes eis adferre voluerit aquam; quomodo requiescere sub arbore quasi in ambulando fessos; quare corpus [a] correficiendo confortare quasi jejunio laborantes rogaverit? Si quis verò hanc lectionem altiùs discutere quærit; totam spiritales redolere sensus inveniet. Nam quod Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi sui Dominus apparuit, multum congruit devotioni ipsius Abrahæ, simul & omnium ejusdem promissionis heredum, qui peregrinos se hujus sæculi & incolas, cives verò alterius vitæ, hoc est patriæ cælestis, esse testantur. Tabernaculis verò in itinere vel in bello; domo autem in patria uti solemus: in quo mysterio etiam Isaac & Jacob in tabernaculis habitasse leguntur. Manet autem in medio tabernaculi sui quicumque & peregrinum se, nec semper victurum in hoc sæculo novit, & nihilominus quantum valet sæculi negotiis atque inlecebris sese implicare non erubescit. Abraham verò & ejus sequaces qui necessitate tantùm, non autem & voluptate, quæ mundi sunt agunt, quasi in ostio tabernaculi sui sedent, quia [b] jam jamque exire de mundo parati, ingressum vitæ sequentis lætanti semper animo atque ad futura præmia extento præstolantur. Et bene additur, *in ipso fervore diei:* fervor quippe diei, in quo Abraham in ostio tabernaculi sui sedebat, virtutem designat dilectionis, qua ipse in mente respectu Solis justitiæ ardebat, talisque status & loci & temporis decebat eum qui Dominum erat visurus, & ejus conloquio fruiturus, in quo & advena mundi hujus figuraretur, & veræ [c] cælestis gratiæ luce inradiatus, & amore divinæ contemplationis inhianter accensus.

CUMQUE ELEVASSET OCULOS, APPARUERUNT EI TRES VIRI STANTES PROPE EUM, QUOS CUM VIDISSET, CUCURRIT IN OCCURSUM EORUM DE OSTIO TABERNACULI, ET ADORAVIT IN TERRA, ET DIXIT: DOMINE, SI INVENI GRATIAM IN OCULIS TUIS, NE TRANSEAS SERVUM TUUM, &c. Quod tres viri ei apparuerunt, mysterium est sanctæ Trinitatis; denique cùm tres vidisset, unum adoravit, & precatus est Dominum, quia etsi in personis est Trinitas, in divinitate est tamen una & coadoranda Dominantis æqualitas, sicut etiam in Isaia cùm angelicæ virtutes gloriam sanctæ Trinitatis canerent dicentes, *sanctus, sanctus, sanctus*, mox unitatem dominationis ac deitatis subjungunt addentes: *Dominus Deus omnipotens, plena est omnis terra gloria ejus.* Et bene dicitur quia visurus angelos elevaverit oculos Abraham, QUIA NIMIRUM necesse est, ut qui cives cæli videre, qui divinæ majestatis gloriam & arcana nosse concupiscit, omnem mentis intuitum ab infimis desideriis erigat, ac sedula intentione ad lucem veri Solis aperiat. Bene subinfertur, quia cùm vidisset angelos, cucurrit in occursum eorum, adorans, eosque ne se transirent rogavit: quia necesse est ut quotiescumque gustum aliquem internæ dulcedinis animo concipimus; mox omnibus votis, ac promtis bonorum operum gressibus satagamus, ne nos citius eadem dulcedo relinquat; sed quæ ad tempus gustata est, memoria supernæ suavitatis mentes nostras aliquanto diutius reficiat, atque ab hujus mundi delectationibus & curis abstractas in æternorum contemplatione suspendat. Movet fortè aliquos quomodo vel in hac lectione Abraham, vel in sequente Loth angelos videns, hospitio quidem quasi homines susceperit, & quasi mortales cibis humanis refecerit; cum quibus tamen quasi cum Deo loquebantur, eorumque verba non aliter quàm oracula cælestia susceperunt. Sed credibile est, ut sanctus Augustinus ait, « quod & Abraham in tribus, & Loth in duobus viris Dominum agnoscebant; cui per singularem numerum loquebantur, etiam cùm eos homines esse arbitrarentur. Neque enim aliam ob causam sic eos susceperunt, ut tamquam mortalibus, & humana refectione indigentibus, ministrarent; sed erat profectò aliquid quo ita excellebant, licet tamquam homines, ut in eis esse Dominum sicut esse adsolet in prophetis, hi qui hospitalitatem illis exhibebant dubitare non possent: atque ideo & ipsos aliquando pluraliter, & in eis Dominum aliquando singulariter, appellabant. Angelos autem fuisse scriptura testatur; non solùm in hoc Genesis libro, ubi hæc gesta narrantur; verùm etiam in epistola ad Hebræos, ubi cum hospitalitas laudaretur, *per hanc*, inquit, *etiam quidam*

Trinitatis mysterium commendatur.

Cælestia videre cupienti terrena respuenda.

Abraham Deum in hospitibus agnoscens cur cibos quasi hominibus obtulerit.

Aug. lib. 16. de civit. Dei cap. 29.

Hebr. 13. 2.

[a] *Al.* reficiendo.
[b] *al.* ut jamque.

[c] *al. addit.* Id est.

nescientes hospitio angelos receperunt; Verum in A hac susceptione & hoc sentire congruè potest, quia divinitus sit procuratum ut angelos videntes patriarchæ, velut homines quidem susciperent; sed tamquam Deum venerarentur, quatenus per distinctionem [a] talis obsequii ac devotionis præfiguraretur quandoque futurum, ut ipse Dominus in carne apparens cibis [b] satiaretur carnalibus & hospitio reciperetur humano. In quo tamen hospitio magis evangelizandi & infirmos sanandi quàm manducandi ac bibendi operam daret; sicut sæpissime factum evangelica testatur historia. Denique expositores sacrarum litterarum hoc in loco in- B tellexere completum quod ait Dominus Judæis: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; & vidit, & gavisus est.* Diem quippe Domini vidit, cùm tres angelos videns, unum adoravit, & allocutus est Dominum; quia in trium distinctione personarum, unius cognovit essentiam majestatis.

Abraham quando vidit diem Domini. Joan. 8.56.

Refecit eos epulis adpositis, quia intellexit eum de suo semine nasciturum, qui cùm sit Deus ante sæcula, Patri consubstantialis, homo in fine sæculorum verus, veraciter inter homines conversaturus appareret; cibi autem quibus eos refecit, & ipsi spiritalibus sunt ple- C ni [c] sacramentis, de quibus ita memoratur: FESTINAVIT [d] ABRAHAM IN TABERNACULUM AD SARRAM, DIXITQUE EI: ACCELERA, TRIA SATA SIMILÆ COMMISCE, ET FAC SUBCINERICIOS PANES. IPSE VERÒ AD ARMENTUM CUCURRIT, ET TULIT INDE VITULUM TENERRIMUM ET OPTIMUM, DEDITQUE PUERO; QUI FESTINAVIT ET COXIT ILLUM. Ubi primò notandum quia cuncta velociter aguntur velut vere in ministerium divinæ susceptionis; festinat Abraham, accelerare jubet Sarram, properanter famulus injunctum complet officium, ut patenter inno- D tescat, quia beatus Abraham veraciter, juxta vocem Domini, *exultavit ut videret diem ejus, & vidit & gavisus est*: SED ET OMNES qui respectu divinæ gratiæ tanguntur in animo, confestim in obsequium supernæ voluntatis, lætis bonorum operum & cogitatuum passibus exiliunt, seque ac suos auditores ad accelerandam observationem mandatorum cælestium sedula exhortatione provocant.

Abraham in susceptione hospitum agit omnia festinanter. Joan. 8.56.

Simila ergo quam commiscuit Sarra ut reficeret angelos, interna est dulcedo sermonis Dei, quam cælesti Hierusalem, sanctæ videlicet Ecclesiæ pollicetur Propheta, dicens de Do- E mino: *qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satians te.* Statimque qui esset adeps frumenti, manifestiùs exponens, adjecit: *qui emittit eloquium suum terræ.* Tria sunt autem sata ejusdem similæ; quia in scriptura sacra triplex est sensus intelligentiæ, historicus videlicet, allegoricus & anagogicus: verbi gratia; *Domine dilexi decorem domus tuæ*; juxta historiam decorem domus, quam fecit Salomon Domino, inviolabilem permanere desiderabat; laudante eum illa in populo ejus. Juxta allegoriam, decorem sanctæ Ecclesiæ per orbem universum fulgere desiderabat, cui dicit Apostolus: *Vos enim estis templum Dei.* Juxta anagogen, id est sensum ad superiora ducentem, cupiebat videre decorem patriæ cælestis domus, scilicet non manufactæ, sed æternæ in cælis. Hujus mensuræ triformis & in evangelica parabola facit Dominus mentionem, simile est, inquiens, regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Fermentum namque evangelicum mulier in farinæ satis tribus abscondit ut totum fermentetur, cùm sancta Ecclesia, quam hoc in loco Sarra significat, sive historiam in scripturis prædicet, sive allegoriam revelet, seu ad superna contemplanda oculum suæ expositionis adtollat, semper ut dictis suis virtutem sive Dominicæ seu fraternæ caritatis instituit. NEQUE ULLATENUS se scripturam rectè intellexisse quisquam putet, in qua institutionem caritatis invenire non potuit. Satum est autem genus mensuræ apud Palæstinos, unum & dimidium modium capiens:

Psal. 147. 14. Similæ tria sata triplex Scripturæ sensus. Ps. 25. 8. 1. Cor. 6. 16.

Quod autem Sarra subcinericios facit panes, multum ad rem pertinet. Subcinericii panes dum coquuntur, ipsi quidem [e] cùm igni coquuntur, latent in abdito, sed solus qui super adgregatur cinis intuentium oculis patet, at ubi cocti fuerint, removetur cinis, ac mundi ante ora vescentium panes transferuntur, quia nimirum *eloquia Domini igne* sunt *examinata*, videlicet Spiritus-sancti, per quem scriptura ipsa confecta est; sed aliquoties vilitate ac simplicitate stili ipse in se scientiam [f] in tantum obtineat, ut quid in se fervoris spiritalis, quantum alimoniæ cælestis habeat, non [g] facilè luceat: at dum ablato velamine litteræ per ministerium prædicatoris suavitas sensus spiritalis auditorum [h] cordibus reseratur, quasi excusso cinere, panes dulcissimi reficiendis fidelibus offeruntur.

Subcinericii panes spiritualem scripturæ sensum significant. Ps. 17. 31.

Vitulus quoque tenerrimus & optimus quem de armento tulit Abraham, ipsum Mediatorem Dei & hominum significat, quem pro revertente à se filio juniore, id est populo gentium, juxta parabolam evangelii, pater clementissimus mactavit. Ipse namque est vitulus de armento tenerrimus & optimus, ad occidendum coquendumque singulariter cæli civibus adsumtus, quia de omni humano genere solus est specialiter electus, cujus sanguine mundus redimeretur, & per quem instaurarentur non solùm quæ in terra, sed etiam quæ in cælis sunt in ipso, ut Apostolus ait. Qui videlicet vitulus rectè tenerrimus & optimus dicitur. Quid enim tam tenerum tamque optimum, quàm est ille qui humiliavit se pro nobis erigendis, *factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis*?

Vitulus Christum. Psal. 2. 8.

TULIT QUOQUE BUTYRUM, ET LAC, ET VITULUM QUEM COXERAT, ET POSUIT CO-

Quid lac & butyrum.

(a) *Al.* deest talis (b) *Al.* sustentaretur.
(c) *Al.* mysteriis.
(d) *Al.* addit autem.

(e) *Al.* cum igni quo coquuntur.
(f) *Al.* obtinet. (g) *Al* deest facile.
(h) *Al.* ad corda reparatur.

RAM

RAM EIS. Per lac primordia & velut elementa legis Mosaïcæ, per butyrum evangelicæ perfectio doctrinæ; per lac simplicitas litteræ in scripturis, per butyrum virtus sensus mystici qui de littera generari solet exprimitur. Vel certè lac initium fidei, butyrum perfectionem operis quæ ex fide creatur insinuat. Quæ cuncta Abraham posuit coram viris quos susceperat, ut significaret filios promissionis epulas spiritales Domino semper oblaturos, panes videlicet lectionum sanctarum, vitulum Dominicæ Incarnationis, lac fidei sive historicæ perfectionis; butyrum sensuum sive operum bonorum, ubi bene adjungitur.

IPSE VERO STABAT JUXTA EOS SUB ARBORE, quia nimirum ita epulis fidei & virtutum Dominum bene vivendo pascere, id est delectare debemus, ut semper nos in conspectu ejus adsistere meminerimus, juxta illud beati Heliæ: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Et sicut Psalmista: *In conspectu*, inquit, *angelorum psallam tibi.* Et hoc sub arbore Dominicæ passionis, dicentes cum Apostolo: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* JESU CHRISTI.

3. Reg. 17. 1. Ps. 137. 1. Gal. 6. 14.

CUMQUE COMEDISSENT, DIXERUNT AD EUM: UBI EST SARRA UXOR TUA? ILLE RESPONDIT: ECCE IN TABERNACULO EST, CUI DIXIT [a] REVERTAR AD TE TEMPORE ISTO, VITA COMITE, ET HABEBIT FILIUM SARRA UXOR TUA. Ambo quidem Domini domus, & Abraham videlicet & Sarra cum summa festinantia refectionem præparant; sed quasi in domo bene disposita Abraham cum paratis epulis audentior ad Dominum accedit: Sarra timore ac verecundia muliebri sese in tabernaculo, immo post ostium tabernaculi cohibet, nec jam adpropiare audet, sed de abditis quæ vir suus cum Domino loquatur auscultat: Ideoque quoniam & devota Deo, & suo bene subdita erat marito, gaudium partus quod multum desiderabat audivit; nec quidem cujuslibet partus, sed illius in quo benedictionem & ipsa in futuro & omnes acciperent nationes. Bene autem postquam comederant angeli, filium suis hospitibus promittunt nasciturum; quia cum epulas bonæ nostræ operationis & fidei Dominus susceperit, gratia nos suæ benedictionis remunerat. Comederunt autem angeli, vel potius comedisse videbantur, ut sanctus Raphaël exponebat Tobiæ, ut sacramentum dominicæ Incarnationis, in qua ipse magni consilii Angelus tamquam homo erat manducaturus, non solùm visibiliter apparendo, sed etiam ad mensam hominum residendo ac manducando, figurarent; sed illi, sicut idem Raphael ait, cibo invisibili, id est qui ab hominibus in carne degentibus videri non potest, utebantur; videlicet gaudio contemplationis; de qua & Dominus in evangelio: *Quia angeli*, inquit, *eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est*, semper etenim vident, hoc est etiam cum ad nos aliqua ministraturi foris veniunt; credibile est autem quod esca quam manducabant, statim ut spiritale vel [b] æthereum corpus eorum [c] contigit, velut aqua ardenti flammæ injecta consumta fuerit, & non sicut aqua arenti terræ infusa, ad reficiendum corpus eorum profecerit, quomodo in nobis, cùm manducamus, fieri solet.

(a) Sarræ verecundia. Angeli cur comedere visi sunt. Matth. 18. 10. Escæ ab eis sumtæ statim consumtæ. (b) (c)

ERANT [d] AUTEM AMBO SENES PROVECTÆQUE ÆTATIS, ET DESIERANT SARRÆ FIERI MULIEBRIA. Ad faciendam auxesin potentiæ cælestis, ambos dicit esse seniores, & insuper Sarram, cùm fuisset sterilis, tum etiam cruore menstruo jam destituam, propter quod jam parere non posset, etiamsi sterilis non fuisset. Porro si femina ita sit provectioris ætatis, ut ei solita mulierum adhuc fluant, de juvene parere potest, de seniore non potest; quamvis adhuc possit ille senior, sed de adolescentula gignere, sicut Abraham post mortem Sarræ de Cethura potuit, quia vividam ejus invenit ætatem; hoc ergo est quod nimirum commendat Apostolus cum ait: *Qui præter spem in spe credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei: sic erit semen tuum; & non infirmatus in fide non consideravit corpus suum jam emortuum, cùm fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Sarræ, in promissione etiam Dei non hæsitavit.* Ad hoc enim dicit Abrahæ jam corpus fuisse emortuum, quoniam non ex omni femina, cui adhuc esset aliquod pariendi tempus extremum, generare [e] ipse in illa ætate adhuc posset: ad aliquid enim emortuum corpus intelligere debemus, non ad omnia; nam si ad omnia, non jam senectus vivi, sed cadaver est mortui.

(d) Rom. 4. 18. (e)

QUÆ RISIT OCULTE DICENS: POSTQUAM SENUI ET DOMINUS MEUS VETULUS EST, VOLUPTATI OPERAM DABO? Hujus sententiæ meminit apostolus Petrus, cùm mulieres viris suis obtemperare admonens adjecit; [f] *sicut Sarra obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* Videtur autem simile huic loco quod supra de Abraham legitur; quia audito Sarræ partu, ciciderit in faciem, & riserit in corde suo dicens: *Putas-ne centenario nascetur filius, & Sarra nonagenaria pariet?* addiditque dicens ad Deum: *Utinam Ismahel vivat coram te!* verùm quia Apostolus dicit quòd Abraham non hæsitaverit diffidentia, Sarram verò hæsitasse, sequens Domini sermo manifestat, dicentis ad Abraham:

(f)

QUARE RISIT SARRA DICENS: NUM VERE PARITURA SUM ANUS? Restat intelligi quod audito quia Sarra paritura esset filium, & Abraham prius riserit admirans in gaudio, & ipsa Sarra postmodum dubitans in gaudio; cujus tamen dubietas, continuò data ratione divinæ potentiæ ablata est, dicente ad eum Angelo:

Sarra, non Abraham dubitavit.

NUMQUID DEO EST QUICQUAM DIFFICILE? JUXTA CONDICTUM REVERTAR AD TE, HOC EST EODEM TEMPORE, VITA COMITE, [g] ET HABEBIT SARRA FILIUM: Qua audita sententia, adeo dubietate omni remota, in fi-

(g)

(a) *Al.* revertens veniam ad te.
(b) *Al.* aëreum. (c) *Al.* contingit.
(d) *Al.* deest autem.
(e) *Al.* ipsa.
(f) *Al.* sic & Sarra.
(g) *Al.* deest &.

de confirmata est, ut merito de illa dicat Apostolus; *fide & ipsa Sarra virtutem accepit ad emissionem seminis.* Quod autem dicit *revertar ad te*, & adjunxit, *vita comite*, humano quidem more loquitur, quasi diceret, si vita comes fuerit. Sed altius intelligendum quod angeli semper vita comite sive in cælis conversentur, seu ad terras descendant, illa utique vita quæ dicit: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*; cujus videlicet vitæ visione atque illustratione & angeli & homines sancti fiunt perpetuo beati. Comparandus sanè videtur hic locus à contrario factis protoplasti; ille etenim post reatum prævaricationis non vidisse Dominum Deum, sed vocem tunc deambulantis in paradiso perhibetur audisse; hic futuræ benedictionis fide, spe ac dilectione accensus vidit stantem Dominum; quia nimirum cum hoc mansura erat, ab illo contemplatio divinæ claritatis abscesserat: Ille audita voce Domini Dei abscondit se tremebundus, quia profecto se errasse erubescebat. Hic viso Domino statim lætabundus adcurrit, cui se complacuisse obedientiæ merito credebat. Ille ad auram post meridiem; iste in ipso fervore diei; quia hic divini amoris igne flagrabat, ille divinæ protectionis & dilectionis à se lucem peccando fugaverat. Hic hospitem Dominum recipit ac reficit, ut adpositis epulis carnalibus insinuet quod eum epulis spiritalibus in corde piè vivendo reficeret; juxta quod ipse Dominus de suis amatoribus promisit: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi,* [a] *intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum*; Ille, id est, protoplastus, qui vetitum comedit & eas quas in præsentia Domini angelorumque ejus habere perpetuas poterat delicias amisit, foris etiam à ligno vitæ visibiliter exclusus, ut patenter ostenderetur, quod sapientiæ fructum incorruptibilem, quo invisibiliter frui solebat, perdidit. Et quia beatus Abraham merito piæ devotionis jam fructum sapientiæ & vitæ quæ Christus est aliquantisper gustaverat; rectè sub arbore consistens Dominum vidisse ac suscepisse narratur. Illic Eva, relicto timore divino, neglecto viri consilio, accessit temeraria ad serpentem, in quo diabolus loquebatur, à quo seducta ad comedendum vetita, virum quoque suæ prævaricationis complicem fecit; propter quod & justæ damnationis cum viro accepta sententia audivit inter alia; *in dolore paries filios*; primumque Caïn filium maledictionis & fratricidam genuit. Hic Sarra [b] subdita timori divino, simul & religiosam viri fidem atque operationem secuta, apparente Domino, expectabat ipsa domi donec vir occurreret, & quæ essent agenda disceret; sed & epulis in susceptionem Domini præparatis, nihilominus ipsa se domi verecundata retinuit; ac virum suum cum eis præire ad Dominum eique munera suæ devotionis simul & ipsius offere gaudebat. Quapropter ambo remunerationem sui beneficii promissa sobole perceperunt; nec qualibet sobole, sed illa utique in qua benedicerentur omnes gentes. Et meritò, ibi enim reatus prævaricationis in primo Adam debita ultione plectebatur; hic tempus redemtionis per secundum Adam & præsagabatur futurum & parabatur. Sequitur:

Adæ & Abrahæ comparatio.

Apoc. 3. 20.

[a]

Evæ & Saræ comparatio.

Genes. 3. 16.

[b]

[c] CUM SURREXISSENT ERGO INDE VIRI, DIREXERUNT OCULOS CONTRA SODOMAM, ET ABRAHAM SIMUL GRADIEBATUR DEDUCENS EOS. Cùm surrexisse dicantur inde viri, ostenditur quod [d] sedentibus eis, adstans ministrabat Abraham, quamvis primo stantes viderit. Direxerunt autem oculos contra Sodomam, ut sicut fidem beati Abrahæ lætis promissionibus remunerarent; ita perfidiam impiæ civitatis flammis ultricibus perderent; juxta illud Psalmistæ, qui cùm de sanctis pietatem Domini [e] præmisisset: *Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum*, protinus severitatem ejus in reproborum ultione subjunxit; *vultus autem Domini*, inquiens, *super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Quod autem cum angelis gradiebatur Abraham deducens eos, ex consuetudine devotæ hospitalitatis fecisse credendus est; sed felices illi gressus, quibus homo cum angelis ingredi meruit in terra, [f] eosque cum adse venissent visitandum ad cælum redituros deducere; FELIX autem nunc eorum vita qui angelicam in [g] terris conversationem sequuntur; videlicet sobriè & justè & piè & castè vivendo, ac divinis laudibus semper, quantùm mortali possibile est, vacando. Verùm beatus Abraham, quia Dominum adeo [h] gaudenter venientem excepit, ut etiam abeuntes quasi [i] domesticos deducere curaret, meretur altiora divinorum operum secreta cognoscere, qui & ipse districtionem supernæ animadversionis venturam mundo intelligens; sicut prius se Deo devotum in hospitibus suscipiendis ostenderat, ita erga proximos sollicitum pro eis postmodum supplicando monstravit.

[c]

[d]

[e] Psal. 33. 16.

Ibd. 17.

[f]

[g]

[h]

[i]

DIXIT ITAQUE DOMINUS: CLAMOR SODOMORUM ET [k] GOMORRÆ MULTIPLICATUS EST, ET PECCATUM EORUM ADGRAVATUM EST NIMIS. Clamorem Sodomorum scelerum famam vel potius infamiam dicit, à quo nos prohibens Apostolus dicit: *Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia*; cui nimirum clamori contrarius est clamor electorum, de quo confidenter suo Creatori supplicantes, aiunt dicentes singuli: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te* [l] *perveniat.* Magnus quippe illorum clamor est meritum sublime & intentio fidei cælestia sola quærens, ubi Christus est in dextera Dei sedens; qui quoniam non terrenas opes, non gloriam inanem caducamque, non moritura carnis gaudia, sed superna tantùm bona desiderant; altum profecto & quasi clamore personum est omne quod agunt. Ve-

[k]

Clamor Sodomorum quis. Ephes. 4. 31.

Clamor electorum.

Psal. 101. 2.

[l]

[a] *Al.* introibo. [b] *Al.* subjecta.
[c] *Al.* cumque. [d] *Al.* redeuntibus.
[e] *Al.* promisisset.

[f] *Al.* eos cum, *al.* eos qui cum. [g] *Al.* terra.
[h] *Al.* gaudens. [i] *Al.* domesticum.
[k] *Al.* Gomorræorum. [l] *Al.* veniat.

rùm multiplicato clamore peccatorum, id est enormi illorum scelere; videamus quid sequitur.

DESCENDAM, INQUIT, ET VIDEBO UTRUM CLAMOREM QUI VENIT AD ME OPERE COMPLEVERINT; AN NON EST ITA, UT SCIAM. Quod ergo se descendere Dominus ad videndum an idem clamor verus esset, aiebat; non suam ostendit ignorantiam, qui omnium habet scientiam, sed nostram instruit temeritatem, ne antequam perfectè discamus, proximorum reprehendere facta præsumamus; quod ipsum nos & in constructione turris docet, ubi scriptum est: quia descendit Dominus videre civitatem & turrem quam ædificabant filii Adam; quid enim de cælo in terram non [a] videret, de quo scriptum est: quia nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.

Proximorum facta temere non judicanda.

[a]

CONVERTERUNTQUE SE INDE, ET ABIERUNT SODOMAM; ABRAHAM VERO ADHUC STABAT CORAM DOMINO, ET ADPROPINQUANS AIT; NUMQUID PERDES JUSTUM CUM IMPIO? SI FUERINT QUINQUAGINTA JUSTI IN CIVITATE PERIBUNT SIMUL, & cetera usque dum ait, QUOD SI INVENTI FUERINT IBI DECEM; ET DIXIT DOMINUS: NON DELEBO PROPTER DECEM. Legitur in sequentibus quod duo angeli Sodomam venerint & suscepti sint à Loth; unde verisimile videtur quòd hoc in loco duo angeli discesserint ab Abraham, & ille cum uno qui [b] secum remansisset locutus pro civitate peritura intercesserit. In qua intercessione præcipue beati Abrahæ perpendenda est humilitas, qui cum tanti sit habitus apud Deum, ut & eum hospitio quasi familiarem susciperet, & apud ipsum pro aliis quasi apud unanimum amicum intercederet; nihilominus in sua æstimatione vilis ipse permansit ac despectus; unde in secunda sua oratione dicit ad eum.

[b]

Abrahæ humilitas.

QUIA SEMEL COEPI LOQUAR AD DOMINUM MEUM CUM SIM PULVIS ET CINIS; Quo verbo manifestè nostram redarguit superbiam, qui longè ab altitudine meritorum ejus distantes, longè à conlocutione divina pro nostra tarditate atque inertia remoti, nihilominus typo elationis inflati, cinerem nos ac pulverem futuros minimè recolimus: nam beatus Abraham quò divinæ visionis puritati altiùs adpropinquavit; eò certiùs suæ fragilitatis infirma dispersit & abjecta. At nos [c] qui à contuitu internæ claritatis nubilo nostræ pravitatis excludimur, tantò minus insitæ nobis miseriæ tenebras deflemus, quantò nil præter has intueri solemus.

[c]

VENERUNTQUE DUO ANGELI SODOMAM VESPERE, SEDENTE LOTH IN FORIBUS CIVITATIS. Non sine causa angeli qui ad meridiem ad Abraham venerant, vesperé Sodomam venire perhibentur: quia nimirum illi prospera ac læta nuntiare, huic adversa inferre venerunt; ille fructu lucis ad cælestia flagrabat; A hæc vitiorum tenebris obsessa perditioni æternæ propinquabat.

QUI CUM VIDISSET, SURREXIT, ET IVIT OBVIAM EIS; ADORAVITQUE PRONUS IN TERRA, ET DIXIT: OBSECRO DOMINE, DECLINATE IN DOMUM PUERI VESTRI, ET MANETE IBI, & cetera. Magnum perfectumque in beato Loth exemplum Deo devotæ hospitalitatis ostenditur, qui ingredientes urbem hospites non solùm occurrens excipere paratus fuit; verùm etiam ut ad se diverterent secumque requiescerent obnixius postulabat. Renuebant autem primò domum ejus intrare, quod tamen postmodum eo compellente facere B consenserunt; ut sic industriam hospitalitatis ejus diligentius probarent; probatam dignius remunerarent, dum eum à peccantium interitu cum sua domo eriperent.

Hospitalitatis meritum.

PRIUS AUTEM QUAM IRENT CUBITUM, VIRI CIVITATIS VALLAVERUNT DOMUM, A PUERO USQUE AD SENEM, OMNIS POPULUS SIMUL; VOCAVERUNTQUE LOTH, ET DIXERUNT EI: UBI SUNT VIRI QUI INTROIERUNT AD TE NOCTE; EDUC ILLOS HUC, UT COGNOSCAMUS EOS, &c. Hoc est quod Propheta Esaias de populo Israël supra modum peccante ait: *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt* C *nec absconderunt*. Peccatum quippe suum sicut Sodomitæ prædicaverunt, nec absconderunt, cum absque respectu pudoris alicujus omnes à puerili ætate usque ad ultimam senectutem masculi in masculos turpitudinem operari solebant; adeo ut ne hospitibus quidem ac peregrinis sua scelera abscondere, sed & hos vim inferendo, suis similes facere sceleribus, atque suis facinoribus implicare contenderent. Isa. 3. 9.

Quod verò furentibus eis in tale flagitium patrandum dicit inter alia Loth: HABEO DUAS FILIAS QUÆ NECDUM COGNOVERUNT VIRUM, EDUCAM EAS AD VOS, ET ABUTIMINI D EIS, SICUT PLACUERIT VOBIS, DUMMODO VIRIS ISTIS NIHIL FACIATIS MALI. Quoniam prostituere volebat filias suas hac compensatione, ut viri hospites ejus nihil à Sodomitis tale paterentur; utrum admittenda sit conpensatio flagitiorum vel quorumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat; an potius perturbationi Loth non consilio tribuendum sit, quia hoc dixerit, meritò quæritur; & nimirum periculosissimè admittitur hæc compensatio; si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullomodo imitanda est.

Malum non faciendum ne gravius malum alius faciat.

E ET ECCE MISERUNT MANUM VIRI, ET INTRODUXERUNT AD SE LOTH, CLAUSERUNTQUE OSTIUM, ET EOS QUI ERANT FORIS PERCUSSERUNT CÆCITATE, A MINIMO USQUE AD MAXIMUM, ITA UT OSTIUM INVENIRE NON POSSENT, & cetera usque ad id quod dixit Loth ad generos suos: SURGITE, EGREDIMINI DE LOCO ISTO, QUIA DELEBIT DOMINUS CIVITATEM HANC, ET VISUS EST QUASI LUDENS LOQUI. Quod ostium Loth

[a] *Al.* viderit.
[b] *Al.* cum eo.

[c] *Al.* quia.

obcluserunt angeli, ne vel ipsum, vel aliquem de domo ipsius possent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter insinuat quia nullum de electis Dei perditura [a] sit impietas & persecutio reproborum, dicente Domino de ovibus suis: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quod item Loth facultate ab angelis data nullum de civibus perfidis, ne de suis quidem cognatis sive amicis, tametsi multum conatus, potuit ad salutem revocare; significat quia nullius labor hominis ad numerum prædestinatorum, qui ante constitutionem mundi electi sunt à Domino, vel unam possit animam adjicere: *Novit enim Dominus qui sunt ejus.* Verùm etsi nostram fragilitatem qui ad electorum sortem pertinent latet; non tamen ab agenda cura nostræ salutis cessandum, non ab instruendis proximis lingua est continenda; sed ad exemplum beati Loth, & nobis castè vivendum, & errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum, constat enim quia etsi prædestinatos ad interitum salvare nequivimus, nostræ tamen benignitatis quam erga illorum salutem impendimus mercedem non perdimus.

[a] Joan. 10. 28.

Certus prædestinatorum numerus.

ET EDUXERUNT EUM POSUERUNTQUE EXTRA CIVITATEM. IBI LOCUTUS EST AD EUM: SALVA ANIMAM TUAM, NOLI RESPICERE POST TERGUM, NEC STES IN OMNI CIRCA REGIONE, SED IN MONTE SALVUM TE FAC, NE ET TU SIMUL PEREAS. Generaliter quidem incendium & perditio Sodomorum, de qua ereptus est Loth, pœnam ultimæ districtionis designat; quando completa in fine sæculi summa electorum, omnes impii æternum rapientur in ignem, Domino exponente, qui ait: *Similiter sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant, qua die autem exivit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit qua die filius hominis revelabitur.* Cui adtestatur etiam apostolus Judas dicens: *Sicut Sodoma & Gomorra & finitimæ civitates, simili modo & hæ fornicatæ sunt, abeuntes post carnem alteram: facta sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Potest autem idem ignis Sodomiticus etiam flammas vitiorum quibus in hac vita reprobi uruntur, atque ad sempiternum præparantur incendium non inconvenienter insinuare, qui cùm nunc in concupiscentiis terrenis carnisque inlecebris ardere non cessant, tunc igne ultionis ardere numquam [b] desistent. Hunc quoque sensum Domino adfirmante, immo etiam docente, qui ait: *In illa hora qui fuerit in tecto & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retro; memores estote uxoris Loth.* Neque enim docemur ne instante articulo ultimi examinis, culmen rectæ conversationis deserentes, ad ima concupiscentiæ mundialis animum deflectamus; vel ne relicto aratro agriculturæ spiritalis, retro respiciamus, quando non ultra nobis operum aliqua correctio restat, sed eorum quæ

Sodomorum incendium figura ultimi judicii.

Luc 17. 28.

Jud. 7.

[b] Luc 17. 31.

A operati sumus reddenda ratio instat; verùm potiùs imminente judicio, fidelibus hæc [c] exhortatio datur, ut cœptis bonis ac salubribus insistant, ne vitiorum quæ reliquere contagia repetentes, Loth imitentur uxorem, quæ ardentem sulphure Sodomam dum incauta respiceret, [d] versa est in statuam salis. Dum ergo nos Dominus uxorem Loth imitari prohibet, ostendit profectò quod incendium civitatis, ad quod oculos reduxerat, flammas vitiorum, quas vitare & valemus & debemus, exprimit. Unde nunc exhortatio angelorum, qua eductum de Sodomis Loth B admonuerant ne retro respiceret, neque in omni circa regione consisteret, sed montem salvandus peteret, & spiritaliter intelligenda, & maxima est nobis intentione sequenda; ne videlicet ardores & incentiva vitiorum quæ parumper evasisse videmur, [e] incauti repetamus, neque omnimodis in vicinia peccantium, quantum possibile est, manere consentiamus, ne illorum exemplo à nostræ via rectitudinis aberremus, juxta illud Psalmistæ de beato viro: *& in via peccatorum non stetit*; sed ad fastigium arduæ conversationis conscendere ociùs curemus.

[c] Vitia semel extincta non repetenda.

[d]

[e] Peccantium vicinia vitanda.

Psal. 1. 1.

C DIXITQUE LOTH AD EOS: QUÆSO DOMINE MI, QUIA INVENIT SERVUS TUUS GRATIAM CORAM TE, ET MAGNIFICASTI MISERICORDIAM TUAM QUAM FECISTI MECUM, UT SALVARES ANIMAM MEAM, NEC POSSUM IN MONTE SALVARI NE FORTE ADPREHENDAT ME MALUM. EST CIVITAS HÆC JUXTA AD QUAM POSSUM FUGERE PARVA, ET SALVABOR IN EA. Non ita præsidium vicinæ civitatis [f] petiit beatus Loth, quasi malum sibi alicujus plagæ superventurum timeret, si ad montem pervenire potuisset; sed ea potius intentione ad civitatem juxta positam divertere cupiebat; ne dum montis altitudinem, qui longius aberat, peteret, in ipso itinere positum flamma quæ impiis pro- D xima imminebat, absumeret.

[f]

DIXITQUE AD EUM: ECCE ETIAM IN HOC SUSCEPI PRECES TUAS, UT NON SUBVERTAM URBEM PRO QUA LOCUTUS ES, &c. O quanta viscera divinæ pietatis, non solum justum à perditione sceleratorum liberat, sed & plurimis eorum propter salutem ejusdem justi vitam quam non meruere concedit; ut & in eis qui perirent quid impietas mereretur ostenderet, & in his qui remanerent quantum intercessio piorum apud Deum valeret indicaret.

IDCIRCO VOCATUM EST NOMEN URBIS ILLIUS SEGOR. Segor interpretatur Parva, quæ idcirco E sic vocata est, quia dixerat Loth, NUMQUID NON MODICA EST. Prius autem Bale vocabatur, ut in superioribus legitur; *Contraque Regem Bale: ipsa est Segor.* Interpretatur autem Bale, *devoratio*, quam ita dictam aiunt Hebræi quòd tertio terræ motu absorta sit. Sicut autem Sodoma ardens flammas vitiorum, & mons ad quem ascendere Loth jubetur, virtutum culmen insinuat; ita Segor quemdam bonæ conversationis modum minus perfectum designat;

[a] *Al.* est.
[b] *Al.* desistunt; *al.* adsistunt.
[c] *Al.* ratio.

[d] *Al. deest* versa est in statuam salis.
[e] *Al.* incaute.
[f] *Al.* petit.

qui etsi à celsitudine perfectorum adhuc longè abest; jam tamen à [a] contagio sceleratorum secretus est. Verbi gratia qui conjugalem rectè servat vitam, à fornicationis quidem flamma sulphurea evasit; nec tamen montem continentiæ [b] conscendit: qui à rapinis atque avaritia manum mentemque avertit, ac de rebus habitis pauperibus dare consuevit; necdum tamen omnia relinquere potuit; de incendio quidem Sodomorum effugit, mœnia parvæ civitatis in qua periculum interitus evaderet intravit; sed necdum arcem virtutis in qua jam perfectus emineret ascendit, & cetera hujusmodi.

SOL EGRESSUS EST SUPER TERRAM, ET LOTH INGRESSUS EST SEGOR; IGITUR DOMINUS PLUIT SUPER SODOMAM ET GOMORRAM SULPHUR ET IGNEM A DOMINO DE CÆLO; ET SUBVERTIT CIVITATES HAS ET OMNEM CIRCA REGIONEM. Solis egressio super terram, cum qua [c] subversæ sunt Sodoma & Gomorra, manifestationem ultimi designat examinis; quando justis omnibus ereptis, impios repentinus opprimet interitus. Et rectè utique Dei judicio factum est, ut qui beatum Loth in tenebris noctis multùm laborantem ac renitentem suis flagitiis inretiri tentaverunt, adveniente subito die, hunc ereptum cernentes, ipsi prorsus interirent, quique ipsi fœdis voluptatibus carnis in tenebris arserant, apparente subito mane, sulphure consumerentur & igne: quia & omnes qui in cæcitate mentis occultè vitiis inserviunt, in cognitione sui sceleris palam à districto judice feriuntur. Item notandum quod una eademque nocte & Loth hospite Domino gaudebat & defendebatur ab hostibus; & Sodomitæ sua scelera accumulare, etiam ipso Loth cum hospitibus suis fœdato, laborabant; orto autem sole, hic liberatus pro sua justitia, illi pro sua impietate damnati: quia nimirum in nocte hujus sæculi & sancti gaudent in cubilibus suorum cordium recipere illum qui dixit: *Ecce ego veniam & habitabo in medio tui*; & in Apocalypsi: *Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*; Et impii suis tentationibus vel opera fidelium, vel ipsam corrumpere fidem quærunt; apparente autem mane futuri sæculi, hi coronam vitæ accipiunt, illi pœnam perpetuæ mortis incurrunt. Condigna autem suis sceleribus pœna Sodomitæ pereunt. Nam quia in putredine luxuriæ & ardore libidinis vitam duxerunt impiam, meritò cum flammis ignium etiam fœtore sulphuris puniuntur. Nec dubitandum quia tali pœna non solùm ad præsens damnati, sed etiam sunt perpetuò damnandi, dicente apostolo Johanne: *Timidis autem, & incredulis, & exsecratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure.* Æquatur ergo pœna & ultio generibus peccatorum, juxta illud quod vir sapiens plagas Ægyptiorum interpretans ait: *ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*; sicut econtra beatus Loth juxta modum vitæ quam ducebat meruit liberari: quia enim hospitalis extiterat, contigit eum susceptis bonis hospitibus ab interitu salvari. Nec dubitandum quin ab eisdem hospitibus post mortem sit in æterna tabernacula receptus; ut qui cæli cives in suum introduxit hospitium, suisque refecit epulis, ab eis ipse in [d] habitacula cælestia induceretur; ubi pane angelorum perpetuo, hoc est, conspectu divinæ claritatis gloria reficeretur; Quod verò dicitur quia *Dominus pluit à Domino sulphur & ignem de cælo*, manifestè distincta est Patris & Filii persona, & Sabellii hæresis repudiata, quæ ipsum Patrem dicit esse quem Filium. Pluit autem Dominus à Domino, Filius à Patre, unde & alibi dicitur Patri: *omnia in Sapientia fecisti*, hoc est, in Filio. Cui simile est illud Psalmistæ, ubi ita duas Patris & Filii describit personas, ut tamen unam in duabus personis deitatem insinuet: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni tui; dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus. Sedes* enim *tua Deus*, Deo filio dicitur; *unxit te Deus, Deus tuus*, de Deo Patre subjungit.

RESPICIENSQUE UXOR EJUS POST SE VERSA EST IN STATUAM SALIS. Hoc verè juxta litteram factum esse credendum est. Denique Josephus refert usque ad sua tempora eamdem salis statuam in portis ejusdem civitatis perdurasse. Et quidem uxor metu femineæ fragilitatis ad clamorem pereuntium repentinum, & fragorem flammarum cælo delapsarum, retro respexit; sed eorum tamen tenet in hac infirmitate figuram, qui semel mundo renuntiantes, ac virtutum iter arduum inchoantes, repente ad ea quæ reliquerant mundi desideria, instabili & velut muliebri corde recurrunt; de quibus apostolus Petrus: *Melius*, inquit, *eis* [e] *fuerat non cognoscere viam justitiæ, quàm post* [f] *agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*; sicut econtra Loth qui sua quæ possederat omnia cum peccatoribus peritura reliquit, illos qui verè mundo abrenuntiant, neque eos abrenuntiasse pœnitet, insinuat; quos etiam beatus Noë, qui & ipse cuncta sua cum reprobis, sicut hic ignibus, sic ille undis absumenda reliquit, manifestè designat: quod autem uxor Loth, dum se ab itinere quod Dominus ostendebat, avertisset, extincta & in statuam salis conversa est; aptè indicat quod hi qui à via veritatis repetendo vitia declinant, ipsi quidem in sua pravitate pereunt; sed exemplo perditionis suæ aliis quasi condimentum sapientiæ relinquunt, ut hi eorum interitum reminiscentes, cautiùs se & circumspectiùs in arrepto justitiæ proposito custodiant. Denique Dominus ammonens fideles ne cœptum fidei callem deserant, quasi petram eis salis, quò dulciùs ejus verba sapiant, adhibet, cùm dicit inter alia, *Memores estote uxoris Loth*. Qui ergo ignem vitiorum, qui ultimum evadere judicium desi-

Marginalia: Zach. 10. 11. — Apoc. 3. 20. — Apoc. 21. 8. — Pœna unicuique peccatis ipsorum respondet, merces justorum ipsorum virtutibus. — Sap. 11. 17. — Sabellii hæresis. — Ps. 103. 24. — Ps. 44. 7. — Josephus Antiq. Jud. lib. 1. cap. 22. — Uxor Loth figura eorum qui ingressam virtutis viam deserunt. — 2. Pet. 2. 20. — Luc 17. 32.

[a] Al. contagiis. [b] Al. continuò conscendit. [c] Al. subversa est Sodoma, omisso & Gomorra.

[d] Al. tabernacula. [e] Al. erat. [f] Al. cognitionem.

derat, oportet ut præteritorum obliviscens, in ea quæ ante sunt divinæ promissionis gaudia semper intendat.

ASCENDITQUE LOTH DE SEGOR, MANSITQUE IN MONTE, DUÆ QUOQUE FILIÆ EJUS CUM EO. TIMUERAT ENIM MANERE IN SEGOR. Festinavit ad montem ascendere de Segor, quia hoc magis placuisse angelis per quos ereptus est cognovit, timens ne quæ & articulo temporis illius sua intercessione periculum mortis evasit, postea tamen ob scelera civium [a] eadem urbs posset simili cum vicinis urbibus perditione consumi; [b] pertimuit maximè, cùm nosset eam tempore superiori crebro terræ motu fuisse consumtam: unde & Bale, id est, præcipitans sive devorans vocata est. Sed & juxta intelligentiam spiritalem, quia Sodoma flammas vitiorum, Segor modicam adhuc incoationem bonorum operum; mons altitudinem virtutum designat; necesse est, ut cùm ab incendio vitiorum quisque ad initium virtutis accesserit, non jam in ipso initio segnis perseveret, sed ad altiorem bonæ actionis profectum, semper alacri gressu tendere ac properare contendat.

Ad altiora seu perfectiora semper tendendum.

DIXITQUE MAJOR AD MINOREM: PATER NOSTER SENEX EST, ET NULLUS VIRORUM REMANSIT IN TERRA, QUI POSSIT INGREDI AD NOS JUXTA MOREM UNIVERSÆ TERRÆ. VENI, INEBRIEMUS EUM VINO, DORMIAMUSQUE CUM EO, UT SERVARI POSSIMUS EX PATRE NOBIS SEMEN, &c. Quibus refertur quomodo filiæ Loth ipsum vino inebriantes dormierunt cum eo, & concipientes pepererint Moab & Ammon patriarchas Moabitarum & Ammonitarum. Et quidem historia hæc contra naturalem humanæ conceptionis morem facta videtur, sed non potest factum dubitari, quod tanta auctoritas factum esse refert. Potest autem excusabilis videri Loth, quòd tale scelus incesti nesciens pertulit magis, quàm fecit; sed non excusatur in eo quod tam recentis impiorum exterminii oblitus, vino tantum indulserit, ut quid erga se ageretur experiri non posset. Excusabiles videntur & filiæ, quia non causa luxuriæ patrem incestaverint, sed quia nullum virorum in terra remanere, verùm omnes eadem pœna flammarum consumtos esse putassent; & suspicatæ sint quia sicut post diluvium per tres filios Noë & totidem nurus genus humanum restauratum est, ita nunc per se & patrem suum qui soli ignibus superessent denuo foret reparandum; ideoque hoc per somnum magis agendum ratæ sint, ne pater sciens tale connubium aspernatus [c] respueret & sprevisset. Possunt excusabiles ergo videri, quod se in hujusmodi facto obsequium divinæ dispositioni præstare credebant; sed non excusantur in eo quod non vel sui patris in tali negotio voluntatem sive consilium quærebant, vel temporis moram expectabant, donec certiùs quid de genere humano per orbem esset actum cognoscerent. Juxta sensum verò moralem possumus in hoc facto intelligere, quòd nullus terrenæ adhuc inhabitationis status, quamvis sublimis esse videatur, à culpæ tentantis possit liber esse contagio. Ecce enim beatus Loth putidas quidem Sodomorum flammas evasit, Segor æque peccatricis civitatis ruinam vitavit, montis verticem ascendit; sed ubi eum in sublimi virtutum arce positum rebaris, ibi nocte inebriatum, & à filiabus suis repente fœdatum conspicis: quia sæpe contingit, ut qui per inlustrationem gratiæ cælestis alia vitiorum tentamenta devicerant, denuo per inertiam propriæ infirmitatis aliis enerviter succumbant. Ducatus quippe angelicus auxilium cæleste quo [d] à peccatorum periculis liberamur indicat; filiæ verò beati Loth [e] carnales etiam sublimium virorum cogitationes exprimunt, quarum incuria ita nonnumquam eis suberigitur, ut etiam ex pio corde verbum sive factum minus probum, quasi filii nequam concipiantur. Neque enim dubitandum est, quia filii Loth ex filiabus nati, qui gentiles populos & à fide sui patris alienos procreaverunt, illa sanctorum opera designent, quæ non ad regulam sanctitatis, sed ad malorum potius pravitatem pertineant; quale fuit adulterium David, qualis elatio regis Ezechiæ, qualis incauta processio Josiæ regis ad pugnam in qua occideretur, & regnum Davidicum deinceps hostibus proderet; qualis [f] deinde negatio beatissimi apostolorum Principis. Conveniunt autem sicut sæpe [g] rebus tempora; nam [h] Loth qui mane inlucescente à Sodomis ereptus fuerat, nocte instante inebriatus ac deceptus est: quia nimirum quod salvamur à periculis, inlustrantis est gratiæ Dei; quod relabimur ad vitia, nostræ est cæcitatis & infirmitatis. Generantur de filiabus Loth Moab & Ammon, quos peccata designare testatur etiam illud legis præceptum quo dicitur: *Moabitæ & Ammonitæ non intrabunt in Ecclesiam Domini usque in tertiam & quartam generationem, & usque in æternum*; quia errores & vitia, ut diximus, electorum nequaquam [i] in numerum virtutum quibus Ecclesia perficitur atque ornatur adnumerantur; sed bonorum potius operum superpositione ne appareant obteguntur; sed & nomina filiorum Loth, quorum prior De patre, secundus interpretatur Populus meus, consuetudini vitiorum decenter aptantur; [k] quæ non à Deo conditore nobis insitæ, sed nostra ex primæ conditionis origine divinitus mihi insertum esse comperio. Cognomino & Ammon, id est Populum meum, quia & mihi hoc adplicandum, & non naturarum conditori adscribendum cognosco. Sane notandum quod propriè populus merosus interpretur. Populus autem meus [l] Ammon dicitur, quod ipsum quoque à peccatorum significatione non discrepat. Sicut enim de virtutum proventu, quæ à Domino nobis donantur, lætari debemus; ita necesse est ut de vitiorum exortu, quæ de nostræ

In incesto Loth quid excusabile, quid damnandum.

Nullus ita perfectus, ut ab omni sit culpa liber.

[a] *Al. deest* eadem. [b] *Al. deest* pertimuit.
[c] *Al.* respicere sprevisset. [d] *Al.* peccato liberamur.
[e] *Al.* carnales vitiorum cogitationes.
[f] *Al.* denique. [g] *Al.* cum rebus & tempora.
[h] *Al.* beatus Loth. [i] *Al.* in numero.
[k] *Al.* quia. [l] *Al.* Ammi.

corruptione naturæ prodire constat, salubri mœrore compungamur; Et hæc quidem filius Loth de incestu conceptus; Porro Isaac qui de promissione natus est & interpretatur Gaudium, virtutum gratiam designat.

PROFECTUS INDE ABRAHAM IN TERRAM AUSTRALEM, HABITAVIT INTER CADES ET SUR, ET PEREGRINATUS EST IN GERARIS. Quod Abraham venit in terram australem, terrestri suo itinere cælestem mentis profectum insinuat, quo semper ad perfectiora virtutum opera, sicut & ceteri sancti solebat ascendere. Terra quippe australis, quæ luci & ardori solis vicinior est, illam sæpe vitam fidelium juxta morales sensus indicat, quæ discusso torpore concupiscentiæ mundialis, interna luce supernæ dilectionis magis magisque cotidie solebat innovari. Et Abraham deletis Sodomis terram petit australem, cùm electus quisque pravorum cernens interitum, [a] devotius sese in obsequium Conditoris sui accingit, ut cui interius donatum est perditioni malorum superesse, mereatur in æternum gaudiis interesse bonorum. Pestilente enim flagellato, astutior erit parvulus. Ubi sequentia quoque verba quibus dicitur quod Abraham habitaverit inter Cades & Sur, & peregrinatus sit in Geraris, spiritualibus electorum profectibus aptè conveniunt. Cades namque Sancta sive Commutata, Sur Fortis, Gerara interpretatur Incolatus; *Profectus ergo Abraham in terram australem, habitavit inter Cades & Sur*, quia nimirum electi omnes cum agnitione veritatis intus inlustrantur, cùm amore flagrant divinæ visionis, opera quoque sanctitatis simul exercere contendunt; commutatam inter homines, id est cælestem pro terrestri, pro humana angelicam ducere vitam curant, & fortitudine fidei invictæ, ei qui singulariter fortis est, adhærere non cessant, dicentes singuli, [b] dicentes omnes, *mihi autem adhærere Deo bonum est*. (Ps. 72. 28.) Notandum namque quod Sur apud Hebræos unum est ex decem nominibus Dei, quo [c] omnipotentis solet virtus significari. Habitat ergo inter Cades & Sur, qui per opera virtutum ad visionem quotidie sui Conditoris anhelat; & quoniam hæc esse visio in futuro solet, in præsenti autem sæculo peregrinos se esse profitentur, qui æternam in cælis patriam sperare didicerunt, rectè sequitur:

ET PEREGRINATUS EST IN GERARIS. Nam & verbo peregrinationis & nomine Gerararæ, id est incolatus, decenter sanctorum vita figuratur, quæ quantum divinis mancipata præceptis, tantum à temporalibus est alienata gaudiis; unde & Apostolus eorumdem Patriarcharum vitam glorificans aiebat: (Vita sanctorum qualis.) (Heb. 11. 9.) *Fide moratus est Abraham in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Jacob cohæredibus promissionis ejusdem; expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus.* (Ibid. 13.) Et Paulo post: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.* Qui enim hæc dicunt significant, se patriam inquirere; erat autem Geraris olim terminus Chananæorum ad meridiem, & civitas metropolis Palæstinæ, posita inter Cades & Sur, hoc est inter duas solitudines, quarum una Ægypto jungitur, ad quam populus trans fretum Rubri maris pervenit, altera verò Cades usque ad Sarracenorum heremum [d] extenditur. Sequitur:

DIXITQUE DE SARRA UXORE SUA, SOROR MEA EST. MISIT ERGO ABIMELECH REX GERARÆ, ET TULIT EAM. Quare hoc dixerit Abraham de Sarra, & unde credendum sit eam tametsi ablatam in domum regis, nequaquam regis concubitu fuisse contactam, supra jam dictum est, ubi simili modo à Pharaone sublata, sed Domino imperante suo conjugi reddita est. Cùm verò sequitur.

VENIT AUTEM DEUS AD ABIMELECH PER SOMNIUM NOCTIS, ET AIT ILLI: EN MORIERIS PROPTER MULIEREM QUAM TULISTI, HABET ENIM VIRUM: ABIMELECH VERO NON TETIGERAT EAM, ET AIT: DOMINE, NUM GENTEM IGNORANTEM ET JUSTAM INTERFICIES? & cetera hujus lectionis. (Abimelech veræ religionis cultor.) Videtur Abimelech cultum veræ religionis & nosse & cum suis omnibus sedulus exercuisse; quomodo enim homo alienus à cognitione & timore Dei, vel Deo adloquente mereretur corripi cùm peccasset, vel verba Dei corripientis tanta humilitate susciperet; nam & suæ gentis innocentiam demonstravit, cùm ait: *Num gentem ignorantem & justam interficies?* Et sui puritatem cordis simul atque operis ostendit, cùm adjunxit: *In simplicitate cordis mei & munditia manuum feci hoc.* Unde etiam quia prudenter atque humiliter Domino respondit, mox secunda ejus meruit voce laudari simul & consolari dicentis:

ET EGO SCIO QUOD SIMPLICI CORDE FECERIS; IDEO CUSTODIVI TE, NE PECCARES IN ME. Sed & hoc quod statim de nocte consurgens omnes servos suos vocavit, & quæ sibi acciderant narravit; quodque illi audito periculo culpæ quod rex inciderat, omnes valde timuerunt, utrorumque animum, hoc est & ipsius regis & servorum ejus, quàm fuerit justitiæ deditus edocet: Nam & rex ipse cùm dixit ad Abraham: QUID FECISTI NOBIS? QUID PECCAVIMUS IN TE, QUIA INDUXISTI SUPER ME ET SUPER REGNUM MEUM PECCATUM GRANDE? manifestè insinuat quia non leve duxerit ignorantiæ peccatum, quod non sibi tantummodo, verùm etiam regno suo confitebatur esse nocivum. Unde nec sibi sufficere credidit, quod à Deo veniam reatus meruisset, immo quod Deo propitio né peccaret custodiri meruerit, si non etiam homini in quem nescius peccaverat, cum uxore reddita, pecuniam simul copiosam, ut sibi placari posset, tribueret, ut in sequentibus legitur. Non autem mirandum homines incir-

[a] *Al.* devotus.
[b] *Al. deest* dicentes omnes.
[c] *Al.* omnipotens illius solet virtus.
[d] *Al.* tenditur.

Incircumcisi olim aliqui veri Dei cultores.

cumcisos eo tempore veritatis esse cultores potuisse, cum beatus quoque Job & reges amici ejus credantur post tempora datæ circumcisionis absque sacramento circumcisionis fideliter Domino cum suis omnibus servisse; Sed & Sem patriarcham cum Arfaxat, Sale, Heber, filiis sive nepotibus suis constat eo adhuc tempore supervixisse in carne, ac Deo placitam vitam sine circumcisionis lege duxisse. Unde verisimile videtur signaculum in circumcisione Abrahæ tantùm & semini ac familiæ ejus esse datum; in ceteris verò gentibus potuisse adhuc esse nonnullos, qui [a] pro naturali scientia legis Deo devotè servirent; vel hostiarum videlicet oblationibus, vel certè sola veræ fidei professione à primæ prævaricationis labe purgatos: maximè superstitibus adhuc illis qui vel abolitionem humani generis in diluvio, vel constructionem turris ac divisionem linguarum, vel perditionem Sodomorum in memoriam tenerent. Namque ipsum Sem usque ad quinquagesimum annum nativitatis Jacob perdurasse in corpore consulta Genesis historia testatur; cui sententiæ congruit beatus Papa Gregorius dicens: Nequaquam esse credendum tam brevem hominum summam illis temporibus ad vitam pervenisse perpetuam quam legifer Moyses paucissimis scriptorum suorum videtur comprehendere monumentis. Quod autem Abraham regi sedulo instanti ac nimirum perquirenti, quare uxorem suam dixerit esse sororem, satisfaciens ait inter cetera, *alias autem verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ*; vetus Translatio aptiùs habet, *Etenim verè soror mea est de patre sed non de matre*; id est fratris ejus filia non sororis; fratres namque sive sorores nonnumquam in scripturis cognatione vocantur, qui sunt de una familia, id est patria, quas Latini paternitates interpretantur, cum ex una radice multa generis turba diffunditur; alioquin quale est ut Abraham vir justus patris sui filiam conjugem sumserit, cum in primis hominibus propter aurium sanitatem id ipsum scriptura non nominet, malens intelligi quam proferri. Quodque Sarræ dixit rex:

Originale peccatum hostiarum oblatione, aut veræ fidei professione deletum.

ECCE MILLE ARGENTEOS DEDI FRATRI TUO; HOC ERIT TIBI IN [b] VELAMENTUM OCULORUM AD OMNES QUI TECUM SUNT, QUOCUMQUE PERREXERIS, MEMENTOQUE TE DEPREHENSAM. Quando jocando loquitur, eo quod ipsa dixerit eum fratrem suum esse; deprehensamque dicit cùm simulando texerit veritatem, dicendo fratrem suum esse eum qui fuit maritus: hortaturque ut hoc in posterum meminerit; ne deinceps simili simulatione idem opprobrium deprehensa incurreret. Quod si in hac lectione ubi Sarra, Abraham permittente, amata à regibus rapitur, sed Domino procurante intemerata viro redditur, allegoricum quid sentire delectat, significatur [c] Ecclesia tentationibus potestatum mundanarum sæpius esse pulsanda, permittente utique Domino, qui

Sarra à regibus amata, & à Deo servata Ecclesiæ figura.

A vir ejus ob donum supernæ protectionis & gratiæ vocari dignatus est; ut examinata adversis, manifestiùs quàm sit fide firma, qua castitate Deo devota, quanta denique sui Conditoris custodia ab omnibus semper sit hostium insidiis tutanda, clarescat, neque umquam à suæ fidei simplicitate corrumpenda. Quod autem redditurus Sarram Abrahæ rex donavit simul oves & boves, servos & ancillas, & pecuniam plurimam; illud significat tempus, quo regnum hujus mundi Christianæ fidei erat colla submissurum, eamque religionem, quam olim expugnare nitebatur, venerationi habiturum. B Quod Sarra bis à regibus concupita & rapta, nec tamen polluta est, quondam quidem juvencula à Pharaone, & nunc provectior ætate ab Abimelech, significabat Ecclesiam, quamvis semper in hac vita laboribus exercendam, duas tamen majores ceteris persecutiones experturam; unam Romani imperii, quam velut in juventute sua perpessa, fortissimè ac gloriosissimè Domino adjuvante superavit; alteram antichristi, quam velut in senectute, hoc est imminente termino temporalis suæ vitæ, passura est, atque eodem miserante Domino devictura. Nam quod Sarra tantæ erat pul- C chritudinis, ut etiam grandæva ob gratiam formæ potuisset amari; significat Ecclesiam ultimo illo tempore tanta virtutum gloria decorandam, cui hostis acer cum suis satellitibus non minimum invideat, ideoque eam cunctis insidiarum ac virium suarum artibus expugnare contendat; impleta prophetia qua de filiis ejus dicitur: *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt ut adnuntient*; id est, ut fidem qua gloriantur constanter inter mala quæ patiuntur prædicent. Quod uterque rex ne Sarram violaret, Deo procurante, servatus est, significat ita persecutorum rabiem, Domino D miserante, cohibendam, ut nemo ex his qui verè ad Ecclesiam pertinent, possit à fidei & caritatis, quæ est in Christo, castitate seduci. Quod uterque plagis, ut Sarram viro suo redderet compulsus est, raptumque temerarium pecunia simul data correxit, significabat persecutores sæpius ab injuria fidelium adversitate ac damnis rerum temporalium esse compescendos; sed & ad reverentiam sive consortium eorumdem fidelium esse commutandos, quod & aliquotiens in persequutionibus factum scimus, & in ultima illa ceteris majore credimus esse futurum: & hoc per orationes præsulum spiri- E talium, adque indulgentiam & miserationem Domini Salvatoris, qui sanctam Ecclesiam sponsæ sibi fœdere conjungere dignatus est. Utrumque enim beatus Abraham pro Abimelech orans congruè designat, & ipsum Dominum Salvatorem qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; & pastores ac rectores ejusdem Ecclesiæ, qui quoniam castitatis illius curam gerunt, pro adversariis quoque ejus ne eam fœdare valeant, verùm à cœptis noxiis

Psal. 15. 19.

[a] *Al.* per naturalis scientiam legis.
[b] *Al.* velamento.

[c] *Al.* ecclesiam..... pulsandam.

ocius

ociùs desistant, Domino supplicare non negligunt. Neque ab re debet videri per Abimelech hominem bonum & timentem Deum, bonorum persecutores posse figurari. Solitum namque est in scripturis, & per bonos mala, & per malos aliquotiens bona designari; nam & beatus Papa Gregorius reges impiissimos Saülem & Jechoniam in figura Domini Salvatoris ponere non dubitavit, & è contrario per factum Uriæ fidelissimum perfidiam Judæorum dicit esse designatam.

Mali per bonos in scripturis designari, & boni per malos. Greg. lib. 4. Mor. c. 4.

VISITAVIT AUTEM DOMINUS SARRAM SICUT PROMISERAT EI, ET IMPLEVIT QUÆ LOCUTUS EST EI, CONCEPITQUE ET PEPERIT FILIUM IN SENECTUTE SUA TEMPORE QUO PRÆDIXERAT EI DEUS. Visitare dicitur Sarram Deus quasi languentem & ab omni sobolis fructu jam desperatam; ut quod natura negare videbatur, divinæ præsentia gratiæ conferret: quod verbum aptè congruit cunctis filiis promissionis, qui non per arbitrium propriæ libertatis, sed per electionem gratiæ salvi fiunt; non ex conatu sui laboris, sed Domino visitante cor eorum & implente donum gratiæ quod promisit.

VOCAVITQUE ABRAHAM NOMEN FILII SUI QUEM GENUIT EI SARRA ISAAC. Isaac interpretatur Risus sive gaudium, quod ipsum nomen cunctis fidelibus convenit, quibus inter cetera supernæ hereditatis bona Redemtor suus promittit dicens: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Joan. 16. 22.

ET CIRCUMCIDIT EUM OCTAVA DIE, SICUT PRÆCEPERAT EI DEUS CUM CENTUM ESSET ANNORUM. Sicut Isaac in tempore quidem veteris testamenti natus est, sed ipsa sua nativitate heredes novi testamenti designat: ita & circumcisio qua consecratus est veteris quidem testamenti sacramentum est; sed in figuram gratiæ novi testamenti præmissum, qua mundus erat in Christo ab omni [a] peccati & mortis & mortalitatis sorde purgandus. Namque eo tempore circumcisio fideles ab originalis noxæ nodo solvebat; attamen in altioris typum gratiæ data est, qua regnum omne peccati & mortis dominica erat passione ac resurrectione destruendum: in cujus exemplum nos & in baptismo ab omnibus peccatis absolvimur, & in novissimo die ab omni carnis & animæ corruptione ac mortalitate renovati ad vitam æternam perveniemus; ubi sicut Dominus ait, filii resurrectionis *non nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælo; neque enim ultra mori poterunt.* Et quia Dominus octava die, id est post sabbatum resurrexit à mortuis, quia nos quoque octava ætate resurrecturos esse speramus; sex quippe sunt ætates hujus [b] mundi, septima sabbatismi animarum in alia vita, octava ipsa resurrectionis nostræ & universalis judicii, rectè circumcisio octava die fieri præcepta est. Quod autem Abraham centum erat annorum cùm natus esset Isaac & circumcisus filius promissionis, perfectioni ejusdem promissionis aptissimè concinit. Nam quia centenarius perfectus est numerus, quod eo maximè astruitur quia de læva transfertur in dexteram; ideoque cælestibus ac perpetuis bonis mysticè competit; rectè in hoc nascitur Isaac, qui sua nativitate mirabiliter senibus [c] natus parentibus, heredes non temporalis & infimi, sed æterni in cælis regni designaretur, in quo nimirum sacramento & arca Noë centum annis fabricata est, & Abraham in terra repromissionis centum annos moratus, & Isaac in Geraris serens invenit ipso anno centuplum, & atrium tabernaculi centum cubitis est longum; & in parabola seminis evangelici terra bona centuplum fructum fecit, & Dominus relinquentibus propria centuplum in hoc tempore & insuper vitam promittit æternam: in quibus omnibus numerus centenarius aut gaudia vitæ perennis, aut ea quibus ad hæc pervenitur bona opera designat.

Circumcisio gratiæ novi testamenti typus.

Marc. 12. 25.

CREVIT IGITUR PUER ET ABLACTATUS EST, FECITQUE ABRAHAM GRANDE CONVIVIUM IN DIE ABLACTATIONIS EJUS. Lacte nutritur Isaac cùm electus quisque, filius videlicet promissionis nuper in Christo genitus, prima fidei rudimenta suscipit, & quamvis necdum summa divinitatis arcana scrutari sufficit, dulcedine tamen præmiorum cælestium delectatus, bonis insistere operibus contendit, per quæ Deo adjuvante largienteque potiora capere mereatur, juxta illud apostoli Petri: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Sed ablactatus Isaac atque ad panis edulium pervenit, cùm electi proficientibus fidei incrementis non solùm JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum confiteri discunt, verùm etiam addere quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

1. Pet. 2. 1.

FECITQUE ABRAHAM GRANDE CONVIVIUM IN DIE ABLACTATIONIS ISAAC, quia magna nimirum solemnitas est mentis summis doctoribus, cùm eos quos educaverant, ad arcem viderint sapientiæ virtutisque conscendere.

CUMQUE VIDISSET SARRA FILIUM AGAR ÆGYPTIÆ LUDENTEM, DIXIT AD ABRAHAM: EJICE ANCILLAM HANC, ET FILIUM EJUS, NON ENIM HERES ERIT FILIUS ANCILLÆ CUM FILIO MEO ISAAC. Quidam codices habent; *Filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo*, quod in hebraïco non habetur; sed sive cum Isaac, sive præsente Isaac luserit, nolebat Sarra filium ancillæ filio suo ludi existere magistrum; nolebat [d] eum quem in promissione vetula acceperat, indignum promissionibus & cælesti benedictione per ignobilia nothi exempla vel consortia fieri; unde & Apostolus hunc ludum persecutionem vocare non dubitavit. Persequitur enim fratrem non solùm qui gladiis, sive odiis, sive contumeliis inse-

Persequitur qui alium blanditiis à Deo avertit.

[a] *Al.* peccato.
[b] *Al.* sæculi.

[c] *Al.* donata parentibus.
[d] *Al.* enim.

quitur, sed etiam ille qui ludis aut ineptis colloquiis eum à rectitudine suæ puritatis blandiens avertere quærit; hinc etiam Psalmista: Psal. 118. 85. *Narraverunt mihi*, inquit, *iniqui fabulationes, sed non ita ut Lex tua, Domine: omnia mandata tua veritas; iniqui persecuti sunt me, adjuva me.* Et ipse enim quia legem Domini & mandata veritatis amabat, narratores fabularum quasi persecutores tolerabat; ideoque ad hos superandos divinum implorabat auxilium: Apostolus autem manifestè quid uterque filius Abrahæ typicè demonstret ostendit scribens ad Galatas: [a] Gal. 4. 22. *Scriptum est* [a] *quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera; sed qui de ancilla secundùm carnem natus est; qui autem de libera per repromissionem, quæ sunt in allegoria dicta. Hæc enim sunt duo testamenta; unum quidem à monte Sinaï in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui comparatur ei quæ nunc est Hierusalem, & servit cum filiis suis; quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm.* Quod autem dicit ancillæ quidem filium secundùm carnem natum, liberæ verò per repromissionem, patenter insinuat quia illum genuit demonstrans consuetudo naturam; illum verò dedit promissio significans gratiam. Natus est enim Ismahel sicut nascuntur homines permixtione sexus utriusque usitata lege naturæ; ideo dictum est secundùm carnem; non quia ista beneficia Dei non sint, sed ubi significandum fuerat Dei donum, quia indebitum hominibus gratia Dei largiretur; sic oportuit dari filium quemadmodum naturæ non debebatur excursibus. Non ergo secundùm carnem natus est Isaac Abrahæ, sed ex promissione, non quia eum carne non erat [b] [b] operatus, sed quia de summa desperatione susceperat, & nisi adesset promittens Deus, nihil jam senex de visceribus aniculæ conjugis sperare audebat posteritatis. Quam exponens Gal. 4. 28. legem Apostolus adjungit: *Nos autem fratres secundùm Isaac promissionis filii sumus; sed sicut tunc is qui secundùm carnem natus est, persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc*; non vetus testamentum quasi contrarium novo condemnat, ne vesanum dogma Manichæi, quod absit, sua auctoritate confirmet: neque enim Apostolos & Evangelistas Moysi ac Prophetis, qui vetus testamentum condiderunt, ulla ratione præferret, de quorum communi gratia spiritus virtutis & fidei alibi dicit: 2. Cor. 4. 13. *Habentes autem eumdem Spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur*; [c] sed eos nimirum vituperat, ac [c] domos regni pellendos judicat, qui legem quæ spiritalis est carnaliter intelligunt; qui de observatione legis temporalia à Domino beneficia & regnum temporale, non autem æterna in cælis bona requirunt: reprehendit qui sufficere sibi ad salutem litteram legis absque gratia juvante confidunt, quod est Judæorum Rom. 10. 13. proprium, de quibus item dicit: *Ignorantes enim Dei justitiam & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti*; reprobat eos, & persecutores esse fidelium decernit, qui coruscante evangelio, & gratia novi testamenti per incarnationem Domini toto jam orbe clarescente, nihilominus circumcisionem, & hostias, cerimoniasque legales baptizatis in Christo necessarias esse contendunt; contra quos, maximè cùm hæc scriberet, vigilabat intentio, sicut totus apertè hujus Epistolæ textus bene consideratus edocet, denique verbis suis quæ posuimus subsequenter adnectit.

Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate nos Christus liberavit. State, & nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus, dico vobis quoniam si circumdamini, Christus vobis nihil proderit. Gal. 4. 30. Quibus verbis patenter ostendit, quia non scripturas neque scriptores testamenti veteris quasi ancillam & filium ejus de finibus Ecclesiæ pellendos esse docet; sed carnalem ejusdem testamenti observantiam, postquam per Christum gratia & libertas Evangelii inluxit, dicit esse cessaturam, atque in spiritalem sensum immutatam ab heredibus novi testamenti fideliter implendam. Sic enim intelligendum est quod ait in Evangelio Dominus, *quia iota unum, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant*; Matth. 5. 18. quod ea quæ Lex & Prophetæ manifestè de fide veritatis, aut operum justitiæ, cordisque purificatione, ad videndum Deum [d] loquuntur, semper debeant ad litteram suscipi; [d] quæcumque verò carnali adhuc populo carnaliter observanda præcipiebantur, ut est ipsa circumcisio, hostiarum oblatio, cotidiana emundatio sedulæ lepræ, non hominum tantum, sed & domorum & vestium, & innumera ejusmodi; hæc usque ad tempora dominicæ Incarnationis juxta litteram observari debuerint. Ex quo autem resurgens à mortuis Dominus aperuit discipulis sensum ut intelligerent scripturas, & enigmata prophetiæ manifesta luce dinoscerent; legi quidem hæc in Ecclesia propter auctoritatem prophetiæ decebat; sed propter inlustrationem gratiæ spiritaliter & non carnaliter observari: quamvis primitiva in Hierosolymis Ecclesia multas legis cerimonias, etiam juxta litteram, observabat, Judaïzantibus quoque eis qui ex gentibus vocati ad fidem fuerant, donec dilatata longè latèque per orbem, etiam sacerdotes ac doctores cœperat habere de gentibus, qui nullam Judaïcæ observationis curam haberent, sed tantùm simplicitate christiana apostolicis & evangelicis gauderent auscultare decretis; cui videlicet ecclesiasticæ dispositioni pulcherrimè figura filiorum concinit Abrahæ: prius namque quàm natus esset Isaac, Abraham & Sarra ad Ismahel quasi ad unicum filium adgaudebant, ut pote qui nihil adhuc superbiæ vel levitatis in mente aut moribus ostendebat: quia ante Incarnationem Dominicam ac revelationem gratiæ, etiam spiritales quique in lege

[a] *Al.* quoniam.
[b] *Al. deest* operatus.

[c] *f.* domo.
[d] *Al.* loquitur.


lætabantur ipsam legem à populo devotione A cordis sincera juxta litteram custodiri; & merito: neque enim populus idem contra gratiam repugnabat, aut Legem Evangelio præferebat; sed ea quæ sola acceperat præcepta justitiæ fideli mente sectabatur. Sed & nato Isaac ac necdum ablactato, vilescere quidem cœpit
[a] [a] amor Ismahel; ut pote congratulantibus parentibus ad nativitatem Isaac, quasi proprii amborum filii, qui non tamen aliquid adhuc de expulsione Ismahel, sive matris ejus tractabant: quia revelata jam gratia evangelii, & prædicantibus Christum Apostolis, lætabatur Ecclesia credentium, lætabantur ipsi doctores B de conlata sibi promissione regni Dei, nec tamen observantiam circumcisionis & hostiarum feriarumque legalium quasi supervacuam confestim respuere certabant. Neque enim valebant ea quæ à Deo esse constituta noverant, repente quasi noxia repellere, maximè cùm inter hujusmodi consuetudines tenera adhuc & quasi lactans sanctæ Ecclesiæ nutriretur infantia. Ablactato autem Isaac, vidit Sarra ludentem ancillæ filium, & ejiciendum esse cum matre decrevit: quia postquam convaluit in fide Christi Ecclesia de gentibus, venerunt
[b] [b] quidem de Judæa carnales sensu, quasi verè ancillæ filii, & necdum spiritu gratiæ liberi facti Christo, docentes fratres ac dicen-
Act. 15. 1 tes: *Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, salvi fieri non potestis*, quod ludi magis & vanitatis quàm evangelicæ erat veritatis; immo persecutio erat non minima eos qui manifestatæ jam lucis dono fruebantur, in umbras figurarum voluisse reducere; unde mox gratia mater per apostolorum concilium hoc dogma cum suis auctoribus ejiciendum esse decernebat.

NON ENIM HERES ERIT, inquiens, FILIUS ANCILLÆ CUM FILIO [c] MEO ISAAC. Quod [c]
Apostolus posuit cum filio liberæ; quia nulla ratione cum præconibus veritatis, qui nos per gratiam Domini JESU salvari debere prædicant, suscipiendi sunt falsi doctores, qui ita demum nobis hanc gratiam prodesse confirmant, si etiam circumcisione juxta legis ritum consecremur; quin potiùs ab hereditate gratiæ, quæ est in Christo, in æternum permanebunt exsortes, qui ejusdem gratiæ virtutem negant, aut se sine gratia de operibus extollunt. Sunt & hodie nonnulli in Ecclesia novi quidem testamenti sacramentis imbuti, sed per intentionem animi carnalis ad vetus testamentum atque ad figuram Agar & Ismahel pertinentes; non quod verè veteris testamenti mandata sectentur, ex quibus Dominus ait: *Si vis venire* Matth. 19.
ad vitam, serva mandata; sed quia temporalia à 17.
Domino beneficia neglectis æternis requirunt, quæ vetus scriptura juxta litteram intellecta nonnumquam sonare videtur magis amplectentes, quod ait per Prophetam Dominus; *Si volueritis* Isa. 1. 19.
& audieritis me, bona terræ comedetis; quàm quod ait per seipsum: *Beati pauperes, quia vestrum est reg-* Matth. 5.
num Dei, de quibus dicit Apostolus: *Omnes enim*
C *sua quærunt, non quæ* [d] *sunt* JESU CHRISTI, qui [d]
sive in actibus nequam inter bonos catholicos Phil. 2. 21.
ad mortem usque perdurent, sive propter hæreses & aperta schismata sacerdotali judicio de Ecclesia tamquam ancillæ filii per Sarram liberam expellantur; nihilominus omnes in judicio futuro, qui non antea se correxerunt, ab hereditate benedictionis alieni redduntur & extorres: *Omnis enim qui facit peccatum, servus est pec-* Joan. 8. 34.
cati; servus autem non manet in domo in æternum; filius manet in æternum. Si ergo filius, inquit, *vos liberaverit, verè liberi eritis.*

[a] *Al.* amator. [b] *Al.* quidam. [c] *Al.* deest meo. [d] *Al.* deest sunt.

Explicit Liber Quartus.





VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI LIBER IN CANTICUM HABACUC.

Ex tribus mſ. codicibus, uno Floriacenſi, altero Corbeienſi, tertio S. Michaëlis in Periculo maris.

ADMONITIO PRÆVIA.



XPOSITIONEM in Canticum Habacuc à Beda Venerabili ſcriptam fuiſſe conſtat ex ipſius Epitome hiſtoriæ gentis Anglorum, ubi omnium operum ſuorum exactum texuit catalogum, in quo inter alia recenſetur In Canticum Habacuc liber unus. *Hunc librum exhibuerunt nobis vetuſtiſſimi codices duo, Floriacenſis unus, cujus caracter ad annos nongentos proximè accedit; alter Corbeienſis, ejuſdem circiter ætatis, & ante annos ſaltem octingentos exaratus; tertius etiam, ſed paulò recentior, annorum dumtaxat quingentorum monaſterii S. Michaëlis in Periculo maris: qui tres Bedæ nomen conſtanter retinent: adeo ut nullum ſuperſit dubium quin legitimus ipſius fœtus ſit iſta expoſitio, maximè cum ſtylus illius cum aliis ejuſdem operibus apprimè conſentiat, nec ulli alii attributa uſpiam reperiatur. Hanc autem aggreſſus eſt Beatus vir ad inſtantes ſororis ſuæ preces, quæ Deo aliquo in monaſterio ſuam devoverat virginitatem, ut colligitur non ſolum ex initio hujus operis, ſed etiam ex fine, ubi hæc habet:* Utinam autem fiat, dilectiſſima ſoror, & virgo Chriſti, ut etiam nos ipſum diligentes, tali nomine digni efficiamur. *Sed præſertim ex codice Corbeienſi, cujus in fine hæc ſubjiciuntur verba:* Explicit in Canticum Habacuc prophetæ ad ſororem SUAM, Chriſti Virginem. *Nomen autem ipſius aut monaſterii in quo Deo conſecraverat ſeſe, nulla, quæ ſciam, prodiderunt hactenus monumenta. Scopus vero Bedæ hoc in opere is unus fuit, ut Prophetæ verba juxta Septuaginta Interpretum verſionem exponens, Verbi divini Incarnationem, Chriſti Paſſionem, Judæorum reprobationem, & Gentium vocationem paucis repræſentet, id quod feliciter ab ipſo præſtitum fuiſſe facile advertent eruditi lectores.*

Incipit Expositio Bedæ presbyteri super Canticum Abacuc prophetæ.

CANTICUM prophetæ Abacuc, quod tibi exponi petisti, dilectissima in Christo soror, sacramenta Dominicæ passionis maximè pronuntiat. Unde & consuetudine sanctæ & universalis & apostolicæ Ecclesiæ sexta sabbati, qua eadem passio completa est, solet in laudibus matutinis per singulas hebdomadas solemniter repeti. Sed & Incarnationis ipsius, Resurrectionis, & Ascensionis in cælos, fidei quoque gentium, & pefidiæ Judæorum mysticè describit eventum. Contemplatus enim Propheta statum præsentis sæculi, viderat pacem peccatorum & afflictiones proborum; viderat impios abundare divitiis, & innocentes quotidianis esse subjectos flagellis; viderat in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem; viderat lacrymas innocentum & consolatorem neminem, nec posse resistere calumniatorum violentiæ [a] cunctorum auxilio destitutos. Sciens quoque quòd hæc & hujusmodi innumera nequaquam absque divina provisione potuissent accidere, [b] turbatus multum animo & intimo ex corde graviter suspirans exclamavit ad Dominum: *Usquequo, Domine, clamabo, & non exaudies; vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis?* Et iterum: *Mundi sunt oculi tui, ne videas* [c] *mala, & respicere ad iniquitatem non potes. Quare non respicis super iniqua agentes, & taces devorantı impio justiorem se, & facies homines quasi pisces maris & quasi reptile non habens principem?* Verùm [d] inter hæc reduxit exemplo ad memoriam dispensationem Dominicæ Incarnationis ac Passionis, quam in spiritu prophetiæ cognoverat, intellexitque se acrius multò quam [e] oporteret questum fuisse de afflictionibus in hac vita sanctorum, quibus æterna esset promissa requies in futura; cum nec [f] ipse Dei Filius in carne apparens sine pœna crucis esset exiturus de mundo, qui de Spiritu-sancto ac Virgine matre nasciturus, & absque omni peccato erat victurus in mundo, & pro ignorationibus suis faciens orationem Domino, sic incipit.

Hab. 1. 2. Ib. v. 13. & 14.

Domine audivi [g] auditum tuum et timui. Auditus autem Domini Salvatoris est quem audivit à Patre ut veniret in carnem, nasceretur in mundum, conversaretur inter infirmos omnipotens, inter peccatores justus, inter homines Deus, faceret opera cælestia, doceret præcepta cælestia, promitteret dona cælestia, tentaretur, flagellaretur, irrideretur, occideretur, mors nostra morte illius destrueretur; resurgens à mortuis ascenderet in cælos, ac misso desuper Spiritu mundum gratia veritatis illustraret. Cujus auditus ipse sæpius in Evangelio meminit dicens: *Sed qui misit me verax est, & ego quæ audivi ab eo, hoc loquor in mundo.* Et iterum: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis.* De quo & Johannes Baptista, *Qui de cælo venit*, inquit, *super omnes est, & quod vidit & audivit hoc testatur.* Hunc ergo auditum Domini audivit in spiritu Propheta, & timuit, quia questus fuerit de pressuris justorum in mundo, cùm & ipsius Domini, qui prosperum iter facit nobis salutis & vitæ, exitus essent mortis de mundo. Timuit; quia de tribulationibus sanctorum querimoniam fecit, qui non solùm de tribulationibus eruendi à Domino, sed & perpetuo sunt coronandi cum Domino.

Joan. 8. 26. Ib. 15. 15. Ibid. 3. 31.

Consideravi opera tua et expavi. Illa nimirum opera quibus mundum redemit factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis: *ut*, sicut iterum idem dicit Apostolus, *per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Quæ videlicet opera quantò quis intentiùs considerat, tantò de operibus suæ fragilitatis amplius contremiscit.

Heb. 2. 14.

In medio duorum animalium innotesces. Potest in medio duorum animalium [h] in medio Moysi & Eliæ intelligi. Ibi enim innotescebat discipulis tribus in monte sancto quia moriturus esset, dicens eis quia passurus esset in Jerusalem. Ibi innotescebat quia surrecturus esset, & immortalis futurus clarificato vultu ejus instar solis, & vestimentis ejus nitentibus in similitudinem nivis. Ibi innotescebat quia Filius Dei erat, dicente ad eum de cælis voce paterna: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Potest etiam in medio duorum latronum non inconvenienter accipi, inter quos crucifixus moriendo innotescebat, quia homo erat. [i] Obscurato autem sole, terra commota, & ceteris quæ Evangelium narrat circa crucem factis miraculis, innotescebat quia Deus erat. Interpellando ipse Patrem pro interfectoribus suis, quàm pius esset innotescebat. Quo etiam exemplo Propheta qui hoc prævidebat in spiritu admonebatur non solùm patienter pressuras ferre malorum, sed & eis persequentibus gratiam suæ benignitatis impendere.

Matth. 17. 5.

Dum appropiaverint anni cognosceris, dum advenerit tempus ostenderis. Annos & tempus designat illud de quo dicit Apostolus: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Quæ videlicet tempora, quosque annos longè adhuc vidit esse atque à longè salutavit pro-

Gal. 4. 4.

[a] *Al.* cultorum. [b] *Al.* turbatur.
[c] *Al.* malum.
[d] *Al.* in terras eduxit sub exemplo.
[e] *Al.* oportet.
[f] *Al.* ipsa.
[g] *Al.* auditionem.
[h] *Al.* deest in medio.
[i] *Al.* obscuro.

pheta, cùm ait: Quia dum appropiarent anni, dumque adveniret tempus, ostenderetur & cognosceretur Dominus. Nam & superiùs audivit dicente sibi Domino, quia adhuc visus procul & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Cujus quidem [a] auditum audiens, cujus opera passionis considerans, timuit & expavit, quia commotus [b] fuerat de felicitate transitoria malorum & de temporali afflictione bonorum. Attamen ut dignam pro suis ignorationibus pœnitentiam fecisset, mox se veniam erratûs consequi posse confisus est. Unde consequenter adjungit:

In eo dum conturbata fuerit anima mea, in ira misericordiæ memor eris. *Dum conturbata fuerit*, inquit, *anima mea*, digno satisfactionis & pœnitentiæ mœrore concussa ob metum iræ & animadversionis tuæ, quam me incautius incurrisse pertimesco, credo quod ocius misericordiam optatæ à te veniæ consequar: ubi consideranda est mira divinæ pietatis velocitas. Turbatum se tantum animo propter iram Dei dixit, & mox illum ad misericordiam ab ira conversum subjunxit. Ps. 31. 5. Cui simile est illud Psalmistæ: *Dixi pronuntiabo adversus me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Sed talis minimarum potest indulgentia culparum esse. Ceterum nostri reatus quantò graviores sunt, tantò majore ac diuturniore pœnitentia, lacrymisque & eleemosynis opus habent. Hucusque Propheta comprehendit breviter quo timore animi sit perculsus audito ac solertius considerato Dominicæ Incarnationis ac Passionis eventu. Deinde latius [c] exemplo describit qui ille auditus, quæ opera sint illa Domini quibus intendens in tantum fuerit commotus. Sequitur.

Deus a Libano veniet et Sanctus de monte umbroso et condenso. Libanus est mons Phœnicis altissimus, excelsis & imputribilibus atque aromaticis insignis arboribus: de quibus etiam templum Domini in Jerosolymis factum scriptura testatur: unde solet in scripturis nonnumquam ipsum quoque templum Libani vocabulo designari: hinc est enim illud Zachariæ de venturo adversus eum exercitu Zach. 11. 1. Chaldæorum: *Aperi, Libane, portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.* Deus ergo à Libano venit, quia Dominus in carne apparens, in ipso templo prima Evangelii semina sparsit, atque exinde orbem totum germine suæ fidei & veritatis implevit. Unde dicit Isaias quia *de Sion* Isaiæ 2. 3. *exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Aspersit autem ibi semina prima fidei non solùm per apostolos, qui post passionem ac resurrectionem ejus Spiritu-sancto repleti, ibidem prædicando prima Ecclesiæ fundamenta posuerunt, quorum deinde sonus in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba eorum; verùm etiam per seipsum, primò in eodem templo fidei quæ in se esset habenda testimonium dedit, cùm duodennis in medio doctorum residens interrogabat eos quasi homo parvulæ ætatis, sed respondebat docentibus quasi Deus æternæ majestatis: ubi quæsitus & inventus à parentibus etiam ipse per se quod Deus ac Dei Filius esset insinuans ait: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Luc. 2. 49. Notandum autem quòd hic versus in hebraïca veritate ita habetur, *Deus à Theman*, id est ab Austro veniet, quod juxta litteram facilem habet sensum, quia Bethleem, in qua natus est Dominus, ad austrum sita est ab Jerosolymis. Et cùm ipse die quadragesimo nativitatis [d] suæ adductus est Jerosolymam à parentibus, ut daretur hostia secundùm legem pro eo, Deus utique ab Austro venit. *Et sanctus*, inquit, *de monte umbroso & condenso.* Luc. 1. 35. Sanctus idem Mediator Dei & hominum, qui supra manifestè dicitur Deus, de quo Virgini matri evangelizans Gabriel ait: *ideoque quod nascetur sanctum vocabitur Filius Dei.* Mons autem de quo venturus idem sanctus canitur, regnum Judæorum, ex quo ille carnis originem duxit, valet intelligi. De quo & Daniel vidit excisum Dan. 2. 45. lapidem sine manibus, id est Christum absque opere virili procreatum, qui regna mundi conterens, sui gloria nominis orbem impleret universum. Qui videlicet mons rectè umbrosus vocatur & condensus: habet enim multa ligna fructifera, id est multos viros sanctos & virtutum pomis onustos, qui & [e] nostram esuriem gustu suavissimo suæ doctrinæ erudiant, & nostram fragilitatem ne æstu tribulationum à virore interno dilectionis, arescat præsidio Act. 5. 15. suæ intercessionis obumbrent; cui figurativè congruit quod apostolus Petrus: arbor utique hujus montis eximia, non solum fructu doctrinæ reficit esurientes & sitientes justitiam, verum etiam umbra sui corporis salvat languentes. Qui videlicet viri sancti ac sublimes possunt etiam Austri vocabulo designari, à quo venire Deus dictus est, propter videlicet dilectionem qua fervere in Domino, & doctrinam qua lucere hominibus solent, à quo videlicet Austro Deus venit, quia de talibus incarnari dignatus est. A quo Austro Deus quotidie venit, cùm nobis eorum dicta vel exempla legentibus, sive audientibus, amor aut scientia veritatis perfectius in corde generatur. Sequitur.

Operuit cælos majestas ejus, et laude ejus plena est terra. Descripta dispensatione Dominicæ Incarnationis, mox arcanum ascensionis, qua eadem humanitas erat clarificanda, subjunxit, juxta illud Psalmistæ: *A summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Ps. 18. 7. Operuit enim cælos majestas ejus; quia qui per Incarnationem minoratus est paulò minus ab angelis, ipse per resurrectionem gloria & honore coronatus, per ascensionem ejus super opera manuum Patris constitutus, & omnia subjecta sub pedibus

[a] *Al.* mandatum.
[b] *Al.* fuerit.
[c] *Al.* exemplo, *al.* ex tempore.

[d] *Al.* deest suæ.
[e] *Al.* nostræ mentis esuriem.

ejus, ac prædicantibus apostolis, laude ejus omnis terra repleta est: quod ipsum breviter sed apertissimè ejusdem psalmi & principio & fine comprehenditur, cum dicitur: *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quoniam elevata est magnificentia tua super cælos.* (Psal. 8. 1.) Sed & ante passionem & resurrectionem, cùm Verbum caro factum habitaret in nobis, operuit cælos majestas ejus, quia humanitas assumta etiam mortalis adhuc cælestibus antecellebat potestatibus. Et laude ejus plena est terra, eisdem cæli virtutibus veraciter scientibus, quia ipse erat creator terræ, sicut & totius creaturæ per divinitatem, qui tunc per humanitatem morabatur [a] in terra: unde & eo nato, concinebant, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (Luc. 2. 14.)

SPLENDOR EJUS SICUT LUMEN ERIT. Splendor virtutum & Domini Salvatoris doctrinæ credentes illuminabit: unde & Sol justitiæ in scripturis vocatur: sed quia idem splendor mundo perfectè non poterat fulgere, nisi [b] ipse ad tempus gustata morte, regnum mortis [c] dirueret, atque exurgens à mortuis spem fidemque mundo resurgendi donaret, rectè subditur:

CORNUA SUNT IN MANIBUS EJUS. IBI CONFIRMATA EST VIRTUS GLORIÆ EJUS. Cornua quippe dicit transversum crucis lignum, quod affixus manibus tenebat, ut hoc mortis genere omnem superans mortem, sic confirmaret virtutem gloriæ suæ in cordibus electorum, ne ullis terroribus sive blandimentis ab ejus possent amore retardari; promissa etiam illis gloria futuræ incorruptionis, per quam novissima inimica destruetur mors. Denique in monte sancto, præsentibus Petro, Jacobo & Johanne, splendor ejus sicut lumen fulgebat: & illi delectabantur quidem hujus intuitu splendoris, sed tamen quantum adhuc fragiles & infirmi fuerint tempore probatum est Passionis illius: at postquam in manibus cornua crucis accepit, ibi confirmata est virtus gloriæ ejus: adeo ut nec terroribus, nec plagis, nec ipsa morte posset à fidelium corde propulsari. Possunt in cornibus more prophetarum regna hujus mundi insinuari. [d] (Potest sublimitas humanæ mentis sive bona sive reproba cornuum vocabulo designari.) Et cornua sunt in manibus Christi, quia ipse est Rex regum & Dominus dominantium. Cornua sunt in manibus ejus, ut hunc humilians, & hunc exaltans, omnia cornua peccatorum, quibus inaniter extolluntur, confringat, & exaltentur cornua justi, desideria videlicet Deo devota, quibus impiorum vitiorumque certamina cuncta superare contendunt.

ET POSUIT CARITATEM FIRMAM FORTITUDINIS SUÆ. Intima quidem caritate sancti, etiam ante Passionem, diligebant fortitudinem Christi; sed hæc ipsa caritas firma non erat, usque dum Passione & Resurrectione sua completa, gratiam eis Sancti Spiritus plenius daret. Tunc verò in tantum firma facta est, ut nec ipsa regum [e] cornua, videlicet insolentium potentia posset infringi.

ANTE FACIEM EJUS IBIT VERBUM, ET EXIVIT IN CAMPIS. Antequam veniret in carnem Dominus, præcesserunt verba prophetarum, quæ ei venturo testimonium ferrent; & hæc eadem verba exierunt in campis, quando prædicantibus apostolis totum sunt divulgata per orbem: non solùm autem in propheticis litteris verbum prædicationis Dominum præcessit, sed & in apostolis, cùm adventum Christi in carne jam completum mundo evangelizabant, verbum faciem ejus præiit, quia nimirum primò doctrina veritatis ad aures eorum qui [f] instituendi sunt pervenit, ac deinde fides & intellectus Verbi corda illustrat, ac Deo inhabitatore [g] dignos efficit; quod in evangelio typicè designatur, cùm ipse Dominus misit discipulos prædicaturos in omnem civitatem & locum quò erat ipse venturus: quod usque hodie eodem fieri ordine cernimus: prædicatores etenim suos Dominus sequitur, quia prius necesse est docentis sermo audiatur, & sic [h] lumen veritatis in corde audientis figatur, unde aptè subjungitur:

PEDES EJUS STETERUNT, ET MOTA EST TERRA. Cùm enim prædicante doctore vestigia veritatis in mente figuntur [i] auditorum, mox ipsa mens in sui consideratione turbata commovetur. Possunt autem pedes Domini non inconvenienter ipsi doctores accipi, per quos verbum ministratur: quoniam ille qui per seipsum ubique præsens est, per hos quasi per pedes suos in mundum fertur universum. Stant autem hi pedes, & movetur terra, quia quò doctores sancti fortiùs in prædicanda & custodienda veritate persistunt, eò citiùs se terrenorum corda ad agendam pro erratibus suis pœnitentiam incutiunt; & quoniam eadem actio pœnitentiæ nequaquam homini prædicanti, sed illustranti est gratiæ tribuenda, rectè subditur:

ASPEXIT, ET DEFLUXERUNT GENTES. Quod est apertè dicere, Misertus est Dominus, & pœnituerunt gentes: quo videlicet intuitu aspexit & Petrum cùm negasset; & ille compunctus memoria sui peccati, mox defluxit in lacrymas.

CONFRACTI SUNT MONTES VEHEMENTER. [k] Montes superbos dicit, & de hujus sæculi vel regno, vel sapientia, vel divitiis se extollentes, qui Domino [l] aspiciente non solùm confracti sunt, sed & vehementer confracti sunt, quando illo miserante nonnulli ex talibus non tantùm inanem superbamque altitudinem deserebant, verùm etiam eamdem vivendo [m] simul ac prædicando impugnabant. Denique Saulus & Matthæus montes erant, hic de sapientia litteræ carnalis, ille de mam-

[a] *Al. addit* & videbatur.
[b] *Al.* ipsa. [c] *Al.* dejiceret.
[d] *Inclusa parenthesi desunt in Floriacensi.*
[e] *Al.* cornuum.

[f] *Al.* instruendi. [g] *Al.* dignas.
[h] *Al.* lumine. [i] *Al.* auditoris.
[k] *Al. deest* montes. [l] *Al.* inspirante.
[m] *In Floriacensi deest* simul ac prædicando.



mona iniquitatis elatus, sed dum uterque ad A humilitatis magisterium conversus est, Christi factus est discipulus, montes utique sunt vehementer confracti.

DEFLUXERUNT COLLES ÆTERNALES. Collium nomine sicut & montium superbi exprimuntur homines, sed fortasse minore fastu elationis inflati, nec tamen à reatu tumoris alieni, ideoque salubriter inclinandi, ut à Domino [a] mereantur erigi. Qui rectè colles æternales vocantur, quia dum temporaliter humiliati à superbiæ tumore defluunt, in æternum glorificati eriguntur ab eo qui ait: *Et omnis qui se humiliat exaltabitur.* (Luc. 14. 11.) Alia Translatio pro collibus æternalibus, planius *colles sæculi* habet, quod B ad distinctionem pertinet collium Domini, id est virorum sanctorum, qui pro sublimitate animi temporalia cuncta & infima contemnentes tali sunt nomine digni, de quibus Psalmista Domino, *Suscipiant*, inquit, *montes pacem populo tuo, & colles justitiam.* (Psal. 71. 3.)

ITINERA ÆTERNITATIS EJUS PRÆ LABORIBUS VIDI. Itinera sunt temporalitatis Domini, quibus venit in mundum, ut ad tempus appareret hominibus: itinera autem æternitatis ejus, quibus relicto corporaliter mundo, rediit ad Patrem, cum quo æternaliter man- C sit, etiam cùm temporaliter conversaretur in mundo: quæ nimirum itinera desideravit ipse, cùm appropians passioni, dicebat Patri: *Ego te clarificavi super* [b] *terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* (Joan. 17. 4.) Hæc de itineribus assumtæ temporalitatis, statimque de itineribus æternitatis adjunxit: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te.* (Ibid. 5.) Hæc autem itinera æternitatis Propheta præ laboribus vidit, Incarnationis videlicet & Passionis, de quibus supra dictum est, *Deus à Libano*, sive ab Austro *veniet*; & *cornua sunt in manibus ejus*, aliaque D ejusmodi, quæ in hoc eodem Cantico plurima inveniuntur. De his laboribus dicit Apostolus: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:* (Phil. 2. 8.) moxque de itineribus æternitatis, quæque per hos labores Mediator Dei & hominum mereretur, adjunxit: *Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia* JESUS-CHRISTUS *in gloria est Dei Patris*; & quia per eosdem ejus labores, perque itinera eadem æternitatis ejus, cùm peractis laboribus passio- E nis suæ rediit ad Patrem, non solùm Judæorum, sed & gentium populus ad requiem erat perventurus sempiternam, aptè subjungitur.

TABERNACULA ÆTHIOPUM EXPAVESCENT, ET TABERNACULA TERRÆ MADIAN. Æthiopes namque & Madianitas gentium esse populos quis nesciat? quorum nominibus insinuatæ sunt omnes gentium nationes, quæ audita prædicatione evangelica salubri erant pavore concutiendæ, ut sicut Propheta futurum adhuc auditum Domini audivit & timuit, futura consideravit Incarnationis ejus opera, & expavit; ita gentes, annuntiato sibi per apostolos eodem auditu, ejusdemque operibus jam consummatis, servire Domino in timore, & exultare ei inciperent cum tremore. Et bene Æthiopes primò posuit, qui sunt in finibus mundi, ut insinuaret mysticè quòd in omnem terram exiturus esset sonus prædicatorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In quo mysterio & Præfectus Candacis reginæ Æthiopum, ut in Actibus apostolorum legitur, primitiæ gentium, evangelizante Philippo, fidem & sacramenta Christi percepit. Madianitarum autem gens ab uno filiorum Abraham ex Cethura, qui vocabatur Madian, originem duxit, & est in deserto Saracenorum contra Orientem rubri maris in Arabia. Paveant ergo ad nomen Christi Æthiopes, ut ad fines orbis fides ejus perventura signetur. Paveant & Madianitæ, ut Mediterraneæ quoque plebes per hanc insinuentur esse salvandæ. Quod autem non ait, Æthiopes & Madianitæ expavescent, sed tabernacula Æthiopum expavescent, inquit, & tabernacula terræ Madian; illo locutionis genere dicitur, quo in Evangelio dictum est, *Et exiit tota civitas obviam* JESU; & in Psalmo, *Et poculum tuum inebrians*, dum non ipsa civitas, (Psal. 22. 5) sed hi qui erant in civitate [c] exierant; neque ipsum poculum, sed hoc quod est in poculo soleat inebriare: quæ figura locutionis græcè metonimia, id est transnominatio vocatur, dum per continentem id quod continetur ostenditur.

NUMQUID IN FLUMINIBUS IRA TUA, DOMINE, AUT IN FLUMINIBUS FUROR TUUS, AUT IN MARI IMPETUS TUUS? Fluminum & maris vocabulo corda exprimuntur infidelium, quæ flumina rectè vocantur, quia toto intentionis impetu ad inferiora defluunt: mare, quia turbidis amarisque cogitationibus intus obscurantur, & super ceteros sese tumidis jactantiæ gurgitibus extollunt. Numquid ergo, ait, tam graviter peccaverunt hi qui mentem à cælestibus desideriis in appetitum demergunt infimorum, quique fastu animi [d] instabiles sese contra proximos erigunt, ut in talibus ira quam merentur numquam solvenda perseveret? An omnibus per orbem sive levius sive gravius peccantibus in mundo apparens gratiam tuæ pietatis impendes? Nam cerno quidem te apostolos ad prædicandam gentibus gloriam tuam esse missurum: sed qui sint credituri tuæ est, non humanæ, cognitionis. Hoc est enim quod sequitur:

QUONIAM ASCENDENS ASCENDES SUPER EQUOS TUOS, ET EQUITATUS TUUS SANITAS. Id est [e] [f] ascendes in corda electorum tuorum per illuminationem gratiæ, [g] per quam te regente iter virtutum incedant, perque orbem totum te evangelizando ferentes

[a] *Al.* mererentur.
[b] *Al.* omnem terram.
[c] *Al.* exirent.

[d] *Al.* instabilis.
[e] *Al.* ascendens, *al.* ascendis.
[f] *Al.* per quos.

perpetuæ

perpetuæ salutis mundo vitam prædicent. Cujus equitatus figura etiam juxta litteram in Domino monstrata est, cùm Jerosolymam tendens, sedebat asino, concinentibus turbis quæ antecedebant, & quæ sequebantur, & quæ obviam veniebant, *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* (Joan. 12. 13.) In qua equitatione sanitas resonabat, quia nimirum illorum iter spirituale signabatur, quo Domino duce per Apostolos ad ejus quæ sursum est Jerusalem, quæ mater est omnium nostrûm, videnda regna ducuntur.

Tendens extendes arcum tuum super sceptra, dicit Dominus. Arcum dicit improvisum divini examinis adventum, B quo etiam sceptra, id est regna mundi examinanda esse prævidit. Insinuans ergo Propheta quid Dominus super equos suos ascendens, id est apostolos & eorum successores gratia sua implens ac regens agat in illis, *Tendens*, inquit, *extendes arcum tuum super sceptra*, id est comminans per doctores comminaberis judicium tuum subito adventurum, ut quicumque ad comminationem iræ quasi ad extentum arcum territus fuerit, & pietati tuæ supplicare curaverit, emissionem sagittarum, id est comminationem non sentiat perennium pœnarum. Quod autem præmittens, *tendens extendes arcum tuum super sceptra*, addidit *Dicit Dominus*, C Deum Patrem significat, de quo ipse Filius *Pater*, inquit, *non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio.* (Joan. 5. 22.)

Fluminibus scindetur terra. Flumina hoc loco non eadem quibus suprà iram Domini furoremque timebat, sed illa potius dicit, de quibus ipse in Evangelio: *Qui credit*, inquit, *in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* (Joan. 7. 38.) Et exponens Evangelista, *hoc autem dixit*, inquit, *de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* His ergo fluminibus scinditur terra, cùm carnalium corda verbo doctrinæ D salutaris irrigata duritiam suæ infidelitatis sese humiliando conterunt, sinumque internæ cogitationis, qui malè clausus fuerat ad accipienda salutiferæ increpationis sive exhortationis dicta patefac unt: quod subsequenter latius explicatur cùm dicitur:

Videbunt te aquæ, et dolebunt populi. Scissa quippe peccantium corda ad agnitionem confessionemque veritatis crebra allocutione docentium quasi alluvione frequentium gurgitum, vident Deum interim per fidem, & dolent se tamdiu ab illo recessisse per culpam, sed finito dolore pœnitentiæ vident eum E plenius in futuro per speciem, ac de ejus beata in perpetuum visione lætantur. Potest & ita intelligi quod dicitur *fluminibus scindetur terra*, quasi diceretur, ad hoc terram esse scindendam, ut flumina noviter ex illa orirentur, quod sæpe contigisse veteres historiæ narrant, ut videlicet terræ motu existente, flumina quæ non erant apparerent. Quod ita fieri posse non ambigit, qui prudenter intelligit, ita venis aquarum in- A numeris tellurem, sicut venis sanguinis corpus humanum esse plenissimum: juxta quem sensum fluminibus scinditur terra, cùm scissa ad pœnitentiam conscientia carnalis, adeo donante divina gratia ex tempore proficit, ut etiam ipsa aliis [a] fluenta doctrinarum promere possit, horumque corda arentia suo vel exemplo vel sermone ad proferendos virtutum fructus irriget. [a]

Aspergens aquas in itineribus dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ. Iidem doctores abyssi nomine, qui & fluminum suprà, figurantur, sed flumina sunt propter vim fortioris invectionis, qua duritiam terrenæ mentis ad agendam pro erratibus suis pœnitentiam rescindunt. Abyssus verò rectè vocantur ob altitudinem scientiæ, qua ipsi intus implentur, Salomone attestante, qui ait, *Aqua profunda verba ex ore viri.* (Prov. 18. 4.) Aspergens ergo aquas in itineribus dat abyssus vocem suam, cùm prædicatores sancti profunda veritatis scientia intus in corde repleti ministerium verbi foris audientibus exhibent, paulatim & per partes pro capacitate infirmorum proferentes quæ ipsi intus multa simul & ampla capiunt. In itineribus autem in operibus dicit, vel ipsorum videlicet doctorum vel auditorum suorum. Aspergunt enim aquas in itineribus suis, cùm ubicumque incedunt exempla rectè vivendi, cum voce prædicationis semper intuentibus ostendunt. Aspergunt aquas in itineribus intuentium, cùm eis docendo pariter & vivendo, quibus actionum viis [b] ingredi debeant præmonstrant. [b] Si autem legitur ut [c] quidam codices habent, *Disperges aquas in itineribus*, Deo dici manifestum, est qui ipse [c] aquas vitæ de fontibus Israël longè latéque in nationes totius orbis dispersérit, dicens ad discipulos: *Ite, docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.* (Matth. 28. 19.) Bene autem cùm dixisset quòd daret abyssus vocem suam, addidit, *ab altitudine phantasiæ suæ*, quia quod nobis mirabile sancti prædicatores foras pronuntiant, ex eo nimirum fonte sapientiæ procedit, quo intus ipsi mirabilius contemplatis cælestibus gaudiis illustrantur. [d] Annon [d] Abyssus magna dedit vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ, cùm diceret apostolus Paulus: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est: Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. Tamquam filiis dico, dilatamini & vos.* (2. Cor. 6. 11.) Unde autem vel quo ordine provenerit, ut salutaribus aquis mundus [e] aspergeretur, utque abyssus sapientiæ cælestis terris intonuerit, subsequenter ostenditur, cùm dicitur: [e]

Elevatus est sol et luna stetit in ordine suo. Elevatus enim est sol, Dominus videlicet justitiæ post passionem ac resurrectionem suam in cælum, & misso à Patre Spiritu, illustravit Ecclesiam, ac totum dilatavit in orbem, ut ipsa in ordine suo, id est post im-

[a] *Al.* flumina.
[b] *Al.* ingrediantur.
[c] *Ita Floriacensis & Corb. codices antiquissimi, Michaëlinus habet* multi codices.
[d] *Al. deest* annon.
[e] *Al.* abluerētur.

pletum Dominicæ Incarnationis arcanum, à A longo perfidiæ langore exſurgens ſtaret in fide, viriliter ageret, & confortaretur in caritate ipſius. Et quia ſoli Chriſtum, Eccleſiam lunæ comparaverat, aptè ad eumdem ſolem converſus continuò ſubjecit.

In lumine jacula tua ibunt, in splendore fulgoris armorum. Jacula autem Chriſti verba ſunt illius, quibus corda hominum compunguntur, ut ſalutari vulnere inflicto, poſſit anima fidelis dicere, *Vulnerata caritate ego ſum.* Quæ videlicet jacula in lumine eunt, quia miniſterio doctorum veritatis verba mundo palam [a] innotuerunt, juxta quod B ipſa Veritas eiſdem [b] præcepit dicens: *Quæ dico in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* (Matth. 10. 27.) Et quoniam eloquia lucis ſecuta eſt etiam claritas miraculorum, [c] addidit: *In ſplendore fulgoris armorum tuorum.* Jaculis quippe bellantes adverſarios feriunt, armis muniendo ſeſe à vulnere defendunt: unde in jaculis meritò dicta prædicantium, quibus pravitatem infidelium ſuperant; in armis miracula quibus veritatem ſuæ prædicationis confirmant, inſinuantur. Eunt ergo in lumine jacula Chriſti, eunt in ſplendore fulgoris armorum illius, quia quæ fecit magnalia, quæ apparavit arcana, quæ propoſuit mandata, quæ promiſit præmia; cuncto jam mundo per evangelicas litteras ſole clarius innotuere. Sed & ſancti doctores, quia filii lucis ſunt, quæque illo donante agunt ſive loquuntur, luce nimirum ac ſplendore clarè refulgent.

In comminatione tua minorabis terram, et in furore tuo detrahes gentes. Comminando diſtrictionem judicii quo impii [d] damnentur, humiliabis ſalubriter eos qui terrena cæleſtibus anteponere ſolebant, ut minoratis paulatim terrenis cupiditatibus, quæ ſurſum ſunt ſapere & quærere incipiant; & inferendo furorem condemnabis eos in perpetuum, qui [e] proterva ſua exaltatione ad tempus humiliari contemſerunt, quòd ne ſibi eveniat precatur Pſalmiſta dicens: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* (Pſal. 6. 2.)

Existi in salutem populi tui, ut salvos facias Christos tuos. Exivit Mediator Dei & hominum à Patre, & venit in mundum, non ut [f] judicaret mundum, ſed ut [g] ſalvaretur mundus per ipſum. Chriſtos autem omnes electos dicit, qui ab unctione gratiæ ſpiritualis rectiſſimè hoc vocabulo nuncupantur: unde eſt illud Pſalmiſtæ de his qui ſanctis nocere volentes, divina ſunt prohibitione coërciti: *Et corripuit pro eis reges, nolite tangere Chriſtos meos.* (Pſal. 104. 14.) Salvos autem fecit chriſtos ſuos, non [h] quos chriſtos invenit, ſed quos egrediendo à Patre & in carne apparendo per adoptionis Spiritum chriſtos, id eſt unctos ſuos fecit. De qua unctione monens ſuos auditores Johannes apoſtolus dicit: *Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo maneat in vobis.* (1. Joan. 2. 27.) Hic verſiculus in quibuſdam editionibus ita invenitur, *Exiſti ut ſalvares populum tuum per* Jesum Christum *tuum*, quod Patri dictum intelligitur, quia exierit ad ſalvandum populum ſuum per Jesum Christum Filium ſuum. Deus enim erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi; & quia idem exitus, id eſt adventus ejus in mundum non ſolùm in reſurrectionem fidelium, ſed & in ruinam erat perfidorum futurus, aptè ſubjungitur,

Misisti in capita inimicorum mortem, excitasti vincula usque ad [i] cervicem. Qui enim electis ſuis, quos chriſtos appellaverat Propheta, gaudium ſalutis [k] attulit, ipſe illis qui ejus ungi gratia neglexerunt, mortem miſit æternam: quod in ipſa gente Judæorum quæ Dominum in carne apparentem ad mortem uſque perſecuta eſt, corporaliter etiam conſtat eſſe impletum: quæ poſtquam eum crucifixit, non multis intervenientibus annis, ingruente Romano exercitu, exceptis ſolùm eis qui in fidem ſe evangelicæ gratiæ [l] ſecreverant, enormi C eſt clade damnata, & ipſo inſuper regno & patria privata; & hoc eſt quod ait: *Excitaſti vincula uſque ad* [m] *cervicem;* cervicem videlicet regni, quo contra Dominum fuerant antè erecti, de quo dicit eiſdem in ſe etiam furentibus beatiſſimus protomartyr Stephanus, *duri cervice, & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* (Act. 7. 51.) Sed huc uſque ad [n] cervicem vincula Dominus excitavit, cùm ad everſionem ſuperbæ gentis hoſtilem miſit exercitum, non ſolùm Judæorum, ſed & omnium qui humilitatem Chriſtianæ fidei ſuſcipere reſpuerunt. Superbiam Dominus [o] ſternit D juxta hoc quod canit Pſalmiſta de Sanctis: *Et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in* [p] *vinculis ferreis*; (Pſ. 149. 6.) ferreis videlicet; quia æternis, quibus ſemel [q] tenti, numquam poſſint abſolvi. Quod ſi quis numero plurali legendum dixerit *excitaſti vincula uſque ad cervices*, idem ſenſus eſt. Dominus enim juſtus concidet cervices peccatorum.

Præscidisti in alienatione capita potentium, [r] movebuntur in ea gentes. Pro *alienatione*, in græco ſcriptum eſt *in extaſi*, quod quidam in ſtupore, alii in exceſſu E mentis interpretati ſunt. Sive autem ſtupor, ſive alienatio, ſive exceſſus mentis dicatur, unum idemque ſignificat, cùm quis repentino miraculo turbatus ac ſtupefactus, à ſenſu ſuæ mentis redditur alienus, quod accidiſſe Judæis crebra Evangelii prodit hiſtoria, dicens, quòd ſtuperent ac mirarentur in doctrina ac virtu-

[a] *Al.* intulerunt. [b] *Al.* præcipit.
[c] *Mich. omiſſo* addidit, *repetit textum.* In lumine jacula tua eunt.
[d] *Al.* damnantur.
e *Ita Mich. Sed Flor. & Corb. habent* pro æterna.
[f] *Al.* judicet. [g] *Al.* ſalvetur.

[h] *Al.* quod. [i] *Al.* verticem.
[k] *Al.* obtulit. [l] *Al.* crediderant.
[m] *Al.* verticem. [n] *Al.* verticem.
[o] *Al.* ſtravit. [p] *Al.* manicis.
[q] *Al.* irretiti. [r] *Al.* moventur.

Joan. 6. 42. tibus JESU dicentes: *unde huic hac omnia, cujus novimus patrem & matrem?* Et in Actibus apostolorum, curato per Petrum & Johannem Act. 3. 10. claudo ad ostium templi, *impleti sunt*, inquit, *stupore & exctasi*, in qua videlicet exctasi, id est admiratione sive alienatione mentis, multi de populo provocati sunt ad credendum Domino: sed capita potentium, id est principes sacerdotum & seniores præcisi sunt non credendo à sorte fidelium. [a] Motæ sunt quoque in ea gentes, dum auditis sive visis Domini & apostolorum ejus virtutibus, adeo stupefactæ & miratæ sunt, ut anathematizatis abjectisque eis quos coluerunt diis, novam Christi fidem devota mente susciperent, de quibus aptè subditur:

ADAPERIENT ORA SUA SICUT PAUPER EDENS IN OCCULTO. Sicut enim pauper aliquandiu jejunus permanens, si fortè alicubi cibos invenerit, his se confestim in occulto reficere satagit, neque eos in publicum vult proferre, ne fortè ab alio diripiantur, & ipse fame pereat: sic nimirum, sic populi gentium, oblato sibi per apostolos pane verbi, à quo diutius jejuni duraverant, mox aperuerunt ora cordis sui, & hunc omni aviditate gustare cœperunt, tantò amplius audiendis sive legendis scripturis operam dantes, quantò se meminerunt diutius miserrimo genere paupertatis supervacuis, immo & noxiis aures atque animum mancipasse doctrinis. Quo autem ordine paupertas gentium ad percipiendas verbi epulas pervenerit insinuatur, cum protinus subinfertur:

MISISTI IN MARE EQUOS TUOS, TURBANTES AQUAS MULTAS. Mare quippe mundum, equos Dei prædicatores sanctos, aquas multas populos nationum dicit. Immissis equis Dei in mare turbatæ sunt aquæ multæ, quia dispersis in mundum præconibus verbi, turbata sunt gentium corda, alia ad credendum ac suscipiendum sacramentum fidei, alia verò ad contradicendum sive etiam [b] persequendum præcones ejusdem fidei: unde bene Psal. Ps. 63. 9. mista, *Conturbati sunt omnes*, inquit, *qui videbant eos, & timuit omnis homo, & annunciaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.* Conturbatis etenim omnibus, non omnes timuerunt & annunciaverunt opera Dei, sed quicumque homines fuerunt, quique verò ab humana ratione alienati, comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Tales etsi sanctorum virtutibus conturbati sunt & commoti, nec Deum tamen timere, nec ejus facta annunciare vel intelligere voluerunt. Bene autem de his equis, sanctis videlicet prædicatoribus etiam supra dicitur, quoniam *ascendens ascendes super equos tuos*, & nunc de iisdem subinfertur, *Misisti in mare equos tuos*, ut ex utraque sententia colligatur, quòd ita Dominus in mundum prædicatores miserit, ut eisdem prædicantibus ipse numquam absit: sed sicut equis auriga, ita regendis semper eorum mentibus præsit.

CUSTODIVI ET EXPAVIT VENTER MEUS A VOCE ORATIONIS LABIORUM MEORUM. Ventrem [c] meum more prophetis consueto animum suum dicit: quia sicut ventre recipiuntur cibi, quibus virtus ac vita corporis reficiatur; ita cogitationes piæ sancto recipiuntur in animo, quibus [d] interioris hominis vita, ne [e] deficere debeat, sustentetur & contineatur. *Custodivi* ergo, ait Propheta, diligenter attendens futuras Christi passiones & posteriores glorias, reprobationem populi mei, fidem gentium, conturbatis ad novam prædicationem eisdem gentibus, persecutionem adversus credentes ab infidelibus movendam; *& expavit cor meum*, ab his quæ ipse prævidens ventura locutus sum. Vel certè contemplatus diversum generis humani statum, *Custodivi*, ait, me ipsum, [f] tremente animo solertius, ne fortè opere, ne fortè ore, ne fortè corde peccarem, neve aliis prædicans ipse reprobus efficerer. Et notandum quia expavisse se dicit à voce orationis labiorum suorum, cùm nihil prorsus orasse in toto hoc carmine videatur; sed tantummodo timens ac pavens ventura Christi & Ecclesiæ sacramenta describere: nec tamen fallitur qui carmen suum orationem nuncupat, qui & eidem talem titulum præposuit, *Oratio Abacuc Prophetæ pro ignorationibus*; quia quicquid vir sanctus loquitur, totum profectò hoc oratio ad Deum est; omne quod agit, is cujus sincera intentio est Domino placendi, hoc pro ipso apud Deum interpellat, & ipsum Domino commendat.

ET INTROIVIT TREMOR IN OSSA MEA. Sicut carnis nomine aliquoties scriptura carnales nostras actiones; ita [g] ossium vocabulo fortia solet ac spiritualia facta designare. *Expavit* igitur, inquit, *cor meum* ab iis quæ ventura in mundum prævideo, & quidquid mihi virtutis spiritualis inesse putavi, totum hoc quasi fragile contremuit; dum majores beatorum Christi, & apostolorum ejus virtutes & passiones aspicio: quod ipsum verbo sequenti manifestiùs explicatur, cùm dicitur:

ET SUBTUS ME TURBATA EST VIRTUS MEA. Bene autem virtutem suam, non in se, sed subter se dicit esse turbatam; quia raptus ad contemplationem cælestium arcanorum Propheta quodammodo se super se vidit elevatum; & quò altior efficitur lumine contemplationis, eò se imperfectiorem conspicit meritò actionis. Sublevatus enim ad intuenda superna, jure de his quæ in infimis gesserat conturbatur. Turbata est autem virtus prophetæ, contremuerunt ossa, expavit venter, non solùm quia minus se perfectum actione cognovit, verùm etiam quia omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutiones passuros dicit: sed & ipsum Christum qui sine peccato intraret

(a) *Al.* montatæ.
(b) *Al.* prosequendos.
(c) *Al* suum.
(d) *al.* interior.
(e) *al.* interimi. (f) *al.* fremente.
(g) *al. Flor.* ossuum *Corb.* ossum.

in mundum, non sine pœna peccati exiturum A vidit esse de mundo, juxta quod & in ipso cantici
[a] sui principio [a] designaverat. Nec tamen idem pavor ac tremor expers consolationis remansit, cui præsentia adversa spes minoravit, ac leviora
[b] reddidit futurorum [b] præmiorum. Hoc est enim quod sequitur:

REQUIESCAM IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ, UT ASCENDAM AD POPULUM TRANSMIGRATIONIS MEÆ. Requiescit enim in die non solum retributionis, sed & tribulationis, qui per afflictiones temporales æterna se gaudia
[c] [c] nacturum esse non dubitat, juxta illud
Rom. 8. 24. Apostoli: *Spe enim salvi facti sumus.* Et iterum:
Rom. 12. 12. *spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Hæc est au- B tem in hac vita requies electorum, ut relicto infimorum appetitu, tota mentis intentione & quotidianis bonorum operum gressibus ascendere ac transmigrare nitantur ad consortium eorum qui se in Christo præcesserunt, finitisque passionum agonibus, vitæ accipiant coronam in exemplum eorum qui quondam translati in Babylonem, de Judæa rursum ducibus Zorobabel & Jesu patriam sunt reversi, quos scriptura filios transmigrationis appellat, magnæque instantia devotionis restaurasse sancta, quæ hostis destruxerat, refert; quæ figura est manifestissima status nostri. Translati enim sumus in primo parente de patria cælesti, & in C hujus sæculi Babyloniam, id est confusionem illati; sed donante Domino JESU CHRISTO Rege ac Pontifice magno, cujus Zorobabel & Jesus typum prætulere, rursus ad patriam visionemque pacis summæ, quod nomen Jerusalem significat, sumus recte revocati; ita dumtaxat, ut interim in Jerosolyma præsentis Ecclesiæ, nos piis laboribus exercentes, ad ingressum supernæ Jerusalem, quæ est mater omnium nostrûm, ex tempore præparemur. Si autem legitur indifferenter, ut in quibusdam codicibus invenitur: *Requiescam in die tribulationis*, & non additur *meæ*, potest intelligi juxta illud
Psal. 40. 2. quod in Psalmo canitur de justo, *In die mala* D *liberabit eum Dominus*, quod videlicet in die judicii cùm reprobos æterna tribulatio comprehendet, justos econtra requies æterna suscipiat; Sed & ante novissimum illud ac generale judicium sancti requiescunt in die tribulationis, ascendentes ad populum transmigrationis suæ, quando per bona opera translati de mundo, priorum justorum gaudiis sociantur in cælis, cum pariter persecutores eorum de hac vita sublati tormenta gehennæ perpetuo tribulandi subeant. Potest autem dies tribulationis etiam in hac vita intelligi, cum ingravescente bonorum temporalium penuria, hi qui talia dilexerant E nimium, quasi miseriis circumdati dolent; sed electus quisque quamvis eadem incommoda sustinens corporaliter, fixa spe mentis in Domino requiem habet; sciens quia quò gravius in infimis deprimitur, eò celsius post pressuras ad æterna supernorum civium consortia ascenderit. Cui sensui aptè convenit quod sequitur:

QUONIAM FICUS NON [d] AFFERET FRUCTUM, ET NON ERIT GENERATIO IN VINEIS: MENTIETUR OPUS OLIVÆ, ET CAMPI NON FACIENT ESCAS, DEFECERUNT AB ESCA OVES, ET NON ERUNT IN PRÆSEPIO BOVES: EGO AUTEM IN DOMINO GLORIABOR, ET GAUDEBO IN DEO JESU MEO. Quia cùm deficiente mundanarum rerum opulentia [d]
[e] carnales quique & hujus vitæ amatores turbantur, justi non de temporalium [f] commodorum amissione contristantur, sed de illa quæ pauperibus Christi promissa est regni cælestis possessione lætantur, memores [g] promissæ consolationis ipsius qui dixit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et quàm mira fides, spes, & caritas prophetæ! necdum Filius Dei in homine apparens nomen JESU à parentibus accepit, & ille nomen idem in Spiritu prævidens, in eo se inter adversa gaudere testatur, qui longè post nasciturus in carne fidelibus suis januam cælestis patriæ aperiret. Si quis autem hos etiam versiculos figuratè quærat exponi, ficus, vinea, & oliva, erat synagoga Judæorum, quando dulcedinem bonæ operationis fragrantiam fervidæ dilectionis, pinguedinem animi misericordis Deo devota proferebat. Oves & boves [h] typicè erant in eadem plebe; oves videlicet, in eis qui vocem summi Pastoris humiliter audiebant: boves verò, in illis qui jugum legis gnaviter portantes, ad faciendos bonorum operum fructus corda audientium sedulo docendo & castigando, quasi terram Domini arando, parabant; hisque spiritualiter viventibus spirituales faciebant escas campi divinarum scripturarum latissimi, quorum pabulo delectabatur ille qui ut jumentum factus erat apud Dominum, & semper illi adhærebat dicens: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocavit.* Sed hæc ficus tertiò ad eam veniente Domino, hoc est in legislatione per Moysem, in sedula increpatione & exhortatione per Prophetas, [i] in oblatione gratiæ per se ipsum virtutis fructum ferre neglexit, propter quod ad maledictionem ejus æterna ariditate damnata est. Defecit generatio in vineis quondam Domini, id est fructus caritatis in turbis Judæorum, propter quod sitienti illi acetum pro vino obtulerunt, id est virtutum suavitatem in se quærenti vitiorum acredinem, virtutes eorum desideranti vitia proferebant. Mentiebatur opus olivæ, cùm eadem plebs oleo adulationis impinguaret capita miserorum, dictaque prophetæ veracia falso ore resonaret dicens: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei*, propter quod tempore ultimæ retributionis extinctas allatura lampades, & cum suis tenebris ab ingressu est patriæ cælestis excludenda. Campi non faciunt

Marginal notes (right column): [d]; [e]; [f]; [g]; Luc 12. 32.; [h]; Psal. 22. 1.; [i]; Psal. 51. 10.

[a] *al.* designavit. [b] *al.* deest præmiorum.
[c] *al.* acturum. [d] *al.* affert.
[e] *al.* carnalis quisque.
[f] *al.* bonorum.
[g] *al.* promissi & consolationis ipsius, quo dixit.
[h] *al.* typi.
[i] *al.* obligatione.

escas, cum plebs eadem apertis divinorum apicum paginis, pascua veritatis invenire rectè intelligendo non valet. Deficiunt ab esca oves, quia quibus internæ refectio dulcedinis abest, unde innocentia vitæ simplicis proveniat, non est. Sic autem dictum est, defecerunt ab esca oves, id est, quia esca deerat, sicut in Psalmo Propheta, *Et caro mea*, inquit, *immutata est propter oleum*, id est, quia oleum quo reficerer sive impinguarer non erat. Denique quidam codices sic habent, *Defecerunt eo quod non comederent oves: non sunt in præsepio boves.* Quoniam quidem [a] abundant apud Judæos præsepia cælestium litterarum; sed quia pabulum cælestis intellectus in his non sapiunt, qui suave jugum Evangelii bajulent, absunt. Quæ omnia perfidæ parti gentis suæ superventura considerans Propheta, statim quid ipse cum fidelibus ejusdem gentis, immo cum totius, quæ per orbem [b] collecta in Christo, vel electa erat, Ecclesiæ societate, facturus esset ostendit: *Ego autem*, inquiens, *non in mea justitia, sed in fide divinæ protectionis gloriabor, gaudebo in Deo Jesu*, id est Salvatore meo, quia non in me, sed in illo salutem esse perpendo. Et quasi quæreremus ab eo quare gloriaretur in Domino & in Deo JESU, quem suum proprium magnæ dilectionis gratia nuncupabat, gauderet, continuò velut justissimam ejusdem gaudii causam insinuans, ita suum carmen terminavit.

Ps. 108. 24.

[c] DOMINUS DEUS VIRTUS MEA, ET CONSTITUET PEDES MEOS IN CONSUMMATIONEM, ET SUPER EXCELSA STATUET ME, UT VINCAM IN CLARITATE IPSIUS. Ac si apertè dicat: Subtus me quidem turbata est virtus mea, id est dum humanæ fragilitatis conditionem, quæ infra est, intueor; ac dum ad divinæ opitulationis gratiam oculos mentis adtollo; in illo me virtutem facere posse confido. Ipse egressus operum meorum ad consummationem firmi finis perducere valet; ipse me super excelsa statuere, ut videlicet omnem mundanæ potentiæ sublimitatem contemplatione pererennium bonorum [d] pro nihilo contemnamus. Omnes quæ mihi vel de adversis vel de blandimentis sæculi occurrunt tentationes vincam in caritate ipsius qua ero, id est dum in omnibus quæ ago non meam gloriam, sed ipsius quæro, à quo me accepisse memini quicquid boni ago. Meritò enim adjuvantur à Domino, ut victis tentationibus probati, ad palmam supernæ vocationis perveniant, qui totam victoriæ suæ causam ad ejus laudem referunt. Quidam codices habent *Et vincam in Cantico ipsius*, quod ad unum eúmdemque sensum respicit. Vincit enim in Cantico Domini, quisquis in cunctis quas patitur tribulationibus illi gratias ex corde agere novit, sciens quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & cum beato Job decantare consuevit: *Sit nomen Domini benedictum.* Denique Paulus & Silas apostoli inter plagas, tenebras & vincula carceris, hymnum Deo canebant: ideoque divinitus adjuti repente victores exierunt, quia nimirum etsi pedes eorum stricti esse videbantur in nervo, gressus tamen operum in virtutibus habebant consummatos. Pulcrè autem carminis hujus prophetici finis principio respondet. Qui enim auditis & consideratis Domini in carne apparentis operibus, fideliter timet ac pavescit, fit ut contemtis eis quæ in hac vita instar pelagi fluctuantis vario statu feruntur, in ipso solùm glorietur & gaudeat, cujus gaudiis perpetuò valet perfrui; ab ipso adjuvetur, ut mundi præsentis nec frangatur adversis nec enervetur inlecebris; ipsius gratiæ laudes & in præsenti canat, ut vincere mereatur; & in futuro quia vicerit canere nùmquam desistat. Fit etiam ut talis anima mundum in claritate Domini vincat, eadem videlicet claritate ejus, & in tempore certaminum sæpius ad memoriam reducta, & in tempore præmiorum perpetuò conspecta, juxta quod ipse promisit: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Notandum autem exposita oratione sive Cantico Abacuc, quia nomen quoque ejus, quod interpretatur amplexans, sensui ejusdem orationis congruit. Patet enim quia interno amore cordis amplexabatur Dominum, eique adhærebat, qui in illo se solùm gloriari & gaudere testatur. Utinam autem [e] fiat dilectissima soror & virgo Christi, ut etiam nos ipsùm diligentes tali nomine digni efficiamur. Si enim eum toto corde, tota anima, tota virtute amplecti satagimus, dignabitur & ipse nos ulnis suæ dilectionis amplecti, memor sui promissi quo ait: *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*; sicque inter illius sponsæ merebimur membra numerari, quæ suo conditori, sponso videlicet cælesti solet lætabunda cantare, *Læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me* Amen.

Job. 1. 21.
Matth. 5. 8.
Joan. 14. 21.
Cant. 2. 6.

[a] *Al.* abundabant.
[b] *Al.* eo ligenda.
[c] *Al.* Domine.
[d] *Al.* pro nihili.
[e] *Al.* deest fiat.

Explicit in Canticum Abacuc Prophetæ ad sororem Christi virginem.



VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI HOMILIÆ XI.

ADMONITIO PRÆVIA.



OHANNES MABILLONIUS, Congregationis nostræ S. Mauri presbyter eruditus, in Bedæ Elogio historico, quod sæculo III. *Benedictino adornavit*, §. 10. *scripta ipsius discutiens, observat* Homiliarum Evangelii libros duos *ab eo conscriptos fuisse, uti ipse Beda testatur, seu* Lectionarium anniversarium, *ut habet Bonifacius Moguntinus episcopus. epistola* 9. *Duos hosce libros, quorum unus homiliis* 25. *alter* 24. *constare debebat, cum reperisset in vetustissimis codicibus duobus Bibliothecæ Thuanæ, operæ pretium duxit illorum saltem capitulationes repræsentare, non solùm ut exploraret celebriores dies, qui tum anniversaria solemnitate colebantur, sed etiam ut facta collatione cum editis Bedæ homiliis, quilibet facilius judicium ferre posset, ad discernendum quænam ex editis ad Bedam verè pertineant, quænam suppostitiæ aut dubiæ censeri debeant. Similes codices duos cùm reperissem, unum in Maceriarum Cisterciensis Ordinis monasterio diœcesis Cabilonensis, alterum in Bibliotheca insignis ecclesiæ Turonensis, illumque pro sua in omnes, sed in me præsertim humanitate mihi utendum præbuisset Cl. vir D.* Joüan *ejusdem Ecclesiæ Major Archidiaconus: factaque ipsius cum codicibus Thuanæis collatione, animadverti novem in eo homilias contineri, quæ in hactenus editis omnino desiderantur, sed decimam, quæ est* in Litania majore, *cujus meminere capitulationes codicum Thuanæorum in eo minimè extare, verum eam cum homilia undecima exhibuit mihi alter codex Majoris-monesterii prope Turones, easque luce publica haudquaquam esse indignas facile judicabunt eruditi lectores. Tametsi undecimam, quæ non recensetur in libris homiliarum, omnino genuinam certò affirmare non ausim.*



HOMILIA I.

FERIA VI. PRIMÆ HEBDOMADÆ ADVENTUS DOMINI.

Marc 1. Lectio sancti Evangelii secundùm Marcum.

In illo tempore fuit Johannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

ADVENTUM Dominicæ prædicationis Johannes præveniens, sicut ex lectione sancti Evangelii, fratres carissimi, audistis, fuit in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Ubi solerter intuenda distinctio verborum qua dicitur, quia *fuit baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Baptizabat namque ipse baptismo pœnitentiæ in confessionem & emendationem peccatorum, & prædicabat baptismum pœnitentiæ futurum in Christo in remissionem peccatorum: in cujus solo baptismate peccatorum remissio nobis donatur, Apostolo attestante, qui ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus.* (Eph. 4. 5.) Quod baptisma pœnitentiæ rectè vocatur, quia non ob aliud quis in fonte vitæ baptizari desiderat, nisi quia pœnitet se noxa primæ prævaricationis animæ simul & corporis morte constringi. (Johannes cur baptizaverit.) Quod si quærimus quare Johannes baptizaverit, cujus baptismate peccata remitti nequiverunt; patet aperta ratio, quia præcursionis suæ servans officium, sicut ante Dominum nasci, prædicare & mori; ita etiam baptizare debebat: simul ne Domini dispensationem, si primus ipse baptisma hominibus daret, Pharisæorum & Scribarum carperet invidiosa contentio: sed si interrogare voluissent in qua potestate baptizaret, statim audirent: *Baptismum Johannis unde erat? E cælo, an ex hominibus?* (Marc. 10. 30.) Quod cùm è cælo esse negare non auderent, etiam ejus quem Johannes prædicebat opera cœlitus acta cogerentur fateri. Nec tamen baptisma Johannis, quamvis peccata non relaxaverit, infructuosum omnimodis accipientibus extitit: (Baptisma Johannis non infructuosum.) quia ipse etsi non pro remissione peccatorum, pro signo tamen fidei & pœnitentiæ dabatur: ut videlicet recolerent se omnes qui hoc initiabantur à peccatis continere, eleemosynis insistere, in Christum credere, atque ad ejus baptisma quo in remissionem peccatorum abluerentur, mox ut appareret, properare debere. Quod autem Johannes in deserto baptismum suum dat, & baptisma Christi prædicat, immo totam à puero in desertis agit vitam: ideo fit ut summus doctor quod verbis prædicabat, exemplis astrueret. Et qui suos auditores à peccatis pœnitendo discedere suadebat, ipse peccantium vitia, non solùm munditia mentis, sed corporis situ declinaret. (Johannis desertum quid designet.) Typicè autem desertum in quo Johannes manebat, segregatam à mundi illecebris sanctorum vitam designat, qui sive solitarii, sive turbis admixti vivant, tota semper intentione animi præsentis sæculi desideria spernunt, soli Deo in abscondito cordis adhærere, & in illo spem ponere delectantur: quam dilectissimam Deo solitudinem mentis, juvante Spiritus sancti gratia desiderabat adire Propheta qui dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam?* (Ps. 54. 7.) eamque se mox Domino juvante consecutum gratulatus, quasi communibus terrenorum desideriorum implicamentis insultans, adjungit: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* (Ibid. 8.) Denique Dominus liberatum sanguine agni populum de Ægypto, & per mare rubrum eductum, prius in deserto quadraginta annis instituit, & sic in terram repromissionis induxit: quia nimirum populus fidelium non statim post baptisma cælestis patriæ gaudia potest subire, sed primò longis virtutum exercendus agonibus; ac deinde perpetuis supernæ beatitudinis est donandus muneribus. Quo autem fructu prædicaverit Johannes, consequenter ostenditur cùm dicitur:

ET EGREDIEBATUR AD EUM OMNIS JUDÆÆ REGIO ET JEROSOLYMITÆ UNIVERSI, ET BAPTIZABANTUR AB ILLO IN JORDANE FLUMINE, CONFITENTES PECCATA SUA. Patet litteræ sensus, quia qui viciniores vel doctiores erant, primi affluenter verbum suscepere salutis. (Quid Judæa & Jerusalem.) Sed quia Judæa Confessio, & Jerusalem Visio pacis dicitur, possumus intelligere eos mysticè qui confessionem rectæ fidei didicerint, qui visionem supernæ pacis amaverint, in Judææ & Jerosolymitanorum appellatione designatos. Nam tales maximè tunc ad Johannem in desertum pro accipiendo baptismate exisse credendi sunt. Tales etiam nunc audito Dei verbo de prisca sua conversatione egredi, ac solitudinem vitæ spiritualis ad exemplum fidelium doctorum constat ingredi: quia nimirum vita novæ conversationis quotidiè castigati, quasi quotidiano Jordanis baptismate lacrymis suæ compunctionis ab omni vitiorum subripientium contagione purgantur, juxta eum qui dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo.* (Psal. 6. 7.) Unde rectè Jordanis Rivus judicii interpretatur: quia ni-

mirum electi quò sollicitiùs suam conscientiam discutiendo examinant; eò latiores ex intimo cordis fonte lacrymarum fluvios fundunt, ut, quia minus perfectos se esse deprehendunt, sordes suæ fragilitatis undis pœnitentiæ diluant. Sequitur:

ET ERAT JOHANNES VESTITUS PILIS CAMELI, ET ZONA PELLICIA CIRCA LUMBOS EJUS, ET LOCUSTAS ET MEL SILVESTRE EDEBAT. Quantum ad litteram indumenti & escæ vilitas quæ solitarium & pœnitentiæ præconem decebat ostenditur. Sed & figuratè pilis cameli, è quibus cilicium fit, pœnitentia vel continentia, qua & ipse exercebatur & ceteros instituebat, exprimitur. Zona pellicea quæ ex mortuo tollitur animante, & ipsum mortificasse membra sua terrena, & auditores suos idem docuisse signatur. Constat namque per lumbos sæpe luxuriam designari: unde propter hanc capescendam & castitatis gloriam nanciscendam Dominus præcepit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Qui ergo veneriæ motus concupiscentiæ funditus edomuit, lumbos utique zona pellicea cinxit. Locustis, quæ alacriter à terra evolant, sed citiùs ad terram redeunt; & melle silvestri quod simul edebat, brevitas pariter & dulcedo prædicationis ejus intimatur: quia & libenter à populis audiebatur prædicans, & citissimè Domino veniente prædicationi ac baptismati suo terminum posuit. Quod si quis habitum vel victum Johannis ad figuram Domini Salvatoris interpretari desiderat, opportunum ducens, ut quem prophetando monstrabat, etiam vivendo significaverit, libenter hujus est intentio sequenda. Intelligendumque quòd pili cameli propter cilicium, eos qui peccata pœnitendo, jejunando, & flendo abstergere curant; zona pellicea propter mortem animantis de quo fit, illos significet qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Et quia scriptum est: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*; cùm tales Christo intentione seduli amoris adhærent, quasi pilis cameli vestiuntur, & zona pellicea circa lumbos accinguntur. Locusta propter brevem volatum mobilem Judaïcæ gentis animum, quo inter Dominum & idola [a] susum jusumque ferebatur insinuat. Mel silvestre dulcedinem naturalis ingenii qua inculti externarum nationum populi reficiebantur significat. Et dum ex utroque populo Dominus quos in unitatem sui corporis, quod est Ecclesia, docendo trajiciat eligit; locustis nimirum & melle silvestri pascitur: quia & ex ea quæ instabili intentione cælestia quæsierat, & ex illa gente quæ terrenæ solum philosophiæ saporem noverat, multos in membra sua convertit. Descripto autem Johannis loco, ministerio, habitu & alimento, mox etiam prædicationis forma subinfertur. Nam sequitur:

Quid Johannis victus & vestitus.

Luc. 12. 35.

Gal. 3. 27.

[a]

ET PRÆDICABAT DICENS: VENIT FORTIOR ME POST ME. Fortis quidem est multùm, qui in confessionem peccatorum; fortior, qui in remissionem baptizat: fortis, qui Spiritum-sanctum habere dignus est; fortior, qui tribuere: fortis, quo in natis mulierum nemo major est; fortior, cui minorato paulo minus ab angelis omnia subjecta sunt sub pedibus ejus: fortis, qui regnum cælorum primus venit prædicare; fortior, qui hoc solus potuit dare: *Cujus non sum dignus*, inquit, *procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Et si ad hoc tantum ministerium, quo calceamentorum ejus corrigiam procumbens solveret, se dignum fateretur; magnæ profectò esset devotionis indicium: nunc autem præ miræ humilitatis virtute, ne hoc quidem ministerio digne se fungi posse testatur. Quod si mysterio intendimus, patet legis decretum, quia qui debitam sibi propinquitatis jure uxorem non ipse accipere, sed alteri accipiendam permittere voluisset, in signo permissionis ejusdem calceamentum de pede solutum, ei qui hanc acciperet dare jubebatur. Et quia Johannem merito virtutum populi Christum esse credebant, sponsum profectò Ecclesiæ credebant. Sed ipse Johannes, ut quis sit ostendat, ait: *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi*: Non ergo se sponsum patitur credi, ne amicitiam sponsi perdat, quod est ad solutionem calceamentorum ejus se dignum non esse testari. Denique Moyses & Josue cùm duces synagogæ constituerentur; calceamentum solvere præcepti sunt, ut intelligerent eum qui hæc mandabat sponsum, id est Dominum synagogæ credendum, se autem amicos sponsi in eo quod eidem synagogæ præessent appellari, & esse debere.

Christus Johanne quomodo fortior.

Marc. 1. 7.

Johan. 3. 29.

EGO BAPTIZAVI VOS AQUA, ILLE VERÒ BAPTIZABIT VOS SPIRITU-SANCTO. Apud Evangelistam Matthæum fertur dixisse Johannes: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam.* Ob hoc ergo baptizabat aqua Johannes, ut omnes quos ad pœnitendum, Christoque credendum persuadere potuisset, sui signaculo baptismatis ab infidelium & impœnitentium turba secerneret: qui ne hoc sibi baptima sufficere ad salutem crederent; sed ad Christi potius baptisma festinarent, consequenter adjunxit: *Ille verò baptizabit vos Spiritu-sancto.* Baptizat quippe Spiritu-sancto, qui munere Spiritus-sancti peccata dimittit, & accepta remissione peccatorum etiam Spiritus ejusdem gratiam tribuit. Nam & dationem carismatum in Spiritu baptisma Spiritus rectè vocari testatur ipse qui ascensurus in cælum discipulis promittit dicens: *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu-sancto non post multos hos dies*, significans decimo Ascensionis

Matth. 3. 11.

Act. 1. 5.

[a] In ms. codice Thuaneo explicationis gratia ad marginem recentiori manu scriptum legitur *Sursum & deorsum*: quam explicationem confirmat locus ex S. Augustini tractatu 8. in epistolam Johannis: *Perversi homines videte quàm præposteri sint. Quod faciunt bene, volunt sibi tribuere: Si malè faciunt, Deum volunt accusare. Converte hoc distortum nescio quid & præposterum, faciens illud quodammodo capite deorsum: quod susum faciens jusum; quod deorsum faciens sursum. Jusum vis facere Deum, & te susum? Præcipitaris, non elevaris.* Et tractatu 10. n. 8. *Susum me honores, jusum me calcas.*

nis

nis suæ die Spiritum-sanctum super eos in linguis igneis esse venturum. Quæritur sanè utrum Dominus qui cunctos fideles Spiritu baptizat, ipse aliquos etiam baptizaverit aqua. Neque indignum tantæ majestati ducendum est baptizandi ministerium aliquibus discipulorum suorum exhibuisse, per quos in cetera sua membra baptismi dona propagaret, qui memorabile illud lavandi pedes discipulorum munus subire non despexit. Sed sive tunc per se, seu deinceps per suos aqua baptizaverit, solus tamen ipse Spiritu-sancto baptizat, qui Spiritum nobis tribuit & operatur in nobis virtutes. Cujus in nobis gratiam, fratres mei, integram semper illibatamque conservare curemus, omni videlicet tempore bonis insistendo operibus, sed maximè nunc cùm Nativitatem ipsius Domini nostri Salvatoris proximè celebrare debemus, diligentius solito invigilando, ut quicquid negligentiæ subripientis nobis inesse deprehenderimus, citiùs abstergere satagamus: quicquid habendæ virtutis deesse nobis inspexerimus, citiùs adquirere studeamus, evulsis discordiarum, vituperationum, jurgiorum, murmurationum, ceterorumque frutetis vitiorum, plantemus in nobis caritatem, gaudium, pacem, patientiam, bonitatem, benignitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam, & cetera fructus Spiritus insignia: quatenus in illa die mundo corpore, & pura conscientia ad altare Dominicum accedere & ejus sacrosanctis mysteriis mereamur [a] communicare sacramentis, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Christus an aqua aliquos baptizaverit.

Communio in die natalis Domini. [a]

HOMILIA II.

Lectio sancti Evangelii secundùm Johannem.

In illo tempore. Johannes testimonium perhibet de Domino, & clamat dicens: Hic erat quem dixi vobis, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Joan. 1. 15.

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

REDEMTORIS nostri Præcursor testimonium de ipso perhibens, certitudinem humanitatis ejus pariter & divinitatis æternitatem manifesta voce pronunciat. Clamat enim dicens; sicut modo cùm evangelium legeretur vestra fraternitas audivit: *hic erat, quem dixi vobis, qui post me venturus est; ante me factus est, quia prior me erat.* In eo namque quod ait, *qui post me venturus est*, ordinem humanæ dispensationis qua post eum natus, post eum etiam prædicaturus, baptizaturus, signa facturus & mortem erat passurus, insinuat. In eo verò quod subjungit: *Ante me factus est*, sublimitatem ejusdem humanitatis, quæ ceteris omnibus creaturis erat meritò præferenda, designat. Quod enim ait: *Ante me*, non ad ordinem temporis, sed ad distantiam pertinet dignitatis, juxta quod de Joseph filiis, benedicente Jacob, scriptum est: *Constituitque Effraïm ante Manassem*, ubi rectè potuit dicere Manasses, qui post me venit ante me factus est. Id est qui post me natus est potentia regni me antecessit. Quamobrem Johannes de Domino, *qui post me*, inquit, *venturus est ante me factus est*: id est qui post me ad prædicandum venturus est, culmine me regni & sacerdotii perennis antecellit. Quare autem is qui post eum venturus erat, eum dignitate antecelleret, aperuit, cùm subjungit, *quia prior me erat*, id est quia æternus ante sæcula Deus erat: propterea me, licet posterior natus, gloria majestatis etiam in assumta humanitate præibit. Exposito autem Evangelista Præcursoris Domini testimonio quod de illo perhibuerat, reddit statim suæ assertionis, quod cœperat illi dare, testimonium. Nam sequitur:

Humanitatis Christi celsitudo & divinitatis æternitas.

Gen. 48. 20.

ET DE PLENITUDINE EJUS OMNES NOS ACCEPIMUS. GRATIAM PRO GRATIA. Superius namque dixit, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.* Quod cùm Præcursoris quoque ejus testimonio confirmasset dicentis: *Hic erat quem dixi vobis, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat*; rursus ipse quæ cœperat exequitur dicens: *Et de plenitudine ejus omnes nos accepimus, gratiam pro gratia.* Plenus quippe erat Dominus Spiritu sancto, plenus gratia & veritate, quia sicut Apostolus ait, *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; de cujus plenitudine nos omnes juxta modum capacitatis nostræ accepimus, quia unicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. De solo namque mediatore Dei & hominum homine JESU CHRISTO veraciter dici potuit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis*,

Joan. 1. 14.

Ibid. 15.

Ibid. 16.

Colos. 2. 9.

Isa. 11. 2.

[a] Hinc colliges, universos olim fideles christianos in natali Domini corpori & sanguini Domini communicasse, ut constat tum ex Concilio Agathensi anno 506. celebrato can. 18. tum ex variis aliis monumentis. qua de re vide si lubet ea quæ scripsimus in lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus c. 4. art. 10. n. 2.

& replebit eum Spiritus timoris Domini. Omnes A verò Sancti non plenitudinem spiritus ejus, sed de plenitudine ejus quantum ille donat accipiunt: *Quia per Spiritum alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus ac idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Quia ergo de plenitudine nostri Conditoris non quiddam, sed omne quicquid boni habemus accepimus, curandum summopere est, ne quispiam se de bona actione vel cogitatione incautus extollat; ne si ingratus largitori remanserit, perdat bonum quod accepit, ac dignè Apostolica increpatione percellatur, qua dicitur: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem acceperis, quid gloriaris quasi non acceperis?* unde ipse Apostolus, quia nihil dignum nosse vel operari posset, si non de plenitudine Christi acciperet, alibi testatur manifestè dicens: *Non quia sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et alio loco: *Et gratia ejus*, inquit, *in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quod ipsum suis auditoribus humiliter cogitandum sedulus inculcat: Unde est illud: *Cum tremore & metu vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Sancti non plenitudinem Spiritus acceperunt, sed de Christi plenitudine.

1. Cor. 12. 7.

1. Cor. 4. 7.

2. Cor. 3. 5.

1. Cor. 15. 10.

Phil. 2. 12.

Cùm autem dixisset Evangelista nos omnes de plenitudine Christi accepisse, confestim subjunxit, & ait: *Gratiam pro gratia.* Geminam ergo nos gratiam accepisse testatur, unam videlicet in præsenti, alteram in futuro: in præsenti quidem fidem quæ per dilectionem operatur: in futuro autem vitam æternam. Fides quippe quæ per dilectionem Dei operatur, gratia Dei est; quia ut crederemus, ut diligamus, ut operemur bona quæ novimus, non ullis præcedentibus meritis nostris, sed ipso largiente percipimus qui dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Et ut vitam propter fidem, dilectionem, & opera bona percipiamus æternam, gratia Dei est: quia ne à bono deviemus itinere, ipso duce semper opus habemus, cui dicitur: *Deduc me in via tua, & ambulabo in veritate tua:* ac si apertè dicatur: nisi te duce ingrediens, viam veritatis, quam cœpi, tenere nequaquam sufficio. Ne in bonis operibus deficiamus, illius auxilio debemus semper inniti, qui ait: *quia sine me nihil potestis facere*; unde bene Psalmista, ut initium fidei & bonæ actionis à Domino nobis dari signaret, ait: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Et ut bona quæ agimus illo opitulante perficienda doceret iterum dicit: *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Ut mercedem vitæ æternæ, quæ bonis redditur operibus, gratis nobis tribui ostenderet, ait: *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* In misericordia quippe & miseratione nos coronat, quando propter bona opera quæ nobis ipse misericorditer

Gratia duplex.

Fides in præsenti.

Joan. 15. 16.

Vita æterna in futuro.

Ps. 85. 11.

Ps. 58. 11.

Ps. 22. 6.

Ps. 102. 4.

exercenda donavit, supernæ beatitudinis præmia retribuit. Et hoc est quod dicitur accipere nos gratiam pro gratia, quia nimirum pro gratia bonæ conversationis quam dedit, & ne deficere possit, ipse servans adjuvat, dabit gratiam beatæ remunerationis, in qua misericordias ejus in æternum cantemus. Denique Apostolus ipsam vitæ æternæ perceptionem, quæ utique meritis præcedentibus redditur gratiam vocare non dubitavit: qui cùm præmisisset stipendium peccati esse mortem, noluit è contrario dicere stipendium justitiæ esse vitam æternam; sed ait: *Gratia autem Dei vita æterna in Christo* JESU *Domino nostro.* Non quia non justè meritis bonis à justo Judice datur, sed quia ipsa B merita quibus dantur primo sunt à pio Salvatore gratis data. Sequitur:

Rom. 6. 23.

Merita nostra à pio Salvatore gratis data.

QUIA LEX PER MOYSEM DATA EST, GRATIA ET VERITAS PER JESUM CHRISTUM FACTA EST. Lex quidem data est per Moysen, in qua quid agendum, quid vitandum sit cælesti jure decernitur; sed quod illa præcipit, non nisi gratiâ Christi completur. Illa quidem monstrare peccatum, justitiam docere, & transgressores sui reos ostendere valebat: Porro gratia Christi diffusa per Spiritum caritatis in cordibus fidelium, facit ut quod lex præcipit impleatur: unde illud quod scriptum est, *Non concupisces*, per Moysen lex est quia jubetur; sed per Christum fit gratia, quando quod jubetur impletur. Veritas autem facta est per Christum, C quia umbram habebat lex bonorum futurorum, non ipsam imaginem rerum. Et sicut alibi dicit Apostolus: *Omnia in figura contingebant illis*; sed pro umbra lucem veritatis, pro figura legis ipsam imaginem rerum quæ figurabatur exhibuit Christus, quando data Spiritus gratia, aperuit discipulis suis sensum ut intelligerent scripturas. Lex per Moysen data est, cùm populus aspersione sanguinis agni mundari præceptus est: Gratia & veritas quæ in lege figurabatur, per JESUM CHRISTUM facta est, cùm ipse passus in cruce lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Lex per Moysen data est, quia populum præceptis salutaribus instituens, si hæc observaret, terram repromissionis D intraturum, & in ea perpetuò victurum: sin aliàs, prosternendum ab hostibus prædixit. Gratia & veritas per JESUM CHRISTUM facta est, quia dato Spiritus sui dono, & legem spiritualiter intelligi, & servari posse donavit, & eos qui servant in veram cælestis vitæ beatitudinem, quam terra repromissionis signabat, introducit. Quæ sit autem summa gratiæ & veritatis quæ per JESUM CHRISTUM facta est, Evangelista subdendo manifestat:

Lex per gratiam impletur.

Deut. 5. 21.

1. Cor. 10. 11.

DEUM NEMO VIDIT UMQUAM. UNIGENITUS QUI EST IN SINU PATRIS, IPSE E NARRAVIT. Nulla etenim gratia major hominibus dari, nulla veritas altior potest ab hominibus cognosci, quàm ea de qua unigenitus Dei Filius suis fidelibus narrans; *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; & de qua Patri supplicans ait: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum & unum Deum, & quem misis-*

Nulla gratia major visione divina.

Matth. 5. 8.

Joan. 17. 3.

ti JESUM CHRISTUM. Quæ nimirum beatissima perceptio gratiæ & veritatis quoniam in hujus sæculi vita fieri non potest, rectè dicitur: *Deum nemo vidit umquam*, id est nemo corruptibili adhuc & mortali carne circumdatus incircumscriptam divinitatis potest lucem contueri: unde manifestiùs dicit Apostolus: *Quem nemo vidit hominum, nec videre potest*. Nemo enim hominum dicitur, nemo humano adhuc habitu aggravatus, humana conversatione caducus. Hinc est enim quod Moyses qui Deum, quem in angelo videbat, in ipsa ejus natura videre desiderans, orabat: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi gloriam tuam*, audivit: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet*. Neque huic assertioni putandum est esse contrarium, quòd aliquotiens patriarchæ vel prophetæ Deum vidisse perhibentur. Apparuit enim Dominus Abrahæ in convalle Mambre. Et ait Jacob: *Vidi Dominum facie ad faciem* Item Isaias: *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*. Sed rectè intelligendum in cunctis hujusmodi visionibus homines sanctos Deum non per ipsam naturæ suæ speciem, sed per quasdam imagines esse contemplatos. Et viderunt ergo Sancti Deum per subjectam creaturam, verbi gratiâ, ignem, angelum, nubem, electrum: & tamen veraciter attestatur Johannes, quia *Deum nemo vidit umquam*. Veraciter dicitur Moysi: *Non enim videbit me homo, & vivet*: quia fragili adhuc vasculo carnis inclusi per circumscriptas rerum imagines videre possunt, quem per incircumscriptum æternitatis suæ lumen nequaquam valent intueri.

1. Joan. 4. 2. — Qua in præsenti vita nullus frui potest. — 1. Tim. 6. 16 — Exod. 33. 19. — Exod. 33. 20. — Genes. 32. 30. — Isa. 6. 1. — Prophetæ Deum qui viderint. — 1. Joan. 4. 12. — Exod. 33. 20.

Qua autem ratione ad visionem incommutabilis & æterni luminis pervenire debeat Evangelista consequenter exposuit dicens: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse narravit*. Cui simile est quod ipse Dominus ait: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Et alibi: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Ipsius quippe ducatu ad Patrem venire, ipsius magisterio Patrem & Filium, nec non & Spiritum-sanctum, unum Deum ac Dominum nosse debemus: quia nimirum ipse homo factus pro nobis in hominis habitu loquens nobis quid de sanctæ Trinitatis unitate rectè sentiendum, qualiter ad ejus contemplationem fidelibus properandum, quibus actibus ad hanc sit perveniendum, clara luce revelavit. Ipse sacramentis suæ Incarnationis nos imbuens, sui nos Spiritus carismatibus sanctificans, ut ad hanc venire valeamus adjuvat. Ipse peracto in hominis forma judicio novissimo, ad visionem nos divinæ majestatis sublimiter introducet, atque arcana nobis regni cælestis mirabiliter enarrabit.

Ad Dei visionem qua ratione pervenire possimus. — Joan. 14. 6. — Matth. 11. 27.

A

Sanè quod ait: *Qui est in sinu Patris*, in secreto Patris significat. Neque enim sinus Patris pueriliter est cogitandus in similitudinem nostri sinus quem habemus in vestibus; aut putandus est Deus, qui humanorum forma membrorum compaginatus non est, sic sedere quemadmodum nos: Sed quia sinus noster intus est, more nostro loquens scriptura, in sinu Patris esse dicit quem in secreto Patris, quò humanus intuitus pertingere non valet, semper manentem vult intelligi. Non tunc autem solum enarrabit Unigenitus Filius Deum, id est sanctæ & individuæ Trinitatis, quæ est unus Deus, gloriam manifestabit hominibus, cùm post universale judicium omnes pariter electos ad visionem claritatis ejus introducet. Sed & quotidie narrat, cùm singulis quibusque fidelibus perfectorum mox à carnis corruptione solutis implere cœpit quod promisit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Me ipsum, inquit, manifestabo dilectoribus meis, ut quem in sua cognovere mortalem, in mea jam natura Patri & Spiritui-sancto videre possint æqualem. Verùm hoc de apostolis, martyribus, confessoribus, ceterisque artioris ac perfectioris vitæ viris fieri credendum est; quorum unus certaminum suorum conscius non dubitavit de seipso testari, *Cupio dissolvi & cum Christo esse*. Ceterùm sunt plures in Ecclesia justi, qui post carnis solutionem continuò beata paradisi requie suscipiuntur, expectantes in magno gaudio, in magnis gaudentium choris, quando recepto corpore veniant & appareant ante faciem Dei. At verò nonnulli propter bona quidem opera ad electorum sortem præordinati, sed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exierunt, post mortem severè castigandi excipiuntur flammis ignis purgatorii, & vel usque ad diem judicii longa hujus examinatione à vitiorum sorde mundantur; vel certè prius amicorum fidelium precibus, eleemosynis, jejuniis, fletibus, hostiæ salutaris oblationibus absoluti pœnis, & ipsi ad beatorum perveniunt requiem: quibus tamen omnibus Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, Deum juxta modum suæ capacitatis cuique narrabit, cùm tempore resurrectionis benedictionem dederit, qui legem dedit, ut ambulantes de virtute fidei & spei in virtutem contemplationis videant Deum deorum in Syon, id est incommutabilis specula veritatis, cujus beneficiis & muneribus æternis laus & gratiarum actio in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sinus Patris quid. — B — Joan. 14. 21. — C — Phil. 1. 23. — D — Purgatorium. Suffragia pro defunctis. — E



HOMILIA III.

IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

Secundùm Matthæum.

Matth. I. 18. *In illo tempore. Cum esset desponsata mater* JESU *Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu-sancto.*

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

NATIVITATEM Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, qua æternus ante sæcula Dei Filius hominis ex tempore filius apparuit, Matthæus evangelista brevi quidem sermone, sed plena veritate describit, qui cum Patrum generationes ab Abraham usque ad Joseph virum MARIÆ perduxisset, omnesque communi humanæ creationis ordine genitos simul & generantes ostendisset, mox de ipso locuturus, quantum ejus generatio à ceteris distaret aperuit: quia videlicet ceteri per conjunctionem maris & feminæ solitam, ipse autem per Virginem, utpote Dei Filius, nasceretur in mundum. Et quidem decebat omnimodis, ut cùm Deus homo propter homines fieri vellet, non alia quàm Virgine matre nasceretur; cùm virginem generare contingeret, non alium quàm qui Deus esset filium procrearet.

Non decebat Deum nasci quàm ex Virgine matre.

CUM ESSET, inquit, DESPONSATA MATER EJUS MARIA JOSEPH, ANTEQUAM CONVENIRENT, INVENTA EST IN UTERO HABENS DE SPIRITU SANCTO. Quo hæc ordine, vel qua in civitate sit celebrata conceptio, Lucas evangelista sufficienter exponit: quod quia vestræ sanctitati constat esse notissimum, dicendum paucis de his quæ Matthæus scribit, notandumque in primis in eo verbo quod ait: *Antequam convenirent*, verbo conveniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum quæ præcedere solent tempus insinuatum, quando ea quæ prius sponsata fuerat esse conjux incipit. Ergo *antequam convenirent* dicit, antequàm nuptiarum solemnia ritè celebrarent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Si quidem memorato ordine postea convenerunt, quando Joseph ad præceptum angeli accepit conjugem suam, sed non concumbebant, quia sequitur *Et non cognoscebat eam.* Inventa est autem in utero habens à nullo alio quàm Joseph, qui licentia maritali futuræ uxoris pene omnia noverat, ideoque tumentem ejus uterum mox curioso deprehendit intuitu. Sequitur:

Conveniendi verbum quid significet.

JOSEPH AUTEM VIR EJUS CUM ESSET VIR JUSTUS, ET NOLLET EAM TRADUCERE, VOLUIT OCCULTE DIMITTERE EAM. Videns Joseph sponsam concepisse suam, quam bene noverat à nullo viro fuisse attactam, cùm esset justus & justè omnia vellet agere, optimum duxit, ut neque hoc aliis proderet, neque ipse eam acciperet uxorem, sed mutato occultè nuptiarum proposito, in conditione eam sponsæ manere pateretur ut erat: nam & in Isaïa legerat virginem de domo David concepturam & parituram Dominum, de qua etiam domo noverat genus duxisse MARIAM, atque ideo non discredebat in ea prophetiam hanc fuisse complendam; sed si eam occultè dimitteret, neque acciperet conjugem, & illa sponsa pareret, nimirum perpauci essent qui eam Virginem & non potius autumarent esse meretricem. Unde consilium Joseph repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam MARIÆ famam, ipse eam, celebrato nuptiarum convivio, conjugem acciperet; sed castam perpetuò custodiret. Maluit namque Dominus aliquos modum suæ generationis ignorare, quàm suæ castitatem infamare genitricis. Nam sequitur.

Joseph cur Mariam dimittere voluerit.

HÆC AUTEM EO COGITANTE, ECCE ANGELUS DOMINI IN SOMNIS APPARUIT EI DICENS: JOSEPH, FILI DAVID, NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONJUGEM TUAM. QUOD ENIM IN EA NATUM EST, DE SPIRITU SANCTO EST. PARIET AUTEM FILIUM, ET VOCABIS NOMEN EJUS JESUM. IPSE ENIM SALVUM FACIET POPULUM SUUM A PECCATIS EORUM. Quibus profectò verbis modus conceptionis simul & dignitas partus edocetur: quia videlicet de Spiritu-sancto concepit, & paritura sit Christum: quem etsi aperta voce angelus Christum non appellat, in eo tamen quod ethymologiam nominis JESU exponens, ipsum salutis ostendit auctorem populique salvatorem, cùm populum ejus nuncupat, manifesta ratione quia sit Christus significat, ut per hæc & quæ nescierat discat Joseph, & à contactu Dei genitricis funditus mentem amoveat. Quam tamen dispensatione justæ necessitatis accipere jubetur solo de nomine conjugem, ne videlicet quasi adultera lapidaretur à Judæis, & ut in Ægyptum fugiens haberet solatium masculi, qui familiari cura, & tutor fœmineæ fragilitatis, & testis esset ejus perpetuæ virginitatis. Produnt catholici expositores & alias causas quare Dei genitricem Joseph accipere debuerit conjugem, quas in suis qui vult inveniet locis. Adhibet autem Evangelista par-

Cur eam conjugem accipere debuerit.

tui virginali etiam prophetici sermonis exemplum, ut tantæ miraculum majestatis eò certiùs crederetur, quò hoc non solùm ipse factum prædicaret, sed etiam à Propheta prædictum recoleret. Nam & huic Evangelistæ, id est Matthæo moris est omnia quæ narrat etiam propheticis affirmare testimoniis: Scripsit namque evangelium suum ob eorum vel maximè causam qui ex Judæis crediderant, nec tamen à legis cerimoniis, quamvis renati in Christo, valebant evelli; & propterea satagebat eos à carnali legis & prophetarum sensu ad spiritualem, qui de Christo est, erigere: quatinus sacramenta fideî Christianæ tantò securiùs perciperent, B quantò hæc non alia esse quàm quæ prophetæ
Isa. 7. 14. prædixerant agnoscerent. *Ecce Virgo*, inquit, *in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum Nobiscum Deus.* Nomen Salvatoris, quod Nobiscum Deus à Propheta vocatur, utramque naturam unius personæ ipsius significat. Qui enim ante tempora natus ex Patre Deus est; ipse in plenitudine temporum Emmanuel, id est Nobiscum Deus in utero matris factus est: quia nostræ fragilitatem naturæ in unitatem suæ personæ suscipere dignatus est, quando Verbum caro factum est & habitavit in nobis: mirum videlicet in modum incipiens esse quod nos sumus, C & non desinens esse quod erat: sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse non perderet.

EXSURGENS AUTEM JOSEPH A SOMNO, FECIT SICUT PRÆCEPIT EI ANGELUS DOMINI, ET ACCEPIT CONJUGEM SUAM, ET NON COGNOSCEBAT EAM. Accepit eam ad nomen conjugis ob causas quas prædiximus; & non cognoscebat eam ad opus conjugale ob arcana quæ didicerat. Quod si quis huic nostræ expositioni obsistere, & contendere voluerit, beatam Dei genitricem numquam à Joseph celebratis nuptiis in nomen conjugis assumtam, D exponat ipse melius hunc sancti Evangelii locum, pariterque ostendat licitum fuisse apud Judæos, ut sponsæ suæ quisque carnali copula misceretur, & sano ejus intellectui libenter cedimus: tantùm ne erga Matrem Domini quicquam gestum, quod publica opinio possit infamare, credamus. Quod verò additur, *Donec peperit Filium suum primogenitum*, nemo ita intelligendum putet, quasi post natum Filium
[a] eam cognoverit, ut [a] quidam perversè opinantur. Scire enim debet vestra fraternitas, quia fuere hæretici qui propter hoc quod dictum est, *Non cognoscebat eam donec peperit Filium*, E crederent MARIAM post natum Dominum cognitam esse à Joseph, & inde ortos eos quos fratres Domini Scriptura appellat, assumentes & hoc in adjutorium sui erroris, quod primogenitus nuncupatur Dominus. Avertat Deus hanc blasphemiam à fide omnium nostrûm, donec-
[b] que nobis catholica pietate intelligere [b] parentes nostri Salvatoris intemerata semper fuisse virginitate præclaros, & non filios, sed cog-

natos eorum fratres Domini consueto scripturarum more nuncupari, sed ob id Evangelistam an post natum ei Filium eam cognoverit dicere non curasse, quia nulli hoc ambigendum putaverit. Et revera nulli ambigendum est quòd justi conjuges, quibus in virginitatis castimonia permanentibus Dei Filium nasci singulari gratia datum est, nullatenus ex eo castitatis jura temerare, & templum Dei sacrosanctum suæ semine corruptionis attaminare potuerint. Notandum quoque est, quòd primogeniti non juxta hæreticorum opinationem soli sint quos fratres sequuntur alii, sed juxta auctoritatem scripturarum omnes qui primi vulvam aperiunt, sive fratres eos aliqui, seu nulli sequantur. Attamen Dominus speciali ratione potest primogenitus dictus intelligi, juxta hoc quod in Apocalypsi dicit de illo Johannes: *qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.* Apoc. 1. 5. Et apostolus Paulus: *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8. 29. Primogenitus quippe mortuorum vocatur, quia post multos licèt fratres incarnatus, primus omnium surrexit à mortuis, & viam de morte credentibus vitæ cælestis aperuit. Primogenitus est in multis fratribus, quia quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, quorum rectè primogenitus appellatur, quia omnes adoptionis filios, etiam illos qui Incarnationis ejus tempora nascendo præcesserunt, dignitate prægreditur. Si quidem illi possunt cum Johanne veracissimè testari, quia qui post nos venit, ante nos factus est, id est post nos quidem in mundo genitus, sed merito virtutis & regni primogenitus omnium nostrûm jure vocatus. Qui & in ipsa divina nativitate non inconvenienter potest primogenitus dici, quia priusquam creaturam faciendo gigneret aliquam, coæternum sibi Pater æternus genuit Filium; priusquam verbo veritatis adoptionis sibi filios redimendo gigneret aliquos, coæternum sibi Pater æternus genuit Verbum: unde ipsum Verbum, ipse Dei Filius, videlicet Virtus & Sapientia loquitur: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Eccli. 24. 5 Peperit ergo MARIA Filium suum primogenitum, id est suæ substantiæ filium: peperit eum qui & ante omnem creaturam Deus de Deo natus erat, & in ea qua creatus est humanitate omnem merito creaturam præibat.

Fratres Domini ejus cognati.

Primogeniti qui dicendi.

Christus quomodo primogenitus mortuorum.

ET VOCABIS, inquit, NOMEN EJUS JESUM. JESUS hebraïcè, latinè Salutaris sive Salvator dicitur: cujus vocationem nominis prophetis liquet esse certissimam: unde sunt illa magno visionis ejus desiderio cantata: *Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur in salutari ejus.* Ps. 34. 9. *Defecit in Salutari tuo anima mea.* Psal. 118. 81. *Ego autem in Domino gloriabor. Gaudebo in Deo Jesu meo.* Abac 3. 18. Et maximè illud: *Deus in nomine tuo salvum me fac*, Psal. 53. 3. ac si diceret: nominis tui gloriam qui Salvator vocaris, in me salvando clarifica. JESUS ergo no-

[a] Nimirum Helvidius, quem ex professo refutavit S. Hieronymus.

[b] Hoc est Maria & Joseph. Quo ex loco colligere licet jam ante tempora Bedæ in ea Latinos fuisse opinione ut crederent S. Josephum perpetuam servasse virginitatem. Videsis homil. 6.

men est Filii qui ex Virgine natus est, Angelo exponente, significans quòd ipse salvet populum à peccatis eorum. Qui autem salvat à peccatis idem utique à corruptionibus mentis & corporis, quæ ob peccata contigerunt, salvabit. Christus verò vocabulum est sacerdotalis vel regiæ dignitatis. Nam & sacerdotes ac reges in lege à carismate, id est unctione olei sancti appellabantur christi: significantes eum qui verus rex & pontifex apparens in mundo unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis. A qua unctione, id est carismate, ipse Christus; & ejusdem unctionis, id est gratiæ spiritualis participes sunt christiani vocati. Qui per id quòd Salvator est, nos salvare à peccatis; per id quòd Pontifex est, nos reconciliare Deo Patri; per id quòd Rex est, regnum nobis Patris sui dare dignetur æternum JESUS CHRISTUS Dominus noster, qui cum Patre & Spiritusancto vivit & regnat Deus per omnia secula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

POST THEOPHANIA.

Secundùm Johannem.

Joan. I. 43. *In illo tempore. Voluit* JESUS *exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit illi* JESUS *: Sequere me.*

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

AUDIVIMUS ex lectione evangelii, fratres carissimi, benignam Redemtoris nostri gratiam, quia non solùm nos misericorditer ad se sequendum vocare, sed & venientes gratè suscipere, atque ad cognoscendam divinitatis suæ claritatem piè consuevit provehere. Audivimus devotam discipulorum fidem, caritatem & operationem, quibus nimirum tribus vitæ cælestis virtutibus tota præsentis Ecclesiæ perfectio consistit, quia & sine fide impossibile est placere Deo, & fides sine operibus otiosa est; & quibuslibet quis sit præditus virtutibus, quantalibet fide profecerit, si caritatem non habuerit, nihil illi prodest. Quod enim vocantem se JESUM Philippus non tantùm ipse sequitur, verùm etiam Nathanaëli sequendum prædicat, fides profectò est quæ per dilectionem operatur: fides videlicet, quia in JESUM credere non distulit, quem Christum esse cognovit: opus autem dilectionis, quia quantùm diligeret quem cognovit, mox sequendo patefecit: quantum etiam proximi amore flagraret, eidem evangelizando perdocuit. (Philippi fides & dilectio.) Ipse quoque proximus ejus Nathanaël quantùm curæ ac dilectionis erga magistrum veritatis haberet ostendit. Ad quem mox vocatus venire non tardavit, quantum ejus magnitudinem fidei perfectione caperet intimavit: quem continuò Filium Dei & Regem Israël, id est Christum aperta voce confessus est. Verùm quia ista breviter prælibavimus, libet ab exordio repetentes totam evangelicæ lectionis seriem latiùs scrutando percurrere.

VOLUIT JESUS, inquit, EXIRE IN GALILÆAM, ET INVENIT PHILIPPUM, ET DICIT EI: SEQUERE ME. Jam patet ex superioribus unde voluerit JESUS exire in Galilæam, videlicet à Judæa, ubi erat Johannes baptizans, & testimonium illi perhibens quòd esset Agnus Dei. Duos ex discipulis suis ad eum sequendum provocavit, è quibus unus Andreas ad illum etiam fratrem Petrum adduxit. Patet juxta sensum spiritualem, & crebra expositione vestræ fraternitati jam cognitum est quid sit Dominum sequi. Sequitur namque Dominum, qui imitatur: sequitur Dominum, qui quantùm fragilitas humana patitur ea quæ in homine monstravit Filius Dei, humilitatis exempla non deserit: sequitur, qui socius passionum existendo, ad consortium resurrectionis ejus & ascensionis pertingere sedulus exoptat. (Sequi Dominum quis dicendus.) Sed non sine certi ratione mysterii refertur quod dicturus Philippo JESUS *Sequere me*, voluit exire in Galilæam. Galilæa namque Transmigratio facta dicitur, profectum fidelium designans, quò vel de vitiis ad virtutum celsitudinem transmigrare, vel in ipsius virtutibus paulatim proficere, ac de minoribus ad majora quotidie subire contendunt, quo usque de hac valle lacrymarum ad arcem lætitiæ cælestis Domino auxiliante perveniant. In eo autem quod revelationem sonat, ipsam vitæ æternæ beatudinem, pro qua in præsenti laborant insinuans, cujus utramque interpretationem nominis Psalmista uno versiculo comprehendit, ubi ait: *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Syon.* (Psal. 83. 8.) Hæc namque visio de qua dicit Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam tamquam à Domini Spiritu.* (2. Cor. 3. 18.) Bene ergo vocaturus ad sequendum se discipulum voluit exire in Galilæam, id est in transmigrationem factam sive revelationem, ut videlicet sicut ipse, teste evangelio

proficiebat ætate & sapientia & gratia apud A Deum & homines, sicut passus est & resurrexit, & ita intravit in gloriam suam; sic etiam suos sequaces ostenderet proficere virtutibus, ac per passiones transitorias ad æternorum dona gaudiorum transmigrare debere.

ERAT AUTEM PHILIPPUS A BETHSAIDA CIVITATE ANDREÆ ET PETRI. Non est putandus Evangelista fortuitu & absque ratione mystica nomen civitatis de qua esset Philippus, & quod eadem Andreæ quoque & Petri esset voluisse monstrare: sed per nomen civitatis typicè qualis tunc animo Philippus, qualis officio esset futurus, qualis etiam Petrus & Andreas ostenderet curasse. Bethsaïda quippe Domus venatorum dicitur, & venatores utique erant qui audiebant à Domino: *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum:* Venator & ille qui & antequam ad prædicationis officium ordinaretur à Domino, quantùm capiendis ad vitam animabus esset intentus, mox sponte prædicando monstravit. Invenit enim Nathanaël, & dicit ei: *Quem scripsit Moyses in lege & propheta invenimus Jesum à Nazareth.* Videamus quantum rete fidei, quàm capacibus devotæ prædicationis maculis intextum invento fratri circumdet: quem ad æternam cupit C providus captare salutem. Illum dicit inventum quem Moyses & prophetæ venturum suis scriptis signaverint, ut eo cunctis sequentibus intelligatur, quòd ipse sit cujus adventui præconando universa veterum scripta servierint. Ideo nuncupat, quod nomen Christi futurum prophetarum oracula concinebant. Dicit namque Abacuc per gratiam ejus salvari desiderans, *Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo* JESU *meo.* Sed & Zacharias tentationis in qua diabolum vicit mentionem faciens, *& ostendit*, inquit, *mihi* JESUM *sacerdotem magnum, & stabat coram angelo Domini, & satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei.* Item Jacob patriarcha mysterium Incarnationis ejus à longè salutans, & expectans, *Salutare tuum*, inquit, *expectabo Domine.* Quod enim hebraïcè JESU, latinè dicitur Salutaris sive Salvator. Item Psalmista æternam ejus visionem fidelium populo promittens, dicit ex persona Dei Patris: *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi Salutare meum.* Symeon quoque venerabilis ille senex ac novi testamenti Propheta, cùm eum parvum corpore in manibus acciperet, sed magnum divinitate mente sentiret, eodem Spiritu instructus, ita gratias egit: *Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei Salutare tuum.* Filium Joseph appellat, non ut hunc ex conjunctione maris & feminæ natum asseveret, quem de Virgine nasciturum in prophetis didicerat; sed de domo ac familia David unde noverat Joseph ortum, secundùm vaticinia prophetarum eum venisse doceret. Neque enim mirandum si Philippus eum filium Joseph quem intemeratæ genitricis illius virum noverat vocet; cùm ipsa genitrix intemerata semper Virgo consuetudinem vulgi sequens, sic locuta legatur: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Addit & patriam à Nazareth, ut ipsum esse signaret, de quo legerant in prophetis quoniam Nazaræus vocabitur. Non ergo mirum si mox ad consensum credendi ac veniendi ad Christum captavit Philippus Nathanaël, cui tantos undique veritatis casses prætendit, *quem scripsit Moyses in lege, & propheta, invenimus* JESUM *filium Joseph à Nazareth.* Neque immeritò Bethsaïda, id est Domo venatorum oriundus asseritur, qui tantam Deo dilectæ venationis curam pariter & gratiam accepisse B monstratur. Nam sequitur,

Apostoli venatores. — *Matth. 4. 18.* — *Christi nomen propheticis oraculis prædictum.* — *Abac. 3. 18.* — *Zach. 3. 1.* — *Gen. 48. 19.* — *Psal. 90.* — *Luc. 2. 30.* — *Luc. 2. 48.* — *Cant. 2. 1.*

ET DIXIT EI NATHANAEL: A NAZARETH POTEST ALIQUID BONI ESSE. Nazareth Munditiæ, sive Flos ejus, aut Separata interpretatur. Annuens ergo verbis evangelizantis sibi Philippi Nathanaël, [a] *A Nazareth*, inquit, *potest aliquid boni esse.* Ac si apertè dicat: Potest fieri ut à civitate tanti nominis aliquid summæ gratiæ nobis oriatur. Vel ipse videlicet mundi Salvator Dominus qui singulariter sanctus est, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, quique loquitur in Canticis canticorum, *Ego flos campi & lilium convallium*; & de quo propheta, *exiet*, inquit, *virga de radice Jesse, & Nazaræus*, id est flos de radice ejus, *ascendet*, vel certè aliquis doctor eximius, qui florem nobis virtutum munditiamque sanctitatis prædicare sit missus. Possumus hunc locum & ita rectè intelligere, quod dicente Philippo, *quem scripsit Moyses in lege & propheta invenimus* JESUM *filium Joseph à Nazareth*, Nathanaël bene intellexerit, miratus sit autem quomodo à Nazareth Christum venisse dixerit, quem de domo David & de Bethleem civitate, ubi erat David, venturum prophetæ canebant; ideoque D admirando responderit *à Nazareth*; sed continuò reminiscens quantùm etiam vocabulum Nazareth mysteriis Christi congrueret, cautè assenserit prædicanti, *potest*, inquit, *aliquid boni esse*: Utrique sensui potest convenire quod sequitur:

Isa. 11. 1.

DICIT EI PHILIPPUS: VENI ET VIDE. Ipsum namque venire & videre monebat, ut si quid ei ad verba prædicantis ambigui in corde resedisset, totum hoc visio & allocutio præsens ejus quem prædicabat abstergeret. Nec distulit pius auditor prædicatum sibi lumen veritatis sollicitè quærendo ac piè pulsando, ut percipere E mereretur insistere: unde mox Dominus satiare in bonis desiderium ejus accelerans, salutaria ejus cœpta provida laudatione remunerat, ut hunc paulatim ad altiora quærenda simul & capienda provehat.

VIDIT NAMQUE EUM VENIENTEM AD SE, ET DIXIT DE EO: ECCE VERE ISRAELITA IN QUO DOLUS NON EST. Ubi notandum quòd laudans hominem qui novit corda Deus, non eum absque peccato, sed absque dolo extitisse confirmat. Non est enim homo justus in terra

Nemo hic sine peccato.

[a] Hæc verba *à Nazareth potest aliquid boni esse* non modo interrogativo, sed affirmativo modo à Nathanaël prolata hic intelligit Beda.

qui faciat bonum & non peccet: multi autem sine dolo incessisse, id est simplici & mundo corde conversati esse leguntur: immo cuncti fideles taliter vivere docentur, dicente scriptura,
Sap. 1. 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Et ipse Dominus, *Estote*, inquit,
Matth. 10. 16. *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Talis erat exemplar patientiæ Job, de quo scriptum est:
Job. 1. 1. *Erat autem vir ille simplex & rectus.* Talis Jacob Patriarcha de quo dictum est:
Gen. 25. 27. *Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis:* qui quoniam puritate conscientiæ simplicis Deum videre meruit, etiam Israël, id est Vir videns Deum appellatus est. Talis iste Nathanaël quem Dominus ob parilitatem innoxiæ conversationis, ejusdem patriarchæ meritis simul & nomine dignum ducit, *Ecce*, inquiens, *vere*
Joan. 1. 47 *Israëlita, in quo dolus non est.* Ecce qui verè à Patriarcha Deum videnti genus ducit, cui sicut & ipsi patriarchæ doli duplicitas nulla inesse probatur. O quam pulchrum auspicium venienti ad Deum & videre illum cupienti!
Math. 5. 8. *Ecce verè Israëlita in quo dolus non est. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et hic videre Deum desiderans, non ab alio, sed ab ipso qui scrutatur renes & corda Deo, mundus corde laudatur & Israëlita, hoc est à viro Deum vidente generatus astruitur. O quàm magna nobis quoque, qui de gentibus ad fidem venimus, in hac sententia nostri Redemtoris spes aperitur salutis! Si enim verè Israëlita est qui doli nescius incedit, jam perdidere Judæi nomen Israëlitarum, quamvis carnaliter nati de Israël quotquot doloso corde à simplicitate patriarchæ sui degeneraverunt, & asciti sumus ipsi in semen Israëlitarum, qui quamlibet aliis de nationibus genus carnis habentes, fide tamen veritatis & munditia mentis ac corporis vestigia sequimur Israël juxta illud Apostoli:
Rom. 9. 6. *Non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israëlitæ. Neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen*, id est non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt repromissionis æstimantur in semine. Sequitur:

Judæi nomen Israëlitæ perdiderunt.

DICIT EI NATHANAEL: UNDE ME NOSTI? RESPONDIT JESUS ET DIXIT EI, PRIUSQUAM TE PHILIPPUS VOCARET CUM ESSES SUB FICU, VIDI TE. RESPONDIT EI NATHANAEL, ET AIT: RABBI, TU ES FILIUS DEI, TU ES REX ISRAEL. Quia cognovit Nathanaël vidisse & nosse Dominum quæ alio in loco gererentur, id est quomodo & ubi vocatus sit à Philippo, cùm ipse ibi corporaliter non esset, divinæ hic majestatis intuitum considerans, protinus eum non solùm Rabbi, id est magistrum, sed & Filium Dei ac Regem Israël, id est Christum confessus est. Et libet intueri quàm prudens laudanti Domino confessio respondet servi. Ille verè hunc Israëlitam, id est virum qui Deum videre posset, eò quòd dolum minimè habet, astruxit: iste eum non magistrum tantummodo qui utilia præciperet, verùm etiam Filium Dei qui cælestia dona tribueret, & Regem Israël, id est populi Deum videntis religiosa devotione fatetur, ut hac A confessione suum quoque hunc Regem, & se ejus regni militem significet. Potest autem hæc Domini sententia, qua dixit se Nathanaël, priusquam vocaretur à Philippo cùm esset sub ficu, vidisse, super electionem spiritualis Israël, id est populi Christiani mysticè intelligi, quem Dominus necdum se videntem, necdum per apostolos ejus ad fidei gratiam vocatum, sed sub tegmine adhuc peccati prementis abditum misericorditer videre dignatus est, Paulo attestante qui ait:
Eph. 1. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate.* Et B quidem fici arbor aliquando in scripturis dulcedinem supernæ dilectionis insinuat, unde scriptum est:
Prov. 27. 18. *Qui servat ficum, comedit fructum ejus; & qui custos est Domini sui, glorificabitur;* sed quia primi parentes nostri reatu prævaricationis confusi, de fici sibi foliis succinctoria fecerunt, potest arbor fici non incongruè malè dulcoratam generi humano consuetudinem peccandi signare, sub qua positos electos suos adhuc, sed necdum electionis suæ gratiam cognoscentes, quasi sub ficu constitutum, nec se jam videntem Dominus videt Nathanael. Novit enim Dominus qui sunt ejus: quorum salva- C tioni ipsum quoque nomen Nathanael aptissimè convenit. Nathanaël namque donum Dei interpretatur, & nisi dono Dei quisque vocatus, numquam reatum primæ transgressionis, numquam malè blandientia algescentium quotidie peccatorum umbracula evadit, numquam salvandus venire meretur ad Christum: unde dicit Apostolus:
Eph. 1. 15 *Gratia enim salvati estis per fidem.* Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Sequitur:

Dono Dei vocamur ad gratiam.

RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EI: QUIA DIXI TIBI: VIDI TE SUB FICU, CREDIS. D MAJUS HIS VIDEBIS. Quid sit majus de quo dicit, ipse subsequenter aperit, futuram credentibus spondendo apertionem regni cælestis, & prædicandam mundo utramque unius suæ naturam personæ, quod revera multò excellentius est arcanum, quàm quod nos in peccati adhuc umbra positos à se illuminandos prævidit. Majus est enim quod nos salvatos gratia suæ cognitionis imbuit, quod cæli nobis gaudia pandit, quod prædicatores suæ fidei in mundo dispersit, quàm quod nos salvandos potentia suæ majestatis ante sæcula præscivit.

AMEN AMEN, inquit, DICO VOBIS, VIDE- E BITIS CÆLUM APERTUM ET ANGELOS DEI ASCENDENTES ET DESCENDENTES SUPRA FILIUM HOMINIS. Jam completum cernimus promissi hujus effectum: vidimus etenim cælum apertum, quia postquam cælum Deus homo penetravit, etiam nobis in nomine ejus credentibus supernæ patriæ patefactum cognoscimus ingressum. Videmus angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis, quia prædicatores sanctos novimus sublimitatem divinitatis Christi simul & humanitatis ejus infirma nuntiare. Ascendunt supra Filium hominis

hominis angeli, cùm docent doctores quia *in* A
Johan. 1. 1. *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Descendunt super Filium hominis angeli, cùm adjungunt iidem quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Nequeimmerito prædicatores sancti typicè angeli vocantur, quibus consuetè derivatum ab angelis nomen evangelistarum conceditur, ut sicut hi nuntii, ita & illi propter idem summæ prædicationis officium boni nuntii cognominentur. Et notandum quod Dominus seipsum Filium hominis nuncupat, Nathanaël eumdem Filium Dei prædicat. Cui simile est quod apud alios evangelistas ipse discipulos interrogat, B quem eum dicant esse homines Filium hominis; respondítque Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et quidem justo dispensationis moderamine actum est, ut cùm utraque ejusdem mediatoris Dei & Domini nostri vel ab ipso Domino, vel ab homine puro esset commemoranda substantia, Deus homo fragilitatem assumtæ à se humanitatis, purus homo virtutem æternæ in eo divinitatis astrueret; ipse suam humilitatem, ille ejus fateretur altitudinem. Notandum etiam quòd Dominus qui beatum Nathanaël verè Israëlitam nuncupat, in hoc quoque verbo quod ait: *Videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis*, visionem Jacob patriarchæ qui per benedictionem vocatus est Israël ad memoriam reducit. Is namque cùm volens in quodam loco requiescere lapidem capiti suo subposuisset, vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac; surgensque mane, & debito cum pavore laudes Domino reddens, tulit lapidem ipsum, & erexit in titulum fundens oleum desuper. Hujus ergo loci Dominus facit mentionem, & de se ac suis fidelibus figuratum manifestissimè testatur. Scala quippe quam vidit, Ecclesia est, nativitatem de terra, sed conversationem habens in cælis, per quam ascendunt & descendunt angeli, cùm evangelistæ nunc perfectis auditoribus supereminentia divinitatis ejus arcana, nunc rudibus adhuc humanitatis ejus infirma denuntiant. Vel certè ascendunt cùm ipsi ad cælestia contemplanda mente transeunt. Descendunt verò cùm auditores suos qualiter in terris vivere debeant instruunt. Lapis sub capite Jacob Dominus est, in quo tantò magis omni intentione debemus inniti, quantò nobis certum liquet, quia sine ipso nihil facere possumus. Unxit lapidem Jacob & erexit in titulum, quia verus Israëlita intelligit Redemtorem nostrum unctum à Patre oleo lætitiæ præ consortibus suis: à qua unctione, id est chrismate Christus nomen accipit, cujus mysterium Incarnationis nostræ profectò est titulus Redemtionis. Et bene cùm lapis in terra ungitur atque in titulum erigitur, Dominus, in cælo revelatur, quia nimirum ipse in tempore apparuit inter homines homo, qui æternus permanet apud Patrem Deus: qui morte devicta ascendit super cælos cælorum ad orientem, ipse in titulum nostræ salvationis manet nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, corpus quidem assumtum de terra cælo transferens, sed præsentia divinitatis terram pariter complectens & cælos. Igitur Dominus veterem nobis exponens historiam in Israël simplicitatem populi fidelis, cujus membrum erat Nathanaël, figuratam demonstrat; in lapide super quem angeli ascendebant & descendebant, se significatum revelat, cujus utramque naturam vicissim magistri spirituales annuntiant. Nam quasi lapidem ungit Israël oleo, cùm confitetur Nathanaël quomodo unxit JESUM Deus Spiritu-sancto & virtute dicens: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël.* Patet jam exposita lectione sancti evangelii, fratres mei, quod non sine ratione magni mysterii in capite ipsius prædictum sit, quia voluerit JESUS exire in Galilæam, ac deinde subjunctum quomodo vel Philippum ipse vocaverit, vel vocatum ab eo Nathanaël susceperit, ac luce veritatis instruxerit. Galilæa namque, ut diximus, Transfiguratio facta vel Revelatio interpretatur. Et rectè in Galilæam D voluisse exire dictus est, cùm sacramenta suæ majestatis fidelibus revelare dignatus est: ad quorum perfectam cognitionem, quæ est sola hominis vita beata, tantò tunc sublimiùs ascendemus, quantò nunc instantius de terrenis ad cælestia transmigrare, ac per gradus virtutum proficere curamus, adjuvante ipso qui bonorum desideria ascendere, provehere, & coronare consuevit, JESU CHRISTO Domino nostro, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Christus cur seipsum Filium hominis; Nathanaël Filium Dei appellet.

Matth. 16. 16.

Joan 1. 51.

Scala Jacob Ecclesiæ figura.

Joan. 1. 49.



HOMILIA V.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ SABBATO

Secundùm Johannem.

Joan. 8. 1. *In illo tempore perrexit* Jesus *in montem Oliveti, & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.*

Homilia Venerabilis Bedæ presbyteri.

PRÆSENTEM sancti Evangelii lectionem tantò intentiùs considerare, fratres carissimi, debemus ac semper reminisci, quantò maximam nobis commendat gratiam nostri Conditoris. Ecce enim, ut audivimus, oblatam sibi ab impiis accusatoribus mulierem peccatricem, non juxta legis præceptum lapidare, sed ipsos accusatores primò semetipsos considerare, & sic in peccantem sententiam dare præcepit, ut ex consideratione propriæ fragilitatis, qualiter aliis misereri debuissent, agnoscerent. Sed quia moris esse solet scripturarum, ut aliquando à statu temporis, aliquando à statu loci, aliquando ab utroque qualia sint post narranda significent, relaturus evangelista temperatam legis districtionem misericordia Redemtoris; præmisit, quia Jesus perrexit in montem Oliveti, & diluculo iterum venit in templum. Mons quippe Oliveti sublimitatem Dominicæ pietatis & misericordiæ designat, quia græcè oleós misericordia, olivetum vocatur oleon, & ipsa unctio olei fessis ac dolentibus membris solet afferre levamen. Sed & hoc quod oleum & virtute ac puritate præeminet, & quemcumque ei liquorem superfundere volueris, confestim hunc transcendere eique superferri consuevit, gratiam misericordiæ cælestis non inconvenienter insinuat, de qua scriptum est: *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* (Psal. 144. 9.) Tempus quoque diluculi exortum ejusdem gratiæ, qua remota legis umbra lux evangelicæ veritatis erat revelanda demonstrat. Pergit ergo Jesus in montem Oliveti, ut arcem misericordiæ in se constare denuntiet: Venit iterum diluculo in templum, ut eamdem misericordiam cum incipiente novi testamenti lumine fidelibus, templo videlicet suo pandendam præbendamque significet.

Et omnis, inquit, populus venit ad eum, et sedens docebat eos. Sessio Domini humilitatem Incarnationis ejus, pro qua nobis misereri dignatus est, insinuat: unde etiam nobis præcipitur: *Surgite postquam sederitis*, (Psal. 126. 2.) ac si apertè dicatur: non ante sed posteaquam vera vos humilitate castigaveritis, præmium supernæ exaltationis vos accepturos

A sperate. Bene autem dicitur, quia cùm sedens doceret Jesus, omnis populus venit ad eum: quia postquam humilitate suæ Incarnationis proximus hominum factus est, libentiùs est à multis ejus sermo receptus: à multis, inquam, est ejus sermo receptus: namque à pluribus est superba impietate contemtus. Audierunt namque mansueti & lætati sunt, magnificantes Dominum cum Psalmista, & exaltantes nomen ejus ad invicem. Audierunt invidi, & dissoluti sunt, nec compuncti sunt; tentaverunt eum & deriserunt, derisum striderunt in eum dentibus suis. Denique tentantes adduxerunt

B mulierem in adulterio deprehensam, interrogantes quid de ea fieri juberet: quoniam Moyses talem lapidare mandaverit, ut si & ipse hanc lapidandam decerneret, deriderent eum quasi misericordiæ, quam semper doceret, oblitum: si lapidari vetaret, striderent in eum dentibus suis, & quasi fautorem scelerum [a] legisque contrarium velut merito damnarent. Sed absit ut terrena stultitia quid diceret inveniret; & cælesti Sapientiæ quid responderet deficeret. Absit ut impietas cæca Soli justitiæ ne mundo luceret obsisteret.

Jesus autem inclinans se deorsum,

C digito scribebat in terra. Per inclinationem Jesu humilitas, per digitum qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur: porro per terram cor humanum, quod vel bonarum vel actionum malarum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus judicare de peccatrice, non statim dat judicium, sed prius inclinans se deorsum digito scribit in terra, ac sic demum quia obnixè rogatur judicat: nos videlicet, nos typicè instituens, ut cùm quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc antea reprehen- (Errata proximi non statim judicanda.)

D dendo judicemus, quàm ad conscientiam nostram humiliter reversi digito eam discretionis solerter exsculpamus, & quid in ea Conditori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus, juxta illud Apostoli, *Fratres etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis* [b] *ejus, considerans te ipsum ne & tu tenteris.* (Gal. 6. 1.)

[a] Forte legit Beda *legique contrarium.*

[b] Vox *ejus* neque in Vulgata editione neque in textu græco legitur.

Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat: quia hinc & inde Domino Scribæ & Pharisæi tendebant laqueos insidiarum, putantes eum [a] vel immisericordem futurum in judicando, vel injustum: prævidens ille dolos, quasi fila transit araneæ, & judicium justitiæ per omnia, & mansuetudinem pietatis ostendens: completumque est in eis illud Psalmistæ quod diximus, quia *dissoluti sunt, nec compuncti sunt.* Dissoluti sunt namque ne Dominum insidiis concluderent; nec compuncti sunt, ut eum dilectionis sequerentur officiis. Vis enim audire temperantiam miserendi? *qui sine peccato est vestrum.* Vis iterum audire justitiam judicandi? *primus in illam lapidem mittat.* Si Moyses, inquit, mandavit vobis mulierem hujusmodi lapidare, videte quia non hoc peccatores, sed justos facere præcepit. Primò vos ipsi justitiam legis implete, & sic innocentes manibus & mundo corde ad lapidandam ream concurrite. Primò spiritualia legis edicta, fidem, misericordiam, & caritatem perficite; & sic ad carnalia judicanda divertite.

Psal. 34. 16.

Dato autem judicio Dominus iterum se inclinans scribebat in terra. Et quidem juxta morem consuetudinis humanæ potest intelligi quòd ideo Dominus coram tentatoribus improbis inclinari & scribere in terra voluerit, ut aliò vultum intendens, liberum eis daret exire arbitrium: quos sua responsione percussos citiùs exituros, quàm plura interrogaturos esse prævidebat.

Denique audientes unus post unum exibant incipientes a senioribus. Sed figuratè nos ammonet in eo quid ante datam & post datam sententiam inclinans se scribit in terra, & ut priusquam peccantem proximum corripiamus, & postquam debitæ castigationis illi ministerium reddiderimus, nosipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne fortè aut eisdem quæ in ipsis reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti. Evenit enim sæpe, ut qui, verbi gratiâ, homicidam publicè peccantem judicant, pejus odiorum malum quo ipsi in secreto depopulantur non sentiant: qui fornicatorem accusant, pestem superbiæ, qua ipsi de sua castitate extolluntur, ignorent: qui ebriosum condemnent; virus invidiæ quo exeduntur ipsi non videant. Quid ergo nobis in hujusmodi periculis remedii, quid restat salutis? nisi ut cùm peccantem conspicimus alium, mox inclinemur deorsum, id est quàm dejecti ex nostræ conditione fragilitatis simus, si non nos divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus. Digito scribamus in terra, id est discrimine solerti pensemus, an cum beato Job dicere possimus, *neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita nostra*; & meminerimus seduli, quia si reprehenderit nos cor nostrum; major est Deus corde nostro, & novit omnia. Possumus autem & ita rectè intelligere, quòd veniam peccatrici daturus, digito Dominus in terra scribere voluerit, ut ipsum se esse monstraret, qui legis decalogum suo digito, idest Spiritus-sancti opere quondam scripsit in lapide. Et bene lex in lapide scripta est, quæ ad edomanda duri & contumacis populi præcordia dabatur. Bene in terra scripsit Dominus, gratiam remissionis daturus contritis & humilibus corde, qui fructum ferre possent salutis. Bene inclinans se deorsum digito scribit in terra, qui quondam sublimem se ostendens in monte digito scribebat in lapide, quia per humiliationem susceptæ humanitatis, Spiritum gratiæ fructiferis fidelium cordibus infudit, qui excelsus in angelo apparens, duris dura quondam dedit mandata populis. Bene qui inclinatus scribit in terra, erectus misericordiæ verba depromit, quia quod per humanæ infirmitatis societatem promisit, per divinæ virtutem potentiæ hominibus donum pietatis impendit.

Cum alios judicamus nosipsos reprehendere debemus.

Job. 27. 6.

Erigens, inquit, se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo Domine. Nemo condemnare ausus est peccatricem, quia in se singuli cernere cœperant quod magis damnandum cognoscerent. Sed qui accusantium turbam prolato justitiæ pondere fugavit, videamus accusatam quanto misericordiæ munere sublevet. Sequitur:

Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo, vade et amplius jam noli peccare. Impleta est hoc loco sententia Psalmographi, qui in Domini laudibus canit: *Prospere procede & regna, propter veritatem & mansuetudinem & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Propter veritatem quippe regnat, quia viam veritatis mundo prædicando catervis credentium regni sui gloriam dilatat. Propter mansuetudinem & justitiam regnat, quia plures ideo se regno subjiciunt illius, quòd eum mansuetum in liberandis à peccato pœnitentibus, & justum in damnandis pro peccato contumacibus esse cognoscunt: mansuetum in largienda gratia fidei & virtutum cælestium: justum in reddenda mercede perpetua pro fidei & cælestium certamine virtutum. Deduxit eum mirabiliter dextera sua, quia habitans in homine Deus mirabilem eum in omnibus quæ faceret & doceret ostendit; sed insidias quas astuti hostes excogitare poterant, mirabili prudentia semper ducentem monstravit. *Nec Ego te*, inquit, *condemnabo. Vade, & amplius jam noli peccare.* Quoniam misericors & pius est & justitiam diligit, ne amplius peccet interdicit. Verùm quia poterant dubitare aliqui an posset Jesus, quem verum hominem noverant, dimittere peccata, dignatur ipse apertiùs qui divinitus valeat ostendere. Post repulsam namque tentatorum nequitiam, post solutam peccatricis culpam, iterum loquitur eis dicens:

Psal. 44. 5.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ. Ubi manifestè docet, non solùm qua auctoritate mulieri peccata di-

[a] Hic, ut sæpe alias, Beda sequitur Augustinum, qui locum hunc exponens Judæorum cogitationes ita exprimit, *Si eam jusserit lapidari, mansuetudinem non habebit; si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit.*

miserit; sed quid etiam figuraliter expresserit A ipse pergendo in montem Oliveti, quid diluculo iterum veniendo in templum, quid digito scribendo in terra: arcem videlicet se esse misericordiarum, & Deum totius consolationis, præconem simul & largitorem lucis indeficientis, legis pariter latorem & gratiæ. *Ego sum*, inquit, *lux mundi*. Ac si apertè dicat: Ego sum lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum: Ego sol justitiæ qui timentibus Deum orior, etsi nube carnis ad tempus videor tegi. Tegor enim nube carnis, non ut abscondar quærentibus, sed ut temperer infirmis. Sanent oculos mentis, fide purificent B corda sua, ut meipsum mereantur intueri: *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Christus cur nube carnis tectus.

Matth. 5. 8.

QUI SEQUITUR ME NON AMBULABIT IN TENEBRIS, SED HABEBIT LUMEN VITÆ. Qui meis modo jussis & exemplis obsequitur, non timebit in futuro tenebras damnationis, sed lucem potius vitæ, ubi numquam prorsus moriatur, habebit. Sequamur igitur, fratres, modo lucem justitiæ fide quæ per dilectionem operatur, ut eam tunc consequi mereamur specie, quæ dilectionis meritum & remuneret & addat, ipso attestante, qui ait: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Veniamus tota mentis intentione ad eum qui in invisibili monte Oliveti locum habet: unxit enim eum Deus, Deus ejus, oleo lætitiæ præ consortibus ejus, ut & nos consortes ejusdem suæ unctionis, id est gratiæ spiritualis dignetur facere participes. Quod non tamen aliter quàm diligendo justitiam & odiendo iniquitatem adipisci merebimur. Nam & de ipso psalmus qui hæc loquitur præmisit: *dilexisti justitiam & odisti iniquitatem*, ut prædicando videlicet gloriam capitis, membra quæ ad hoc pertinere possent qualiter conversari debeant ostenderet. Reminiscamur quia ipse diluculo venit in templum, atque inter docendum peccatricem solvit à crimine, & studeamus ipsi templum existere nostri conditoris, studeamus discussis vitiorum tenebris in luce proficere virtutum, quatenus etiam nostra præcordia visitare Dominus, nos cælestibus instruere disciplinis, & quicquid in nobis sordidum repererit protinus emundare dignetur, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Joan. 14. 21.

Psal. 44. 8

HOMILIA VI.

FERIA II. IN QUADRAGESIMA

Secundùm Johannem.

Joan. 2. 12 *In illo tempore descendit Jesus Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus, & ibi remanserunt non multis diebus.*

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

SOLET movere quosdam quòd in exor- C dio lectionis hujus evangelicæ dictum est, quia descendente Capharnaum Domino, non solum mater & discipuli, sed & fratres ejus secuti sunt eum. Nec defuerunt [a] hæretici, qui Joseph virum beatæ semper Virginis MARIÆ putarent ex alia [b] uxore genuisse eos quos fratres Domini scriptura appellat. Alii [c] majori perfidia hos eum ex ipsa MARIA post natum Dominum generasse putarunt. Sed nos, fratres carissimi, absque ullius scrupulo quæstionis scire & [d] confiteri oportet, non tantùm beatam Dei genitricem, sed & beatissimum castitatis ejus testem atque custo- D dem Joseph ab omni prorsus actione conjugali mansisse semper immunem; nec natos, sed cognatos eorum, more scripturis usitato, fratres sororesve Salvatoris vocari. Denique Abraham hoc modo loquitur ad Loth: *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & pastores meos & pastores tuos; fratres enim sumus:* Et Laban ad Jacob: *Num quia frater meus es, gratis servies mihi?* Et quidem constat quia Loth filius Aran fratris Abraham & Jacob sit filius Rebeccæ sororis Laban: sed propter cognationem sunt fratres nuncupati. Hac ergo regula in scripturis sanctis, ut dixi, frequentissima, etiam cognatos MARIÆ vel Joseph, fratres Domini appellatos oportet intelligi. Quod autem propinquante Pascha JESUS ascendit Jerosolymam, nobis profectò dat exemplum quanta animi vigilantia dominicis subjici debeamus imperiis, cùm ipse in hominis infirmitate apparens, eadem quæ ex divinitatis auctoritate statuit decreta custodiat. Ne enim putarent servi absque crebris orationum bonorumque actuum victimis vel flagella evadere,

[a] Fratres Domini dicti ejus cognati.

[b]

[c]

[d]

Gen. 13. 8.

Gen. 29. 15.

[a] Hujusmodi non hæreticos, sed nimis audaces vocat & temerarios Hieronymus scribens adversus Helvidium, ubi fatetur plerosque *hoc non tam pia, quam audaci temeritate confingere.*

[b] Hanc *Escham* seu *Melcham* libri apocryphi nuncupabant teste Hieronymo in caput 12 Matthæi.

[c] Tales extiterunt Helvidius & Bonosus, quorum insanum commentum Ambrosius, Epiphanius & Hieronymus funditus everterunt.

[d] Hic non obscurè insinuat Beda virginitatem Joseph ad fidem pertinere, eamque suo tempore communem fuisse in Ecclesia opinionem: quare jam mirari desinant quidam viri doctissimi B. Petrum Damiani sæculo XI. hæc scripsisse opusc. 17. *Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo Virgo sit Mater, Ecclesia fides est, ut virgo fuerit & is qui simulatus est pater.*

vel præmia se posse percipere, & ipse inter servos ad orandum immolandumque Dei filius ascendit: qui veniens Jerosolymam quid ibi gerentes invenerit, quid ibidem ipse gesserit videamus.

ET INVENIT, inquit, IN TEMPLO VENDENTES BOVES ET OVES, ET COLUMBAS, ET NUMMULARIOS SEDENTES. ET CUM FECISSET QUASI FLAGELLUM DE FUNICULIS, OMNES EJECIT DE TEMPLO, BOVES QUOQUE ET OVES, ET NUMMULARIORUM EFFUDIT ÆS, ET MENSAS SUBVERTIT. Boves, oves, & columbæ ad hoc emebantur, ut offerrentur in templo. Nummularii ad hoc sedebant ad mensas, ut inter emtores venditoresque hostiarum promta esset pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licitè vendi in templo quæ ad hoc emebantur ut offerrentur in eodem templo Domino: Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, nec ejus quidem quæ honesta putaretur exhiberi, dispulit negotiatores injustos, & foras omnes simul cum his quæ negotiabantur ejecit. Quid ergo, fratres mei, quid putatis faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur ementes in templo vidit, & eliminare festinavit? Hæc propter illos, diximus qui ecclesiam ingressi non solùm intentionem orandi negligunt, verùm etiam ea pro quibus orare debuerant augent, insuper & arguentes se pro hujusmodi stultitia convitiis odiisque vel etiam detractionibus insequuntur: addentes videlicet peccata peccatis, & quasi funem longissimum incauta eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti judicis examinatione damnari. Nam bis [a] quidem in sancto evangelio legimus quòd veniens in templo Dominus hujusmodi negotiatores ejecerit, nunc videlicet, id est tertio ante passionem suam anno, sicut ex evangelii sequentibus scriptis agnoscimus, & ipso quo passus est anno, cùm ante quinque dies Paschæ sedens asino Jerosolymam venisset. Sed hoc idem eum in templo, sanctæ ecclesiæ examine quotidianæ visitationis agere, omnis qui rectè sapit intelligit: unde multùm tremenda sunt hæc, dilectissimi, & digno expavescenda timore, sedulaque præcavendum industria, ne veniens improvisus perversum quid in nobis unde merito flagellari ac de ecclesia ejici debeamus inveniat: & maximè in illa quæ specialiter domus orationis vocatur observandum, ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apostolo, numquid domos non habetis ad agenda vel loquenda temporalia, aut ecclesiam Dei contemnitis? Et à propheta cum Judæis: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.* Et quidem gaudendum est quia ipsi sumus in baptismo templum Dei facti, teste Apostolo qui ait: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ipsi civitas regis magni, de qua canitur: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, id est fundamenta Ecclesiæ in soliditate fidei apostolorum & prophetarum; sed nimis tremendum, quia præmisit Apostolus dicens: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et ipse Judex justus, *disperdam*, inquit, *de civitate Domini qui operantur iniquitatem.* Gaudendum, quia in nobis Paschæ solemnitas celebratur, cum de vitiis ad virtutes transire satagimus. Pascha quippe Transitus dicitur. Gaudendum quia Dominus nostra pectora, civitatem videlicet suam visitare, quia idem Pascha nostræ bonæ actionis præsentia suæ pietatis inlustrare dignatur: Sed timendum satis ne nos in civitatate sua aliud quàm ipse diligit agentes inveniat, & ipse se nobis qualem non diligimus districtus redditor ostendat, ne nos in templo nummularios, ne venditores boum, ovium, columbarumve reperiens damnet. Boves quippe doctrinam vitæ cælestis, oves opera munditiæ & pietatis, columbæ Spiritus-sancti dona designant, quia nimirum boum juvamine solet ager exerceri. Ager autem est Domini cor cælesti excultum doctrina, & suscipiendis verbi Dei præparatum ritè seminibus. Oves innocentes sua vellera vestiendis hominibus præstant. Spiritus super Dominum in columbæ specie descendit. Vendunt autem boves, qui verbum evangelii non divino amore, sed terreni quæstus intuitu audientibus impendunt, quales reprehendit Apostolus quia Christum annunciarent non sincerè. Vendunt oves, qui humanæ gratia laudis opera pietatis exercent, de quibus Dominus ait: *quia receperunt mercedem suam.* Vendunt columbas, qui acceptam Spiritus gratiam, non gratis, ut præceptum est, sed ad præmium dant, qui impositionem manus qua Spiritus accipitur, etsi non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen favorem tribuunt, qui sacros Ordines non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant in templo, qui non simulatè cælestibus, sed apertè terrenis rebus in ecclesia deserviunt, sua quærentes non quæ JESU CHRISTI. Verùm hujusmodi operarios fraudulentos quæ merces maneat ostendit Dominus, cùm facto de funiculis flagello, omnes ejecit de templo. Ejiciuntur enim de parte sortis sanctorum, qui interpositi vel fictè bona vel apertè faciunt mala opera. Oves quoque & boves ejecit, quia talium vitam pariter & doctrinam ostendit esse reprobam. Funiculi quibus flagellando impios de templo expulit, crementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos districto judici datur: hinc etenim dicit Isaïas: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Et in Proverbiis Salomon: *iniquitates*, inquit, *sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Qui enim peccata peccatis pro quibus acriùs damnetur accumulat, quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur paulatim augendo prolongat. Nummulariorum quoque quos expulsat effudit æs, & mensas subvertit, quia damnatis in fine reprobis etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet figuram,

Reverentia in templis commendatur.

Jer. 11. 15. — 1. Cor. 3. 17. — Psal. 86. 1. — 1. Cor. 3. 17. — Psal. 100. 8. — Matth. 6. 2. — Isa. 5. 18. — Prov. 5. 22.

[a] Ita etiam sensit S. Augustinus lib. 2. de consensu evangelistarum cap. 67. ubi hæc habet *Unde manifestum est, non semel, sed iterum hoc esse à Domino factum: sed illud primum commemoratum à Johanne, hoc ultimum à ceteris tribus.*

juxta quod scriptum est: *Et mundus transibit & concupiscentia ejus.*

ET EIS QUI COLUMBAS VENDEBANT DIXIT: AUFERTE ISTA HINC, ET NOLITE FACERE DOMUM PATRIS MEI DOMUM NEGOTIATIONIS. Venditionem columbarum de templo auferri præcepit, quia gratiam Spiritus qui gratis accepit gratis debet dare: unde Simon magus ille qui hanc pecunia emere voluit, ut majore pretio venderet, audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditione, non est tibi pars, neque sors in sermone hoc.* Notandum autem quod non soli venditores sunt columbarum, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros Ordines largiendo pretium pecuniæ vel laudis vel etiam honoris inquirunt. Verùm hi quoque qui gradum vel gratiam in ecclesia spiritualem, quam Domino largiente percepere, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causa retributionis exercent, contra illud apostoli Petri: *Qui loquitur, quasi sermones Dei; qui ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per* JESUM CHRISTUM. Quicumque ergo tales sunt, si nolunt veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis. Nec prætereundum quia sollicitè nobis scriptura utramque Salvatoris nostri naturam, & humanam videlicet commendat & divinam. Ut enim verus Dei Filius intelligatur, audiamus quod ipse dicit: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Apertè namque se Filium Dei Patris ostendit, qui templum Dei domum Patris sui cognominat. Et rursum ut verus filius hominis sentiatur, recolamus quod in hujus capite lectionis descendens in Capharnaum, matrem habuisse perhibetur. Sequitur:

Quinam domum Dei domum negotiationis faciant.

1. Pet. 4. 11.

RECORDATI VERO SUNT DISCIPULI EJUS, QUIA SCRIPTUM EST: ZELUS DOMUS TUÆ COMEDIT ME. Zelo domus Patris Salvator ejecit impios de templo. Zelemus & nos, fratres carissimi, domum Dei, & quantum possumus, ne quid in ea pravum geratur insistamus. Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet superbia tumidum, si detractionibus assuetum, ebrietati servientem, luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alio cuiquam vitio substratum, studeamus in quantum facultas suppetit castigare, polluta ac perversa corrigere, & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinete dolore. & maximè in ipsa domo orationis, ubi Corpus Domini consecratur, ubi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid quod nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus id agamus. Sequitur:

RESPONDERUNT ERGO JUDÆI, ET DIXERUNT EI: QUOD SIGNUM OSTENDIS NOBIS QUIA HÆC FACIS? RESPONDIT JESUS, ET DIXIT EIS: SOLVITE TEMPLUM HOC, ET IN TRIBUS DIEBUS EXCITABO ILLUD. De quo templo diceret Evangelista, post aperuit, videlicet de templo corporis sui, quod ab illis passione solutum ipse post triduum excitavit de morte. Quia ergo signum quærebant à Domino, quare solita commercia projicere debuerit è templo, respondit ideo se rectissimè impios exterminare de templo, quia ipsum templum significaverit templum corporis sui, in quo nulla esset prorsus alicujus macula peccati. Neque immerito typicum purgaverit à sceleribus templum, qui verum Dei templum ab hominibus morte solutum divinæ potentia majestatis excitare posset à mortuis.

DIXERUNT ERGO JUDÆI: QUADRAGINTA ET SEX ANNIS ÆDIFICATUM EST HOC TEMPLUM, ET TU TRIBUS DIEBUS EXCITABIS ILLUD? Quomodo intellexerunt, ita responderunt: sed ne nos quoque spiritualem Domini sermonem carnaliter sentiremus, Evangelista consequenter de quo templo loqueretur exposuit: Quod autem aiunt templum quadraginta & sex annis ædificatum, non primam, sed secundam illius ædificationem significant. Primus enim Salomon templum in maxima regni sui pace citissimo septem annorum opere perfecit, quod destructum à Chaldæis post septuaginta annos ad jussionem Cyri Persæ, relaxata captivitate, reædificari cœptum est: sed filii transmigrationis opus quod sub principibus Zorobabel & Jesu faciebant, propter impugnationem gentium vicinarum ante quadraginta & sex annos implere nequiverunt. Qui etiam numerus annorum perfectioni Dominici corporis aptissimè congruit. Tradunt etenim naturalium scriptores rerum formam corporis humani tot dierum spatio perfici, quia videlicet primis sex à conceptione diebus lactis habeat similitudinem; sequentibus novem convertatur in sanguinem, deinde duodecim solidetur; reliquis decem & octo formetur usque ad perfecta liniamenta omnium membrorum; & hinc reliquo jam tempore usque ad tempus partus magnitudine augeatur. Sex autem & novem & duodecim & decem & octo quadraginta quinque faciunt, quibus si adjecerimus unum, id est ipsum diem quo discretum per membra corpus crementum sumere incipit, tot nimirum dies in ædificatione corporis Domini, quot in fabrica templi annos invenimus. Et quia templum illud manufactum sacrosanctam Domini carnem quam ex Virgine sumsit, ut ex hoc loco discimus, figurabat: quia æquè corpus ejus quod est Ecclesia, quia uniuscujusque fidelium corpus animamque designabat, ut in plerisque Scripturarum locis invenimus, libet aliqua de templi ipsius factura commemorare, quibus vestra fraternitas quomodo omnia quæ de eo scripta sunt Christo & Ecclesiæ conveniant agnoscat. Conversum stabat ad orientem, habens ostium contra ortum solis, qui statim exortus cuncta ejus interiora suo jubare perfunderet. Et Ecclesia sancta totam mentis intentionem ad illius dirigit gratiam, de quo Zacharias ait: *Visitavit nos oriens ex alto inluminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent.* Memorque semper promissi ipsius quo dicit, *Dilata os tuum, & ego adimplebo illud*; læta respondet: *Os meum aperui & attraxi spiri-*

Corpus humanum quot diebus perficiatur.

Templi Jerosolymitani descriptio Ecclesiæ adaptata.

Luc. 1. 78.

Ps. 80. 11.

Psal. 118. 131.

tum, quia mandata tua desiderabam: quod est dicere: Devotionem cordis mei aperui, & lucem tui Spiritus haurire promerui, quia non alia in mundo, quàm observationem mandatorum tuorum observare didici. Foris albo lapide constructum parebat, intus laquearia, parietes, pavimentum, trabes, ostia, & quicquid erat vasorum aurum tegebat obrisum. Et Ecclesia foris quidem omnibus fortitudinem perfectæ monstrat actionis; sed soli qui hanc piè considerando intrare didicerint, quot animæ virtutibus præmineat interius, quanta in singulis his caritatis luce flagret intelligunt. Ipsæ auri laminæ cedrinis sunt tabulis affixæ vel abiegnis, vel certè de lignis olivarum paratis: quæ omnia ligna esse egregia constat. Et fulgor Dominicæ dilectionis per memoriam sacratissimæ Passionis ipsius, quæ pretioso crucis ligno consummata est, fidelium cordibus, ne labatur imprimitur. Templum ipsum velamento medii parietis discretum est, domusque exterior sanctuarium, interior autem ubi arca testamenti posita erat, Sanctum sanctorum vocabatur. Et Ecclesia partim in terris peregrinatur à Domino, partim cum Domino regnat in cælis. Medius namque paries ipsum intelligitur cælum, arca testamenti Dominus, qui solus paternorum conscius arcanorum, cæli interna penetravit. Ascensus qui in superiorem & tertiam domum ducebat per viscera meridiani parietis quasi invisibili gressu factus est: ita ut initium tantum ejusdem ascensus ab orientali angulo memorati parietis appareret; profectum verò ascensionis ipsius solus qui scanderet nosset, cujus scriptura ita meminit: *Ostium autem lateris medii in parte erat domus dextræ, & per cocleam ascendebant in medium cænaculum, & à medio in tertium.* (3. Reg. 6. 8.) Passo in cruce Domino, unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Hæc est aqua baptismi qua abluimur, & hic sanguis calicis Domini quo sanctificamur. Per hæc sancti mysteria lateris merito invisibilis fidei ascendimus de præsenti Ecclesiæ vita, quæ peregrinatur in terris, in vitam supernæ beatitudinis, qua exutæ corporibus fruuntur animæ justorum. Sed & de illa vita receptis in resurrectione corporibus, usque ad supernam perpetuæ felicitatis gloriam ejusdem Dominicæ passionis fide prævia transimus; de qua nimirum gloria dicit Isaias: *In terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis,* (Isa. 61. 7.) id est in terra viventium, quæ sola sanctorum terra est; carnis simul & animæ felicis gaudia æterna percipient. Inferior ergo domus præsentem sanctorum conversationem significat: superior requiem animarum quæ post hanc vitam percipitur; suprema gloriam resurrectionis quæ nullo umquam fine mutabitur: Ostium lateris medii, quod in parte domus dextræ positum iter ad superiora pandebat, fides est Passionis Christi, cujus dextrum latus foratum in cruce nobis emanavit sacramenta, quibus imbuti ad cælestis vitæ gaudia possimus ascendere. Septem annis & totidem mensibus prima templi structura perfecta est, Octavo autem anno, & octavo mense ex quo ædeficari cœpit, dedicationis solemnitas secuta est; & Ecclesia per totum præsens sæculum, quod septem diebus volvitur, spiritualia suorum sumere non desinit incrementa membrorum usque ad tempora futuræ resurrectionis æterna, quando cum pacifico rege festa suæ dedicationis introïbit. Nam quia Dominus octava die, id est post septimam sabbati à morte surrexit, meritò hic numerus etiam nostræ resurrectionis futura gaudia designat.

Hæc de factura pauca ex pluribus commemorasse sufficiat, ut quam cuncta spirituali intellectu refulgeant clariùs appareat. Sed finituri sermonem redeamus ad Domini sententiam, qua quærentibus signum Judæis dicit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud,* (Joan. 2. 19.) agamusque gratias misericordiæ ejus, qui mysterium suæ passionis & excitationis à mortuis, quod tentantibus se infidelibus clauso sermone proposuit, nobis jam in se credentibus clara luce reseravit. Et quia jam prope est tempus quo solutionem ejusdem templi venerabilis quæ facta est à perfidis, simul & excitationem, quam ipse tertia die, sicut ipse promisit, mirabiliter exhibuit, annua solemnitate celebrare desideramus, mundemus templa corporum cordiumve nostrorum, ut Spiritus Dei habitare dignetur in nobis, & juxta quod Apostolus admonet, abjectis operibus tenebrarum *induamus nos arma lucis, sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; sed induamus nos Dominum* (Rom. 13. 12.) JESUM CHRISTUM, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus ante omnia sæcula sæculorum. Amen.



HOMILIA VII.

Secundùm Johannem.

Joan. 5. 1. *Erat dies festus Judæorum & ascendit Jesus Jerosolymam.*

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

DUO pariter miracula humanæ sanationis hodierna nobis sancti Evangelii lectio tradit; unum invisibiliter per angelicam administrationem; alterum per dominicam præsentiam visibiliter exhibitum: Sed utriusque nobis sunt breviter exponenda mysteria, ne prolixæ lectionis prolixa quoque explanatio cuiquam fortè gravis existat. Probatica piscina quæ quinque porticibus cingebatur, populus est Judæorum, legis undique custodia, ne peccare debeat, munitus. Rectè etenim lex quæ quinque libris Moysi descripta est quinario numero figuratur: rectè populus qui in quibusdam munditiam vitæ servare, in quibusdam verò solebat immundorum spirituum tentamentis agitari, per aquam signatur piscinæ, quæ nunc placida ventis stare, nunc eis inruentibus turbari consueverat. Et bene piscina eadem probatica vocatur. [a] Probaton quippe græcè oves dicuntur: quia nimirum in illo populo [b] qui dicere Domino nossent: *Nos autem populus tuus & oves gregis tui confitebimur tibi in sæcula.* Vulgò autem probatica, id est pecualis piscina fertur appellata, quòd in ea sacerdotes hostias lavare consueverint. Multitudo languentium quæ in memoratis porticibus jacebat, eorum catervas significat, qui legis verba audientes, suis se hanc viribus implere non posse dolebant, atque ideo Dominicæ auxilium gratiæ totis animæ affectibus implorabant. Cæci erant; qui necdum perfectum fidei lumen habebant: claudi, qui bona quæ noverant operandi gressibus implere nequibant: aridi, qui quamlibet oculum scientiæ habentes, pinguedine tamen spei & dilectionis egebant. Tales in quinque porticibus jacebant, sed non nisi in piscina angelo veniente sanabantur: quia per legem cognitio peccati: gratia autem remissionis nonnisi per JESUM CHRISTUM facta est. Hunc designat angelus qui invisibiliter descendens in piscinam ad suggerendam vim sanandi movebat aquam. Descendit enim carne indutus magni consilii Angelus, id est paternæ voluntatis nuntius in populum Judæorum, & movit peccatores factis ac doctrina sua, ut occideretur ipse qui sua morte corporali non solùm spiritualiter languentes sanare, sed & mortuos vivificare sufficeret. Motus ergo aquæ passionem Domini quæ mota turbataque Judæorum gente facta est insinuat. Et quia per eamdem passionem redemti sunt credentes à maledicto legis, quasi descendentes in aquam piscinæ turbatam sanabantur qui eatenus jacuerant in porticibus ægroti. Legis siquidem littera quæ nescientes quid agendum, quid vitandum esset edocuit, nec tamen edoctos ut sua decreta complerentur adjuvit, quasi eductos de sedibus ignorantiæ prioris in porticibus suis continebat, nec sanabat languidos. Gratia autem evangelii quæ per fidem ac mysterium Dominicæ passionis sanat omnes languores iniquitatum nostrarum, à quibus in lege Moysi non potuimus justificari, quasi ejectos de porticibus legis ægrotos in aquam piscinæ turbidam immittit, ut sanari possint: quia à peccatis quæ lex ostenderat per aquam baptismatis abluit, testante Apostolo, quia *quicumque baptizati sumus in Christo* JESU, *in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Bene autem dicitur, quia qui primus descendisset post motum aquæ sanus fiebat à quocumque languore detineretur, quia unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus: & qui in unitate Catholica Christi mysteriis imbuitur sanus fit à quocumque peccatorum languore detineatur: quisquis autem ab unitate discrepat, salutem quæ ab uno est consequi non valet.

Probatica piscina populi Judaïci figura.

[a]

[b]

Ps. 78. 13.

Rom. 6. 3.

Unitas Ecclesiæ commendatur.

Hæc de primo Evangelicæ lectionis miraculo quod Dominus dedit loquuti, nunc de secundo quod ipse dederit fraternitati vestræ loquamur: in quo etiam ipso unus commendatur sanatus, non quia omnipotentis pietas Salvatoris omnes quos ibi languentes invenit sanare nequiverit; sed ut doceret præter unitatem catholicæ fidei nullum cuilibet patere locum salutis.

ERAT AUTEM QUIDAM HOMO IBI, inquit, TRIGINTA ET OCTO ANNOS HABENS IN INFIRMITATE SUA. Homo iste multorum infirmitate detentus annorum significat peccatorem quemlibet enormi scelerum magnitudine vel numerositate depressum, cujus significando reatui etiam modus temporis quo iste languebat congruit. Nam duodequadraginta annos habebat in infirmitate. Quadragenarius autem numerus qui denario quater ducto conficitur pro perfectione rectæ conversationis solet in scripturis accipi; quia quisquis perfectæ conversationis opera egerit, legis profectò decalogum per quatuor S. Evangelii libros implet: à qua nimirum perfectione duo minus habet, qui à Dei & proximi dilectione, quam legis pariter

Infirmus annorum 38. peccatorem designat.

[a] Lege *probata.*

[b] Hic deesse videntur aliqua verba, forte *quidam erant.*

riter & Evangelii scriptura commendat, vacuus incedit. Quod etiam Dominus mysticè sanans infirmum docuit, cùm ait: SURGE, TOLLE GRABATUM TUUM ET AMBULA. *Surge* cùm dicitur, vitiorum torporem in quibus diu languebas excute, & ad exercitium virtutum, quibus perpetuò salveris erigere. *Tolle grabatum tuum:* porta diligens proximum tuum, patienter ejus infirma tolerando, qui te adhuc tentationum fasce depressum diu patienterque sustinuit. *Alter* enim *alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et sicut alibi dicit: *Supportantes invicem in caritate, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* *Ambula* autem: toto corde, tota anima, tota virtute Deum dilige: & ut ad ejus visionem pertingere merearis, quotidianis bonorum operum passibus de virtute in virtutem progredere, nec fratrem, quem sufferendo ducas, ob amorem ejus ad quem pergis deserens, nec ob fratris amorem ab illo quærendo cum quo manere desideras intentionem recti incessus avertens; sed ut perfectè possis salvari, *Surge, tolle grabatum tuum & ambula:* id est relinque peccata pristina, necessitatibus fratrum succurre, & in universis quæ agis vide ne in hoc sæculo mentem figas; sed ad videndam faciem tui festines Redemtoris. Surge bona operando, porta grabatum diligendo proximum, & ambula expectando beatam spem & adventum gloriæ magni Dei. Sed mira perfidorum dementia, qui ad tam inopinatam diu languentis sanationem credere, ac spiritualiter sanari debuerant, econtra scandadalizantur, & salvato pariter ac Salvatori calumnias struunt: Salvato quidem, quia sabbato grabatum tulerit: Salvatori autem, quia sabbato & illum salvari, & grabatum tolli præceperit, quasi melius ipsi de sabbato quàm tanta divinitatis potentia nosset.

Gal. 6. 2. — Ephes. 4. 2.

DICEBANT ERGO JUDÆI ILLI QUI SANATUS FUERAT: SABBATUM EST, NON LICET TIBI TOLLERE GRABATUM TUUM. Litteram legis stultè defendebant, ignorando dispensationem ejus qui legis quondam edicta per servum decernens, nunc ipse adveniens eamdem legem gratia mutare disposuit, ut quod juxta litteram diu carnales carnaliter observabant, deinceps spirituales spiritualiter observandum cognoscerent. Sabbato quippe carnali, quod juxta litteram custodiebatur, populus ab omni opere servili die septima vacare præceptus est; spirituale autem sabbatum est in luce gratiæ spiritualis, quæ septiformis accipitur, non una, sed omni die, nos ab omni inquietudine vitiorum manere feriatos. Si enim juxta vocem dominicam, omnis qui facit peccatum, servus est peccati, patet liquidò quia peccata rectè opera servilia intelliguntur, à quibus quasi in die septima in perceptione gratiæ spiritualis immunes incedere jubemur: nec solùm à pravis continere, sed & bonis insistere factis. Quod in hac quoque lectione Dominus typicè ostendit, cùm eum qui duodequadraginta annos languebat, in die sabbati non solùm surgere, verùm etiam grabatum

Sabbatum spirituale.

A tollere & ambulare præcepit: videlicet insinuans, eos qui longo vitiorum languore tabescunt, & Dei ac proximi dilectionis inanes, quasi à perfecta virtutum summa duo minus habent, jam per donum Sancti Spiritus à vitiis posse resurgere; eorumque discusso torpore, cum fraternæ dilectionis onere ad visionem debere sui properare conditoris. Quod autem is qui sanatus est JESUM non in turba adhuc positus, sed post in templo cognoscit, mysticè nos instruit, ut si verè conditoris nostri gratiam cognoscere, si ejus amore confirmari, si ad ejus visionem pervenire desideramus, fugiamus B sollicitè turbam non solùm nos turbantium cogitationum affectuumque pravorum; verùm etiam hominum nequam qui nostræ sinceritatis possint impedire propositum, vel malum videlicet exemplum suum monstrando, vel bona opera nostra deridendo, aut etiam prohibendo. Confugiamus seduli ad domum orationis, ubi secreta libertate Dominum invocantes, & de perceptis ab eo beneficiis gratias agamus, & de percipiendis humili devotione precemur: immo etiam templum Dei sanctum, in quo venire & mansionem facere dignetur, existere curemus, audientes ab Apostolo, quia C *corpora vestra templum est Spiritus-sancti qui in vobis est.* Inter quæ diligentius intuendum, fratres mei, quod inveniens in templo quem sanaverat Dominus, ait illi: ECCE SANUS FACTUS ES, JAM NOLI PECCARE, NE DETERIUS TIBI ALIQUID CONTINGAT. Quibus verbis apertè monstratur quia propter peccata languebat, nec nisi dimissis eisdem poterat sanari: sed qui foris ab infirmitate, ipse etiam intus salvavit à scelere: unde & cautè præmonuit ne amplius peccando gravioris sibi sententiam damnationis contraheret: quod non ita sentiendum est, D quasi omnis qui infirmatur, ob peccata infirmetur. Quinque etenim modis in scripturis infirmitas corporalis data reperitur; peccatoribus videlicet, ut vel corrigantur per pœnitentiam, vel si corrigi non merentur, etiam in hac vita qualiter æterna morte damnandi sint appareat: justis verò, ut vel majorem patientiæ palmam percipiant, vel infirmitatibus admoniti humiliùs justitiæ meritum servent. Plerisque autem ob hoc aliquoties infirmitas datur carnis, ut in eorum sanatione vel Domini Salvatoris vel sanctorum ejus latius gloria, vel utriusque patescat. Nam quod peccatores ob E quærendam mentis incolumitatem infirmitate plectantur corporis, testatur hodierna lectio, ubi sanatus qui languebat audivit: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* testatur & illa in qua sanando paralytico Dominus ait: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quod hi qui gravioribus sunt flagitiis involuti, neque ad veniam pervenire merentur, aliquotiens etiam in præsenti initium sempiternæ damnationis accipiant, pœna prodit Herodis regis, qui ob reatum blasphemiæ ante oculos viventium consumtus à vermibus expiravit, illò utique post mortem properans, ubi vermis ejus non moreretur, &

1. Cor. 6. 19. — Infirmitatum quinque causæ.

ignis ejus non extingueretur. Quod justi ad amplificandam patientiæ suæ palmam doloribus afficiantur corporeis, beati Job indicat historia, cui cùm nullus esset similis super terram, pœnas corporis quas adversarius immanis graviores poterat excogitare, non pro diluendis reatibus, sed pro augendis meritis mira constantiæ virtute superavit. Quod item justi ob custodiam humilitatis disciplinæ feriantur ægri-
2. Cor. 12. 7. tudine, ostendit Apostolus qui ait: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ qui me colaphizet.*
Ibid. 9. Unde iterum dicit: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Quod ob ostendendam conditoris sanctorumque ejus gloriam nonulli sæpe languescant, ipse manifestat, qui de cæco nato sciscitantibus discipu-
Joan. 11. 4. lis ait: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus ut cæcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Et de Lazaro languente sororibus, *Infirmitas*, inquit, *hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* Verùm quia nobis utrum propter augenda merita bona, an propter mala minoranda puniamur incertum est, curandum summopere est, ut quotiens molestia corporali pulsamur, ad discutienda protinus mentis nostræ interna redeamus, & quidquid in nobis contra voluntatem auctoris nostri egisse reperimus, digna pœnitentiæ castigatione mundemus; nec prius corpori medelam quæramus, quàm nos ad interioris hominis puritatem pervenisse cognoverimus, ne fortè exterius adhibitæ curationi carnis obstet latens intrinsecus valetudo mentis. Discamus flagellis pii conditoris humiliter substerni, arbitrantes minus pati quàm meremur, semper illius sen-
Job. 5. 17. tentiæ memores, quia *beatus homo qui corripitur à Domino.* Et ipse in Apocalypsi, *ego*, inquit, *quos*
Apoc. 3. 19. *amo arguo & castigo.*

Longævo autem languenti interius exteriusque sanato, eodem & à flagellis apertæ castigationis & à peccatis quibus hæc merebatur erepto, Judæi econtra malè intus languidi jam deterius ægrotare incipiunt, persequendo videlicet Jesum, quia hæc faceret in sabbato. Persequebantur autem eum, quasi legis auctoritatem simul & divinæ operationis exempla secuti: quia & Dominus sex diebus mundi perfecta creatione, septimo requieverit ab omnibus operibus suis, & populum sex diebus operari, septimo vacare præceperit, non intelligentes quia carnalia legis decreta paulatim erant spirituali interpretatione mutanda, apparente illo qui non tantùm legislator, sed & finis legis est Christus ad justitiam omni credenti: neque animadvertentes quia Conditor in die septima non ab opere mundanæ gubernationis & annuæ, immo quotidianæ rerum
[a] creatarum substitutionis, sed à [a] nova creaturarum institutione cessavit; sed nec maximum illud sabbati mysterium cognoscentes, quo vel ipse Dominus sexta feria crucifixus operatusque salutem nostram in medio terræ, id est carnis quam assumserat, septima requieturus erat in sepulcro, donec octava resurgeret, vel quo sancti illius post sex hujus sæculi ætates in quibus bona operando laborant, septimam quietis animarum in alia vita percipiunt, donec in octava resurrectionis corporum quoque incorruptibilium receptione donentur. Verùm indoctis legis defensoribus quid ipse gratiæ simul & legis auctor respondeat, qua cervicem eorum rationis virtute frangat audiamus.

Pater meus, inquit, usque modo operatur et ego operor. Quod non ita dictum est, quasi Patre eatenus operante, ipse tunc post Patrem operari inciperet; sed ita potius quia ab initio creaturarum Patre semper operante, ipse eadem opera cum eo pariter semper operetur. Ut enim scias Deum Patrem non primis tantum sex diebus, sed usque modo operari, lege illud ad Prophetam: *Priusquam te formarem in utero novi te.* Et in Psalmo: *Qui finxit singillatim corda eorum.* Et alibi: *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam, qui producit in montibus fænum,* & cetera hujusmodi. Notandum quippe quod non præteriti temporis verbum posuit dicens: Qui operuit, & paravit, & produxit; sed præsentis, operit, parat, producit, ut quotidie Patrem operari demonstraret, nec minus sabbato, quàm ceteris diebus. Ut Filium pariter cuncta operari non dubites, recole illud Psalmistæ: *Dixit & venit cynomia & scynifes. Dixit & venit locusta & bruchus. Dixit & stetit spiritus procellæ.* Si enim ipse dixit & facta sunt, per Verbum utique fecit. Verbum autem Patris Filius est, de quo Johannes ait: *Omnia per ipsum facta sunt.* Item Psalmista cùm non solùm primordialem mundi creationem, sed & quotidianam creaturæ gubernationem ad laudem Creatoris referret, ait inter cetera: *Omnia in sapientia fecisti.* Si autem Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam rectè confitemur; & omnia in sapientia fecit ac regit Deus; constat nimirum quia Pater usque modo operatur, operatur & Filius. *Ergo Pater meus*, inquit, non sex solùm, ut putatis, diebus prius operatus est: verùm *usque modo operatur*, non novum creaturæ genus instituendo, sed quæ in principio creaverat, ne deficiant propagando. *Et ego operor*, subauditur *usque modo*, cum eo cuncta disponens, regens, accumulans, ac si apertè dicat: Quid mihi invidetis? Cur me vituperatis cœci legislatores, quòd in forma hominis sabbato salutem unius hominis operatus sum, qui in natura Divinitatis unà cum Deo Patre totum genus humanum, immo totam mundi machinam, & cuncta visibilia & invisibilia quietus semper operor? Sed ipsi talis ac tanti mysterii minus capaces, propterea magis quærebant eum interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. In eo maximè dolebant, quia [b] his qui verum [b]

Marginalia: Quod Pater & Filius semper operentur. — Jerem. 1. 5. — Psal. 32. 15. — Psal. 146. 8. — Psal. 104. 31. — Joan. 1. 3. — Psal. 103. 24. — Joan. 5. 17.

[a] Hic non obscurè Beda videtur negare quotidianam animarum creationem: quod paulo post clarius declarat his verbis: *Non novum creaturæ genus instituendo, sed quæ à principio creaverat, ne deficiant propagando.*

[b] *L.* is quem.

ex infirmitate carnis hominem cognoverant; verum se Dei Filium credi voluisset, id est non gratia adoptatum ut ceteros sanctos quibus loquitur
Psal. 81. 6. propheta: *Ego dixi dii estis, & filii Excelsi omnes*; sed natura Patri per omnia æqualem, illum videlicet de quo Pater ipse loquitur in aspectu filiis suis, id est prophetis, gratia videlicet adoptatis in filios.
Ps. 88. 27. *Ipse invocavit me: Pater meus es tu; Deus meus & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.* Intelligebant enim interfectores Christi Judæi, quod confessores nominis Christi intelligere nequeunt Arriani in eo quod ait Christus:
Joan. 5. 17. Arriani argumentur. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, æqualem se Deo Patri prædicasse: quia quorum una eademque operatio, eorum esset æqualis & majestas. Verùm ad unum finem utrorumque tendit impietas, quorum uni quid diceret Dominus intelligentes, vera eum dixisse negabant: alteri vera quidem de se Dominum testatum fatentur; sed in his sensum veritatis sequi & comprehendere detrectant: quorum finem teterrimum ut vitare queamus, necesse est, fratres carissimi, ut & verba nostri Salvatoris veritate plena credamus, & hæc rectè intellige-re curemus, insuper in his spem nostræ salutis omnem ponere studeamus. Credamus veraciter se esse Patri æqualem potestate, gloria, æternitate, & regno; prædicasse: & bene agendo satagamus ad unam utriusque visionem pervenire: de qua roganti Philippo ac dicenti: *Domine, ostende nobis Patrem & sufficit nobis*; respondit ipse Dominus dicens: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Joan. 14. 8. & 9. Notandum sanè quod dictum est: Æqualem se faciens Deo, à Judæorum persona dictum, qui putabant Dominum JESUM prædicando se facere quod non esset, & non veraciter intimare quid esset. Nos autem, fratres, qui fidei catholicæ sacramentis & doctrina sumus imbuti, credamus & confiteamur Dominum nostrum JESUM CHRISTUM & in humanitate nobis factum natura æqualem, & in divinitate Patri mansisse semper æqualem. Neque in ultralibet natura se fecisse fingendo quod non erat; sed in utraque monstrasse veraciter prædicando quod erat, qui nos ad videndam perpetuò gloriam suæ majestatis introducere dignetur, in qua vivit & regnat unà cum Patre & Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

INFRA OCTAVAS PASCHÆ

Secundùm Lucam.

In illo tempore. Una Sabbati valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum portantes quæ paraverant aromata, & invenerunt lapidem revolutum à monumento; & ingressæ non invenerunt corpus Domini JESU. Luc. 24. 1.

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

APERTA nobis est, fratres, de resurrectione Domini & Salvatoris nostri lectio recitata: neque exponendo laborare opus est, ubi notissima fidei nostræ mysteria evangelicis replicantur oraculis, sed breviter oportet intimare quæ nobis sint ex ejus lectionis imitatione facienda.

Una sabbati dies Dominica. UNA, inquit, SABBATI VALDE DILUCULO VENERUNT MULIERES AD MONUMENTUM. Una sabbati prima est dies post diem sabbati, quam nunc ob reverentiam Dominicæ resurrectionis Dominicam vocare solemus. Sic enim secunda sabbati, tertia sabbati, & ceteri ex ordine dies in scriptura sacra nomen à numero sortiuntur. Idipsum autem significat, ubi una sabbatorum legitur, unam videlicet, sive primam diem post sabbatorum, hoc est requietionum diem ostendens. Quod autem mulieres Dominum quæsituræ valde diluculo venerunt ad monumentum, magnam sui amoris erga illum devotionem demonstrant, ad cujus obsequium mox ut noctis umbra discessit, ut luce apparente facultas eundi dabatur, festinare contendunt. Sed & nobis typicum præbent exemplum, ut si Dominum invenire, si angelorum desideramus præsentia confortari, abjiciamus opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, sicut in die honestè ambulemus. Decet autem nos sicut operum bonorum luce fulgidos, ita etiam spiritualium orationum gratia refertos quærere Dominum. Unde bene mulieres quæ ad monumentum venerunt, aromata quæ paraverant secum portasse referuntur. Aromata etenim nostrarum voces sunt orationum, quibus desideria cordis nostri Domino commendamus, attestante Apostolo Johanne, qui mundissima sanctorum præcordia mysticè describens, *habebant*, inquit, *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Apoc. 5. 8. Quæ enim græcè aromata, latinè odoramenta vocantur. Diluculo igitur aromata ad monumentum Domini ferimus, cùm memores passionis ac mortis quam pro nobis suscepit, & actionum bonarum proximis foris lu-

cem monstramus, & suavitate puræ compunctionis intus in corde fervemus: quod & omnibus horis, & tunc maximè fieri oportet, cùm Ecclesiam oraturi ingredimur, cùm appropiamus altari Dominici corporis & sanguinis mysteria sumturi. Si enim mulieres tanta cura corpus Domini mortuum quærebant, quantò magis nos convenit, qui eum resurrexisse à morte, qui ad cælos ascendisse, qui potentia divinæ majestatis ubique præsentem cognovimus, cum omni reverentia ejus adstare conspectibus, ejus mysteria celebrare? Bene autem dicitur: *Portantes quæ paraverant aromata.* Aromata namque quæ ad obsequium Domini portemus prius parasse est ad eum cor ante tempus orationis à supervacuis expurgare cogitationibus, ut in ipso tempore orandi nihil sordium mente recipere, nihil rerum labentium cogitare, nulla præter ea quæ precamur, & ipsum cui supplicamus meminisse noverimus, juxta exemplum ejus qui ait: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam Domino.* Nam qui ad orandum ecclesias ingressus inter verba obsecrationis consuetudinem superfluæ cogitationis ab animo repellere negligit, quasi Deum quærens, minus parata secum aromata detulit.

Psal. 107. 2.

INVENERUNT AUTEM MULIERES LAPIDEM REVOLUTUM A MONUMENTO, ET INGRESSÆ NON INVENERUNT CORPUS DOMINI JESU. Notum juxta historiam est, narrante Evangelista Matthæo, quia descendens de cælo angelus revolvit lapidem ab ostio monumenti, non quidem ut exeunti Domino viam faceret, sed ut apertus vacuusque monumenti locus hominibus eum resurrexisse proderet. Mysticè autem revolutio lapidis sacramentorum est revelatio divinorum, quæ quondam littera legis claudebantur occulta. Lex enim in lapide scripta est. Etenim & nobis singulis cum fidem Dominicæ passionis & resurrectionis agnovimus, monumentum profectò illius, quod clausum fuerat, apertum est. Ingredimur & ipsi monumentum, nec corpus Domini invenimus, cùm ordinem incarnationis ac passionis illius sedulo corde retractantes, resurrexisse illum à mortuis, neque ultra in carne mortali videndum esse recolimus. At verò Judæis ac paganis, qui mortem quidem Redemtoris nostri quam credunt irrident, triumphum veræ resurrectionis ejus prorsus credere recusant, quasi clausum lapide adhuc monumentum permanet, nec valent ingredi, ut cernentes ablatum resurgendo corpus Domini recipiscant, quia duritia suæ infidelitatis repelluntur ne animadvertant, quia non potest in terris inveniri mortuus, qui destructo mortis aditu, jam cælorum alta penetravit. Hoc quoque quod mulieres non invento corpore Domini mente consternabantur, nos congruit imitari. Meminisse etenim continuè debemus, quia corpus Domini nostri in terris invenire nequimus; & eò magis humiliari, quò nos constat de profundis clamare ad eum qui habitat in cælo: eò amplius mente consternari, quò nos videmus longè adhuc peregrinari ab illo, in cujus solùm præsentia beatè vivere valemus, omnique nisu virtutis agere, ut magis peregrinari à sæculo, & præsentes esse mereamur ad illum. Mœstis autem de ablato corpore JESU mulieribus apparuerunt angeli, qui illis, patefacta ejus resurrectione, consolationis remedia ferrent: quod nunc quoque invisibiliter nobiscum agi minimè dubitare oportet, cùm de longitudine præsentis incolatus, ac de absentia nostri conditoris salubriter afflicti, repente supernorum civium quæ sint gaudia æterna recolimus, ac recordata illorum beatitudine, in qua etiam nos futuros speramus, exilii quam patimur ærumnam levius ferre incipimus: & quò resurgens à morte Redemtor noster ascendit; illò nos quoque quos redimere dignatus est, sequi posse confidimus. Nec latet angelos crebrò electis invisibili adesse præsentia, ut eos vel ab hostis callidi defendant insidiis, vel majori cælestis desiderii gratia sustollant, Apostolo attestante, qui ait: *Nonne omnes administratorii sunt spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?* Maximè tamen angelici nobis spiritus adesse credendi sunt, cùm divinis specialiter mancipamur obsequiis, id est cùm ecclesiam ingressi vel lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam missarum solemnia celebramus. Unde monet Apostolus mulieres in ecclesia velamen habere super caput propter angelos. Et propheta ait: *In conspectu angelorum psallam tibi.* Nec dubitare licet ubi Corporis & Sanguinis Dominici mysteria geruntur, [a] supernorum civium adesse conventus, qui monumentum quo Corpus ipsum venerabile positum fuerat, & unde resurgendo abscesserat, tam sedulis servant excubiis. Unde studendum solerter, fratres mei, ut cum ecclesiam vel ad divinæ laudis debita solvenda, vel ad agenda missarum solemnia intramus, semper angelicæ præsentiæ memores, cum timore ac veneratione competenti cæleste compleamus officium in exemplum feminarum Deo devotarum, quæ apparentibus ad monumentum angelis timuisse, ac vultum declinasse narrantur in terram. Notandum verò quidnam sit quod in hac lectione angeli secus mulieres stetisse perhibentur, qui apud alios evangelistas sedentes eas alloqui memorantur. Sedere quippe in throno regis est stare ad aram Pontificis. Quia igitur Redemtor noster Rex nobis pariter & Sacerdos fieri dignatus est; Sacerdos videlicet, ut nos à peccatis hostia suæ passionis emundet; Rex, ut regnum nobis perennne tribuat; apparent angeli sedentes, qui resurrectionis ejus gloriam nuntiant, ut hunc significent sedem regni cælestis devicta morte petiisse: apparent & stantes, ut eum in secreto Patris etiam pro nobis quasi pontificem interpellare demonstrent, juxta quod de illo loquens Apostolus ait: *Qui est ad dexteram Dei*,

Lapidis mystica revolutio.

Heb. 1. 14.

Angeli divinis obsequiis mancipatis præsentes.

Psal. 137. 1.

[a]

Angeli cur modò stantes, modò sedentes ad monumentum dicantur.

Rom. 8. 34.

[a] Sic Chrisostomus lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. *Per id tempus & angeli sacerdoti assident .... & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est.* Vide Johannem Moschum Prat. Spirit. cap. 192.

qui etiam interpellat pro nobis.

Dixerunt angeli mulieribus: QUID QUÆRITIS VIVENTEM CUM MORTUIS? NON EST HIC, SED SURREXIT. Quod apertè est dicere: Quid quæritis in tumulo, qui locus est propriè mortuorum, eum qui ad vitam jam surrexit à mortuis? Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset dicens: *quia oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum hominum, & crucifigi, & die tertia resurgere.* (Luc 24. 7.) Plana sunt hæc verba angelorum & cunctis nota fidelibus, utpote sine quorum scientia nullatenus possunt esse fideles. Sed est quod in illis fraternitatem vestram unà nobiscum admonere debeamus, ut, juxta quod angeli præcipiunt, recordemur sæpius, ac solicita mente versemus, quia Filius Dei hominis fieri dignatus est filius, ut nos in se credentes Dei faceret filios. (Christi Passio sæpius animo versanda.) Traditus est in manus hominum peccatorum, ut nos à consortio hominum peccatorum segregaret, simul à spirituum malignorum potestate liberaret. Crucifixus die tertia resurrexit, ut nobis virtutem pro se patiendi, & spem in se resurgendi, ac secum vivendi donaret. Hæc Dominicæ dispensationis arcana & semper nos animo decet retinere, & intentius solito ubi beatissimæ passionis sacramenta conficiuntur, ubi mors Salvatoris nostri quam citissima resurrectionis virtute in æternum conculcavit, mysticis in altari renovatur officiis. Nec sine discussione prætereundum quare Dominus ac Redemtor noster tertia die resurgere, hoc est duabus noctibus & una die voluit in sepulcro quiescere: siquidem sexta sabbati qua passus est sero positus est in monumento, mane prima sabbati surrexit. (Mors & resurrectio duplex.) Duabus etenim mortibus natura humana tenebatur obnoxia, animæ videlicet & carnis: animæ quidem, propter peccatum: carnis verò, propter pœnam peccati. MORS NAMQUE animæ est cùm propter peccatum suum deseritur à Deo qui est vita ejus: mors corporis cùm per judicium divinum deseritur ab anima, quæ est vita illius. Sicut etiam resurrectio animæ est abjecta labe peccati in se recipere Deum: ita resurrectio est carnis soluta pœna corruptionis in se recipere animam. His itaque duabus mortibus à primo parente generis nostri tenebamur obnoxii; sed venit Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS: suscepit unam misericorditer, & justè utramque damnavit. Sola namque carne mortuus, sola carne surrexit; quia animæ suæ vitam, quam pœnitendo reciperet, numquam peccando amisit, ut & omne genus humanum in judicio de morte carnis surrecturum, exemplo suæ resurrectionis ostenderet, & omnes electos ante judicium de morte animæ suscitandos sacramento ejusdem suæ resurrectionis intimaret. Qui ergo sua simpla morte duplam nostram destruxit, rectè duabus noctibus & una inter

A has die in monumento jacuit, ut per ipsum quoque tempus suæ sepulturæ signaret, quia tenebras nostræ duplæ mortis suæ simplæ mortis luce discuteret.

REGRESSÆ AUTEM MULIERES A MONUMENTO, NUNTIAVERUNT APOSTOLIS QUÆ IBI VIDERANT, VEL AB ANGELIS AUDIERANT. Quod divinæ pietatis actum dispensatione cognoscitur, ut à sexu femineo primæ prævaricationis tolleretur opprobrium. Ecce enim mortem, quam una mulier mundo à diabolo seducta intulerat, plures ab angelis edoctæ jam destructam prædicant. Una egrediens à cælestibus gaudiis [a] iter aperuit: multi egredientes (B) de exsilio præsenti ad patriam supernam repetendi januam jam reseratam astruunt. Sed quia non immerito movet eos qui simplicia tantùm monumenta norunt, quomodo factum fuerit monumentum illud dominicum, ut tot homines unà cum angelis caperet; opportunum putamus simpliciter caritati vestræ quæ de illo comperimus explicare, juxta relationem illorum [b] qui nostra ætate Jerosolymis fuerunt, quæque ibi viderunt redeuntes nobis scripta reliquerunt. Domus igitur [c] rotunda erat, excisa in petra, tantæ altitudinis, ut qui in medio (C) staret manu culmen tangere posset. (Sepulcri Dominici descriptio.) Habebat autem introïtum ab oriente, cui lapis ille magnus, de quo Evangelia narrant, appositus est. Hanc ingredientibus erat à dextris ille locus, qui specialiter Dominici corporis receptui paratus est, septem quidem pedum longus, trium verò mensura palmorum reliquo pavimento eminentior. qui non vulgarium more sepulcrorum desuper, sed à latere meridiano per totum factus est patulus, unde corpus posset imponi. Et hoc est quod evangelista Marcus ait: quia introeuntes in monumentum mulieres viderunt juvenem sedentem à (D) dextris, quia nimirum angelus qui ad locum Dominici corporis sedebat intrantibus erat à dextris, sed & ipse eidem loco sepulcri dexter sedebat. Cuncta autem hæc continuata & non ab invicem erant separata, ut pote in una eademque petra excisa. Talem quidem Dominici monumenti primò positionem fuisse percepimus. At nunc tradunt ecclesiam ibi esse rotundam eximii operis, triplici pariete distinctam, in cujus medio sit monumentum, & hoc deforis marmorum crustis usque ad summa culminis tecta: ipsum verò culmen auro vestitum auream crucem gestare non modicam, cujus (E) ad orientem ecclesiæ Golgothana est ecclesia, quæ inter alia ornamenta tali loco congrua crucem argenteam habet pergrandem in loco quo Dominus crucifigi pro nostra est salute dignatus; pendente magno pharo desuper, id est ærea rota cum lampadibus, quæ ipsam crucem debita lucis veneratione coronent. Sed & hujus ad orientalem plagam ecclesiæ proxima est ecclesia Constantiniana, quæ alio nomine

[a] Videtur esse legendum *iter mortis aperuit*.

[b] Scilicet Arculfi episcopi Galli, cujus narrationes, sacrorumque locorum descriptiones litterarum monumentis mandavit Adamnanus abbas Scotus, cujus opus editum habes apud Mabillonium Sæculo III. Bened. part. 1. p. 502. ubi Dominici sepulcri figura delineata repræsentatur. Idem opus compendio redegit ipse Beda in libello de Locis sanctis.

[c] Ita fere loquitur Beda lib. de Locis sanctis cap. 2.

Martyrium vocatur: ubi crux Domini ab Helena Constantini matre reperta est, & ob id ipse ibidem ecclesiam magnifico ac regio cultu construxit. His de sanctorum situ locorum, prout dicere potuimus explanatis, libet intueri adimpletam esse prophetiam Isaiæ, quam de sepultura ac resurrectione dominica simul & de nostra
Isa. 11. 10. fide ac salute prædixit: *In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.* Radix quippe Jesse Dominus est, natus quidem ex stirpe Jesse secundùm humanitatem, sed conditor ipsius Jesse secundùm divinitatem, *qui stat in signum populorum*, quia signum salutis quo credentium populi à callidi hostis malitia muniuntur, ipsius est passione sacratum. *Ipsum gentes deprecabuntur*, quia non solùm Judæos, sed & nos qui de finibus terræ ad eum clamare noscimur, gratia suæ visitationis advocavit. *Et est sepulcrum ejus gloriosum*, quia locum in quo regnum mortis diruit, palmæ perennis indiciis memorabilem servavit. Quapropter, dilectissimi, tota ad ipsum mente conversi deprecemur, ut nos signo suæ protectionis ab hostium liberet insidiis, ipse nos & redemtionis nostræ sacramenta dignè celebrare & ad beatæ resurrectionis tribuat gaudia pervenire JESUS CHRISTUS Dominus noster, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

IN LETANIA MAJORE

Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Et reliqua.

HOMILIA LECTIONIS EJUSDEM DICENDA IN LETANIA MAJORE.

DOMINUS & redemtor noster ad cælestis regni gaudia nos pervenire desiderans, & nos eadem gaudia à se petere docuit, & nobis petentibus se hæc daturum esse promisit. PETITE, inquit, ET DABITUR VOBIS; QUÆRITE, ET INVENIETIS; PULSATE, ET APERIETUR VOBIS. Quæ nobis sunt verba Domini nostri, fratres carissimi, magnopere ac toto corde pensanda: quia videlicet regnum cælorum non otiosis & & vacantibus; sed petentibus, quærentibus, pulsantibus dandum, inveniendum, & aperiendum esse testatur. Petenda est ergo janua regni orando, quærenda rectè vivendo, pulsanda perseverando. Non enim sufficit verbo tantummodo rogare, si non etiam quæsierimus diligentiùs, & qualiter nobis sit vivendum ut digni simus impetrare quæ poscimus, ipso attestante qui ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Nec aliquid prodest bona inchoasse, si non quisque studeat ea quæ bene inchoaverat usque ad finem firma perducere: quin immo melius erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti: unde necesse est, fratres mei, ut petamus seduli, sine intermissione oremus, & procidamus ante Dominum, ploremus coram Domino qui fecit nos. Et ut exaudiri mereamur, videamus sollicitè qualiter nos vivere velit, quid nos facere jusserit qui fecit nos. Quæramus Dominum & confirmemur, quæramus faciem ejus semper; & ut hunc invenire & videre mereamur, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus: quia nonnisi casto corpore in die resurrectionis ad cælos sublevari, nonnisi mundo corde gloriam valent divinæ majestatis intueri. Pulsemus & infatigabili desiderio æternæ beatitudinis aures pii conditoris, nec deficiamus à cœptis priusquàm, illo aperiente, de carcere mortis hujus eripi ac portam mereamur patriæ cælestis ingredi. NEMO SIBI de innocentia blandiatur, nullus suis actibus quasi qui misericordia justi judicis non egeat à precibus cesset: quin potius, etiam cum se aliquid boni quis egisse cognoverit, quia qua hoc districtione judicetur ignorat, tremens cum Propheta proclamet: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et cum beato Job: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* Memor illius semper apostolici sermonis, quia *si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Neque rursus quispiam considerata peccatorum suorum qualitate, seu quantitate, ab appetenda venia mentem desperando revocet. Neminem visa suorum putredine vulnerum, sui magnitudo languoris à salute quærenda retrahat. Magnam præbeat obtinendæ sanitatis fiduciam,

Marginalia: Regnum cælorum non otiosis datur. — Matth. 7. 21. — Oratio à justis non contemnenda. — Psal. 142. 2. — Job. 9. 20. — 1. Joan. 1. 9. — Neque à peccatoribus.

quod ipse conditor noster medicus nobis fieri, A ipse ad nos venire in carne, ipse infirmitates nostras suscipere ut sanaret, dolores nostros ut auferret, portare dignatus est. Ipse suum sanguinem pro nobis fudit, pro vita nostra mortem obtulit, ipse magis peccantium admissis pœnitentiæ remedia ostendit, dicens per Præcursorem suum : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et paulò post, *Qui habet*, inquit, *duas tunicas, det non habenti : & qui habet escas, similiter faciat.* Ipse levioribus quotidianisque nostris erratibus, sine quibus hæc vita transigi non potest, quotidiana confessionis & intercessionis mutuæ medicamenta concessit, dicens B per apostolum Jacobum : *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.* Ipse rogari ut præstet admonet, qui animos inopum ad se rogandum largus donator erigit, *Omnis*, inquiens, *qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Non ergo dubitandum quòd petentes accipimus, quærentes invenimus, pulsantibus nobis aperietur : quia nimirum fallere non potuit Veritas quæ promisit: Sed hoc est vigilantiùs intuendum, quia non omnes qui coram hominibus orare videntur, in conspectu æterni arbitri petere, vel quærere, vel cælestis regni aditum pulsare probantur. Neque enim Propheta diceret : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*; si non aliquos invocare Dominum, sed non in veritate cognosceret Invocant quippe Dominum in veritate, qui in hoc quòd orando dicunt vivendo non contradicunt: invocant Dominum in veritate, qui suas ei preces oblaturi primò jussa illius implere satagunt, qui dicturi ei in oratione : *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, illud ejus mandatum impleverunt quod dicit : *Et cùm stabitis ad orandum, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cælis est dimittat vobis peccata vestra :* unde de talibus aptè Propheta subjungit : *Voluntatem timentium se faciet, & orationes eorum exaudiet, & salvos faciet eos.* Illi itaque in veritate Dominum invocant, qui eum timere comprobantur. Horum ipse, cùm clamaverint, orationes exaudiet. Horum, cùm ad se suspiraverint pia devotione, perficit. Hos, cùm ex hac vita transierint, ad salutem sustollet æternam. At contra sunt qui Deum, sed non in veritate invocant : quos redarguens Jacobus ait : *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* Malè namque petunt, qui perseverantes in peccatis pro eisdem peccatis, quæ ipsi minimè dimittunt, ut sibi à Domino dimittantur, imprudenter exorant : quales ipse per Isaiam reprobat dicens : *Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestra sanguine plena sunt.* Quibus adhuc consulendo qua oratione possent impetrare quæ poscerent ostendit cùm subdidit : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Malè petunt qui vocem Domini jubentis venire, audire obtemperando contemnunt; & nihilominus Dominum suam vocem supplicantium exaudire miserando deposcunt: quos ipse repellens in Evangelio loquitur : *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* De quibus & Salomon in Proverbiis; *Qui declinat*, inquit, *aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* Malè petunt, quia non supernæ mercedis intuitu, sed ad exemplum Pharisæorum humanæ gratiâ laudis longis incubant precibus, de quibus ipse testis & Judex terribilis terribiliter protestatur, quia receperunt mercedem suam. Malè petunt & ipsi qui terrena magis in oratione quàm cælestia bona requirunt, quorum preces Apostolus in ipsa, de qua loquimur sententia, specialiter reprehendit. Cùm enim dixisset : *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis*; adjunxit continuò, *ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Neque autem prohibentur cives patriæ cælestis in terra peregrinantes pro pace temporum, pro salute corporum, pro ubertate frugum, pro serenitate aurarum, pro ceteris vitæ hujus necessariis Dominum petere, si tantùm hæc minimè petantur, & si ob hoc solummodo petantur, ut abundante viatico in præsenti, liberiùs ad futura dona tendatur; sed quia sunt qui temporalem quietem & prosperitatem à suo creatore requirunt, non C quidem ut eidem devotioribus animis obediant, sed ut abundantiùs comessationibus & ebrietatibus vacent, ut securiùs & licentiùs suis concupiscentiis, suæ carnis serviant illecebris : meritò tales malè petere dicuntur. Verùm quod omnes hujusmodi petitiones, eo quòd malè petunt, accipere non merentur, studeamus nos, dilectissimi, & bene petere, & digni ad obtinenda quæ petimus existere : quod ita fit, si ea quæ Dominus jussit orando quærimus, & quales nos ipse fieri docuit, tales ad orandum procedimus, & intenti in precibus donec im- D petremus insistimus. Si autem scire cupimus quæ ipse nos petere velit, audiamus nos illud Evangelicum; *quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Regnum autem Dei & justitiam ejus quærere est & cælestis patriæ dona desiderare, & quibus justitiæ meritis ad hæc pervenire debeatur indesinenter inquirere, ne si à via forte quæ illuc ducit oberremus, pervenire quò nitimur minimè queamus. Quod si verba Domini & Salvatoris nostri quibus nos de exemplo terreni parentis ad rogandum Deum Patrem hortatur, diligenter inspicimus, citiùs agnoscimus quæ E sit justitia, maximè quæ iter nobis cælestis regni aperiat. *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut si piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?* Aperta etenim est comparatio hæc & cunctis audientibus ad intelligendum facillima, quia si homo quilibet mortalis ac fragilis & peccati adhuc carne gravatus petentibus se filiis quos diligit quæ bona habet, quamvis terrena & fragilia dare non denegat; multò magis Pater cælestis petitoribus suis, suo timore & amore præditis, non defectiva in cælis

Luc 3. 7.
Luc 3. 11.
Jac. 5. 16.
Invocare Deum in veritate quid.
Psal. 144. 18.
Matth. 6. 12.
Marc 11. 25.
Psal. 144. 19.
Jac. 4. 3. Quinam malè petant.
Isa. 1. 15.
Ibid. 16.
Luc 6. 46.
Prov. 28. 9.
Jac. 4. 3.
Matth. 6. 33. Regnum Dei & justitiam ejus quærere quid.

bona largitur. Juxta typicam intelligentiam A panis dilectionem significat; quia sicut ille principalis est cibus, ita ut sine eo mensa inops esse videatur, ita dilectio principalis est virtus, ita ut sine illa virtutes reliquæ spiritales virtutes esse videri nequeant: quia nimirum quicquid boni agitur in sola dilectione perficitur: 1. Cor. 13. 1. unde dicit Apostolus, quia si linguis hominum loqueretur & angelorum, & si habuerit prophetiam, & nosset mysteria omnia & omnem scientiam, & si habuerit omnem fidem, ita ut montes transferret; & si distribueret omnes facultates suas in cibos pauperum; & si traderet corpus suum, ita ut arderet, caritatem B autem non haberet, nihil illi prodest. Caritas vera quæ. Caritas vera est, qua & Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute; & proximum tamquam nos diligere præcipimur. Nec tantùm proximis & amicis, verùm etiam inimicis perfectus quisque beneficium dilectionis impendere debet, Domino dicente: Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.* In pisce autem fides non ficta exprimitur. Quomodo enim piscis sub tegmento aquarum nascitur, vivit, & alitur; sic & fides quæ in Deum est quæ alterius vitæ gau- C dia per lamenta præsentia fletusque requirit, invisibiliter in corde gignitur, invisibili gratia Spiritus per aquam baptismatis consecratur, invisibili auxilio divinæ protectionis ne deficiat nutritur, invisibilium præmiorum intuitu quæque valet bona operatur, memor illius Apos- 2. Cor. 4. 18. tolici quia *ea quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* Fides inter adversa firma persistit. Possumus & in hoc dicere, quia piscis in eo fidei typum teneat, quod sicut [a] illecebris maris fluctibus tunditur, nec perimitur; ita fides firma, quantislibet adversantis mundi pressuris impugnetur, inconvulsa persistat, immo etiam de cer- D tamine gloriosior existat: adjuvante illo qui missis ad prædicanda ejusdem fidei dona discipulis ait: Joan. 16. 33. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Porro per ovum spei nostræ certitudo figuratur, quia in ovo nondum fœtus cernitur, sed futuræ avis fœtus speratur; & fideles quique nondum in præsenti supernæ patriæ gloriam, quam credunt, intuentur, sed futuram sperando præstolantur. Unde dicit Rom. 8. 25. Apostolus: *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus:* Hæc igitur sunt, fratres carissimi, bona quæ principaliter à Deo petere: hæc justitia regni quam ante omnia quæ- E rere debeamus, fides videlicet, spes, caritas: Rom. 1. 17 quia sicut scriptum est: *Justus ex fide vivit.* Psal. 31. 10. *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit*, &, Rom. 13. 10. *Plenitudo legis est dilectio. Omnis enim lex in uno* Gal. 5. 14. *sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et iterum: 1. Cor. 13. 4. *Dilectio proximi malum non operatur.* Non est autem metuendum ne si gratiam dilectionis à Domino pia devotione quæramus, si intimo ex corde dicamus: Luc. 11. 3. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; illorum cor nostrum rigore odiorum constringi permittat. Hunc etenim rigorem per duritiam lapidis insinuat, cùm dicit: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* Luc 17. 5. Non est formidandum, ne si fortitudinem fidei contra hostis antiqui tentamenta precemur, toto ex corde dicentes *Domine auge nobis fidem*; ille nos infidelitatis sinat interire venenis. Jure enim nomine serpentis virus infidelitatis, quod per ipsum generi humano aspersum est, exprimitur, cùm dicitur: *Aut si piscem petit, numquid pro pisce serpentem dabit illi?* Non est timendum ne si spem bonorum cælestium, per quam præsentia adversa simul & prospera contemnere possimus, à Domino postulemus; ille auditum avertat, & nos desperatione futurorum retro respicere, id est ea quæ reliquimus patiatur labentis sæculi commoda virentia requirere. Rectè namque immutatio boni propositi nociva, & concupiscentiæ carnalis repetitio, veneno scorpionis, quod retro est, quod in cauda gestat, comparatur, cùm dicitur: *Aut si petierit ovum, numquid porriget ei scorpionem?* Hæc itaque petamus à Domino, fratres, ut scilicet alimentum nobis puræ caritatis, sinceræ fidei, certæ spei tribuat, ut duritiam odiorum, ut perfidiæ virus, & aculeum nobis desperationis qui ad vitam caducam retrahere solet auferat, & absque ulla dubietate quod petimus accipiemus. Ait enim veridica voce Johannes apostolus, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos; sed & ipse Dominus certam nobis fiduciam dat impetrandi quæ rectè petimus, cùm subjungit: *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Malos autem discipulos vocat, qui utique quantùm ad humanum judicium spectat, boni erant, quia nimirum nemo est qui in hac vita à cunctis valeat immunis esse delictis, Salomone adtestante qui ait: *Quia non est homo justus in terra qui faciat bonum & non peccet.* Eccl. 7. 21. Unde providens qui gravibus peccantium reatibus grandiora pœnitendi medicamenta demonstrat, ipse quotidianos electorum erratus, qui verbo maximè vel cogitatu contingunt, quotidianis orationum studiis docet debere curare: quos inter alia sic orare præcipit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Matth. 6. 12. Vel certè malos appellat discipulos, quia in comparatione divinæ bonitatis omnis creatura mala esse probatur, dicente Domino: *Nemo bonus nisi unus Deus:* Marc. 10. 18. cùm tamen participatione ejusdem bonitatis divinæ rationabilis creatura bona fieri posse cognoscitur: unde & Dominus pia promissione testatur, quia *Pater de cælo dabit spiritum bonum petentibus se:* Luc 11. 13. ut profectò ostendat, quia qui seipsis mali sunt, per acceptam Spiritus gratiam boni possunt effici. Spiritum bonum petentibus dandum à Patre pollicetur, quia sive fidem, spem, caritatem, sive alia quælibet bona cælestia desideramus adipisci,

[a] Forte inquietis.

non

non aliter nobis hæc quàm per Sancti Spiritus A donum tribuuntur. Hinc est enim quod idem Spiritus in Isaia Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, Spiritus timoris Domini; & in alio loco Spiritus dilectionis & pacis, Spiritus gratiæ & precum nominatur: quia nimirum quicquid boni veraciter habemus, quicquid bene agimus, hoc eodem Spiritu largiente percipimus: quod intelligens Propheta, cùm cordis munditiam quæreret dicens: *Cor mundum crea in me Deus*; continuò subjunxit: *Spiritum rectum innova in visceribus meis*: quia si non interiora nostra Spiritus Domini rectus impleverit, cor in nobis mundum unde sit non habet. Cùm in operibus bonis profectum concupiscens dixisset: *Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam*; statim quo hunc ordine consequi deberet ostendit cùm dicit: *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam*, cujus vestigiis juxta modulum nostrum, fratres carissimi, adhærentes, petamus Deum Patrem, ut Spiritus sui gratia nos in viam rectæ fidei, quæ per dilectionem operatur, inducat. Et ut optata mereamur obtinere, taliter vivere studeamus, ne tanto Patre simus indigni, quin potius mysterium regenerationis quo in baptismate filii Dei sumus electi, inlibato semper corpore pariter & mente servemus. Certum namque est, quasi summi Patris mandata sectamur, remunerabit nos hereditate sempiternæ benedictionis, quam nobis ante sæcula paravit, per Jesum Christum Dominum nostrum qui cum eo vivit, & regnat Deus in unitate Spiritus-Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 50. 12. Psal. 142. 9. Ibid. 10.

HOMILIA X.

DICENDA IN ASCENSA DOMINI.

Secundùm Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Luc. 24. 44.

HOMILIA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

ASCENSURUS in cælum Dominus C primò discipulos de mysterio suæ fidei diligenter instruere curavit, ut tantò certiùs hanc mundo prædicarent, quantò eam & ab ipso veritatis ore percepissent, & prophetarum ore jam dudum præsignatam fuisse cognoscerent. Apparens enim post resurrectionis triumphum, juxta hoc quod modò, cùm Evangelium legeretur, audivimus: *Hæc sunt*, inquit, *verba quæ locutus sum ad vos cùm essem vobiscum*, id est cùm simile vobis adhuc corpus corruptibile ac mortale gestarem, *quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me.* Impleta in se dicit sacramenta quæ Moyses, prophetæ & psalmista prædicaverunt: unde liquidò patet quia una est Ecclesia in omnibus sanctis ejus, eadem fides electorum omnium, præcedentium videlicet & subsequentium carnalem ejus adventum: quia nimirum sicut nos per fidem transactæ incarnationis, passionis, ac resurrectionis illius salvamur; ita & illi futuram ipsam incarnationem, passionem, ac resurrectionem certissimè credentes, per eumdem vitæ auctorem salvari sperabant: quod bene duo viri illi qui botrum de terra repromissionis ad populum in deserto expectantem in vecte portabant, insinuant. Botrus quippe vecti impositus Dominus est in cruce exaltatus, qui dicit: *Ego sum vitis vera.* Et alibi poculum vini discipulis porrigens; *hic est calix*, inquit, *novum testamentum in meo sanguine, quod pro vobis fundetur.* De quo & Ecclesia, *Botrus Cypri*, inquit, *dilectus meus mihi.* Portant autem botrum in vecte duo viri, per quem populo ubertatem terræ repromissionis astruant: quia prædicatores utriusque testamenti, qui gloriam patriæ cælestis Domino revelante didicerunt, iidem passionis illius arcanum populis intimare non cessant, quo per hoc conjici possit quanta fidelibus præmia sit daturus in cælis, qui pro illorum salute Filium D suum unigenitum passurum misit ad terras. Quod autem duo portantes botrum similiter quidem eum portare, sed non similiter valebant intueri, hoc nimirum significat, quod Salvator ipse discipulis suæ visionis gratia glorificatis ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quia multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Vel certè illud quod unum eumdemque Dominicæ crucis triumphum prius prophetæ & Moyses quàm apostoli noverant & prædicabant; sed prophetæ aliquotiens hoc figuratis velatisque sermonibus: apostoli autem apostolorumque successores patefacta luce evangelii semper apertè

Fides electorum eadem ante & post Christi adventum. Num. 13. 24. Joan. 15. 1. Luc. 22. 20. Cant. 1. 14. Matth. 13. 16.

prædicabant: ita ut nunc omnis populus christianus scire & confiteri debeat fidem quam eo tempore pauci admodum & perfectiores quique noverant, quamvis omnis populus etiam tunc ejusdem mysteria fidei in legalibus cerimoniis typicè portaret: unde hic dicitur quia Dominus, consummatis Incarnationis suæ sacramentis, aperuit discipulis suis sensum ut intelligerent scripturas. Aperuit discipulis sensum, ut ea quæ obscurè prophetæ dixerunt, ipsi palam intelligere, atque intelligenda credentibus tradere possent. Aperuit illis sensum ut intelligerent: quia quæcumque ille in carne gessit vel docuit, hæc eadem eum prophetæ acturum docturumque esse prædixerant.

ET DIXIT EIS: QUONIAM SIC SCRIPTUM EST, ET SIC OPORTEBAT PATI CHRISTUM, ET RESURGERE A MORTUIS DIE TERTIA, ET PRÆDICARI IN NOMINE EJUS POENITENTIAM ET REMISSIONEM PECCATORUM IN OMNES GENTES, INCIPIENTIBUS AB JEROSOLYMA. Nomen Christi & ante passionem resurrectionemque illius jam olim prophetarum, ut diximus, patrumque fides noverat, Petro attestante, qui de eisdem loquens
Act. 15. 11. ait: *Sed per gratiam Jesu credimus salvari quemadmodum & illi.* Peracta autem passione ac resurrectione, sed & ascensione ejus ad cælos, ejusdem nominis illius fides non solùm posteris eorum, genti videlicet Judææ, latiùs apertiùsque prædicatur, sed & exteris nationibus eadem superna miseratione revelatur. Ideo ergo Christum venire in carne, pati, ac resurgere oportebat, quia genus humanum aliter ad vitam institui, à morte redimi, ad spem resurrectionis informari, quàm per ipsius præsentiam, passionem, & resurrectionem, minimè valebat. Bene autem prædicatio poenitentiæ & remissionis peccatorum in confessione nominis Christi ab Jerosolymis incipit, ut ubi doctrinæ & virtutum ejus magnificentia, ubi passionis triumphus, ubi resurrectionis & ascensionis sunt gaudia perfecta, ibi prima fidei illius radix ederetur, primus Ecclesiæ nascentis quasi magnæ cujusdam vineæ surculus plantaretur: quæ perinde multiplicato verbi germine in totam mundi latitudinem doctrinæ suæ palmites extenderet, completo Isaiæ vaticinio
Isa. 2. 3. quo dixit: quia *de Syon exibit lex & verbum Domini de Jerusalem, & judicabit gentes, & arguet populos multos.* Bene autem prædicatio poenitentiæ & remissionis peccatorum, quæ in gentes idolatras & variis pollutas sceleribus erat evangelizanda, ab Jerosolymis sumit initium, ne ullus scilicet suorum magnitudine facinorum perterritus, de impetranda venia, si dignum poenitentiæ fructum faceret, dubitaret, quando etiam Jerosolymitis, qui Filium Dei blasphemavêre & crucifixêre indultum esse constaret.

VOS AUTEM, inquit, ESTIS TESTES HORUM: ET EGO MITTO PROMISSUM PATRIS MEI IN VOS. Promissum Patris gratiam dicit Spiritus-sancti, de quo in Evangelio Johannis multa illis ante passionem suam loquutus est,
Joan. 15. 26. ex quibus est illud: *Cùm autem venerit Paraclitus,*

A *quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Et in Actibus apostolorum: *Præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu-sancto non post multos hos dies.* De cujus promissi expectatione hic quoque subinfertur cùm dicitur: Act. 1. 4.

VOS AUTEM SEDETE IN CIVITATE QUOADUSQUE INDUAMINI VIRTUTE EX ALTO. Virtutem autem eis ex alto superventuram pollicetur, quia quamvis & antea Spiritum-
B sanctum habuerint; pleniùs tamen hunc, illo ad cælos ascendente, perceperunt. Nam & ante passionem ejus per Spiritus-sancti potentiam multa demonia ejiciebant, multos sanabant ægrotos, verbum vitæ quibus valuere prædicabant, & ipso resurgente à mortuis specialius sunt ejusdem Spiritus gratia recreati, quando sicut Johannes scribit, *insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum-sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed majori ejus virtute sunt ex alto induti, cùm post decem dies Assumtionis Dominicæ, hunc in linguis igneis susceperunt, & tanta per eum sunt fiducia fortitudinis inflammati, ut nullis princi-
C pum terroribus, quin omnibus in nomine Jesu loquerentur, possent prohiberi.

Apostoli post Christi Ascensionem Spiritum-sanctum abundantiùs acceperunt.

Joan. 20. 22.

EDUXIT AUTEM EOS FORAS IN BETHANIAM, ET ELEVATIS MANIBUS SUIS BENEDIXIT EIS. Quia Redemtor noster in carne apparuit, ut peccata tolleret, meritum primæ maledictionis auferret, hereditatem credentibus perpetuæ benedictionis donaret, rectè cuncta quæ in mundo gessit, in verba benedictionis conclusit; ostendens se ipsum esse de quo dictum est: *Etenim benedictionem dabit qui legem dedit.* Et bene eos quibus benediceret, in Bethaniam, quæ Domus obedientiæ interpretatur, eduxit: quia nimirum contemtus & su- Psal. 83. 7.
D perbia maledictionem, obedientia meruit benedictionem. Nam & ipse Dominus, ut amissam benedictionis gratiam mundo restitueret, factus est obediens Patri usque ad mortem, & solis eis, qui in sancta Ecclesia divinis student obtemperare præceptis, benedictio vitæ cælestis tribuitur. Nec prætereundum est quod Bethania in latere montis Oliveti posita narratur. Sicut enim Bethania obedientem Domini mandatis Ecclesiam; ita mons Oliveti ipsam Redemtoris nostri personam multùm decenter exprimit, qui in carne apparens, & altitudine dignitatis, & spiritualis gratia virtu-
E tis, omnes qui puri homines sunt sanctos antecellit: unde & illi canitur in psalmis, quia *unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et ipse, sicut etiam præsens sancti Evangelii lectio testatur, ejusdem sanctæ unctionis munus suis consortibus, hoc est fidelibus promisit, nec multo post tempore, sicut novimus, quod promiserat misit. Si autem quem delectat audire quomodo domus obedientiæ, id est Ecclesia sancta in ejusdem montis Oliveti sit latere

Obedientiæ meritum.

Psal. 44. 8.

constructa, legamus Evangelium Johannis, ubi passione ejus in cruce completa, unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Hæc sunt etenim sacramenta quibus Ecclesia in Christo nascitur & nutritur: aqua videlicet baptismatis, qua abluitur à peccatis; & sanguis calicis Dominici, quo confirmatur in donis. Quæ quia Spiritus quoque sancti chrismate, ut perfici valeat in die redemtionis, signatur, rectè mons in cujus latere civitas sancta sita est, in quo benedictionis gratia datur, mons Olivarum vocatur.

ET FACTUM EST, inquit, DUM BENEDICERET ILLIS, RECESSIT AB EIS, ET FEREBATUR IN CÆLUM. Notandum quòd benedictione discipulis data, Salvator ascendit ad cælos, simulque memoriæ commendandum quòd sicut in Actibus eorum legimus, ipsis ascensum ejus aspectantibus apparentes angeli dixerunt:
Act. 1. 11. *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*, atque omni instantia laborandum, ut sicut in eadem carnis forma ac substantia qua ascendit Dominus, ad judicandum descendet, sic etiam qui benedicens Apostolis abiit, benedictione sua nos, cùm redierit, dignos efficiat, eorumque in sorte collocet, quibus ad dextram stantibus dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum.* Matth. 25. 34.

ET IPSI ADORANTES REGRESSI SUNT IN JERUSALEM CUM GAUDIO MAGNO, ET ERANT SEMPER IN TEMPLO, LAUDANTES ET BENEDICENTES DEUM. Et semper, & in hoc maximè loco, fratres carissimi, meminisse nos decet sermonis Domini, quo discipulos glorificans, sicut paulò superiùs retulimus, *Beati*, inquit, *oculi qui vident quæ vos videtis.* Matth. 13. 16. Quis etenim dicere, quis dignè valeat cogitare quàm beata compunctione oculos ad terram deflexerint, quibus ipsum quem adorabant cæli Regem, devicta mortalitate quam assumserat ad paternæ claritatis solium jam redire conspexerint? quàm dulces lacrymas, quanta spe ac lætitia ferventes, pro ingressu patriæ cælestis fuderint, quo Deum ac Dominum suum partem suæ naturæ jam ferre cernebant? Meritò ergo tali spectaculo refecti, postquam adoraverunt in loco ubi steterunt pedes ejus, postquam
[a] vestigia quæ novissimè [a] fixit lacrymis rigavere profusis, confestim rediere Jerosolymam, ubi adventum Sancti Spiritus expectare sunt jussi, & ut digni promissis cælestibus existerent, erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum, scientes certissimè, quia illa solummodo corda Spiritus-sanctus invisere & inhabitare dignatur, quæ locum orationis frequentantia, quæ laudi & benedictioni divinæ vide rit esse dedita. (Quos præsertim visitet Spiritus-sanctus.) Unde in Actibus apostolorum
Act. 1. 14. legitur de ipsis: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* Quod nobis est testimonium operis apostolici solerter imitandum, videlicet; ut qui cælestia promissa habemus, qui pro his accipiendis sedulò supplicare præcipimur, & omnes ad orandum conveniamus, & in oratione persistamus, & unanimi Dominum devotione precemur. Nec dubitandum est quòd sic nobis orantibus pius Conditor auditum accommodare, & Spiritus sui gratiam nostris quoque cordibus infundere dignabitur, quòd nostros quoque beatos faciet oculos, etsi non ut apostolorum, qui commorantem in mundo Dominum, qui docentem & miracula facientem, qui post triumphum mortis resurrexisse atque ad cælos redeuntem videre meruerunt; certè ut eorum de quibus Thomæ apostolo dicit, *quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.* Joan. 20. 29. Cunctis etenim credentibus, sive illis qui Incarnationis ejus tempora nascendo præcesserunt, sive his qui eum in carne viderunt, sive nobis qui post ejus ascensionem credimus, communis est illa piissima ejus repromissio qua dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. 8.

Hæc de lectione Evangelii, prout potuimus, exponendo transcurrimus; sed quia in eadem lectione apertum discipulis sensum ad intelligendum Scripturas audivimus; libet de ipsis prophetarum scripturis aliqua ad memoriam reducere, gaudiumque evangelicæ solemnitatis etiam propheticæ assertionis accumulare ac condire præconiis. (Ascensio Domini propheticis oraculis prænunciata.) Loquitur ergo de hac solemnitate Psalmista: *Ascendit Deus in jubilatione: Dominus in voce tubæ.* Psal. 46. 6. Ascendit quippe in jubilatione, quia lætantibus de sublevationis ejus gloria discipulis, cælum petit. Ascendit & in voce tubæ, quia præconantibus angelis reditum ejus ad judicandos vivos & mortuos, sedem regni cælestis adiit. Qualiter autem Deus ascenderit, qui semper ubique præsens de loco ad locum mutabilis non est, idem alibi testatur dicens: *Qui ponit nubem ascensum, qui ambulat super omnes pennas ventorum.* Psal. 103. 3. Nubem namque dicit substantiam humanæ fragilitatis, qua se Sol justitiæ ut ab hominibus ferri posset induit. Unde dicit Isaias: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus.* Isa. 19. 1. Super nubem quippe levem Dominus ascendit, ut ingressus Ægyptum ejus simulacra subverteret, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, Joan. 1. 14. quia immune ab omni sorde iniquitatis corpus assumsit, in quo mundum ingrediens idolatriæ ritum destrueret, nigrisque ac tenebrosis gentilium cordibus verum divinitatis lumen aperiret. Per naturæ humanæ nubem de loco ad locum venire dignatus est qui loco non clauditur: in hac irrisiones, & flagella, & mortem quoque voluit pati qui impassibilis semper in divinitate permanet: per hanc resurrectionis virtute coronatam ascendit in cælum qui potentia divinitatis cælum implet & terram. Hanc super pennas ventorum evexit, cùm assumtam de terris non solùm super universa aëris hujus spatia, sed etiam ætheris altitudinem sustollens,

[a] Hic Beda respicere videtur ad illa B. Paulini Nolani episcopi verba epist. 31. ad Severum: *Mirum verò inter hæc, quod in basilica Ascensionis .... impressam divinorum pedum venerationem arena conservat, ut verè dici possit,* Adoramus in loco ubi steterunt pedes ejus.

in majestatis paternæ dextra collocavit. De A hac assumtæ humanitatis gloria etiam Amos ait : *Qui ædificat in cælum ascensionem suam, & promissionem suam super terram fundit.* In cælum quippe ascensionem suam ædificavit qui humanam sibi carnem & animam, in qua cælum subire posset, ipse creavit. Promissionem verò suam super terram fudit, quia misso desuper Spiritu, omnes terrarum fines gratia suæ fidei ut promiserat implevit : cujus gratiam promissionis Psalmista & venturam in Spiritu prævidens, & citiùs venire desiderans, ait : *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Ubi apertè significat, quia priusquam Redemtor noster assumta mortali carne mortis regnum dirueret, notus tantùm in Judæa erat B Deus, in Israël magnum nomen ejus. At ubi resurgens à mortuis cæli alta Deus homo penetravit, toto jam terrarum orbe nominis ejus gloria prædicatur & creditur.

Amos 9. 6.

Psal. 56. 12.

Nec verbis solummodo prophetæ, verùm etiam gestis ejusdem Dominicæ ascensionis prædicavere mysterium. Nam & septimus ab Adam Enoch translatus de mundo, & Elias in cælum sublevatus aërium, ascensuro super cælos Domino testimonium præbuerunt. Et quidem Enoch in eo quod septimus ab Adam progenitus est figuravit Dominum, non consueto mortalis naturæ ordine, sed Spiritus-sancti potentia concipiendum & nasciturum, Spiritus-sancti gratiam omnem, quæ septiformis à C propheta describitur, in eo singulariter requieturam, ipsum in Spiritu-sancto baptizaturum, & ejusdem Spiritus dona credentibus esse daturum. In eo autem quod trecentis sexaginta quinque annis priusquam transferretur apud homines vixit, qui est numerus dierum anni solaris, ejus futuram in carne conversationem designavit, qui ascensurus ad cælos unicam se mundi lucem esse monstravit. *Ego sum*, inquiens, *lux mundi ; qui sequitur me non ambulat in tenebris ; sed habebit lumen vitæ.* Unde à Propheta sol mysticè vocatur, quia ipse nimirum cunctas mundi partes à solis ortu usque ad occasum, ab aquilone usque ad meridiem, gratia fidei & veritatis illustrare dignatus est. Porro hoc D quod Enoch qui translatus est Dedicatio interpretatur, significat eum qui resurgens à mortuis ascendit in cælum, & nunc ad consecranda corda fidelium pignus sui Spiritus dare, & in futuro perfectam ex omni parte ecclesiam in gaudio resurrectionis & perpetuæ solemnitatis inducere dignatur.

Enoch & Elias Christi figura.

Joan. 8. 12

At verò Elias abundantiore miraculo figuram hujus Dominicæ festivitatis prætulit. Cùm enim instaret tempus quo tolleretur de mundo, venit ad Jordanem cum discipulo Elizeo, & involuto pallio suo percussit aquas : E quæ divisæ sunt, & transierunt ambo per siccum, dixitque ad Elizeum : *Postula quid vis ut faciam tibi antequam tollar à te. At ille, obsecro, inquit, ut fiat duplex spiritus tuus in me.* Cùm incedentes sermocinarentur, ecce curru igneo repente raptus Elias, ut Scriptura ait, ascendit quasi usque in cælum. Qua adjectione significatur quòd Elias non in ipsum cælum, ut Dominus noster, sed in alta tantum aëris hujus sublevatus est, ac deinde invisibiliter ad paradisi gaudia relatus. Levavitque Elizeus pallium Eliæ quod ceciderat ei. Et veniens ad Jordanem percussit eo aquas, atque invocato Deo Eliæ, divisit & transiit. Notet ergo dilectio vestra, fratres mei, quàm ordinatè figura concinat veritati. Venit Elias ad Jordanem, & exutus pallio suo percussit aquas ac divisit. Venit Dominus ad fluvium mortis, quo genus humanum mergi consueverat ; & exuens se ad tempus habitu carnis quam assumserat, mortem moriendo percussit, ac vitæ nobis iter resurgendo patefecit. Rectè etenim per Jordanem fluxus nostræ mortalitatis ac defectus exprimitur : quia & Jordanis latinè Descensus eorum dicitur, & ipse fluvius in mare mortuum influens [a] laudabiles suas ibi perdit aquas. [a] Transit autem Elias diviso amne per siccum, transit & Elizeus, quia resurgens à mortuis Salvator fidelibus suis quoque spem resurgendi tribuit. Transito Jordane, Elias dedit optionem Elizeo postulandi quæ vellet : & Dominus impleta resurrectionis gloria, pleniùs discipulorum sensibus inseruit quod & antea promisit : *quia quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Petiit Elizeus ut fieret spiritus Eliæ duplex in se, & edocti à Domino discipuli promissam Spiritus gratiam accipere desiderabant : quam non uni tantùm genti Judææ, quam ipse præsens in carne docuit, sed & cunctis per orbem nationibus prædicare sufficerent. Annon duplicem Spiritus sui gratiam pollicebatur, cùm ait : *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet.* Sermocinantibus Elia & Elizeo subitò currus & equi ignei rapuerunt Eliam quasi usque ad cælum : qui profectò currus & equi angelicæ sunt intelligendæ virtutes, de quibus scriptum est : *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem.* Horum namque Elias subsidio, utpote homo purus, quo à terra tolli posset egebat, & Dominus cum apostolis colloquens subitò videntibus illis elevatus est, etsi non angelico fultus auxilio, angelico tamen comitatus obsequio, verèque assumtus est in cælum, angelis quoque id ipsum attestantibus, qui illis dixerunt : *Hic* JESUS *qui assumtus est à vobis in cælum.* Sublevatus ad cælum Elias dimisit Elizeo pallium quo erat indutus. Ascendens in cælum Dominus sacramenta humanitatis assumtæ discipulis, immo omni Ecclesiæ, quibus sanctificaretur & in virtute dilectionis calefieret, reliquit. Assumens Elizeus pallium Eliæ percussit eo aquas Jordanis, & ubi invocavit Deum Eliæ, divisæ sunt, & transiit. Assumserunt apostoli, assumsit instituta per eos Ecclesia sacramenta sui Redemtoris, quibus spiritualiter erudita, abluta, & consecrata ; ipsa quoque invocato nomine Dei Patris, im-

4. Reg. 2. 9.

Joan. 15. 16.

Joan. 14. 12.

Psal. 103. 4.

Act. 1. 11.

[a] Plinii verba sunt hæc lib. 5. Hist. natur. c. 15. quem vide si lubet.

petum mortis superare, ejusque obstaculo contemto ad vitam transire didicit sempiternam.

Hanc ergo Dominicæ ascensionis gloriam, fratres carissimi, quæ prius prophetarum & dictis signabatur & gestis; & post in ipso Mediatore nostro completa est, tota devotione veneremur, & ipsi quoque ut ejus vestigia sequi, atque ad cælos mereamur ascendere, interim salubriter humiliemur in terra, memores semper, quia sicut Salomon ait: *Superbum sequitur ignominia, & humilem spiritu sequitur gloria.* (Prov. 29. 23.) Ecce in ascensione Redemtoris nostri, quò nostra sit omnis intentio dirigenda didicimus: ecce ascendente ad cælos Mediatore Dei & hominum patefactam hominibus cæ- A lestis patriæ januam cognovimus. Ad hujus ergo patriæ perpetuam felicitatem omni studio festinemus. In hac quia necdum corpore possumus, desiderio semper & mente versemus. Juxta vocem egregii prædicatoris, quæ sursum sunt quæramus, ubi Christus est in dextra Dei sedens, quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram. Quæramus illum & confirmemur spe inventionis. Quæramus faciem ejus semper, ut cùm ipse qui placidus ascendit terribilis redierit, nos paratos inveniat, quos secum ad festa supernæ civitatis introducat Jesus Christus Dominus noster, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

In illo tempore ascendens Jesus in naviculam, secuti sunt eum discipuli multi. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse verò dormiebat. Et accesserunt, & suscitaverunt eum discipuli ejus, dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et reliqua. (Matth. 8. 23.)

Homilia Venerabilis Bedæ presbyteri.

INgrediente Domino in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus; non imbecilles, sed firmi & stabiles in fide, mansueti & pii, spernentes mundum; non duplici corde, sed simplici. Hi ergo secuti sunt eum, non tantùm gressus ejus sequentes, sed magis sanctitatem comitantes & justitiam ejus consectantes.

Et ecce tempestas magna facta est in mari ita ut navis operiretur fluctibus. Cùm enim multa magna & miranda ostendisset in terra, transiit in mare, ut & ibidem adhuc excellentiora opera demonstraret, quatinus terræ marisque Dominum se esse cunctis ostenderet. Fecit turbari mare, commovit ventos, concitavit fluctus. Cur hoc? ideo ut discipulos mitteret in timorem, & suum auxilium postularent, suamque potentiam rogantibus manifestaret. Illa tempestas non ex sese oborta est, sed potestati paruit imperantis ejus qui educit ventos de thesauris suis, qui terminum mari arenam constituit. Dixit enim ei: Usque huc venies & non supergredieris, sed in temetipso confringentur fluctus tui? Hujus ergo jussione & præcepto orta est tempestas in mari, propter occasiones superiùs memoratas. Facta est tempestas magna & non pusilla, ut magnum opus & non pusillum ostenderetur: quantòque fluctus naviculæ inruebant, tantò magis timor discipulos conturbabat, ut plus magis desiderarent ad liberandum se mirabilia Salvatoris. Dominus verò dormiebat. O res mirabilis & stupenda! is qui numquam obdormiit, dormit; is qui cælum & terram gubernat, B dormit; is qui non dormit neque dormitat, ipse dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore, sed vigilabat deitate, dormiebat corpore, sed conturbabat mare, erigebatque fluctus, & apostolos conterrebat suam ostensurus potentiam; dormiebat corpore sicuti & ad puteum de itinere lassus vel fatigatus sedebat, demonstrans quia verè humanum portabat corpus, quod corruptibile induerat. Ipso corpore dormiebat, deitate verò concitabat mare & iterum deplacabat. Dormiebat itaque corpore ut apostolos suscitaret & evigilare faceret. Præcipuè autem omnes nos nequa- C quam animo dormiamus, neve intellectu aut prudentia, sed vigilare in omni tempore, & jubilare Domino, & salutem ab eo postulare studeamus. Nam ipse qui dormiebat corpore, illud sanctum verbum dicit: *Ego dormio & cor meum vigilat.* (Cant. 5. 2.) Ad quem accedentes discipuli suscitabant eum dicentes: *Domine salva nos, perimus.* Tanto fuerant metu conterriti & pene animo alieni, ut irruerent in eum, & non modestè, aut leniter suggererent, sed turbulenter suscitarent eum dicentes: *Domine, salva nos, perimus,* O beati, ô veraces Dei discipuli, Dominum Salvatorem vobiscum habetis, & peri- D culum timetis! Vita vobiscum est, & de morte solliciti estis; maris turbatorem trementes, creatorem ejus præsentem ita suscitatis, quasi non possit dormiente corpore fluctus sedare vel mitigare. Sed quid respondent hi dilectissimi discipuli? Parvuli, inquiunt, sumus adhuc infirmi & nondum robusti, ideoque timemus,

ideoque trepidamus: necdum vidimus crucem, necdum nos confirmavit passio Domini & resurrectio, non ascensio in cælis, nec missi descensio Sancti Spiritus Paracliti; propterea fragilitate nutamus, à Domino increpationem pusillæ fidei supportamus, toleramus libenter, voluntariè sustinemus: unde & nunc dicente Domino: quare conturbati estis pusillæ fidei? cur non habetis fortitudinem, cur non confidentiam & fiduciam apud vos tenetis? Et si mors irrueret, nonne eam debuistis constantissimè sustinere? Ad omne enim quidquid evenerit fortitudo necessaria est, ad omne periculum vel tribulationem usque ad animæ exitum. Similiter & contra delicias & divitias & honores terrenos animi fortitudo tenenda est, ut neque extollaris, ô homo, neque in superbiam erigaris, non despicias inimicos, neque humiles spernas, neque obliviscaris Dominum, neque derelinquas creatorem, nec existas ingratus. Si ergo in necessitate & in periculis fortitudo necessaria est, ut viriliter cum fide toleres universa; multò magis contra delicias, ut dictum est, & luxurias fortitudo necessaria est, ne in muscipulam incidas diaboli. Quare ergo turbati estis pusillæ fidei, si potentem me super terram cognovistis? Quare non creditis quod & in mari potens sim? Si Deum me verè esse creatorem omnium suscepistis, quare non creditis quod ea quæ à me facta sunt in mea habeam potestate? quare ergo dubitastis modicæ fidei? Qui pusillum credit arguetur, & qui nihil credit contemnetur; fragiles in fide corripientur, alieni omnino à fide punientur. Tales fuerunt Judæi & pagani, ideoque in malis suis evanuerunt. Tales etiam hæretici, ideoque in die judicii damnabuntur.

Fortitudo quàm necessaria.

TUNC SURGENS IMPERAVIT VENTIS ET MARI, ET FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA. Scriptum fuit: *Et exsurrexit tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino. Et percussit omnes inimicos suos in posteriora:* & nunc surgens imperat ventis & mari sicut creator, sicut suis, ut potens, ut Dominus imperavit ventis & mari primitus ante discipulos, ut venientes firmarentur in fide; & potentia Deitatis occulta imperabat & comminabatur ei, magis autem regebat, & placabat illud secundùm quod quidam ait: Potentia mitigavit mare. Imperavit ergo ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. De magno vento & tempestate, magna mari conturbato & tumenti, facta est magna tranquillitas. Decet enim hunc magnum magna & miranda facere: ideoquè paulò antè magna accinctus potentia magnificè conturbavit profundum maris; & nunc iterum in eo ipso ostendens suæ magnificentiam potestatis, tranquillitatem magnam fieri jussit. Hæc ideo ut nimium conturbati magnificè exhilarati lætarentur. Dedit enim per hæc omnia nobis Dominus figuram & doctrinæ imaginem, ut & in omni conturbatione & contumelia teneamus patientiam, stabiles simus, fidem non deseramus: Et si omnis iste mundus tamquam mare ebulliat, atque in furore consurgat; & si omnes venti & vertigines dæmonum undique sæviant, & si omnis, ut diximus, tempestas maris, id est omnis principatus & potestates mundi concitentur, & in tumore iracundiæ spument aut furiant super sanctos: & si adhuc usque ad cælum sese extollant, ut tempestates maris malignantes & dolos & fremitus concitantes adversum aliquem vestrûm; nolite timere, nolite turbari, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes enim quotquot in fidei navicula cum Domino navigatis: omnes enim quotquot in hac nimiùm sanctæ Ecclesiæ navicula cum Domino per hunc undosum supernatatis mundum, etsi ipse Dominus dormiat; pio somno vestram patientiam & tolerantiam expectans, vel impiorum pœnitentiam & conversionem sustinens, alacriter accedite ad eum, orationibus instantes, atque cum propheta dicentes: *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas nos in finem.* Et iterum: *Exurge, Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.* Et ipse surgens increpat ventis, his aëris dæmonum spiritibus. Ipsi enim maris tempestates commovent, hoc est amaros & elatos concitant fluctus hujus principes mundi, ad persecutiones sanctis omnibus immittendas, ad contumelias fidelibus ingerendas. Omnibus Dominus increpat, & comminatur, omnia mitigat, facitque tranquillitatem magnam circa corpus & spiritum, pacem Ecclesiæ & serenitatem mundo. Quomodo namque sæpius consilia infidelium commota sunt adversus veram fidem & firmam Ecclesiam, aliquotiens paganorum, aliquotiens hæreticorum, quemadmodum sæpius sicut maris fluctus irruebant comminantes & conterrentes hujus principes mundi, per omnia perdere se Ecclesiæ filios arbitrantes; sed surgens Dominus increpavit dæmonum ventis, & omnes evanescere fecit audaces adversarios fidei, magnamque pacem & tranquillitatem dedit Ecclesiæ suæ.


Psal. 77. 65.

Psal. 43. 23.

Ibid. 26.

Homines autem illi in navicula mirati sunt. Qui homines? scilicet hanc habentes naviculam. Naviculæ nomine ne putes hic apostolos significatos. Nusquam enim invenimus præter errorem sic cognominari Domini discipulos; sed semper aut apostoli aut discipuli nominantur. Mirabantur ergo illi homines, hi qui cum illo ambulabant, hi quorum erat navicula, illi qui in eadem navicula sese transigebant: hi mirabantur. Et admiratione dignum fuit mare à profundo commotum mitigari, ejusque elatos deplacari fluctus, ventos sitientes compesci. Mirabantur ergo dicentes: *Qualis est iste, quia venti & mare obediunt ei!* Non interrogantes dicunt: Qualis est cui mare & venti obediunt! Qualis est iste! hoc est quantus, quàm fortis, quàm potens, quàm magnus! Qualis est iste, major Moyse, potentior Helia! Illi enim ambo, quorum unus ligno mare percusso cum labore discedit, alius...... Jordanem pertransiit: Iste verò uno verbo mandat illis qui non habent verba, & obediunt ei. Hi qui non habent auditum obtem-

temperant; hi qui prudentiæ & intellectus expertes sunt inclinantur jubenti: quibus neque loquela, neque, ut diximus, sermo est obediunt, in eadem substantia in qua sunt, & sua natura moventur, & jussioni deserviunt ad confusionem mortalium, ad condemnationem corruptibilium. Jubet mari, & non contemnit; dicit ventis & tempestatibus, & mox compescuntur; jubet omni creaturæ, & non supergreditur jussionem ejus: & unum hominum genus, & unum quod secundùm similitudinem Dei honorificandum est, cui verbum & prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemnunt, ideoque & hi soli in judicio damnabuntur, & à justitia punientur velut deteriores mutis animalibus, vel his qui sine spiritu & anima sunt in isto mundo. Mirabantur ergo illi quia mare compescuit & venti mitigati sunt. Admiremur & nos quando benignitates & benevolentias ostendit circa nos Dominus, quando de periculis nos salvare dignatur, quando de tumultibus nos liberat, quando ab inimicis insequentibus eruit nos. Miremur, & mirantes gratias agamus, gratiæ obaudiamus, obaudientes timeamus, timentes diligamus, ut æternæ caritatis ab eodem heredes efficiamur. Mirabantur dicentes, qualis est iste? Sicut homo videtur, & sicut Deus potentiam ostendit: sicut unus carnalium putatur esse, & super omnia carnalia magna ostendit mirabilia: dormit sicut homo, & imperat mari & ventis sicut Deus: in navicula sedet, & omnem creaturam jussione inclinat ubi vult Jesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.



VENERABILIS BEDÆ
PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI
LIBELLUS PRECUM.

Ex ms. codice Corbeiensi.

ADMONITIO PRÆVIA.



BEDÆ VENERABILIS Homiliis subjicere libet libellum precum ab eo compositum, quem eruimus ex veteri Corbeiensi codice ante annos octingentos scripto, atque adeo ad auctoris ipsius ætatem proximè accedente. Constat præcipuè ex libri psalmorum versiculis, quos auctor excerpsit ex S. Hieronymi versione secundum Hebraicam veritatem; in qua sanctus doctor versiculos ipsos per cola & commata distinxit: id quod à Beda etiam observatum nobis non retinere religio fuit. Ex hoc autem libro colligere possumus qualis præsertim fuerit orandi modus patribus nostris, qui orationum præcipuum fontem ex psalmorum libro derivabant. Erunt forte qui hæc leviora existimabunt: Verum nihil parvipendendum in magnis viris, apud quos vel lævissima magni sunt ponderis. Porro codicis scriptor Bedæ præfationem ad calcem libri collocaverat, quam nos suo loco restituimus.



PRÆFATIO.

ANGELICA admonitione perdocemur Deum cæli semper benedicere, ejusque mirabilia attentius enarrare, Raphaële Tobi & suis ita perorante. *Benedicite*, inquit, *Deum cali, & coram omnibus viventibus confitemini illi*. Et post pauca. *Vos autem*, inquit, *benedicite Deum & enarrate omnia mirabilia ejus*. Et psalmista, *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua*. Et iterum: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Et iterum: *Narrantes laudes Domini & virtutes & mirabilia ejus qua fecit*. Itemque: *Adnunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Confitemini & invocate nomen ejus. Annunciate inter gentes opera ejus. Cantate & psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus. Mementote mirabilium ejus qua fecit*. Quocirca reus fiam, si confiteri Domino ejusque mirabilia enarrare cessem. [a] Unius etenim officio displicuere novem. Adgrediar pro viribus de pluribus pauca, de maximis modica, de innumerabilibus miraculis metrico carmine contingere aliqua, auctoritate scilicet sanctorum patrum fretus, qui multa in laudibus divinis metricè adplauserunt, ex quibus præfulgidorum virorum, Hilarii videlicet Pictavensis, Sedulii quoque ac Juvenci presbyterorum, nec non & Aratoris Romanæ ecclesiæ subdiaconi, atque Eldelmi & Prosperi discurrens virentia prata, paradisi genas inde sumens comtis floribus herbas, quibusdam flosculis meæ imbecillitatis pro viribus locis & suis opportunitatibus interpolatis, hanc tantillam intexui coronam vernantem.

Tob. 12. 6. Ibid. 20. Psal. 9. 2. Psal. 33. 2. Psal. 77. 4 Psal. 9. 12. [a] [b]

INCIPIUNT VERSI VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI

Collecti de singulis psalmis, orationibus convenientes quotidianis.

BEATUS vir qui non abiit in consilio
impiorum,
& in via peccatorum non stetit
& in cathedra derisorum non sedit
Sed in lege Domini fuit voluntas ejus,
Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.
Et erit tamquam lignum transplantatum
juxta rivulos aquarum, quod fructum
suum dabit in tempore suo
Et folium ejus non defluet,
Et omne quod fecerit prosperabitur.
Nunc ergo reges intelligite,
erudimini judices terræ.
Servite Domino in timore,
Et exultate ei in tremore.
Adorate purè, ne fortè irascatur,
Et pereatis de via.
Miserere mei, & exaudi orationem meam.
Verba mea auribus percipe Domine.
Intellige murmur meum, Rex meus
Et Deus meus, quia te deprecor.
Domine deduc me in justitia tua propter
insidiatores meos. Dirige ante
faciem tuam viam meam.
Domine, ne in furore tuo arguas me,
neque in ira tua corripias me.
Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum,
Sana me, Domine, quoniam conturbata
sunt
ossa mea.
Et anima mea turbata est valde,
& tu, Domine, usquequo.
Revertere, Domine, erue animam meam
propter misericordiam tuam.
Domine Deus meus in te speravi, salva me
ab omnibus persequentibus, & libera me.
Ne forte capiat ut leo animam meam, &
laceret, & non sit qui eripiat.
Domine, Dominator noster, quam grande est
nomen tuum in universa terra!
Lætabor & gaudebo in te:
Canam nomini tuo, Altissime,
Usquequo exaltabitur inimicus meus
super me, convertere & exaudi me.
Domine Deus meus.
Inlumina oculos meos, ne umquam
obdormiam in morte,
Nequando dicat inimicus meus,
Prævalui adversus eum.
Exultabit Jacob & lætabitur Israël,
timentes autem Dominum
glorificat Deus.
Custodi me, Domine Deus, quoniam speravi
in te,
Dicens Deo, Deus meus es tu, bene mihi
non est sine te.
Custodi me quasi pupillam intus in oculo,
in umbra alarum tuarum protege me.
Ego autem in justitia videbo faciem tuam:
Diligam te, Domine, fortitudo mea,

[a] Hic alludit ad decem leprosos à Christo sanitati restitutos, quorum unus tantùm gratias agens placuit Deo, novem verò beneficio ingrati displicuerunt.

Et

& redemtor meus.
Ab occultis meis munda me, Domine,
& ab alienis parce servo tuo.
Nos autem nominis Domini Dei nostri
recordabimur.
Exaltare, Domine, in fortitudine tua,
cantabimus & psallemus
virtutes tuas.
Tu autem, Domine, ne longè sis à me, fortitudo
mea, in auxilium meum festina,
Erue à gladio animam meam.
Salva me ex ore leonis.
Et benignitas & misericordia subsequentur me omnibus diebus
vitæ meæ.
Et accipiam benedictionem à Domino.
Ad te, Domine, animam meam levabo.
Vias tuas, Domine, ostende mihi, &
semitas tuas doce me.
Deduc me, Domine, in veritate tua
& doce me: quia tu es Deus
Salvator meus.
Peccatorum adolescentiæ
meæ, & scelerum meorum
ne memineris.
Secundùm magnam misericordiam
tuam, recordare mei.
Propter nomen tuum
propitiare iniquitati meæ,
quoniam grandis est.
Respice in me & miserere mei.
De angustiis meis educ me.
Vide humilitatem meam
& laborem meum, & porta
omnia peccata mea.
Custodi animam meam, redime me,
& miserere mei.
Dominus lux mea, & salutare meum,
quem timebo.
Audi, Domine, vocem te invocantis,
miserere mei,
& exaudi me.
Ne abscondas faciem tuam
à me, ne declines in furore
à servo tuo.
Auxilium meum fuisti,
ne derelinquas me, & ne dimittas
me, Deus salvator meus.
Ostende mihi, Domine, viam tuam.
Deduc me in semita recta,
propter insidiatores meos.
Ne tradas me, Domine,
animæ tribulantium me.
Ego autem credo, quod videam bona Domini
in terra viventium.
Audi, Domine, deprecationem meam,
cum clamavero ad te.
Ne tradas me cum peccatoribus
& cum operantibus iniquitatem.
Deus fortitudo mea, & scutum.
Adorate Dominum in decore sancto.
Audi, Domine, & miserere mei.
Domine, esto adjutor, & laudet te
gloria mea, & non taceat.
Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

A In te, Domine, speravi, non confundar in æternum,
in tua justitia salva me.
Inclina ad me aurem tuam, velociter
exaudi me.
Quia fortitudo mea es. In manus tuas
commendabo spiritum meum. In manu tua
tempora mea.
Libera me de manu inimicorum meorum
& persequentium me.
Ostende faciem tuam super servum tuum.
Beatus, cui dimissa est iniquitas,
& absconditum est peccatum.
B Peccatum meum notum facio tibi,
& iniquitatem meam non abscondo.
Tu es protectio mea.
Ab hoste custodies me.
Ecce oculi Domini super timentes eum, & super
expectantes misericordiam ejus.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos,
sicut speravimus in te.
Benedicam Dominum in omni tempore,
semper laus ejus in ore meo.
Magnificate Dominum mecum,
& exaltemus nomen ejus pariter.
Quæsivi Dominum, & exaudivit me,
C & de omnibus angustiis meis
liberavit me.
Gustate & videte, quoniam bonus est Dominus.
Beatus vir qui sperat in eo.
Timete Dominum omnes sancti ejus.
Quoniam non est inopia timentibus eum.
Quærentibus autem Dominum
non deerit omne bonum.
Dominus custodit omnia ossa eorum,
unum ex his non confringetur.
Redimet Dominus animas servorum suorum.
Judica Domine adversarios meos,
pugna contra pugnantes me.
D Adprehende scutum & hastam,
& consurge in auxilium meum,
Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.
Anima autem mea exultabit in Domino,
lætabitur in salute tua.
Confitebor tibi in ecclesia grandi,
& lingua mea meditabitur justitiam
tuam, tota die laudem tuam.
Domine, in cælo misericordia tua Deus.
Quàm pretiosa misericordia tua Deus!
Quoniam tecum est fons vitæ, & in lumine tuo
videbimus lumen.
Adtrahe misericordiam tuam scientibus te,
E & justitiam tuam rectis corde.
Ne veniat mihi pes superbiæ,
& manus impiorum non me
commoveat.
Puer siquidem fui, & non vidi
justum derelictum.
Quia Dominus diligit judicium, & non derelinquet sanctos suos. In æternum custoditi
sunt,
& auxiliabitur eis Dominus.
Domine, ne in ira tua arguas me,
neque in furore tuo corripias me.
Te enim expectabam, Domine, tu exaudies,

Domine Deus meus: quia sequebar bonum.
Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne elongeris à me.
Festina in auxilium meum, Domine, Deus salutis meæ.
Præstolatio mea tu es. Ab omnibus iniquitatibus meis libera me. Obprobrium stulto ne ponas me. Tolle à me plagas tuas.
Expectans expectavi Dominum, & inclinatus est, & exaudivit clamorem meum.
Domine ad adjuvandum me festina, gaudeant & lætentur in te qui quærunt te.
Auxilium meum, & salutare meum, Deus meus, ne moreris.
Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.
Tu autem, Domine, miserere mei.
Sicut areola præparata ad inrigationes aquarum, sic anima mea præparata est ad te Deus.
Judica me, Deus, & discerne causam meam à gente non sancta, à viro doloso & iniquo salva me.
Tu enim es fortitudo mea, quare projecisti me?
Surge, auxiliare nobis, & redime nos propter misericordiam tuam.
Thronus tuus, Deus, in sæculum æternum.
Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum & in æternum.
Deus noster, spes & fortitudo, auxilium in tribulationibus inventus es validum.
Rex magnus super omnem terram.
Canite Domino nostro, canite, canite, regi nostro canite.
Quia ipse est Deus noster in sæculum & in perpetuum:
Ipse erit lux nostra in monte.
Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum assumseris me.
Fortis Dominus Deus locutus est: non propter victimas arguam te, & holocausto- mata tua coram me sunt semper.
Non accipiam de domo tua vitulum, neque de gregibus hircos.
Mea sunt enim omnia animalia silvarum.
Scio omnes aves montium, & universitas agri mecum est.
Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.
Immola Deo laudem, & redde Altissimo vota tua.
Et invoca me in die tribulationis, liberabo te, & glorificabis me.
Qui immolat confessionem, glorificat me, & qui ordinatè ambulat, ostendam ei salutare meum.
Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.
Juxta multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.
Multùm lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, & omnes iniquitates meas dele.

A Cor mundum crea in me Deus, & spiritum stabilem renova in visceribus meis.
Ne projicias me à facie tua, & Spiritum-sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam JESU tui, & Spiritu potenti confirma me.
Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ, laudabit lingua mea justitiam tuam.
Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies.
B Misericordia Dei tota est die.
Ego sicut oliva virens in domo Dei speravi in misericordia Dei in sæculum.
Exultabit Jacob & lætabitur Israël.
Deus, in nomine tuo salvum me fac, & in fortitudine tua ulciscere me.
Deus, exaudi orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, adtende mihi, & exaudi me.
Ego autem fiduciam habebo tui, in quacumque die territus fuero. Ego in te confidam.
Non timebo quid faciat mihi caro; hoc scio quia tu es Deus meus.
C Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.
Et in umbra alarum tuarum spero donec transeant insidiæ.
Invocabo Deum altissimum, Deum ultorem meum.
Mittet de cælo & salvabit me verè Deus judicans in terra.
Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & à resistentibus mihi protege me.
Fortitudinem meam ad te servabo, quoniam tu Deus elevator meus, Dei mei misericordia præveniet me.
D Quoniam factus es fortitudo mea, & refugium in die tribulationis meæ.
Tibi cantabo, quoniam Deus adjutor meus, fortitudo mea, Deus meus, misericordia mea.
Da nobis auxilium in tribulatione.
Vana est enim salus ab homine.
In Deo faciemus virtutem, & ipse conculcabit tribulantes nos.
Exaudi, Deus, laudationem meam.
De novissimo terræ ad te clamabo, cùm triste fuerit cor meum.
Cum fortis elevabitur adversum me, tu eductor meus fuisti, spes mea,
E turris munitissima à facie judicii.
Habitabo in tabernaculo tuo jugiter, sperabo in protectione alarum tuarum.
Tu enim Deus, exaudisti orationem meam, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.
Misericordia & veritas servabunt te.
Ab ipso enim præstolatio mea. Ipse est fortitudo mea & salus mea, susceptor meus, non timebo.
Deus, fortitudo mea tu es, de luce consurgam ad te, anima mea. Desideravit te caro mea.
Sic in sancto apparui tibi, ut viderem

fortitudinem tuam & gloriam tuam.
Melior est misericordia tua, quàm vitæ: labia mea laudabunt te.
Sic benedicam tibi, vita mea. In nomine tuo levabo manus meas, quia fuisti auxilium meum: in umbra alarum tuarum laudabo.
Audi, Deus, vocem loquentis. A timore inimici serva vitam meam.
Audi nos, Deus salvator noster, spes omnium finium terræ.
Omnis terra adoret te, & canat tibi, canat nomini tuo.
Benedicite, populi, Deo nostro, & auditam facite vocem laudis ejus.
Qui posuit animam meam ad vitam.
Benedictus Dominus qui non abstulit orationem meam & misericordiam suam à me.
Deus misereatur nostri, & benedicat nos.
Inlustret faciem suam super nos.
Benedicat nobis Deus.
Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.
Justi autem lætentur, exultent in conspectu Dei, & gaudeant in lætitiam.
Exaudi, Domine, quoniam bona est misericordia tua, secundùm multitudinem miserationum tuarum respice ad me.
Et ne abscondas faciem tuam à servo tuo: quoniam tribulor, citò exaudi me.
Accede ad animam meam, & redime eam, propter inimicos libera me.
Salus tua, Deus suscepit me.
Deus, ut liberes me, ut auxilieris mihi, festina.
Gaudeant & lætentur in te omnes qui quærunt te.
Egó autem egenus & pauper sum, festina pro me.
Auxilium meum, & salvator meus, Domine, ne moreris.
In te, Domine, speravi, non confundar in æternum, in tua justitia erue me, & libera me.
Inclina ad me aurem tuam & salva me.
Deus meus, salva me de manu impii, de manu iniqui & nocentis: quia tu es expectatio mea, Domine.
Deus ne elongeris à me, Deus meus, in auxilium meum festina.
Erit nomen tuum in æternum. Ultra solem perseverabit nomen tuum.
Mihi autem propinquare Deo bonum est, Posui in Domino Deo spem meam.
Deus autem rex meus ab initio.
Ne tradas bestiis animam eruditam lege tua, vitam pauperum tuorum ne oblivíscaris in perpetuum.
Ego autem adnunciabo in sempiternum, cantabo Deo Jacob.
Cùm surrexerit ad judicandum Deus, ut salvos faciat omnes mites terræ.
Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum & exaudivit me.
In die tribulationis meæ Deum exquisivi.

A Ipse verò misericors propitiabitur iniquitati, & non disperdet.
Ne recorderis veterum nostrarum iniquitatum, citò occumbent misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus nimis.
Auxiliare nobis, Deus JESUS noster, propter gloriam nominis tui, & libera nos, & propitiare peccatis nostris propter nomen tuum.
Suscita fortitudinem, & veni ut salvos facias nos.
Domine exercituum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.
B Laudate Deum, fortitudinem nostram.
Judicate, pauperi & pupillo, egeno & inopi justè facite.
Salvate inopem, & pauperem de manu impiorum liberate.
Deus ne taceas, ne sileas, & non acquiescas, Deus, & sciant quia nomen tuum est, Deus noster.
Tu solus excelsus super omnem terram.
Domine Deus exercituum, exaudi orationem.
Domine exercituum, beatus homo qui confidit in te.
Converte nos Deus JESUS noster, & solve iram
C tuam adversum nos, noli in æternum irasci nobis.
Ostende nobis, Domine, misericordiam, tuam, & salutare tuum da nobis.
Inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me: quoniam egenus & pauper sum ego.
Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamabo tota die, lætifica animam servi tui, quia ad te animam meam levo.
Exaudi, Domine, vocem meam, & ausculta vocem deprecationum mearum.
In die tribulationis invocabo te, quoniam exaudies me.
D Doce me, Domine, viam tuam, & ambulem in veritate tua.
Unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum in sempiternum.
Tu autem, Domine, misericors, clemens, respice in me, & miserere mei.
Da fortitudinem servo tuo, & salva filium ancillæ tuæ.
Fac mecum signum in bonitate, ut videant qui oderunt me & confundantur.
Quia tu, Domine, auxiliatus es mihi, & consolatus es me.
E Et cantabunt quasi in choris omnes fontes mei in te.
Ingrediatur ante te oratio mea, inclina aurem tuam ad laudationem meam.
Ego autem ad te, Domine clamavi, & manè oratio mea præveniet te.
Confitebuntur cæli mirabilia tua, Domine,
Misericordia & veritas præibunt faciem tuam.
Appareat apud servos tuos opus tuum, & gloria tua super filios eorum.
Et sit decor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum confirma.

Tu enim es, Domine, ſpes mea: quoniam læ- A
tificaſti me, Domine, in opere tuo.
Teſtimonia tua fidelia facta ſunt
nimis.
Miſericordia tua, Domine, ſuſtentabat me.
Venite, adoremus, & curvemur,
flectamus genua ante faciem Domini
factoris noſtri; quia ipſe eſt Dominus Deus
noſter.
Gloria & decor ante vultum ejus.
Qui diligitis Dominum, odite malum.
Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuo-
rum,
De manu impiorum eruet eos. B
Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ.
Exaltate Dominum Deum noſtrum.
Servite Domino in lætitia. Ingredimini
coram eo in laude.
Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus. Ipſe
fecit nos & nos ipſius ſumus.
Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Do-
mine.
Pſallam & erudiar in via perfecta
quando venies ad me.
Domine, exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te perveniat.
Non abſcondas faciem tuam à me
in die tribulationis meæ, inclina
ad me aurem tuam.
In quacumque die invocavero te,
velociter exaudi me.
Benedic anima mea Domino, & omnia
interiora mea nomini ſancto ejus.
Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci
omnium retributionum ejus.
Qui propitiatur cunctis iniquitatibus
tuis, & ſanat omnes languores tuos.
Qui redimit de corruptione vitam tuam,
& coronat te miſericordia &
miſerationibus.
Benedic anima mea Domino, Domine Deus
meus
magnificatus es nimis.
Sit gloria Domini in ſæculum ſæculi. Lætabitur
Dominus in operibus ſuis.
Quærite Dominum & virtutem ejus.
Quærite faciem ejus ſemper.
Recordamini mirabilium quæ fecit.
Beati qui cuſtodiunt judicium, &
faciunt juſtitiam in omni tempore.
Salva nos, Domine Deus, ut confiteamur
nomini ſancto tuo, & canamus laudantes
te. Benedictus Dominus Deus Iſraël.
Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam
in æternum
miſericordia ejus.
Confiteantur Domino miſericordiæ ejus,
& mirabilia ejus in filios hominum.
Quia ſatiavit animam vacuam, & animam
eſurientem implevit bonis.
Da nobis auxilium in tribulatione.
Vana eſt enim ſalus ab homine.
In Deo erimus fortes, & ipſe ſuperabit
hoſtes noſtros.
Tu autem, Domine, fac mecum propter no-
men tuum,
quoniam bona eſt miſericordia tua.
Libera me, quoniam egenus & pauper ſum.
Adjuva me, Domine Deus meus, ſalvum me
fac ſecundùm
miſericordiam tuam.
Dominare in medio inimicorum tuorum.
Confitebor Domino in toto corde. Gloria
& decor opus ejus, opus manuum ejus
veritas & judicium.
Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis
ejus cupit nimis.
Sit nomen Domini benedictum, à modo
uſque in æternum.
Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini
tuo da gloriam.
Propter miſericordiam & veritatem.
Obſecro, Domine, ſalva animam meam,
& nomen Domini invocabo.
Glorioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum
ejus,
& veritas Domini in æternum.
Domine, Deus meus es, non timebo quid faciat
mihi homo.
Dominus mihi auxiliator, & ego deſpiciam
odientes me.
C Melius eſt ſperare in Domino, quàm ſperare
in principibus.
Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudiſti me,
& factus es mihi in ſalutem.
Confitebor tibi in directione cordis,
cum didicero judicia juſtitiæ tuæ.
Ne errare me facias à mandatis tuis.
Revela oculos meos, & videbo
mirabilia in lege tua.
Viam mendacii aufer à me,
& legem tuam dona mihi.
Inclina cor meum ad teſtimonia tua
& non ad avaritiam.
D Inveniant mihi miſericordiæ tuæ,
Domine, & ſalus tua juxta eloquium tuum.
Hæc eſt conſolatio mea in afflictione
mea, quia eloquium tuum vivificabit me.
Miſericordia tua completa eſt.
Præcepta tua doce me.
Antequam audirem ego ignoravi.
Bonus, beneficus, doce me præcepta tua.
Sit obſecro miſericordia tua in conſo-
latione mea, ſicut locutus es ſervo tuo.
Secundùm miſericordiam tuam vivifica me,
& cuſtodiam teſtimonia oris tui.
Niſi quod lex tua meditatio mea,
E forte periiſſem in preſſura mea.
Quàm dulce gutturi meo eloquium tuum
ſuper mel ori meo!
Voluntaria oris mei complaceant tibi, Domine.
Et ſecundùm judicia tua doce me. Confirma
me ſecundùm verbum tuum & vivam.
Auxiliare mihi, & ſalvus ero.
Fac cum ſervo tuo juxta miſericordiam
tuam, & præcepta tua doce me.
Reſpice ad me, & miſerere mei,
& doce me præcepta tua.
Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum,
Vocem meam audi juxta miſericordiam tuam,

secundùm judicium tuum vivifica me.
Vide afflictionem meam, & eripe me.
Juxta misericordiam tuam vivifica me.
Pax multa diligentibus legem tuam,
& non est illis scandalum.
Ingrediatur laus mea coram te, Domine,
secundùm verbum tuum doce me.
Veniat deprecatio mea ante vultum tuum,
secundùm eloquium tuum libera me.
Domine, libera animam meam à labio mendacii
& à lingua dolosa.
Levavi oculos meos in montes, unde
veniat auxilium mihi.
Sit bene his qui diligunt te.
Miserere nostri, Domine, miserere nostri.
Auxilium nostrum in nomine Domini, qui
fecit cælum & terram.
Benefac, Domine, bonis & rectis corde.
Converte, Domine, captivitatem nostram,
sicut rivum in austro.
Nisi Dominus custodierit civitatem,
frustra vigilant qui custodiunt eam.
Beatus omnis qui timet Dominum,
qui ambulat in viis ejus.
Benedictio Domini super nos.
Domine, exaudi orationem meam,
Fiant aures tuæ intendentes
ad orationem servi tui.
Domine, non est exaltatum cor meum,
neque elati sunt oculi mei.
Hæc requies mea in sempiternum.
Quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem,
& vitam usque in sæculum.
Qui statis in domo Domini,
Laudate Dominum, quoniam bonus est Dominus.
Confitemini Deo cæli, quoniam in æternum
misericordia ejus.
Beatus homo qui timet Dominum.
Confitebor tibi Domine, in toto corde meo.
Domine, misericordia tua in æternum.
Opera manuum tuarum ne dimittas.
Si ascendero in cælum, ibi es tu,
si jacuero in inferno, ades.
Erue me, Domine, ab homine malo,
à viris iniquis serva me.
Exaudi vocem meam clamantis ad te.
Dirigatur oratio mea sicut incensum
in conspectu tuo.
Pone, Domine, custodiam ori meo.
Serva paupertatem labiorum meorum.
Educ de carcere animam meam,
ut confiteatur nomini tuo.
Domine, exaudi orationem meam.
Exaudi me in justitia tua, & non venias
ad judicandum cum servo tuo.
Quia non justificabitur in conspectu
tuo omnis vivens.
Fac me audire misericordiam tuam.
In te confido.
Notam fac mihi viam in qua ambulo,
quoniam ad te levavi animam meam.
Libera me de inimicis meis, Domine: à te
protectus sum. Doce me ut faciam

A voluntatem tuam, quia Deus meus es.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram
rectam, propter nomen tuum, Domine,
vivificabis me in justitia tua.
Ego enim sum servus tuus.
Benedictus Dominus fortis meus,
misericordia mea, & fortitudo mea.
Auxiliator meus, & salvator meus.
In omni die benedicam tibi. Laudabo nomen
tuum in simpiternum jugiter.
Laudem Domini loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomini sancto ejus
in æternum & jugiter.
B Lauda anima mea Domino. Laudabo Dominum
in vita mea.
Cantabo Domino quamdiu sum.
Laudate Dominum, quoniam bonum est.
Placeat Domino in his qui timent eum,
& expectant misericordiam ejus.
Mittet verbum suum & solvet illam.
Laudate Dominum de cælis, laudate eum
in excelsis.
Laudate eum omnes angeli ejus, laudate
eum omnis exercitus ejus.
Laudate eum sol & luna, laudate eum
omnes stellæ & lumen.
C Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ
super cælos sunt, laudent nomen Domini.
Quia ipse mandavit & creata sunt.
Laudate Dominum reges terræ & omnes populi, principes & universi judices terræ.
Juvenes & virgines, senes cum pueris
laudent nomen Domini.
Quoniam sublime nomen ejus solius.
Gloria ejus in cælo & in terra.
Et exaltavit cornu populi sui.
Laus in omnibus sanctis ejus.
Cantate Domino canticum novum, laus ejus
in congregatione sanctorum.
Exaltavit mansuetos in JESU,
D Exultabunt sancti in gloria,
laudabunt in cubilibus suis.
Exultationes Dei in gutture eorum.
Omne quod spirat laudet Dominum.

CANTICUM GRADUUM.

AD Dominum clamaveram,
Cum tribulatus fueram,
Et exaudivit Dominus
Servum suum quantotius.
Levavi oculos meos
Statim ad montes pristinos,
E Unde erit Altissimo
Auxilium à Domino.
Lætatus sum in omnibus
Quæ dixit mihi Dominus,
Ad domum Domini ibimus,
In qua semper manebimus.
Ad te levavi oculos,
O Deus meus, internos,
Qui es in cæli culmine,
Cum angelorum agmine.

Nisi quia Altissimus
Erat in nobis Dominus,
Dicat Israël omnibus
Infirmiores fuimus.
Qui confidunt in Domino
Dominatore maximo,
Ut mons Sion perpetuo
Non movetur ab aliquo.
In convertendo Dominus
Captivitatem protinus
Sion, satis in omnibus
Consolati nos fuimus.
Nisi Dominus ædificaverit,
Atque nos conservaverit,
Vanum est opus omnium
Domus ædificantium.
Beati filii hominum,
Qui suum timent Dominum,
Quique in via angusta
Fide ambulant robusta.
Sæpe expugnaverunt me,
Nec potuerunt adversarii,
Sed cessaverunt continuò
Confortante me Domino.
De profundis suppliciter
Clamavi ac fideliter,
Ad te, Deus victoriæ.
Pater perennis gloriæ
Non est elatum
In me cor meum
Superbia, neque interius
Altus sum sensibus.
Memento mei, Domine,
Deus cæli de vertice,
Cui adstant millium
Millia ministrantium.
Ecce quàm bonum sublime,
Et quàm jocundum utique,
Fratres in unum vivere,
Summaque vita sedere.
Ecce nunc omnes famuli
Stantes in domo Domini,
Benedicite Dominum,
Deum dierum omnium.
Patrem precor potentiæ,
Principemque scientiæ,
Ut per hos ter quinos gradus
Cœlos possim conscendere,
Et per loca æthera
Vehar ad refrigeria,
Ut merear præmia
Possidere eximia.

Oratio.

Liberator animarum, mundi Redemtor, Jesu Christe, Deus æterne, rex immortalis, supplico ego peccator immensam clementiam tuam, ut per magnam misericordiam tuam, & per modulationem psalmorum, quam ego indignus peccator decantavi, liberes animam meam de peccato. Averte cor meum ab omnibus malis, pravis & perfidis cogitationibus, libera corpus meum de servitute peccati, repelle A à me concupiscentiam carnalem, eripe me de omni impedimento satanæ & ministrorum ejus visibilium & invisibilium, infidelium tuorum inimicorum quærentium animam meam. Custodi me ab his & ab omnibus malis, Salvator mundi, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivis & regnas ac dominaris Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, adaperi cor meum, & Sancti Spiritus gratiâ inlumina, ad petenda ea quæ sunt tuæ bene placita vo- B luntati. Dirige cogitationes meas & sensus ad meditanda atque tractanda, qualiter dignis moribus & actibus, cælestis vitæ gaudia æterna merear. Dispone actus meos ad mandata tua, ut ea jugiter opere complere studeam, ut pro his etiam præmia sempiterna percipiam.

ORATIO POST FIDEM CATHOLICAM:
Quicumque vult salvus esse.

Domine Deus noster, credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Ne- C que enim diceret Veritas: ***Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti***, nisi Trinitas esses; nec baptizari nos juberes Domine Deus, in ejus nomine, qui non est Dominus Deus. Nec diceretur voce divina, ***Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus unus est***, nisi Trinitas ita esses, ut unus Dominus Deus esses; & nisi tu Deus Pater ipse esses, & Filius Verbum tuum Jesus Christus ipse esses, & donum vestrum Spiritus sanctus, non legeremus in litteris Veritatis: ***Misit Deus Filium suum:*** Nec tu Unigenite diceres de Spiritu-sancto ***quem mittit Pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis à Pa-*** D ***tre.*** Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam, summa origo rerum, & perfectissima pulcritudo & beatissima delectatio.

IN LAUDEM DEI ORATIO PURA.

Adesto mihi, una spes mea, Domine Deus meus.

Adesto lumen verum, Pater omnipotens Deus.

Adesto, lumen de lumine & Verbum & Filius Dei, Deus omnipotens.

Adesto Sancte Spiritus, Patris & Filii con- E cordia, Deus omnipotens.

Adesto, Deus unus omnipotens Pater & Filius & Spiritus-sanctus.

Doce fidem, excita spem, infunde caritatem.

Velle mihi adjacet, sed hoc non à me, sed à te.

Mundum & terras linquere, & cælum petere.

Sed imbecilla pluma est velle, sine subsidio tuo.

Da fidei pennas ut volem sursum ad te.

Hanc fidem in te, per te, de te confiteor.

Te unum in substantia, Trinitatem in personis confiteor. A

Te semper idem esse, vivere, & intelligere confiteor.

Et tres unum, & unum tres confiteor.

Pater & Filius & Spiritus sanctus. O beata Trinitas.

Deus, Dominus, Paraclitus O beata Trinitas.

Caritas, gratia, communicatio. O beata Trinitas.

Caritas Deus est, gratia Christus, communicatio Spiritus-sanctus. O beata Trinitas.

Genitor, Genitus, Regenerans. O beata Trinitas. B

Verum lumen, verum ex lumine, vera inluminatio. O beata Trinitas.

Invisibilis invisibiliter, Visibilis invisibiliter, Invisibilis visibiliter. O beata Trinitas.

Fons, Flumen, Inrigatio. O beata Trinitas.

Ab Uno omnia, per Unum omnia, in Uno omnia. O beata Trinitas.

A quo, per quem & in quo omnia. O beata Trinitas.

Vivens Vita, Vita à Vivente, Vivificator Viventium. O beata Trinitas.

Unus à se, Unus ab Uno, Unus ab Ambobus. C O beata Trinitas.

Unus à se, Unus ab altero, Unus ab utroque. O beata Trinitas.

Omne autem, Omne semper in tribus, & omne Omne æqualiter in singulis. O beata Trinitas.

Verus Pater, veritas Filius, veritas Spiritus-sanctus. O beata Trinitas.

Una igitur Pater, ΛΟΓΟΣ, Paraclitusque substantia est. O beata Trinitas.

Una essentia, una virtus, una bonitas omnia. O beata Trinitas.

Deus beatitudo, in quo & à quo & per D quem beata sunt quæcumque beata sunt. O beata Trinitas.

Deus vera & summa vita, in quo & à quo & per quem vivunt quæcumque verè summèque vivunt omnia. O beata Trinitas.

Deus bonum & pulcrum, in quo & à quo & per quem bona & pulcra sunt quæcumque bona & pulcra sunt omnia. O beata Trinitas.

Deus cui nos fides excitat, spes erigit, caritas jungit. O beata Trinitas.

Deus qui petere jubes & invenire facis, & pulsantibus aperis. O beata Trinitas.

Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil. O beata Trinitas.

Deus sub quo totum, in quo totum, cum quo totum. O beata Trinitas.

Te invocamus, te adoramus, te laudamus, O beata Trinitas.

Exaudi, exaudi, exaudi, ô beata Trinitas.

Spes nostra, salus nostra, honor noster. O beata Trinitas.

Auge in nobis fidem, auge spem, auge caritatem. O beata Trinitas.

Libera nos, salva nos, justifica nos. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordia tua liberavit nos. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordiâ tuâ credimus in te. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordiâ tuâ credimus te. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordiâ tuâ speramus in te. O beata Trinitas.

Miserere, Domine, quia misericordiâ tuâ amamus te O beata Trinitas.

Te adoramus cuncti unum Deum Patrem & Filium, Sanctumque Spiritum. O beata Trinitas.

Da peccatis veniam, præsta æternam vitam, dona pacem & gloriam. O beata Trinitas.

O beata & benedicta & gloriosa Trinitas, Pater & Filius & Spiritus-sanctus. O beata Trinitas.

O beata, benedicta, gloriosa Unitas Pater, Filius, & Spiritus-sanctus. O beata Trinitas.

O vera, summa, sempiterna Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. O beata Trinitas.

O vera, summa, sempiterna Unitas, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. O beata Trinitas.

Miserere nobis, miserere nobis, miserere nobis. O beata Trinitas.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna. Amen.

Explicit libellus necessarius valde.





THEODULPHI EPISCOPI AURELIANENSIS VERSUS DE LUXURIA.


Ex ms. codice Bigotiano.

ADMONITIO PRÆVIA.



VI Theodulfi episcopi Aurelianensis opera publici juris fecit Jacobus Sirmundus, Societatis-Jesu presbyter eruditus, sex ipsius Carminum libros edidit, in quorum libro V. qui est de septem vitiis capitalibus plurima initio sanè desiderantur, maximo occurente hiatu, sed aliquantulum repleri potest his versibus, qui ad illud carmen pertinere videntur.

QUI cupis esse bonus, qui vitam quæris honestam, A
Dilige munditiam corporis atque animæ.
Munda domus mundi Dominum retinere valebit:
Nam tali semper hospite sospes erit.
Cernitur omnipotens à mundo corde beatis
Cernere sordiduli non meruere Deum.
Luxuriam fugito, si vis conscendere celsa,
Nam petit inferna luxuriosus homo.
Luxuria proceres multos detraxit ad ignem
Proh dolor! & minimos semper ad ima trahit.
Luxuria prorsus sensus detruncat acumen,
Inficit & mentem, sauciat atque gravat.
Divitias animi pariter detexit ut aurum,
Enervat vires, sordidat atque premit.
Semper amat miseros piceas demergere flammas,
Semper amat socios subdere dæmonibus.
Ergo cave prudens nocitura libidinis arma,
Scilicet ingluviem musticeamque luem.
Crapula cum bibuli crassam repleverit alvum,
Ad joca sordidulam luxuriosa trahit.
Semper amat risus, semper crispare cachinnos,
Semper luxuriam venter obesus amat.
Ardua regna petis? ventris moderentur habenæ,
Ne stomachi currens fræna remissa cadas.
B Si vis ergo poli, frater, conscendere regna,
Dilige munditiam corporis atque animæ



HRABANI



HRABANI MAURI
ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI

Liber de variis quæstionibus adversus Judæos seu ceteros infideles, vel plerosque hæreticos judaïzantes ex utroque Testamento collectis.

Ex ms. codice monasterii S. Sergii Andegavensis.

ADMONITIO PRÆVIA



IBRUM seu prolixam contra Judæos epistolam sub nomine Hrabani vulgavit olim Petrus Franciscus Chiffletius S. J. presbyter eruditus, quam una cum Alcuini confessione aliisque opusculis anno M. DC. LVI. Divione typis mandavit. At librum illum haudquaquam Hrabani fœtum esse non ita pridem adverterunt viri litterati, venerandæ antiquitatis studiosi scrutatores, qui illum Amoloni Lugdunensi episcopo tribuerunt, utpote qui, teste Trithemio in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, opus insigne ad Carolum contra Judæos *conscripsit, cujus exordium est ab his verbis,* Detestenda Judæorum, *quod ipsissimum est libri à Chiffletio vulgati principium. Idem opus in optimæ notæ codice monasterii B. M. de Fontaneto Ordinis Cisterciensis, quo forte usus est Chiffletius, non Hrabani, neque Amolonis, sed Hratgani nomen præfert, cui potius quam Hrabano, cujus nomen ex errore legit Chiffletius; aut Amoloni, cujus ex Trithemio opus Carolo nuncupatum erat, adscribendum non sine fundamento forsitan censebunt viri eruditi. Quis autem fuerit ille Hratganus episcopus aliis judicandum relinquo. Ego verò sequentem librum adversus Judæos in pervetusto codice monasterii SS. Sergii & Bacchi apud Andegavos reperi, ab annis circiter septingentis manu exaratum, Hrabani itidem nomen præferentem, quem meo rogatu descripsit noster Alexius* Berthevin, *vir sanè doctus & singulari comitate præditus. Non dissimulabo tamen primum ejusdem codicis folium, atque adeo auctoris nomen, ab invida aut otiosa manu avulsum fuisse. Sed illud restituit scriptoris alicujus manus, recentioris quidem, sed cui haudquaquam ignota fuerat prima libri inscriptio, quique dubio procul aut laceratum folium cum suo titulo viderat, aut consimile exemplar Hrabani nomine insignitum alicubi deprehenderat.*

Et sanè cùm auctor in præfatione se ex libris majorum suorum informatum *opus suum condidisse asserat; quàm bene hæc Hrabano conveniant nullus planè negaverit, qui vel tantisper versatus fuerit in illius operum lectione, quæ fere omnia constant ex sanctorum Patrum sententiis,* ipsis eorum syllabis *expressis,* vel certè propriis breviandi causa sermonibus, *uti ipse testatur in epistola prævia ad suam in Matthæum expositionem, quam Haïstulfo Moguntinensi episcopo nuncupavit. Unde & Rodulphus ipsius Hrabani discipulus prolixum in ejus vita contexens illius operum catalogum, inter alia recenset librum in epistolas Pauli, quem* colligens de diversis opusculis sanctorum Pa-



trum sententias *hortatu Lupi diaconi composuit. Nimirum fuit hoc sancto Pontifici usitatum ac familiare scribendi genus, quod ipsi etiam aliquando vitio verterunt scioli nonnulli, eo* quod excerptionem faciens de sanctorum Patrum dictis... aliorum sententiis magis usus *esset*, quàm propria *condidisset. Quibus ipse pro innata sibi modestia humilibus respondit his verbis:* Quid enim peccavi in hoc quod magistros ecclesiæ veneratione dignos judicabam, & eorum sententias prout protulerant opportunis locis simul cum nota nominum eorum in opusculis meis interposueram? Magis enim mihi videbatur salubre esse, ut humilitatem servans, sanctorum Patrum doctrinis innitcrer, quàm per arrogantiam quasi propriam gloriam quærendo, mea indecenter proferens. *Longè ab invidis illis vituperatoribus aberat Freculfus Lexoviensis episcopus, qui ab eodem Hrabano contextos ex dictis Patrum commentarios in Pentateuchum petiit.*

Quod si quis dicat auctorem nostrum in hoc adversus Judæos opere sanctorum Patrum nomina rarius expressisse, nam semel tantùm Hieronymum, ter verò Augustinum nominat. Responderi potest, quod cùm ex libris majorum *non verba ipsa, sed abbreviatas dumtaxat sententias protulerit, non multum sibi curæ extiterit eorum proferre nomina, nisi cùm propria etiam ipsorum expressit verba, maximè cùm res sibi esset cum Judæis, apud quos quantula sit sanctorum Patrum auctoritas nemo non novit. Alio sanè argumentandi genere cum ipsis procedendum erat: & cum veteris Testamenti codices pro sacris atque divinis, ut revera sunt, admittant, validissima inde rationum momenta quibus revincerentur; fortissima inde arma depromi debebant, quibus eorum omnino contunderetur protervia. Et hoc est quod maximè hìc præstitit Hrabanus, adeo ut vix tres quatuorve ejus lineas percurrere possis, quin expressam atque ad propositum citatam scripturam advertas. Ubi non unam vulgatam editionem, sed eam etiam quæ à Septuaginta Interpretibus elaborata est, aliasque nonnullas versiones usurpat; ut vel hinc facilè intelligas quàm merito à Rodulfo laudatus sit, quod* in Scripturis divinis adprimè eruditus *fuerit, quod* ejus omne studium fuit in meditatione legis Domini & doctrina veritatis: *quod* quotiescumque liber esse permittebatur, divinis semetipsum Scripturis *pasceret: denique quod* in Scripturis à pueritia valde studiosus fuerit, & secundùm donum sibi cælitus datum lectionem divinorum librorum plurimùm adamaverit, atque in his sæpius meditatus sit.

Porro cum isthæc Hrabani lucubratio ex solis pene Scripturæ locis tota compacta sit, nemo jure mirari potest, si simplicem tantùm in ea stylum advertat, cùm hujusmodi scribendi ratio, vix alio modo tractari queat, licèt non minùs forsitan efficaci, dummodo à legente procul sit dolus & protervia, quæ cum vera sapientia convenire nequeunt, *inquit Auctor noster....* Quantum enim ad ædificationem fidei & morum correctionem congruit, utilior est veridica eloquii simplicitas, quàm falerata verborum commenta; aptiorque parva & sana doctrina, quàm plurima & fucata verbositas, *ita ut qui hunc librum* studiosè & benevolo animo *perlustrare voluerit, &* seipsum in fidem rectam informabit, & perfidis Judæis atque ceteris infidelibus, seu quibuslibet hæreticis, si necessitas obviaverit, ex libris divinis, Deo favente, respondere poterit.

Ceterùm ex silentio Rodulfi, qui hujus libri in suo catalogo nullam mentionem fecit, nemo jure Hrabano illum abjudicaverit, cùm non omnia illius opera recensuerit, nonnullaque constanter prætermiserit. Et sanè vel ipse stylus Hrabanum ubique spirat, ac legitimum hujus tractatus auctorem apertè proclamat.

PRÆFATIO.

.... renituntur, & omnino non intelligentes, cum eisdem Judæis infidelibus desipiunt, atque hoc modo utroque pede claudicantes, nec veri Christiani, nec in toto Judæi, sed potius malorum Christianorum atque Judæorum deteriores. Quamobrem ea ipsa quæ in veteri Testamento erga litteram dissona sibi & inconvenientia videntur, etsi non omnia, quanta tamen valui ex libris legis & Prophetarum decerpsi, & in hoc volumine ve-

lut per membra, ita per singula capitula, in A unum corpus coegi; & qualiter ea quæ sibi, ut præfatus sum, secundùm historiam contraria videntur, spiritualiter sibimet concordent atque conveniant, juxta capacitatem sensus mei ex libris majorum meorum informatus breviter disserui. Nonnulla etiam quæ ad spiritualem intelligentiam congruere noscuntur, brevi sermone, prout valui, huic operi inserui. Sed ut alia plurima quæ ad ædificationem legentium utilia fore perspexi, locis competentibus in hoc libro inserta conjunxi. Quæ omnia diligens ac pius lector, si studiosè ac benivolo animo tractare non dedignaverit, & seipsum in fidem rectam informabit, & perfidis B Judæis atque ceteris infidelibus seu quibuslibet hæreticis, si necessitas obvenerit, ex libris divinis Deo favente respondere poterit: tantùm procul sit dolus & superbia, quæ cum vera sapientia convenire nequeunt. De cetero obsecro te, lector, ne laborem meum obelo cum simplicitate reprehensibilem judices: in tabernaculo enim Dei offert unusquisque quod potest. Alii namque per spiritualem sensum & intelligentiæ fulgorem aurum offerunt; alii per eloquentiæ nitorem argentum deferunt; alii verò per prædicationis sonum & toleran- C tiæ fortitudinem in Domini munera æramentum adducunt; alii autem per virtutum splendorem, gemmarum varietatem in Dei donaria exhibent. Nos verò velut egeni & pauperes, quia potiora dare non valemus, saltem vel minima quæ possumus in domo Dei proferimus. Nam & Apostolus infirmiora nostri corporis necessaria esse dicit. Quantum enim ad ædificationem fidei & morum correctionem congruit; utilior est veridica eloquii simplicitas, quàm falerata verborum commenta, aptiorque parva & sana doctrina, quàm plurima & fucata verbositas. In lectione, ut ait quidam D egregius Doctor, non verba, sed veritas est amanda. Simplicioribus enim litteris non est præponendus finis grammaticæ artis. Meliores sunt enim communes litteræ, quia simpliciores & ad solam utilitatem legentium pertinentes. Illæ verò nequiores, quia ingerunt hominibus perniciosam mentis elationem. Hoc enim ideo protuli, ut ne quid, sicut præfatus sum, ob imperitiam sermonis, exiguum hoc opus meum spernendum judicet. Illud tamen obsecro, & per communem Dominum convenio, ut benigno animo, si quid fortè per excessum mentis, vel imperitiæ sermonem, aliquid quod non debui vel aliter quàm debui, E adversùs rationem fidei & veritatis tramitem locutus sum, emendare atque corrigere non pigeat, & ut mihi ignoscatur, Dominum JESUM CHRISTUM deprecari non dedignetur.

Explicit Præfatio.

INCIPIUNT CAPITULA.

XXIII. *De eo quod ipse Redemtor noster per mortem carnis secundùm animam ad inferna descendit, & post resurrectionem carnis in cælum ascendit, atque ad dextram Patris in assumtum hominem sedet.*

XXIV. *De eo quod Redemtor noster animas sanctorum Patrum de inferno eruit, & secum ad supernam patriam reduxit.*

XXV. *De eo quod ipse Redemtor noster post resurrectionem suam apostolos & evangelistas ad prædicandum misit.*

XXVI. *De eo quod quinquagesimo die post Christi resurrectionem descendit Spiritùs-sanctus in specie ignis super apostolos & evangelistas.*

XXVII. *De concordia utriusque populi, Judæorum videlicet & gentium in fide Christi per apostolorum prædicationem.*

XXVIII. *De abolitione regni Judæorum atque sacerdotii post adventum Salvatoris.*

XXIX. *De sacrificiis Judæorum carnalibus, quæ post adventum Salvatoris ablata sunt, & de spiritalibus sacrificiis Ecclesiæ sub novo Testamento.*

XXX. *De spiritalibus sacrificiis Ecclesiæ, quæ non de brutis animalibus, sicut olim Judæorum populus; sed per fidem bonis actibus Deo offeruntur.*

XXXI. *De Sabbati observatione & solemnitate Judæorum, quæ post adventum Salvatoris reprobata sunt.*

XXXII. *De eo quod neque per sacrificia carnalia, neque per ceteras observationes legis, peccata humani generis aboleri poterant.*

XXXIII. *De reprobatione Judæorum & vocatione gentium.*

XXXIV. *De infidelitate Judæorum & eorum blasphemiis adversùs Christum Dominum.*

XXXV. *De eo quod gentes per fidem Israël appellantur, & populus Israëlitarum ob infidelitatem suam in gentibus reputetur.*

XXXVI. *De duplici nomine Jerusalem, quæ duabus in partibus, hoc est in synagoga Judæorum, & Christi Ecclesia crebrò dividitur.*

XXXVII. *De nomine Jerusalem, quæ est civitas Dei in cælo & in terra; & quod locus sanctus & electus est à Deo secundùm quod in lege scriptum est, quod ipsa sit extra quam nullus salvus fieri potest.*

XXXVIII. *De nomine Israël & Jacob, quod generaliter in duobus populis, hoc est Judæis & Christianis.*

XXXIX. *De nomine Juda quod sæpe bifariè in sacra scriptura accipitur.*

XL. *De nomine Ruben, quod aliquando laudatur in figura sanctorum Patrum, aliquando verò vituperatur in typo Judæorum credere nolentium.*

XLI. *De nomine Levi, quod duabus in partibus crebrò dividitur, id est in electis & reprobis.*

XLII. *De nomine Zabulon & Issachar, quod aliquando in typo Ecclesiæ, aliquando verò in figura sanctorum prædicatorum accipitur.*

XLIII. *De nomine Dan, quod & ipsum bifariè in divina scriptura positum legitur, id est aliquando in bono, aliquando in malo.*

XLIV. *De nomine Gad & Aser atque Nephtalim, quod aliquando in persona Christi, aliquando in figura sanctorum accipitur.*

XLV. *De nomine Joseph, quod aliquando in persona* A *Salvatoris, aliquando verò in figura sanctorum, interdùm etiam in typo Judæorum, nonnumquam & in significatione hæreticorum accipitur.*

XLVI. *De nomine Benjamin, quod modò in bonum partem propter electos, modò verò in malum partem propter reprobos accipitur.*

XLVII. *De eo quod Dominus noster* JESUS-CHRISTUS *in divinis libris sæpè David, nonnumquam verò filius ejus appelletur.*

XLVIII. *De eo quod Judæi conjugia carnalia & procreationem filiorum virginibus & continentibus præferunt.*

XLIX. *De vita activa atque contemplativa & earum differentia.* B

L. *De spiritali scientia sanctarum scripturarum, quam viri spiritales velut sponsam sibi seu uxorem in conjugio invisibiliter assumunt.*

LI. *De duplici vocabulo filiorum, carnalium videlicet atque spiritualium, electorum & reproborum; sivè de gemina generatione, prima carnali, secunda verò spirituali.*

LII. *Recapitulatio earumdem duarum generationum.*

LIII. *De duplici circumcisione; prima carnali, secunda spirituali.*

LIV. *De animalibus quæ per legis historiam velut immunda ab esu Judæis prohibita sunt.*

C LV. *De eo quod per animalia irrationabilia allegoricè Gentes ad Deum conversæ præfigurentur; & de tribus professionibus in Ecclesia, idest clericorum, monachorum & laicorum.*

LVI. *De sanguine animalium quæ à cibo fidelium per legem prohibentur, & quid sanguis significet.*

LVII. *De adipibus qui ab esu fidelium per legem prohibentur & de anima origine.*

LVIII. *De eo quod catholicus christianus nihil in cibo aut in potu immundum aut commune judicet.*

LIX. *De fermento atque melle quod in Dei sacrificio typicè offerri prohibetur.*

LX. *De reddendis peccatis patrum in filios, & iterum de non exquirendis peccatis.*

D LXI. *De reddendo malum pro malo, & iterum de non reddendo.*

LXII. *De servo Hebræo qui septimo anno ad libertatem gratis exire jubetur.*

LXIII. *De propinquis ducendis uxoribus, & iterum de non ducendis.*

LXIV. *De sacerdotibus, quibus virgines tantùm in conjugio accipere præceptum est.*

LXV. *De relicta fratris defuncti.*

LXVI *De dimittenda uxore, & iterum de non dimittenda.*

LXVII. *De lepra contagione.*

LXVIII. *De contagione lepræ domorum & ædium.*

E LXIX. *De eo qui profluvium seminis sustinet, & de muliere menstruata.*

LXX. *De Babilonia & ejus significatione.*

LXXI. *De Ninive atque ejus figura.*

LXXII. *De Tyro civitate, & quid spiritaliter significet.*

LXXIII. *De Ægypto & ejus significationibus.*

LXXIV. *De Ethiopia & ejus significatione.*

LXXV. *De Idumæa seu monte Seir.*

LXXVI. *De Moabitis & Ammonitis.*

LXXVII. *De Elia & ejus socio.*

LXXVIII. *De conversione Judæorum ad Christum in fine mundi.*

LXXIX. *De adventu antichristi & prædicationibus ejus.*

LXXX. *De futura resurrectione mortuorum.*

LXXXI. *De eo quod dies judicii soli Domino cognitus sit & hominibus incognitus.*

LXXXII. *De secundo adventu Filii Dei, in quo venturus est è cælis judicare vivos & mortuos.*

LXXXIII. *De eo quod cum Domino sancti apostoli & ceteri perfecti judicabunt.*

LXXXIV. *De perpetua damnatione diaboli & antichristi atque omnium reproborum, & qui sint cum eo damnandi.*

LXXXV. *De perpetua beatitudine sanctorum.*

LXXXVI. *De mundi mutatione, & novis cælis, novaque terra, quæ in æternum stabit.*

Expliciunt capitula.

CAPUT I.

De duobus Testamentis, hoc est Legis & Evangelii, & de gemino præcepto caritatis, & de tribus maximis virtutibus, fide, spe, & charitate.

OMnipotens Deus post naturalem legem quam primo homini Adam cùm eum creasset in sensu inseruit, duo Testamenta populo suo, id est Legis & Evangelii, per intervalla temporum ad eruditionem addidit. In quibus duobus Testamentis nil majus minusve quàm duo præcepta caritatis, hoc est dilectionem Dei & proximi, hominibus observare præcepit, sicut in Matth. 22. evangelio ait: *In his duobus præceptis tota lex pendet* Rom. 13. *& prophetæ*; & Apostolus, *Plenitudo*, inquit, *legis* Gal. 5. *est dilectio*; & alibi, *Omnis lex in uno sermone completur, diliges proximum tuum sicut te ipsum.* In his duobus Testamentis & Dei cognitio per quam fides informatur, & actio bonorum operum plenius demonstratur. Primum quidem Testamentum per Moysen populo Judæorum in figura novi Testamenti sub umbra carnalium observationum in monte Sina datum est: novum verò Testamentum per Christum Dominum in plenitudine temporis apostolis & evangelistis & per apostolos Ecclesiæ traditum est. Quod utrumque testamentum in Ecclesia catholica spiritaliter intellectum ita sibimet concordat, ut ne in una quidem sententia discrepare videatur. Quidquid enim Dominus per legem & prophetas adfuturum pollicitus est, in Evangelio universa persemet Matth. 5. 17. ipsum implevit, sicut ipse ait, *Non veni solvere legem, sed adimplere*, excepto illa quæ de fine mundi futuroque judicio, & beatitudine sanctorum atque damnatione reproborum, ut impleantur, adhuc supersunt. Horum duorum Testamentorum duæ illæ tabulæ lapideæ scriptæ digito Dei, hoc est Spiritu Dei, quas in montem Synaï Moyses accepit, figuram gesserunt. (Duorum Testamentorum variæ figuræ.) In quibus duabus tabulis nihil amplius quàm decem præcepta impressa sunt; tria videlicet ad dilectionem Dei pertinentia, septem verò ad dilectionem proximi convenientia. Horum duorum Testamentorum duo illi Cherubim, qui interpretantur Scientiæ plenitudo, qui jubente Domino in tabernaculo fœderis

A facti sunt, typum habuisse non dubium est. Horum duorum Testamentorum duo illi Seraphim, qui interpretantur Incendium sive Principium oris eorum, quos Isaïas in spiritu prævidens, *Seraphim*, inquit, *stabant super illud*, seu Isaïæ 6. 2. in circuitu ejus umbram liniabant. De his duobus Testamentis, hoc est vetus & novum, Zacharias propheta mysticè loquens ait: *Conversus* Zachar. 6. 1. *sum, & levavi oculos meos & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei.* Per montes quippe, ut dictum est, duo Testamenta, per quadrigas verò sancti prædicatores præfigurati sunt. Item ipse Zachar. 4. 14. B dixit: *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Et rursum ipse: *Hodie quoque annuncians, duplicia reddam tibi.* Abacuc quoque Zachar. 9. 12. propheta de his duobus Testamentis in oratione sua ad Dominum loquens: *In medio*, inquit, *duorum animalium cognosceris.* Johel etiam vates typicè de Domino affatus ait: *Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro; quia dedit vobis Doctorem justitiæ, & descendere faciet ad* Johel 2. 23. *vos imbrem matutinum, & serotinum in principio.* Haud dubium quin in Christo. Ipse est enim verum Principium & Doctor justitiæ. Hieremias quoque propheta ex persona Do- C mini adversùs populum Judæorum conquirens dixit: *Recesserunt, & abierunt, & non dixerunt* Hierem. 5. 23. *in corde suo: metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.* De his duobus Testamentis Psalmista canit: *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi.* De Ps. 61. 12. his duobus Testamentis Sponsa, hoc est Ecclesia in Cantico canticorum Sponso suo, qui est Christus, ovans cantat, *Omnia poma nova & vetera servavi tibi.* De his duobus Testamentis Ve- Cant. 7. 13. ritas in Evangelio loquens ait: *Simile est regnum cælorum homini patri-familias proferenti de thesauro* Matth. 13. 52. D *suo nova & vetera.* De his duobus Testamentis beatus Paulus apostolus in epistola ad Galatas Galat. 4. scribens, *Fratres*, inquit, *scriptum est, quod Abraham duos filios habuit; unum de ancilla, & unum de libera; sed qui de ancilla secundùm carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta, hæc enim duo Testamenta.* In his duobus Testamentis licèt plurima & pene innumerabilia sint sacramenta, quæ de auctore omnium Deo & ejus creatura nos informent, quæ de Christo & Ecclesia testimonium perhibent, quæ de diabolo & membris ejus, hoc est omnibus reprobis mala præsentia vel futura insi- E nuant, quæ de futuro judicio terrent, quæ de damnatione reproborum & perpetua beatitudine sanctorum nos certos efficiunt; præcipuè tamen inter cetera in his duobus Testamentis tres maximas virtutes hominibus tenendas commendat, fidem videlicet, spem, & caritatem, sine quibus nullus homo Deo placere potest. (Commendantur potissimum in utroque Testamento fides, spes, & caritas.) Fides est quæ ex auditu verbi Dei concipitur, & ore profertur. Spes est quæ hoc quod fides credit, in futuro adipisci sperat. Caritas est quæ hoc quod fides credit, & spes sperat, illud diligit. Ideoque in via Dei fides inchoat, sed caritas perficit: fides enim sine

(Ex prophetis typicè demonstrantur lex & evangelium.) (Christus principium atque doctor justitiæ.)

caritate esse potest; plurimi namque sunt & penè innumerabiles, qui hoc quod per fidem credunt, per caritatem nequaquam diligunt; & idcirco ad ea quæ credunt pervenire non valent. Caritas verò absque fide esse non potest, nemo quippe diligit quod omnino non credit. Fides atque spes in hac tantùm vita necessariæ sunt. Postquam verò ad illam vitam homo electus pervenerit, quam hic per fidem credebat, & per spem sperabat, utraque, id est fides & spes evacuabuntur. Caritas verò quæ est dilectio Dei & proximi in hac vita incipit, in illa verò magis aucta in æternum sine fine perdurat; & idcirco ait Apostolus: *Manent tria hæc, fides, spes, & caritas, major his est caritas.* (1. Cor. 13. 13.) Æmulamini caritatem, per hanc enim caritatem omnes electi cuncta quæ Deus odit & ipsi odiunt, & universa quæ ille diligit diligunt, quia idem Deus & Caritas, idem dilectio sine qua nullus ei adhærere potest. Hanc caritatem reprobi omnes habere nolentes, vel non valentes, universa quæ Deus diligit, illi nequaquam diligunt, & ea quæ Deus odit, etiamsi pro quolibet timore non faciunt, tamen diligunt. Ob hoc neque in præsenti vita, neque in futuro illi adhærere possunt, quem ex corde non diligunt: quia, ut dictum est, *Deus caritas est.* (1. Joan. 4. 16.)

CAPUT II.

De differentia utriusque Testamenti, id est Legis & Evangelii.

(Novum Testamentum veritas, vetus figura vel umbra futurorum.)

IN veteri quippe Testamento præcessit umbra futurorum: in novo verò revelata est veritas in repræsentatione promissorum. In Testamento veteri præit figura Evangelii, in novo verò impletum est quod in lege figurabatur. Vetus Testamentum velut radix præcessit in arbore, novum verò ut fructus se protulit in perfectione. In veteri Testamento carnali adhuc populo Judæorum velut parvulis carnalia præcepta data sunt, sicut ait Apostolus, *Cùm essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes.* (Gal. 4. 3.) Et alibi: *itaque lex pædagogus noster fuit.* (Gal. 3. 4.) In novo verò Testamento tamquam viris perfectis eadem præcepta carnalia per spiritalem intellectum revelata & in melius commutata, per Christum fideli populo in Ecclesia commendata sunt, beato Paulo apostolo id ipsum affirmante ac dicente, *At ubi factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* (1. Cor. 13. 11.) Inde est enim quod populus Judæorum velut parvulus non per amorem justitiæ, sed per timorem pœnæ legi obtemperavit. In veteri Testamento carnalis circumcisio in viris tantùm tradita custodiebatur: in novo verò non carnalis sed spiritalis circumcisio, quod est baptismi gratia & cordis munditia ab utroque sexu, id est viris & feminis in Ecclesia Christi suscipitur & servatur. (Christus Christianorum pascha.) In veteri Testamento per immolationem agni & sanguinis aspersionem pascha celebrabatur: in novo autem Testamento pascha nostrum immolatus est Christus, qui est verus agnus Dei

A qui tulit peccatum mundi, cujus sanguine postes fidelium, frontes utique atque mentes vexillo crucis signantur. Sub veteri Testamento populus Judæorum in diebus paschæ juxta litteram legis, fermentatum panem non comedunt: sub novo Testamento quicumque sunt veri Christiani non fermentatum panem, qui edentibus nihil officit, de domibus suis expargunt, sed fermentum malitiæ, quod est omne peccatum, quod mentem corrumpit de conscientiis suis rejicientes, non edunt. In veteri Testamento carnalia sacrificia à populo Judæorum offerebantur: in novo verò non carnales

B sed spiritales hostias, quæ non extra hominem, sed intra hominem sunt, sancta electorum Ecclesia quotidiè offert, de quibus sacrificiis Psalmista canit: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* (Ps. 55. 12.) Et alibi: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* (Ps. 49. 14.) Et in Michæa propheta, *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus quærat à te, utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitè ambulare cum Deo tuo.* (Mich. 6. 8.) Et in Osée, *Et reddemus tibi*, inquit, *fructum de labiis nostris*, quod est vera confessio. (Oseæ 14. 3.) In veteri quippe Testamento munditias carnis Judæi custodiebant, negligentes

C munditiam cordis; in novo autem Testamento plebs fidelis secundùm Domini præceptum munditiam cordis magis quàm carnis servare studet. Sub lege Moysi sabbati requiem Judæorum populus in carnis otio & ventris ingluviem atque carnis voluptatem venerantes, requiem mentis nequaquam intelligentes parvipendebant: sub Evangelio fideles Christiani sabbatum, hoc est requiem non in carnali otio, sed in spiritali, in quietem videlicet mentis & cordis tranquilitatem suscipiunt & venerantur, vacantes scilicet ab omni opere servili quod est omne peccatum, & ob spem æternæ bea-

D titudinis quidquid boni agere valent incessanter operantur. Judæi sub lege constituti munda atque immunda animalia discernentes, ea quæ illis munda videntur in cibo assumunt, illa verò quæ immunda putant rejiciunt atque spernunt: Christiani verò fideles, qui non sub lege sed sub gratia vivunt, nihil in creatura Dei immundum judicantes, eadem animalia spiritaliter discernentes, sicut per munda homines pios, justos, atque sanctos, & eorum utiles actiones accipiunt: ita ècontrario per immunda animalia homines impios & injustos, immundosque & sordidos, seu eorum perversas actio-

E nes intelligenter dijudicantes vitant. Judæi sub lege degentes omnem immunditiam extra se fieri opinantur, & ob hoc à tactu alterius hominis vel cujuslibet animalis qui secundùm eorum opinionem immundus judicatur, omnimodis refugiunt: Christiani verò catholici sub gratia viventes, nihil immundum judicantes præter peccatum, quod non à Deo creatum, sed à diabolo inventum est, non de tactu alterius hominis vel cujuslibet animalis se contaminari credunt, sed à solo peccato quod in cogitatione vel consensu seu actione hominem sordidat. (Solum peccatum hominem contaminat.) Illi de tactu cadaveris, id est mor-

tui hominis vel cujuslibet animalis se inquinari putant; isti verò, id est veri Christiani, non de tactu cadaveris, sed de peccato quod est causa mortis se contaminari pertimescunt: nam quid est aliud mortuum tangere nisi in quodlibet facinus communicare? Illi leprosos corpore *tangi refugiunt; isti verò non leprosos in carne vitant, sed leprosos in anima, hoc est infideles atque hæreticos, seu ceteros iniquos, in quantum valent; non ipsos sed eorum actus declinant. Postremò illi per justitiam legis non cælestem beatitudinem, sed terrenam, neque supernum regnum cælorum, sed terrenum; neque spiritales & manentes divitias, sed corporales falsa opinione in terrena Jerusalem sibi pollicentur: isti vero, fideles videlicet Christiani, non terrenam beatitudinem, sed cælestem; neque terrenum regnum, sed supernum; neque transeuntes divitias aut corporales delicias, sed spiritales; non in terrena, sed in cælesti Jerusalem; non per justitiam legis, sed per gratiam & fidem Domini JEHESU CHRISTI Redemptoris sui in futura resurrectione expectant, ubi neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cælo.

* Ita ms. cod. pro tangere.

CAPUT III.

De eo quod populus Dei aliter ante legem, & aliter sub lege, atque aliter sub gratia, velut per tria tempora sæculi hujus, quæ in sex ætatibus mundi volvuntur, à Deo dispositus est.

Pudicitia virtus novi Testamenti.

IN veteri quippe Testamento propter procreationem filiorum & conservandum populum Dei, & quasdam futuras præfigurationes uni viro plurimas uxores & [a] concubinas simul habere inlicitum non erat: in novo verò Testamento fideli Christiano, non dicam plurimas, sed nec duas simul uti licitum est, nisi tantùm unam, aut uxorem, aut certè in loco uxoris, si conjux deest, concubinam, ut ad primordia humani generis, hoc est ad Adam & Evam qui solus cum sola à Deo creati sunt, honestum coniugium reformetur, non ad exemplum maledicti Lamech, qui prior omnium corpus suum in duabus feminis divisit. Sub veteri Testamento antiquis patribus plurimos filios secundùm carnem procreare laus erat: sub novo Testamento sanctis prædicatoribus non carne, sed verbo, atque exemplo multos filios generare gloria est, ut est illud in Proverbiis Salomonis, *Gloria senum filii filiorum, & gloria filiorum patres eorum.* (Prov. 17. 6) In veteri Testamento antiquis hominibus dictum est, *Crescite & multiplicamini, & replete terram:* (Gen. 9. 7.) in novo Testamento Veritas ait, *Beatæ steriles quæ non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.* (Luc. 23. 29.) Ante legem, vel sub lege, conjugia magis quàm virginitas concessa sunt, ut impleretur terra: post adventum verò Salvatoris virginitas & continentia magis quàm conjugia persuasa sunt, ut per hæc repleatur non terra, sed cælum. Sub veteri Testamento quæcumque mulier sterilis liberos non generabat, in opprobrio habebatur: sub gratia autem quælibet anima fidelis virtutes velut filios non procreat in traductione permanet. In veteri Testamento cunctis sacerdotibus uxores ducere permissum erat: in novo verò Testamento, juxta apostolicam auctoritatem, non qui habeat, sed qui priusquàm sacerdos fieret habuit, ad hoc officium eligere jubetur, dicente Paulo apostolo ad Timotheum, & per illum omnibus episcopis, presbyteris, ac diaconibus, *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, non litigiosum, non cupidum, sua domui bene præpositum, filios habentem subditos in omni castitate.* (1. Tim. 3. 2.) Habentem dixit, non generantem. Et infra, *diacones sint unius uxoris viri.* (Ibid. 12.)

Sacerdotium secundùm vitæ meritum conferendum.

Lex Moysi universos sacerdotes vel levitas per generationem carnis, ex tribu videlicet Levi tantùm assumere jubebat: Evangelium verò & apostolica auctoritas non secundùm carnem, sed secundùm gratiæ donum & vitæ meritum sacerdotes in Ecclesia constituere præcipit; hoc quippe Dominus retro olim ad Heli sacerdotem comminando prædixit, sicuti est in libro Regum. *Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens, locutus sum ut domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo in sempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, absit hoc à me, sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* (1. Reg. 2. 30.) Hoc etiam ipse Dominus & Redemtor noster, qui est verus sacerdos in æternum, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech, in semetipsum insinuavit in hoc quod non de tribu Levi, sed de tribu Juda secundùm carnem nasci dignatus est. In qua Tribu nihil Moyses de sacerdotio locutus est. Hoc etiam David rex & propheta in semetipsum mysticè liniavit, cùm contra præceptum legis de panibus propositionum, de quibus non licebat nisi sacerdotibus edere, accepit & comedit, sive cùm ephod, id est vestem sacerdotalem indutus Dominum consuluit, de cujus filiis, id est ipsius David in libro Regum scriptum est, *Filii David sacerdotes erant,* (2. Reg. 8. 18.) non secundùm carnem utique de tribu Levi, sed juxta electionis gratiam de tribu Juda.

Populus Judæorum sub lege constitutus per

[a] Concubinæ nomen apud veteres non semper in malam partem sumebatur; sed aliquando in bonam pro legitima conjuge, quæ absque dotalium tabularum solemnitate ducta erat. De hujusmodi intelligendus est canon Concilii 1. Toletani ab Ivone p. 8. cap. 64. & à Gratiano dist. 35 cap. 4. relatus *Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non reppellatur: tamen ut unius mulieris, aut uxoris. aut concubinæ sit conjunctione contentus.* Itaque & uxores & concubinæ erant legitimæ conjuges, sed uxores cum majori, concubinæ cum minori solemnitate ducebantur. In his verò qui concubinas ducebant tria erant necessaria 1. ut uterque esset solutus, saltem in lege evangelica; nam in veteri lege, ut plures uxores, ita tum uxore etiam & concubinas habere permittebantur, id quod contigit Abrahamo viro sanctissimo. 2. Mutua fides quod alteri non jungerentur, nec à procreatione liberorum abhorrerent. 3. Ut usque ad mortem in ea vitæ conjunctione manendum sibi proponerent.

ejusdem legis præcepta decimas & primitias cunctarum rerum suarum sacerdotibus persolvebant: in novo verò Testamento per Evangelicam prædicationem perfectis suadetur, dicente Domino: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Et rursum ipse: *Nisi abundaverit*, inquit, *justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* In veteri Testamento per legem populo Judæorum dictum est, *diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum*; in novo autem Testamento Veritas præcipiens dicit: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis.* Antiqui patres tam Dei quam suos adversarios qua virtute valebant fortiter prementes usque ad internecionem persequebantur, & de spoliis hostium suorum sufficienter sibi tollebant; quod tamen in novo Testamento licet non omnibus, perfectis verò omnimodis inhibetur, quibus præceptum est mala potius tolerare quam inferre, & sua malle amittere quàm aliena diripere. Ita enim per intervalla temporum populus Dei ordinatus est; & semper ad meliora commutatus, donec ad plenam perfectionem & sanctificationem post gloriam resurrectionis perveniens æternam beatitudinem absque omni mutabilitate & mortalitate perfruatur, quemadmodum in uno quolibet homine electo in infantia vel pueritia licet innocua, propter ætatis tamen infirmitatem carnalis vita præcedit; in adolescentia verò atque juventute tamquam in virum perfectum, & robur augetur, & sapientia multiplicatur, & vita in melius commutatur, donec ad finem debitum velut in senectutem obpletus virtutibus ac defectus vitiis perveniat. Ita generaliter populo Dei, ut dictum est, aliter ante legem, aliter sub lege, aliter verò sub gratia vivere permissum seu præceptum est. Inde est enim quod nonnulla sanctis patribus ante legem inculpabiliter agere permissa sunt, quæ tamen postea per legem à Domino prohibita esse noscuntur, sicut Jacob patriarcha duas sorores in conjugio simul habere licuit, quod utique in novo Testamento fideli Christiano omnino non licet. Ante legem vel sub lege usque ad adventum Redemporis nostri sancti patres licèt innocenter, secundùm carnem verò vixisse non dubium est. Post adventum verò ejus heredibus novi Testamenti per evangelicam prædicationem quamperfectis viris non pueriliter, sed viriliter; non secundùm carnem, sed secundùm spiritum vivere præceptum est, dicente Veritate: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et rursum ipse: *Contendite intrare per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Beatus quoque Petrus apostolus de transacto tempore inter cetera ait: *Sufficit*

Matth. 19. 21. — Ibid. 5. 20 — Lev. 19. 18. — Matth. 5. 44. — Multa ante legem licita quæ postea fuerunt illicita. — Matth. 16. 24. — Luc. 13. 24. & Matth. 7. 13. — 1. Pet. 4. 3.

A *enim præteritum tempus, ad voluntatem hominum consummandum, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, &c.* Beatus etiam Paulus in ea quæ est ad Romanos de concupiscentia carnis ac spiritus differens ait: *Quoniam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax; quoniam sapientia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei non subjicitur, nec enim potest; qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*, ut subaudiatur qui voluntatem carnis faciunt. Et infra: *Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu* B *facta carnis mortificetis, vivetis.* Item ipse ad Corinthios: *Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, hoc est ingluvia atque luxuria. Et alibi: *Quicumque enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Beatus denique Johannes apostolus in epistola sua prima inter cetera ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; si quis diligit hunc mundum, non est caritas Patris in illo.* De qua mundi concupiscentia atque amicitia Jacobus apostolus similem proferens sententiam ait: *Carissimi, quicumque voluerit amicus sæculi hujus esse, inimicus Dei constituitur.* In futuro autem C sæculo velut in quarto tempore electi omnes post gloriam resurrectionis abolitâ omni concupiscentiâ carnis, [a] abdicataque delectamenta inlicitæ voluptatis, neque nubent, neque ducent uxores, neque generabunt in conturbatione, sed erunt sicut angeli in cælo.

Rom. 8. 6. — Ibid. 12. — 1. Cor. 15. 50. — Gal. 5. 24. — 1. Joan. 2. 15. — Jac. 4. 4. — [a]

CAPUT IV.

De eo quod utrumque Testamentum Lex dicatur atque Testamentum.

D PRima videlicet quæ per Moysen in monte Sinaï populo Judæorum in umbra futurorum data est; secunda verò quæ de Sion, hoc est Jerusalem per JEHESUM CHRISTUM ad apostolos, & per apostolos populo christiano conlata est. De illa enim lege quæ per Moysen data est, Dominus per Malachiam prophetam loquens ait: *Memento legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Coreph ad omnem Israël, præcepta & judicia.* De qua lege in psalmo scriptum est: *Suscitavit testimonium in Jacob, & legem posuit in Israël.* Per Ezechielem quoque prophetam Dominus adversùs Judæos exorsus ait: *Ejeci ergo eos de terra Ægypti, & eduxi in desertum, dedi eis* E *præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ si faciet homo, vivet in eis.* Et infra post improperationem illorum actuum subsequens ait: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent, & pollui eos in muneribus suis cum offerent omne quod aperit vulvam propter delicta sua, & scient quia ego Dominus.* De qua lege Salvator in evangelio Judæis ait: *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Beatus quoque Apostolus in epistola ad Hebræos de eadem lege veteris Testamenti inter cetera sic dicit: *Reprobatio*

Mal. 4. 4. — Psal. 77. 5. — Ezech. 20. 10. — Ibid. 20. 25. — Joan. 7. 19 — Heb. 7. 18.

[a] *Pro* abdicatisque delectamentis.

batio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem carnis & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Et paulò post: *umbram enim habens lex bonorum futurorum, non ipsam imaginem rerum.* De secunda verò lege, hoc est Christi Evangelio, Moyses legislator in libro Deuteronomii de adventu Redemptoris affatus ait: *Apparuit Dominus de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia, in dextera ejus ignea lex*, evangelica videlicet prædicatio: ad comparationem quippe novi Testamenti in quo promissio est regni cælorum, vetus Testamentum in quo secundùm litteram terrenæ erant pollicitationes, eadem lex veteris Testamenti frigida esse non ignea comprobatur. De secunda lege fidei, hoc est evangelio, Isaïas propheta exorsus ait: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*; Verbum quippe Domini filius Dei esse creditur, qui de terrena Jerusalem secundùm carnem nascendo egressus est. Michæas etiam propheta Isaïæ vaticinio consonans, *quia de Sion*, inquit, *egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem, & judicabit inter populos multos*; haud dubium quin Christus. De hac secunda lege novi Testamenti, in qua fides revelata est, Psalmographus canit, *Lex Domini inreprehensibilis revertens animas.* Et alibi: *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper.*

Deut. 33. 2. — Evangelium lex ignea. — Isa. 2. 3. — Mich. 4. 2. — Psal. 18. 8. — Psal. 118. 33.

CAPUT V.

De eo quod lex Testamentum appelletur, & lex sive fœdus, atque Testamentum, & quòd testamentum per mortem testatoris habeat firmitatem.

DE eo quod lex testamentum dicatur, & lex, sive fœdus, atque pactum, sicut est illud in psalmo: *Et statuit illud Jacob in præceptum, & Israël in testamentum æternum.* Et alibi: *Et suscitavit testimonium in Jacob, & legem posuit in Israël.* Et in Jeremia: *Ecce dies veniunt*, ait Dominus, *& feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* Lex est quæ justos erudit, & eis viam justificationis ostendit, ut est illud in Psalmo: *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper de toto corde meo.* Et post aliqua: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.* Et in Proverbiis Salomonis: *quia mandatum*, inquit, *lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.* Et in Osee propheta: *Serite vobis justitiam, metite fructus vitæ, lucete lumen scientiæ, sustinete Dominum, donec veniat vobis progenies justitiæ.* Peccatores verò eadem lex judicat & condemnat, Apostolo hoc ipsum affirmante qui ait, *lex justis posita non est sed injustis, & non subditis impiis & peccatoribus*: aliter quippe eadem lex data est justis, & aliter posita peccatoribus: lex enim, ut dictum est, justis data est in adjutorium, & consolationem atque eruditionem; injustis verò & non subditis

Psal. 104. 10. — Psal. 77. 5. — Jer. 31. 31. — Psal. 118. 33. — Ibid. 105. — Prov. 6. 23. — Osee. 10. 12. — 1. Tim. 1. 9. — Lex justis & peccatoribus diversimodè data.

in redargutionem atque damnationem: & idcirco justi non sunt sub illa, sed non sine illa sunt; impii verò & peccatores non cum illa, sed sub illa, ut servi addicti tenentur: quia justi liberaliter ut filii obediunt; injusti verò ut servi compediti inviti obtemperant. Testamentum verò ideo lex dicitur, quia per illum non justis neque peccatoribus, sed solis electis hereditas æterna promittitur. Testamentum quippe dicitur quod faciunt morientes ante mortem heredibus suis: quod testamentum, ut ait Apostolus, in mortuis confirmatur, alioquin non valet quamdiu vivit qui testatur; ita & testamentum Dei per quod justis hereditas æterna promissa est, quod testamentum Dei ante Christi mortem & resurrectionem, scriptum quippe fuit per idoneos testes, id est per prophetas, sed non valuit; post ejus verò mortem confirmatum est, Apostolo auctore, qui de ipso Christo Domino ait: *Et ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemtione earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis: ubi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.* Nemo autem, ut dictum est, de electis ante Christi mortem & resurrectionem regnum cælorum, quod est hereditas eorum, capere potuit. Inde est enim quod omnes sancti patres, qui ante legem vel sub lege obierunt, licèt in loca refrigerii, tamen omnes usque ad adventum Salvatoris apud inferos detinebantur: post mortem verò ejus & resurrectionem, ut prædictum est, universi coheredes ipsius, cuncti videlicet electi, unusquisque post obitum suum hereditatem regni cælorum, quam ille prior secundùm carnem obtinuit, adipiscitur. Quod etiam de illo & de electis ejus in libris prophetarum prædictum est, dicente ipso Domino per Michæam prophetam de semetipso; *Ascendit pandens iter ante eos, & divident, & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Et in Nahum, *ascendit*, inquit, *qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem, contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valdè.* Et in psalmo: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Ipse quoque Dominus in Evangelio, *nemo*, inquit, *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.* Solus enim descendit; sed solus utique non ascendit, quia corpus suum quod est Ecclesia in semetipso assumsit. Christus autem & Ecclesia, ut ait Apostolus, una caro est, atque una natura: unde & ipse Salvator rursum de se ipso prædicens ait: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, omnia utique electa, non reproba. Beatus denique Paulus apostolus in epistola ad Hebræos de eodem Redemtore nostro suâ nos informans auctoritate inter cetera sic ait: *Non enim in manufactis sanctis* JESUS *introiit, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat vultui Dei pro nobis.* Ante illum quippe, ut sæpè dictum est, nullus ex electis hominibus regnum cælorum adeptus est: post il-

Heb. 9. 15. — Mich. 2. 13. — Nah. 2. 1. — Psal. 23. 7. — Joan. 3. 13. — Ibid. 12. 32. — Heb. 9. 24.

lum verò, omnes, Apostolo Paulo de ipso A
hoc affirmante, qui ait: *Cupio dissolvi, & esse cum*
Phil. 1. 23. *Christo.* Et in Evangelio Salvator: *Ubicumque*,
Matth. 24. 28. inquit, *fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*
Job. 39. 30. Et in libro beati Job de electorum animabus
sub figura aquilarum scriptum est, *Ubicumque*
fuerit cadaver, statim adest: id est ubi ipse Dominus in corpore est, illuc animæ electorum post carnis solutionem statim perducuntur.

CAPUT VI.

De eo quod Lex, hoc est vetus Testamentum, idcirco B *juxta litteram impleri non potest, pro eo quod in plerisque præceptis sibi contraria videtur.*

ALiquando enim quod fieri præcipit, rursùm fieri prohibet; aliquando verò id quod facere jubet, iterum ne fiat interdicit, ut est illud in Exodo & Deuteronomio, de reddendo malum pro malo, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. Et iterum in Levitico, non ulciscendum in proximo, nec memorare injuriam civium. De peccatis parentum in filios exquirendis, ut est illud in Exodo, & iterum non occidendos filios C pro peccatis patrum suorum, sicut est in libro Deuteronomii. De proximis ducendis uxoribus in libro Numeri, & iterum in Levitico ad propinquam sanguinis non accedendum. De dimittenda uxore, ut est illud in Deuteronomio, & de non dimittenda, sicut per Malachiam prophetam Dominus fieri prohibet. De derelicta fratris à fratre in conjugio sumenda, quemadmodum in libro Deuteronomii filiis Israël per Moysen præceptum est, quod in Levitico fieri omnino prohibetur. De servo Hebræo quem in Exodo septimo anno liberum gratis exire jubet, in Levitico verò non in D anno sepimo, sed in Jubilæo, qui est quinquagesimus, eumdem servum non gratis, sed per redemtionem ad libertatem venire præcipit. De carnalibus sacrificiis quæ sibi Dominus juxta litteram legis offerri præcipit: quæ sacrificia carnalia postea per prophetas non solùm non approbat, verùm etiam velut morticina & contaminata repudiat. De circumcisione carnis quam per legem custodire jubet, & rursùm per prophetas non approbat. De observatione sabbati quam violare omnimodis inhibet, & rursùm in libris prophetarum reprobat. De omnibus animalibus quæ vivunt & E moventur in esu concessa, sicut ad Noë, & iterum quædam animalia velut immunda à cibo interdicta, sicut in Levitico & Deuteronomio. Hæc omnia & his similia quæ juxta litteram dissona sibi atque contraria videntur, in Christi Ecclesia per gratiam & donum Spiritus-sancti spiritaliter examinata, ita sibi conveniunt, ut in nullo discrepare videantur.



CAPUT VII.

De eo quod omnes qui sub lege vivere volunt, & in Christo credere nolunt, sub maledicto legis constringuntur.

IDcirco eadem lex prævaricatores facit atque sub maledicto constringit, quia eam secundùm litteram propter quasdam difficultates atque controversias, ut superiùs dictum est, implere omnino non possunt, beato Paulo
apostolo hoc affirmante, qui ait: *Conclusit scrip-* Gal. 3. 22.
tura omnia sub peccato, ut promissio ex fide JEHESU CHRISTI *daretur credentibus:* Et iterum ipse, *lex enim*, ait, *iram operatur, ubi enim non est* Rom. 4. 15.
lex, nec prævaricatio. Et alibi, *littera*, inquit, *occidit,* 2. Cor. 3. 6.
spiritus autem vivificat. Et aliàs, *scimus*, ait, *quia*
lex spiritalis est. Quod autem lex absque Christi Rom. 7. 14.
gratia prævaricatores faciat, atque sub maledicto constringat, lex ipsa testis est: scriptum quippe est in Deuteronomio, *Maledictus qui non perma-* Deut. 27. 26.
net in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit, & dicit omnis populus, Amen. Et paulo post adversùs
Judæos in Christo credere nolentes, *Maledictus* Ibid. 28. 16.
eris in civitate, maledictus in agro; maledictum horreum, & maledictæ reliquiæ tuæ; maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. De hac quoque maledictione, qua Judæi ob impietatem quam in Christo operati sunt addicti tenentur, in
Malachia propheta scriptum est: *Si affiget ho-* Mal. 3. 8.
mo Deum, quia vos crucifixistis me, vos maledicti estis, & me vos crucifixistis gens tota. De prævaricatione verò eorumdem Judæorum Isaïas
propheta ait: *Abjecerunt enim legem Domini exer-* Isa. 5. 24.
cituum, & eloquium sancti Israël blasphemaverunt. Et 24. 16.
rursum ipse: *Væ mihi, prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.* Hieremias etiam propheta de eadem prævaricatione Judæorum ex voce Domini effa-
tus, *auferte*, ait, *propagines ejus, quia non sunt* Jer. 5. 10.
Domini; prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israël & domus Juda, ait Dominus: negaverunt Dominum, & dixerunt: non est ipse, neque veniet super nos malum. De qua prævaricatione legis seu maledicto nemo eximi potest nisi per Christum qui prior omnibus legem implevit, atque eam fidelibus suis per donum Spiritus-sancti revelavit, & qui pro nobis maledictus fieri dignatus est, ut nos ab æterna maledictione, sub qua merito peccatorum nostrorum rei tenebamur, absolveret, & benedictioni perpetuæ condonaret.

CAPUT VIII.

De eo quod Lex, hoc est vetus Testamentum ita mysticè loquitur, ut quid secundùm historiam, quid verò spiritaliter dicat difficilè rimari possit.

SÆpè enim historicam narrationem cum spiritali permiscet; crebrò verò præterita cum futuris conjungit, & per transacta ea quæ ven-

tura sunt denuntiat : aliquando autem per terrena, cælestia ; & per temporalia, æterna designat ; nonnumquam etiam sub aliorum nomine aliorum commendat promissiones ; nam & per malos homines, bonos ; & per bonos, malos liniat ; & per non bene perpetrata, futura bona signat : spiritalem quippe sensum cum historica narratione permiscet, sicut in Genesi, ubi de quatuor fluminibus paradisi scriptum est, quòd ex uno fonte profluunt ; & sicut in eodem libro de muliere & serpente scriptum est, dicente Domino ad eumdem colubrum :
Gen. 3. 14. *super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ ; inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius ; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus :* vel sicut de benedictionibus Abrahæ & visionibus Joseph in eodem libro scriptum est, & alia plurima his similia quæ in divinis scripturis impressa reperiuntur. Quæ omnia ex parte secundùm litteram impleta esse scimus & credimus ; ex parte verò non juxta litteram, sed mysticè figurata esse novimus. Aliquando autem divina scriptura præterita cum futuris connectit, sicut Moyses qui in transacta prophetia narrat quomodo Isaac Jacob filium suum in persona Christi de futuro benedixit, & rursum Jacob filios suos non de transactis, sed de futuris sub aliorum personis vel laudando demonstravit bonos, vel detestando signavit malos. Sæpè autem sub aliorum nomine aliorum personas introducit, sicut Isaac, ut dictum est, in figura Salvatoris Jacob filium suum benedixit ; & rursùm Jacob sub nomine Judæ atque Joseph Christi nativitatem & passionem, mortem etiam ac resurrectionem, sive regnum allegoricè pronuntiavit ; vel sicut in psalmis & libris prophetarum sub nomine David crebrò Christi persona introducitur ; nonnumquam etiam & per Israël & Jacob ipse Salvator noster seu populus electus insinuatur. Aliquando per pontifices & sacerdotes justos seu reges & principes atque judices bonos Dominum nostrum JEHESUM CHRISTUM, qui est verus rex & sacerdos, ac dux populi sui ; sive sanctos apostolos & ceteros perfectos designat : & è contrario per reges impios, duces atque tyrannos diabolum & antichristum typicè liniat. Aliquando per terrena, cælestia mysticè signat, quemadmodum per terrenam Jerusalem cælestem Jerusalem, & per terrenam Sion supernam significat patriam. Aliquando autem & per transeuntia manentia, & per temporalia æterna commendat, sicut per temporalem synagogam Judæorum, & regnum ejus atque sacerdotium Christi, Ecclesiam & ejus sacerdotium, sive regnum figurat. Crebrò autem pro tempore, pro loco, pro causa in diversis figurationibus personas mutat sententiasque convertit, ut modò aliud, modò verò aliud una eademque res mysticè significet : nam & per bonos homines mali, & per malos nonnumquam præfigurantur boni. Per bonos quippe homines mali futuri figurati sunt, sicut in libro Exodi per Moysen legislatorem qui de virga

A quam manu gestabat petram, quæ illi à Domino ostensa est, supra quam etiam ipse Deus se stare perhibuit, percutiens populo Israheli murmuranti aquam produxit, miles ille præfiguratus est qui corpus Christi in quo erat Deus, ligno adfixum lancea perfodit, ex quo corpore continuò sanguis & aqua in sacramento redemtionis nostræ profluxit. Similiter & in libro Numeri per Eleazarum pontificem, cui in typo carnis Dominicæ vacca rufa extra castra immolare jussa est, Anna & Caïphas pontifices Judæorum de stirpe Aaron præostensi sunt ; qui corpus Christi extra portas Jerusalem appendentes crucifixerunt, Adæque & mortem
B Uriæ Zethei interemtionem diabolicæ impietatis, sive Judæorum damnationem significasse non dubium est. Per malos verò homines nonnumquam ipse Deus pater omnipotens præfiguratus est, sicut per Pharaonem regem Ægypti, qui Joseph de squalore carceris post biennium educens, principem totius terræ Ægypti secundo post se loco constituit. Quemadmodum & Deus Pater unicum Filium suum, Redemtorem videlicet nostrum secundùm animam de inferno velut de carcere eruens & secundùm carnem è sepulcri quiete resuscitans, in cælesti gloria, ad dexteram suam col-
C locans, omni creaturæ in cælo & in terra principem ac dominum constituit. Interdum autem & ipse Filius Dei per reges impios retro olim designatus est, sicut per Cyrum regem Persarum, qui populum Israheliticum de captivitate pristina absolvens ad Jeherusalem civitatem redire permisit, & cuncta quæ ibi dudum à gentibus demolita fuerant restaurare concessit, sicuti & Filius Dei humanum genus de pristina captivitate & de diaboli potestate sua interveniente redemtione liberavit, & ad cælestem Jeherusalem redire concessit, siquidem & per aliorum facinus aliorum actiones bonas
D prætendit, sicut per peccatum David & per stuprum Judæ cum nuru sua Christi & Ecclesiæ sacramenta commendat.

Deus aliquando per malos homines mysticè designatus.

Sæpè autem sacra scriptura mysticè per singularem numerum, pluralem singularem innuit : rursum intra exiguum numerum, per multiplicem numerum exiguum commendat ; crebrò enim per partem totum, & per totum partem exprimit. Aliquando per mundum homines, & per hominem qui per exteriorem hominem ad interiorem loquitur, & per membra corporis affatus animæ sive cogitationes demonstrat. Assiduè etiam per bella corporalia, prælia
E exprimit spiritalia, illa videlicet quæ anima adversùs carnem & caro adversus spiritum gerit, seu conflictus sanctorum adversùs aëreas potestates, & homines impios. Nonnumquam enim per arma sacram scripturam sive virtutes sanctorum contra insidias diaboli & carnis vitia typicè innuit. Similiter & in malam partem sævitiam diaboli & hæreticorum falsa dogmata, arma appellat. Aliquando per conjugia sanctorum, Christi & Ecclesiæ unitatem designat, sive animæ electæ, & sapientiæ connexionem ; Adæque & per filios, universos ele-

ctos Christi, & ecclesiæ prolem sive virtutes A sanctorum. Rursum per conjugia impiorum diabolum atque civitatem hujus mundi, hoc est Babyloniam cum universis filiis suis, cunctis videlicet impiis, & eorum vitia demonstrat. Interdum verò per carnale conjugium animæ & carnis permixtionem exprimit. Ex quibus duobus virtutes vel vitia velut liberi boni seu mali procreantur. Aliquando autem in sacro eloquio per virum vel viros bonam in partem insinuant Dominum JESUM CHRISTUM qui est caput Ecclesiæ suæ, sive sanctos prædicatores, Ecclesiarum rectores, necnon & rationabilem sensum, à quo anima velut mu- B lier à viro regitur. In malam verò partem per virum vel viros figurat diabolum vel antichristum, sive principes impios atque hæreticos malorum omnium rectores; sæpè namque per mulierem ac mulieres bonam in partem signat generaliter sanctam Ecclesiam, seu omnes Ecclesias; interdum autem & animas electorum atque utiles disciplinas, seu spiritalem scientiam. In contrariam verò partem per mulierem vel mulieres, allegoricè liniat civitatem diaboli, id est congregationem omnium malorum, seu synagogam Judæorum, & hæreticorum unitatem: interdum autem & concupis- C centiam sæculi hujus, seu inlecebrosam vitam carnis & animam peccatricem, sicuti in una, ita & in pluribus. Interdum etiam diabolum inimicum hominem appellat, & è contrario hominem impium diabolum esse dicit. Subinde namque per libertatem carnis, libertatem exprimit animæ, & per servitutem corpoream servitium signat peccatorum. Aliquando autem per viventes homines, justos; & per mortuos, impios atque peccatores demonstrat. Frequenter verò per lucem justitiam vel justos, per tenebras autem immundos spiritus, & impios homines, seu omnia peccata exprimit. Aliquando sacra scriptura per sponsum Christum, per sponsam verò Ecclesiam, seu per sponsum Verbum Dei, per sponsam autem assumtam carnem à Verbo sive electam animam exprimit. Sæpè namque per regem, Christum; reginam verò, Ecclesiam, sive animam electam appellat: sicuti unam, ita & plurimas. Crebrò verò per concubinas vel ancillas, plebem Judaïcam atque hæreticas quæ in servitutem generant, seu animas peccatrices demonstrat: & è contrario per regem, diabolum principem malorum; per reginam autem impiam plebem adhærentem ei insinuat. Fre- E quenter enim divina lectio sanctam Ecclesiam ob hoc quod incorrupta est fide, virginem appellat: pro eo verò quod fœcunda est prole, matrem filiorum esse dicit. Interdum autem & virgines continentes appellat prudentes vel fatuas, nam eo semetipsam divina scriptura virginem castam esse testatur, quam magistri erroris Judæi vel hæretici velut corruptores violare conantur, nec tamen valent. Nonnumquam verò plebs impia & anima peccatrix ob sterilitatem bonorum operum virgo sive sterilis pronunciatur: subinde etiam per viduam ob peregrinationem præsentis vitæ, Ecclesiam; per pupillos verò, fideles, filios Ecclesiæ qui patrem suum Deum in cælum esse confitentur, innuit. Rursùm per viduam seu repudiatam atque meretricem, synagogam Judæorum, seu hæreticorum plebem & animam peccatricem à Deo derelictam intellegi vult. Quas etiam sub nomine adulterarum, & fornicationum feminarum, sæpè redarguit. Crebrò enim per primogenitum, Christum Dominum; per ejus verò fratres, sanctos apostolos atque omnes electos insinuat: siquidem & proximum atque propinquum, seu cognatum, vel affinem, eumdem Christum Dominum secundùm carnis [a] cognitionem esse perhibet. [a] Aliquando namque per terrenum ædificium, spiritalem, hoc est sanctæ Ecclesiæ constructionem, sive sanctarum animarum quæ diversarum virtutum quasi per lapides in sublime eriguntur, allegoricè depingit. Similiter in malam partem, congregationem reproborum, & eorum pessimas actiones vel cogitationes, ædificia appellat. Frequenter namque per civitatem, bonam in partem, sanctam esse Ecclesiam, sive divinam scripturam, atque electam animam fidei muro munitam, & virtutum ædificio circumdatam demonstrat. Similiter & domum seu templum atque tabernaculum Dei, per quod aliquando corpus Christi, aliquando sancta Ecclesia, seu anima electa in qua Deus habitat, mysticè appellatur. Et è contrario in malam partem per domum vel domos seu tabernacula impiorum collectiones & animas reprobas spiritaliter insinuat. Interdum per altare ex terra ædificatum, sicut in Exodo, Redemptoris nostri incarnationem typicè exprimit: per altare verò ex lapidibus quos ferrum tetigit constructum, unitatem sanctæ Ecclesiæ insinuat de cunctis fidelibus quos nullum schisma maculat, nullaque nequitia contaminat, in unum collectis. Aliquando autem per altare altitudinem fidei seu cor justi mysticè innuit. In malam quoque patrem per altare seu altaria designat hæreticorum collectiones, & eorum conciliabula. Rursùmque per altare atque mensam exprimitur sancta scriptura, ex qua fideles animæ vitalem cibum sumunt. E contrario in malam partem per mensam denotantur hæreticorum perversa dogmata, ex qua illi impietatis cibum comedunt. Crebrò itaque divina scriptura per terrenum panem ac vinum, seu omnem cibum vel potum, cælestem panem & spiritalem potum, quod est ipse Dominus & verbum ejus seu dogma sanctorum patrum, à quo cibo vel potu animæ electæ aluntur & reficiuntur, ne invisibili fame vel siti in æternum moriantur figuraliter insinuat; sicut è contrario in malam partem per panem & carnem atque aquam seu ceteros cibos vel potum, Judæorum carnales superstitiones, hæreticorum mendacia tropicè

[a] F. cognationem.

liniat. Multis modis verò sacra scriptura per A vestimenta vel vestimentum generaliter sanctam depingit Ecclesiam, quæ Christo Domino per fidem atque dilectionem, ut vestimentum, ita adhæret, ut ab eo in æternum nullo modo separari queat, quæ in tantum illi conjuncta esse perhibetur, ut ipse caput, illa verò corpus velut unus homo unave persona esse credatur. Hujus sanctæ Ecclesiæ ex varietate gentium collectæ, & diversitate professionum in unum conjunctæ vestimenta illa Aaron pontificis, quæ de variis coloribus & multiplici ornamento Domino disponente contexta sunt, figuram habuisse non dubium est. Rursùm per vestimenta indumentum exprimit sanctarum B animarum, quod est fides atque justitia, sive scientia sanctarum Scripturarum, & munditia castitatis. Per calciamenta verò aliquando Christi incarnationem, aliquando autem evangelicam prædicationem exprimit seu exempla præcedentium patrum: quæ calciamenta propter mortalitatis opera & malorum parentum exempla in contrariam partem interdum accipiuntur; per diversa namque ornamenta sanctarum scripturarum divina eloquia depingit & sententias, quæ locutionem spiritalium virorum velut eorum colla adornant, sicut per lapides pretiosos viros perfectos atque splendidas & præclaras eorum virtutes subtiliter figu C rat. Quæ dona spiritalia, etsi non omnia, tamen pleraque ex eis nonnullos hæreticos vel ceteros reprobos accipere & habere posse demonstrat. Divinus itaque sermo concionatoris in se personam orans, formans, omnium voces suscipiens, universis, prout locus vel tempus competit, loquitur atque respondet. Modò enim ex persona Dei hominibus, prout unicuique congruit, fatur; modò ex voce hominum Deo respondet vel supplicat. Crebrò namque sacra scriptura in Deum humana membra, id est caput, oculos, aures, nares, os, labia, linguam, scapulas, post tergum, brachia, manus, digitos, cor, ventrem, uterum, & pedes, at- D que cetera allegoricè describit. Sæpè etiam in eo motus animæ sive affectus humanos spiritaliter dicit. Nonnumquam verò & actiones, vel indumenta corporea ei inesse subtiliter adumbrat. Quæ omnia in illo secundùm litteram intelligere vel credere impietatis error est. Quippe cùm sit ipse omnipotens Deus, incircumscriptus, spiritus sanctus, & invisibilis atque immensus, immutabilisque & immortalis, nullisque corporalibus membris compositus, ubique totus, ubique præsens, de loco ad locum nequaquam transiens, apud quem ita sunt futura ut transacta, & utraque velut præ- E sentia, cui nulla nova cogitatio vel voluntas subripitur, cui nulla perturbatio, aut ira, vel furor, seu lætitia accedit vel recedit, in quem nulla oblivio, aut recordatio, vel plenitudo inesse potest; solus enim ille, ut dictum est, inmortalis atque inmmutabilis & invisibilis esse creditur. Rursùmque in divinis libris per omnem penè inrationabilem creaturam Christus Dominus ac Redemptor noster sub quibusdam figuris aliquando secundùm divinitatem, crebrò verò juxta humanitatem seipsum insinuare voluit; quæ tamen in illo non substantialiter, sed cuncta sunt figuraliter accipienda, præter illa tamen quæ sub humano nomine de ejus humanitate sacra narrat historia, id est de nomine servi vel pueri, sive de officio sacerdotali, necnon & de paupertate ejus, atque omnem humilitatem seu subjectionem, necnon & passionem, atque mortem, sepulcrum etiam & resurrectionem ejus, ascensionemque in cælis, & adventum illius in eadem forma humanitatis in qua venturus est judicare vivos & mortuos, quæ omnia in illo erga formam servi, ut dictum est, juxta litteræ simplicitatem accipiendum & credendum est; crebrò namque sacra scriptura, ut brevi sermone plurima concludam, per cuncta non viventia, viventia; & per insensibilia, sensibilia; & per inrationabilia, rationabilia multis modis multisque significationibus mysticè commendat. Hoc est per universam creaturam cæli ac terræ, mare & omnia quæ in eis sunt, quæ sensu carent vel ratione non utuntur, rationabilem creaturam, homines videlicet bonos vel malos, qui sunt, vivunt, sentiunt, atque discernunt, seu eorum actiones probas vel improbas. Interdum etiam & angelos mundos, hoc est sanctos, sive immundos, dæmones videlicet sub quibusdam figuris intelligentibus insinuat.

CAPUT IX.

De eo quod Lex & prophetia in parabolis & ænigmatibus sæpè loquitur, dicente propheta ex persona Salvatoris in psalmo: *Inclinabo ad parabolam aurem meam, aperiam in cythara ænigma meum.* Psal. 48. 5. Et alibi: *Aperiam*, inquit, *in parabola os meum, loquar ænigmata antiqua.* Psal. 77. 2. In Proverbiis quoque Salomonis Dei Sapientia loquens ait: *Hæc enim audiens sapiens sapientior erit,* Prov. 1. 5. *intelligens autem gubernationem possidebit, & intelliget quoque gubernationem, similitudinem, & obscurum sermonem, atque dictiones prudentium, & ænigmata.* Per Isaïam etiam Dominus exorsus ait: *In loquela enim labii & lingua alia loquetur ad populum istum, cui dixit: requiescere facite lassum, & hoc est meum refrigerium, & noluerunt audire.* Isa. 28. 11. Et in libro Ezechielis prophetæ: *Fili hominis, propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israël.* Ezech. 17. 2. Hoc enim significat quod facies Moysi velata esse perhibetur, quid enim per faciem Moysi nisi cognitio legis accipitur? quæ Lex habet gloriam suam, spiritalem videlicet intellectum, sed sub velamine litteræ latentem. De quo velamine beatus Paulus apostolus de populo Judæorum loquens ait: *Cùm enim legitur Moyses, velamen est super cor eorum; cùm enim conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est, ubi spiritus Domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3. 15. Inde est enim quod & Redemtor noster secundùm evangelium in parabolis locutus est, & sine parabolis non loquebatur. Propter quod & Apostolus nos informans ait: *Nolite pueri effici* 1. Cor. 14. 20.

sensibus, sed malitiâ parvuli estote, sensibus autem A *perfecti estote.* In lege scriptum est, *quoniam in aliis linguis & labiis loquar populo huic, & nec sic exaudiet me, dicit Dominus.*

Scriptura tres in partes divisa.

Sciendum verò est quod omnis scriptura divina tribus in partibus dividatur, idest in physica, ethica, & logica; id est rationali, actuali, atque intellectuali. De quibus tribus modis Salomon in Proverbiis, *Ecce*, inquit, *descripsi eam tibi tripliciter in cogitatione & scientia.* Physica namque est quæ de rerum naturis disputat: per hanc enim in divinis libris agnoscimus quomodo creator omnium Deus universam creaturam creavit, condidit, atque instituit, sicut liber Geneseos affirmat. Ethica verò quæ mores hominum docet ac erudit, sicut in Proverbiis Salomonis: per hanc autem instituimur quomodo unusquisque cum proximo suo vivat. Logica autem est intellectualis, quæ de invisibilibus rebus subtiliter loquitur, sicut in Cantica canticorum: per hanc quippe mens humana de Deo atque invisibilia in quantum valet cogitat; per hanc etiam vera à falsis, carnalia ab spiritalibus, invisibilia à visibilibus discernit. Physica namque comparatur corpori visibili, Ethica, id est moralis, confertur animæ, hoc est humanæ voluntati; Logica verò, C quæ est intellectualis, configuratur rationi quæ animæ præcellit, atque subtiliter cuncta discernit.

Prov. 22. 20.

Divina scriptura tribus modis discernitur.

Iterum divina scriptura tribus modis discernitur, in historia videlicet atque figura seu prophetia. Historia est simplex locutio, quæ ita ut dicitur intelligitur. Hæc quippe historia rursùm dividitur in duabus partibus, hoc est in relatione præteritorum gestorum & in manifestis divinisque præceptis, in quibus nil est spiritale requirendum, sed tantùm juxta litteræ simplicitatem accipiendum, ut est illud,

Deut. 6. 5.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & proximum tuum tamquam te ipsum; Et in Exodo: *Honora patrem tuum & matrem tuam. Non occides. Non mæchaberis. Non furtum facies. Non dices adversùs proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces uxorem proximi tui, neque quæcumque proximi tui fuerint*, & alia his similia plurima, quæ spiritalem intelligentiam non indigent. Figura verò est in repræsentatione veritatis, cum ea quæ de patriarchis & prophetis in divinis libris ante adventum Salvatoris patrata legimus, allegoricè in Christo & in Ecclesia impleta recognoscimus. Prophetia est in qua remota historia nihil secundùm litteram, sed spiritaliter cuncta sunt accipienda, ut est in Cantica canticorum, atque sparsim per omnes libros sanctarum scripturarum.

Ibid. 5. 16.

Scripturæ sensus quadruplex.

Nonnulli verò quatuor modis sanctam scripturam intelligendam esse dixerunt, hoc est scientia, doctrina, allegoria, atque anagogen, id est superiorem sensum sumentes, videlicet auctoritatem de beati Pauli exemplo, qui in prædicatione sua ait Corinthiis: *Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut* A *scientia, aut prophetia, aut doctrina?* Per hos enim quatuor modos, primo velut per Physicam, id est naturaliter juxta litteræ simplicitatem in divinis libris legitur Jerusalem terrena civitas, quæ retro olim metropolis fuerat Judæorum. Secundo modo velut per Ethicam tropologicè Jerusalem significat animam electam, supernam pacem contemplantem. Tertio quoque modo tamquam per Logicam allegoricè Jerusalem intelligitur sancta Ecclesia in peregrinatione hujus mundi æternam pacem anhelans. Quarto autem modo, quod anagogen esse dixerunt, superiorem videlicet sensum, Jerusalem significat supernam illam patriam perpetuâ pace fruentem. Hoc modo & de Sion sicuti & de Jerusalem quatuor modis sentiendum esse definierunt. Alii verò ad prædicationem tripliciter tantùm eamdem sacram scripturam sentiendum sanxerunt, id est historia, atque tropologia, seu allegoria. Nam & philosophi hujus mundi sapientiam suam tribus in partibus distinguere gestierunt, hoc est in Physica, per quam rerum omnium naturas, in quantum valuerunt, comprehendere nisi sunt: in Ethica, per quam mores hominum ad bene vivendum ordinare conati sunt: in Theorica quæ est Logica, id est contemplativa, per quam de invisibilibus rebus subtiliter disputare ausi sunt.

1. Cor. 14. 6.

CAPUT X.

De eo quod in veteri Testamento, in Lege videlicet Moysi, seu libris prophetarum, nec propter historiæ veritatem spiritalis intellectus prætermittendus est, neque rursùm propter mysticum historiæ veritas negligenda est.

D UTraque enim ita permixta sunt, ut nec historia sine allegoria, neque prophetia absque historia sibi conveniat. Quin potius per historiam quasi per quoddam corpus visibile pervenitur ad occultum sacramentum, tamquam ad latentem spiritum. Sacra namque scriptura velut quædam nutrix per simplicitatem litteræ quasi per lac parvulos pascit donec crescant; per spiritalem verò intellectum, perfectos tamquam per solidum cibum alit. De quo cibo simplici atque mystico beatus Paulus apostolus ad Corinthios scribens ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tamquam* 1. Cor. 3. 1.
E *parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* Item ipse ad Hebræos: Heb. 5. 13.
Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est. Perfectorum est enim solidus cibus eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Sacra itaque scriptura plurimis in locis divinorum eloquiorum retiæ comparatur, quæ in manifestis aperta est, in occultis verò ligata; de qua retia, hoc est divina scriptura, pro Redemptore nostro in Cantica canticorum scriptum est: *Ecce hic per parietem nostrum prospiciens,* Cant. 2. 9.
per fenestras eminens, abscultans per retia. Per pa-

Scriptura nutrix parvulorum & perfectorum.

rietem quippe corpus humanum quod ex nobis suscipere dignatus est, per eminentem verò divinitas ejus quæ & in carne & supra carnem est. In libro quoque Ezechielis prophetæ inter cetera, *Et fines terræ*, inquit, *retiata*. In libro etiam Regum typicè de hac sacra scriptura in vasis templi & altare æneum seu capita columnarum velut retiaculæ formatæ esse perhibentur.

CAPUT XI.

De eo quod Legalia præcepta velut manus Moysi ideo gravia erant, quia delinquentium culpas non ad satisfactionem seu emendationem reservabant, sed continuò ulciscebantur.

Lex vetus delinquentium culpas statim ulciscebatur. Nova misericors est.

DE cujus pondere in libro Exodi figuraliter scriptum est, *Manus autem Moysi erant graves, sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte, & factum est ut manus ejus non lassarentur usque ad occasum solis.* (Exod. 17. 12.) Moyses sedit in lapidem, & lex requievit in Ecclesia. Aaron autem, qui interpretatur Mons fortitudinis, significat Redemptorem nostrum qui est verus sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: Hur verò qui dicitur Ignis, figuram gestavit Spiritus sancti. Aaron & Hur ex utraque parte sustentant manus Moysi, quia misericordia Domini nostri JEHESU-CHRISTI & gratia Spiritus-sancti temperavit nobis austeritatem Legis, ut quos illa per severitatem Legis puniebat, iste per misericordiam absolveret, ipso dicente ad Judæos: (Matth. 9. 13.) *Ite, discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium.* Hanc misericordiam idem Dominus & Redemtor noster per semetipsum demonstravit, quando mulierem illam adulteram quam Judæi secundùm Legem lapidare decernebant, ipse per misericordiam & absolvit, & ne iterum peccaret, monuit. Igitur, ut dictum est, idcirco lex culpas delinquentium mox ut admittebantur ulciscebatur, quia populus Judæorum sub ea velut parvulus sub pædagogo addictus, non per amorem justititiæ ut filius; sed per timorem pœnæ velut servus invitus obtemperabat, Apostolo hoc affirmante ac dicente: (Gal. 3. 24.) *Itaque Lex pædagogus noster fuit.* In novo vero Testamento sub gratia quicumque sunt veri Christiani non timore pœnæ ut servi, sed amore justitiæ sicut filii evangelica præcepta custodiunt, eodem Apostolo teste, qui sua auctoritate informat dicens: (Rom. 8. 15.) *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater.* Aliud namque est justitiam diligere, & aliud timere. Qui enim diligit justitiam ob ejus amorem, ita perhorescit omne malum, ut ei nullomodo libeat peccare, etiamsi impunè in hac vita liceat, ut est illud in psalmo: (Psal. 96. 10.) *Qui diligitis Dominum, odite malum:* Et iterum: (Psal. 118. 104.) *A præceptis tuis intellexi, propterea odio habui omnem viam iniquitatis.* Qui autem justitiam, ut dictum est, non diligit, sed timet, licèt obtentu timoris à vitiorum se abstineat blandimento, per id quod coactè legi obtemperat pœnam habet, & non est perfectus; (Coactè legi obtemperans pœnam habet.) dolet quippe per legem sibi inlicitum esse omne quod nequiter diligit, cùm profectò si inultè peccare licuisset, absque justitiæ obstaculo perpetrasset utique omne malum quod potuisset; sed dum aut humanas leges metuit, aut futuram damnationem pertimescit, non liberaliter ut filius, sed pœnaliter sicut servus compeditus à malis actibus abstinet; & idcirco juxta beati Johannis apostoli veridicam sententiam, qui ejusmodi est, pœnam habet, & non est perfectus, ipso dicente: *Timor in caritate non est, sed perfecta caritas foras mittit timorem.* (1. Joan. 4. 18.) Quoniam qui timet, pœnam habet, & non est perfectus in caritate; non quòd servi Dei absque timore ejus sint, cùm initium sapientiæ timor Domini sit; sed sicut dilectio duplex est, una videlicet mundi secundùm carnem, alia verò spiritalis secundùm Deum, ita & timor duobus modis fit. (Dilectio & timor duplex.) Aliter namque timet filius bonus patrem suum, sive conjux pudica virum suum, quem utique timet & diligit: non tamen ideo timet ut delinquat, sed idcirco timet ne fortè offendat, & amittat quem diligit. Aliter verò timet servus malus bonum dominum suum, sive ancilla peccans dominam suam, quam utique non diligit, ut dictum est, sed tantummodo timet, quam etiamsi amittere contingat, non dolet, sed gaudet. Atque utinam si fieri posset quicumque intra Ecclesiam nequiter vivunt, quos nullus amor justitiæ ad bene vivendum provocat, saltem qualiscumque timor pœnæ à malis actibus compesceret, ut etsi præmium consequi non possent, saltem atrociter non punirentur. (Timor servilis ad quid utilis.) Sciendum namque est quod dilectio ad amicos, timor verò conveniat ad servos. Sed quoniam omnes electi & servi Dei sunt per conditionem, & amici per dilectionem: idcirco & timent & amant. Non tamen ideo timent propter quod eis peccare non licet, sed idcirco metuunt, ne per naturæ mutabilitatem in aliquod delinquant & offendant eum quem diligunt. Qui vero peccandi voluntatem habent, sed propter timorem pœnæ peccare metuunt; isti apud Deum præmium non habent, quoniam potius ipse timor pœna illis est. De talibus dicit Veritas, *Servus nescit quid faciat dominus ejus.* (Joan. 15. 15.) Electis vero ipsa Veritas ait: *Jam non dicam vos servos sed amicos: quia omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis*; Et alibi: *Vos amici mei estis, si feceritis ea quæ præcipio vobis.* Quod si illi amici fiunt qui faciunt ea quæ illis præcepta sunt, procul dubio illi inimici existunt qui facere contemnunt.

Jam verò dilectio quæ, ut superiùs dictum est, duplex fit, aliquando in bonam, aliquando verò in malam partem accipitur. (Dilectio in bonam & in malam partem.) De bona quippe dilectione in libro Sapientiæ scriptum est: *Diligite justitiam qui judicatis terram.* (Sap. 1. 1.) De mala vero dilectione Psalmographus ait: *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* (Psal. 10. 6.) De bona dilectione Veritas dicit: *Hoc est præceptum meum,* (Joan. 15. 12.)

ut diligatis vos invicem. De carnali autem dile- A ctione rursùm ipse ait: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Aliter namque electi proximos suos, & aliter reprobi similes sibi diligunt. Spiritales viri proximos suos non carnaliter, sed spiritaliter; non propter semetipsos, sed propter Deum; non propter commoda temporalia, sed propter vitæ meritum; non propter speciem carnis, sed propter animæ decorem; hoc est sanctitatem ejus diligunt. Hanc dilectionem Dominus approbat & præcipit. Carnales vero similes sibi non spiritaliter, sed carnaliter, non propter Deum, sed propter semetipsos; non propter futuram beatitudinem, sed propter temporalem retributionem; non propter vitæ probitatem, sed propter nequitiam suam diligunt.

Matth. 5. 46.

Simili quoque modo & de odio, quod modo in bonam partem, modo verò in malam accipitur. In bonam quippe partem odium illud accipitur de quo Propheta ait: *Nonne qui te oderant, Domine, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam?* Et alibi: *Iniquos odio habui & abominatus sum.* In malam autem partem odium ponitur, de quo beatus Johannes apostolus ait: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Unusquisque enim hoc in simili sibi diligit quod & in semetipso, id est aut justitiam si justus est; aut nequitiam si injustus. Similiter quoque hoc in alio odio habet quod & in semetipso, id est impietatem atque nequitiam ipsius, & justus est: qui vero impius est & iniquus, diligit utique in simili sibi impietatem atque nequitiam suam, & exosam habet in bonis hominibus atque justis pietatem, seu omne quod bonum est. Discretum quoque odium sanctorum est in malis hominibus non naturam odisse, sed impietatem atque vitia.

Odium in bonam & in malam partem. Ps. 138. 21. Psal. 118. 113. 1. Joan. 3. 15.

CAPUT XII.

De eo quod adveniente Evangelio legalia præcepta in carnalibus observationibus abolita sunt.

HOc enim typicè in Exodo figuratum est, in hoc videlicet quod Moyses legislator primas tabulas legis, quas in monte Sinaï acceperat, ad radices ejus projectas è manibus suis confregit, & rursùm jubente Domino alias instar priorum dolavit, in quas legem quam in primis acceperat denuo scripsit. Hoc etiam rursùm per eumdem Moysen præfiguratum est E in eo quod Legem quam jam in prioribus libris, in Exodo videlicet & Levitico atque Numerorum digesserat, iterùm in Deuteronomio replicavit. De qua præfiguratione & abolitione Legis veteris, & novæ introductionis, mysticè Dominus per Moysen in Levitico pollicens ait: *Respiciam vos, & crescere faciam; multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, & vetera novis supervenientibus projicietis.* De qua mutatione Legis Dominus per Isaïam prophetam populum suum exhortans ait: *Ne memineritis priora, & antiqua ne intueamini, ecce ego facio nova, & nunc orientur: utique cognoscetis ea.* Et rursùm ibi ad Judæos: *Quæ audisti, vide omnia: vos autem num annuntiastis? audita feci tibi nova ex tunc, & conservata sunt quæ nescis: nunc creata sunt & non ex tunc, ante diem, & non audisti ea, ne fortè dicas: ecce ego novi ea. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua,* ut subaudiatur ad intelligendum ea. Per Jeremiam quoque prophetam Dominus de reprobatione veteris Testamenti, & novi introductione repromittens ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patri- B bus eorum in die quando apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominator eorum, dicit Dominus, sed hoc erit pactum meum quod feriam cum filiis domus Israël. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Hanc quoque mutationem Legis atque sacerdotii & novi introductionem quatuor illi psalmi in titulis suis proferunt, in quibus scriptum est, *Pro his quæ immutabuntur.* De hac mutatione Legis atque sacerdotii beatus Paulus apostolus in epistola ad Hebræos scribens ait: C *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* Et paulo post: *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes. Sermo autem jusjurandi qui post Legem est, filium in æternum perfectum.* Et rursùm ibidem: *Dicendo autem novum, veteravit prius: quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Sciendum sanè est quod Lex veteris Testamenti adveniente evangelio in carnalibus observationibus quæ in figura præcesserant reprobata est: non in spiritualibus in quibus in melius commutata fidelibus in Ecclesia custoditur.

Lev. 26. 9. Isaï. 43. 18. Ib. 48. 6. Jerem. 31. 31. Heb. 7. 18. Ib. 7. 28. Ib. 8. 13.

D

CAPUT XIII.

De eo quod populus Judæorum in littera Legis velut pro foribus fixis eamdem Legem ante adventum Salvatoris spiritaliter intelligere non potuit, hoc est ejus occulta penetrare non valuit.

LEx enim & prophetia veteris Testamenti idcirco ante adventum Salvatoris revelata non est, quia ipsum auctorem prophetiæ credere nolunt. Inde namque est quod idem populus Judæorum in libris prophetarum videns & cæcus; surdus & audiens esse perhibetur. Videns utique litteram Legis, sed cæcus ad cernenda mysteria ejus. Audiens terrenas promissiones, & nequaquam audiens in interiore homine cælestes pollicitationes Dei. De quorum cæcitate Moyses legislator in libro Deuteronomii ipsi populo Judæorum inter cetera ait: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possint audire usque in præsentem diem.* Et iterum ibi inter reliquas maledictiones, *percutiet,* inquit, *te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie sicut*

Cæcitas Judæorum. Deut. 29. 4. Ib. 28.

cut palpare solet cæcus in tenebris, & non diriges vias A
tuas. De hac eorum cæcitate, id est Judæorum,
Dominus ad Isaïam prophetam præcipiens ait:
Isa. 6. 9. *Vade & dic populo huic, audite audientes & nolite in-*
telligere, & videte visionem & nolite cognoscere. Ex-
cæca cor populi hujus, & aures ejus adgrava, & ocu-
los ejus claude, ne fortè videat oculis suis & auribus
suis audiat, & corde suo intelligat & convertatur,
Isa. 42. 18. *& sanem eum.* Item ibi: *Surdi audite, & cæci in-*
tuemini ad vivendum. Quis cæcus nisi servus meus?
& surdus nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus
nisi qui venundatus est? quis cæcus nisi servus Domi-
ni? Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas ha-
bes aures, nonne audies? Et Dominus voluit ut san- B
ctificaret eum, & magnificaret Legem, & extolleret:
ipse autem populus direptus & vastatus, laqueus juve-
num omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt.
Et iterum ibi, *Erit vobis*, inquit, *visio omnium,*
Isaï. 29. 11. *sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti lit-*
teras, dicent: Lege istum, & respondebit, non possum,
signatus est enim, & dabitur liber nescienti litteras,
diceturque ei: Lege, & respondebit, nescio litteras.
Isaï. 43. 8. Hinc demum ibi: *Educ foras populum cæcum, &*
oculos habentem, & surdum, & aures ei sunt, om-
nes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tri-
Isa. 56. 9. *bus.* Item ibi, *omnes bestiæ agri, venite ad devo-*
randum universæ bestiæ saltus, speculatores ejus cæci C
omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes
latrare. Per Jheremiam quoque prophetam
Jer. 5. 21. eumdem Dominus redarguens, *Audi*, ait, *po-*
pulus stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos
non videtis, & aures & non auditis. De quo-
rum cæcitate Psalmographus non maledicentis
voto, sed prophetantis mysterio inter cetera
Psal. 68. 23. ait: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, &*
in retributionem, & in scandalum, obscurentur ocu-
li eorum ne videant, & dorsum illorum semper in-
curva. Mensa hoc in loco sacram signifi-
cat scripturam, ex qua fideles alimentum
sumunt vitale. Increduli verò, id est Ju- D
dæi eamdem sacram scripturam ad perniciem
suam, & in testimonium damnationis suæ
utuntur. De quorum adhuc cæcitate beatus
Paulus apostolus in epistola ad Romanos in-
Rom. 11. 8. ter cetera scribens dicit: *Dedit illis Deus spiri-*
tum compunctionis, oculos ut non videant, & aures
ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et pau-
Ib. 11. 25. lò post, *quia cæcitas*, inquit, *ex parte contigit in*
Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis
Israël salvus fieret. Ipse denique Redemtor
noster & de Pharisæis Judæorum discipulos
Matth. 15. 14. suos ammonens ait: *Dimittite eos, cæci sunt, du-*
ces cæcorum: si autem cæcus cæcum duxerit, ambo in E
foveam cadunt.

CAPUT XIV.

De eo quod Judæi in patriarchis & prophetis fiduciam habentes per eorum merita salvari se falsò opinantur.

SCriptum quippe est in libro Jheremiæ pro-
phetæ loquente Domino ad ipsum: *Tu ergò*
Jer. 11. 14. *noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem,*
quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me in
tempore afflictionis eorum. Et rursùm ibi: *Et dixit Do-*
minus ad me, noli orare pro populo isto in bonum, cùm je- Ibid. 14. 11. 12.
junaverint, non exaudiam preces eorum, & si obtulerint
holocaustomata & victimas, non suscipiam ea. Et post Ibid. 15. 1.
paululum: *Et dixit Dominus ad me, Si steterit Moyses &*
Shamuel coram me, non est anima mea ad populum istum,
ejice illos à facie mea, & egrediantur. Per Ezechielem
quoque prophetam Dominus affatus ait: *Vel si* Ezech. 14. 17.
gladium induxero super terram illam & dixero gladio:
Transi per terram, & interfecero de ea hominem & ju-
mentum, & tres viri isti fuerint in medio ejus, id est Noë,
Daniel, & Job, vivo ego, dicit Dominus, non liberabunt
filios neque filias, sed ipsi soli liberabuntur. Salvator
etiam noster Judæis comminans ait: *Cùm videritis* Luc. 13. 28.
Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes prophetas in reg-
no Dei, vos autem expelli foras, & venient ab Orien-
te, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & recum-
bent in regno Dei, & ecce sunt novissimi qui erant
primi, & sunt primi qui erant novissimi. Sicut
enim malorum parentum peccata bonis filiis
non obsunt, ita bonorum parentum acta ma-
lis filiis nihil prosunt, dicente Domino per
Prophetam: *Ecce omnes animæ meæ sunt, ut ani-* Ezech. 18. 4.
ma patris, ita & anima filii mea est. Anima quæ
peccavit ipsa morietur. Si enim secundùm gene-
rationem carnis & sanguinis electio filiorum
Dei foret, profectò omnes filii sanctorum pa-
triarcharum & prophetarum boni essent: nem-
pe Abraham patriarcha ex tribus feminis octo
filios procreasse non dubium est, ex quibus om-
nibus hominibus nullus alius, præter Isaac, qui
ex promissione natus est, in sorte filiorum Dei
assumtus esse perhibetur. Ipse quoque Isaac
duos filios ex Rebecca simul suscepisse legitur:
ex quibus unus assumtus est per misericordiam,
alius verò derelictus est per judicium. Simili-
ter & per ceteros patriarchas & prophetas, si
quis diligenter divinas scripturas inspicere vo-
luerit, reperiet & crebrò ex eorum prole am-
pliorem numerum in reprobis, exiguum verò
inveniet in electis: quia non qui filii carnis,
hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis æsti-
mabuntur in semine. Frustra igitur Judæi vel
quilibet ceteri de generatione carnis & sangui-
nis glorientur, cùm apud Deum non genera-
tio carnis, neque potentia vitæ præsentis, ne-
que terrenæ divitiæ, aut quilibet honor tem-
poralis hominem commendet; sed sola divina
gratia & humilitas hominis ac vitæ probitas
apud eum qui personarum acceptor non est
locum habeat. Idcirco namque filius Dei qui
est super omnia Deus benedictus in sæcula for-
mam servi accepit, ut exemplo humilitatis suæ
eorum ægram superbiam sanaret. Ideoque in-
grediens mundum, non sapientes, neque rhe-
tores, non divites, neque nobiles, non poten-
tes, neque generosos in primordio prædicatio-
nis suæ elegit, sed stultos ac simplices atque
idiotas, ignobiles & pauperes, despectosque ad
evangelizandum assumtos misit, qualiter per
stulta mundi confunderet sapientes, & per in-
firma mundi confunderet fortia, & per humi-
lia mundi compesceret superbiam, & per ig-
nobilia mundi & contemtibilia, & ea quæ qua-
si non erant, destrueret ea quæ esse videban-
tur, ut non glorietur omnis caro coram illo, sed

qui gloriatur, non in semetipso, sed in Domino glorietur.

CAPUT XV.

De eo quod ex operibus Legis absque justitia fidei nullus justificabitur homo.

QUam justitiam fidei nemo per meritum suum umquam habere potuit vel potest, nisi per Mediatorem Dei & hominum Dominum nostrum JEHESUM CHRISTUM, qui vera est justitia, qui nullis præeuntibus meritis per fidem justificat impium credentem in se. Quòd nemo per meritum suum ante fidem innocens sit apud Deum, testis est divina scriptura, dicente Moyse ad Dominum: *Dominator, Domine, Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verus, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitates & scelera, nullusque apud te per se innocens est.* Et paulò post: *Obsecro ut gradiaris nobiscum, populus enim duræ cervicis est, ut auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas.* Hoc enim mysticè in Exodo præfiguratum est, dicente Domino ad eumdem Moysen: *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quàm de jumentis mea sunt omnia.* Item ibi: *Separabis omne quod aperit vulvam Domino, & quidquid primitivum est in pecoribus, quidquid habueris masculini sexus consecrabis Domino.* Vulva quippe est interior mens hominis, in qua mente velut in vulva cogitatione concipitur quidquid in fide bonorum actuum Domino offeri præcipitur. Primitiva verò principia bonorum ostendunt, vel ipsam bonam voluntatem. Deus autem dum illam sibi à nobis jubet offerri, indicat ad ipsius gratiam pertinere. Quod verò addidit; *Primogenitum asini mutabis ove; quod si non redemeris, interficies; omne autem primogenitum hominis de filiis pretio redimes.* Sicut enim per primogenita quæ Domino sanctificare præcipimur, significat initia fidei nostræ, sive, ut dictum est, voluntatem bonam, quam non nostro merito, sed per divinam gratiam accepimus: ita per primogenitum asini sive primogenitum hominis insinuat originalia sive actualia peccata nostra, quæ priusquam crederemus vel converteremur, nascendo seu perpetrando contraximus. Quæ peccata velut primitivi filii nisi commutentur in melius, aut per pœnitentiam redimantur, in morte procul dubio punientur. De primogenitis rursùm fidei sive initiis bonæ voluntatis, in Levitico sub figura animalium hoc modo à Domino præceptum est per Moysen: *Primogenita quæ ad Deum pertinent nemo sanctificare poterit & vovere: sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt.* Quæ primogenita nihil aliud significant, nisi, ut superiùs dictum est, initia fidei & voluntatem bonam quæ opus nostrum præcedit. Quæ initia fidei, seu intentionem boni operis nullus præcedentibus meritis suis habere potest, nisi per divinam gratiam & misericordiam, dicente propheta, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Quod etiam ipse Dominus beatum Job exorsus ait: *Quis antè dedit mihi, ut retribuam ei?* Beatus quoque Paulus ad Ephesios; *Gratiâ*, inquit, *salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Quod Psalmista adæquè adstipulatur dicens: *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia, & non intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Illi enim in judicium cum Deo intrare audent, qui de propriis meritis se extollentes, semetipsos justificant, sicut Judæi qui ignorantes Dei justitiam, & suam statuere volentes, Dei justitiæ non sunt subjecti. Quos Dominus per Jheremiam prophetam redarguens ait: *Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus.* Propheta verò ex persona Ecclesiæ Domino supplicans ait: *Exaudi me in tua justitia*, & non in mea, quam utique ex me, hoc est per liberum arbitrium habere nequaquam possum, nisi prævenientem gratiam accepero ut habeam. De qua justitia quæ ex fide est JESU-CHRISTI, Isaïas eximius vates affatur dicens: *In Domino justificabitur & laudabitur omne semen Israel.* Nahum etiam propheta de Domino exorsus ait: *Dominus patiens & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem*, ac si diceret: qui credentes in se per fidem & baptismum ab omni peccato mundat, eos verò qui de propria justitia præsumunt & in eum credere nolunt, innocentes non approbat, sed nocentes: hoc quippe est quod ipse Dominus in Evangelio adversùs Judæos, qui semper opera Legis absque justitia fidei justificabant, inter cetera ait: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra, quia quod altum est hominibus, abominabile est apud Deum.* Et iterum, *non veni*, inquit, *vocare justos*, hoc est qui se ipsos justificant, *sed peccatores in pœnitentia.* Hoc etiam ipse Dominus retro olim per libros Legis & prophetarum nos informans dicit: *Et scient quia ego sum Dominus.* Hoc est etiam quod divina scriptura Abraham patriarcham non ex operibus Legis, sed ex fide justificatum affirmat, dicente eadem scripturâ: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Similiter & Abraham.... in typo ecclesiæ gentium quæ ex fide justificata est: de qua fide beatus Paulus apostolus epistola ad Hebræos sufficienter loquens, hoc etiam sua affirmat auctoritate, quod omnes sancti patriarchæ & prophetæ qui ante adventum Salvatoris præcesserunt, [a] Deo, subsequentibus operibus justitiæ. De qua fide Propheta ait: *Justus autem ex fide vivit.* Fides vera est quæ secundùm Apostolum per dilectionem operatur, alioquin si non operatur, vera fides non est. Quid enim prodest credi quod

[a] *Hic deest aliquid, forte crediderunt.*

Margin notes: Exod. 34. 6. — Ib. 34. 9. — Ibid. 13. 2. — Ibid. 13. 12. — Ibid. 13. 13. — Lev. 27. 26. — Gratiæ necessitas. — Psal. 58. 11. — Job 41. 2. — Eph. 2. 8. — Ps. 142. 1. — Jer. 2. 29. — Ps. 142. 1. — Nah. 1. 3. — Luc. 16. 15. — Matth. 9. 13. — Rom. 4. 3. — Rom. 1. 17. — Fides vera quæ.

sequi debeas, & hoc bonis actibus nequaquam sequi? Nam sicut *sine fide*, ut ait Apostolus, *impossibile est placere Deo*: ita juxta auctoritatem Jacobi apostoli, *Fides sine operibus mortua est in semetipsa*. Nemo autem ad hoc quod per fidem credit pervenire potest, nisi operibus bonis quasi quibusdam passibus ad illud pervenire queat: & idcirco in via Dei fides quæ per ejus gratiam homini conceditur incipit, & dilectio quæ est caritas per liberum arbitrium perficit, præcedente verò atque subsequente Dei misericordia, de qua misericordia propheta ait: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me*. Et alibi, *& misericordia*, inquit, *tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*.

Heb. 11. 6. Jac. 2. 26. Psal. 58. 11. Psal. 22. 6.

CAPUT XVI.

De eo quod omnipotens Deus Trinitas sit, id est Pater & Filius & Spiritus-sanctus, trinus scilicet in personis, unus autem in natura, plurima sunt documenta, & per omnem seriem sanctarum scripturarum multiplicia extant testimonia. Quod qui nosse vult, ex ipsa divina scriptura, Deo sibi revelante, pleniùs indagare potest. Illud verò nobis tantùm requirendum est, quomodo antiqui patriarchæ & prophetæ Deum vidisse dicantur, & iterum ipse Dominus ad Moysen testatus sit dicens: *Non enim videbit me homo & vivet*. Quod autem eum patriarchæ & prophetæ vidissent, sanctarum scripturarum auctoritas nos informat: scriptum quippe est in libro Genesis: *Apparuit autem ei Dominus*, hoc est Abrahæ, *in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei; cùmque levasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propter eum; quos cùm vidisset occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terra, & dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, & postea transibitis, idcirco declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt, Fac ut locutus es*. Ecce quos tres sub sacramento Trinitatis suscepit, unum Dominum propter singularem naturam deitatis adoravit. Et infrà; Abraham verò adhuc stabat coram Domino, & appropinquans ait, *Numquid perdes justum cum impio? absit ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius: non est hoc tuum, qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium*. Item ibi de Agar: *Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eum, tu Deus qui vidisti me, dixit enim, profectò hic vidi posteriora videntis me*. Et rursùm ibi de Jacob scriptum est: *Transductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo usque mane, qui cùm videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit*. Et infrà, *Nequaquam*, inquit, *Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Et infrà: *Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea*. Ecce hic quem superiùs hominem dixerat cum quo luctatus est, postea Deum appellavit. Similiter & Josue atque Gedeon seu Manue, quibus vir vel angelus apparuisse dicitur, & tamen eumdem virum vel angelum Deum fuisse & Dominum sacra testatur historia. De hac quoque visione Dei in Exodo scriptum est: *Ascenderunt quoque Moyses & Aaron, Nadab, & Abiu, & LXX. de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel*. Item ibi: *Loquebaturque Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum*. Hinc demum in libro Numeri scriptum est: *At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquar ei & palam, non per ænigmata & figuras Deum videt*. In libro quoque Regum scriptum est, dicente Michæa propheta: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris*. De cujus visione Isaïas propheta de semetipso testatur dicens: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*. Amos quoque propheta ait: *Vidi Dominum stantem super altare*. Et iterum ipse: *Ecce Dominus stabat super murum adamantinum sive litum*. Ecce tot tantique testes extant, qui se Dominum vidisse profitentur, & tamen ipse Dominus ad Moysen testatus est dicens: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet*. Et paulò post, *Ecce*, inquit, *est locus apud me, stabis super petram, cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. Si enim Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur se petebat videre quem videbat? sed ex hac ejus petitione colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre. Quia in mortali carne adhuc consistentibus & videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, & videri non potest per incircumscriptum lumen æternitatis. Quid est ergo faciem meam videre non poteris, nisi quia ejus essentiam plenè humana natura videre non valet, quam nec ipsa perfectio angelica in toto vel integrè adtingit? vidit posteriora ejus populus Israheliticus, cujus figuram gestabat Moyses, id est quæ in posterioribus & novissimis in adventu Domini nostri JESU CHRISTI facta sunt. Vidit posteriora, cùm post passionem Salvatoris, resurrectionem, atque ascensionem ejus in eum credere meruit. De quibus posterioribus Domini, id est post tergum ejus in Sophonia propheta scriptum est, *Disperdam*, inquit, *homines à facie terræ, & eos qui avertuntur de post tergum Domini, & qui non inquisierunt Dominum, nec investigaverunt eum*. Post tergum Domini corporeum adventum ejus in mundo significat, per quod humano generi rectè vivendi tramitem dereliquit. Illi enim ab ejus post tergum avertuntur, qui in eum non credentes ejus præcepta contemnunt, si-

Exod. 33. 20. Gen. 18. 1. Ibid. 18. 23. Gen. 16. 13. Ibid. 32. 24. Ibid. 28. Ibid. 30. Exod. 24. 9. Ibid. 33. 11. Num. 12. 7. Isa 6. 1. Amos 9. 1. Amos 7. 7. Exod. 33. 20. & 23. Deum quo modo viderint Patriarchæ & prophetæ. Posteriora Dei quænam sint. Soph. 1. 2.

ve illi qui in eum credentes, dum nequiter A vivunt, ejus humilitatem imitari despiciunt. De qua imitatione ipse Dominus per Jheremiam prophetam delinquentem plebem Judaïcam arguens ait: Jer. 3. 19. *Et dixi, patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* In Evangelio quoque idem Redemptor noster discipulos suos hortans ait: Marc. 8. 35. *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* De hac imitatione beatus Johannes apostolus nos exhortans ait, 1. Joan. 2. 6. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare.* Quod autem omnipotens Deus in essentia sua invisibilis sit & incorporeus, immutabilis atque B incircumscriptus, beatus Paulus apostolus sua nos informans auctoritate ait de Domino JESU CHRISTO, quem Deus Pater in assumta carne huic mundo manifestare voluit, & iterum ad judicium ostensurus erit: 1. Tim. 6. 15. *Quem suis*, inquit, *temporibus ostendet beatus & solus, potens, Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet inmortalitatem, lucem habitans inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest, cui honor & imperium sempiternum.* Et in Evangelio: Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit umquam nisi Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse narravit.* Quid enim est visio Dei, nisi cognitio ejus? Visio Dei cognitio ejus. sicut ait Apostolus, C Gal. 4. 9. *Cùm cognovistis Deum, immo cogniti estis ab eo,* Deum quippe videre est, non de oculis carnalibus illum cernere, sed de cordis oculis per fidem illum agnoscere, & in eum credere, & hoc est quod omnes fideles Israël appellantur, id est videntes Deum. In præsenti nunc vita per fidem, in futuro verò per speciem, ut ait beatus Paulus apostolus: 1. Cor 13 12. *Nunc videmus per speculum & in ænigmate, postea autem facie ad faciem.* Et in Evangelio: Matth. 5. 8. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Videbunt, inquit, non vident. De futura visione Dei beatus Johannes apostolus in prima epistola sua inter D cetera ait: 1. Joan. 3. 2. *Carissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et in Apocalypsi: Apoc. 22. 4. *Et videbunt*, inquit, *faciem ejus, & nomen ejus scriptum in frontibus eorum.* Facies Dei non membrum corporis accipiendum est, sed cognitio Dei facies ejus dicitur.

CAPUT XVII.

De eo quod non Pater sed Filius tantum, id est, Dominus noster Jesus Christus antiquis patribus multis modis apparere dignatus est.

FUturum quippe erat ut idem Dei Filius à Patre missus ob reparationem humani generis, quod in Adam peccando lapsum fuerat, verum hominem in hunc mundum gestaret, quem de utero Virginis, ex ipsa videlicet massa, quæ in Adam damnata fuerat, assumtum in unitate personæ suæ univit atque conseruit, ut qui erat verus Deus ex Patre, ipse fieret verus homo ex Matre, non amittendo quod erat, sed assumendo quod non erat, gemina substantia, non divisa persona, quia Deus & homo unus est Christus. Et idcirco hoc quod per hominem in finem mundi impleturus erat, ante adventum suum multis modis multisque significationibus prænuntiavit. Ipse igitur in angelo apparere dignatus est, sicut ad Agar & aliis quibus voluit pro eo quod nuncius est Patris, sicut ipse discipulis suis in Evangelio loquens ait: *Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Joan. 15. 15. De ipso enim Pater per Moysen ad populum Judæorum pollicitus est dicens: *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem paravi, observa eum & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaveritis, & est nomen meum in illo.* Exod. 23. 20. Ipse enim Filius de semetipso professus dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me.* Joan. 5. 43. Ipse est de quo Isaias propheta ait: *Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Et rursùm ipse: *Et Angelus faciei ejus ipse salvabit eos.* Isa. 63. 9. Ipse est Angelus & Dominus atque Dominator, de quo Malachias propheta exorsus clamat: *Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis. Ecce veniet, dicit Dominus exercituum.* Mal. 3. 1. Templum autem suum ad quem venire dicitur, uterum significat Mariæ Virginis, sive templum corporis sui. Ipse nihilominus in homine, sicut ad Jacob & Josue apparere dignatus est, quia futurum erat ut in verum hominem assumtum se huic mundo manifestaret, cum quo homine, in quo erat Deus, Jacob luctatus est, & prævaluit adversùs eum, quod tunc impletum est, quando posteritas Jacob, populus videlicet Judæorum, tempore passionis ejus cum eo altercantes in tantum illi prævaluerunt donec eum morti traderent. Aliquando autem in igne sicut ad Moysen in rubo apparuisse legitur, pro eo quod per ipsum Pater futurum judicium facturus est; sicut ipse Filius ait: *Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio.* Joan. 5. 22. De quo futuro judicio Isaias propheta proloquens ait: *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus reddere in indignationem furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabitur.* Isa. 66. 15. Et in Malachia propheta: *Ecce veniet, ait Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.* Mal. 3. 2. E Ipse denique Filius Dei nonnumquam à prophetis in specie hominis super sedem excelsam sedere visus est, sicut ad Isaiam & Michæam, per quam sedem significatur omnis creatura rationalis, id est sancti angeli & electi homines, in quibus idem Filius Dei in homine assumto quasi sedet, dum præsidendo regnat. De quo Psalmista canit: *Regnabit Dominus super omnes gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam.* Psal. 46. 9. Aliquando autem idem Filius Dei in vestimentis lineis, sicut ad Danihel visus est, ob similitudinem carnis

quam de terra, hoc est ex natura humana velut mundissimam stolam assumsit. Nonnumquam verò & in vestimento rubro, ad insinuandam passionem carnis suæ. De quo Isaias
Isa. 63. 1. propheta vaticinans dixit: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? quare rubrum est vestimentum tuum sicut calcantium in torculari?* Edom quippe interpretatur Terrenus, sive Sanguineus. Allegoricè populum insinuat Judæorum, ex quo Redemtor noster in carne venire dignatus est. Igitur, ut dictum est, multis modis multisque significationibus antiquis patribus se ostendere voluit ad prænuntiandum adventum suum in carne futurum. In qua carne assumta ex Virgine, universa quæ de eo Lex & Prophetæ prædixerunt per se-
Rom. 10. 4 metipsum implevit, sicut ipse ait: *Non veni solvere legem, sed adimplere*, & de quo Apostolus, *finis*, ait, *Legis Christus ad justitiam omni credenti.*

CAPUT XVIII.

De eo quod idem Redemtor noster Christus Jesus secundùm divinitatem verus sit Filius Dei de substantia Patris genitus; juxta humanitatem vero verus sit hominis filius, ex substantia matris creatus & natus, unus tamen idemque ipse in utraque substantia Christus Dei Filius, unus videlicet propter singularitatem personæ, non confusis vel immixtis naturis, sed tantùm unitis atque consertis.

DE cujus nativitate secundùm divinitatem propheta David ex persona Patris ad eumdem Filium loquens ait: *Ex utero*, inquit, hoc est de mea substantia, *ante Luciferum*, id est ante omnia tempora temporalia. Et in Pro-
Prov. 8. 25. verbiis Salomonis, *Priùs*, inquam, *quàm procederent fontes aquarum ante diluculò genui te. Antequàm montes collocarentur: ante omnes colles genui te*, id est ante omnes altitudines creaturarum. Ipse quoque Filius qui vera est Sapientia Patris, de semetipso ibidem in Proverbiis Salomonis, secundùm hebræam editio-
Prov. 8. 25. nem loquens ait: *Antequàm terra fieret, necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Et paulò post de Incarnatione sua: *Sapientia*, inquit, *ædificavit sibi domum.* Rursùm ibi de es-
Prov. 30. 4. sentia divinitatis ejus: *Quis ascendit in cœlum atque descendit? quis continuit spiritum manibus suis? quis conligavit aquas quasi in vestimentum? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, aut quod nomen filii ejus, si nosti?* De conditione verò ejus secundùm carnem superiori parte ipsa Sapientia præmittens secundùm editionem ait: *Dominus condidit me in initio viarum suarum, in opera sua.* De generatione ejus secundùm divinitatem ex Patre in libro Jesu filii Syrach ex voce ejusdem Sapien-
tiæ scriptum est: *Ego ex ore Altissimi prodivi* Eccl. 24. 5.
primogenita ante omnem creaturam: Ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram; Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis, & cetera. De cujus Incarnatione quæ secundùm carnem creata & facta est, in prima parte Libri hu-
jus Jhesu scriptum est, *Prior omnium creata* Eccli. 1. 4.
est Sapientia. Et paulò post: *Unus est creator* Ibid. 1. 8.
omnipotens, & metuendus nimis, sedens super thronum ejus, & dominans Deus, ipse creavit eam Spiritu-sancto. Ipse quoque Filius Dei de
semetipso in psalmo ait: *Dominus dixit ad me:* Psal. 2. 7.
Filius meus es tu, ego hodie genui te. De generatione ejus secundùm divinitatis essentiam
Isaias propheta clamat: *Generationem ejus quis* Isa. 53. 8.
enarrabit? De ea verò quæ secundùm carnem
est, idem propheta exorsus ait: *Audite ergo* Isa. 7. 13.
domus David, numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? propter hoc dabit vobis ipse Dominus signum: ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuhel, quod interpretatur No-
biscum Deus. Et iterùm ipse: *Aperiatur*, in- Isa. 45. 8.
quit, *terra*, id est uterus Virginis, *& germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul*, hoc est divinitas cum humanitate sua. Item idem præfatus vates de utraque nativitate Filii Dei, hoc est humanitate atque divinitate inter ce-
tera exorsus ait: *Parvulus natus est nobis, Fi-* Isa. 9. 6.
lius datus est nobis, & factus est principatus ejus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Parvulus utique ex matre in forma servi isdem & Filius secundùm divinitatem nobis datus, quia propter nos incarnatus. Ipse Deus fortis, quia ante sæcula cum Patre verus Deus, Pater futuri sæculi, hoc est Ecclesiæ suæ. Quod autem de substantia Patris secundùm essentiam divinitatis sit genitus, ipse Deus Pater Jheremiam prophetam adversùs hæreticos qui eumdem Filium Dei de substantia ejus negant, excla-
mans ait: *Nolite audire sermones prophetarum,* Ier. 23. 16.
quia vani sunt ipsi, & visiones à corde suo loquuntur, & non ab ore Domini. Dicunt his qui repellunt verbum Domini: Pax erit vobis & omnibus qui incedunt in voluntatibus suis; omni eunti in errorem cordis sui, non venient in te mala. Quoniam quis stetit in substantia Domini & vidit verbum ejus? quis aurem præbuit, & au-
divit? Et, *Si stetissent in substantia mea, etsi docuis-* Ibid. 23. 22.
sent populum meum, & avertissent eos à malis cogitationibus eorum. De cujus Incarnatione ex semine David, rursùs Deus Pater per eumdem prophetam Jheremiam pollicens ait: *Ec-*
ce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo illis Ier. 23. 5.
David orientem justum, & regnabit Rex & intelliget, & faciet judicium & justitiam super terram. In diebus ejus salvabitur Juda, & Israel habitabit confidens, & hoc nomen ejus quod vocabit eum, Dominus Josedech. De quo filio suo Deus Pater omnipotens secundùm id quod

eum de mundo in carne assumsit, per Osée prophetam exorsus ait: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* De quo rursùm secundùm carnem de ipso per Psalmistam ait: *Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ, & ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Quod autem idem Filius Dei in forma deitatis Verbum sit Patris per quem omnia facta sunt, Johannes evangelista in exordio Evangelii sui adstipulatur dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt.* De quo Verbo, hoc est Filio Dei, Psalmographus canit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In nomine quippe Domini Pater; in Verbo Filius, in Spiritu-sancto idem Spiritus-sanctus accipitur. De Verbo Patris qui est Filius ejus Propheta in psalmo ex persona Patris exorsus ait: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Et alibi: *Misit Verbum suum & sanavit eos.* Haud dubium quin Pater Filium suum ad sanandos homines. Et in Habacuc, *Exibit*, ait, *Verbum in campis*, ut subaudiatur in mundo. De cujus generatione, quæ secundùm carnem ex semine David originem ducit, Mathæus evangelista in principio evangelii sui affatus ait: *Liber generationis* JEHESU CHRISTI *filii David, filii Abraham.* De generatione quippe ejus secundùm essentiam divinitatis beatus Paulus apostolus in epistola ad Hebræos de eodem Filio Dei exorsus ait: *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio suo*, hoc est Pater, *quem constituit heredem omnium, per quem fecit & sæcula, qui cùm sit splendor gloriæ, & imago substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ.* De temporali verò nativitate ejus, quæ secundùm carnem ex semine David est, rursùm idem Apostolus in exordio epistolæ suæ ad Romanos præmittens ait: *Quod antè*, inquit, *promiserat per prophetas suos*, ut subaudiatur Pater de Filio suo, *qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Inde est enim quod idem Filius secundùm divinitatem non factus, sed natus tantùm de Patre prædicatur: neque creatus, sed omnium rerum Creator: neque conditus, sed omnium Conditor. Secundùm humanitatem verò & factus, & creatus, & natus, atque conditus verissimè à fidelibus confitetur.

Osee 11. 1. Psal. 88. 27. Joan. 1. 1. Psal. 32. 6. Psal. 44. 2. Hab. 3. 5. Matth. 1. 1. Heb. 1. 2. Rom. 1. 2.

CAPUT XIX.

De eo quod idem Filius Dei & Dominus David secundùm divinitatem, & filius ejus juxta humanitatem verissimè appelletur; & quia ita est filius David secundùm carnem, ut tamen Filius Dei sit in utraque substantia unus.

Quod autem secundùm divinitatem Dominus David sit, ipse David testis est, qui ait in psalmo: *Dixit Dominus Domino meo*, id est Pater ad Filium, *sede à dextris meis.* Quod autem Filius ejus sit pariter & Dei juxta humanitatem, in libro Regum scriptum tenetur, pollicente Domino ad eumdem David: *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Hoc de Salomone credere absurdum est, ille autem vivente Patre suo regnare cœpit, hic enim dicitur: *Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te.* Quod de Christo Domino, qui ex semine ejusdem David secundùm carnem nasci dignatus est, intelligere & credere pium est; cujus regnum usque in sempiternum juge perseverat; cujus domus, hoc est Ecclesia catholica fidelis coram eo usque in æternum permanet. Quod autem de origine David per MARIAM Virginem ortus sit, Isaïas eximius vates de eo testatur, *Exiet*, inquit, *virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Virga de radice Jesse, hoc est de origine David sancta MARIA Virgo intelligitur, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem. Florem verò Dominum Salvatorem, qui dicit in Cantico canticorum: *Ego flos campi & lilium convallium*, qui ex eadem radice originis ex qua & mater ejus carnem suscipere dignatus est, accipi non dubium est. Hoc enim exprimit quod ait: *Et flos de radice ejus ascendet.* In Jheremia quoque propheta de eodem Salvatore nostro pollicente Domino scriptum est: *Non interibit*, inquit, *de David vir qui sedeat super thronum domus Israel.* Beatus etiam Paulus apostolus ad Timotheum inter cetera ait scribens: *Memor esto* JHESUM CHRISTUM *resurrexisse à mortuis ex semine David secundùm evangelium meum.* Et in Evangelio secundùm Mathæum: *Liber generationis* JHESU CHRISTI *filii David, filii Abraham.* Filius quippe David veraciter Christus secundùm carnem quam ex utero Virginis MARIÆ accepit prædicatur & creditur. Filius verò Dei in eadem carne non substantialiter, sed per eum qui illum in unitatem personæ suæ suscepit atque univit, id est illum qui verus filius est substantialiter & ipse filius ejus est, non divisâ personâ, sed unitâ atque singulari, geminâ verò substantiâ deitatis videlicet atque humanitatis.

Psal. 109. 1. 2. Reg. 7. 12. Isa. 11. 1. Cant. 2. 1. Jer. 33. 17. 2. Tim. 2. 8.

CAPUT XX.

De eo quod idem Christus Dominus ac Redemtor noster Deus sit & homo excelsus pariter atque humilis; Filius Dei, & filius hominis; æqualis Patri secundùm divinitatem, minor ei erga humanitatem; similis Patri in divinitate, consimilis nobis in humanitate; Dominus omnium cum Patre secundùm divinitatem, servus verò Patris in assumta humanitate; duplici videlicet substantiâ, simplici verò personâ.

Quod autem Altissimus sit & homo Psalmographus canit: *Mater Sion dicet homo* Psal. 86. 5.

& homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus, ipse videlicet qui factus est homo secundùm carnem, ipse fundavit eam Altissimus
Isa. 2. 22. per potentiam divinitatis. Et in Isaïa, *Quiescite*, inquit, *ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse.* Ipse quippe homo in carnis humilitate, ipse excelsus in gloria
Isa. 9. 6. deitatis. Item ipse, *Parvulus*, inquit, *natus est nobis.* Et paulò post: *Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Ipse parvulus in carnis abjectione, ipse Deus fortis in natura deitatis unus atque idem. Et iterum ipse, *Clamabit*,
Isa. 19. 20. ait, *ad Dominum Deum propter deprimentes eos & mittet eis Dominus hominem qui salvos faciat eos judicans, & salvos faciet illos, & cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum.* Ipse ut homo in forma humanitatis à Patre missus, ipse verò hominis filius in substantia humanitatis, de quo Danihel propheta exorsus ait:
Dan. 7. 13. *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnis populus, tribus, & linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* De ipso quoque Propheta Patrem efflagitans ait:
Psal. 79. 18. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi.* Ipse per omnia similis Patri secundùm divinitatem, ipse per omnia similis nobis juxta humanitatem, exceptâ lege peccati. Similis utique, non æqualis. De illo
Deut. 18. 18. quippe Pater per Moysen promittens ait: *Prophetam suscitabo eis unum de fratribus eorum, similem tui, & ponam verba mea in ore ejus.* De qua similitudine carnis beatus Paulus apostolus in epistola ad Romanos scribens ait:
Rom. 8. 3. *Nam quod impossibile erat Legis in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit*
Phil. 2. 7. *peccatum in carne.* Item ipse, *Semetipsum exinanivit*, inquit, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut*
Heb. 2. 16. *homo.* Et alibi: *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, unde debuit per omnia fratribus assimilari.* Ipse unus atque idem est qui & in forma divinitatis Dominus est ut Pater & Spiritus-sanctus: in forma verò humanitatis servus est Patri atque subjectus, quamvis prælatus sit omni creaturæ in cælo & in terra. De illo quippe Pater per Isaïam pro-
Isa. 42. 1. phetam exorsus ait: *Ecce servus meus suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea.* Ipse etiam Filius de semetipso juxta humanitatem per præfatum prophetam loquitur
Isa. 49. 3. dicens: *Et dixit mihi*, id est Pater, *servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.* Et paulò post;
Ibid. 5. *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israel congregabitur. Et dixit mihi; parvum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel congregandas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et in
Psal. 85. 16. psalmo: *Da potestatem puero tuo, & salvum fac*

A *filium ancillæ tuæ.* Et alibi: *O Domine ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ*, id est Psal. 115. 2.
MARIÆ. Duas quippe in singularitate personæ continet naturas, unam videlicet deitatis, aliam verò humanitatis. Duas etiam formas, duasque voluntates atque operationes.

CAPUT XXI.

De eo quod idem Redemtor noster Dei Filius Deus sit & Dominus. Et quia à Patre ob reparationem generis, quod in Adam peccando perierat, in hunc mundum missus sit. Et quod verum hominem B *quem ex utero* MARIÆ *Virginis in unitatem persona sua assumpsit in hunc mundum visibiliter gestavit.*

QUi commercio sanguinis sui humanum genus, quod sub peccato venundatum fuerat, à servitute perpetua redemit, & ab æterna captivitate reduxit, ut pristinæ vitæ quam peccando perdiderat, restitueret. Quem Judæi vel ceteri infideles Deum ac Dominum esse negantes, Christianos calumniantes aiunt, Christum quem colitis, quâ auctoritate Deum vel Dominum prædicatis, quod neque in Lege, C neque in libris prophetarum invenire uspiam valetis. Quibus respondendum est, si Christus Deus non est, quis est ille Deus qui cum Jacob patriarcha luctatus est, & tamen ab ipso patriarcha Deus agnitus est, dicente eodem Jacob, vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea, nisi ipse Christus Deus, qui in finem mundi in verum hominem assumtum ex nobis visibilis apparere dignatus est? in quo homine assumto salutem humano generi patiendo, & moriendo, & resurgendo operare dignatus est? si Christus Deus non est, quis ille alius Deus qui in angelo ad Agar ap- D parere dignatus est, de quo ipse ait: *Tu Deus qui vidisti me, profectò hic vidi posteriora videntis me?* Gen. 16. 13.
Quæ posteriora nihil aliud significant quàm Incarnationem ejus, quæ novissimo tempore facta est. Ipse est Dominus cui à Patre judicandi potestas conlata est, ante cujus conspectum Abraham assistens ait: *Numquid perdes* Gen. 18. 25.
justum cum impio? Absit ut hanc rem facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Non est hoc tuum qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium. Ipse est Dominus, qui cum Moyse in monte Sinaï in angelo lo- E quebatur, cui Moyses supplicans ait: *Ostende* Exod. 33. 18.
mihi gloriam tuam. Et ille respondens dixit: *Non poteris videre faciem meam.* Ibid. 20.
Et infrà: *Tollamque manum meam, & videbis posteriora mea*, Ibid. 23.
id est videbis futuram Incarnationem meam in tempore novissimo: faciem autem meam, hoc est essentiam divinitatis meæ videre non poteris, quam nullus mortalium, quamdiu corruptibiliter vivit, cernere valet. Ipse est Dominus, de quo Moyses in prophetia sua prævidens dixit: *Dominus de Syna veniet, & de* Deut. 33. 2.
Seyr ortus est nobis, apparuit Dominus de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia, in dextera ejus ignea Lex: Haud dubium quin evan-

gelica prædicatio. Ipse est verè Deus Dei Filius, qui ad redemtionem populi sui à Patre missus, in hunc mundum velut in Ægyptum venire dignatus est. De quo in libro Regum scriptum habetur, dicente David ad ipsum: 2. Reg. 7. 23. *Quæ est autem ut populus tuus Israel, gens in terra propter quam ibit Deus ut redimeret eam sibi in populum?* Ipse est Deus, cui propheta in Psal. 44. 8. psalmis cantat: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui: Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Unctus dicitur Deus à Deo, id est Filius à Patre Spiritu-sancto, sed in forma servi, non in potentia divinitatis. Ipse est Deus Deorum Dominus, qui non ex Ægypto tantùm, hoc est de una provincia, sicut dudum filios Israël eduxit, sed à solis ortu usque ad occasum per evangelicam prædicationem loquutus est, & vocavit terram, id est congregavit Ecclesiam, incipiens ex Sion, de terrena videlicet Jerusalem, ex qua Ecclesia per apostolorum prædicationem, usque in fines terræ crescendo pervenit. Ipse est Deus Dei Filius, qui in secundo adventu è cælis venturus est, non occultè sicut priùs, sed manifestè veniet ad judicandum mundum per ignem: de cujus primo & secundo adventu Propheta in psalmo canit: Psal. 49. 1. *Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram: à solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris ejus. Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit. Ignis ante eum ardebit, & in circuitu ejus tempestas valida.* Ipse est Dominus Deus, qui per mortem carnis assumtæ salvos fecit credentes in se: de quo iterum Propheta in psalmo LXVII. *Deus noster*, inquit, *Deus salvos faciet nos, & Domini Domini exitus mortis.* De cujus morte secundùm carnem per quam ad vitam dux effectus est populo suo, rursùm Propheta in psalmo XLVII. secundùm Hebraïcam editionem in finem psalmi ait: *Ut narretis in generatione novissima, quia iste Deus noster in sæculum & in perpetuum, & ipse erit dux noster in mortem.* Ipse est Deus de quo rursùm in psalmo LXXIII. scriptum est, *Deus autem noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ*, in utero videlicet Virginis, seu in carne assumta, velcertè, ut plerique volunt, in terrena Jerusalem, in qua nascendo, patiendo, moriendo, atque resurgendo salutem nostram operatus est. Ipse est Dominus, de quo Psal. 109. 1. David ait, *Dixit Dominus Domino meo*, Pater videlicet ad Filium, *sede à dextris meis.* Ipse est Dominus missus à Domino, hoc est Filius à Patre, qui per Isaïam prophetam prædicens Isa. 48. 12. ait: *Audi me Jacob & Israel, quem ego vocavi, ego ipse, ego primus & novissimus, manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos.* Et post paululum: *Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.* Ipse est Dominus Redemtor populi sui, qui rursùm per eumdem Prophetam Ibid. 44. 21. clamat: *Memento horum Jacob & Israhel, quoniam servus meus es tu, formavi te, servus meus es tu Israhel, non oblivisceris mei, delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata*

A *tua. Revertere ad me quoniam redemi te.* Ipse est Deus Dei Filius intra carnis nostræ, quam ex utero Virginis in unitatem personæ sibi conjunxit atque conseruit, in qua omnes fideles post abolitam maledictionem, benedictionem consequuntur. De quo rursùm Propheta prædictus Isaïas ex persona Patris inter cetera sic ait: *In quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo, amen; & qui jurat in terra, juret* Isa. 65. 16. *in Deo, amen*, ut est illud in psalmo: *Et benedi-* Psal. 71. 17. *centur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Ipse est Dominus quem Judæi in carne positum non agnoscentes negave- B runt, dicente ipso per Jheremiam prophetam: *Prævaricatione prævaricata est in me domus Is-* Ier. 5. 11. *rael, domus Juda, ait Dominus. Negaverunt Dominum, & dixerunt, non est ipse.* Quos rusùm ipse Dominus vituperans per Isaïam prophetam, *Cognovit*, ait, *bos possessorem suum, & asi-* Isa. 1. 3. *nus præsepe domini sui, Israhel me non cognovit, & populus meus me non intellexit.* Et iterum ibi: *Accinxi te*, inquit, *& non cognovisti me.* Et in psal- Isa. 45. 5. mo, qui oderunt Dominum, negaverunt eum. Ipse est Dominus Redemtor ac liberator noster, de quo rursùm in Jheremia propheta scriptum est: *Redemit enim Dominus Jacob, &* Ier. 31. 11. C *liberavit eum de manu potentioris*, id est populum suum de potestate diaboli. De qua liberatione Propheta in psalmo canit: *Quoniam ip-* Psal. 71. 12. *se liberavit pauperem à potente, & egenum cui non erat adjutor.* Ipse est Dominus Dei Filius qui ex utero Virginis MARIÆ, velut per portam, infractis virginalibus claustris, cum carne assumta, hoc est Deus & homo, in singulari persona nascendo transivit. De qua porta, id est Virginis pudore, in libro Ezechielis prophetæ scriptum est: *Porta hæc clausa erit, non* Ezech. 44. 2. *aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israhel ingressus est per eam, &* D *clausa erit principi.* Ipse est Dominus & Deus, qui per Osée prophetam ideo & hæreticos detestans dicit: *Væ eis, quoniam recesserunt à me;* Ose. 7. 13. *vastabuntur, quoniam prævaricati sunt in me; & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacium.* Ipse Dominus Dei Filius qui de secreto Patris, velut è loco suo, invisibiliter egrediens, in templo corporis sui in hoc mundo visibilis apparuit, atque exemplo humilitatis suæ per fidem excelsa terræ, hoc est elatos humani generis sibi subdidit, quemadmodum de eo retro olim Michæas propheta per Spiritum-sanctum prævidens ait: *Audite populi omnes, & atten-* Mic. 1. 2. E *dat terra & plenitudo ejus, & sit vobis Dominus Deus in testem, Dominus de templo sancto suo, quia ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subter eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis, sicut aquæ quæ decurrunt in præceps.* Quod tamen de utroque adventu ejus, primo videlicet humili, secundo verò glorioso piè accipiendum est. De cujus adventu in carne, & nativitate, atque loco in quo nasci dignatus est, seu regnum ejus sempiternum, prædictus vates Michæas subjungens ait: *Et tu turris gre-* Mic. 4. 8. *gis nebulosa filia Sion usque ad te veniet, & veniet*

niet potestas prima, regnum filiæ Jherusalem. Et A infra: *Et tu Bethleem domus Ephrata, non eris minima in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet, reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israhel, & stabit & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ, & erit iste pax.* Quod autem ait: *Et egressus ejus à diebus æternitatis*, ad divinam ejus pertinet naturam, in qua de Patre sine initio nascendo egressus est: quod verò addidit: *Et stabit* B *& pascet in fortitudine Domini in sublimitate nominis Domini Dei sui*, ad humanitatis ejus convenit naturam, in qua & minor est Patri, & Deum ac Dominum suum non solùm Patrem, sed totam dicit Trinitatem, quæ unus est Deus: quia idem Filius Dei in semetipso & major sibi, & minor: major videlicet secundùm divinitatem, in qua æqualis est Patri & Spiritui sancto: minor verò erga humanitatem, in qua subjectus est Patri. In Nahum quoque propheta de ipso Domino Dei Filio, de primo & secundo adventu ejus inter cetera scriptum est: *Dominus patiens & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus, increpans mare & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens.* Pedes ejusdem Domini, adventus ejus in mundo per carnem; nebulæ & pulvis, incomprehensibilis ejus Incarnatio vel nativitas seu opera atque judicia: quæ omnia impii pulvere infidelitatis cæcati videre, id est comprehendere, nequeunt: de cujus Incarnatione, quam reprobi intelligere non merentur, Psalmista canit: *Et inclinavit cælos & descendit, & caligo sub pedibus ejus.* Ipse est Dominus exercituum à Domino D exercituum, hoc est Filius à Patre in hunc mundum ad redemtionem humani generis missus, qui per Zachariam prophetam affatus ait: *Quia hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt nos.* Et infrà: *Et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.* Item ibi: *Lauda & lætare, filia Sion, quia eccce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erit mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Ipse est verè Dominus cujus potestas à mari usque ad mare, & à E fluminibus usque ad fines terræ, qui in carnis humilitate ad Jherusalem veniens, in asello sedisse legitur, sicut de eo prædictus propheta prænuntiaverat dicens: *Exulta satis, filia Sion, jubila filia Jherusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendet super asinum, & super pullum filium asinæ, & dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jherusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, potestas ejus à mari usque ad mare.* Et infrà: *Petite à Domino pluviam in tempore serotino, & Dominus faciet nives,*

Ibid. 5. 2. — Nah. 1. 3. — Psal. 17. 10. — Zach. 2. 8. — Ibid. 9. — Ibid. 10. — Zach. 9. 9. — Ibid. 10. 1.

& pluviam, imbres dabit eis, singulis herbam in agris: Quæ omnia ad novum pertinent Testamentum. Ipse est Dominus, quem Juda proditor discipulus ejus propter xxx. argenteos tradidit Judæis, sicut in libro de sæpe dicto propheta scriptum legitur: *Et dixi ad eos, si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite: Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Projice illos ad statuarium, de quorum pretio quod adpretiatus sum ab eis.* De cujus venditione in libro Amos prophetæ scriptum est: *Hæc dicit Dominus, super tribus sceleribus Israhel, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderunt argento justum.* De cujus crucifixione idem Dominus per Zachariam prophetam pro populo Judæorum, qui in fine mundi ad ipsum conversurus erit, exorsus est dicens: *Et aspicient ad me, quem crucifixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti.* Ipse enim Dei Filius unigenitus in natura, primogenitus in gratia, unigenitus in essentia divinitatis, quia sine fratribus: primogenitus verò in humanitate in qua electos suos fratres habere dignoscitur. Ipse est Dominus C Deus, quem Judæi secundùm carnem in ligno appendentes crucifixerunt, sicut ipse per Malachiam prophetam adversùs eosdem Judæos conquirens ait: *Ego enim Dominus, & non mutor, & vos filii Jacob non estis consumti: à diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis, in quo revertemur? si affiget homo Deum, quia vos crucifixistis me, vos maledicti estis, & me vos crucifixistis gens tota.* Huic simile est illud in Apostolo: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Deus vel Dominus crucifixus esse perhibetur, non in essentia divinitatis, sed in infirmitate assumtæ carnis. Sed quia Deus & homo unus est Christus, idcirco Dominus dicitur crucifixus, quia caro ejus quæ illi propria est ab infidelibus crucifixa est. Ipse est Dei Filius, quem Judæi respuentes morte condemnaverunt: de quo & de quibus in libro Sapientiæ scriptum est: *Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Improperat autem nobis peccata Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit scientiam Dei se habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem animarum nostrarum, gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tamquam nugaces existimati sumus ab illo, & continet se à viis nostris quasi ab immunditiis, & præfert nobis novissima justorum, & gloriatur se patrem Deum habere. Videamus ergo si sermones ejus veri sunt, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus illum, ut sciamus reverentiam illius, & probemus pa-*

Zach. 11. 12. — Amos 2. 6. — Zach. 12. 10. — Mal. 3. 6. — 1. Cor. 2. 8. — Sap. 2. 12.

tientiam illius, morte turpissima condemnemus illum. Ipse est Deus Dei Filius in assumto homine, de quo beatus Paulus testimonium perhibens ait: *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi:* ut subaudiatur divinitas in homine assumto, de quo Psalmista canit: *Ut inhabitet gloria in terra nostra,* hoc est Divinitas Filii Dei in terra carnis nostræ, ut est illud in Evangelio: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Et licèt Pater sit Deus, & Filius Deus, & Spiritus-sanctus Deus; & Pater Dominus, & Filius Dominus, & Spiritus-sanctus Dominus; non tamen tres Dii, neque tres Domini, sed unus Deus, unusve Dominus; unus videlicet in natura, tres verò in personis. Unigenitus tamen Filius Dei, qui cum Patre & Spiritu-sancto ita unam eamdemque habet naturam, ut tamen personam non habeat omninò communem, sed propriam, ideò acceptionem formæ servilis, in qua huic mundo visibilis apparere dignatus est, & in qua per passionem & mortem atque resurrectionem salutem humano generi præstitit: communem cum Patre & Spiritu-sancto non habuit: quia non Pater, neque Spiritus-sanctus, sed solus Filius in unitate personæ suæ humanæ naturæ carnem accepit: & idcircò cuncta quæ supra sunt dicta ad Filium potius quàm ad Patrem referenda sunt: per quem Pater sicut omnia creavit, ita lapsam, id est humani generis naturam reparavit, dicente ipso Domino Dei Filio & Salvatore nostro: *Pater in me manens ipse facit opera sua.* Et iterum ipse: *sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Filium in mundum, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non judicabitur,* ut subaudiatur, non condemnabitur.

(2. Cor. 5. 19. — Ps. 84. 10. — Joan. 1. 14. — Joan. 14. 10. — Joan. 3. 16.)

CAPUT XXII.

De eo quod idem Filius Dei Dominus & Salvator noster ob delicta humani generis, salvâ divinitatis suæ potentiâ, in qua nec comprehendi, nec pati, nec mori potest, in forma servi quam ex nobis assumere dignatus est, à Judæis & gentibus tempore passionis suæ comprehensus est, & à discipulo traditus, & à falsis testibus accusatus, & flagellis cæsus, & colaphis exalapatus, spinis coronatus, in ligno crucis suspensus, clavis confixus, lancea perfossus, fellis amaritudine potatus, inter iniquos deputatus, mortuus, & sepultus, & die tertio per virtutem Patris & suam à mortuis excitatus, & in cœlesti regno sublimatus.

De cujus comprehensione Jheremias propheta in spiritu prævidens ait: *Spiritu oris nostri, Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Quod autem à discipulo traditus sit, Psalmista testatur, qui ex ejus voce ait: *Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos mecum, ampliavit adversùm me supplantationem.* Quod verò à falsis testibus accusatus est, similiter Psalmographus canit: *Insurgentes in me testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* Quod autem sputis sordidatus & colaphis cæsus, ipse Dominus per Isaiam prævidens dixit: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii: corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem autem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus.* Quòd verò spinis coronatus sit, Salomon in Cantico canticorum adstipulatur dicens: *Egredimini, filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua,* hoc est synagoga Judæorum. Quòd verò in ligno crucis sit affixus, Jheremias propheta testis est, qui ex ejus voce de Judæis ait: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* Panem verò hoc in loco corpus ejus dicit, quod ligno crucis affixum est. Quod autem manus ejus & pedes clavis confossi sunt, Psalmista confirmat dicens: *Foderunt manus meas & pedes, & dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quod autem aceto cum felle mixto potatus sit, rursùm Psalmista canit: *Quoniam dederunt in esca mea fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Quod autem propter peccata nostra vulneratus, Isaias propheta testatur, qui de ejus passione prævidens loquutus est: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter infirmitates nostras, & adtritus est propter scelera nostra.* Quòd verò inter iniquos deputatus sit, præfatus Propheta adstipulatur dicens: *Pro eo quod tradidit in morte animam meam, & cum sceleratis deputatus est.* Quòd autem vestimenta ejus inter se milites dispertiti sunt, Propheta in psalmo prædixit: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem* Quod autem in passione ejus sol obscuratus sit, Jheremias propheta testis est, qui de synagoga Judæorum prævidens ait: *Infirmata est quæ peperit septem; occidit ei sol cùm adhuc esset dies.* Et in Amos: *Et occidet vobis sol meridiè, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Quòd verò hæc omnia mala propter delicta nostra, non coactè, sed sponte sustinuit, Isaias propheta de ejus passione prænuntians ait: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducitur, & sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperuit os suum.* Quòd autem in exitu spiritum suum Patri commendaverit, Propheta in psalmo ex voce ejus prænuntians dixit: *Quoniam tu es protector meus, Domine: in manus tuas commendo spiritum meum.* Quòd autem sepultus sit à Joseph, & à Nichodemo, & ad sepulcrum ejus custodes deputati sint, Isaias in spiritu prævidens ait: *Et dabit impios pro sepultura, & divites pro morte sua.* Et rursùm ipse de sepulcro ejus: *In die illa erit radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.* Quòd verò in morte quietus dormivit, & tam sua

(Thr. 4. 20 — Psal. 40. 10. — Psal. 34. 11 — Isa. 50. 5. — Can. 3. 11. — Jer. 11. 19. — Ps. 21. 17. — Ps. 68. 22. — Isa. 53. 4. — Isa. 53. 12. — Ps. 21. 19. — Jer. 15. 9. — Isa. 53. 7. — Psal. 30. 5. — Isa. 53. 9. — Isa. 11. 10.)

A quàm Patris virtute à mortuis velut è somno
tertiâ die surrexit, Jacob patriarcha in benedictione Judæ, de cujus stirpe ipse Dominus
secundùm carnem nasci dignatus est, in spiritu
Gen. 49. 9 tu prævidens hoc modo loquutus est: *Catulus
leonis Juda: ad prædam fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna. Quis
suscitabit eum?* De cujus morte ac resurrectione Baalam ariolus ille in prophetia sua præ-
Num. 24. 9. videns ait: *Accubans dormivit ut leo, & quasi
leæna quam suscitare nullus audebit: qui benedixerit tibi, erit ipse benedictus.* Ipse quoque de
morte & de resurrectione sua prævidens per
Psal. 3. 6. Prophetam in psalmis loquutus est: *Ego dormivi & quievi, & resurrexi, quia Dominus sus-
Psal. 40. 9 citavit me.* Et alibi: *Numquid qui dormit non
Ps. 77. 65. adjiciet ut resurgat?* Item de ipso: *Et excita-
Psal. 81. 8. tus est tamquam dormiens Dominus.* Et alibi: *Surge Deus, judica terram, quia tu hereditaberis
Ps. 138. 18. in omnibus gentibus.* Item ipse: *Exsurrexi & adhuc tecum sum.* Et per Jheremiam prophetam,
Jer. 31. 26. *Ideo*, ait, *quasi de somno suscitatus sum, &
vidi, & somnus meus dulcis mihi.*

CAPUT XXIII.

De eo quod Salvator noster post mortem carnis ad infernum descendit, & quia die tertiâ à mortuis resurrexit, atque per virtutem Patris in cœlum sit elevatus, per quem etiam in futuro judicio ultionem redditurus est hostibus suis.

QUòd autem anima ejus ad inferna descenderit, testis est psalmus, qui ex ejus
Psal. 87. 4 voce cecinit dicens: *Repleta est malis anima
mea, & vita mea in infernum appropiavit. Existimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.*
Ps. 138. 15. Et alibi: *Non est occultatum os meum à te quod
fecisti in occulto, & substantia mea in inferiori-
Ps. 141. 3. bus terræ.* Item aliàs: *Quia persequutus est*, inquit, *inimicus animam meam, humiliavit
in terra vitam meam, collocavit me in obscuris
sicut mortuos sæculi.* Jonas quoque propheta ex
ejusdem Domini voce velut de semetipso in
Jon. 2. 7. oratione sua ad Dominum ait: *Ad extrema
montium descendi, terræ vectes concluserunt me
in æternum, & sublevabis de corruptione vitam
meam.* Quòd autem ejus non viderit corruptionem, neque anima illius derelicta sit in inferno,
Psal. 15. 10 David propheta in psalmis ait: *Quoniam non
derelinques animam meam in inferno, nec dabis
Ps. 88. 49. Sanctum tuum videre corruptionem.* Et alibi: *Quis
est homo qui vivit & non videbit mortem? eruet
animam suam de manu inferi.* Solus enim ille
animam suam de potestate inferni eripuit, qui
solus illic sine culpa descendit. Ipse quoque
Redemtor noster de propria virtute fretus
Ioan. 10. 18. ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, &
potestatem habeo iterùm sumendi eam.* Quòd autem die tertia resurrexit à mortuis, Osee pro-
Ose. 6. 1. pheta testatur dicens: *Venite, revertamur ad
Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos, percutiet & curabit nos, vivificabit nos post duos
dies, die tertiâ suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.* In illo quippe nos percussit, in quo
naturam nostram, quam in semetipso assumere dignatus est, per passionem percussit. In ipso
nos post diem tertium suscitavit, in quo naturam nostram, id est carnem suam, quam per
passionem in morte posuit, per virtutem divinitatis suæ vivam resumsit. Quòd verò eum
Pater ob redemtionem nostram morti tradidit, & post mortem secundùm carnem vivere
fecit, atque post resurrectionem in cœlum levavit, per quem etiam in futuro judicio hostibus suis ultionem redditurus est: ipse Deus
B Pater omnipotens in cantico Deuteronomii inter cetera sic dicit: *Videte quod ego sim solus,* Deut. 32. 39.
*& non sit alius Deus. Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego sanabo; & non
est qui de manu mea possit eruere. Levabo ad cœlum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis.* Solus enim Pater hoc in loco dicitur Deus: quia fons & origo deitatis ipse est,
à nullo sumens initium, à quo Filius genitus,
& à quo Spiritus-sanctus procedens est. Manus Filius manus Patris.
Patris vel gladius rectè Filius intelligitur: quia
C per eum Pater omnia quæ vult facit, & universa quæ facta sunt velut per gladium dirimit. Quod autem post resurrectionem carnis
in cœlum ascenderit, atque ad dexteram Patris, hoc est in gloria ejus sederit, & super
omnem rationabilem creaturam præsideat,
Moyses legislator in cantico Deuteronomii adstipulatur dicens: *Non est alius ut Deus rectissimus, ascensor cœli, auxiliator tuus: magnificentiâ ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, & subter brachia sempiterna.* De cujus ascensione in libro Regum scriptum est: *Domi-* 1. Reg. 2. 10.
nus ascendit in cœlos & tonat, ipse judicat extrema terræ. De cujus descensione & ascensio-
D ne Psalmista canit: *Et inclinavit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus ejus, & ascendit* Ps. 17. 10.
*super Cherubim & volavit, volavit super pennas
ventorum.* De cujus iterùm ascensione & regno
super omnem terram rursùm Psalmista cantat:
Ascendit Deus in jubilatione, Dominus in voce Psal. 46. 6. & 9.
tubæ. Et post paululum: *Regnabit Dominus super omnes gentes: Deus sedet super sedem sanctam
suam.* Et alibi: *Exaltare super cœlos Deus, &* Psal. 56. 6
super omnem terram gloria tua. Item aliàs: *As-* Eph. 4. 8.
*cendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona
hominibus.* Et infrà: *Regna terræ cantate Deo,* Ps. 67. 33.
*psallite Domino: psallite Deo qui ascendit super
E cœlos cœlorum ad orientem.* Ipse quoque Filius de
semetipso per Osee pronuntians dicit: *Ego ca-* Ose. 5. 14.
piam & vadam: vadens revertar ad locum meum.
De cujus adhuc descensione & ascensione Salomon in Proverbiis ait: *Quis ascendit in cœ-* Prov. 30. 4
lum atque descendit? Beatus quoque Paulus apostolus in epistola ad Ephesios: *Qui descendit,* Eph. 4. 10
ait, *ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut
adimpleret omnia:* solus quippe Filius Dei dicitur descendisse & ascendisse, quia homo ab
eo assumtus neque descendit de cœlo ubi priusquàm nasceretur non erat, neque propria vir-

tute ascendit, sed à suo susceptore levatus est: & idcircò, ut dictum est, solus Dei Filius secundùm divinitatem descendisse dicitur atque ascendisse.

CAPUT XXIV.

De eo quod Redemtor noster post mortem carnis secundùm animam, non tamen absque divinitatis potentia ad inferna descenderit, ut exinde animas patriarcharum & omnium sanctorum qui ibidem per originale delictum detinebantur, sua descensione liberaret, ac secum ad supernam patriam post resurrectionem suam duceret.

Iob 14. 13. DE quorum ereptione beatus Job in spiritu prævidens ait: *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, ut abscondas me donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Et iterùm ipse: *Scio quia morti tradas me, ubi constituta est domus omnis viventis. Verumtamen non ad consummationem eorum emittis manum tuam; & si corruerint, ipse salvabis.* De quorum liberatione Isaias propheta ipsi Domino Salvatori supplicans ait:
Isa. 51. 9. *Consurge, consurge, induere fortitudine brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? numquid non tu exsiccasti mare aquam abyssi vehementis, qui posuisti profundum maris viam ut transirent liberati? & nunc qui redemti sunt à Domino revertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Brachium Domini, Filius Domini. Ipse igitur superbum percussit, quia diabolum per mortem suam humiliavit. Ipse in profundum maris viam posuit, quia dimersum in infernum seipsum ad superiora iter præbuit. Ipse libertatis transitum ad superna præbuit, quos ereptos ad superiorem Sion, id est cœlestem patriam cum ineffabili gaudio secum reduxit. De quorum liberatione, hoc est sanctorum qui apud inferos detinebantur ipse Dominus per Osee prophetam prænuntians ait:
Ose. 13. 14 *De manu fortis liberabo eos, & de morte redimam eos. Ero mors tua, ò mors: ero mors tua, inferne.* Michæas etiam propheta ex eorum persona qui apud inferos detinebantur, fretus de Domini liberatione ait:
Mich. 7. 7 *Ego ad Dominum aspiciam, expectabo Dominum Salvatorem meum, audiet me Deus meus. Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam. Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, & faciet judicium meum, & educet me in lucem, & videbo justitiam ejus, & aspiciet inimica mea, & operietur confusione quæ dicit ad me, Ubi est Dominus Deus tuus? oculi mei videbunt in eam.* Inimicam suam hoc in loco mortem dicit, sive diabolum per quem mors introivit in orbem terrarum. De hac quoque exemtione electorum, quos Dominus per sanguinem passionis suæ ab inferis velut de lacu

A eduxit, Zacharias propheta ipsi Domino congratulans: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Zach. 9. 11
Ipse quippe Filius Dei, qui vera est Sapientia Patris, de descensione sua ad inferos in libro Jhesu inter cetera sic ait: *Quoniam doctrinam quasi antelucanum inluminabo hominibus, & enarrabo illam usque in longinquo. Penetrabo omnes inferiores partes terræ. Inspiciam omnes dormientes, & inluminabo omnes sperantes in Deum.* Ecclì. 24. 44.
Quòd autem eosdem sanctos patres Redemtor noster ab inferis resuscitaverit, Mathæus evangelista suâ nos informat auctoritate dicens:
B *Et multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt, & venerunt post resurrectionem in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Matth. 27. 53.
De his corporibus sanctorum beatus Jheronymus in libro commentariorum inter cetera ait: " Quomodo Lazarus " mortuus resurrexit, sic & multa corpora san" ctorum surrexerunt, ut Dominum ostenderent " resurgentem. Et tamen cùm monumenta aper" ta sunt, non antè surrexerunt, quàm Dominus " resurgeret, ut esset primogenitus ex mortuis. Sanctam autem civitatem in qua visi sunt resurgentes, aut Jherosolymam cœlestem intelligamus, aut hanc in terra quæ antè fuerat, sicut
C Mathæus appellatur publicanus. Sed quò pristinum vocabulum teneat, sancta appellatur civitas Jherusalem propter templum & sancta sanctorum, & ob distinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur. Quando verò dicitur apparuerunt multis, ostenditur non generalis fuisse resurrectio quæ omnibus appareret, sed specialis ad plurimos, ut hi viderent qui cernere merebantur.

CAPUT XXV.

D *De eo quod post resurrectionem suam Dominus apostolos & evangelistas ex Judæis electos in prædicatione evangelii priùs ad eosdem Judæos, deinde ad omnes gentes misit, sicut ipse illis ait:* SICUT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS. Ioan. 20. 21.

DE quibus sanctis prædicatoribus in toto orbe terrarum missis Psalmographus canit: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18. 4.
De quibus sanctis prædicatoribus Dominus per Isaiam prophetam longè antè polli-
E cens eis: *Et venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, in Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam in gentibus.* Isa. 66. 18
Item ibi & de ipsis apostolis: *Et volabunt*, inquit, *in humeros Philistiim, per mare, simul prædabuntur filios orientis. Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filii Amon obedientes erunt.* Isa. 11. 14.
Item ibi ad ipsos: *Vos autem sacerdotes Domini vocabi-* Isa. 61. 6.

mini ministri Dei nostri, dicetur vobis: fortitudinem gentium comedetis, in gloria earum superbietis. In Jheremia quoque propheta de ipsis sanctis prædicatoribus novi Testamenti scriptum
Jer. 3. 14. est: *Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester, & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione: & introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores juxta cor vestrum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.*
Jer. 16. 16. Et rursum ibi: *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos, & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle.* Hinc demùm ibi adversùs eos, *Et constitui*, inquit, *su-*
Jer. 6. 17. *per vos speculatores. Audite vocem tubæ; & dixerunt: non audiemus. Ideò audite gentes.* Et ite-
Jer. 7. 13. rùm ibi: *Ego autem*, ait, *loquutus sum ad vos de mane consurgens & loquens, & non obedistis mihi: misique ad vos omnes servos meos prophetas, consurgensque diluculò, mittensque & dicens: convertimini unusquisque à via sua pessima.* Servos suos prophetas apostolos dicit atque evangelistas, quos quasi diluculò misit, quia postquàm resurrexit à mortuis, eos ad evangelizandum destinavit. In Arabia quoque de ipsis apostolis, dicente Domino, prædicatum
Abd. 21. est: *Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esaü, & erit Domino regnum.* Per montem quippe Sion plebem Judaicam: per montem autem Esaü ecclesiam significat gentium, in qua Dominus regnat per fidem. Michæas etiam propheta de eisdem sanctis prædicatoribus, & persequutione diadoli adversus
Mich. 5. 5. ecclesiam Dei spiritu prophetiæ plenus ait: *Assyrius cùm venerit in terram nostram, & quando calcaverit in domibus nostris, suscitabimus super eum septem pastores & octo primates homines, & pascent terram Assur in gladio, & terram Nebroth in lanceis suis.* Assur atque Nebroth, diabolus & antichristus Ecclesiam Dei persequens: septem verò pastores & octo primates homines, utriusque Testamenti insinuant prædicatores ecclesiæque defensores. Item ipse prædictus prophe-
Ibid. 7. ta: *Et erunt*, inquit, *reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi*
Ibid. 8. *stillæ super herbam.* Et paulò post: *Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecudum.* Ipsi igitur apostoli quasi ros vel pluvia per supernam infusionem prædicationis suæ: ipsi velut leo in jumentis propter constantiam mentis atque fortitudinem inter infideles velut inter jumenta. De ipsis etiam sanctis prædicatoribus Dominus
Zach. 9. 13. per Zachariam prophetam spondens ait: *Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum: implevi Ephraïm, & suscitabo filios tuos Sion, super filios tuos Græcia, & ponam te quasi gladium fortium: & Dominus Deus super eos videbitur, & exibit ut fulgur jaculum ejus; & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine austri. Dominus exercituum proteget eos, & devorabunt, & subjicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur ut fialæ & cornua altaris.* Hæc omnia & his similia quæ sequuntur de sanctis apostolis & ceteris prædicatoribus, ministris verbi Dei prædicta esse non dubium est, & in ipsis completa manifestum est.

CAPUT XXVI.

De eo quod post resurrectionem Domini quinquagesimo die datus est Spiritus-sanctus super apostolos vel ceteros credentes in Jherusalem civitate.

Hoc enim in veteri Testamento dudum præfiguratum est. Igitur celebrato pascha in Ægypto à filiis Israhel ex immolatione agni & sanguinis aspersione, & egredientibus eis in solitudine, atque quinquagesimo die pervenientibus ad montem Syna, data est eis lex à Domino per Moysen in tabulis lapideis scripta digito Dei. Simili quoque modo & in novo Testamento post Christi passionem, qui est verus agnus Dei, atque ejus resurrectionem, secundùm ejusdem pollicitationem die quinquagesimo descendit Spiritus in arcem Sion super centum viginti credentes Mosaycæ ætatis numero viros, qui dono suo novam legem, id est evangelicam prædicationem non in tabulis lapideis, ut priùs Judæis, sed in tabulis cordis carnalibus sanctorum evangelistarum subtiliter inspirando dictavit. Hoc quippe Dominus dudum per Jheremiam prophetam pollicitus fuerat dicens: *Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, &* Jer. 31. 33.
in corda eorum superscribam eam. De hoc Spiritu-sancto, qui est Patri & Filio coæternus & consubstantialis, Dominus per Johelem prophetam præterito jam tempore prædixit hoc modo: *Et erit post hæc, effundam Spiritum meum* Joel. 2. 28.
super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visionem videbunt. Sed & super servos meos & ancillas effundam de Spiritu meo. De hoc Spiritu-sancto qui ex Patre procedit & Filio, in Isaia propheta scriptum est: *Noli ti-* Isa. 44. 2.
mere servus meus Jacob rectissime, quem elegi: effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et rursùm ibi de populo electo: *Hoc* Isa. 59. 21.
fœdus meum cum eis, dicit Dominus; Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, à modo & usque in sempiternum. De hoc Spiritu-sancto qui est Patri & filio indivisus & indissecabilis in Zacharia propheta scriptum est, pollicente Domino ac dicente: *Et erit in* Zach. 12. 9.
die illa quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Jherusalem, & effundam super domum David & super habitatores Jherusalem Spiritum gratiæ & precum. Similiter & per Aggæum prophetam ipse Dominus promittens populo suo ait: *Verbum quod placuit vobis cùm egrederemini* Agg. 2. 6.
de terra Ægypti, & Spiritus meus erit in medio vestrûm, nolite timere. De hoc quoque Spiritu-sancto qui est Patri & Filio coæternus, & con-

substantialis, & cooperator, atque æqualis; quòd Deus sit & Dominus, & quòd secundùm mensuram fidei & gratiæ donum à Patre & Filio in corda electorum diffundatur, beatus Paulus apostolus in epistola ad Corinthios prima
1. Cor. 12. 4. scribens ait: *Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in om-*
2. Cor. 3. 17. *nibus.* Item, *Ipse Dominus Spiritus est, Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et Veritas in evange-
Joan. 4. 24. lio, *Spiritus est Deus.*

CAPUT XXVII.

De eo quod post ascensionem Domini in cœlum & per adventum Spiritus-sancti per apostolorum prædicationem uterque populus, id est tam ille qui ex circumcisione credidit, quàm etiam ille ex gentibus, in unitate fidei concordantes unus populus atque una plebs in Christo facta est.

QUi populus novus in nova Jerusalem, hoc est in Christi ecclesia, non manu facta per fidem venientes, & nunc habitat, & usque in æternum in superna Jerusalem habitaturus est, ita ut nec ab invicem separari queant, neque in duo regna ulteriùs dividantur, sed sub uno rege ac principe, hoc est Christo Domino in perpetuo vivent. De his duobus populis in Christi passione & resurrectione sibi concordantibus mysticè in lege præfiguratum est, dicente Domino per Moysen ad filios Israhel: *Sin autem minor est numerus, ut*
Exod 12. 4. *sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui ejus juxta numerum animarum qui sufficere possit ad esum agni.* Et infrà: *In una domo comedetur, nec efferetis de car-*
Ibid. 47. *nibus ejus foras.* Quid enim per agnum nisi Christus accipitur, de quo Apostolus ait; *Etenim pas-*
1. Cor. 5. 7. *cha nostrum immolatus est Christus?* In cujus morte & resurrectione, ut dictum est, uterque populus ex circumcisione videlicet & præputio veniens per fidem concordavit, apostolo hoc affirmante ac dicente: *Ipse est pax nostra qui*
Eph. 2. 14. *fecit utraque unum.* Domus autem Ecclesia est, extra quam nullus salvus fieri potest. De convenientia utriusque populi in unitatem fidei Dominus per Isaiam prophetam promittens ait: *Ecce accola veniet qui non erat mecum, & ad-*
Isa. 54. 15. *vena quondam tuus adjungetur tibi.* Item ibi ad primitivam Ecclesiam quæ ex circumcisione credidit de vocatione gentium hæc Domini promissio est: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide;*
Isa. 49. 18. *omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus velut ornamento vestieris, & circumdabit eos quasi sponsa.* Per Jheremiam quoque prophetam de conjunctione utriusque populi spondens ait: *Con-*
Jer. 3. 14. *vertimini, filii, revertentes, dicit Dominus Deus, quia ego vir vester, & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ. In tempore illo vocabunt Jherusalem solium Domini, & congregabuntur ad eum gentes in medio Jherusalem.*

A Non illa utique Jherusalem terrena, quæ istam veram Jherusalem figuravit; sed in spiritali Jherusalem, quæ est sancta Ecclesia. Similiter in Ezechiel propheta ad reconciliationem utriusque populi Domini promissio in- Ezech. 37. 21.
ter cetera hæc est: *Hæc dicit Dominus: ecce ego assumam filios Israhel de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos gentem unam in terra in montibus Israhel, & rex unus erit omnibus imperans. Et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur ampliùs in duo regna, & mundabo eos, & erunt mihi populus, & ego eis ero Deus, & servus meus David rex super eos, & pastor*
B *unus erit omnium eorum, & habitabunt super terram quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri, & habitabunt super eam ipsi & filii eorum usque in sempiternum, & David servus princeps eorum in perpetuum.* Quæ promissio non de terrena Jherusalem sicut Judæi falsè opinantur, sed de superna Jherusalem accipienda est. Neque de David patriarcha, sed de Domino nostro JHESU-CHRISTO qui est verus David, qui est Rex, & Pastor, & Princeps de populo electo in perpetuum credendum est & sperandum. De hac quoque unitate concordiæ utriusque populi ex circumcisione & præputio
C venientes qui in adventu Salvatoris crediderunt, vel nunc credunt, seu in finem mundi credituri sunt, in ipso Osee propheta scriptum Osee 1. 10.
est: *Et erit in loco ubi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis: filii Dei viventis: & congregabuntur filii Juda, & filii Israhel pariter, & ponent sibimet caput unum, & ascendent de terra, quia magnus dies Jezrahel.* Per filios quippe Juda apostolos atque apostolicas plebes ex circumcisione credentes dicit: per filios verò Israhel fideles ex gentibus intelligi vult: caput verò unum quod sibimet ponent nullus alius quàm Christus Dominus accipitur. Item ibi in Osee 2. 18.
D eodem propheta: *Et percutiam, inquit, ei fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ*, id est electæ plebi ex Judæis cum gentibus, qui priusquam crederent bestialiter in hoc mundo vivebant. De convenientia utriusque populi in unitatem fidei sibi convenientis in Michæa propheta scriptum est, Mich. 2. 12.
dicente Domino: *Congregatione congregabo, Jacob, totum te in unum, conducam reliquias Israhel pariter, ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum.* In Zacharia quoque propheta de concordia utriusque populi in Christo, similiter Zach. 6. 12.
E scriptum est, dicente Domino: *Ecce vir oriens nomen ejus & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse extruet templum Domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit & dominabitur super solio suo, & consilium pacis erit inter duos illos, & qui procul sunt venient, & ædificabunt* Ibid. 8. 7.
in templo Domini. Et infrà: *Hæc dicit Dominus exercituum: ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, & de terra occasu solis adducam eos, & habitabunt in medio Jherusalem, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum.* Quod non utique de Jherusalem terrena, ut Judæi frustra sibi

promittunt, sed de sancta ecclesia & cælesti Jherusalem rectè intelligendum atque credendum est. Hinc demum in eodem propheta scriptum est: *In die illa erit Dominus Rex super omnem terram, erit Dominus unus, & nomen ejus unum.* Ipse quoque Dominus & Salvator noster de conjunctione & unitate utriusque populi per semetipsum in evangelio secundùm Johannem exorsus ait: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Beatus igitur Paulus apostolus de vocatione utriusque populi & fidei connexu, in epistola ad Ephesios electis ex gentibus prædicans ait: *Nunc autem in* CHRISTO JHESU *vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum.* Et infrà: *Ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in semetipso, & veniens evangelizavit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem his qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem.*

Ibid. 14. 9. — Joan. 10. 16. — Eph. 2. 13. — Ibid. 15.

CAPUT XXVIII.

De eo quod post ascensionem Domini in cælis, & apostolorum prædicationem, & electionem eorum qui ex circumcisione in Christo crediderunt, ita in populum Judæorum credere nolentem principatus & sacerdotium funditus deletum est, ut ex gente illa secundùm eorum spem neque rex, neque princeps neque dux, neque sacerdos ulterius surgat, qui illis aliquid prosit præter Dominum JHESUM-CHRISTUM *Dei Filium, qui ex ipsa plebe secundùm carnem assumptus Rex, & Princeps, & Dux atque Sacerdos super populum suum, electam videlicet plebem principetur & regnet usque in æternum.*

QUod etiam Jacob patriarcha in benedictione Judæ per spiritum prophetiæ prævidens ait: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quod ita juxta historiæ veritatem eventus rei probat: nempè usque ad adventum Salvatoris numquam defuerunt ex gente illa principes, vel pontifices qui populo illi præessent: post adventum verò illius, ut dictum est, ita funditus defecerunt, ut numquam ex gente sua principem habere possint, quin potius de proprio solio expulsi, atque cunctis in gentibus dispersi, sub aliorum dominio addicti perpetuâ servitute sunt damnati. Quòd autem idem populus Judæorum hoc intervallo temporis, ab adventu videlicet Salvatoris usque ad Heliæ prædicationem absque veri Dei cognitione & absque lege & sacerdote sint, sacra scriptura testis est. Scriptum quippè est in libro Paralipomenon: *Zacharias autem filius Odid, facto in se spiritu Dei, egressus est in occursum Asa, & dixit ei: audi me, Asa, & omnis Juda, & Benjamin, Dominus vobiscum, qui fuistis cum eo. Si quæsieritis eum invenietis: si autem dereliqueritis, derelinquet vos. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo*

Gen 49. 10. — 2. Par. 15. 2

A *vero, & absque sacerdote, & doctore, & absque lege. Cùmque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israhel, & quæsiverint, eum reperient.* Osee quoque propheta huic sententiæ præfati prophetæ Zachariæ consonans ait: *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altare, & sine Ephod, & sine Theraphim; & post hæc revertentur filii Israhel, & quærent Dominum suum, & David regem suum, & pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus in novissimo dierum.* David regem quem in novissimo dierum filii Israhel quæsituri sunt, non David regem qui defunctus est & adpositus ad patres B suos, neque antichristum, quem infideles expectant, significat; sed verum David, id est Dominum nostrum JHESUM CHRISTUM, qui surgens à mortuis vivet in æternum. Quicumque ex illa gente erga finem mundi in eum crediderint, cùm quæsierint eum, reperient. De abolitione quoque sacerdotii Judæorum, sub nomine Heli sacerdotis, & de reprobatione regni eorum sub nomine Saülis scriptum est, dicente Domino per prophetam ad Heli sacerdotem: *Propterea, ait Dominus Deus Israel, loquens loquutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiter-* C *num. Nunc autem, dicit Dominus, absit hoc à me, sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies venient, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua.* Et paulò post: *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciat: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Hæc prophetia de mutatione sacerdotii non in Samuel completa, sed in Domino JHESU-CHRISTO extitit adumbrata. Item ibi dixit Samuhel ad Saül: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit* D *tibi: quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israhel in sempiternùm, sed nequaquam ultra regnum tuum consurget. Quæsivit Dominus virum juxta cor suum, & præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum.* Reprobatio Saülis futuram præfiguravit abolitionem regni Judæorum, & sacerdotii abolitionem: quod utrumque per anulum regiæ potestatis & pontificalis honoris significatur in libro Jheremiæ prophetæ, typicè sub nomine Jeconiæ regis Judææ dicente Domino, ut prædictum est: *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jeconias filius Joachim regis anulus in manu dextera mea, inde evel-* E *lam eum.* Et rursùm ibi: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus: scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Et paulò post de Domino JHESU CHRISTO: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam super terram. In diebus illis salvabitur Juda, & Israhel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et iterum de ipso Redemtore nostro: *Quia hæc dicit Dominus,*

Osee 3. 4. — 1. Reg. 2. 30. — 1. Reg. 2. 35. — 1. Reg. 13. 13. — Jer. 22. 24. — Ibid. 29. — Ibid. 23. 5. — Ibid. 33. 17.

non interibit de David vir qui sedeat super thronum A
Ibid. 20. *domus Israhel.* Hinc demum ibi: *Hæc dicit Do-
minus, si irritum fieri potest pactum meum cum die
& nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo, &
pactum meum irritum esse poterit cum David servo
meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.*
Nempe superiùs dixerat quòd de semine Je-
coniæ, hoc est de stirpe David, non sit vir ul-
trà qui sedeat super solium David, & potesta-
tem habeat, qui sedeat in Juda: & rursùm ve-
lut mutatâ sententiâ repromittit dicens, quòd
non deficiet ex eo filius qui regnet in throno
ejus: quod utrumque secundùm sanum intel-
lectum contrarium sibi non est, quia & juxta B
spem Judæorum nequaquam ulteriùs de domo
David rex erit qui in terrena Jherusalem reg-
num obtineat, neque rursùm de domo illius
rex deerit, Dominus videlicet & Salvator
noster JHESUS CHRISTUS Dei Filius, qui in
cælesti Jherusalem super populum suum usque
in æternum regnet. De cujus principatu &
electione Aggæus propheta sub nomine Zoro-
Agg. 2. 24. babel ex persona Domini loquens ait: *In die il-
la, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zoroba-
bel, fili Salathiel serve meus, dicit Dominus, & po-
nam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Domi-
nus exercituum.* De sacerdotio autem Judæo- C
rum in Malachia propheta scriptum est, di-
cente Domino adversùs eorum sacerdotes:
Mal. 1. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exer-
cituum, & munus non suscipiam de manu vestra.* Et
infrà de sacrificio Domini nostri JHESU CHRIS-
TI quod in cunctis gentibus à fidelibus Chris-
Ibid. 11. tianis offertur: *Ab ortu enim solis usque ad occa-
sum magnum est nomen meum in gentibus, & in
omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio
munda.* De sacrificio novi Testamenti Pater
ad Filium sub juramento spondens ait: *Juravit
Ps. 109. 4. Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in
æternum secundùm ordinem Melchisedech.* De quo D
sacerdote in libro Zachariæ prophetæ scrip-
Zach. 3. 1. tum est: *Et ostendit mihi Dominus Jhesum sacer-
dotem magnum stantem coram angelo Domini*, &
cetera quæ sequuntur ad eum pertinentia. Sa-
cerdos dicitur JHESUS Dei Filius, sed in as-
sumto homine, non in essentia deitatis: sicut
& servus non in claritate divinitatis, sed in as-
sumta forma servi. De plebe quoque Judaïca
sub nomine domus David in libro Regum
scriptum est, dicente Domino per Nathan
2. Reg. 12. 10. prophetam ad David: *Quam ob rem non recedet
gladius de domo tua usque in sempiternum.* De ec-
clesia autem quæ est vera domus David, id est E
plebs CHRISTI JHESU, in eodem libro rur-
2. Reg. 7. 26. sùm scriptum est: *Et domus servi tui David erit
Ibid. 29. stabilita coram Domino.* Et infrà: *Incipe igitur &
benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram
te: quia tu, Domine Deus, loquutus es, & benedi-
ctione tua benedicetur domus servi tui in sempiter-
num.*



CAPUT XXIX.

De sacrificiis Judæorum atque holocaustis carnalibus quæ in adventu Salvatoris, adveniente novo Testamento novisque sacrificiis, velut vetusta & non necessaria abolita sunt.

DE sacrificiis Judæorum quæ à Domino
non approbantur in libro Regum scrip-
tum est: *Numquid vult Deus holocausta & victi-* 1. Reg. 15. 22.
mas, & non potius ut obediatur voci Domini? me-
lior est enim obedientia quàm victima, & abscultare
magis quàm offerre adipem arietum. De sacrificiis
verò atque holocaustis Ecclesiæ quæ sub novo
Testamento Deo immolantur, Propheta ex
voce ecclesiæ in psalmo cantat: *Holocausta me-* Ps. 65. 15.
*dullata offeram tibi cum incensis arietibus, offeram tibi
boves cum hircis.* Holocausta medullata, confes-
sio fidei & mentis est compunctio ex intimo
cordis in Dei sacrificio oblata: in incensis
verò odor virtutum sive orationes sanctorum.
In arietibus duces ecclesiæ, in bobus autem
ecclesiarum præpositi, in hircis signantur prin-
cipes populorum. De holocaustis Judæorum
carnalibus in psalmo scriptum est: *Non super*
sacrificia tua arguam te: De spiritali verò holo- Psal. 49. 8.
causto: *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt*
semper. De carnalibus sacrificiis ibidem dictum Ibid. 14.
est: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de
gregibus tuis hyrcos:* De spiritali verò sacrificio
subsequens ait: *Immola Deo sacrificium laudis, &*
redde Domino vota tua, ut est illud in alio psal- Ps. 55. 12.
mo: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam lauda-
tiones tibi.* De carnali holocausto rursùm in
psalmo scriptum est: *Quoniam si voluisses sacri-* Ps. 50. 18.
*ficium dedissem utique, holocaustis verò non delecta-
beris:* De sacrificio verò spiritali addidit di-
cens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor con-* Ibid. 19.
tritum & humiliatum Deus non spernit. Et infrà:
Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & ho- Ibid. 21.
locausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.
In vitulis quippe significantur novi homines
per lavacrum regenerationis innovati, atque
per sanctos prædicatores in altare fidei per jus-
titiæ fidem Deo oblati. De victimis Judæo-
rum carnalibus per Isaïam prophetam Domi-
nus eisdem Judæis improperans ait: *Quo mi-* Isai. 1. 11.
*hi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Do-
minus, plenus sum: holocausta arietum & adipem
pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum &
hyrcorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum,
quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambulare-
tis in atriis meis? ne offeratis ultrà sacrificium frustra,
incensum abominatio est mihi.* De sacrificiis verò
gentium quæ in ecclesia sub novo Testamen-
to Deo offerentur idem propheta ait: *In tem-* Isa. 18. 7.
*pore illo deferetur munus Domino exercituum à populo
divulso & dilacerato, à populo terribili, post quem
non fuit alius à gente expectante & conculcata.* Item
ibi de Ægyptiis, hoc est gentibus: *Et cognoscetur* Isa. 19. 21.
*Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Domi-
num in die illa, & colent eum in hostiis & muneri-
bus, & vota vovebunt Domino, & solvent.* De sacri-
ficiis

sacrificiis Judæorum rursùm Dominus per A
eumdem prophetam ait: *Iniquus autem qui im-*
Isa. 66. 3. *molat mihi vitulum, tamquam qui occidit carnem,*
aut qui offert similam, ut sanguinem porcinum.
Qui autem dat thus in memoriam, ut blasphemus.
De sacrificio verò spiritali ibidem Dominus
Ibid. 2. ait: *Et super quem respiciam, nisi super humilem*
& quietum, & trementem verba mea? De ho-
locaustis Judæorum in libro Jheremiæ pro-
phetæ scriptum est: *Hæc dicit Dominus exer-*
Jer. 7. 21. *cituum Deus Israhel: Holocaustomata vestra*
addite victimis vestris, & comedite carnes, quia
non sum loquutus cum patribus vestris, & non
præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti B
de verbo holocaustomatum & victimarum. Sed
hoc verbum præcepi eis dicens: audite vocem
meam, & ero vobis Deus. De sacrificio autem
Ecclesiæ sub novo Testamento in præfato li-
bro Jheremiæ prophetæ hoc modo prædictum
Jer. 33. 11. est: *Hæc dicit Dominus: adhuc audietur in loco*
isto, quem vos dicitis esse desertum, vox gau-
dii, & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ,
vox dicentium: Confitemini Domino exercituum,
quoniam in æternum misericordia ejus, & portan-
Ibid. 17. *tium vota in domo Domini.* Et infrà: *Quia hæc*
dicit Dominus: non interibit de David vir qui
sedeat super thronum domus Israhel: & de sacer- C
dotibus & de levitis non interibit vir à facie mea
qui offerat holocaustomata, & incendat sacrifi-
cium, & cædat victimas cunctis diebus. De sa-
crificiis Judæorum carnalibus Osee propheta
Ose. 5. 6. ait: *In gregibus suis & in armentis suis vadent*
ad quærendum Dominum, & non invenient.
Ablatus est ab eis. In Domino prævaricati sunt.
Ose. 6. 6. Item ipse: *Quia misericordiam volo & non sa-*
crificium, & scientiam Dei plusquam holocausta.
Ose. 9. 4. Item post alia: *Non libabunt Domino vinum,*
& non placebunt ei: sacrificia eorum quasi panis
lugentium, omnes qui comedunt eum contamina-
buntur. De spiritali verò sacrificio, hoc est D
confessione fidei, & confessione ad Dominum
Ose. 14. 3. præfatus propheta ait: *Tollite vobiscum verba,*
& convertimini ad Dominum. Dicite ei: omnem
aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus
vitulos labiorum nostrorum. Hinc demum sacri-
ficia Judæorum Dominus per Amos prophe-
Amos. 5. 21. tam detestans ait: *Odivi & projeci festivitates*
vestras, & non accipiam odorem centum virorum.
Quod si obtuleritis mihi holocaustomata & mune-
ra, non suscipiam, & vota pinguium vestrorum
Ibid. 25. *non recipiam.* Et infrà: *Numquid hostias & sa-*
crificium obtulistis mihi in deserto XL. annis, do-
mus Israhel? De his quoque sacrificiis carnali- E
bus quæ Judæi secundùm litteram legis offer-
Mich. 6. 6. re consueverant Michæas propheta ait: *Num-*
quid offeram ei holocaustomata & vitulos annicu-
los? Numquid placari potest Dominus in millibus
arietum, aut in multis millibus hyrcorum pin-
Ibid. 8. *guium?* Et infrà de sacrificiis spiritalibus: *Indi-*
cabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Do-
minus quærat à te, utique facere judicium, & di-
ligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum
Deo tuo. De sacrificiis Judæorum quæ Domi-
nus non approbat idem Dominus per Mala-
chiam prophetam ipsos Judæos arguens ait:

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Mal. 1. 10.
exercituum, & munus non suscipiam de manu ves-
tra. Ubi continuò de sacrificio populi gentium
subjungens ait: *Ab ortu enim solis usque ad oc-* Ibid. 11.
casum magnum est nomen meum in gentibus, dicit
Dominus exercituum. Et rursùm ibi adversùs
sacerdotes Judæorum: *Ecce ego projiciam vobis* Ibid. 2. 3.
brachium, & dispergam super vultum vestrum ster-
cus solemnitatem vestram, & assumet vos secum.
De sacrificio verò Ecclesiæ post aliqua ait: *Et* Ibid. 3. 3.
erunt Domino sacrificium offerentes justitiæ, &
placuit Domino sacrificium Juda & Jherusalem,
sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui. De sa-
crificiis Judæorum vel primitivis ipsorum quæ
secundùm legem Domino offerebantur, ipse
Dominus per Ezechielem prophetam illos vi-
tuperans ait: *Ergo & ego dedi eis præcepta non* Ezech. 20.
bona, & judicia in quibus non vivent. Et pol- 25.
lui eos in muneribus suis cùm offerrent omne quod
aperit vulvam propter delicta sua, scient quia
ego Dominus. De sacrificio verò quod sub novo
Testamento Ecclesia per sacerdotes Domino
offert, in eodem libro scriptum est, ipso di-
cente: *Sacerdotes autem & levitæ filii Sadoch* Ezech. 44.
qui custodierunt cerimonias sanctuarii mei, ipsi ac- 15.
cedent ad me, ut ministrent mihi, & stabunt in
conspectu meo, ut offerant mihi adipem, & san-
guinem, ait Dominus Deus, hoc est corpus &
sanguinem Christi. De sacrificiis Judæorum
carnalibus quæ secundùm litteram legis dudum
ab ipsis Domino offerebantur, beatus Paulus
apostolus in epistola ad Phillippenses de se-
metipso scribens ait: *Secundùm justitiam quæ* Phil. 3. 6.
in Lege est conversatus sine querela: sed quæ mi-
hi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Chris-
tum detrimenta: verumtamen existimo omnia de-
trimentum esse propter eminentem scientiam JHE-
SU CHRISTI *Domini nostri: propter quem om-*
nia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut
Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non ha-
bens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam
quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est, justitiam
in fide, ad agnoscendum illum, & virtutem re-
surrectionis ejus, & societatem passionum illius,
configuratus morti ejus, si quomodo occurram ad
resurrectionem quæ est ex mortuis. Verùm quia
illa sacrificia carnalia in umbra præcesserunt
spiritalibus sacrificiis quæ in novo Testa-
mento manifestata sunt, idcirco tamdiu illa
necessaria fuerunt donec ista venirent: at ubi
verò in adventu Salvatoris veritas revelata
est, cuncta quæ in umbra præcesserant, tran-
sierunt.

CAPUT XXX.

De sacrificio spiritali quod sub novo Testamento sancta Ecclesia non ex brutis animalibus sicut olim Judæi, neque per sanguinem agnorum & hircorum, sed per electos homines & sanguinem sanctorum martyrum, & ceteras virtutes atque opera justitiæ Domino Deo offertur.

PRimum sacrificium Ecclesiæ est, & præs-
tantius omni sacrificio, passio Salvatoris

nostri & sanguis ille pretiosus, qui ob remissionem omnium peccatorum nostrorum Deo Patri in odorem suavitatis velut pretiosum holocaustum sive hostia oblatus est. Cujus passio & mors in lege Moysi sub figuris diversorum animalium præsignata est. Verum atque pretiosum holocaustum ecclesiæ est mors sanctorum apostolorum & martyrum, de quibus in
Psal. 71. 14. psalmo LXX. primo scriptum est: *Ab usura & iniquitate redimet animas eorum, & pretiosus erit sanguis eorum coram oculis ejus.* Et alibi:
Psal. 115. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Quorum mors multis modis per animalia munda, sicut & Christi passio in veteri Testamento expressa est. Verum sacrificium Ecclesiæ est, corpus & sanguis Domini, qui ob reconciliationem nostram & peccatorum nostrorum indulgentiam per sacerdotes quotidiè immolatur.

Corpus & Sanguis Domini verum ecclesiæ sacrificium.

De quo sacerdotio in libro Ezechiel prophetæ scriptum est, præcipiente Domino ac
Ezech. 44. 1. dicente, *ut offerant mihi adipem & sanguinem.* Hoc est enim sacrificium quod incessanter Ecclesia non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech Deo offert:
Psal. 109. 4. de quo sacrificio Psalmographus canit: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Verum sacrificium est cognitio fidei, & misericordia erga se vel proximum, ut est illud in
Osee. 6. 6. Osee: *Misericordiam volo & non sacrificium, & scientiam Dei plusquàm holocausta.* Vera victima est acceptabilis Deo, cùm homo in lavacro regenerationis moritur omni peccato, ut Deo vivat: de qua mortificatione beatus
Rom. 6. 3. Paulus apostolus ait: *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte: ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* De qua victima in Lege mysticè præceptum est, ut sanguis animalium qui in Dei sacrificio mactabatur, ad altare funderetur, id est novi hominis desiderium atque affectus Deo offeratur. Vera hostia est placens Deo, mortificatio carnis & abolitio omnium peccatorum, atque adoptio virtutum: de qua hostia præ-
Rom. 12. 1. fatus apostolus ait: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum,* & cetera. Sacrificium acceptabile Deo est concordia fraterna, & munditia castitatis, de qua rursùm
Heb. 12. 14. [a] Apostolus ait: *Pacem sequimini cum omnibus & [a] sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Hostia suavitatis est compassio sanctorum, & obsequium inter servos Dei: de qua hostia sæpè dictus Apostolus ad Philippenses inter cetera
Phil. 4. 17. scribens ait: *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in oratione vestra. Habeo autem omnia & abundo, & repletus sum acceptis ab Ephafrodito quem misistis, odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo.* Sacrificium enim est quod Deus non spernit, cor contri-

A tum & humiliatum: de quo sacrificio in psal-
mo scriptum est: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Psal. 50. 19. Holocaustum pingue est humilitas mentis, & cordis compunctio: de quo in psalmo: *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Et alibi: *Holocausta medullata offeram tibi.* Et in Levitico: *Et imposito desuper holocausto, adolebit adipes pacificorum.*

Humilitas holocaustum pingue. Psal. 19. 4. Psal. 65. 15. Levit. 6. 12.

Sacrificium Deo acceptum est lacrymæ pœnitentium, quæ ob indulgentiam peccatorum, & desiderium supernæ patriæ ex intimo cordis eliciuntur: de quibus lacrymis Psalmista, *Posuisti*, ait, *lacry-*
B *mas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua.* Ps. 55. 9. Et Veritas in Evangelio, *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. 5. Sacrificium verum est oratio munda cum affectu cordis, de qua in psalmo: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Ps. 140. 2. Sacrificium Deo placitum est, facere æquitatem & veritatem, ut est illud in Proverbiis Salomonis: *Facere æquitatem & veritatem, placita sunt magis quàm hostiarum sanguis.* Prov. 21. 3. Sacrificium Deo acceptum est, intentio bonæ actionis, & obedientia in præceptis Dei, sicut est in libro Ecclesiastes: *Custodi pedem tuum dum vadis in domum Dei, & ap-* Eccl. 4. 17.
C *proxima ut audias super donum insipientium sacrificium tuum.* Verum sacrificium est zelus rectitudinis ob amorem justitiæ adversùs omne peccatum: de quo zelo Apostolus ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. 11. 29. Et in psalmo: *Zelus domus tuæ comedit me.* Sacrificium verum est, concordia caritatis, & unitas fidei, sine qua caritate quodcumque opus bonum, vel quodlibet donum Dei beatus Apostolus nihil prodesse sua auctoritate definivit. Sacrificium verum est compassio fraterna, & opus misericordiæ, ut
D est illud in libro Jhesu: *Qui facit misericordiam, offert sacrificium.* Eccl. 35. 4. Verum sacrificium est, dilectio inimicorum, & indulgentia in delinquentibus, ut est illud in Evangelio: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis.* Matth. 5. 44. Et illud: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, & Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Matth. 6. 14. Verum & perfectum sacrificium est, propter justitiam persequutionem sustinere malorum, & quælibet adversa hujus mundi ob amorem justitiæ æquanimiter tolerare, & in flagellis Dei nullo modo murmurare. Sacrificium Deo
E est, quodcumque opus bonum bona intentione agere, & ab omni facinore declinare. Hæc sunt sacrificia acceptabilia, hæc sunt holocausta pacifica pinguia; hæc sunt hostiæ suavitatis in conspectu Domini, non carnes, neque sanguis irrationabilium animalium, quæ omnipotens Deus non indiget.



[a] *In margine laterali* castimoniam.

CAPUT XXXI.

De Sabbati observatione & solemnitate atque neomenia, quas Judæi carnaliter juxta litteram legis custodire nituntur: quæ omnia in adventu Salvatoris abdicata sunt, atque per novum Testamentum spiritaliter non carnaliter fideli populo in Ecclesia custodire præcepta sunt.

DE observatione Sabbati & Kalendarum Dominus per Isaiam prophetam Judæos vituperans ait: *Neomeniam, & Sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Kalendas vestras & sollemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta.* De Sabbato verò spiritali Dominus per eumdem prophetam loquens ait: *Si averteris à sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaberis sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum dum non facis vias tuas, & non inveniatur voluntas tua ut loquaris sermonem.* Item ibi de futuro sabbato, hoc est requie sempiterna: *Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato.* De vero quippe sabbato quod est requies animæ, cessatio videlicet ab omni peccato, quod est opus servile, in Jheremia propheta scriptum est: *Hæc dicit Dominus: custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbati: nec inferatis per portas Jherusalem, & nolite ejicere onera de domibus vestris in die sabbati.* Ille verò pondera in die sabbati portat, quem judicii dies, per quem poterat ad requiem æternam transire, cum onere peccatorum suorum invenerit, ut illum ad ima pœnarum deprimat, non sursùm sublevet. Ille procul dubio onera in die sabbati de domo sua ejicit, cujus anima è corpore per mortem evulsa cum gravedine peccatorum suorum egredierit. De sabbato quoque Judæorum idem propheta Jheremias rursùm ait: *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus.* De sabbato Judæorum in libro Ezechiel prophetæ scriptum est: *Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, & sabbatorum otium imitans.* De reprobatione quoque Judæorum sollemnitatum, & sabbati observatione in libro Osee prophetæ scriptum est, dicente Domino: *Et cessare faciam omne gaudium ejus, sollemnitatem ejus, Neomeniam ejus, & sabbatum ejus, & omnia festa temporum ejus.* Quorum festivitates Dominus per Amos prophetam vituperans ait: *Odivi, & projeci festivitates vestras, & non accipiam odorem centum virorum. Quod si obtuleritis mihi holocaustomata & munera, non suscipiam.* Verùm quia observatio sabbati Judæis non propter justificationem, sed in signum æternæ quietis, per Legem tradita fuit, sicut est illud in libro Ezechielis prophetæ, dicente Domino de ipsis Judæis: *Insuper & sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos:* Idcirco adveniente novo Testamento, in quo sabbatum non carnaliter, sed spiritaliter custodire jubetur, veneratio sabbati secundùm ritum Judæorum repulsa est. De festivitatibus quoque

[Margin: Isa. 1. 13. — Isa. 58. 13. — Isa. 66. 23. — Cessatio à peccato verum sabbatum. — Jerem. 17. 21. — Thren. 1. 7. — Ezech. 21. 23. — Osee. 2. 11. — Amos 5. 21.— Ezech. 20. 12.]

A Judæorum & sabbati observatione beatus Paulus apostolus fideles Ecclesiæ compescens ait: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.* Sicut enim ceteras observationes carnales juxta litteram in Lege dudum custodire præcepta sunt in præfiguratione futurorum; ita & sabbati veneratio in typo peccatorum, quod est opus servile, & requiem mentis in Deum custodire præceptum est, ut est illud in psalmo: *Vacate, & videte quoniam ego sum Dominus.* Verum sabbatum Christus Dominus est, qui dixit: B *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.* Nemo enim veram requiem adipisci potest, nisi qui in hac vita per fidem & dilectionem ejus in eum mente quieverit. Ille verò sabbatum servat, qui non à bono opere, sed ab omni peccato quod est opus servile vacat: & quia sabbatum requiem significat sempiternam, ille sibi sabbatum custodit, qui ita bonum agit & malum vitat, ut ab illa æterna requie non privetur: quod autem dies dominicus, qui est primus atque octavus sanctior sit sabbato qui est à primo septimus, olim in lege præfiguratum est, ut est il- C lud in Levitico: *Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino, est enim cœtus atque collecta.* Et infrà: *Die primo & die octavo erit sabbatum, id est requies.* Et iterum ibi de eodem octavo die in quo resurrectio Domini celebratur, & Ecclesiæ sacrificia spiritalia celebrata Deo accepta esse perhibentur: *Facto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron & filios ejus, ac majores natu Israhel, dixitque ad Aaron: Tolle vitulum de armento pro peccato, & arietem in holocausto, utrumque immaculatos, & offer illos coram Domino, & ad filios Israhel loqueris: Tollite hyrcum pro peccato, & vitulum* D *atque agnum anniculum sine macula in holocaustum, bovem & arietem pro pacificis, & immolate eos coram Domino: in sacrificio singulorum similam oleo conspersam offeretis, hodiè enim vobis Dominus apparebit.* Et infrà: *Apparuit gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino devoravit holocaustum & adipes qui erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.* In libro quoque Ezechiel prophetæ de hoc sacramento octavi diei, qui in Christi resurrectione veneratur, inter cetera scriptum est: *Expletis autem diebus in die octava & ultra facient sacerdotes super altare holocausta vestra,* E *& quæ pro peccato offerunt, & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.*

[Margin: Colos. 2. 16. — Psal. 45. 11. — Matth. 11. 28. — Sabbatum quis bene custodiat. — Lev. 23. 35 — Lev. 23. 39 — Lev. 9. 1. — Ibid. 23. — Ezech. 43. 27.]

CAPUT XXXII.

De eo quod Judæi neque per sacrificia carnalia, neque per circumcisionem corpoream, neque per ceteras observationes à sordibus peccatorum suorum expiari nunc possunt, nisi per fidem Domini nostri JHESU CHRISTI, & lavacrum regenerationis, morum correctionem atque emendationem vitæ.

QUod etiam Dominus per Isaïam prophetam eosdem Judæos redarguens pariter

Ibid. 1. 11. & exhortans ait: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hyrcorum nolui.* Et paulò post: *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere*, & cetera. In libro quoque Jheremiæ Dominus de ipsis Judæis seu ad ipsos ait: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Hinc demum per Aggæum prophetam de sacrificiis Judæorum, in quibus sanctificari non poterant, inter cetera scriptum est: *Hæc dicit Dominus exercituum: interroga sacerdotes Legis dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit summitatem ejus, panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, numquid sanctificabitur? responderunt autem sacerdotes, & dixerunt, non. Et dixit Aggæus: si tetigerit pollutus in anima ex omnibus, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes & dixerunt: contaminabitur. Et respondens Aggæus dixit: sic populus iste & gens ista ante faciem meam, dicit Dominus: & sic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerint contaminata erunt.* Quod autem lavacrum regenerationis sit abolitio peccatorum, Dominus per Ezechielem prophetam de Judæis qui in finem mundi credituri sunt promittens ait: *Tollam vos de gentibus, & congregabo vos de universis terris, & adducam vos in terram vestram: & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, ab universis idolis vestris mundabo vos.* Quod autem aliter, ut dictum est, peccata humani generis expiari nequeunt nisi per confessionem sanctæ Trinitatis & lavacrum regenerationis, quod in Christi morte & resurrectione datur, & donum Spiritus-sancti, ipse Dominus nos multis modis multisque significationibus in veteri Testamento præeuntibus signis informat: scriptum quippe est in libro Numeri, dicente Domino ad Moysen: *Ista est religio victimæ quam constituit Dominus: præcipe filiis Israhel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum, tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra immolabit in conspectu hominum, & tinguens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus.* Et infrà: *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eas extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israhel in custodiam, & in aqua aspersionis, quia pro peccato vacca combusta est: habebunt filii Israhel & advenæ qui habitant inter eos sanctum jure perpetuo. Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israhel, quia aquâ expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia ejus super eum. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ, quia sanctuarium Domini polluit, & non est aquâ lustrationis aspersus. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum*, & cetera quæ sequuntur ad sacramentum baptismatis congruentia. Quid per vaccam rufam nisi caro Christi, quæ peccati maculam non habuit, nec jugum delicti traxit, innuitur? quæ propter sanguinem passionis rectè rufa dicitur ætatis integræ: quia idem Redemtor noster vir perfectæ ætatis passus est, in cujus morte ac resurrectione lavacrum regenerationis credentibus datum est. Quid verò per diem tertium nisi Trinitatis mysterium? de quo sacramento Salvator apostolis ait: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* De qua rursùm Salvator ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quid per cineres vaccæ nisi signum pœnitentiæ? & quid per locum purissimum extra castra, in quo cineres vaccæ recondi jubentur, nisi sancta Ecclesia quæ à Synagoga Judæorum sejuncta est, in qua Ecclesia sacramentum passionis Domini ac resurrectionis ejus reconditum manet? Hinc enim in Exodo atque Levitico similiter præfiguratum est, in eo quod de sanguine vituli, qui in typo Christi immolabatur, in figura Ecclesiæ totum tabernaculum, & omnia vasa ejus expiari præcipiebantur. Inde est quod omnes filii Israhel de Ægypto egredientes per aquam maris rubri, velut per baptismum transeuntes, ab hostibus suis liberati sunt. Simili quoque modo in terra repromissionis aliter ingredi nequiverunt nisi prius per fluenta Jordanis velut per lavacrum regenerationis transirent. Hæc est aqua ablutionis & refectionis quam Dominus populo sitienti in solitudine de petra produxit: quæ petra secundùm Apostoli auctoritatem Christi prætendebat imaginem. De hoc sacro baptismo in libro Regum per Helisei prophetæ factum in Jherico civitate mysticè præfiguratum est, præcipiente eodem propheta ad accolas loci illius ac dicente: *Afferte mihi vas novum & mittite in illud sal. Qui cum tulissent sal, egressus ad fontem aquarum misit in eum sal, & ait: hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has & non erit in eis ultra mors neque sterilitas.* Quem in hoc miraculo Heliseus nisi Christum Dominum præfiguravit, qui postquam Verbum caro factum est, atque per ministrum in Jordane fluvio baptizari dignatus est, aquas Jherico steriles, hoc est hujus mundi, convertit in lavacri fœcunditate, ut quidquid ex eis regeneratum fuisset, vitalem spiritum acciperet? In sale quippe sapientia; in vasi verò rude, caro Domini intelligitur. De hoc sacramento baptismatis quod tempore passionis Domini de latere ejus produxit, in libro Ezechiel prophetæ mysticè signatum est, dicente eodem propheta: *Et converti me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur super limen domus ad orientem, facies enim domus respiciebat ad orientem; aquæ enim descendebant ad latus templi dextrum ad meridiem altaris.* Porta do-

Marginal references: Ibid. 1. 11.; Ibid. 15.; Jer. 11. 15.; Agg. 2. 12.; Ezech. 36. 24.; Num. 19. 2.; Ibid. 9.; Matth. 28. 19.; Joan. 3. 5.; 2. Reg. 2. 20.; Ezech. 47. 1.

Joan.10.9. mus ille est qui dixit, *Ego sum ostium*. Ipse A & oriens, ad quem mentes electorum per fidem & dilectionem respiciunt. Ipse templum Dei secundùm humanitatem, qui cùm in patibulo crucis suspensus esset, atque unus militum lanceâ latus ejus aperuisset, continuò exivit sanguis & aqua, ex quo sacramento Ecclesia per baptismum formata est. Item ibi: *Et ait ad me: aqua hæc quæ procedit in Galilæa quæ est ad orientem, & descendebat in Arabia ad aquam remissionis, & sanavit aquas; & omnis anima vivens quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet, & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ & saturabuntur, & vivent omnia. Ad quæ iste* B *venerit torrens vivent, & stabunt super illam piscatores*. Plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni multitudinis nimiæ: quia baptismi gratia per evangelicos prædicatores de Juda egrediens ad plana deserti velut ad Arabiam populi videlicet gentium descendit: atque in hunc mundum velut in mare mortuum in quo nihil vivum gignebatur, intravit, qualiter omnes credentes de pristina infidelitate velut à mortuis per idem sacramentum resurgentes viverent. Pisces multi & diversi inter se significant multitudinem credentium de varietate gentium. Piscatores verò aposto- C lorum & evangelistarum forma est; quod autem addidit: *In littoribus & in paludibus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur*, hoc significat quod omnes hæretici quamvis baptismi gratiam cum ceteris [a] infidelibus Ecclesiæ accipiant, verumtamen non hoc ad salutem, sed ad perniciem animarum suarum sumunt, quia extra Ecclesiam projecti velut sal infatuatum ab omnibus conculcantur. De hac aqua baptismatis per quam delicta credentium abluuntur, quæ synagoga Judæorum ante adventum Salvatoris accipere non potuit, omnipotens Deus per eum- D dem prophetam Ezechielem prædictum plebem Judaïcam redarguens ait: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cetthæa, & quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, & in aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis*. Ubi continuò de Ecclesia subjungens ait: *Et juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus: & facta es mihi in salutem, & lavi te aquâ, & emundavi sanguinem tuum ex te*. De hac aqua baptismatis Psalmista Domino canit: *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor*. De his aquis regenerationis Dominus per Isaïam prophetam E credentes exhortans ait: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate*. De hoc fonte baptismatis in Isaïa rursùm scriptum est: *Audite hoc domus Jacob, qui vocamini nomine Israhel, & de aquis Juda existis, qui jurastis in nomine Domini & Dei Israhel*. De hac aqua aspersionis iterum præfatus propheta pro Christo Domino exorsus ait: *Iste asperget gentes multas*. De hac aqua baptismatis quam hæretici seu pravi Christiani non ad salutem, sed ad damnationem accipiunt, per Jheremiam prophetam Dominus ait: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus*. De hoc fonte regenerationis Dominus per Johelem prophetam ad futurum pollicens ait: *Et erit in die illa distillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*, impios videlicet & peccatores morti perpetuæ deditos, ut per hoc sacramentum resurgentes vivere potuissent. De hoc fonte baptismatis in Zacharia propheta scriptum est: *In die illa erit fons patens domus David, & habitantibus Jherusalem in ablutione peccatorum & menstruatæ*. Item ibi: *Et erit in die illa exibunt aquæ vivæ Jherusalem, medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare novissimum in æstate & hyeme sic erunt*, ut subaudiatur in quatuor mundi partibus. Ideo autem unda baptismatis aqua viva dicitur, quia quod mortuum fuerat in peccato, resuscitat atque vivificat per fidem. De hoc sacramento baptismatis, & chrismatis unctione mysticè in Exodo scriptum est, dicente Domino ad Moysen: *Faciet & labium æneum cum vase suo ad lavandum, ponesque illud in tabernaculo testimonii, & altare; & missa aqua lavabunt in eo Aaron & filii ejus manus suas ac pedes quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thimiama Domino, ne fortè moriantur. Legitimum sempiternum erit ipsi & filiis ejus per successiones*. Et infrà: *Faciesque unctionis oleo sancto unguentum compositum opere unguentarii, & unges ex eo tabernaculum testimonii & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum & utensilia ejus, altare thimiamatis & holocausti, & universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet, sanctificabisque omnes, & erunt sancta sanctorum. Qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Israhel dices: hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non ungetur ex eo: juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. Homo quicumque tale composuerit & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo*. Quæ omnia non simpliciter sed spiritaliter sunt accipienda. Igitur sicut per labium cum vase suo, in quo missâ aquâ Aaron & filios ejus manus ac pedes lavare præceptum est, & sic ad altare cum thimiamatis odore accedere, significat lavacrum regenerationis, in quo omnes credentes qui verè filii ac membra sunt Sacerdotis magni, hoc est Domini nostri JHESU CHRISTI, à pristinis sordibus peccatorum suorum abluti in altare fidei confessionem suam velut odoriferum incensum Deo offerunt. Ita per unctionis oleum figuratur sanctum Chrisma, de quo omnes fideles post emundationem peccatorum à sacerdotibus uncti consecrantur, qualiter per eamdem unctionem à Christo Christiani appellentur. Sciendum verò est ut tam in baptismo quàm etiam in linitionis Chrismate duplex fiat sacramentum,

Margin notes (left column): Ezech. 47. 1. — Ibid. 11. — [a] — Ezech. 16. 3. — Ibid. 8. — Psal. 50. 9. — Isa. 55. 1. — Isa. 48. 1. — Isa. 52. 15.

Margin notes (right column): Ier. 2. 22. — Ioel. 3. 18. — Zach. 13. 1. — Ibid. 14. 8. — Baptismi & Confirmationis figura. — Exod. 30. 18. — Exod. 30. 25.

[a] *f.* fidelibus.

unum videlicet propter exteriorem hominem, aliud verò propter interiorem; sicut enim per aquam visibilem abluitur corpus visibile, ita per confessionem fidei mundatur anima invisibilis: quia unum absque alio non valet. Et sicut per chrisma visibile consecratur corpus visibile, ita per invisibilem unctionem Spiritus-sancti sanctificatur anima invisibilis. De hoc duplici sacramento beatus Paulus apostolus in
Heb. 10. 22. epistola ad Hebræos ait: *Aspersi corde à conscientia mala, abluti corpus aqua munda.* Quod autem ait: *Caro hominis non ungetur ex eo*, & cetera. Hoc mysticè insinuat, quia sicut nulli infideli in vetere adhuc homine ambulanti ante baptismi gratiam & veram confessionem sancta hæc unctio nihil omnino pertineat; ita cuilibet hæretico qui ab unitate fidei alienus est, eadem sacra unctio non ad sanctificationem sed ad detrimentum animæ conlata sit.

CAPUT XXXIII.

De reprobatione Judæorum & vocatione gentium, & de eo quod populus gentium in novo Testamento prælatus sit populo Judæorum.

Moyses legislator præscius futurorum in
Deut. 28. 43. libro Deuteronomii ait Judæis: *Advena qui tecum versatur in terra, ascendet supra te, eritque sublimior, tu autem descendes & eris inferior. Ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipse erit caput, & tu eris in cauda*, ut
Matth. 19. 30. est illud in Evangelio: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi.* Quod autem Lex, quæ per Moysen data est, non ad solos Judæos, sed ad gentes transmissa est, ipse Moyses in præ-
Deut. 29. 14. fato libro affirmat dicens: *Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio & juramenta confirmo, sed cunctis præsentibus & absentibus.* Item ibi de pravitate
Ibid. 5. 25. Judæorum: *Peccaverunt ei non filii ejus in sordibus: generatio prava atque perversa.* Et infrà:
Ibid. 20. *Generatio perversa est & infideles filii: ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis, & ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo*
Ibid. 43. *illos.* De gentibus quoque ait: *Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur.* De vocatione gentium in psalmo scrip-
Psal. 17. 44. tum est: *Populus quem non cognovi servivit mihi, obauditu auris obedivit mihi.* De Judæis
Ibid. 46. verò: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Item in alio psalmo Propheta ex voce Domini
Psal. 21. 17. de Judæis exorsus ait: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* De
Psal. 21. 28. vocatione verò gentium ait: *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Hinc iterùm de vocatione gentium quæ per apostolorum prædicationem fa-
Psal. 46. 2. cta est, in alio psalmo scriptum est: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, quoniam Deus summus, terribilis, & Rex magnus super omnem terram.* Et infrà:
Regnabit Dominus super omnes gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Item alibi de res- Ibid. 9.
pectu divinæ misericordiæ super gentes scriptum est: *Oculi ejus super gentes respiciunt.* De Psal. 65. 7.
Judæis verò ait: *Qui in ira provocant non exaltentur in semetipsis.* Et continuò iterùm de gentibus: *Benedicite gentes Deum nostrum, & obedite voci laudis ejus.* Ibid. 8. Hinc rursum de Judæis:
Quoniam judicas, ait, *populos in æquitate, &* Psal. 66. 5.
gentes in terra dirigis. Hinc demùm de benedictione quam gentes in Christo consecutæ sunt: *Et benedicentur*, inquit, *in eo omnes tri-* Psal. 71. 17.
bus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. De Judæis verò ait: *Inimici ejus terram lingent.* Ibid. 9.
Item alibi de gentibus: *Omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt in conspectu tuo.* Psal. 85. 9.
Et alibi: *Laudate Dominum omnes gentes, &* Psal. 116. 1.
conlaudate eum omnes populi. De reprobatione quoque Judæorum Dominus per Isaïam prophetam comminans ait: *Et derelinquetur filia* Isa. 1. 8.
Sion ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quæ vastatur. Et infra de sanctis apostolis & ceteris fidelibus qui eis in Christo crediderunt subinfertur dicens: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis* Ibid. 9.
semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. De conversione verò gentium ad Christum ait: *Et erit in novissimis* Isa. 2. 2.
diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent. Judæis verò ait: *Domus Jacob, venite,* Ibid. 5.
ambulemus in lumine Domini. Projecisti enim populum tuum, domus Jacob, quia repleti sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt. Et post alia de ipsis: *Ecce* Isa. 3. 1.
enim Dominator Deus exercituum auferet ab Jherusalem & ab Juda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem & virum bellatorem, judicem & prophetam, & ariolum & senem, principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium sapientem eloquii mystici. Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Et infrà de blasphemia eorum adversùs Christum Dominum:
Ruit enim Jherusalem & Juda concidit, quia Ibid. 8.
lingua eorum & adinventiones eorum contra Dominum. De inluminatione verò gentium: *Gen-* Isa. 9. 2.
tium populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. De Judæis rursùm dicit: *Si* Isa. 10. 22.
enim fuerit populus tuus, Israhel, quasi arena maris reliquiæ convertentur ex eo. De gentibus verò in Christo credentibus intulit dicens: *In die illa erit radix Jesse qui stat in sig-* Ibid. 9. 10.
num populorum: ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum. Hinc demum ibi de cæcitate Judæorum & vocatione gentium:
Educ, ait, *foras populum cæcum, & oculos haben-* Ibid. 43. 8.
tem, & surdum, & aures ei sunt. Omnes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus. Hinc iterùm de conversione gentium & ignorantia
Judæorum: *Congregamini & venite, & accedite* Ibid. 45. 20.
simul qui salvati estis ex gentibus. Nescierunt qui

levant signum sculpturæ suæ, & rogant Deum non salvantem. Hinc rursùm ibi in libro ejusdem prophetæ Isaiæ de morte Domini secundùm
Ibid. 57. 1. carnem & objurgatione Judæorum : *Justus*, inquit, *periit, & non est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui*
Ibid. 3. *intelligat.* Et mox contra Judæos ait : *Vos autem accedite huc, filii auguriatricis, semen adulteri & fornicatoriæ, super quem illusistis, super quem dilatastis os, & ejecistis linguam? numquid non vos filii scelerati, semen mendax?* Item ibi de conver-
Ibid. 60. 2. sione gentium ad Ecclesiam : *Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos : super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur : & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendo-*
Ibid. 5. *re ortus tui.* Et infrà : *Quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.*
Ibid. 11. Item ibi : *Ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges eorum abducantur.* Hinc demum ibi de con-
Ibid. 65. 1. versione gentium : *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt. Dixi, ecce ego, ad gentem quæ non vocabat nomen meum.* De
Ibid. 2. Judæis verò subsequens ait : *Expandi manus meas ad populum tota die incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Et infrà de iisdem Judæis qui se mundos reputant, alios
Ibid. 5. autem immundos, *Qui dicunt*, inquit, *recede à me, non appropinques mihi quia immundus es; isti fumus erunt in furore meo, & ignis ardens tota die, & interficiet te Dominus Deus, & servos suos vocabit nomine alio*, id est Christianos non Judæos. Et quod omnis benedictio & confessio fidei in Christi Incarnatione humano generi conlata est, qui verus Deus in terra carnis nostræ est,
Ibid. 16. mox intulit dicens : *In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, amen : & qui jurat in terra jurabit in Deo, amen.* Quid enim est in terra per Deum jurare, nisi verum Deum Dei filium in vera terra carnis nostræ credere & confiteri? De reprobatione quoque Judæorum & vocatione gentium, & de abolitione veteris Testamenti in libro Jheremiæ prophetæ inter
Jer. 3. 16. cetera scriptum est : *In diebus illis, ait Dominus Deus, non dicent ultra arca testamenti Domini, neque ascendet super cor neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.* Ubi mox de sancta Ecclesia & congregatione gentium per fidem
Ibid. 17. in ea subjungens ait : *In tempore illo vocabunt Jherusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam gentes in nomine Domini in Jherusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui.* Item ibi
Ibid. 5. 1. de infidelitate Judæorum : *Circuite*, ait, *vias Jherusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei : quod si etiam vivit Dominus dixerint, & hoc falso jura-*
Ibid 6. 30. *bunt.* Item ibi de ipsis : *Argentum reprobum*, inquit, *vocate eos, quia Dominus projecit illos.* Et
Ibid. 7. 28. rursùm ibi : *Hæc est gens quæ non audivit vocem Domini sui, nec recepit disciplinam, periit fides, ablata est de ore eorum.* Hinc demum ibi de gentibus quæ ad Christum qui est manus Dei & virtus ejus conversæ sunt scriptum est : *Domine*
Ibid. 16. 19. *fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis, ad te gentes venient ab extremis terræ.* Et infra de peccato Judæorum quod deleri omnino non potest nisi in Christum crediderint : *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in* Ibid. 17. 1.
ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum. Igitur in libro Osee prophetæ de reprobatione Judæorum & vocatione gentium scriptum est, dicente Domino de Judæis : *Et* Osee 1. 8.
concepit & peperit filium, & dixit : voca nomen ejus non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus. Et infra de populo gentium : *Et erit numerus filiorum Israhel quasi arena* Ibid. 10.
maris quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco ubi dicitur eis non populus meus vos, dicetur eis, filii Dei viventis. Et iterum ibi de apostolis & evangelistis ex plebe Judaïca assumtis, per quorum prædicationem populus gentium ad Deum conversus est : *Et seminabo eam*, inquit, *mihi in terra, & miserebor ejus quæ fuit absque misericordia, & dicam non populo populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu.* Ibid. 2. 23.
Item ibi de populo Judæorum : *Devoratus est Israhel, nunc* Ibid. 8. 8.
factus est in nationibus quasi vas inmundum. Et infrà : *Noli lætari Israhel, noli exultare sicut populi,* Ibid. 9. 1.
quia fornicatus es à Deo tuo. In Michæa quoque de principibus Judæorum inter cetera scriptum est : *Audite principes domus Jacob, & ju-* Mich. 3. 9.
dices domus Israhel qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis : qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jherusalem in iniquitate : propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Jherusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum. Ubi illico de adventu Salvatoris & vocatione gentium subsequutus ait : *Et erit* Ibid. 4. 1.
in novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ & dicent : venite, ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Jacob. Item ibi de illis qui ex Judæis conversi sunt ad Dominum, vel certè in finem mundi conversuri erunt : *In die illa,* Ibid. 4. 6.
dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam quam ejeceram colligam, & quam afflixeram, & ponam claudicantem in reliquias. Ubi continuò de Ecclesia gentium intulit dicens : *Et eam quæ la-* Ibid. 7.
boraverat in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc & usque in æternum. In libro denique Zachariæ prophetæ de vocatione gentium & utriusque populi concordia inter cetera scriptum est : *Hæc dicit Dominus exercituum : usquequo venient populi, & habi-* Zach. 8. 20.
tent in civitatibus multis, & vadant habitatores unus ad alterum dicentes : eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum. Vadam etiam ego, & venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jherusalem, ad deprecandam faciem Domini. Per Malachiam quoque prophetam Dominus ait de Judæis, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu* Mal. 1. 10.
vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, & vos polluistis illud.

CAPUT XXXIV.

De infidelitate Judæorum & eorum blasphemiis quæ ore impuro adversùs Dominum nostrum JESUM CHRISTUM *Filium Dei proferre non verentur, & de scelere eorum quod in eum admiserunt, pro quo scelere non solùm reprobati atque derelicti sunt à Domino, verùm etiam & à suis sedibus expulsi, & cunctis in gentibus sunt dispersi.*

DE incredulitate quoque eorum quia in Christum Dei Filium qui est vita omnium fidelium credere noluerunt, Moyses legislator in libro Deuteronomii inter ceteras
Deut. 28. 66. maledictiones & hanc illis adjiciens ait: *Et erit vita tua quasi pendens ante te, & timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Et rursùm ibi:
Deut. 32. 15. *Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Dominum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* De quorum prævaricatione David in
2. Reg. 23. 6. libro Regum inter cetera ait: *Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus; & si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, ignique succensæ comburentur usque ad nihilum.* Item ibi de eorum expulsione de terra sua.: *Et evellet*, in-
3. Reg. 14. 15. quit, *Israhel de terra bona quam dedit patribus eorum.* Hinc iterum in eodem libro Regum de
4. Reg. 21. 12. quibus & supra: *Ecce ego, ait Dominus, inducam malum super Jherusalem & Judam, ut quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus, & delebo Jherusalem sicut deleri solent tabulæ. Delens vertam, & ducam crebrius stilum super faciem ejus.* De blasphemia quoque eorum & igno-
Isa. 1. 3. rantia in Isaïa propheta scriptum est: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israhel me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi, semini nequam. Filii scelerati dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israhel.* Item ibi de scandalo eorum quod in Christum Dominum velut in lapidem vivum offen-
Ibid. 8. 13. derunt, inter cetera scriptum est: *Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis & petram scandali, duabus domibus Israhel in laqueum, & in ruinam habitantibus Jherusalem, & offendent ex eis plurimi & cadent.* De eodem lapide rursùm in eodem libro Isaïæ prophetæ scriptum
Ibid. 28. 16. est, dicente Domino: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum; qui crediderit non festinet.* De quo lapide in psalmo scriptum est iterum: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* De hoc lapide in fundamento Ecclesiæ posito, quod est Christus Do-
1. Cor 3. 11. minus, beatus Paulus apostolus ait: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est* CHRISTUS JHESUS. Item ibi, hoc est in libro Isaïæ prophetæ, de Judæorum dam-
A natione inter reliqua scriptum est: *Quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion, & convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur, & erit terra ejus in picem ardentem nocte & die, non extinguetur in sempiternum.* Quod autem propter scelus quod in Dominum JHESUM CHRISTUM, id est Judæi, admiserunt, derelicti sint à Deo, & gentibus velut bestiis ad devorandum traditi, idem Dominus per Jheremiam prophetam exorsus ait: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem, ideo odivi eam.* Et infrà: *Venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum, pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Item ibi: *Civitates Austri clauserunt, & non est qui aperiat. Translata est omnis Juda, transmigratione perfecta.* Et rursùm ibi: *Væ tibi Jherusalem, non mundaberis post me usque adhuc.* Hinc demum ibi de perpetua eorum contritione: *Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum & civitatem istam sicut conteritur vas figuli quod non potest instaurari.* Quod autem sanguinem innocentem Domini nostri JHESU CHRISTI, id est Judæi, effuderint, ipse Dominus per præfatum prophetam Jheremiam ne hoc facerent præmonuit dicens: *Hæc dicit Dominus: facite judicium & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.* Item ibi: *Tui verò oculi & cor ad avaritiam & sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam.* In Ezechiele quoque propheta de ipso sanguine Salvatoris, quem Judæi effuderunt, propter quod eorum piaculum aboliri non potest, inter cetera ita prædictum est: *Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudi illum: non effudi illum super terram, ut possit operiri pulvere.* De sanguine ejus super petram limpidissimam & rursùm in ejusdem prophetæ libro: *Et effudi, ait Dominus, indignationem meam super eos pro sanguine quem effuderunt super terram, & dispersi eos in gentes, & ventilati sunt in terris, juxta vias eorum & adinventiones eorum judicavi eos.*

Isa. 34. 8. — Ier. 12. 7. — Ibid. 9. — Ibid. 13 19. — Ibid. 27. — Ibid. 19. 11. — Ibid. 22. 3. — Ibid. 17. — Ezech. 24. 7. — Ibid. 36. 18.

CAPUT XXXV.

De eo quod gentes quæ ante adventum Salvatoris gentes tantùm vocabantur, post adventum verò ejus conversæ ad ipsum nunc populus Dei & filii Dei sive Israhel appellentur, quamvis & pristinum nomen gentium retineant: populus verò Judæorum qui ante adventum Salvatoris nostri populus Dei & plebs Israhel appellabatur, post ejus adventum quotquot in eum credere noluerunt, in gentibus quæ Deum non glorificaverunt, reputatæ sunt.

DE ipsis quippe Judæis incredulis Dominus per Moysen in Deuteronomio ait: *Ipsi me* Deut. 32. 21.
provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt

taverunt in vanitatibus suis, & ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. De ipsis enim Judæis incredulis Dominus ad Ezechielem prophetam loquens
Ezech. 2. 3. ait: *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israhel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me.* Et
Osee. 1. 3. per Osee prophetam: *Et concepit, & peperit filium, & dixit: Voca nomen ejus non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus.* Similiter quoque per Amos Dominus sæpè dictos Judæos redarguens ait:
Amos 9. 7. *Numquid non & filii Æthiopum vos estis mihi filii Israhel, ait Dominus? numquid non Israhel ascendere feci de terra Ægypti, & Palæstinos de* B *Cappadocia, & Syros de Cyrenen? ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à*
Isa. 65. 15. *facie terræ.* Et in Isaïæ prophetia: *Et relinquetis nomen vestrum juramentum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, & servos suos vocabit nomine alio.* De populo verò gentium quod per fidem Israhel appelletur, in libro Jheremiæ prophetæ, Domino pollicente, scriptum
Jer. 31. 1. est: *In tempore illo, dicit Dominus, ero Deus universis cognationibus Israhel, & ipsi erunt mihi in po-*
Osee. 1. 10 *pulum.* Et in Osee: *Et erit numerus filiorum Israhel quasi arena maris quæ sine mensura est; & non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis, non* C *populus meus vos, dicetur eis, filii Dei viventis.*
Ibid. 2. 23. Et rursùm ibi: *Et miserebor,* inquit, *ejus quæ fuit absque misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet Dominus meus*
Zach. 2. 10. *es tu.* Et in Zacharia: *Lauda & lætare, filia Sion, quia ecce ego veniam & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.* Beatus quoque Paulus apostolus in epistola ad Romanos de utroque populo disputans ait: *Non autem quod exciderit verbum Dei,*
Rom. 9. 6. *non enim omnes qui ex Israhel hi sunt Israhelitæ, neque quia semen sunt Abrahæ omnes filii, sed in* D *Isaac vocabitur tibi semen, id est non qui filii Dei, sed qui filii sunt promissionis existimabuntur in semine.*

CAPUT XXXVI.

De duplici nomine Jherusalem quæ generaliter duas in partes accipitur, id est in bonam vel malam.

PRima namque terrena Jherusalem appellatur, in qua olim populus Judæorum principatum tenuit, quæ ob magnitudinem E peccatorum habitantium in ea ita funditus diruta est, ut in pristino statu restaurari nequeat. Et quia eadem civitas vel plebs in figura Ecclesiæ præcessit, tamdiu illa stetit donec ista surgeret. At ubi ista surrexit, illa inreparabiliter corruit. Sancta verò Ecclesia quæ vera est Jherusalem in adventu Salvatoris, ipso evangelizante, & per sanctorum apostolorum prædicationem, ab ipsa Jherusalem terrena sumsit exordium, atque paulatim per apostolorum prædicationem in toto orbe terrarum in cunctis gentibus diffusa est. Quæ Ecclesia, id est A civitas Dei non ex lapidibus insensatis, sed de hominibus electis quotidie construitur, donec in finem mundi ad perfectionem suam perveniat, atque post resurrectionem in cælesti Hierusalem translata cum Deo ac Rege suo in perpetua beatitudine regnans tripudiet. Sed quia sacra scriptura de utrisque civitatibus, id est de Synagoga Judæorum & Ecclesia gentium permixtè loquitur, idcirco scire convenit quid ad Synagogam Judæorum & terrenam civitatem Jherusalem pertineat, & quid ad Christi Ecclesiam vel supernam patriam conveniat. De terrena quippe Jherusalem & plebe Judaïca dudum in ea commorante Dominus per Isaïam prophetam ipsi plebi reputans ait: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judi-* Isa. 1. 21.
cio? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua. Et cetera. Ubi continuò de Ecclesiæ restauratione quæ in adventu Salvatoris per apostolos facta est, intulit dicens: *Et restituam judices tuos sicut fuerunt* Ibid. 26.
prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis, Sion judicio redimetur, & reducent eam in justitiam. Item ibi de destitutione Synagogæ & civitatis Jherusalem: *Et derelinquetur filia Sion in umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario,* Ibid. 1. 8.
sicut civitas quæ vastatur. Hinc demum ibi de perpetua ruina Jherusalem præfatus propheta Isaïas affatus ait: *Quia posuisti civitatem in tumultum, urbem fortem in ruinam alienorum, ut non* Ibid. 25. 2.
sit civitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. Et rursùm ipse de desertione urbis Jherusalem & templi: *Domus enim,* Ibid. 32.
ait, *dimissa est, multitudo urbis relicta est, tene-* 14.
bræ & palpatio facta est super speluncas in æternum. Et infra de conversione gentium & reprobatione Judæorum: *Et erit desertum in Cher-* Ibid. 32.
mel, & Chermel in saltum reputabitur. Hinc ite- 15.
rum ibi de Judæis commorantibus in Sion: *Conterriti sunt peccatores, possedit timor hypocri-* Ibid. 33.
tas. Et post aliqua de Christi Ecclesia, sive 14.
superna patria, addidit dicens: *Respice Sion* Ibid. 33.
civitatem solemnitatis nostræ. Oculi tui videbunt 20.
Jherusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur, quia solummodo ibi magnificus Dominus noster, locus fluviorum, rivi latissimi & patentes. Non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. Ista omnia erga litteram in terrena Jherusalem neque fuerunt umquam, neque futura sunt. In Christi verò Ecclesia sive superna Jherusalem spiritaliter & nunc sunt, & erunt usque in sempiternum. De desertione quoque Sion, hoc est terrenæ Jherusalem, sæpe dictus propheta Isaias in oratione sua Domino supplicans ait: *Civitas sancti tui facta est deserta* Ibid. 64.
Sion, deserta facta est Jherusalem, desolata domus 10.
sanctificationis nostræ, ecclesiæ nostræ. Et infrà de sancta electorum Ecclesia Dominus pollicens ait: *Quia ecce ego creo Jherusalem exultationem,*

& populum ejus gaudium, & exaltabo in Jherusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo ultra vox fletus & vox clamoris. Hinc demum ibi de templo Judæorum quod in Jherusalem olim
Ibid. 66. 1 ædificatum fuit, dicente Domino: *Cælum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?* Et infrà de Ecclesia: *Lætamini cum Jherusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam.* In libro quoque Jheremiæ prophetæ de destructione terrenæ Jherusalem inter cetera Domino comminante scrip-
Jer. 9. 11. tum est: *Et dabo Jherusalem in acervos arenæ & in cubilia draconum, & civitates Juda dabo in desolationem eo quod non sit habitator.* De ecclesia verò gentium in præfato libro Jheremiæ ex voce Domini hoc modo promissum
Ibid. 3. 17. est: *In tempore illo vocabunt Jherusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam gentes in nomine Domini in Jherusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui.* Item ibi de perpetua
Ibid. 19. 11. contritione terrenæ Jherusalem: *Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* De ædificatione verò Ecclesiæ per prædictum prophetam
Ibid. 31. 38 Jheremiam pollicens ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ædificabitur civitas Domino à turre Ananehel usque ad portam anguli, & exibit ultra normam mensuræ in conspectu ejus. Sanctum Domini non evelletur, & non destruetur ultra in perpetuum.* Et rursùm ibi de Jherusalem
Jer. 32. 31. terrena: *Quia in furore meo, ait Dominus, & in indignatione mea facta est mihi civitas hæc à die qua ædificaverunt eam usque ad diem istum quo aufertur de conspectu meo propter malitiam filiorum Israhel.* Et infrà de plebe nova in Chris-
Ibid. 37. ti Ecclesia congregata: *Et reducam vos ad locum istum, ait Dominus, & habitare eos faciam confidenter, & erunt mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Per Ezechielem quoque prophetam peccata domus Israhel Dominus imprope-
Ezech. 5. 5. rans ait: *Hæc dicit Dominus Deus: ista est Jherusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu ejus terras, & contemsit judicia mea, ut plus esset*
Ibid. 14. *impia quàm gentes.* Et infrà: *Et dabo te in desertum & in opprobrium gentibus quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis.* Et rur-
Ib. 16. 3. sùm ibi: *Hæc dicit Dominus Deus: Jherusalem radix tua & generatio tua de terra Chananæa, pater tuus Amorræus, & mater tua Cethæa.* Et
Ibid. 16. 35 infrà: *Propterea, meretrix, audi verbum Domini.*
Ibid. 48. Item post aliqua: *Vivo ego, dicit Dominus, quia non fecit Sodoma soror tua, ipsa & filiæ ejus*
Ibid. 22. 24. *sicut fecisti tu & filiæ tuæ.* Et iterum ibi: *Filii hominis dic ei: Tu es terra immunda & non compluta in die furoris, conjuratio prophetarum in me-*
Ibid. 24. 6. *dio ejus.* Et rursùm ibi: *Væ civitati sanguinum, ollæ cujus rubigo in ea est, & rubigo ejus non extinguetur de ea.* De sancta verò Ecclesia quæ in novo Testamento in Christum Dominum
Ezech. 40. 2. velut super *montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum, & introduxit me illuc,* & cetera omnia quæ sequuntur quæ non ad plebem carna-

A lem Judaïcam, neque ad terrenam Jherusalem pertinere noscuntur, sed potius ad omnium electorum Ecclesiam, tam illorum qui fuerunt ante legem vel sub lege, quàm etiam omnium eorum qui sub novo Testamento nunc degunt; sive cunctorum sanctorum qui futuri sunt usque in finem mundi. Universa quæ ibidem mysticè describuntur spiritaliter congruunt atque conveniunt. Danihel quoque propheta in oratione sua impietatem quam Judæi in Christo perpetrati sunt inter cetera confitens ait: *Et stillavit,* inquit, *super nos maledi-* Dan. 9. 11.
ctio & detestatio quæ scripta est in libro Moysi
B *servi Dei, quia peccavimus ei: & statuit sermones suos quos loquutus est super nos & super principes nostros qui judicaverunt nos, & superduxerunt in nos malum magnum, quale numquam fuit sub omne cælo secundùm quod factum est in Jherusalem.* Item in ejusdem prophetæ libro de Christi morte & perpetua desolatione civitatis Jherusalem inter cetera scriptum est: *Et post ebdo-* Ibid. 26.
madas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus, & civitatem sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Et infrà: *Et in templo* Ibid. 27.
erit abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Amos
C quoque propheta de perpetua ruina populi Judæorum inter cetera exorsus ait: *Audite verbum* Amos 5. 1
istud quod ego levo super vos planctum domus Israhel. Cecidit, non adjiciet ut resurgat, virgo Israhel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. De Ecclesia verò gentium quæ non in loco uno, sed in toto orbe terrarum dilatata est, Zacharias propheta ex voce Domini pollicitus est dicens: *Absque muro habitabitur Jhe-* Zach. 2. 4.
rusalem præ multitudine hominum & jumentorum in medio ejus. De qua domo, hoc est sancta Ecclesia rursùm Dominus per Aggæum pro-
D phetam promittens ait: *Magna erit claritas do-* Agg. 2. 10.
mus istius novissimæ plusquàm primæ dicit Dominus exercituum. De nomine quippe Jherusalem quæ duabus in partibus, hoc est synagoga Judæorum, & ecclesia gentium sæpe dividitur, beatus Paulus apostolus in epistola ad Galatas affirmat dicens: *Scriptum est quod Abraham duos* Gal. 4. 22.
filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem ad montem Sina in servitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est in
E *Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jherusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Jherusalem libera est, quæ est mater nostra: scriptum est enim: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum.* Quod autem Jherusalem nonnumquam in divina scriptura non terrenam civitatem, sed supernam patriam significet, testis est liber Paralipomenon, in quo scriptum est dicente David in spiritu prophetiæ: *Requiem dedit Do-* 1. Par. 23. 25.
minus Deus Israhel populo suo, & habitabit in Jherusalem usque in sæculum. Et in Isaïa pro-

Isa. 30. 19. pheta: *Populus autem Sion habitabit in Jherusalem.* Et in Johel: *Et judæa in æternum habitabitur, & Jherusalem in generatione & generationem.* De qua superna civitate, hoc est Jherusalem cæleste, beatus Paulus apostolus in epistola ad Hebræos inter cetera ait: *Sed accessistis ad Sion montem sanctum & civitatem Dei viventis, cælestem Jherusalem, & multorum millium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælis, & judicem omnium Deum & spiritus justorum perfectorum & testamenti novi mediatorem Jhesum.*

Johel. 3. 20.

Heb. 12. 22.

CAPUT XXXVII.

De eo quod sub nomine Jherusalem nunc sancta Ecclesia, nunc verò cœlestis patria censetur.

DE hac civitate Jherusalem quæ est Ecclesia Dei vivi per Isaïam prophetam, ut superiùs dictum est, spiritus prophetiæ nos exhortans ait: *Respice Sion civitatem sollemnitatis nostræ, oculi tui videbunt Jherusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur, quia solummodò ibi magnificus Dominus, locus fluviorum, rivi latissimi & patentes: non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredictur eum.* Sion superna illa patria beatitudinis, ipsa est Jherusalem æterna pace opulenta, tabernaculum Dei quod nequaquam à sua beatitudine transferri potest, cujus clavi doctores, funiculi testimonia sunt sanctarum scripturarum, seu fides quæ in æternum disrumpi non potest. Locus fluviorum sancta Ecclesia, in qua latè patens sanctorum prædicatio diffunditur. Navis remigum civitas hujus mundi à sapientibus atque hæreticis velut remige gubernata. Trieris magna diabolus princeps mundi, cujus transitus à civitate electorum in æternum excluditur. Huic sanctæ Ecclesiæ rursùm Dominus per præfatum prophetam pollicens ait: *Ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphyris, & ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, universos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis, & in justitia fundaberis.* Lapides Ecclesiæ suæ Dominus per ordinem sternit, quia electos ejus per donum gratiæ suæ singulos in gradu vel ministerio quod ipse vult disponit atque ordinat. Hujus Ecclesiæ fundamentum lapis saphyrus est, quia ejus ædificium non supra terrenum fundamentum, sed super cæleste, quod est ipse Dominus & sancti apostoli ejus, constructum est. Cujus propugnacula jaspis est, quia adversus omnes impetus malorum, tentationes hujus mundi per divinam scripturam, quæ in æternum numquam marcescit, munitur ac defenditur. Hujus sanctæ Ecclesiæ portarum lapides sculpti esse perhibentur, quia prædicatores ejus hoc quod verbo docent, operibus in semetipsis ad exemplum fidelium velut sculpta demonstrant. Hujus sanctæ Ecclesiæ termini lapides sunt desiderabiles, quia in cunctis finibus ejus sancti apostoli & martyres in patrocinio fidelium per loca singula dispositi sunt. Cujus filii, universi videlicet electi in superna beatitudine non ab hominibus sicut in præsenti vita, sed à solo Domino docti nil ibi ignorabunt ubi ipsum Deum fontem sapientiæ videbunt. Quorum finis, id est consummatio in superna patria pax erit æterna & quies perpetua. De hac civitate, sancta videlicet Ecclesia, Jheremias propheta spiritu prophetiæ plenus prænuntians dixit: *Ecce dies veniunt, & ædificabitur civitas Domino à turre Ananehel usque ad portam anguli, & exibit ultra normam mensuræ in conspectu ejus super collem Garebeth, & circuibit Goata & omnem vallem cadaverum, & cineres, & universam regionem montis usque ad torrentem Cedron, & usque ad angulum portæ equorum orientalem sanctum Domini non evelletur, & non destructur ultra in perpetuum.* Sancta electorum Ecclesia à turre Ananehel, quæ interpretatur Gratia Dei, ædificari cœpit, quia ejus instructura per ejus gratiam incipit & perficitur. Usque ad angulum portæ ejus ædificatio pervenit, quia ipsum Redemtorem, nostrum qui verè porta est, qui dixit, *Ego sum ostium*, ipse nihilominus & angulus, in quo duo populi velut duo parietes è diverso venientes per fidem copulantur. De quo apostolus ait: *Ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem faciens pacem.* Illud verò quod prædictus Propheta addidit: *Et exibit ultra normam mensuræ*, hoc significat quod Veritas in evangelio ait: *Multi vocati, pauci verò electi.* Et in psalmo: *Annuntiavi & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Sancta quippe Ecclesia præsenti in vita dum eos colligit, qui ad æternam beatitudinem pertinere non valent, quasi extra normam mensuræ egreditur. In electis verò ad supernam patriam pertinentibus non evellitur, nec destruetur ultra in perpetuum. De hac civitate Jherusalem, id est sancta Ecclesia, quæ in superna patria cum Christo rege suo in æternum regnatura est, in Zacharia propheta eodem sensu, sed non eodem modo loquutionis inter reliqua scriptum est: *Et exaltabitur*, inquit, *& habitabit in loco suo, à porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, & usque ad portam angulorum, & à turre Ananehel usque ad torcularia regis, & habitabunt in ea: & anathema non erit amplius, sed sedebit Hierusalem secura.* Quæ omnia de terrena Hierusalem accipiendum non est, sed allegoricè de sancta Ecclesia, & superna patria credendum atque sperandum est. De hac civitate, hoc est sancta Ecclesia rursùm Dominus per eumdem prophetam spondens prædixit: *Absque muro habitabitur Jherusalem præ multitudine hominum & jumentorum in medio ejus: & ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.* Pro qua virtute, sancta scilicet Ecclesia, Isaïas clamat: *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale.* Si enim absque muro, quomodo intra

Isa. 33. 20.

Isa. 54. 11.

Jer. 31. 38.

Joan. 10. 9.

Eph. 2. 15.

Matth. 20. 16.

Ps. 39. 6.

Zach. 14. 10.

Ibid. 2. 4.

Isa. 26. 1.

murum? si verò intra murum, quomodo absque muro Dei civitas esse potest? absque muro enim civitas Dei est, quia sancta Ecclesia in toto orbe terrarum diffusa, muro manu facto non concluditur. Et rursùm absque muro non est, quia intra septa fidei & divina custodia munita inconvulsa permanet in æternum. De hac civitate quæ est Ecclesia Dei psalmista
Psal. 86. 3. canit: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei, cujus participatio ejus in id ipsum*, id est in Dominum qui semper est. Hæc namque sancta Ecclesia locus est apud Dominum, de quo idem
Exod. 33. 21. Dominus ad Moysen in Exodo: *Ecce*, inquit, *est locus apud me, stabit super petram; cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & proteget te dextra mea donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea.*
Veritas in sola Ecclesia catholica. Quia enim ex sola Ecclesia catholica Veritas conspicitur, apud se locum Dominus esse perhibet, de quo videtur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit. De qua soliditate Dominus dicit:
Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ipsa est locus sanctus, quem elegit Dominus, extra quam nullus salvus fieri potest. De quo loco Moyses filiis Israhel in Deuteronomio Deo
Deut. 12. 4. in se loquente præcipiens ait: *Non facietis ita Domino Deo vestro, sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo. Venietis & offeretis in loco hoc holocausta & victimas vestras.*
Ibid. 26. 1. Et rursùm ibi: *In locum*, inquit, *quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo, illuc omnia quæ præcipio conferetis: holocausta & hostias, ac decimas & primitias manuum vestrarum. Cave ne offeras holocaustum in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum.* Quod ideo ita præceptum est, quia sicut ante adventum Salvatoris in hereditatem de tribu Juda civitas Hierusalem sita fuisse perhibetur, in qua erat templum Dei & altare, & mensa atque candelabrum, & cetera vasa, in qua omnis cultura Domini ritè celebrabatur, non in alia qualibet tribu: ita & nunc sancta Ecclesia in illis tantummodo est, in quibus vera est confessio fidei, & in quibus unitas pacis, & vinculum Karitatis indissolubiliter retinetur. Extra hanc namque sunt omnia hæreticorum conciliabula quasi diversæ tribus, quas illi falso nomine ecclesias appellant: in quibus nec remissio peccatorum consequitur, nec ullum sacrificium Deo acceptum esse potest. Sancta verò Ecclesia quæ propter fœdus pacis rectè Hierusalem, id est visio pacis appellatur, non in alia tribu, ut dictum est, sed in tribu Juda quæ interpretatur Confessio, jubente Domino, ædificata esse perhibetur. Hujus civitatis, id est sanctæ Ecclesiæ spiritaliter portæ sunt, fides & apostolorum prædicatio, seu virtutes electorum; feræ, doctores; fundamentum, Christus Dominus & apostoli ejus; murus, congregatio sanctorum, seu ipse Dominus atque fides; propugnacula, testimonia sanctarum scripturarum, & exempla præcedentium patrum;

A turres, apostoli & ceteri prædicatores; plateæ, corda sanctorum lata per Karitatem, & lucida per puritatem; suburbana ejus, universi credentes in circuitu hujus mundi diffusi.

CAPUT XXXVIII.

De nomine Israhel & Jacob quod generaliter in duos populos, hoc est Judæos atque Christianos, sive electos & reprobos sæpè dividitur.

De carnali populo Jacob Moyses in Deuteronomio ait: *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus: invenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.* Et paulò post de eodem populo: *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* De Jacob verò sive Israhel, populo videlicet electo, idem Moyses in benedictionibus suis rursùm ait: *Ejiciet à facie tua inimicum, dicetque: convertere, habitabit Israhel confidenter & solus. Oculus Jacob in terra frumenti & vini, calique dabunt rorem. Beatus Israhel, quis similis tui, popule, qui salvaris?* De Israhel carnale, id est de Judæis Isaïas clamat: *Israhel non cognovit, populus meus non intellexit.* Et iterum ibi: *Si fuerit populus tuus Israhel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.* De populo verò electo ex gentibus per totum orbem terrarum diffuso per eumdem prophetam Dominus pollicens ait: *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi, qui ingrediuntur impetu ab Jacob. Florebit & germinabit Israhel, & implebit faciem orbis semine.* Hinc demum de populo Judæorum præfatus propheta ait: *Non modò confundetur Jacob, nec modò vultus erubescet.* Et rursùm ad ipsos Judæos: *Convertimini sicut profundam recesseratis, filii Israhel.* Et iterum ibi: *Non me invocasti, Jacob; nec laborasti in me Israhel; non obtulisti mihi arietes holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me.* Ad populum verò electum, quem per fidem & lavacrum regenerationis ab omni sorde peccati mundavit per sæpe dictum prophetam Dominus ait: *Memento horum, Jacob & Israhel, quoniam servus meus es tu. Formavi te: servus meus es tu Israhel, non oblivisceris mei: delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.* Et infrà: *Audite me, domus Jacob, qui vocamini nomine Israhel, & de aquis Juda existis, qui jurastis in nomine Domini & Dei Israhel.* Quæ omnia non de populo carnali Israhel, sed de Christianis fidelibus veraciter accipiendum est, qui de aquis Juda, hoc est de lavacro regenerationis exierunt: in quo lavacro Deum confessi sunt, & in nomine Domini juraverunt, dum ei fidem suam atque obedientiam promittentes spoponderunt. De quo populo electo per novum Testamentum, Domino pollicente, per Jheremiam prophetam prædictum est: *Audite verbum Domini gentes, & annuntiate in insulis quæ procul sunt, & dicite: Qui dispersit Israhel congregabit eum, & custodivit eum sicut pastor gregem suum. Redemit enim*

Margin references (right column, in order): Deut. 32. 9. — Ibid. 15. — Ibid. 33. 27. — Isa. 1. 3. — Ibid. 10. 22. — Ibid. 27. — Ibid. 29. 22. — Ibid. 31. 6. — Isa. 43. 22 — Isa. 44. 21. — Ibid. 46. 3. — Jer. 31. 10. — section letters B, C, D, E.

Dominus Jacob, & liberavit eum de manu potentioris, id est de potestate diaboli. Priorem quidem populum Israhel Dominus de Ægypto non redemit, sed tantùm eduxit: Israhel verò spiritalem, hoc est populum Christianum de tenebris hujus mundi velut ex Ægypto & de dominatione diaboli, quasi de imperio Pharaonis non solùm liberavit, sed & pretio sanguinis sui redemit. De quo populo Christiano ex cunctis gentibus assumto rursùm Dominus per eumdem
Je. 31. 1. prophetam Jheremiam promittens ait: *In diebus illis ero Deus universis cognationibus Israhel.* De populo verò Judæorum & impietate ipsorum, quam adversus Dominum gesserunt, ipse Dominus per Osee prophetam comminans
Ose. 12. 2. ait: *Judicium ergo Domini cum Juda, & visitatio super Jacob, juxta vias ejus & juxta adinventiones ejus reddet ei: in utero subplantavit fratrem suum*, id est Christum, qui ex eodem populo secundùm carnem nasci dignatus est.
Ose. 8. 3. Item ibi: *Projecit Israhel bonum*, id est Christum: *inimicus persequetur eum*, id est diabolus. Ad populum verò electum per prædictum pro-
Ose 14. 2. phetam Dominus clamat: *Convertere Israhel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba & convertimini ad Dominum, & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus tibi vitulos labiorum nostrorum.* Quæ omnia ad populum electum ex Judæis & gentibus credentem Dominus loquitur, qui cum verba confessionis suæ ad Dominum conversus venit, & usque in finem mundi venire non desinit. Sciendum verò est quod tam Jacob quàm etiam Israhel, ut superiùs præmissum est, aliquando in bonum, aliquando verò accipitur in malum. Aliquando enim Jacob, ut sæpe dictum est, populum significat Judæorum, pro eo quòd de stirpe Jacob patriarchæ descenderit, vel pro eo quòd Christum Dominum velut fratrem suum idem populus in passione supplantaverit. Aliquando verò Jacob & Israhel Redemtorem nostrum ob hoc quod ex ipsa plebe secundùm carnem nasci dignatus est divinus sermo appellat. Crebrò verò Israhel & Jacob populum vocat electum per fidem, Deum videntem, & vitiorum supplantatorem ex utraque plebe, hoc est ex circumcisione & præputio assumtum. Vocantur & hæretici nonnumquam Israhel, ob hoc quod in primordio conversionis suæ per fidem Deum cognoscunt. Dicuntur autem iidem hæretici & Jacob, pro eo quod fideles Ecclesiæ velut fratrem suum callidè supplantare nituntur. Quod nomen, hoc est Israhel & Jacob interdum & in aliis Christianis propter confessionem fidei consonat.

CAPUT XXXIX.

De nomine Judæ quod bifariè in divinis libris accipitur, id est modò in bonam partem, modò verò in malam.

Aliquando enim laudatur, aliquando vituperatur. Laudatur quippe in persona electæ Ecclesiæ, in qua vera est confessio fidei: de qua Ecclesia electa Moyses in Deuteronomio Dominum deprecans ait: *Exaudi, Domine, vocem Judæ*, hoc est Ecclesiæ confessionem, *& ad populum suum introduc eum.* De qua Ecclesia electorum Dominus per Johelem prophetam de futuro promittens ait: *Et Juda in æternum habitabitur, & Israhel in generatione & generationem.* Ad quam Ecclesiam rursùm Dominus per Nahum prophetam exorsus ait: *Celebra Juda festivitates tuas, & redde Domino vota tua*, & alia his similia plurima, quæ in libris legis & prophetarum sub nomine Judæ de laude Ecclesiæ scripta continentur. Aliquando verò Juda in persona Judaïcæ plebis crebrò vituperatur, ut est illud in Jheremia propheta: *Prævaricatione prævaricata est in me domus Israhel & domus Juda, dicit Dominus: negaverunt Dominum, & dixerunt: non est ipse.* De quibus Judæis in Amos propheta rursùm scriptum est: *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Juda, & super quatuor non convertam eum, eo quod abjecerunt legem Domini*, & multa alia hujusmodi similia, quæ in detestatione Judæorum in nomine Judæ scripta sunt. Similiter & Judæi aliquando sumuntur in bonam partem propter electos Christianos catholicam fidem rectè confitentes, quia Judæi confessores dicuntur: de quibus in Evangelio scriptum est: JHESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Aliquando verò accipiuntur in malam partem propter Judæos carnales atque incredulos, de quibus Dominus in Apocalypsi ait: *Qui se dicunt Judæos esse & non sunt, sed sunt synagoga satanæ.* Quod nomen falsum Judæorum tropologicè & ad hæreticos seu pravos Christianos congruit. Sciendum verò est quòd nonnumquam nomen Judæ & Redemtori nostro scribitur, ob id quòd ex eadem tribu secundùm carnem ortus est, ut est illud in Genesis: *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui*, hoc est omnes electi. Et in Osee propheta de ipso Domino: *Judas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelibus.*

(Margin notes: Deut. 33. 7. — Johel. 3. 20. — Nah. 1. 15. — Jer. 5. 11. — Amos 2. 6. — Joan. 19. 19. — Apoc. 2. 9. — Gen. 49. 8. — Ose. 11. 12.)

CAPUT XL.

De nomine Ruben quod similiter laudatur & vituperatur.

Laudatur quippe in persona electorum, eorum videlicet qui ex circumcisione in Christum crediderunt, vel adhuc credituri sunt: de quibus Moyses in Deuteronomio ait: *Vivat Ruben, non moriatur, & sit parvus in numero.* Quod non utique de Ruben patriarcha qui jam obierat, sed de populo Judæorum in Christo credentium prædixit. Vituperatur autem sub nomine Ruben populus Judæorum infidelis, qui non solùm in Christum Dominum credere noluit, verùm etiam usque ad mortem eum persecutus est. Quos Jacob patriarcha in prophetia sua sub nomine Ru-

(Margin note: Deut. 33. 6.)

Gen. 49. 3. ben redarguens ait: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.* Quæ omnia ad primitivum populum Judæorum allegoricè rectè conveniunt. Rursùm per Ruben & Gad atque dimidiam tribum Manassen significat populum electum ex Judæis, qui ante adventum Salvatoris nostri, priusquàm baptismi gratia revelaretur, quasi ultra Jordanem per legem velut per Moysen hereditatem sanctorum consequuti sunt: ex quibus tribubus illa xl. millia armatorum, quæ populum Israheliticum in terra B repromissionis præliando præcesserunt, formam gestasse sanctorum patriarcharum & prophetarum non dubium est. Qui ex eodem populo Judæorum electis fidelibus nunc in Ecclesia per libros suos adversùs perfidiam Judæorum, seu hæreticorum mendacia, vel contra quoslibet adversarios fidei opitulantur: ex quorum libris dum viri ecclesiastici adversùs præfatos inimicos in defensionem fidei testimonia sumunt, quasi ipsi sancti prophetæ ante illos armati incedunt, & eorum hostes verbo vel exemplo debellant.

CAPUT XLI.

De nomine Levi quod duobus modis in divinis libris sæpè accipitur, id est modò in bonum, modò verò in malum. In bonum videlicet propter electos, in malum verò propter reprobos.

Levi quippe qui interpretatur Assumtus, aliquando sub una significatione innuit Dominum Redemtorem nostrum & sanctos apostolos, atque ceteros prædicatores ministros verbi Dei præsentem mundum funditùs re- D nuntiantes: de quibus Moyses in Deuterono-
Deut. 33. 8. mio: *Levi quoque*, ait, *perfectio tua, & doctrina tua à viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & judicasti ad aquas contradictionis, qui dixit patri suo & matri suæ: nescio vos; & fratribus: ignoro illos; & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum & præceptum: servaverunt judicia tua, ô Jacob; & legem tuam, ô Israhel. Ponent thimiama in furore tuo, & holocaustum tuum super altare tuum. Benedic, Domine, fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe: Percute dorsa inimicorum ejus, Domine, & qui oderunt eum non consurgant.* E Quæ omnia mysticè tam ad ipsum caput Ecclesiæ, hoc est Redemtorem nostrum, quàm etiam ad omnes perfectos, qui sunt membra ejus, rectè conveniunt. De quo Redemtore nostro & sanctis apostolis sub nomine Levi per Malachiam prophetam Dominus loquens ait:
Mal. 2. 4. *Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorem meum, & timuit me, & à facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus.*

A Quod LXX. interpretes plurali loquutione de apostolis transferentes dixerunt: *Ut esset pactum meum cum Levitis, pactum meum fuit cum vita & pace*, Redemtore videlicet nostro. Sciendum tamen est quod nomen Levi Redemtori nostro non secundùm formam deïtatis, sed secundùm formam servi, in qua assumtus est à Verbo, mysticè convenit: cujus spiritaliter filii appellantur omnes electi, id est filii Levi. Dicuntur autem & Levitæ ministri altaris., id est diaconi, similiter & mysticè omnes monachi perfecti mundo renuntiantes. In malam verò partem per Simeon & Levi prænuntiati sunt Scribæ & Pharisæi Judæorum qui Christum Dominum nostrum usque ad mortem persequuti sunt: de quibus Jacob patriarcha in prophetia sua prævidens ait: *Symeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia: in consilio eorum ne veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Quod verò addidit: *Dividam illos in Jacob, & dispergam illos in Israhel*, hoc mysticè prætendit, quod ex populo Judæorum alii crederent in Christum, C & appellarentur Israhel, id est videntes Deum: alii verò non crederent & viderentur in Jacob, hoc est in populum carnalem ac reprobum. Gen. 49. 5. Ibid. 7.

CAPUT XLII.

De nomine Zabulon & Issachar, quod utrumque spiritaliter accipiendum est.

Zabulon qui interpretatur Habitaculum pulcritudinis, de quo Jacob in prophetia sua futura prævidens dixit: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium pertingens usque ad Sidonem*, significat sanctam Ecclesiam secùs fluctus hujus sæculi velut in littore maris habitantem, & ad portum quietis tendentem, atque periclitantes animas de naufragio hujus mundi velut de mare evadentes in portum fidei suscipientem. Per Sydonem verò significat populum gentium, ad quem Ecclesia crescendo pervenit. Per Isachar verò qui interpretatur Mercès, de quo Jacob ait: *Isachar asinus fortis accubans in termino vidit requiem, quòd esset bona, & terram quòd optima, & subposuit humerum suum ad portandum, factusque tributarius serviens in Israhel*, figurat populum fidelem in termino hujus vitæ & futuri sæculi degentem, præsentia videlicet obliviscentem, & ad futura se extendentem: qui ob hoc quod de oculis fidei credendo videt supernam requiem quòd esset bona, & terra viventium quòd optima, subposuit humerum suum ad portandum, jugum scilicet Christi, & fidei suæ opera Christo velut tributa persolvens. In id verò quòd Moyses in Deuteronomio de utrisque tribubus in benedictione sua ait: *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis, populos ad montem vocabunt:* Gen. 49. 13. Gen. 49. 14. Deut. 33. 18.

ibi immolabunt victimas justitiæ, qui inundatione maris velut lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. Sanctorum apostolorum & evangelistarum mysticè figuram liniavit, qui de mundo sive de populo Judæorum incredulo egredientes in Ecclesiis gentium velut in tabernaculis suis commorati sunt, atque credentes ad montem qui est Christus convocantes. In quo monte, hoc est in altitudine fidei ejus victimas justitiæ immolati sunt. Hi enim sunt qui inundatione maris, multitudinem videlicet credentium ex gentibus quasi lac sugent, dum eorum conversione delectati sunt. Hi sunt qui inter innumerabilem infidelium multitudinem, B velut inter arenam, thesauros absconditos, animas scilicet fidelium tempore prædicationis suæ reperientes gavisi sunt. Quod autem per Isachar sanctos significet prædicatores, liber Paralipo-
1. Par. 12. 32. menon demonstrat dicens: *De filiis quoque Isachar viri eruditi, qui noverunt singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israhel principes CC. omnis autem reliqua tribus consilium sequebatur.*

CAPUT XLIII.

De nomine Dan, & ipsum bifariè in divina scriptura positum legitur.

DAn quippe ob hoc quod Judicium vel Judicans interpretatur, nonnumquam significat Redemtorem nostrum, cui Pater omne judicium dedit: de quo Moyses in Deute-
Deut. 33. 22. ronomio mysticè loquens ait: *Dan catulus leonis fluet largiter de Basan.* Aliquando verò per Dan significantur sancti prædicatores, præsules Ecclesiæ, doctores populi, quibus Veritas
Matth. 18. 18. ait: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis:* Et iterùm:
Joan. 20. 23. *Accipite Spiritum-sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt.* Ex quorum persona beatus Pau-
1. Cor. 6. 3. lus apostolus ait: *Nescitis quia angelos judicabimus: quantò magis sæcularia?* De quibus Jacob patriarcha typicè in benedictione sua sub
Gen. 49. 16. nomine Dan ait: *Dan judicabit populum suum sicut & alia tribus in Israhel.* Quod autem addidit: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, ut mordeat ungulas equi, & cadat adscensor ejus retrò*, tropologicè ad hæreticos referenda sunt, qui velut coluber ore pestifero in corda miserorum mendacii sui venena diffundunt, atque electos hujus mundi velut equum occultè mordendo subplantant, atque inreparabiliter in æterna morte præcipitant. Nonnulli verò hoc super personam antichristi accipiunt. Quod autem per Dan ecclesiasticos viros plerumque significet sacra scriptura, in libro Judicum, dum transacta narrare videtur, futura mysticè signat. Scriptum est enim in eodem libro secundùm veterem
Jud. 1. 34. editionem: *Et angustavit Amorræus filios Dan in monte, quia non permisit eos descendere in valle, & cœpit habitare in monte mirteti, ubi ursi & vulpes erant in mirteto & salabin.* Per filios quippe Dan, ut dictum est, viros ecclesiasticos: per Amorræum verò hæreticos exprimit, qui nonnumquam ita adversùs doctores catholicos fulti auctoritate regum hujus sæculi prævalent & coartant, ut eis prædicandi licentia nequaquam concedatur. Sicut enim per vulpes hæreticos signat, ita & per ursos principes sæculi hujus, quibus dum hæretici favent, eos in auxilium nequitiæ suæ adversus catholicos adsumunt.

CAPUT XLIV.

De nomine Gad & Aser atque Neptalim.

GAd qui interpretatur Accinctus, de quo Jacob in prophetia sua ait: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.*, Christi liniat personam, qui in virtute Genes. 49. 19. divinitatis accinctus in primo adventu suo antichristi sævitiam præveniens, cum diabolo præliatus est, quem non potentia sed per justitiam vicit ac perculit. Qui rursùm in secundo C adventu de cælo in finem mundi repentè quasi retro adveniens, diabolum pariter & antichristum, atque omnes adhærentes eis judicii sui severitate puniturus est. De quo Christo Domino nostro sub nomine Gad Moyses in Deuteronomio sub sacramento benedictionis
ait: *Benedictus ille in latitudine sua Gad*, hoc Deut. 33. 20.
est idem Christus Dominus in multitudine gentium dilatatus *Quasi leo*, inquit, *requievit*, id est in morte securus. *Cœpit brachium & vidit principatum suum*, hoc est resurgens à mortuis ascendit in cælum, subjectis sibi angelis & potestatibus & virtutibus. *Quod in parte sua*, D ait, *doctor esset repositus*, id est in Ecclesia, quæ est pars ejus, per prædicatores suos usque in finem mundi populum suum docere non definit: ipse verò cælo receptus ad faciendum judicium in finem mundi venturus sustinetur. *Qui fuit*, inquit, *cum principibus populi sui, & fecit justitias Domini, & judicium suum cum Israhel*, id est ipse Christus Dominus, qui fuit cum apostolis suis & fecit justitias Domini, dum credentes non ex operibus legis, sed per fidem suam justificavit.

Aser quoque, qui in latinum sonat Beatus sive Felix, ejusdem Redemtoris nostri expri- E mit imaginem: de quo Jacob in prophetia sua
ait, *Aser pinguis panis ejus, & præbebit delitias* Gen. 49. 20.
regibus. Quod quis est alius, cui ista rectè conveniunt, nisi ipsi Christo Domino, cujus panis, hoc est evangelica prædicatio pinguis esse perhibetur; sive quia ipse est panis vivus qui de cælo descendit, & dat vitam mundo? Ipse namque per gratiam Spiritus sancti regibus, sanctis videlicet & prædicatoribus, dum diversa bona tribuit, quasi delitias regibus præbuit. De quo Redemtore nostro Moyses in Deuteronomio adæquè sub nomine Aser ait: *Bene-* Deut. 33. 24.
dictus in filiis Aser, hoc est ipse Christus in fi-

delibus suis, qui per lavacrum regenerationis A recte filii ejus appellantur. *Sit*, inquit, *placens fratribus suis*, sanctis videlicet apostolis, & ceteris electis suis. *Tinget*, ait, *in oleo pedem suum*, hoc est hominem assumtum à Verbo actione Spiritus-sancti, sicut est illud in Isaia: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.* Pes enim ejusdem Domini Incarnatio ejus accipitur. Iterum ibi de ipso & Ecclesia ejus: *Ferrum*, ait, *& æs calciamentum ejus*, per quod significatur virtus & tolerantia sanctorum, sive acumen prædicationis & constantia electorum. Et addidit: *Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectutis tuæ.* Quod quid est aliud, nisi quia ipse est verè α. & ω. principium & finis? vel certè sicut in die juventutis inchoatio sanctorum, ita in die senectutis eorum perfectio exprimitur.

Deut. 33. 25.

Neptalim autem, qui interpretatur Dilatatio, significat sanctos prædicatores, apostolos videlicet & evangelistas, sive ceteros Ecclesiæ doctores: de quibus Jacob sub nomine Neptalim in prophetia sua ait: *Neptalim cervus emissus, & dans eloquia pulcritudinis.* Ipsis namque, id est apostolis, ait Veritas: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et iterum: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Ipsi nihilominus fuere, qui per evangelicam prædicationem eloquia pulcritudinis velut vitis frondosa diffuderunt. De quibus sanctis prædicatoribus rursùm Moyses ait in benedictione sua: *Neptalim abundantia perfruetur, & plenus erit benedictione Domini*, id est dono Spiritus sancti, per quod abundantia sapientiæ & scientiæ repleti spiritalibus bonis perfruuntur. Hi enim, hoc est sancti apostoli, ut plerique sentiunt, prænuntiati sunt in psalmo, ubi scriptum legitur: *Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Neptalim.*

Gen. 49. 21. Joan. 20. 21. Matth. 10. 16. Deut. 33. 23. Psal. 67. 28.

CAPUT XLV.

De nomine Joseph quod secundùm mutationem temporum vel rerum aliter atque aliter mysticè accipitur.

JOseph aliquando in persona Salvatoris accipitur, ut est illud in benedictione Jacob, in qua ait: *Filius adcrescens Joseph, filius adcrescens & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperaverunt eum & jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula*, & cetera quæ sequuntur. Quæ omnia, ut dictum est, allegoricè ad Redemtorem nostrum pertinere non dubium est. De quo iterum in benedictione sua Moyses in libro Deuteronomii sub nomine Joseph exorsus ait: *Joseph quoque*, ait, *de benedictione Domini terra ejus, de pomis cælorum & rore atque abysso subjacente: de pomis fructuum solis ac lunæ*, & reliqua quæ sequuntur. Quæ cuncta ad Redemtorem nostrum & sanctam Ecclesiam, quæ est corpus ejus, mysticè convenire noscuntur. Rursùm Jacob significat populum electum ex gentibus ad Christum Dominum pertinentem: de quo in libro Ezechielis prophetæ scriptum est: *Et tu, fili hominis, sume tibi lignum, & scribe super eo Judam & filios Israhel socios ejus. Et tolle lignum alterum, & scribe super illud Joseph, lignum Ephraïm & cunctæ domus Israhel, sociorumque ejus, & adjunge illa unum ad alterum tibi in lignum unum, & erunt in unione in manu tua.* Igitur sicut per Judam & socios ejus significat primitivam Ecclesiam, quæ ex circumcisione credidit, ita per Joseph & socios ejus populum exprimit gentium cum capite suo qui est Christus, per mysterium crucis ejus in unitatem fidei concordantes, sicut ait Apostolus de Christo Domino: *Pacificavit omnia per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt.* Et alibi: *Ipse est*, ait, *pax nostra qui fecit utraque unum.* De populo quoque electo qui per fidem Christi de tenebris hujus mundi ereptus est, sub nomine Joseph in Psalmo scriptum est: *Testimonium in Joseph posuit illud, cùm exiret de terra Ægypti: linguam quam non noverat audivit*, hoc est legem Dei, quam nesciebat, per sanctos prædicatores audivit.

Gen. 49. 22. Deut. 33. 13. Ezech. 37. 16. Colos. 1. 20. Eph. 2. 14. Psal. 80. 6.

Rursum sub nomine Joseph interdum significantur Judæi atque hæretici: de quibus in psalmo scriptum est: *Et repulit tabernaculum Joseph & tribum Ephrem non elegit.* Item per Joseph & Ephraïm retro olim fuit Jeroboam rex ille profanus, qui filios Israhel à domo David separavit, & ad colenda idola, quæ ipse fabricatus fuerat, compulit; sicuti & hæretici à Christi Ecclesia fideles quos possunt dividunt, atque in similitudine idololatriæ prævaricatores faciunt. Aliquando verò Ephraïm bonam in partem significat populum gentium populo Judæorum in novo Testamento prælatum. De quo Dominus per Jheremiam prophetam. *Et Ephraïm*, inquit, *primogenitus meus est.* Et de quo in Osee: *Ephraïm*, ait, *quid mihi ultra idola? ego exaudiam, & dirigam illum ego ut abietem virentem, ex me fructus ejus inventus est.* Et in psalmo Ecclesia: *Et Ephraïm fortitudo capitis mei.* Aliàs verò per Ephraïm scribas & pharisæos atque populum Judæorum crebro significat. Manasses verò primogenitus Joseph qui interpretatur Obliviscens sive Oblitus, figuraliter significat populum Judæorum primitivum in lege. Ex quo populo illi qui in Christum credere noluerunt, vel nunc nolunt, à creatore suo recedentes, verum Deum obliti sunt, dum ejus notitiam per diffidentiam suam possederunt. Rursùm per Manassen significatur populus gentium qui ante adventum Salvatoris per idolorum culturam atque ignorantiam suam peccando à Deo alienus effectus, & ipse creatorem suum velut oblitus fuerat, quia ejus notitiam nequaquam habebat, & Deus quasi illum oblitus fuerat, dum ei misertus non erat. Sed adventum suum in carne & ipse Dominus quasi recordatus illi est, dum eum per misericordiam suam visitare, illuminare dignatus est, & idem populus gentium per gratiam Redemtoris sui illuminatus ad eumdem Redemtorem atque creatorem suum à

Psal. 77. 67. Jer. 31. 9. Osee. 14. 9. Psal. 59. 9.

à quo peccando recesserat, credendo & diligendo rediit. De quo populo gentium psalmographus ex persona Ecclesiæ canit: *Meus est Galaad, meus est Manasses, & Ephraïm fortitudo capitis mei.* Psal. 59. 9.

CAPUT XLVI.

De nomine Benjamin quod aliquando in bonam partem, aliquando verò in malam poni solitum est.

Igitur Benjamin aliquando, ut dictum est, accipitur in bonam partem propter beatum Paulum apostolum, qui ex ipsa tribu ortus est: de quo Moyses in Deuteronomio figuraliter loquens ait: *Benjamin amantissimus Domini, habitabit confidenter, in eo quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Et de quo Jacob in Genesi ait: *Benjamin, lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere dividet spolia.* Et in psalmo: *Ibi Benjamin adulescentior in pavore:* cujus figuram Benjamin ille patriarcha linivit in eo quod novissimus ad Joseph à fratribus suis perductus est, sicut & præfatus apostolus Paulus post omnes discipulos novissimus credidit in Christo. Significatur & per Benjamin in bonam partem populus electus ex Judæis, qui dudum in Christo credidit, vel adhuc crediturus est, & domui Judæ, hoc est Christi Ecclesiæ per unitatem fidei sociatus est, vel sociandus erit. (Deut. 33. 12. — Gen. 49. 27. — Ps. 67. 28.)

Aliquando autem Benjamin accipitur in malam partem, in persona videlicet Judæorum credere nolentium: unde & ipse Benjamin binomius est: primùm scilicet Benonin, quod est filius doloris mei, in typo videlicet, ut dictum est, reproborum Judæorum, sive in figura apostoli Pauli, qui priusquàm crederet, dolor extitit matri, hoc est Ecclesiæ, quam persequebatur. Secundò verò mutato nomine, à patre vocatus est Benjamin, id est filius dexteræ, scilicet propter electos ex ipsa plebe Judæorum, sive, ut sæpe dictum est, propter beatum Paulum apostolum qui ex persequutore factus est egregius prædicator: vel certè, ut plerique volunt, matrem hujus Benjamin, quæ ob difficultatem partus moriens eumdem filium suum Benonin, id est filium doloris maluit appellare, significat Synagogam Judæorum, cui idem beatus Paulus apostolus, vel ceteri ex ipsa electi quasi occasio mortis extiterint matri, quia postquàm illi in Christo Domino credentes per fidem renati vixerunt; ipsa, hoc est synagoga Judæorum, in eos qui credere noluerunt, in impietate sua mortua est.

Sciendum verò est quòd omnes fideles tam ex Judæis, quàm etiam ex gentibus, qui per fidem sanctæ Trinitatis ex quatuor mundi partibus intra ecclesiam per apostolorum & evangelistarum prædicationem dudum collecti sunt, vel nunc colliguntur, & usque in finem mundi colligendi sunt, tam doctores quàm auditores propter mysterium fidei & actuum bonorum operum sub numero duodecim tribuum censentur. Ternarius namque numerus pertinet ad fidem propter confessionem Patris & Filii & Spiritus-sancti; quaternarius verò convenit ad opus bonum ob quatuor principales virtutes, prudentiam videlicet atque justitiam, temperantiam, & fortitudinem. Qui numerus, ternarius videlicet & quaternarius alius per alium ductus duodenarium implet, ter enim quatuor duodecim fiunt, similiter quater tria duodecim implent: propter quod sacramentum duodecim apostoli electi dicuntur, cùm sint cum beato Paulo apostolo tredecim. Similiter & omnis populus electus ab eodem sacramento in duodecim tribus spiritaliter distinguntur, cùm sint in populo Judæorum juxta litteram cum tribu Levi tredecim. Sed ut supra dictum est, propter ternarium numerum qui pertinet ad Trinitatem, Deum creatorem omnium & confessionem ejusdem sanctæ Trinitatis, & quaternarium qui pertinet ad creaturam rationabilem, id est homines, de quatuor mundi partibus collectos, sive propter quatuor principales virtutes & ejusdem numeri mundi elementa, ex quibus eadem humana creatura secundùm corpus subsistit, in duodenario numero cuncta colliguntur.

CAPUT XLVII.

De eo quod Dominus noster JHESUS-CHRISTUS *Dei Filius ob id quod secundùm carnem de genere David nasci dignatus est, nunc David, nunc verò Filius ejus nuncupatur.*

Redemtor quippe noster, ut dictum est, aliquando David appellatur; de quo Psalmista cecinit dicens: *Faciens misericordiam Christo suo David & semini ejus usque in sæculum.* Semen ejus fideles Christianos appellat in ipso per baptismum renatos. Et alibi: *Et sustulit David servum suum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum pascere Jacob populum suum & Israhel hereditatem suam; & pavit eos sine malitia cordis sui, & in sensu manuum suarum deduxit eos.* Et alibi: *Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Et infrà de ipso: *Ipse invocabit me, pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ: & ego primogenitum ponam illum, & excelsum præ regibus terræ.* De quo Pater per Isaïam prophetam populo fideli pollicens ait: *Et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, præceptorem gentibus.* De quo rursùm per Jeremiam prophetam Deus Pater effatus est dicens: *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram jugum ejus de collo tuo, & vincula illius disrumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Domino Deo suo, & David regi suo quem suscitabo eis.* Per Ezechielem quoque prophetam omnipotens Deus de ipso Redemtore nostro secundùm formam servi sub nomine David spondens ait: *Et sus-* (Psal. 17. 51. — Ps. 77. 70. — Ps. 88. 20. — Ibid. 27. — Isa. 55. 3. — Jer. 30. 8. — Ezech. 34. 23.)

citabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum. A
Ezech. 37. 24. Et paulò post de futura beatitudine: *Et mundabo eos*, inquit, *& erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum, & habitabunt super terram quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri: & habitabunt super eam ipsi & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in sempiternum: & David servus meus princeps eorum in perpetuum.* Quod non de terrena Jherusalem, neque de terrena provincia Judæorum, sed de cælesti Jherusalem, quæ est vera & superna patria electorum, credendum & sperandum est. In ea namque sancti patriarchæ olim per fidem quamdiu peregrinati sunt in mundo habitaverunt. Per Osee etiam prophetam Dominus de conversione Judæorum B
Ose 3. 5. in finem mundi pollicens ait: *Et post hæc revertentur filii Israhel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum: & pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus in novissimo dierum.* Quod autem idem Salvator noster secundùm carnem filius David sit, testis est sacra scriptura quæ in libro Regum hoc affirmat, dicente Domino per Nathan prophetam ad David regem: C
2. Reg. 7. 12. *Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus.*
Ibid. 14. Et infrà: *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.*
Ps. 131. 11. Et in psalmo: *Juravit Dominus David & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* De quo etiam per Jheremiam prophetam Deus Pater pollicens ait:
Jer. 23. 5. *In diebus illis & in tempore illo florere faciam David germen justitiæ, & faciet judicium & justitiam super terram.*
Ibid. 33. 17. Et rursùm ibi: *Quia hæc dicit Dominus: non interibit de David vir qui sedeat super thronum domus Israhel.* Ipse quoque Salvator Judæos de semetipso sciscitans ait: D
Matth. 22. 42. *Quid vobis videtur de Christo, cujus sit filius?* at illi respondentes dixerunt: *David.* De quo etiam Mathæus evangelista in exordio Evangelii sui exorsus est dicens:
Matth. 1. 1. *Liber generationis* JHESU CHRISTI *filii David, filii Abraham.* Item ibi: JHESU *fili David miserere nobis.* Beatus quoque Paulus apostolus in epistola secunda ad Timotheum inter cetera ait:
2. Tim. 2. 8. *Memor esto* JHESUM CHRISTUM *resurrexisse à mortuis ex semine david secundùm evangelium meum.* Et in epistola ad Romanos idem apostolus de Deo E
Rom. 1. 2. Patre & Filio ejus loquens ait: *Quod ante*, inquit, *promiserat per prophetas suos in scriptuis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Ideo autem Dominus & Salvator noster David appellatur: quia nomine parentis sui secundùm carnem vocari dignatus est, vel quia manu fortis sive desiderabilis interpretatur. Filius itaque David veraciter dicitur, quia ex MARIA Virgine quæ fuit de genere ejus secundùm carnem nasci dignatus est: in qua carne & filius David veraciter appellatur, & servus Patris nuncupatur: servus utique in forma servi, Filius verò per electionem & gratiam. Redemtor autem idemque noster in formam servi non solùm nomine David vocitari dignatus est, sed etiam & aliorum sanctorum patrum in divinis libris nominibus appellari voluit, sicut in Isaïa propheta nomine Jacob nuncupari dignatus est, pro eo quod mortis ac diaboli extitit supplantator. Sæpè verò Israhel est dictus, id est videns Deum. Nemo enim ex electis ita umquam Deum vidit vel videre potest, sicut ille in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat. Aliquando verò idem Redemtor noster sub nomine Judæ prænuntiatus est sicut in Genesi, & in Osee propheta pro eo quod Patri confessus ait: *Confiteor tibi, Domine Pater cæli & terræ.* Matth. 11. 25.
Aliquando autem Levi appellatur, id est assumtus à Verbo. De quo in Malachia propheta prædictum legitur. Interdum verò Joseph nuncupatur, quia per fidem in gentibus est auctus, hoc enim interpretatur Joseph. Nonnumquam autem & Salomon dicitur, id est Pacificus, sicut est in Cantico canticorum. Dictus est autem & Jhesus Sacerdos magnus, sicut habes in Zacharia: quia ipse est Salvator humani generis, & sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, filius Josedech, id est justi, cui ipse filius supplicans ait: *Pater juste, & mundus te non cognovit, ego autem te cognovi.* Joan. 17. 25.
Vocatur autem & sub nomine Zorobabel, sicut in Aggæo propheta, pro eo quod ipse est dux populi sui de tribu Juda. Prædictus verò est & sub nomine Eliachim qui interpretatur Deus surgens, sicut est in Isaïa propheta, per quem prophetam etiam sub nomine Cyri regis Persarum sæpe idem dictus est Redemtor noster. De quo in ejusdem prophetæ libro, pollicente patre, scriptum est: *Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet non in pretio neque in muneribus, dicit Dominus exercituum.* Isa. 45. 13.

CAPUT XLVIII.

De eo quod Judæi conjugia carnalia & procreationem filiorum virginibus & continentibus præferentes, omnes qui carnaliter liberos non procreant, sub maledicto esse falsa opinione astruunt, propter illud quod in Isaïa propheta scriptum est: *Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Jherusalem.* Quod illi non spiritaliter, sed carnaliter sentientes, hanc beatitudinem non in filios spiritales, sed in carnali fœcunditate fieri putant. Nesciunt enim quid sit semen spiritale & filii promissionis. Si verò, ut ipsi Judæi opinantur, quicumque carnaliter filios non generant, sub maledicto sunt; Multi prophetæ à conjugiis abstinuerunt.
quid dicturi sunt de Josue filio Nun successore Moysi, qui neque uxorem habuisse, neque filios procreasse uspiam legitur? quid de Helia propheta atque Heliseo qui neque conjugio usi sunt, neque filios procrearunt? quid de Danihel propheta & sociis ejus, Anania videlicet & Asaria

atque Misahele, qui celibem vitam retinentes virgines permanserunt? quid de Jheremia propheta, cui ipse Dominus præcepit dicens: *Et tu ne accipias uxorem, & non erunt tibi filii & filiæ in loco isto?* (Jer. 16. 2.) Numquid hi omnes tanti ac tales viri contra Domini præceptum fecerunt, quia neque conjugio usi sunt, neque carnales filios genuerunt. Si ergo magis conjugia carnalia & copia filiorum quàm virginitas vel continentia Deo placent, cur ipse Dominus per Isaïam prophetam Eunuchis virginibus pollicetur dicens: (Isa. 56. 4.) *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Et ipse Dominus per prædictum prophetam Eunuchis, id est virginibus, pollicetur, quod eis in cælesti patria locum, nomen melius, quàm eis qui filios carnaliter procreant donet. Isti verò, hoc est Judæi, aiunt sub maledicto esse qui carnaliter non generant. Nesciunt enim quid sit præmium castitatis apud Deum. De quibus virginibus in eodem propheta Isaïa secundùm LXX. interpretes scriptum est. *Hæc dicit Dominus spadonibus: quicumque custodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & retinebunt testamentum meum, dabo illis in domo mea & in muro meo locum nominatum melius filiorum & filiarum, nomen æternum dabo eis, & non deficiet.* Ante adventum quippe Salvatoris conjugia carnalia & filiorum procreatio Deo placuisse non dubium est: postquam verò idem auctor castitatis Virgo de Virgine prodiit, magis castitas quàm conjugia Deo placent. Quæ castitas, id est continentia, non solùm ab illis qui à nexu conjugii liberi sunt, custoditur: sed etiam & à fidelibus conjugatis intra Ecclesiam, [a] & si non semper, per intervalla temporum servatur. ([a] Continentia in conjugio.) Sancta enim Ecclesia ita recta idonea conjugia suscipit, ut tamen ea virginitati vel continentiæ dono non solùm non præferat, sed etiam non coæquat vel comparat. Rursùm sic ea quæ potiora sunt miratur atque veneratur, id est virginitatem & continentiam; ut tamen ea quæ minora sunt, hoc est conjugia, nullomodo condemnet. Sciendum tamen est quod virginitas Deo dicata pertineat ad coronam, conjugia verò idonea ad veniam, fornicationes autem & adulteria, seu ceteræ inlicitæ corruptiones atque inmunditiæ ad pœnam, nisi dignè satisfaciant, qui hoc scelus perpetrant.


CAPUT XLIX.

De activa vita atque contemplativa.

Duæ quippe sunt vitæ per quas omnes electi ad æternam beatitudinem perveniunt, Activa videlicet & contemplativa. Activa namque vita pertinet ad dilectionem proximi, contemplativa verò ad dilectionem Dei. Utraque

A enim ita sibi connexa est, ut una sine alia sufficere non valeat, quia nec dilectio proximi absque dilectione Dei quicquam prodest, neque dilectio Dei sine dilectione proximi perfectum efficere valet. Interim verò in hac vita plurimi, pauci verò in contemplativa proficiunt. Illi verò perfecti esse noscuntur, qui intra Ecclesiam tempore discreto, de activa vita ad contemplativam ascendere norunt, & de contemplativa ad activam per compassionem fraternam descendere sciunt. Activa actio si bene, ut decet, retineatur, sectatoribus suis vitam adquirit æternam. Contemplativa B autem non solùm vitam, sed & præmium accumulat. Ad activam itaque vitam pertinet honestum conjugium: ad contemplativam verò virginitas & continentia: & ideo de conjugio præceptum est: de virginitate verò & continentia non est præceptum, sed persuasio, sicut est illud in Apostolo ubi ait: *De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do.* (1. Cor. 7. 25.) Et Veritas in Evangelio: *Non omnes, inquit, capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* (Matth. 19. 11.) Et infrà: *Qui potest capere capiat.* (Ibid. 12.) Et per Isaïam prophetam Dominus de Eunuchis, id est virginibus pollicens ait: *Hæc dicit Dominus Eunuchis qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ* (Isa. 56. 4.) C *volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Ubi enim electio proponitur, optio procul dubio conceditur. Ad activam quippe vitam convenit unicuique fideli conjuge propria uti, alienam non concupiscere, in alteram quamlibet feminam, vivente uxore, corpus suum non dividere: ad contemplativam autem pertinet conjugium spernere, carnis commixtionem refugere, celebem vitam in hac mortalitate imitari, filios spiritales D non carne sed verbo atque exemplo generare. Ad activam quippe actionem congruit unicuique fideli intra Ecclesiam propriam substantiam possidere, & eam rationabiliter dispensare, alienam verò non concupiscere neque diripere aut fraudare: ad contemplativam autem congruit sua omnia funditus relinquere, & absolutum à mundi sollicitudinibus Deo vacare. Ad activam itaque vitam pertinet hoc quod Veritas cuidam adolescenti se interroganti primùm proposuit dicens: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi. Quæ?* (Matth. 19. 17.) JHESUS *autem dixit: non homicidium facies, non adulterabis,* E *non facies furtum, non falsum testimonium dices; honora patrem tuum & matrem, & diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ad contemplativam verò expedit hoc quod illi addidit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* (Ibid. 21.) Ad contemplativam igitur pertinet vitam hoc quod idem Redemtor noster solus nocte in monte orabat: ad activam autem quod in die turbis admixtus eis prædicabat, & eorum languidos curabat. Ad con-

[a] De continentia conjugatorum plura diximus in libro de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 9. art. 4. ubi discussimus dies & tempora quibus a mutuis amplexibus abstinere debebant.



templativam namque vitam convenit hoc quod A apostolus Paulus de semetipso & ceteris per-
2. Cor. 5. 13. fectis ait: *Sive mente excedimus, Deo*: ad activam verò illud quod addidit: *Sive sobrii sumus, vobis. Karitas enim Christi arguet nos.* Ad contemplativam vitam, per quam unusquisque perfectus potiores virtutes supra fundamentum fidei ædificat, pertinet illud quod idem
1. Cor. 3. 12. apostolus dicit: *Si quis autem ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos. Si cujus opus manserit quod superædificat, mercedem accipiet.* Ad activam verò refertur hoc quod addidit: *Ligna, fœnum, stipula*, id est terrenam substantiam & rei familiaris sol- B
Ibid. 15. licitudinem, de quo adjiciens ait: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Salvus, inquit, erit, non tamen mercedem accipiet dixit, sicut de illo qui aurum, argentum, & lapides pretiosos, hoc est spiritales divitias superædificat. Ignem autem hoc in loco tribulationes vitæ præsentis, per quas justi probantur, accipiendum est. Ad activam namque vitam pertinet pauperum curam gerere, esurientes pascere, nudos operire, infirmos, vel in carcere positos visitare, hospites colligere, mœstos consolari, mortuos sepelire, domesticos carnis suæ C non negligere, servis Dei obsequi, negotia populi justè discernere, & unicuique jus proprium adsignare, obpressis subvenire, imbecillem de manu violenti liberare, viduas ac pupillos tueri, improbis resistere, atque facinorosos per severitatem à malis actibus compescere. Quæ omnia & his similia in præsenti vita tantummodo necessaria sunt. Ad Theoreticam, id est contemplativam vitam pertinet præsens sæculum funditus relinquere, à mundi actibus alienus existere, cuncta præsentia mente postponere, intentionem ad cælestia extendere, & cuncta quæ videntur quasi D transacta despicere, cogitationem mentis non in ea quæ videntur, sed in illa quæ non videntur figere, lectioni vacare, orationi insistere, & in Dei laudibus absque intermissione vigilare. Ille verò, ut supra dictum est, strenuè vivit, qui tempore congruo de activa vita ad contemplativam consurgere scit, & de contemplativa ad activam conscendere novit. De qua activa, id est simplici actione, si paululùm quispiam ad infima declinaverit, confestim ad vitia corruet, quæ illum non sursùm levent, sed deorsùm in baratrum pecca- E torum demergant. Contemplativam namque vitam significavit spelunca illa interior in qua Abraham Saram conjugem suam defunctam sepelivit, & ipse humatus quiescit, sicut & omnes electos post excursum vitæ præsentis, quæ activæ vitæ comparatur, æterna contemplatio suscipit. Activam verò innuit in eadem spelunca pars exterior per quam transitur ad interiorem, quia sicut vitæ mundanæ activa vita monumentum, ita activæ vitæ contemplativa sepulcrum est. In illa enim homo, hoc est in activa, moritur omni peccato, sicut dicit Apos-
Rom. 13. 10. tolus: *Dilectio proximi malum non operatur.* In

ista verò, id est contemplativa, velut mortuus sepelitur ab omni actione sæcularium negotiorum. Ad contemplationis intentionem figuraliter convenit hoc quod Jacob perenniter usque in cælum scalam angelos Dei ascendentes vidit: ad actualem verò quod descendentes. De qua ascensione & descensione Veritas in evangelio ait: *Amen dico vobis, quia videbitis cælos apertos, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* Joan. 1. 51. Per angelos quippe Dei sanctos prædicatores, per Filium verò hominis universos fideles Ecclesiæ qui membra sunt Christi exprimit. Actualem quippe vitam, id est simplicem actionem mysticè significant sex anni in quibus Lex nobis præcepit agros nostros serere, & vineis culturam adhibere. Superiorem verò, hoc est contemplativam, figurat annus septimus, in quo jubemur à terreno opere cessare, agrum non serere, neque vineam putare, uti terram possessionis nostræ sabbatizare sabbata sua permittamus, hoc est qui dudum servivimus mundo, qui in sex diebus factus est, & ejus actibus occupati fueramus, tandem ad Dei servitium conversi, & à sollicitudine sæculi hujus & mundi honoribus liberi in Deum sabbatizare, idest mente quiescere valeamus. Ad activæ vitæ perseverantiam pertinet hoc quod animalia illa, per quæ significantur sancti prædicatores, in libro Ezechielis prophetæ ibant & non revertebantur: in eo autem quod ibant & revertebantur, pertinet ad contemplativæ vitæ mensuram, in quam dum quisque intendit, sua reverberatus infirmitate flectitur, atque iterum renovata intentione ad ea unde descenderat rursus erigitur, quod in activa vita fieri non potest. De qua si quisque reflectat vel ad modicum, statim vitiorum excipitur luxu. Superiorem vitam, id est intellectualem innuunt alæ eorumdem animalium, hoc est sanctorum virorum, per quas ad alta, id est ad cælestia sublevantur. Actualem verò designant manus eorum alis subterpositæ, ob hoc quia contemplatio semper eminet actioni, actio verò subsequitur contemplationi. Activam igitur vitam mysticè figurant sex cubiti in calamo illo ex quo propheta Ezechiel omne ædificium illud spiritale mensurare conspexit: Contemplativam verò exprimit palmus qui supra sex cubitos in eadem mensura spiritali additus esse perhibetur. Hoc ideo quia activa actio præsenti in vita habet perfectionem suam: contemplativa autem hic incipit, sed in futuro perficitur, & idcirco non plenum cubitum, sed quasi medium de futura contemplatione præsenti in vita adtingit. Contemplativa vita hic incipit sed perficitur in futuro. Activam vitam mysticè significavit Lia uxor Jacob, quæ licet fœcunda foret in prole, tamen lippis erat oculis, quia actualis actio quamvis in bonis operibus plurimos filios generet, tamen præ sollicitudine sæculi hujus ea quæ Dei sunt clarè cernere non valet. Contemplativam verò vitam liniavit Rachel, quæ sterilis in filiis fuisse perhibetur, sed tamen pulcra facie, quia contemplativa vita, in quantum mundi actibus libera, tan-

tum in Dei contemplatione perspicua fit. A Quam comparationem & de Fennena & Anna, & de Maria & Martha strenuus lector conjicere potest.

Sciendum verò est quod omnis conversus ad Deum prius per activam vitam, hoc est simplicem actionem, exhaurire debet pristina vitia, quæ se illi in via Dei opponunt, & sic demum ad contemplationem surgere, qualiter defæcatus ab omni fæce peccaminum, mundo corde & casto corpore ea quæ Dei sunt liberè valeat speculari. Nam qui per simplicem actionem ad bene operandum necdum idoneus est, nequaquam se ad contemplationem extendere debet: ne fortè dum indiscretè inchoare appetit quod per se beare non valet, lassus deficiat, & ad ea quæ renuntiavit rursus repedet, & fiant novissima hominis illius pejora prioribus. Hoc quippe significat quod Veritas universos infirmos mente ab hac intentione salubriter compescens ait: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te*, per quem signatur vita contemplativa, *erue eum, & projice abs te.* Duo quippe oculi in facie, activa vita & contemplativa in homine. Qui igitur per contemplationem docebit errorem, melius si evulso contemplationis oculo servans sibi unum vitæ actualis obtutum, ut sit utilius illi per simplicem actionem ire ad vitam, quàm per contemplationis errorem mitti in gehennam inextinguibilem. Hoc rursùm idem Dominus in eo quem à legione dæmonum curavit ostendit, cùm illum se sequi volentem prohibuit dicens: *Vade in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus:* hoc mysticè exprimens, quia qui multis vitiis adhuc obnoxius est, Deum sequi per contemplationem non potest. Hoc etiam lex figuraliter præcipit, cùm dixit: *Si quis ædificavit domum novam, & non dedicavit eam, vadat, & revertatur in domum suam*, & cetera. Id est qui adhuc per simplicem vitam neque se regere optimè novit, neque domui suæ præesse scit; ad spiritalem militiam, hoc est ad sacerdotale ministerium nequaquam conspirare debet, ne fortè per ignaviam mentis & vitam reprobam & ipse pereat, & ceteris se sequentibus exemplum perditionis relinquat. De talibus ait apostolus: *Qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Sciendum verò est quod activa actio ad obtinendam vitam, si rectè, ut decet, teneatur, absque contemplativa, id est absque rerum renuntiatione sibi sufficiat, & etiamsi cuncta quæ habet renuntiare non valet. Contemplativa autem quousque mortaliter vivimus, sine activa sese explicare non valet. Nemo quippe tam perfectè in hac vita in Dei contemplatione suspensus vivere potest, ut saltim propter carnis infirmitatem & fraternam compassionem ad terrenam actionem descendere illi necessarium non sit. Quamobrem activa vita hic habet inchoationem & finem. Contemplativa autem in hac vita incipit, sed in futuro perficitur. Et ideo non ante mortem carnis, sed post mortem ad id quod ardenter diligit pervenire potest.

Matth. 18. 9.

Luc. 8. 39.

Deut. 20. 5.

1. Tim. 3. 5.

CAPUT L.

De spiritali scientia sanctarum scripturarum, quam viri spiritales velut uxorem sibi in conjugio sumunt: dum eam incredibili amore amplectuntur, atque cum ea invisibiliter se in sensu permiscent, quatenus per eam multò plures filios, id est discipulos atque virtutes generent, quàm patres carnales de carnalibus conjugibus procreare possint. B

De qua spiritali scientia sanctarum scripturarum in Proverbiis Salomonis scriptum est: *Deriventur fontes tui foris, & in plateis aquas tuas divide, habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Cerva Karissima, & gratissimus hinnulus: ubera ejus inebrient te omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.* Ideo autem sapientia spiritalis aquæ comparatur, quia indeficiens affluentia est, & quia mentem auditorum refrigerat atque satiat. C Rursùm ideò mulieri seu conjugi configuratur, quia per eam viri ecclesiastici ministri verbi Dei multipliciter prolem in Ecclesia gignunt, sicut beatus Paulus apostolus de semetipso discipulos informans ait: *Nam in* CHRISTO JHESU *per evangelium ego vos genui.* Et alibi: *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.* Iterùm eadem scientia sanctarum scripturarum idcircò mulier adolescentiæ vocatur, quia unaquæque anima sapiens ab adolescentia sua cum eadem sapientia usque ad finem vitæ præsentis quotidie crescit. De hac quoque conjuge sanctorum, D hoc est scientia sanctarum scripturarum in psalmo viro justo dicitur: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ.* De hac conjuge spiritalium virorum, sapientia videlicet, rursùm Salomon unumquemque electum exhortans ait: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiet. Fruere vita cum uxore quam diligis cunctis diebus vitæ tuæ, instabilitatis tuæ.* Item ipse de semetipso in libro Sapientiæ: *Hanc*, inquit, *amavi*, hoc est sapientiam, *& exquisivi à juventute mea, & exquisivi sponsam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* E Et infrà: *Intrans in domum meam conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium. Hæc cogitans apud me & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cogitatione sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius divitiæ sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius; circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.* De qua sapientia spiritali rursùm in libro Jhesu scriptum est: *Qui timet Deum faciet illud, & qui continens est*

Prov. 5. 16.

1. Cor. 4. 15.

Gal. 4. 19.

Ps. 127. 3.

Eccle. 9. 8.

Sap. 8. 2.

Eccli. 15. 1.

justitiæ apprehendet illam, & obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum & non confundetur, & exaltabit illum apud proximos suos, & in medio Ecclesiæ aperiet os illius, & implebit illum Spiritu sapientiæ & intellectus, & stolam gloriæ vestiet illum. Jocunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hereditabit illum. Homines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obviabunt illi. Viri mendaces non erunt illius memores, & viri veraces invenientur in illa, & successum habebunt usque inspectionem Dei. De hac spiritali sapientia quæ tropologicè conjux appellatur, sanctorum personam gestavit Axa filia Caleph: de qua in libro Jhesu Nave & in libro Judicum dum sacra scriptura secundùm historiam transacta narrat, futura mysticè indicat. Hanc spiritalem scientiam sanctarum scripturarum tropicè liniavit Abisach Sunamitis illa virgo speciosa, quæ David regem ætate fessum calefaciebat, & ad incitamenta libidinis nequaquam suscitabat. Per hanc conjugem spiritalem, id est scientiam sanctarum scripturarum, viri spiritales in Ecclesia multitudinem filiorum ac nepotum multiplicant: de quibus filiis in psalmo scriptum est: *Semen servorum possidebit eam, & qui diligunt nomen ejus inhabitabunt in ea*, id est in cœlesti patria. Et alibi: *Ut audiret gemitus*, inquit, *compeditorum, & solvat filios interemtorum.* Et paulò post: *Filii servorum tuorum inhabitabunt, & semen eorum in sæculum sæculi dirigetur.* Et per Ezechielem prophetam Dominus de futura beatitudine pollicens ait: *Et habitabunt in terra quam dedi Jacob servo meo, ipsi & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in æternum, & servus meus David princeps eorum in perpetuum.* Quod non de carnalibus filiis neque de terrena provincia Judæorum, neque de David rege, sed de spiritalibus filiis sanctorum prædicatorum ac nepotibus, & de cœlesti Jherusalem, ac de Domino nostro JHESU CHRISTO qui est verus David, accipiendum & sustinendum est.

Ps. 66. 37.

Ps. 78. 11.

Ezech. 37. 25.

Sciendum tamen est, quia sicut vera sapientia conjux appellatur sanctorum spiritalium virorum, ita & falsa sapientia hujus sæculi & hæreticorum dogma tropologicè mulier sive uxor dicitur philosophorum atque hæreticorum, per quam illi ad similitudinem suam filios impios, discipulos videlicet, generant. Unusquisque enim cujus sectam retinet, & cujus exempla sectatur, ejus ritè filius appellatur. De qua vanitate hæreticorum in Proverbiis Salomonis scriptum est: *Mulier stulta & clamosa plenaque illecebris, & nihil omninò sciens sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes in itinere suo.* Item ibi de ipsa: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra & fatua.* Et rursùm ibi de sancta Ecclesia & eadem vanitate hæreticorum: *Mulier sapiens ædificavit domum suam, insipiens extructam quoque* A *destruet manibus.* De hac vanitate hæreticorum in libro Ecclesiastes inter cetera scriptum est: *Et inveni*, inquit, *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab ea.* Et in libro Sapientiæ: *Mulieres eorum insensatæ, & nequissimi filii illorum.* De filiis quoque hæreticorum, id est discipulis quos illi per hanc falsam scientiam ad suam generant similitudinem, in libro Job scriptum est: *Longè fient filii ejus à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.* Item ibi: *Filii ejus adterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum.* Hinc demùm ibi: *Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane.* Et rursùm ibi: *Filii stultorum & ignobilium, & in terra penitùs non parentes.* Hinc iterùm ibi Dominus de hæreticis mysticè ad beatum Job loquens ait: *Duratur ad filios quasi non sint sui, frustra laboravit nullo timore cogente.* De eisdem hæreticis & eorum discipulis Dominus per Osee prophetam sub nomine Ephraïm eorum nequitias manifestans ait: *Ephraïm quasi avis volavit, gloria eorum à partu, & ab utero, & à conceptu. Quòd si* C *nutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus: sed & væ eis cùm recessero ab eis. Ephraïm ut vidit quòd Tyrus erat fundata in pulcritudine, Ephraïm educit ad interfectorem filios suos. Da eis, Domine: quid dabis eis? vulvam sine liberis, & ubera arentia.* Item ibi de ipsis: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Dominum suum. In gladio pereat: parvuli eorum elidantur, & fœtæ ejus scindantur.*

Sapientia sæculi uxor philosophorum & hæreticorum.

Prov. 9. 13.

Ibid. 12. 22.

Ibid. 14. 1.

Eccl. 7. 27.

Sap. 3. 11.

Job. 5. 4.

Ibid. 20. 10.

Ibid. 27. 14.

Ibid. 30. 8.

Ibid. 39. 16.

Ose. 9. 11.

Ibid. 14. 1.

CAPUT LI.

D *De duplici vocabulo filiorum carnalium videlicet atque spiritalium, electorum & reproborum, sive de gemina generatione. Prima scilicet carnalis, quæ ex traduce peccato à primis hominibus, Adam videlicet & Eva, derivata est: secunda verò spiritalis, quæ à secundo Adam, id est Domino nostro Jhesu Christo, per fidem & lavacrum regenerationis innovata in sorte filiorum Dei assumta est.*

DE qua nova regeneratione beatus Paulus apostolus ad Corinthios scribens ait: *Si qua nova creatura in Christo, vetera transierunt,* E *ecce facta sunt nova. Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per CHRISTUM JHESUM.* Igitur juxta primam generationem, quæ secundùm carnem est, vocati sunt Judæi, filii Israhel, sive filii Jacob, de cujus stirpe procreati sunt. De quibus Judæis in Jheremia propheta, dicente Domino, scriptum est: *Erant autem filii Israhel & filii Juda jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua, filii Israhel qui usque nunc exacerbant me in operibus manuum suarum, dicit Dominus.* De hisdem iterùm Dominus ad Ezechielem prophetam exorsus ait: *Filii hominis, mitto ego te ad filios Israhel, ad*

2. Cor. 5. 17.

Jer. 32. 30.

gentes apostatrices, quæ recesserunt à me. Patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, & filii dura facie & indomabili corde sunt. In Malachia quoque propheta adversùs
Mal. 3. 6. Judæos Dominus ait: *Ego enim sum Dominus, & non mutor: & vos filii Jacob, non estis consumti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo revertemur? Si affiget homo Deum, quia vos crucifixistis me.* In secunda verò generatione, hoc est spiritali, appellantur omnes electi ex gentibus per fidem & baptismum filii Israhel, hoc est Domini nostri B JHESU CHRISTI, qui in forma servi verus Israhel est, hoc est videns Deum. De ipso enim Deus Pater omnipotens per Isaïam eximium
Isai. 42. 1. vatem affatus ait: *Jacob puer meus, suscipiam illum, Israhel electus meus, assumsit eum anima mea. Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.* Ipse quoque Filius de semetipso secundùm formam servi per prædictum prophetam loquens ait: *Et dixit mihi*, hoc
Ibid. 49. 3. est Pater, *servus meus es tu Israhel, quia in te gloriabor. Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, & Israhel glorificabitur.* Ipse quoque propheta C Isaïas de Judæorum blasphemiis adversùs eumdem Dominum nostrum JHESUM CHRISTUM
Isa. 1. 4. inter cetera clamat dicens: *Væ genti peccatrici, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israhel.* Ideò, ut dictum est, quia ipse Christus Dominus juxta humanitatem vocatus est Israhel, idcircò omnes fideles qui in novo Testamento per lavacrum regenerationis in eo renascuntur, rectè filii Israhel, hoc est ipsius Christi Domini vocitantur. De cujus filiis spiritaliter in eo renatis in Osée propheta, pollicente Domino, scriptum
Ose. 1. 10. est: *Et erit numerus filiorum Israhel quasi arena* D *maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur: Et erit in loco ubi dicetur eis: non populus meus vos, dicetur eis: filij Dei viventis.* Secundùm primam namque generationem carnalem vocantur Judæi filii Abraham, sicuti & sunt, ut
Isa. 51. 2. est illud in Isaïa propheta: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Et in Evangelio Dominus ipsis Judæis ait: *Scio quia filij Abrahæ estis.* Juxtà secundam verò generationem, hoc est spiritalem, vocantur omnes fideles credentes ex gentibus filii Abrahæ non secundùm carnem, sed per imitationem fidei, sicut est illud in Evangelio: *Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abra-* E *hæ.* De quo sacramento spiritalium filiorum beatus Paulus apostolus ad credentes ex gen-
Gal. 3. 29. tibus in epistola ad Galathas scribens ait: *Si autem vos Christi; ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissionem heredes.* Isaïas denique propheta ut ostenderet carnalem propagationem à patriarchis descendentem absque divina gratia nihil prodesse, in oratione sua inter cetera
Isa. 63. 16. Domino confitens ait: *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israhel ignoravit nos. Tu, Domine Pater noster & Redemtor noster, à*

A *sæculo nomen tuum.* Erga primam denique generationem, eam videlicet quæ secundùm carnem est, vocantur Judæi filii David, id est posteritas domus ejus. De qua domo Dominus eidem David per Nathan prophetam pronuntians ait: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.* At verò secundùm 2. Reg. 12. 10.
spiritalem generationem appellantur omnes fideles in Christo, qui est verus David, id est manu fortis, filii David. De quibus filiis in Iheremia propheta scriptum est: *Sicut numerari* Jer. 33. 22.
non possunt stellæ cœli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos. Secundùm primam quippe generationem per cognitionem Legis nuncupati sunt olim Judæi filii Dei: ex quibus illi qui prævaricati sunt, desierunt esse filii Dei, & facti sunt filii scelerati, & filii mendaces atque auguriatrices, & semen adulteri & fornicatoriæ, id est diaboli & synagogæ, necnon & filii fornicationis seu filii Cananæorum & Amorræorum, atque filii Cetthææ. Quod etiam Dominus per libros prophetarum testatur, dicente ipso per Isaïam prophetam: *Filios enutrivi, & exalta-* Is. 1. 4.
vi, ipsi autem spreverunt me. Væ genti peccatrici, populo gravi, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israhel. Item ipse Dominus per præfatum prophetam: *Populus enim*, ait, *ad iracundiam pro-* Ibid. 30. 9.
vocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire Legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt. Et iterùm ibi: *Vos autem acce-* Isa. 57. 3.
dite huc, filii auguratricis, semen adulteri & fornicatoriæ, super quem illusistis, super quem dilatastis os, & ejecistis linguam. Per os etiam prophetarum Dominus de synagoga Judæorum, & de filiis ejus, hoc est Judæis, inter cetera comminans ait: *Ne fortè spoliam eam nudam,* Ose. 2. 3.
& statuam eam secundùm diem nativitatis suæ, & ponam eam in solitudinem, & statuam eam quasi terram inviam, & interficiam eam in sitim, & filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ genuit eos. De quibus Psalmista ex persona Domini canit: *Filii alieni mentiti* Psal. 17. 46.
sunt mihi, filii alieni inveteraverunt, & claudicaverunt à semitis meis. In Deuteronomio inter cetera eorum mala scriptum est: *Peccave-* Deut. 32. 5.
runt ei non filii ejus in sordibus, generatio prava atque perversa. Item ibi: *Deum qui te genuit de-* Ibid. 18.
reliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Per Ezechielem quoque prophetam Dominus eos vituperans ait: *Hæc dicit Dominus Deus, Jheru-* Ezech. 16. 3.
salem radix tua & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorræus, & mater tua Cetthæa. Ipse quoque Redemtor noster eosdem Judæos per semetipsum refutans dixit: *Vos ex* Joan. 8. 44.
patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Unusquisque enim ejus cujus voluntatem facit, & cujus exempla sectatur, ejus ritè filius appellatur. Igitur de ipsis Judæis & hæreticis pariter qui cùm essent filii Dei, per prævaricationem Legis & Evangelii degenerati sunt, reputati sunt in generatione perversa:

qui cùm sint sordidi & lubrici, mundiores se A cunctis hominibus per hypocrisin gloriantur.
Prov. 30. 11. In Proverbiis Salomonis scriptum est: *Generatio quae patri suo maledicit, & quae matri suae non benedicit, generatio cujus excelsi sunt oculi, & palpebrae ejus in altum subreptae, generatio quae sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, generatio quae pro dentibus gladios habet, & quod mandet molaribus suis, & comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus*, id est infirmos de Ecclesia quos possunt, quos tamquam mortuos in corpore suo trajiciunt. Erga spiritalem verò generationem, eam videlicet quae secundùm Evangelium in B Christo renata est, omnes electi ex gentibus rectè filii Dei nuncupantur: de quibus in Osée
Ose. 1. 10. propheta scriptum est: *Et erit in loco ubi dicetur eis filii Dei viventis.* Et per Isaïam pro-
2. Cor. 6. 17. phetam: *Propter quod exite*, ait, *de medio sanctorum, & separamini, dicit Dominus, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Et per Jheremiam vatem Dominus ex-
Jer. 3. 22. hortans ait: *Revertimini, filii revertentes, & sanabo aversiones vestras.* Quod etiam beatus Paulus apostolus sua auctoritate informat di-
Rom. 9. 7. cens: *Non enim qui ex Israhel hi sunt Israhelitae; neque quia semen sunt Abrahae, omnes filii;* C *sed in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, non qui filii carnis hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, existimabuntur in semine. De prima quippe generatione carnali, illa videlicet quae secundùm Adam originem ducit, Veritas in
Matth. 10. 22. Evangelio ait: *Qui enim me confessus fuerit & mea verba in generatione ista adultera & peccatrice, & Filius confitebitur eum cùm venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.* De hac quoque generatione carnali quae ex traduce peccato descendit, in libro Sapientiae inter cetera
Sap. 3. 12. scriptum est: *Mulieres eorum insensatae, & nequissimi filii illorum, maledicta creatura illorum.* D
Ibid. 16. Et infrà: *Filii autem adulterorum consummati erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.* De hac igitur generatione quae secundùm carnem propagatur, ex qua nullus hominum qui ex utroque sexu nascitur absque peccato esse potuit vel potest: quod etiam beatus Job sua
Job. 14. 4. adstipulatione affirmat dicens: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* De hoc originali peccato quod homo ex Adam velut ex radice vitiata trahit, in libro ipsius beati Job rursum scriptum est:
Job 25. 4. *Numquid justificari poterit homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* David quoque propheta in confessione sua ad Deum
Ps. 50. 7. loquens ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.* Beatus denique Paulus apostolus de hac generatione carnis ex traduce peccato propagata in epistola ad Ephesios tam de se, quàm de ce-
Eph. 2. 3. teris loquens ait: *Et eramus natura filii irae, sicut & ceteri.* De secunda verò generatione quae non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ab ipso Domino Salvatore nostro, qui solus in hoc mundo absque concupiscentia carnis conceptus, & sine corruptione de Virgine est natus, per fidem & lavacrum regenerationis sumsit exordium. Ad quem etiam omnes electi qui in hunc mundum ante adventum ejus juxta fidem illius defuncti sunt, pertinuisse non dubium est. De hac generatione electorum, quae secunda est post primam carnis generationem, in Psalmo scriptum est: *Annun-* Ps. 21. 32.
tiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt coeli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Et alibi: *Haec est generatio quae-* Ps. 23. 6.
rentium Dominum, quaerentium faciem Dei Jacob. Item alias: *Scribentur haec in generatione al-* Psal. 77. 4.
tera & populus qui creabitur laudabit Dominum. Et alibi: *Generatio rectorum benedicetur.* De hac Ps. 111. 2.
generatione spiritali in libro Sapientiae scriptum est: *Melior est enim generatio cum claritate* Sap. 4. 1.
immortalitas est enim in memoria illius, quoniam apud Deum nota est & apud homines. Cùm praesens est, imitantur illam, & desiderant cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, in coinquinatorum certaminum praemium vincens: multigena autem impiorum multitudo non erit utilis. De hac secunda generatione spiritali Johannes evangelista in Evangelio suo ait: *Quotquot enim* Ioan. 1. 12.
receperunt eum, dedit eis potestatem filios fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. De hac igitur nova generatione quae pro Christo in baptismo fit, beatus Paulus apostolus in epistola secunda ad Corinthios inter cetera scribens ait: *Si qua ergo* 2. Cor. 5. 17.
in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce nova facta sunt. Omnia autem ex Deo qui reconciliavit nos sibi per Christum. Et ad Galathas: *In Christo autem* JHESU *neque circumcisio* Gal. 6. 15.
aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura. De qua spiritali generatione beatus Petrus ejus coapostolus universos fideles informans ait: *Renati non ex semine corruptibili, sed* 1 Pet. 1. 23.
incorruptibili per Verbum Dei vivi & permanentis, quia omnis caro ut foenum, & omnis gloria ejus tamquam flos foeni. Sicut enim homo cùm secundùm carnem per primam generationem in hoc mundo genitus sub patre diabolo & matre Babylonia nascitur; de quibus malis parentibus Dominus plebem Judaïcam sub aliis nominibus per Ezechielem prophetam vitupe-
rans ait: *Pater tuus Amorraeus, & mater tua Cet-* Ezech. 16. 3.
thaea, & in psalmo Propheta: *Quoniam pater*, in- Ps. 26. 10.
quit, *meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus assumsit me:* Ita per secundam regene- E rationem omnis credens sub Patre Deo & matre Ecclesia renascitur, extra quam nullus hominum salvus fieri potest. Et licèt bonae sint nuptiae, quae in primordio mundi propter procreationem filiorum à Deo creatae & institutae sunt: libido tamen quae ex peccato accessit & inolevit in carne nostra, procul dubio bona non est: de qua libidine beatus Paulus apostolus in epistola ad Romanos inter cetera dicit: *Scio enim quia non habitat in me, hoc* Rom. 7. 18.
est in carne mea, bonum. Ipsa est enim lex peccati etiam in membris constituta sanctorum. Quae libido profectò si bona esset, nequaquam eam idem

idem apostolus discipulis suis in membris eorum mortificare præciperet. Si bona esset, primi homines parentes nostri post transgressionem præcepti nullo modo de ea erubescerent, cùm se nudos esse cognovissent. Sed quia erubuerunt, eadem continuo membra, de quibus erubuerunt, texerunt. Nam & ante peccatum nudi erant, & non confundebantur: nondum enim libidinis stimulos in carne sua senserant: sed quia in illis primis, ut dictum est, hæc libido post culpam inolevit, idcirco omne quidquid ex ea nascitur etiam de idoneo conjugio, nisi renatum fuerit, salvum esse
Johan. 3. 5. non poterit, dicente Veritate: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Idcirco autem instituta est à Deo secunda regeneratio, ut quod in prima per peccatum vitiatum fuerat, rursùm per undam baptismatis à sordibus peccatorum eluatur, & fiat ex vetere homine novus, non mutatâ naturâ, sed originali delicto deposito. In cujus præfiguratione, hoc est baptismi, circumcisio carnis ante adventum Salvatoris in priori populo ante legem vel sub lege constituto præcessit. Quæ circumcisio carnis tamdiu necessaria fuit, donec per Evangelium baptismi gratia revelaretur. At ubi verò fons regenerationis in ablutione peccaminum per Christum patuit, circumcisio carnis tamquam [a] necessaria ab ecclesia abdicata est.

CAPUT LII.

Recapitulatio duarum generationum quas Dei Filius in forma humanitatis in semetipso absque omni delicto complexus est.

DUæ quippe sunt generaliter in hominibus generationes. Prima videlicet, quæ secundùm carnem, ut superiùs prædictum est, ex Adam & Eva ducit originem: secunda verò, quæ spiritalis à Christo, qui est secundus Adam & ecclesia Eva, quæ rectè dicitur mater cunctorum viventium, sumit initium. Illa prima per originale delictum deorsum in mortem fluit: ista secunda spiritalis per divinam gratiam ad Deum qui vita est rediit. In illa prima per peccatum mors regnat: in ista secunda per divinam misericordiam & justitiam Domini nostri JHESU CHRISTI perpetua vita tripudiat. In illa quæ secundùm Adam est, nullus absque peccato nasci potest: in ista quæ per Christum de baptismo exordium sumit, omnes qui regenerantur absque omni delicto tam originali quàm etiam actuali renascuntur, ad exemplum videlicet Redemtoris nostri, qui solus inter homines verus homo sine peccato conceptus est, & absque ullo delicto de Virgine est editus, ut quod primus Adam per inobedientiam contraxerat, iste secundus Adam per obedientiam non delinquendo retraheret. Has quippe duas generationes, ut sæpè est dictum, Redemtor noster in forma servi in se ipso continet: primam videlicet, quæ secundùm carnem est, quam suscepit ex Virgine nascendo absque ulla sorde peccati, qualiter eam in semetipso ex vetustate innovaret, & ex infirmitate sanaret, & ex prævaricatione redimeret, atque de terrena celestem faceret, & de filiis iræ Dei filios efficeret: in qua susceptione omnes qui in eum credimus suscepti sumus: quia caro ejus nostra natura est, quam etiam Apostolus ecclesiam definivit. Secunda verò quæ per adoptionem est, quam instituit in baptismo à mortuis resurgengendo. De quo sacramento regenerationis Paulus apostolus fideles universos informans dicit: *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et ad Colossenses: *Consepulti*, inquit, *ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.* Has geminas generationes duo illi Evangelistæ, Mathæus videlicet & Lucas, in prædicatione sua in ipso Christo Domino mirabiliter copulant: ex quibus primus Matthæus seriem generationis, quæ secundùm carnem est, ab Abraham incipiens, & per ceteros descendendo retexens, per Joseph sponsum MARIÆ usque ad Christum perducit: in qua generatione nonnullæ feminæ ex gentibus introducuntur, ut ostenderet quod idem Redemtor noster non solùm ex Judæis seu justis hominibus, sed & de gentibus atque peccatoribus carnem suscepit. Hoc quippe mysticè in Lege olim præfiguratum est in hoc quod agnus, qui in typo ejus in pascha inmolabatur, ab agnis & hœdis, id est justis & peccatoribus sumi jubebatur. Lucas verò ordinem generationis, quæ per adoptionem fit, non à nativitate carnis, sicut Matthæus, sed à baptismo in quo baptizatus est Christus Dominus à Johanne in Jordane fluvio ab ipso Christo sumens exordium narrandi, non deorsum descendendo, sed sursùm versus ascendendo: neque per tribum Juda sicut Matthæus, sed per tribum Levi, hoc est, sacerdotalem prosapiam, neque per Salomonem, qui ex Bersabee, in qua David peccavit, genitus est; sed per Nathan recopulans, in David enumerando revocans, in Adam perducit ad Deum. In qua serie generationis nulla progenita femina nominatur, ut liquidè patesceret quòd generatio quæ per adoptionis gratiam fit, non carnalis quæ per utrumque sexum est, sed spiritalis est, in qua utroque sexui nulla est discretio. In qua generatione spiritali nil differt inter marem & feminam, inter Judæum & gentilem, inter sapientem & stultum, inter senem & parvulum, inter divitem & inopem, inter dominum & servum, inter dominam & ancillam ejus, inter filium regis & cujuslibet pauperis, inter eum qui de justo conjugio nascitur, & illum qui de fornicatione procreatur; quia non secundùm no-

Marginal notes: Rom. 6. 4. — Colos. 2. 12.

[a] F. non necessaria.

bilitatem carnis aut ignobilitatem humani generis, sed secundùm gratiam Dei qui personarum acceptor non est. Omnes ex uno fonte regenerationis velut ex uno utero matris Ecclesiæ in novam plebem per Christum renascuntur. Quæ regeneratio spiritalis, quæ per adoptionis gratiam de filiis iræ Dei filios efficit, à nullo alio exordium habere potest, nisi à Christo Domino & Redemtore nostro, qui solus absque virili semine conceptus, & sine corruptione de Virgine est genitus, ut quemadmodum ille qui in essentia divinitatis non gratia sed natura, non adoptione sed genere, verus est Filius Dei; propter nos verò gratiâ suscepit hominem in quo fieret verus filius hominis, non amittendo quod erat, sed assumendo quod non erat: ita nos qui naturâ eramus filii hominum & filii iræ, non nostro merito, sed ejus gratiâ in ipso renati & innovati essemus adoptivi filii Dei. Et sicut ille propter nos particeps fieri dignatus est humanitatis nostræ: ita & nos per eum atque in eum participes efficeremur divinitatis ejus. Et hæc est, quam dudum propheta prædixit, mutatio dexteræ Excelsi.

CAPUT LIII.

De duplici circumcisione, prima videlicet carnali, secunda verò spiritali.

PRima circumcisio carnis, quæ populo Judæorum tradita est, non propter justificationem, sed in signum data est. Nempe beatus Abraham, qui hanc circumcisionem, jubente Domino, prior in carne sua suscepit, non ex circumcisione, sed ex fide justificatus est, dicente scripturâ: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & signum accepit circumcisionis.* Rom. 4. 3. Quod si ex circumcisione tantùm, & non potius ex fide & operibus bonis esset justificatio, profectò sancti patres qui ante diluvium vel post diluvium usque ad Abraham præcesserunt, nequaquam sine hac circumcisione carnis Deo placuissent: de quibus scriptura testatur, quod justi & Deo placentes forent. Si absque circumcisione carnis salus deesset, nullomodo omnipotens Deus filios Israhel qui per quadraginta annos in solitudine sunt geniti, incircumcisos fieri permitteret. Quod si per circumcisionem carnis tantùm, & non magis & fide & operibus bonis justificaretur homo, beatus Job vir gentilis sine hac circumcisione Deo minimè placuisset; de quo scriptura testatur, quod illo in tempore nullus ei similis esset in terra. Igitur si absque circumcisione carnis salus hominis nulla esset, quid fieret Judæorum mulieribus, quæ circumcidi omnino non possunt? sed quia illa circumcisio carnis in figura, ut dictum est, baptismi præcessit; in quo baptismo omnes qui renascuntur veterem hominem, qui ex concupiscentia carnis per eumdem membrum in quo ipsa circumcisio imprimitur, exponunt, & novum induunt; idcirco postquam baptismi gra-

A tia in novo Testamento per Christum revelata est, circumcisio carnis ab ecclesia reprobata est. Circumcisio quippe spiritalis est baptismi gratia atque munditia cordis à concupiscentia mala, quæ quantò occultior, tantò Deo acceptior. Hac circumcisione spiritali sancta Ecclesia in electis suis utitur. Hanc circumcisionem non in maribus tantùm, sed & in feminis custodit. Hanc circumcisionem in baptismo octavo die resurrectionis Domini suscipit & veneratur, sicut Judæi circumcisionem cordis in die octavo custodiunt. De hac spiritali circumcisione Moyses legis-lator filiis Israhel loquens ait: *Circumcidite igitur præputium cordis* Deut. 10. 16.
B *vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.* Item ipse: *Circumcidet Dominus cor tuum, &* Deut. 30. 6.
cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua, & possis vivere. De hac etiam circumcisione spiritali quæ veterem hominem novum efficit Dominus per Jheremiam prophetam exorsus ait: *Hæc dicit Dominus viro Juda & habitatoribus* Jer. 4. 4.
Jherusalem: Novate vobis novale, & nolite serere super spinas. Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium vestrorum, viri Juda, & habitatores Jherusalem. De qua circumcisione spiritali beatus Paulus apostolus in epistola ad
C Romanos sic dicit: *Non enim qui in manifesto Judæus est, neque in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus est, & circumcisio in spiritu non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Rom. 2. 28. Et iterum ipse ad Colossenses de Christo Domino loquens ait: *Qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis in circumcisione Christi consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.* Colos. 2. 11. De circumcisione verò carnis idem
D Apostolus in ea quæ est ad Galatas inter cetera scribens ait: *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursum omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in Lege justificamini, à gratia excidistis. Nos enim Christum ex fide spem justitiæ expectamus. Nam in Christo* JHESU *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per Karitatem operatur.* Gal. 5. 2. Denique circumcisio carnis in tantum Judæis per adventum Salvatoris nihil
E prodest, ut eos Dominus gentibus incircumcisis similes judicet, dicente ipso per Jheremiam prophetam: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & visitabo super omnem qui incircumcisum habet præputium, super Ægyptum, & super Judam, & super Edom, & super filios Amon & Moab, & super omnes qui adtonsi sunt in comam, habitantes in deserto, quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israhel incircumcisi sunt corde.* Jer. 9. 25. Item ibi de ipsis: *Cui loquar? quem contestabor, ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt. Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non sus-* Jer. 6. 10.

cipiunt illud. Ut ad hoc referatur, quod ait A beatus Paulus apostolus: *Quod si prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.* Rom. 2. 25. Generaliter autem incircumcisi dicuntur omnes infideles, in veteri homine ambulantes, qui à sordibus peccatorum suorum per baptismi gratiam & cordis munditiam loti non sunt, qui non ad civitatem Dei inter novam creaturam, sed potius ad civitatem diaboli per veterem vitam pertinere noscuntur: de quibus Dominus per Isaïam prophetam Ecclesiæ suæ Isa. 52. 1. in futuro promittens ait: *Quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.* Et per Ezechielem prophetam de multitudine infidelium in profundum inferni descendentium inter cetera Dominus ait: Ezech. 32. 26. *Omnes hi incircumcisi interfectique gladio cum his qui descendunt in lacum, in medio interfectorum positi sunt.* Dicuntur autem & incircumcisi corde, & incircumcisi carne universi incontinentes, intra ecclesiam sordidis cogitationibus polluti, & per carnis luxuriam immundi, quos Dominus per Ezechielem prophetam à sacerdotali ministerio abdicare jubet.

CAPUT LIV.

De animalibus quæ per Legis historam velut immunda ab esu fidelium prohibentur.

Lev. 11. 2. DIcente Domino per Moysen: *Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animalibus terræ. Omne quod habet divisam ungulam & ruminat in pecoribus, comedetis, quidquid autem ruminat quidem & habet ungulam, sed non dividet eam, sicut camelus & cetera, non comedetis illud, inter immunda reputabuntur. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis.* Et reliqua quæ sequuntur de piscibus & volatilibus atque reptilibus. De omnibus non carnaliter, sed spiritaliter accipiendum est. Quomodo enim possunt esse immunda quæ omnipotens Deus non solùm bona, sed etiam valdè bona fecit, dicente scriptura Genesis: Gen. 1. 31. *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* De quibus animalibus generaliter Dominus ad Noë & ad filios ejus loquens ait: Ibid. 9. 1. *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli cum universis quæ moventur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Et in Deuteronomio: *Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectaverit; occide, & comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis, sive immundum fuerit, hoc est maculatum & debile, sive mundum, hoc est integrum & sine macula quod offerri licet, sicut capream & cervum comedes.* Numquid divina præcepta sibimet contraria existunt? non utique, sed omnia tempore congruo rectè sibi conveniunt: carnali enim populo Iudæorum carnalia præcepta data sunt: nondum enim poterant ante adventum Salvatoris spiritaliter ea intelligere vel facere: unde & ipsa præcepta Legis quæ Iudæi carnaliter observant, non bona esse à Domino perhibentur, dicente ipso per Ezechielem prophetam: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent:* Ezech. 20. 25. sed quia omnia in figura præcesserunt, & secundùm Apostoli auctoritatem Lex spiritalis est; idcircò per eadem animalia munda vel immunda, non quadrupedia sed volatilia inrationabilia quæ peccare non possunt, nec boni aliquid agere, sed homines significant pios vel impios, mundos B sive immundos, seu eorum actiones bonas vel malas. Sicut enim per munda animalia, ut dictum est, significantur homines justi, fideles, mansueti, humiles, patientes, benigni, pacifici, sobrii, casti, mundi, misericordes, nulli nocentes, invicem diligentes, utrumque Testamentum recipientes, inter litteram & spiritum velut ungulam dividentes, in dilectione Dei & proximi tamquam in duas ungulas gradientes, Legem Dei assiduè velut vitalem cibum subtiliter in interiore homine ruminantes, cornua virtutum adversùs vitia gestantes, non carnaliter sed spiritaliter viventes, unusquisque prout C valet in quantum ei divina gratia suffragatur, in quantum cuique vires ad benè operandum suppetunt, quod bonum est proximo impendentes; quos electorum ecclesia quasi comedet, dum eos in suo collegio per fidem & dilectionem trajicit, & unum in se corpus efficit: ita è contrario per immunda animalia & volatilia, seu pisces atque reptilia, exprimuntur homines impii, infideles, injusti, impuri, Judæi, blasphemi, hæretici, schismatici, apostatæ, superbi, elati, ingrati, scelesti, invidi, odientes invicem, inmundi, sordidi, luxuriosi, impudici, fornicatores, incesti, adulteri, stupratores, masculo- D rum concubitores, impatientes, iracundi, crudeles, crassatores, carnifices, sanguinarii, homicidæ, cupidi, avari, inhumani, ambitiosi, rapaces, fures, latrocinantes, fallaces, mendaces, perjuri, depositum negantes, circumventores, fraudatores, pauperum obpressores, justorum judiciorum corruptores, munerum acceptores, molles, effeminati, timidi, formidolosi, suspecti, pigri ad bonum, tepidi, segnes, stulti, pertinaces, procaces, duri, nulli cedentes, pervicaces, coturni, comessatores, ebriosi, temulenti, incontinentes, turpia diligentes, malorum adsentatores, adulatores, & horum E similes, carnaliter viventes, legem Dei non recipientes, aut certè negligentes, seu depravantes, ut Judæi & hæretici, dilectionem Dei & proximi nequaquam retinentes: quos electorum ecclesia quasi non comedet, quia eorum actiones perversas nullomodo approbat. Et licet plurimi tales præsenti in tempore in Ecclesia reperiantur, futura verò sanctorum Ecclesia nequaquam eos in cœlesti patria in suo consortio recipit: quin potiùs per examen futuri judicii à consortio electorum velut palea à frumento excussi ac divisi, æterno igni mancipati dignas luituri sunt pœnas, præter illos videlicet qui de

talibus ante finem vitæ suæ à pristinis delictis A conversi, ita pertransactis malis suis pœnituerint, ut veniam à Deo consequi mereantur, uti à consortio sanctorum alieni non fiant. Nempe Iudæi carnem suillam neque murem comedunt, & tamen per Isaïam prophetam Dominus eorum
Isa. 63. 3. immunditias detestans ait: *Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper, qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres, qui habitant in sepulcris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum, qui dicunt recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti*
Ibid. 66. 16. *fumus erunt in furore meo, & ignis ardens tota* B *die.* Et rursùm ibi de ipsis: *Et multiplicabuntur*, inquit, *interfecti à Domino, qui sanctificabantur & mundos se putabant in hortis post januam intrinsecùs, qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murem, simul consumentur, dicit Dominus.* Certè, ut dictum est, hæc animalia Iudæi nequaquam comedunt: sed per ea significat sordes peccatorum & immunditias carnales, quas illi cùm diligunt & faciunt, quasi de hujusmodi cibo se pascunt, qui dum sunt ipsi immundi, cunctos alios immundos, se autem solos mundos reputant. Quod autem per animalia vel volatilia allegoricè gentes significentur, C seu homines fideles sive infideles, docti vel indocti, sapientes atque simplices, sacra scriptura multis modis testatur. Scriptum quippe est per Iohelem prophetam de gentibus, dicente
Joël. 2. 22. Domino: *Noli timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti.* Et in Osée propheta:
Ose. 2. 18. *Et percutiam*, inquit, *ei fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cœli & cum reptili terræ, & gladium & arcum & bellum conte-*
Isa. 43. 20. *ram de terra.* Et alibi: *Glorificabit me bestia agri, dracones, strutiones.* Et in psalmo de Christo Do-
Psal. 8. 8. mino: *Omnia*, inquit, *subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi,* D *volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant*
Psal. 67. 11 *semitas maris.* Et alibi de sacra scriptura: *Animalia tua*, ait, *inhabitabunt in ea.* Et in Sopho-
Soph. 1. 2. nia: *Congregans*, inquit, *congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus. Congregans hominem & pecus, congregans volatile cœli & pisces maris, &*
Zach. 14. 14. *ruinæ impiorum erunt.* Et in Zacharia: *Et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, & sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium jumentornm quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.* Et alia his similia plurima, quæ omnia si quis de brutis animalibus vel bestiis carnaliter sentire vult, non homi- E num rationabilium, sed inrationabilium pecudum gerit sensum.



CAPUT LV.

De eo quod per animalia inrationabilia allegoricè gentes ad Deum conversæ præfigurentur.

IGitur, ut dictum est, per animalia regionis significantur gentes in toto orbe terrarum diffusæ, quas primitiva Ecclesia, id est Apostoli & Evangelistæ ex circumcisione assumti, aliter comedere non poterat, hoc est in suo corpore trajicere, nisi priùs in eis qui ex ipsis gentibus credebant in lavacro regenerationis veterem hominem qui corrumpitur cum actibus suis mactaret, & sic demùm innovatos in suo collegio reciperet. De qua mactatione gentilium beato Petro apostolo in typo Ecclesiæ per vocem è cœlo lapsam dictum est: *Surge,* Act. 10. 13.
Petre, macta & manduca, id est mortifica in illis quidquid carnaliter vivit, quidquid ad vetustatem vitæ pertinet, & manduca in eis quidquid per Christi gratiam & donum Spiritus-sancti innovatum est. De hac mortificatione veteris vitæ quæ in lavacro regenerationis mortificatur, beatus Paulus apostolus ait: *Quicum-* Rom. 6. 3.
que enim in Christo Jhesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte. Et alibi:
Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus Colos. 2.
mundi, quid adhuc tamquam viventes decernitis? 20.
De his animalibus, hoc est gentilibus ad Ecclesiam per apostolorum prædicationem venientibus, figuraliter Moyses in Deuteronomio, quæ est secunda Lex, Evangelii videlicet præfiguratio, inter cetera præcipiens ait: *Quando* Deut. 12.
dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos sicut 20.
loquutus est tibi, & volueris vesci carnibus quas desiderat anima tua, locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, ut sit nomen ejus ibi, procul fuerit; occides de armentis & pecoribus quæ habueris, sicut præcepit tibi, & comedes in oppidis tuis, sicut tibi placet: sicut comedetur caprea & cervus, ita vesceris eis: & mundus & immundus in commune vescentur: Hoc solùm cave, ne sanguinem comedas, sed super terram funde quasi aquam, & sit tibi benè & filiis tuis post te. Quæ omnia spiritaliter postquàm per apostolorum prædicationem fides in gentibus dilatata est, impleta esse credimus & fatemur. Quòd autem per carnem gentes figurentur, hoc est à parte totum Psalmographus canit: *Exaudi*, inquit, *ora-* Psal. 64. 3.
tionem meam, ad te omnis caro veniet. Et in Isaïa:
Et videbit, ait, *omnis caro Salutare Dei nostri.* Isa. 40. 5.
Et Apostolus: *Quia ex operibus*, inquit, *legis* Rom. 3. 20
non justificabitur omnis caro coram illo, hoc est omnis homo. Quòd verò de sanguine eorum animalium non comedere, sed super terram quasi aquam fundere præcepit, hoc typicè innuit quòd sancta electorum Ecclesia gentes ad se conversas, & per baptismi gratiam innovatas, ita in sua communione recepit vel recipit, ut tamen eorum peccata pristina quæ in gentilitate gesserunt omninò nec approbet, nec recipiat, sed velut aquam super terram fundat,

[a] id est per [a] confessionem pœnitentiæ in conspectu Domini cuncta patefaciat, & per aquam baptismatis seu lacrymarum compunctionem universa quæ egerunt abluat. Quod verò addidit, *mundus & immundus in commune vescentur*, sicut per mundum significat populum ex circumcisione credentem, ita & per immundum plebem exprimit ex gentilitate ad fidem venientem: & sicut per capream & cervum allegoricè apostolos & apostolicos viros ex Judæis electos, ita per armenta & pecora doctores & auditores ex gentibus fideles demonstrat: inter quos in Ecclesia post conversionem nulla est discretio: in quibus unus Deus, una fides, unumve baptisma accipitur, atque unum vinculum karitatis ab omnibus retinetur. Sed licet universus populus Ecclesiæ in unitate fidei & vinculo caritatis connecti debeat, non dividi: generaliter verò in tribus professionibus discretus est, in clericis videlicet & monachis atque laïcis, id est popularibus. Clerici sunt episcopi, presbyteri, seu diaconi & ceteri Ecclesiæ ministri, qui per civitates, vicos, atque castella ecclesias sibi creditas regunt, vel in eis unusquisque secundùm ordinem suum deserviunt. Monachi verò dicuntur, qui remoti à sæculi hujus actionibus, & mundi sollicitudinibus absoluti, aut in monasteriis sub regulari disciplina vivunt, aut in solitudinibus quoquo modo possunt degunt. Quidam verò sub professione monachorum suis legibus suisque moribus ac voluntatibus vivunt. Laïci autem vocantur populares, id est conjugati vel ceteri omnes mundi actibus dediti, & sæculi hujus sollicitudinibus occupati. In quibus tamen tribus professionibus esse bonos, esse similiter & malos sapiens ambigit nemo: nec tamen propter malos oportet relinquere bonos, nec propter improbos condecet vituperare probos, sed potius propter bonos necesse est tolerare malos, quia nequitia malorum probatio fit bonorum.

Deut. 12. 22.

Ecclesia constat ex clericis monachis & laicis.

Bonis mali ubique permixti.

Has tres professiones fidelium in Ecclesia Dominus in Levitico figuraliter per tria genera animalium liniavit, dicente ipso per Moysen: *Omnium decimarum boves, & oves, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Omnes decimæ terræ sive de frugibus sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* Decimæ terræ sunt consummatæ Ecclesiæ virtutes tam in minimis quàm etiam in magnis: quæ cunctæ Domini sunt, à quo & sanctificantur. Per boves quippe significantur clerici, id est sacerdotes ecclesiæ, de quibus rursùm Moyses in Deuteronomio: *Non alligabis*, ait, *os bovi terenti in area fruges tuas*: quod Apostolus exponens ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* An pro nobis utique dicitur? Per oves verò simplicitas innuitur monachorum per capras autem sæcularium vita exprimitur, hoc est laïcorum. Quæ cuncta sub virga disciplinæ & numeri perfectione ex hac vita ad regna cœlorum transeunt.

Lev. 17. 31

Deut. 25. 4.

1. Cor. 9. 9

De his tribus professionibus rursùm Dominus per Isaïam prophetam allegoricè velut de quodam ligno ad Ecclesiam de futuro pollicens ait: *Gloria*, inquit, *Libani ad te veniet, & abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ.* De his tribus demum professionibus Dominus sub nominibus trium sanctorum, id est Noe, Danihel, & Job ad Ezechielem prophetam inter cetera affatus ait: *Velut si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio: transi per terram, & interfecero de ea hominem & jumentum, & tres viri isti fuerint in medio ejus Noë, Danihel, & Job, vivo ego, dicit Dominus, non liberabunt filios, neque filias, sed ipsi soli liberabuntur.* Quod utique juxta litteram stare non potest, præsertim cùm eo tempore quo ad Ezechielem prophetam hæc Dominus loquebatur, præter Danihel qui adhuc supererat, Noë, atque Job plurimo jam tempore ante obierant. Sed per Noë præsignati sunt rectores & gubernatores Ecclesiæ, quemadmodum & ipse in diluvio gubernavit arcam. Per Danihel verò, qui in aula regis cœlibem vitam retinuisse legitur, exprimuntur virgines & continentes à conjugali opere vacantes. Per Job autem innuuntur fideles conjugati, & justitiam diligentes: ex quibus tribus personis quicumque sunt justi neque ex religiosis filios suos, hoc est discipulos malos, neque ex conjugatis filios carnales, si reprobi fuerint, liberare poterunt, præter illos quos divina misericordia gratuitâ miseratione liberaverit.

Isa. 60. 13.

Ezech. 14. 17.

De his tribus professionibus fidelium in Ecclesia Salvator noster in Evangelio figuraliter loquens ait: *In illa nocte*, per quam exprimitur ultima tribulatio, *duo erunt in agro*, id est clerici in Ecclesia operantes, *unus assumetur, & unus relinquetur.* Assumetur utique bonus ad regnum, relinquetur verò malus ad supplicium. *Duo*, inquit, *in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur.* Quod non absurdè de monachis accipiendum est, qui in requie spiritali velut in lecto quiescunt: ex quibus tamen alii assumuntur ad regnum per simplicem vitam, alii autem relinquentur ad damnationem propter incongruam conversationem. *Duæ*, ait, *in molendino, una assumetur, & una relinquetur.* Per quas rectè exprimuntur plebes sæcularium carnaliter viventes, terrenoque lucro velut in molendino devinctæ: ex quibus similiter assumuntur boni per opera justitiæ, relinquentur verò mali propter nequitiam suam.

Matth. 24. 40.

De quibus tribus professionibus rursùm Dominus per alium Evangelistam, cùm de fine mundi loqueretur, inter cetera pronuntians ait: *Tunc qui in Judæa sunt fugient ad montes*, hoc est fideles in ecclesia, in qua vera est confessio, ad sanctorum videlicet defensionem seu prædicationem. *Et qui in tecto*, inquit, *non descendet tollere aliquid de domo sua*: quod de monachis rectè accipiendum est, quibus non oportet de superiore conversatione velut de tecto ad ea

[a] Innuere videtur hic Rabanus Gentiles ad baptismi gratiam accedentes peccata in infidelitate commissa confiteri debere priusquam tingantur. Eadem est sententia Tertulliani libro de Bapt. cap. 20. & S. Gregorii Nazianzeni sermone in sanctum lavacrum. Qua de re vide si lubet quæ diximus in lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 1. art. 10. num. 12.

quæ in mundo renuntiaverunt domum descendere. *Et qui in agro*, ait, *non revertatur tollere tunicam suam:* Sacerdotes videlicet in Ecclesia velut in agro Domini operantes, quibus non licet ad veterem vitam, quam in baptismo velut tunicam exposuerunt, iterum reverti & resumere quod in primordio conversionis suæ renuntiaverunt.

CAPUT LVI.

De sanguine animalium qui ab esu fidelium per legem prohibetur.

Levit. 17. 12. DIcente Domino ad Moysen, & per Moysen filiis Israhel: *Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, ex advenis qui peregrinantur apud vos.* Et infrà: *Anima enim omnis carnis in sanguine est, unde dixi filiis Israhel, anima universæ carnis in sanguine est; & quicumque comederit illum, interibit.* Et in Deuteronomio: *Hoc solùm observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundas in terra quasi aquam.* Item ibi: *Absque esu dumtaxat sanguinis quem super terram quasi aquam effundes*, & cetera. Sanguis enim animalium non ideò ab esu interdicitur, quasi res sit immunda, aut quicquam malum vel contrarium, sed ob id quod per illud aliud prohibetur, sicut & per animalia diversi generis non eadem animalia, sed actiones hominum improbas vetat. Quod si sanguis animalium res esset immunda vel nociva, nequaquam Dominus eum in sacrificium sibi ad altare offerri juberet, neque ex eo ea quæ immunda erant expiare præciperet. Si autem sanguis elementum esset immundum aut contrarium, profectò & caro cui immixtus est immunda foret, præsertim cùm in corpore animalis ita sibi conveniunt, ut unum absque alio esse non possit. Quòd si esus sanguinis hominem contaminat, procul-dubiò & caro quam absque sanguine edere non valet, similiter facit. Sed quia Lex spiritalis est, & spiritaliter examinatur: idcircò quid sanguis aliter atque aliter significet scire nobis convenit. Sanguis quippe in Lege aliquando significat illum pretiosum sanguinem Salvatoris nostri per quem redemti sumus, & à sordibus peccatorum nostrorum mundati. De sanguine in Exodo & in Levitico atque in ceteris libris legis & prophetarum mysticè, velut de agni sanguine, sive vituli, atque arietis, seu hyrci, vel aliorum animalium, multifariè scriptum est. Aliquando verò sanguis animalium & sanctorum martyrum exprimit cruorem, qui pretiosus in conspectu Domini, velut ex mundis animalibus per confessionem fidei oblatus est. Aliquando autem sanguis animalium mundorum desiderium significat sanctorum, qui per mortificationem carnis, quasi de animalibus occisis ex intimo cordis toto affectu velut ad altare in conspectu Domini funditur. Interdum verò sanguis pro animæ accipitur origine, cujus natura secreta & Deo soli cognita est. De cujus substantia mysticè Dominus in Deuteronomio præcipiens dicit: *Sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debet animam comedere cum carnibus.* Ergo secundùm divinum præceptum de carne quæ præcepta est comedi nobis disputandi facultas est adtributa, quæ utique in manifesto est unde originem trahat: de animæ verò substantia nihil ad disputandum penitus præsumendum; sed sicut sanguis pecudis ad basim altaris effunditur: ita quoque animarum origo secreto divinitatis est scientiæ relinquenda, cujus solius est nosse quemadmodum ab illo creatæ formatis jam corporibus inserantur. Sed nec ea quæ de animæ substantia pertinere noscuntur, quid facilè proferendum est, quia & reticulum jecoris & renunculi cum arvinis suis & omni pinguedine quæ ventrem atque vitalia operit, divino altari concremanda à sacerdotibus offerri præcepta sunt. Nonnumquam etiam per sanguinem interfectionem figurat animæ, id est mortem quæ per peccatum instinctu dæmonum fit, sive quæ ab hæreticis hominibus infertur, ut est illud in Genesi, dicente Domino ad Noë: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius:* ad imaginem quippe Dei factus est homo, & utique anima in sua substantia vel quæ spiritus est sanguinem minimè habet: sed, ut dictum est, per ejus sanguinem interemtionem illius significat. Hoc enim demum Dominus per Ezechielem prophetam exprimit ubi dicit: *Sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram*, hoc est mortem animæ illius qui per incuriam pastoris mali perierit. Crebro vero sanguis pro peccato accipitur quod per carnem perpetratur, quod qui comederit, hoc est de hujuscemodi cibo, morte morietur. De quo sanguine, opere videlicet carnis, in Osee propheta scriptum est: *Sanguis sanguinem tetigit*, hoc est peccata peccatis cumulata sunt, *propterea lugebit terra & infirmabitur omnis qui habitat in ea.* Et in psalmo: *Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ*, id est erue me de multis peccatis. Et in Apostolo: *Caro*, inquit, *& sanguis regnum Dei non possidebunt*, id est ingluvies & luxuria, & alia plurima. Qui sanguis, opera videlicet carnis, à nobis vesci non debet, nec ejus delectatione nos pasci oportet, sed per confessionem pœnitentiæ & cordis compunctionem velut aquam super terram coram Domino effundere, id est pristina peccata nostra non debemus in conscientiis nostris celando suffocata retinere, sed ut dictum est, per confessionem mala quæ gessimus patefacere, aut certè in terra abscondere, in ipsa videlicet carne, ex qua oritur, ejus delectationem ita mortificare, ut in opus nefarium penitus non pareat. De qua mortificatione Apostolus fideles exhortans dicit: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam.*

Nonnumquam verò hæreticorum dogma & Judæorum carnales superstitiones tropolo-

Marginal references: Levit. 17. 12.; Deut. 12. 23.; Deut. 12. 16.; Deut. 12. 23.; Gen. 9. 5.; Ezech. 33. 6.; Osee 4. 2.; Psal. 50. 16.; 1 Cor. 15. 50.; Coloss. 3. 5.

gicè in divinis libris sanguis appellatur: de quo A sanguine pro viro justo in libro Isaïæ prophetæ scriptum est: *Qui obturat aurem suam ne audiat sanguinem*, id est omnem loquutionem quæ animam maculat. De quo perverso hæreticorum dogmate seu Judæorum sive sapientium hujus mundi, vel quolibet facinore malorum, in Jheremia propheta scriptum est: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter vel fraudulenter: & maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Per gladium quippe sermo increpationis, per sanguinem verò loquutio, ut dictum est, perversa, seu facinus malorum exprimitur. Si quidem dogma hæreti- B corum & Judæorum carnales observationes non solùm sanguis, sed & caro immunda & contaminata atque morticina rectè appellatur, ut est illud in Exodo: *Carnem quæ à bestia fuerit prægustata non comedetis, sed projicietis canibus*: id est ipsis hæreticis relinquite. Et in Levitico. *Carnes*, inquit, *eorum ne comedetis, & morticina eorum non contingetis.* Ideo autem hæreticorum dogma, & Judæorum superstitiones, seu scientia infidelium, caro immunda & à bestia prægustata dicitur, quia non spiritalis sed carnalis est, neque per donum Spiritus-sancti inspirata, sed à diaboli mendacio cor- C rupta.

Isa. 33. 15.

Jer. 48. 10

Exod. 22. 31.

Lev. 11, 11.

Illud vero quod in Deuteronomio scriptum est, dicente Moyse ad filios Israhel: *Sanguis enim eorum*, hoc est animalium, *pro anima est, & idcirco non debes animam comedere cum carnibus*, non juxta litteræ simplicitatem, sed spiritaliter accipiendum est. Neque enim ita credendum est ut sanguis sit anima, cùm ille sit res corporea & tractabilis, animæ verò substantia spiritalis & incorporea atque invisibilis, ut pote ad imaginem Dei creata: sed idcirco anima sanguini comparatur, quia sicut sanguis per omnia membra corporis immixtus carna- D liter, ita & anima toto in corpore diffusa subtiliter habitat: omnis quippe res cujus figuram gerit, ejus procul dubio & vocabulum sortitur: sicut & per mortem quam lex comedentibus sanguinem comminatur, non mortem carnis, quam evadere nemo potest; sed mortem animæ, quæ in æternum hominem punit, exprimere certum est. Ceterùm de sanguinis esu neque Dominus in Evangelio uspiam mentionem facit, neque sancti apostoli in epistolis suis hoc prohibuisse reperiuntur, excepto quod in Actibus Apostolorum rudi adhuc Ecclesiæ Jacobus apostolus cum ceteris hoc pro- E hibuisse describitur. Sed alia quædam illo in tempore apostoli secundùm Legem custodiebant, quæ nunc in Ecclesia servare valde est contrarium: quis enim ex numero fidelium hodie decima quarta luna pascha cum Judæis celebrare sine offensione potest, sicut illos tunc ob necessitatem temporis fecisse non dubium est? Ipse quoque beatus Jacobus apostolus, sicut scriptura Actuum apostolorum narrat, circumcisionem carnis illis qui ex Judæis credebant, in eorum infantibus non prohibebat fieri, quod nunc in Ecclesia facere quàm inli-

Deut. 12. 23.

citum contrariumve sit piorum ignorat nemo. Nempe beatus Paulus apostolus, qui circumcisionem carnis in ecclesia custodire omnimodis prohibet, ipse ob necessitatis occasionem & eorum scandalum qui ex Judæis cum eo comitabantur vitandum, Timotheum discipulum suum, cùm esset gentilis, circumcidit. Inde est enim quod idem Apostolus de semetipso testatur dicens: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Certè Judæi & plerique hæretici sanguinem animalium comedere renuunt, & tamen Dominus de esu sanguinis sæpè dictos Judæos redarguens per Ezechielem prophetam dicit: *Hæc dicit Dominus Deus: qui in sanguine comedistis, & oculos vestros levastis ad immunditias vestras & sanguinem fudistis*, ut ostenderet non de cibo sanguinis eos condemnare, sed de opere carnis, quod per eamdem carnem perpetratur, confutatur.

1. Cor. 9. 20.

Ezech. 33. 25.

CAPUT LVII.

De adipibus qui per Legem edi prohibentur.

De quibus adipibus in Levitico inter cetera scriptum est: *Adipem qui operit ventrem & qui tegit universa vitalia, duos renunculos cum reticulo quod est super eos juxta ilia & arvinam jecoris cum renunculis, adolebitque sacerdos super altare in alimoniam ignis & suavissimi odoris. Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris. Nec adipem nec sanguinem omninò comedetis.* Item ibi: *Adipem bovis, & ovis, & capræ, non comedetis. Adipem cadaveris morticini & ejusmodi animalis habebitis ad usus varios. Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini comederit, peribit de populo suo. Sanguinem quoque omnis animalis non consumetis in cibo, tam de ovibus, quàm de pecoribus. Omnis anima quæ comederit sanguinem, peribit de populis suis.* Sanguis, ut quidam volunt, hoc in loco animæ significat originem, de quo nobis edendi, hoc est disputandi, facultas minimè conceditur; sed ad basim altaris, id est divinæ scientiæ illum reservando effundere. Similiter & adipes qui operiunt vitalia, sive duos renunculos cum reticulo, & cetera quæ interiùs latent corpori: quæ omnia ad secretam animæ originem pertinere mysticè non dubium est. De qua animæ substantia nobis comedendi, id est disputandi licentia negatur, sed soli Deo, ut superiùs est dictum, qui cuncta novit, per humilitatis nostræ ignorantiam velut in sacrificio offerri debent. In vitalibus quippe spiritaliter ipsa animæ substantia intelligitur, per quam corpus movetur & vivit. Per duos verò renunculos sensus ejusdem animæ, per quos delectatio carnis restringitur, & mentis fortitudo adversùs vitia roboratur, accipiuntur. Per jecur autem ratio designatur, quæ motus animæ temperat, & bona animalis subtiliter distinguit. Per ventrem etiam memoria innuitur,

Lev. 3. 14.

Lev. 7. 23.

De animæ origine non disputandum.

in qua cuncta quæ cogitat velut cibos in ventre recondit: quæ omnia, ut dictum est, ad interiorem hominem convenire noscuntur: cui interiori homini pertinet scire, recolere, id est memorari, atque velle.

Nonnumquam verò adeps simpliciter sine mentione cujusquam animalis, de quo nobis edendi facultas interdicitur, significat latens atque subtile, & quoddam impenetrabile arcanum, & spiritalem in divinis libris occultumque intellectum, & à sensibus nostris remo-
Exod 12. 10. tum: de quo in Exodo: *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Quod tunc ritè velut quosdam adipes in Dei altario incendimus, si ea quæ de sacra scriptura penetrare non valemus, Spiritui-sancto, à quo dicta est, simpliciter relinquimus, ne fortè dum per audaciam temeritatis nostræ ea quæ de scripturis sanctis rectè intelligere non valemus, prædicare præsumimus, in hæresim conversi, & aliis offendiculum ponamus, & nos ipsi ab Ecclesiæ unitate divisi in æternum pereamus. Rursùm adeps significat eamdem sacram scripturam, quæ non simpliciter rectéque intelligitur, & in hac vita ante futurum judicium impleri oportet: de qua divina præcepta
Exod. 23. 18. nobis Dominus in Exodo præcipiens dicit: *Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps sollemnitatis meæ usque manè.* Super fermento quippe sanguinem victimæ immolant, qui cum evangelica perfectione umbras & imagines custodiunt legis atque Judæorum superstitiones. Adipem verò dominicæ hostiæ illi in mane relinquunt, qui evangelica præcepta in hac vita implere neglegunt, atque sine satisfactione de hoc sæculo migrantes, futura in resurrectione impunitos se esse confidunt.

Rursùm per adipes spiritaliter figurantur carismatum dona, quæ per Spiritum-sanctum in corda electorum conlata diffunduntur, id est sapientia & intellectus, consilium & fortitudo, scientia & pietas, timor & compunctio, Karitas & gaudium, pax & longanimitas, bonitas atque benignitas, patientia & modestia, seu humilitas, atque ceteræ virtutes. Hos adipes & hanc pinguedinem Spiritus-sancti Propheta
Psal. 62. 6. accipere cupiebat cùm dicebat: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Hanc pinguedinem, hoc est dona spiritalia Dominus electis suis per Jheremiam prophetam se daturum
Jer. 31. 14. pollicens ait: *Inebriabo animas sacerdotum eorum pinguedine, & populus meus bonis meis adim-*
Isa. 55. 2. *plebitur, dicit Dominus Deus.* Et alibi: *Et delectabitur in crassitudine anima mea.* De hac spiritali pinguedine quæ mentes electorum inebriat, propheticus spiritus per Psalmistam ad Eccle-
Psal. 19. 4. siam optando dicit: *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Quicumque enim opus bonum sine interna dilectione Dei & cordis compunctione operatur, iste holocaustum habet, sed aridum, non pingue. De qua pinguedine spiritali atque ho-
Lev. 6. 12. locausto in Levitico mysticè scriptum est: *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna manè per singulos dies, & imposito desuper holocausto adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus qui numquam deficiet de altari.* Omnis namque fidelis in Ecclesia, qui verè membrum est Christi sacerdotis magni, rectè sacerdos appellatur, cujus cor ad altare Dei est: in quo altare cordis sui idem sacerdos, id est quilibet electus quasi ligna subjicit, cùm per assiduam meditationem Legis scientiam sanctarum scripturarum in sensu multiplicat: ex qua scientia velut ignis ex lignis divinis, scilicet dilectio flammescit, quia, ut ait Salomon: *Qui addit scientiam, addit & dolorem.* Eccl. 1. 18.
Super ignem holocaustum imponit, cùm se ob amorem divinum in Dei sacrificio mactat, ut nihil in se quod carnaliter vivat delinquat. Adipes pacificorum adolet, cùm per compunctionem cordis & lacrymarum cum Deo pacificat, à quo ante conversionem velut ante mane delinquendo discordabat. Ignis iste Karitatis, fervor videlicet spiritalis, perpetuus est, nec extingui potest, quia in cordibus electorum in hac vita incipit ardere, sed in futuro magis succensus ardebit, sicut est illud in Isaïa: *Dixit Dominus: cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jherusalem.* Isa. 31. 9.
De hoc igne qui per Spiritum-sanctum in cordibus electorum fervet, Veritas ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Luc. 12. 49.
De cujus calore Apostolus nos exhortans, *Spiritu*, inquit, *ferventes.* Rom. 12. 11.
Et alibi: *Karitas*, ait, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* Ibid. 5. 5
Hoc enim in Lege retro olim mysticè præfiguratum est, in eo quod Dominus nullum sibi ex simila frigidum sacrificium vel tepidum, sed calidum atque fervens offerri præcipiebat: neque rursùm ullum animal macilentum aut debile in holocaustum exhiberi jubebat, sed tantùm pingue atque immaculatum, illud nobis innuens, quod nulla anima quæ dono spiritali ex toto caret, & per duritiam mentis frigida existit, sive tepore cordis post conversionem rursùm frigescit, in Dei sacrificio acceptabile esse non potest. Accipitur verò adeps & in malam partem propter crassitudinem mentis, & cordis obtunsionem: de qua crassitudine sensus pro viris impiis, qui nihil subtile, nihil spiritale sentiunt, sed totum crassum, totum carnale sapiunt, in libro beati Job scriptum est: *Operuit crassitudo faciem ejus, & de lateribus ejus arvina dependet.* Job. 15. 27
Et in Psalmo de divitibus hujus mundi. *Prodiit*, ait, *quasi ex adipe iniquitas eorum.* Ps. 72. 7.
Et alibi de Judæis: *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam.* Psal. 16. 10.
Et alibi de ipsis: *Incrassatum est cor populi hujus.* Act. 28. 27.
De quibus Judæis qui nihil, ut dictum est, spiritaliter, sed omnia carnaliter sentiunt, in Deuteronomio scriptum est: *Incrassatus est dilectus & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Deut. 32. 15.



CAPUT

CAPUT LVIII.

De eo quod catholicus Christianus nihil in cibo aut potu quasi immundum aut commune quicquam judicet, ne creaturam Dei, quam ille bonam instituit, more Judæorum per superstitionem audeat condemnare.

DE qua creatura in Genesi scriptum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et iterum ibi ad Noë & ad filios ejus Dominus ait: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur in terra: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Veritas quoque in evangelio secundùm Marcum discipulis suis & turbis ait: *Nihil est extra hominem introïens in eum quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem, quia omne extrinsecus introïens in hominem non potest eum communicare, quia non introït in cor ejus, sed in ventrem, & in secessum exit, purgans omnes escas.* Beatus denique Paulus apostolus in epistola ad Romanos inter cetera scribens ait: *Scio, & confido in Domino* JHESU, *quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Item ipse ad Colossenses: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Et iterum ipse in epistola prima ad Timotheum de quibusdam hæreticis inter cetera sic ait: *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide adtendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et rursùm ipse ad Titum: *Increpa illos*, ait, *durè, ut sani sint fide, non intendentes Judaïcis fabulis & mandatis hominum aversantium se à veritate. Omnia munda mundis, coïnquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentes se nosse Deum, factis autem negant.* Et hæc quidem proferentes, non gulæ cedimus, vel ingluviam laudamus, sed ne Dei creatura damnetur interdicimus; continentiam magis quàm comessationes atque ebrietatem approbantes: beato Paulo apostolo nos rursùm ad rigorem abstinentiæ informante ac dicente: *Non est regnum Dei esca & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu-sancto.* Et paulò post: *Omnia quidem munda sunt, sed malum est* A *homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Item ibi: *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione.* Et alibi: *Esca nos non commendat Deo: neque enim si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus deficiemus.* Item alibi: *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruct.* Rursùm ipse ad Colossenses: *Quæ sunt*, ait, *rationem quidem habentia sapientiæ in superstitionem & humilitatem, & ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem* B *carnis.* Hinc demum in epistola ad Galatas comessationes & ebrietates inter capitalia peccata conlocans ait: *Comessationes & ebrietates & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et post paululum: *Qui autem sunt*, inquit, *Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Et alibi: *Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Veritas etiam in Evangelio secundùm Lucam de improviso die judicii nos terrens ait: *Attendite* C *ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate & curis hujus mundi, & superveniat repentina dies illa.* Neque enim manducare crimen est, sed incongruè manducare peccatum & crimen est. Diversorum enim animalium carnium esus, ut quidam ait, pollutionem habet, crimen non haber. Denique diebus [a] quadragesimis certis, sive legitimorum jejuniorum temporibus tam ab edacitate carnium quàm à commixtione corporum qui non abstinuerit, non pollutionem solum, sed etiam crimen incurrit.

Gen. 1. 31. Ibid. 9. 1. Mar. 7. 15. Rom. 14. 14. Colos. 2. 16. 1. Tim. 4. 1. Tit. 1. 13. Rom. 14. 17. Ibid. 20. Rom. 13. 13. 1. Cor. 8. 8. Ibid. 6. 13. Colos. 2. 23. Gal. 5. 21. Ibid. 24. Rom. 8. 13. Luc. 21. 34. [a] NOTA.

D

CAPUT LIX.

De fermento quod in diebus paschæ comedi prohibetur, & in sacrificio Dei offerri omnimodis inhibetur.

DE quo fermento in Exodo scriptum est: *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israhel à primo die usque in septimum.* Item ibi: *Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ.* Et in Levitico: *Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiet: nec* E *quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificium Domino.* In quo libro Levitico rursùm Dominus in die pentecosten fermentatos panes sibi offerri præcepit, dicente ipso Domino per Moysen filiis Israhel, *Numerabitis ergo ab altera die sabbati in quo obtulistis manipulos primitiarum septem ebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis ebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies. Et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini,*

Exod. 12. 15. Ibid. 23. 18. Lev. 2. 11. Ibid. 23. 15.

[a] Vide si lubet ea quæ hac de re diximus in libro 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 9. art. 4. n. 6.

Quod utrumque si secundùm litteram accipiatur, valde contrarium sibi existit: sed quia Lex spiritalis est, & spiritaliter examinatur, quomodo hæc sibi rectè conveniant intuendum est. Fermentum enim aliquando in bonam partem, aliquando verò in contrariam

Fermentum in bonam & in malam partem. accipitur. Fermentum quippe spiritaliter in malam partem significat omne peccatum, quod ex veteri homine ante purificationem baptismi in conscientia sua homo velut in propria domo retinet: de quo fermento peccati beatus Paulus apostolus in epistola ad Corinthios prima fideles Ecclesiæ exhortans ait: *Ex-*

1. Cor. 5. 7. *purgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Illi enim in diebus paschæ fermentum de domibus suis non ejiciunt, qui in Christi passione & resurrectione per lavacrum regenerationis innovati pristinam vitam ac priores errores de conscientiis suis non expurgant. Aliquando enim fermentum figurat umbras & imagines Legis, atque Judæorum superstitiones quæ mentes carnalium corrumpunt: de quo fermento in Exodo scriptum

Exod. 23. 18. est: *Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ.* De hoc fermento Veritas in Evan-

Luc. 12. 1. gelio discipulos suos monens ait: *Attendite vobis à fermento Pharisæorum & Sadducæorum, quod est hypocrisis.* Super fermento quippe sanguinem victimæ immolant, qui cum evangelica perfectione umbras & imagines custodiunt Legis, atque Judæorum superstitiones non derelinquunt. Aliquando verò fermentum hæreticorum falsa dogmata mysticè exprimit quæ mentes miserorum velut fermentum corrumpunt: de qua corruptione beatus Paulus apos-

1. Cor. 15. 33. tolus ait: *Corrumpunt mores bonos conloquia mala.* De hoc fermento mendacii in Amos propheta adversus hæreticos prænuntiatum est,

[a] loquente Domino per [a] Jheremiam prophetam ad ipsos: *Venite ad Bethel, & impiè agite ad Galgala, & multiplicate prævaricationes, & afferte manè victimas vestras, tribus diebus decimas vestras, & sacrificate de fermentato laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annuntiate. Sic enim voluistis filii Israhel.*

Sciendum est tamen quod sicut per fermentum generaliter significat universa vitia quæ supra taxata sunt; ita & per mel, quod Dominus in sacrificio sibi offerri prohibet, præfigurat omnem peccati dulcedinem & adulantium favores seu blandimenta deceptionis, quæ mentes carnalium dum demulcent, non solùm ab inlicitis non compescunt, sed etiam in inlicitis resolvunt: & inde est quod in omni sacrificio sal discretionis atque austeritatis sibi Dominus offerri jubet.

Aliquando enim fermentum accipitur in bonam partem propter evangelicam doctrinam & veram fidem atque donum Spiritus-sancti, quod mentes fidelium sursum levat ad Deum.

[a] Immo Amos 4. 4.

A De quo fermento fidei & evangelicæ prædicationis Dominus in evangelio secundùm Matthæum loquens ait: *Simile est regnum cælorum* Matth. 13.

fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. De 33. hoc fermento fidei & evangelicæ doctrinæ atque dono Spiritus-sancti, quod mentes fidelium in dilectione Dei suscitat & fervere facit, olim Dominus per Moysen secundùm Leviticum in in die pentecosten, hoc est in adventu Spiritus-sancti duos panes primitiarum, id est duos populos, ex circumcisione videlicet & præputio venientes de duabus decimis similæ, hoc est

B legis & evangelii fidei fermento repletos, & aqua baptismatis aspersos, atque calore Spiritus-sancti solidatos per apostolorum prædicationem sibi offerri prædixit.

CAPUT LX.

De reddendis peccatis patrum in filios, & iterum de non exquirendis peccatis patrum in filios.

IN Exodo scriptum est, loquente Domino ad filios Israhel in monte Synaï: *Ego sum*

C *Dominus Deus fortis, zelotes, visitans iniquitatem* Exod. 20. 5.

patrum in filiis in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. Et in Deuteronomio Moyses similiter id ipsum replicans ait: *Ego* Deut. 5. 9.

enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me. Per Isaïam autem prophetam Dominus Judæis comminans ait: *Ecce scriptum est coram me, non* Isa. 65. 6.

tacebo, sed reddam & retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus. Hieremias etiam propheta in oratione sua Domino supplicans ait:

D *Non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitates pa-* Jer. 32. 17.

trum in sinu filiorum pro eis. De non exquirendis verò peccatis patrum in filios rursùm in Deuteronomio scriptum est: *Non occidentur* Deut. 4.

patres pro filiis, nec filii pro patribus suis; sed 16. *unusquisque pro peccato suo morietur.* Hinc demum Dominus per Jheremiam prophetam de novo Testamento pollicens ait: *In diebus illis* Jer. 33. 29.

non dicent ultra, patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed unusquisque in iniquitate sua morietur. Omnis homo qui comederit uvam, obstupescent dentes ejus. Per

E Ezechielem quoque prophetam similiter Dominus affatus est dicens: *Ecce omnes animæ meæ* Ezech. 18.

sunt, ut anima patris, ita & anima filii mea est. 4. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et infrà: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater* Ibid. 19.

non portabit iniquitatem filii. Justitia justi super caput ejus erit, & impietas impii super eum erit. Quod utrumque juxta historiam contrarium sibi existere quis non videat? secundùm sanum verò intellectum non contrarium, sed conveniens & rectum est. Reddet utique pec-

cata parentum Dominus in filios, in eos videlicet qui in Christum credere nolentes ab originali delicto per ejus redemtionem liberati non sunt, qui in veterem hominem ambulantes per fidem & lavacrum regenerationis innovati nequaquam sunt. Qui in eumdem Christum Dominum, ut dictum est, credere nolentes ab illa massa humani generis, quæ olim in Adam damnata est, per ejus gratiam exemti non sunt. Redundant proculdubio peccata parentum in filios, hoc est in Judæos incredulos, quorum patres adversus Dominum improbis vocibus clamantes dixerunt: *Sanguis hujus super nos & super filios nostros.* Quos utique Dominus non solùm de originali delicto, sed etiam & de neglecta Lege naturæ, & de prævaricatione Legis Moysi, atque de diffidentia evangelicæ prædicationis rectè damnat. Iterum non reddet peccata patrum Dominus in filios, in eos videlicet qui ad novum pertinentes Testamentum, per Christi gratiam & lavacrum regenerationis tam ab originali delicto quàm etiam ab actuali abluti sunt. De quibus propheta ait: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum:* quibus tamen per lavacrum regenerationis non præterita peccata parentum, sed sua propria quæ postea commiserint requirit, nisi per dignam pœnitentiam rursùm satisfaciant, ut veniam consequi valeant.

Matth. 27. 25.
Psal. 31. 1.

CAPUT LXI.

De reddendo malum pro malo, & iterum de non reddendo.

DE reddendo quippe malum pro malo in Exodo scriptum est, præcipiente Domino ad Moysen: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno quantum expetierit maritus mulieris, & arbitri judicarint: sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* In Deuteronomio rursùm similiter Dominus per Moysen filiis Israhel in figura evangelii secundùm Legem tribuens ait: *Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum prævaricationis, stabunt ambo quorum causa est ante Dominum in conspectu sacerdotum & judicum qui fuerint in diebus illis: cùmque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit; & auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* De non reddendo malum pro malo in Levitico præcipiente Domino scriptum est: *Ego Dominus, ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum:* ut cum illo rectè conveniat quod Veritas in evangelio ait, *Non resistere malo.* Et Apostolus: *Nulli malum pro malo reddentes.* In Deuteronomio quoque pro omni delicto non simili damnatione sicut superiùs delinquentibus reddere Dominus jussit, sed hoc modo per Moysen filiis Israhel præcipiens ait: *Si fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint judices; quem justum prospexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis: sin autem qui peccavit dignum audierint plagis, prosternent & coram se facient verberari; pro mensura peccati, erit & plagarum modus, ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fortè dilaceratus ante oculos tuos habeatur frater tuus.* Quæ sententia ultionis cum superioribus per quas animam pro anima & cetera exigere præcepit nullo modo convenit. Secundùm sanum verò sensum & allegoricum intellectum utraque sibi rectè concordant. Reddere enim malum pro malo vicissitudo justitiæ est: non reddere autem malum pro malo opus est misericordiæ, & officium caritatis. Superexaltat autem misericordia judicium: reddet enim malum pro malo Dominus in occulto justoque judicio suo hæreticis, non solum in futuro, sed & in præsenti sæculo. Omnis autem hæreticus cùm per impietatem suam alterius animam jugulat, suam proculdubio necat. Et hoc est quod Dominus ait: *Animam pro anima.* Cùm verò alium in fide scandalizat, ipse lumen fidei, quod se habere putat, velut pro oculo amittit; & cùm per mendacii sui calliditatem integritatem sensus in proximum frangit, ipse nihilominus sanum intellectum quasi dentem perdit. Cùm verò quempiam in opere offendere facit, ipse à bono opere quod se habere gloriatur, quasi sine manu vacuus remanet. Idemque dum alium à recto tramite fidei deviat, ipse proculdubio à perfectione bonorum operum velut amisso pede claudicat. Postremò dum aliorum animas decipiendo fallit, ac fallendo æterno supplicio tradit; ipse quoque simili damnatione multatus quasi [a] combusturam recipit. Ipsi enim hæretici signantur in Exodo, qui dum cum catholicis rixantur, mulierem prægnantem, id est infirmam animam ita percutiunt, ut abortum faciant, id est verbum fidei quod nuper à sanctis patribus audiendo conceperat, intempestivè velut mortuum projiciat. Ipsi denique sunt qui secundùm Leviticum in castris Hebræorum, dum adversus Israhelitas viros videlicet ecclesiasticos objurgant, nomen Dei nominant, hoc est blasphemant; quos Dominus per Legem velut per Moysen extra conventum ecclesiæ lapidibus peccatorum suorum obrui præcipit. Hi sunt testes falsi, qui juxta Deuteronomium proxi-

Exod. 21. 22.
Deut. 19. 16.
Lev. 19. 17.
Matth. 5. 39.
Rom. 12. 17.
Deut. 25. 1.
De hæreticis.
Deut. 19. 21.

[a] In ms. codice supra combusturam manus non recentior sic correxit pro combustura.

mos suos, viros scilicet catholicos de prævaricatione fidei accusant: quos Dominus duobus aut tribus, hoc est per utrumque Testamentum, sive per Legem & prophetiam atque evangelium convictos, simili damnatione sicut in Exodo & in Levitico puniri jubet. Hi sunt hæretici qui secundùm librum Jhesu Nave de anathemate Jherico, hoc est scientia sæculari & falsorum dogmatum superstitiones furantes atque in penetralibus cordis sui celantes iram Domini, adversus populum Dei concitant, qui nisi de ecclesia una cum sua perversa doctrina expulsi fuerint, fidelis populus adversus hostes suos, hoc est aërias potestates resistendi vires nequaquam habebit. Hi sunt viri sanguinum qui quotiens aliorum animas interimunt, toties sanguinem fundunt: de quibus

Gen. 9. 5. Dominus ad Noë loquens ait: *Sanguinem autem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum; & de manu hominis, & de manu viri & fratris ejus requiram animam hominis. Qui effuderit sanguinem effundetur sanguis ejus.* De quibus hæreticis Veritas in evangelio

Matth. 26. 52. ait: *Omnis qui percusserit in gladio, gladio morietur.* Quod non utique de gladio materiali, sed de gladio spiritali, quod est lingua litigiosa dixisse certum est. Illud verò quod in Deu-

Deut. 25. 2. teronomio Moyses ait: *Sin autem qui peccavit dignum audierint plagis, prosternent & coram se facient verberari, pro mensura peccati erit & plagarum modus; ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fortè dilaceratus ante oculos tuos habeatur frater tuus,* hoc nobis Lex mysticè præcepit, ut omnis delinquens intra Ecclesiam pro qualibet culpa, pro quolibet delicto ita præsenti in vita, quæ significatur per quadragenarium numerum, per sacerdotum correptionem, per satisfactionem pœnitentiæ, per divinum flagellum, vel qualibet adversitate à propria culpa purgetur, ne in futuro ad perpetuam damnationem reservetur; hoc enim figurat ultra quadragenarium numerum. Quod etiam beatus Paulus apostolus de quodam incesto apud Corinthios ad aliorum exemplum fecisse legitur: de quo incestu illis

1. Cor. 5. 1. scribens ait: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut*

Ibid. 3. *uxorem patris aliquis habeat.* Et infrà: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri* Jhesu Christi *congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri* Jhesu Christi *tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri* Jhesu Christi. Certum quippe est quod omnis culpa quæ in præsenti vita aut per dignam pœnitentiam aut per quodli-

[a] bet flagellum [a] omissa non fuerit, futuro in sæculo impunita nullatenus remanebit, dicente

Job. 9. 28. beato Job: *Siens quod non parcas delinquenti,* id est aut in præsenti sæculo, aut in futuro.



[a] *In margine laterali ms.* abolita.

CAPUT LXII.

De servo Hebræo qui septimo anno ad libertatem gratis exire jubetur, si tamen ipse voluerit.

IN Exodo jubente Domino scriptum est: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat. Si habens uxorem, & uxor egredietur simul. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi ejus erunt domini sui, ipse verò exibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus, diligo dominum meum & uxorem ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus diis, & applicabitur ad ostium & postes, & perforabit aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum.* De quo servo iterum in Levitico scriptum est: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius & colonus erit, usque ad annum Jubilæum operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & revertetur ad cognationem suam, & ad possessionem patrum suorum.* Et paulo post: *Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, & adtenuatus frater tuus vendiderit se ei aut cuiquam de stirpe ejus, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis redimet eum; & patruus, & patruelis, & consanguineus & adfinis. Sin autem & ipse potuerit, redimet se, subputatis dumtaxat annis à tempore venditionis suæ usque ad annum jubilæum.* (Exod. 21. 2.; Lev. 25. 39.; Ibid. 47.)

Quod utrumque juxta litteræ simplicitatem nequaquam sibi convenit, præsertim cùm in Exodo in septimo anno eumdem servum Hebræum liberè exire præcipiat gratis: in Levitico verò non in septimo, sed in anno jubilæo, qui est quinquagesimus, eum exire ad libertatem præcipiat, non tamen absque redemtione. Si autem spiritaliter intelligatur, utraque sibi rectè coaptantur. Mysticè quippe in sacro eloquio hoc significat septimus annus quod & quinquagesimus: septies enim septeni faciunt quadraginta novem, quibus addita monade implet quinquaginta: iste est enim annus jubilæus ab adventu Salvatoris usque in finem mundi. Unde & septuaginta Interpretes non annum jubilæum, sed annum redemtionis transtulerunt. In quo anno omnes de semine Israhel, hoc est de societate fidelium, qui ob delicti meritum in servitutem subjecti fuerant, ad pristinam libertatem quam olim in Adam peccando perdiderant, Christi interveniente gratia, nullis eorum præcedentibus meritis, gratis redeunt. De qua libertate Salvator Judæis loquens ait: *Quod si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Joan. 8. 36. Et beatus Paulus apostolus in ea quæ est ad Galathas: *At ubi,* Gal. 4. 4. inquit, *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret.* Item ipse: *Qua libertate,* ait, *Christus nos liberavit.* Ideo Gal. 4. 31.

autem gratis servus ille, hoc est omne genus A fidelium hanc libertatem consequi jubetur, quia nullis suis præcedentibus meritis, sed divina tantùm gratia, ut dictum est, eam consequitur: & rursùm non absque redemtione, quia omnes Christi sanguine sunt redemti. De qua redemtione Dominus per Isaiam prophe- Isa. 45.22 tam populo fideli loquens ait: *Revertere ad me, quia redemi te.* De hoc anno jubilæo in quo prædicta redemtio ab adventu Salvatoris usque in finem mundi prædicatur, ipse redemtor noster per Isaiam prophetam exorsus ait: Ibid. 63.4. *Dies enim retributionis supervenit illis, & annus redemtionis adest; & respexi, & non est adjutor:* B *& consideravi, & nemo auxilium tulit; & liberavit eos brachium meum, & ira mea astitit.* Et Isa. 61. 2. rursùm ibi: *Prædicare*, ait, *annum placabilem,* Ps. 64.12. *& diem ultionis Deo nostro.* Et in psalmo: *Benedices coronam anni benignitatis tuæ.* In hoc anno jubilæo, hoc est in hoc tempore ab adventu Salvatoris usque in finem mundi, qui- [a] cumque vult [a] scire ad æternam libertatem, per Christi gratiam atque ejus redemtionem & subsequente libero arbitrio ita potest. Si autem delectationem carnis & vitia ejus velut uxorem & filios quis plus diligat, quam æternam beatitudinem, non absque testimonio inobedientiæ suæ, cum ei Dominus ejus aurem cor- C dis per prædicatores suos velut per subulam sæpè tundit, servus manebit in sæculum perpetua servitute mancipatus. Et licet annus jubilæus æternam significet beatitudinem atque quietem, nemo tamen ad illam pervenire poterit, nisi qui prius in hoc tempore per Christi gratiam redemtus fuerit atque salvatus. Illud Exod. 21.3. verò quod ait, *cum quali veste intraverit, cum tali exeat*, hoc mysticè innuit, quia unaquæque anima electa cum eadem carne cum qua in hoc mundo per primam nativitatem sub servitute hujus mundi intravit, cum eâdem ipsa carne per resurrectionem futuram ad libertatem Ibid. 25. 49. pervenient æternam. Illud verò quod ait: *Sin* D *autem, & ipse potuerit, redimet se*, ad liberum hominis pertinet arbitrium, præveniente tamen Dei gratia atque subsequente.

Gratia liberum arbitrium prævenit.

CAPUT LXIII.

De eo quod omnes Israhelitæ unusquisque de tribu sua & de cognatione sua uxores ducere jubentur.

Num. 36. 7. SCriptum est enim in libro Numeri: *Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ feminæ maritos de eadem tribu accipient: ut hereditas permaneat in familiis, ne sibi misceantur tribus, sed ita maneant ut à Domino separatæ sunt.* Rursùm in libro Levitico, Lev. 18. 6. præcipiente Domino, scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus.* Quod utrumque secundùm litteram non sibi convenit. Fidelis verò Christianus de alia tribu & cognatione uxorem ducit, quia neque infidelem, id est gentilem, neque Judæam, neque hæreticam, sed catholicam Christianam, sicut & ipse est, in conjugio sibi sumit. Ad eam tamen quæ illi ex propinquitate carnis proxima est, nullo modo accedit. Et hoc ordine utrumque præceptum impleri potest.

CAPUT LXIV.

De sacerdotibus quibus per Legem præceptum est à Domino, ut neque viduam, neque repudiatam, neque meretricem, vel sordidam in conjugio sumant.

SIcut est illud in Levitico: *Viduam, atque repudiatam, & sordidam, & meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo, nec commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ, quia ego Dominus qui sanctifico eum.* De quibus sacerdotibus in libro Ezechielis prophetæ rursùm scriptum est: *Sed & viduam quæ fuerit à sacerdote derelicta, accipient.* Quod utrumque sicut & cetera juxta litteræ simplicitatem impleri non potest: spiritaliter verò sacerdotes electi, id est apostoli & apostolici viduam, neque repudiatam in conjugio sumunt, viri neque quia synagogam Judæorum, quæ derelicta à Deo est & repudiata propter infidelitatem suam, nequaquam sibi sociaverunt, neque sociant. Similiter neque meretricem in conjugio accipiunt, quia cum plebe hæretica, quæ à Deo meretricata est, nullomodo concordant: viduam verò, quæ à sacerdote fuerit derelicta, accipiunt; quia sanctam Ecclesiam à Christo, qui est verus sacerdos, in hoc intervallo temporis derelictam tuendam suscipiunt. Secundùm litteram verò nulli ex sacerdotibus ecclesiæ derelictam alterius vel quamlibet mulierem quæ ab alio viro contaminata fuerit in conjugio sumere licitum est: quod qui fecerit, secundùm apostolicam auctoritatem & canonum sanctionem à Christi sacerdotio alienus erit.

Lev. 21.14. Ezech 44. 22.

CAPUT LXV.

De derelicta fratris defuncti, quam superstes frater in conjugio sumere jubetur.

IN libro Deuteronomii scriptum est: *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris* E *sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israhel.* Quod quidem Dominus alias in libro Levitico omnimodis fieri prohibet, dicente ipso per Moysen: *Vir qui acceperit uxorem fratris sui, spurcitia est, turpitudinem fratris sui detexit, sine filiis morietur.* Item ibi: *Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit inlicitam, turpitudinem fratris sui revelavit, absque filiis erit.* Quod utrum-

Deut. 25.5.

[a] *f.* ire.

que secundùm historiam custodiri non potest: juxta sanum verò intellectum unum ex his duobus, hoc est de non accipienda derelicta fratris fideli Christiano secundùm litteram custodiendum est: aliud verò de derelicta fratris accipienda, non carnaliter sed spiritaliter accipiendum est. Quod typicè in Christo & in Ecclesia atque sanctis prædicatoribus rectè intelligendum est. Quid enim aliud in figura in hoc præcepto demonstrat, nisi quia unusquisque Evangelii prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est; & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiet, hoc est Christiani à Christo?

CAPUT LXVI.

De dimittenda uxore & iterum non dimittenda.

Deut. 24. 1. DE dimittenda quoque conjuge in libro Deuteronomii scriptum est: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua: cùmque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque illi libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino, ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tibi tradidit possidendam.* Quod rursùm Dominus fieri inhibet, ipso Domino per Malachiam prophetam Judæos vituperante ac dicente: Mal. 2. 13. *Et hæc quæ odiebam faciebatis, tegebatis lacrymis altarium meum, & fletu, & gemitu ex laboribus, si dignum est respicere ad victimam aut accipere de manibus vestris: & dicebatis: cujus causa Dominus detestatus est inter te & inter mulierem juventutis tuæ quam dereliquisti, & ipsa est sociata, & mulier disponsationis tuæ, & non alius fecit residuum spiritum ejus? Et dixistis, quid aliud quærit Dominus, nisi semen ei? Custodite in spiritu vestro, & mulierem juventutis tuæ non derelinquas. Sed si odiens dimiseris eam, dicit Dominus Deus Israhel, teget impietas cognationem tuam, & custodietis in spiritu vestro, & non derelinquemini.* Quod etiam & in Evangelio Dominus per semetipsum prohibet dicens: Matth. 19. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam à viro duxerit, adulterat.* Tropologicè verò mulier illa quam dimittendam à viro propter fœditatem suam dicit, non incongruè synagogam significat Judæorum, quæ per Legis cognitionem olim Domino fuerat conjuncta: quæ Synagoga adveniente evangelio propter fœditatem incredulitatis suæ ejus gratiam habere non meruit: & ob hoc de domo ejus, hoc est de Ecclesia ejecta est, dans ei libellum repudii, id est libros Legis & prophetarum, quos in testimonium damnationis suæ secum ubique portat. De quo libro repudii

A Dominus per Isaiam prophetam eosdem Judæos interrogans dicit: *Ubi est liber repudii matris vestræ quo dimisi eam? & quis est creditor meus cui vendidi vos? ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Isa. 50. 1. De qua Synagoga Judæorum rursùm Dominus per Jheremiam prophetam eam detestans ait: *Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod mœchata esset adversatrix Israhel dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudii.* Jerem. 3. 7. Quæ mulier, id est prædicata plebs Judaïca à Christo velut à proprio viro recedens alii viro nupsit, quia Christum Do-B minum respuens, sub Lege magis quàm sub gratia vivere voluit. Quæ Lex velut secundus vir rursùm eos propter eorum prævaricationem, quam illa implere non potuit, similiter à se repulit, quos tamen prior vir, idest Christus Dominus in prævaricatores legis & evangelii contemtores nullo modo recipit: sed sunt velut mulier polluta à duobus viris, id est à Christo & Lege repudiati atque projecti. Ad tantam denique fœditatem devoluti sunt, ut similes forent gentibus quæ verum Deum nesciunt. Illud verò quod de secundo viro ait, *Si mortuus fuerit*; hoc significat quod Lex sub C qua Judæi esse delegerunt, in carnalibus observationibus post adventum Salvatoris defuncta est, id est finem accepit, quam nec ipsi Judæi erga litteram nunc implere queunt.

CAPUT LXVII.

De lepræ contagione.

DE qua lepra mysticè Dominus in Levitico per Moysen multis modis multisque significationibus allegoricè loquutus est. Quod D non de lepra utique corporis, sed de lepra animæ, id est peccato quod interiorem hominem maculat, rectè intelligendum est. Lepra quippe in sacro eloquio generaliter peccatum figurat, quod non exteriorem hominem sed interiorem, hoc est animam hominis fœdat. Lepra enim infidelitatis est, quæ aliter mundari non potest, nisi per aquam baptismi. Lepræ spiritualis variæ species. Sic Naaman ille Syrus qui in typo populi gentium ad jussum Helisæi prophetæ in Jordane fluvio septies lotus, à contagione lepræ mundatus est. Lepra hæresis est, quæ per separationem sep-E tem dierum, id est per septiformem gratiam Spiritus-sancti, recipit sanitatem. De qua lepra hæresis typicè domus Joab & patris ejus ob hoc quod Abner filium Ner dolo occidit, per imprecationem David damnata esse perhibetur, sicut & nunc omnes hæretici, pro eo quod viros catholicos injustè persequuntur, per Domini nostri JHESU-CHRISTI justum judicium invisibiliter simili damnatione intus in anima multantur. Lepra avaritiæ est quæ per omnia vitia hominem supplantat, sicut ait Apostolus. *Et avaritia quæ est idolorum servitus.* Eph. 5. 5. Pro quo vitio ille Giesi minister Helisæi prophetæ in figura malorum sacerdotum, dum Domini

A gratiam venumdare voluit, lepra corporis est damnatus, sicut & isti nunc in anima. Igitur, ut dictum est, in libro Levitico lepra figuraliter significat falsam doctrinam: pro qua re leprosi non absurdè intelliguntur omnes hæretici, qui varias sectas introducentes, unitatem Ecclesiæ velut unum corpus maculant. Lepram in carne & cute habent qui carnalia vel exteriora suadere conantur. Lepra vetustissima sunt peccata gentilium, quæ de infidelibus parentibus inolevit. Lepra florida est totum corpus cooperiens avaritia, ut dictum est, quæ per omnia vitia hominem supplantat, dum ei temporalem gloriam falsè pollicetur: B vel certè lepra florida est hypocrisis, quæ de falsis virtutibus gloriatur. Lepra in carne viva peccata sunt animæ, vel certè illi in carne viva lepram portant, qui de animæ origine pravè sentiunt. Leprosi alba lepra cooperti, illi sunt hæretici, qui se ipsos per hypocrisin mundos esse existimant. In cicatrice sanati ulceris lepram portant, qui post cognitionem & medicinam Dei quam à Christo susceperunt, rursùm in illa cicatrice ascendit aliquod indidicium peccati. Lepra quæ habet ruborem cum pallore permixtum eum hominem denotat, qui cùm sit imbecillis animo & mendax, C facilè in furorem prorumpit, & levitate morum cito perjurat. Lepra subobscura, id est nigra sacrificiorum fumo obusto & idololatriæ denigratam conscientiam significat In cicatrice ustionis lepram habent Manichæi hæretici, qui in abstinentiæ cruciatu corpora sua exurunt. Lepra volatilis & vaga dogma est hæreticorum, quod facilè ab uno magistrò erroris ad plurimos transit. In capite lepram portant illi hæretici, qui in divinitatem Patris, vel in ipso capite, qui est Christus peccant, sicut Sabelliani & Ariani atque Eunomiani, vel ceteri eorum similes. D In barba lepram gerunt qui de Incarnatione Christi sive de apostolis perversò aliquid sentiunt. Capilli ex carne discolores illis oriuntur, qui non spiritaliter, sed carnaliter sapiunt: sicut enim capilli ex carne, ita & cogitationes bonæ vel malæ ex sensu prodeunt. Illud verò quod dicitur *contaminabit illum sacerdos*, hoc est hæreticum, hoc innuit quod per discretionem spiritalium sacerdotum quilibet hæreticus in Ecclesia subtiliter discussus, contaminatus judicatur. Quod autem septem diebus idem hæreticus velut leprosus recludi præcipitur, hoc indicat quod nullus ex eis- E dem hæreticis ad unitatem Ecclesiæ reverti valeat nisi per donum Spiritus-sancti: de quo dono Apostolus ait: *Karitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* (Rom. 5. 5.) Hanc Karitatem, id est unitatem dilectionis hæretici cum Catholicis nequaquam retinent. Illud autem quod ait: *Si steterit macula, & capilli nigri fuerint, noverit hominem esse sanatum*; (Lev 13. 37) hoc demonstrat quod tam in quolibet hæretico, quàm etiam in quolibet delinquente, in quo pristinum vitium desierit, & per confessionem mala quæ gessit profiteri non erubuerit, mundus proculdubio erit. Sicut enim per capillum album aut fulvum simulatio; ita & per nigrum humilitatis confessio designatur. *Vir de cujus capite capilli fluunt, calvus & mundus est, & si de fronte ceciderint pili, recalvaster & mundus est.* (Ibid. 40.) Isti tales viros significant spiritales, quibus per tempus ante oculos cordis velut capilli ignorantia detrahitur, & scientiæ lumen reseratur, qui aperta fronte, hoc est libera conscientia pro veritate loqui non erubescunt, sicut ait Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes.* (2. Cor. 3. 18.) In calvariam verò lepram gerunt qui erroris sui perfidiam aperta pravitate defundunt. Leprosi, ut dictum est, intelliguntur hæretici sive immundi, quos prohibere ab Ecclesia præcipit, donec à proprio errore purgentur: & si revertantur ad Dominum, ejusmodi jubentur tunicis sedere dissutis, id est omnibus secretis manifestis, capite discooperto, ut à cunctis denudatio eorum videatur, ore clauso, ne ulterius impia doceant vel loquantur. Igitur post varias hæreticorum contagiones, & infidelium maculas sub figura lepræ in vestimento laneo vel lineo seu pelliceo, diversa vitia animæ vel corporis describuntur. Lepra in vasis est unicuiquique homini proprii corporis delicta. Lepra in vestimento laneo significat simulationem hypocritarum, de quibus Veritas ait: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium.* (Matth. 7. 15.) Lepra in vestimento lineo, latens malitia sub velamine fictæ humilitatis, de qua rursùm Dominus: *Intrinsecus sunt lupi rapaces.* Lepra in stamine vel trama, peccata quæ extra corpus committuntur, vel quæ in ipso corpore perpetrantur. In stamine enim anima hominis intelligitur, trama verò mollities corporis. Lepra in pelle vel in confessione pellis, simulatio in jejunio per quod corpus mortificatur, seu superstitio vanitatis in abstinentia, de quibus Veritas ait: *Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* (Matth. 6. 16.) De talibus & Apostolus dicit: *In hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum.* (1. Tim. 4. 2.) Lepra in vestimento perseverans quæ flammis comburi præcipitur, illa significat peccata quæ per carnem [a] amissa, neque in hac vita per baptismi gratiam in infidelibus, neque per satisfactionem in pravis Christianis sanitatem recipiunt, neque in futuro sæculo nisi ad æternum ignem reservantur: de quibus peccatis carnis quæ sanitatem non recipiunt, in Isaïa scriptum est: *Et vestimentum mixtum sanguine erit in combustione & cibus ignis.* (Isa. 9. 5.) Lepra alba simulationem, lepra verò rufa iracundiam innuit. Lepra autem volatilis vitium signat quod ex se aliud generat. Duo passeres vivi per quos leprosi expiari præcipiuntur significant Dominum nostrum JESUM CHRISTUM secundùm humanitatem in duabus substantiis

[a] Id est ammissa seu admissa, usu apud antiquos in mss. codicibus satis familiari, in quibus cum eadem littera in aliquo vocabulo duplicatur, earum altera supprimi solet: Cujus rei exemplum habes in Carmine S. Orientii.

animæ videlicet & carnis subsistentem : in cujus mortem carnis & resurrectionem per lavacrum regenerationis immundi mundantur. In ligno verò cedrino crucis est mysterium. In vermiculo sacramentum sanguinis est, in hyssopo autem exemplum humilitatis atque pœnitentiæ. Quod verò post mundationem leprosis jubetur ut radant capillos capitis, barbamque, & supercilium, ac totius corporis pilos; hoc mysticè vult intelligi, quod omnis immundus qui per Christi baptismum eluitur, post actam gratiam omnes noxias cogitationes de corde suo, velut de capite capillos auferre debet; similiter & in se omne quod ante conversionem secundùm carnem fortiter adversus spiritum repugnabat, velut barbam penitus demat, nec non & consilia perversa velut supercilia, & omnia vitia carnis quasi pilos corporis, à semetipso radicitùs exstirpare debebit.

CAPUT LXVIII.

De contagione lepræ domorum vel ædium.

Lepra in ædibus vel in domibus allegoricè dogma demonstrat impium atque contrarium in plebe, hoc est in doctoribus & auditoribus. Lepra in parietibus idem dogma impium in congregatione hæreticorum. Lepra in lapidibus domus, dogma perversum in hominibus prava docentibus. Quod autem eosdem lapides in quibus macula lepræ est projici extra civitatem in locum mundum præcipit, atque alios lapides pro eis reponi, hoc mysticè innuit, quod pravis doctoribus de Ecclesia sublatis, catholici viri in eodem loco subrogentur. Quod verò eamdem domum leprosam septem diebus claudere vel separare jubet, hoc typicè exprimit, quod ipsa plebs hæretica, quæ signatur per domum, fit à consortio Ecclesiæ separata, ita dumtaxat ut nullus catholicus in eam introeundi habeat licentiam, donec aut per donum Spiritus-sancti velut post septem dies recipiat sanitatem; aut certè si in perfidia erroris sui permanserit, ab Ecclesiæ ædificio destructa atque separata in loco immundo, hoc est, in damnatione perpetua, projiciatur. In qua domo, hæreticorum videlicet conventu, si quis ex numero fidelium per ignorantiam velut dormiens adhæserit, aut impietatis cibum, quod est eorum perversum dogma, ab eis traditum comederit; profecto immundus erit, sicut & ipsi hæretici sunt, nisi per lacrymas pœnitentiæ velut per aquam conscientiam suam laverit. Potest per domum leprosam non incongruè plebs significari Judaïca, infidelitatis macula contaminata, & ab Ecclesiæ conventu remota : ex qua domo illi qui in finem mundi in Christum Dominum credituri sunt, per sacramentum mortis & resurrectionis ejus, velut per passeris seu gallinullæ immolationem, in lavacro regenerationis, quasi in aqua viva, purificati recipient sanitatem.

CAPUT LXIX.

De eo qui profluvium seminis patitur.

Vir profluvium seminis sustinens significat quempiam doctorem in Ecclesia qui per immoderatam loquutionem & indiscretam garrulitatem tam se polluit quàm ceteros. Is qui talis est per indiscretam, ut dictum est, loquutionem velut per seminis effusionem mentes auditorum non gravidat, sed polluit; non fœcundat, sed sordidat. Qui loquutionis moderamina ignorans nescit quid dicat, vel quomodo dicat; hujusmodi homo omne stratum in quo dormierit, & ubicumque sederit polluit : quia tam corpus suum, id est se ipsum, quàm etiam omnes subjectos sibi per hujuscemodi vitium immundos efficit. Qui tetigerit carnem illius, hoc est carnalem ejus doctrinam, immundus proculdubio erit, sicut & ipse est : nisi fortè per satisfactionem pœnitentiæ velut per aquam mundetur. Super quem verò idem homo, qui in hoc vitio loquacitatis subjacet, stultitiæ suæ salivam, hoc est verba impura jecerit, immundum continuò facit, vel quidquid immundus tetigerit immundum efficit. De hoc vitio superfluæ loquacitatis, velut de profluvio seminis oriuntur in ecclesia hæreses atque schismata, quæ lepræ comparantur. Hi enim significantur per vasa absque operculo & ligatura, quæ per legem immunda judicantur. Possunt per hunc hominem qui profluvio seminis polluitur, non incongruè sapientes hujus mundi carnalia suadentes significari, qui bonum suum nihil aliud opinati sunt, quàm voluptatem carnis. De quibus sapientibus nullus alius mundari potuit, nisi is qui ad Christum conversus, per ejus gratiam à pristino errore correctus & per baptismum est innovatus. Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis immunda est. Quæ mulier spiritaliter significat inlecebrosam vitam carnalem, quæ velut sanguis fluit, dum diversa peccata generat. Hæc mulier, id est carnalis concupiscentia, in cogitatione mentem hominis polluit, in consensu verò & perpetratione mali operis turpem reddit. Hæc mulier, hoc est voluptas carnis, quicquid in delectatione sibi subdit, procul dubio polluit. Hujus mulieris immundæ lectum vel stratum sunt corpora humana, quæ ejus desideriis serviunt, atque voluptatem ipsius implent. Hæc concupiscentia carnalis omne vas super quod sederit polluit, quia omnis homo qui ex consensu illi subjectus fuerit, donec hujuscemodi vitio satisfecerit, mundus esse non poterit. Nonnumquam verò mulier menstruata significat animam sordidis cogitationibus pollutam, quæ licet alium minimè tangat, tamen in semetipsa immunda est. Potest per hanc mulierem non abs re plebs carnalis seu carnalis scientia, quæ mentes auditorum contaminat significari.

De superflua loquacitate oriuntur hæreses & schismata.

CAP. LXX.

CAPUT LXX.

De Babylonia.

Babylonia olim civitas fuit in oriente sita, ingenti & mole constructa. Quæ prima post diluvium à Nemroth gygante fundata esse perhibetur, & à Nino rege Assyriorum ac Semiramide uxore ejus consummata esse fertur. Quæ civitas illo in tempore caput extitit totius Orientis. In ea namque reges Assyriorum quodam tempore principatum tenuerunt. In ea B etiam post Assyriorum reges Nabuchodonosor rex Chaldæorum & superstites ejus, usque ad tempus illud quo eadem civitas vastata est, super plurimas nationes principatum obtinuerunt. Quæ civitas ob superbiam impiorum & impietatem commorantium in ea, & propter vastitatem plurimarum gentium, & maximè propter Judæam quam depopulati sunt, & templum Dei quod iidem Babylonii demoliti sunt, ita à Medis & Persis funditùs deleta est, ut in pristinum statum restaurari ultra non possit. Tropologicè verò Babylonia quæ interpretatur Confusio, significat præsentem mun- C dum in suis dilectoribus divisum: qui mundus propter societatem omnium impiorum, qui præsenti in sæculo principatum gerunt, civitas diaboli generaliter appellatur. Ipse enim secundùm divinam auctoritatem rex est super omnes filios superbiæ, de quo Dominus rursùm in Evangelio ait: *Princeps hujus mundi ejicietur foras*, non utique extra orbem, sed tantùm de cordibus credentium. Et iterum ibi: *Ecce venit princeps hujus mundi, & in me non inveniet quicquam.* Et quia, ut dictum est, idem diabolus caput est omnium malorum, idcirco societas eorum Babylonia, id est confusio rectè D dicitur, in qua idem Zabulus velut rex eorum principatum obtinet. Hujus Zabuli personam in se liniavit rex ille impius Nabuchodonosor, qui in eadem civitate Babylonia super plurimas nationes regnum obtinuit. Et quia, ut prædictum est, sæpe dictus Zabulus cum societate omnium impiorum velut rex cum civitate sua & caput cum membris suis unum sunt; idcirco sacra scriptura ubicumque de eis loquitur, permixtè atque socialiter de illis transacta vel futura narrat. Scriptum quippe est in libro Isaïæ prophetæ de eodem Zabulo, qui E est caput omnium malorum: *Quomodo cecidisti, Lucifer, de cælo, qui mane oriebaris? corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Ubi continuò de civitate ejus Babylonia, quæ est societas omnium malorum, subnectens ait: *Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, ait Dominus.... Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus*

Joan. 12. 31.

Joan. 14. 30.

Isa. 14. 12.

Ibid. 22.

Ibid. 26.

A *extenta super omnes gentes.* Item ibi de eadem civitate impiorum: *Descende*, inquit, *sede in pulvere virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filiæ Caldæorum*, & cetera. Hinc demum ibi Deus Pater omnipotens de filio suo per quem superbiam hujus mundi velut Babyloniam in finem judicaturus est, inter reliqua sic ait: *Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, & brachium suum in Caldæis. Ego, ego loquutus sum, & vocavi eum; adduxi eum, & directa est via ejus.* Et paulò post electos suos ut à societate infidelium discederent exhortans ait: *Egredimini de Babylone, & fugite à Caldæis in voce exultationis.* Et in Zacharia propheta ad Ecclesiam: *O Syon, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis, quia in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus.* De hac civitate Babylonia quæ societas est omnium impiorum, & rege ejus diabolo in Jheremia propheta inter cetera scriptum est: *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram. De vino ejus biberunt gentes, & ideo commotæ sunt. Subitò cecidit Babylon, & contrita est.* Ubi continuò prædicatoribus suis Dominus exhortando loquitur: *Ululate super eam*, hoc est super plebem impiam: *tollite resinam ad dolorem ejus, si fortè sanetur.* At illi respondentes aiunt: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam, quoniam pervenit usque ad cælos judicium ejus, & elevatum est usque ad nubes. Protulit Dominus justitias nostras, venite & narremus opus Domini Dei nostri in Sion*, hoc est in Ecclesia sanctorum. Et iterum ibi Dominus ad electos suos: *Recedite*, ait, *de medio Babylonis, & de terra Caldæorum: egredimini & estote quasi hœdi ante greges.* De principe verò ejusdem civitatis Babyloniæ, id est diabolo, ibidem scriptum est: *Quomodo confractus est & contritus malleus universæ terræ?* Et iterum ad ipsum: *Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus exercituum, quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ, & cadet superbus & corruet, & non erit qui suscitet eum.* Et infrà: *Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram, & extendam manum meam super te, & evolvam te de petris, & dabo te in montem combustionis, & non tollent de te lapidem in angulum & lapidem in fundamentum, sed perditus in æternum eris, ait Dominus.* De hac quoque civitate Babylonia quæ est societas omnium impiorum, quæ est ab origine mundi ab ipso Caïn usque in finem ejus civitatem Jherusalem, quæ est societas omnium electorum, persequitur, & in libro Apocalypsin inter cetera scriptum est: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmonum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis, quia de vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ de virtute delitiarum ejus facti sunt. Exite de illa, popule meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis, quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est iniquitatum ejus.*

Ibid. 47. 1.

Ibid. 48. 14.

Ibid. 20.

Zach. 2. 7.

Jer. 51. 7.

Ibid. 8.

Jer. 50. 8.

Ibid. 23.

Ibid. 31.

Ibid. 51. 25.

Apoc. 18. 2.

Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundùm opera ejus. In poculo quo miscuit miscete illi duplum. Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde suo dicit: sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo; & ideo una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames & igni comburetur, quia Ibid. 19. *fortis est Deus qui judicavit illam.* Et infrà: *Væ, væ, civitas magna, in qua divites facti sunt omnes qui habebant naves in mari de pretiis ejus, quoniam una hora desolata est. Exulta super eam cælum, & sancti apostoli, & prophetæ, quoniam* 1. Pet. 5.13. *judicavit Deus judicium vestrum de illa.* Beatus quoque Petrus apostolus in epistola sua prima tropologicè Romam appellat, sed utique in impiis & in infidelibus, non piis & fidelibus. Sicut enim toto in mundo in justis & fidelibus hominibus in Israhel, id est civitas Dei diffusa est, & rursùm in impiis & peccatoribus Babylon, quæ est civitas diaboli, in toto orbe terrarum dilatata est, ita & Roma vel quælibet civitas in electis Dei Jherusalem, in reprobis verò Babylonia est. Filia Babylonis plebs impia, sive anima peccatrix in confusione mentis tradita. Vel certè spiritaliter filia Babylonis significat concupiscentiam hujus mundi, cujus parvulæ cogitationes sunt noxiæ, quæ nisi priusquam in malis actibus crescant, ad Petram, hoc est ad Christum elidantur; postquàm per consuetudinem invaluerint, aut difficilè aut numquam separari queunt. In bonam verò partem aliquando Babylonia significat plebem gentium quæ de confusione hujus mundi ad Deum conversa est: de qua plebe gentilium in Psal. 86.4. psalmo scriptum est: *Memor ero Raab & Babylonis scientibus me.* Pro hac quoque plebe fidelium quæ ex gentibus credidit Dominus per Jheremiam prophetam apostolos & evangelistas vel ceteros qui ex circumcisione in Christo crediderunt, & ecclesiæ gentium sociati sunt, sub illorum figura qui de Judæa in Babylo- Jer. 29. 1. niam translati fuerant exhortans ait: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israhel, omni transmigrationi quam transtulit de Jherusalem in Babylonem: ædificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructum eorum, & quærite pacem civitati ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Quod sanctos apostolos fecisse non dubium est, scribentes in epistolis suis cunctis fidelibus qui ex gentibus crediderunt: *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino* JHESU CHRISTO. In libro quoque Michææ prophetæ ad primitivam ecclesiam quæ ex circumcisione credidit, Domino pollicente, prædictum Mich. 4. 10 est: *Dole & satage filia Sion quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate, & habitabis in regione, & venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum*, hoc est in ecclesia gentium quæ significatur per Babyloniam.



CAPUT LXXI.

De Ninive.

Ninive civitas quædam, quæ olim sita fuit in oriente, quæ secunda post Babyloniam à Nino rege Assyriorum, ut fertur, ædificata est. Quæ & ipsa quodam tempore caput extitit orientalium gentium: in ea namque reges Assyriorum plurimo tempore regnum obtinuerunt. Quæ civitas à Nabuchodonosor rege Babyloniæ & Caldæis vastata esse perhibetur. Tropologicè verò Ninive quæ interpretatur Speciosa, figuram gestavit hujus mundi, qui speciosus à Deo creatus est. Et quia omnes ad hunc mundum pertinentes, non Christum sed diabolum regem habere dubium non est; idcirco Dominus in libris prophetarum sub nomine Ninive civitatis futuram damnationem huic mundo minatur, ut est illud in libro Nahum prophetæ: *Væ civitas sanguinum universa mendacii dilaceratione plena, non recedet à te rapina.* Et infrà: *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ & gratæ & habentis maleficia, quæ vendit gentes in fornicationibus suis, & familias in beneficiis suis, ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua, & ostendam gentibus ignominiam tuam, & projiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum, & erit omnis qui viderit te resiliet à te, & dicet: Vastata es Ninive, quis commovebit super te caput?*

Ninive in malam partem quid significet. Nah. 3. 1. Ibid. 4.

In bonam verò partem per Niniven signatur populus gentium, qui per Redemtoris prædicationem ad Deum conversus salvus factus est, sicut Ninivitæ ad prædicationem Jonæ prophetæ illo in tempore conversi pœnitentiam agentes ab imminenti periculo liberati sunt.

Quid in bonam.

CAPUT LXXII.

De civitate Tyro.

Tyrus secundùm historiam civitas olim fuit in terra Cananæorum, in introitu maris magni sita: ad quam civitatem illo in tempore sicut in libro Ezechielis prophetæ scriptum est, negotiatores ex cunctis gentibus cum diverso mercimonio confluere soliti erant: unde eadem civitas dives atque opulenta & valde gloriosa effecta est. Quæ civitas ob superbiam civium suorum ad diripiendum Nabuchodonosor regi Babyloniæ & exercitui ejus tradita est. Allegoricè verò Tyrus quæ hebraïcè Sors, latinè verò Tribulatio interpretatur, significat præsentem mundum, in quo divitiæ gentium & gloria impiorum continetur. Quorum impiorum princeps atque rex est diabolus. De hoc mundo sub nomine Tyri & principe ejus diabolo tropologicè in libro Ezechielis prophetæ inter cetera plurima scriptum est: *Quia*

Tyrus in malam partem quid significet. Ezech. 26. 19.

hæc dicit Dominus, cum dedero te urbem desolatam sicut civitates quæ non habitabuntur, & adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ, & detraxero te cum his qui deducuntur in lacum ut non habiteris. Porro cùm dedero gloriam tuam in terra viventium, in nihilum redigam te & non eris, & requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus. Et infrà de principe ejusdem civitatis, hoc est societate omnium impiorum inter alia Dominus ait:
Ibid. 28. 2. *Fili hominis dic principi Tyri, hæc dicit Dominus Deus: eo quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei,* & reliqua quæ sequuntur. Et rursùm ibi de eodem principe hujus mundi, id est diabo- B
Ibid. 12. lo. *Fili hominis, Leva planctum super regem Tyri & dices: hæc dicit Dominus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitiis paradisi fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum; sardius, topazius, & jaspis, crisolitus, & onix, & berillus, saffirus, & carbunculus, & smaragdus. Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es præparata sunt. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum. Ambulasti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te in multitudine cogitationis tuæ, & repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & ejeci te de monte* C *Domini, & perdidi te, ò Cherub protegens de medio lapidum ignitorum, elevatum est cor tuum in decore tuo: in terram projeci te, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te in multitudine iniquitatum tuarum, & in iniquitatem negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam. Producam ergo ignem de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. Omnes qui viderint te in gentibus obstupescent super te, nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Hæc omnia non de altero quolibet, sed de ipso angelo apostata, & beatitu- D dine ejus, quam priusquàm peccaret in illa cælesti regione habuit, & de ruina ipsius quam per superbiam meruit, rectè intelligenda sunt.

Quid in bonam. Aliquando verò Tyrus accipitur & in bonam partem propter populum gentium de hoc mundo ad Deum conversum De quo popu-
Ps. 86. 4. lo gentium in psalmo scriptum est: *Ecce enim alienigenæ & Tyrus & populus Æthyopum, hi fuerunt illic,* id est in Christi Ecclesia, de qua superiùs dictum est: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Nonnumquam verò per Tyrum & Sidonem figurantur hæretici, quibus Dominus E
Johel. 3. 4. per Johelem prophetam minatur dicens: *Verùm quid vobis & mihi Tyrus & Sydon, & omnis terminus Palæstinorum? numquid ultionem vos reddidistis mihi? & si ulciscimini vos contra me, citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum,* & reliqua sequentia eisdem hæreticis congruentia: de quibus & in Zacharia propheta similiter scriptum est, dicente Do-
Zach. 9. 2. mino: *Emath quoque in terminis ejus, & Tyrus & Sydon, assumserunt sibi quippe sapientiam valde, & ædificavit Tyrus munitionem suam, & coacervavit argentum & aurum ut lutum platearum. Ecce Dominus possidebit ea, & percutiet in mari* A *fortitudinem ejus, & hæc igni devorabitur.*

CAPUT LXXIII.

De Ægypto.

ÆGyptus provincià sub ipsa plaga meridiana sita, quæ provincia pristino tempore potens & gloriosa extitit in regno: cujus reges ob honorem regni lingua Ægyptiaca Pharaones vocabantur: de qua provincia Dominus dudum populum suum, Israheliticam videlicet plebem, à servitute Ægyptiorum liberans in terra Cananæorum, quæ postea Judæa appellata est, eamdem plebem conlocavit. Quæ provincia propter superbiam habitantium in ea, id est Ægyptiorum, à ceteris gentibus obtenta est, ita ut proprios reges habere destiterit: quæ usque nunc sub aliarum gentium ditione subjecta, sicut & aliæ regiones tributis servit. Tropologicè verò Ægyptus quæ alio nomine in sacra scriptura Mesraïm, quod interpretatur Tenebræ, appellata est, significat præsentem mundum, in quo malitia regnat, cujus princeps Pharao, qui in latinum transfertur Denegans sive Dissipator, figurat diabolum qui & Dominum negat, & humanum genus dissipat. De hoc mundo velut ex Ægypti tenebris Dominus quotidie electos suos per redemtionem quæ est in Christo educit, & in spiritalem Jherusalem, hoc est sanctam Ecclesiam seu supernam patriam in perpetuum conlocat. Verùm quia Ægyptus, ut dictum est, figura est mundi, sicut illo in tempore Dominus filiis Israhel, quos ex Ægypto eduxit, tam per Legem, quàm etiam per prophetas suos præcepit ne ulterius ad eamdem Ægyptum reverterentur, neque in quacumque pressura vel tribulatione Ægyptiorum auxilium flagitarent, sed inconcussi permanerent in Judæa, & in tempore angustiæ suæ nequaquam ad Ægyptum, sed ad Domini Dei sui auxilium confugerent: ita & nunc idem Dominus fidelibus suis heredibus novi Testamenti quos commercio sanguinis sui de tenebris hujus mundi & jugo peccati redemit, quotidie præcipit ne quis post acceptam gratiam libertatis, ad Ægypti servitutem, hoc est mundi concupiscentias, revertatur, neque in qualibet angustia seu pressura mundi auxilium, hoc est de hominibus sæculi hujus flagitet, nec spem suam in homine mortali conlocet, sed potius in omni adversitate ad Domini protectionem confugiat, & in illo potius quam in mortalibus hominibus spem suam ponat. Quod si quis aliter facere voluerit, & magis in divitiis sæculi hujus, seu in carnali potentia spem suam quàm in Domino fixerit, continuò traditur ad Nabuchodonosor regem Babyloniæ, à quo evulsis luminibus, & nece filiorum orbatus, atque compedibus peccatorum vinctus, in confusionem mentis suæ, quasi in Babyloniam captivus adducitur, & perpetuo carcere clausus dignas in æternum luiturus est pœnas, quemadmodum

Ægyptus Tropologicè quid significet.

& filii Israhel illo in tempore ad Ægyptum A refugientes à Caldæis capti de terra sua translati sunt. Quod autem Ægyptus mundum significet, & Pharao ejusdem mundi principem, id est diabolum, qui est rex malorum hominum, qui mundo configurati mundi nomine censentur, sacra scriptura testatur. Scriptum quippe est in libro Ezechielis prophetæ, ubi sub nomine Ægypti præsentem mundum, hoc est infidelium multitudinem, & sub nomine Pharaonis regis Ægypti allegoricè diabolum introducit dicens: *Fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, & prophetabis de eo & de Ægypto universa; loquere & dices: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: meus est fluvius, & ego feci memetipsum.* Et iterum ibi: *Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum: Leoni gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari, & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conculcabas flumina eorum.* Et post paululum de ejus damnatione: *Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Ægypti, & detrahe eam, ipsam & filias gentium robustarum ad terram ultimam cum his qui descendunt in lacum. Quo pulcrior es, descende & dormi cum incircumcisis in medio interfectorum.* Et infrà: *Vidit eos Pharao, & consolatus est super universa multitudine sua quæ interfecta est gladio. Pharao & omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus, quia dedi terrorem meum in terra viventium, & dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio. Pharao & omnis multitudo ejus, ait Dominus Deus.* Incircumcisos omnes infideles appellat qui in veterem hominem ambulantes, per Christi gratiam innovati non sunt, tam illi qui ante adventum ejus in impietate sua defecerunt, quàm omnes qui post adventum illius in eum credere noluerunt vel nolunt, qui gladio impietatis suæ interfecti perpetua morte sunt damnati.

Ezech. 29. 2. Ibid. 32. 2. Ibid. 18. Ibid. 31.

Rursùm in bonam partem per Ægyptum figurat populum gentium de hoc mundo ad Deum conversum. De quo populo fidei in libro Isaïæ prophetæ, Domino pollicente, scriptum est: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, & erit in signum & testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem qui liberet eos, & cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent, & percutiet Ægyptum Dominus plaga, & sanabit eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.* Salvatorem autem quem se illi Dominus missurum promisit, nullus alius rectè accipiendus est, quàm Dominus JHESUS CHRISTUS Dei Filius, qui verus homo in forma humana, & verus Deus in forma deitatis unus est Christus: de quo Septuaginta interpretes hoc in loco Hominem transtulerunt dicentes: *Et mittet eis Dominus Hominem qui salvos faciat eos.* Ægyptii verò interdum appellantur homines sæculares carnali conjugio utentes, & curis hujus mundi occupati: de quibus Moyses in Deuteronomio inter cetera præcepta ait: *Non abominabis Idumæum quia frater tuus est, neque Ægyptum quia advena fuistis ejus. Qui nati fuerint ex eis tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini*, hoc est per lavacrum regenerationis in nomine sanctæ Trinitatis. Quod ideo ita præceptum est, ne quis de religiosis vel continentibus conjugia in sæcularibus hominibus audeat condemnare, sicut quidam hæretici facere præsumserunt, quia æquum non est condemnare radicem ex qua pulcherrimos fructus sancta ecclesia colligit. Dicuntur autem Ægyptii & homines infideles, seu vitia diaboli quæ populum Dei in hoc mundo velut in Ægypto persequuntur. Filia Ægypti appellatur plebs sæcularis, sive anima quælibet mundi actibus dedita.

Quid Ægyptus in bonam partem. Isa. 19. 19. Deut. 23. 7.

CAPUT LXXIV.

De Æthyopia.

ÆThyopia appellatur regio quæ sub ipso ardore solis sita nigrum populum gignit: quæ regio tropologicè præsentem mundum in quo omnis homo per generationem carnis peccator nascitur, significat. De qua Æthyopia, hoc est infideli plebe, Dominus per Ezechielem prophetam de futuro judicio comminatur dicens: *Ululate, væ, væ diei, quia juxta est dies, & appropinquat dies Domini, dies nubis, tempus gentium erit, & veniet gladius in Ægypto, & erit pavor in Æthyopia cùm ceciderint vulnerati in Ægypto, & ablata fuerit multitudo illius & destructa fundamenta ejus. Æthyopia & Libiæ, & Lidi, & omne reliquum vulgus, & Cherub, & filii terræ fœderis cum eis gladio cadent.* Et in Sophonia de infidelibus: *Sed & vos Æthyopes, interfecti gladio meo eritis.*

Æthyopia tropologicè quid significet. Ezech. 30. 2. Soph. 2. 12.

In bonam verò partem Æthyopia præfigurat plebem gentilium de nigredine peccatorum suorum ad Deum conversa, de qua in psalmo olim prædictum fuerat: *Æthyopia prævenient manus ejus Deo.* Et alibi: *Ecce enim*, ait, *alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthyopum, hi fuerunt illic*, in ecclesia videlicet catholica, quæ de cunctis gentibus collecta est. Similiter & ceteras provincias, urbes, atque oppida Judæorum, vel gentium, quæ aliquando in bonam partem, aliquando verò in malam accipiuntur. In bonam quippe propter bonos fideles Christianos, in malam verò propter infideles, seu hæreticos, vel improbos Christianos, sicut per Samariam aliquando significantur infideles idololatriæ dediti, aliquando verò Judæi & hæretici qui se custodes mandatorum Dei mentiuntur. Aliquando autem significantur per Samariam fideles Christiani Dei præcepta servantes: unde & ipse Redemtor noster Samaritanus, id est custos generis humani

Quid in bonam partem. Ps. 67. 32. Psal. 86. 4

est dictus. Similiter & per Bethel præfiguratur interdum Ecclesia, quæ est vera domus Dei. Nonnumquam verò & per Bethel exprimitur hæreticorum ecclesia, quam illi falsè domum Dei esse opinantur: ita & per Bersabée atque Dan seu cetera loca.

CAPUT LXXV.

De Idumæa sive monte Seïr.

IPse est Esaü olim filius Isaac, frater verò Jacob major, à quo gens Idumæorum propagata est: quorum provincia dudum Idumæa sive mons Seyr vocitata est: quæ gens Idumæorum æmula semper atque contraria extitit filiis Israhel. Et quia propria virtute illis nocere nequibat, ideo Babyloniis sociata in tantum illis inimica extitit, ut templum Dei quod fuit in Jherusalem ipsa igni succenderet. De quibus Idumæis David propheta in spiritu prævidens ait: *Memorare, Domine, filiorum Edom in* Ps. 136. 7. *diebus Jherusalem, qui dixerunt exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Pro quo scelere iidem Idumæi illo in tempore Babyloniis ad deprædandum traditi sunt, sicut & Babylonii postea Medis & Persis. Allegoricè verò, sicut sacræ scripturæ mos est; interdum sub aliorum nomine alios figurat per Edom qui interpretatur Sanguineus seu Terrenus, in eo quod fratrem suum Jacob, populum videlicet Israëliticum exosum habuit, liniavit populum Judæorum qui fratrem suum minorem natu, id est Dominum nostrum JHESUM CHRISTUM ex ipso populo Judæorum secundùm carnem genitum usque ad mortem prosequutus est. De ipso quoque Redemtore nostro Isaïas propheta in spiritu prævidens dixit: *Quis est iste qui* Isa. 63. 1. *venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* De eodem quippe populo Judæorum venit, quia ex eo, ut dictum est, carnem assumsit. De quo populo Judæorum sub nomine Esaü, comminante Domino, in Abdia propheta scriptum est: *Et timebunt fortes tui à meridie, ut intereat* Abd. 9. *vir de monte Esaü propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob. Operiet te confusio, & peribis in æternum.* Quod tropologicè & de hæreticis inimicis Ecclesiæ rectè accipiendum est. Jacob enim hoc in loco Christum exprimit, qui est caput minoris populi, hoc est Christianorum. De hoc quoque populo Judæorum rursùm Dominus figuraliter sub nomine Esaü per Malachiam prophetam exorsus ait: *Nonne frater erat Jacob Esaü, dicit Do-* Mal. 1. 2. *minus, & dilexi Jacob, Esaü autem odio habui, & posui Seyr montem in desolationem, & hereditatem ejus in dracones deserti? quod si dixerit Idumæa: destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt, hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus usque in sempiternum.* Quæ omnia mysticè de Judæis intelligenda sunt, qui falsa spe regni restaurationem & civitatis ac templi, seu sacerdotium in futuro sibi pollicentur. Rursùm per Esaü, sive Edom, seu montem Seyr, figuraliter demonstrantur hæretici, quorum inimicitia atque odium adversus fideles ecclesiæ omni malo est deterius. De quorum odio contra Catholicos Dominus per Ezechielem prophetam eis comminans ait: *Fili hominis, pone* Ezech. 35. 2. *faciem tuam adversus montem Seyr, & prophetabis de eo, & dices illi: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, mons Seyr, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum atque desertum: urbes tuas demoliam, & desertus eris, & scies quia ego Dominus, eo quod fueris inimicus sempiternus, & concluseris filios Israhel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ,* & reliqua quæ sequuntur hæreticis cuncta congruentia. De quibus hæreticis rursùm sub nomine Edom in libro Jheremiæ prophetæ scriptum est: *Ecce enim par-* Jer. 49. 16. *vulum dedi te in gentibus, contemtibilem inter homines. Arrogantia tua decepit te & superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. Cùm exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus, & erit Idumæa deserta. Omnis qui transierit per eam stupebit, & sibilabit super omnes plagas ejus, sicuti subversa est Sodoma, & Gomorra, & vicinæ ejus, ait Dominus, non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.* Et infrà: *Propterea audite consilium Domini* Ibid. 49. 20. *quod iniit de Edom, & cogitationes suas quas cogitavit de habitatoribus Thæman: si non dejecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum.* Et licet hoc juxta historiæ fidem in terra Idumæorum per Babylonios factum esse credatur, allegoricè verò, ut dictum est, omnia referuntur de hæreticis, qui cùm sint propinqui & confines ecclesiæ, deteriores fiunt universis infidelibus qui procul ab Ecclesia fide & professione distant.

Edom quid allegoricè in malam partem.

Quid Edom in bonam partem.

Accipitur autem Edom & in bonam partem, in typo videlicet populi gentium primitivæ Ecclesiæ ex circumcisione venientium, id est apostolis, evangelistis, atque ceteris fidelibus sociatis, de quibus typicè per Moysen Lex præcepit dicens: *Non abominabis Idumæum,* Deut. 23. 7. *quia frater tuus est; neque Ægyptum, quia advena fuisti in terra ejus. Qui nati fuerint ex eis tertia generatione, intrabunt in ecclesiam Domini,* hoc est per baptismi gratiam, qui in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti credentibus datur. De Idumæa quoque, hoc est plebe gentilium, quæ ad Dominum conversa hereditas facta est, Balaam ille ariolus in prophetia de Christo prævidens ait: *Et erit Idumæa possessio ejus.* Et in psalmo propheta ex persona Salvatoris exorsus ait: *In Idumæam extendam calciamentum meum,* id est mysterium Incarnationis meæ per apostolorum prædicationem in plebem gentilium dilatabo.

Rursùm Idumæa in malam partem significat plebem gentilium infidelem, seu opera carnis & sanguinis quæ regnum Dei consequi non valent. De cujus futura damnatione Dominus sub nomine Ægypti & Idumææ per Joëlem prophetam dicit: *Ægyptus in desolatione* Joel. 3. 19.

erit, & Idumæa in desertum perditionis. De qua A Idumæa, plebe videlicet infideli, seu operibus carnis & sanguinis, in Isaia propheta demum Isa. 34. 6. scriptum est: *Quoniam inebriatus est in cælo gladius meus, ecce super Idumæam descendet, & super populum interfectionis meæ ad judicium. Victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom, & descendent unicornes cum eis, & tauri cum potentibus*, id est elati hujus mundi cum regibus & principibus ejus in infernum.

CAPUT LXXVI.

De Moabitide & Amonite.

B Moab & Amon filii olim fuere Loth, qui ex filiabus ejus de incestu generati sunt, ex quibus gentes Moabitarum & Amonitarum propagatæ sunt; quæ gentes sicut & Idumæi quantò propinquiores & confines fuere filiis Israhel, tantò deteriores illis inimici extiterunt: qua ex causa & ipsi similiter ut ceteræ gentes quæ Judæam terram in circuitu ambiebant, retro dudum tempora à Nabuchodonosor rege Babyloniæ vastatæ fuisse perhibentur. Tropologicè verò Moab qui interpretatur Ex patre, & Amon qui vertitur In populum turbidum, ob hoc de incestu & non de idoneo conjugio exorti sunt, significant Judæos & hæreticos, qui cùm essent filii Dei per cognitionem Legis, per baptismi gratiam, degenerantes desierunt esse filii Dei, & facti sunt filii diaboli, qui est pater omnium reproborum. De quibus Judæis & hæreticis sub nomine Moabitis & Amonitis in libro Deuteronomio inter cetera per Moysen præceptum est: *Non ingredietur*, inquit, *Manzer, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Domini usque ad decimam generationem. Amonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in ecclesiam Domini in æternum*, id est neque Judæi per decalogum Legis quam prævaricati sunt, neque hæretici similiter per novum Testamentum quod pravè intelligendo corrumpunt, quæ vera est Ecclesia Dei in æternum intrare possunt, à cujus foribus pro impietate sua in perpetuum excluduntur. De quibus hæreticis atque Judæis fideles suos Dominus in subsequenti præmonens ait: *Non facies cum eis pacem, nec quæres cum eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* De quibus hæreticis rursùm Dominus sub nomine Moab & Amon per Sophoniam prophetam minatur dicens: *Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Amon, quibus exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum: propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israhel, quia Moab ut Sodoma erit, & filii Amon quasi Gomorra. Siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum usque in æternum. Reliquiæ populi mei diripient illos, residui gentis meæ possidebunt eos. Hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt & magnificati sunt super populum Dominum exercituum.* De

Moab & Amon quid tropologicè.

Deut. 23.

Soph. 2. 8.

eisdem hæreticis seu philosophis hujus mundi rursùm Dominus sub nomine Moab per Jheremiam prophetam inter cetera plurima infert dicens: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fœtibus suis, nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit. Idcirco permansit gustus ejus in eo, & odor ejus non est immutatus.* Et paulò post: *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est, & allidet manum Moab in vomitu suo, & erit in derisum etiam ipse, fuit enim in derisum tibi Israhel, quasi inter fures reperisses eum. Propter verba ergo tua, quæ adversus illum loquutus es, captivus duceris. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: sublimitatem ejus, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis illius ego scio, ait Dominus, jactantiam ejus, & quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conatus sit facere.* Et infrà de quibusdam sacerdotibus ecclesiæ neglegentibus qui per diffidientiam mentis & fraudulentiam eisdem hæreticis faventes, dum illorum inimicitias pertimescunt, eorum mendacium velut sanguinem gladio oris sui percutere metuunt, vel certè nolunt, ac per hoc dum eorum adversa pertimescunt, pro veritate loqui non præ- C sumunt. De quibus Dominus ait: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter & desidiosè, & maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.*

Jer. 48. 11.

Ibid. 26.

Jer. 48. 10.

Accipitur autem nonnumquam Moab & Amon in bonam partem propter populum scilicet gentium per apostolorum prædicationem ad Deum conversum. De quo populo Dominus per Isaïam prophetam affatus ait: *Et volabunt in humeros Philistiim per mare, simul prædabuntur filios orientis Idumæa & Moab, præceptum manus eorum & filii Amon obedientes erunt, & desolabitur Dominus linguam maris Æ- D gypti, & levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calciati.* Volantes in humeris per mare apostolos dicit, qui de Judæa egressi per mundum velut in mare evangelizantes transcurrerunt. Judæa quippe retro olim Philistæa vocitata est, filios orientis sapientes hujus mundi figuraliter exprimit, qui quasi in ortu solis, hoc est sapientiâ suâ habitare videbantur. De qua sapientia per apostolos & evangelistas spoliati sunt, ut est illud in psalmo 75. *Spoliati sunt superbi corde, dormierunt somnum suum, & non invenerunt om- E nes viri exercitus manus suas.* Lingua maris Ægypti significat sapientiam hujus mundi, quam Deus Dei Filius in adventu suo per prædicatores suos velut per calciatos in præparatione evangelii pacis conculcavit, & ad nihilum redegit. Hoc enim significat & per flumen quod & per linguam maris, id est sapientia hujus mundi quam Dominus velut exsiccavit, cùm eam ut stultam reprobavit. De gente quippe Moabitarum orta est Ruth illa, quæ in figura Ecclesiæ post destitutionem viri prioris Booz viro justo de tribu Juda, sicut Ecclesia Christo Domino, in conjugio copulata est,

Moab & Amon quid in bonam partem.

Isa. 11. 14.

Ps. 75. 6.

ex cujus mulieris filio stirps regia per David A in ceteros usque ad Christum derivata est. De quo Redemtore nostro & prædicta Ruth Moabitide Isaïas prænuntians ait: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Petra deserti eamdem mulierem Ruth figurat, quæ de duritia populi gentium veniens, Ecclesiam Domini introivit, id est populo Dei sociata est, contra illud quod ait Moyses in Deuteronomio: Amonites & Moabitides non intrabunt ecclesiam Domini, neque post decimam generationem, & usque in sæculum.

Isa. 16. 1.

B

CAPUT LXXVII.

De Helia & ejus socio qui in finem mundi antichristi regnum & ejus sævitiam prædicatione sua anticipabunt.

PEr Malachiam prophetam Dominus de secundo adventu suo præmonens ait: *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Choreb ad omnem Israhel, præcepta & judicia. Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam Tesbiten antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & convertet corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* In Zacharia quoque propheta de eodem Helia, ut quidam volunt, scriptum est: *Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi dicentes: ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Dominus vobiscum est.* Fimbria vestimenti futura est prædicatio extremo tempore adveniens. De hoc propheta Helia apostoli Dominum interrogantes aiunt: *Quid ergo scribæ dicunt quod Heliam oportcat primùm venire? at ille respondens ait eis: Helias quidem venturus est, & restituet omnia.* De his duobus prophetis, id est Helia & ejus socio in libro Apocalypsin inter cetera scriptum est: *Et dabo duobus testibus meis; & prophetabunt diebus mille CC. LX. amicti saccos. Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Hos duos testes plerique Enoch & Heliam autumant, qui tempora antichristi prophetando præibunt, qui ob hoc quod omnibus pœnitentiam annuntiabunt, saccis induti esse perhibentur. Saccum quippe indicium est pœnitentiæ. Horum prophetarum prædicatio non amplius quàm triennium & menses VI. prætenditur. Hoc quippe faciunt menses XLII. & dies mille CC. LX. & regnum antichristi alterum tantum. Hi duo prophetæ à bestia, id est antichristo interimendi sunt, & die quarto per virtutem Domini resuscitaturi, & regnum antichristi variis cladibus percussuri. Plerique namque hos duos prophetas Heliam atque Hieremiam esse opinati sunt. Sed non ita se habet divina auctoritas, neque veridica ratio de Hieremia.

Mal. 4. 4.
Zach. 8. 23
Matth. 17. 10.
Apoc. 11. 3.

C
D

CAPUT LXXVIII.

De conversione Judæorum, qui in fine mundi per Heliæ prædicationem & aliorum sanctorum qui novissimo tempore futuri sunt, ad Christum Dominum conversuri erunt.

IN libro Deuteronomio Moyses legislator, loquente in se Domino filiis Israhel, de futuro inter cetera exorsus ait: *Et cum venerint super te omnia verba hæc, benedictio & maledictio quam dedi ante oculos tuos, & perceperis in corde tuo in omnibus gentibus in quibus dispersérit te Dominus Deus tuus illic, & conversus fueris ad Dominum Deum tuum, & audieris vocem ejus secundùm omnia quæ ego mando tibi hodie ex toto corde tuo & ex tota anima tua, sanabit Dominus peccata tua & miserebitur tui.* Et rursùm: *Recolliget te ex omnibus gentibus in quas dispersit te Dominus Deus tuus ibi. Si fuerit dispersio tua à summo cæli usque ad summum cæli, inde congregabit te Dominus Deus tuus, & inde assumet te, & inducet te Dominus Deus tuus in terram quam hereditaverunt patres tui, & hereditabis eam, & benefaciet tibi, & multiplicem te faciet super patres tuos, & circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui ad diligendum Dominum tuum ex toto corde tuo & tota anima tua ut vivas tu,* & cetera. In libro quoque Paralipomenon de Judæorum expulsione, & iterum eorum conversione qui in fine mundi credituri sunt, hoc modo scriptum est: *Azarias autem filius Odid, facto in se spiritu Dei, egressus est in occursum Asa, & dixit ei: audi me, Asa, & omnis Juda & Benjamin: Dominus vobiscum, qui fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Transibunt autem dies multi in Israhel absque Deo vero & absque sacerdote & doctore, & absque Lege: cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israhel, & quæsierint eum, repperient. In tempore illo non erit pax egredienti & ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum. Pugnabit enim gens contra gentem, & civitas contra civitatem; quia Dominus conturbabit eos in omni angustia. Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro.* Isaïas quoque propheta de eisdem Judæis qui in fine mundi credituri sunt Christo, ex voce Domini loquens: *Non modo,* inquit, *confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet, sed cùm viderit filios suos opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabit semen Jacob, & Deum in Jherusalem prædicabunt, & scient errantes spiritu intellectum, & mussitatores discent legem, cujus modo scientiam non habent.* De quorum conversione in fine mundi rursùm Dominus per Ezechielem prophetam: *Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de universis terris, & adducam vos in terram vestram, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor novum, &*

Deut. 30. 1
2. Par. 15. 1.
Isa. 29. 22.
Ezech. 36. 24.

E

spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea Ezech. 20. 43. *custodiatis, & operemini.* Et infra: *Et recordamini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, displicebunt vobis iniquitates vestræ & scelera vestra. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus.* De hoc populo Judæorum qui in finem mundi crediturus est angelus Domini Daniheli prophetæ interroganti respondit: Dan. 12. 1. *In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit ab eo quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit in libro scriptus.* De horum Judæorum conversione ad Dominum Jhesum Christum in fine mundi Osee propheta ex voce Domini prædicens ait: Ose. 3. 4. *Quia dies multos sedebunt filii Israhel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephot, & sine Teraphin. Et post hæc revertentur filii Israhel, & quærent Dominum suum, & dabit regem suum, & pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus in novissimo dierum.* Et per Michæam prophetam: Mich. 4. 6. *In illa die, dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam quam ejeceram colligam, & quam afflixeram; & ponam claudicantem in reliquias, & eam quæ laboraverat in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in montem Sion ex hoc nunc & usque in æternum.* De quorum conversione Dominus noster JHESUS CHRISTUS Dei Filius per Zachariam prophetam spondens dicit: Zach. 12. 9. *Et erit in die illa: quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Jherusalem, & effundam super domum David, & super habitatores Jherusalem spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem crucifixerunt, & plangent eum planctum quasi super unigenitum, & dolebunt super eum sicut doleri solet in morte primogeniti.* Pro qua conversione Israheliticæ plebis Neemias in oratione sua, quæ in libro Esdræ prophetæ continetur Domino supplicans ait: 2. Esd. 1. 8. *Memento verbi quod mandasti famulo tuo dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populis. Et si revertamini ad me, & custodiatis mandata mea, & faciatis ea; etiam si adducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & inducam vos in locum quem elegi, ut habitaret nomen meum ibi.* De quorum conversione beatus Paulus apostolus in ea quæ est ad Romanos disputans ait: Rom. 11. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Israhel donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israhel salvus fieret.*

CAPUT LXXIX.

De adventu antichristi & prædicatoribus ejus, hoc est pseudoprophetis.

Zach. 11. 15. ZAcharias propheta Domino, sibi de futuro loquente, ait: *Et dixit Dominus ad me: adhuc sume tibi vasa pastoris stulti, quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, & dispersa non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissolvet. O pastor & idolum derelinquens gregem! gladium super brachium ejus & super oculum dextrum ejus. Brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Vasa pastoris stulti populum significant lapsum in antichristo credentem. Pastor; id est stultus seu imperitus antichristus est, qui dum sibi sapiens videtur adversus Deum se erigens, stultus factus est; qui ob hoc quod intentionem atque actionem pravam exerit, oculum dextrum excæcatum & brachium dextrum aridum habere perhibetur. Nihil enim in se dextrum in intellectu atque in actione, sed sinistrum tantummodo habebit. Hujus antichristi personam gestavit Abimelech ille filius Gedeonis ex concubina ejus ortus, qui post usurpatum regnum, LXX. fratres suos de liberis matribus generatos super lapidem unum occidit. Abimelech quippe qui interpretatur Patris mei regnum, imaginem, ut dictum est, prætendebat antichristi, qui novissimis temporibus improbè usurpato sibi regno congregatis secum pariter impiis, interfectisque nobilibus filiis, idest his qui ex diversis nationibus & linguis in Christo credentes à Deo sunt generati. Mater ejusdem Abimelech, concubina videlicet Gedeonis, figuram gestavit synagogæ, quæ novissimis temporibus antichristo est creditura. De qua ultimis temporibus nequissimus filius, id est antichristus est generandus. Hujus antichristi figuram gerit Ramnus ille de quo in eodem libro Judicum à Joathan filio Gedeonis adversus Abimelech problema positum est, in quo problemate ait: *Ierunt ligna ut ungerent super regem*, & cetera. Judic. 9. 8. Ligna quippe silvæ regem quærentia homines sunt impii & vagi æterno judicio præparati. His ergo merito noluit nec olea nec ficus regnare, nec vitis, quia nec merebantur; olea enim gratiam Spiritus-sancti & unctionem pacis significat. Ficus autem Legis imaginem habet, vitem verò Salvatoris typum habere manifestum est. Reprobatus autem populus impius ab olea, id est à gratia Spiritus-sancti, & à ficu, id est dulcedine Legis, & à vite, id est à regno Christi venit ad Rannum, id est ad antichristum. Rannus enim genus est spinarum, quæ prius mollis nascitur, sed postea in magnos aculeos erumpit. Sed egredietur ignis de Ranno, id est iniquitas de antichristo, & omnes qui in eo confidunt, cum ipso pariter devorabit. Cujus persequutionem nemo evadere poterit, nisi qui per figuram à societate impiorum recesserit, & in montem benedictionis, hoc est altitudinem fidei ascenderit. Hic est mons benedictionis, quem sancti circumdant, quorum figura Joathan ille liniavit qui persequutionem Abimelech solus evasit. De hoc antichristo & multitudine impiorum quæ cum ipso novissimis diebus adversus Ecclesiam Dei ventura est, in libro Amos

Amos 7. 1. Amos Prophetæ inter cetera scriptum est: *Et ecce multitudo locustarum adveniens serotina, & ecce bruchus unus Gog rex* & cetera. Gog rege locustarum qui secundùm LXX. interpretes positus est, & interpretatur Tectum, superbia quædam & arrogans fortitudo antichristi significatur, qui in fine mundi cum innumerabili infidelium multitudine veniens velut in serotino, quæ cunctam herbam terræ, hoc est omnia infirma & tenera humani generis consumtura est: unde & propheta populo Israhel qui parvulus est sensu, Deum interpellat, ut mutata sententia saltem reliquiæ ex eis salventur. De eodem antichristo, capite omnium malorum qui in fine mundi per impiorum regnum, quod per denarium numerum exprimitur, velut in undenario loco propter transgressionem peccati surrecturus est, Danihel propheta in visione sua, revelante sibi angelo, inter cetera ita dicit: *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus, & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* (Dan. 7. 8.) Ubi continuò de judicio addidit dicens: *Ego Danihel aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.* (Ibid. 9.) Et infrà de interfectione antichristi & corporis ejus, id est omnium impiorum: *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur. Et vidi quod interfecta esset bestia, & perisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni, aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus.* Item ibi de eodem antichristo, *Post hoc*, inquit, *volui discere diligenter de bestia quarta quæ erat dissimilis valde omnibus, & terribilis nimis, dentes & ungues ejus ferrei, comedebat & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat, & de cornibus decem quæ habebat in capite, & de alio quod ortum fuerat ante, ceciderant tria cornua. De cornu illo quod habebat oculos & os loquens grandia, & majus erat ceteris, aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, & prævalebat eis, donec venit antiquus dierum, & judicium dedit excelsis, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt sancti.* (Ibid. 19.) De eodem antichristo & multitudine infidelium, quæ ei velut regi suo per impietatem adhærebit, atque pari conspiratione Ecclesiam Dei persequutura est in libro Ezechielis prophetæ sub nomine Gog, & Magog, Mosoch, atque Tubal, sub diversis figuris plurima narrantur. De sæpe dicto antichristo & impiis prædicatoribus ejus dominus ad beatum Job multis modis multisque significationibus mysticè loquutus est. De cujus impietate Isaïas propheta atque Michæas nonnulla sub nomine Assur vel ceteris impiis præloquuti sunt. Dominus quoque in evangelio de ejusdem Antichristi & ejus prædicatorum sævitia atque fallacia discipulos suos informans ait: *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum. Surgent enim pseudoprophetæ & pseudochristi, & dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* (Matth. 24. 4.)

A *Ecce prædixi vobis* Et ad Judæos: *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* (Joan. 5. 43.) De eodem quippe Antichristo beatus Paulus apostolus in epistola secunda ad Thessalonicenses scribens ait: *Rogamus vos fratres per adventum Domini nostri* JHESU CHRISTI, *& nostræ congregationis in idipsum, ut non citò moveamini sensu, neque terremini vestro sensu, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit dissensio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus, & nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis; tantum ut qui tenet nunc teneat donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus* JHESUS *interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute, signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, eo quod Karitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittit illis Dominus operationem erroris ut credant mendacium, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* (2. Thes. 2. 1.) B C Beatus etiam Johannes apostolus in epistola sua prima ita dicit: *Karissimi novissima hora est, & sicut audistis quia antichristus venit. Nunc autem antichristi multi facti sunt, unde scimus quoniam novissima hora est. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis, sed vos unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.* (1. Joan. 2. 18.) Et post aliqua: *Karissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetæ prodierunt in hunc mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur* JHESUM CHRISTUM *in carne venisse ex Deo est, & omnis spiritus qui solvit* JHESUM CHRISTUM, *ex Deo non est; & hic est filius antichristi, quem audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo est.* (1. Joan. 4. 1.) D De hoc antichristo & ejus prædicatoribus atque multitudine impiorum quæ cum ipso in fine mundi adversus civitatem Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, consurrectura est, in libro Apocalypsis figuraliter scriptum est: *Et vidi*, inquit, *de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, & super capita ejus nomen blasphemiæ. Et bestia quam vidi similis erat pardo, & pedes ejus ursi, & os ejus sicut Leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam*, & cetera quæ de eo sequuntur. (Apoc. 13. 1.) E Bestiam de mari ascendentem, quam vidisse se dicit similem pardo, regnum illius antichristi cum varietate gentium permixtum significat. De mari autem ascendere, est per mundi gloriam superbire. Cujus pedes similes ursi esse perhibentur, hoc est fortissimi & spurcissimæ bestiæ duces. Os ejus

tamquam leonis, hoc est ad sanguinem armatum. Os enim ejus jussio illius est. Item ibi post paulum de prædicatoribus ejus, hoc est pseudoprophetis: *Et vidi*, ait, *aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco.* Et infrà: *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum, & seducit habitantes terram propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.* Et reliqua. De terra quippe ascendere, est ex terrena gloria superbire: quæ habet duo cornua agni similia, quia per hypocrisin sanctitatis eam quam in se veraciter Dominus habuit singularem sibi inesse, & sapientiam mentitur & vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infunditur, rectè subditur, *& loquebatur ut draco.* Ista ergo bestia, id est prædicantium multitudo, si apertè ut draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumit agni speciem, ut draconis exerceat operationem. Sciendum verò est quia sæpe dictus antichristus purus homo ex utroque sexu sicut & ceteri nasciturus est, in quem postea princeps omnium malorum diabolus ingrediens, omnem impietatem atque credulitatem suam adversus electos Dei per eumdem vas perditum exerciturus est, & hoc est quod ait scriptura: *Dedit ei draco potestatem suam.* Rursùm sciendum est quod omnes hæretici quicumque retro olim fuerunt, vel nunc sunt, sive qui futuri sunt, universi ejusdem antichristi prædicatores fiunt.

Ibid. 11.

Apoc. 13. 11.

Apoc. 13. 2.

CAPUT LXXX.

De futura resurrectione mortuorum in qua omnes homines ab ipso primo Adam usque ad ultimum qui in fine mundi nasciturus est in eadem carne, in qua quantulumcumque vixerunt & mortui sunt, resurgent, non mutata natura neque sexu, sed tantùm corruptione deposita universi resurgent incorrupti, qualiter in eadem carne in qua bonum gesserunt vel malum, aut pro bonis actibus sempiternam beatitudinem, aut pro malis gestis perpetuam recipiant damnationem.

IN qua resurrectione, ut dictum est, omnes quidem resurgent, justi perfecti, ut judicent & regnent; minus verò perfecti, sed tamen justi, ut judicentur & regnent; peccatores verò de quibus ait Apostolus, *Quicumque in Lege peccaverunt per legem judicabuntur*, ut dictum est, judicabuntur, non ut regnent, sed ut damnentur: impii autem quicumque sine Lege peccaverunt, omnes quidem resurgent, non ut judicentur, sed ut puniantur. De his enim Veritas ait: *Qui non credit jam judicatus est*, id est jam condemnatus. Duæ quippe sunt resurrectiones, prima videlicet animarum, secunda verò corporum. Prima est resurrectio animarum, pro qua unusquisque credens post mortem animæ quam ex traduce peccato contraxerat, per fidem Christi & lavacrum regenerationis resurgit ad vitam. De hac morte animæ & resurrectione

Rom. 2. 12.

Resurrectio duplex.

A beatus Petrus apostolus in epistola sua prima inter cetera dicit: *Propter hoc & mortuis evangelizatum est*, mortuis videlicet in anima non in carne. De quibus & beatus Paulus apostolus in ea quæ est ad Romanos de omnipotentia Dei loquens, ait: *Qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt.* Secunda verò resurrectio futura est in carne. De his duabus resurrectionibus Isaïas eximius propheta Domino loquens ait: *Resurgent mortui*, id est in anima per fidem, *& resurgent qui in monumentis sunt*, hoc est in carne. Item ipse de futura resurrectione sanctorum in carne:

B *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor eos, & in Jherusalem consolabimini. Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt.* De futura resurrectione carnis in libro Ezechielis prophetæ scriptum est: *Hæc dicit Dominus Deus ossibus istis: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis, & scietis quia ego Dominus.* In libro quoque Danihelis prophetæ inter cetera: *Et multi*, inquit, *de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in obprobrium, ut videant semper.*

C De hac futura resurrectione carnis Psalmista canit: *In conspectu ejus procedunt universi qui descendunt in terram.* Et alibi: *Auferes*, ait, *spiritum eorum & deficient, & in pulverem revertentur, emittes spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* De hac futura resurrectione carnis beatus Job fretus ait: *Scio quod redemtor meus vivat, & in novissimo die de terra surrecturus sim, & rursùm circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum quem visurus ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* De prima quippe resur-

D rectione animarum quæ per fidem est Veritas nos in Evangelio informans ait: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent.* De secunda verò resurrectione subsequens ait: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus, & procedunt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* Et iterum ipse Dominus de prima resurrectione animarum: *Sicut Pater*, inquit, *suscitat mortuos & vivificat; sic & Filius quos vult vivificat.* De secunda verò resurrectione carnis: *Et ego*, ait, *suscitabo eum in novissimo*

E *mo die.* De prima resurrectione animarum beatus Paulus ad Ephesios scribens ait: *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam Karitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salvati, & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo.* Et rursùm ipse ad Colossenses: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* De resurrectione autem carnis idem apostolus ad Corinthios scribens dicit: *Stella enim ab stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in igno-*

1. Pet. 4. 6

Rom. 4. 17.

Isa. 66. 13.

Ezech. 37. 5.

Dan. 12. 2.

Ps. 21. 30.

Psal. 103. 29.

Job. 19. 25

Joan. 5. 25

Ibid. 26.

Ibid. 21.

Joan. 6. 5.

Eph. 2. 4.

Colos. 3. 1.

1. Cor. 15. 41.

bilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, Ibid. 50. *surget corpus spiritale.* Et paulò post: *Hoc autem dico, fratres, quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Mortuos dixit impios & peccatores, justos autem qui immutabuntur. Item ipse ad Thessalonicenses: 1. Thess. 4. 12. *Nolumus autem vos*, inquit, *ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quod* JHESUS *mortuus est & resurrexit; ita & Deus eos qui dormierunt per* JHESUM *adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* De prima quoque resurrectione animarum per fidem in libro Apocalypsin scriptum est: Apoc. 20. 4. *Qui non adoraverunt bestiam & imaginem ejus, nec acceperunt caracterem in frontibus suis aut in manibus suis, vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis, ceteri mortuorum non vixerunt donec consumantur mille anni. Hæc resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habebit potestatem.* Mille autem anni in quibus hæc resurrectio prima animarum fit, omne tempus significat ab adventu Salvatoris usque in finem mundi. De secunda verò resurrectione carnis in eodem libro scriptum est: *Et mare reddidit mortuos qui in eo erant, & mors & inferus dederunt mortuos qui in ipsis erant, & judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.*

Regeneratio duplex. Sciendum verò est quia sicut duæ resurrectiones, ita & duæ in sacro eloquio dicuntur regenerationes. Prima quidem regeneratio est per baptismum, de qua Veritas ait: Joan. 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* De secunda verò regeneratione quæ in resurrectione carnis futura est, idem Redemtor noster apostolis pollicens dixit: Matth. 19. 28. *Vos qui sequuti estis me in regeneratione cùm sederit Filius hominis super sedem majestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israhel.*

Adoptio duplex. Rursùm sicut duæ sunt resurrectiones atque regenerationes, ita & duobus modis fit adoptio filiorum Dei, prima scilicet in baptismo, secunda verò in resurrectione. De prima quippe adoptione quam in lavacro unusquisque fidelis consequitur, beatus Paulus apostolus in ea quæ est ad Galathas inter cetera scribens dicit: Gal. 4. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* De secunda verò adoptione quam omnes electi in

A futura resurrectione expectant, idem Apostolus ad Romanos scribens ait: *Non solum sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos ingemiscimus, adoptionem filiorum expectantes, redemtionem corporis nostri.* Hoc verò catholica fides certum habet, quia sicut utraque resurrectio fidelium atque regeneratio in Redemtore nostro qui est caput Ecclesiæ præcessit, ita & adoptio filiorum Dei in ipso præit, apostolo hoc affirmante ac dicente in epistola ad Ephesios: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri* JHESU CHRISTI, *qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, sicut* Eph. 1. 3. B *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in Karitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per* JHESUM CHRISTUM *in ipsum, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum.*

CAPUT LXXXI.

De eo quod dies judicii soli Domino cognitus sit, cunctis verò hominibus incognitus.

C NEmpe ipse Dominus noster JHESUS CHRISTUS judex vivorum & mortuorum in Evangelio secundùm Marcum de judicii die discipulis suis se interrogantibus inter cetera respondit: *De die autem illo & hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater solus.* Matth. 24. 36. Quod utique de semetipso non secundùm divinitatem, sed juxta humanitatem dixisse certum est, ut est illud: *Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis*, Matth. 20. 23. sicut & alia plurima his similia, quæ de subjectione sua loquutus est. Secundùm præscientiam verò divinitatis suæ de D eodem die judicii ipse de se ipso per Isaïam prophetam dicens ait: *Dies enim ultionis in corde meo, annus redemtionis meæ venit.* Isa. 63. 4. De quo iterum Zacharias propheta: *Et veniet*, inquit, Zach. 14. 5 *Dominus Deus meus omnesque sancti cum eo: & erit in die illa: non erit lux, sed frigus, & gelu, & erit dies una quæ nota est Domino.* Quod autem soli Domino nota sit dies illa, ipse Dei Filius discipulis suis se interrogantibus iterum respondit: *Non est vestrùm nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. 7 De quo die judicii beatus Petrus in epistola sua prima nos informans dicit: *Adveniet autem dies Do-* 2. Pet. 3. 10. E *mini ut fur, in qua cæli magno impetu transcurrent, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* De qua die beatus Paulus ejus coapostolus in epistola ad Thessalonicenses prima inter cetera scribens ait: *De temporibus & momentis, fratres, non indigetis ut scribam vobis, ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* 1. Thess. 5. 1. *Cùm enim dixerint, pax & securitas; tunc repentinus superveniet interitus sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Item ipse in secunda epistola ad eos quos & supra: *Rogamus autem vos*, inquit, 2. Thess. 2. 1. *fratres, per adventum Domini nostri* JHESU CHRIS-

TI *& nostræ congregationis in ipsum, ut non cito commoveamini à sensu vestro, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullomodo, quoniam nisi venerit dissensio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* Ac si dicat, nisi prius antichristus fuerit revelatus, judicii dies nullomodo veniet. Quot verò anni à primo adventu Salvatoris usque in secundo transeant, soli Domino cognitum est. Quod etiam egregius doctor Augustinus in libro 18. de Civ. Dei

Aug. l. 18. de Civ. Dei c. 53. rationabiliter affirmat dicens: Frustra igitur „ annos qui remanent huic sæculo computare ac „ definire conamur, cùm hoc scire non esse nostrum ore Veritatis audiamus. Quos tamen alii „ quadringentos, alii quingentos, alii etiam „ mille ab ascensione Domini usque ad ejus ultimum adventum compleri posse dixerunt. „ Quemadmodum autem quique eorum astruat „ opinionem suam longum est demonstrare & „ non necessarium, conjecturis quippe utuntur „ humanis, non ab eis aliquid certum de scripturæ canonicæ auctoritate profertur. Omnium verò de hac re calculantium digitos solvit & quiescere jubet ille qui dicit *non esse vestrum scire tempora quæ Pater posuit in sua potestate.* (Act. 1. 7.) Quod autem ultimus dies judicii viventes homines in hoc mundo in carne inveniat, ipse Judex vivorum ac mortuorum sua auctoritate in Evangelio secundùm Matthæum adstipulatur dicens: *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis, sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptum tradentes usque ad eum diem quo introivit in areha Noë, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes, ita erit & adventus Filii hominis.* (Matth. 24. 37.) Et beatus Paulus apostolus: *Cùm enim, ait, dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus tamquam in utero habenti, & non effugient.* (1. Thes. 5. 3.)

CAPUT LXXXII.

De secundo adventu Filii Dei in quo rursum de cælo in eadem carne eademque forma qua resurrexit à mortuis, venturus est judicare sæculum per ignem, & quod visibiliter neque Spiritus-sanctus sed Filius tantùm in forma servi in eodem judicio cunctis visibilis apparebit atque judicabit: invisibiliter verò tota Trinitas, id est Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus judicabunt.

QUod autem Deus Pater omnipotens Filium suum in forma humana in primo adventu ejus secundùm carnem in passione occidit, id est occidere permisit, & iterum vivere fecit cùm illum à mortuis resuscitavit, atque post resurrectionem velut manum suam in cælum levavit, cùm eum super omnem creaturam cæli ac terræ in eadem forma humanitatis exaltavit, per quem etiam velut per eamdem manum in finem mundi hostibus suis redditurus est, ipse Deus Pater omnipotens in cantico Deuteronomii retro olim per Moysen legislatorem repromisit dicens: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego sanabo; & non est qui de manu mea possit eruere. Levabo ad cælum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis.* (Deut. 32. 39.) Solus enim Pater hoc in loco dicitur Deus, quia fons & origo deitatis ipse est, à nullo sumens initium, à quo Filius genitus, & à quo Spiritus-sanctus procedens est. Tria nomina, sed unus Deus. Manus Patris vel gladius rectè Filius intelligitur, quia per eum Pater velut per manum omnia quæ vult facit, quasi per gladium dirimit. De ipso quoque Redemtore nostro, qui ad redemtionem humani generis de sinu Patris egrediens in hunc mundum venire dignatus est, & post assumtionem carnis & passionem & mortem atque resurrectionem cum eadem carne quam assumere dignatus est, sedem repetit deitatis, in qua etiam carne iterum venturus est judicare sæculum per ignem, in psalmo 18. scriptum est: *A summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* (Ps. 18. 7.) De cujus primo adventu in psalmo 49. scriptum est: *Deus deorum Dominus loquutus est, & vocavit terram.* (Ps. 49. 1.) De secundo verò adventu ejus in quo non judicandus ut prius, sed judicaturus adveniet, continuò additum est: *Deus manifestè veniet Deus noster, & non silebit: ignis ante eum ardebit, & in circuitu ejus tempestas valida.* (Ibid. 3.) De cujus primo & secundo adventu rursum in psalmo 95. scriptum est: *Gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt, tunc exultabunt ligna silvarum ante faciem Domini quoniam venit, quoniam veniet judicare terram*, id est venit & iterum venturus est. (Psal. 95. 12.) De quo in libro Regum Annæque cantico: *Dominus*, inquit, *ascendit in cælos & tonat, ipse judicat extrema terræ.* De quo Redemtore nostro & Judice omnium in Isaia propheta scriptum legitur: *Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui & principibus ejus*, id est sustinet nunc ad judicandum, dum delinquentium reditum per patientiam patienter expectat, sed utique veniet cum electis suis ad faciendum judicium. (Isai. 3. 13.) Item ibi de ipso: *Et præparabitur*, inquit, *in misericordia solium ejus, & sedebit super eum in veritate in tabernaculo David, judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod justum est*, hoc est præparabitur solium ad regnum sempiternum: primum in misericordia, omnes enim sub peccato sumus & indigemus gratia Dei. Post misericordiam verò judicium, ut quærat justitiam & reddat uni- (Isa. 16. 5.)

cuique secundùm opera sua. Et iterum per A prædictum prophetam de eodem Redemtore nostro & Judice omnium : *Ecce*, inquit, *nomen Domini, post multum tempus venit ardens indignatio ejus, cum majestate eloquium labiorum, eloquium iræ plenum, & ira indignationis ut ignis vorabit : & spiritus ejus ut aqua in valle trahens.* Nomen Domini, hoc est nomen Patris, id est Filius ejus de quo Pater ad Moysen ait : *Et est nomen meum in illo.* Hic post longo tempore ad judicium veniens spiritu oris sui diabolum & antichristum impium interficiens, & omnes impios & peccatores in vallem, hoc est in infernum detrahens. Item B

Isa. 66. 15. ibi : *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis.* De quo futuro die judicii sæpe dictus propheta Isaias in superiori parte libri sui sub nomine Babyloniæ contra superbiam

Isa. 13. 9. hujus mundi inter cetera ait : *Ecce dies Domini venit crudelis, & indignationis plenus & iræ, furorisque ad ponendum terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea, quoniam stellæ cæli & splendor earum non expandet lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo, &* C *visitabo super orbes mala, & conteram impios in iniquitate eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo : pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo : super hoc cælum turbabo, & movebitur terra de loco suo*, id est in consummatione mundi quando orbis redactus fuerit in solitudinem, & obtenebratus sol in ortu suo, & luna splendorem non dederit, tantaque fuerint ab antichristo signa atque portenta ad decipiendos si fieri potest etiam electos Dei : tunc pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo, quod hebraïcè dicitur Phaz. Quod D coloris optimi atque sanguinei est. Item ibi

Isa. 14. 1. in subsequentia de electis : *Prope est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur, miserebitur enim Dominus Jacob, & eliget adhuc de Israhel; & requiescere eos faciet super humum suam*, hoc est postquam Babylonis superbia, id est præsentis mundi elatio deserta fuerit, miserebitur Dominus Jacob, ejus videlicet qui vitia supplantavit, & eliget Israhel eum qui mente conspicit Deum. Quod autem per assumtum hominem à Verbo futurum erit judicium, in libro Ezechielis prophetæ, ipso Domino minante, inter reli- E

Ezech. 20. 35. qua scriptum est : *Et adducam vos*, inquit ad Judæos, *in desertum populorum, & judicabor ibi vobiscum facie ad faciem. Sicut judicio contendi adversus patres vestros in deserto terræ Ægypti : sic judicabo vos, ait Dominus Deus, & subjiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis, & eligam de vobis transgressores & impios, & de terra incolatus eorum educam eos, & terram Israhel non ingredientur; & scietis quia ego Dominus Deus.* In libro quoque Danihelis prophetæ de futuro judicio quod Pater per Filium, hoc est per hominem assumtum acturus est, inter cetera

scriptum est : *Ego Danihel aspiciebam donec* Dan. 7. 9. *throni positi sunt, & antiquus dierum sedit : vestimenta ejus quasi nix candida, & capilli capitis ejus quasi lana munda, Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus, fluvius igneus rapidus egrediebatur à facie ejus, millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant. Judicium sedit & libri aperti sunt.* Et infra : *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum ; & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* De sæpe dicto futuro die judicii in libro Johel prophetæ scriptum est : *Consurgant & ascendant* Joël. 3. 12. *gentes in valle Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu* ; ubi continuò ad angelos sermo Domini dirigitur : *Mittite falces, quoniam maturavit messis, venite & descendite quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. Populi, populi in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis.* Vallis concisionis præsens est mundus, ipse torcular plenum humanis iniquitatibus. De crebro dicto die judicii in libro Amos prophetæ rursum scriptum est: *Væ desiderantibus diem Domini, ut quid eam vobis?* Amos 5. 18. *dies Domini ista tenebræ & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis & occurrat ei ursus, & ingrediatur domum, & innitatur manus suas super parietem, & mordeat eum coluber, numquid tenebræ dies Domini, & non lux ? & caligo non splendor in ea ?* Judæi vel hæretici, sive plerique de Ecclesia propria de justitia fidentes diem Domini, hoc est judicii diem quasi securi de reatu facinorum desiderare se profitentur, quem timere utique debuerunt, non desiderare. Leo verò vel ursus seu coluber hoc in loco diabolus intelligendus est. Dominus autem unicuique delinquenti, propria conscientia est, ubi bene illi non est. Item ibi: *Ecce vocavit judicium ad ignem Dominus, &* Amos 7. 4. *devoravit abyssum multam, & comedit simul partem.* Multam abyssum devoravit, quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremat. Pars autem domus comeditur, quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc se intra Ecclesiam quasi in sanctis actibus de electorum numero esse gloriantur. De hoc die judicii in libro Abdiæ prophetæ scriptum est : *Quoniam juxta est dies Domini* Abd. 15. *super omnes gentes. Sicut fecisti fiet tibi, retributionem tuam convertet in caput tuum. Quomodo enim bibisti super montem sanctum meum, bibent super te omnes gentes largiter, & bibent, & sorbent ; & erunt quasi non sint*, id est bibent calicem iræ Dei & hic & in æternum, & erunt quasi non sint. Omnes enim qui pereunt apud Deum qui semper est non esse dicuntur. De primo itaque adventu Salvatoris, quo occultè in carne venire dignatus est, per Nahum

Nah. 1. 3. prophetam prænunciatum est: *Dominus*, inquit, *in tempestate & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus, increpans mare & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens*, id est omnem amaritudinem infidelitatis, & sapientiam hujus mundi: ubi continuò de Ibid. 6. secundo adventu ejus addidit dicens: *Ante faciem indignationis ejus quis stabit? quis resistet iræ furoris ejus? indignatio ejus effusa est ut ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo, quia furor ejus in similitudine stillabit incendii*, ut dura corda hominum quæ petræ vocantur conterantur & dissolvantur. Et infra de elec-Ibid. 7. tis: *Bonus Dominus confortans in die retributionis, & sciens sperantes in se, & in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, & inimicos ejus persequentur tenebræ*. Consummationem autem sive finem faciet loci ejus, id est diluvii ut pertranseat, & post iram Domini sola in electis apparebit clementia. Inimicos verò Domini omnes reprobos dicit, quos tenebræ, hoc est immundi spiritus, seu æterna damnatio prosequitur. De hoc judicii die iterum Dominus per Sophoniam pro-Soph. 1. 14. phetam nos terrens prædicit: *Juxta est dies Domini magnus, justa & velox nimis vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super civitates munitas, & super angulos excelsos, & tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*. Hoc de die judicii sentire non absurdum est. Ibi enim fortis, hoc est diabolus cum omni corpore suo cunctis videlicet iniquis contribulandus erit. Civitates verò munitas & angulos excelsos corda dicit superborum, quæ Soph. 3. 5. excelsa sunt per elationem, & munita per obstinationem. Et infra: *Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem mane, mane judicium suum dabit in lucem, & non abscondetur*. Nesciebat autem iniquus confusionem id est dum venerit mane, & nox hujus sæculi pertransierit: dabit in luce judicium suum, & non abscondetur vel ipse vel judicium ejus, & cùm cœperit à singulis exigere pecuniam quam eis commiserat, non erit injustus. Tunc impius confusionem suam, quam modò scire non vult, recognoscet. De sæpe dicto die judi-Agg. 2. 22. cii demum Dominus per Aggæum prophetam affatus ait: *Ego movebo cælum pariter & terram, & subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & subvertam quadrigam & ascensorem ejus, & descendent equi & ascensores eorum, vir in gladio fratris sui cadet*, id est in judicio Domini nostri JHESU-CHRISTI, qui per assumtionem carnis frater nobis fieri dignatus est, Per Zachariam quoque prophetam ipse Dominus noster JHESUS CHRISTUS de secundo adventu suo, in quo in eadem carne qua passus est, venturus Zach. 12. 9 est judicare sæculum delinquens, sic ait: *Et erit in die illa quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Israhel*, id est omnes

A impios Ecclesiam Dei persequentes. Ubi continuò de Judæis qui in finem mundi in ipso Ibid. 10. credituri sunt addidit dicens: *Et effundam super domum David, & super habitatores Jherusalem spiritum gratiæ & precum, aspicient ad me quem cruxifixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum sicut doleri solet in morte primogeniti*. Et paulò post: *Et veniet Dominus Deus meus*, ait propheta, Zach. 14. 5 *omnesque sancti cum eo, & erit in die illa, non erit lux, sed frigus & gelu, & erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox, & in tempore vesperæ erit lux*. Item alia trans-B latio: *Et dies ille notus Domino, & dies ille non sicut dies quem sequitur nox, neque sicut lux quæ transit ad vesperam, sed erit perpetuum lumen in illa die*. In Malachia autem propheta de primo adventu Salvatoris secundùm car-Mal. 3. 1. nem scriptum est: *Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos desideratis*. Ubi mox de secundo adventu in quo veniet judicare mundum per ignem addidit dicens: *Ecce veniet, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi C herba fullonum, & sedebit conflans, & mundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum*. Filios Levi omnes electos Dei dicit, quos ita mundabit ut nulla in eis sordes peccati, vel rubigo delicti rema-Mal. 4. 1. neat. Item ibi: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet ex eis radicem & germen*. Et alibi: *Et incendet illos dies quæ ventura est, dicit Dominus omnipotens, & non relinquetur ex eis radix neque sarmentum*. Per sarmentum quippe Judæos at-D que hæreticos nec non & pravos Christianos significare certum est. Ipse quoque Judex vivorum ac mortuorum de semetipso in Evangelio secundùm Mathæum de futuro judicio Matth. 25. 31. loquitur dicens: *Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem suam, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet quidem oves à dextris, hædos autem à sinistris*, & cetera. Ubi continuò de damnatione reproborum & remuneratione electorum addidit di-Ibid. 46. cens: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi ve-E rò in vitam æternam*. Item in eodem Evange-Matth. 13. 49. lio secundùm Matthæum: *Sic erit*, ait, *in consummatione sæculi, exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium*. Hinc demum ipse Dominus noster JHESUS CHRISTUS in Evangelio secundùm Johannem, *Pa-Joan. 5. 22. ter*, ait, *non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Et iterum ibi: *Sicut Pater ha-Ibid. 27. bet vitam in semetipso, & potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*; ac si diceret: In hoc ei dedit potestatem judicandi, in quo filius hominis est, in quantùm verò

Deus est non accipit, sed ipse dat hanc potestatem cum Patre. De hoc futuro judicio quod Pater per Filium, hoc est per assumtum hominem exerciturus est, beatus Paulus apostolus (Rom. 2.16) inter cetera ait: *In die qua judicabit Dominus occulta hominum secundùm evangelium per* JHESUM CHRISTUM. Item ipse in epistola ad Thessalonicenses secunda (2. Thess. 1. 7.): *Et vos*, inquit, *qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini* JHESU CHRISTI *de cælo cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam in his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri* JHESU CHRISTI, *qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* De hoc futuro judicio beatus Petrus apostolus in epistola sua secunda (2. Pet. 3. 10.) nos terrens dicit: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua cæli magno impetu transcurrent, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Quod autem Dominus noster JHESUS CHRISTUS in eadem servi forma in qua resurrexit à mortuis & ascendit in cælum venturus sit ad judicium, sacra scriptura, id est liber Actuum apostolorum (Act. 1. 10.) testatur dicens: *Cùmque intuerentur in cælum euntem illum*, id est apostoli, *ecce duo viri steterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic* JHESUS *qui assumtus est à vobis in cælum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Item ibi beatus Paulus apostolus Athenienses (Act. 17. 30) evangelizans inter cetera de die judicii addidit dicens: *Nunc annuntiat omnibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in qua judicaturus est orbem terræ in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* De sæpe dicto futuro judicio in libro Apocalypsin (Apoc. 20. 11.) inter cetera scriptum est: *Et vidi thronum magnum candidum & sedentem super eum, à cujus aspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus ab eis. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ; & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundùm opera justorum.* Hos per libros, quos in hoc loco dicit, intelligendi sunt sancti veteris & novi instrumenti, ut in illis ostenderetur quæ Deus fieri sua mandata jussisset. Possunt libri isti & hominum conscientias designare, quæ ibi apertæ, hoc est manifestæ erunt. Quod etiam invisibiliter tota Trinitas quæ est unus & verus Deus judicet, sacra testatur scriptura: Scriptum quippe est de Deo Patre in psalmo 49. [a] [a] *Peccatori autem Deus.* Et infrà: *Arguam te, & statuam ea ante faciem tuam.* De Filio quoque ex voce Ecclesiæ in psalmo 6. (Psal. 6. 2.) propheta supplicans dicit: *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* De Spiritu verò sancto in libro Sapientiæ (Sap. 5. 24.) impressum profertur: *Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbido vento dividet illos.* Et ad Jheremiam: *Deducet omnem terram iniquitatis.* Iterum Veritas in evangelio secundùm Joannem (Joan. 5. 45) Judæos redarguens de Patre suo ait: *Putatis quod ego accusaturus sim vos apud Patrem? Moyses in quem vos speratis.* Et iterum ipse (Joan. 8. 50): *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet.* Sed idcirco solus Filius dicitur judicare, quia ipse solus in forma servi visibilis apparebit universis, sicut de eo iterum scriptura dicit (Apoc. 1. 7.): *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

[a] Deest in mss. cod. *dixit.*

CAPUT LXXXIII.

De eo quod cum Domino sancti apostoli & ceteri perfecti judicabunt, & quod sancta Ecclesia omnes adversarios suos à quibus in hac vita injustè judicata est, in illo ultimo judicio accepta potestate, justè judicabit atque condemnabit.

IN libro Isaiæ prophetæ de Domino JHESU-CHRISTO & sanctis apostolis ejus (Isa. 3. 13.) scriptum est: *Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandos populos, Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui & principibus ejus.* Item ibi Dominus ad sanctam Ecclesiam de præsenti & futuro judicio spondens dicit (Isa. 54. 16.): *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creavi interfectorem ad disperdendum omne vas quod fictum est. Contra te non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi in judicio judicabis.* Rursum de sanctis apostolis & ceteris perfectis Danihel (Dan. 7. 22.) in visione sua inter cetera sic ait: *Donec venit antiquus dierum, & judicium dedit sanctis excelsus, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt sancti.* Per Michæam (Mich. 4. 11) quoque prophetam Dominus Ecclesiæ suæ futuram ultionem de persequutoribus suis promittens dicit: *Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: lapidetur, & aspiciat in Sion oculus noster: ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium ejus, quia congregabit eos sicut fœnum areæ. Surge, & tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.* Per Malachiam (Mal. 4. 2.) itaque similiter ei, hoc est Ecclesiæ, Domino pollicente, promissum est: *Et orietur*, inquit, *timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus, & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento, & calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.* De quorum justitia, id est sanctorum, quæ postea in judicio convertetur, Psalmista (Ps. 93. 15) canit: *Donec convertatur justitia in judicium, & qui tenent eum omnes recti sunt corde.* De sanctis quippe apostolis & ceteris perfectis in libro beati Job (Job. 36. 6.) scriptum legitur: *Et judicium pauperibus tribuit, non au-*

A fert à justo oculos suos, & reges in solio conlocat in perpetuum & illic eriguntur. De quibus regibus, id est sanctis apostolis & cunctis perfectis Anna in prophetia sua in libro Regum, *Potens est*, inquit, id est Dominus, *& dabit virtutem regibus nostris, & exaltabit cornu Christi sui*, id est Filii sui. In Proverbiis quoque Salomonis de laude Ecclesiæ inter cetera scriptum est: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*. Vir Ecclesiæ Christus, porta judicium, senatores verò terræ sancti apostoli. Ipse igitur Dominus per semetipsum apostolis suis se sequentibus promittit dicens: *Vos qui sequuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis super sedem suam, sedebitis & vos super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israhel.* Et rursùm ipse in evangelio secundùm Lucam: *Vos*, inquit, *qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis quemadmodum & Pater meus disposuit mihi regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam, & sedeatis super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israhel.* Illud itaque nobis diligenter intuendum est, quia illis Dominus futuras judicii sedes se daturum pollicitus est, qui prius cum eo in tentationibus permanserint, ut ait Apostolus: *Si enim compatimur, ut & conglorificemur*, nempe ipse Redemtor noster & Dominus veritas est, & justitia est, frustra enim sibi cum eo futuram beatitudinem, & regni felicitatem pollicetur, qui in hac vita propter veritatem atque justitiam quod ipse est, omnem adversitatem seu tribulationem sustinere refugit, qui magis elegit contra justitiam cum mundo gaudere, quàm propter justitiam adversa hujus mundi tolerare. Illud verò quod apostolis suis Veritas repromittit dicens: *Sedebitis super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israhel*, non ita accipiendum est, ut solis duodecim apostolis judicandi potestas conlata sit, præsertim cum beatus Paulus apostolus extra hunc duodenarium numerum sit: nam sicut legimus in loco Judæ proditoris, qui duodecimus fuit, Mathias subrogatus est; & ideo beatus Paulus apostolus non duodecimus, sed decimus tertius est. Per duodenarium quippe numerum universa quædam significata est judicantium multitudo propter duas partes numeri septenarii quo significatur plerumque universitas: quæ duæ partes, id est tria & quatuor altera per alteram multiplicatæ duodecim faciunt, & si qua alia hujusmodi duodenarii numeri quæ ad hoc valeat ratio reperitur. De ipsis quoque judicandis in hoc numero duodenario similis causa est, non enim quia dictum est judicantes duodecim tribus Israhel, tribus Levi quæ tertia decima est judicanda non erit? aut solùm illum populum, non etiam gentes ceteras judicabunt? quod ait in regeneratione, proculdubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi: sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem.

Prov. 31. 23. — Matth. 19. 28. — Luc. 22. 28. — Rom. 8. 17 — Matth. 19. 28.

CAPUT LXXXIV.

De perpetua damnatione diaboli & antichristi, atque omnium reproborum qui sunt corpus ejus.

IN Cantico Deuteronomii Dominus per Moysen legislatorem de futura damnatione malorum comminatur dicens: *Quoniam ignis accensus est in furore meo, & ardebit usque ad infernum inferiorem.* De hac perpetua damnatione malorum in libro Isaiæ prophetæ B inter cetera scriptum est: *Præparata est enim ab heri Tofeth à rege, præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa: flatus enim Domini sicut torris sulphuris succendens eam.* Ab heri quippe & à præterito tempore præparata est à rege Domino Tofeth, id est lata & spatiosa gehenna, quæ eos æternis urit ardoribus. Nutrimenta ejus & fomes ignis est, & ligna multa, id est flamma perpetua supplicia peccatorum. Item ibi: *Flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem, quandocumque pertransierit tollet vos, quoniam mane diluculo pertransibit in die* C *& in nocte, & sola vexatio intellectum dabit auditui*, id est flagellum sive tempestas de qua dixeratis, non veniet super nos. Non veniet & eritis ei in conculcationem, & omnia tormenta patiemini, quæ vos putabitis desperationis animo nequaquam esse passuros. Quid dicam de pœnis pœnarum? sola formido & tormentorum metus vos intelligere faciet, cumque vexati fueritis, tunc animadvertetis prophetas omnes vera dixisse. Hinc demum ibi de perpetua pœna reproborum: *Exibunt*, inquit, *& videbunt membra hominum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur,* D *& ignis eorum non extinguetur, & erunt in aspectu omni carni.* De perpetua damnatione diaboli & omnium reproborum, quia unum sunt cum ipso, sub figura regis Babylonis in libro Jheremiæ prophetæ inter cetera scriptum est: *Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus exercituum, quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ, & cadet superbus, & non erit qui suscitet eum.* Et post aliqua: *Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram, & extendam manum meam super te, & evolvam te de petris, & dabo te in montem combustionis, & non tollent de te lapi-* E *dem in angulum, & lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris.* De cujus damnatione, hoc est diaboli, in libro Ezechielis prophetæ sub nomine Principis Tyri similiter scriptum est: *Producam*, ait, *ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. Omnes qui viderint te in gentibus obstupescent super te, nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Ignis qui de medio ejus procedere dicitur, rectè impietas illius intelligitur, quæ omnes adhærentes ei velut ipsum comedet. Item ibi de ipso sub nomine Pharaonis regis Ægypti: *Ibi*

Isa. 30. 33. — Isa. 28. 18. — Isa. 66. 24 — Jer. 50. 31 — Ibid. 51. 25 — Ezech. 28. 18.

Ezech. 32. 30. *Ibi principes Aquilonis omnes & universi venatores qui deducti sunt cum interfectis paventes, & in sua fortitudine confisi, qui dormiunt incircumcisi cum interfectis gladio, & portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum. Vidit eos Pharao, & consolatus est super universa multitudine sua quæ interfecta est gladio. Pharao & omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus, quia dedi terrorem meum in terra viventium, & dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio Pharao & omnis multitudo ejus, ait Dominus Deus.* De sæpe dicti diaboli & antichristi interfectione atque omnium iniquorum, qui ritè corpus ejus fiunt, in visione Danihelis prophetæ jam dudum prædictum est, dicente eodem propheta: *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Dan. 7. 10. *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur, & vidi quod interfecta esset bestia, & periisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni.* De cujus zabuli & antichristi perpetua damnatione Michæas propheta inter reliqua sic ait: Mich. 5. 6. *Cùm Assyrius supervenerit in terram vestram, & conculcaverit regionem vestram, & exsurgent super eum septem pastores, & octo primates hominum, & pascent Assur in gladio, & terra Nembroth in valle sua sive in fossa sua.* Per Assyrium quoque antichristum, per Nembroth verò diabolum significat in valle sua seu in fossa pastum, hoc est in profundum inferni damnatum. Per septem autem pastores & octo primates hominum, sanctos Ecclesiæ prædicatores innuit per utrumque Testamentum à diaboli & antichristi sævitia eamdem Ecclesiam defendentes. De perpetua damnatione diaboli & omnium reproborum in evangelio secundùm Matthæum Domini nostri JHESU CHRISTI testimonio firmatum est, dicente ipso ea quæ reprobis in die judicii dicturus est: Matth. 25. 41. *Discedite à me maligni in ignem æternum qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* Et paulò post: Ibid. 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Item ipse in Evangelio secundùm Marcum: Marc. 9. 42. *Bonum est tibi debilem introire ad vitam, quàm duas manus habentem mitti in gehennam inextinguibilem, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Similiter & de pede & de oculo: Ibid. 46. *Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Non enim piguit uno loco eadem verba ter dicere. Quem non terreat ista repetitio, & illius pœnæ commendatio? quas pœnas qui eas & animi & corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi quodammodo verme erroris affirmant. De hac damnatione perpetua diaboli & antichristi atque omnium malorum quæ in æternum finem habitura non erit, in libro Apocalypsis inter cetera scriptum est: Apoc. 19. 20. *Et apprehensa est bestia, & cum illa pseudoprophetæ, qui fecerunt signa coram ipso, quibus seduxerunt eos qui acceperunt caracterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Et infrà: Apoc. 20. 9. *Et diabolus,* inquit, *qui seducebat eos missus est in stagnum ignis & sulphuris ubi bestia & pseudopropheta, & cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Qui verò sint reprobi ex hominibus, vel quales qui regnum Dei consequi non valent, sed potius cum diabolo puniendi sunt, apostolica auctoritate informati novimus. Beatus itaque Paulus apostolus in epistola ad Romanos de infidelibus morte dignis inter reliqua scribens ait: *Et sicut probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non convenit,* Rom. 1. 28. *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidiis, tentatione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, sine fœdere, sine misericordia, qui cum justitiam Dei cognovissent non intellexerunt: quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus.* Item ipse de reprobis qui regnum Dei consequi non possunt in epistola prima ad Corinthios: 1. Cor. 6. 9. *An nescitis,* ait, *quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et iterum ipse de omnibus iniquis in epistola ad Timotheum prima: 1. Tim. 1. 9. *Sciens hoc quia justo lex non est posita, sed injustis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.* Item ipse de omnibus hæreticis in epistola secunda ad eum cui & supra: 2. Tim. 3. 1. *Hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis; quæ ducuntur variis desideriis, sæpe discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes.* De quibus hæreticis vel ceteris lubricis in epistola secunda ad Corinthios idem apostolus scribens ait: 2. Cor. 12. 20. *Timeo enim ne fortè cùm venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar à vobis non qualem me vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos, ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccaverunt & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.* Hinc demum ipse de universis vitiis quæ hominem à regno Dei separant nisi digna pœnitentia & vitæ correctio subsecuta fuerit: ait enim idem Apostolus in epistola ad Galathas: Gal. 5. 19. *Manifesta autem sunt opera carnis,*

quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, hæreſes, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Item ibi de vana obſer-
Gal. 4. 10. vatione: *Dies*, inquit, *obſervatis & menſes, & tempora, & annos. Timeo enim vos ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis.* Rursùm ipſe de ira, de ſermone malo, de amaritudine animæ & indignatione, de fornicatione & omni immunditia atque avaritia, de ſcurrilitate & ſtultiloquio quæ ad rem non pertinet, in epiſtola ad
Eph. 4. 26. Epheſios cuncta hæc prohibens ait: *Iraſcimini & nolite peccare, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum*
Eph. 5. 3. *omni malitia.* Et infrà: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio. Hoc autem ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.* Et
Coloſſ. 3. 5. ad Coloſſenſes: *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam & avaritiam quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. Nunc autem deponite & vos omnem iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri invicem.* In ea verò quæ eſt ad Theſſalonicenſes, conjugatos fideles
1. Theſſ. 4. 3. exhortans ait: *Hæc autem eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, & ſciat unuſquiſque veſtrûm ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum, & ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de omnibus his.* In epiſtola quoque ad Hebræos de gemina caſtitate,
Heb. 13. 4. hoc eſt ſuperiore & inferiore, & duplici inlicita carnis commixtione: *Honorabile*, ait, *eſt connubium*, id eſt conjugium, *& thorus immaculatus*, hoc eſt ſuperior caſtitas, *fornicatores autem & adulteros judicabit Deus.* Hæc omnia ſupra taxata vitia omni quidem Catholico, ſed maximè Religioſo vitare convenit atque refugere. Illa verò quæ propter mutabilitatem mentis & carnis fragilitatem, & cogitatione, ſermone,
Peccata levia ut expianda. atque opere ex toto vitare non valet, id eſt levia, non capitalia crimina, neceſſe eſt ut per eleemoſynarum largitionem in quantum unicuique virtus ſuppetit per jejunium & orationem, per cordis contritionem, per indulgentiam inimicorum inſtanter ea redimere non negligat, ſi vult à damnatione malorum alienus exiſtere.



CAPUT LXXXV.

De perpetua beatitudine ſanctorum & numquam finienda eorum gloria.

IN libro Levitico Dominus per Moyſen electis ſuis bona præſentia vel futura promittens ait: *Ego Dominus, ſi in præceptis meis* Lev. 26. 3.
ambulaveritis, & mandata mea obſervaveritis, & feceritis ea, dabo pluviam vobis in tempore ſuo, & terra dabit nativitates ſuas, & ligna camporum dabunt fructum ſuum, & comprehendet vobis trituratio vindemiæ, & vindemia comprehendet ſementem, & edetis panem veſtrum in ſaturitate, & habebitis tutiſſimè in terra veſtra, & dormietis, & non erit qui exterreat vos, & perdam beſtias malas de terra veſtra, & bellum non tranſeat per terram veſtram. Quæ promiſſio ſanctorum non carnaliter, ſed ſpiritaliter accipienda eſt. Qua promiſſione electi partim in præſenti vita, partim verò in futuro potituri ſunt. De qua beatitudine ſanctorum rursùm Moyſes legiſlator in benedictione ſua, ut eſt in libro Deuteronomio ſub nomine Jacob & Iſrahel, id eſt populo electo
benedicens ait: *Et ejiciet à facie tua inimicum,* Deut. 33. 27.
dicens pereat, id eſt diabolum cum omnibus membris ſuis à ſocietate ſanctorum in die judicii excludens. Et paulò poſt: *Et inhabitet* Ibid. 28.
Iſrahel ſolus confidenter in terra, Jacob ſuper frumentum & vinum. Hoc eſt populus electus in cœleſti patria abſque ſocietate omnium malorum, ubi frumentum electorum quod eſt Chriſtus, & vinum inebrians, quod eſt Spiritus-ſanctus, erit cibus atque ſatietas eorum. De perpetua beatitudine ſanctorum Pſalmographus ex perſona Eccleſiæ canit dicens:
Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini in Pſal. 22. 6.
longitudine dierum. Et alibi: *Credo videre bona* Pſ. 26. 13.
Domini in terra viventium, in cæleſti videlicet patria. Item alibi: *Juſti verò hereditate* Pſal. 36. 29.
poſſidebunt terram, & inhabitabunt in ſæcula ſæculorum ſuper eam. Et alibi Eccleſia: *Ego au-* Pſal. 51. 10.
tem ſicut oliva fructifera in domo Domini ſperavi in miſericordia Dei mei in æternum & in ſæculum ſæculi. Et alibi: *Beati qui habitant* Pſal. 83. 5.
in domo tua, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Et illud: *Miſericordias tuas, Domine, in æ-* Pſal. 88. 2.
ternum cantabo, in generatione & progenie pronuntiabo veritatem tuam in ore meo. In proverbiis quoque Salomonis: *Expectatio juſto-* Prov. 10. 28.
rum, ait, lætitia, ſpes autem impiorum peribit. Juſti in æternum non commovebuntur, impii autem non habitabunt in terra, hoc eſt in regione viventium. De quorum perpetua beatitudine, id eſt ſanctorum, in libro Iſaiæ prophetæ Domini pollicitatio hæc eſt: *Et habitabit in ſo-* Iſ. 32. 16.
litudine, judicium & juſtitia in Chermel ſedebit, & erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas uſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Item

ibi de perpetua præcipitatione diaboli & mor-
Isa. 25. 7. tis : *Et sempiternum gaudium justorum, & præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes, præcipitabit mortem in sempiternum*, id est faciem tenebrarum super omnes populos, hoc est mortis & vinculi quo omnes populi ligabuntur, disrumpetque rete mortis & telam quæ omnes ceperat nationes, & juxta Apostolum absorbebitur mors in per-
Ibid. 8. petuum. Et infra de electis : *Et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi tui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est, & dicetis in illa die : Ecce Dominus noster iste est, & salvabit nos*; Hoc enim consilium Domini est, ut cuncta transferantur ad gentes, quia mors absorpta est, & lacryma omnis abstersa, & opprobrium universæ terræ, Christi imperio succedente, deletum est. Tunc populus liberatus dicet ad Dominum : Ecce Deus noster, quem increduli hominem tantùm putabant, expectavimus eum, hoc est verbum ejus credidimus, quia sua promissa complevit, & salvabit nos. Item
Isa. 60. 21. ibi ad Ecclesiam : *Et ponam te gaudium æternum & lætitiam in sæcula sæculorum. Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hereditabunt*
Isa. 65. 17. *terram.* Hinc iterum ibi : *Ecce enim, ait Dominus, ego creo cælos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo, quia ecce ego creo Jherusalem exultatione, & populum ejus gaudium, & exultabo in Jherusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo ultra vox fletus & vox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui non impleat dies suos. Secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum mearum inveterabunt electis meis. Non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis, eritque antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus audiam.* Et infra : *Et sumam ex eis in sacerdotes & in levitas, dicit Dominus, quia sicut cæli novi & terra nova quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum.* Lignum, de quo superius ait, secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei, sapientia est Dei Patris, id est Unigenitus filius ejus, de quo Psal-
Ps. 1. 3. mita pro viro justo dicit : *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.* De quo ligno, id est sa-
Prov. 3. 18. pientia in Proverbiis Salomonis scriptum est: *Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam.* Ipsa verè est lignum vitæ in medio paradiso, hoc est in Ecclesia sanctorum plantatum, à quo quatuor evangelia, sive quatuor virtutes principales, prudentia videlicet, justitia, & fortitudo, atque temperantia, velut quatuor flumina ex uno fonte procedunt ad irrigandum paradisum, corda scilicet electorum. Ab hoc ligno in paradiso plantato primus homo

A Adam post peccatum exclusus est ne ex illo gustaret, & ejus peccatum insanabile fieret. Ad quod lignum vitæ post peccatum primi hominis tunc secundus Adam, id est Christus Dominus manum extendit ut ex eo gustaret, & viveret in æternum, quando jam dicta Dei sapientia eumdem secundum Adam in semetipsam ex utero Virginis absque ulla sorde peccati assumsit, & se cum illo unum fecit, qualiter ille esset immortalis qui in semetipso mortalis erat. Tamquam enim ad lignum vitæ nunc manum mittimus, & sumimus de fructu ejus, & comedimus, cum
B Unigenito Dei filio Domino nostro JHESU CHRISTO, qui est vera sapientia Dei Patris, per fidem & dilectionem inhæremus, qualiter per eum in æternum vivere possimus, qui peccando mortales effecti fueramus. Ideo autem ille prior mortalitatis nostræ particeps fieri dignatus est, ut nos gratia in se ipso immortales efficeret, & hoc est quod ait Dominus : *Secundum enim dies ligni erunt dies populi*
mei. De sempiterna beatitudine sanctorum in Isa. 65. 22.
libro Ezechielis prophetæ Domini promissio inter cetera hæc est : *Et mundabo*, inquit,
eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, Ezech. 37.
C *& servus meus David rex super eos, & pastor* 24.
unus erit omnium eorum. In judiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea, & habitabunt super terram quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri, & habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in sempiternum, & David servus meus princeps eorum in perpetuum. Jacob itaque qui interpretatur Subplantator Christi gestat imaginem diaboli ac mortis subplantatoris, vel certè per Jacob non incongruè populus Ecclesiæ electus accipitur, qui per fidem priori populo Judæorum velut
D Esaü primatum suum præripuit, sive quia vitiorum est supplantator. Illic enim Dominus terram repromissionis, regnum videlicet per Christum Dominum dare pollicitus est, in qua terra patres eorum, id est patriarchæ & prophetæ per fidem olim habitaverunt : in hac verò terrena provincia Judæorum, quæ Judæa vocitata est, neque patres eorum, neque filii ipsorum in sempiternum habitaverunt, sed nec habitare possunt. David autem principem eorum, hoc est electorum Christum Dominum secundùm formam servi intelligere oportere non dubium est. De hac quoque futura beatitudine sanctorum atque regno in libro
E Danihelis prophetæ inter reliqua scriptum est : *Regnum, & potestas, & magnitudo regni quæ est su-*
per omne cælum detur populo sanctorum Altissimi. Dan. 7. 27.
Cujus regnum sempiternum est, & omnes reges servient & obedient ei. De quorum beatitudine æterna permansura in libro Johelis prophetæ, Domino pollicente, scriptum est : *Et Judæa in æter-*
num habitabitur, & Hierusalem in generatione Joel. 3. 20.
& generationem, & mundabo sanguinem eorum quæ non mundaveram, & Dominus commorabitur in Sion. Judæa, hoc est Domus confessionis habitabitur in perpetuum; sed quia non est in-

noxia in hac vita, sed aliquantis licet levibus peccatis contaminata est; ideo pollicetur Dominus cuncta mundare per multitudinem misericordiæ suæ, quæ ipsi propriis virtutibus mundare non potuerunt. In Amos quoque propheta: *Et facient*, inquit Dominus, *hortos*, *& comedent fructum eorum, & plantabo eos super humum suam, & non evellam eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* In Michæa etiam propheta de perpetuo Christi ecclesiæ regno, hæc Domini promissio est: *Et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc & usque in æternum.* Item ibi: *Et sedebit subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum loquutum est.* Sub vite illa cujus agricola pater est, & sub ficu sua [a] delicia Spiritus-sancti poma decerpens, hoc est caritatem, gaudium, & reliqua. De hac vite & ficu in libro Zachariæ prophetæ similiter scriptum est: *In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vineam & subter ficum.* De hac vite seu ficu in libro Regum figuraliter legitur: *Eo quod filii Israhel sub rege Salomone sedebat unusquisque sub vite & sub ficu sua.* Quod autem reprobis æterna maneat damnatio, electis verò indeficiens vita, ipse Dominus noster JHESUS CHRISTUS Dei Filius, qui & justis redditurus est præmium & injustis perpetuam ultionem, per semetipsum in evangelio testatur dicens: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Et iterum ipse: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Quod verò justi cum Deo Patre & Christo in æternum regnaturi sint, ubi corruptioni ultra corpus subjectum non erit, beatus Paulus apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola affirmat dicens: *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors; gratia autem Dei vita æterna in Christo* JHESU *Domino nostro.* Item in epistola ad Corinthios prima: *Oportet*, ait, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Et alibi: *Id enim*, ait, *quod in præsenti est, momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam æternam in cælis.* Item ipse ad Ephesios: *Deus autem*, inquit, *qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccato, convivificavit nos Christo, cujus gratia salvi facti sumus, & conresuscitavit, & consedere nos fecit in cælestibus in Christo.* Hinc demum ipse in epistola ad Titum: *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritus-sancti, & renovationis, quem effudit in nos abunde per* JHESUM CHRISTUM *Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius heredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Et iterum ipse in ea quæ est ad Hebræos de Domino nostro JHESU CHRISTO, per quem omnes electi in æternum salvantur, inter cetera sic dicit: *In tantum melioris Testamenti sponsor factus est* JHESUS, *& alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælis factus.* Beatus quoque Petrus apostolus in epistola sua secunda fideles Ecclesiæ de futura beatitudine atque immortalitate informans ait: *Gratia vobis & pax adimpleatur in reconciliatione Christi Jhesu Domini nostri. Sicut omnia nobis divinæ virtutis suæ quæ ad vitam & pietatem donata est per cognitionem ejus qui vocavit nos in propria virtute & gloria, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Beatus etiam Johannes ejus coapostolus similiter nos informans dicit: *Vos quod audistis ab initio permaneat in vobis. Si autem in vobis permanserit quod ab initio audistis, & vos in Filio & in Patre manebitis. Et hæc est repromissio quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam.* De sæpe dicta perpetua beatitudine atque regno sanctorum in libro Apocalypsis inter cetera scriptum est: *Et audivi vocem magnam de throno dicentem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis eorum erit Deus, & absterget Deus omnem [b] ex oculis eorum, & mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: ecce nova facio omnia.* Item ibi: *Et omne maledictum non erit amplius, & sedes Dei & Agni in illa erit, & servi ejus servient illi, & videbunt faciem ejus & nomen ejus in frontibus eorum, & nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus inluminat eos, & regnabunt in sæcula sæculorum.* De hac Civitate Dei quæ est sancta electorum ecclesia beatus Augustinus in libro 22. de Civitate Dei inter alia plurima hoc in finem ejusdem libri posuit dicens: « Ut ergo scientiæ malorum duæ sunt, una qua potentia mentis non latet, altera qua experientis sensibus inhæret: aliter quippe sciuntur vitia omnia per sapientiæ doctrinam, aliter per insipientis pessimam vitam, ita & obliviones malorum duæ sunt: aliter ea namque obliviscitur eruditus & doctor, aliter expertus & passus; ille si peritiam neglegat, iste si miseria careat. Secundùm hanc oblivionem quam posteriori loco posuit, non erunt sancti præteri-

Marginal references: Amos 9. 14; Mich. 4. 7; Id. 4. 4; [a]; Zach. 3. 10; 3. Reg. 4. 25; Matth. 25. 46; Matth. 13. 43; Rom. 6. 22; 1. Cor. 15. 53; 2. Cor. 4. 17; Eph. 2. 4; Tit. 3. 4; Heb. 7. 22; 2. Pet. 1. 2; 1. Joan. 2. 24; Apoc. 21. 3; [b]; Ibid. 22. 3; De Civ. Dei lib. 22. c. 30.

[a] *Ita ms. cod. pro* dulcia.

[b] *Desideratur in ms. cod.* Lacrymam.

» torum malorum, carebunt enim omnibus, ita » ut penitus deleantur de sensibus eorum : & tamen potentia scientiæ, quæ magna in eis erit, » non solum sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit, alioquin sic se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo sicut ait Psalmista : *Misericordias Domini in æternum* [a] *cantabo*, quo cantico in gloria gratiæ Christi, cujus sanguine liberati sumus, nihil erit profectò jocundius illi civitati. Ibi perficietur, *Vacate & videte quoniam ego sum Deus*, quod erit verè maximum sabbatum non habens vesperam. Quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur : *Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus quæ fecerat, & benedixit Deus diem septimum, & sanctificavit eum, quia in eo requievit ab omnibus operibus suis quæ inchoavit Deus facere*, dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando ejus fuerimus benedictione & sanctificatione pleni atque perfecti. Ibi vacantes videbimus, quoniam ipse est Deus, quod nobis nos ipsi esse voluimus quando ab illo cecidimus audientes à seductore, *eritis sicut Deus*, & recedentes à vero Deo, quò facientes dii essemus ejus participatione non desertione. Quid enim sine illo fecimus, nisi quod in ira ejus defecimus, à quo refecti vacabimus in æternum videntes quia ipse est Deus, quod pleni erimus quando ipse erit omnia in omnibus, nam & ipsa bona opera nostra quando ipsius potius intelliguntur esse quàm nostra, tunc nobis ad hoc sabbatum adipiscendum imputantur, quia si nobis ea tribuerimus, servilia erunt, cum de sabbato dicatur : *Omne opus servile non facietis*; propter quod & per Ezechielem prophetam dicitur : *Et sabbata mea dedi eis in signum & inter me & inter eos, ut scirent quia ego Dominus qui sanctifico eos.* Hoc perfectè tunc sciemus quando perfectè vacabimus, & perfectè videbimus, quia ipse est Deus, ipse etiam numerus ætatum veluti dierum, si secundùm eos articulos temporis computetur, qui in scripturis videtur exprimi, iste sabbatismus evidentiùs apparebit quàm septimus invenitur, ut prima ætas tamquam primus dies sit ab Adam usque ad diluvium, secunda inde usque ad Abraham non æqualitate temporum, sed numero generationum, denas quippe habere reperiuntur. Hinc jam, sicut Matthæus evangelista determinat, tres ætates usque ad Christi subsequuntur adventum, quæ singulæ denis & quaternis generationibus implicantur, ab Abraham usque ad David una, altera inde usque ad transmigrationem Babyloniæ, tertia deinde usque ad Christi carnalem nativitatem. Fiunt itaque omnes quinque. Sexta nunc agitur nullo generationum numero metienda, propter id quod dictum est : *Non est vestrum scire tempora quæ Pater posuit in sua potestate.* Post hanc tamquam in die septima requiescet Deus, cum eumdem diem septimum, quod nos erimus, in se ipso Deo faciet requiescere. De istis porro ætatibus singulis nunc diligenter longum est disputare. Hæc tamen septima erit sabbatum nostrum, cujus finis non erit vespera, sed dominicus dies, & octavus æternus qui Christi resurrectione paratus est, æternam non solum spiritus, verum etiam corporis requiem præfigurans, ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine, nam quis alius noster est finis nisi pervenire ad regnum cujus nullus est finis? «

Ps. 88. 2. — [a] — Ps. 45. 11. — Gen. 2. 2. — Gen. 3. 5. — Deut. 5. 14. — Ezech. 20. 12. — Act. 1. 7.

[a] Lege ut apud Augustinum *cantabunt*.

CAPUT LXXXVI.

De mutatione mundi & novis cælis, novaque terra quæ in perpetuum immutabiliter permanebit, in qua non peccatum sed justitia in perpetuum regnabit.

IN psalmo 101. scriptum est : *Initio terram tu fundasti ; Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnia sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur : tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Per Isaiam quoque prophetam Dominus similiter pollicens ait : *Ecce ego creo cælos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo.* Et infra : *Quia sicut cæli novi & terra nova quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum.* Et in Sophonia : *In igne enim zeli illius devorabitur omnis terra.* Et in Aggæo : *Ego movebo*, inquit, *cælum pariter & terram, & subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem gentium, & subvertam quadrigam, & ascensorem ejus ; & descendent equi & ascensores eorum, vir in gladio furoris sui cadet in die illa, dicit Dominus exercituum.* De hac mutatione cæli & terræ, Veritas in Evangelio testatur dicens : *Cælum & terra transibunt, verba verò mea non præteribunt.* De præteritione hujus mundi beatus Paulus in epistola ad Corinthios prima ita dicit : *Præterit figura hujus mundi. Volo vos sine sollicitudine esse.* De quo mundo beatus Petrus ejus coapostolus in epistola secunda inter cetera loquens ait : *Latet enim eos hoc volentes quod cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam Dei verbo constituti, per quam ille mundus tunc aqua mundatus deperiit. Cæli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni servati in diem judicii & perditionis hominum impiorum.* Et infra : *Adveniet autem dies Domini ut fur : in qua cæli magno impetu transcurrent, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cùm hæc igitur dissolvenda sint, quales oportet esse nos in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum Dei Do-*

Isa. 65. 17. — Isa. 66. 22. — Soph. 1. 18. — Agg. 2. 22. — Matth. 24. 35. — 1. Cor 7. 31. — 2. Pet. 3. 5. — Ibid. 10.

mini, per quem cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent, novos cælos & novam terram secundùm promissam ipsius expectamus in quibus justitia habitat. Hanc scientiam beati Petri de mundo beatus Augustinus in lib. 20. de civitate Dei inter reliqua exponens ait: Nam & illo tempore periisse dixit » qui tunc erat mundus, nec solùm orbem terræ, verùm etiam cælos quos utique istos » aërios intelligimus, quorum locum ac spatium tunc aqua crescendo superaverat. Ergo » totus ac pæne totus aër iste ventosus, quod » cælum vel potius cælos vocat, sed utique » istos imos, non illos supremos, ubi sol & luna & sydera constituta sunt: conversus fuerat in humilem qualitatem, atque hoc modo » cum terra perierat, cujus terræ utique prior » facies fuerat deleta diluvio. Proinde qui cæli » & quæ terra, id est qui mundus pro eo mundo qui diluvio periit ex eadem aqua repositus est, ipse igni novissimo reservatus, id est » in diem judicii & perditionis hominum impiorum. Nam & hominum magnam quamdam commutationem non dubitat dicere perditionem futuram, cùm tamen eorum quamvis in terrenis pænis sit mansura natura. Quærat fortasse aliquis, si post factum judicium, » iste mundus ardebit antequam pro illo cælum novum & terra nova reponatur, eo ipso tempore conflagrationis ejus, ubi erunt » sancti cùm habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit? possumus » respondere futuros esse eos in superioribus partibus, quod ita non ascendet flamma illius incendii, quemadmodum nec » unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint ubi esse voluerint, sed nec » ignem conflagrationis illius pertimescent immortales facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti inlæsa vivere potuerunt. De mutatione » hujus mundi in melius in libro Apocalypsis » inter cetera scriptum est: *Et vidi*, inquit, » *thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus aspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus ab eis.* Peracto quippe judicio tunc esse desinet hoc cælum & terra, quando incipiet esse cælum novum & terra nova. Mutatione namque rerum quodam modo interitu transibit hic mundus. Et infra: *Et vidi*, ait, *cælum novum & terram. Primum enim cælum & prima terra abiit, & mare jam non est.* De hac cæli & terræ innovatione, sicut superius prædictum est per Isaiam prophetam afflatur dicens: *Ecce ego creo cælum novum & terram novam, & non erunt in memoria priora.* Quod autem ait, *& mare jam non est*, utrum maximo illo ardore siccetur, an & ipsum vertatur in melius, non facile dixerim. Cælum quippe novum & terram novam futuram legimus. De mari autem novo aliquid me uspiam legisse non recolo. Illud verò quod de hac terra, in libro Ecclesiastes scriptum legitur, id est *generatio vadit, terra verò in æternum stat.* Et infra: *Quid est, fuit, ipsum quod futurum est? quid est quod factum est, ipsum quod fiendum est? nihil novum sub sole.* Non de figura hujus mundi quæ transit, sed de substantia ejus quæ in melius innovata in æternum stabit, rectè accipiendum est, sicut & humana corpora quæ per carnis resurrectionem innovata erunt, non abolita.

[Margin notes: De Civit. lib. 20 — Apoc. 20. 11. — Apoc. 21. 1. — Isa. 65. 17 — Eccle. 1. 14. — Ibid. 9.]

CAPUT LXXXVII.

De Nazaræis qui voto religionis se sanctificare gestiunt.

Hæc lex à Domino per Moysen in libro Numeri promulgata est dicente ad Moysen: *Vir sive mulier cum fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, vino & omne quod inebriare potest abstinebunt, acetum ex vino & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur non bibent. Uvas recentes siccasque non comedent cunctis diebus quibus ex voto consecrantur. Quidquid ex vinea esse potest ab uva passa usque ad acina non comedent omne tempus separationis suæ. Novacula non transibit super caput ejus usque ad complendum diem quo Domino consecratur, sanctus erit crescente cæsarie capitis ejus. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur; nec super patris quidem, & matris, fratris, sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput ejus est. Omnis dies separationis suæ sanctus erit Domino. Sin autem mortuus fuerit quisquam subito coram eo, polluetur caput consecrationis ejus, quod radet ilico in eadem die purgationis suæ, & rursùm septima. In octavo autem die offeret duos turtures vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii, facietque sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo quia peccavit super mortuo, sanctificabitque caput ejus in die illo, & consecrabit Domino die separationis illius offerens agnum anniculum pro peccato; ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus. Ista est lex consecrationis. Cùm dies quos ex voto decreverat complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ovem immaculatam anniculam pro peccato, & arietem immaculatum hostiam pacificam.* Et infra: *Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsariem consecrationis suæ, tolletque capillos ejus & ponet super ignem qui est superpositus sacrificio pacificorum, & armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, & laganum azymum unum, & tradet in manibus Nazaræi; postquam rasum fuerit caput ejus, susceptaque rursùm ab eo elevabit in conspectu Domini, & sanctificata sacerdotis erunt sicut pectusculum quod separari jussum est, & femur. Post hæc potest bibere Nazaræus vinum. Ista est lex Nazaræi, cùm voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, excep-*

[Margin notes: Num. 6. 2. — Ibid. 18.]

tis his quæ invenerit manus ejus, juxta quod mente devoraverat, ita faciet ad perfectionem. Nazaræi appellantur universi religiosi clerici, ac monachi, virgines atque omnes continentes, qui ob amorem sanctitatis religiosè viventes in Dei obsequio animas suas religant, qui à vulgari vita separati castè atque continenter vivunt: quibus à Domino per legem præceptum est, omne quod ex vinea gignitur usque ad acinum non comedere neque bibere, sed nec siceram vel quidquid inebriare potest omnino gustare. Quod juxta litteram inlicitum esse non potest, spiritaliter verò universis religiosis enixius vitandum est. Per vineam quoque, ut plerique sentiunt, significatur plebs Judaïca, incredula, atque hæretica, quæ cultori suo ac Domino secundùm Isaiæ vaticinium pro fructu justitiæ spinas peccatorum seu labruscas simulationis protulit; pro vino quoque prudentiæ acetum vetustatis & fel amaritudinis ac blasphemiæ exhibuit; pro sinceritate autem fidei & bonorum operum puritate perfidiam & hypocrisin & quasdam vanas superstitiones contra divina præcepta reddidit: de quorum fructu infidelitatis & malorum actuum ac superstitionis vanitate velut ex vinea mala nullus è fidelibus religiosis comedere quicquam aut bibere debebit, id est illorum socius in aliquo fieri, ne simili errore impietatis quemadmodum & ipsi per excessum mentis quasi à vino ebrius adversus Deum Patrem & Dominum JHESUM CHRISTUM Filium ejus malè sentiendo blasphemias proferre non vereatur. De qua vinea ex qua erroris impietas atque mendacii vinum, hoc est diaboli venenum nascitur, ex quo Judæi atque hæretici inebriantur, in libro Deuteronomio scriptum est: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorræ. Uva eorum uva fellis, & botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Aliter per vineam figuraliter cunctas mundi hujus exprimit voluntates, ex quibus universa vitia minima ac maxima, levia atque gravia velut fructus ex vinea oriuntur. De quorum fructu vitiorum universos religiosos Dominus comedere quicquam ac bibere prohibet, id est à tali cibo per delectationem se ipsos nequaquam pascere: quibus religiosis per vinum prohibetur ebrietas atque luxuria, seu omnis inlicita carnis pollutio, de qua Apostolus, *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria: mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem & concupiscentiam malam.* De qua ebrietate, quæ pro excessu cordis mentem alienat, Salomon ait: *Vinum & ebrietas aufert cor.* Per acetum verò inhibetur corruptio veteris nequitiæ, ex qua in corda neglegentium monachorum ac religiosorum dominatur amaritudo & iracundia animi, id est longua pernicies, quæ mentem corrumpunt, & usque ad laqueos invidiæ atque odii perducunt, nec non & murmuratio & inobedientia, susurratio seu accidia: quæ postquam menti tepidi conversi inrepserint, eum quiescere nullomodo sinunt. De quo aceto acredinis Salomon in Proverbiis ait: *Acetum in vitrum, & qui cantat carmina corde pessimo.* De quo aceto amaritudinis & iracundiæ quicumque satiatus fuerit, correptionem spiritalium patrum recipere nullomodo poterit. Per siceram autem quæ vini saporem habere videtur, & tamen non est, prohibetur religiosis omnis voluptas terrena, quæ plurimas ex se conficit delectationes. Vel certè per siceram designatur quædam simulatio sanctitatis, quæ veritatis similitudine palliatur, sed veritatis sinceritatem non retinet. Plurimi namque & religionis vinum non bibunt, & siceram bibunt: illi videlicet qui ad decipiendos homines umbras quasdam imagines simulant habere virtutum, qui sub specie virtutum vitia occultant hypocritarum. Uvas passas illi comedunt, qui post conversionem pristina vitia non relinquunt. Vel certè uvas passas comedunt, qui abstinentia obtentu vanæ laudis corpora sua affligunt. Uvas recentes illi comedunt, quorum mentes hæreticorum novitates per dulces sermones, ut ait Apostolus, corrumpunt. Seu illi uvas recentes comedunt, quorum mentes oblectamenta hujus mundi quæ ad tempus suavia apparent, dum demulcent polluunt. Acinum, quæ exigua res est in botro, illi comedunt, qui minima vitia quæ in cogitatione, sermone, & opere crebro subrepunt, aut minima aut nulla peccata existimant, sicut est de otioso sermone, immoderatoque risu, & indiscreta rei familiaris sollicitudine, quæ omnia viri perfecti in quantum valent vitant. Quæ universa nisi enixius vitentur, cæsariem capitis per quam significantur dona spiritalia, & virtutes bonorum operum contaminant. Sicut enim cæsaries capillorum decus est exterioris hominis, ita karismatum dona quæ per Spiritum-sanctum in corda electorum conlata tribuuntur, seu cogitationes bonæ atque virtutes, ornatus est mentis, quæ caput est interioris hominis. Quam cæsariem, id est ornatum mentis, illi optimè nutriunt, qui post conversionem usque in finem vitæ suæ ita vivunt, ut in nullo mortali crimine se contaminent. Quod verò ait, novacula non transibit super caput ejus usque ad completum diem quo Domino consecratur, hoc religiosis præcipitur, ut ita custodiant cor suum, ne qualibet maligna suggestio diabolicæ tentationis in cogitatione prævaleat, & cuncta bona quæ prius magno cum labore adquisita fuerant, velut novacula radat, & instar Samsonis decalvati & à lumine scientiæ orbati ludibrium fiant. Illud autem quod addidit, omne tempus consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem, fratris, sororisque funere contaminabitur, hoc religiosis figuraliter præcipitur, ut ab omni peccato, quod mors est animæ, ita abstineant, ne cum quibuslibet infidelibus, aut hæreticis, seu peccatoribus in aliquo vitio communicent, sed neque obtentu parentum suorum ac propinquorum per carnalem amorem in aliquo

Deut. 32. 32. Eph. 5. 18. Osc. 4. 11. Prov. 25. 20.

vitio resolvantur: ne fortè dum illis in quolibet sæculi hujus negotio opitulari gestiunt, seipsos perdant, & animarum suarum detrimentum faciant. Quod verò adjecit, sin autem mortuus fuerit quispiam subito coram eo, polluetur caput consecrationis ejus, quod radet ilico in eadem die purgationis suæ, hoc nobis præcipit ne casu mortis inspiciat quis ex religiosis funus, id est visu peccati quicquam concipiat & polluatur capitis ejus cæsaries, sensus videlicet rationabilis animæ in quo universæ consistunt virtutes. Sicut enim cordi bonæ inhærent cogitationes, ita subrepunt etiam malæ, quæ cum in affectu cupiditatis transierint, necesse erit ut omnia præterita secum auferant bona, sicut est illud B in Propheta: *Justus in quacumque die conversus à justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat oblivioni tradentur.* Et Salomon: *Qui in uno*, inquit, *peccaverit, multa bona perdet.* Jacobus quoque apostolus ait: *Si quis totam Legem observaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus.* Et hoc est quod de lapsis religiosis viris seu feminis in quolibet mortali facinore Dominus subjungens ait: *Ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.* Sed quia omnipotens Deus pius est ac misericors, & non vult mortem peccatoris, sed tantùm ut convertatur & C vivat, mox ut de culpa terruit, ilico medicinam adhibuit pœnitentiæ, uti resumtis viribus, is qui lapsus fuerit, non desperet, sed per jugem luctum dignamque satisfactionem non solùm viam consequi valeat, sed etiam & grat m spiritalem quam peccando admiserat rursùm reparare queat, sicut David qui post perpetratum facinus voce flebili Domini misericordiam implorabat dicens: *Cor mundum crea in me, Deus, spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Neque enim innovari in se gratiam Spiritus-sancti sibique restitui cum ejulatu maximo postulasset, nisi eam D primitus se amisisse cognosceret. Quod etiam & beato Petro apostolo accidisse non dubium est, quando hoc quod timidè negaverat, amarè flevit, & non tantùm veniam à Domino consequutus est, verùm etiam & primatum quem antea inter ceteros apostolos acceperat non amisit. Hoc quippe mysticè Dominus in hoc libro de Nazaræis lapsis exprimit, cùm dicit: *In octavo autem die offeret duos turtures vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii, facietque sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo qui peccavit super mortuo, sanctificabitque caput ejus in die illo, & consecrabit Domino die separationis illius offerens agnum anniculum pro peccato.* Sicut enim dies septimus aliquando legem, aliquando verò futurum significat tempus judicii, dies octavus evangelicam prædicationem in qua Christi resurrectio sollemnis habetur, & futuram omnium indicat resurrectionem, in qua omnes electi æterna potituri sunt beatitudine: ob quam spem resurrectionis & venturam remunerationem,

Ezech. 33. 12.
Eccli. 9. 18
Jac. 2. 10.
Ps. 50. 12
Lev. 15. 29

A quam per evangelicam pollicitationem cuncti electi expectant, velut in octavo die satisfactionem suam & omne opus bonum per sacerdotem magnum, Dominum videlicet & Redemtorem nostrum Deo Patri offerunt. Ipse enim in forma servi verus sacerdos est in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Ipse namque mediator inter Deum & hominem, ipse nihilominus propitiatio pro peccatis nostris: de quo beatus Johannes ait: *Hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem* JHESUM CHRISTUM *justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Per duos quippe turtures vel duos pullos columbæ, mysticè delinquenti duplicem in lamento pœnitentiæ habere debere gemitum indicat, unum videlicet pro peccato, dum se pro transactis malis in pœnitentia mactat; alium verò in holocaustum, cum transacta pœnitentia sumtaque spe de indulgentia peccatorum, sese ob amorem supernæ patriæ velut perfectum holocaustum in ara cordis sui igne Karitatis cremat. Holocaustum enim totum combustum dicitur, quod illi perfectè fiunt qui ita se totos in Dei sacrificio mortificant, ut nihil in se quod secundùm carnem militat vivere sinant. Sed quia nihil valet cuiquam transacta mala deflere, nisi de cetero studuerit ita innocenter vivere, ut in nullo denuo delinquat; idcirco addidit: *Offerens agnum anniculum pro peccato.* Potest per agnum anniculum pro peccato oblatum non incongruè significare Dominum nostrum JHESUM CHRISTUM, per cujus corpus & sanguinem universi pœnitentes Deo reconciliantur. Ipse enim Dominus ac Redemtor noster, qui tulit peccatum mundi, propter innocentiam præfiguratus est in agno; ipse in ove propter patientiam, ipse in ariete propter principatum, ipse in turture & columba, quia Deus & homo. Ipse enim universa sacrificia quæ retro olim per legem figuraliter offerri præcepta sunt, per semetipsum ob delinquentium culpas in novo Testamento non carnaliter sed spiritaliter obtulit. Ipse est verus Nazaræus, sanctus videlicet, mundus, impollutus, & ab omni sorde peccati alienus, quia omnia illa sacrificia quæ per Legem, ut dictum est, offerre jubebantur, per semetipsum patiendo, moriendo, atque resurgendo implevit. Per cujus sacrificium seu holocaustum universi fideles, qui verè membra ejus sunt, cuncta quæ de illo scriptura prædixit, credendo & confitendo quasi eadem sacrificia ipsi offerunt, cùm per hæc E Deo se reconciliari confidunt. Quod autem addidit: *Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsariem consecrationis suæ, tollesque capillos ejus, & pones super ignem qui est superpositus sacrificio pacificorum.* Et infra: *Post hæc potest Nazaræus bibere vinum*, ac si figuraliter dicat, si quispiam in arrepto proposito Deo favente usque ad finem permanere contenderit, cùm vitæ præsentis cursum expleverit, & corpus terræ fuerit redditum, omnium virtutum cæsaries à vero pontifice Domino salvatore sublata igni altaris

1. Joan. 2. 1.
Num. 6. 14
Num. 6. 18.

altaris superposita, id est gratia Sancti Spiritus adsignata Deo Patri fit acceptabilis hostia; nec non & in septimo die, judicii videlicet tempore, quando animæ propria recepturæ sunt corpora, igni examinatorio secundùm Apostolum tamquam aurum & argentum ac lapides pretiosos manifestius comprobata laboris sui mercedem recipiat congruam. Segregatus à malignantium cætu, & in parte dextra constitutus audiat quod se fidelibus dicturum polliceri dignatus est: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Post hæc addidit: *Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento, unam de canistro, & laganum azymum unum, & tradet in manibus Nazaræi postquam rasum fuerit caput ejus, susceptaque rursùm ab eo elevabit in conspectu Domini, & sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum quod separari jussum est. Post hæc potest bibere Nazaræus vinum.* Ostium tabernaculi fœderis, ad quod prædicta sacrificia offerri jussa sunt, significat ingressum ad regnum Dei per JHESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Ipse enim verum est ostium qui dixit: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet:* id est ingredietur ad fidem, & regredietur ad regnum. Armum dextrum coctumque quem in sacrificio offerre jubet, indicat omne opus bonum rectumque, nihil habens in se sinistrum, hoc est contrarium vel perversum, calore Spiritus-sancti probatum, quasi igni decoctum. In pectusculo verò insinuatur rationabilis sensus, id est discretio boni ac mali & spiritalis intellectus. Per femur autem exprimitur carnalis delectatio ob amorem castimoniæ per abstinentiam mortificata. Per tortam panis absque fermento unam de canistro innuitur unitas fidei in Domino nostro JHESU CHRISTO, qui verus est panis de cælo descendens absque omni fermento corruptionis, quod est hæreticorum dogma, quod mentes fidelium corrumpit. Ideo autem unitas fidei per tortam panis designatur, quia per inquisitionem velut in circulo in corda sanctorum roboratur. Hæc sunt sacrificia Nazaræi, id est electorum, acceptabilia per quæ illis introitus regni cælorum reseratur. Quæ sacrificia absque divina gratia nemo ex eis habere potest. Hoc quippe mysticè significat quod Dominus præcipit; ut stante Nazaræo in ostio tabernaculi fœderis cuncta quæ offerre debet de manu sacerdotis accipiat, quæ mox ut acceperit ipsi sacerdoti reddat, atque idem sacerdos pro eo Domino offerat, sicque sanctificata ad eumdem sacerdotem pertineant. Verus enim sacerdos ac mediator ille est qui dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Et iterum: *Nemo, inquit, potest introire ad Patrem nisi per me.* Per ipsum enim universis electis karismatum dona à Deo tribuuntur: per ipsum rursùm cuncta quæ illi possunt bona operari

Matth. 25. 21.
Num. 6. 19.
Joan. 10. 9.
Joan. 15. 5.
Joan. 14. 6.

A Deo Patri acceptabilia fiunt, & ipsi Domino Redemtori nostro à quo sanctificantur deputanda sunt, sicut & David in libro Paralipomenon Deo confitens ait: *Tua sunt enim omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Et sicut in evangelio de servo bono scriptum est: *Accedens autem qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine quinque talenta mihi tribuisti, ecce alia quinque superlucratus sum,* id est quod à te gratis simplum accepi, hoc per liberum arbitrium duplicatum offero. Postquam verò B cuncta quæ supra taxata sunt electi omnes in hac vita impleverunt, & post resurrectionem tempore judicii omne opus suum per Dominum nostrum JHESUM CHRISTUM, qui est verus sacerdos ac mediator, Deo Patri obtulerint; tunc bibituri sunt vinum illud novum in regno Patris eorum, de quo Dominus discipulis pollicens ait: *Donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Quod nihil aliud erit quàm gaudium & lætitia atque exultatio sempiterna. De quo gaudio perpetuo rursùm Veritas apostolis ait: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Quod au- C tem in fine hujus præcepti de Nazaræis concludens ait: *Ista est lex Nazaræi cùm voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his quæ invenerit manus ejus, juxta quod mente devoverit, ita faciet ad perfectum.* Nazaræi, ut præmissum est, significant universos religiosos viros ac feminas, clericos & monachos, virgines atque continentes, quibus alia data sunt in præceptis, una cum ceteris fidelibus simpliciter viventibus; alia verò libero arbitrio & voluptati concessa cum perfectis, sicut est de virginitate, de continentia, de perfecta mundi renuntiatione, de D non edenda carne, nec bibendo vinum, de non tangenda muliere: & alia quædam his similia, de quibus præceptum non est, sed in potestate ac libero arbitrio positum. Quæ omnia beatus Paulus apostolus & implevit, & exemplo suo aliis persuasit, qui etiam evangelica præcepta supergrediens, plurima de suo addidit, quæ illi imperata non fuerant: qui cùm à Domino præceptum haberet, ut ab eis quibus Evangelium prædicabat stipendia quotidiana ad sustentationem carnis acciperet, & hoc contemnens, propriis manibus suis quotidianum victum & indumentum si- E bi cum sociis suis procurans, gratis evangelium prædicabat: pro quo labore absque præsenti remuneratione Corinthiis ait: *Melius mihi est mori, quam ut gloriam meam quis evacuet:* ubi enim durior labor, ibi gloriosior corona. Hæc enim sunt virtutes quas Nazaræi, id est perfecti manibus inveniunt & faciunt.

1. Par. 29. 14.
Matth. 25. 20.
Matth. 26. 29.
Joan. 16. 22.
Num. 6. 21.
1. Cor. 9. 15.

Explicit liber de variis quæstionibus adversus Judæos seu ceteros infideles vel plerosque hæreticos judaizantes ex utroque Testamento collectis.



OPUSCULA QUÆDAM
POETICA FLORI
LUGDUNENSIS ECCLESIÆ DIACONI.

Ex mss. Bigotiano.

ADMONITIO PRÆVIA.



E Floro Lugdunensis ecclesiæ diacono non est quod multis hic agam, cum nullus sit in re literaria vel tyro, qui nomen ejus & opera non agnoscat. Præter commentaria autem in epistolas Pauli, quæ sub nomine Bedæ in ejus operibus vulgo reperiuntur, librum de Prædestinatione, Commentarium in canonem missæ, aliquas canonum collectiones, quædam etiam scripsit opuscula metrica, ex quibus aliqua jam in lucem prodierunt. Quæ vero hic damus ex pervetusto codice Bigotiano eruimus, cujus caracter ad auctoris ætatem accedere videtur. Hæc autem tametsi tanti non sint momenti, minime tamen sunt spernenda, præcipue autem Epigramma in librum Homiliarum totius anni, ex quo didicimus quam pauca tunc Sanctorum festa celebrarentur, aut propriun haberent officium. Nam præter festa SS. Stephani, Johannis Evangelistæ, Innocentium, Johannis Baptistæ, Petri & Pauli, Machabæorum & Andreæ, qui locum in Homiliarum libro habebant, si qua forte occurrebant, extra communium classem officium non habebant.

IN EVANGELIUM MATTHÆI.

PRimus evangelici scripsit mysteria regni
MATTHEUS ex telonio ad cæli lucra vocatus.
Hæc canat almus amor, hæc dulci voce resultet.
Nascitur in Bethleem sancta de Virgine Christus,
Advenere Magi cælesti sydere ducti.
JOSEPH cum Puero Ægyptum migrare jubetur.
Cæduntur pueri regis livore cruenti.
JESUS ab Ægypto Nazareth revocatur in Urbem.
Johannes populos tingit Jordanis in undis.
Suscipit & Christus humilis baptisma Johannis.
Inde quater denis jejunans ipse diebus,
Tentatus zabuli vincit molimina diri.
Piscantes PETRUM, ANDRÆAM, JACOBUM atque JOHANNEM
Evocat; Illi almis parent mox sedule jussis:
A Retibus abjectis, & navi & patre relictis.
His ille assumptis Galilæam circuit omnem,
Ac varios hominum languores curat ubique,
Discipulos mandata docet, dat jura beatis.
Sanguinis effusi vitandam admonet iram.
Munera grata Deo, fraternam reddere pacem,
Mæchiam cordis fugiendam pectore casto.
Scandala si generent oculi qui more coluntur
Sive manus dextræ pulsi procul ire jubentur,
Semper nexa viro nisi constet adultera conjunx.
Juramenta vetat, quia sunt perjuria juxta:
Est & Non statuit veraci voce tenendum.
B Altera cædenti detur maxilla libenter.
Et pius almus amor inimicos diligat ipsos,
Ut pietatis opus sine læva dextra reddat,
Utque placere Patri cupiat oratio soli.
Ut mens munda Deo jejunia læta frequentet,
Nec facie tristi laudem petat illa caducam,

Thesaurum cælo condendum fur ubi nullus.
Corporis est oculus operis intentio simplex.
Hæc si pura viget, totos inluminat artus,
Nec tenebrosa fient, quæ lucis amore geruntur.
Nullum posse æque dominis servire duobus.
Nec Mamonæ atque Deo divisa mente placere
Pellendas animo curas & vestis & escæ.
Si volucres cæli pascit opulentia Patris,
Molliaque auleolo depingit lilia flore,
Quando suis umquam natis pia dona negabit?
Quapropter sua cuique satis sit cura diei,
Crastina non crucient, quia sunt incerta caducis.
Justitia est quærenda Dei, reliqua ultro dabuntur.
Occulta alterius damnet se judice nemo,
Ex oculo fratris festucam educere quærens,
Ipse prius proprio pellat de lumine tignum.
Ira vetusta trahit, levior festuca notatur.
Purget ab ira animum qui vult pietate mederi.
Nempe odio extinctus nil rectum cernit ocellus.
Ne margaritam calcandam exponere porcis
Quis velit, aut sanctum canibus dare dilacerandum.
Mitibus & mundis prosunt mysteria pacis.
Postulet alma fides, ut possit sumere dona.
Quærat amor sitiens, ut mox optata reportet,
Pulset opus studiumque pium, tum clausa patebunt.
Vitandi semper falsi exsecrandique prophetæ,
Quos sub pelle ovium rabies agit atra luporum,
Sacramenta ferunt fidei, sed funere vivunt.
Ædificanda domus veræ fundamine petræ:
Dum procul omnis humus fundo purgatur ab imo,
Ac pietate proba Christi mandata geruntur,
Vitandum prorsus fluxæ fundamen arenæ,
Ne leviter positam sub intus ruat impetus ædem,
Sic immota imbres, ventos, & flumina temnet.
Caligosi imbres errorum nube pluuntur,
Venti alternantes adversa & prospera mundi.
Repit humo ut fluvius carnis lutulenta voluptas.
JESUS item mundat descendens monte leprosum,
Si vis, ille inquit, potes & mihi ferre medelam.
Ille, volo, ut dixit, fugit illico lurida pestis.
Paralysi fessum, puerum quoque centurionis,
Et socrum Petri lethali febre jacentem,
Atque alios plures salvat virtute potenti.
Fallacem scribam reprobat, nec prorsus habere
Quo ponat recline caput sese asserit usquam.
[a] Vulpibus [a] hunc foveam dicens magis esse dolosis.
Ast alium functi neglecto corpore patris
Se jubet ipse sequi, & morituris mortua linqui.
Imperitat ventis, jussu maris æquora sedat.
Dæmonicam humano legionem corpore pellit,
Et maris hanc tetras cum porcis mergit in undas.
Paralysi ereptum mandat sibi ferre grabatum.
MATTHÆUM vocat, & mundi dat spernere lucra,
Ac propriæ dignans publicanos jungere mensæ,
Ægrotos medico potius testatur egere.
Jejunii veri commendans mysticè culmen,
Discipulis sacri zelantibus ecce JOHANNIS
Parabolam panni, vinique, utriumque reponit.
Fessa cruore diu mulier sine lege fluenti
Attactu sacræ vestis purgata recedit.
Redditur & vitæ jam funere juncta puella.
Mox amissa diu redduntur lumina cæcis.
Dæmonium mutum surdumque expellit JESUS.
Lumen apostolicum populis jubet ire docendis.
PETRUS & ANDRÆAS, JACOBUS simul, atque JOHANNES,
BARTHOLOMÆUS, THOMAS, MATTHÆUS, pariterque PHILIPPUS,
ALFÆI JACOBUS, THADDÆUS, SIMON & ISCARIOTES.
Hi sunt quos misit verbum reboare salutis,
Curare infirmos, & pellere dæmones atros.
Et tamen ex ipsis periit, quia prodidit, unus.
Dirigit ad Christum JOHANNES carcere clausus,
Increpat ille urbes, quæ tot miranda videntes,
Duritia immani non pœnituere dolentes.
Exultans JESUS Patris mysteria laudat,
Atque suum lene esse jugum clementiùs infit.
Discipuli spicas solventes sabbata vellunt.
Arentem dextram concesso robore sanat.
Dæmonio ejecto, cæcum mutumque resalvat.
Quod satanas nequeat satanam depellere monstrat.
Tentanti turbæ signum promittit JONÆ.
Esse sibi matres, vel fratres, atque sorores,
Hos tantum agnoscit, qui Patris jussa sequuntur.
Parabolas plures vario sermone profatur,
Secreta eructans absconsa ab origine mundi,
Vatis & antiqui complens sacro ordine dicta.
Agricolam ponit triplici qui fruge redundans,
Tricenum ex cultis fructum percepit ab agris.
Sexageno etiam centenum accrescere gaudens.
De lolio mundæ segeti quod sparserat hostis,
De grano minimi latè crescente sinapis,
De fermento etiam quo vim trahit undique massa.
Discipulis lolii segetisque ænigmata solvit.
Parabolam subdit thesaurisare latentis,
Margaritæ etiam pretiosa luce micantis.
Et missi in pelagus retis genus omne natantum
Quod trahit ad littus, ubi fit discretio solers,
Vasa bonos capiunt, diversos projicit usus.
Cæditur HÆRODIS jussu BAPTISTA JOHANNES,
Et caput in disco scelerata ad gaudia fertur.
Discipuli adveniunt, condunt pia membra sepulcro.
Millia quinque virûm de panum quinque paratu
Piscibus & geminis, Christi virtute replentur.

[a] F. hic.

Bis cofinos etiam cumularunt fragmina senos.
JESUS per fluctus graditur, maris æquora calent,
MergentemPETRUM placida dat sistere dextra.
Gennesar in populis multorum incommoda curat.
De manuum lavacro pharisæus murmurat error.
Ille docet cordis verum interiusque lavacrum.
Obtinuit natæ mulier Cananæa salutem.
Monte Galilææ miserorum examina curat.
Quatuor ex septem mox millia panibus implet.
Fermentum, Pharisæe, tuum docet esse cavendum.
Clarificat Christum felix confessio Petri,
Accipit & claves regni cælestis ab ipso.
Præcipit ille crucem propriam cuique ille ferendam.
Testatur quosdam duram non cernere mortem,
Donec in proprio Christum fulgescere regno
Felici intuitu videant, cælique pavescant.
Discipulis in monte tribus se protinus ipse
Cælestis formæ vestitum lumine monstrat:
Cui simul HELIAM MOYSENque assistere cernunt.
Confestim trepidos circumdat lucida nubes,
Et vox clara Patris testantis ab æthere venit:
Filius hic meus est, hujus præcepta tenete.
His etiam HELIAM post hæc in monte revertens
Jam venisse canit, nec hunc tamen esse receptum,
His illi in verbis justum sensere JOHANNEM.
Mox puerum curat, fugit hinc lunatica pestis.
Vivacem fidem similem vult esse sinapi.
Solvit cæsaræum piscis ex ore tributum.
Ad pueri formam humiles jubet esse fideles.
Scandalizantem oculum propria vult sede revelli.
Id pedis atque manus etiam discrimine monstrat.
Nec minimos umquam temnendos esse fideles,
Pro quibus angelicæ invigilat custodia curæ.
Nam saxo oppressus lædens mergitur abysso.
Ignoscendum omni clementi pectore fratri,
Ut Deus ignoscat, nec duris dura rependat.
Conjugii vinclum servandum jure fideli.
Heunuchos laudat, qui cæli regna requirunt,
Diligit innocuos pueros, benedicit eisdem,
Divitibus durè reserari limina vitæ.
Centuplicem fructum capient qui cuncta relinquent.
Parabolam profert variè vineta colentum,
Qua docet extremos fieri plerumque priores.
ZEBEDEI natis avidis ad culmen honoris
Ante calix tristis proponitur esse bibendus.
Præteriens Dominus geminis dat lumina cæcis.
Ducitur ad JESUM pullus cum matre sedendus,
Mercantes templo pellit, Patris expiat aulam.
Gaudentes pueri piè Christo Osanna resultant.
Frondosam ficum, fructu quia fortè carebat,
Jussit, & extemplo damnata exaruit arbor:

A Fructiferos quia Christus amat, sine fructibus odit.
Pontifices rogitant unde illi tanta potestas;
Sed confusi abeunt testantis voce JOHANNIS,
Nec verum falsi nec vera audire merentes.
Parabolam subdit natorum forte duorum,
Qui patris imperiis diversa sorte resistunt.
Ac scribis præfert meretrices jure superbis.
Tradita ruricolis rursùm vineta feruntur,
Qui ad sese missos crudeli morte necarunt,
Postremo & Domini perimentes impiè natum.
Parabola invitans ad regis prandia plures,
Quos quia temserunt, mox ultio digna secuta est.
B Veste carens digna mersatur & ipse tenebris.
Ut divina Deo reddantur, regia regi,
Quod venturo ævo carnis connubia cessent,
Quod Christus David Dominus & Filius extet.
In cathedra Moïsi legis residere peritos,
Horum dicta sequi, vitari exempla jubentur.
Increpat hos Christus, quod perdant quique lucrantur.
Quod jusjurandum violent, quod maximè sanctum est.
Quod calicem excolent, studeant glutire camelum.
C Sectantes minima, temnentes maxima legis.
Quod culicem & cyathum exterius mundare laborent,
Nec labem interius latitantem extergere curent,
Cum foris atque intus hominis sit conditor unus.
Ingemit hos similes albatis calce sepulcris,
Quæ speciosa foris, horrenda intrinsecus extant:
Sana nitent oculis, sunt omnia tetra latebris.
Splendida qui sanctis condunt monumenta prophetis,
D Nihilque ex hoc aliud nisi sanguinis esse probentur
Hæredes vatum, in Dominum quia credere nollent.
Jerusalem plangit, templum se linquere dicit,
Omnia & in cineres subito lapsura minatur,
Hisque suos vultus post hac negat esse videndos.
Extremos quæ signa dies præcurrere constet
Exsequitur, falsos meminit exsurgere Christos
Et falsos vates, erroribus omnia plena.
Adventus proprii terrorem & tempora pandit,
Decidere stellas, tota astra nigrescere cæli.
E Exemplis vigilare monet, furemque cavendum.
Lumina virgineis ne sint macentia vasis,
Sed potius pingui semper foveantur olivo:
Sumta talenta piis usuris crescere mandat.
Judicii in solio cùm sederit ille tremendo,
A dextris stare infit oves, hædosque sinistris:
Hos ire in flammas, illos ad pascua vitæ.
Pontifices Dominum quærunt occidere Christum.
Unguento felix mulier perfundit JESUM.
Ut Christum prodat JUDAS dona irrita quærit.
Hunc Dominus cœnans designat voce gementi:

Corporis ipse sui Sanctis mysteria tradit.
Prædicit PETRO quod se ter nocte negaret.
Orat ut instantis calicis pertranseat hora:
Sed magis ut Patris fiat præfixa voluntas.
Oscula dat JUDAS tradendi signa magistri.
Consilio insano falsos producere testes
In Christum placuit; mendax sibi lingua repugnat.
Damnatus probris inluditur undique JESUS.
Abnegat hunc PETRUS, lacrymis mox plangit amaris.
Vinctus PILATO perimendus traditur ipse.
Emerunt figuli pretio de sanguinis agrum.
PILATUS populo permittit perdere Christum;
Passio sacra pii completur in ordine JESU.
Mox elementa tremunt, scindit sua pallia templum.
Ille subit mortem; procul, ait, tartare, Victor
E tumulo surgit: clara virtute refulget.
Discipulis mandata dedit, baptisma sacravit.
Cui laus & virtus, cui gloria summa per ævum
Sit cum Patre Deo cælesti in sede Beato,
Spiritui-sancto consors, & sydera clament.
Amen.

GESTA CHRISTI DOMINI.

INnocui pueri, Christo benedicite Regi.
Sit Domini celsum benedictum in sæcula nomen.
Solis ad occasum dulcis sonet hymnus ab ortu.
Cantemus Domino, magna est cui gloria Christo,
Qui solus virtute sua sessoris iniqui
Stravit equum, victosque simul summersit abysso.
Ecce Deus mira Salvator luce coruscat,
Ipse salus nobis, ipse est in sæcula virtus.
Confidat devota fides, timor omnis abesto.
Libemus dulces JESU de fontibus undas,
Gestaque magnifici reboemus in ordine Christi.
Hæc polus, hæc tellus, hæc ponti personet æquor.
Quatuor hæc uno cecinerunt ore Beati.
Quatuor exsurgunt paradisi flumina fonte,
Quæ cunctum largo fœcundant gurgite mundum.
Hic igitur paradisus adest, hic arbore vitæ
Aurea carpuntur florenti vertice mala.
Dirus abest anguis, exuberat alma voluptas.
ZACHARIÆ sancto sacris incensa ferenti
Angelus assistit, promittit gaudia nati,
Qui Domino Christo populorum corda pararet.
Mittitur ad MARIAM GABRIEL sacer ore corusco.
Nunciat intacta venturum Virgine Christum,
Cui regnum æternum, cui gloria fulget in ævum.
ZACHARIÆ uxorem Virgo veneranda salutat.
A Protinus exultat materno in ventre JOHANNES,
Et quem voce nequit, promit per gaudia Christum.
Mox etiam matrem complevit Spiritus almus.
Exclamat Domini præsentem assistere matrem.
Illa Dei laudes pudibundo concinit ore.
JOHANNES oritur, genitoris lingua profatur.
Ipse etiam in silvis vitam puer exigit almam,
Donec ad Israël certo se tempore monstret.
Nascitur in Bethleem sancta de Virgine Christus.
Pastores vigilant, affatur & angelus illos,
B Ac regem natum cæli cecinere catervæ.
Suscipit ipse humilis veteris mysteria legis,
Sanctificatque pium patrum pio tempore ritum,
Sic priscis finem statuit, nova surgere fecit.
Accipit hunc lætis SIMEON sanctissimus ulnis,
Dumque Deo offertur, dum dat pia munera templo,
Hunc Dominum lucis, hunc fert regem esse salutis.
ANNA etiam devota Deo, viduata marito.
Jam longæva annis, jam religione vetusta,
Agnoscit, gratesque refert, populisque prophetat.
C Ecce Magi adveniunt imis Orientis ab oris,
Se stellam vidisse ferunt, quæ nuncia Regis
Clareat, & Christum jubeat venerarier ortum.
Pergunt sydereo læti radiante ducatu,
Inveniunt puerum, proni reverenter adorant,
Munera dant alacres, Christum hunc pietate fatentur.
Angelico monitu Ægyptum transfertur JESUS.
Cæduntur pueri regis livore cruenti.
Protinus hunc diræ sequitur sors debita mortis.
Rursùs ab Ægypto Nazareth defertur JESUS,
D Unde Nazaræi sumsit cognomen in ævum,
Ut pridem veterem cecinit vox consona vatum.
Prævius hunc magno, reboans clamore JOHANNES,
Austerus victu, suetoso hirsutus amictu,
Gurgite Jordanis credentum membra lavabat.
Judæi proceres Christum hunc esse putantes,
Attoniti veniunt, quem se velit ille requirunt.
Præconem Christi se supplice voce fatetur.
Agnum hunc esse Dei, hunc crimina tollere mundi
Clamitat, hunc prona cunctis pietate sequendum
E Prædicat, & digito præsentem assistere monstrat.
Ipse etiam sacro dignatus flumine tingui
JESUS adest, humilemque viam sic dedicat altus.
Sanctificat latices, exemplum consecrat ingens.
Panduntur cæli, mox Spiritus ore columbæ
Devolat, & placido mitis requiescit JESUS.
Ipse Pater carum conclamat ab æthere Natum.
Protinus hunc eremi rapit in secreta benignus
Spiritus, & zabuli tentandum affatibus offert.



Vincit vincendum prece jejunisque tyrannum.
Ille superba monens, in panes vertere saxa
Suggerit, summo delapsum culmine Christum
Angelicas sperare manus, seu regna tenere.
Ille suis humilem monstrans insistere callem,
Præceptis obedire Dei super omnia præfert.
Sic victor zabuli angelicis dat jussa ministris.
I egressus mira in populis virtute coruscat.
Vertit aquas vino, pandit Deitatis honorem.
Discipuli credunt, Dominumque Deumque sequuntur.
Paschalis festi lætanter gaudia templo
Millia mercantum modico fugat ille flagello.
Mirantur populi, multorum pectora credunt.
Prædicit propriæ carnis venerabile templum
Solvendum manibus suscepta in morte cruentis,
Seque illud trinis spondet reparare diebus.
Mystica NICODEMO baptismi munera pandit,
Credentum populos proprio baptismate tinguit.
Undique concurrunt, vitalia dona frequentant.
Exultat Baptista sacer ac provocat omnes.
Nam Christum sponsum, se sponsi dicit amicum.
Illum crescere, se minui debere fatetur.
Filius ille Dei est, inquit, qui credit in illum,
Possidet æternam fœlix per sæcula vitam.
Qui negat, ira Dei super ipsum regnat in ævum.
Intereà Herodem connubia fœda petentem
Objurgat, mortemque pati quam vera silere
Eligit, hinc cæco damnatur carcere justus.
Tum Galilæorum in partes secedit JESUS.
Absolvit reguli mortis de limine prolem,
Atque Capharnææ versatur mœnibus urbis.
Æquoreis undis piscantia lina ferentes
ANDRÆAM PETRUMQUE vocat, JACOBUM atque JOHANNEM.
Omnia mox linquunt, Domini pia jussa sequuntur.

IN EVANGELIUM JOHANNIS.

DUlci evangelium cantemus voce JOHANNIS,
Et Domini clara moduletur in ordine gesta.
Sit nobis jucundus amor, sint gaudia sancta.
Verbum Unigenitum semper cum Patre manebat.
Hic lux, hic virtus, hic est sapientia Patris,
Vita hominum, angelicis lucens super æthera turmis,
Per hunc ipse Pater & mundum & sæcula fecit;
Omnia constituit quæ sunt à vertice cæli
Usque sub extremum fundum nigrantis abyssi.
Clarior hic stellis, sole est speciosior ipso,
Omni luce prior, quam nox offuscat & umbra.
Hic tenebras vincit, mediisque refulget in umbris.
Venit homo eximius clara virtute JOHANNES,
Cælitus, ut testis fieret de lumine, missus.
Non Lux ille fuit, sed Lucis præco refulsit.

A Lux vera ille aderat, hominumque pectora lustrat.
Illa inde aversos animos mersosque tenebris
Sponte sua irradiat, dignata invisere mundum.
Ipse in mundo aderat, & mundum fecerat ipse:
Nec tamen hunc cæco cognovit pectore mundus.
In propria venit, proprii hunc sprevere superbi:
Quique autem illius credentes nomine sacro
Mente receperunt humili & pietate fideli,
Hos dedit esse Deo claros in sæcula natos,
Quos non sanguinibus genitos, non carne creatos
B Nec prorsus ulla inlecebra generante virili
Divinam in prolem divinus Spiritus edit.
Verbum etiam Patris caro factum habitavit in illo,
Naturæ nostræ mortali corpore clemens,
Ut nos ad vitam posset revocare perennem.
Hinc oculis mentis nova lux exorta refulsit:
Claruit hinc ejus sublimis gloria nobis,
Ut Patris unigenum possemus noscere natum.
Qui plenus veritate cluit, cui gratia summa est.
Nam verus cum Patre Deus mortalia nostra
C Dignanter sumsit, nec propria linquere novit.
Hunc testis verax clamat, dixitque JOHANNES;
Post me vir veniet, quem me majora docebunt,
Me prior ille fuit, mihi sit prælatus oportet.
Illius æterno cuncti de fonte rigamur.
Per Moysen terrens præmissa est littera Legis,
Per Christum indulgens aderit modo Gratia JESUM.
Nemo Dei faciem mortalis conspicit umquam.
Unicus hunc solus novit qui permanet alto
In gremio Patris. Hic dignis digna revelat.
D In hunc sydereæ vultu radiante columbæ
Spiritus adveniens æterna sede quievit:
Filius iste Dei est, hujus mihi gloria claret.
Talia dum populis loquitur, dum talia clamat,
Ecce sacerdotes Solymis venere rogantes,
An Christum sese credi velit ipse Johannes.
Protinus ille negans, Non sum quem creditis, inquit.
Vox ego clamantis, præsentem nuntio Christum,
Cujus ego non sum caligam contingere dignus.
Vidit item Christum coram transire JOHANNES,
E Agnus, ait, ecce Dei qui tollit crimina mundi.
Discipuli astabant gemini, JESUMQUE sequuntur.
Ex his ANDRÆAS frater PETRI extitit unus.
Repperit hic fratrem, Messiam invenimus, inquit.
Ad Christum veniunt, mox Christi dona reportant.
Eligit ipse viros dignos, vocat ipse PHILIPPUM,
Nuntiat ille pio mox gaudens NATHANAHELI.

Quem Lex & sacri Christum cecinere Prophetæ.
Nathanahel properat; ille hunc ubi vidit adesse,
Israhelita ecce verus huc advenit, inquit,
Cui nullus sub corde dolus, cui pectora pura.
Hunc procul absentem ficus sub tegmine vidi,
Cùm nuper positus frondosa staret in umbra.
Necdum illi fidus dederat pia verba Philippus,
Ille admiratus celsi præsagia Christi:
Vere, ait, ecce Dei sublimis Filius hic est.
Iste Israhelis Rex est per sæcula verus.
Credenti Christus spondet majora videnda.
Cernetis, inquit, reserari culmina cæli,
Angelicos choros famulari in sæcula Christo.
Cujusdam ad thalamos sancta cum matre vocatus,
In vinum subito naturam vertit aquarum.
Discipuli credunt, divina & facta pavescunt.
Ejicit ex sacro mercantum millia templo.
Solvendam propriæ carnis denuntiat aulam,
Cælesti signo in triduo quam suscitet ipse.
Mystica Nicodemo baptismi munera pandit,
Abluit ipse suo tinguens baptismate turbas.
Concurrunt alacres, capiunt pia dona salutis.
Hæc ubi cognovit, sanctus Baptista Johannes,
Impleta declamat sua gaudia, provocat omnes:
Se minui gaudet, illum subcrescere gessit.
Samariæ ad puteum mulieri mystica fatur.
Pandit aquam vitæ, Christum sese esse fatetur.
Agnoscunt cives mundi advenisse salutem.
In patria propria dicit sine honore prophetam,
Et reguli prolem mortis ex fauce reducit.
Sermone absentem vitæ de funere reddens.
Paralysi antiqua jam penè in morte jacentem,
Bethsaïdæ in Solymis piscinæ erexit ad undas.
Exsilit æger ovans, proprium gerit ipse grabatum.
Judæis loquitur mysteria plurima vitæ:
Se simul & Patrem æquè facere omnia dicit.
Qui Moysi credunt, prorsus sibi credere firmat.
Millia quinque virûm quinis de panibus ille
Piscibus & geminis mira virtute refecit.
Fragmina bis senos cofinos ablata replerunt.
Attoniti hinc populi quærunt sibi ponere Regem:
Ille fugit, montem petiit, hic solus adorat.
Non capiunt Christum regni mortalis honores.
Discipuli in pelago vento obsistente laborant:
Christus adest placidus gradiens in fluctibus atris,
Navicula optatum tenuit mox libera portum.
Alloquitur populos veteris de munere mannæ:
Se panem vivum cæli venisse fatetur,
Quem quicumque capit, mortem non sentit in ævum.
Discipuli plures ex hoc sermone recedunt.
Petrus cum sociis Christo gaudenter adhæret,
E quibus ille unum zabuli sub nomine damnat.
Festa dies aderat qua sunt umbracula jussa.
Ille docet populos, promittit flumina vitæ
Spiritus ille Dei, quem dat credentibus, hæc sunt.
De Christo exoritur contentio magna superbis.
Nicodemum exagitant, urgent sine jure ministros.
Simplicibus turbis maledicunt ore protervo.
Ad Dominum mulier defertur adultera Christum.
Hanc ille in miseros larga pietate redundans,
Judicio mortis pariter & crimine solvit.
Hinc lucem mundi claro se prædicat ore:
Effugient mortis tenebras quicumque sequuntur:
Lux illis vitæ totum fulgebit in ævum.
Principium Christus se prædicatori sereno,
Quod loquitur puris infulgens mentibus intus,
Omnis qui peccat, peccati servus habetur.
Mendacii tetrum zabulum docet esse parentem,
Hic necis humanæ ferus extitit auctor ab ævo,
Nec stetit infelix in vero lumine fallax.
Ante Abraham Christus semper sese esse fatetur.
Ille alacri Christum cupiebat cernere voto.
Vidit & exultans, felici est mente gavisus.
Cæci nati oculos sputo limoque salubri
Inlinit, & Siloë puris inluminat undis:
Cæcum hominem irradiat, quoniam baptisma salutis.
Electis ovibus quod sit pia janua monstrat.
Per hunc intrantes pergunt ad pascua vitæ.
Hujus sanguis oves æterna à morte redemit.
Dum graditur templi speciosa per atria Jesus
Judæis populis quis sit quærentibus ipse,
Clara voce Patrem seseque unum esse fatetur.
Quarta dies Lazarum monumenti clauserat antro,
Astabant tristi plorantes voce sorores:
Turba ingens aderat solatia mœsta ferentum.
Allevat ille oculos, Patri dat munera laudis,
Defunctum inclamat, prodit mox ille sepulcro:
Nexibus exuitur, & dulcia tecta revisit.
Unguento Jesum perfundit sacra Maria:
Jucundo impletur latè domus omnis odore,
Ut redolet toto felix Ecclesia mundo.
Rex mitis placido Jesus consedit asello.
Palmigeris turbæ manibus dant cantica laudum.
Sic Solymam ingreditur, adit & pia mœnia templi:
Gentiles clarum quærebant cernere Jesum.
Frumenti granum dicit se protinus ille,

Quod terræ immoriens multa cum fruge refurgit.
Oranti vox clara Patris refpondit ab aftris:
Clarificavi, inquit, te, Nate, & clarificabo.
Expavit populus divinæ vocis honorem.
Multi è principibus magnalia tanta videntes,
Pectore credebant, metuebant ore fateri,
Non divina illos, fed mundi gloria traxit.
Abluit ille pedes veneranda in nocte fuorum,
Pelvi infundit aquas, tergentia lintea geftat.
O quanta humilitas! quanta eft clementia Chrifti.
Defignat JUDAM buccella panis iniquum.
Ter fefe à Petro prænunciat effe negandum.
Difcipulis propriis fignum præfcribit amoris.
Inde fuos nofci voluit fi pectora fratrum
Alterna caritate fibi connexa vigerent,
Quali nos primus dilexit cælitus ipfe.
Se docet in Patre & Patrem venerarier in fe.
Majeftas una eft, & gloria compar utrique.
Quidquid agit genitus, totum eft operatio Patris.
Paraclitum fpondet fe mittere protinus illis,
Cùm mox è tumulo devicta morte refurgens,
Inclytus afcendens penetraverit ardua cæli.
Se vitem veram loquitur, propriofque fideles
Palmitibus fimiles in fe monet ille manere,
Ne jaceant fteriles, jugi tradantur & igni.
Difcipulos clemens Patri commendat JESUS,
Traditur à Juda Pilato addicitur infons.
Verberibus cæfus populo datur ipfe necandus.
Exiit ipfe crucem fibimet mitiffimè portans.
Paffio guftato Chrifti completur aceto.
Mandatur tumulo, deftructa morte refurgit.
Ad tumulum MARIA lacrymas fundebat amoris,
Sublatum infidiis corpus credebat JESU.
Ille repente micat, dat huic mandata falutis.
E tumulo facræ redeunt gaudendo fodales:
His curfu in medio fulgens occurrit JESUS:
Dat clementer Ave, pedibus illæ ofcula figunt.
Flebat amarè nimis Chrifti PETRUS ille negati
Crimen, huic clemens apparet protinus ille,
Solatur mœftum, trepidantis pectora firmat.
Ibant forte duo caftellum invifere quoddam:
His fubito in habitu peregrini occurrit JESUS:
Tecta rogatus adit, pandit fe in fragmine panis.
Difcipuli claufo refidebant fortè timentes
Conclavi, his fubito radians affiftit JESUS.
Agnofcunt Dominum, clavorum figna recenfent.
THOMAS defuerat, cùm fe Deus ille magifter
Monftrarat fociis, lateris pia vulnera pandens:
Chriftus adeft iterum, Dominum ille Deumque fatetur.
Cum fociis PETRUS pifcans nil ceperat undis.
Littore ftat Chriftus, jactari retia mandat,
Fit captura ingens, clarus convefcitur illis.
Monte Galilææ, ficut promiferat ipfe,
Clarificum Sancti JESUM reverenter adorant,
In cælo & terris dicit fibi fubdita cuncta.
Ultima difcipulis jungens convivia facris,
Mandat evangelium per hos toto orbe corufcer,
Credentefque omnes fancto baptifmate tingui.
Montis Oliveti petiit mox ille cacumen.
Affiftunt Sancti, benedicit cælitùs illis,
Sydeream penetrans ipfis cernentibus aulam.
A dextris fedet ille Dei, virtutibus ipfis
Celfior angelicis, venturus & inde corufcus,
Judicet æternis ut totum legibus orbem.
Hunc cælum & tellus, hunc tartarus ipfe profundus,
Cunctorum Dominum, cum Patre in fæcla potentem
Ac Spiritu fancto laudet, huic fydera clament.
Amen.

ORATIO

Cum commemoratione antiquorum miraculorum Chrifti Dei noftri.

O Virtus æterna Dei, quam machina mundi
Sufcipit auctorem, cui fervit terra polufque,
Principium rerum, per quam Pater omnia fecit:
Cum Flatu æterno fuper æquora vafta cubante,
Tu preffus quondam tenebris horrentibus undas
Luce nova inradians, noctemque diemque creafti.
Ut varios hominum revelet lux blanda labores,
Et nocturna quies attritos recreet artus.
Tu geminas fedes difcretis fluctibus aptans,
Hos agis in pelagus, illos fuper aftra recondis.
Arida quo poffet fructum producere tellus
Paftibus & gratis animantia cuncta foveret,
Tu lunæ folifque globum, ftellafque micantes,
In varias caufas per culmina celfa locafti.
Tu terræ ex utero pecudes ac reptile cunctum
In lucem fola procedere voce dedifti.
Tu lymphis etiam fpirantia corpora condens,
Alitibus ventos, ditafti pifcibus æquor.
Tu torpentis humi corpus de corpore fumtum
Vivifico facri Spiraminis erigis hauftu:
Idque hominem vocitans, totum regnare per orbem
Præcipis, & totius rationis legibus imples.
Quo genus in terris uno factore creatum
Ut genus in cælis uno rectore regatur.
O virtus æterna Dei quam machina mundi
Sufcipit auctorem, cui fervit terra polufque.
Tu primum non paffa virum confiftere folum
Conjugis egregiæ folatia cafta creafti,
Quam nec terra tulit, materna nec edidit alvus,
Sed tua de cofta formavit dextra virili.
Tu fcelus amborum punifti morte benigna,
Et ferpentinam damnafti pulvere linguam,
Quæ docuit miferos contemnere juffa Tonantis,
Numinis & fummi fummum fibi quærere nomen.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Sufcipit auctorem, cui fervit terra polufque,

Tu

Tu justi interitum, quem fratris dextra peremit,
In pœnam auctoris justa sub lege retorques.
Tu quemdam ex primis primi mortalibus ævi
Ignarum mortis vitæ ad secreta tulisti.
Cùm tamen interea vitiis ferventibus omnes
Polluerent pulcrum per mille piacula mundum.
Tu totum validis involvens fluctibus orbem,
Terrigenis terras viduasti, flumina ripis.
Tu justum quemdam propria cum prole domoque
Diluvii ex undis arca vectrice reservas,
Ut genus in terris uno de semine surgens,
Una morte ruens, una de stirpe resurgat,
Atque homines mundos tellus mundata foveret,
Nec vita indigni fruerentur munere vitæ.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
Tu tibi sublimes quærens conjungere amicos,
Ignibus ex mediis primum sine labe vocasti,
Qui patriæ fines & tristia regna relinquens,
Crevit in ingentes peregrino in limite gentes.
Nam primogenitum serva quem matre creavit,
Bis senos generasse duces lex aurea canit,
Posterior natu genitrix quem libera fudit,
Suscepit geminos una de conjuge natos.
Alter Idumæos mixto de sanguine condit;
Hebræos alter duodena ex stirpe propagat.
Hic habuit geminas prisco de more jugales,
Et totidem servas uxorum munere sumtas,
E quibus antiquam gentem populumque potentem
Protulit, & claris sua semina contulit astris.
Cùm tamen infando rursus gens impia quemdam
Fluctibus ablutum macularet crimine mundum.
Quem delere parans, Sodomitica mœnia flammis
Sulphureoque igni subvertis tecta Gomorræ,
Quin & finitimas miseris cum civibus urbes,
In cinerem solvis, & gurgite deprimis alto.
Judicio sunt poma locis quæ nata sub hisdem
Pulcra foris vacuis intus sunt plena favillis.
Attamen ex ipsis quemdam tua dextera justum
Ereptum flammis scelerata eduxit ab urbe:
Quem geminæ natæ misera cum matre sequuntur,
Et montana petunt, tanta ne in strage perirent:
Sed nimium infelix subito perculsa fragore
Respexit conjunx, pœnamque experta remansit,
Hic natæ solo solæ cum patre relictæ
Mortales periisse ratæ, sic fraudibus usæ,
Vina seni miscent, bina & sub nocte vicissim
Succumbunt patri, & concepto semine surgunt;
Hinc duo gignuntur post sæva incendia fratres,
Et mortale genus Sodomis pereuntibus augent.
Alter Amon, alter vario cognomine Moab
Dicitur, & geminas condunt ab origine gentes.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu justum quemdam distractum crimine fratrum

A Memphycolis præfers, atque orbem pascis egentem.
Tu populum sanctum duro sub fasce gementem,
Ad patrias sedes mira virtute reducis.
Ob hunc Ægyptum quino bis verbere plectis
E cælo, è terris mittens portenta, vel undas
Scindis, purpureum lymphis durantibus æquor,
Callibus & siccis plebem deducis ovantem.
Cui noctu dux ignis erat, præeunte columna;
Et mediis gratis nubes dabat æstibus umbras.
Pastum cælestis præbebat panis, & omni
Nocte fluens dulci complebat nectare campos.
B Quas conviva dapes cuperet, quoscumque sapores
Appeteret, unâ lætus capiebat in escâ.
Potum saxa dabant, virgæ quæ mollis ad ictus
Duritiam rumpunt, & flumina larga ministrant.
Carnifluis epulis servit numerosa coturnix,
Discit & exosis ultrò se infundere mensis.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
Tu sanctum tristi texisti fulmine montem,
Et vocem horrendam sacra de nube dedisti.
Tu vati accito legis præcepta supernæ
Tradis, & alloquio famulum dignaris amico.
C Pontificem statuis, precibus placare Tonantem
Qui queat, & sancto cultus procedat amictu,
Intret & horrendos veli post claustra recessus,
Et Patris æterni solus secreta revisat.
Interea varium turbata per agmina murmur
Perstrepit, & densæ resonant per castra querelæ.
Detrahitur vati, contemnitur ipse sacerdos,
Ac nimis accenso lapidantur pænè tulmultu,
Ægyptum repedare parant, vana idola fingunt,
Solemnemque diem ludis & carmine ducunt.
Ira etiam justo tandem commota furore,
Inlicitos ausus tali sub jure coerces;
D Hos perimis flammis, & toto cælitus igni
Illos sulfureas erebi demergis in undas,
Quos retinet tellus, cæli vis ignea punit;
Quos terra absorbet, viventes inferus haurit.
Sic natura tuos certatim devorat hostes,
Sic scelerum vindex totus tibi militat orbis,
Nec patitur quemquam vitales carpere flatus,
Quem tibi non toto credentem pectore cernit.
His tamen ex flammis tantoque ex funere bini
Servantur juvenes fidei virtute decori:
Quos nova progenies & nescia criminis ætas
E Ad regnum comitata fide tua præmia sumsit,
Nam septem gentes & regna potentia septem
His servire jubes, & terram tradis opimam;
Quæ rivos lactis & mellis flumina fundit,
Pinguia quæ sacris deludant balsama ramis,
Quam Pater ipse pio despectat lumine semper,
Mensibus & certis cælestibus irrigat undis.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu rapidos fluctus cohibes, & flumine sicco
Transducis sanctam tantis cum millibus Arcam.
Tu magnam solis quondam clamoribus urbem

Solvit in æternas populo pereunte ruinas;
Sed meretrix quædam superat, quam vivere solam
Præstitit alma fides: proprio cum patre domoque,
Ac ne plura morer, tellus subjecta quiescit,
Et possessa Dei varia sub sorte tenetur.
Judicibus regitur duodenis, quos tuus implet
Spiritus, & miro virtutis robore firmat.
Viribus ut magnis sævos superare leones,
Et validos vincti possent disrumpere nexus,
Nunc urbe inclusi, & sub noctem milite multo
Vallati foribus raptis conscendere montes.
Nunc tristes cuneos, & castra minacia ferro
Sternere non gladio, sed malo vilis aselli,
Vomere quin etiam vastas fudere catervas,
Restitit & telis terris res apta colendis
Sic arcent hostes, sic sceptra potentia terrent,
Defenduntque suam fidei munimine gentem.
Ac patrias leges divinaque jura quietis
Exercent populis meritisque & honore verendi,
Idem armis promti, devoti legibus idem,
Idem odio externis, affectu civibus idem,
Fraus aberat fallax, languebat victa cupido,
Justitiæ virtus ipsa inter bella vigebat.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque;
Tu puerum sanctum sacrato chrismate tinctum
Pastorum ex numero Regem facis esse tremendum.
Iste Gigantæas pulsantes sydera moles
Nunc saxo, nunc ense potens sub tartara misit,
Et quos nulla prius poterant subvertere bella,
Unius hos pueri contrivit, te duce, dextra,
Conservansque tuos; alienosque undique perdens,
Abramidum miro rexit moderamine gentem.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu pia cælesti perfundis pectora flatu,
Et ventura modis prædicis in ordine miris,
Virgineo partum ex utero, rerumque salutem
Spondes, & mœstis uberrima gaudia terris.
Talia divinis clarent oracula signis,
Præsentemque fidem rebus dant cuncta futuris.
Et nunc prærapido sol concitus axe volantes
Sistit equos, tenditque diem, noctemque moratur
Nunc currum occiduis retro convertit ab oris,
Deciduasque faces Eoos flectit ad ortus,
Æneus hastili serpens suspensus in alto
Virus agit venis, & diros effugat angues.
Flammigero curru mortali in carne Propheta
Tollitur in cælum, tantùm nec læditur igni.
Cæditur excelso montis de vertice saxum,
Quatuor & species uno mox conterit ictu,
Æs, aurum, argentum, & testæ cum fragmine ferrum
Solvitur, & stipulæ raptatur in aëra more.

A Ast lapis ingenti succrescens vertice montem
Efficit, & vasta totum mole occupat orbem.
Æstibus horrifici flamma exundante camini
Tres jussu pueri regis traduntur iniqui.
Angelus almus adest medius fornacis, & auræ
Roscida flabra jacit, dirimitque incendia vento.
Illi magnificas gratanti pectore laudes
Astrorum & terræ referunt pelagique parenti.
Persistunt hilares, ipsoque vocante tyranno,
Ex medio lætis procedunt vultibus igni.
Mirantur satrapæ, mirantur barbara corda
Inlæsos crines, inlæsa sarabara crines.
Ac fidei flammis ignes cessisse minaces,
B Terricrepósque focos perculsis mentibus horrent.
Undivagus vates cæto sorbente voratus,
Vitales alto flatus sub gurgite duxit,
Et tribus exactis triplici cum nocte diebus,
Integer ad superos imis processit ab undis.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu gremio lati projecta cadavera campi
Arida quæ nudis vestibant ossibus arva
Carnibus & nervis, & vivo tegmine pellis
Induis, & prisca refoves nova pectora vita.
Cerneris ignicomis cæli cum nubibus ire,
C Et populos omnes, linguasque, tribusque tenere;
Sedibus hinc positis patefacta volumina cordis
Inspicis, & geminis mortalia dividis oris.
Hos morti exemtos & vitæ luce coruscos
Cætibus angelicis cælestibus inseris aulis:
Illos præcipiti flammarum turbine raptos
Ignibus æternis, atræque immergis abysso.
Illic lætitiæ voces & cantica laudum:
Hic dolor & gemitus totum resonavit in ævum.
Hinc me, quæso, reum peccati labe piatum
Eripe, Christe potens, clementi numine Florum.
O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
D Sit tibi summus honor, sit gloria, sitque triumphus,
Sit regnum sine fine manens, sit gratia perpes,
Mortalis te lingua canat, te cælica turba
Personet, & totus in laudem concrepet orbis.
Te pavidum pectus, te corda trementia, te vox,
Te pia mens recinat, te viscera tota resultent.

EPIGRAMMA

Libri Homiliarum totius anni ex diversorum Patrum tractatibus ordinati.

E O Prudens lector, vitæ cui cura perennis,
Perlege præsentem studioso pectore librum,
Ex veterum dictis collectus denique Patrum,
Quos probitas, quos recta fides ad sydera vexit,
Emicat ac totus doctrinæ lampade fulget.
Pandit luciflui mysteria sancta diei,
Quo Patris æterni genitum sine tempore Verbum
Non ex labe viri, sed de virtute Tonantis

Noſtræ habitu formæ, dictu mirabile! ſumto
Sponſus ut è thalamo ſic Virginis editus alvo
Prodiit, & mœſto nova gaudia detulit orbi.
Hæret huic martyr celeberrimus ore coruſco,
Intendens cælum natumque ex Virgine Chriſtum,
Ad Patris dextram ſtantem ſuper æthera cernens,
Dum ſancto plenus ſpiramine ſaxea corda
Increpat, & lapidum quaſſatus mole precatur:
Accipe, quæſo, meam, JESU rex inclyte, mentem,
Et genibus flexis pro queis tibi ſupplico, parce.
Ergo fide clarus doctrinæ fulmine pollens,
Terribilis ſignis pretioſa morte ſacratus,
Nominis ipſe ſui præcelſum munus adeptus,
Cæleſtem ſumit parta pro laude coronam.
Martyrii florem ſequitur flos virginitatis,
In gremio Chriſti recubans ſacer ille JOHANNES,
Maximus æterni præco per ſæcula Verbi,
Quod cum Patre Deo ſemper Deus omnia fecit,
Cælum, tellurem, mare, tartara, ſydera, ventos,
Et quæcumque poli gyrus complectitur ingens,
Et quidquid ſuperos excedens incolit axos,
Proque ipſo felix Pathmæi gurgitis exſul.
Unde repente poli celſa ad faſtigia raptus,
Aurea perculſus vidit candelabra ſeptem,
Inque horum medio dilectum incedere Chriſtum,
Veſtitum poderis ſacris, cui zona mamillas
Aurea præcingens, candentia pectora comit,
Cæſaries niveo floret veneranda capillo,
Horribiles oculi flammanti luce coruſcant,
Et facies rutili præfulget ſolis ad inſtar,
Ignitique pedes auricalchi more rubeſcunt,
Quo rapida validus fornace examinat ignis,
Et ſeptem ſtellis ornatur dextera fulgens,
Terribilique biceps enſis proceſſit ab ore.
Corruit hoc viſo ceu mortuus, Ille trementem
Solatur blando alloquio, dextraque benigna
Erigit, & cæli ſacrata per omnia ducit
Quæ ſacro deſcripta volumine non capit ullus,
Ni ſacer internam reſerat cui Spiritus aurem.
His liber hic laudes Infantum ex ordine jungit,
Qui primi ob Chriſtum crudeli ſorte peremti,
Perpetuo Chriſti nunc regno & pace fruuntur.
Edocet Octavæ quid ſectio myſtica lucis
Innuat antiquæ referans ænigmata legis.
Tranſit ad egregii ſolemnia ſacra diei
Quo Regis noſtri cunabula vilia Chriſti
Muneribus trinis pietas venerata Magorum,
Thure Deum docuit, Regem ſignavit in auro,
Mortalemque hominem myrrha depinxit amara,
Quem ſibi ſydereus monſtrarat ab æthere fulgor,
His ſociat clarum numeroſo lumine feſtum,
Quo tener ad ſacri devectus limina templi,
Turturibus geminis duplici ſeu prole columbæ

A Divinis placuit conſpectibus, ac ſenis almi
Complexu adſtrictus, Judææ gloria gentis
Et lux totius Chriſtus promittitur orbis.
Inde quater deni nectit jejunia ſolis,
Quæ Dominus juncto tranſegit tempore lunæ,
Debellans rabidas antiqui dæmonis iras,
Quem gemini vates totidem pugnando diebus
Inpaſti nullo poterant pervincere pacto.
Ter ſeſe horrendis erexerat improbus armis,
Ter Chriſti valida confoſſus cuſpide ceſſit.
Unde ſacer totum floret mos ille per orbem,
Vicinis paſchæ ſolemnibus, in quibus atri
Guttura ſæva lupi mactatus perculit Agnus,
B Ut jejuna pari celebrentur tempora voto,
Et caſtigato curentur corpora victu,
Chriſticolis quibus infeſti furor imminet hoſtis.
Iſta ſalutiferi ſequitur laus inclyta Ligni,
Quo veteris mire deleta eſt cautio culpæ,
Dum genus humanum vetiti quod tactio ligni
Perpetuæ mortis dura ditione gravarat,
Per Lignum æternæ recipit nova gaudia vitæ,
Cùm Chriſtus ſacras expandens in cruce palmas,
Adæ dira pio terſit delicta priore.
Eminet hinc veri feſtum mirabile Paſchæ,
Quo Chriſtus tumulo devicta morte reſurgens,
C Ad jugem vitam moribundos tranſtulit artus,
Auctorem lethi domuit, lethumque peremit,
Eripuit priſcos erebi de carcere juſtos,
Ac ſecum plures rediviva in carne reducens,
Oſtendit ſæcli felicia dona futuri.
Poſt hæc magnifici præclara Aſcenſio Chriſti,
Fulget ad ætherei remeantis culmina templi,
Quo nec magnus Enoch rapuit quem dextra Tonantis,
Nec ſacer Elias curru flammante repente
Sublatus rapido potuit penetrare volatu;
Sed potuit Chriſtus, cælo qui ſponte ſupremo
D Adveniens, ultro mortales induit artus,
Cùm voluit propria in cælum virtute redire.
Qua patria dexter reſidet ſublimis ab arce,
Inde ſub extremo venturus tempore mundi,
Angelicis turmis atque ignis turbine ſeptus;
Supplicium pravis ſua præmia reddere juſtis.
His adnexa nitent clariſſima feſta ſuperni
Muneris à Chriſto promiſſi ab æthere miſſi,
Cum ſacer è cælo violenti turbinis inſtar
Spiritus exſiliens, credentia corda petivit,
Diſcipuliſque Dei ſupra caput igneus adſtans,
Multifidis viſus flagrare in vertice linguis,
Accendit tepidos, infirmos robore fulſit,
E Ignaros docuit, linguarum munera fudit,
Hæc ſuper adduntur Patrum pia dicta ſacrorum
Sanctorum, ô lector, claris accommoda feſtis,
Ut capiti ſemper hæreant ſua membra ſuperno.
Ac primum eximius reſidet Baptiſta JOHANNES,
Ex ſenio feſſis mire genitoribus ortus,
Vaticinanſque prius conceptum Virgine Chriſtum,
Viſceribus matris quàm vitæ exiret in auras,
Quo nullus major mulieris natus habetur,
Quique Dei mundo monſtravit ſedulus Agnum,

Et pravum recto commutans limite callem, A
Ostendit cunctis quo tramite celsa polorum
Regna petant veteris maculis erroris ademtis.
Inde Petri & Pauli festum prænobile fulget,
Quos Romæ infausti rabies vesana Neronis]
Ecclesiæ claros fidei pietate magistros,
Doctrina insignes, signorum luce coruscos,
Virtute invictos diversa sorte peremit.
Nam crux ad cælum versi vestigia Petri
Direxit, Christoque suo revocavit ovantem.
At cervix Pauli gladio desecta nefando
Doctorem nitidum vestivit sanguinis ostro,
Purpureumque polo post prælia mille remisit. B
Machabæa dehinc certamina laudibus almis
Prosequitur stylus, & pulcro sermone perornat,
Qui septem fratres una genitrice creati,
Antiochi sævas vicerunt fortiter iras,
Ac post multimodos pœnæ bacchantis agones,
Cælestes cum matre pia meruere coronas,
Matre piam quæ tunc septeno pignore fœtam,
Septenoque simul natorum funere torta,
Supplicium prolis obitu comitata beato,
Ebdomadem priscam Ogdoadæ dedit esse novellæ,
Participem regemque ferum pietate subegit,
Nunc præclara suo amplectens diadémate C Christum,
Septenis rutilat natorum cincta coronis.
Exin martyribus communes dulcis honores
Pagina depromit, Christi quos lota cruore
Palmigeris claros manibus stola candida comit.
His confessorum pulcherrimus ordo cohæret
Quos ardens fidei provexit ad æthera virtus.
Mox & virgineæ resonant ex ordine laudes,
Prudentesque chori virtutum lampade clari,
Nec minus interno locupletes semper olivo,
Sidereos intrant thalamos, Christoque jugantur:
Cujus eos dextra, æterno constringit amore. D
Hinc etiam sacri quotiens fundamina templi
Consurgunt, ædesque Deo nova conditur alto,
Tinguitur & tactu divini chrismatis altar,
Quæ relegenda pius pro tempore postulat usus,
Ex veterum dictis vatum collecta sequuntur.
Tum sacer Andræas miri cum laude triumphi
Concinitur, Christoque suo jam proximus hæret:
Optata cui morte crucis, cui mente fideli
Hæserat, & toto cordis flagraverat æstu.
Non illum fustes, non diri carceris horror,
Non centum fregere minæ, non vincula læva. E
Binos ille dies sacri de vertice ligni
Intonuit, verbo ætherio mortalia corda
Terrificans, lustransque simul non ipse tyrannus,
Non hunc carnificum fera brachia turbaque præsens
Amplexu cari potuit divellere ligni,
Donec splendiflua circumdatus undique nube.
Nulli conspicuus mortalis exuit artus,
Fulgidus ad Christum fulgenti tramite pergens.

Adventus Christi præconia fine sub ipso
Terribili sermone tonat quo concitus anni
Circulus almifico Christi deductus ab ortu.
Almificum Christi concurrat semper in ortum.
Nempe hic principium, cunctorum hic finis habetur.
A prior cunctis, Ω cunctis ultimus extat.
Hæc igitur veneranda Patrum dicta, optime lector,
Perlege solicitus, memori sub corde reconde,
Actibus exerce, fido sermone profare,
Non hic mortifero metuas lita tela veneno,
Nec levibus linguis paleas non pabula fusas,
Totus catholico resplendet flore libellus.
Totus habet gravium certissima dicta virorum.
Hic tibi recta fides claro sermone patebit.
Hic spes certa tuam sustollet ad æthera mentem,
Et sincera pium terget dilectio pectus.
Quo ducente fide, locuples spe, purus amore,
Conscendas rapido cælestia regna volatu,
Cætibus angelicis ubi sæcla per omnia junctus,
Perpetuos lætis decantes faucibus hymnos,
Invictamque ferens Christi de munere palmam,
Æterna rutiles ipso tribuente corona.

Explicit.

EPISTOLA

Ad Modoinum Augustodunensem episcopum.


Salve, sancte parens, Christi venerande sacerdos,
[a] Augusti montis, Pastor in arce potens.
Quem sacer inlustrat meritis splendentibus ordo
Doctrinæ & studium tollit ad alta pie.
Quo generis clari lumen torrensque loquendi
Vincitur, & magno sydera sole latent.
Accepi niveam vestro de munere vestem
Tergendoque ori lintea clara satis.
Ac pariter manibus prædulcis epistola nostris
Tradita rore suo pectora nostra rigat.
Quantus ibi flagret sinceri fervor amoris,
Et pia mens quanta luce corusca micet.
Quæ tuba, quæve lyra flatu fidibusque canora
Explicit, & digna laude ciere queat?
Non mihi tam fervens vegetat præcordia sanguis,
Nec tam larga meo flumina ab ore fluunt,
Ut tibi, sancte parens, pie vates, clare sacerdos,
Condigne valeam solvere laudis opus.
Ille pius cælique Parens terræque Repertor,
Agminis angelici Rex, hominumque Sator,
Cujus clara pio sequeris vestigia corde,
Dum celsus humilem respicis, atque foves.
Ille tuis, inquam, meritis condigna referre
Prævalet, ac frugem centuplicare tuam:
Ut quod nunc largo dispergis semine terris,
Largius Elisia tunc regione metas.

[a] Id est Augustoduni. Nam veteres montem dunum appellant.

Interea sit vita tibi, sint larga salutis
Gaudia, longa dies, altus honoris apex.
Divinæ sit legis amor, tuba clara docendi,
Egregii mores, cor probitate nitens.
Grex tibi commissus vigeat, torvique leonis
Sæva fide fortis guttura calce terat.
Ut cum cælesti vallatus milite summus
Pastor ab excelsi fulserit axe poli,
Tum bene servatis ad dextram te locet agnis,
Restituens studiis præmia digna tuis.
Tunc velut electus aries in nube corusca
Velleris aurati stemmate clarus eas.
Quem niveæ comitentur oves agnique nitentes,
Sumturi vitæ pascua perpetuæ.

Titulus in absidc memoriæ sancti Justi.

CHristi sancta domus, præpollens aula piorum
Hospita sanctorum, virtutum sedula mater,
Hæc est quam cernis semper, ubi ritè precanti,
Gratia larga patet per tot cumulata patronos.
Quos propriis titulis distinguit gloria consors:
Convexo varia rutilant ceu sydera cælo.



SERMO SANCTI ODONIS ABBATIS CLUNIACENSIS, IN FESTO SANCTI MARTINI

Ex ms. Bigotiano.

ADMONITIO PRÆVIA



Equentem S. Odonis Turonensis sancti Martini canonici, & postea abbatis Cluniacensis Sermonem descripsi ex veteri manuscripto codice Bigotiano, in quo & alius ejusdem sancti jam editus in bibliotheca Patrum Sermo habebatur, cum hac epigraphe, sanctæ & egregiæ recordationis Odonis Sermo nuper orante Theotheloneo episcopo de adustione B. Martini Turonensis ecclesiæ editus incipit. *De Odone vero ejusque scriptis non est quod plura scribam, cum abunde sufficiant ea quæ hoc de argumento suppeditant Bibliothecæ Patrum, & Cluniacensis.*

SAcra hæc hodierna solemnitas, fratres carissimi, nobis est venerabiliter cum summa reverentia excolenda, in qua domnus noster B. MARTINUS coronam suæ præclarissimæ confessionis, licet quondam in Dominico die, tamen hodie nobis in cælis à Domino JESU-CHRISTO coronatus gratulatur. Congaudere debemus, fratres carissimi, solemniis sanctorum, sed præcipue primati confessorum, de quo canimus: *Cui Dominus post apostolos tantam gratiam conferre dignatus est, ut in virtute Trinitatis deificæ, mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus.* Dicit enim B. Paulus de talibus: *Quos præscivit hos & prædestinavit; quos autem prædistinavit hos & vocavit; & quos vocavit, illos & justificavit; quos autem justificavit, eos & magnificavit.* Nec enim S. Martinus de tam longinqua regione, id est de Pannonia ad nos usque veniret, si à Domino JESU CHRISTO electus non fuisset: nec Juliani imperatoris contemneret jussionem & parentum voluntatem, si à Deo nobis non fuisset prædestinatus. Nec tantus honor regius & dulcedo nobilium parentum illi fuisset exsecrabilis, si à Deo non


[Margin: S. Martinus primas confessorum.]
[Margin: Rom. 8. 30.]

fuisset vocatus & nobis prælectus & pius intercessor condonatus. Magna nobis, carissimi fratres, consolatio. Tam magnum præmium nobis datum consideramus, sed negligentiam torporis & ignaviæ nostræ pertimescimus. Talentum ergo magnum, & inæstimabile sacramentum, nobis & vobis in ipso concessum est: quod commodatum veraciter apud idoneos proficere potest, apud negligentes deperire non potest. Aliis cum multiplici gratia restituetur, ab aliis cum pœnarum usura requiretur. Christus enim talentum, quod commodat, cum usura requirit; & solventi gratiam rependit, non solventem pœnis deputat, & ignibus, suppliciisque æternis. Hoc talentum, fratres carissimi, nos prædicatione nostra pectoribus vestris vice egregii Patris Domni MARTINI commodamus, ut lucrum aliquod salutis vestræ Deo assignemus. Rationem reddituri sumus qualiter aut prædicatio nostra vobis proficiat, & obedientia in animabus vestris Deo fructificet. Volo enim vos pro certo scire, quoniam dum concupiscentiis blandientibus caro enerviter subjugatur, jam vitiorum exercitus adversus animam fortiter armatur. Omnes quoque catholicos admonet Christi Ecclesia, ut eo minus terrenis rebus animum subponant, quo se patriam in cælis habere meminerint. Namque hoc distare solet inter electos & reprobos, quod electi peregrini nunc & exsules patriam expectant in futuro, tantoque minus gaudiis delectantur caducis, quanto se Patriam in cælis habere desideraverint. At contra reprobi hic habent patriam & gaudium miserabile, & ducunt in delectationibus iniquis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, sicut scriptum est, qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum. Quorum vermis non morietur & ignis non extinguetur. In cujuscumque aure hæc vox pervenerit, aut beatus erit de devotione emendationis, aut reus de contemtu annunciationis. Loquimur enim beatitudinem credentibus; contestamur judicium criminosis, quoniam hodie sumus, & quid futura pariat dies ignoramus. Ergo dum tempus habemus operemur bonum, nec adjiciamus peccatum super peccatum, quoniam non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Perversæ namque cogitationes separant à Deo, quantò magis perversa opera? Si de verbis otiosis reddituri sumus rationem in die judicii, quid erit de perversis operibus? Et si judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, quale judicium erit illi qui fecit negligentiam? Carissimi Patres & Fratres; in quantum justi, Patres; in quantum peccatores, Socii & Fratres, admonendo & obsecrando dico, ne obduremus corda nostra; quoniam nec scientia, nec oratio, neque thesauri proderunt propinquantibus in infernum; quia nec ibi habetur aliqua vel ulla redemtio. Quid ergo in judicio dicturi erimus in præsentia illius qui seipsum virgis cædi voluit, sputa, spineam coronam pati, colaphis cœdi, cruci affigi, non solum pro nobis, sed etiam pro criminibus & sceleribus nostris traditus, à quibus peccatis abluit in baptismate in pœnitentia per ipsum totiens & quotiens reiterando idem ipsi peccatores semper manemus? Si quidem dicamus cum Apostolo, & cum frequenti lamentatione dicamus assidue: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per* JESUM CHRISTUM. Memores enim esse debemus voluntatem non nostram, sed Dei facere debere: quia qui fecerit ejus voluntatem, manet in æternum. Quapropter, fratres carissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, caritate perfecta, parati ad omnem voluntatem Dei simus, conservantes fortiter jussa dominica, in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ severitate censuram, ne ad exemplum bonorum factorum aliquid desit in nobis, Præstante Domino nostro JESU CHRISTO, qui cum Deo Patre vivit & regna in sæcula sæculorum. Amen.

Inter electos & reprobos quæ differentia.

Rom. 7. 24





SERMO SANCTI ODILONIS ABBATIS

DE NATIVITATE BEATÆ MARIÆ.

Ex mſ. Silviniacenſi.

ADMONITIO PRÆVIA.

In ſequentes Sermones ſancti Odilonis.

DUos hic habes S. Odilonis Sermones, unum de nativitate B. Mariæ ex mſ. codice Silviniacenſis monaſterii, in quo obiit; alterum de S. Cruce ex mſ. Cluniacenſi. Fuit autem Odilo nobilis Arvernus, ex equeſtri ordine, de genere Mercoriorum, qui anno 991. *factus monachus Cluniacenſis, quarto poſt anno, id eſt* 994. *Mayolo abbati defuncto ſubrogatur, rexitque monaſterium Cluniacenſe ad annum* 1049. *quo ad ſuperos evolavit. De eo ejuſque operibus plura in Bibliotheca Cluniacenſi & apud Mabillonium ſæculo VI. Benedictino & in Annalibus tomo quarto.*

SIt igitur nobis tamquam in imagine deſcripta virginitas, vita Mariæ, è qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quod tenere debeatis oſtendunt. Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei matre? quid ſplendidius ea quam ſplendor elegit? quid caſtius ea quæ corpus ſine corporis contagione generavit? nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu, ſincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi partior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in parte pauperis ſpem reponens, intenta operi, verecunda ſermoni, arbitrium mentis non hominum, ſed Deum quæreret. Nulli lædere, bene velle omnibus, aſſurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit à propinquis? quando faſtidivit inopem? eos A ſolos ſolita cætus virorum inviſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non geſtu fractior, non inceſſu ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac primo prætendat ingreſſu, nihil intus latere tenebrarum, ut mens noſtra nullis repagulis corporalibus impedita, tamquam lucernæ lux intus poſita foris luceat. Quid ergo exſequar, ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam, alterum B ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum pene ipſi naturæ defuiſſe. Illic nulla intermiſſa fuiſſe tempora, hic congeminatos jejuniorum dies, & ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque habitus, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret, dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit. Et tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus: quæ frequenter inſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda pronunciat, prodire domo neſcia, niſi cum ad eccleſiam conveniret. Et

hoc ipsum cum parentibus aut propinquis domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen custode quam seipsa, quæ incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedum tolleret, quam gradum virtutis attolleret, & tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat custodem ipsam. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat quæ virtutis magistras habet: quia quicquid egerit, disciplina est. Sic MARIA intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur. Sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret quàm doceret. Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus reperit, talem Spiritus-sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? ut eam parentes dilexerint, extranei prædicarint, quæ digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur. Hæc ad ipsos ingressus angeli inventa domo in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, neque obstreperet. Neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat, quin etiam sibi minus sola videbatur cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent? tot archangeli, tot prophetæ? denique & Gabriel eam ubi revisere solebat invenit, & Angelum MARIA quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit: ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo, ut agnoscas aures religiosas; oculos verecundos. Denique salutata obmutuit & appellata respondit. Sed quæ primò turbaverat affectum, postea promisit obsequium. Quam vero religiosa in propinquas fuerat scriptura divina significat. Nam & humilior facta est, ubi à Deo se cognovit electam, & statim ad cognatam suam ad montana processit. Non utique ut exemplo crederet quæ jam crediderat oraculo. Beata enim, inquit, quæ credidisti, & tribus mensibus cum ea mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exiliens puer matrem Domini .... *cetera desunt.*

SERMO EJUSDEM DE SANCTA CRUCE.

Ex ms. Cluniacensi.

POst illum singularem, & admirabilem, & toto mundo prædicabilem, & salutarem Dominicæ passionis triumphum, & ejusdem Domini nostri resurrectionis gloriam, & sacrosancta festa paschalia, dignissimè satis & convenienter illa dies recolitur celeberrima, in qua Dominicæ passionis ad honorem & gloriam nominis Dei & ad salutem generis humani reperiuntur insignia; crux videlicet, in qua nostræ salutis Auctor pependit, & clavi quibus confixum est illud sacratissimum corpus, quod ex intemerata Virgine assumere dignatus est Dei Filius ante omnia tempora sæcularia ab ipso Deo Patre ineffabiliter genitus. Merito igitur celeberrimè recolit totius Ecclesiæ fidelis familia per diversa annorum spatia salutaris patibuli inventionem & exaltationem, quia per crucem didicit destructum mortis imperium, per crucem se recolit evasisse perpetuæ mortis interitum, & per crucem se gaudet invenisse æternæ vitæ subsidium. Cùm enim Dominicæ & victoriosissimæ crucis celebratur inventio, manifestissimè Domini crucifixi recolitur resurrectio; & cùm ejusdem crucis exaltatio colitur, in ea crucifixus Dominus JESUS CHRISTUS ad cælos ascendisse dignoscitur. Ad confirmanda hujus rei magnalia, quædam in scripturis paria inveniuntur præconia, ut cùm similia junguntur similibus, in his quæ dicuntur de Deo nullus inveniatur incredulus. Mulier serpentino delusa mendacio mortem propinavit viro, immo etiam omni generi humano: mulierum sanctarum humilis devotio, angelico asserente sermone veridico, Dominum resurrexisse apostolico nuntiavit collegio. Audistis hominem inobedientem per ligni gustum à paradiso expulsum: Audistis latronem confitentem per humilem confessionem in paradisum inductum. Lasciva femina divortium male suadendo insinuavit viam ad inferos: integra Virgo iter rectum direxit ad superos. Mulier corrupta suæ propagini mortem intulit. Virgo intemerata humano generi vitam perpetuam contulit. Maria Magdalena quondam peccatrix de ejusdem resurrectione gaudium attulit: Helena imperatrix de inventione crucis & ceterorum insignium Dominicæ passionis gaudium & lætitiam ostendit præsentibus & superventuris fidelium populis. MARIA genitrix Domini tempore quo patiebatur unigenitus Filius ejus Dominus ante crucem stabat, & piis oculis, ut doctor catholicus scribit Ambrosius, expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem, quam etiam ille vir Sedulius poëta evangelicus asserit circa Domini sepulturam plus ceteris mulieribus fuisse sollicitam: Helena verò ècontra Princeps Romani imperii ad inquirenda & reperienda dominici corporis supplicia & nostræ salutis insignia, solerter & studiosissimè insistebat, & pio affectu & sincero effectu votis omnibus laborabat, ut invenire posset quod quærebat; & inventum ad honorem & gloriam Domini honorare gestiebat. Ad quod negotium peragendum adjutorem habebat strenuissimum filium suum Romani imperii principem Constantinum, qui primus inter sæculi principes cum consilio & studio matris supradictæ & sæpedicendæ Helenæ, libertatem & privilegium Romanæ concessit Ecclesiæ. Inde cœpit prædicari publicè, Domino annuente, & supradicto principe faciente, nullo contradicente, honor & virtus Christi, fides & victoria Domini crucifixi per spatia cuncta mundi quousque tendebat potestas Romani imperii, & non dicam usque ad terminos Romani imperii, sed quousque prædicatur majestas divini & incarnati Verbi, & auctoritas mundi salutaris sancti Evangelii, quæ viva & libera vo-

cc

ce intonat honorem & gloriam crucis & actus & mirabilia Domini crucifixi. Quid nos miseri ad laudem crucis dicere tentamus, & quid indocti fari præsumimus, qui tanta ac talia à majoribus & melioribus nostris quotidie dicta cognoscimus? ut & notum & angelis & hominibus, & omnium fidelium firmissimè credi prædicabat & novi fidelis prudentia. Dei Filius misericorditer hominem ex Virgine dignatus est suscipere, homo factus, hominibus voluit apparere, & per ipsum hominem quem suscepit, genus humanum à perpetuæ mortis interitu voluit liberare, & de tenebris ad lucem, de morte ad vitam reducere, & scivit sicut omnia scit, quia non posset corrigi priorum parentum præsumtio, nisi humanitatem nostram susciperet divina dignatio; sed semper regnaret in mundo, ut diximus, priorum parentum superba temeritas, nec culpa solveretur quæ mundo creverat per inlicitum ligni gustum, nisi Christus in ligno crucis pendens sanguine suo deleret mortalis præscriptionis chirographum. Necesse est, fratres carissimi, ut qui se gaudet redemtum Christi sanguine pretioso, studeat se munire dominicæ crucis signaculo, & ut B. Hieronymus imperat, ad omnem actum, ad omnem incessum contra omne periculum manus pingat crucem, sicut omnes faciunt qui per crucis mysterium se Deo fideliter dedicant. Et in alio loco idem orator facundissimus in laudem crucis luculenter perorat vexilla militum, & purpuras regum, & diademata Cæsarum supplicii salutaris pictura condecorat. Omnis qui se à tempore Dominicæ passionis pati vel mori pro Christo disposuit, per crucis supplicium ad Christum pervenire optavit. Petrus per crucis martyrium optabat pervenire ad Christum. Idcirco Christus illi prædixit qualiter ad regnum pervenire debuit: *Cùm esses junior cingebas te*, inquit, *& ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas.* In extensione manuum significavit eum adepturum, ut desiderabat, crucis patibulum. Andreas fideliter prædicavit crucis mysterium, & per crucis supplicium pervenit ad triumphum. Paulus verò si non est crucifixus corpore, crucem Domini gemino affectu, ut beatus Papa Gregorius docet, corde gestabat & corpore, qui dicebat: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri* JESU CHRISTI, qui etiam se ideo gaudebat pervenisse ad scientiæ & sapientiæ cumulum, cùm gloriabatur nihil se scire nisi JESUM CHRISTUM & hunc crucifixum. Quicquid enim pro Christo quis patitur ad exemplum dominicæ passionis, causa honoris & gloriæ eadem passio cruciatus vocatur. Illa mulier de libro Regnorum, quæ prophetante Helia ad speciem crucis duo studuit ligna colligere, ut divinarum litterarum tractatores volunt, figuram præferebat Ecclesiæ. Duo enim ligna à muliere jam dicta collecta ad figuram crucis à patribus, ut diximus, sunt spiritualiter intellecta. Ad hujus igitur crucis sacro-sancta mysteria spiritualiter intelligenda, illos alloquitur, &

Gal. 6. 14.

alloquendo admonet Pauli optabilis illa sententia, quibus inerat & inest amor & studium & honor & gloria sub ejus consistere disciplina, & ejus desiderant percipere saluberrima monita: *Det vobis*, inquit, *Dominus Deus secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*, secundùm apostoli dictum ad crucis Dominicæ credimus pertinere mysterium. Latitudinem crucis à summitate unius usque ad summitatem brachii alterius, ut reor, sine periculo simplicis intelligentiæ intelligere possumus. Altitudinem namque à crucis crepidine usque ad lignum in transverso positum dicimus secundùm majorum seniorum fidele documentum. Profunditas verò est ultima pars crucis, quæ in terris defixa non potest videri luce corporea. Sublimitatem credimus esse excellentiam summæ & principalis virtutis, quæ est fides in Deo & de Deo, sine cujus sinceritate & integritate impossibile est ei placere. Aliter in latitudine bona opera caritatis, in longitudine perseverantiam usque in finem, in altitudine spem cælestium præmiorum, in profundo inscrutabilia judicia Dei possumus intelligere, ut patrum refert fidelis & amplissimè opinata relatio. Imperante Helena Augusta cum augustissimo ejus filio Constantino, crux inventa prædicatur & creditur, & regnante Eracleo victoriosissimo rege & christianissimo principe ejusdem Dominicæ adoratur & colitur triumphalis & celebris exaltatio. Nos quid sumus qui aliquid ad laudem crucis imperiti scientia, indocti sapientia, lingua balbutiente, vel parum præsumimus dicere? Quot & quanti & quales illi fuerunt qui de tam grandi re granditer dicere potuerunt? ad enarranda eorum merita & studia non sufficit nostræ parvitatis ignavia, neque eorum numerositatem nobilium dictionum, ignorantia obsistente, tenuitas nostræ memoriæ valet etiam quæ dicunt ad plenum agnoscere. Omnes etiam catholici doctores ecclesiæ studuerunt de mysterio crucis & passionis Dominicæ quantum necesse tunc fuit edicere, alii occultius, alii manifestius, alii diffusius. Inter quos Johannes Chrysostomus loquutus est multo ceteris abundantius. Multo post illum tempore eluxit quidam monachus, post monachum Maguntinæ civitatis episcopus nomine Rabanus sæculari scientia affatim eruditus, fide catholicus, speciali scientia ad plenum edoctus. Hic tale de laude crucis orditus est opus & texuit, & texendo perfecit, quo pretiosius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, nec laboriosius ad scribendum potest inveniri, nec poterit. Placuit beatissimi Johannis cognomento Chrysostomi, regiæ civitatis nobilissimi patriarchæ sententiam de laude crucis huic exiguæ declamatiunculæ integram inserere, eo tenore, ut quod nostra non potuit dignè enarrare rus-

Eph. 3. 16.

ticitas, ejus nobilitet simplex & sublimis auctoritas. Scripsit enim aliquando jam dictus vir sententiam de cruce Dominica, in qua alloquutus est quemdam suum amicum dicens inter cetera : » Et si nosce desideras, carissime, » virtutem crucis, & quanta, ut possum, ad » ejus laudem dicere, audi: Crux est spes christianorum, crux resurrectio mortuorum, crux » cæcorum dux, crux desperatorum via, crux » claudorum baculus, crux destructio superborum, crux consolatio pauperum, crux refrænatio divitum, crux male viventium pœna, » crux adversus dæmones triumphus, crux devictio diaboli, crux adolescentium pædagogus, crux sustentatio inopum, crux spes desperatorum, crux navigantium gubernator, » crux periclitantium portus, crux obsessorum » murus, crux pater orphanorum, crux defensor viduarum, crux justorum consiliarius, » crux tribulatorum requies, crux parvulorum » custos, crux virorum caput, crux senum finis, » crux lumen in tenebris sedentium, crux regum magnificentia, crux scutum perpetuum, « crux insensatorum sapientia, crux libertas servorum, crux imperatorum philosophia, crux « lex impiorum, crux prophetarum præconatio, « crux adnunciatio apostolorum, crux martyrum « gloriatio, crux monachorum abstinentia, crux « virginum castitas, crux gaudium sacerdotum, « crux ecclesiæ fundamentum, crux orbis terræ « cautela, crux templorum destructio, crux idolorum repulsio, crux scandalum Judæorum, « crux perditio impiorum, crux invalidorum « virtus, crux ægrotantium medicus, crux « emundatio leprosorum, crux paralyticorum « requies, crux esurientium panis, crux sitientium fons, crux nudorum protectio. « Sit nobis via, vita, salus Christus crucifixus, qui nos semper salvet, qui sæcula cuncta gubernet. Sit crux nostrorum omnium virtus & refugium, auxiliante eo qui pro salute hominum tulit crucis supplicium, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.





HUMBERTI CARDINALIS, LIBRI III ADVERSUS SIMONIACOS.

Ex Bibliotheca Laurentiana.

ADMONITIO PRÆVIA.



Ostquam simoniam cum ipso parente suo Simone mago spirituali jaculo confodit princeps apostolorum; tam horrendi monstri ne nomen quidem apud christianos audiri deberet: Verum ea est ejus malitia, ut quamvis nihil eo in ecclesia perniciosius, nihil tamen in ea eo frequentius: adeo ut cum ipsa natum, non nisi ea deficiente defecturum videatur. Verum licet omni tempore prævaluerit, nec ullis umquam sanctorum doctorum prædicationibus aut scriptis, nullis episcoporum censuris, nullis conciliorum decretis compesci potuerit: sæculo tamen undecimo adeo grassata est immanis illa pestis, ut pene universum orbem infecisse diceres. Tunc adversus eam insurrexerunt auctoritate Apostolica summi pontifices Leo papa IX. Gregorius VII. Urbanus II. scriptis suis Petrus Damiani & Humbertus Cardinalis; factis ac miraculis Petrus Ignitus & Johannes Galbertus, omnes Ordinis nostri, nec incasso sane labore.

Ut autem de Humberto cardinali, cujus libros tres adversus Simoniacos hic damus, aliquid dicamus. Is in Lotharingia natus, sub monachali habitu adhuc puer Hardulfo abbati oblatus in Mediano Tullensis diocesis monasterio, vix adolescentiæ annos attigit, cum omnem vitæ religiosæ perfectionem est assecutus. Tunc humanioribus litteris informatus, brevi omni scientiarum genere imbutus, cum doctrinam cum pietate conjungeret, artemque musicam apprime calleret, Brunonis Tullensis episcopi sanctissimi, qui ea delectabatur, amicitiam & gratiam adeo sibi devinxit, ut factus summus pontifex Leo nonus, Humbertum secum in Italiam duxerit, atque eo adjutore in præcipuis ac magis arduis Ecclesiæ negotiis usus sit. Qua in re, inquit cardinalis Baron. ad annum 1049. *Baronius*, debuit plurimum Ecclesia Romana Leoni, qui tantum virum otiosum fortasse in Lotharingia commorantem, his opportune temporibus in orbis theatrum pro universa ecclesia catholica constituit laborantem. *Statim autem atque Romam pervenit Leo, Humbertum fecit archiepiscopum Siciliensem, nec multo post car-*

dinalem creatum & episcopum Silvæ-candidæ propugnatorem habuit adversus ecclesiæ hostes, legatumque misit Constantinopolim ad compescendum Græcorum schisma, adversus quos disputationem habuit de azymo & fermentato, quam jussu imperatoris Constantini Monomachi in scriptis reductam ex ms. Vaticano publici juris fecit Cæsar Baronius, cum Responsione ejusdem ad objecta Nicetæ Pectorati. Ceterum Humbertum cardinalem ita commendat Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus in Commentario adversus Berengarium : Humbertum virum fuisse religiosum, fide christiana & sanctissimis operibus perseverantissime decoratum; scientia divinarum ac sæcularium litterarum apprime eruditum, testantur omnes, qui vel propria experientia eum noverunt, vel ab aliis qui ipsum experti sunt, ejus cognitionem acceperunt. Hunc non de Burgundia, sed de Lotharingia S. Leo Romam traduxit, & ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinavit. Postea vero sancta Romana Ecclesia præsulem sibi cardinalem constituit. Quo in loco positus taliter vixit, taliter docuit, ut de fide vel doctrina ejus, nec saltem sinistræ suspicionis fama aliquando exorta sit. Hujus rei testis est tota fere Latinitas, quæ pro excellentia apostolicæ sedis, cujus conciliis & consiliis semper aderat & præerat, eum ignorare non potuit. *Huic Lanfranci testimonio suffragantur Trithemius & Bellarminus aliique scriptores posteriores.*

Porro præter commemorata Humberti opuscula & alia edita ab erudito viro Henrico Canisio in tomo sexto antiquarum Lectionum, tres adversus Simoniacos conscripsit libros, in quibus legationis suæ Constantinopolitanæ mentionem facit. His conscribendis occasionem præbuisse videtur Spinosulus quidam qui Simoniacorum ordinationes approbabat, quas è contrario impugnabat Humbertus. Id saltem conjicimus ex his Humberti lib. 1. cap. 7. verbis : Unde se quoque nolente, Spinosulus iste suæ perversæ intentionis initium, progressionem & finem procedente disputatione noscitur jam revelare, & velut implicitus ericius caput suum & pedes caudamque accedente aqua cogitur explicare. Constat enim eum pertinaciter defendere ab hæreticis & specialiter à Simoniacis ordinatos : quia in Catholica sicut in superioribus abunde monstratur, semel acceptus ordo non iteratur. Laborat quoque variis, sed vanis argumentis astruere quod à Simoniacis, ut dicitur, ordinati sine pœnitentia & manus impositione debent in clero catholico haberi, & in eo permanere; ut puta quibus nihil desit in nulla gratia. Nos vero sufficientibus SS. Patrum superius comprobavimus testimoniis, Simoniacos hæreticos pejores esse pessimis Arianis, &c. *Quis autem sit ille Spinosulus, quem unicum his in libris nominatim impugnat, necdum rescire potui.*

Tempus vero quo fœtum hunc edidit Humbertus, colligimus ex libro 3. cap. 7. ubi in primis invehitur in Henricum Francorum regem, quòd Simoniacis plus æquo faveret, nec admonitus à Reverendæ memoriæ pontificibus Leone & Victore corrigi voluerit. Hinc colliges Humbertum ante annum millesimum sexagesimum quo Henricus rex vivere desiit, & post pontificatum Leonis & Victoris summorum pontificum, qui Stephanum X. habuere successorem anno millesimo quinquagesimo septimo scripsisse.

Porro hos libros ex Laurentiana Bibliotheca eruit Mabillonius, mihique edendos majoribus occupatus concessit noster Renatus Massuetus laborum illius hæres & studiorum successor. Codex ex quo descripti sunt auctoris ævo exaratus, adeo ut autographum ipsum censeri posse videatur, ceteroquin optimæ notæ.



INCIPIT PRÆFATIO HUMBERTI CARDINALIS,

Episcopi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in reponsione sua contra Simoniacos.

NE sibi sapiens videatur, respondere A stulto cogimur, qui titulo frontis tractus, immo latratus sui eraso, nomineque suppresso, impudenter persuadere conatur, non separandum a vili pretiosum, nec aliquid differre sanctum & prophanum, mundum & immundum. Et quandoquidem inter lepram & lepram lex divina nonnullam facit distantiam; hic prodigiosus tergiversator & dæmoniosus argumentator, velut alter Jovinianus & redivivus Stoïcus, unam eamdemque catholicis & hæreticis contendit inesse & cooperari gratiam; nihilque referre, utrum extra an intra catholicam Ecclesiam B contingat fieri aut haberi quorumlibet sacramentorum Christi administrationem: cum intra vel extra eam indifferenter & æqualiter operari censeat Spiritus-sancti plenitudinem: nec posse aliquid conferri ad Catholicam reversis, nec auferri ab ipsa aversis. Quodlibet ergo sit acerrimus iste conjector, inimicus tamen Dei esse convincitur, etiamsi in aliquibus ejus videatur defensor: quia secundum Apostolum, habet quidem speciem pietatis; virtutem autem ejus abnegat, æstimans quæstum esse pietatem. Qui etsi quædam recte aliquando offerat, in eo tamen quod C non recte dividit peccat, Caina maledictione & sententia percellendus, & à facie terræ, videlicet catholicæ Ecclesiæ, projiciendus. Siquidem ad suam & multorum pusillorum Christi perditionem, sanctas scripturas, sanctorumque Patrum rectas sententias contorquendo depravat: aliquas quidem decurtat; aliquas autem sua dicendo prolongat. Tandemque violenter intenso arcu paravit sagittas suas in pharetra, ut sagittet in obscuro rectos corde. Et quod adhuc est deterius, arrogantia scientiæ, seu qualiscumque continentiæ suæ elatus & cæcatus, zelum quidem D Dei, ut putatur, habens, sed non secundum scientiam, se obsequium præstare Deo arbitratur, si velut cancer pestiferis sermonibus serpendo inficiat, corrumpat, & à castitate, quæ est in Christo, simplicium fratrum sensus abscidat. Nempe derelicto fonte aquæ vivæ, fodit sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas: nec curat de puteis quos foderunt pueri Jsaac aquam vivam efferre, sed eis potius lutum inferre. Et velut mulier illa Proverbiorum garrula & vaga, quietis impatiens, stulta & clamosa, plenaque illecebris, nihil omnino sciens, nec valens in domo consistere pedibus, & per omnia veri panis inops, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians; nunc sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocet transeuntes per viam & pergentes itinere suo. Quis est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est, Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Et ignorabunt quod gigantes ibi sunt, & in profundis inferni convivæ ejus. A cujus fornicariæ delubro, immo volutabro pertinacique procacitate & procaci pertinacia nil est quo aptius & cautius nostros parvulos deterreamus & revocemus, quam his in utero sanctificati Hieremiæ invectionibus seu increpationibus: *Nunc quid tibi vis in via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? quid tibi in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Et vasis electionis beati Pauli talibus dissuasionibus: *Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Et, *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli! Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Has igitur promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* In quibus sane Apostoli verbis, etsi conjugium & copulam carnalem luce clarius monemur separatum iri ab infidelibus; multo magis spiritualem: nec immundum tangere, ut Deo nostro exhibeamus nosmetipsos gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, ut ipse in nobis inhabitet, & ipse nos recipiat, perficiens sanctificationem nostram. Porro infideles cum audis, non solum paganos intellige, sed & hæreticos, quos pejores paganis, & beatus Hieronymus omnisque sanctorum doctorum chorus protestatur: quia in paganis spes est adhuc fidei; in hæreticis

Jer. 2. 18.

1 Cor. 10. 21.

2. Cor. 6. 14.

Hæretici paganis pejores.

autem jam pugna discordiæ. Hæreticus autem A est, qui à fide catholica dissentit, credens & defendens quod non est credendum, sive de Deo, sive de creaturis ejus. Nec tamen quis continuo hæreticus habendus est, ubi quid contra fidem senserit: sed ubi obstinate & irrationabiliter sensa sua vel opiniones defenderit. Et ideò mox devitandus, ut idem ait Apostolus: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem vita. Subversus est enim qui ejusmodi est, & delinquit proprio judicio condemnatus.* Quod si cum tali abominatione & tam repentina animadversione damnandus & abjiciendus est hæreticus, defensor ejus B quid meretur? Qui enim aliorum errorem defendit, multo est damnabilior & notabilior illis: quia non solum ipse errat, sed aliis offendicula erroris præparat & confirmat. Unde quia magister erroris, non tantum hæreticus, sed hæresiarcha quoque qui ejusmodi est recte dicitur, utpote in errore primus.

Tit. 3. 10.

Viderint itaque Simoniacorum utique discipulorum vel sequacium Simonis magi, scilicet primi post revelatam gratiam hæretici, pertinaciter defensores, quoto gradu, aut quo nomine habendi sint inter fideles. At nunc jam Spiritus alme veni, nostræque adjungere C voci. Correptionem, &, si fieri potest, correctionem adhibe simoniacæ vesaniæ in te verbum dicenti, & te blasphemanti, & per me tuum subjugale mutum secundum omnipotentiam tuam in hominis voce de cælo loquens, prohibe pseudoprophetarum insipientiam, qui volentes esse legis doctores, non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Defende, ô liberrime omnium Deus, & Domine coæqualis per omnia, atque coæterne Deo Patri & Filio, tuam singularem libertatem à sacrilegis negotiatoribus, à Simonis Samardaci pecuniosis hæredibus: ne D contra sententiam magni Simonis Petri in ipsis quoque christianissimis primordiis datam, inducantur in tam perniciosum errorem parvuli & simplices tui, ut aliquatenus credant vel (quod tolerabilius putatur) æstiment, te summum & incomparabile Dei donum pecunia possideri (quod dictu etiam scelus est) tamquam servum emtitium, aut venale jumentum, servile mancipium. Et quorsum accidet illa nostra libertas, de qua & ipsi per te jam præsumimus in spem, & gloriamur in libertate filiorum Dei, Apostolo prætonante: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Et quotquot* E *Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*, si ipse nummulariis & servis mammonæ servus addictus es, & tu columba necessitate, aut voluntate te ipsam laniandam milvis præbes? Quod si ad tam nequam servorum & pessimorum mercatorum nutum sanctificandis creaturis illaberis aut infunderis, dicendum est te aut timore talium dominorum velut offensis emtionis tuæ instrumentis & chartis, ad id violenter cogi, aut certe concordissimum, & unanimem perversis dominis effectum amore, & reverentia quadam pecuniæ delectabiliter

2. Cor. 3.

trahi, & sic gratia jam non est gratia, quia non gratis accepta. Si ergo timore cogeris omnipotentia tua & libertas perit: quia jam non spiras ubi & quando vis. Si autem amore traheris, jam non beati, sed miseri pauperes spiritu: quoniam tu pecuniæ pertinax sectator deprehenderis, quam contemni & dispergi sine aliqua futura retributione falso præcipis. Sed absit tale aliquid vel leviter suspicari de te, ô inviolabilis & inreprehensibilis veritatis verax Spiritus, quem dedit nobis Deus fidei & spei pignus, ut pecuniæ pignore obligatus simoniacis non Dominus dominorum, sed jam tertio gradu inferius, aut etiam millesimo servus pessimorum servorum pejoris domini, mammonæ scilicet, prædiceris. Unde jam nunc blasphemantium te & indebitum sibi sacerdotium vendicare præsumentium dicta dictis refellamus obviis prægrediente igne tuo, & temerarios comburente, ac demum igne eorum alieno huc illucque disperso, ænea thuribula, ut puta mortibus peccatorum sanctificata, in laminas producantur & altari Domini affigantur: quatenus ex ipsorum sermonibus, vocalibus quidem sed obscuris eloquia domini casta quasi argentum & aurum ex comparatione ejus notiora fiant, clariusque & evidentius innotescant. *Oportet enim hæreses esse*, ait Apostolus, *ut probati manifesti fiant in vobis.* 1 Cor. 11. 19.

INCIPIUNT CAPITULA

In librum HUMBERTI CARDINALIS episcopi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in responsione sua contra Simoniacos.

Expliciuntur capitula libri primi Antisimoniaci.



INCIPITUR LIBELLUS PRIMUS,

Contra hæreticos & maxime Simoniacos, instar dialogi sub nomine Corruptoris & Correptoris, editus ab Humberto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali episcopo.

CAPUT I.

CORREPTOR.

IN ipso controversiæ suæ vestibulo, præfixis aliquot ad defensionem sui suorumque capitulis, quasi quibusdam muscipulis aptatis aut cassibus, ad illaqueandum incautos prætensis, subversus subversor atque seductus seductor, tandem violentus ab insidiarum cuniculis emergit; atque in hæc argumenta ad suffocandum irretitos repente erumpit.

CORRUPTOR.

» HIs ergo relectis capitulis, ô justitiæ dilec-
» tores, liquidius audistis quod à pseudo-
» episcopis ordinatio facta posset rata consistere.

CORREPTOR.

VEneficorum est mortiferi poculi ora aliquantulo melle imbuere, ut prægustata dulcedo incunctanter faciat absorberi quicquid superest letale. Quod iste calumniator fecisse arguitur, ubi ordiens tendiculas capitulorum, quæ quaquaversum emendicando, & suæ disputationis foribus præfigendo corruperat, infit:

CORRUPTOR.

» ABhinc præclara sequuntur testimonia qui-
» bus Papæ Formosi ordinatio rata & le- A gitima esse monstratur.

CORREPTOR.

HAnc sententiolam suam, ut ei maximum conciliaret favorem, & omnibus efficeret reverendam, vel ex maximè & primo synodi auctoritate falso prætitulavit ex concilio Nicæno.

In qua utique præsumtione qualis habetur in subsequentibus innotuit, qui ipsam suæ narrationis januam mendacio, quin potius sacrilegio, polluit. Neque enim capitulum illud B primum, aut versiculus in toto Nicæno vel in aliquo post ipsum concilio invenitur: nec de papæ Formosi ordinatione, utrum rata an irrita habenda sit, quicquam in Nicæno, vel in aliquo post ipsum concilio tractatur, aut monstratur, cum etiam vel leviter tale quid suspicari infinitæ stultitiæ reputetur. Nam inter Nicænam synodum & papam Formosum quingenti & amplius anni inveniuntur: ut puta inter maximum Constantinum & Imperatorem Arnulfum, cujus adjutorio Formosus Romanum prævaluit retinere Pontificatum. Porrò Arnulfus à Carolo Magno Imperatore C computatur sextus, aut septimus. Quod si capitulum illud idcirco ex concilio Nicæno putavit prætitulandum, quia aliquot capitula eorum quæ subjunxit, ex illo concilio sint; vel admonitus cognoscat nullum inibi se subjecisse præter solum de Catharis capitulum. Hinc ergo apparet quantus sit calumniator, qui victus errore, mentiendo quoque contra maximum & omni mundo notissimum venerabileque concilium impudenter laborat apparere victor. Sed jam dicta illius eventilando discernantur.

D

CAPUT II.

PRæmisso Leonis Papæ beati, & magni doctoris capitulo, errorem suum corroborare conatur ex eo, quasi de Simoniacis, aut certe de aliis hæreticis aliquis illic ei fuerit sermo, & non potius de catholicis, si quos forte præpositi Ecclesiæ ignorantia seu præsumtione, vel necessitate non secundum subtilitatem canonum consecrant; aut consecrarint aliquando. Fieri enim potuit, & poterit, ut aut unum, vel duo, aut simul hæc E tria capitula consecratis desint. Id est ut nec à clericis sint electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati; quibus tamen consecratio non deest; quia sine pecuniaria venalitate facta est, quamvis ex tribus supradictis capitulis vaga & instabilis fluctuet & aberret. Alioquin si nulla in eis esset episcopi consecratio, nulla eorum omnino esset ordinatio: quamvis clericos in ecclesiis, quæ ad proprios episcopos pertinebant, consueto judicio præsidentium, ut ita dicatur, ordinarent. Neque enim quælibet ecclesia, nec quodlibet ju-

dicium eidem præsidentium potuit, aut poterit aliquando efficere, ut aliquis possit alicui dare quod comprobatur ipse nullo modo habere, consecrationem ratam aliis ministrare oratione sua & operatione, quam sibi ipsi nullatenus potuit accipere, aut in se habere. Nonne laudabilior in hoc ordinatio laïci catholici haberetur quam cujuslibet hæretici episcopi, si solo judicio episcoporum ecclesiis præsidentium posset dare quam quod non habet? Nam laïcus noster, si necessitas postulat, in remissione peccatorum per Spiritum-sanctum baptizat, quod hæreticus quilibet etiamsi episcopus dicatur, nulli aliquando præstat. Quod ipse beatus Leo in aliis Decretalibus suis sic profitetur, ut ipsum quoque baptisma ab hæreticis in nomine sanctæ Trinitatis datum, formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute habere protestet. *Hi*, inquiens, *qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati ante non fuissent, sola Sancti Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumserunt.* Et hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo, *Unus Deus, una fides, unum baptisma*, cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed, ut diximus, sola sanctificatio Sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sacerdotibus consequatur. Liquet ergò ex his beatissimi Leonis dictis, baptisma hæreticorum formam tantum vel speciem veri baptismatis habere, & lavacrum sive ablutionem corporibus solummodo non etiam animabus præstare, quia sine sanctificationis virtute, aut Sancti Spiritus sanctificatione datur & accipitur, quod utique ab hæreticis nemo accipit vel consequitur. Si autem baptismum Domini JESU secundum Baptistæ sit testimonium in Spiritu-sancto, fit & egit, ut omnium remissio peccatorum ex illo valeat fieri, & vetus homo noster renovari; apparet baptisma hæreticorum quia sine Sancti Spiritus sanctificatione constat, nullam peccati remissionem, nullam veteris hominis renovationem, sed solam visibilem ablutionem operari. Quod certe non propter aliquam sanctitatem sui vel reverentiam catholici non iterare consenserunt, sed scandalum contentiosæ & ineptæ multitudinis prudenter devitantes, ut quocumque modo Christo plures reducerent, lavacrum eorum ex meliori utique parte imperfectum permiserunt esse ratum; sic tamen ut à Catholicis sacerdotibus per manuum impositionem, & Sancti Spiritus invocationem accipiant, quàm nullam hactenus habebant, sanctificationem in peccatorum emundationem atque vetustatis innovationem. Et ut manifestius animadvertamus quantæ imperfectionis judicentur vel habeantur; etiam post istam receptionem suam universali canone præfixum est, ut nemo talium promoveatur ad catholicorum clerum, & si de clero, qui apud hæreticos

Quid censendum sit de baptismo hæreticorum.

putatur existit, laïca tantum communione contentus sit, exceptis Catharis, quos solos sancta Nicæna synodus in clero suo inventos in Catholica esse permittit, nec tamen sine manus impositione, quamvis magnæ & mirabilis sint conscientiæ, nec in aliquo devient à catholicæ fidei confessione, & Apostolicæ Ecclesiæ unitate, nec in sola criminosorum, quam devitant exceptione & communione, licet eos jugiter admoneant facere fructus dignos pœnitentiæ, & solam indulgentiam quærere & exspectare.

CAPUT III.

Si ergo Cathari pro hoc minimo errore, immo pro hac nimium severa & minus discreta sententia sua computati sunt hæretici, cum in nullo alio dissentiant à veritate catholicæ fidei, nec sine manus impositione possent ad clerum catholicum admitti, potestne, aut poterit majorum, & pejorum hæreticorum ordinatio, aut, ut dicitur, consecratio rata haberi, quam revertentes Cathari sine manus impositione non possunt adipisci, vel retinere sibi, & ut expressius dicam, à Simoniacis ordinationes & consecrationes præsumtæ sine aliqua consideratione & retractatione in catholicam Ecclesiam suscipientur, quos pejores Arianis septima & universalis synodus in Epistola Patriarchæ Tarasii ad Adrianum Papam indubitanter diffinivit? Denique Ariani quamquam in hoc maxime errent, quod Filium minorem Patre, & creaturam esse asserunt; Spiritum quoque sanctum minorem Patre & Filio, atque creaturam: dum tamen utrumque dicunt, neutrumque eorum ulli omnino creaturæ, nisi Domino Patri Creatori visibilium omnium & invisibilium subjicere contendunt. At Simoniaci minime contenti tanto Arianorum sacrilegio, omnipotentem Spiritum-sanctum non tantum minorem Patre & Filio, seu subjectum soli Patri & Filio, sed etiam semetipsis inferiorem, atque sibimetipsis subditum, tamquam quodlibet venale, & vile mancipium credunt; ut velit nolit obediat voluntatibus & vocibus eorum, atque funiculis pecuniæ attractus, aut velut aureis eorum catenis alligatus, plenitudine suæ sanctificationis, & gratiæ sacrilegis ipsorum officiis, & exsecrandis consecrationibus administret, eorumque venalitati seu operationi cooperetur. Quod ut ad momentum æstimare intollerabilis est, & forte irremissibilis blasphemiæ, quia in Spiritum est peccare, aut certe verbum in eum dicere. Qua sola æstimatione Simon ille sectæ eorum primus auctor & signifer, à quo & ipsi agnominantur, irrecuperabiliter damnatus est. Qui utique quoquo modo posset excusari vel religionis novitate, vel ignorantia sub tanta Spiritus-sancti evidentia, qua scilicet delectatus, aut obstupefactus, tamquam adhuc rudis in baptismo, & novitius in fidei notitia, repente vel ut strenuus & impatiens morarum discipulus,

Simoniaci Arianis pejores.

discipulus, tam inæstimabile donum scientiæ ab efficacibus magistris æstimavit etiam cum summa pecuniæ expetendum sibi & accipiendum. Sed inexcusabilis extitit beatis apostolis Petro & Johanni: adeo ut ille mitissimus Petrus, & Bar-Jonæ, idem filius columbæ simplicissimus, & innocentissimus nulla mansuetudine reservata, nulla, ut rudibus assolet fieri modesta increpatione præmissa; nulla satisfactione requisita, nulla emendatione expectata, nulla admonitione ut deinceps tale quid attentare caveret adhibita, in miserrimum illum tanto zelo exarsit, tanta asperitate infremuit, ut non servato judicii ordine, prius data sententia irrevocabili, reum anathemate feriret dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem:* deinde omnem causam tantæ, & tam repentinæ damnationis innotesceret subjungens: *Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Mox qualemcumque spiritualis gratiæ portionem existimationi ejus denegans dicit: *Non est tibi pars neque sors in sermone isto*, scilicet in dono isto. Ac demum sic ejus nequitiam & cordis pravitatem exsecratus, vehementer redarguit: *Cor enim tuum non est rectum coram Domino, in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Tandemque ad pœnitentiam provocatum, incertum, & dubium ex tanta blasphemiæ remissione effecit, dicens: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Dominum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* In qua utique B. Petri ultima in Simonem sententia, nihil nisi cogitatio cordis redarguitur, sicut & in prima existimatio tantum condemnatur.

Act. 8. 20.

CAPUT IV.

Spiritus-sanctus per os Petri sententiam in Simonem magum dictavit.

Itaque luce clarius est omnibus sacri capitis, Petrum nimiæ patientiæ & rusticanæ simplicitatis virum, nequaquam suo instinctu & humana passione seu perturbatione commotum, tam repentinam tamque districtam dictasse sententiam, sed ipsum Spiritum-sanctum in Petro quasi in templo suo habitantem tantam non tulisse injuriam, blasphemiam, & contumeliam, penitusque indignatum, cujus jam iræ nemo resistere potest, atque, ut in Genesi metaphoricos legitur, tactum dolore cordis intrinsecus, & præcaventem in futuro animadversione detestabili & terribili contra avaritiam Magi, & sectatorum ejus impudentem & sua quærentem præsumtionem, venerabilis Petri defendisse, & vindicasse gratiæ suæ libertatem, quia putabatur pecunia posse redigi in servitutem. Porro vesanus ille tanto tonitru fulmineque verborum perterrefactus, Apostolorum intercessione à se tantam Dei indignationem amoveri quæsivit, dicens, *Rogate vos Dominum pro me, ut nihil veniat super me eorum quæ dixistis.* Quod tamen nullum super hoc ab eis meruit, nec tunc nec postea responsum, ut posteri discerent, quam enorme incurrisset præcipitium, cui nec ipsi sancti apostoli præsumserunt porrigere suæ intercessionis manum, justius arbitrati eum à sua communione abscissum irrevocabilem iræ Domini relinquendum, quia inexpiabile animadvertebant ejus piaculum. Quod si, ut Chrysostomus ait, ruina præcedentium admonitio debet esse sequentium, considerare debemus secundùm quod idem Doctor subjungit, quia si frequenter ceciderimus in ipsam, magis veniam merentur illi qui primi ceciderunt, quam nos qui secundi. Unde rogo tandem expergiscantur Simoniaci, & eorum intimi cubicularii, atque fidi pedissequi, ut videntes quantam ruinam incurrerit, ad quantumcumque præcipitium devolutus sit auctor ipsorum primus recogitent, & vel serò agnoscant ubi jaceant, & quod jam non secundi ab ipso, sed multo plusquam millesimi in Ecclesia subsistant, credere ausi se per pecuniam sacerdotes vel aliud quodlibet ecclesiastici ordinis posse fieri, aut promereri, seu dare alicui gratis vel pretio; quod constat ipsos nullo modo potuisse per pecuniam adipisci, protestante principe apostolorum principi ipsorum Simoni, *Non est pars tibi neque sors in sermone isto.* In qua utique præsumtione venialior est error Magi qui tantum æstimavit donum Domini pecunia posse possideri, quam istorum qui credunt & confidunt, insuper & dicunt se illud nihilominus pecunia accepisse, possidere, & cuilibet dare. Nam si hoc non crederent, episcopos se per pecuniam non potuisse fieri, nobiscum & ipsi prædicarent, & officium non suum usurpare cessarent, perditionisque suæ damnationem potius, quam aliquam episcopalis ministerii ordinationem, seu consecrationem aliis non communicarent. Si autem credunt, manifeste hæretici sunt, pejores illo qui hoc prius existimavit vel cogitavit tantum. Si verò non credunt, cur officium alienum præsumunt, & quod sibi non habent nec in ministerio concedere se aliis non posse, cur non recognoscunt? Et in hoc quoque manifeste hæretici sunt, & desperant, aut certe in spe blasphemias quotidianas primæ suæ in Spiritum-sanctum blasphemiæ maledicti adjungunt, pejores illo suo magistro, qui post repulsionem suam, nec se accepisse vel habere donum Domini, Sanctum videlicet Spiritum, credidit, nec cuiquam manus propter hoc imposuit, cum ille hanc tantum potestatem quæsivisset ab apostolis, ut cuicumque manus imponeret, acciperet Spiritum-sanctum. Malus ille quia ad hoc obtulit pecuniam; pejores isti, quia non solum offerunt, sed etiam pertinaciter conferunt. Malus ille quia nondum à conversione sua dimidio anno expleto in hoc sacrilegium semel evasit; quantò pejores isti, quia ab utero carnalis matris, fide Christi suscepta, à pueritia usque ad senium, nihil aliud cogitare aut agere appetunt? Sceleratus ille quia nec correptus aut admonitus pænitendo resipuit; multo sceleratiores isti quia incorrigibiles & impœnitentes effecti, nullaque increpatione vel admonitio-

Act. 8. 24.

Act. 8. 21. Ipsominus excusabiles Simoniaci.

ne compuncti, alienum officium vel locum, ad quem sibi præsumserunt non relinquunt, nec jugi se pœnitentiæ subducunt, si forte remittatur eis aliquando quod secum multos perdiderunt, atque damnationis suæ contagio Ecclesiam Christi infecerunt. Nequam ille quia vix dum anno altero à Passione Domini incepto hujusmodi aggressus est facinus, nullius propter hoc reprobati exemplo deterritus; multo tamen nequiores isti, quia post mille & amplius à condemnatione, & reprobatione ipsius magi annos, exemplis innumerabilium damnatorum quasi audaciores effecti, non desinunt tantum crimen aggredi, & plus ipso magistro suo in ea culpa perseverando transgredi, contraque manifestam Veritatis, quæ Christus est, sententiam credentes, docentes, & facientes, Spiritum-sanctum non gratis se accepisse, aut dare confidunt, ipsa Veritate protestante, *Gratis accepistis, gratis date*. Hinc ergo patet, quia nequaquam Spiritum Veritatis accipiunt, qui non gratis accipere quærunt. Quid ergo tandem accipiunt? spiritum utique mendacii, quem sine dubio dant sive non gratis sive gratis cuique manus imponunt: neque enim aliud quam quod acceperunt dare possunt: quia neque de tribulis ficus, neque de rubo vindemiatur aliquando uva. Denique gratia, nisi gratis accipiatur, gratia non est, nec dici recte potest. Simoniaci autem non gratis accipiunt quod accipiunt. Igitur gratiam quæ maxime in Ecclesiasticis ordinibus operatur non accipiunt: si autem non accipiunt, nec habent; si non habent, nec gratis, neque non gratis cuiquam dare possunt quod non habent. Quid ergo dant? profecto quod habent. Quid autem habent? spiritum utique mendacii. Quomodo hoc probamus? Quia si Spiritus veritatis, testante ipsa Veritate de qua procedit, gratis accipitur, qui non gratis accipitur, proculdubio spiritus mendacii esse convincitur.

Matth. 10. 8.

CAPUT V.

SEd hinc jam ad discussionem propositi capituli revertamur, & beatum Leonem illic pseudo-episcopos commemorantem non contra simoniacos, seu quoscumque alios hæreticos, sed contra quosdam catholicos eum illius modi regulas præfixisse demonstremus. Et de Simoniacis quidem, seu aliis quibuscumque hæreticis non eum ibi locutum sufficienter est superius demonstratum, nunc autem quod de pseudo-episcopis, tamen catholicis loquatur, est demonstrandum. Quicumque consecratur episcopus secundum Decretales sanctorum regulas, prius est à clero eligendus, deinde à plebe expetendus, tandemque à comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrandus. Neque enim aliter certus, & fundatus, vel verus episcopus dici vel haberi poterit, nisi certum clerum, & populum quibus præsit habuerit, & à compro-

Tria in consecrando episcopo requisita.

A vincialibus suis autoritate metropolitani, ad quem vice apostolicæ sedis cura ipsius provinciæ pertinet consecrandus fuerit, nec certus, nec fundatus, nec verus, sed pseudo-episcopus dicendus est & habendus, nec inter canonicè plantatos vel factos episcopos computandus; quia cum episcopus dicatur superintendens, aut superinspiciens, cui clero aut cui populo hic talis superintendit, qui nullius cleri, nulliusque populi, quibus superintendat electionem habuit, insuper & metropolitani atque comprovincialium auctoritate caruit? Quod autem in proposito subsequitur capitulo, B unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis « tribuendum, quod docetur non fuisse colla- « tum, ita est intelligendum, honorem quidem « episcopalem, scilicet consecrationem, acceptum, sed male, non quia per pecuniam vel à Simoniacis, taliter enim nulla prævenire posset aut haberi consecratio, sicut supra satis ostenditur, sed quia sine clero & plebe, & metropolitani auctoritate, & idcirco non esse dubitandum hujusmodi episcopos indignos, quibus tribuatur quod docetur non fuisse dum consecrarentur conlatum, certa scilicet C propriaque parrochia, & certos propriosque clericos ordinandi auctoritas, aut quemadmodum de presbyteris sine nomine titulorum ordinatis in Africano concilio legitur, nusquam ministrent, aut ordinent, ad injuriam eorum qui tales non canonicè ordinavere. Ubi tamen & in quibus, & per quos, & qualiter ordinatio talium possit stare, in ipso capitulo subjungens curavit demonstrare. Si qui autem clerici ab istis pseudo-episcopis in ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, & ordinatio eorum consueto judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, D ita ut ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est nec autoritate munita. Patet ergo quia si clericos quorumcumque episcoporum proprias Ecclesias habentium judicio eorum & consensu ordinaverint, rata ordinatio haberi possit, ita ut permaneant clerici ab eis ordinati in suorum episcoporum ecclesiis, quia istis non sunt quas dent à se ordinati. Ita enim consecratio eorum hactenus instabilis munitur auctoritate ceterorum episcoporum, fundatur loco, in ecclesiis scilicet eorum.

E

CAPUT VI.

HInc ne quis perverse contendat hujusmodi pseudo-episcopos non posse aliquando ratas facere ordinationes, quomodo nec Simoniacos seu quoslibet alios hæreticos, aut certe Simoniacos seu quoslibet alios hæreticos ratas ordinationes facere posse, quomodo & istos, atque uno modo habendos istos & illos, ut puta quoniam pseudo-episcopi dicuntur isti sicuti & illi, scilicet falsi episcopi; animadvertat quisquis ille est, falsum non sem-

per uniformiter dici, sed aliquando ex parte, aliquando ex toto, quod hoc quotidiano facillimè comprobatur exemplo. Dicitur equidem nummus falsus, qui tamen aliter se habet visus à vigilantibus, aliter à dormientibus. Nam illi, aut in caragmate, aut in materie, aut certe tantum in pondere fallit, iste autem in cunctis, quia nec extitit, nec existit, nec existet, sed ex toto se falsum est, & nihil. Unum quidem etsi humana præsumtio maximo aut minimo sui tenore fraudat, tamen vel parum aut plurimum eidem dat. Alterum diabolica illusio totius probitatis vacuum fingit, nilque illi præter solam deceptionem attribuit. Jure ergo ex catholicis pseudo-episcopus falso quidem nummo comparatur; sed quem humana ars, etsi in aliquibus imperfectum, in aliquibus tamen perfectum format. Porro ex hæreticis pseudo-episcopus falso itidem nummo jure assimilatur; sed quem diabolica ars in se toto nihil existentem, in sola tamen illusione perfectum format. At noster nummus, quamvis falsus, alicujus tamen pretii erit, quantæcumque falsitatis fuerit. Nam si reprobatur ex pondere, probabitur ex materie, & ex caragmate; aut si non ex duobus simul, ex uno tamen horum trium aliquo modo approbabitur. Ita & noster pseudo-episcopus quantumcumque minus justitiæ in se habeat, tamen probatur apud Deum & homines sanæ mentis, aut ex fidei vel vitæ suæ sinceritate, aut ex sola consecratione, quamvis reprobetur ex electione sterentium. At falsus nummus, quantæcumque perfectionis appareat, nil est, nullius est pretii aut momenti in quamlibet partem sui exstat; quem vel credere nummum esse, fuisse, vel fore, perniciosum est mendacium. Ita & hæreticorum pseudo-episcopus, quantæcumcumque continentiæ, vel sanctitatis, si dici debet, videatur, apud Deum tamen & homines pervigilis cordis nihil computatur, quia quicquid sine fide est, peccatum est. Quem quod hactenus credere episcopum non tantummodo peccatum, sed immane quoque est sacrilegium; hinc ad nostræ assertionis affirmationem, libet huic opusculo aliquorum inserere commemorationem, qui nec à clero fuere electi, nec à plebibus expetiti, nec metropolitani judicio à comprovincialibus episcopis consecrati, & tamen ex sola consecratione tantæ auctoritatis, sanctitatis, & utilitatis inventi sunt in Ecclesia Christi, ut nemo nisi sacrilegus præsumat eos pseudo-episcopos in aliquo profiteri. Et primò quidem beatissimos apostolos universalis Ecclesiæ fundatores & principes in hoc commemoremus, nisi justissimum arbitraremur leges & naturas necessariò tacere, ubi benedictionem, gratiam & gloriam dedit Legislator & naturarum Dominus. Unde tanta taliumque ordinationum debita cum reverentia salutata prætermittentes, nec non & illa quam ipsi beati apostoli exemplo Domini & magistri sui Asiam, Europam, & Africam episcopis hujusmodi illustrarunt, maximéque

Episcopi quidam à clero non electi.

A Petrus, qui suam Italiam, & cunctas Gallias directis prædicatoribus taliter à se ordinatis post Christum currere fecit, ex posteris eorum longo post tempore duos tantum commemorandos arbitramur, qui jam promulgatis inde sacris canonibus taliter ordinati noscuntur, sicut in Historia Tripartita legitur, PERIGENES in Petris ordinatur episcopus; & quoniam cives eum suscipere noluerunt, Romanæ civitatis episcopus jussit eum intronizari in Corintho metropoli, defuncto ejus episcopo, eique donec advixit Ecclesiæ præfuit. SISINNIUS quoque CP. antistes PROCLUM in Cituco consecravit, qui antequam proficisceretur Çizicum, cives procedentes DALMATIUM monachum episcopum sibimet ordinarunt. Mansit ergo Proclus non habens ecclesiam propriam, qui tamen in doctrina ecclesiarum Constantinopoleos valde florebat: postea in CP. sede inthronizatus. Apparet ergo neutrum à clero vel populo fuisse electum, quos non receptos est manifestum. Superius etiam eadem historia mentionem faciens secundi universalis concilii, scilicet CP. dicit: Firmaverunt rursus patres Nicænam fidem & patriarchas constituerunt, distribuentes provincias, ut episcopi uniuscujusque diœcesis ad ecclesias non irent extraneas. Hoc enim primitus propter persecutionis tempus indifferenter agebatur, siquidem pro taliter ordinatis talem regulam alia synodus proposuit: « Si quis Episcopus ordinatus ad parrochiam in qua ordinatus est, minime proficiscitur, non sua culpa, sed sive populo respuente, aut propter aliquamlibet aliam causam, non necessitate factam, hunc honorem ministerioque participari tantum, nec eum misceri rebus Ecclesiæ, in qua collectam celebrat ecclesiæ, sed sustinere quod provinciæ synodus suo judicio terminaverit. » Hinc ergo perpendatur nostros catholicos olim & postea sine tribus illis capitulis consecrationem ratam obtinuisse: hæreticos verò omnes, & nominatim Simoniacos, nullam omnino nec tunc, nec postea, etiamsi illis tria illa adsint capitula, videlicet electio cleri, expostulatio populi, judiciumque metropolitani: quia infidelibus nihil munditiæ vel gratiæ potest adhærere, donec corda eorum fide mundentur. Hæc tamen dicendo, ita sanctorum patrum nostrorum ordinationem veneramur ex necessitate temporis, & eorum maxima auctoritate, ut posteris nostris & nobis ipsis per omnia contestemur, ecclesiasticas regulas observatum ire, quia antiquos excusat necessitas & sua libertas: modernos autem accusat sola sua voluntas & temeritas.

B C D E

CAPUT VII.

CORRUPTOR.

AUdistis etiam quia sicut denuo quisquam baptizari non debet: ita nec de-

nuo in eodem ordine consecrari potest.

CORREPTOR.

Quis dicit aut sentit denuo aliquem in eodem ordine consecrari posse? Absit nobis sic sapere. Inter alia equidem quæ super hoc à sanctis patribus accepimus, etiam beati papæ Gregorii capitulum propositum debita veneratione suscepimus. Sicut enim ipse ibidem testatur, merito judicatus est qui tale aliquid facere fuit ausus, videlicet quia Probum prius lapsum ab officio deposuit, & pœnitentiæ supposuit: qua expleta, eumdem rursus in eodem ordine, quasi presbyter numquam fuisset, consecravit. Quod utique nullo modo fuit aut est agendum, sed si depositus quisque injuste postea innocens reperiatur, sicut concilium Toletanum statuit, episcopo virga & annulus, presbytero planeta & orarium dantur, & sic per ceteros ordines unicuique quod ablatum fuit cum deponeretur. Inventus autem in aliquo excessu leviori, privata pœnitentia satisfactio ita injungitur, ut tamen non deponantur, ed omnino eis ordo quem habent conservetur. Quemadmodum ipse beatus Gregorius in fine præsentis capituli sensisse cognoscitur: quod hic subtraxisse comprobatur vafer ille & impurus, quia sensit evidenter obsistere suis cavillationibus, si quis, inquiens, in levi forsitan culpa à sacerdotio venit, pœnitentia indici debet: & tamen ordo servari. Nam pro criminalibus juste depositus, aut non, aut vix invenitur quis licite restitutus. Quod si injustè depositus restituitur, quemadmodum ex concilio Toletano supra dicitur; juste autem depositus nusquam & numquam licite restituitur: inventus autem in minus gravibus excessibus, non quidem deponitur, sed eidem suo ordine reservato aliquamdiu ab ipso suspenditur: quis tandem denuo à catholicis consecratus arguitur? siquidem exceptis irreprehensibilis vitæ clericis, amplius his tribus supradictis generibus in catholica non reperiuntur. Aut enim juste depositi erunt, aut injuste, aut certe non depositi: & si in levioribus culpis inventi jam quicumque plus his sunt, extra catholicam Ecclesiam procul dubio sunt. Sunt enim hæretici aut episcopi, aut presbyteri, seu diaconi, vel cujuscumque alterius gradus clerici dicti. Unde se quoque nolente SPINOSULUS iste suæ perversæ intentionis initium, progressionem & finem procedente disputatione noscitur jam revelare, & velut implicitus ericius caput suum & pedes caudamque accedente à qua cogitur explicare. Constat enim eum pertinaciter defendere ab hæreticis, & specialiter à Simoniacis ordinatos; quia in catholica sicut in superioribus abunde monstratur, semel acceptus ordo non iteratur. Laborat quoque variis, sed vanis argumentis astruere, quod à Simoniacis, ordinati, sine pœnitentia & manus impositione debent in clero catholico haberi, & in eo permanere, ut puta quibus nihil desit in nulla gratia. Nos vero sufficientibus sanctorum patrum superius comprobavimus testimoniis, Simoniacos hæreticos pejores esse pessimis Arianis. Et si adhuc dubitatur an Simoniaci sint habendi hæretici, revolvantur catholicorum patrum de diversis hæresibus libri, SS. Epiphanii, Philastrii, Augustini, ceterorumque qui inde sunt scribere conati, & in omnibus deprehenduntur Simoniaci, qui & Simoniaci in catalogo hæreseon primum, quorum auctor Simon si damnari ut manifestus hæreticus meruit, quia æstimavit vel cogitavit Spiritum-sanctum pecunia se posse mercatum iri, & quibus vellet largiri; videant ipsi quid mereantur quia certissime credunt se episcopos pecunia intercedente posse vel potuisse fieri, & consecrationes vel ordinationes ecclesiasticas cuiquam impertiri. Nisi enim hoc se posse crederent, à tanta præsumtione se suspenderent. Ex qua certe sua æstimatione si Simon ille pessimis Arianis pejor evidenter prædicatur, quoniam sibi Spiritum-sanctum subjicere quæsivit, Simoniaci ejus quoniam omnino tantum nefas credunt, quibus jam pejores erunt? Neque enim pejores Arianis in hæreseon catalogo dinoscuntur. Palam ergo Simoniacos sicut tempore ita & errore reliquis hæreticis priores esse. Verum ne supra modum prægravari se à nobis causent, pares eos Arianis tandem concedimus, quamvis auctorem eorum Simonem Arianis perversiorem præmonstraverimus, quo utique perversiores isti ejus discipuli probantur. Qua certe parilitate concussa, necesse erit Simoniacos cum sibi paribus Arianis, parem etiam contra se à catholicis expectare sententiam. Itaque jam non nostris, sed antiquissimorum, & per omnia catholicorum, & orthodoxorum patrum impetantur spiculis & obruantur sententiis, ut secundum Salomonis elogia, qui se divites affectant, nihil se nisi extremam inopiam habere vel sero erubescant, sive juxta Dei atque Patris ejus attestationem ubi evigilaverint à somno suo omnes viri divitiarum, nihil in manibus suis, id est ordinationibus inveniatur. Primo tamen hic calumniæ eorum summa suffigatur, ac deinde evidentibus patrum fulminibus confodiatur.

CAPUT VIII.

CORRUPTOR.

Unde supra in canonibus apostolorum, quos sanctus Isidorus recipiendos esse confirmat: Si quis episcopus aut presbyter, aut diaconus secundam manus impositionem acceperit ab aliquo, deponatur, & ipse qui eum ordinare tentaverit. Nam eos qui ab ejusmodi baptisati fuerint, vel ordinati, neque fideles, neque clericos esse possibile est.

CORREPTOR.

CUm dicit, unde supra, patet quod præcedens caput sancti Gregorii supposito capitulo apostolorum ideo conjungat, ut nil differre catholicorum & hæreticorum ordinationem astruat, dum quod S. Gregorius super catholicorum ordinationem specialiter protestatur, iste ad hæreticorum partem generaliter transferre conatur. Quasi apostoli vetuerint ab hæreticis, ut dicitur, ordinatos secundam manus impositionem à catholicis accipere. Hinc ex Apostolorum canonibus sola capitula L. [a] non tantum auctoritate B. Isidori, quantum sanctissimi Papæ Clementis & plurimorum successorum ejus novimus debere recipi: sed sicut ex authenticis & antiquis exemplaribus poterit probari, præsens capitulum constat istic proprio sensu & integritate circa sui finem fraudari & privari, & alienum figmentum eidem appositum sub specie veri. Nam in antiquioribus & veracioribus canonibus ita invenitur: Si quis » secundam manus impositionem acceperit, de» jiciatur ipse, & qui eum reordinare tenta» verit, nisi forte eum ab hæreticis ordinatum » comprobaverit. Porro quod caupo ille nequissimus subtracto vino Soreth admiscuit ex cisternæ dissipatæ aquis, ut propinaret à se deceptis, dicendo ab ejusmodi baptizatos vel ordinatos non posse neque fideles, neque clericos esse: nec in isto sanctorum apostolorum, nec in aliquo catholicorum patrum invenitur canone. In qua sua fraudulenta præsumtione vel profanæ vocis novitate, sole clarius innotescit, quam sit recipiendus vel audiendus in præcedenti aut subsequenti sua disputatione. Manifeste enim impugnat, & quantum in se est cassat & evacuare contendit sanctam Nicænam synodum, quæ etiam capitulum quod nobis phreneticus ille putavit ad defensionem sui in subsequentibus objiciendum continet: in quo Cathari scilicet viciniores catholicæ fidei hæretici, si quando ad catholicam veniunt, manus impositionem accipere, sicque in catholico clero permanere censentur. Neque enim putandum est sanctos patres id statuisse de Novatianorum laicis, qui nullam manus impositionem pro adipiscendis ordinibus acceperunt: sed de illorum clericis, quibus à suæ sectæ præpositis manus imposita fuit, ut ad quodlibet ministerium promoverentur altaris. Quibus ad Catholicam venientibus cum à catholicis sacerdotibus manus imponitur, nonne secundam manus impositionem accipere noscuntur? Quam ideo à catholicis accipiunt, quia ab hæreticis ordinati comprobantur, ut in supra dicto canone apostolorum secundum antiquam veritatem legitur, quam hic mendosus emendator subtrahere non veritus, etiam sancto Nicæno concilio publicas injurias irrogasse

Canones apostolorum tantum L. debent recipi.

A deprehenditur. Quin etiam illa ejus conclusio consideretur, in qua diffinivit, ab ejusmodi baptizatos vel ordinatos, nec fideles, nec clericos esse posse. Quod si ita est, ut de ceteris interim taceatur, constat Novatianos hæreticos ad Catholicam transeuntes, quasi à facie leonis fugere, sed ursum eis occurrere, dum per impositionem manus catholici sacerdotis hoc eis ad perniciem confertur, ne deinceps ipsi, vel ab eis baptizati aut ordinati, possint fideles aut clerici haberi. Sane hoc pacto tolerabilius illis fuerat sic permanere, quam ad Catholicam accedere, & inibi ma-

B nus impositionem post illam quam à suis acceperant accipere. Duplici namque contritione contriti probantur, quorum baptisma vel clericatus nil jam esse posse prædicatur. Sed absit à nobis hoc vel leviter æstimare. Alioquin & Nicæna synodus convincitur errorem non amputasse, sed propagasse: sanctique patres auctoritatem ejus secuti, quibuscumque hæreticis ad Catholicam eorum transeuntibus manus imposuere, ex malis pejores hic & in futuro effecere. Hinc ergo calumniator ille si cæcus utrobique non est, jam evidenter recognoscere potest, nec laicos hæreticorum ad

C communionem, nec clericos ad clerum in Catholica debere suscipi sine impositione manus catholici sacerdotis post illam quam à suis accepisse sciuntur. Etenim si laici fuerint, per manus impositionem & chrismatis unctionem in fide confirmantur: Si clerici, nihilominus per manus impositionem permanent in ordine, quem hactenus habuisse videbantur. Unde liquet secundam manus impositionem authenticam esse & pernecessariam, si tamen à catholicis post hæreticos, non autem post catholicos fiat. Quæ tamen manus impositio, si prudenter advertitur, nequaquam se-

D cunda aut altera recte, sed rite dicitur. Nam beatus Papa Innocentius omnium hæreticorum manus impositionem esse pravam protestatur, rectam autem catholicorum. Si ergo hæreticorum manus impositio prava est, catholicorum autem recta: patet illam pravam ex quadam recte omnino vana similitudine abusive dici secundam: cum nulla substantialiter seu accidentaliter ad invicem habeant connumerationem. Nam si hæc quæ abusive dicitur secunda, nihilominus prava vel pravior esset, non jam abusive, sed vere diceretur se-

E cunda. Nunc vero cum sit illa prava, ista autem recta; constat in duabus rebus sibi omnino contrariis & dissimilibus non debere dici primam & secundam, sed unam illam, unam & istam. Identidem sentiendum & de ordinationibus, sive, ut obtrectatores contendunt, de reordinationibus. Denique si hæreticus post hæreticum alicui manus imponat, prava vel pravior est reordinatio, & ideo nec ordinatio, sed unica purgatio: quam si catholicus post catholicum iterare (ut putatur) præsumit, rectum sine ambiguitate

[a] Solos quinquaginta canones admittit Gelasius, sequentibus inter apocrypha recensitis, can. *Sancta*, dist. 15.

pravo confundit: & ideo non dicendus est A reordinasse, sed se & alium à recto ad pravum seduxisse vel attraxisse. Propter quod præmisso apostolorum capitulo judicandi sunt ambo, scilicet deponendi: quia catholicam ordinationem iterandam putantes, par periculum incurrerunt. Hæc cum ita sint, solis Simoniacis præfata patrum regula in nullo putatur esse necessaria, quasi ipsi aut non computandi sint hæretici; aut certe ejusmodi, quibus à Catholica nil gratiæ spiritualis possit conferri, utputa quibus plenitudo Sancti Spiritus ad votum, sive gratis, sive non gratis eam largiri velint, famulatur vel obsequitur.

CAPUT IX.

Verum quia à catholicis adversus hæreticos clamatur, cum utrique se profiteantur catholicos, & alterutros vel invicem se dicant hæreticos, ita ut in hujus plagosæ Ægypti palpabilibus hoc nostro tempore tenebris non facile perspici possit quis cujus spiritus sit: prætermissis omnibus his, de quibus impræsentiarum dubitari potest, catholici an hæretici habendi sint, ad duos tantum ex antiquissimis retorqueatur stilus, quos certos & diffamatos hæreticos, & à sanctis patribus concordi sententia damnatos ab initio fuisse ambigit nullus. Et priorem quidem sancti apostoli, alterum vero detexerunt & damnaverunt omni mundo reverendi patres Nicænæ synodi, & post eos quotquot fuere vel sunt catholicæ fidei. Dicimus autem Simonem Magum cum suis simonianis, & Arrium Alexandrinum presbyterum cum suis Arrianis: quorum prior quamvis à sanctis patribus reputetur pejor, tamen quia pares in hæresi utrosque esse supra concessimus, contra fusile scutum & armaturam perfidi & redivivi Simonis vibremus & contorqueamus jacula sanctorum patrum, quibus impugnata & expugnata fuit artificiosa armatura vesani Arrii, nec jam usquam comparentis. Et primo quidem prolatis catholicorum patrum testimoniis atque regulis ostendatur, Arrianorum & aliorum hæreticorum baptisma quanti habuerint, vel quid esse senserint. Itaque in sanctorum patrum apostolorum canonibus, quos hic noster contradictor auctoritate sancti Isidori recipiendos esse superius dixit, & nos potius auctoritate beati papæ Clementis plurimorumque successorum illius capitula hæc duo sine dubio reperiuntur.

Quid censendum de baptismo hæreticorum.

Can. 47. » Episcopum aut presbyterum hæreticorum » suscipientem baptisma damnari præcipimus. » Quæ enim conventio Christi ad Belial, aut » quæ pars fideli cum infideli?

Sequitur alterum ejusmodi

Can. 48. » Episcopus aut presbyter, si eum, qui secundùm veritatem baptismum habuerit, rebaptizare præsumserit, aut si pollutum ab impiis hæreticis non baptizaverit, deponatur « tamquam deridens crucem Domini, nec veros sacerdotes à falsis sacerdotibus omnino discernens. «

Quæ utique regula quia multa sui subtilitate offendebat plurimos & scandalizabat, ab apostolorum successoribus est remota, & quodam temperamento circumlita, ut baptisma, id est aquæ intinctionem, sub invocatione Trinitatis permitterent esse ratam, decernerentque nullomodo iterandam, si constiterit in nomine ejusdem sanctæ Trinitatis peractam. Quo certe permittendi verbo usus est & beatissimus B Leo, *Hæreticorum baptisma*, inquiens, *ratum esse permittimus.* Sed & gloriosus martyr & pontifex Cyprianus quid de hæreticorum baptismate senserit, ex concilio ipsius evidenter cognosci poterit. Eadem enim contra illud cum suis coepiscopis sanxit quod & præfati canones apostolici. Sed prævaluit posterior regula, quia & plures revocabat, & disceptationes sequentium removebat, & indocti vulgi animositatem reprimebat. Porro quod permittitur, quamvis sit licitum, non tamen usquequaque censetur bonum, sicut beatus Johannes Chrysostomus de hujus verbi proprie- C tate in expositione super Matthæum latius disserens ait. » Vidit itaque Judæos Moyses propter delectationem carnalem circa studia sacrificiorum esse deditos, & si mandasset eis recedere à sacrificiis, non fuerat audiendus: quia annosa passio medicamento momentaneo non curatur; jussit eis sacrificare quidem, sed non jam dæmonibus sicut in Ægypto, sed Deo vivo. Dimidium mali permisit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permisit illis etiam dare libellum repudii: quia melius judicavit permittente lege matrimonii solvi, quam odio compellente homicidium fieri. Permisit eis D malum facere, ne facerent pejora. Ergo hoc permittendo, non eis Dei justitiam demonstravit, sed cum peccato abstulit culpam peccandi: ut quasi secundùm legem agentibus eis peccatum suum non videatur esse peccatum, ut puta si quis habet servum qui furatur & inebriat se, considerans Dominus quia si utrumque insimul mandaverit observare, nihil proficit; mandat illi ut bibat quidem quantum vult sed publice bibat, ut paulatim discat obaudire præceptis. Sic permissum est & repudium, malum quidem, tamen licitum. Hac ratione & apostoli præceperunt secundas adire nuptias E propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundùm præceptum apostoli licitum est: secundùm autem veritatis rationem, verè fornicatio est. Sed cum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta fornicatio, propterea bene dixit Dominus, quia Moyses hoc permisit, non præcepit. Aliud est enim præcipere, aliud permittere. Quod enim præcipimus volumus: quod autem permittimus nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. « Huc usque

Chrysostomus. Cujus egregii viri efficax allegatio cum plurimis & maximis auctoribus & doctoribus, tam etiam hoc jam trito proverbio suffulcitur: permittit Deus fieri quod non vult.

CAPUT X.

Verùm in subsequentibus evidentius apparebit, quantæ imperfectionis hæreticorum baptismus sit. Beatus Papa Syricius Tarraconensi episcopo inquirenti, sic super baptismo respondit. Prima paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet, cum hoc fieri & Apostolus vetet & canones contradicant, & post cassatum Ariminiense concilium, missa ad provincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Novatianis aliisque hæreticis sicut est in synodum constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus oriens, occidensque custodit. A quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis à nostro collegio synodali sententia separari. In quo denique decretali capitulo aperte innuitur non uniformem, sed biformem regulam super susceptionem venientium ab hæreticis catholicos à tempore apostolorum usque Liberium papam retinuisse, eumdemque post cassatum Ariminiense concilium generali decreto primitus prohibuisse ne ab Arianis baptizati rebaptizarentur à catholicis, sed per episcopalis manus impositionem catholicorum conventui sociarentur, sed quantæ imperfectionis in Catholica habeantur ab hæreticis baptizati, beatissimus papa Innocentius prolata sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua, & authentica regula liquido ostendit dicens:

Sententiæ Patrum de hæreticorum baptismo. Sir epist. 1.

Nostræ lex est ecclesiæ venientibus ab hæreticis qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laïcam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare. » Ex qua regula patet quid sancti patres de baptizatis ab hæreticis sentiant, quos non dico ad aliquem sacri altaris gradum, sed nec ad solum clericatus honorem promoveri consentiunt, exceptis, ut supra dictum est, Catharis. Quid etiam clarissimus doctor fidei Leo, de baptismo hæreticorum senserit, quamvis superius copiose expositum sit, ejus tamen capitulum super hoc denuo hîc inserere minime nos piguit.

Innoc. epist. 22. n. 4.

Hi, qui baptismum ab hæreticis acceperunt cum baptizati antè non fuissent, sola Sancti Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumserunt. Et hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo, *Unus Deus, una fides, unum baptisma*. Cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed ut diximus, sola sanctificatio Sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sacerdotibus consequatur. Unde supra idem Doctor. Sunt qui non se baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt se nescire profitentur, unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem invocata virtute Spiritus-sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt. Beatus quoque Eusebius ante Melchiadem, & Sylvestrum Romanam Ecclesiam gubernans, de suscipiendis hæreticis, ita Gallicanos episcopos instruxit: Quod significastis quid de conversis hæreticis fieri debuisset, scitote nos eos qui in sanctæ Trinitatis fide baptizati sunt per impositionem manus suscipere. Item unde supra Campaniæ, & Tusciæ episcopis: hæreticos omnes quicumque ad gratiam Dei convertuntur, & in sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ tenentes regulam, per manus impositionem reconciliari præcipimus. Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est. Quæ ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur aut scitur peracta esse, neque ab aliis, sicut jam dictum est, quam ab illis qui eorum locum tenent unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumtum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica umquam reputabitur sacramenta. Unde supra ex Concilio Arelatensi, cujus autor B. Papa Sylvester fuisse dicitur: Si ad Ecclesiam aliquis ab hæresi venerit, interrogent eum de symbolo, & si viderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu-sancto esse baptizatum, manus ei imponatur, tantum, ut accipiat Spiritum-sanctum. His ergo, & aliis hujusmodi sanctorum patrum quampluribus testimoniis, manifeste instruimus catholicæ fidei fundatores & prædicatores quanti habuerint hæreticorum baptisma, manus quoque eorum impositionem, quæ utraque sine chrismate non fuerunt. Nempe ex eis ad catholicam venientes, & manus impositionem cum invocatione sancti Spiritus accipiunt ab episcopis catholicis, & sacro Chrismate perunguntur, quasi qui nihil horum hactenus habuerint.

Leo epi. 129. ad Nicetam cap. 7. — Leo epi. 2. ad Rustic. cap. 18. — Euseb. epist. 1. — Epist. 3. — Conc. Arelat. can. 8.



CAPUT XI.

PRætera hinc jam prolatis aliis sanctorum patrum regulis monstrare laborabimus, quanti æstimaverint, immo decreverint hæreticos habendos in qualibet actione sua vel conversatione, quos pejores paganis & Judæis judicavere, sicut ex B. Johannis Chrysostomi super Matthæum expositione docemur clarius luce. Ait enim: Rex cum viderit in Ecclesia Christi non vestitum veste nuptiali, id est fide vera, jubet ministros suos, id est malos spiritus seductionum, nam mala per malos spiritus reddit, qualis fuit spiritus erroris, quem misit Deus ut seducat Achab, sicut scriptum est in tertio libro Regnorum, vel qualis est operatio erroris, quem dabit eis Deus, qui caritatem Dei non receperunt, ut credant mendacio. Et post pauca: Et apprehendentes eum per ipsa opera, per ipsa consilia ejus, mittunt eos in tenebras exteriores, id est in errorem Gentilium, Judæorum, vel hæreticorum. Et forsitan propinquiores sunt tenebræ Gentilium, exteriores autem Judæorum, pejus autem exteriores hæreticorum, quoniam Gentiles veritatem spernunt quam non audierunt; Judæi autem quam non crediderunt, hæretici autem quam audierunt & didicerunt. Ipsarum quoque hæreticorum tenebrarum quædam sunt prope lucem veritatis, aliæ autem longius à veritate, & ideo nigriores, aliæ autem amplius longe, & ideo pressiores & exteriores, id est in hæreses perversissimas. Ex qua Chrysostomi sententia convincuntur hæretici paganis & Judæis pejores, quamvis ex ipsis hæreticis sint quidam veritati, id est catholicæ fidei propinquiores, quidam longinquiores. Porro in quibus hæretici à catholicis sint devitandi, & velut pagani aut Judæi procul habendi, & ex multis sanctorum patrum docemur scriptis, & ex subjectis Catholicorum conciliorum capitulis.

Hæretici paganis & Judæis pejores.

Ex concilio Laodicensi cap. VI.

Non concedendum hæreticis ingressus domus Dei in hæresi permanentibus.

Item ex eodem concilio cap. IX.

Non accedendum ad cymiteria vel quæ martyria dicuntur hæreticorum catholicos orationis gratia, & petendæ curationis intrare, sed & qui ierint, si sunt fideles, incommunicabiles factos, ad pœnitentiam usque ad aliquid temporis redigi. Pœnitentes autem eos & se errasse confessos suscipi oportere.

Item ex eodem cap. X.

Eos qui ad Ecclesiam pertinent indifferenter, filios proprios hæreticorum nuptiis minime sociari debere. Cui capitulo concordans Carthaginense concilium statuit, ut filii clericorum gentilibus, aut hæreticis, aut schismaticis, matrimonio non conjungantur, & ut episcopi, vel quicumque clerici in eos qui catholici christiani non sunt, etiamsi consanguinei sint, per donationes rerum suarum nihil conferant.

Cap. XXVI. sive XVI. & XVII.

Item ex concilio Laodicensi cap. XL.

Non oportet cum omnibus miscere convivia, & vel filios, vel filias dare, sed magis accipere, si tamen profiteantur se christianos futuros esse catholicos.

Item ex eodem concilio cap. XLII.

Non oportet hæreticorum benedictiones vel eulogias accipere, quoniam istæ maledictiones magis sunt, quam benedictiones.

Item ex eodem concilio cap. XLVI.

Non oportet cum hæreticis vel schismaticis orare.

Item ex eodem cap. XLVII.

Non oportet à Judæis vel hæreticis feriatica quæ mittuntur accipere.

Unde supra in canone apostolorum.

Episcopus, presbyter, aut diaconus, qui cum hæreticis oraverit, tantummodo communione privetur. Si vero tamquam clericos hortatus fuerit eos agere, vel orare, damnetur.

Unde supra ex decretis [a] *Fabiani papæ.*

Omnes qui rectam non docent doctrinam, vel rectam non tenent fidem accusatores, neminem recte credentium accusare possunt, quia infamia sunt notati, & à sinu matris Ecclesiæ à publico mucrone usque ad rectam conversionem, & reversionem eorum abscissi. Unde apostolica auctoritate cum omnibus ejusdem apostolicæ atque universalis Ecclesiæ filiis statuentes sancimus, ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt, in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspecti omnes semper sunt amovendi, & non recipiendi. Merito ergo reprobatur eorum accusatio, qui in recta fide suspecti sunt, nec eis omnino esse credendum.

[a] Fabiani epist. 1.

Item ex decretis B. Dionysii papæ & martyris.

Crimina quæ episcopis impingi dicis per alios, non sinas ullo modo fieri, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actibus docuerint publicis, omni se carere suspicione & inimicitia, & irreprehensibilem fidem, conversationemque ducere. Nemini enim de se confesso credi potest super crimen alienum, quam ejus, omnisque rei professio periculosa est, & admitti non debet.

Dionysii epist. 2. ad Severum episcop.

[a] Hæc Fabiani, uti & præcedentes Eusebii ac sequentes Dionysii & Gaii papæ epistolæ sunt spuriæ ab Isidoro Mercatore suppositæ.

Ex

Ex decretis quoque Gaii papæ Felici episcopo.

« Primum quidem scias paganos & hæreticos « non posse christianos accusare, aut vocem in« famationis inferre.

His & hujusmodi catholicorum patrum decretis & sententiis evidenter agnoscitur hæreticis domus Dei ingressus interdici, & ab omni catholicorum communione eos removeri, scilicet orationum, conviviorum, nuptiarum vel matrimoniorum, vel donationis rerum aut patrimoniorum, nec accusandi catholicos, vel testificandi contra eos licentiam concedi, quorum etiam cymiteria orandi causa intrare, vel eulogias, vel feriatica accipere, omnino vetantur catholici. Unde nemo ambigit hæreticos per omnia à catholicis repudiandos, sicut aut certe plusquam Judæos vel paganos, quia in istis adhuc est spes fidei, ut supra dictum est; in illis jam pugnæ de discordia.

CAPUT XII.

Sed etiam nunc attendamus quid sancti Patres senserint de hæreticorum ordinibus, aut potius ordinationibus.

Ex Epistola B. Innocentii papæ episcopis Macedoniæ.

Innoc. epist. 22. n. 3. » Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ » pro sui difficultate longiorem exigit disputa» tionem, cum nos dicamus ab hæreticis ordi» natos, vulneratum per illam manus imposi» tionem habere caput, & ubi vulnus infixum » est, medicina adhibenda est, ut sanitatem » possit recipere. Quæ sanitas post vulnus se» cuta sine cicatrice esse non poterit, atque ubi » pænitentiæ remedium necessarium est, illic » ordinationis honorem locum habere non Num. 19. » posse. Nam sicut legitur, *Quicquid tetigerit* » *immundus immundum erit*, quomodo id ei tri» buetur, quod munditia ac puritas consuevit » accipere? sed econtra asseritur eum qui hono» rem amisit, honorem dare non posse, nec il» lum aliquid accepisse, quia nihil in dante » erat, quod ille posset accipere. Et verum est » certe quia quod non habuit, dare non po» tuit. Damnationem utique quam habuit per » pravam manus impositionem dedit. Et qui » particeps factus est damnato, quomodo ha» bet honorem accipere, invenire non possum.

Hinc jam à Simoniacis ordinati evigilent tandem, & tanto tonitru tantoque fulmine tam egregii inter egregios pontifices subito turbati & confusi, quid ab ordinatoribus suis acceperint saltem sero recognoscant, aut Simoniacos nec esse nec dici debere hæreticos, si possunt vel audent, rationabiliter nos edoceant.

Nempe ab hæreticis ordinati per illam manus impositionem vulneratum habere docent caput, quia quicquid tetigerit immundus,

A immundum erit. Constat ergo omnem hæreticum immundum esse. Quicquid tangit procul dubio immundum fit, secundum dictum Domini in Lege Moysi.

Neque enim ab immundo hæretico potuit, aut poterit tribui quod munditia ac puritas accipere consuevit, cujus cor sincera fide constat non esse mundatum. Cui ergo nihil munditiæ ac puritatis potuit tribui, quid aliud poterit illi tribuere quæcumque tetigerit, nisi immunditiam quam solam habet? Ergo restat ut nihil aliud quam immundus sit, quem immundus tangit, quia damnationem, quam B habet, dat per pravam suæ manus impositionem. Nec enim qui honorem non habet, honorem dare potest. Et ubi nihil est in dante, nihil est quod possit quis, etiamsi omnimodis cupiat, accipere. Itaque accipit damnationem, quam habet ille qui sibi facit pravam, & non rectam manus impositionem. Hujusmodi ergo ordinatus, ut putatur, damnato id est hæretico particeps factus ex illa sua ordinatione, irrecuperabilis est, in honore decernitur à tanto pontifice. Censet enim ejus vulneri, quod utique capiti illius infixum est, necessariam esse pænitentiæ mediC cinam.

Quam etiamsi sanitas sequatur, cicatrix tamen ex toto jam non exterminatur, quia post pænitentiam nemo ad ecclesiasticum est admittendus honorem. Claret ergo dupliciter eos repelli, qui ab hæreticis comprobantur ordinati, scilicet quia facti sunt eorum participes, & quia pænitentes. Unde perpendant quantam ruinam incurrerint, quibus etiam ipsa medicina, id est pænitentia ne ad honorem ecclesiasticum aspirare debeant obsistit. Sed ne aucupantes verba tantum, & negligentes sensa putent se aliquid tenere in eo D quod in præfato capitulo legitur, eum qui honorem amisit, honorem dare non posse, & qui particeps factus est damnato, quasi dictum sit de illo, qui quondam honorem habuit, & postea amiserit, vel qui quondam regulariter ordinatus, & postea damnatus fuerit, agnoscant non sic accipiendum ex aliis divinis scripturis; sed quia amisit ubi inordinate honorem accipere quæsivit, ibique damnatus extitit, ubi hæreticus fieri non timuit. Velut accipiendo enim amisit, aut certe damnatus fuit, quia ne deinceps honorem ecclesiasticum accipere possit promeruit, secunE dum quod Psalmista ait: *Dejecisti eos dum allevarentur.* Non enim ait dejecisti eos postquam elevati sunt, sed cum elevarentur.

Ordinatos ab hæreticis dupliciter repelli.

Psal. 72. 18.

CAPUT XIII.

Beatus quoque Gregorius in Moralibus de strutione, quod privasset eam Deus sapientia, nec dedisset illi intelligentiam, loquens ait; Quamvis aliud sit privare, aliud non « dare, hoc tamen repetiit subdendo non dedit, « quod præmisit, privavit. Ac si diceret, quod «

dixi privavit, non injuste sapientiam abstulit, sed juste non dedit. Unde & Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit. Hinc ex ipsius B. Gregorii dictis ostendatur, utrum Simoniacus sit habendus aut dicendus hæreticus.

Ex Epistola ejus ad Brunichildam reginam Francorum.

Nec illud prætermimus, sed omnino exsecrabile, & esse gravissimum detestamur, eo quod sacri illic ordines per Simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur, ut sacerdotis dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare committit, & nefaria ambitione honorabilis sacerdotis ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur, quod venditur? aut quis non vile putet quod emit? Unde valde contristor, & terræ illius condoleo, quia dum Spiritum-sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illuc subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur.

Item Theodorico, & Theudeberto regibus Francorum.

Fertur Simoniaca hæresis, quæ prima contra Dei ecclesiam diabolica plantatione succepit, & in ipso ortu suo zelo apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari. Cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita; si vita deest, fides meritum non habet, Beato Jacobo attestante, qui ait: *Fides sine operibus mortua est.* Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti convincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, ut ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed divitias quibus honor sacer emitur congregare. Hinc fit etiam ut insontes, & pauperes à sacris ordinibus prohibiti, despectique resiliant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est, quod præmium illic delicta commendet, quia ubi aurum placet & vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris, & ordinati animam lethale vulnus infigitur; verum etiam Excellentiæ Vestræ regnum episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat prægravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi in honore ecclesiastico gravitas, nihil defendat industria, sed totus auri profanus amor obtineat. Et dum vitia honor remunerat, in locum ultoris is qui fortasse fuerat ulciscendus adducitur, atque hinc sacerdotes non proficere, sed præire potius indicantur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? aut quando populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostium feriendum exponit? aut qualem de se fructum producturus est, cujus pravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales intercessores adducuntur ad locum regiminis, qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant.

Item, idem Siagrio episcopo Augustodunensi.

Nuntio apud nos olim discurrente vulgatum est, quod in Galliarum partibus sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur, & vehementi tædio mœroris afficimur, se in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, & fit sæculare quod sacrum est. Quicumque ergo hoc pretii studet datione percipere, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quid scilicet? quid per hoc agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla fit de vita discussio, sed ille solummodo dignus qui dare pretium suffecerit æstimetur? Ex qua re si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbe ad inanem gratiam locum festinat humilitatis arripere, eo ipso magis qui honorem quærit indignus est. (Quis sacris ordinibus dignus.) Sicut autem is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profunda descendit? Itaque, Frater carissime, in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus. Pura præferatur electio, ut ad summam sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur judicio: nam quia grave omnino facinus est Dei donum vel pretio comparare, vel vendere, evangelica est testis auctoritas. Templum enim Dominus & Redemtor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione accipere, & Sanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit venundare? quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere; cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exserit adhuc nequitiæ pravitas vires suas: Nam cogit vendere quos decepit ut emerent; & dum non attendit quod divina voce præcipitur, *Gratis accepistis, gratis date*, agitur ut crescat, & geminata fiat in uno eodemque delicto conditio, ementis scilicet & vendentis. (Matth. 10. 8.) Et ut liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine

» Apostolica esse detestatione damnata, cur non A
» cavetur, cur non perpenditur, quia benedic-
» tio illi in maledictionem convertitur, & ad
» hoc ut fiat hæreticus promovetur? Plerumque
» igitur adversarius animarum, dum non potest
» in his quæ ad faciem sunt prava surripere, cal-
» lide specie quasi pietatis injecta nititur sub-
» plantare, suadetque forsitan debere ab haben-
» tibus accipi, ut sit quod possit non habentibus
» erogari, dummodo vel sic venena mortifera
» eleemosynæ celata obumbratione transfundat.
» Nam nec venator feram, nec avem auceps
» deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut
» ille laqueum in aperto proponeret, aut ille B
» hamum esca absconditum non haberet. Om-
» nino ergo metuenda, & cavenda est hostis as-
» tutia, ne quos aperta nequit tentatione sub-
» vertere, latenti telo valeat trucidare. Neque
» enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus
» dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur,
» quia qui hac intentione male accipit, ut quasi
» bene dispenset, gravatur potius quam juvatur.
» Eleemosyna Redemptori nostro illa placet, quæ
» non de illicitis & iniquitate congeritur, sed
» de rebus concessis, & bene acquisitis impendi-
» tur. Unde etiam illud certum est, quia etsi
» monasteria, aut xenodochia, vel quid aliud C
» construitur, mercedi non perficit, quoniam
» dum perversus emtor honoris, in locum ven-
» ditoris transit, & alios ad sui similitudinem
» sub datione constituit commodi; plura male
» ordinando destituit, quam ille potest ædifica-
» re, qui ab eo pecuniam pro ordinatione acce-
» pit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum
» peccato aliquid studeamus accipere, aperta sa-
» cra scriptura nos prohibet, dicens: *Hostiæ im-*
Prov. 21. 27. » *piorum abominabiles Domino, quæ offeruntur ex*
» *scelere.* Quidquid enim in Dei sacrificio ex sce-
» lere offertur, omnipotentis Dei iracundiam
» non placat, sed irritat. Hinc rursus scriptum D
» est: *Honora Dominum de tuis justis laboribus;*
» qui ergo male tollit, ut quasi bene præbeat,
» constat sine dubio, quia Dominum non hono-
» rat: Hinc quoque per Salomonem dicitur:
Eccli. 34. 14. » *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si*
» *victimet filium in conspectu patris.* Quantus au-
» tem dolor patris sit perpendamus, si in ejus
» conspectu filius victimetur, & hinc facile cog-
» noscemus quanto Deus omnipotens dolore
» exasperatur quando ei sacrificium ex rapina
» tribuitur. Nimis ergo declinandum est, di-
» lectissime Frater, sub obtentu eleemosynæ,
» peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam E
» aliud est propter peccata eleemosynam facere,
» aliud propter eleemosynas peccata committere.

Et post aliqua idem eidem unde supra.

» Ne forsitan adhuc pravæ se consuetudinis
» quisquam velit objectu deffendere, fraternita-
» tis tuæ discretio rationis eos fræno coerceat,
» & labi in illicitis non permittat, quia quid-
» quid ultioni dignum est, non ad imitationis,
» sed potius ad exemplum debet correptionis
» adduci.

Et post pauca.

De his itaque quæ superius dicta sunt, fra- «
ternitatem vestram auctore Deo volumus sy- «
nodum congregare, atque in ea, Reverentissi- «
mo fratri nostro AREGIO episcopo, & dilec- «
tissimo filio nostro CYRIACO abbate median- «
tibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut præ- «
diximus, sunt adversa, districte sub anathema- «
tis interpositione damnentur, id est ut nullus «
pro adipiscendis ecclesiasticis ordinibus dare «
aliquod commodum præsumat, vel pro datis «
accipere, neque ex laico habitu quisquam re- «
pente audeat ad locum sacri regiminis perve- «
nire, neque ut aliæ mulieres cum sacerdotibus «
habitent, nisi hæ quæ à sacris canonibus sunt «
permissæ. «

Item, idem Victorio episcopo.

Quisquis ad hoc facinus videtur Simoniacæ «
ac Neophitorum hæresis emendandum officii «
sui consideratione vehementer non arserit, «
cum ipso se habere non dubitet portionem, à «
quo prius hoc peculiare flagitium sumsit exor- «
dium. «

Ex decretis ejusdem unde supra.

Antiquam patrum regulam sequens, nihil «
umquam de ordinationibus accipiendum esse «
constituo, neque ex datione pallii, neque ex «
traditione cartarum, neque ex ea quam nova «
per ambitionem simulatio invenit appellatio- «
ne pastelli. Quia enim ordinando episcopo «
pontifex manum imponit, evangelicam vero «
lectionem minister legit, confirmationis autem «
ejus epistolam notarius scribit, sicut pon- «
tificem manum quam imponet, ita mi- «
nister vel notarius non debet in ordinatione «
ejus vocem vel calamum venundare. Pro «
ordinatione ergo vel usu pallii, seu cartis at- «
que pastellis, eumdem qui ordinandus est, om- «
nino aliquid dare prohibeo. Ex quibus præ- «
dictis rebus si quis huic aliquid commodi ap- «
pellatione exigere vel petere forte præsum- «
serit, in districto Dei omnipotentis examine «
reatui subjacebit. «

Item, eidem Virgilio episcopo Arelatensi.

Quibusdam narrationibus agnovi, quod in «
Galliarum vel Germaniæ partibus nullus ad «
sacrum ordinem sine commodi datione per- «
veniat. Quod si ita est, flens dico, gemens «
denuncio, quia cùm sacerdotalis ordo intus «
cecidit, foris quoque dici stare non potuit. «
Scimus quippe ex Evangelio quod Redem- «
tor noster per semetipsum fecerit, quia ingres- «
sus templum cathedras vendentium columbas «
evertit. Columbas enim vendere est de San- «
cto Spiritu, quem Deus omnipotens consub- «
stantialem sibi per impositionem manuum ho- «
minibus tribuit, commodum temporale per- «
cipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innui- «
tur quid sequatur, quia qui in templo Dei co- «

» lumbas vendere præsumserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui ad sacrum honorem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit. Ubi est quod scriptum est, *Gratis accepistis, gratis date?* Et cum prima contra sanctam Ecclesiam Symoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat?

Matth. 10. 8.

Idem Johanni episcopo Corinthiorum unde supra.

» Quia hanc nefandissimam pravitatem sancta Universalis omnino damnat Ecclesia, hortamur fraternitatem vestram, ut tam detestabile & immane peccatum de locis omnibus quæ sub se sunt, sollicitudinis suæ modis omnibus compescat instantia. Nam si quid tale deinceps fieri senserimus, jam non verbis, sed canonica hoc ultione contingemus, & de vobis quod non oportet aliud incipiemus habere judicium. Novit autem fraternitas vestra, quia prius pallium nisi dato commodo non dabatur: quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus B. Petri apostolorum principis, tam de hoc quam de aliis ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo neque per commodum, neque per gratiam, aut per quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Nam & peccatum, sicut diximus, grave est, & sine correptione hoc non patimur permanere.

CAPUT XIV.


Simonia quam grave peccatum.

Ex his sane tam præclari doctoris multiplicibus & repetitis sententiis, manifestè comprobatur sacrorum ordinum venalitatem hæresim esse, & Simoniacam agnominari, omniumque primam, & in ipsa sua origine apostolica detestatione, atque districta maledictione damnatam, velut contra sanctam Ecclesiam radice pestifera primitus proserpentem. Qua profecto fit, ut omnis reverentia sacerdotalis, vel actio intus & exterius depravetur, & in crimine sanctus honor habeatur. Neque enim venerandum quis putat quod venditur, immo omnino vile esse quod emitur. Denique ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur, contra Deum pecuniæ venerantur, ut jam in homine misero non Deus verus & antiquus, sed falsus & recens dominetur, scilicet qui pecuniis præest talibus mammona nequissimus, & non est dubium pauperum innocentiam displicere, ubi præmium comprobatur delicta commendare, quia ubi aurum placet & vitium. Hinc non solum in ordinatoris & ordinati animam lethale vulnus infigi prædicatur, sed etiam qui episcoporum intercessionibus sublevari debuerant, culpa prægravantur. Astruit quoque idem doctor, quia si is dignus sacerdotio creditur, cui pecuniæ copia suffragatur, consequens est ut nihil sibi in honore ecclesiastico probitas deffendat, sed totum auri profanus amor obtineat, ut vitia quæ vindictam merebantur, honore remunerantur, dum is qui corripiendus est locum correptoris usurpat. Tales profecto sacerdotes non proficere, sed perire potius affirmat, quorum radix gravi peste est infecta. Nihilominus astruit majorem calamitatem timendam locis illis, quibus tales intercessores ad regimen dantur, qui magis iram Dei contra se provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. Deinde vehementi mœrore se affligi testatur, si ecclesiasticis officiis locum aliquem habet pecunia, quia quod sacrum est mox fit sæculare. Nam omnem, qui quod sacrum est studet pretio percipere, asserit sacerdotem non esse, sed tantummodo inaniter dici velle. Tandem post multa quibus eos reprobat, asserit benedictionem illis in maledictionem converti, & ad hoc solum promoveri, ut ex catholicis fiant hæretici, quorum omnis actio, etiamsi alicujus videatur momenti, apud Deum tamen reputatur nihil. Sed quia ex his & quibusdam B. Gregorii dictis quidam sibi præsumunt, unde opinionis suæ errorem impudenter & pertinaciter defendant: in tantum ut Spiritum-sanctum vendi simul & comparare dogmatisent, insistendum est, ut tandem aliquando hoc sensisse vel dixisse pœniteat. Aiunt enim, Ecce quid B. Gregorius super hoc senserit ad majores Francorum epistolarum ejus tenor aperte ostendit. Omnino, inquit, execrabile & gravissimum detestamur, quod sacri ordines in vestris partibus per Simoniacam hæresim conferantur. Et paulo post: Unde unde valde contristor, & terræ illi condoleo, quia dum Spiritum-sanctum quem per manus impositionem omnipotens Deus omnibus elargiri dignatur, divino munere habere despiciunt præmiis assequuntur. Ex qua sane propositione verborum tanti Pontificis, vecordes concipiunt sibi causas perfidæ augmentationis, & velut per sapientem dicitur, *A facie verbi parturientis* dicunt. Ecce hic apte B. Gregorius testatur, quod Sanctus Spiritus per pecuniam venditur & confertur, & per manus impositionem pretio redemtam nihilominus Spiritus-sanctus accipitur & tribuitur. Nempe profitetur quod sacri ordines per Simoniacam hæresim conferantur, & quod homines Sanctum Spiritum præmiis assequuntur. Heu miseri, inquit, dies ultra miseri, qui sceleratiores militibus, Dei virtutem & Dei sapientiam crucifigentibus, tunicæ illius inconsutili violentas manus injicere & particulas sibi inde abscindere non metuunt, quodque adhuc est gravius, eamdem sibi totam cessisse arbitrantur. Cum enim ex periochis tanti doctoris vestigari debuerit, isti particulam sententiæ sibi illam arripiunt, quod illic sacri ordines conferri dicuntur, & abjiciunt quod ibidem per Simoniacam hæresim inserit. Ubi si simplici mentis oculo con-

Simoniaci verbis S. Gregorii abutentes refelluntur.

Eccl. 19. 19.

siderassent quid sit hæresis & maxime Simoniaca, nequaquam putarent per Simoniacam hæresim conferri sacros id est sanctos, sed potius id est exsecrabiles ordines, & ideo nec ordines, sed errores. Abscindunt quoque & illud quod Spiritum-sanctum homines præmiis assequuntur, nec respiciunt quod illic inserit, quem per manus impositionem omnipotens Deus omnibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt; quod si perpexissent, nequaquam putarent aliquos hominum per cujuscumque manus impositionem quantocumque pretio posse consequi Spiritum-sanctum, quem divino munere habere despiciunt. B Quomodo enim donum omnipotentis Dei consequi poterit, qui illud ejus munere habere contemnit: insuper & pecuniis prolatis expugnare & diripere contendit? miserabiliter namque desipit, qui putat aliquam violentiam posse fieri Deo omnipotenti, ut gratiam suam concedat alicui, qui hanc dono ejus despicit adipisci. Ad hæc, qui supra semel conceptam blasphemiam deffendendo exaggerantes subjungunt. In alio quoque gloriosus Gregorius exponens verba Evangelii inter cetera » sic ait: Vobis sacerdotibus lugens loquor, quia » nonnullos vestrum cum pretiis facere ordina- C » tiones agnoscimus, spiritualem gratiam vende- » re, & de alienis iniquitatibus cum peccati » damno temporalia lucra cumulare. Et post » pauca: Columba venditur, quia manus impositio per quam Sanctus Spiritus cælitus accipitur, ad pretium præbetur. In quibus utique B. Gregorii verbis si recipiunt quod ait nonnullos spiritualem gratiam vendere, cur negligunt quod subjungit, eos de alienis iniquitatibus cum peccato temporalia lucra cumulare? Et quomodo spiritualis gratia potest illic vendi, & emi, ubi alterius iniquitas emtoris scilicet lucrum temporale, alteri id est venditori D cum peccato cumulat; quæ enim spiritualis gratia poterit dari & accipi, ubi utrisque iniquitas ostenditur operari? si quidem, ut dilectus Domini Johannes asserit, *Omnis qui facit iniquitatem, & peccatum facit.* (1. Joh. 3. 4.) Et peccatum est iniquitas. Absit ergo, absit, ut Spiritus-sanctus mediator aliquatenus æstimetur, vel tam turpibus & nefandis commerciis, ubi hinc inde iniquitas comitatur, & dominatur. Non ergo columba venditur, non emitur, sed vendi vel emi putatur, aut videtur à sacrilegis & stultis quotiens prava manus eorum impositio ad pretium præbetur. Per quam tamen quan- E documque fit ab illis quorum interest Spiritus-sanctus cælitus accipitur, qui nullam manus eorum impositionem negotiatores quales diximus aliqua ex parte gratia sua dignatur, sed ex damnatione sola taliter accepta pariter exsecratur.



A

CAPUT XV.

De propriis & impropriis dictionibus, & vanitate Simoniacorum.

HÆc igitur & hujusmodi orthodoxorum patrum dicta, si pia aure audissent, & catholici cordis ore ruminassent, tandemque nobiscum Spiritum-sanctum nec posse vendi nec comparari prædicarent: sed suam damnationem negligentes, aut dissimulantes, suscipiunt quidem improprie, & usualiter loquentes sanctos patres, sed respuunt proprie & regulariter seipsos exponentes. Usualiter siquidem, vel improprie B. Gregorius loquitur ubi dicit, quod sacri ordines à talibus conferantur; sed regulariter & proprie semetipsum exponit quid de illis ordinibus intelligi velit ubi inserit per Simoniacam hæresim, neque quicquam spiritualis gratiæ intervenit, ubi maligna hæresis mediatrix fuerit. Sic & ibi usualiter loquitur ubi dicit, quod homines Spiritum-sanctum præmiis assequuntur, sed regulariter sese exponit quid quod intelligi velit, ubi inserit, quem divino munere habere despiciunt. Quis enim sine Deo Spiritum-sanctum, scilicet donum ejus habere potest? Neque enim aliud Deus, aliud donum ejus, id est Spiritus-sanctus, quamvis merito dicatur & sit alius. Qui modus locutionis tam creber in divinis, vel humanis reperitur litteris, seu etiam in quotidianis confabulationibus nostris, ut prisci Grammatici proprio tropo, qui catachrisis dicitur, cum donari, vel odorari consueverint. Cujus etiam vocabuli vim taliter edocent. Catacrisis est usurpatio alieni nominis, ut piscina cum pisces non habeat. Fit ergo tropo hoc, ut res non habens suum nomen, usurpet alienum. Itaque constat hoc modo sanctos patres nostros aliena nomina rite ex aliqua rerum similitudine usurpasse, ubi eis propria, quæ utique pauca sunt, & aliquando narrationi minus apta contingit non adesse. Unde cum plurimi alii, tum etiam B. Papa Innocentius dicit, quosdam ab hæreticis ordinatos, cum statim astruat nihil ex illa ordinatione nisi damnationem adeptos. Quod si proprie loquens dixisset ab hæreticis damnatos, putaretur dixisse aliquos catholicos ab hæreticis depositos aut excommunicatos. Quin etiam ipse B. Gregorius, qua intentione sacros ordines à talibus conferri vel spiritualem gratiam vendi, aut emi, & hujusmodi cetera dixerit: in fine suæ narrationis ostendit, ubi protestatur benedictionem illis in maledictionem converti, & ad hoc promoveri, ut fiant hæretici. Ad quod facinus emendandum quisquis officii sui consideratione vehementer non exarderet, cum auctore hujus hæreseos portionem se habiturum incunctanter sciret? Hoc quoque modo locutionis pene quotidie dicitur quis vendere Deum cum justitiam vendit, cum constet neutrum posse vendi, sed utrumque pretio

offendi; neque enim venditor aliud concedit nisi falsitatem, nec emtor aliud accipit nisi eamdem, pro qua parem utrique incurrunt damnationem. Et tamen cum uterque vere sit reus, & sua ipsius conscientia teste uterque damnatus, unus eorum judex abusive dicitur, alter vero absolutus, cum potius sit obligatus. Sic & apud hæreticos dicuntur esse episcopi, sacerdotes, & reliquorum ordinum, cleri, ecclesiæ, ordinationes, consecrationes, sacrificia & reliqua omnino sacramenta, sed nominetenus & specietenus tantum, non autem aliqua virtute & veritate ipsarum rerum. Nec mirum, cum & apud Ethnicos pene omnia nostrorum sacramentorum nomina reperiantur, quibus tamen solum sacrilegium, non autem aliquam sanctitatem, aut veritatem inesse, nemo nisi insanus arbitratur; quicquid enim sine fide est peccatum est. Quapropter nullus jam usurpatus, & in propriis dictionibus seductus à propria & intima sacramentorum veritate aberret, ut credat, aut prædicet se vel quemquam alium gratis aut non gratis accipere posse à quolibet, quia quod quærit nec accepit, nec habet. Quantolibet enim studio piscinæ incumbas, aut insistas, ut pisces tibi, quos quia non accepit non habet, ex ea capias; nihil tibi nomen ejus vel rei similitudo nisi vanam fatigationem præstat, sive gratis, sive non gratis id exigas. Restat ergo ut Simoniaci sacerdotes cum aliis hæreticis ad comparationem sacerdotum qui gratia Dei sunt id quod sunt, non incongrue assimilentur statunculis, vel auri argentique simulacris, quæ sicut Psalmista canit, *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt, nec est spiritus in ore ipsorum. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.* Neque enim ea fides, sed perfidia adinvenit. Unde cum nomina eadem, & aliquam verorum membrorum similitudinem auretenus, sive oculotenus referant, nihil tamen veritatis in se retineant. Nam os eorum nil nisi oris veri inane nomen, & quantulamcumque similitudinem tamen vanam prætendit, cum ex materia, factura, & efficientia omnino dissimile sit, scilicet careat ossibus, compagibus, nervis, venis, sanguine, carne, cute, vita & motu, gustandi, flandi, spuendi, sive screandi effectu, hoc & de ceteris membris dictum puta quibus nec sibi nec cuiquam valent prodesse, aut aliqua efficere simulacra. Simoniaci ergo sacerdotes instar simulacrorum nonnisi inane nomen catholicorum sacerdotum, & exterioris cultus eorum similitudines usurpantes, quia mediatrice avaritia, quæ est idolorum servitus, auro & argento facti sunt quasi simulacra aurea vel argentea, ab idolatria acceperunt. Quorum quia omnia sunt fucata, patet profecto quod minime æstimanda sint quæ apud eos dicuntur sacramenta. Unde & episcopus talium factor, etiamsi pridem computabatur catholicus, accedente sibi pretio, fit & ipse statunculus; pariterque simulacra, vel potius idolatræ quotquot spem salutis in eis ponentes, eorum vanitatem reverentur, secundùm quod Psalmista imprecatur, *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Et iterum: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis.* Nonne gloriantur in simulacris suis, qui prædicant ratas consecrationes fieri à Simoniacis? Unde necesse est confundantur, quia quod constat non acceptum, nec pretio poterit conferri cuiquam hominum. Et quia quod unusquisque colit hoc fit, simulacrum fit, qui simulacrum colit, sicut Deus fit qui Deum colit, gratia tamen non natura, ut ait Psalmista. *Ego dixi dii estis*, Unde avarissimi homines pecuniam tamquam Deum colentes alienum, omnipotentem eam sicut pagani quoscumque deos suos æstimant, in tantum ut Spiritum sanctum sibi subjicere prævaleat. Et sese majestatem immensam metiri conantes, qui viso nummo ipsi pallent, & ad ejus nutum fasque nefasque exercent, omnino credunt Deo placere quæ ipsis non potest non placere: quorum insaniam Satyricus etiam redarguit sic:

Psal. 134. 16. — Psal. 113. 8 — Psal. 96. 7 — Psal. 81. 7.

Curvæ in terris animæ & cælestium inanes.
Quid juvat hoc templis nostros immittere mores,
Et bona diis ex hac scelerata ducere culpa?

Quod si ethnicus ratione abusus crederet idola deos esse omnipotentes, & totius boni auctores, tamen tamquam rationale animal ratione ad hoc tractus est, ut quos credebat summe bonos, consequenter quoque crederet non posse eis placere vitiosas hominum affectiones, sive passiones; SUMMA enim virtus necesse est totius vitii sit expers, putasne Christiani sint, qui Patrem luminum, à quo est & descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, ducunt adeo imperfectum, ut pecuniis quas super omnia diligunt, credant se posse sibi conciliare, & conquirere ipsius summum donum, nec posse Deo non placere, quod ipsis sic placet negotium?

CAPUT XVI.

Sententia sancti Ambrosii de ordinationibus Simoniacorum.

SEd hinc jam aliqua magni Ambrosii subjungantur dicta, quibus Simoniaci quia avari, comprobentur etiam usurarii, & ideo secundùm quod scriptum est super omnes maledicti. Omnis quippe avarus usurarius, & usurarius avarus. B. ergo Ambrosius de vita & ordinatione episcoporum loquens, inter alia ait: Licet jam coarctat nos libelli hujus prolixitas & tempus nos urgeat, ut ad finem hujus operis veniamus, sollicitudo fraterni nos retardat amoris, illorum præcipue sacerdotum, qui mentis torpore hebetati, sacerdotalem infa-

» mant honorem. Et qui novam prodigialiter » regulam, ac tempestatem peperisse noscuntur, & Giezi sectantes & Simonis sententiam, » sancti episcopatus gratiam pecuniis coemerunt, » nequaquam timentes cum sacerdotalem honorem pecuniis emerent, à B. Petro apostolo se » cum Simone fuisse damnatos, sicut ait, *Pecunia*, inquit, *tecum sit in perditionem, qui donum Sancti Spiritus te credidisti pecunia comparare*; » Nam & lepram cum Giezi à sancto suo cœpisse credant Heliseo, qui gradum sacerdotalem » se existimant pecuniis comparasse. Quibus cum » ista dixerimus sufficere, debuit suam comparando lepram possidere. Nam sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquam necesse est » corpus inundatione superioris morbi lethaliter » irrigari; ita & hi qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex tota corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentium sacerdotum vitiositatis mortale non infecerit virus. Ita videas in Ecclesia passim quos non » merita, sed pecuniæ ad episcopatus ordinem » provexerunt. Nugacem populum, & indoctum, qui talem sibi asciverunt sacerdotem, » quos si percontari fideliter velis quis eos præfecerit sacerdotes, respondebunt mox & dicent: Ab archiepiscopo sum nuper ordinatus » episcopus, centumque ei solidos dedi, ut episcopalem gratiam consequi meruissem; quos si » minime dedissem, hodie episcopus non essem. » Unde melius mihi est aurum de saccello invehere, quam tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi & episcopatum comparavi. Quos » tamen solidos, si vivo, recepturos me illico » non diffido. Ecce & aurum quod dedi, in meo » saccello recepi, & episcopatum gratis accepi. » Nempe hoc est quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopos fecit. Nam propter » pecunias specialiter leprosum ordinavit. *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem, quia donum Sancti Spiritus gratiæ pretio comparasti*, & » commercium miserabile in animarum exitium » peregisti, & nescii homines & indocti in ordinationibus eorum proclamant, & dicunt, Dignus es & justus es, & conscientia misera indignus es, & injustus es dicit. Pronunciat enim » episcopus hujusmodi ad populum dicens: *Pax vobis*. Oculis quidem carnalibus videtur quasi » episcopus magnus, & divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam acquisivit » indebitum ordinem & apud Dominum perdidit interiorem hominem: Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro » ancilla domina facta est animæ, anima quæ » erat domina facta est famula carni. Caro dominatur populis & anima servit dæmoni. Carni sacerdotium comparavit, & animæ detrimentum paravit. Et quid prodest hujusmodi » homini si totum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo » commutationem pro anima sua? quod dedit » cum episcopus ordinaretur aurum fuit, & quod » perdidit anima fuit. Cum alium ordinaret, » quod accepit, pecunia fuit, & quod dedit le-

Act. 8. 20.

Act. 8. 20.

A pra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in pernicie eorum. Interrogo tamen fratrem & coepiscopum nostrum, quia & ego episcopus sum, & cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te, hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Respondes Cur, inquit? ut reor, pro quod gratis datur, ideo gratia vocatur. Ergo si gratia gratis datur, & auro non æstimatur, à te cur gratia pecuniis comparatur? Respondes Non, inquit, mihi daretur, si pecuniis non emeretur; nec episcopus fuissem ordinatus, B si pecunias non dedissem. Ergo ut apparet ex responsionibus tuis gratiam cum ordinareris non suscepisti, quia gratuitu eam non meruisti. Et ideo, Frater, si gratiam non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? nam & ad discipulos Dominus dicit, *Gratis accepistis, gratis date*. Cur ergo gratuitam gratiam æstimasti te pretio possidere? Nam ut video aurum dans perdidisti, & sanctam gratiam non acquisisti. Adhuc tamen semel adjiciens fratrem perquiro, ne quid de approbamentis veridicis nos prætermisisse videamur. Quis dat, Frater, episcopalem gratiam? Deus, an homo? C Respondes sine dubio Deus; sed tamen per homines dat Deus; homo imponit manus; Deus largitur gratiam; sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera: episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O justitia, ô æquitas! si homini pecunia datur, qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solum servitium quod ei creditur, cur Deo totum negatur qui ipsum ordinem tibi largitur? justumne tibi videtur, ut servus honoretur & Dominus injuriam patiatur, & injuste accipiat sacerdos pecuniam & Deus patiatur ab homine injuriam? Sed D quia pro concesso ordine Deus à te nihil expectat, Dominus homini concedere voluit gratis, & epicopus rapax pecuniam ab homine expetit gratis; Deus homini, ut certe benignus, gratis donavit; & sacerdos indignus eum sine causa prædavit. *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ecce ad quæ mala volvitur deificus ordo, ecce ad quæ probra prolapsi sunt sacerdotes, qui audire meruerunt à judice mundi, *Vos estis lux hujus mundi*. Ecce quibus subjiciuntur quibus à Domino dictum est, *Vos estis sal terræ*. Ergo si lux est Ecclesiæ E episcopus à Domino ordinatus, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante conscientiarum tenebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus, & non solum quia ipse dum ipse male agit, digne perit, insuper & alios secum digne perdit? Si enim meruisti salis saporem possidere ut insipientium possis ora condire, cur infatuatum tali vitio immundis te porcorum conculcandorum pedibus præbuisti; ita ut nec te ipsum, nec alios possis condire? & cetera. Item quoque B. Ambrosius de Evangelio exponens illud quod dictum est, *Multi leprosi erant in Israël sub He-*

Matth. 10. 8.

1. Cor. 4. 7.

Matth. 5. 14.

Ibid. 13.

Luc 4. 27.

liseo Propheta, & nemo mundatus est nisi Naaman Syrus, post aliqua ait: Disce etiam congræ præcepta virtutis. Probabit fidem qui præmia (Amb. 6. 4. in Luc.) recusabit. Disce utrumque dictorum factorumque magisterio, sed sequaris. Habes Domini præceptum, vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare, nec vendere ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis. Non tamen fas est si lucrum ipse quæras, familiæ quoque tuæ cohibendæ manus sunt. Nec hoc solum exposcitur, ut te solum castum immaculatumque custodias. Non enim dixit Apostolo te solum, sed te ipsum castum custodi. Quæritur ergo non solum tua ab hujuscemodi nundinis, sed etiam domus tuæ castitas. *Oportet enim irreprehensibilem esse sacerdotem, sui domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.* (1. Tim. 3. 4.) Instrue ergo familiam, hortare, custodi. Fefellerit servulus, hominis enim non excipis facultatem, prophetico deprehensus repudietur exemplo: cito turpem sequitur lepra mercedem, & pecunia corpus animumque male quæsita commaculat. *Accepisti*, inquit, *pecuniam, & possidebis ex eo agrum, & vineam & oliveta & greges, sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in æternum.* (4. Reg. 5. 27.) Vides quia propter facta auctoris, successio damnatur heredis? Inexpiabilis est venditi culpa mysterii, & cælestis gratiæ vindicta transit ad posteros. Denique Moabitæ & ceteri non intrabunt in Ecclesiam Dei usque in tertiam & quartam generationem, tamdiu videlicet ut simplicius interpretemur, donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cum illi qui in Deum idolatriæ errore deliquerunt in quartam generationem videantur esse mulctati, profecto durior videtur esse sententia, quæ Giezi semper usque in æternum pro cupiditate habendi prophetica auctoritate damnatur, præsertim cum Dominus noster Jesus Christus per lavacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum.

CAPUT XVII.

Recapitulatio unde supra, deinde B. Augustini sententia.

Ecce ex præmissis tanti tamque prudentis viri assertionibus multifariam docemur pretio gratiam episcopalem non posse accipi, sed lepram, & audet quis contra hiscere & gannire, sibi aut cuilibet posse dari ab hujusmodi leprosis, scilicet Simoniacis aliquam sanctorum ordinum quam non habent gratiam, & non potius solam quam acceperunt, & habent lepram? Et cum idem clarissimus doctor indubitanter prædicet, inexpiabilem esse venditi culpam ministerii, & cælestis gratiæ vin-

A dictam transire ad posteros, adeo ut exemplum Giezi adhæreat venditori & semini ejus in perpetuum, cujus momenti sunt quæ è diverso contradicunt? *Anima quæ peccaverit ipsa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris*, (Ezech. 18. 20.) præsertim cum Dominus de seipso dicat: *Reddam iniquitatem patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem?* (Exod. 20. 5.) Et tamen utraque sententia vera est, quia Domini est; sed pro qualitate personarum & culparum ex circumstantiis suis competenter intelligendam esse. Neque enim uniformis sententia blasphemis omnibus est danda, quia nec uniformis est blasphemia, attestante Veritate ipsa. *Omne*, inquit, *peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur:* (Matth. 12. 31.) B Nonne super hanc spiritus blasphemiam Propheta, Apostolus, Doctor eamdem, quam ipse Dominus eorum, uniformemque comprobantur dictasse sententiam? Propheta siquidem ait: *Lepra Naaman Syri adhærebit tibi, & semini tuo usque in æternum.* (4. Reg. 5. 27.) Apostolus autem, *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem.* (Act. 8. 20.) Et post pauca: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Dominum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Quorum auctoritatem profecto secutus doctor, ait. *Inexpiabilis est venditi culpa mysterii.* C B. quoque Augustinus, unde supra in expositione Evangelii sancti Johannis. « Simon ille ideo volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum-sanctum, & putabat apostolos mercatores tales esse, quales Dominus de templo flagello ejecit. Talis enim ille erat, & quod venderet emere volebat. De illis erat qui columbas vendebant, Etenim in columba aparuit Spiritus-sanctus. Qui ergo vendunt columbam fratres? qui dicunt nos damus Spiritum-sanctum, quare enim hoc dicunt? & quo pretio vendunt? Pretium honoris sui accipiunt, pretium D cathedras temporales, ut videantur ipsi vendere columbas. Caveant à flagello de resticulis. Columba non est venalis, gratis datur, quia gratia vocatur. Idem unde supra in eadem expositione. In Actibus apostolorum legimus multos credidisse in Samaria per prædicationem Philippi. (Aug. Tract. 6. in Joh. 18.) Intelligitur autem sive unus ex apostolis, sive ex diaconis, quia septem diaconos ibi legimus ordinatos, inter quos est etiam nomen Philippi. (Act. 6. 5.) Per Philippi ergo prædicationem crediderunt Samaritæ, Samaria cœpit abundare fidelibus. Ibi erat Simon iste Magus, (Act. 8. 9. &) per magicas factiones suas E dementaverat populum, ut eum virtutem Dei putarent. Commotus tamen signis quæ fiebant à Philippo, etiam ipse credidit: sed quomodo crediderit, posteriora sequentia demonstraverunt. Baptizatus est & Simon. Audierunt hoc apostoli, qui erant Hierosolymis, missi sunt ad illos Petrus & Johannes, invenerunt multos baptizatos: & quia nullus ipsorum acceperat adhuc Spiritum-sanctum sicut tunc descendebat ad ostendendam significationem gentium crediturarum, ut linguis loquerentur in quos descendebat Spiritus-sanctus, impo-

fuerunt

» fuerunt illis manus orantes pro eis, & acceperunt Spiritum-sanctum. Simon ille qui non erat in ecclesia Columba, sed corvus, quia ea, quæ sua sunt quærebat, non quæ JESU CHRISTI, unde in christianis potentiam magis amaverat, quam justitiam, vidit per impositionem manuum apostolorum dari Spiritum-sanctum: non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est; & ait apostolis: *Quid vultis à me accipere pecuniæ, ut per impositionem manuum mearum detur Spiritus-sanctus.* Et ait illi Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem quoniam donum Dei putasti pecunia comparandum.* Cui dicit pecunia tua tecum sit in perditionem? utique baptizato. Jam baptismum habebat, sed columbæ visceribus non hærebat. Audi quia non hærebat, & verba ipsa Petri apostoli adverte. Sequitur enim: *Non est tibi pars, neque sors in hac fide; in felle enim amaritudinis video te esse.* Columba fel non habet. Simon habebat, ideo separatus à columbæ visceribus. Baptismus illi quid proderat? In quibus eloquentissimi & perspicacissimi doctoris dictis animadvertant necesse est, qui impudenter & impie astruere conantur columbam, vel spiritualem gratiam vendi, illud quod ait: Columba non est venalis, gratis datur, quia gratia vocatur. Necnon illud, quia vidit Simon per impositionem manus apostolorum dari Spiritum-sanctum, non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est. Deus enim Spiritum-sanctum suum hominibus largitur, sed oratione & invocatione illorum, qui hujus ministerii vel officii ordinationem à catholicis gratis accepisse noscuntur, etiamsi pravæ conversationis in oculis hominum habeantur. In qua utique fide vel ministerio, non est hæreticis pars, neque sors, quia nec ministri Christi, sed satanæ pretio efficiuntur; nec ipsorum oratione aut invocatione Spiritus-sanctus datur, quia ministerium eorum etiamsi rectæ conversationis videantur, à Deo non recognoscitur, & ideo oratio eorum fit in peccatum, secundum quod de alio pessimo mercatore à Psalmista constat imprecando prophetatum. Nam ut B. Apostolus Corinthiis ait, ejusmodi sunt pseudo-apostoli, operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum. Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum. Itaque sicut satanas transfiguratus in angelum lucis non potest non esse angelus tenebrarum, tanto perversior, quanto præsumptuosior; ita & ministri ejus transfigurati in ministros justitiæ, non possunt non ministri injustitiæ, tanto detestabiliores, quanto audaciores, mentiuntur se esse quod nec sunt, nec fieri possunt.

Act. 8. 19. — Ibid. 21. — 1. Cor. 11. 13.



CAPUT XVIII.

De mercantibus ecclesiasticam dignitatem sanctorum Patrum sententiæ.

Item unde supra ex Canonibus apostolorum, cap. XXX.

« SI quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur ipse & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petro.

Item ex eisdem cap. XXXI.

« Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur ipse & ejiciantur omnes qui illi communicant. Contra quod capitulum qui sibi pretio potestates conciliat, etiamsi Ecclesiasticæ sint, proculdubio sæculares fiunt, sicut ait B. Gregorius. Si in Ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, fit sæculare quod sacrum est.

Item inde. Ex concilio Calcedon. cap. II.

« Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecuniam presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecuniam dispensatorem aut defensorem vel quemquam qui subjectus est regulæ sub turpissimi lucri commodo: is cui hoc attestanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit Et qui ordinatus est nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat; sed sit alienus ea dignitate, vel sollicitudine quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat, si vero laïcus aut monachus, anathematizetur.

Item inde exempla Hormisdæ papæ. Hormisd. epist. 25.

« Quos constiterit indignos meritis sacramenta mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, quia dantem pariter accipientemque damnatio Simonis quam sacra lectio testatur involvit. Hoc itaque ad proxima conjungimus, ne benedictio per impositionem manus, quæ à Deo esse creditur pretio comparetur, quia Simon per Spiritum-sanctum volens pretio mercari, Apostoli fuit detestatione percussus.

Item inde ex Expositione Remigii.

« Dominus ut ostenderet omnes venditores, & emtores cælestis gratiæ eliminandos esse à societate sanctæ Ecclesiæ, idcirco cœpit ejicere vendentes & ementes de templo, & cathedras vendentium columbas evertit, ut doceret quia

» talium sacerdotium negotiatorum destruitur. A
» Quamvis enim sint nonnulli, qui corporaliter
» à societate sanctæ Ecclesiæ non repellantur,
» verumtamen spiritualiter apud Deum repulsi
» sunt, & proprio honore privati.

CAPUT XIX.

Repulsio eorum qui dicunt Simoniacos gratiam habere à qua deponantur.

Verum quia trutinatoribus verborum & neglectoribus rationum supra responsum B sufficienter putatur ex quibusdam dictionibus quæ in supradictis capitulis usurpative, & improprie secundùm tropum cathecresim ponuntur, sicut obtinuerit dignitatem pretio, vel fecerit ordinationem, & hujusmodi cetera, illud tamen nunc ventiletur, quod nobis opponere frustra nituntur. Aiunt enim:

Objectio.

Ecce per pecuniam ordinati deponi præcipiuntur. Constat ergo eos spiritualem gratiam adeptos, & ad gradum honoris promotos, à quo deponi jubentur. Etenim dispositio habiti honoris est amissio, vel privatio. C

Repulsio.

Quibusdam superius monstratum sit piscinam dici, & quæ pisces non habet, tropo eodem, si pertinaces esse nolunt, quantocius animadvertere possunt, depositionem quoque rite dici quæ nullam promotionem, & honoris gradum habuisse, nisi ex aliqua similitudine superficietenus comprobatur, præsertim cum & propositum Calcedonensis concilii capitulum evidenter nostræ parti suffragetur, in ejus

Conc. Calch. can. 2. » initio sic legitur: Si quis episcopus per pecu- D
» niam fecerit ordinationem, & sub pretio re-
» degerit gratiam, quæ non potest vendi. Quapropter tam consono & unanimi tonitru sexcentorum triginta sanctorum episcoporum prævaricatores ad cor reversi, discant gratiam non posse vendi. Nam ipsi sancti Patres hanc suam synodum usque ad sanguinem defensores professi leguntur. Tandem inusitato quidem modo, sed proprio loquimur; si depositionem hujusmodi revelationem dicimus, sicut à Simeone Dominus Jesus in ruinam & resurrectionem multorum evangelizatur positus. Ruendo enim resurgit, quisque malum deferens E ad bonum se accingit. Unde quia multis divinæ auctoritatis testimoniis palam est Spiritum-sanctum non posse vendi, jam sicut deficit fumus, deficiant tetra illa, & nebulosa argumenta, immò phantasmata nihil veritatis, sed totum vanitatis habentia, quibus argumentantur talia.

Objectio.

Si is qui pro manuum impositione pretium accipit, ei quem per pretium consecrat Spiritum sanctum non tribuit, profecto Spiritum-sanctum nec ille vendidit, nec iste comparavit. Sacerdotium vero sine datione Sancti Spiritus nec tribuitur nec accipitur. Liquet igitur sacerdotem non esse qui per manuum impositionem sacerdotium consequitur. Relinquitur vero ut necesse non sit eum ab illo ordine deponi, quem numquam obtinuit. Frustra itaque hujusmodi statuta canonum à sanctis Patribus edita proferuntur, quæ tales deponi decernunt.

Repulsio.

Tam sophistico & perplexo syllogismo subversa perversitas aperte resistere Spiritui-sancto non verita, quia perverse credit eumdem vendi, & emi, ubi venditoris & emtoris audiuntur nomina, ironice concludit, necesse non esse eum deponi ab ordine, quem numquam obtinuit; aut si consequatur, non deponendum, ac per hoc cassandum sanctorum patrum capitulum adversus Simoniacos prolatum. Cornibus enim fantasticus ille syllogismus minabundus, utrumlibet presseris, ab utrolibet mox premeris. Nam si deponendos concesseris, dignitatem quoque eos obtinuisse à qua deponantur necessario concedis. Si dignitatem eos obtinuisse concesseris, constabit Spiritum-sanctum quoque venditum & emtum ab eis. Quid si constiterit, necessario quoque Spiritum-sanctum haberi, dari & accipi ab eis constabit, ac per hoc ordinationes vel consecrationes gratis, vel non gratis factas à Simoniacis, utique hæreticis per omnia ratas esse, nihilque minus habere quam quæ fiunt à catholicis, necessario confiteberis. Porro si dignitatem eos obtinuisse negaveris, deponendos non esse ab ea, quam numquam obtinuere dignitatem necesse est profitearis. Si autem minime deponendos concesseris, sanctorum Patrum decreta, quæ venditores & emtores gratiæ deponi decernunt, incassum esse prolata necesse arbitreris. Restabit ergo aut concessa depositione Simoniacorum, etiam cetera, quæ superius omnino absurda concedi videntur, concedantur, & sic capitula illa sanctorum Patrum approbabuntur, aut contradicta depositione reprobabuntur. Sed quamvis latius supra monstratum sit Spiritum-sanctum nec posse vendi nec emi, sine quo sacerdotium non potest acquiri aut haberi, vel consecratio aliqua fieri, & ideo hujusmodi præsumtores debere deponi ab ea transfiguratione, vel specie, quam velut ministri justitiæ injuste usurpando arrogant sibi, concedatur tamen inter venditorem & emtorem rem negotii necessario versari, quia nec ille venditor, nec iste emtor, aliter poterit jure dici. Sed ea Spiritus-sanctus esse non potest, quoniam ipse Spiritus-sanctus gratia dicitur & est. Gratia autem nisi gratis accipiatur & detur, gratia nec est, nec vere dicitur. Nam si venditur & emitur gratia, jam non esse gratia merito concluditur. Constat igitur Spiritum-sanctum, aut certe gratiam, rem venditionis & emtionis non esse. Quapropter altera quæratur res oportet, quam ne diutius & passim quærendo fatigemur, aut certe aberremus, B. Ambrosium nobis eam demonstran-

tem advertamus. Quod dedit, inquit, cum A episcopus ordinaretur, aurum fuit, quod perdidit anima fuit. Ex qua tam egregii viri sententia sine ambiguitate docemur rem nefandi hujus commercii perditionem & damnationem animarum, & lepram tantummodo recte dici & vere esse. Et perditionem quidem etiam secundùm principem apostolorum, damnationem autem juxta B. Innocentium, lepram verò secundùm eumdem Ambrosium. Unde ubicumque perditio vel damnatio taxatur, necessario auctor perditionis, vel damnationis diabolus taxeotis hujusmodi cooperatur & principatur, sicut nihilominus idem ipse spiritus immundus ubi lepra datur. Neque enim rei cujus auctor est principari aut dominari non potest. Quibus autem spiritus perditionis, damnationis, immunditiæ principatur, Spiritus salutaris nostri Domini scilicet JESU, qui est auctor totius munditiæ, procul ab eis sequestratur. Nam quæ conventio Christi ad Belial? A quibus ergo perditio & immunditia possidetur, quosque vicissim ipsa possidet, quid nisi perditio vel immunditia, quam solam acquisierunt dari & accipi potest? Itaque quia necessario concluditur perditionem & lepram venditam & emtam, restat hujusmodi mercatores improprie dici sacerdotes & clericos; proprie autem perditos & leprosos: quorum prava manus impositio, malum quod solum acquisivit tribuit, nullum autem bonum concedit, quia nullum taliter negotiando acquisivit. Numquam enim juste tribuitur, quod injuste colitur. Unde secum alios quoque perdit, & sordidat, non sanctificat aut mundificat, sicut scriptura evidenter clamat. Quidquid tetigerit immundum fiet. *Spiritus quoque sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate.* Ideo spiritus disciplinæ dicitur, quia disciplinatos quibuscumque aspirat efficit, & per eos dona gratiarum suarum prout vult, singulis ad disciplinam distribuit. Indisciplinatos autem longe à se repellit, vel potius quia ficti sunt, effugit. Et quis perniciosius convincitur esse fictus, quam qui contra disciplinam catholicam, cujus specialis administrator creditur Spiritus-sanctus, fingit se esse quod nec est, nec esse potest aliquatenus, scilicet ut per pecuniam habeatur episcopus, vel cujusque alterius ordinis clericus?

Sap. 1. 5.

CAPUT XX.

Quod Simoniaci sine fide sint, quodque sibi consentientes fide privent.

ET quidem alii hypocritæ incorporatione istorum minus sunt noxii, quia vix alienis nocent, nisi sibi; isti autem secum christianos catervatim interficiunt, dum eos sua lepra vigente interficiunt, & damnationis vel perditionis venditæ aut emtæ participes ordinandi, seu sanctificandi obtentu efficiunt. Qui plane simulatores & callidi præ ceteris provocant, non autem placant iram Dei, quia venditi venditores quotidie vendunt oves & boves Christi, scilicet simplices & ingeniosos, aut certe invalidos & validos. Et cui vendunt, nisi, ut beatus Augustinus ait, diabolo? Ubi enim seducti credunt sacerdotes pretio posse fieri, & Spiritum-sanctum vendi & emi, primogenita cordis eorum, id est fides probatur corrumpi: qua corrupta, necesse est adeo corrumpi, si qua inesse potuere, bona, ut omnino fiant nulla; QUIA UNICA virginitas animæ est fides incorrupta: quam utique à pseudo-apostolis B corrumpi timebat, qui Corinthiis dicebat. *Æmulor enim vos Dei æmulatione, dispondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri & excidant à simplicitate quæ est in CHRISTO JESU. Quam profecto fidem idem Apostolus secundùm gratiam sibi datam, ut sapiens architectus fundamentum eis posuit. Quod, sicut ipse subsequitur, aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est CHRISTUS JESUS. Porro CHRISTUS JESUS habitat in cordibus per Spiritum-sanctum corroboratis, sicut ipse insinuat Ephesiis: *Flecto genua* C *mea ad Patrem Domini* JESU CHRISTI, *ex quo omnis paternitas in cælis & in terra noscatur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Si ergo secundùm tam egregium Simmystam, & usque ad tertium cælum, vel in ipsum paradisum raptum fides christianitatis fundamentum est. Fundamentum autem CHRISTUS JESUS est, restat ut fides Christus sit, qui nos per Spiritum Dei Patris corroboratos inhabitans regit. Hinc proculdubio patet qualis inter D christianos reputandus sit, qui de Spiritu-sancto male sentit. Constat enim, quia nec Filium, nec Patrem habet. Nam sicut catholice prædicatur, Inseparabilia sunt opera Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus-sancti, & cuicumque unius cujuslibet trium visitatio defecerit, necessario etiam reliquorum duorum deerit. Quisquis itaque credit Spiritum-sanctum non solum fide sed etiam pecunia posse acquiri, Deum Patrem non habet, ad quem devotissimus Apostolus genua flectebat, ut Ephesios per eumdem Spiritum suum corroboraret. Filium quoque non habet, præter E quem nemo aliud christianitatis fundamentum ponere potest, quia ne sub tanti fundamenti magnitudine deficiamus, per Spiritum-sanctum fulcimur, & corroboramur. Restat ergo ut qui Spiritum-sanctum, cui fundamentum, quod est CHRISTUS JESUS, innititur, non habet, nec ipsum fundamentum habeat. Si fundamentum non habet, Christum non habet. Si Christum non habet, fidem non habet, per quam Christus cor ejus inhabitet. Itaque consequitur, ut qui fidem non habet, infidelis sit; infidelis autem, quia Spiritum Christi non habet, ejus non est. Cujus ergo

2. Cor. 11. 2.

Eph. 3. 14.

est? Nimirum ejus, qui homicida est ab initio, A quique in veritate non stetit, quia veritas non est in eo, quia mendax est ipse & pater mendacii, quoniam qui cum Christo non colligit, spargit; & quia non est cum eo, contra eum est. Unde manifestum est Simoniacos per cupiditatem à fide aberrasse, vel potius apostatasse, & circa fidem naufragasse, sicut Apostolus Timotheo dicit: *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* (1. Tim. 6. 10.) Quos videlicet erroneos, vel apostatas vel fidei naufragos, non autem episcopos, aut clericos debere dici, vel haberi constat. Nam si terrenæ & temporalis B mercedis negotiatores per cupiditatem nonnumquam à fide aberrant, dum incaute & artificiose jurando, & perjurando assumunt nomen Dei sui, & animas suas in vanum, ut sibi corradant lucri aliquantulum, quantum putamus aberrare à fide eos qui non solum animas suas venales habent, sed etiam Spiritum-sanctum, Deum utique & Dominum vendere conantur? vere aberrant tota via à fide, quorum ab initio damnatas nundinas quia Spiritus exsecratur, fugit eos longe. Quo fugiente, nec fundamentum quod est CHRISTUS JESUS potest eis remanere, quia subtrahit se ipse Spiritus, C cujus interest suffulcire & corroborare. Sic accidit ut dum cupidissimi mortalium Incomparabilem comparare & vendere concertant, malignos spiritus ad destruendum exterius non solum bonorum operum suorum muros, sed etiam interius ad convellendum ipsam fidem, scilicet fundamentum, alacriores reddant, & quasi invicem sed ad omnimodam destructionem adhortantes dicant, quid Psalmista deflendo insinuat: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* (Psal. 136. 8.) Siquidem & avulso à cordibus hominum fundamento, hoc est Christo, qui semper innititur Spiritui-sancto, D certum est hujusmodi domum desertam, & funditus destructam derelinqui à Deo, & effici speluncam latronum, qui eam mox suo vendicant ludibrio; ita ut jam nomine vacuo christianus dicatur, cui nihil fidei, id est Christi, remansit omnino: ac per hoc convincitur sine Deo & pejor pagano, quia hic infidelis simul est & apostata; cum paganus quamvis sit infidelis, tamen christianæ fidei, vel conversationis, quam numquam habuit, nequeat recte dici, aut haberi apostata. A cujus etiam cogitationibus, sicut prædictum est, aufert te Spiritus-sanctus, quia sunt sine intellectu. Et E quæ cogitationes magis sunt sine intellectu, quam quæ æstimant Spiritum-sanctum posse vendi & emi? Minus enim est noxium quicquid de creatura cogitatur irrationabiliter, quam quod de Creatore.



CAPUT XXI.

Repulsio eorum qui dicunt haberi, & juste posse dari Spiritum-sanctum ab eo qui injuste accepit.

QUod si ab illis se aufert Spiritus-sanctus, qui eum æstimant posse vendi, multomagis ab illis, qui non solum id æstimant, sed etiam in tantum credunt, ut ad perniciem multorum verbis, & scriptis sic prædicent.

OBJECTIO.

Liquet, inquiunt, Sancti Spiritus gratiam vendi simul & comparari. Ergo Spiritum-sanctum, quem quis injuste acquisivit, injuste habuit, cui injuste concessit, hunc secum damnavit; cui vero juste largitus est, hic, si justus est, juste potest habere, quoniam bonus à malo bonum bene accepit.

REPULSIO.

In qua utique sententia, quis intellectus, vel quæ rationis sint illa inveniri potest? O Deus & Domine Spiritus-sancte, qui es justitia sempiterna, secundùm perfidiam istorum prædicatorum, immo perditorum injuste acquiri, injuste haberi, injuste concedi potes. Et ubi tam justitia quærenda est, si justitia injuste acquiri & haberi potest? heu miseri & insani, qui te velut aliquid pecus furto acquisitum, & à fure habitum, sicque scienter comparatum æstimant. Sed prius ipsi fiant sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, quia homines cum in honore essent, non intellexerunt, comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Quamvis enim rationale animal à Deo creati sint, ratione tamen abutentes non intelligunt justitiam injustitiæ, aut virtutem vitio cohærere aut convenire non posse. Qui ut B. Judas apostolus ait: *Quæcumque quidem ignorant, blasphemant. Quæcumque autem naturaliter tamquam bruta animalia noverunt in his corrumpuntur.* (Jud. 10.) Unde Spiritu-sancto ab hujusmodi cogitationibus effugato & ablato, ut supra dicitur, corripiuntur, id est ex toto arripiuntur à superveniente iniquitate, maligno spiritu scilicet, qui sic iniquus est, ut sit etiam ipsa iniquitas, sicut gloriosus Paulus declarat: *Mysterium*, inquit, *jam operatur iniquitatis.* (2. Thess. 2. 7.) Et post pauca: *Et tunc revelabitur ille iniquus*, qui denique sic est homicida, ut sit etiam ipsa mors; sic perditus & perditor, ut sit quoque ipsa perditio. Ab hac ergo iniquitate ex toto arrepti, jam sicut omnino animales homines non percipiunt ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia est enim illis, & non possunt intelligere, quæ spiritualiter examinantur. Porro ut idem Apostolus subjungit, *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* (1. Cor. 2. 15.) Quis enim cognovit sensum Domini? quis instruet eum? nos autem sensum Christi habemus. Nam sicut paulo superius præmittitur: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam* (1. Cor. 2. 10.)

profunda Dei. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus spiritualibus, spiritualia comparantes. Ex quibus Apostoli verbis inter alia illud maxime considerandum est quod ait: *Nos non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* Spiritus enim mundi, ut B. Johannes scribit, in maligno positi, spiritus malignus est, qui à Domino in Evangelio princeps mundi voca-
Johan 12. 31. tur, sicut est illud: *Princeps hujus mundi ejicitur foras.* Et *Princeps hujus mundi judicatus est.* Et *venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam.* Quem utique palam est eos non accepisse qui sciunt, quæ à Deo donata sunt eis. Quam scientiam operatur eis Spiritus qui ex Deo est. Quem ad hoc accepisse perhibentur, ut sciant quæ à Deo donata sunt eis. Probatio ergo acceptionis Spiritus, qui ex Deo est, eorum quæ ab ipso donantur recognitio est. Quam nos perfecte retinere ex hoc comprobatur, quia donum donari, id est gratis accipi, & dari secundùm evangelicam & apostolicam traditionem profitemur, & pro modulo nostro deffendimus, spiritualibus spiritualia comparantes. Unde è diverso colligitur eos spiritum mundi accepisse, qui contra evangelicam apostolicamque disciplinam donum Dei pecunia posse possideri æstimant, credunt, profitentur, & quantum possunt deffendere conantur, carnalibus spiritualia comparantes. Qui si eumdem spiritum mundi quis & ubi sit, vel quid jam passus recolerent, cum magna cordis contritione erui de potestate tenebrarum; atque dum adhuc licet transferri in regnum Filii claritatis paternæ quærerent. Siquidem ille est princeps mundi, rector tenebrarum earum, hominum scilicet infidelium, in quibus tamquam in filiis diffidentiæ regnat & operatur sua ipse serpens antiquus, qui est diabolus & sathanas jam judicatus & damnatus, atque foras ejectus, non utique extra fabricam cæli & terræ, sed extra corda fidelium, quos fecit Christus regnum, & sacerdotes Deo & Patri suo. Quod si spiritus mundi jam damnatus est & foras ejectus, patet jam damnatum, & cum eo foras ejectum mundum, cui ipse principatur, nec jam esse in mundo, quem dilexit Deus, & sanguine Filii sui redemtum, emundavit lavacro aquæ in verbo, ut sit ipse Deus cum eis eorum Deus. Nam quæ pars fideli cum infideli? Quapropter quisquis de Spiritu-sancto male sentit, animadvertat quid B. papa Damasus Paulino Antiocheno patriachæ scribens, inter alia dicit. Si quis de Patre, & Filio bene senserit, de Spiritu autem Sancto non recte habuerit, hæreticus est. Et quod omnes hæretici de Filio Dei, aut de Spiritu-sancto male sentientes, in perfidia Judæorum & Gentilium inveniuntur. Nempe
Joh. 8. 41. Judæis dicentibus: *Nos ex fornicatione, videlicet idolatria, non sumus nati. Unum Patrem habemus Deum,* respondit Dominus JESUS: *Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, & veni. Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Vos ex Patre diabolo estis.* Simoni quoque Mago Spiritum sanctum mercari cupienti Petrus dixit: *Non est tibi pars, neque sors in hac fide.* Act. 8. 21. Sed ne forte continuata hæc repulsio licet pernecessaria, si diuturnior habeatur, sic desertorem urgeat, & impetat, ut commilito noster defessus optetur, delicato lectori respirandi gratia oportet scriptoris intentio consulat, tandemque hic finis primi hujus libelli fiat.

Explicitur liber primus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

Explicantur capitula.



INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quid beatus Petrus apostolus suique coapostoli de hæreticis senserint.

B PRincipis apostolorum piissimi Simonis Petri sententiam in impiissimum Simonem Magum zelo ipsius columbæ, cujus filius erat, prolatam, contra pertinaces calumniatores defensum ire pro captu ingenioli aggressus, nullum mihi aptius principium, quam verba ejusdem, cujus egregia fides nec defecit; nec aliquando deficiet, sum arbitratus. Quibus concordes sententiæ coapostolorum ejus velut subscriptiones subjungantur. Hic enim de ipso & hujusmodi perfidis & apostatis in Epistola sua secunda latius differens, ait: *Fuerunt pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui* (2. Pet. 2. 1.) *introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibimetipsis celerem perditionem. Et multi sequuntur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur, & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* Et post pauca: *Hi velut* (Ibid. 12.) *irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in pernitiem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt percipientes mercedem injustitiæ. Pellicientes animas instabiles cor excitantis avaritiæ habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit. Correptionem autem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum, quod in homines voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, illiciunt in desideriis carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus & servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitione Domini nostri, & Salvatoris* JESU CHRISTI, *his rursus implicitis superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitam retro converti ab eo quod traditum est illis sanctum mandatum. Contigit enim illis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Judas quoque apostolus de talibus nos commonens, ait: *Subintroeunt quidam ho-* (Jud. 4.) *mines, qui olim proscripti sunt in hoc judicium, impii Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem & Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM *negantes.* Et post pau-

Ibid. 11. ca: *Væ illis, qui via Caïn abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & contradictione Chore perierunt. Hi sunt in epulis suis male convivantes, sine timore semetipsos pascentes. Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris, dispumantes suas confusiones; sidera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum servata est. Prophetavit autem, & de his septimus ab Adam Enoc dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra eum peccatores & impii. Hi sunt murmuratores, querelosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os illorum loquitur superbiam, mirantes personas, quæstus, causas. Vos autem, carissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri* JESU CHRISTI, *qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundùm sua desideria ambulantes in impietatem. Hi sunt qui segregant semetipsos animales spiritum non habentes. Vos autem, carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ veræ fidei, in Spiritu-sancto hortantes, vosmetipsos in dilectione Domini servate, expectantes misericordiam Dei nostri* JESU CHRISTI *in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicantes, illos vero salvate de igne rapientes; aliis autem miseremini in timore, odientes, & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Johannes quoque sive Evangelista, ut creditur, sive presbyter ecclesiæ Ephesi, cuidam sanctæ feminæ scribens dicit: *Hoc est*
2. Joh. 6. *mandatum Dei, ut quemadmodum audistis ab initio in eo ambuletis. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur* JESUM CHRISTUM *venisse in carnem. Hic est seductor & antichristus. Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui credit & non manet in doctrina, hic & Filium & Patrem habet. Si quis venit ad vos & doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec* AVE *ei dixeritis. Qui enim dicit illi* AVE, *communicat operibus ejus malignis.* Hinc etiam ille minimus apostolorum vocatione, maximus autem prædicatione & operatione Paulus, Galathas à pseudo-apostolis
Gal. 1. 6. fascinatos deterret, dicens: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in Gratiam Christi, in aliud Evangelium; quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Sicut prædixi, & nunc iterum prædico. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, ana-*
Phil. 3. 15. *thema sit.* Idem ad Philippenses ait: *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelavit. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Imitatores mei estote, fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Idem ad Co-
Colost. 2. 4. lossenses: *Hoc dico, ut nemo vos decipiat in*

A *subtilitate sermonum.* Et post pauca: *Videte ne* Ibid. 8.
quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum. Idem quoque ad Thessalonicenses: *Si* 2. Thess. 3. 14.
quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicum æstimare, sed corrigite ut fratrem. Idem ad Timotheum: *Fi-* 1. Tim. 1. 5.
nis præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium: volentes esse Legis doctores, non intelligentes neque quæ
B *loquuntur, neque de quibus affirmant.* Et post aliqua idem ad eumdem: *Spiritus manifeste di-* Ibid. 4. 1.
cit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam suam. Et post aliqua idem ad eumdem: *Si quis* Ibid. 6. 3.
aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri JESU CHRISTI, *& ei qui secundùm pietatem est doctrinæ, superbus nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, superstitiones malæ, conflictationes*
C *hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Idem ad eumdem: *Noli verbis contendere. Ad nihil enim* 2. Tim. 2. 14.
D *utile est, nisi ad subversionem audientium. Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem inaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit. Ex quibus est Ismeneus & Philetus qui à veritate ceciderunt, dicentes resurrectionem jam factam, & subvertunt quorumdam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stetit, habens signaculum hoc. Cognovit Dominus qui sunt ejus, & discedit ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea,*
E *sed & lignea, & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo mundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, utile Domino ad omne opus bonum paratum. Juvenilia autem desideria fuge. Sectare vero justitiam, fidem, charitatem, pacem, cum his qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt, nequando det illis Deus pænitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à dia-*

boli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes: quemadmodum Jambes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti, mente reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus sicut illorum fuit.

Ibid. 4. 3. Et post pauca: *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et post aliqua idem ad

Ibid. 4. 14 eumdem: *Alexander Ærarius multa mala mihi ostendit, reddet ei Dominus secundùm opera*

Tit. 1. 10 *ejus.* Item ad Titum: *Sunt multi inobedientes, vaniloqui & seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius Propheta ipsorum: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaïcis fabulis, & mandatis hominum aversantium*

Ibid. 3. 9. *se à veritate.* Et post aliqua idem ad eumdem: *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit proprio judicio condemnatus.*

CAPUT II.

De pietate, & impietate, & de Caïn & Balaam præsumtione.

HÆc nos ex apostolicis litteris latius decerpsisse, & continuatim hic inseruisse nullus superfluum ducat, quia cum alias hæreses, tum maxime illam notant, quæ turpis lucri sequax, pietatem quæstum æstimat. Pietas autem hic non est intelligenda ea quæ vulgo solet intelligi, & improprie dici misericordia, sed ea quæ græce dicitur eusebia, id est bonus cultus, vel potius theusebia, id est Dei cultus, secundùm quam Dei cultor, vel boni cultor dicitur pius, scilicet recta fide Deo devotus, & religiosus; sicut è contrario impius, quisquis veri Dei ignarus, infidelis scilicet, aut incredulus, spiritibus erroris passim prostituitur, & ad libitus eorum famulatur. Pietatis enim ostiaria fides est, sine qua

Quid pietas.

nec Deo placetur, nec Deus placatur, nec colitur: Unde hujus vocabuli attendentes, quotquot fideles sumus, peccatores quidem nos dum peregrinamur à Domino veraciter atque salubriter profitemur, impios autem nos omnimodis dicere abhorremus & devitamus. Ac per hoc astruitur omnis quidem impius etiam peccator, sed non omnis peccator etiam impius, quia quisquis fidelis quamdiu hic vivitur, non quidem sine peccato est, cum tamen sine impietate, id est infidelitate sit. Infidelis autem nec sine peccato, nec sine impietate, quales sunt impii Judæi, & pagani, de quibus Dominus in Evangelio ait: *Qui non credit jam judicatus est, sicut & princeps mundi hujus jam judicatus est.* Ideo secundùm Psalmistam: *Non resurgent impii in judicio.* Si ergo juxta Apostolum veritate privati sunt qui quæstum æstimavit pietatem, scilicet Dei cultum, quanto magis Simoniaci, qui adeo pietatem quæstum putant, ut etiam omnia ipsius pietatis officia, ordines videlicet divini cultus quæstus causa venales habent; ita ut ipsius quoque pietatis auctorem Spiritum-sanctum donum utique Dei, quod principaliter in ipsis ecclesiasticis ordinibus vel sacramentis operatur, pecunia posse possideri confidant? Nec negligenter prætereundum est; quod in ipsis sanctorum apostolorum scriptis, ubi præsentes simul & futuræ hæreses arguuntur, tacito nomine innumerabilium ante legem, & sub lege reorum, nominatim Caïn, Balaam, Chore; Jamnes quoque & Mambres paradigmatice ad medium deducuntur. Et tres quidem primos Judas Jacobi seriatim proponit dicens: *Væ illis quia via Caïn abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & contradictione Chore perierunt.* Quorum medium Beatus Petrus sic commemorat: *Secuti viam Balaam ex Bosor.* Porro duos ultimos beatus Paulus ita detegit: *Quemadmodum Jamnes & Mambres resisterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati.* Quapropter si diligenter inspicitur, præsumtio, avaritia simul & pertinacia, in his quinque argui deprehenduntur. Quæ utique tria omnium hæreseon existunt gemina, incrementa tamen & firmantia. Et Caïn quidem præsumtio illa inter alias existit, quod secundùm B. Johannis apostoli dictum, ipse qui ex maligno erat, & cujus opera maligna, ob invidiam sanctissimi fratris, cujus justa erant opera, sacerdotale sibi officium sacrificium Deo offerendo præsumsit. Quam nimirum sacerdotii prærogativam sola devotio patribus ante legem conferebat, ut velut sacerdotes sub lege altaria Domino sacrificarent, & hostias offerrent, sicut Noë, Melchisedech, Abraham, Isaac & Jacob, & B. Job. Porro avaritia illi tanta aspiravit, ut commune & publicum omnibus bonum, primus ad proprium & privatum redigere laboraret, præsumtis spatiis & terminis translimitando. Cujus squalidus & sedulus fossor sic incubabat, ut quicquid sibi ex illa proveniebat, in illam anxius sic reponebat, ut vix tandem connivente avaritia ad solam invidiam

Ioh. 3. 18. Psal. 1. 5. Iud. 11. 1. Pet. 2. 15. 2. Tim. 3. 8. 1. Ioh. 3. 12.

Sacerdotes ante legem sola devotio faciebat.

vidiam fratris ex terra levatum manipulum offerret. Et vere miserabilis & mirabilis avaritia perfidi hominis, cui cum duobus tantum viris, tunc patre scilicet & fratre parvus & angustus visus est totus orbis terrarum cum totidem partibus suis. Demum pertinacia eumdem sibi inextricabiliter devinxit, ubi etiam ipsi Domino à peccatis, & à præmeditato fratricidio se compescenti, & absterrenti acquiescere contemsit. Refert namque Genesis, Dominum dixisse ad Caïn: *Quare iratus es? & cur* Genes. 4. 6. *cecidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus ejus? & tu dominaberis illius.* Vel secundùm aliam translationem: *Si recte offeras; recte autem non dividas, peccasti, quiesce.* Porro Balaam præsumtione hac notatur, quoniam cum esset ariolus & idololatra, credebat se prophetam, atque benedictum cui benediceret, maledictumque cui malediceret, quodque veluti sacerdos Dei altaria ædificabat. Avaritia quoque illius & ex libro Numeri, & ex Epistola B. Petri apostoli evidenter 1. Pet. 2. 15 agnoscitur, ubi prædicit magistros mendaces, ab ecclesia exituros, cui pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit. Cui concordans coapostolus ejus Judas Jacobi, intentat illis Iud. 11. Væ, qui errore Balaam mercede effusi sunt. Cujus pertinacia ex hoc maxime convincitur, quod etiam quater à Domino correptus, & admonitus mentem à maledictione... perditionem Israëlis minime mutavit. Nempe sicut sacra historia refert, bis eum domi adhuc positum, sic Dominus præmonuit: *Noli ire cum* Num. 22. 12. *hominibus istis, neque maledicas populo, quia benedictus est.* Cui tamen postmodum præcepit: Ibid. 20. *Si vocare te venerunt homines isti, surge & vade cum eis, ita dumtaxat, ut quod præcepero tibi facias.* Cui jam in via posito post afflamina asinæ angelus apparens interminatus est sic: *Ego* Ibid. 33. *veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria.* Quem tamen permittens ire, dixit: *Vade cum istis; & cave ne aliud* Ibid. 35. *quam præcepero tibi loquaris.* Sed impius ille ferali avaritiæ addictus, clam eis laqueos perditionis aptavit, quibus palam se in mortem fieri similem optavit.

CAPUT III.

De peccato Chore & fautorum ejus, atque pœna eorum.

JAm in ipsa contradictione Chore, præsumtio & avaritia idem videntur esse. Nam ambiendo indebitum sibi sacerdotium præsumsit, & præsumendo ambivit. Porro AVARITIA, ut B. Gregorius ait, non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad avaritiam honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de Unigenito Filio diceret: *Non rapinam arbitratus* Phil. 2. 6. *est esse se æqualem Deo.* In hoc ergo diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quo eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Pertinacia quoque Chore in hoc ostenditur, quod nec increpatione, nec admonitione ad cor fuit reversus. Denique ut historia refert, ita illi acriter impudenterque jurganti, & exprobanti, mitissimus hominum Moyses respondit: *Mane notum faciet Dominus qui ad se pertineant,* Num. 16. 5. *& sanctos applicabit sibi, & quos elegerit appropinquabunt ei, hoc igitur facite. Tollat unusquisque thuribula sua, tu Chore & omne consilium tuum, & hausto cras igne ponite desuper thimiama coram Domino, & quemcumque elegerit ipse erit sanctus. Multum erigimini filii Levi. Dixit rursum ad Chore, Audite filii Levi, Num parum vobis est quod separavit vos Deus ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu Tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, ut ministraretis ei? Idcirco ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum.* Hinc summotenus per internuntios comperta Dathan & Abyron protervа contradictione iratus est Moyses valde, ait ad Dominum: *Ne respicias sacrificia eorum.* Ibid. 15. *Tu scis quod ne asellum quidem acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum; Dixitque ad Chore: Tu & omnis congregatio tua, state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim. Tollite singula thuribula vestra, & ponite super ea incensum offerentes Domino CCL. thuribula; Aaron quoque teneat thuribulum suum. Quod cum fecissent, stantibus Moyse & Aaron, & coacervantes adversus eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante contra omnes tua ira desæviet? Et ait Dominus ad Moysen: Præcipe universo populo, ut separetur à tabernaculis Chore & Dathan & Abyron. Surrexitque Moyses & abiit ad Dathan & Abyron, & sequentibus eum senioribus Israël dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum; Cumque recessissent à tentoriis eorum per circuitum; Dathan & Abyron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus & liberis omnique frequentia. Et ait Moyses: In his scietis quod Dominus miserit me, ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim, si consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua & ceteri visitari solent, non misit me Dominus: sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devo-*

ravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia; descenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israël, qui stabat per gyrum fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat. Sed & ignis egressus à Domino interfecit CCL. viros qui offerebant incensum. Ex quo utique divinæ severitatis judicio, etiam in superficie historiæ, quam pene totam huic opusculo inserendam judicamus, conjicere possumus quid mereantur, aut quid passuri sint, qui sacerdotium christianæ gratiæ sibi sæculariter vindicare præsumunt, si tanta animadversione mulctati sunt, qui sacerdotium Mosaïcæ Legis sibi contumaciter præripere attentaverunt; quorum duorum sicut quammaxima in sacramentis est differentia, sic & quammaxima debet esse in ministris utriusque distantia, quantum scilicet distare solet servuli ab imperatoris persona. Equidem Mosaicum illud sacerdotium sacrificiis carnalibus insistens sanguinem hircorum & taurorum, aliquorumque animalium, quo secundùm Apostoli dictum impossibile erat auferri peccata, umbram solummodo futurorum bonorum præferebat: Christianum autem spiritualibus hostiis vacans, sanguinem Agni incontaminati, & immaculati JESU CHRISTI, qui tollit peccata mundi, quotidie fundit in remissionem peccatorum per manifestam veritatem præsentium, & futurorum bonorum. Illud quoque animadvertendum, quod Chore non pecunia, sed gradus sui propinquitate, sed cognatione, qua contribules erant ipse & Aaron, quamvis non ejusdem familiæ, & quia confidebat se quoque Domini esse, sicut ex his verbis
Num. 16. 3. ejus cognoscitur aperte: *Sufficiat*, inquit, *vobis quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini?* Sed & illud non minus animadvertendum, quam horrendo & miserabili modo Dathan & Abiron viventes in infernum cum omnibus suis, cumque omni supellectile sua descenderint, cum sibimet sacerdotium non quæsierint, neque enim ex tribu Levi erant, sed tantummodo præsumtoribus faverint. Et tamen gravius puniti sunt fautores & defensores, quam ipsi præsumtores. Gravius est enim terra deglutiri vivos cum rebus & ipsis parvulis, qui non peccaverant, quam igne amburi solos, qui peccaverant. Animadvertant hoc laïci & clerici, qui non timent pravis & indisciplinatis patrocinari, maximeque qui indignos, aut potentia sua, vel favore, seu pretio ad sacros ordines exigunt promoveri. Animadvertant quoque quia prohibitus fuit populus contingere quicquid eorum quæ ad Dathan & Abiron pertinebant, ne involverentur peccatis eorum, cum supellex Chore in tantum non perierit, ut etiam thuribula eorum in laminas producta jussu Dei altari affusa sint. Et ut historia refert in sequentibus, factum est grande miraculum, ut pereunte Chore, filii illius non perirent; tandemque cognoscant defensores vel fautores pravorum quanto pejores sint pravis ipsis. Etenim sicut priores in scelere prius Dathan & Abiron terra absorbuit; dein Chore cum suis complicibus flamma corripiens combussit. Præ cunctis autem animadvertant Simoniaci, qui post innumera anathemata Spiritum-sanctum pro ecclesiasticæ dignitatis ambitione pecunia impugnare præsumunt, quique se expugnare vel expugnari posse eumdem credunt, quanto sceleratiores sint Chore, qui ante quidlibet anathema, sacerdotium Judaïcæ Synagogæ nulla pecunia prolata vel promissa, sed sola cognationis, vel sanctitatis fiducia, sibi arripere tentavit. Præterea animadvertant Simoniacorum, seu quorumlibet indisciplinatorum fautores, & obstinati defensores ab evangelica veritate quid timere debeant, si Dathan & Abiron ab umbra legati tantam cladem experti sunt. Severior enim Evangelii quam legis est cautio, quia in hac pravum factum solummodo, in illa autem punitur etiam cogitatio. Et certe Dathan & Abiron atque Chore duplici contritione, corporis scilicet & animæ creduntur contriti, ut attestatur Judas Jacobi.

Quam graviter peccant qui malis patrocinantur.

CAPUT IV.

De vulgo sequaci præsumtorum & de differentia veri & falsi sacerdotii.

JEsus de terra Ægypti populum salvans; secundo eos qui non crediderunt perdidit. Sed hinc jam quid eadem historia subjungat perpendatur: *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio & tumultus increſceret, Moyses & Aaron fugierunt ad Tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt operuit nubes, & apparuit gloria Domini, dixitque Dominus ad Moysen; Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terram, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis. Jam enim egressa est ira à Domino, & plaga desævitur. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thimiama; & stans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit. Fuerunt autem qui percussi sunt quatuor decem millia hominum & septingenti, absque his qui perierunt in seditione Chore.* In quo videlicet facto evidenter monstratur quod etiam perversorum sequax vulgus divina indignatione enormiter prosternitur, dum eosdem perversos quos populum Dei falso credebat & dicebat interfectos conqueritur. Nec mirum, quia amicus stultorum efficietur similiter, ut ait Salomon, quorum societatem cavendam edocet sic: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint veni nobiscum, aut sorte mitte nobiscum: marsupium unum sit omnium nostrum. Pedes enim eorum ad*

Num. 16. 41.

Prov. 1. 10.

malum currunt. Ne æmuleris viros impios, nec A *desideres esse cum eis, quia fraudes labia eorum loquuntur. Et cum detractoribus ne commisceearis, quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit? Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in novissimis quando consumseris carnes & corpus tuum, & dicas: Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam?* Pæne fui in omni malo in medio Ecclesiæ & synagogæ, quæ ex proverbiis idcirco latius colle- B gimus, quia bruta & segnis ad malumque prona hominum multitudo, doctrinam veritatis cognoscere contemnit, tantum prava facta majorum vel rectorum suorum imitari cupida, sua se ignorantia cui sponte subjacet excusare contendit, cum dicat Paulus, *Qui ignorat ignorabitur.* (1 Cor. 14. 38.) Unde abjiciat à se ignorantiam quæ mater est vitiorum Christianus populus, discat quis sit pastor, quis mercenarius, quis fur & latro: & pastorem quidem omnino sequatur & audiat; mercenarium autem solummodo audiat, & interim sufferat; furem vero & latronem nec aliquando audiat, nec sufferat, quia non veniunt nisi ut furentur & C mactent, & perdant. Et heu lacrymabiliter vitiata nostræ humanitatis conditio, quæ vix umquam diurnis meditationibus, & quotidianis præmonitionibus fatigata, cognoscit sibi appetenda, vel fugienda, cum reliqua omnia animalia ab ipso sui exordio solo instinctu naturæ appetant sibi accommoda, & fugiunt incommoda, vel ut turtures & hujusmodi, sive accipitres, generisque eorum aves columbam. In superficie quoque præfixæ historiæ indubitanter monstratur, quantum differant qui sumunt sibi honorem, ab his qui à Deo vocantur. Chore quippe ejusque complices offerendo incensum & preces Domino, nemini pro- D fuerunt, sibi autem per omnia obfuerunt, ubi nec mora incendium meruerunt. Aaron autem solus offerendo incensum, & rogando pro pereuntibus, inter mortuos & vivos stans, quasi quidam inexpugnabilis & impenetrabilis murus, & ipse à tanto incendio permansit illæsus, atque illud avertit à superstitibus. Taliter unius legitimi sacerdotis oblatio, & oratio indignationem divinitatis placavit, quam ducentorum quinquaginta præsumtorum sibi & aliis provocavit. Quod oportet audiant Simoniaci atque eorum defensores, si habent aures audiendi, tandemque desinant precibus E suis, & sacrificiis contra se & contra populum inextinguibiliter accendere iram Dei.



CAPUT V.

De Jamne & Mambre, quibus pejores sunt Simoniaci.

RESTANT Jamnes & Mambres quorum præsumtio & avaritia palam est. Denique cum essent malefici geminæ avaritiæ causa, præsumebant signa divinitatis æmulari, sive ut pares Moysi, vel superiores illo æstimati, à populo magnificarentur, aut certe ut regiis donis cumularentur. Quorum pertinacem fallaciam nuda veritas, & maxima potentia signorum Moysi non repressit, donec illis copiam fallendi palam omnibus defecit. Nam quia uti ratione ad discernendum bonum à malo nolebant, eos tamquam infideles non verba, sed signa resipiscere admonebant, & increpabant. Si quidem admonitio simul, & increpatio illis adhibebatur, ubi à virga Moysi virgæ eorum devorabantur, & aqua in sanguinem versa, atque ranæ eductæ ad id quod fuerant per solum Moysen revertebantur, cum ipsi malefici plagas illas sibi, & aliis tantum addere, non autem possent auferre. Qui cum postea etiam ipsam fallendi & nocendi possibilitatem in tertia plaga amisissent, dixerunt: *Digitus Dei est hic.* (Exod. 8. 19.) Unde constat Spiritum sanctum cujus operationi in Moyse resistebant, eorum præstigia tunc exinanisse, & postea in tertia nihilominus plaga, quæ jam sexta erat, propter pertinaciam, etiam cum jumentis eos ulceribus, & vesicis turgentibus deturpasse, & condemnasse, ne jam possent stare coram Moyse. Porro digitum Dei Spiritum-sanctum esse, ipse Dominus in Evangelio indicat, dicens: *Si in digito Dei ejicio dæmonia.* (Luc. 11, 20.) Quod alius Evangelista exponens, ait: *Si in Spiritu Dei.* Hinc perpendant hæretici quibus sint assimilati, & caveant se suaque arcana, aut sicut ipsi sibi præsumunt sacramenta assimilare sacramentis catholicorum, quibus cooperatur Digitus Dei, nec pro sua irrationabili pertinacia à Spiritu-sancto, cui contumaciter repugnare non metuunt, velut jumenta irrationabilia irrecuperabiliter percutiantur. Perpendant quoque maleficos illos nullis suis invocationibus & exsecramentis potuisse auferre, vel imminuere clades suorum & suas, sed potius augmentasse, & tandem Digitum Dei confessi, incipiunt sibi suisque ecclesiasticos ordines humiliter declinando pavere, potius quam superbè usurpando interitum propagare. Quod nisi sattigerint nequiores se Jamne & Mambre proculdubio noverint, cum isti Digitum Dei sibi adversari sentientes cesserint, ipsumque professi fuerint, licet impœnitentes veniam non meruerint. Ipsi vero nihil præter solam pertinaciam habuerint, tanto scilicet nequiores, quanto illi in scelere minores, ut puta qui fuerint magi Pharaonis mortalis utique hominis, cum sint ipsi sub nomine religionis lenones antiqui serpentis. Quapropter

exemplo Caïn, Balaam, & Chore, de quibus supra diximus, & magorum horum, de quibus sermo est, perterrefacti, quotquot cupiunt de catholicæ Ecclesiæ pace in æternum gaudere, caveant præsumptionem, fugiant avaritiam, devitent pertinaciam, illam B. Pauli semper præ oculis habentes sententiam: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et hæc omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Rom. 15. 4.

CAPUT VI.

Ubi admonentur christiani vitare supplantationem hæreticorum, quorum inibi malum atque pœna ostenditur.

ET nunc sacerdotes, reges terræ, & omnes populi intelligite, erudimini principes, & omnes judices terræ; juvenes & virgines, senes cum junioribus apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Diligite justitiam, recolite quis dederit vobis pignus Spiritus, & nolite contristare eumdem Spiritum-sanctum Dei, in quo signati estis in die redemtionis. *An nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus-sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* 1. Cor. 6. 19. *Vos enim estis Templum Dei vivi, & Spiritus-sanctus habitat in vobis. Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* 1. Cor. 3. 16. *Empti estis pretio magno*, 1. Cor. 6. 20. nolite vos denuo vendere diabolo quadrante minimo, quem donec reddas de carcere districti Judicis exitum frustra speras. Nolite facere domum Dei Patris domum negotiationis, neque domum orationis speluncam latronum. Sentite de Domino in bonitate, præsumite de illo ad bonum incipere, facere, & perficere, & in simplicitate cordis quærite illum, non autem in aliqua duplicitate, neque potestis Deo servire, vel adhærere, & mammonæ. Denique quia ipse Spiritus-sanctus simplicitas est, & simplices facit, simplicesque ut ab ipsis quæratur quærit, congrue in simplicissima avium super simplicissimum Dominum JESUM apparuit & mansit; Quæ simplicibus frugibus contenta, nulli rapinæ inhiat, quin potius fallaces milvos, & hujusmodi raptores caute devitat. Simplicitas autem justorum diriget eos, & supplantatio perversorum vastabit illos. Unde justi ex fide viventes sive pro officio suo manus alicui simpliciter imponant, sive aliud quid in nomine Domini agant, omnia eis cooperantur in bonum. E contrario perversi quia supplantationi mutuæ insatiabiliter inhiant, peccatum est quidquid actitant, quoniam sine fide extat. Nam ubi supplantatio est, fraus quoque est. Ubi vero fraus, ibi & infidelitas, atque maledictio, sicut Propheta denuntiat: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* Jer. 48. 10. Itaque attendatur inter alias illa Simoniacorum supplantatio, qua se invicem supplantant vendendo & emendo. Simoniaci se invicem supplantant. Equidem emtor pretium dando supplantat venditorem, dum illum gratia Dei fraudat, ne eam habeat venditor, aut pretium accipiendo, nihilominus supplantat emtorem, dum illum gratia Dei fraudat, ne eam accipiat. Qua supplantatione quia utrique invicem se gratia Dei fraudant, elongatur ab eis benedictio, qua postmodum secum alios damnent. Quoscumque sive gratis, sive non gratis contaminat manus eorum impositio; ac per hoc fit ut supplantatio perversorum vastet illos, nec relinquat eis radicem & germen spiritualis gratiæ. Nam quam periculosum sit etiam laïcis ex sæcularibus rebus negotium, sapientis monstrat hoc proverbium: *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt.* Eccli. 26. 28. *Difficile exuitur negotians à negligentia, & non justificabitur caupo à peccatis labiorum. Propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertit oculum suum, sicut in medio compaginis lapidum palus figatur, sic & inter medium venditionis, & emtionis angustabitur peccatum.* Quod si tam difficilis & periculosa est venditio, & emtio laïcis in communibus, & privatis eorum utilitatibus; quis enarrare potest quam difficilis & periculosa sit clericis in ecclesiasticis ordinationibus? Et certe tibi licita est venditio rei tuæ, quia secundùm B. Augustini dictum, non illicite venduntur quæ licite emuntur. Nam ipse Dominus adolescenti cuidam: *Vade*, inquit, *& vende* Matth. 19. 21. *omnia quæ habes.* Et alibi ipso dicente Judæ proditori: *Quod facis, fac citius*, Ioh. 13. 27. quidam discipulorum putaverunt eum solito dixisse, Eme nobis ea, quæ opus sunt ad diem festum. Et tamen licita, & pernecessaria plurimis mortalium venditio suarum rerum vix non infigit peccatum, quod scriptura asserit inter vendentem & ementem figi, & coangustiari velut palus inter medias juncturas lapidum. Et quantum putamus crimen incurrunt, qui illicita & pestifera venditione alienam rem, contradicente eo cujus est, distrahere præsumunt? Plane violenti & raptores sunt de quibus Apostolus: *Neque raptores*, inquit, *regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. 10. In quibus, si possint, juste considerent, quantam rapinam præsumant, qui de ipso Deo, & omnium rerum visibilium & invisibilium Domino nefandè negotiari affectant, ubi gratiam ejus, quam gratis acceptam à se gratis dari præcepit, vendere & emere ad multarum animarum perditionem non dubitant. Verum in hoc non solum raptores & sacrilegi, verum & homicidæ, perjuri, apostatæ, atque hæretici, quorum justæ ultioni vix sufficiant varia & innumerabilia tormenta inferioris inferni. Qui nec præfatis sceleribus contenti, ad cumulum sempiternæ damnationis suæ blasphemant Spiritum-sanctum, quem suo sacrilegio & rapinæ, ceterisque nequitiis in tantum cooperari prædicant, & credunt, ut ad votum illorum sacrificetur, & benedicatur quicquid ipsi leprosi & maledicti ore, manuque contingunt.

CAPUT VII.

De damnatione ficte quærentium Dominum, sub exemplo Ananiæ & Saphiræ.

IGitur quotquot estis filii Dei, quia Spiritu Dei agimini, in simplicitate cordis quærite ipsum Spiritum Dei, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum. Simplex est enim, immò ipsa simplicitas, cui per omnia exsecrabilis est simulatorum, & calidorum duplicitas, juxta quod scriptum est: *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* Ubicumque autem simulatio vel calliditas, ibi quoque fraus: & ubicumque fraus, ibi quoque tentatur divinitas: qua utique tentatione ira Dei provocatur, sicut in apostolorum Actibus verbo & facto Principis apostolorum monstratur, ubi sic legitur: *Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri conscia uxore sua, & afferens partem quamdam ad pedes apostolorum posuit. Petrus autem dixit ad eum, Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui-sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat; & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. Et factus est timor magnus in omnes qui audierunt. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introivit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi si tantum agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit tentare vobis Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Et confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.* Quæ nimirum divina indubitanter attestatur, quod fraudator non hominibus sed Deo, utique Spiritui-sancto mentitus, ipsum Spiritum Dei tentare convincatur. Cui misero pro vindicta mors infertur subita, quam etiam post paululum incurrit Saphira; cædis quidem tunc nescia, sed fraudis prius conscia. In quibus etiam ad litteram sententia completur, qua dicitur: Facientes & consentientes pari pœnâ plectuntur. Et, qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus. Quem certe consensum B. Petrus conspirationem arguit esse dicens: *Utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?* quia enim Spiritus-sanctus effusione gratiæ suæ hanc caritatem

Act. 5. 1.

Act. 5. 8.

A primitivæ Ecclesiæ inspiraverat, ut multitudinis credentium esset cor unum, & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat suum esse aliquid diceret, sed essent illis omnia communia: nemini semel admoventi manum hujusmodi aratro permissum est respicere retro; alioquin non est aptus regno Dei, à quo prioris propositi sui defraudator quis sponte effectus, apostatat omnino. Unde secundùm sapientis sententiam, *Qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rompheam,* scilicet qua à paradiso ejus prohibitus relinquatur sociandus diabolo, & angelis ejus. Denique etiam si quis à superiori proposito recedens, bono quidem, sed tamen inferiori se B conferat, ipsum bonum non jam bonum, sed peccatum constat. Verbi gratia, si quæ virginalem, seu vidualem continentiam professæ, ad nuptias quæ utique bonæ sunt devolvantur, juxta Apostolum habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; hinc & Moyses in Deuteronomio ait: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illum Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, imputabit tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* C Quapropter Spiritus-sanctus institutioni suæ, communi scilicet vitæ fraudem irrogari nec ad momentum passus; simul infelix Ananias ingressus pretii partem pedibus apostolorum exposuit, correptus expiravit, nec puncto temporis cum sanctis quos fraudaverat participari permissus, nec vivus, nec mortuus, sed nec conscia fraudis uxor ejus. Et certe quantum ad humanum arbitrium, ultio hæc severa videtur nimium, ut homo in conversatione illa cœnobitali adhuc valde rudis, vel novitius, & qui nullum D super hoc interdictum prius accepisse legitur, tam repentino & horrendo exitu cum conjuge damnatur; necnon quia non alieni, sed sicut Arator dicit: *Fur census sub fraude sui:* sed ob semel abreptum communis vitæ propositum, quod suum fuerat, jam non erat suum, quia erat & illorum qui non præsumebant, nec dicebant aliquid suum. Unde non solum fraudator, sed fur quoque sacrilegus extitit, quia quod suæ potestatis prius fuerat retinere, aut vendere, voto & professione ejus sacrum cœperit esse: & quia sacrum de sacro E surripuit, dum sanctos suo censu fraudavit, duriori vindictæ jure subjacuit, quam si sacrum non de sacro, aut non sacrum de sacro substraxisset. Quod necesse est sollicite considerent communis vitæ professores, ne post prohibitiones se invicem fraudent, saltem extrema facultatum quondam suarum portione, & ut veri sacrilegi damnationem, quam illi [a] in corpore pertulerunt, hanc ipsi cum [a]

Eccli. 16. 17.

Deut. 23. 21.

[a] Innuit hic Humbertus Ananiam & Saphiram corporali tantum morti addictos fuisse, id quod cum eo docent gravissimi sancti patres, Origenes tract. 8. in Matth. Augustinus libro 3. contra Parmen. & Serm. 148. Cassianus Collat. 6. S. Benedictus in Regul. cap. 57. & alii. Idem disertis verbis docet idem Humbertus infra lib. 3. cap. 27.

omnibus qui aliquam fraudem aut rapinam Ecclesiæ facere præsumunt in anima patiantur tanto gravius, quanto melior est anima quam corpus. Considerent quoque, quod omnis illorum in fraude, & post fraudem cogitatio, locutio & actio, licet bona videatur hominibus, Spiritui-sancto tamen habeatur mendacium & tentatio, dicente Petro Ananiæ: *Cur tentavit sathanas mentiri te Spiritui-sancto, & fraudare de pretio agri? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentibus hominibus, sed Deo.* Ubi evidenter monstratur quod fraudem in corde ponendo mentitus sit Deo. Et post pauca: *Uxori ejus*, inquit, *Utique convenit vobis tentare Spiritum Domini.*

Act. 5. 3.

CAPUT VIII.

De eo quod non solum vovendum, sed & reddendum sit Domino.

SEd ne quis modicæ fidei apud se dicat, si tam districte exigitur quod vovetur, cavendum est deinceps ne tale quod voveatur, Psalmistam in Spiritu-sancto sic præmonentem audiat: *Vovete.* Et ne tibi sufficere solum vovere putares, mox sub jungit: *Et reddite.* Et velut interrogares cui voveatur, & reddatur? respondet *Domino Deo vestro.* Et ne forsan crederes te vel alios exteriora munera, v. g. oleum, ceram & incensum, jejunium & plura hujusmodi offerentes excipi, adjicit: *Omnes qui in circuitu ejus offertis munera.* Ac si diceret, Non vitupero quidem quod exteriora vestra Domino offertis, sed moneo ut & vos ipsos, animam scilicet ac corpus hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, non conformati huic sæculo, sed reformati in novitate sensus vestri offeratis; ut quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum, & quod perfectum & probetis, quod votum ne negligeres, cui voveris inculcat dicens: *Terribili.* Putasne quam Terribili? Adjecit: *Et ei qui aufert spiritum principum.* Cujus tenore ut vere ineffabilem adhuc revelare mortalibus laborans conclusit sic: *Terribili apud omnes reges terræ.* Ergo quia indignum nimis est, ut Domino nostro Jesu Christo, qui tanta & talia in nobis, & pro nobis est operatus, & passus, ingrati simus, totum quod habemus, vivimus & sumus, ipsi voveamus & reddamus. Alioquin melius est non vovere, quàm post votum non reddere; cum etiam per Moysen monstretur peccatum esse si tardamus votum reddere. Quod si peccatum est si reddere tardaverimus, quanto magis si non reddiderimus? Nam simili nobis homini si quid vovemus, nec reddimus, quasi rebus suis eum fraudaverimus, adversari nobis quantumcumque poterit sentiemus. Si autem aggressi Deo votum reddere deficimus, post sathanam convertimur, canisque ad vomitum reversus, & sus in volutabro luti lota efficimur. Itaque postquam multis modis sapienti satisfactum putatur

Psal. 75. 12.

quantum vitanda sit fraus, tandem Simoniaci, quibus pœne tota hæc nostra tragædia texitur, in se redeant, & quantam fraudem perpetrent, vel admoniti recognoscant. Et si Ananias ex sola fraude, furto, sacrilegio, mendacio, conspiratione simul, & tentatione Spiritus Dei notatus, morte subita mulctatur, pro eo tantum quod ex agelluli sui pretio aliquantulum sibi retinuit de crastino sollicitus; hi, si sufficiunt, æstiment quanto furto, sacrilegio, mendacio, conspiratione simul & tentatione Spiritus Dei obnoxii sint, & qua pœna digni, qui se invicem Spiritui-sancto fraudaturi, eumdem mediatorem sibi, & causam pretii proponere satagunt, ut occupantes aucupantes alienam rem, alienumque censum, adimpleant conspirationem suam, qua tentare convenit eis ipsum Spiritum-sanctum. Qui tamen quia non invenitur ab his qui tentant illum, omnis eorum cogitatio, locutio & actio, sine dubio habetur Spiritui-sancto mendacium, etiamsi hominibus videatur alicujus veritatis præferre indicium.

CAPUT IX.

Quod Spiritus-sanctus fidelibus appareat, infideles autem lateat à quibus nec quæritur.

POrro quod mendacium à Spiritu-sancto damnationem sibi & consciis suis, nullam autem sanctificationem quibuscumque acquirat, Ananiæ & Saphiræ mors clamat. Quin etiam si Deus apparet his qui fidem habent in illum; profecto patet Spiritum-sanctum, nec apparere Simoniacis, qui perfidia & mendacio impugnant illum. Ubi enim mendacium, ibi & perfidia. Unde Dominus qui apparet fidelibus, abscondit se ab infidelibus. Fidei siquidem catholicæ apparet, ut puta in qua, & per quam in cordibus nostris manet: perfidæ autem hæresi, ut puta quam per omnia horret, nusquam & numquam nisi iratus & vindex adest. Unde constat quia nec invenitur ab eis, quoniam fraudando & mentiendo tentant illum, ut puta qui fidem non habent in illum, secundum quod incredulitatem Judæorum cavendam Apostolus monens ait: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* De quibus & Psalmista ait: *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis*, dicendo, ut historia refert: *Est-ne Deus in nobis an non?* Illud quoque sapientiæ dicentis, *Quærent me mali & non invenient.* Si in hoc sæculo subauditur, secundùm præcedentia accipiendum est, quasi diceretur, Tentabunt me mali, & nec juxta velle suum invenient me faventem sibi: alioquin quis quæsivit Dominum & non invenit? Quoniam in sæculum misericordia ejus, & qui quærit, invenit. Si autem in futuro subauditur; quæretur tunc, & non invenietur, quia dum inveniri potest nunc non quæritur. Unde Propheta ad vere quæren-

1. Cor. 10. 9.

dum Dominum admonens ait. Si quærit, quærite. Qui enim ficte quærit Deum, numquam

Psal. 104. 4. inveniet eum: *Quærite*, inquit Psalmista, *Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Et tamen quia omnino verum est Qui quærit, invenit, concedatur etiam Simoniacos non ficte sed inhianter quærere, & ob id quod quærunt indubitanter invenire. Sed quid quæritur? Quod Psalmus increpative de-

Psal. 4. 3. monstrat dicens: *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et quid inveniunt? Nimirum patrem mendacii, scilicet diabolum, qui attestante Domino in veritate non stetit, quia veritas non est in eo. Et cum loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est ipse

Prov. 17. 11. & pater ejus. Hinc & sapiens dicit, *Semper jurgia quærit malus.* Angelus autem crudelis mittitur contra eum, auctor utique discordiæ. Si ergo quis quod quærit invenit, & si quærens mendacium vel jurgium, patrem mendacii vel auctorem discordiæ invenit; Simoniani venditores & emtores quid quærunt, lucrum procul dubio terrenum, & ut summatim & aperte dicatur, pecuniam tantum. Sed quid inveniunt? Tentationem & laqueum diaboli, quia impugnando gratiam Dei volunt ditari. Et cujus diaboli? Mammonæ scilicet, qui lucris & pecuniis terrenis præest. Et ad quid inveniunt? ut sit eorum Dominus, ipsique servi ejus, secundum quod dicitur; Amator pecuniæ servus est Mammonæ.

CAPUT X.

De excessus eorum differentia qui super fundamentum Christi excedunt, & eorum, qui sine ejus fundamento.

Verum quia & apud Catholicos, velut rara avis æstimatur qui inter eos pecunias aspernatur, quamvis plurimum differant, qui eas sibi juste quærunt ad solum usum necessarium, ab his qui etiam ad superfluum: non se debent negotiatores, de quibus agitur, nostris in aliquo assimilare, qui malum temporaliter agere, quam patriam Dei venalem ducere, confidentes quia nihil deerit timentibus eum. Qui si etiam in terrenarum rerum negotiis interdum excedunt, eleemosynis, aliisque bonis quantocius pro certo placare sibi Dominum possunt, quia catholicæ fidei fundamentum in mente conservant integrum. Cujus fundamenti merito salvi fiunt, sic tamen quasi per ignem, etiamsi superædificaverint ligna, aliquando fœnum, stipulas, quod de omnibus etiam criminosis creditur, à quibus fundamentum id retinetur, si tamen in hac vita fecerint dignos pœnitentiæ fructus. Porro emtitii servi Mammonæ, ejusque vesanæ malitiæ duces & signiferi, qui non solum suas animas venales habent, sed etiam ipsarum Creatorem, & Sanctificatorem animarum vendere laborant, quid agent? aut quô iidem milvi fallacissimi à facie columbæ ipsius, quam vena-

A lem putant, fugient? qui fundamento quod est *Christus Jesus*, fide scilicet se privarunt, super quem velut super firmam petram Ecclesiam suam ipse ædificat? Neque enim eleemosynis aliisque bonis, quæ utique subtracto ipso fundamento, nulla eis insunt, juvari possunt; cum potius in peccatum illis reputetur quicquid aliis salutem operatur. Nec mirum cum ipsi nec salutem suam, nec alicujus quærant in ecclesiasticis officiis; quæ sibi male præsumunt, quod ex hoc probatur, quia sola pecunia eis dominatur, quæ sola in actionibus eorum operatur; ipsa enim petitur, ipsa quæritur à venditore, ipsa

Simoniacis reputatur in peccatum quod catholicis operatur salutem.

B pulsatur, ipsa proponitur, ipsa adoratur, ipsa invocatur, ipsa datur, ipsa accipitur, ipsa habetur, ipsa possidetur. Quæ si de medio aufertur, aut certè dum exigitur denegatur, procul dubio constat, quia nec Deus petitur, nec quæritur, nec pulsatur, nec proponitur, nec adoratur, nec invocatur, nec datur, nec accipitur, nec habetur, nec possidetur. Sic versa vice ipsa petit, ipsa pulsat, ipsam emtor proponit, ipsam adorat, ipsam invocat, ipsam dat, per ipsam accipit, per ipsam habet quod habet, per ipsam possidet quod possidet. Sed quid? Exteriorem dealbationem & interiorem denigrationem,

C quia perditionem, quia damnationem, quia maledictionem, quia sacrilegium, quia mendacium, quia apostasiam invicem sibi dant & accipiunt, habent ac possident. Quin potius à tot dæmonibus possidentur, quot modis prave negotiando supplantant, & supplantantur. Specialiter autem à maligno Mammona, cujus sunt summi usurarii, cuique omnis intentio, & actio eorum militat. Neuter enim eorum, venditor scilicet ac emtor Deum proponit ante conspectum suum; immò pœnitus proponit sibi Deum, cui proponit numerum. Quo fit ut postponendo Deum primum & novissimum, Antiquum utique

D dierum, cujus sine fine regnum, proponant sibi recentem Deum, atque deserendo suum, adorent Dominum alienum, Psalmista contradicente sic: *Israël si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Sed quia non obauditus fuit, subdit: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Et paulo post: *Inimici Domini mentiti sunt ei*; de quibus alibi congeritur: *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere*, Deum meum scilicet ad me. Quâ cogitatione ad quid pervenerint, subjungit dicens: *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Si ergo qui cogitaverunt Deum à sancto viro


Psal. 80. 10.

Ibid. 13.

Psal. 61. 5.

E repellere, jam maledicunt corde, quamvis benedicant ore; quid putas agunt, qui non solâ cogitatione, verum locutione & opere laborant Dominum à se & ab aliis repellere? Quorum oris benedictio quæcumque illa sit, indicibilis maledictio apud Deum fit, qui verba vel facta hominum ex sola intentione cordis perpendit. Nec considerant quid boni dicant, sed dicendo quo intendant. Quod tantum solius Dei est discernere, sicut Apostolus prædicat aperte: *Vivus est, inquit, sermo Dei & efficax, & penetrabiliter omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque*

Heb. 4. 12.



& medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus ad quem nobis sermo.

CAPUT XI.

Quod vitandi sunt hæretici exemplo vituperarum & malæ arboris.

SEd ne crederet quis se immunem noxæ, si negligeret tales cavere, velut qui corda eorum nequiret penetrare: ipse Dominus in Evangelio monens à falsis prophetis attendendum, indicium cognoscendi mox addidit, dicens: *A* B *fructibus eorum cognoscetis eos.* Unde quorum avaritia videtur palam sic sævire, ut non dubitent Spiritum-sanctum venalem proponere, constat eos falsos prophetas esse, quia velut prophanæ arboris occultum germen quale sit sapor pestiferi fructus prodit. Itaque quæ de ore procedunt, de corde exeunt; & ideo si mala sunt in corde, bona esse nequeunt in ore, etiamsi videantur esse. Ea sunt enim quæ coinquinant hominem, cujus in ore benedictio, quia non pro Deo sonat, sed pro nummo plurima computatur maledictio, & nulla benedictio. Hujusmodi enim, ut ait Apostolus, perdulces sermones & benedictiones C seducunt corda innocentium. Ecce quales benedictiones, quæ seducunt innocentes. Et quid est propriè seducunt? seorsum ducunt. Unde & quô? à Deo ad diabolum. Nam si à diabolo ad Deum, bene seducerent. Verè, malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Nam quid aliud inde proferre poterit, nisi quod thesaurizavit? In tales invehitur Dominus dicens: *Genimina viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? aut facere arborem malam & fructum ejus malum?* In quibus Veritatis verbis arguuntur deteriores malis arboribus, quia istæ quales sibi sunt in radice, tales se exhibent ho- D minibus in sapore, illi autem cum mali sint in corde, bona tamen verbotenus præsumunt in ore. Et quam congrue per arbores malas, quæ vivunt quidem, nec tamen sentiunt, accipiuntur pagani, qui perfidiam idololatriæ quam habent in corde, exhibent in ore. Per genimina autem viperarum quæ vivunt & sentiunt, nec tamen discernunt, increduli & perversi hæretici, qui perfidiam quidem retinent simul in opere; sed in ore monstrant interdum se quoque quiddam recti sentire. Quod quia non discernunt, sibi & multis pejores, & E perniciosiores paganis sunt, qui nihil fidei Christianæ sentiunt, sicut viperæ nocentiores mala arbore existunt, quantum scilicet venena ab amaro vel noxio pomo differunt. Et viperæ quidem si non impetantur, vel lædantur, ultro impetunt cetera animalia, & naturaliter lædunt. Mala autem arbor, nec quemlibet fructu suo impetit, nec quemlibet si non impetatur lædit. Cum ergo tantum viperæ quas hæreticos, & malæ arbores quas paganos præfigurasse dictum est, differant; quis magis à Catholicis tolerandos paganos quam hæreticos dubitat? Siquidem pagani nisi eos lacessas, non te lacessunt; & la-

Matth. 7. 16.

Matth. 12. 34.

Hæretici paganis pejores.

A cessiti si prævalent, damna exterioris substantiæ, & contumelias infligunt, mortem vero corpori tantum vix aliquando inferunt. Porro hæretici præsumta sibi specie Christiani sensus & prælata ultro te lacessunt, etiamsi quiescas & sileas, & tantum animæ mortem pertinaciter quærentes, damna exteriora & mortem corporis inferre nihili ducunt, quamvis etiam hæc nonnumquam si prævalent inferant constanter sibi resistentibus. In quo facto omnimodis similes sunt diabolo, qui tantum animarum mortem sitiens, non curat, sicut B. Gregorius docet, ut terrena tollat, sed ut caritatem in nobis feriat, cujus fundamentum fides extat. Pagani autem irritati in sua sævitia similes sunt bestiis, quæ se irritantium vestes discindunt, & aliquando in eos usque ad mortem carnis sæviunt. Qui profecto tanto fuerunt bonis tolerabiliores, hæreticique intolerabiliores, quanto bestiæ deprehenduntur crudelitate dæmonibus inferiores, quarum crudelitas natura est, cum istorum sit vitium.

Diabolo similes.

CAPUT XII.

Quod plus quam viperæ cavendi sunt hæretici & de natura, & typo earum.

VNde si horremus viperas, quæ naturæ legibus ductæ nil peccati ex sua feritate contrahunt, quanto abhorrendi sunt hæretici, qui solo afflatu dæmonum impulsi, quicquid vitiorum & scelerum ubique jacet irreverenter agunt. Quos non absurde Chaldæos captivantes scilicet vel quasi dæmones accipimus, quia quamvis natura homines sint, tamen captivando fideles populos vitio suo dæmones sunt, tanto utique sollicitius cavendi, quanto bestiarum nequissimi, non solum dentibus lædunt, sed quod miserabilius est lingua quoque innumeras hominum catervas perimunt, cum reliquæ bestiæ dentibus solummodo, cornibus, aut pedibus sibi objecta impetere soleant, quæ tanto minus formidandæ sunt, quanto exterius est quod quærunt, quantoque apertius sæviunt. De quibus Psalmista dicit: *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, lingua eorum gladius acutus.* Psal. 56. 5
Quæ lingua, quantum incauto prævaleat B. Job manifestat, dicens: *Occidit eum lingua viperæ*, cujus natura tam abominabilis est hominibus, ut cum nullo ab eis experimento sciatur, vix sine aureamento animi audiatur, cum forte refertur. Ut enim physiologi asserunt, vipera conceptura aperto ore comparem suum expetit, cujus ori caput ille insano amore inserit, quod illa insaniori mordicus truncatum deglutit, quæ ex comparis sui morte taliter peracta mox concipiens, ubi maturi partus tempus habuerit, à filiis in ortum festinantibus infelix mater corrosa costis, perimitur, quia ei natura negavit communes omnibus concipiendi, & parturiendi effectus. Sic pessimæ bestiarum pereunt, mas videlicet dum coit, femina dum parit. Et mas quidem à femina, femina autem à filiis, lege parentum non multo post perituris. Quod physice

Job 20. 16

Vipera quomodo concipit.

physice dictum, si typice fuerit discussum, (Nihil A enim fit in terra sine causa) congruit hoc nimirum animæ pravis suis concupiscentiis, & carnis stimulatæ, ac per hoc fornicari à Deo legitimo ejus sponso cupidæ; cui velut viperæ compar suus occurrit, diabolus scilicet, qui ratione simul & apostasiâ prior, velut adulter concupiscentiæ illius tamquam ori caput, id est suggestionem vel suasionem suam inserit: quam misera anima supra modum oblectata ab illo tollit, & in secretis suis recondit: ex qua mox concipiens paulatim, & sensim intra se pravitatis semina fingit & nutrit, quæ maturata, quoniam impersa mente naturales & aptos suis conatibus meatus, B vel exitus non inveniunt, (neque enim natura est animæ vel angeli, ut vitiorum opera gignant,) miseram matrem suam, id est animam occidunt. Nam dum ejus naturam obstare suæ nativitati sentiunt, in tantum efferantur, ut corrosis vitalibus & costis, videlicet immortalitate & robore illius, cum summo matris suæ interitu effectum suum capiant & foras erumpant. Sic peccatum cum consummatum fuerit generat mortem. Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur. Sed anima morietur parturiendo, adulator illius, id est diabolus coeundo, prava utique suadendo, ipsius enim diaboli caput suasio ejus est: C quæ si recipitur, omnis peccati seminarium, & initium efficitur. Et ne putet quisquam se suggerendo mala posse non mori, intelligat ipsum diabolum, spiritualem scilicet viperam, totiens mori, quotiens mala hominibus suggerit. Qui quoniam immortalis est conditus, licet semper vivat, semper tamen morietur, tum ex suo peccato quod ab initio incurrit, tum ex suggestione maligna, qua animas perire semper cupit. Moritur ergo sine intermissione, nec moritur, qui quidem ipsa vita sua aliquando penitus non privatur, & tamen sine intermissione tormentis ingeminatis & renovatis urgetur. D Cui hoc solum illa sua vita largitur, ne semper moriens aliquando moriatur, & vel sic ab accrescentibus sibi suppliciis eripiatur. Ipse enim homicida est ab initio. Primum siquidem hominem occidit, & deinceps quotquot potuit & poterit. Et non certe non ferro aut veneno aut quolibet alio necis instrumento armatus protoplastum adiit. Pravum verbum seminavit, & occidit. Quapropter nullus mali suasor dubitet se homicidam, in quo ne putet alio occiso se adhuc vivere, apostolum Johannem animadvertat dicentem: *Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam in se manentem.* Quod ne tergiversaremur, & pro libitu sententiam ejus verteremus, præmisit inquiens: *Qui odit fratrem suum homicida est. Omnes autem vos*, inquit Christus, *fratres estis.* Quos proculdubio odit, qui eis prava scienter suggerit. Unde & tanto majori homicidio reus tenetur, quanto primum homicidam, scilicet diabolum in hoc similius imitatur, quantoque potior est anima, quam corpus. Et tamen nullum homicidii genus prætermisit idem apostolus, ubi ait: *Scitis quoniam omnis homicida.*

Diabolus toties moritur quoties hominibus mala suggerit.

1. Joh. 3. 15.

Matth. 23. 8.

1. Joh. 3. 15

CAPUT XIII.

Qualiter viperæ conveniant Simoniacis.

HÆc autem quæ de natura viperarum typicè ad diabolum retulimus, etsi ad omnia membra illius referri possunt, specialius tamen principalibus congruunt, scilicet hæreticis, ut puta ab illo secundis, ut enim inter Deum & seraphim nulli spirituum intersunt, sic inter diabolum & hæreticos nulli hominum intersunt. Sed quoniam nec ad nomina tot monstrorum sufficimus; Simoniacis tantum de quibus impræsentiarum agitur, quomodò congruant videamus. Quæcumque christianæ professionis persona, si vitiato animæ suæ naturali motu, scilicet laudabiliter concupiscibili, arripiatur, ut ita dicatur, honoris ambitione, caritate Dei prius privatur, ac deinde ambitiosa effecta, ut Dominus se glorificantem glorificet minime expectat. Unde quietis & moræ impatiens, passim & inhianter vestigat suæ concupiscentiæ parem. Cui forte invento vastam pectoris sui flammam patulo ore inspirat, ubi in corde, & cum corde hactenus repositam anxia proferendo manifestat. Ubi enim thesaurus, ibi & cor. Itaque ille miser velut alter à diabolo adulter visa pecunia, velut occulta quondam, sed nunc manifestata sibi alterius cordis avaritia, insanus amore pecuniæ caput suum eidem condemnat, ubi vitæ suæ inimicus, & sempiternæ mortis oblitus fidem suam, vel rationem, quam à Domino velut principale membrum sortitus erat, infidelitati & irrationabilitati alterius infideliter & irrationabiliter immersat, sed taliter capite privatus moritur, nec tamen reliqua vipera capite illo comparis sui ad profectum suum vel cujusquam, nisi ad solum interitum potitur, quia ambitiosa persona perdit quidem complicem suum, dum ei proponendo cupitum nummum, aufert ei fidem, scilicet principale suum, nec tamen sibi aut cuiquam ablatam fidem possidet, sed solam perfidiam, quam veneno diaboli ebria deglutivit ad seminarium sui interitus & aliorum. Neque enim fides perfidia fieri potest, sed simul ac perfidia accedit, fides abscedit, tamquam ab ea cui aliquando non communicat. Et sicut compar viperæ ubi detruncandum caput addicit, jam nec sibi caput est, nec infandæ E conjugi sed illi mors, isti autem fit seminarium mortis: sic nefandi Simoniaci, ubi gratiam spiritualem vendendam & emendam adducunt, venditorem quidem gratia deserit, nec tamen emtorem adit, sed ira Dei utrumque horribiliter pervadit. Invicem se ergo linguis suis, ut viperæ, occidunt, quia hic exigendo, ille exhibendo gratiam venalem hæretici facti pereunt. De quibus, quoniam venenati sunt, non nisi venenati filii nascuntur, ut quidam sapiens testatur: *Filii abominationum fiunt filii peccatorum, & qui conver-* Eccli. 41. 8.

santur secus domos impiorum. Filiorum peccatorum peribit hereditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrium. De patre impio querentur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrium. Væ vobis viri impii qui dereliquistis legem Domini altissimi: & si nati fueritis, in maledictione nascemini, & si mortui fueritis; in madictione erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terra convertentur, sic impii à maledicto in perditionem; Et alibi: *Filii adulterorum inconsummati erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur: & siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum: & si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationes enim iniquæ diræ sunt consummationis.* Dominus quoque per prophetam pseudosacerdotium reprobans, ait: *Quia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Scientia enim Dei est, v. g. gratiam Dei acceptam gratis dare. Scit namque ipse, sicut in Deuteronomio legitur, quid loquatur. Quam scientiam, quia Simoniani repellunt, & ei præbere ad se aditum nolunt, etiamsi non verbis, tamen factis ipsi Domino Deo dicunt; *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Unde & ipsi juste à Deo repulsi, ne ei sacerdotio fungantur quicquid sacerdotalis officii specietenus præsumunt, sibi tantum & non Deo, nec populo ejus funguntur: alioquin Deo, si ejus populo: quorum panis in utero illorum vertitur in fel aspidum intrinsecus, quia vitæ potum convertunt sibi in veneni poculum, & inde moriuntur, unde nutriri ad vitam videntur. Quibus in errorem hæreseos lapsis contingit, ut sicut de felle aspidum, sic infelices de suo pane moriantur. Et in suo sacrificio mortem inveniunt, quia in sacramentis vitæ, vel verbis, vitam minime quærunt. Et notandum quia hujusmodi panis, jam non panis Dei, sed panis ejus, videlicet hæretici in libro beati Job dicitur.

Sap. 3. 16.
Osee 4. 6.
Job 21. 14.

CAPUT XIV.

Quod uniusmodi sint subversores sacramentorum & verborum Christi, & quod nec petant, nec impetrent ab eo.

HÆc nos in hoc versiculo B. Gregorii sensa sequendo, quæ ad hæreticos sacra eloquia pervertentes retulit, ad istos, qui sacramenta altaris pervertunt non inconvenienter transtulimus, quia verbum Dei & panis Dei, nihilominus paris, immo ejusdem dignitatis, & coæternitatis sunt. Siquidem verbum Dei nostri juxta Isaïam, stabit in æternum, & juxta ipsum coæternum Deo Patri Verbum in Evangelio dicens, *Verba mea non transient.* De quibus & B. Petrus eidem ait, *Verba vitæ æternæ habes.* Pari modo panis Dei, ut docet in Evangelio ipsum Verbum, immo panis descendit de cælo, & dat vitam mundo. *Et ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Hinc ergo apparet verbi Dei, & panis ejus coæqualitas & coæternitas, quia sicut illud ex sanctis scripturis, ita hic ex sacramentis vitam æternam præstat. Nec mirum cum unus idemque Dominus noster JESUS CHRISTUS & in scripturis sanctis sit Verbum Dei, & in Sacramentis panis Dei. Unde consequens est, ut pari abominatione devitemus eversores divinorum eloquiorum, atque eversores cœlestium sacramentorum. Quibus & si cœlestem Patrem, ut putatur, petant panem, datur tamen lapis; si piscem, serpens; si ovum, scorpius; quia ut Psalmista prophetice imprecatur, dat illis Dominus secundum opera ipsorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum secundum opera manuum eorum tribuit illis, reddit retributionem eorum ipsis. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eorum destruet illos, & non ædificabis eos. Nec mirum; neque enim cœlestem Patrem petunt quod est cœleste, & ideo nihil ab eo consequuntur cœleste, sed justo ipsius Dei Patris permissu & judicio accipiunt à Diabolo seu filii mali à patre pessimo, pro pane caritatis vel sacramenti obdurationis lapidem, pro pisce fidei perfidiæ serpentem, pro ovo spei desperationis scorpionem. Nam nihil beneficii cœlestis malignus hic pater suis filiis valet conferre, cum carnales patres quamvis mali recusent, nisi bona data quantum ad hoc sæculum filii se petentibus dare, ut si petat panem, panem; si piscem, piscem; si ovum, ovum porrigat. Qua in re claret eos quibus perniciosa dantur, perniciosa sibi petiisse, nec à patre luminum à quo omne datum optimum & omne donum perfectum est, quicquam petiisse, nec in nomine JESU petiisse: alioquin contradicitur sic repromittenti ipso Christo: *Amen, amen dico, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Constat itaque hæreticis his dari quod petunt ab eo quem petunt. Et quem petunt? Patrem & Dominum suum Mammonam. Et quid petunt? Panem. Quem panem? Nimirum qui sibi dulce sapere solet, ut Salomon ait: *Suavis est homini panis mendacii;* quem ne dubitaret quis lapidem esse, subjunxit: *Et postea implebitur os ejus calculo.* Videsne hic pro pane caritatis lapidem datum obdurationis, cujus pessimo merito efficitur, ut petentibus fidem perfidia velut serpens pro pisce detur? Nam ubi panis mendacii comeditur, vinumque iniquitatis bibitur, dubium non est quin ibi sola perfidia dominetur. Unde fit ut tam pestifero serpente possessi, si ovum spei petierint, mereantur scorpion extimæ desperationis. Qua impletur in illis, quod sapiens ait: *Impius cum venerit in profundum malorum contemnit.* Quæ utique tria principalia mala, præfatis tribus & principalibus animæ virtutibus contraria, ex sola procedunt avaritia. De cujus pessima sobole, quidam tale disticon promsit.

Verbum Dei & panis Dei, ejusdem dignitatis.
Isa. 40. 8.
Matth. 24. 35.
Joh. 6. 69.
Psal. 27. 4.
Hæreticis pro pane cœlesti datur lapis obdurationis.
Joh. 16. 23.
Joh. 14. 13.
Prov. 20. 17.
Ibid.
Prov. 18. 3.

Semper avarus eget, nil namque scelestius illo;
Semper avarus amat mendacia, furta, rapinas.

Qui tantam egestatem, & miseriam idcirco incurrit, quia infideliter panem petens, lapidem promeruit. Unde prodito corde carneo, in quo requiesceret spiritus pietatis & misericordiæ, invenit lapideum contra omnia caritatis officia vel humanitatis insensibiliter obduratum; Quod videlicet cor Dominus nec dat homini, nec facit, sed juste deserendo fieri permittit, ubi ultroneæ obdurationis subditum sua aspiratione non emollit, sed spiritualibus nequitiis obduratum adhucque obduratum relinquit. Quod si vere peteretur, spiritum caritatis gratanter largiretur, cujus fervore frigus avaritiæ resolveretur. Nam si, ut Dominus ait, patres *quamvis mali norunt bona data dare filiis suis, quanto magis ipse Pater de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* hinc datur intelligi, quia si mali sunt liberales ad petitionem & voluntatem filiorum suorum, multo magis & incomparabiliter liberalis est Pater summe bonus filiis se petentibus: velut incomparabilia sunt bonum & malum; sic quod quilibet hæretici & nominatim Simoniaci Spiritum bonum non accipiunt, constat quia à Patre cælesti Spiritum bonum non petunt. Et quid & à quo petunt? spiritum utique malum à maligno patre suo, ut puta auctore & inventore totius mali. Sed è contra dicitur: Nonne videntur & audiuntur tales Patrem cælestem invocare, & Spiritum bonum sibi vel aliis petere? Quibus apostolice respondetur: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Et ne dicatur, quia vere & catholice credunt in Deum, subjungitur: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Et quidem prætermissis humanæ fragilitatis, & repentinæ concupiscentiæ quotidianis excessibus, quomodo credunt ei, qui diuturna præmeditatione, & consilio in hujus hæreseos crimen lapsi contendunt, nec audiunt dicentem, gratis accepistis, gratis date? Constat ergo quia non in eum credunt, sacramentis suis inviolabilia & perpetua privilegia decernentem & constituentem non audiunt.

Deus homini non dat cor durum.

Luc 11. 13.

Rom. 10. 14.

CAPUT XV.

Qualiter à quibusdam juxta quædam non audiatur & juxta quædam audiatur Dominus.

SEd ne quis hinc ansam calumniæ in nos retorquendam arbitretur, asserendo nec nos credere in Deum, quia multoties peccata & crimina vetantem, atque ad virtutes invitantem non audimus; noverit sicut plurimam esse diversitatem divinorum præceptorum, sic & plurimam conversorum. Sunt enim quædam divina præcepta, quæ si quis pie transgreditur, non solum nil culpæ, sed & plurimum mercedis nanciscitur, velut ille gloriosus transgressor Paulus, qui cum à Domino

A præceptum sicut & coapostoli ejus habuerit, ut evangelium annuncians de evangelio viveret, nihil horum usus, labore manuum suarum vixit, ne quam occasionem daret evangelio Christi. Sic sunt & aliqua, quæ si continuatim aguntur, nec aliquando pro tempore intermittuntur, non modicum deviatur, sicut de sacculo, vel pera, seu reliquis non tollendis, & tollendis, scilicet tempore pacis aut persecutionis. Nam ipse qui prius dixerat: *Nolite portare sacculum aut peram*; idem postea dicit: *Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Hujusmodi ergo Dominica præcepta cum discrete intermittuntur, beatus proculdubio intermissor taliter habetur. Sunt quoque alia quæ etiam perfectos conturbant nimia subtilitate sua, ut est *non concupiscas*, & non solum contumeliosi, sed etiam otiosi verbi vehemens interdictio; in quibus cum transgrediuntur, non utique eorum fides sauciatur, sed sanctitas conversationis deterioratur, quamvis post concupiscentias suas non eundo, ex verbis quoque suis se se acriter dijudicando reparata melioretur, præcipue ubi corde, ore, opere, Deo Patri suo quotidie sic profitentur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hinc sunt & alia quæ etsi ad perfectionem minus perfectos invitent, tamen arbitrium eorum necessitate prægravant, ut est, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes.* Et, *qui potest capere capiat.* Quæ quatuor diversitates divinorum præceptorum, spiritualibus & verè catholicis competunt, qui quamvis non omnia mandata Dei sic audiunt ut faciant, tamen eorum sanam fidem recta opera clarificant. Restat quinta, quæ fideles quidem, sed tamen carnales & rudes informat, & à flagitiis atque facinoribus refrænat, ut est Decalogus, & hujusmodi cetera, sicut: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; & *Honora patrem & matrem, non occides, non mœchaberis.* Tales si à malo declinant, nec tamen bona faciunt, fideles quidem sunt, sed otiosa est fides eorum. Si autem nec à malo declinant, sed insuper criminalibus peccatis seipsos pessumdant; jam quidem fides eorum reputatur ut arbor mortua, sed non radicitus evulsa, cum tamen quoquo modo adhuc vivat ex spe qua veniam sibi sperant, & Deum à quo ipsam veniam sperant, & proximum quantulumcumque ament. Denique, ut Apostolus ait: *Fides est sperandarum substantia rerum.* Unde patet fidem spei substantiam esse. Ubi autem spes, ibi & amor, quia necesse est ames bona quæ speras. Ac per hoc constat illud B. Gregorii dictum, unumquemque quantum credit, tantum sperare & amare. Porro spes in tantum dicitur proprie rerum bonarum esse, ut habeatur à grammaticis pro vitio, quod græce acyrologia, latine vero impropria dictio dicitur, ubicumque aliter posita invenitur, ut est illud poetæ: *Hinc ego si potui tantum sperare dolorem.* Unde & sic exponunt; sperare dixit pro timere. Cujus verbi proprietatem servans alter ait: *Li-*

Act. 20. 34.
Luc 10. 4.
Luc 22. 36.
B
Exod. 20. 17.
Matth. 6. 12.
C
Matth. 19. 21.
Ibid. 12.
Deut. 6. 5.
D
Heb. 11. 1.
E

ceat sperare timenti. Quamobrem quamvis fides bonarum rerum sit & malarum, spes tamen nonnisi bonarum, quia credimus quidem bona quæ promittit Deus, & mala nihilominus quæ minatur, cum tamen bona ipsa tantum speremus, mala autem tantum timeamus. Ac per hoc B. Jacobus licet dicat: *Tu credis, quia unus est Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt.* In hoc tamen credulitas pravorum hominum à credulitate dæmonum differt; quia pravi homines credunt, & sperant: Dæmones autem credunt quidem, sed non sperant, immo desperant, & ideo contremiscunt. Quod si perversi homines credunt quidem, sed non sperant, jam à credulitate dæmonum nil distant. Sed sciendum, quia, sicut malum est hominibus desperando peccare; sic & supra modum sperando de die in diem pœnitentiam differre, peccatisque peccata addere, & ex eis velut restim longam sibi texere, qua in fine ligati manus & pedes præcipitentur in tenebras exteriores, quos quamdiu nec desperant, nec peccata sua deffendunt, nequaquam à catholicæ Ecclesiæ paradiso extrema sententia damnamus, quamvis interdum à communione nostra aliquamdiu medelæ causa removeamus. Et ideo constat tales adhuc computari inter fideles, & quamvis criminosos, non tamen recte dici impios, quia *impius*, id est infidelis, *cum venerit in profundum malorum contemnit.* Itaque nec isti audierunt Dominum crimina interdicentem, & tamen credunt ei, sicut supra monstratur evidenter, quod & de his dicendum est, qui etiam de summo virtutum culmine ad ima vitiorum pari modo nonnumquam corruunt.

Jac. 2. 19.

Prov. 15. 3.

CAPUT XVI.

Ubi contradicitur hæreticos, nec sicut criminosos intra Ecclesiam Deum audire.

Verum ne præfati hæretici his nostris armis velut incautos aggrediantur, asserentes se quoque exemplo eorum, quos commemoravimus in Deum credere, quamvis eum non audiant præcipientem: Gratis accepistis, gratis date, noverint nostram à sua causa incorporabiliter discrepare. Si quidem nostri quædam Christi mandata quasi non audiunt, ubi ea aut suæ supremæ perfectionis gratia alacriter transeunt, aut imbecillitate mentis perterriti non adeunt, aut fragilitate humana interdum ducti incaute prætereunt, aut tentatione diabolica superati illis obeunt, aut ab illis redeunt. Quorum primi non solum sunt laudandi & imitandi, verum & beatificandi; medii autem laudandi quidem, sed miserandi; postremi vero pariter miserandi & arguendi, & tamen pro tempore & causa si corripi & corrigi patiuntur, patienter tolerandi & expectandi. Qui etsi à Deo apostatarunt pravi operis perpetratione, tamen adhuc sunt cum eo & stant pro eo ex fidei professione quam retinent corde & ore. Quamvis enim factis, non tamen fide à Deo recedunt, dum eum fidelem in omnibus verbis suis, &

A sanctum in omnibus operibus suis credunt & dicunt, etiam cum fidem ipsam factis astruere negligunt. Qui quidem ad credendum audiunt Christum Dominum dicentem: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, & *Creditis in Deum, & in me credite*; sed non audiunt eum ad faciendum dicentem, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, & *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*; & similia his quamplurima. De quibus ex fide viventibus, vel virentibus, atque ex operatione morientibus vel arentibus, illud propheticum non incongrue dicitur: *Pars una compluta est, & pars super quam non pluit, aruit.* Virent ergo succo fidei quam auditam perceperunt ad credendum, & retinent; & arent neglectu boni operis, quod auditum ad faciendum non retinent. Ad quos quantum ad fidem, illa Domini sententia incredulos sibi Judæos arguentis non plene pertinet, qua dicitur: *Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Nam carnales quique in Ecclesia Christum veritatem dicere credunt, & verba ejus audiunt, etsi non ad profectum. Unde & ex Deo sunt in quantum verba Dei audiunt, & ex Deo non sunt inquantum non audiunt. Porro hæretici neutro modo Deum aut verba illius audiunt, quia fide non amissa vel amissa non solum nil boni faciunt, verum etiamsi quid facere videntur, totum est peccatum, ut puta quod sine fide est. Alioquin si sine fide catholica, quæ sola est fides, non sunt; hæretici non sunt. Sed interim prætermissis aliis, Simoniani ab ipsis christianitatis rudimentis hæretici sunt dicti & habiti. Ergo sine fide sunt; si sine fide sunt, nec spem habere possunt, quia fides est substantia spei Si spem non habent, nec caritatem, quia non potest amare, quod nec sperat, nec credit, sicut paulo superius astruitur satis. Hinc conjici potest hæreticos, & paganos inferiores esse ex incredulitate, quia dæmones unum Deum esse credunt, & contremiscunt, illi autem nec hoc tantillum. Et tamen superiores dæmonibus in hoc sunt, quia & pagani per baptismum, & hæretici forsan per pœnitentiam salvari possunt. Quamvis si bene definitio fidei consideretur, fides aut credulitas dæmonibus inesse non proprie sed abusive dicitur. Nam si fides, ut Apostolus definit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; constat dæmones nec fidem habere, nec credere Deum, quem in evangelica dignitate ab ipso creati ante lapsum suum noverant, & solebant facie ad faciem contemplari. Ac per hoc non credunt Deum esse, non posse dicere quod dixit insipiens in corde suo, non est Deus, quia in eo quod prius viderunt, sciunt eum esse. Quod enim videt quis, quid sperat? Hinc ergo constat quod nec dæmones fidem habeant. Alioquin si fidem vere haberent, spe quoque & caritate non carerent, ac per hoc jam dæmones non essent. Quapropter & illa spes diabo-

Joh. 14. 1.

Matth. 5. 44.

Matth. 6. 19.

B Amos 4. 7.

Ioh. 8. 46.

C

D Simoniaci nec spem nec caritatem habere possunt.

E Heb. 11. 1.

Iob. 40. 18. li de qua Dominus B. Job dicit, *Spes ejus frustrabitur eum*, non est vera spes, sed quædam securitas qua sibimet ipse vel sui de misericordia Dei frustra blandiuntur, cum ejus justitiæ districtione nequaquam verentur: Quam procul dubio timerent, si ex fide spes illorum subsisteret, quia fides credit in Deum, & ex eo quo timendus est, & ex eo quo amandus. Unde FIDES retento sibi timore justissimi judicis spe communicat. amorem piissimi patris, ut tantummodo amando speret quod fides quoque credit amandum. Sic fides & spes, nec diabolo, nec impiis insunt, quamvis ejus inesse inveniatur abusive dictum, sicut B. Gregorius fidem asserit habere infideles, cum credunt se natos ab eis quos sibi parentes dicunt, quamvis conceptionem suam, & nativitatem non viderint, & plurima hujusmodi humanæ conversationis, seu actionis. De quibus ipse doctissimus Pater ait: Habent infideles fidem, sed utinam in Deum.

CAPUT XVII.

De differentia negotiatorum sæculi, & eorum qui dicuntur Symoniani.

SEd his non usquequaque incassum præfixis, disquiratur quo pacto ecclesiastici, qui in sacramentis ecclesiasticis non gratis dant danda gratis, dicantur omnino fidem perdere, & plusquam quilibet christiani cleri vel laici, etiamsi terreni quæstus causa circumveniant in negotio fratres suos, aut nimium care vendant, quod viliter, aut certe gratis acceperunt. Et primo videatur utriusque modi negotiatoribus, quæ sit jugiter communis intentio vel causa, deinde quæ privata. Ergo ut summatim dicatur, hæc nobis communis utrisque intentio in suo negotio videtur, quia uterque quærit temporaliter ditari temporalibus rebus. Quo fit ut utrisque pariter quamvis per diversitatem officiorum suorum impariter feriantur illo elogio sapientis: Qui quærit ditari non erit innocens. Nam secundùm communem intentionem commune damnum innocentiæ incurrunt, licet pro ordinis diversitate unus majus, alter minus. Quod non & commune est eis negotii causa merces proponere, taxare, vendere, atque emtorem cupere. In quibus si nil aliud intercederet, aut nulla, aut minima culpa esset. Neque enim culpæ imputandum est, si communis necessitatis causa merces venales proponantur, taxentur, vendantur & emantur; siquidem non illicite venduntur quæ licite emuntur. Est etiam eis aliquando communis circumventio fratris, quia unus eorum quotiescumque negotiatur, circumvenit, & circumvenitur; alter autem, etsi aliquando, non tamen semper. De qua circumventione, quamvis vindex sit Dominus in utrumque, tamen non gravius in unum quam alterum pro circumventionis, & causæ qualitate. Sic & viliter vendere quæ care accepta sunt, utrisque est aliquando commune; quia unus eorum quotiescumque vendit quid care acceperat, viliter distrahit; alter autem etsi aliquando, non tamen sedulo. Et tamen ille semper viliter distrahendo quod carum est, enormiter peccat, hic autem inde meritum sibi bonum & gratiam apud Deum & homines præparat. Diximus tandem quæ sint utrisque communia, dicamus & quæ sunt privata. episcopis, vel reliquis cleris, quorum interest divina sacramenta administrare, præcipuum est & singulare, mercem cælestem tantum proponere, vel exponere; laïcis autem, vel ceteris sæcularis negotii professoribus; terrenam tantum & sæcularem; Illorum quoque est rem non suam, contradicente eo cujus est, semper proponere, taxare & vendere; istorum autem suam solummodo nemine contradicente. Haud secus illorum est semper viliter venumdare non sua; istorum autem vix aliquando viliter distrahere sua. Nihilominus illorum est gratis accepta, non gratis dare; istorum vero est non gratis accepta, non gratis dare. Nam si diligenter consideretur, numquam ab homine homo gratis aliquid commodi adipiscitur, aut enim pro obsequio, aut pro favore humano vel gratia, aut pro recompensatione manualis muneris accipit quod accipit, & si pro Deo solo ab homine quod accipit, multò magis non gratis accipit, quia & ipse homo à Deo ut alteri dare possit accepit, & dando meritum apud Deum reponit, qui solus ideo verus est Deus & Dominus, quoniam secundùm Psalmistam bonorum nostrorum non eget. De cujus plenissima & sola plenitudine etiam egregius Prosper juxta intellectum doctissimi Patris Augustini prius prosa, deinde metro sic edisserit: Nil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. Ideo verus est Dominus qui servo non indiget, & quo servus indiget.

Epigramma cujus & unde supra.

Non ideo quicquam mandat Deus, ut sibi prosit,
Nec servi officio verus eget Dominus.
Cujus præceptis augetur, qui famulatur,
Fitque minor quisquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens, simul omni tenensque potestas
Nil perdit proprium, nil capit occiduum.
Numquam non habuit quod habet, dans quicquid habere
Proderit; & sumens nonnisi quod dederit.

CAPUT XVIII.

De eo quod carnales Ecclesiæ sine fide non sint instar Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse.

VErum ut ad propositos nobis negotiatores redeamus, illorum est ipsum Deum & Dominum, Spiritum utique sanctum venalem credere & habere; istorum vero si ad profundum malorum avaritiæ pervenerint, ani-

mas suas venales habere, nec tamen credere se posse eas alicui hominum vendere aut dare. Hinc vivaci mentis acie resculpendo communes & peculiares horum negotiatorum, quas prænotavimus, lineas sigillatim discernamus, quis eorum magis peccat, aut quis Scyllæ seu Carybdi perfidiæ magis appropinquat. Et primitus attendamus sæcularis negotii professores, in quibus delinquere soleant. Plane delinquunt in hoc quod ditari temporaliter quærunt, sed quis invenitur plus justo ditari non cupidus? certe rarissima est hujusmodi volucris. Delinquunt etiam in hoc quod lucri studio circumveniunt in negotio fratres suos, dum vilia carius illis vendunt, vel cara viliter auferunt. Restat aliquibus eorum illud maximum avaritiæ culmen, quo etiam animas suas venales habent, ubi eas quæstus causa sectando varia crimina & peccata occidunt, ex quibus quamvis animæ illorum moriantur, fides tamen illis omnino non extorquetur. Non solum enim fidem sanam non impugnant, aut refutant, sed eamdem quoque licet sibi mortuam corde & ore defendere laborant. Quos non incongrue filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse significant, qui armati Jordanem ante fratres suos, eisque terram repromissionis potenti brachio & ferro decertantes acquirunt, & subjiciunt. Inter quos sortem aliam sibi non requirunt, sed ad suam quam trans Jordanem liquerant post se habitaturi redeunt. Attamen altare super ipsum Jordanem ædificant sibi in testimonium, quod Dominus ipse sit Deus, ne postea filii ceterarum tribuum possent dicere filiis eorum non est vobis pars in Domino, quia inter nos & vos Jordanem posuit medium. Sic & sæculares quique & tamen fideles in sancta Ecclesia quotiens, catholicis baptismum fide & opere conservantibus, certamen fidei ab hæreticis vel paganis induitur, mox sententiis sanctorum patrum armati, & interdum potentiæ sæcularis suffulti, fratribus suis pro fide pugnaturis accurrunt. Neque prius relinquunt, quam eis, hoste fortiter expugnato, optatam quietem acquirant. Sed ad suam trans Jordanem, quantotius revertuntur, quia licet catholicæ fidei zelo, quam profitentur, catholicis pro tempore suffragentur; tamen post Jordanis transitum, baptismi scilicet sacramentum, fidem baptismatis quantum ad opera transgrediuntur, eamque in pace prætereunt, quam in bello fortiter defendunt. Sola enim labentia & transitoria magnopere appetentes, non curant aliam sibi cum fratribus suis provideri hereditatem, nisi ejusdem fidei professionem, ac defensionem. Quod etiam velut altaris super ipsum Jordanem in terra repromissionis à se constituti testimonio comprobant, quandocumque catholicis atque spiritualibus viris eorum carnalem conversationem redarguentibus & detestantibus in tantum, ut partem eis in Deo denegent ad confessionem catholicæ fidei, quam supra fontem sacri baptismatis, quasi altare supra Jordanem ipsi & patres eorum professi construxerunt, ad

Sæculares negotiatores in quibus soleant delinquere.

A B C D E

confirmandam sibi sanctorum communionem recurrunt, eoque sibi partem in Deo vendicant, quo fidei symbolum corde & ore fideliter retentant, atque quotiescumque expetit admoniti pro viribus alacriter defendant. Quo fit ut altare quod prius putabatur & dicebatur sacrilegum, quasi fuerit ad holocausta & victimas contra divina mandata ædificatum; postea rationabili causa approbatur, & vocatur fidei societatisque christianæ inter carnales & spirituales testimonium. Quod qui per fidem & opera est Dominus spiritualium, ipse sit per fidem etiam Deus carnalium. Ad cujus causæ discussionem non sine causa Phinees mittitur legatus, cui pactum sempiterni sacerdotii statuit Dominus, quia sacerdotis est diligenter requirere, ne forte quilibet derelicto Deo & unica fide ejus, tamquam unico altari contemto, præsumant sibi indebitum sacerdotium, & altare aliud eligant ad perfidiæ suæ sacrificia, & cultum dæmonum. Quod utique faciunt quia fide aberrrant, & speciem ecclesiasticorum sacramentorum usurpant, quemadmodum post multos annos filii Israël derelicto Domino per impium Jeroboam altaria vitulis aureis, & sacerdotes dæmoniis adversus altare Domini & sacerdotium ejus instituerunt. Sed de hoc plenius in loco alio dicetur. Hoc solum interim hinc animadvertatur, quod quamdiu filii Israël altare præter unum & sacerdotium alterum sibi præsumserunt, sub unius Dei cultu, id est fide, pacem inter se retinuerunt. Mox autem ut præsumserunt, se invicem continuo bello impugnarunt, nec concordare Judas cum Israël potuit, aut amicitias jungere ausus fuit, Domino contradicente & Josaphath regem super hoc ausu taliter increpante: *His qui oderunt Dominum amicitia conjungeris, & impio præbes auxilium, & idcirco iram Domini merebaris*, &c. Quin etiam ex beati Gregorii Moralibus indubitanter ostenditur, quod & qui intra Ecclesiam male vivunt, sint, & jure fideles dicantur. Ait enim in libro XXXIII. Vehemoth alios sub « christianitatis nomine positos devorat, quia in « ipso eos fidei errore supplantat; alios à rectitu- « dine fidei nequaquam devitat, sed ad usum « pravæ operationis inclinat. Alios quantum « vult in operationem immunditiæ inflectere non « vult; sed apud semetipsos intus in studio in- « tentionis intorquet; ut dum à caritate men- « tem dividunt, rectum non sit quicquid extrin- « secus operatur. Et fidem ergo tenent, sed « vitam fidei non tenent; quia aut apertè illi- « cita faciunt, aut ex perverso corde quæ agunt « perversa sunt, etiamsi sancta videantur. Quia « & nonnulli confitendo fideles sunt, non viven- « do; hinc est quod voce veritatis dicitur: *Non* « *omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in re-* « *gnum cælorum*: Hinc rursum ait: *Quod autem* « *vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ* « *dico?* Et post pauca, nemo fidem sine operibus « sufficere posse confidat, cum sciamus quod « scriptum sit: *Fides sine operibus otiosa est*. Nul- « lus Vehemoth morsum ex sola confessione fi- «

Israëlitæ tamdiu pacifici quandiu unum altare habuerunt.

2. Par. 19. 2.

Matth. 7. 21.

Iac. 2. 26.

» dei plene evasisse se æstimet; quia jam quidem » fluvium absorbuit, sed adhuc Jordanem sitit, » & totiens in ore illius Jordanem fluit, quo» tiens christianus quisque ad iniquitatem defluit. » Os quidem ejus jam fide nos sublevante fui» mus; sed magno studio curandum est, ne in » hoc lubrica operatione dilabamur. Si ambu» landi cautela negligitur, incassum credendo » rectum iter tenetur; quia vita quidem fidei » ad cœlestem patriam profuit, sed offendentes » minime perducit.

CAPUT XIX.

De eo quod Symoniaci à satana pervaduntur exemplo Judæ proditionem Domini aggredientis.

Hinc postquam evidenti, multaque autoritate sub occasione sæcularium negotiatorum monstratum est quantum distent nostri carnales, etiam cum mortua fide sua, ab hæreticis quibus nec mortua fides superest, sed omnino nulla; ut puta stirpitus evulsa & exinanita, restat seriatim monstrandum ecclesiastici ministerii venditores in quibus delinquant. Nimirum ubi & ipsi ditari temporaliter quærunt, sed delinquunt tanto plus negotiatoribus aliis quanto sempiterna, quam temporalia cœlestia cum terrenis sunt pluris; & ut brevius & apertius dicatur, quanto Creator omnium Deus vilissimæ creaturarum præfertur. De cujus sacramentis ubicumque negotiando quærunt ditari, procul dubio velut alter Judas ipsum Deum, qui ipsis sacramentis essentialiter inest & cooperatur, prodere perfidis disponunt. Unde necesse est, ut quos eadem intentio impio & crudeli Judæ coæquat, eadem culpa devinciat, parque damnatio involvat. Et certe diabolus qui stat à dextris Judæ, furis non qualiscumque, sed sacrilegi, ad mala suadendum pro sola proditionis meditatione cor illius intravit ad seducendum, sicut Johannis testatur Evangelium: *Et cœna* Joh. 13. 2. *facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simon Iscariothis.* Et cetera. Ex qua immissione diaboli quid infelix Judas adeptus sit Lucas apertissime sic ostendit: *Intravit Sathanas in Judam qui cognominabatur* Luc. 22. 3. *Iscarioth unum de XII. & abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.* In quibus veracium evangelistarum veracissimis verbis aperte innuitur, quantum reatum ex proditionis illius conceptione incurrit proditor pessimus, qui licet longè ante ipsam proditionem fur sacrilegus fuerit, quando Dominicam pecuniam egenis profuturam quam ministerio portabat furto à loculis exportabat, non tamen in eum diabolus intrasse legitur, nisi ubi in cor ejus ut prodat magistrum mittitur; quod si talem habitatorem meruit ex solo proditionis affectu, qualem putamus meruit ex ipso effectu? Denique sciendum est, quia sicut bonitas gradus suos habet, quibus paulatim ascendendo proficit, sic malitia suos quibus indesinenter ad pejora descendendo deficit. Nec mirum cum suggestio boni sit semen Dei; suggestio autem mali nihilominus semen diaboli. Et ut semen Dei in bonam terram jactum secundum evangelici agricolæ parabolam prius mittit germen, dein fructiferat herbam, deinde spicam, inde plenum frumentum in spica, quod statim falce defectum atque palearum selectum reponitur in cœleste horreum; ita & semen diaboli in mala terra suis augmentis contendit provenire, ut mox ad suum perveniat locum, perpetuum scilicet incendium. Neque enim quisquam repente fit imus in malo, sicut nemo repente summus in bono. Unde & semen diabolici lolii in cor pessimi Judæ jactum prius occulte germinavit deliberationem proditionis, deinde apertè erupit herbam pestiferæ machinationis, ubi abeundo, & loquendo inde Judæis verbis suis, velut luxuriantibus sibi foliis umbra nequitiæ suæ, alii semini nequam ad mortificando principalem, & singulare granum frumenti communicavit. Quibus dum super hoc gavisis & pecuniam super hoc pascíscentibus spopondit, velut spicam protulit, quæ adolescebat, dum quærendi opportunitatem quærebat, & plenum lolium in se se exhibuit, quando traditionem osculi signo perfecit. Cui tandem falx accessit, ubi laqueo suspensus medius crepuit, & in locum suum reponendus hinc abiit. Cujus propinquiores sequaces effecti Simoniaci, non minori avaritia ad hoc usque devolvuntur, ut Spiritum-sanctum prodere conentur. Cum qua sua immissione diabolus corda eorum effractis foribus fidei, scilicet timore & amore, violentus intrat, qui hactenus eis exterius assistebat, dum alia avaritiæ mala illectos supplantabat, ne tamen qualemcumque fidem Dei ab eorum cordibus elimabat. At mox ut de Deo sentire prava, & conari licet, clam non metuunt, fidem omnino perdunt; sicque secedenti Christo, qui prius per fidem habitabat in eorum cordibus, succedit ad invadendum perfidiæ hospes diabolus. Hinc ubi tantæ iniquitatis conceptu parturientes clandestinum pus mentium suarum, quibus refundant similes sibi solerter vestigant, eisque repertis talia insusurrant. Quid vultis nobis dare, & nos vobis Spiritum-sanctum tradimus? Numquid non hæc vox quæ una fuit Judæ, & uno tantum die, pene continua, & quotidiana est istis? Atque utinam hic milvi secundum Isaïam, alter ad alterum in suam Babylonem congregati hanc nefandam vocem sibi invicem lente & tenuiter insusurrarent, & non proterve & granditer inclamarent. Sed quod pejus est in tantum inolevit hujusce negotiationis usus, ut jam velut ex auctoritate, & regula Spiritus-sanctus in sacramentis suis venalis palam omnibus proponatur, palam taxetur, palam pretium ejus expostuletur, palam, ut creditur, vendatur, palamque ema-

Bonitas & malitia suos habent gradus.

Simoniaci Judæ traditori similes.

tur, qua in re sceleratiores sunt sceleratissimo Juda, qui proditionem nullo modo attentandam à quovis vel latenter attentavit. Quod si inter alia Dominum Deum etiam ex hoc immaniter offendit, quod inæstimabilem arbitrio Judæorum appretiandum reliquit, & quod incomparabilem adeo parvipendit, ut denariorum numero eum traderet profanis, quò ibunt à Spiritu Dei, & à facie ejus, quò fugient isti qui nunc suo, nunc alieno arbitrio ipsum Spiritum-sanctum appretiare solent, adeoque minimi faciunt, ut non solum paucorum summula nummorum, verum etiam piget, pudetque dicere, pro cane, sue, accipitre, & reliquis qualibuscumque, & hujuscemodi xeniolis vendere non dubitent? Inæstimabilis enim culpæ est Creatorem cœli, & terræ pro quantumlibet magna, & pretiosa merce velle distrahere. Ideo sicut supra dicitur, intolerabile facinus perpetrant quotiescumque quod pretiosum, & super omnia carum est, viliter venumdare tentant. Quid enim carius & pretiosius Deo? Cujus incomparabilem excellentiam sub nomine Sapientiæ

Sap. 7. 8. sapiens sic commendat, dicens: *Nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, quoniam inextinguibile est lumen illius. Infinitus enim thesaurus est hominibus.* Et post pauca: *Est enim in illa Spiritus intellectus sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus*,

Iob 28. 15. &c. Beatus quoque Job inde ait: *Nescit homo pretium ejus. Non dabitur aurum obrisum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non confertur tinctis in die coloribus, nec lapidi sardonico pretiosissimo, vel saphiro. Non adæquabitur ei aurum, nec vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa & eminentia non memorabuntur in comparatione ejus. Trahitur autem sapientia de occultis. Non adæquabitur ei topazion de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.* Qui post pauca breviter aperiens quid sit sapientia, ex persona

Iob 28. 28. Dei dicit homini: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Hinc beatus Hieronymus in expositione Zachariæ » ait: Salvator pretium suum id est majestatis in

Zach. 11. 13. » XXX. cernens argenteis, & tam vili mercede » se proditum ironicos ait: *Decorum pretium quo* » *appretiatus sum ab eis.* Hoc autem est legen» dum cum irrisione dicentis. Tanto me popu» lus meus, & pauperes quondam gregis & à me » electi in filios emendum, atque vendendum » pretio judicaverunt.

CAPUT XX.

Quot maledictionibus cum Juda Symoniaci subjaceant, & qualiter omnem Ecclesiam vendant.

Haud secus hos hæreticos nefandi ambitione commercii dirumpere vincula

A christianæ Legis, & projicere à se jugum apostolicæ disciplinæ quærentes qui habitat in cœlis irridet & subsannat, ubi impudenter negotiando de Deo nihil inveniunt in manibus suis, nisi quod Judas & Judæi in suis, perpetuam scilicet maledictionem & damnationem, qua exemplo Judæ fiunt filii eorum orphani, & uxor vidua, quia sanguis Christi super eos & super filios eorum, ut vendicetur, manet. Quorum plane filii ab ipsa conceptione sua & nativitate fiunt orphani, quia sine Deo Patre, & uxor scilicet plebes eorum vidua, quia sine legitimo marito Christo. Unde ap-

B paret hæreticos generando mori, quorum uxor vidua remanet, & filii orphani. Et verè penitus Deo moriuntur, ubi sacramentorum ejus gratiam perverse alios ordinando vendere non verentur, ut filii amborum nonnisi orphani nascantur, quia mox sempiterno patre orbantur, ubi sacramentis quæ apud hæreticos dicuntur initiantur. Quibus pariter ad suæ damnationis cumulum accrescit, ut à generatione eorum requiratur blasphemia Spiritûs-sancti, qui est remissio peccatorum, sicut ab insano Juda, & perfidis Judæis sanguis Christi, qui effusus est in remissionem pecca-

C torum. Quorum substantiam omnem perfidus ille fœnerator Mammonas pro accommodato eis perfidiæ suæ nummo scrutatur, laboresque eorum diripiunt alieni illi, quorum voces non noverunt oves Christi. Et quid plura; cum psalmus de quo hæc strictim decerpsimus, latius tales insectetur? Quem si fidelis lector christiano sensu discusserit, nec mora sub titulo Judæ proditoris animadvertat quantæ, quales, & quot maledictiones atque ultiones debeantur Symoniacis. Neque enim aliquibus hæreticis magis aptari potest psalmi illius prophetica imprecatio in vendi-

D torem Christi & emtores ejus directa, quàm istis, qui Spiritum-sanctum venalem faciunt in omnium sacramentorum ipsius gratia. Ex quibus ut aliqua specialiter commemorem isti catechismum, baptismum, & perfectæ christianitatis sigillum vendunt, scilicet à primo pabulo sacrati salis, usque ad confirmationem per episcopum, quæ est septima sacramentorum regenerationis secundum eumdem septemplicem Spiritum ad remissionem omnium peccatorum. Et hæc quidem vendunt quotiescumque ordinant pretio episcopos, presbyteros, aliosque, quorum officia

E regeneratrici gratiæ in Ecclesia catholica deserviunt. Nihilominus in diaconibus, quidquid sacramentorum in diaconos pertinet; in subdiaconibus quicquid ad subdiacones; in acolytis quidquid ad acolytos; in exorcistis quicquid ad exorcistas; in lectoribus quicquid ad lectores; in ostiariis quicquid ad ostiarios; in cleris quicquid ad cleros, in œconomis quicquid ad œconomos; in ecclesiis quicquid ad ecclesias, in monasteriis quicquid in monasteria & ad ejusmodi reliqua. Taliter dum nullum christianæ religionis ordinem immunem venditionis relinquunt, nil non venditum in

totius

totius christianitatis mundo prætermittunt. Non quantulæcumque possessionis angulum, non agellum, non tuguriolum, sed nec minimum obulum: in tantum ut non solum præsentes, verum & futuræ fidelium oblationes in Ecclesia deprehendantur prius venditæ quam collatæ. Sic hi qui dicuntur christiani, totum christianorum mundum quantum in eis est vendunt, quem sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret redemptionem propter eum. Et cui vendunt nisi diabolo? Et ad quid ei venduntur? Ut sint denuo ipsius, & faciant mala ad voluntatem ejus, neque prosint eis sacramenta aliqua christianitatis, quia gratis accepta, nec dantur, nec administrantur gratis, qui si etiam bona videantur agere, jam bona non sunt, quia illi reputantur cui servi addicti sunt per magistrorum suorum male cautum chyrographum, qui velut vasis boni pastoris præcincti, fraudulenter maligno leoni retrahunt, quos benigno Agno pertinaciter subtrahunt. Unde & inconsolabiliter plangendi sunt, quia sola sua injuria vel ignorantia pereunt, dum devitare tantorum & talium luporum malitiam aut negligunt, aut nesciunt. Quorum rabiei si Judæ rabies comparetur, tolerabilior multis modis reperietur. Ille etenim repentina furia actus, semel magistrum quem mortalem videbat, & passibilem non dubitabat, vendidit. Isti autem diutina meditatione succensi, millies Spiritum-sanctum, quem immortalem & impassibilem ore profitentur, vendunt. Ille quamvis pro tempore paucos discipulos ad horam conturbaverit, non tamen eis Christum etiam occisum abstulit. Isti autem & universalem Ecclesiam sine intermissione conturbant, & ab innumerabilibus Christi populis ejus gratiam exterminant. Ille unus dum unum prodidit, se quidem & paucos complices suos perdidit, sed tamen totius mundi saluti quamvis nolens & nesciens servivit. Isti vero dum innumerabiles unum produnt, se ipsos suosque fautores perdunt, & in perniciem totius mundi grassantes, omnium fidelium saluti resistunt, & nec sibi, nec alicui nisi forte resipiscendo prodesse aliquando possunt. Ille magistrum solum, & sine sua suorumque supellectile distraxit. Isti autem non solum Spiritum Paraclitum, sed insuper quicquid ejus est, & suorum ubivis usque ad minimum assis. Ille præter se neminem mediatorem, vel testem quærere præsumsit. Isti autem non solum se & domesticos suos, verum & extraneos sui negotii mediatores ac testes persæpe acciunt & faciunt. Ille pœnitentia ductus XXX. argenteos etiam nolentibus refudit. Isti autem impœnitentes non solum non refundunt quantulumcumque pretium, sed vellent plus acceptum. Quin etiam ne in aliquo inferiores perdito Juda, ejusque complicibus putentur, qui in tot criminibus superiores illis monstrantur, gaudent & isti cum Spiritum-sanctum appretiaverint, instar illorum, qui appretiando Christum sunt gavisi; & ut illi opportunitatem proditionis, sic & isti exquirunt suæ negotiationis.

In ms. codice in margine hæc leguntur. Secundum Hieronymum vasa pastoris insignia illius & habitum debemus accipere, baculum, peram, fistulam, fibulum.

Iudas semel Christum, Simoniaci millies Spiritum-sanctum vendunt.

CAPUT XXI.

De eo quod non prosit Simoniacis qualiscumque eorum eleemosyna.

Nempe velut quis avarissimus negotiator, anxius expectat, & anhelus expetit nundinas annuas, sic & isti ordinationes tempore suo agendas, ut aut inde redimant res suas, talis pretii spe oppigneratas, aut sacellum vacuum impleant, aut pleno superfundant. Ex qua utique pecunia, quam sic amant, ut Spiritum-sanctum vendere non metuant, fructus non capient etiamsi in pauperes & loca sancta expendant, quemadmodum nec Judas ex sua, qua emtus est ager in peregrinorum sepultura, quæ nec venditori Christi, nec emtoribus ad animarum suarum mercedem quicquam profecit, in tantum nec vile bustum ibidem profanus Judas acciperet, vel inhumatus superjaceret. Hinc si illud consideretur, quod sacerdotum principes pecuniam proditionis sibi refusam arbitrati sunt simul & professi non licere mitti in corbonam, id est reponi cum denariis templi sacri, quia pretium sanguinis esset; putamusne quanto sceleratiores Judæis arbitramur istos, qui pretium Paracliti interdum cum oblationibus, quas christianorum devotio ecclesiis Dei contulit aut confert, reponendum arbitrantur? Solent siquidem sacrilegi ex tam sacrilego pretio quadam vana spe redemtionis animæ suæ modo prædia, modo pallia, modo librorum, modo vasorum atque utensilium ecclesiastici ministerii varia & superflua insignia, possessionibus & gazophilaciis ecclesiarum Dei adjungere. Quod facientes non solum nil mercedis, verum & maximum augmentum damnationis sibi conquirunt, ubi suæ immundæ oblationis contactu sanctuarium, & omnia quæ illius erant polluunt, sicut Dominus per Moysen astruit: *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet*; quod ne fiat, idem Moyses in Deuteronomio sic vetat: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domum Domini Dei tui, quicquid illud est quod voverint, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.* Quo divinæ legis præcepto reprobatur per vitium acquisita oblatio, quia Dominus odio habet rapinam in holocausto. Qui mercedem prostibuli merito dedignatur, quam ex suæ & alienæ carnis corruptione meretrix profana à profanis fornicando consequitur. Quanto magis illam, quam ex suæ animæ, multarumque prostitutione Simonianus à fide christiana fornicando mercatur, nihilominus abominatur pretium canis; non quod eis cujuscumque animalis natura sit abominabilis, sed quod abominetur oblationem, quam quis velut mutus canis adulando, & favendo vitiis alienis à vitiosis meruit. Vel certe pretium canis Deo est, quicquid post pœnitentiam ad

Simoniani Iudæis sceleratiores.

Eorum oblationes immundæ.

Num. 19. 22.

Deut. 23. 18.

peccati vomitum reversus offert. Utrumque A enim abominatio est apud Deum, sive fornicationis, sive assentationis tuæ pretium ei voveas offerendum, quantumlibet sit illud magnum pretium, & pretiosum. Quomodo ergo placabitur Deus pretio quo virginitas innumerabilium animarum, id est fides incorrupta sibique desponsata prostituitur, aut quo pertinacia vel impœnitentia flagitiosis administratur, quandocumque laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur? Quod si possessiones, familias, & reliqua tantum sæculari hominum conversationi utilia inde sibi suisque propinquis & amicis, ut alter B Giezi comparaverint, nihilominus fructus non capient ex eis, quia lepra Simoniacæ maledictionis sibi & semini eorum in perpetuum sic adhærebit, ut nutantes transferantur filii eorum, & interdicentur & ejiciantur de habitationibus suis. Sive ergo spiritualiter, sive carnaliter pretia illa expendant, omnimodis eos incassum laborare constat, quia nec juste, nec fructuose cuiquam umquam tribuit, qui injuste tollit. Unde hi negotiando sese invicem circumveniunt, & sibi invicem quæ habebant auferunt. Venditor quippe exigendo pecuniam, emtori simul fidem surripit & pecuniam. C Emtor autem exhibendo venditori nihilominus surripit fidem, & Spiritus-sancti gratiam; fitque miro & misero modo, ut neuter quod alteri surripuit habeat, sed insuper uterque perdat, quod prius habebat, & ab invicem accipiat solam damnationem, quam prius non habebat. Quid si uterque est miser, miserior tamen ille, qui & suam pecuniam, & fidem perdidit, & gratiam spiritualem, quam pro dato pretio exigebat, alteri quidem abstulit, & sibi non accepit, quin potius pro benedictione meledictionem incurrit. Quo fit ut quemadmodum quis dum alteri animam tollit, illi D quidem tollit, sed ipse duas animas non habet, quin potius & suam perdit, sic & isti fidem sibi & gratiam invicem tollunt, sed neutram earum habet quilibet illorum, & insuper in manus Dei viventis horribiliter incidunt, ubi mortem eis generat peccatum consummatum. Unde mox diabolo qui prius intravit corda illorum ad invadendum traduntur divinitus ad semper sibi in pace possidendum, sicque eos denuo velut alterum Judam post buccellam intinctam sathanas intrat, ubi proditores fidei suæ ex mutua fraude convictos sibi vendicat. Intinctus enim panis E fraude infectam significavit mentem proditoris. Denique non semper abluitur quod intinguitur, sed aliquando polluitur.



CAPUT XXII.

Quid vulpes Simonianæ faciant vel patiantur.

Itaque quia fraudulenti & versipelles isti pro nihilo habent, ut Dominus pars eorum sit, ipsique pars Domini; tamquam vulpeculæ ne sicut Sodomorum vineas demoliantur, etiam florentem vineam Christi capiunt, & partes vulpium illarum efficiunt, quæ sibi in eis foveas habent. Quas quoniam pro qualitate seu differentia suæ nequissimæ potestatis sibi possidendam patiuntur, sub nominibus & significationibus diversarum & nocivarum volucrum, arborum, herbarum, & bestiarum immundarum Isaïas super Idumæam sic vaticinatur: *Possidebunt illam onochrotalus, & ericius, & ibis & corvus habitabunt in ea.* Et post pauca: *Et orientur in domibus ejus spinæ & urticæ, & paliurus immutationibus ejus. Et erit cubile draconum, & pascua strutionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamavit alter ad alterum. Ibi cubavit lamia, & invenit requiem; ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbra ejus. Illuc congregati sunt milvi alter ad alterum.* Isa. 34. 11. Talium ergo & tam versipellium vulpium partes pariter & participes effectæ vulpeculæ, de quibus nunc sermo est, possidentur & possident duplicitatis suæ merito à multiformi dæmonum nequitia multipliciter partitæ, & adhuc multiplicius partiendæ, multifariamque partientes, & partituræ sibi illas ipsas possidendas, à quibus ipsæ possidendæ vicissim partiuntur. De quibus quondam Sapientia ait: *Vulpes inhabitant animæ, quæ memor est malitiæ, & bestiæ cubant in turbulento corde.* Porro Christi oviculæ simplicitatis suæ merito beatæ sunt; quarum Dominus est Deus earum, qui totus est unica pars præclaræ hereditatis earum, quam eis ipse restituet totus in singulis, quæque singulæ totæ in ipso toto, ut sint omnes consummatæ in unum, sitque Deus unus omnibus, & omnia in omnibus. Ita sane ipse populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit earum Deus. Quarum unicam simplicitatem quia abhorrent præfatæ vulpeculæ, habitant solitudines draconum & strutionum deserti, privatæ præclara & populosa hereditate unius ovilis uniusque pastoris. Quæ quoniam nonnumquam pastoralitatis vel divinæ speculatiotionis mentem occupant, dum regimen Ecclesiæ, vel sacræ scripturæ studium sibi præsumendo utrumque prava actione, & interpretatione dissipant, recte in lamentationibus sic conqueritur Jeremias: *Mœstum factum est in dolore cor nostrum, contenebrati sunt oculi nostri propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Thren. 5. 17. Sed licet propter hujusmodi speculatores mons Sion interdum dispereat, nonnulla tamen nobis est consolatio, quod non habitasse aut stetisse, sed ambulasse tantum dicuntur in eo. Neque enim in catho-

lica Ecclesia seu canonica scriptura hæreticorum episcopatus, vel ministerium aliquamdiu requiescere, aut stare poterit. Siquidem quia non loquuntur veritatem in corde suo, quia agunt dolum in lingua sua, quia munera super innocentes accipiunt, in tabernaculo Dei habitare, aut requiescere in monte sancto ejus nequeunt. Sic quia accipiunt in vano animas suas & jurant in dolo proximo suo, nec stare prævalent in loco ejus sancto. Et quod dicitur, quia nec stabunt, in quem nec tales ascendunt. Qualis enim ascendat, Psalmista declarat, dicens: *Innocens manibus & mundo corde*, & cetera. Unde liquet vulpes has tam subdolas & rapaces nec ambulasse in monte catholicæ Sion, quem nec ascendere potuerunt. In quo tamen secundùm æstimationem vulgi credentes tales Ecclesiæ Dei principari, vel doctrinam ejus scrutari, ambulasse dicuntur, Domino per Prophetam dicente: *Ipsi regnaverunt & non ex me. Principes extiterunt & non cognovi.* Et alibi: *Omnes principes ejus erunt in nihilum.* Ex quibus utique trecentas vulpes fortissimus ille Samson typice cepit, & ut historia refert, caudas eorum revinxit ad caudas, & faces ligavit in medio, quas igne succendens, dimisit ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum, quibus succensis & comportatæ jam fruges, & adhuc stantes in stipula concrematæ sunt, in tantum ut vineas quoque & oliveta flamma consumeret. Quod factum in figuram contigisse illis, & ad nostram doctrinam scriptum nemo ambigit, qui Pauli evangelio credit. Siquidem Dominus noster JESUS CHRISTUS fortissimus omnium, & zelotes non ferens uxorem quam ex gentibus duxerat, cuilibet alii nuptam, ad tantæ injuriæ suæ ultionem, eos qui sapientes erant ut facerent mala, bene autem facere nesciebant, in astutia eorum quasi vulpes comprehendit, quæ ccc. numero illas hæreses exprimunt tantummodo, quæ sibi applaudunt de nomine Christiano, sicut Simoniana, Sabelliana, Ariana, & reliquæ exceptis hæresibus Judæorum & paganorum, quibus crucifixus Christus, aut scandalum est, aut stultitia.

Psal. 23. 4.

Osee 8. 4.

Jud. 15. 4.

CAPUT XXIII.

Allegoria de vulpibus à Samsone captis.

QUod autem trecentorum numerus universitatem Christianorum cruce Christi signatorum designet, *Thau* littera ostendit, quæ crucis charactere formata, ipsum numerum exprimit. De qua in Ezechiele viro linei induto dicitur: *Signa Thau in frontibus virorum gementium & dolentium.* Quos ne interfectores tangant, subjungitur: *Super quem videritis Thau ne interficiatis.* Quod caracter & Gedeoni affuit, ubi divino oraculo instructus in trecentis viris Madianitas prostravit, in figura nostri Gedeonis, qui gyrum cæli circumiens, in utero Virginis totus mansit. Hic in trecentis armatis tubis spiritualis prædicationis lagenis corporeæ fragilitatis, & lampadibus miraculorum divinitatis mundum devicit, & vincit, quos semetipsos abnegare, & crucem suam tollere, atque post se venire docuit. Quorum Sol, id est Samson post hæc, quia non est qui se abscondat à calore ejus, & clarore, ab ovili Ecclesiæ suæ, quam justitiæ radiis profundebat, dolosas & immundas vulpes hæreseon venatus separavit, specie quidem pietatis, sed non virtute trecentas, quas caudis ad caudas invicem colligavit, docens, quia quamvis ad diversa intendant facies & ora, unum tamen errorum finem, velut ex unius perfidiæ nodo celant, & retinent earum posteriora. Nam quamvis singulæ hæreses superbiæ suæ velut turrim Babyloniæ suæ contra Deum exaltari molientes, diversitate linguarum divinitus confusæ, diversa de religione christiana sentiant & dicant, seseque palam invicem impugnent; in fine tamen unius impietatis nodo convexæ clam concordant, ubi deprehenduntur nil aliud nisi fidem perfidia subvertere, & gregem Christi sibi diripere conatæ. In quarum medio, scilicet in connexione caudarum noster Samson faces apposuit, ubi earum malignam concordiam, quæ in fine jungebatur mutuis & intestinis odiis, zeloque invidiæ contra se invicem concitavit. Hinc est quod dum una quælibet alteram post se trahere, aut à se disjungere laborat, omnes invicem pertinacibus animis serviant. Non est enim pax impiis, dicit Dominus. Quas faces tunc accendit, quando irrevocabili anathemate, quasi igne furoris sui, qui arderet usque ad inferni novissima, per sententiam suæ Catholicæ earum odia ad perniciem sui, & multorum aperte inflammavit. Sic dimissæ, vagæ, & perfugæ huc illucque discurrunt; quia exardescente in brevi ira Dei, de via justa perierunt. Demum Philistim ingressæ, omnia victualia gentis adulteræ, & alienigenæ secum concremavere, quia procul dubio consentientes adulterari uxorem Christi, igne justi judicii ejus, quem in fine suo hæreses tamquam in caudis advehunt, quicquid boni habebant, amittunt. Unde & Philistim interpretantur ore, vel poculo corruentes, ut subaudiatur suo vel alieno. Sive enim alienigenæ, pagani scilicet, seu vicini eorum vecordes, & male viventes christiani ore alieno corruunt, quandocumque doctrinis hæreticorum, quæ utique sunt dæmoniorum, credunt, sicut miseri Gothi, quorum alii à paganismo, alii à catholica fide ad Arianam hæresim per imperatorem Valentem, & Eudoxium Constantinopolitanum transierunt. Qui etiam suo ore corruunt, dum hæreticos suo favore protegunt, & extollunt; nec sine causa nominatim messes, vineæ & oliveta eorum consumta referuntur, cum nonnulla alia cum istis perierunt. Cur hoc, nisi ut innotescat hæreticos vel fautores eorum verum sacrificium & sanctificationem perdidisse? In messibus enim & vineis sacramentum corporis & san-

Ezech. 9. 4.

Ibid. 6.

guinis Domini, quod inde ad vitam populi fidelis conficitur non incongruè accipitur. In olivetis autem sacræ unctionis oleum: quibus apud illos evacuatis, superest illis ex omnibus ecclesiasticis sacramentis sola aqua baptismatis, quod solum ad solam perniciem dare possunt, sicut superius satis constat monstratum. Et hæc tanta mala noster Samson Christus fecisse, vel facere dicitur, non quia talia jussit, sed quia juste fieri permisit. Paulus quoque has vulpes coambulantes & occasione, sive invidia crucifixum sic prædicantes, ut ejus crucem evacuare studerent, cavendas Philippensibus denunciat, dicens: *Imitatores mei estote & observate eos, qui ita ambulant, sicut habentes formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi*; quarum caudis ignem suæ perditionis inesse demonstrans, subjungit: *Quorum finis interitus*. Deinde, ut physiologi astruunt, vulpes famelica in locum squalidum se projicit, & mortuam fingit, sicque aves male credulas subito sibi arripit & occidit. Quod constat nonnumquam facere hæreticos, qui terrenum lucrum aut popularem favorem esurientes, mortuos se huic mundo quadam continentia simulant, & animas volantes quidem, sed adhuc carnales, securas periculorum effectas, sua perfidia strangulant, & diabolum secum incorporant. Ex quibus etiam Herodes extitit, qui fingebat se Jesum signorum gratia cupere videre, quem quærebat occidere. Unde & ipse Dominus sibi hoc renunciantibus respondit: *Ite, dicite vulpi illi*, quod evidenter in Passione monstratur, ubi Jesus illusus & spretus ab illo, & universo exercitu ejus narratur.

Phil. 3. 17.

Luc. 13. 32.

CAPUT XXIV.

Collatio actuum Judæ, & Symonianorum.

Sed hinc jam finem proditionis, & proditoris Christi consideremus, & ex collatione illius actum & meritum proditorum Spiritus-sancti perpendamus. Judas mercator pessimus suis inquit complicibus: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute*. Symoniani autem suis nihilominus: Cujuscumque vestrum orando manus imposuerimus, nec mora advenit ei Spiritus-sanctus, quem necesse est accipiat, & ad ecclesiasticum officium liberè agendum sibi teneat. In qua præsumtione multo pejores fiunt ipso Juda, qui nec Dominum proditum sibi remansisse putavit, nec temere, sed caute ducendum præmonuit, cum isti Spiritum-sanctum sic prodant, ut sive remansisse credant, & ei gratiam aliis proditam pro libitu tractandam ex auctoritate jubeant. Et Judas quidem salutando & osculando, pacem & dilectionem ore, nutu, vel gestu simulans, quam in corde non habebat; Dominum Jesum pretio tradidit; isti vero supplicando, orando, manus impo-

Math. 26. 48.

Simoniaci Iudæ pejores.

A nendo, &c. quæ sunt legitimorum sacerdotum propria, ad oculum faciendo, Spiritum-sanctum pretio, ut putatur, tradunt; quorum votibus & reverentiis exterioribus, quod responsum convenientius redditur à Spiritu-sancto, quàm quod Judæ à Christo? Juda osculo Spiritum Patris & Filii tradis? quasi ironice dicens: Putasne me tibi ita concessum, ut habeas cuicumque volueris etiam ficte tradendum & vendendum? sed væ illi per quem Spiritus-sanctus pretio tradetur. Melius illi erat si natus non fuisset. Et non absurdè Simoniacus isthic vocatus est Judas, qui interB pretatur confessio, quia sicut ille ore confitendo, & dicendo Rabbi, prodebat magistrum; sic & iste sanctam Trinitatem ore confitendo & invocando, distrahit Spiritum-sanctum, quem nominatum dicit Deum & Dominum. Verum talibus hæreticorum conatibus nullomodo cooperatur Deus, sed malignus spiritus, qui Christi proditoribus, de quibus sic dicitur: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Neque enim deinceps isti possunt Spiritu-sanctum aliis habere vel sibi, etiamsi aliquando habuerint, quemadmodum nec Judæi, nec Judas Christum licet ipse prius eum C habuerit. Sed cur dicitur quia jam habere non possunt, quem nec invocare jam possunt? Quod detestabilis exitus Judæ significavit, qui prodito Christo ad laqueum festinavit; condignaque suo sceleri pœna, nodatis & omnino circumstrictis faucibus illis quæ funestæ voci proditionis suos meatus laxare vel commodare præsumserant, interiit, nec post veras voces malæ machinationis, nec post fictos pejoris supplicationis, nec verè nec fictè Deum invocare potuit. Cujus non immerito anguntur arteriæ, ut jam nec vitalem flatum possint emittere, quæ temere emiserunt vocem auD sam Redemtorem mundi vendere. Unde suspensus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus. Nec communem aliis hominibus, & naturalem exitum spiritus ejus habere meruit, qui contra communem naturæ Dominum conspiravit. Sicque cœlo terræque perosus, omnique creaturæ invisus, inter utrumque periit, dum terra cadaver ejus fœdissimum & fœtidissimum, aer autem spiritum impiissimum & impurissimum suscipere refugit. Quapropter in primitiis suis discant Simoniani qui & quales sint & quod mereantur. Et si primitiæ duplici contritione conteruntur, tam grandes acerE vi eorum quotiens conterentur? Videntne quod post ipsam vocem venditionis nequeunt Dominum invocare, quoniam angustantur guttura ipsorum inextricabili laqueo perfidiæ. Etenim quomodo invocabunt in quem non crediderunt? sed forsan cervice ferrea adhuc pertinaces & fronte ænea impudentes obstinate contendunt se catholico sensu credere in Deum, licet vendant Spiritum-sanctum. Vestigent ergo quotquot modis possunt omnes latebras illius primi auctoris sui in venditione Domini Dei, & præferant sicubi repererint eum credidisse in Jesum ex quo sathanas in-

Luc. 22. 53.

Judas in Christo non cognovit, nisi quod hominis erat. travit cor ejus ad prodendum illum. In quem si quolibet modo crederet, nequaquam tale quid attentaret. Cognosceret enim Dominum non posse vendi, nec aliquem resistere ipsius voluntati & potestati. Sed miser non cognovit in eo nisi quod hominis erat & videbat. Nec mirum qui nec ea quæ videbat ex toto cognoscebat, dum forsan Pharisario fermento corruptus, miracula Salvatoris principi dæmonum adscribebat. Nam si cognosceret, utique crederet; nam nemo credit quod nullatenus cognoscit, quamvis credendo promereatur cognoscere perfectius, sicut dicit Apostolus: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* (1. Cor. 13. 12.) Et alibi: *Cognoscentes Deum* scilicet per fidem, *cogniti estis ab eo.* Sed quis hoc de Juda carnali & mortali ambiget, cum idem Apostolus asserat nullum principum hujus sæculi quamvis subtilioris & immortalis naturæ, ut puta spiritualia nequitiæ in cœlestibus existant, cognovisse incarnatam Dei Patris sapientiam? Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.

CAPUT XXV.

De eo quod Judas sine fide pœnituit, & quod consentientes principibus sacerdotum fide privati sunt.

Iudam proprie non pœnituit. Sed ne forte opinentur eum credidisse ubi pœnituisse & pretium retulisse legitur, noverint abusive dicendam pœnitentiam illic, cum propriè tristitia sæculi fuerit, quæ mortem operatur, non illa, quæ ut ait Apostolus, secundùm Deum est, & pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Denique laudabilis pœnitentia sine spe non est, cujus substantia fides est. Unde pœnitentia Judæ, quia sine spe fuit, constat quia nullam fidem habuit: ac per hoc videns se damnatum, tristitia sæculi ductus, maluit desperando sibi guttur elidere, quam sperando fructus dignos pœnitentiæ suppliciter offerre. Quod si fecisset, error haud nocuisset. Sed perfidus qui prius blasphemaverat Filium Dei, quem crediderat posse vendi, in fine blasphemavit & Spiritum sanctum, quem credidit non posse tanti peccati sibi veniam largiri. Quod autem CHRISTUM JESUM non Deum, sed tantummodo hominem, quamvis justum crediderit, confessio ejus ostendit, quia dicit: *Peccavi tradens sanguinem justum.* (Matth. 27. 4.) Cui mox pessimi emtores responderunt: *Quid ad nos? Tu videris*; ac si dicant: Quid ad nos pertinet istud peccatum tuum, qui solummodo emimus quem vendidisti? Tu vides quid feceris, quia nos quem emtum, & traditum ante accepimus, & tenemus, non dimittemus. Nonne hâc responsione quotidie Simoniani utuntur, quandocumque eorum sacrilega ordinatio reprobatur? Quid ad nos crimen Simoniacæ hæreseos? Videant illi quid fecerint qui nobis spiritualem gratiam vendiderunt & tradiderunt, quia quod semel accepimus tenemus, nec officium nostrum dimittemus? A quorum sorte, ne se putent exceptos, quamvis multo tolerabiliores sint isti, qui ab emtoribus gratiæ gratis acceperunt, ut putatur, gratiam ecclesiasticorum ordinum, considerent, quod principes sacerdotum JESUM quem emerant turbis quarum favorem sibi conciliarant dare nequiverunt, sed secundùm quod eis persuaserant Barabbam seditiosum latronem, & homicidam à judice impetrarunt. Sic miser ille populus persuasus à Pharisæis & seductus, Pharisæus, id est divisus à Deo Patre & Magistro, fieri meruit, & filius patris, vel magistri eorum effici, ut deinceps frater illorum esset, qui ex patre diabolo vel ex magisterio ejus erant. Hoc enim interpretatur Barabbas, vel Barrabbas. Quo facto tantum fidei pristinæ defectum incurrit, ut qui paulo prius Domino cum palmis obviam venerat, & vestimenta sua, ramosque arborum in via illius straverat, & Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël, Osanna in excelsis clamaverat, repente clamaret Barabbam. Quos quotiescumque judex, ut puta desipientes, resipiscere, & ab errore corrigere curavit, nihil profecit, sed magis tumultus fiebat, & invalescebant voces eorum, nec aliud volebant nisi JESUM à se abjicere, & Barabbam sibi poscere dicendo: *Non hunc, sed Barabbam.* (Johan. 18. 40.) Et *tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* Et *tolle, tolle, crucifige, crucifige eum.* (Luc. 23. 18.) Et *sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Et alia his similia. Quâ conspiratione & sententiâ sic se suosque posteros diabolo mancipatunt. Paucissimi enim fuerunt qui inde crediderunt ad comparationem eorum qui non crediderunt, nec se suosque posteros à sempiterna morte subtrahere curarunt. Unde etiam cum morte animæ turpissimam & acerbissimam corporis mortem incurrerunt, velut per Vespasianum & Titum, atque per Ælium Adrianum. De quo populo & illud considerandum est, quia quotquot eorum salvati sunt, non solum baptismate, quod procul dubio remissionem omnium peccatorum attribuit, Deo perfectè reconciliari meruerunt, nisi & prius per pœnitentiam eum sibi placare laborassent. Sic enim ad Spiritûs-sancti evidentem effusionem, & ad prædicationem Petri compunctis dictum est: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine* JESU-CHRISTI *in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritûs-sancti.* (Act. 2. 38.) Nec excusare eos ignorantia potuit, quin pœniterent, quamvis etiam ipse Petrus eis de illa testimonium perhiberet in subsequentibus, dicens: *Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur vestra peccata.* (Act. 3. 18.) Et quæ præcipue illa fuerint in præcedentibus ostendit, dicens: *Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum* JESUM, *quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati judicante illo dimitti. Vos* (Ibid. 13.)

autem Sanctum & Justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis. Si ergo negasse CHRISTUM dicti sunt, qui eum non credentes vel dubitantes Deum, velut hominem purum pro puro homine interficiendum judici tradiderunt, dubitabiturne an negent Spiritum sanctum, qui se asserunt eum omnino credere Deum & Dominum, & tamen pro auro vendunt? Et ô quanto tolerabilior hæc negatio foret, si vel pro homine fieret, tanto utique, quanto potior est homo lapide.

CAPUT XXVI.

Quod nil nisi damnationem à Simonianis accipiant, etiam gratis ordinati, & quod idola faciant pro Christo adorari.

Hinc necesse esse colligant, quid acceperint à talibus Spiritûs-sancti negotiatoribus persuasi, & sic gratis ordinati. Nullomodo enim manus impositionem acciperent, nisi eos sacerdotes Domini esse persuasum haberent. Attendant quoque quanta pœnitentia sint castigandi scientes, quandoquidem attendunt, nec Judæos etiam baptizandos à pœnitentia excusatos, quamvis ignorantes. Et certe quantum humano videtur judicio, debuit excusari ignorantia. Sed inexcusabilis fuit, quia juxta quod Apostolus ait: *Qui ignorat, ignorabitur.* Et ô quot & quantæ catervæ
1. Cor. 14. 38. simplicium, & rusticanorum quærendo veritatem ignorantes ab hæreticis sunt seductæ, quas quidem credimus juste periisse; sed qualiter justum fuerit nequimus ex toto comprehendere. Et revera qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicaverit superbo induet superbiam. Qui sibi nequam est, cui alio bonus erit? Cognoscant vel admoniti, quia quotquot fures sunt & latrones sunt non veniunt nisi ut mactent & perdant. A quorum sanguinolentis manibus non solum nil sanctificationis, sed etiam plurimum contaminationis acceperunt, in tantum ut facta sit meretrix anima eorum quondam fidelis plenaque judicii. Et in qua prius justitia requievit, nunc homicida cujus argentum versum est in scoriam, & vinum mixtum aqua. Et cur hoc? quoniam omnes principes ejus infideles socii furum, à quibus persuasi ignari simplicitatis catholicæ fidei, & incauti, pro Christo accipiunt illum seditiosum latronem, qui in corde
Isa. 14. 14. suo dixit, *Ponam sedem meam ad Aquilonem, similis ero Altissimo*, atque homicidam illum qui erat ab initio. Sic qui hactenus promti laudatores, & devoti susceptores Domini fuerant, non improbi blasphematores ejus, atque importuni petitores latronis existunt, quorum intentio illum solum requirit; etiam cum vox eorum Deum se interpellare fingit. Quem rogo interpellant nisi Mammonam, qui nec pro Deo nec pro proximo verbum ederet, aut hisceret, vel manum levaret, nisi acciperet aut speraret pecuniam? Sed benignus Spiritus sapientiæ non liberavit maledicum à

A labiis suis. Siquidem quoniam renum illius testis est Deus, & cordis ejus scrutator est verus, & linguæ illius auditor, nisi liberavit hæreticum maledictum à labiis suis, cui nihil est aliud bene loqui, quam sua seipsum voce damnare, & sibi maledicere, cujus linguæ benedicentis, & si auditor est Spiritus Domini, quia replet orbem terrarum, & continet omnia, tamen quia habet scientiam vocis, ut putarunt, scrutator renum & cordis non curat quid quis dicat, sed dicendo quod intendat. Hujusmodi voces & exteriores devotiones aspernatus ipse Spiritus-sanctus per Isaïam
B protestatur: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis. Et cum multiplicaveritis orationem non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Numquid non socii furum & latronum fures sunt & latrones, Salomone dicente, *Amicus stultorum efficitur similis; & qui cum fure participat, odit animam suam?* Porro fures & latrones, viri sanguinum & dolosi sunt, quorum particeps quicumque est, sanguinolentus & fraudulentus sit necesse est. Unde quia manus ejus plenæ sunt sanguine, & latronum sibi confœderatorum communione, oratio ejus repellitur à mundissima majestate. Ut enim Sapiens ait: *Qui avertit au-*
C *rem suam ne audiat legem, oratio ejus execrabilis.* Quod si evenit illis qui non audiunt legem præcipientem honorari Dominum de propria & vernacula substantia, quid fiet eis, qui alterius eleemosynam sibi sic creditam, ut gratis dent gratis acceptam impie vendunt? Quorum oratio vel benedictio non solum non auditur aut recipitur, verum etiam in peccatum & in maledictionem convertitur; quoniam *non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est: sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant; venenum aspidum sub labiis eorum. Quo-*
D *rum os maledictione & amaritudine plenum est; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis. Dominum non invocaverunt.* Et qui magis plebem Dei sicut cibum panis devorant, quam qui omnia christianæ religionis sacramenta venalia portant, & plebi Dei denegant, nisi ea pretio sibi redimant? Sed væ miseræ qui taliter duplici damno afficitur, quia & exteriora bona sua negotiando perdit, & interiora non accipit, quin potius damna-
E tionem incurrit, quia à corpore Christi velut panis corruptus respuitur, & ab hæreticis decoratur, eisque inviscerátus sic consumitur, ut non sit nisi cum sociis ejus qui non est: quem velut leonem rugiendo circumeuntem, & quem devoret quærentem, dum stulti incaute fugere conantur, occurrit eis visus, callida videlicet hæresis, quamdam speciem humanitatis, quasi rationis præferens; sicque intima jecoris eorum, id est rectam intentionem bestialiter dirumpit, & leoni, quem se frustra putaverant effugisse, devorandos latenter ad-

Isa. 1. 15.
Prov. 13. 20.
Prov. 28. 9.
Psal. 5. 10.

dicit. Unde quia de hujusmodi devoratoribus subditur, *Quia Deum non invocaverunt*, quærendum est quem invocent, quoniam prolixas orationes nonnumquam habent, & Deum invocare audiuntur, & videntur ab hominibus. Sed ab hac difficultate quæstionis B. Hieronymus solito succinctus nos eximit, ubi Zachariam sic dicentem exponit: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra, & prophetas & spiritum immundum auferam de terra.* Sicut idola fiunt de manu artificis, ita hæreticorum perversa doctrina, quodcumque simulaverit in idolum vertit, & facit pro Christo adorari antichristum. Qui si etiam verbis aliquando diabolum maledicunt, seipsos profecto maledicunt, sicut Sapientis elogio comprobatur dicentis: Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Hæc ita esse nemo qui refragetur, nisi manifestus hæreticus. Unde perpendant nunc à latronibus ad benedicendum, & orandum quolibet modo etiam gratuito constituti, & subrogati, quid vel sibi vel aliis acquisierint ex illorum communione cujus participes sunt facti, & cui spontanei subscripserunt, dum factum eorum non solum crediderunt ratum, sed etiam prædicaverunt. Nimirum homicidæ sunt quales & illi quibus consentiunt. Nempe sic interiorem hominem in se & in aliis occidunt, ut exterior eorum vivat incassum, post paululum habiturus æternum supplicium. Quocumque enim anima tandem peribit, corpus quoque post ibit.

Psal. 52. 6.

Zach. 13. 2.

CAPUT XXVII.

Sententia sancti Augustini, qua omnes hæretici convincuntur negare JESUM CHRISTUM *in carne venisse.*

VErum ne calumnietur quis nos de corpore proprio, & non ex divinis paginis novam suggillationem in hæreticos componere, dum non putat eos omnino sine fide esse, aut Dominum Deum negare, animadvertat venerabilem & catholicum doctorem Augustinum in Epistola B. Johannis apostoli hæc intonantem: Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, Ecclesia exeunt, sed non exirent si ex nobis essent antequam exirent. Et post aliqua. Omnes certe qui exeunt de Ecclesia, & ab unitate Ecclesiæ præscinduntur, antichristi sunt: nemo dubitat. Ipse enim designavit, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Quicumque ergo non manent nobiscum, sed exeunt à nobis, manifestum est quod antichristi sunt. Et quomodo probantur antichristi? ex mendacio. Et quis est mendax, nisi qui negat quod JESUS non est Christus? Videat caritas vestra magnum sacramentum. Attendite quid inspiraverit Dominus Deus & quid insinuare vobis velim. Ecce exierunt à nobis, & facti sunt Donatistæ. Interrogemus eos utrum JESUS Christus sit, statim confitentur quia JESUS Christus est. Si ergo ille est antichristus, qui negat JESUM esse Christum, nec nos possunt dicere antichristos, nec nos illos, quia & nos confitemur & illi. Si ergo nec illi nos dicunt, nec nos illos, ergo nec illi à nobis exierunt, nec nos ab illis. Si ergo non à nobis exierunt, in unitate sumus. Si in unitate sumus, quid faciunt in hac civitate duo altaria? quid faciunt divisæ domus, divisa conjugia? Quid facit communis lectus & divisus Christus? Admonet nos veritas fateri quod verum est, aut ipsi à nobis exierunt, aut nos ab ipsis, sed absit ut nos ab ipsis. Habemus enim testamentum Dominicæ hereditatis. Recitemus, & ibi nos inveniamus: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Tenemus hereditatem Christi, illi autem non tenent. Nec communicant orbi terrarum, non communicant universitati redemtæ sanguine Domini. Et post pauca: Si ergo ex nobis exierunt, antichristi sunt. Si antichristi sunt, mendaces sunt. Si mendaces sunt, negant JESUM-CHRISTUM. Iterum redit ad difficultatem quæstionis. Singulos interroga, confitentur JESUM esse Christum. Coarctat nos angustus intellectus in hac Epistola. Videtis certe quæstionem. Hæc quæstio & nos & ipsos turbat, si non intelligatur. Aut nos sumus antichristi; aut illi sunt antichristi. Sed designavit hæc Epistola antichristos. Quicumque negat quod JESUS non sit Christus, ipse est antichristus. Jam ergo quæramus quis neget, & non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes uno ore confitentur JESUM esse Christum. Quiescat paululum lingua, vitam interroga. Si invenerimus hoc, si ipsa scriptura nobis dixerit, quia negatio non tantum lingua fit, sed & factis, certe invenimus multos antichristos, qui ore profitentur Christum, & moribus dissentiunt à Christo. Ubi invenimus hoc? In Scriptura. Paulum interroga, & audi de talibus cum loqueretur, ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Invenimus & istos antichristos. Quisquis factis negat Christum, antichristus est. Non audio quid sonet, sed video quid juvat. Opera loquuntur, & verba requirimus. Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Voces vestras ad aures meas affertis, ego cogitationes vestras inspicio. Voluntatem malam ibi video, & falsos fructus ostenditis. Novi quid inde colligam. Non colligo de tribulis ficus, non colligo de spinis uvas. Unaquæque arbor ex fructibus cognoscitur. Magis mendax est antichristus qui ore profitetur JESUM esse Christum, & factis negat. Ideo mendax aliud loquitur, aliud agit. Ex quibus tanti Doctoris verbis ne Simoniani nos impudenter urgeant, & se sic nobiscum in unitate catholica degere præsumant, quia unum altare nobis & illis est, & unæ nuptiæ, nec in aliqua conversatione à nobis comprobantur diffidere; noverint hoc nostræ imputandum ignorantiæ,

Aug. Tract. 3. in epist. Joh. n. 4. Ibid. n. 7.

Psal. 2. 8.

Tit. 1. 16.

aut negligentiæ, ſuæque fraudulentiæ, atque impudentiæ. Qui cum revera ſint antichriſti, fingunt ſe eſſe Chriſti, tanto magis cavendi, quanto ſub obtentu ſocietatis pernicioſius incumbant ovili Chriſti, lacteolam ovem mentiti, dum in ſacramentis catholicæ velut in veſtimentis ovium non ceſſant catholicis inſidiari, & cruda per agninos exercent funera rictus. Quique exemplo auctoris ſui Judæ, pacis vel oſculi ſigno, ſub unius communionis ſymbolo meditantur, & pergunt tanto numeroſiore proditiones & ſtrages ex eccleſia, quanto occultiore ſe conſervat eorum nequitia. Nam velut ſicarii ſe ſocios itineris mentiuntur, & repente ſica ex oculis educta incautos nil tale ſuſpicantes inter amicas confabulationes adoriuntur, docti per pacem facere bellum: pares immundis Manichæis, qui ne deprehenderentur, etiam catholicorum communionem ore ſacrilego præſumebant: qui tamen in hoc interdum deprehendebantur, quod abſtemii à vino Sanguinis Chriſti, quem in remiſſionem peccatorum effuſum non credebant, ſe ſubtrahebant. Sic & iſtos nihilominus deprehendere nequimus, niſi ubi eos Spiritus-ſancti gratiam vendere conari comperimus, ſed quantumlibet ſe occultant & fingant, ab Eccleſia tamen cum Manichæis & aliis hæreticis, ſicut vere hæretici, & primo omnium anathematizati & abſciſſi, ſive falſo intus ſint, ſive vere foris ſint, antichriſti ſunt. Nec quales antichriſti ſunt aliqui ex Catholicis, qui contrarii adhuc ſunt Chriſto ad chriſtianè vivendum, cui tamen concordant ad chriſtianè credendum. Iſti autem utrobique antichriſti ſunt, quia contrarii ſibi ſunt ex perverſa credulitate, & ex prava operatione, quæ etiam ſi bona videatur, nil niſi peccatum eſt, quia ſine fide eſt. A quorum tergiverſatione quo diſcernamus tali caractere noſtri inſignimur, *gratis accepiſtis gratis date.* Matth. 10. 8.

CAPUT XXVIII.

Item cujus ſupra, de eo quod hæretici Spiritum-ſanctum non habent, quamvis viſibilia ſacramenta habeant.

SEd adhuc aliqua ipſius Doctoris dicta attendamus: *Dilectiſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* Et quis eſt qui probat ſpiritus? Difficilem rem nobis propoſuit, fratres mei. Bonum eſt nobis ut dicat ipſe unde diſcernamus. Dicturus eſt, ne formidetis; ſed primo videte, attendite. Videte nunc ex primis illud unde vani hæretici calumniantur. Attendite, videte quid ait: *Dilectiſſimi nolite omni ſpiritui credere. Sed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* (1.Ioh. 4. 1.) Spiritus-ſanctus nomine aquæ appellatus eſt in Evangelio, Domino clamante, & dicente: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ;* (Joh. 7. 38.) quid eſt illa aqua? Nemo me interroget. Evangelium interroga: *Hoc dicebat*, ait, *de Spiritu quem accepturi erant, qui in eum erant credituri.* Aliud eſt ergo aqua ſacramenti, aliud aqua Spiritûs. Aqua ſacramenti viſibilis eſt. Aqua Spiritûs inviſibilis eſt. Iſta abluit corpus, & ſignificat quod fit in anima. Per illum Spiritum ipſa anima mundatur & ſaginatur. Ipſe Spiritus Dei quem non poſſunt habere hæretici, & quicumque ſe ab Eccleſia præſcindunt, &c. In qua catholici Doctoris catholica ſententia apertè monſtratur, viſibilia tantum ſacramenta ſine aliqua inviſibili ſanctificatione, quæ procul dubio Spiritus-ſanctus eſt, hæreticis remanſiſſe. *Sacramenta viſibilia hæreticis remanſerunt.* Unde panis viſibilis ſacramenti tantummodo eis adeſt, ſed inviſibilis panis Spiritûs abeſt. Quod nihilominus de aqua baptiſmatis, de unctione ſanctificationis, & ceteris eccleſiaſticis ſacramentis credendum eſt. Et ô utinam ipſa viſibilia ſacramenta remanſiſſent eis pura ſicut videntur, & ſimplicia, & in ſua tantum natura, & non ineſſet eis pollutio aliqua; ſed quod pejus, panis pollutionis & mendacii eſt, & quicquid eorum eſt, ſicut Spiritus-ſanctus per prophetam Oſée ſub nomine Ephraïm atteſtatur, dicens: *Reverſus eſt Ephraïm in Ægyptum, & in Aſſyriis pollutum comedit.* (Oſee 9. 3.) *Non libabunt vinum Domino, & placebunt ei ſacrificia eorum quaſi panis lugentium. Omnes qui comedunt eum contaminabuntur, quia panis eorum animæ ipſorum non intrabit in domum Domini. Factæ ſunt ei aræ in delictum, hoſtias offerent, immolabunt carnes & comedent, Dominus non ſuſcipiet eas.* De quorum doctoribus præmiſit, dicens: *Ventum ſeminabunt & turbinem metent. Culmus ſtans, non eis germen, non faciet farinam. Quod ſi & fecerit, alieni comedent eam.* (Oſe. 8. 7.) *Propheta laqueus ruinæ factus eſt. Super omnes vias ejus inſania. In domo Dei ejus profundè peccaverunt ſicut in diebus Gabaa.* Si quæritur quod fuerit peccatum Gabaa, liber Judicum apertè monſtrat, qui habitatores Gabaa effeminatos, & ſodomitas alios, alios autem defenſores eorum narrat. Nimirum talia ſunt hæreticorum conventicula, quæ domum Dei faciunt ſpeluncam latronum, & lupanar. Quorum auditores ne lætentur ſicut catholici, ſic Spiritus Dei: *Noli exultare ſicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo.* (Oſee 9. 1.) Et ſpecialiter notans Simoniacam hæreſim, ſubdit: *Dilexiſti mercedes ſuper omnes areas tritici.* Et poſt pauca: *Circumdedit me in negotiatione Ephraïm, & in dolo domûs Iſraël. Canaan, in manu ejus ſtatera doloſa, calumniam dilexit. Et dixit Ephraïm. Verumtamen dives effectus ſum, inveni idolum mihi. Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.* (Oſee 12. 7.) Quod autem nulla ſacramenta, quæ apud hæreticos putantur auditoribus eorum proſint, oſtendit dicens: *Area & torcular non paſcet eos, & vinum metietur eis. Non habitabunt in terra Domini. Iniquitatem araſtis, & impietatem meſſuiſtis, comediſtis fructum mendacii.* (Ibid. 9. 2.) Sed & quod ab Eccleſia tam populus, quam princeps eorum projiciendi ſint, ita prædicit: *De domo mea projiciam eos, non addam ut diligam eos. Omnes principes eorum recedentes, radix eorum* (Ibid 9. 16.)

exſiccata

exsiccata est, fructum nequaquam facient: Quod & si genuerint interficiam amantissima uteri eorum. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum & erunt vagi in nationibus. Porro quia Ephraïm, qui & Israël à Juda separatus hæreticorum typum tenuit & Judas catholicorum, discamus nunc quanti pendantur à Deo opera amborum. Judas testis descendit cum Domino, & cum sanctis fidelis. Ephraïm pascit ventum, & sequitur æstum. Tota die mendacium & vastitatem multiplicat, & fœdus cum Assyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat, scilicet sanctificationem suam, vel misericordiam in pauperes ab interioribus in exteriores tenebras. Judicium ergo Domini cum Juda, discretio scilicet & veritas. Et quia hæretici

Osee 7. 14. & invocant Dominum, & non invocant, dicitur: *Me invocabant Deus meus, cognovimus te Israël, & non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis. Super triticum & vinum ruminabant.* Ululare ergo luporum est. Unde apparet hæreticos non orare Deum, sed ululare. Quod præ aliis congruit Simonianis, qui ut rapaces & famelici lupi, voces nullas ad Deum habent, nisi ut quæstu malitiæ suæ ventrem satient; qui & super triticum & vinum oblationis non orant, sed ruminant, quia nil ibi nisi solitam escam suam, id est pecuniam retractant. Sic Simonianus fur ingressus in domum Domini, spoliat latrunculos foris, dum minores suos vendendo, visibilia sacramenta etiam tenero sensu suo privat.

Hæretici ululant, non orant Deum.

CAPUT XXIX.

Item cujus & unde supra in quo cognoscatur Spiritus Dei.

Aug. Tract. 6. in epist. Joh. n. 11.

SEd jam calamus B. Augustini quæstioni præfatæ reddatur, & summatim tangat quæ Doctor ille solito diffusus feriatim & enucleate populis eructuat. Si, inquit, aquæ no-

1. Joh. 4. 1. mine significatur Spiritus-sanctus, & dicit Epistola ista: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus si ex Deo sunt*, intelligamus inde dictum esse. Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno non biberis. Quid est de fonte alieno non biberis? Spiritui alieno non credideris. Restat ergo examen, unde probetur quis Spiritus Dei est. Posuit quidem signum, & hoc fortasse difficile. Videamus tamen. Ad illam caritatem redituri sumus. Ipsa est quæ

1. Joh. 4. 1. nos docet, quia ipsa est unctio. Tamen hic quid ait: *Probate Spiritus si ex Deo sunt*; quia multi pseudophetæ exierunt in istum mundum. Jam ibi sunt omnes hæretici, & omnes schismatici. Quomodo ergo Spiritum probabo? sequitur: *In hoc cognoscetur Spiritus Dei. Omnis Spiritus qui non confitetur* Jesum-Christum *in carne venisse, non est ex Deo, & hic est antichristus, de quo audistis quod venturus sit, & nunc in isto mundo est.* Ergo Spiritus qui est apud hæreticos ex Deo est, quia confitentur Jesum-Christum in carne venisse? Jam hinc erigunt se forte adversum nos & dicunt. Vos non habetis Spiritum ex Deo, sed & nos confitemur Jesum-Christum in carne venisse. Iste autem illos negavit Spiritum Dei habere, quia non confitentur Jesum-Christum in carne venisse. Quære ab Arianis, confitentur Jesum-Christum in carne venisse; quære à Macedonianis, confitentur Jesum-Christum in carne venisse; interroga Cataphrigas, confitentur Jesum-Christum in carne venisse; interroga Novatianos, confitentur Jesum-Chrstum in carne venisse. Omnes ergo istæ hæreses Spiritum Dei habent? Non ergo pseudo-prophetæ sunt? Nulla est ergo ibi deceptio, nulla seductio? Certe antichristi sunt qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quid ergo facimus? Unde discernimus? Opera attendamus, non strepitum linguæ, quæramus quare in carne venerit Christus, & invenimus quis eum negat in carne venisse. Nam si linguas attendas, multas hæreses auditurus es confitentes Christum in carne venisse, sed convincit eas veritas. Quare venit Christus in carne? quia oportebat nobis afferri spem resurrectionis. Deus ergo venit in carne, ut moreretur pro nobis. Quemadmodum autem mortuus est pro nobis? *Majorem hanc caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Caritas ergo illum adduxit ad carnem. Quisquis ergo non habet caritatem, negat Christum in carne venisse. Nunc etiam interrogo omnes hæreticos. Christus venit in carne? Venit, hoc credo, hoc profiteor: immo hoc negas. Unde nego? Audis quia hoc dico? Immo hoc convinco, quia negas. Dicis voce, negas corde: Dicis verbis, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? Quia ideo venit Christus in carne, ut moreretur pro nobis. Ideo mortuus est pro nobis, quia caritatem multam docuit. Tu non habes caritatem, quia pro amore tuo dividis unitatem. Ergo intelligite hinc Spiritum ex Deo. Pulsate, tangite vasa fictilia ne forte crepuerint, & male resonent. Videte si integre sonent, videte si ibi est caritas. Tollite ab unitate orbis terrarum, dividis Ecclesiam ab unitate, dilanias Corpus Christi. Ille venit in carne ut colligat; tu ideo clamas ut spargas. Ergo ipse est Spiritus Dei qui dicit Jesum Christum in carne venisse, qui dicit non lingua, sed factis; qui dicit non sonando, sed amando. Ille autem non est Spiritus Dei qui negat Jesum-Christum in carne venisse. Negat & ipse non lingua, sed vita; non verbis, sed factis. Manifestum est ergo: unde cognoscamus fratres. Multi intus, quasi intus sunt, nemo autem foris, nisi verè foris. Adeo ut noveritis, quia ad facta retulit: *& omnis Spiritus, ait, qui solvit* Jesum *in carne venisse, non est ex Deo.* Solvere factis intelligitur quid tibi ostendit, qui negas quia dixit solvit? Ille venit colligere, tu venis solvere. Distinguere vis membra Christi, quomodo non negas Christum in carne venisse, qui pro honore tuo dirumpis Ecclesiam Dei, quam ille congregavit? Con-

Ex operibus cognoscitur Dei Spiritus.

Joh. 15. 13.

1. Joh. 4. 3.

» tra Christum ergo venis, antichristus es. Intus sis, foris sis, antichristus es. Sed quando intus es, lates, quando foris es, manifestaris. Solvis Jesum, & negas Deum in carne venisse. Non es ex Deo. Ille ergo solvit qui non facit, quid nos docet, nisi ut facta interrogemus, non verba credamus? Omnes negant Jesum in carne venisse, qui violant caritatem. Jesus enim non opus erat ut veniret in carne, nisi propter caritatem. Quomodo poterat filius Dei ponere animam suam pro nobis, nisi carne indueretur, ubi mori posset? Quisquis ergo violat caritatem, quidlibet dicat lingua, vita ipsius negat Christum in carne venisse, & iste est antichristus ubicumque fuerit, quocumque intraverit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non novit Deum, non audit nos. Ex hoc cognoscitur Spiritus veritatis, & spiritus erroris. Jam ergo intentos nos fecit, quia qui novit Deum ipse audit, qui autem non novit; non audit; & hæc est discretio spirituum veritatis & erroris. Videamus quid moniturus est, in quo illum audire debeamus. Dilectissimi diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est.

Aug. Tract. 7. in Joh. epist. n. 11.

Item unde supra: Violatores caritatis schisma fecerunt. Quomodo oderunt ipsam charitatem, sic oderunt & columbam. Sed convincit illum columba. Procedit de cælo, aperiuntur cæli, & manet super caput Domini. Ut quid hoc? ut audiat, hic est qui baptizat. Recedite prædones, recedite invasores possessionis Christi. In possessionibus vestris, ubi dominari vultis, titulos potentis ausi estis infigere. Cognoscit illos titulos suos, vendicat sibi possessionem suam, Non delet titulos, sed intrat & possidet. Sic ad Catholicam venienti non deletur baptismus, ne titulus imperatoris deleatur, sed qui fit in Catholica agnoscitur titulus. Intrat possessor sub titulis suis, quo intrabat prædo sub titulis alienis.

Aug. Trac. 10. in epist. Joh. n. 1.

Idem unde supra: *Omnis qui credit quod* Jesus *sit Christus, ex Deo natus est.* Quis est qui non credit quod Jesus sit Christus? qui sic non vivit quomodo præcipit Christus. Multi enim dicunt, credo: sed fides sine operibus non salvat. Opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente Paulo apostolo: *Et fides quæ per dilectionem operatur.* (Gal. 5. 6.) Opera quidem tua præterita antequam crederes vel nulla erant, vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens. Si autem bona videbantur antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo errabas potius quam perveniebas. Est ergo nobis & currendum, & in via currendum. Qui præter viam currit, inaniter currit: immo ad laborem currit: tanto plus errat, quanto præter viam currit. Quæ est via per quam currimus? Christus, qui dixit: *Ego sum via.* Quæ patria ad quam currimus? Christus, qui dixit: *Ego sum veritas.* Per illum currimus, ad illum currimus, in ipso requiescimus. (Ibid.) Sed ut curreremus per illum, extendit se usque ad nos.

« Idem unde supra. Quid potuerunt plus credere dæmones, quam ut dicerent, scimus qui sis, Filius Dei, sanctus Dei? Quod dixerunt dæmones, hoc dixit & Petrus. Eadem verba, non idem animus. Et unde constat, quia Petrus hoc cum dilectione dicebat? Quia fides christiani cum dilectione Dei est; dæmonis autem sine dilectione. Quomodo sine dilectione? hoc dicebat Petrus ut Christum amplecteretur, hoc dicebant dæmones, ut Christus ab eis recederet. Namque antequam dicerent: *Scimus qui sis, Filius Dei, quid nobis & tibi est,* dixerunt, *quid venisti ante tempus perdere nos?* (Marc. 1. 24. Luc. 4. 34.) Aliud est ergo confiteri Christum, ut teneas Christum, aliud confiteri Christum, ut repellas Christum à te. Ergo videtis quia quomodo hic dicit, qui credit, propria quædam fides est, non quocumque modo communis cum multis. Nemo hæreticorum dicat vobis; & nos credimus. Ideo enim de dæmonibus exemplum proposui, ne gaudeatis ad verba credentium, sed exploretis facta viventium. Quid est credere in illum? & omnis qui diligit genitorem, diligit eum qui genitus est ab ipso. Statim fidei conjunxit dilectionem, quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fides christiani est; sine dilectione fides dæmonis; Qui autem non credunt pejores sunt quam dæmones, & tardiores. Omnis qui diligit patrem, diligit filium. In hoc cognoscimus, quia diligimus filios Dei. Filios Dei dixit, qui Filium paulo ante dicebat, quia filii Dei corpus sunt Unici Fili Dei. Et cum ille caput, nos membra unus Filius Dei. Ergo qui diligit filios Dei, Filium Dei diligit. Et qui diligit Filium Dei Patrem diligit. Nec potest quisquam Patrem diligere, nisi Filium diligat. Et qui diligit filium, diligit filios Dei; Quos filios Dei? Membra Filii Dei. Et diligendo fit & ipse membrum, & fit per dilectionem in compage corporis Christi, & erit unus Christus amans seipsum; Cum enim se invicem amant membra, corpus se amat. Et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; & si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Et quid secutus ait? Vos autem estis corpus Christi & membra de membro: *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* (1. Joh. 4. 20.) Extende caritatem per totum orbem si vis Christum amare, quia membra Christi per orbem jacent. Ubi esse debes, ut sub capite sis. Si in corpore non es, sub capite non es. Quid prodest, quia credis & blasphemas? adoras illum in capite, & blasphemas in corpore. Amat ille Corpus suum. Si tu præscidisti à corpore ipsius, caput non se præscidit à corpore suo. Sine causa me honoras, clamat tibi caput desuper; sine causa me honoras. Tamquam si vellet aliquis tibi osculari caput, & calcare tibi pedes. Forte caligis clavatis contereret pedes tuos volens tibi tenere caput & osculari. Nonne inter verba honorantis clamares, & diceres, quid facis homo? calcas me; Non diceres calcas caput meum, quia caput honorabat, sed plus clamaret caput pro membris calcatis quam pro se, quia honorabatur. Nonne clamat ipsum caput, nolo honorem tuum, calcare jam non me noli? «

» Jam tu dic si potes, quare te calcavi? Dic illud capiti. Te osculari volui, amplecti volui. Sed non vides, ô stulte, quia quodvis amplecti per quamdam compagem unitatis pervenit ad id quod calcas? susum me honoras, jusum me calcas. Plus dolet quod calcas, quam gaudet quod honoras, quia & quem honoras dolet pro eis quos calcas. Quomodo clamat lingua, dolet mihi? Non dicit dolet pedi meo, sed dolet mihi dicit. O lingua! quis te tetigit? quis stimulavit? quis pupugit? Nemo, sed conjuncta sum eis quæ calcantur, quomodo vis non doleam, quæ non sum separata? Ascensurum Caput in cælum, quia vidit multos honoraturos se, quia ascendit in cælum, & vidit quia honor ipsorum inutilis est, si conculcant membra sua in terra. Et ne quis erraret, & cum adoraret Caput in cælo, calcaret pedes in terra, commendavit membra in terra, dixit ubi essent membra ipsius, dixit verba novissima, & discessit. Post ipsa verba non est locutus in terra. Jam non invenis loqui Christum in terra. Invenis illum loqui, sed de cælo. Et de ipso cælo quare? quia membra calcabantur in terra. Persecutori enim Saulo dixit: Saule, Saule quid me persequeris? Ascendi in cælum, sed adhuc in terra jaceo; hic ad dexteram Patris sedeo, ibi adhuc esurio & sitio, & peregrinus sum. Quomodo ergo corpus suum commendavit in terra, ascensurus? discipulis suis respondit; Accipietis virtutem Spiritus-sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque in totam terram. Ecce qua jaceo, qui ascendo, ascendo enim quia caput sum, jacet adhuc corpus meum; qua jacet? per totam terram. Cave ne percutias, cave ne violes, cave ne calces. Novissima verba Christi sunt ista ituri in cælum. Fratres cogitate visceribus christianis, si heredibus carnalibus novissima verba morituri patris plus sunt dulcia, plus grata, & majoris ponderis mox ituri in sepulcrum; heredibus Christi qualia debent esse verba novissima non redituri in sepulcrum, sed ascensuri in cælum? Et si plus custodiuntur à filiis novissima verba morientis patris, cujus cadaver in sepulcro sine sensu jacet, quid sibi sperant illi, qui verba novissima sedentis in cælo non custodiunt, videntis desuper an contemnatur an non contemnatur? illius qui dixit: *Saule, Saule quid me persequeris?* Qui servat ad judicium quicquid videt pati membra sua, quibus gravior & intollerabilior est machæra linguæ hæreticorum, quam ferri paganorum.

Act. 9. 4.

CAPUT XXX.

Recapitulatio præmissorum verborum sancti Augustini.

IN quibus præcipui doctoris claris sententiis necesse est ad cor redeant prævaricatores novi mandati quicumque hæretici, & præ omnibus Simoniani, qui ex accepta virtute Spiritus-sancti faciunt sibi propostam ad solum negotium sæculi, non ad aliquod testimonium Christi, qui ipsam Spiritus-sancti virtutem ascensurus ad hoc solum suscipiendam suis discipulis asseruit; ut resurrectionis ejus & caritatis ubivis terrarum testes sint. Sed perversissimi hominum conversi in arcum perversum, eum à quo intensi sunt impetunt & percutiunt, ubi divitias gratiæ ejus quas jussi sunt omnibus gratis sicut acceperunt exponere & erogare, ad pretium distribuere præsumunt. Sic ingrati Christo, contra eum suis donis pugnaturi insurgunt, & fidelibus ejus tamquam membris ipsius pessimas & insanabiles plagas imponunt, quia ad ipsum, qui caput suorum est pertingere nequeunt. Quem etsi labiis se nonnumquam velle honorare fingunt, injuria est illi non reverentia totum quod agunt, quamdiu fideles ejus sua perfidia tamquam fures & latrones interimunt. Quod velut oves simplices sub simulato pastoris sibilo seductas sibi convocant, sicque nunc furtim, nunc raptim diabolo gregatim immolant, dum consentiunt ut ab eis ematur quod non aliter accipitur, nisi ut gratis detur. Quo contagio paucula oves morbidæ totum gregem contaminant, dum carnales aliqui morbo ambitiosæ avaritiæ attacti, pabula cælestis doctrinæ fastidiunt, & oculis pastorum se per devia vitiorum abducunt & abscondunt. Quapropter à latrocinantibus Simonianis, velut solivagæ oves, inventi, quantocius præ nimietate morbi sui concordant eorum voluntati. Occidere enim volunt illi, mori isti. Quærunt illi interficere, isti non vivere. Illi perdere, isti perire. Sic illi & isti & ad suam perditionem, & totius Ecclesiæ contagium de Spiritu-sancto carnale vel sæculare excogitant & faciunt mercimonium. Quorum persecutio gravior Christo est, quam quorumlibet paganorum, qui publica sævitia, & transitoriis plagis debacchantur in christianos, quam istorum, qui occulta conspiratione sub signo pacis sempiternas mortes inferunt. Quod si Christus perpeti nequit persecutionem membrorum suorum, quin de cælo Saulo eum ignoranti, & zelum Dei quamvis non secundùm scientiam habenti, inclamaret, visumque communem auferret, quid putamus fiet istis, qui confitentur se nosse Deum, & rectores Ecclesiæ ipsius, & tamen zelo diabolico inflammati, scienter non desinunt innumeras fidelium animas persequi, & jugulare? Et si Saulus pro corporali persecutione tanto impetu percellitur, quanto putas isti pro spirituali percelluntur? Unde ille jure amisit ad tempus oculos corporis; isti autem cordis, ut deinceps ipsi cæci duces cœcorum effecti, cum sequacibus cadant in foveam æternæ perditionis. Qui si se cœcos cognoscerent, sicut ait Dominus similibus eorum, peccatum non haberent, quia fructus dignos pœnitentiæ facere solliciti quærerent. Nunc autem quia dicunt videmus, peccatum eorum manet: quibus de cælo Dominus totiens clamat, quotiens per servos suos in quibus quasi in cæ-

lis habitat, verbis sanctarum scripturarum præsumtionem illorum increpat: qui quoniam nunc non auditur, postmodum sicut fortis & potens à secretario suo ad publicum egredietur, & sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur & clamabit, super inimicos suos confortabitur, quibus tunc dicet: Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, hæc enim fecistis, & tacui. Unde quia paulatim & partim dissipastis gregem meum, & absorbuistis, dissipabo vos, & absorbebo simul.

CAPUT XXXI.

De malitia Simonianorum, & quod pejores sint latronibus, & sine aliqua fide Dei.

ADversus quos falsos testes, quos jam impassibilis Jesus, sed adhuc tales patiens in passionibus Ecclesiæ suæ, quales prius passus est, in se interpellat Patrem, dicens per Psalmistam: *Ne tradideris me in animas persequentium me, quia insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Quos quantulamcumque scintillam dilectionis Dei, & proximi retentare impium est credere. Dilectio enim Dei & proximi propria & specialis virtus est piorum atque sanctorum, cum ceteræ virtutes bonis ac malis possint esse communes, quæ qualiter potest inesse illis, qui Deum sic despiciunt, ut eum etiam vendere quolibet pretio laborent, & proximum sic oderunt, ut ab eo viscera sua omnino claudant, ne gratis accipiant, quod illi per ipsos divina gratis dari voluit, & jussit largitas. Qui si etiam substantiam mundi hujus habentes proximo necessitatem patienti viscera sua clauderent, nec de suo aliquid gratis darent, quomodo caritas Dei, quæ nonnisi geminata est, in eis maneret? Sed isti non solum de suo nihil dant, sed ut dent quod à Deo gratis dandum, gratis acceperunt, infelicem proximum bonis omnibus corporis, & animæ spoliant, sic contra caritatem obdurati, ut nec os Deo aperiant charitate illius vel proximi, nisi interventu nummi dati vel pacti. Et ô quanto pejores latronibus pessimis, qui simul animam corpusque proximi dilaniant, cum alii latrones sic corpus occidant, ut animam occidere nequeant. Constat ergo eos nil caritatis Dei, quem non vident habere, qui tam pessime norunt proximum, quem vident diligere, quem si aliquatenus pro Deo, & in Deo diligerent, jam hæretici non essent, quia necessario tantum rectæ fidei, etsi minimæ quantum veræ dilectionis haberent. Sed quoniam neutram habent hæretici & antichristi sunt, qui negant Jesum in carne venisse. Cur enim Jesus venit in carne, nisi ut ex diversis qualitatibus hominum, atque ex omnibus nationibus gentium per nimiam caritatem qua posuit pro illis animam suam, exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, vel

Psal. 26. 12.

Dilectio Dei & proximi specialis virtus sanctorum.

A aliquid ejusmodi, in qua una columba sua, amica, sorore & sponsa immaculata quiescente, immaculatus ipse sponsus requiesceret, atque in regnante regnaret, sicque omnibus suis in se ipso uno consummatis, unus ipse Deus omnia in omnibus esset? Cui mirabili & desiderabili unioni præ ceteris invident & insidiantur, qui Spiritum-sanctum quo tanta diversitas membrorum sub uno capite Christo irreprehensibili, & incomprehensibili compositione coadunatur, compaginatur, & unitur, vendere non verentur. Ipse enim tamquam violentissimum & ferventissimum bitumen, aut B gluten caritatis, quam in sanctorum cordibus diffundit, Corpus Christi per nexus & juncturas aptas formatum, & præparatum conglutinat, & conjungit, crescereque facit in augmentum Dei, ubi ex diversæ professionis & conversationis hominibus unum corpus, & unum spiritum, secundùm vocationem, qua vocati sunt, in una spe efficit. Quem dum velut efficacissimum glutinum fabricæ Dei isti hæretici surripere præsumunt, quantas & quam miserabiles ruinas faciunt? In quibus seu in parietinis solet, nil jam reperietur ordinatum, nil non confusum. Quibus jam nullus C inest decor, nisi urticarum & veprium, libidinis videlicet, atque avaritiæ squalor, & serpentini latibuli horror.

CAPUT XXXII.

Qualiter hæretici à Deo fornicantes faciant & alios fornicari.

ECce qualiter fornicantes à Deo, & profani Simoniani maculant & destruunt illam gloriosam, quam ut sine macula esset D Christus mundavit lavacro aquæ in verbo, & ut sine ruga efficeretur rugas ejus in crucis extendit patibulo. Quam proh dolor nunc impune fornicatores maculant, dum lavacrum illius, & ceteras divinorum sacramentorum species ad conservandum decorum sibi cælitus concessas contagio suæ immunditiæ contaminant, & sua negotiatione evacuant, quas nihilominus corrugant, dum simplicem ejus intentionem, velut nitidam cutem duplicitate suæ calliditatis deturpant, ut merito sponsus ille speciosus forma præ filiis hominum comminetur huic speciosissimæ sponsæ suæ, cu- E jus super omnia specie delectatur, ne vagari incipiat per gregem sodalium ejus, hæreticorum scilicet, qui gregem hædorum suorum pascendo, se amicos sponsi mentiuntur, sponsamque non sponso, sed sibi zelantes, nil nisi adulterium meditantur. Unde juxta expositionem beati Hieronymi sponsus eidem sponsæ in Canticis canticorum comminatur, & dicit: aut cognosce temetipsam quoniam Regis es sponsa & formosa, & à me facta formosa, siquidem ego mihi exhibui gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam; aut scito, quia si te non cognoveris, & tuam nes-

civeris dignitatem, patieris hæc quæ sequuntur. Quænam ista sunt? Si non cognoveris temetipsam, ô pulchra in mulieribus, egredere tu in vestigiis gregum, & pasces non greges ovium, non agnorum, sed hædos tuos. Statuit quippe oves à dextris, & à sinistris hædos. Si non cognoveris temetipsam, ô pulchra in mulieribus, egredere in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum. In vestigiis, inquit, pastorum novissima fies, non inter oves, sed inter hædos tuos, cum quibus habitans, non poteris mecum, id est cum bono esse pastore. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te. Si vis intelligere, ô sponsa, quomodo scire te debeas, cognosce cui te comparaverim, & tunc videbis talem te esse, quæ turpari non debeas, cum tuam speciem cognoveris. Quid est igitur, Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te? Scio equitem sponsum, Propheta dicente: *Et equitatio ejus salus.* Assimilata est ergo equitatui meo in curribus Pharaonis. Quantum differt equitatus meus, qui sum Dominus, & demergo in fluctibus Pharaonem, & cristatos ejus, & ascensores, & equos ejus, & currus ejus: quantum, inquam, differt equitatus meus ab equis Pharaonis, tantò melior es omnibus filiabus tu sponsa, tu ecclesiastica anima omnibus animabus, quæ si non sunt ecclesiasticæ. Igitur ecclesistica es anima, omnibus animabus es melior; si non es melior, non es ecclesiastica. Qua de re, hei mihi! quantum vereor, ne juxta hanc tam prudentis viri sententiam, sponsus ille cælestis sponsæ suæ, scilicet nostræ Catholicæ, impudenter, ut jam dixi, per hæreticorum mandras vaganti exacerbatus det libellum repudii, eique irrevocabiliter dicat: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.* Sic enim se ignorare videtur, ut prophanis pastoribus per devia adhærere, & commorari non vereatur, qui nil nisi hædos pascere noscuntur, de quibus etiam negotiantur. Unde summopere cavendum, ne hædorum lasciviâ hircorumque petulantiâ castitas ejus ex assiduitate cohabitationis periclitetur, sicque adulteris paulatim in sponsi cubili admissis, usque ad verticem constupretur, nec jam pascat agnos. Consentiendo & communicando hæreticis facit hædos ad sinistram ponendos, ex quibus interim adolescunt ductores, & patres eorum petulci hirci, forte perventuri cum multis maledictionibus, & totius populi catholici peccatis capiti, & fronti eorum imprecantis ad partem diaboli à Deo deserti, in cujus inferno nullus est qui confiteatur Domino. Accipient ergo cum hædis suis sortem, desertum maledictionis, qui refugerunt possidere sortem sibi assignatam, paradisum benedictionis. Fient clerus diaboli & synagoga satanæ, quia recusarunt clerus Dei & ecclesiæ esse. Quod incomparabile malum dum vigilanter non cavetur, tantos sine intermissione infert Ecclesiæ Dei defectus, ut velut luna in menstruo seu interlunio, quamvis integra sit, aut minima, aut nulla videatur.

Cant. 1. 7.

Quod ei idcirco accidit, quia se ignorare etiam correpta & commonita non erubescit. Unde justo Dei judicio, quæ se ignorat, adeo & suis ignoratur, ut jam à pluribus an sit aliqua dubitetur.

CAPUT XXXIII.

De diminutione Ecclesiæ, & hæreticorum multiplicatione.

SIc invisceratis sibi mortiferis humanioribus Simoniacæ hæreseos, pectus Catholicæ premitur, sic sententia illius gravatur, sic intestino & domestico illius bello confunditur, & atteritur, ut sponsa illa vix semiviva jam extremum palpitet, ac velut capacissima navis mox demergenda tabulas jam sonantes laxet, vel sicut populosa quondam civitas à sese impugnata & expugnata tandem laboret, vixque alicujus suorum salutem speret. Quæ quia modica spernit, paulatim decidit, ad hoc ut jam pœne ignoret ubi sit & cujus sit, solo Deo inter tot millia venditorum & emtorum pessimorum cognoscente, qui ejus sint, quibus quotidie blande & familiariter in aure cordis inquit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum, vendite quæ possidetis, & date eleemosinam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Sed ô JESU, Pastor bone, quam pauculus apparet nunc istorum agnorum tuorum numerus inter hædorum innumerales cætus! Ita jam superatus lenissimus tuus Jacob ab hispido & hirsuto fratre uterino, ut secundum Isaïam hœdis pascendis vepres & spinæ sint in omni terra, & pauculis agnellis vix aliqua supersint pascua. Verè adest nobis dies illa ab eodem vate sic prædicta: *Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, & pingues carnes ejus marcescent; & erit sicut congregans in messe qui restiterit & brachium ejus spicas leget. Et erit sicut quærens spicas in valle Ephraïm, & relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excursio oleæ duarum aut trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus, dicit Dominus Israël.* Deinde in ipsa paucitate sua quid diminutionis adhuc incurrat Catholica, subjungit idem propheta: *Propterea plantabunt plantationem infidelium, & germen alienum seminabunt. Heu, heu, heu, Domine Deus, parce, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Propitius esto, obsecro, quiesce, quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?* Imminuti enim sumus plus quam omnes gentes, & insuper quos tibi plantamus fiunt infideles, & germen alienum seminamus, quia juxta lamentum Hieremiæ, quos educamus & nutrimus, inimicus noster consumit eos. Et ô vel soli consumerentur. Sed quod gravius est Ecclesiæ utero geniti & lacte ejus nutriti sunt, qui postmodum ab ea ad perfidum Simonem cum

Luc. 12. 32.

Isa. 17. 4.

Ibid. 10.

Simoniaci Christum in carne venisse negant.

maternis armis transeunt, & adversus illam crudeliter insurgunt, & fratres quondam suos deceptos cum periculo matris sub pace interimunt. Quid ergo tanto odio, tantaque pertinacia Ecclesiam Christi, pro qua sola venit in carne, sine intermissione dilaniat, Christum venisse in carne non negant? Nam si B. Pater Augustinus asseruit Arianos, Macedonianos, Cataphrigas, Novatianos negare Christum in carne venisse, eo quod de divinitate sentiendo prava, Ecclesiam ejus sua insolentia discindunt, multo magis Simoniani, qui non solum de Deo prava sentiendo, sed etiam Ecclesiam ejus negotiando eam & quicquid illius est poene ad nihilum, quantum in eis est, redigunt. Et certe Ariani, quamvis Filium & Spiritum-sanctum minorem Deo Patre, & creaturam perverse dicant, non tamen utrumlibet vendere se porro æstimant, qui nec ipsi Macedoniani, quamvis Spiritum-sanctum minorem Patre & Filio, atque creaturam malignè dicant. Sed nec Cataphrigæ licet asserant Spiritum-sanctum in Montanum suæ sectæ auctorem substantialiter venisse. Qua de re sola clarius constat Simonianos plus omnibus his negare Christum in carne venisse, qui ore quidem Spiritum-sanctum Patri & Filio per omnia coæqualem dicunt, quem tamen quotidie vendere se posse credunt, in eo quod visibilia ipsius sacramenta impudenter vendunt.

CAPUT XXXIV.

Quanto perniciosiores omnibus hæreticis sunt Simoniani.

Simoniaci Arianis pejores.

QUantum excusabilius hoc negotium agerent Ariani & Macedoniani, & pretio Spiritum-sanctum vendi posse crederent, quem creaturam prædicarunt? Magis enim consequens est creaturam posse vendi, quam Creatorem & sanctificatorem mundi. Ad hæc multo tolerabilior eorum furor, quos magis contra Catholicam armabat manifestus terror, quam fictus amor, quosque publica confessio clamabat cavendos, quibus tanto intolerabiliores Simoniani sunt, quanto blandiores, & occultiores, quos & catholicos putamus ex confessione, & patres vel amicos ex blanda vel pacifica admonitione vel salutatione, quam sic student suæ perversitati obtendere, ut credantur blandiores esse blandissimis, cum nullatenus quiescant populum Dei tanta mala non sentientem, quin potius illis arridentem, & applaudentem interimere, quos pejores pessimis Arianis, sicut superius apertè monstratur, sancta septima synodus irreprehensibili & authentica sententia deffinivit. In quorum comparatione boni possunt putari etiam Novatiani, qui miræ continentiæ, & acerbissimæ disciplinæ secta elati, bigamos & pro criminibus poenitentes dogmatizant ab Ecclesia non debere recipi, cum in omnibus aliis nullomodo contradicant catholicæ fidei. Sed quia suo scandalo Ecclesiam scandalizant, & dividunt, negant & ipsi in carne venisse JESUM-CHRISTUM, non ore, sed sicut pene omnes alii hæretici, actione. Itaque si Novatiani ex nimia justitia notati, negant Christum in carne venisse, vel leviter dubitandum est Simonianos negare CHRISTUM in carne venisse, qui plus quam diabolica elatione repleti, non jam se æquales Deo rapina, sicut diabolus, sed superiores arbitrantur, quem à se posse distrahi pretio sic opinantur, ut etiam profiteantur? Qua utique vesania non solùm Ecclesiam Dei scandalizant, sed quod nullatenus est ferendum, sic supplantant, ut pignus ejus, scilicet Spiritum-sanctum quo signata est in die redemtionis & à quo sanctificatur & vivificatur ei penitus extorqueant, dum se in ministros justitiæ transformant. Quos quis audet vel somniare in Spiritum-sanctum credere, quem plus quam millies aggrediuntur vendere; & potest hoc credere de quolibet vili servulo, ut totiens venditur, ire patiatur æquo animo, & non magis fuga vel quolibet periculo eligat carere tam fastidioso dominio, tantoque ludibrio? Sed proh nefas! huic tam probroso ridiculo & injuriæ nec vilissimis servorum tolerabili, Spiritus libertatis creditur obnoxius, & ad votum parere se vendentibus, quorum spinæ in ortu suo mollitiem herbæ prætenderunt, sed jam olim adultæ rhamnum intelligunt. Numquid enim non conatus perfidi Simonis quasi mollis herba fuit ad comparationem actus sequacium ejus nostri temporis. [Siquidem ille licet Spiritum sanctum ad hoc emere voluerit, ut carius venderet: suam tamen & non alienam pecuniam propter hoc obtulit, sicut etiam B. Petrus eidem respondendo ostendit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. 20. Cujus propinquiores sequaces hoc ipsum fecisse noscuntur, quando solummodo ex proprio censu, vel ex paternis, seu amicorum facultatibus vel possessionibus ecclesiasticos gradus mercatum iri moliebantur, ob eam causam maxime, ut qui prius fuerant potentes & nobiles ex sæculari copia potentiores quoque & nobiliores ceteris supereminerent ex dignitate ecclesiastica. Nam nil magis potentia optat sibi omnis rationalis anima, sive sana, sive insana; quam utique potentia sana quærit adipisci adhærendo Domino Deo, & spem suam in ipso ponendo, exemplo angelorum sanctorum qui perstiterunt. Insana autem elongando se à Deo, & in se confidendo, vel de se præsumendo, exemplo refugarum spirituum, qui ab initio corruerunt, quorum princeps, ut propheta indicat, prius quam caderet in corde suo dicebat: *In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Isa. 14. 14.

His tolerabiliores Novatiani.



CAPUT XXXV.

De nativitate & incremento Simoniacæ hæreseos.

VErum hæc creata ecclesiasticæ dignitatis ambitio ab ipso tempore apostolorum usque ad tempora christianorum principum immanitate persecutionum deterrita disparuit. Quia primus omnium & gravioribus tormentis subjiciebatur qui primus rector & potentior ceteris videbatur. Simul ac vero pax est reddita christianis in tantum ut ipsi etiam Imperatores augustum verticem, cunctasque Tauri insulas, sacerdotum Christi submitterent vestigiis, pestis illa antiqua rediit, tantamque potentiam, & gloriosum in quo cum Christo sancti jam regnabant regnum, & sacerdotium videns, obstupuit; cui dominari & principari solito cupida, quia veritate, cujus particeps non est, nequivit, fallacia sibi praeripere maluit. Unde quod catholica Ecclesia promeruerat Dei gratia, ambitio Simoniana obtinere quæsivit pecunia; non ut in catholica velut adoptionis filius subesset gratiæ Dei ac deserviret, sed ut præsumtionis tyrannus præesset, ac imperaret. Et hoc prius suo vel suorum tantum pretio, sicut prædiximus, consequi moliebantur, ut vel minimæ parti Ecclesiæ principarentur: interdum & ingentes possessiones suas hac de causa possessionibus ecclesiasticis adjungebant, atque sub talis commodi obtentu negotium suæ ambitionis exercebant, ut putaretur ab indoctis principatus talium non solum nil officere, sed & plurimum Ecclesiæ Dei proficere: quam, ut vel sic impetrarent ei præesse, ditabant sua peculiaritate. Verum quia sicut suis bonitas gradibus progreditur, sic & malitia suis, tamdiu ..... hic quantulumcumque excusabilis negotiationis Ecclesiæ adhæsit, quamdiu aliquis status christianitatis, vel honestatis progenitoribus nostris insedit. At ubi peccatis prævalentibus ignorantiam Dei prorsus incurrerunt, omnem colorem excusationis vel qualiscumque honestatis abjecerunt, nec jam palliare suam avaritiam curarunt, sed exertis brachiis palam sævire permiserunt, quæ pessimam libertatem tandem adepta, ad hoc cupidos ecclesiasticarum dignitatum impulit, ut jam crumenis suis, vel suorum, seu facultatibus nil prorsus demant aut subtrahant, sed totum pretium datum, vel promissum ex reditibus vel possessionibus ecclesiarum quibus præponuntur corradant. Inde passim & maxime per totam Italiam videntur ecclesiæ Dei, Monasteria, seu reliqua religiosa loca quædam à fundamentis destructa, & eversa, quædam etiam effossa, quædam à semirutis tectis, & ruinam sui minantibus parietibus horrida, quædam desolata ab hominibus bestiis tantum noxiis, & volucribus immundis relicta, quædam frutetis & urticis repleta, quædam & si

Simonia Ecclesiarum & monasteriorum ruinæ causa.

A adhuc videntur muris & ædificiis exterius stare, & inhabitari, omni tamen decori suo, atque interiori ornatu tam in libris, quam & in ecclesiastici ministerii vasis, & vestibus inveniuntur spoliata, ut ex multis quæ devota antiquitas piis locis conquisierat, vel paraverat, ne qualecumque supersit psalteriolum, aut fictile famiolum, seu corporale linteolum. Quædam etiam multis & variis prædiis, castris, municipiis, familiis & peculiis olim inclyta nunc ne agellum quidem, nec tuguriolum, nec municipiolum, nec asellum vel hædulum, sed nec quicquam eorum quæ possederant retentant, in tantum ut ipsa sanctuarii atria & B christianorum cymeteria alienus agricola sibi aret, atque excolat, messibusque vel vitibus repleat.

CAPUT XXXVI.

Qualiter Simoniaci non solum res Ecclesiæ, sed ipsos quoque principes cum populis diabolo vendunt.

TAliter multorum sanctorum, & religiosorum christianorum ossa ab ipsis bustis suis C indifferenter extrahuntur, & tamquam irrationabilium animalium ossa super faciem terræ nuda & abjecta relinquuntur. Me miserum memini frequenter me vidisse intra ipsos parietes pavimenta quoque nobilium quondam basilicarum exarari, & seri, seu pecora stabulari. Et his tantis cladibus non tantum Vandalus, Gothus, Hunus, Longobardus, aut Hungarus est auctor, quantum Simonianus hostis, qui mobiles & immobiles sesèque moventes res venerabilium locorum, sic vendendo & propinquis & extraneis donando dilapidat, & D dissipat, ut nil sibi nec posteris suis præter lacrymas relinquat. Qui utinam vel illa tantum quæ ab antecessoribus suis parata invenit, & præ manibus suo tempore habet diriperet, & non etiam illa, quæ necdum habet. Decimas enim & oblationes vivorum & defunctorum, atque cunctos reditus, quos post se usque in finem sæculi Ecclesia erat habitura, per diabolicos contractus sæcularibus hominibus vendit, aut donat, & quibuscumque modis & conditionibus potest, perpetuo alienat; ut Deo post in futuris generationibus servituri, suamque & aliorum salutem operaturi, nihil omnino sibi relictum, nec ad victum unius E horæ, nec ad vestitum, nec ad diversorium sub nocte inveniant. Inde libelli in sæcularibus manibus, inde cartarum monumenta, & instrumenta subscriptionibus talium male cauta, quibus evacuantur Ecclesiarum Dei antiqua chyrographa, & canonica privilegia; & juri laïcorum usque ad finem sæculi addicitur & confirmatur omnis possessio ecclesiastica. Nequeunt jam catholicorum pontificum decreta vel privilegia conscriptionibus horum hæreticorum obviare, nequeunt ulli canones, aut ullæ synodi sanctorum Patrum jam prævale-

re, nequeunt ulla edicta & præcepta imperatorum, vel leges religiosorum principum jam obsistere. Ita prævaluit adversarius, ut jam ante eum subsistere non possit clypeus, non thorax, non hasta, non gladius. In stipulam ei omnis armatura vertitur, quia nec defensionem, nec vindictam aliquam veretur. Deridet enim vibrantem hastam, nec reputat tubæ sonare clangore: quia pro ludibrio habet spirituali comminationem seu sententiam, quæ velut astra ferit eminus, & carnalem condemnationem quæ cominus sic floccifacit anathema cujusvis sacerdotis; sic leges cujuscumque terreni principis, propter eos quamlibet vilis homo dedignetur restituere piis locis, vel passum pedis ex omnibus, quæ illi hæreticus propria manu confirmavit. Sic quod prius fuerat furtum, quodque gradatim factum est latrocinium, ad tantam jam tyrannidem, ut cuicumque seu ecclesiis, seu civitatibus principari quærit, non prius id adipiscatur, quam ipsi quoque plebeculæ libellos hæreticorum, & sacrilegorum se observaturum & defensurum juramento & scripto confirmaverit. Parum videtur hoc exigi ab inferioribus potestatibus, ab ipsis summis hoc exigitur imperatoribus. Nec prius licet eis imperii insignia suscipere, quam juraverint se non solum scripta illa non cassatum, sed etiam defensum iri. O libertas & pietas Romanæ reipublicæ! O liberalitas & potestas majestatis Imperatoriæ! Cogitur summus princeps jurare ne leges religiosorum principum ante se vel suas debeat observare, sed potius evacuare. Vult sibi reddi quæ sunt Cæsaris ab his qui contradicunt Deo, reddi quæ sunt Dei. VIDEAT, quæso, quale sibi sit illud imperium, quod eum repente efficit ex Christiano paganum; immo pejorem pagano, quia apostatat à Deo; cum perversis enim efficitur perversus, & cum sacrilegis sacrilegus, & ideo morte dignus, quia consentit talia facientibus, qui jam est dicendus perversis consentire, sed revera ut pejora faciant imperare, quibus licentiam suo juramento administrat impune retinendi quæ invaserant, & audaciam impune invadendi si qua restant. Si enim, ut Philosophus allegat, qui non prohibet peccare cum possit, imperat, multo magis ille, qui non solum non prohibet cum valeat, sed insuper jurat ne aliquando prohibeat, qui Deo & sanctis apostolis sacerdotibusque ejus nihilominus jurat se prohibiturum talia atque defensurum Ecclesiastica bona. Exploret qui potest qualiter, & qua hunc labyrinthum evadat, scilicet jurare ut talia prohibeat, & jurare ne prohibeat. Hic jurare ut bona Ecclesiarum deffendat, ille jurare ne deffendat.



CAPUT XXXVII.

De inæstimabili malitia hæreseos, & quali bestiæ in Apocalypsi comparetur.

SIc populi malitia suaque ignavia summi principes excæcati, opera Dei, quam terribilis sit in consiliis super filios hominum videre negligunt, ideoque cum eis quos regere, & sub eis quibus præesse debuerunt, in foveam sempiternæ mortis corruunt. Quibus paganorum principes tanto sunt liberiores & superiores in ipsis quoque tormentis, quanto liberaliores & promtiores suum cuique jus conservandi & restituendi in rebus mundanis. Siquidem illi privilegia pontificibus suæ, ut credebatur, religionis & templis devota largitate conferebant, potentique manu suo tempore defendebant, & in futuro legibus suis munimenta contra quarumlibet diminutionum seu alienationum casus eis providebant, quorum industriam à superstitione ad Religionem maximus Constantinus retorquens, privilegia, quæ illi suis sacerdotibus & delubris, Christi ecclesiis concessit eorumque ministris quod & sui posteri, quotquot orthodoxi extiterunt, agere usque ad hæc periculosa tempora studuerunt. Et ô quanto tolerabilior Christi Ecclesiis Ariana, seu Eunomiana, vel Eutichiana, sive quæcumque alia hæresis! quia quamvis sua rabie tamquam lupus oves Dei diripiant & dispergant, caulas tamen & pascua earum auferre non curant, sed post se relinquunt ubi residuæ, & futuræ oves commaneant, & unde vivant. Nonnulla enim consolatio præteriti, vel præsentis damni est catholicis, ubi parum aut certe nil victus & vestitus minus est eis. Sic post Auxentium Arianum, Ambrosius catholicus sibi relictum reperit Mediolanensis ecclesiæ stipendium & diversorium. Sic post Maximum Cynicum, Nectarius. Sic post Dioscorum Proterius. Et si reliquas hæreseon bestias recenseas, nullam invenies perniciosiorem hac, quæ sic oves Christi diripit, ut post se victuris nec caulæ pascua supersint. Profecto hæc non solum dentibus ferreis, & magnis omnia comedit & comminuit, ac suis pedibus reliqua proterit, velut bestia illa, quæ Romanum Imperium præfiguravit; sed flamma insuper ex se exeunte nil ante se inconsumtum relinquit, unde si Propheta nomen illius stupore potentiæ & immanitatis perculsus reticuit, cum aliarum quamvis terribilium nomina non prætermiserit, cui bestiæ hæc assimilabitur? aut quo nomine vocitabitur, quæ dissimilior & crudelior omnibus invenitur? attamen licet illam, quæ quarti regni prophetia extitit, Daniel, hoc est judicium mei Dei exceptis dentibus & pedibus, nec nomina, nec forma ostenderit; Domini gratia tamen, id est Johannes hanc quæ hæreseos prophetia extat, in sua Apocalypsi nomine tantum suppresso ac si visibilem omnibus effigiavit, dicens: *Et vidi bestiam aliam ascendentem de terra & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur ut draco, & potestatem*

prioris

Privilegia paganis sacerdotibus à suis principibus concessa.

Apoc. 13. 11.

A B C D E

prioris bestiæ, scilicet quæ similis erat pardo, A cujus pedes sicut ursi, & os sicut leonis, *omnem faciebat in conspectu ejus. Et fecit terram & inhabitantes in ea ut adorarent bestiam primam. Et fecit signa magna, ut ignem de cælo descendere faciat in terram in conspectu hominum. Et seducit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, & faciat quicumque non adoraverit imaginem bestiæ, occidatur. Et faciat omnes pusillos & magnos, divites, & pauperes, liberos & servos habere characterem in dextra manu, aut in frontibus suis, &* B *ne quis possit vendere aut emere, nisi qui habet caracterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*, &c. De qua post pauca, angelus voce

Apoc. 14. 9 magna dicit hominibus: *Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & accepit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu angelorum suorum, & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendit, nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus, & qui acceperit characterem nominis ejus.* Porro bestiam illam se- C cundam in subsequentibus vocat pseudopro-

Apoc. 16. 13. phetam, dicens: *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedent ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & ne videant*

Apoc. 19. 19. *turpitudinem ejus.* Et post aliqua: *Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus. Et apprehensa est* D *bestia, & cum illo pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure, & ceteri occisi sunt gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, & omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.* Et post hæc de gloria sanctorum etiam

Apoc. 20. 4. in præsenti sæculo ita dicit: *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis. Et animas decollatorum propter testimonium* JESU *& propter verbum Dei. Et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt cha-* E *racterem in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis, ceteri verò mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habeat partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.*

CAPUT XXXVIII.

Recapitulatio præmissæ sententiæ ex Apocalypsi.

QUæ prophetia apostolica, quoniam à sanctis patribus multipliciter & copiose exponitur, hoc tantum inde breviter insinuandum arbitramur, quod bestia prima similis pardo, cujus pedes ursi, & os leonis erat, antichristum specialiter portenderit, cujus dominatio mirabili velocitate, & callidissima rapacitate proveniret, cujusque temporalis vita citissimo fine, mensibus scilicet XL. duobus terminabitur. Si quidem pardus est varium, sanguinarium, velox, rapax, & præceps animal, adeo ut saltu in mortem ruat, quia ut ait Hieremias, non potest mutare varietates suas, cujus pedes, pedes sunt ursi; omnes scilicet hæretici quamdam speciem humanæ sagacitatis, quasi divinæ rationis mentiti, qui quanto sunt inferiores in antichristi corpore, tanto perniciosiores. Ipsis enim universorum compages membrorum retinentur & reguntur, ipsis tota moles diabolici corporis sustentatur, ipsis gestatur, ipsis armatur, ipsis passim vagatur, ipsis vestigatur, non ut conteratur, sed ut augeatur, ipsis tamquam solidissimis basibus, & columnis attollitur. Ipsos quisquis sequitur, sive Paganus, sive Judæus, sive Christianus, antichristo mox incorporatur, & per eos ad æternum interitum portatur. Deinde ut Dominus JESUS os Patris dicitur & est, sic & ille blasphemus os illius leonis rugientis est, qui circuit quærens quem devoret, cui etiam tamquam filio & brachio virtutem suam & potestatem dedit draco, idem qui & leo, ut aperta simul & occulta malitia debacchetur in mundo. Sed hæreticos quos incorporatos & pedes ejus esse Symmista Dei prævidit, in alia bestia specialiter significatos in subsequentibus conspexit, quæ ascendebat de terra, & habebat duo cornua similia Agni, & loquebatur ut draco. Omnes enim hæretici, qui christiani se esse dicunt, tamquam bestiæ de terra ascendunt, quia de soliditate Ecclesiæ ostentationis vel elationis suæ fastu exeunt ad illius marinæ belluæ, antichristi scilicet, potentia sæculari intumescentis obsequium, secundùm præsentis Apostoli dictum: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Terra enim non incongrue hic intelligitur sancta Ecclesia, de qua allegorice ait Psalmista: *Qui fundavit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Et Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo: Quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina separavit eum. Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Ipsam enim super maria Dominus, id est super elationem, & potentiam mundanam esse fecit. Ipsam super flumina, cupiditates scilicet sæculares, extulit, ut sit jam singularis mons ejus pariter & sanctus locus. Ex qua

Antichristus sub bestiæ figura in Apocalypsi designatus.

Psal. 86. 5. Psal. 23. 1.

quotquot exeunt duo cornua similia Agni prætendunt, quia aut duo testamenta se recipere, aut totidem caritatis præcepta observare, aut suam potentiam ad regnum & sacerdotium Christi pertinere, aut baptismo ejus, & cruce se sanctificatos contendunt. Sed in his nullam veritatem præter solam cornuum Agni similitudinem specietenus ostendunt. Unde & loquuntur sicut draco qui in veritate non stetit; qui cùm loquitur mendacium, de proprio loquitur, quia mendax est ipse, & pater ejus, & sicut ille ad hoc tantum locutus, & loquitur tantum ut homicida fiat; sic & isti ad hoc tantum loquuntur ut homicidæ fiant. Qui etiam omnem potestatem prioris bestiæ faciunt in conspectu ejus, quia aut occulta aut aperta malitia non minus ipso antichristo in homines sæviunt. Quam tamen in conspectu ejus faciunt, quia sicut catholici ad Christum referunt quicquid ipso auctore agunt, ita & hæretici ad antichristum quicquid potestate ab illo data faciunt. Nam sicut sancti Prophetæ præierunt ante faciem Domini parare vias ejus; sic & isti præcursores facti illius apostatæ præeunt, & in conspectu illius faciunt quicquid faciunt. Quod totum nonnisi malum esse potest, etiamsi bonum apparet. Ut enim boni exemplo Redemtoris sui dicentis:
Joh. 8. 50. *Ego gloriam meam non quæro*, & *non veni facere*
Joh. 5. 30. *voluntatem meam, sed ejus qui misit me*, quicquid sunt & possunt ipsi tribuunt, non quæ sua sunt, sed quæ Christi quærendo; sic & reprobi sua tantum quærendo, & non Christi, quicquid faciunt, in conspectu antichristi faciunt, qui in nomine suo venturus à semetipso sicut mendax loquetur, gloriam tantum propriam quæsiturus exemplo patris sui draconis, qui ab initio sua tantum quæsivit, ubi propriam sibi sedem exploravit, & Altissimo similis fore per superbiam concupivit.

CAPUT XXXIX.

Quæ sint signa & prodigia Catholicorum.

QUaliter autem faciant hæretici terram & inhabitantes in ea adorare bestiam primam, B. Hieronymus sicut jam superius positum est, sic ostendit, dicens: Sicut idola fiunt manu artificis, ita hæreticorum perversam doctrinam quicumque simulaverit in idolum vertit, & facit pro Christo adorari antichristum. Qui quoniam signis quæ faciunt in conspectu bestiæ illius seducunt habitantes in terra, scilicet Ecclesiam, pusillos, & magnos, divites & pauperes, liberos & servos, etiam Domi-
Mar. 13. 22. nus in evangelio sic suis prædicit: *Exurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri potest electi. Et tunc si dixerint vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*, nolite ire, neque secemini. Sicut enim prophetæ sancti ante adventum JESU CHRISTI primum, sancti quoque apostoli & imitatores eorum

A ante secundum dederunt & dant signa, & prodigia multa & magna, sic & hæretici, qui à Domino dicuntur pseudoprophetæ & pseudochristi, ut puta antichristi faciunt ante suum principem antichristum. Sed inquiratur quæ signa & prodigia cultores Christi dederint, vel dent, & quæ cultores antichristi. Equidem præcones primi adventus Christi omnibus suis actis & dictis sacramenta Christi, & Ecclesiæ ejus prætulerunt, & præinvenerunt, sicut Moyses in summi Pontificis nostri figuram Israëliticum populum per mare rubrum transtulit, manna de cælo cibavit, & aqua de
B petra potavit, sacerdotesque & tabernaculum cum omni suppellectili sua non solo sanguine purificavit, sed etiam chrismate sanctificavit. Quæ catholicæ veritatis imago, vel umbra non cessavit, donec advenit Veritas ipsa Christus, qui etiam est Via & Vita. Tunc Veritas de terra orta omnes gentes per præcones secundi adventus sui per verum baptisma transfert, pane vivo & vero cibat, vino novo potat, & non solum sacerdotes, sed universam quoque Ecclesiam suam suo sanguine prius redemtam gratiæ suæ unctione sine intermissione sanctificat. Et hæc quatenus agat Apostolus panem
C & vinum Christi commendans, demonstrat. *Quotiescumque*, inquit, *manducabitis panem* 1. Cor. 11.
hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annun- 26.
ciabitis donec veniat. Igitur ut interim taceamus de languidis curatis, & mortuis vivificatis, ceterisque beneficiis seu vindictis, quæ etiam signa & prodigia fuerunt, & sunt, dicamus aliquid de solo baptismo, sacrificio & unctione, quæ nobis videntur principalia, & maxima signa & prodigia esse, quia sine his nemo potest Deo vivere. In his itaque nobiscum est à primo adventu suo usque secundum qui erit in fine sæculi. Hæc ita signa sunt ut
D sint etiam res. Nam quod sunt, & in se habent, significant. Sic visibilis fons baptismatis signum est, quod tamen in se habet rem, scilicet Spiritum-sanctum, qui præbet spiritualem & invisibilem ablutionem interiori homini in mente per signum corporale, & visibile quod oculis carnis ostenditur ex ea quæ fit in aqua exterioris hominis intinctione. Hoc de sacramentis altaris; hoc etiam dictum puta de unctione sancti chrismatis. Hoc de reliquis Catholicæ Ecclesiæ mysteriis, quæ idcirco mysteria, id est secreta dicuntur, quia inest
E eis occulta virtus, quæ per rem visibilem quod suum est pro qualitate & ministerio hominis operatur. Secretum enim à verbo secerno veniens, seorsum cretum id est visum, qualis separatum dicitur ab oculis scilicet carnis, non cordis. Hæc quoque sic sunt signa ut sint & prodigia, hoc est porro dicentia. Sic enim mortem Christi, & dispensationem ejus præteritam significant, ut tamen hunc semper vivere & regnare, & venturum judicare vivos & mortuos prophetizent, id est porro dicant.

CAPUT XL.

Quæ sint signa & prodigia hæreticorum.

Signorum ante & post Christi adventum differentia.

Verumtamen signa & prodigia ante primum adventum Christi in hoc differunt à signis & prodigiis quæ fiunt à catholicis ante secundum ejus adventum, quia illa sic significaverunt, ut omnino res non essent; ista autem sic signa sunt, ut res quoque essentialiter & vere sint. Restat ergo ut bestiæ illius, quæ universalis hæreticorum typus est, signa & prodigia quæ sint, & quæ significent vel prophetent discutiatur; & ante omnia animadvertatur, quia bestia hæc in subsequentibus pseudopropheta appellatur. Quod si falsus propheta est, signa ejus & prodigia sint falsa necesse est: Et quæ falsa sunt, necesse est falsum tantummodo significent, & mendacium. Constat ergo nil veri nec recti signi apud eum haberi, qui nil nisi falsa significat. Sed quæ sunt signa quæ bestia illa sibi agenda præsumit? utique aqua, panis, vinum, oleum, & cetera visibilia instrumenta sacramentorum catholicæ religionis, quæ oculo tenus & specie tenus à Deo usque in finem irato sine aliqua spirituali gratia vel significatione eis permissa sunt. Et ô utinam ipsa visibilia sacramentorum instrumenta apud eos vel in suæ substantiæ aut naturæ munditia haberi possent; & spiritu immundo carerent! sed quod pejus est, à Spiritu Dei contemnuntur & à spiritu diaboli appetuntur, quo & imbuuntur. In quibus licet exterius videatur aqua, panis, vinum & oleum, ac reliqua sacramentorum tamquam victus & vestitus ovium; interius tamen latet rabies dira luporum. Unde Dominus per Osee super decem tribubus speciem hæreticorum tenentibus conqueritur, dicens: *Hæc nescivit, quia dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum quæ fecerunt Baal.* Et post pauca: *Et corrumpam vineam ejus & ficum ejus, & ponam illam in saltum, & comedet eam bestia agri.* Itaque hac arte, his fucis bestia hæc facit imaginem prioris bestiæ, ut sicut sancti patres suis cæremoniis ante legem & sub lege perfiguraverunt Christum venturum; sic & hæretici suis præstigiis antichristum. Nam sicut in antiquis patribus nostris tunc operabatur, & nunc in catholicis operatur mysterium sempiternæ justitiæ, & æquitatis quæ est Christus; sic & in hæreticis tamquam in filiis diffidentiæ operatur mysterium injustitiæ, & iniquitatis quæ est antichristus. Qui si nunc non esset in eis secretus, & velatus, non diceret de ejus manifestatione Apostolus: *Ut reveletur in suo tempore, & tunc revelabitur ille inimicus.* Nam quomodo catholici quædam Hebræorum signa retinent, in quibus Dominum velatum essentialiter bajulent, & prophetent; sic & hæretici quædam signa catholicorum usurpata exhibent, in quibus antichristum velatum bajulent & prophetent. Cujus imagini etiam spiritum dant, eam ejus imitatione mendacio suæ prædicationis & defensionis quibus possunt commendant. Qui & inter alia signa quæ fingunt, etiam ignem de cælo in terram descendere faciunt, quandocumque instar apostolorum manus alicui imponentes, Spiritus-sancti gratiam ac consecrationem eum accipere præsumunt. Sed hoc in terra quam suam dicunt ecclesiam agere videntur, & in conspectu hominum, hoc est carnalium. Sive aliter de cælo ignem in terra deponunt, quando eorum impietas sæculariter prosperatur, in tantum ut etiam electi in quibus Deus tamquam in cælis habitat, stupore concutiantur, ignemque humani zeli in Ecclesiam excutiant, dum minus recti corde pacem & abundantiam hæreticorum videntes in eos zelant.

Osee 2. 8.

Ibid. 12.

2. Thess. 2. 6.

CAPUT XLI.

De sævitia hujus bestiæ, & de caractere Christi & antichristi.

Sed bestia hæc quæ prius quasi domestica signis blandiebatur, ut seduceret, in fine velut indomabilis fera rugitu suo & debacchatione omnes terret, ne sit qui jam ejus sævitiæ præ timore mortis obviet. Quod ex una Simonianorum hæresi liquido potest intelligi, quæ prioribus temporibus blanda in tantum visa est, ut vix ejus nequitia deprehenderetur. Nunc autem ad tantam feritatem erupit, ut sicut quondam tempore Arianorum nostri quoque temporis homines publicè cæsi, & facultatibus spoliati, exsiliati, atque interemti à Simonianis referantur, qui vel verbis caritativis & blandis eos resipiscere monuerint. Sic bestia hæc, quæ caput quasi mite & agninum protulit, paulatim caudam suam tamquam cedrus stringit, ut jam nulli parcat ætati, nulli sexui, nulli conditioni, nulli professioni, nulli ordini, nulli potestati. A maximis usque ad minimos turmatim ad prælium contra Agnum & ejus exercitum ducit populos. Et ante se quidem præmittit multos, sed post se innumerabiles trahit, in tantum ut cum his qui terrena sapiebant, etiam spirituales qui in Ecclesia tamquam stellæ in cælo lucere videbantur, cauda draconis ut puta ejus sequax effecta in terram detrahat. Sic ex ambitiosa & spinosa rhamno ignis egressus, non solas steriles sylvas quæ ab oliva, vite, & ficu repudiatæ eam sibi in regem elegerant combussit, sed ipsas quoque cedros Libani devoravit. Quam malitiam ut perficere queat, caractere antichristi dexteras manus, & frontes omnium sibi consentientium notat; quem qui non habuerit, nec vendere, nec emere poterit. Forsan inquiritur caracter hic quis sit, nimirum perfidia, quæ & proprie dicitur impietas. Sicut enim fides catholica, quæ & pietas dicitur, caracter est Christi; ita & perfidia hæretica dignoscitur esse caracter antichristi. Et sicut catholici caracterem

Simoniaci Arianis ferociores.

Fides Christi caracter, perfidia antichristi.

Christi dextera manu & fronte præferunt; sic A nihilominus hæretici caracterem antichristi. Dextera quippe stigmata crucis Christi gestamus, quam levi motu ipsius dexteræ nobis & aliis quotiescumque expedit proferimus, quam & in frontibus nostris impressam chrismate salutari proferimus: nec de illa erubescimus, sed potius in illa sic gloriamur, ut cum Apostolo

Gal. 6. 17. profiteamur: *Ego stigmata* JESU CHRISTI *in corpore meo porto.* Et cum Hieronymo: *Vexillum crucis in mea fronte porto.* Et quam congrue in fronte præfigitur, quæ est principalis & honorabilior pars capitis locusque pudoris tamquam in superliminari nostri exterioris hominis, ut præmoneat principali nostri interioris hominis parti, quæ est ratio, præfigendam ad æternum monimen & municimen crucem Christi, ut ei sic compatiamur, ut corregnemus, summamque gloriam pro ejus nomine contumeliam pati arbitremur, nec quicquam pro eo, nisi peccatum erubescamus. Sic & dexteræ nostræ, quæ post caput principatum obtinet artuum, laboriosaque imitatrix est artium & administratrix variarum utilitatum sui corporis & aliorum, caracter crucis inest, quo monemur facta, & dicta crucifixi Christi in omni actione nostra nos attenderedebere, Apostolo dicente: *Omnia quæcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri* JESU CHRISTI *facite; gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Quod cum fecerimus, nil sinistrum, sed totum dexterum erit quod egerimus, nescietque sinistra malorum, quid faciat dextera nostra.

Crux in fronte Christianorum.

Colos. 3. 17.

CAPUT XLII.

De negotiatoribus Christi & antichristi.

ITaque quia per fidem ante omnia à Deo cognoscimur; fides profecto est caracter quo signamur; qui in dextra nostra & fronte deprehenditur, quotiens in regno Regis nostri negotiari proficue & pacifice quærimus. Si enim diligenter advertimus, nemo sive bonus, sive malus, valet saltem una hora in hoc sæculo vivere nisi negotietur. Unde Christus in regionem longinquam iturus, sub speciem cujusdam nobilis hominis, ait servis suis: *Negotiamini dum venio.* Unde & de sancta Ecclesia in Proverbiis dicitur: *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum. Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* Negotiator ergo est Christus & sui; negotiator antichristus & sui; cui per Ezechielem Dominus sub specie Regis Tyri dicit: *Tu Cherub protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate.* Et post pauca: *In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitatum negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam.* Cujus rubi etiam dixit: *In negotiatione tua repleta es, & glorificata nimis in corde maris, in aquis multis*

Omnes homines in hoc sæculo negotiatores.

Luc. 19. 13

Prov. 31. 14

Ezech. 28. 14.

Ibid. 18.

Ezech. 27. 26.

adduxerunt te remiges tui. Patet ergo quia vita humana isthic non transigitur nisi negotiando. Sed fideles sub caractere Christi vendunt peritura bona, & emunt sempiterna. Infideles autem & ipsi sub caractere antichristi vendunt peritura bona, & emunt sempiterna mala. Dant illi vitam suam temporalem, & accipiunt æternam; dant isti vitam suam temporalem, & accipiunt mortem sempiternam. Et illi quidem se & sua omnia vendunt, & centuplicata cum pleno fœnore vitæ æternæ recipiunt; isti vero se & sua omnia vendunt, & nil eorum nisi mortis æternæ accumulatum fœnus postea repe- B riunt; quorum negotiis nemo militans Deo se implicabit. Perfidia enim sive impietas generalis caracter est illis omnibus, paganis scilicet, Judæis, hæreticis, tamquam filiis alienis, & Deo mentitis. Sed quid est quod horum impiorum pars caracterem crucis in dextera manu, & fronte portat? Ergone hoc caractere imputabuntur inter negotiatores Christi? Nonne fures sunt & latrones? Cujus ergo crucem pro caractere suæ perfidiæ præferunt? Procul dubio illius blasphemi, & procacis latronis, qui per crucifixum filium suum, scilicet latronem, Domino secum crucifixo, procaciter convitiabatur. Sed quid est quod latrones isti carac- C terem crucis sic exhibent, ut Christi nomen invocent? Non mirum, quia hoc ad Christi nostri improperium & dispendium, & ad sui latronis gloriam & compendium faciunt. Nam illorum complex & condiscipulus quamvis dicit Luc 23. 39. Deo: *Si filius Dei es, salvum fac temetipsum, & nos*, omnipotentiæ Christi insultabat, & detrahebat atque inimicis ejus materiam subsannandi præbebat. Cui improperando pœnam crucis, & quia par latronibus esset, nec præsentem, nec futuram confusionem suam ex confusione Christi protervus ille felle draconis ebrius sentiebat. D Quem socius quondam suus dum increpat, & Christum Regem & Dominum etiam in cruce morientem corde credere, & ore confiteri non dubitat, caracterem latronis cui additus erat in Christi caracterem commutat, sub quo ex pœna latronis mereatur triumphum Martyris. Sic hæretici quicquid quasi dextrum agere videntur, aut habere præcipuum, totum antichristi est negotium, ut puta per recognitionem caracteris ejus, scilicet perfidiæ, dextera & fronte effectum, licet ipsi antichristi suum antichristum cum Judæis vocitent Christum.

Fideles vendunt peritura & emunt æterna.

Bonus latro in cruce sub pœna latronis meruit triumphum martyris.

E

CAPUT XLIII.

Quo caractere Simoniani noscantur esse antichristi.

UT ergo Ariani hoc caractere antichristi esse noscuntur, quod prædicant Filium Patre minorem, & Spiritum-sanctum utroque; sic & Simoniani nihilominus hoc caractere antichristi esse noscuntur, quo Spiritum-sanctum, ut putatur, vendunt & emunt, aut vendi & emi posse credunt, & dicunt. Qui non solum

occultè sicut alii hæretici sub antichristo negotiantur, sed insuper apertè & sæculariter tamquam vile mancipium Spiritum-sanctum venalem proponunt, & pretium sæculare pro eo paciscuntur, & accipiunt. Quem non potest quisquam vendere aut emere, nisi caractere antichristi, hoc est perfidia notatus in dextera manu, & in fronte, scilicet in suæ cogitationis & actionis principali parte, ut jugiter possit suo negotio antichristum ditare. Unde & Propheta Judæam plangens, ait: *Facti sunt hostes ejus in capite, inimici illius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam.* Sed & alius psaltem idoli arguens, inquit: *Cor insipiens adorabit illud, & non liberabit animam suam, neque dicet forte mendacium est in dextera mea.* Sed hoc negotium non perficitur, nisi ubi uterque, venditor scilicet atque emtor, caracterem antichristi præferre invenitur; quem quia Petrus non habuit, vendere non potuit, licet magus caractere illo signatus emere voluerit. Ubi attendendum à quanta imbecillitate hæresis hæc ad quantum roborem pervenerit. Primo enim venditorem non invenit, deinde longo post tempore venditorem quidem reperit, sed qui solius emtoris, & non alterius, pretium quæsivit. Hinc jam venditor ab emtore non solum suam & suorum, sed insuper ecclesiasticam pecuniam non erubescit omnimodis exigere. Hei mihi contigit me ab his qui inferunt tam horrendum facinus cognovisse, videlicet post pretiosa marmora parietum & emblematum basilicarum pro hoc negotio distracta, etiam tegulas tectis earum cogente & jubente venditore direptas, ut sibi à miserrimo emtore jam sero super tale factum lamentante promissi pretii summa persolveretur. Dicat si quis valet quænam hæresis aliquando tantam desolationem Ecclesiis Dei machinata est, quantam hæc. Et prædicatur à sapientibus, mitius agendum cum Simoniacis quam actum sit cum aliis, & temperandum eis severitatem canonum plusquam Novatianis, erga quos clementiorem & remissiorem Catholica se ostendit? Parcatur volo lupis, furibus, & latronibus, si ipsi aliquando pepercerunt, aut parcunt ovibus, aut si eas aliquando rapiunt vel furantur ne mactent & perdant. Permittantur impune crescere, & filios procreare, sed provideatur an pusillo gregi agnorum hoc expediat. Coquatur hœdus in lacte matris suæ, Domino etiam vetante, sed caveatur ne sic fiat hircus mulctandus irrevocabili maledictione. Suspendantur à morbidis ovibus chirurgica ferramenta, scabiosis costis earum sal mordax, acetum, & sulphura viva, sed videatur ne paulatim serpant in omni dira contagia. Parcatur quoque sacrilegis, quibus leges nullæ parcunt, sed caveatur ne hæc erga eos pietas, sit in Deum & in suos impietas, & pia loca, si quid eis superest, amittant. Parcatur fratricidæ Caïn, si ipse etiam admonitus à fratricidio quievit. Parcatur homicidis, si non ad mortem peccaverint. Parcatur raptoribus, si non solum rapere desierint, sed si rapta quoque, quæ adhuc sibi violenter retinent, rite restituerint.

Thren. 1. 5

Isa. 44. 20.

Cum Simoniacis mitius non agendum.

CAPUT XLIV.

Quam sint rei Ecclesiæ Simoniani, & de numero nominis Christi.

O Quot & quantorum fratricidarum, & homicidarum præ ceteris hæreticis Simoniani habentur rei, qui excepta plebeia manu tot catervas domesticorum Dei, scilicet clericorum, monachorum, & sanctimonialium quotidie occidunt cum sacrilegio immani. Quorum stipendia dum sæcularibus vendendo, & donando alienant, & corpora eorum intolerabili inedia rerumque omnium penuria interficiunt, & animas nihilominus ad peccata quibus moriuntur, cogunt. Ubi enim cælibem & spiritualem vitam ducturi, nil sui stipendii quo subsistant sibi relictum sentiunt, ad sæcularium hominum suffragia coacti refugiunt; quibus necesse est animas subjugare cogantur, dum corpora relevare conantur. O quot pauperes, viduas, & orphanos stipe ecclesiastica alendos necaverunt! O quot pia loca destruxerunt, ubi debitam pauperibus & ecclesiis portionem decimarum & oblationum perpetuo sæcularibus vendiderunt, aut donarunt! Unde jam necesse est, ut contra christianæ militiæ privilegium suis stipendiis militet quisquis militare Christo volet. Inde est quod nec clericos nec monachos aut sanctimoniales quisquam ad regulare propositum cogere, aut libera fronte provocare audet, nisi secundùm uniuscujusque eorum voluntatem. Sed hinc jam breviter de numero nominis bestiæ hoc intimemus, quod sicut nomen Christi nostri, qui est JESUS græcis elementis consideratum DCCCLXXXVIII. exprimit, sic & antichristi nomen DCLXVI. qui calculus in plerisque græcis dictionibus græce consideratis invenitur, ex quibus est Teitan, qui apud nos scribitur Titan, cujus pluralis est Titanes, qui intelliguntur gigantes quondam fabulose egressi expugnare cælites: & solis qui respuisse dicitur prius complices; unde adhuc sol dicitur Titan; qui & Apollon græce, id est perdens dicitur, quod fervore suo omnem succum virentium decoquendo perdat herbarum. Quo nomine regem abyssi Apocalypsis nominat, qui ut ibidem subjungitur latine habet nomen exterminans, cujus derivatum græcum ΑΠΟΛΛΥΕΙΝ, quod significat perditionem. Si consideres nihilominus DCLXVI. reperies. Sive ergo gigantem sive perditionem antichristum nomines, nil obest, quia & gigas est, qui Deo adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, & perditio est, quia homo peccati, & filius perditionis est, qui quamvis salutem omnibus promittat, nec semet salvat, ut Psalmista clamat: *Non salvatur rex per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine*

Simoniaci homicidæ.

Psal. 32. 16.

virtutis suæ. Ante quem retrorsum quoque A accingendus, velut ante contrariam sibi fortitudinem gigas ille accinctus præliatur, de qua & Psalmista testatur : *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Cui B. Ambrosius succinens ait : Procedit de thalamo suo pudoris aula regia geminæ gigas substantiæ alacris ut currat viam. Cujus gratia sicut nos salvamur videndo, sic & priores patres nostri salvari meruerunt sperando, dicente Petro apostolo : *Per gratiam* Jesu Christi *credimus salvari quemadmodum & illi* ; Quem sub nomine futuræ salutis in octenario numero illi præferebant, velut Noë octavus in arca, & Abraham in circumcisione Isaac die octava. Quem & nos sub nomine exhibitæ, & exhibendæ salutis in eodem retinemus numero. Per resurrectionem ejus factam die octavo, & per adventum Spiritus ejus ab ipsa resurrectione octavæ septimanarum die primo, credentes nos per octenarium numerum Jesum nunc in animabus resurgere, & in corporibus in novissimo die. Qui non frustra eo numero significatur quo senarius, & septenarius continetur, ut instar conditoris mundi demonstret post perfectionem bonorum operum tamquam post senarium nos septenarium quietis animarum habituros, tandemque resurrectionis etiam corporum octenarium percepturos.

Psal. 18. 6.

Act. 15. 11

CAPUT XLV.

De numero nominis antichristi.

Unde & antichristus, ut nihil minus quam diabolus credatur, quantum potest mysterium Jesu-Christi, seu fallendi peritissimus, ad se signis & numeris retorquere conatur, abusus etiam illius nominibus, ut & ipse dicatur Messias, vel Christus, Gigas, vel Fortis, cum vere sit filius perditionis, qui venit omnia perdere, quæ Dominus Jesus secundùm nomen suum venerat quærere, & salvare, quia perierant. Ad cujus injuriam, atque suarum tenebrarum dissimulationem Titan, vel Apollo, quasi sol nominari affectat, ut putetur principalis ille sol, quem sic Malachias prænunciat : *Vobis qui timetis nomen meum orietur sol justitiæ* ; cùm sit omnino mancipium piceæ sulphureæque gehennæ rebellis incommutabili Soli, & perdens omnem virorem & germen fidei. Quique ex nefando incesto clam concipiendus & nasciturus, in ipsa sua conceptione ab ipso principe tenebrarum arripiendus, & in filium adoptandus & habendus, ut ejus potentia signisque mendacibus prima spes nostra Virginis hominis, scilicet sanctissimæ Mariæ partus evacuetur, dicaturque & habeatur hic manzer vice illius filius hominis, qui tamen longe illo superior & potentior sit. Et hæc omnia & multis his plura finget, ut Regis nostri humilitatem superbia, pietatem impietate, clementiam crudelitate, veritatem mendacio subvertat, per quas clam suas tergiversationes, quibus quia nonnulla verisimilitudo inerit, facilius sibi incautos subjugabit. Ob hoc numerum sui nominis numero nominis Jesu-Christi coæquare frustra laboret, quia eidem non appropinquat. Nam licet senarium sibi usurpet, septenario & octenario caret. Per quod prudentibus claret antichristum & suos nonnisi perfectionem malorum operum, nec ad septenarium quietis animarum, nec ad octenarium resurrectionis corporum nisi in mortem secundam pertingere posse, quia præter visibilis & temporalis operationis suæ senarium, nil sibi curant mercedis reponere in futurum. B Hæc idcirco de signis & caractere antichristi numeroque nominis ejus forsan diffusius necessario discurrimus, ne quis insidiarum ejus, & secretæ iniquitatis ignarus, suspicetur in fine mundi ab illo aut mortuos ad vitam suscitandos, aut caractere illius visibili homines in dextera, & in fronte inurendos, aut numero nominis ejus inscribendos, & frustra jactet se talia nullo sui corporis cruciatu accepturum, si tunc advixerit, cùm forte jam ultroneus his omnibus se subjecerit. Heu quot & quanti tempora antichristi non viderunt, & tamen in corpore ejus sunt, qui quanto plures & fortiores sibi inviscerat, quanto callidius malitiam C suam eis occultat. Avidius enim venenum potatur, quam nobile vinum, non solum ex pretioso poculo, sed etiam ex colore putatur.

Mal. 4. 2.

B. Mariæ partus prima spes nostra.

CAPUT XLVI.

Qualiter satanas profanam trinitatem contra divinam extruat.

Quapropter antiquus draco semper cupidus & fingendi peritus, inter tot & tanD ta, quæ eum attentare & simulare superius monstratur, etiam hoc omnimodis efficere conatur, ut secundùm quod tres sunt qui testimonium dant veritati in cælo, & tres qui in terra ; sic & ipse è contrario tres qui suæ falsitati testimonium dent in hoc turbido, quem adhuc permittitur occupari aëre transfigurat, & tres qui in terra. Ad hoc enim ejus superbia prorupit, ut jam eotenus similis Altissimo fieri quærat, ut tamen supra omne quod dicitur aut quod colitur se se extollat. Unde rebellis Deo contra beatam & individuam ejus Trinitatem, constituit suam altrinsecus abo-E minationem, se videlicet atque antichristum suum & pseudoprophetam amborum, ut ipse pater mendacii patri veritatis ; & antichristus Christo, seu mendacium veritati, atque pseudoprophetam velut conspiratio mendacis & mendacii Spiritui veraci & veritatis resistat. Qui nihilominus pariter contra tres qui testimonium dant veritati in terra, tres ex suo ore spiritus immundos in modum ranarum evomunt, qui polluant, invadant & vendant, quos aqua abluit, Spiritus imbuit, sanguisque Christi redemit. Qui sane spiritus immundi ranis non incongrue æquiparantur, quæ lim-

Spiritus immundi ranis similes.

pidas & fluentes aquas devitant, & limosas paludes affectant, in quibus improba & incondita garrulitate concrepant, & suam generationem multiplicant & educant. In quibus non invenis ubi deambulaturus & requieturus figaris, sed ubi polluendus & absorbendus infigaris; in quibus nil aliud procreatur, nisi nebulæ, fœtores, acutæ catrices, cannæque palustres, & scirpi, venenosi serpentes, & perniciosi vermes, atque steriles arbores. Talis quippe reproborum multitudo, quæ velut stativa & amara aqua terram prius aridam & hominibus habitabilem in paludes squalidas & invias vertit. In quibus jam nil non debitum igni inextinguibili invenitur. In quibus jam nil nisi inepta, & contentiosa carnalium & garrulorum loquacitas ebrietatem suam desfendentium, & sobrietatem spiritualium, & taciturnorum sua improbitate iniquietantium auditur; quales sunt poëtæ & philosophi gentilium, fabulatores Judæorum atque hæreticorum, qui velut lutulentæ ranæ in limosis paludibus nænias suas irrationabiliter, & pertinaciter declamant: quibus utique principantur, & carmina inspirant tres illorum auctores, gentilibus videlicet sathanas, Judæis antichristus; hæreticis autem pseudopropheta. His enim tribus diabolus sibi tres sectas totius generis humani venari, aucupari, & piscari molitur, & per se quidem tamquam Vehemoth gentiles, per antichristum tamquam per avem Judæos, per pseudoprophetam tamquam per Leviathan christianos. Ex quibus quotquot capiuntur ad aquas furtivas tamquam vecordes retrahuntur; quia aut sapientia sæculari, aut felicitate temporali, seu nomine christiano seducuntur. Quorum tertius tanto est perniciosior, quanto geminæ aquæ, sapientiæ scilicet atque baptismi præ illis professor. Quod ex hoc quoque innuitur, quod à tempore illius draco, & bestia prima velut feriati in Apocalypsi videntur. Gentilibus siquidem ab initio à diabolo possessis, & Judæis ab antichristo pervasis, draco & bestia jam securi otiantur, quia solus pseudopropheta seducendis, sibique subjugandis christianis posse prævalere non dubitat. Ab his tribus spiritibus immundis ædificata Babylon de trium professionum hominibus datur à Domino, ut Propheta ait, in possessionem ericii illius, qui in veritate non stetit, & in paludes aquarum, scilicet in cœtus profanarum turbarum, quarum mentes errorum nebulæ, corpora autem omnimodæ libidinis fœtores possident. In quibus nil nisi intractabilis ira, & vana pompa, hypochrisisque & insidiæ, hebetudo quoque, atque sterilis & proterva verbositas procreantur, inter quæ & sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, Affer, Affer. Avaritia enim extat hirudo sævissima non missura cutem nisi plenam cruoris. Cujus duæ sunt filiæ, cupiditas & rapina, quæ licet omnibus inhæreant carnalibus: tamen Simonianis vivacius & manifestius. Isti enim non prætermittunt invicem sibi dicere Affer, Affer. v. g. cupidus venditori emtor dicit, Da mihi invisibilem gratiam; rapax venditor emtori nihilominus dicit, Da mihi visibilem pecuniam. Vel certe emtor dicit, Affer mihi Spiritum-sanctum; venditor è contra, Affer mihi nummum sanum. Unde claret eos accolas paludum Babyloniæ esse, qui nil conferre possunt sine morsu, sine vulnere, sine sanguine. Qui nisi prius haustu alicujus erroris venenum innatæ sibi avaritiæ rejecerint, nonnisi pestem invitare norint.

Tres sectas sibi vindicat diabolus.

Isa. 14. 23.

CAPUT XLVII.

Quod nihil prosit hæreticis nec ad fidei, nec ad salutis effectum, etiamsi grandibus vocibus catholicum decantent symbolum.

PErgant ergo nunc Simoniani, grandibusque vocibus confiteantur JESUM in carne venisse, cujus non satiantur corporis vexatione, & dilaceratione; cujus pascuntur nece. Correcti & convicti obstinate & impudenter, ut eis moris est, recitent catholicum symbolum, omnibus, ut dicitur, novem instrumentis humanæ vocis conclament & proclament, se credere in JESUM-CHRISTUM Filium Dei Unigenitum, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu-sancto, & MARIA Virgine, & homo factus est, &c. Vociferentur quoque si possint & malunt ferrea aut ænea voce, centenosque sonos pectora eorum anhelent, quibus profiteantur se credere & in Spiritum-sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per prophetas, & unam sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam, &c. Nonne supradictas plagas Corpori Christi, quod est ejus Ecclesia, inferendo, negant eum in carne venisse? Nonne supradictas blasphemias, & injurias Spiritui-sancto irrogando, negant eum Dominum & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, atque per prophetas locutum? Et quod negare prædicantur Novatiani, prædicandum est Simonianos confiteri? Quamvis enim Novatiani claris & magnis vocibus audiantur symbolum nostrum decantare, atque eidem subscribere, convincuntur tamen negare JESUM-CHRISTUM in carne venisse, non quia sana membra ejus sauciant, sed quia saucia curari ab Ecclesia Dei posse desperant. Et aliquo modo audiendi sunt Simoniaci quandoque vociferantur se credere JESUM in carne venisse, aut Spiritum-sanctum adorandum cum Patre & Filio, quia non solum saucia Christi membra non curant, sed sana quoque usque ad mortem sauciant? Verum ut in comparatione Simonianorum deprehendatur quanto sit tolerabilior hæresis Novatianorum, isthic ex Historia Tripartita putavimus inserendum, quis & unde extiterit error eorum. Postquam, inquit, scripta & subscripta


est à concilio Nicæno fidei definitio, requisi- A vit Imperator ACESIUM Novatianorum religionis Episcopum, si & ipse consentiret in fide & paschalis definitione festivitatis. At ille. Nihil, inquit, novi ô Imperator, Synodus definivit. Sic enim olim & à temporibus apostolorum ipse percepi, & terminum fidei, & tempus paschalis festivitatis. Porro denuo Imperatore requirente, Cur ergo à communione separaris? ille ea quæ sub Decio gesta sunt persecutionis tempore replicavit, & subtilitatem acerbissimæ regulæ deduxit ad medium, quia non oporteat eos qui post baptisma peccant peccatum quod ad mortem esse scripturæ divinæ pronunciant, communicatione sanctorum fieri dignos, sed invitandos quidem ad pœnitentiam, spem vero remissionis non à sacerdotibus, sed à Deo solummodo sustinere, qui potestatem habet peccata remittere. Sed his hactenus. Hinc jam cum lectoris respirationi, tum scriptoris recreationi consultum ire cupientes, necessarium duximus, ut hujus opusculi istic secundus figatur limes. B

Explicitur liber secundus.

INCIPIUNTUR CAPITULA LIBRI TERTII.

XLIII. De

Expliciuntur capitula.



INCIPIT

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Contra eos qui dicunt se non consecrationem, sed res Ecclesiæ comparasse.

SIcut in rerum natura nihil rotunda & aperta veritate solidius, & potius sic nihil angulosa & latebrosa falsitate inanius & pejus. Tanta est enim veritatis evidentia simul & efficacia, ut sicut lux vera non solum omnium oculos feriat, sed etiam in tenebris luceat. E contrario tanta est falsitatis obscuritas simul & imbecillitas, ut veritatem qua comprehenditur & penetratur, nec comprehendat, nec sentiat. Quam homines ex justa damnatione incurrisse ipse auctor veritatis Veritas in Evangelio sic voluit ostendere: *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Ac si diceret: Medicus venit in mundum, omnem hominem invenit ægrotum. Quorum quidam magis eligentes infirmi remanere, quam medicum adeundo infirmi apparere, falsitatem fecere. Quidam magis eligentes infirmi apparere, quam infirmi remanere, medicum adeundo, veritatem fecere. Sive ergo illi, sive isti pariter habebantur infirmi. Sed illorum opera erant mala per superbiam medico repugnantium, & infirmitatem suam negantium. Istorum autem bona per humilitatem medico cedentium, & infirmitatem suam confitentium. Quod plane judicio deprehenditur etiam in Simoniacis, inque per manus eorum, ut dicitur, ordinatis: dum pars ipsorum sententiis sanctorum Patrum contra Simonianos prolatis sapienter acquiescit, reatumque suum humiliter patefaciens, medelam competentem exposcit; pars autem insipienter resultans, culpam suam superbe defendit, medelaque se non egere contendit. Nec mirum dum procul dubio ad generationem illam pertineat quæ secundum Salomonem munda sibi videtur, nec tamen lota à sordibus suis habetur. Quæ dum suam falsitatem veritate exuperari & confutari sentit, nebulis obtegere non desinit, mandatumque Dei propter suam adinventionem irritum facere contendit. Ex qua utique generatione, & illi erant quos in Evangelio Veritas confutat, dicens: *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui dicitis: si quis juraverit in templo nihil est, qui autem juraverit in auro templi debet. Cæci, quid majus est auro, an templo quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari nihil est, qui autem juraverit in dono, quod est super illud debet. Cæci, quid majus est donum, an altare quod sanctificat donum?* Nec injuria cæci & hypocritæ dicuntur, quoniam legi divinæ attestanti: *Quicumque tetigerit templum & altare sanctificabitur,* sic adversantur, ut impudenter persuadere quærant sanctificantem nihil esse, sed sola sanctificata pensari, & attendi debere. Quorum sequaces nunc Simoniani dum redarguuntur de sanctificatione, sive de sanctificatore hominum Spiritu sancto negotiari, ad aliud falsitatis suæ angulum refugiunt, indeque has supervacuas excusationum nebulas evomunt. Absit ut mercenarius consecrationem Ecclesiasticam, sed solam possessionem Ecclesiasticam; ac si præpostero vestigio callem Pharisæorum terentes, astruere contendant solum sanctificatorem honorari debere, sanctificata autem nihil esse. Adversus quos, quia superiori narratione sanctificatorem defendere pro viribus laboravimus, nunc defensum ire sanctificata, præduce eodem Spiritu-sancto, aggrediamur. Et primo illud quale sit eventiletur, quo pars præfatorum negotiatorum se quidem palliare & defendere, hæresem suam aut statuere & confirmare conatur, asserendo se minime invisibilem Spiritus sancti gratiam, sed visibiles ecclesiarum res tantum pretio comparasse: quia contigit eos consecrationem à metropolitano gratis accepisse. Quod non assererent, si fal-

Joh. 3. 19. — Omnes homines infirmi. — Matth. 23. 16. — Simoniacorum refugium. — Destruitur.

tem scintillam alicujus prudentiæ, seu frontem alicujus verecundiæ haberent. Sed quia nec sapiunt nec erubescunt ad excusandas excusationes in peccatis, ex foliis ficus cui maledixit Dominus perizomata brevia, & volatica velut protoplasti male consuunt, & à paradiso Dei cum anathemate ejiciendi pudendis suis opponunt; unde quia hoc pallium mendacii eorum breve est, utrumque operiri non potest, quoniam si eo caput coopertum ire tentant, pedes mox nudant. Quod si pedes cooperiunt, caput simul discooperiunt. Aut enim ex initio aut ex fine actio seu intentio eorum denudatur. Si enim solum patrimonium seu censum Ecclesiæ comparare voluerunt, quare nec mora post venditionem & emtionem sedem Episcopi & auctoritatem ejus etiam non consecrati invadunt? Cur de inferiori ad superiorem gradum prosiliunt? Cur Episcopale judicium, & consilium super delinquentes proferunt? quo debito consecrationem, canonice electis ad episcopatum dandam, expetunt, nisi quia possessionem ecclesiasticam retentant, quam prius coëmerunt, nec quemquam super se ecclesiam occupaturum confidunt? Qui si ad hoc tantum ecclesiasticas facultates comparant, ut eis utantur, quare non contenti earum usu, insuper benedictionem quam se non comparasse dicunt impudenter exigunt? sed fortes, quod non puto, dicent, se quando prædia ecclesiastica emerunt, nesciisse se ob hoc etiam consecrandos, sed tamquam laïcos quæ emerant putasse possessuros. Monstrent ergo omnibus se tunc nescisse, & cessent episcopalem gratiam exigere; quam pretium dando pro rebus ecclesiasticis, nec cogitabant, nec exigebant. Et quamvis cum sacrilegio habeant sola quæ comparaverunt, nec sibi inde justitiam episcopis debitam præsumant, sed sicut laïci non solum ex beneficiis, sed etiam ex prædiis suis quicquid episcoporum persolvant. Demittant alii accipere consecrationem, episcopalem auctoritatem, animarum procurationem, quæ procul dubio spiritualia sunt, & invisibilis gratiæ. Sed recognoscunt quod utique antequam negotiarentur cognoverunt ad episcopos res Ecclesiarum pertinere, & se illas aliter non posse retinere, nisi sub episcopali habitu & nomine, consecrationem quam in aliis ecclesiarum bonis prius emerunt, velut sibi jure debitam requirunt. Nonne cùm quis laïcus fundos, aut lacus comparat, pariter quoque quicquid sibi inde gratis proveniet comparat? Nonne etiam ipsam culturam qua possessionem exercet comparat?

CAPUT II.

Comprobatio: nil prodesse possessionem sine privilegio ejus.

SI enim culturam ipsam, immo licentiam habendi & colendi non comparat, possessio comparata quid commodi ei præstat? Videtur enim nil aliud quam suæ pecuniæ jacturam voluisse facere, & insuper suæ personæ, A & suis acerbas injurias, & emisse; quandocumque præsumet exercere culturam, quam in comparato fundo non comparavit. Qua ex re constat omnimodis nullum potentum, immo nullum hominum comparare in rebus verisimilibus, nisi quod videtur. V. g. comparat quis numerosas urbes, provincias, regna. Quid in his comparavit nisi licentiam habendi & dominandi? Ad minora veniatur, Comparat quis equum; quid in eo comparat nisi licentiam habendi, equitandi, & faciendi inde quid vult? Aliter enim quilibet quid comparat? Constat ergo nil nisi licentiam vel usum rerum quæ veneunt comparari. B Quamobrem desinant Simoniani latrones damnationis suæ patibulum dealbare; Immo quia parricidæ & fratricidæ sunt; culeum, quo insuendi & puniendi sunt, cessent frustra superungere, & tandem vel sero discant se non possessiones ecclesiasticas, sed solam licentiam possidendi comparasse. Quæ licentia benedictio est episcopalis, tamquam privilegium possessionis. Certe sicubi locorum edictum sic proponeretur, ut in prætermissis observaretur, ne quid videlicet sine subscriptione regiæ manus à quo inibi possideretur, quid dicendus esset aliquis C eorum jure comparasse nisi solam subscriptionem regiam, sive gratis sive non gratis eam consequeretur? Neque enim sine illa licentia juri ejus cederet possessio quamvis comparata. Itaque principalius licentia sive gratuita sive emta dominum possessionis in alterum tralegat quam possessio concessa vel emta licentiam. Sic Episcopalis dignitas potius possessionem, quam possessio Episcopalem dignitatem sibi vendicat. Et tamen tale est episcopale officium, ut sine his quibus debet impendi, vel adhiberi non sit officium, velut si quis dicatur habere licentiam agrum colendi, & ei D ager quem colat desit. Nonne ea licentia supervacua est & nulla? Pari exemplo episcopus, qui superintendens dicitur, nullus erit, si ei defuerit quibus superintendat. Et quid plura? Quicquid inseparabiliter continetur à quolibet, neutrum eorum sine altero vendi & comparari valet. Continet autem episcopalis dignitas res Deo sacratas; continetur quoque ab eis, immò in eis, ut puta & ipsa à Deo consecrata, ac si quodlibet subjectum sic sua accidentia contineat, ut id quoque ab ipsis principalius contineatur. Unde sicut in omnibus rebus visibilibus quandocumque venduntur, non tantum ipsarum visibilis materia, quantum E substantialiter ei accidentia, quæ utique per se visibilia sunt venduntur, licet neutrum sine altero vendi patiatur; Sic & in rebus Deo consecratis, in quibus magis consecratio eorum vel sanctificatio, quæ est Spiritus-sancti gratia per se quidem invisibilis venditur, licet quoque ipsæ res vendantur. Denique v. g. qui arborem comparat, magis ei comparat ejus formam, scilicet proceritatem, grossitudinem, & ut breviter dicatur, quantitatem ejus & qualitatem, quæ per se sunt invisibilia; quam subjectam sensibus per formas materiam. Sic

qui equum, sic qui fundum, & quæcumque hujusmodi sunt.

CAPUT III.

De sententia Chalcedonensis concilii contra supradictos.

SEd jam multifariam deprehensi & confutati asseclæ Simonis Magi, frivolas technas, quibus larvas naturales & veras facies suas obtegendo, quoscumque possunt impune derident, & deludunt, deponant, & aut resipiscant, aut soli pereant, sensuri quia delusores Deus illudet. Quos licet præcedentibus humanæ scientiæ argumentationibus quæsierimus arguere, habemus tamen in promtu divinas sanctorum Patrum sententias, quæ solæ sufficiunt ora eorum opilare, & tergiversationem sistere. Siquidem sancta & universalis synodus Chalcedonensis unanimo consensu eamdem super œconomum, id est dispensatorem per pecunias promotum sententiam intentavit, quam super episcopum vel presbyterum, ceterosque ministros clericalis ordinis, scilicet ut promotor deponatur, & promotus alienus sit à sollicitudine, quam pecuniis quæsivit, & mediatores tam turpis ac nefandi dati, & accepti, si clerici fuerint, deponantur. Si vero laïci aut monachi anathematizentur, putasne sentis, Simoniane, pallium tuum cælesti tibi flamine decussum, teque nudum sub hiemalibus superno fulmini relictum? sentisne sexcentorum XXX. patrum trabalibus telis confossus, quid comparando sollicitudinem vel dispensationem ecclesiasticam habeas minus illis, qui ipsam quoque consecrationem compararunt? Ecce œconomus res Ecclesiasticas dispensare, non autem consecrari pretio quæsivit; neque enim œconomus consecratur, & tamen si pretio promovetur, nihilominus damnationem incurrit, quam episcopus aut presbyter pretio promotus. Cur hoc, nisi quia non solum in maximis, sed etiam in minimis ecclesiasticæ procurationis officiis Spiritus-sanctus operatur? Quod experimento noverat ille dispensator fidelis, qui dicebat: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Denique de spiritualibus nolens ignorare Corinthios, ait: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.* Qui mox secundùm quod in tertium cælum raptus novem cælestium agminum ordines conspexerat, novem quoque gratiarum distributionibus in hoc nostro regno cælorum, id est in præsenti Ecclesia enumeratis, subjunxit: *Hæc omnia operatur unus ac idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Et considera quod Apostolus qui prius sub ternario numero spirituales gratias comprehenderat; mox eas in novenarium dilatat, significans quod instar beatæ Trinitatis, tres tantum diversitates hominum in hujus temporis Ecclesia inveniantur, doctorum scilicet, continentium, & conjugatorum. Quæ tamen tres si pro officiorum diversitate velut personaliter considerentur, novem proculdubio in hac Ecclesia diversitates hominum cælestis militiæ instar reperiuntur; secundum quod venerabilis Pater Dionysius Areopagita subtiliter, & sufficienter in suis scriptis de cælesti Hierarchia attestatur.

Conc. Calc. c. 2.

Oeconomi per pecuniam promoti deponendi aut anathemate percutiendi.

1. Cor. 4. 1.

1. Cor. 12. 4.

1. Cor. 12. 11.

CAPUT IV.

De sanctificatione sanctificante res ecclesiasticas, subsequentibus inde sanctorum Patrum testimoniis.

UNde non mirum si dispensator cujuscumque, quantulæcumque rei ecclesiasticæ per pecuniam promotus, etiamsi non consecretur, damnatur ab ecclesiasticis regulis cum suis auctoribus, & mediatoribus, ac si consecraretur; quia necesse est sancta sint quæcumque sanctuarii & altaris famulantur, & debentur usibus. Quod si sancta sunt, sicut vere sunt, necesse est sanctitatem & sanctificationem in se habeant, quia sancta sunt. Sanctitas autem, vel sanctificatio nec est, nec esse potest sine Spiritu-sancto, immo ipsa est Spiritus-sanctus, velut quisquis sapiens, vel castus est, necesse est sapientiam vel castitatem in se habeat, quia sapiens vel castus est. Itaque constat sanctificationem, vel sanctitatem scilicet Spiritum-sanctum sanctificatis, vel sanctis rebus, aut personis inesse. Quapropter quicumque stipendium vel beneficium ecclesiasticum vendit, aut emit, Spiritum-sanctum proculdubio vendit aut emit; non ut ipse Spiritus-sanctus in re, aut cum re vendita, aut emta habeatur; sed ut ab ea, quam sanctificabat, offensus effugetur, & ab immundo spiritu polluenda pervadatur, juxta quod per Malachiam dicitur: *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit.* Neque enim sanctificatio contaminari potest, sed metonomicos pro eo quod continet, id quod continetur contaminari dicitur: Ubi res ea quam hactenus sanctificabat qualiter dictum est contaminatur. Pro talibus quamdiu non resipuerint, nec orandum sanctus Hieronymus super eumdem prophetam sic aperte ostendit: « Quia igitur hoc fecerunt, prophetæ ad eos sermo dirigitur, & à peccato maledictionibus retrahuntur. Nec dixit: Maledicat Dominus ei qui fecit hoc, sed qui fecerit, in futurum tendens maledictionem, ut peccatores ad pœnitentiam provocentur. Doctorem, inquit, atque discipulum, sive ille sacerdos sit, sive levites, una maledictione ferientur. Et offerentem munus Domino exercituum; subauditur Disperdat Dominus eum, qui pro hujusmodi hominibus voluerit ad altare munus offerre; quorum solum remedium est, non facere quæ fecerunt. » In qua tamen docti viri stricta quidem sed districta sententia, animadvertant quid

Sacris usibus mancipata debent esse sancta.

Mal. 2. 11.

mereantur qui res Deo sanctificatas contaminant, dum ex illis sibi negotiantur. Per quorum negotium fit sæculare quod sacrum est, ut beatus Gregorius edocet. Unde quia sacra legunt, id est furantur, meritò sacrilegi dicuntur. Furantur enim sanctificationem, dum illam subtractis rebus vel invasis quas sanctificabat, tanta fraude subtrahunt, & auferunt, ut velut incautus homo furtum passus affectent se ecclesiastica affectatione divites, nihil ejus jam habentes. Quos utique sacrilegos cavendos, [a] Pius apostolicæ sedis pontifex ita denuntiat, dicens: Ab omnibus illius usurpationibus contumelia depellenda est, ne prædia sibi secretorum cælestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos & Domini sacerdotes persequi eosque infamare audivimus, ut malum super malum addant, & deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Dei in sacerdotibus consistit, & crescit in Templum Dei. Et sicut qui Ecclesiam Dei vastat, ejus prædia, & donaria expoliat & invadit, fit sacrilegus, sicque qui ejus sacerdotes insequitur sacrilegii reus existit, & sacrilegus judicatur. Et beatus Papa Urbanus: Ecclesiasticæ res, inquit, fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo in aliis usibus quam ecclesiasticis, & fratrum christianorum communem vitam degere volentium, vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem, quod absit, secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, & reus sacrilegii efficiatur; sicut & illi qui prædictarum rerum pretium fraudaverunt. Et post pauca: Hæc, fratres, valde cavenda sunt & timenda, quia res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ cum summo timore non in alios, quàm in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ; ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt ubi traditæ sunt, & quod pejus est anathema maranatha fiant, & si non corpore, ut Anania & Saphira fecerunt, qui mortui ceciderunt; anima tamen quæ potior est corpore mortua alienata à consortio fidelium cadat, & in profundum baratri labatur. Hoc enim si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnatur infamia, & carceri traditur, aut in exilio perpetuæ deportationis trudatur; Quoniam juxta Apostolum tradi oportet hujusmodi hominem sathanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. Beatus quoque Lucius Papa sic: Res ecclesiarum vestrarum, inquit, & oblationes fidelium, quam significatis à quibusdam irruentibus vexari, vobisque & ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum, teste scriptura, quæ ait: Qui abstulerit aliquid patri vel matri, & dicit hoc non est peccatum, homicidæ particeps est. Pater ergo noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, & mater nostra Ecclesia quæ nos in baptismo spiritualiter generavit. Et ideo qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit, homicida in conspectu justi Judicis esse reputabitur. Unde scriptum est: Qui rapit pecuniam proximi sui iniquitatem facit. Qui autem pecunias vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Unde & Judas qui pecuniam fraudavit, quæ usibus Ecclesiæ id est pauperibus, quos Ecclesia pascere debet, distinabatur, jussu Salvatoris, cujus episcopi vicem tenent, non solum fur & sacrilegus effectus est. De talibus enim, id est qui facultates Ecclesiæ rapiunt, fraudant, vel auferunt, Dominus comminans omnibus per Prophetam loquitur, dicens: *Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput*, & cetera usque in finem Psalmi. Hæc fieri prophetæ, hæc apostoli, hæc successores eorum omnium catholicorum patrum vetant decreta, & tales præsumtiones sacrilegia esse dijudicant. Quorum nos sequentes exempla omnes tales præsumtores, Ecclesiæ raptores, atque suarum voluptatum alienatores, una vobisque à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizandos apostolica auctoritate repellimus, & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Et non solum eos, sed omnes consentientes eis, quia non qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna, & agentes & consentientes apprehendit. De quibus etiam beatus Stephanus papa & martyr ait: Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est quæ christianæ legis normam abjiciunt, & statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos, & cetera. Idem unde supra: Quicquid in sacris Dei rebus & episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputabitur, quia sacra sunt, & violari à quoquam non habent. Idem: Laïcis quamvis religiosi sint, nulla tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur umquam attributa facultas.

[a] Pius epist. 1. — Urban. epist. n. 2. — Luci. epi. n. 6. — Psal. 82. 1.

CAPUT V.

Qualiter Simoniani suo negotio expugnent Ecclesiam Dei, & quod omnes pœne & laïci & clerici quærant de Ecclesia jugiter negotiari.

His sane beatorum pontificum & martyrum decretalibus sententiis, eorumque sanguine subscriptis sole clarius monstrantur invasores, vel vastatores rerum ecclesiasticarum infames; fures, sacrilegi, homicidæ quoque, & excommunicati, & perpetuo carceri

[a] Hæc Pii papæ 1. uti & sequentes Urbani, Lucii & Stephani epistolæ sunt suppositæ ab Isidoro Mercatore.

aut exilio tradendi. Eant ergo hypocritæ, & A impudenter contendant se non consecrationem ecclesiasticam, sed res Ecclesiæ comparasse. Et ne forte adhuc se palliare laborent, asserendo se non irruisse, nec invasisse, neque vexasse res ecclesiasticas, discant omnia hæc se facere aut fecisse, ubi immunitatem earum & privilegia à sanctis patribus corroborata suo pretio irrumpunt, & usum illarum ecclesiasticis personis, & pauperibus debitum, præsumunt sibi aut præsumserunt. Nam ut latrones suis telis, & fures scalis vel quibuslibet machinis in alias ædes irruunt, & quod alieni juris est, aut vi aut dolo sibi diripiunt: Sic & illi sua B pecunia tamquam suis telis & machinis ecclesias Dei impugnant & expugnant, & quod familiæ ecclesiasticæ debebatur sibi vendicant. Quod si quis scelestus sponsam alterius pecunia iniquissimo, & avarissimo tutori illius data aut promissa invaderet cum omni suppellectili ejus; nonne pecuniam illam, & sua omnia impugnasse & expugnasse veraciter diceretur, & juste convinceretur? Cujus præsumtionis noxa sacris canonibus excommunicatione usque ad mortem tam in raptorem, quam in tutorem, & in omnibus fautoribus eorum vindicatur, & mundanis legibus sanguine vel perpetuo C exilio expiatur. Ex qua animadversione intelligitur quam abjecta & ignobilis sponsa Christi reputetur, cujus injurias nemo qui doleat invenitur, cujus pudicitiam sacrilegis raptoribus prostitutam, venditam & addictam nemo qui defendat, nemo qui saltem ab eis illam eripiat, & sponso vel constupratam restituat, & putatur in æternum hoc passurus Jesus, quem nunc nulla ecclesiastica vel laïca persona super raptum sponsæ suæ conquerentem respicere & audire dignatur, cum sæpe si à judicibus & patronis suis querimonia ejus respuitur, quibuscumque potest modis, D etiam flammis pessimis raptus suæ sponsæ quamlibet abjectus ulciscatur? Quid rogo jam restat sponsæ Christi? nisi sub intolerabili, & inemendabili calamitate tabescens, seipsam illo desperabili elogio si potest consoletur, quo dicitur, Pater meus me vendidit, Rex comparavit; cui conquerar, qui mihi ex illis justitiam facit? Si quidem à quibus jam redimetur, cum ab ipsis quorum tutelæ post Deum fuerat commissa venundatur? A summo enim graduum Ecclesiæ usque ad minimum, omnes de ecclesiasticis rebus sibi negotiari non prætermittunt. Imperatores quoque, Reges, Prin- E cipes, Judices, & quotquot aliquid in sæculo possunt, ante omnia istud exercent, & quærunt hoc, qui deberent res ecclesiasticas ecclesiastico juri defendere gladio spirituali; hoc qui & materiali. Nec perpendunt quam scelerati, & detestabiles Deo, & hominibus fiant dissipando, quæ Christi pauperibus tuenda susceperunt. Nam si tutor pupilli cujuslibet patrimoniolum, quod tuendum accepit, pro lucro suo venderet, aut pro libitu donaret, seu tutelam semper acceptam in aliquem prodigum extirpatorem substantiæ pupillo relictæ sciens, & præmeditatus tralegaret; abominabiliter & homicida ab omnibus haberetur, & judicaretur. Qui putamus quam abominabiles, & quot homicidiorum rei fiunt, qui pro libitu suo dilapidant patrimonium Ecclesiarum, quarum tutores sint positi ab eo cui derelictus est pauper, qui est etiam Pater orphanorum, & Judex viduarum? Inde est quod reges sæculi & principes ecclesiis Dei tectores & defensores assignati, relicto officio desuper sibi commisso, gladium, quem ut ministri Dei, & judices in ira omni operanti malum ostentant, sine causa portant, quo aut numquam, aut vix aliquando vindictam malefactorum laudemque bonorum procurant. Et ô utinam ab hoc suo officio sic frigerent, aut intepe rent, ut ad alienum præcipiendum non incalerent aut æstuarent! Nam relicto militari negotio quo rempublicam & patriam tueri debuerant ab externis incursibus, sibi relicto quoque judiciario legum suarum tenore & terrore, quibus prævaricatores divinæ justitiæ & humanæ prohibere ab internis & quotidianis excessibus tenentur, omnem suam potestatem, omnem terrorem, omne studium ad expugnandum & sibi penitus vendicandum res ecclesiasticas, quibus tutores dati fuerant transferunt. Qui etiam non contenti suo foro, ecclesiasticæ succedunt, præsident, & principantur synodo, & terrena potestate terribiles, efficiunt ut omnia procedant, & determinentur eorum nutu, & judicio. Ipsi primatibus & metropolitanis in electione episcoporum fiunt priores, qui deberent tantummodo consensum, & desiderium cleri, plebis, & ordinis cujuscumque civitatis suo secundum Deum consensu confirmare, ut beatus Cælestinus papa edocet. Emeritis, inquit, in suis « ecclesiis clerici peregrini, & extranei, & qui « antea ignorati sunt ad exclusionem eorum, « qui bene de suorum civium merentur testimonio, non præponantur. Nullus invitis detur « episcopus. Cleri, plebis & ordinis consensus, « & desiderium requiratur. Tunc autem de « altera eligatur ecclesia, si de civitatis « ipsius clericis, cui episcopus ordinandus est, « nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primo enim illi reprobandi sunt, « ut aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ « in ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obripiat, nec aliter debitam sibi alter audeat « vendicare mercedem. Sit facultas clericis resistendi, si se viderint prægravari. Et quod sibi extraordinarium agnoverint, non timeant « refutare. Qui si non debitum præmium, vel « liberum de eo qui eos recturus est debent habere judicium. Cui concordans beatus Leo « papa, & doctor, ait: Nulla ratio sinit; ut inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt « electi, nec à plebibus sunt expetiti, nec à comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati, &c.

Rei homicidii qui dilapidant Ecclesiæ patrimonium.

Cælest. epist. 2.

CAPUT VI.

De baculis & anulis per manus sæcularium potestatum datis.

HÆc cùm ita venerabiles omni mundo, & summi pontifices Spiritu-sancto dictante decreverint; cum metropolitani judicio electio clerici, principis autem consensu expetito, plebis & ordinis confirmetur; ad reprobationem sanctorum canonum, & totius Christianæ religionis conculcationem, præpostero ordine omnia fiunt, suntque primi novissimi, & novissimi primi. Est enim prima in eligendo & confirmando sæcularis potestas, quam velit, nolit, subsequitur ordinis, plebis, clerique consensus, tandemque metropolitani judicium. Unde taliter promoti, sicut superius prædicatur, non sunt inter episcopos habendi: quia substitutio eorum capite pendet deorsum, quia quod debuit eis fieri postremum, factum est primum, & ab illis quorum interest nihilum. Quid enim ad laïcas pertinet personas sacramenta ecclesiastica, & pontificalem, seu pastoralem gratiam distribuere, camyros scilicet bacculos & anulos quibus præcipue perficitur, militat, & innititur tota episcopalis consecratio? Equidem in camyris baculis superius ad attrahendum & invitandum uncinatis & inflexis; inferius vero ad repellendum & feriendum acuminatis & armatis, designatur quæ in eis committitur cura pastoralis; quæ utique sua compositione vel futura admonet pastores, ut recti & plani sint, suæque actionis vel contemplationis arduum & rigidum verticem causa imitandi & attrahendi ad se gregem Dei condescendentes leniter dimittant & inflectant: sic tamen ut sibimet ipsis quoque semper intendant, nec umquam à suimet consideratione mentis obtuta reflectant. Quorum finis indicat ut severa increpatione indisciplinatos terreant; & si pertinaces fuerint, extrema sententia ab ecclesia repellant. Quæ omnia Apostolus breviter insinuat ita: *Rogamus vos, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Porro anulus signaculum secretorum cælestium indicat, præmonens prædicatores, ut secretam sapientiam Dei cum Apostolo dissignent, & loquantur inter perfectos, quam velut signatam reticent imperfectis, quibus nondum solido cibo, sed solo lacte opus est, sive ut tamquam amici sponsi fidem unam sponsæ ipsius quæ est Ecclesia sine intermissione exhibeant, & commendent. Quicumque ergo his duobus aliquem initiant, procul dubio omnem pastoralem auctoritatem hoc præsumendo sibi vendicant. Nam post hæc encænia, quod liberum judicium de talibus rectoribus jam datis clerus, plebs, & ordo seu metropolitanus eos consecraturus habere poterunt, quid tantum superest rei, nisi connivent? Sic enceniatus prius violentus invadit clerum, plebem, & ordinem dominaturus quam ab eis cognoscatur, quæratur aut petatur. Sic metropolitanum aggreditur, non ab eo judicandus, sed ipsum judicaturus; neque enim jam requirit aut recipit ejus judicium, sed solum exigit & extorquet servitium, quod ei solum in oratione & unctione est relictum. Quid enim sibi jam pertinet aut prodest baculum & anulum quos portat, reddere? Numquid quia à laïca persona dati sunt? Sed etiam à laïco baptisma datum non est iterandum, sed oratione & unctione à sacerdote si supervivitur supplendum; sine quibus, nisi forte supervivatur, regnum cælorum indubitanter intratur, cum sine aquæ lavacro nullus. Unde palam est omne episcopale officium in anulo & baculo eis datum, sine quorum imitatione & auctoritate episcopali nequeunt, cum sine unctione visibili constet sanctis apostolis hoc attributum in sola præceptione curæ pastoralis, quæ annulo & baculo visibiliter monstratur & datur. Rogo ergo cur redditur quod habetur, nisi ut aut denuo res ecclesiastica sub hac specie jussionis vel donationis vendatur; aut in priori venditione corroboranda à metropolitano suisque suffraganeis subscribatur; aut certe ut præsumtio laïcæ ordinationis pallietur colore & velamento quodam disciplinæ clericalis? Quod si nec factum est, nec fit, me hinc aliquis mentitum arguat. Sed quod gravius est, non tantum prioribus temporibus recolitur & prædicatur tale quid factum, sed nostris quoque cernitur & scitur usitatum. Nonne sæculi principes prius vendiderunt & vendunt ecclesiastica sub falso nomine investitionis, deinde metropolitano sub tenore consecrationis?

Sæcularis potestas in electionibus sibi nimium arrogat.

1. Thess. 5. 14.

CAPUT VII.

De tempore Ottonum & de studio Henrici Imperatoris, & de malitia regis Francorum.

UT enim de prioribus sæculis reticeatur, adhuc retinet memoria multorum hanc reciprocatæ venditionis rabiem grassatam per Germaniam & Gallias totamque Italiam à temporibus Ottonum usque ad augustæ & divæ memoriæ imperatorem HEINRICUM CHUONRADI filium. Hic in diebus suis tam à se quàm ab ecclesiasticis imperii sibi crediti personis tantum sacrilegium removit aliquantulum, quamvis instaret multum, & cuperet removere totum. In quo cordis sui optimo desiderio immatura morte præventus, ad vitæ æternæ regnum, ut creditur, vel pro hac sola intentione, velut pro oculi sui simplicitate est translatus, cum ex multis quoque aliis bonis exstiterit laudatus. Cujus synchronos & æquivocus occidentalis Franciæ perditor & Dei tyrannus, è contrario, sicut filius perditionis & antichristus Christo adversatur, cujus gratiam impugnat & expugnare non cessat in cunctis suæ ditionis partibus. Quo suo merito, draconis, cujus sequax est, cauda putatur, quæ innumerabiles & præclaras stellas cæli, Ecclesiæ

Henricus imperator Simoniam eradicare aggreditur.

E contrario Henricus rex Francorum.

scilicet Francorum traxerit & trahat, miseritque & mittat in terram tenebrosam & opertam mortis caligine. Quem Spiritus sanctus, in quem sine intermissione plusquam Simon magus peccat, aut cito compunctum corrigat, aut cito à se interfectum de medio tollat, ne tot blasphemias & injurias ad suæ damnationis cumulum & sanctæ Christianitatis exterminium diutius ipsi Spiritui-sancto inferat. Quem Deus propter peccata populi regnare permisit, ut per eum funditus trahantur ad sortem diaboli, qui nominetenus censebantur esse Christi. Cui sic perditus ille perditor palam & obstinate usque nunc velut alter Julianus repugnat, ut quamvis multotiens ab reverendæ memoriæ pontificibus apostolicæ sedis domno LEONE & VICTORE super tanta apostasia admonitus & correptus, pejor in dies fiat, finemque suis pravitatibus rebellis Deo & sacerdotibus ejus ponere contemnat: noxius quoque terræ, quam ceu sterilis arbor occupat, cujus nequitiæ imitatores sive compares & consortes cum hac profana pecunia præsumunt adire & frequentare limina Simonis Petri, credentes illi posse placere jam pecunias contra suam sententiam acquisitas exemplo Simonis Magi: nec timent cum illo ab ipso
Act. 8. 20. principe Apostolorum sibi quoque dici: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Quorum jam pecunia quantacumque sit, immunda fit, quandocumque Simoniana pecunia accedens illam contingit. Sed ad propositum redeatur.

CAPUT VIII.

De quadripertita venditione apud Latinos, & de Magni Constantini devotione erga clericos.

DIstrahitur ergo passim & sparsim res ecclesiastica prius à principibus & eorum familiaribus, deinde à metropolitanis & eorum familiaribus. Neutra quippe venditio fit sine mediatoribus. Quanto tolerabilius venderetur, si saltem exemplo orientalis & transmarinæ Ecclesiæ, à metropolitanis tantum eorumque familiaribus venderetur: quia bis tantum, & non quater venderetur. Quamvis enim multimodis erroribus ecclesiæ Constantinopolitani imperii vexentur; ab hoc tamen immunes per omnia noscuntur. Denique sicut auditu & visu comprobavi; & insuper ab ore orthodoxæ memoriæ imperatoris Constantini Monomachi in ipsa regia urbe pro apostolicæ sedis responsis positus agnovi; nec ipse imperator, nec laïcorum quilibet ullam dispositionem ecclesiarum aut ecclesiasticarum ordinationum seu facultatum aliquando sibi præsumit; sed cuncta simul postquam semel relicta sunt, relinquuntur disponenda metropolitanis & ecclesiasticis personis à tempore maximi & primi Constantini, qui super his memorabilem & omnibus catholicis reverendam sententiam protulit. Præsidens namque sanctæ synodo, quæ apud Nicæam congregata est, cum querelam quorumdam conspiceret coram se delatam, ait: Vos à nemine judicari « potestis, quia solius Dei judicio reservamini. « Dii etenim vocati estis, iccirco non potestis « ab hominibus dijudicari. Ite & inter vos cau- « sas vestras disponite: quia dignum non est ut « nos judicemus deos. Unde ipsa sancta synodus « sic promulgavit. Antiqui moris est, ut urbis « Romæ Episcopus habeat principatum, & sub- « urbica loca, & omnem provinciam sua sol- « licitudine gubernet. Qui verò apud Ægyp- « tum sunt, Alexandriæ Episcopus omnium ha- « beat sollicitudinem. Similiter autem & circa « Antiochiam & in ceteris provinciis privilegia « propria reserventur metropolitanis Ecclesiis. « Porro quod decretis Romanorum Pontificum insertum de rebus & negotiis ecclesiasticis reperitur, hic quoque inserendum arbitramur. Quod tale est. Nemo qui scripturas divinas legit ignorat, quod in principio nascentis ecclesiæ discipulis in unum congregatis, cum multitudine credentium, in quibus erat cor unum & anima una, quique vendentes prædia & possessiones suas afferebant, & dividebatur singulis prout cuique opus erat. Futuram namque Ecclesiam in gentibus apostoli prævidebant, maximeque, quia Dominus illis prædixerat: *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium*: vel quia expellendi erant à Judæa, noverant se & in gentibus dispergendos, Ecclesiamque congregandam ex rudi populo; iccirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes. At verò cùm inter turbines & adversa mundi succresceret Ecclesia, adeo usque pervenit, ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui pene totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi & baptismi sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem sub suo degentes imperio non solum fieri christianos, sed etiam fabricandi ecclesias, & prædia tribuenda constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa & fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit: adeo ut sedem imperialem quam Romani principes præsiderant relinqueret, & beato Petro suisque præsulibus profuturam concederet. Ab illo etenim tempore & deinceps viri religiosi non solum possessiones & prædia quæ possederant, sed etiam seipsos Domino consecrarunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honore sanctorum martyrum per civitates ac monasteria, in quibus cœtus Domino servientium conveniret. Denique reges & præsides ac magistratus non solum hanc licentiam attribuerunt, sed etiam ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes, qui nil in mundo possidebant, ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deoque & Ecclesiæ ejus rite famulantium servorumque illius supplementa absque necessitate tribuerentur: ut hæc accipientes, secundum monita Apostoli, possent

orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarum actiones fieri pro omnibus hominibus, pro regibus & qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam habeant; & hoc bonum & acceptum esse coram Deo, idem magister gentium protestatur, & cui sollicitudo omnium Ecclesiarum incumbebat, quique episcopos regere per Spiritum-sanctum constituit Ecclesiam Dei, quibus ait: *Pascite qui est in vobis gregem Dei, providentes non coacte, sed sponte secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Quæ enim sunt negotia sæcularia, sancti canones manifestant & inhibent sic. Dum perspicuum sit quod quidam qui in clero videntur electi propter lucra turpia, conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant: Dei quidem ministerium parvipendentes; sæcularium verò domos discurrentes, & propter avaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes; decrevit supradicta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, præter pupillorum & orphanorum ac viduarum: aut si forte episcopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat. Ubi liquido patet, quia alia sunt negotia sæcularia, alia ecclesiastica. Nonne Moyses in sæculo erat, cum crebro in tabernaculo intraret & exiret, qui intus in contemplationem raptus, foris infirmantium negotiis urgebatur: intus Dei arcana considerans, foris carnalium onera portabat. Cujus typum in Ecclesia sacerdotes agere debent, ut dum foras exeunt, ad exercenda negotia pro necessitatibus subditorum, intus ad se redeant per contemplationem mandatorum. Sicut Paulus qui cælestibus secretis inseritur, & tamen per condescensionis viscera carnalium cubile scrutatur. Sicut Jacob ascendentes & descendentes Angelos vidit: quia videlicet rectores Ecclesiæ non solum Deum contemplando appetunt; sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Et dum sacerdotes horum facta imitantur, & se custodiunt, & subditorum onera portant. Et videntur tales esse, quales idem egregius Paulus præcipit, ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, & qui gaudent, tamquam non gaudentes, & qui emunt tamquam non possidentes.

1. Pet. 5. 2.

Sæcularia negotia clericis vitanda.

CAPUT IX.

De differentia clericorum & laïcorum, & de studio beati Gregorii in talibus.

Clerici sæcularia, laïci ecclesiastica negotia non disponant.

EX quibus pariter edocemur, quod sicut clerici sæcularia negotia, sic & laïci ecclesiastica præsumere prohibentur. Et sicut clerici à laïcis, sic laïci removentur à clericis, tam ex licentia mutuæ accusationis, quam & testificationis. Et quemadmodum clerici à laïcis habitu & professione, sic discreti debent esse actu & conversatione: ut neuter eorum officium alterius aut hereditariam sortem sibi præripiat; sed uterque terminos à sanctis Patribus & orthodoxis principibus positos attendat. Nam sicut clerici à laïcis etiam intra parietes basilicarum locis & officiis; sic & extra separari & cognosci debent negotiis. Ideo laïci sua tantum, id est sæcularia; clerici autem sua tantum, id est ecclesiastica negotia disponant & provideant. Habent inde utrique sibi regulas præfixas tam à sancto Papa & martyre Stephano, ceterisque Pontificibus, sanctorumque Patrum conciliis, quàm & à principibus catholicis. Quod satis in beati Gregorii gestis ostenditur, ubi sic legitur. Nemo laïcorum quodlibet sacri palatii Lateranensis ministerium, vel ecclesiasticum patrimonium procurabit: sed omnia ecclesiastici juris munia ecclesiastici nihilominus viri subibant: nimirum laïcis ad armorum solam militiam vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli procerum sub ostentu religionis primo tonsurare cœperunt. Quorum tergiversationi Mauricius imperator prudenter occurrens, data per Longinum Stratorem lege præcepit; ut quisquis fuisset administrationibus implicatus, ei ad ecclesiasticum venire officium non liceret Quam legem Gregorius super hoc valde laudavit dicens: Qui sæcularem habitum deferens ad ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere cupit sæculum, sed mutare. Hic quoque beatus Pontifex nihilominus per diversas provincias pro custodia sacræ religionis rebusque pauperum strenue gubernandis ecclesiæ suæ viros industrios rectores patrimoniorum ascivit: in quibus CYPRIANUM Diaconum patrimonii Siculi; PANTALEONEM notarium Syracusani, & ceteros qui ibidem nominantur usque ad Candidum presbyterum, Gallicani. Unde etiam Januario Kalaritano inter cetera scribit dicens: Indicatum nobis est, quod laïcis quibusdam curam vestri patrimonii commisistis. Quod de cetero cavendum à fraternitate vestra est, nec sæcularibus viris, atque non sub regula vestra degentibus cujuslibet res Ecclesiæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis, in quibus si quid reperiri poterit pravitatis, ut in subditis emendare quod illicitum gestum fuerit valeatis. Quos videlicet apud vos habitus sui officium magis conveniet quàm excuset. Qui etiam de sacerdotibus Mauricis imperatori scribens, inter cetera sic ait: Sacerdotibus autem, non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur; sed excellenti consideratione, propter eum cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur, &c. usque lapideis serviebant. Nihilominus ex aliis ipsius pontificis dictis ostenditur, quod ejus judicio & consensu ordinationes Episcoporum celebrabantur, quod ex duobus incunctanter apparet, pro quibus sic populo

» lo & clero scribens jubet. Quanto apostolica » sedes Deo auctore cunctis prælata constat ec- » clesiis, tanto inter multiplices curas & illa nos » valde solicitat, ubi ad consecrandum antistitem » nostrum expectatur arbitrium. Defuncto igitur » LAURENTIO ecclesiæ Mediolanensis episcopo » *&c. usque* non minuat. Sed cum post annos aliquot CONSTANTIUS functo insigniter pontificio in Domino dormisset, clerus & plebs Mediolanensis DEUS DEDIT diaconem eligentes ab Agilulfo rege terrerentur quatinus illum eligerent quem Langobardorum barbarus voluisset: at illi decretum suum Gregorio dirigentes concilium petunt: quibus ipse inter cetera sic rescripsit. Illud quod vobis ab Agilulfo » indicatis scriptum dilectionem vestram non » moveat, *&c. usque* ordinatus. Et post pauca: » Ut igitur in ordinando *usque* consecrari.

CAPUT X.

Quanto liberior sit Græcorum Ecclesia quàm Latinorum à potestate laïcorum.

IGitur, ut prædictum est, hæc sanctorum patrum & religiosorum principum statuta de personis & rebus ecclesiasticis inviolabiliter hactenus in transmarino imperio observantur, & solis metropolitanis vel episcopis ceteris disponendæ relinquuntur. Unde quælibet ecclesiæ administratio solo eorum disponitur arbitrio, sive gratis sive non gratis velint eam committere cuilibet clerico; nec nisi à metropolitanis aut episcopis eorumque familiaribus vendi solet aliquando. Quod quamvis ex sola venditione sit hæreticum & nimium detestabile; est tamen ecclesiis Dei illis magis tolerabile quàm nostris, quæ ut superius ostenditur, jugiter venduntur quater. Neque enim arrogantia & avaritia principum nostri sæculi & imperii patitur terminis præfixis coërceri: sed transgressis divinis & humanis legibus, quæ inter arma silent, etiamsi ecclesiastica, omnia sibi præsumentes possident, ut in eis degere aut ex eis vivere sine ullorum datione aut venditione contingat clericorum neminem. Quo fit, ut qui liberiores omnibus esse deberent hominibus, ut puta quorum pars hereditas est ipse Deus, quique vicissim sunt sors Dei; existant contemtibiliores omnibus. Nam quamlibet vilis laïcorum servus aut mercenarius, nulli, præter eum cujus est, famulari cogitur, eique soli subjacet, tum suis rebus, ab aliis liberrimus. Sic cujuscumque laïci mediocris aut divitis possessio ejus tantum cujus est subjacet domino, nec invaditur, nec venditur à principum aliquo. Soli sunt clerici, sola est ecclesia, quibus omnium incurrit calumnia, violentia, potentia, & rapina: in tantum, ut si quid forte ecclesiis Dei laïci contulerint pro animarum suarum redemtione, mox fiat calumniosum & venale, quod prius ab ipsis donatoribus possidebatur pacifice. Et à quibus maxime vendicantur & venduntur, nisi ab eis, qui se ecclesiarum Dei advocatos vel defensores profitentur? Ab ipsis scilicet imperatoribus, ab ipsis principibus eorumque satellitibus. Ipsi sub nomine & obtentu defensionis præsumunt sibi, alienant, vel vendunt non solum ecclesias, sed & quidquid est earum juris tam in rebus & personis, quàm & in officiis. Unde vel correpti animadvertant quantominus Deum revereantur, quàm sub eorum potestate constitutos cujuscumque conditionis homines, quorum verentur & cavent invadere possessiones. Arbitrantur cedendum hominibus sub se, cum non reputent cedendum Deo supra se. Verentur & erubescunt homines, quibus terrenum vel civile jus conservant: cum nec revereantur, nec erubescant Deum, cui nec terrenum jus, nec cæleste fas reservant. Et cum non dubitent se sacrilegos præbere Deo, cujus hereditatem sibi vendicant; religiosi & catholici principes ab hominibus dici & habere affectant, cum vere sint inimici Dei, adversus quem unanimiter conspirant, ut hereditate sanctuarium ejus possideant. Unde juxta quod Psalmista imprecando prophetat, ponendi sunt sicut Horeb & Zeb & Zebee & Salmana, qui utique alienigenarum principes & Israëlitarum hostes erant. Quorum malitiam nostri temporis principes secuti videant quò sint perducti. Denique, ut ex præcedentibus beati Gregorii dictis evidenter apparet, ad hoc eos jam perduxit ambitio perfidi Simonis, ut intolerabilior nunc eorum principatus incumbat catholicis ecclesiis, quàm Langobardorum quondam tyrannidis. Neque enim Langobardi, quamvis tunc barbari & Ariani, sed nec eorum Rex AGILULFUS, quamvis Romanæ libertati & dignitati nimium infensus, resistere Romano pontifici tentaverunt, quin Mediolanensis ecclesiæ metropolitanum, juxta suæ apostolicæ sedis antiqua & canonica privilegia substituisset. Nec præjudicavit consensus regis & ejus gentis desiderium, nec extorsit apostolico præsuli suum super metropolitanorum electione judicium, licet potentia armorum & crudelitate barbariei suæ depopularentur & perterrefacerent omne Italicum solum. Et quod adhuc majus est, Ariana vesania omnem persequerentur catholicum. Quod sane privilegium non solum in Italia tunc à barbaris & Arianis pervasa retinuit; verùm & in Germania totisque Galliis, sicut clare prædicatur in ejus gestis & dictis.

CAPUT XI.

Qualiter & perquos ecclesiæ suis privilegiis privatæ sunt.

ET hæc canonica auctoritas solida & specialis reservata est Romanis pontificibus in omnibus metropolitanis, metropolitanis quoque omnibus in eorum suffraganeis, sicut in gestis B. Bonifacii Maguntini archiepiscopi reperiet

quisquis quæsierit. Nec ipse tunc PIPINUS A rex, nec filius ejus primus Francorum imperator magnus KAROLUS hunc canonem infringere fuit aggressus: sed nec pronepotum seu heredum regni & imperii eorum ullus usque ad Ottonum tempus. Ipsis enim ad imperium adolescentibus & proficientibus, Romanorum pontificum decrescere & deficere cœpit virtus: adeo ut præ ignavia & insipientia eorum, atque pro arrogantia neophytorum principum omne ecclesiasticum officium & jus paulatim surriperetur & extorqueretur eorum manibus, vix inane pristinæ dignitatis nomen, non autem ipsam suam dignitatem retinere laborantibus. Sic debilitato & abjecto capite clericalis ordinis, omne mox corpus sibi pro libito suo substernendum impune usurpavit potestas sæcularis; quæ primo quidem non præripuit cuncta ecclesiastica simul & statim, sed ceterarum nequitiarum more separatim & pedetentim. Nam primo ambitiosis ecclesiasticarum dignitatum vel possessionum cupidis favebat prece, dein minis, deinceps verbis concessivis; in quibus omnibus cernens contradictorem sibi neminem, nec qui moveret pennam, vel aperiret os & gannitet, ad majora progreditur; & jam sub nomine investituræ dare primo tabellas, vel qualescumque porrigere virgulas; dein baculos laïcis, tandemque ecclesiasticis. Quod maximum nefas sic jam inolevit, ut id solum canonicum credatur, nec quæ sit ecclesiastica regula sciatur aut attendatur. Et quidem memini me vidisse à sæcularibus principibus aliquos pastoralibus baculis & anulis investiri, de episcopatibus & abbatiis; metropolitanosque eorum & primates quamvis præsentes essent, nec inde requisitos, nec aliquid contra hiscere ausos. Quibus sub tanto adulterio uxorum & nece filiorum deprehensis, suæ negligentiæ & prævaricationis meritò accidit illud maledictum Mosaïcum dicens: *Uxorem accipies, & alius coram te dormiet cum ea.* Quo, ut beatus Hieronymus in Commentario Zachariæ prophetæ attestatur, nihil crudelius, nihil miserius inveniri potest, ut timore mortis propriæ nec salutem filiorum, nec uxorum pudicitiam defendere viri audeant. Hoc ipsum & Amos propheta ad Amasiam impium sacerdotem comminans loquitur: *Uxor tua in civitate fornicabitur, & filii tui & filiæ in gladio cadent & humus tua funiculo metietur.* Incunctanter enim sacerdotis uxor ab aliis violatur, quandocumque Ecclesia à laïcis, quibus non pertinet, administratur vel ordinatur. Cujus etiam humus funiculo metietur, ubi ecclesiastica possessio à sorte dominici sacerdotii alienatur, & ad laïcorum sortem & dominium revocatur. Qui si defensores Ecclesiæ, & non prædones vel invasores essent, procul dubio pro qualicumque culpa seu negligentia sacerdotum eam defendere non negligerent, nec jus illius sibi vendicarent. Factum enim personæ, ut beatus Gregorius docet, non est convertendum in damnum Ecclesiæ: sed sic est castiganda persona, ut per omnia indemnis conservetur facultas ecclesiastica. Habet enim Ecclesia suas leges, suos judices, quibus cum consilio religiosorum & sapientum aut corripiantur, aut corrigantur culpæ præpositorum & ministrorum ejus. Quas si ecclesiastici dissimulant aut minime curant, demum sæculares principes & fideles laïci, pro defensione & recuperatione, quam matri suæ Ecclesiæ debent, necesse est insistant, eosque opportune importune conveniant & moneant, ne destructoribus ecclesiarum Dei & indisciplinatis tacendo & dissimulando faveant, sed secum ad reformandos eis suos ca- B nones exsurgant. Quod si nec monitis resistere pravis curaverint, faciat laïca potestas tamdem quod liberæ & dilectæ matris degeneres filii, cujus si pudicitiam cognoverint ab adulteris captivari; nec mora accinguntur vindicaturi, etiamsi pater eorum admonitus negligat tam intolerabile sibi malum ultum iri. Caventes enim maculam suo generi infamiamque non modicam suo nomini, etiam patre cessante non cessant boni filii matris suæ injurias ulcisci. Qui si eam adulteris ereptam suo legitimo matrimonio non restituerent, sed suæ libidini maternam pudicitiam prostituerent; C nonne pejores & detestabiliores quibuslibet adulteris essent? Nonne tolerabilius fuerat ab aliis non defendisse, quàm defensam sic sibi usurpare & addicere? Rogo considerent hoc christiana pietate principes christiani & laïci, & tamdem cognoscant quanto flagitiores sint, si spiritualem matrem suam sic defendant, ne patri suo restituant, sed sibi ipsis tantum postituant. Et cui patri? Illi nimirum, cui nullus carnalis pater, ne dicam præferendus, sed nec quidem est æquiparandus, juxta quod dicitur: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*: quoniam etiamsi in via D spirituali patres contrarios habemus, odisse & fugere debemus.

Marginalia: Romanorum Pontificum auctoritas quando decrescere cœperit. — Quibus gradibus accrevit in ecclesia sæcularis potestas. — Deut. 28. 30. — Amos 7. 17. — Seculares principes dormientes prælatos suscitare debent. — Matth. 10. 37.

CAPUT XII.

De præsumtione feminarum & dignitate sacratarum rerum.

VErùm cur hæc tantum de viris laïcis conquerimur, cùm ipsæ quoque laïcæ feminæ, quibus nec loqui in Ecclesia permittitur, nec dominari in virum, non solum laïcis res E ecclesiasticas dispensandas committunt, sed insuper pastoralibus baculis & anulis de episcopatibus & abbatiis clericos investiant, quos eis aut favor aut obsequium sæculare seu pretium temporale conciliat & commendat. Principantur & ipsæ nihilominus omni ecclesiasticorum concilio & judicio, dum ad nutum illarum etiam absentum alii præponuntur, alii deponuntur, alii quamvis culpabiles aut prætermittuntur aut defenduntur. Sic hac perversissima abusione juxta quod impius Porphyrius calumniatur, senatus noster sunt feminæ à quibus insuper dantur sacerdotalia insignia,

nec licet ecclesiasticos, nisi de earum dono, sua sibi assumere, quæ nec dicam feminæ, sed nec masculorum quispiam, nisi clericus, debet contingere, beato Stephano papa martyre sic denuntiante : » Vestimenta ecclesiastica » quibus Deo ministratur, & sacrata debent esse » & honesta, quibus in aliis usibus nemo debet » frui, quàm in ecclesiasticis & Deo dignis » officiis, quæ nec ab aliis debent contingi aut ferri, » nisi à sacratis Deo hominibus, ne ultio quæ » Balthazar percussit super hæc transgredientibus » & talia præsumentibus veniat divina, & » corruere eos faciat ad ima. Ex quo tanti pontificis decreto necesse est caveant laïci & laïcæ ecclesiastica vestimenta suo contactu temerare & à minoribus prohibita majora sibi præsumere. Quibus enim non conceditur claviculam ostiarii qua serat & reserat valvas templi sancti, vel funiculum tintinnabuli, quo significat certas horas operis Dei, multo minus conceditur contingere baculum & anulum episcopi, quibus principaliter insignitus, non solos ostiarios, sed reliquos ordines ecclesiasticos, ipsumque templum cum omni sua supellectili, altare quoque cum omnibus suis utensilibus Deo omnipotenti consecrat. Pari modo quibus non licet contingere cingulum aut mappulam subdiaconi hostias ad altare laturi, multo minus licet anulum episcopi quo insignitur dum assistit altari & sanctificat immolatque Agnum Dei, vel dum consecrat chrisma Spiritus sancti, seu dum benedicit populum Dei. Nec mirum si tantopere veritatem Christi in novo Testamento revereamur, cum ejus umbram in veteri decreverit Dominus sic reverendam & honorandam ; ut in libro Numeri inde per Moysen dicat : *Erunt sub custodia levitarum tabulæ tabernaculi, & vectes & columnæ & bases earum & omnia quæ ad cultum pertinent hujuscemodi ; columnæque atrii cum basibus suis per circuitum & paxilli cum funibus. Castrametabuntur ante tabernaculum federis, id est ad orientalem plagam Moyses & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israël. Quisquis alienus accesserit morietur.* Deinde vasa altaris in quanta voluerit Dominus reverentia haberi, post aliqua ibidem ostendit dicens : *Ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinos & batilla, cunctaque vasa altaris operient simul velamina jacinctinarum pellium, & inducent vectes. Cumque involverint Aaron & filii ejus sanctuarium & omnia vasa ejus in commotionem castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta, & non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur.* Quorum periculum denuo cavendum denuntians, ait Moysi & Aaron : *Nolite perdere populum Caath de medio levitarum ; sed hoc facite eis, ut vivant & non moriantur, si tetigerint sancta sanctorum. Aaron & filii ejus intrabunt, ipsique disponent onera singulorum, & divident quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sint in sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur.* Quod longo post tempore Oza levites incurrit, ubi arcam Domini inclinatam

Res sacræ à laicis non tractandæ.

Num. 3. 32.

Num. 4. 14.

Num. 4. 18.

A sustentare tentavit, quam solis sacerdotibus contingere licuit. Ex quibus perpendant quid mereantur, qui sola temeritate tractant & ferunt vestes & vasa ecclesiastici ministerii, si occiduntur cælitus qui sola curiositate ducti hæc tantum viderint, aut subita necessitate permoti sustentare tentaverint. Et certe levitæ & consecrati erant quos tanta animadversio cohibebat : quanta putamus severitate laïcos ab his deterrebat ? Sed ne forsan autumet quis hæc tantum populo sub lege custodienda, & non nobis sub gratia, Apostolum dicentem audiat : *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt* ; B nec non beatum papam Stephanum consimilia his superius decernentem ; Dominum nostrum quoque in Evangelio majoris justitiæ perfectionem suis inculcantem, quibus sic præmisit : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et revera Lex nec iram nec subsannationem, nec verbi convitium in fratrem morte punit, nisi solum actuale homicidium ; sed * ejus quoque fomitem & seminarium, iram scilicet manifestumque convitium, & tanto graviori morte, quanto melior extat anima corpore : cujus morte, quam solam sentiebant illi, velut servi C perterriti ab excessibus reprimebantur : cum nos velut liberi sola caritate æterni patris justitiam operari debeamus. Qua si ut puta disciplinam ejus abjicimus, indisciplinatoque illius voluntati resistamus, non solum exheredabimur, sed insuper morte animæ perpetuo plectemur : quam nobis imminere credentes vitare contemsimus. Et tamen in hoc quoque ab illis distamus : quia nobis tamquam liberis copia satisfactionis reservatur : illis autem tamquam servis nec mora, vindicta temporalis mortis adhibebatur, quæ proculdubio umbra perpetuæ habebatur. Itaque, ut ait Apostolus, in libertatem vocati, ne abutamur D libertate, nec tardemus reverti ad patrem nostrum, nec desperando, aut nimium sperando differamus de die in diem : quia sicut qui desperat, sic & maledictus est qui in spe peccat.

Rom. 15. 2.

Matth. 5. 20.

* Evangelium.

CAPUT XIII.

De dignitate sacerdotii veteris legis & præsumtione & pœna regum Juda & Israël.

Nihilominus & perpendant, quia quamvis E duodecim tribus Israël totidem tunc haberent principes, in quibus & Naason de tribu Juda, cui non erat auferendum sceptrum, & dux de femore ejus usque ad Regem regum Christum ; nullus tamen illorum, nisi solus Moyses, præsumsit ex contribulibus suis ordinare pontificem, sacerdotes & levitas, cunctasque illius temporis instituere & disponere cærimonias. Siquidem ipse vice summi pontificis & maximi primatis, Aaron fratrem suum, & filios ejus inferioris gradus sacerdotes, in stolis sacerdotalibus induit,

Principes sub lege ordinationi sacerdotum non se immiscebant.

consecravit & inunxit. Ipse quoque tabernaculum utrumque erexit, & cum omnibus utensilibus suis altaribusque & vasis inungendo, & aqua cum hysopo aspergendo dedicavit, qua etiam populum aspersum sanctificavit: *Lecto enim*, ut ait Apostolus ad Hebræos, *omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinnea & hysopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit, & omnia pene in sanguine mundantur secundùm legem, & sine sanguinis fusione non fit remissio. Hic deinde mortuo Aaron fratre suo, filium ejus Eleazarum vestibus patris induit in monte, ut pontificatu fungeretur illius vice.* Numquid alicubi reperitur principes aut populos aliarum tribuum designasse aut instituisse pontifices ac reliquos ministros tabernaculi vel templum Domini, seu præsumsisse quicquam sortis ac juris eorum? Ipsi enim per se & inter se suas ordinationes & causas prout eis videbatur agebant: & tota tribus Levitica suis tantum pontificibus disponenda subjacebat, nemine principum aut plebis contradicente, sed potius cunctis ad præceptum & nutum eorum pendentibus, tam ex oblationibus quam ex observationibus reliquis. Quos quicumque non audiret, de medio populi sui interiret. Et hoc legitmum Leviticæ tribui à ceteris inviolabiliter constat redditum usque ad pessimum regem Jeroboam, qui suo schismate regnum & sacerdotium bipertitus est, instituens alia altaria, aliosque sacerdotes idolis, quorum utique sacerdotes fiebant non Mosaïcè sed Simoniacè. Nam quicumque, ut historia testatur, volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos eorum qui non sunt dii. Porro Judas & Benjamin cum aliqua parte Leviticæ tribus, retinuerunt suæ sorti aliquandiu sacerdotium, quamvis exorbitando interdum: unde & templum & altare nonnumquam aliquorum sacerdotum & regum malitia profanabat, nonnumquam successorum eorum devotio expiabat. In cujus regni primitiva unione & postremo schismate concordia catholicorum discordiaque hæreticorum præfigurabatur quàm maximè, & paucitas catholicorum in Judæis Jerosolymitanis, pluralitas verò hæreticorum in Israëlitis Betavenitis. In quibus pariter etiam considerandum est, quia qui non nisi falsum sacerdotium sibi retinuerunt cum ipsa lege Mosaïca, quam frustra legebant; atque cum psalmis Davidicis, quos dæmoniis & non Deo decantabant, prius irrevocabilem & perpetuam captivitatem incurrerunt. Illi autem qui divinitus institutum sacerdotium sibi retinuerunt, licet cadendo & resurgendo, non nisi septuagenariam, & hanc longo post illos tempore: ex qua tamquam meliorati & renovati, cum lege & psalmis, cum sacerdotibus suis & prophetis, cum ipsis quoque sacris vasis, plurimisque ethnicorum principum donariis sunt reversi, templum & sanctam civitatem restructuri. Et quidem illis tamquam uxori pertinaciter meretricanti dedit Dominus semel libellum repudii, ut jam libidines suas expleat sine aliquo respectu maritalis zeli; istis autem tamquam filiis lascivis & dissolutis, ut resipiscerent, paterna flagella adhibuit, juxta quod per Zachariam dicit: *Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam, hæc dicit Dominus exercituum. Reversus ad Sion & habitabo in medio Jerusalem, & vocabitur Jerusalem civitas veritatis, mons Domini exercituum, mons sanctificatus.* Quod cum ex multis aliis, tunc ex hoc uno patenter colligi potest, quia quamvis Jeroboam sacerdotium decem tribuum, quibus præesset, sibi præsumserit, super altare Bethel stando & thura jaciendo; nulla tamen visibili plaga percussus evasit. Porro Ozias rex Juda, cum id, quamquam zelo Dei indiscrete fervens, attentaret, lepra percussus est, etiam priusquam ad altare incensi cum thuribulo, quod solum jam arripuerat, accederet. Qui, ut beatus Hieronymus juxta historiam asserit, fuit vir justus, & fecit rectum in conspectu Domini, ædificans templum, aquæductum fabricans, offerens vasa, & pro hoc merito adversarios superans, quod maximum pietatis indicium est; habens multos in suo imperio prophetas. Hic quamdiu vixit Zacharias sacerdos, cognomento Intelligens, placuit Deo, & cum omni veneratione delubrum ejus ingressus est. Postquam verò Zacharias obiit, volens per semetipsum offerre donaria, sacerdotalem ordinem non tam pie quàm audacter invasit: & reclamantibus Levitis & ceteris sacerdotibus: Nonne tu es Ozias rex & non sacerdos? Audire noluit, statimque lepra percussus in fronte est. Quam corporis partem sacerdos auri lamina protegebat. Ob eam rem terræ motum in templo Dei exortum constat, cujus etiam Zacharias propheta & titulus Amos meminit. Fuit ergo leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata seorsum, filio suo regnum obtinente. Quo utique leproso vivente, & quantum in re est sacerdotium dissipante, Isaïas visionem Dei videre non potuit. Quamdiu ille regnum tenuit in Judæa, propheta oculos non levavit ad cælum, non ei sunt reserata cælestia, non apparuit ei Dominus Sabaoth, nec in ministerio fidei ter sanctum nomen auditum est. Quando verò ille mortuus est, universa hæc aperto se se lumine prodiderunt. Et post pauca: Donec Ozias vivit, non intelligis Isaïa te miserum, non compungeris, non moveris; sed quando ille mortuus est, tunc animadvertis immunda te habere labia, tunc indignum te esse cognoscis visione Dei. Isaïas justus ut tantum in sermone peccaverat: ideo sola labia habebat immunda; quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec juxta Eliæ exemplum libera voce impium designarat.

Heb. 9. 19

Zach. 8. 2

Ozias lepra percussus ob præsumtum sacerdotium.

CAPUT XIV.

De præsumtione Saulis & pœna.

Saül pro usurpato sacerdotio reprobatus.

SAül quoque, ut legitur, erat vir electus ac bonus, & non erat de filiis Israël melior, & parvulus in oculis suis: nonne pro usurpato sibi sacerdotio reprobatus, regnum quod ei Dominus præparabat, in sempiternum perdidit, atque semetipsum interfecit? Quod tamen quanta necessitate usurpaverit, istic juxta historiam nos meminisse non piguit: *Philistini*, inquit, *congregati sunt ad præliandum contra Israël* xxx. *millia equitum & sex millia curruum, & reliquum vulgus sicut arena, quæ est in litore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven. Quod cum vidissent viri Israël, se in arcto sitos, afflictus est enim populus, absconderunt se in speluncis & in abditis, in petris quoque &c.* usque *& non vidit Samuel ultra Saül usque ad diem mortis suæ.* (1. Reg. 13. 5.) In qua tam districta divinitatis in utrumque regem sententia, animadvertant christiani principes, nec devotionem, nec necessitatem fuisse excusatam, quin uterque divinitus ob sacerdotium sibi præsumtum puniretur. Et Ozias quidem corporis sui salutem & munditiam atque regnum; Saül verò spiritui nequam traditur, Spiritum sanctum perdidit & regnum, mortemque animæ & corporis, & à semetipso interfectus, totiusque domus suæ invenit interitum. Et certè neuter præsumsit sibi aut rationale aut stolam sanctam, vel laminam auream, seu quamlibet sacerdotalium vestium; nisi quod prior obtulit holocaustum, alter verò arripuit thuribulum ad thurificandum. Notandum quoque quanto excusabilius & tolerabilius quod necessitas cogit, quàm quod voluntas præsumit. Nam quamvis Saül necessitate compellente holocaustum obtulerit, non tamen Dominum aut prophetam sic exacerbavit, ut omnino derelictus esset ab eis, quia postea in multis eum triumphis Dominus clarificavit, & propheta multotiens illum visitavit, salutavit, & in sermone Domini ad Amalec deletum ire præcepit. Ubi autem voluntate id præsumsit; statim ab eo spiritus Domini bonus recessit, spiritusque Domini malus eum exagitare cœpit, nec postea victoriam habuit, neque Samuelem vidit.

CAPUT XV.

Quanta flagella premant principes cum populis pro præsumtione sacerdotalis officii.

QUod necesse est attendant christiani principes, & sacerdotalis officii quippiam sibi præsumere nunc cessent, ne non tantum simplicem, sed duplicem quoque confusionem sicut diploidem induant. Neque enim Deus ultionum Dominus, Deus ultionum fortis & zelotes, tantum nefas inultum, prætermittere solet; sed aut in præsenti sæculo, aut

A in futuro, aut certè in utroque vindicare. Proinde attendant bella externa, seditiones internas, gentem super gentem, regnum contra regnum, terræ motus magnos per loca, terrores de cœlo & tempestates, pestilentias & fames, quæ sine intermissione Christianos perturbant, & ante hæc omnia injecisse manus apostolis Dei & ministris, & vel tot flagellis correpti tandem cognoscant, ne forte etiam post flagella mortem perpetuam incurrant. Super hæc attendant, quia cum in Francorum terra reges ex genere prodeant; quis regum à centum & amplius annis recolitur à filiis suis vel B usque in quartam generationem regnasse? Siquidem Ottones, præ omnibus ante se regibus sacerdotalis officii præsumtores, vix attigere tertiam. Post quos primus HENRICUS nullam. Quod & in aliis regnis & principatibus contigisse qui disquisierit, invenire poterit. Et tamen mirabili cæcitate arbitrantur hujusmodi principes se obsequium præstare Deo; si ex pecuniis, vel prædiis taliter acquisitis constituant novas ecclesias vel alia pia loca, cum non solum nihil eis prosit, sed plurimum quoque obsit, sicut ex verbis beati Gregorii superius monstratur satis. Et revera quid prodest C principibus mille ecclesias destruere, & unam construere exemplo principum illorum quos prænominavimus, qui de spoliis multarum ecclesiarum, & præsertim provinciarum miseræ Italiæ, duos episcopatus construxere, ut vel sic humano judicio approbarentur, qui divino reprobantur: & quasi magnum aliquid fecerint, nomine tenus juri tradiderint apostolicæ Sedis, cum sibi tamen & successoribus suis omne dominium inde retinuerint. Nimirum sive isti, sive quicumque imitatores eorum aut fallunt, aut falluntur, si credunt principi apostolorum contra suam in Simonem Magum D sententiam tales oblationes vel pecunias jam posse placere, quasi eum pœnituerit suæ prioris sententiæ. Et cur non perpendunt non esse suum ecclesias Dei facere, sed factas defendere. Ad hoc enim gladium à Christi sacerdotibus accipiunt, ad hoc inunguntur, ut pro ecclesiarum Dei defensione militent, & ubicumque opus est pugnent, non ut ecclesias instituant, & vel eas, vel aliquid earum sanctificent aut præsumant. Quod si alicubi ædificanda sunt ovilia intellectualibus ovibus, sint pastoribus earum devoti & strenui adjutores, non ut aliarum lacte & lanis, sed tantum illarum quarum interest ædificentur: E *Qui enim*, ut Sapiens ait, *ædificat domum suam impensis alienis, quasi qui colligat lapides suos in hyeme.* (Eccli. 21. 9.) Et certe quanti penditur hoc à Deo, & sanæ mentis hominibus, si solius eleemosynæ gratia quilibet divitem vel mediocrem spoliet, aut occidat quemlibet hominem, ut nudum vestiat, aut moribundum vivificet? & quanto laudabilior foret, si miseros negligeret, quam ut eis misereretur taliter. Quapropter sæculariter potentes ne potenter tormenta patiantur, inter alia ecclesiastica sacramenta, caveant anulis & virgis ecclesiasticis quemlibet insig-

Erectæ ex bonis male acquisitis ecclesiæ nihil prosunt.

nire, scientes hoc non sui officii, sed sacerdotum esse. Ipsi enim ut servi domestici, juxta evangelicam parabolam, jussa patrisfamilias prodigo filio revertenti proferunt stolam primam, id est catechizant; ipsi eum induunt, id est baptizant; ipsi calceamenta imitationis priorum patrum in pedibus ejus, ipsi multo magis anulum prædicationis seu ecclesiasticæ dispensationis dant in manu ejus. Quorum enim non est baptizare & prædicare, multo minus est anulum dare, quo specialius commendatur prædicatio & magisterium rectorum Ecclesiæ. Quorum est etiam vitulum saginatum adducere & occidere, sacramenta scilicet Corporis & Sanguinis Christi familiæ ejus epulaturæ præparare. Quod si principes sæculi mercedi animarum suarum in defensione & procuratione ecclesiasticarum personarum & facultatum cupiunt prospicere, per sacerdotes sacerdotales vices habitacula & sumtus conservari suffragentur, ubicumque ecclesiasticus status incolumis invenitur, exemplo sanctissimi regis David, qui ut sacerdotalibus sortibus sacerdotium tunc incolume per congrua & debita officia Domino disponeretur instituit, & de hostium Domini manubiis, suique juris facultatibus ad templum Domino ædificandum expensas Salomoni filio providit & præparavit, sicut finis libri primi Paralipomenon enucleatius ostendit.

CAPUT XVI.

De studio sanctorum regum erga divinum cultum; & remuneratione, & vindicta plebium.

Nihilominus ubicumque ecclesiasticus status & divinus cultus imminutus est, aut annullatus, zelo & modo regis Josiæ ad recuperandum & vindicandum accingantur, piaque devotione sacerdotes ejus etiamsi suum negligere officium non timeant, exemplo Ezechiæ humiles piis querelis & admonitionibus aggrediantur. Sic enim de illo in altero Paralipomenon libro refertur: *Ezechias anno & mense primo regni sui, aperuit valvas domus* 2. Par. 24. 3. *Domini, & instauravit eas: adduxitque sacerdotes atque levitas, & congregavit eos in plateam orientalem, dixitque ad eos. Audite me, levitæ, & sanctificamini. Mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, auferte omnem immunditiam de sanctuario. Peccaverunt patres nostri & fecerunt malum in conspectu Dei nostri, derelinquentes eum. Averterunt facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum. Clauserunt ostia quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt & holocausta non obtulerunt in sanctuario Domino Deo Israel. Concitatus est itaque furor Domini super Judam & Israelem, tradiditque eos in commotionem & in interitum, & sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. En corruerunt patres nostri gladio, filii nostri, & filiæ nostræ, & conjuges captivæ ductæ sunt propter hoc scelus. Nunc igitur placet mihi, ut ineamus foedus cum Domino Deo Israël, & avertat à nobis furorem iræ suæ. Filii mei nolite negligere. Vos elegit Dominus ut stetis coram eo, & ministretis illi, colatis eum, & cremetis incensum.* Cujus devotioni non sufficiet solos subditos corrigere, verum & extraneos admonere, sicut inibi post pauca subditur: *Perrexerunt cursores cum epistolis ex* 2. Par. 30. 6. *regis imperio, & principum ejus, & in universum Israel & Judam juxta id quod rex præceperat, prædicantes: Filii Israel revertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaac & Jacob, & revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Assyriorum. Nolite fieri sicut patres vestri, & fratres, qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, & tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. Nolite obdurare cervices vestras sicut patres vestri. Tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum. Servite Domino Deo patrum vestrorum, & avertatur vobis ira furoris ejus, si enim vos reversi fueritis ad Dominum, fratres vestri & filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxere captivos, & revertentur in terram hanc. Pius enim & clemens est Dominus Deus vester, & non avertet faciem suam à vobis, si reversi fueritis ad eum.* Et quid plura? Bene & feliciter principari cupientibus efficiunt ad suam suorumque salutem acta & dicta salutaria regis istius, cujus industria sic Deo placuit, ut una prece CLXXXXV. millia hostium suorum interimeret, atque sibi XV. annos vitæ moriturus impetraret; cum viri sanguinum & dolosi dies suos non dimidient. Denique David in sua pietate & justitia sibi in semine suo acquisivit sedem regni in sæcula. Porro nec Jeroboam nec successorum suorum quisquam excepto Jehu ad tertiam generationem pro sua impietate, injustitiaque pervenit; quin potius mingens ad parietem non est derelictus ex aliquorum posteris. Attendant hoc principum consiliarii, & laterales, attendant hoc eorum plebes, nec se putent principum suorum præsumtionis expertes, sed noverint super omnia culpæ eorum participes, immo auctores. Denique accipiter licet conetur, sine pennis & plumis non prædatur. Unde rectore, qui unus est, derelinquente, innumera populi multitudo prosternitur & flagellatur sæpe; quia nil tale sine favore seu suffragio eorum potuit efficere. Timentes enim vel amantes hominem magis quam Deum, non solum favent male facientibus dominis, sed insuper ex malitia eorum audaciam sumunt, & in quos possunt superbiunt, & insurgunt. Qui si unanimes prava conantibus obsisterent, & reclamarent, sicut nonnumquam pro suis incommodis, seu commodis, vel sicut pro accepta vel sibi promissa ab aliquibus pecunia solent, facillime suos principes, & majores à malo revocarent. Denique nisi principibus sacerdotum turba clamoris sui improbitate favisset, Pilatus Dominum JESUM relaxasset, nec suum velle ipsi principes ex captione Domini complessent. Sed esto necessitate imbelles, & vile vulgus qualecumque Principum voluntatem sectantur, vel caveant, ne ipsa necessitas fiat eis male agendi voluntas si-

Nota

mul & libertas; quasi si debent ab omnium hominum læsione refrænare, multomagis ab ecclesiasticarum rerum præsumtione, recolentes quia si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? Nec non recolant, quia plebes numerosius, & aliquando earum principibus temporalem pœnam evadentibus, puniuntur; quia plures ipsæ sunt, principes vero pauciores, vel quia ab ipsis tamquam à suis radicibus præsumtio & nequitia principum maxime procedit. Hinc est quod Pharao cum omni suo populo interiit. Bethsamitarum quoque LXX. viri, & L. plebis, quod arcam Domini viderint; quodque David qui dinumerare populum jusserat evadente, LXX. millia hominum ab angelo tribus diebus cæsa sunt. Et notandum quod in causa divina specialius offendendo principes cum populo suo interierint; in humana autem delinquendo principes populo cæso evaserint.

CAPUT XVII.

De meritis Israelis & Judæ in typo hæreticorum & catholicorum.

SEd quia exemplis Israelitarum principum & plebium deterrendos simul & invitandos nostri temporis principes, & populos aliqua ex parte curavimus; superest, ut qui cupit duorum jam populorum, Israelis scilicet atque Judæ dignoscere quanti apud Deum, ejusque veros Israelitas habeatur oratio & operatio, revolvat prophetas, & specialius Oseæ & Amos; tum Abiam regem Judam vice & voce catholicorum adversus Jeroboam, & suos procul dubio hæreticos proclamantem talia: *Audi Jeroboam & omnis Israel, num ignoratis quod Dominus* JESUS *Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum ipsi, & filiis ejus pactum salis?* Et post pauca: *Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Dei, quod possidet super filios David, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos, & ejecistis sacerdotes Domini filios Aaron atque levitas, & fecistis vobis sacerdotes sicut omnis populus terrarum. Quicumque venerit & initiaverit manum suam in tauro, & in bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dii. Noster autem Dominus Deus est, quem non relinquimus, sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, & levitæ sunt in ordine suo. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane & vespere, & thimiama juxta legis præcepta confectum, & proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, & lucerna ejus, ut accendatur ad vesperum. Nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, & sacerdotes ejus qui clangunt tubis, & resonant contra vos. Filii Israel, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit.* Hinc

(2. Par. 13. 5.) (Ibid. 6)

A si quis typum Sacerdotii hæreticorum in populo Israelitico à Juda separato prudenter consideret, quid dogmata & ordinationes eorum efficiant, luce clarius intelliget. Sic enim inde in quarto libro Regum legitur: *Translatus est Israel de terra sua in Assyrios usque in diem hanc. Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone & de Chuta, & Ahiat, & de Emath, & de Serpharvaim, & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus, cumque ibi habitare cœpissent non timebant Dominum, & immisit eis Dominus leones qui interficiebant eos: nuntiatumque est regi Assyriorum, & dictum: Gentes quas* B *transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, & immisit in eis Dominus leones; & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his qui captivi ducti fuerunt de Samaria, habitavit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum. Et unaquæque gens fabricata est deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ; gens & gens in urbibus suis* C *in quibus habitabant, & nihilominus colebant Dominum. Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem gentium de quibus translata fuerant Samariam, usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus & judicia, & legem & mandatum quod præceperat Dominus filiis Israel: Faciunt igitur gentes istæ, timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis servientes, nam filii eorum & nepotes sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.* Quæ utique res gesta hæreticos, quorum typus est, insinuat Deum timere, nec timere; colere, nec colere. Denique D quamvis legem Moysi se habere & observare, seque Deum adorare, & timere jactent, usque in hodiernum diem non coutuntur Judæi Samaritanis, quorum duorum religio qualis sit, Dominus in Evangelio Samaritanæ ostendit dicens: *Vos adoratis quem nescitis, nos adoramus quem scimus, quia salus ex Judæis est.* Unde & magistris eorum Saducæis resurrectionem mortuorum evacuare quærentibus, ait: *Erratis nescientes scripturas, neque veritatem Dei.* Quos cum exemplo de Abraham, Isaac, & Jacob proposito confutasset, subjunxit: *Vos* E *ergo multum erratis.* Qui quantum aberraverint, quantumque Pharisæi præcucurrerint, liber Actuum apostolorum sic aperit: *Saducæi dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum; Pharisæi autem utrumque confitentur.* Unde ab ipsis Saducæi dæmonium habere perhibentur.

(4. Reg. 17. 23.) (Hæretici Deum colunt & non colunt.) (Joh. 4. 22.) (Matth. 22. 29.) (Act. 23. 8.)



consecravit ... nacul... ur...

Heb. 9. 1.

CAPUT XVIII.

De differentia sacerdotii catholicorum & hæreticorum, & de primitiis Simonianorum.

Sacerdotes catholici etiam mali quantum differant ab hæreticis.

PRæterea quantum catholicorum sacerdotes licet male viventes differant ab hæreticis hinc colligitur, quod imminente Babylonica captivitate, à sacerdotibus Dei cultoribus ignis altaris in puteo absconditus post annos LXX. à Nehemia etiam sub aqua, & in aqua vixisse cum lignis, sacrificioque supposito deprehenditur; qui juxta legem altari restitutus holocaustorum, jugiterque fotus opera religiosorum sacerdotum à diebus Cyri regis Persarum non defecit usque regnum Antiochi, qui procul dubio typus fui antichristi, cujus prophetæ habentur hæretici; quorum sicut primi, sic & maximi, in utroque testamento sunt simoniani. Quod non solum ex aliis scripturis, sed etiam ex Machabæorum comprobatur gestis. Siquidem typus antichristi Antiochus sacerdotium Judæorum Jasoni typum Simonis Magi præferenti vendidit primus. Quod sic ibidem refertur: *Post Seleuci vitæ excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Jason frater Oniæ summum sacerdotium, adito rege, promittens ei auri talenta* LX. *&* CCC. *& ex reditibus aliis talenta* LXXX. *super hæc promittebat & alia* CL. *si potestati ejus concederetur gymnasium, & ephœbiam sibi constitueret, & eos qui in Jerosolymis erant Antiochenos scriberet; quod cum rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.* Et post pauca: *Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam & profectus gentilis & alienigenæ conversationis, propter impii, & non sacerdotis Jasonis nefarium & inauditum scelus, ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent.*

2. Mach. 4. 7.

Ibid. 13.

Judaicum sacerdotium Simoniaca hæresi destructum.

Vides ne Simoniaca hæresi etiam Judaicum sacerdotium sit destructum, ut pro scelere venditionis & emtionis, ad incrementum gentilitatis sit translatum? IN QUO evidenter ostenditur Simoniacam hæresim seminarium & propagationem esse non christianitatis sed gentilitatis. Neque enim Simoniacus aliud efficere aut velle potest, nisi ut contribules suos utique christianos ad gentilem ritum transferat Quod certe nefarium & inauditum scelus esse constat. Unde idem Jason non sacerdos, sed impius arguitur, quo nomine paganus proprie ostenditur. Simulque considera quod hac prima conspiratione Simonianorum, Antiochi scilicet, Jasonis, atque Menelai, qui de tribu Benjamain natus, pecunia præfato Jasoni summum sacerdotium extorserat, LXXX. millia Judæorum in Hierusalem cæsa, XLII. millia vincta non minus fuerunt venundata. Tunc quoque Antiochus Menelao ductore tamquam antichristus ducibus Simonianis, templum quod cum sacramentis suis portendebat Catholicam Ecclesiam, & sacramenta ejus ingressus, accepit altare, aureum candelabrum luminis, & universa vasa ejus, mensam propositionis, libatoria, fialas, mortariola aurea, velum, coronas, & ornamentum aureum quod in facie templi pendebat, & comminuit omnia, jubens deinde templum contaminari, & cognominari Jovis Olympii. Et accepit argentum & aurum, & vasa concupiscibilia, & thesauros occultos quos invenit, & sublatis omnibus abiit in terram suam. Quæ utique singula illius templi ornamenta præfigurabant Ecclesiæ sacramenta, sicut orthodoxorum patrum multiplicia testantur scripta. Ex quibus ornamentum illud aureum quod in facie templi erat, titulum fidei, qua Deum esse cognoscimus, & qua ad Deum intratur, aperte significabat. Quæ profecto per hæreticos ab antichristo comminuta & captivata in comminutione & captivatione illius ornamenti aurei præmonstratur: qua captivata repellit Dominus tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus, traditque in captivitatem virtutem eorum, & pulcritudinem eorum in manus inimici, & concludit in gladio populum suum, & hæreditatem suam spernit. Juvenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non lamentantur. Sacerdotes eorum in gladio cadunt, & viduæ eorum non plorantur. Cur hoc? quia secundum lamentantem Hieremiam repulit Dominus tabernaculum suum, maledixit sanctificationi suæ. Unde nec ipsum templum jam cognominatur Domini, sed Jovis Olympii; ut indicetur principi aëris hujus cessisse, quicquid visibilium sacramentorum in illo solebat esse Domini, sed tanti auctor sceleris Jason, à Menelao expulsus sacerdotio, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum execrabilis, ut patriæ & civium hostis, & qui multos de patria expulerat peregre periit; & qui insepultos abjecerat multos, & ipse inlamentatus, & insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans. Cujus supplantator Menelaus, post cædem sanctissimi sacerdotis Oniæ, aliorumque multorum sanctorum à fratre suo Lisimacho supplantatur, non multo post juxta ærarium templi seditione sæculari interemto. Quem sacrilegum scriptura astruit, non solum quia pecunia sacerdotium obtinuit, sed quia insuper sacra vasa, & supellectilem sanctuarii furto exportavit; quod scelus Simoniacorum specialius esse nemo ambigit. Non solum enim sacerdotium emtum ire aggrediuntur, sed quicquid Ecclesiis Dei superesse potuit diripiunt & furantur. Nec venditor quoque impunitus evasit, qui insanabili & invisibili plaga percussus, vermibus consumtus, atque fœtore exercitui ejus sibique intolerabili repletus, peregre miserabili obitu est defunctus in montibus; ut puta typus ejus, quem in monte sancto juxta Danielis prophetiam, spiritu oris sui interficiet Dominus JESUS.

Mach. 4. 24.

CAPUT

CAPUT XIX.

Qualiter ipsi sacerdotes sub lege communionem impiorum vitaverint, & ab eis contaminata purificaverint.

Ecce si sic perierunt tunc pseudoprophetæ, & pseudochristi Simonianorum etiam sub umbra Legis Moysi, putamusne qualiter pereunt nunc sub veritate Evangelii Jesu Christi? Quorum communionem quanto suorum corporum periculo, facultatumque dispendio, Mathathias & filii ejus nonnulli alii devitant, in libris Machabæorum cognoscere possunt qui voluerint. Siquidem multa hominum millia utriusque sexus non tantum in civitatibus, verum & in montanis & solitudinibus glorioso tunc martyrio pro Lege Dei quam zelabant coronata sunt. Quo zelo Mathathias quoque sacerdos & filii ejus quinque relinquentes quæcumque habebant in civitate, fugerunt in montes, & secesserunt in desertum locum; ibique inter feras vitam in montibus agebant, & fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis. Et in quo jam isti adhuc in Judaïsmo minus sanctis Patribus nostris in Christianismo communionem hæreticorum vitarunt? Simul quoque consideremus quia donec sacerdotium Judæorum viguit nulla utensilia vel pecunia templi angelicis excubiis defensi potuere diripi aut captivari; quamvis id obstinato animo Heliodorus sub Onia pontifice aggressus fuerit. Quod sine aliqua vindicta constat tunc effectum ob sacerdotium venditum, vel à non sua tribu ..... fuit præsumtum. Nec minus considerandum est in facto legitimo sacerdotum illius temporis quanto studio & qualiter à catholicis expianda sunt, quæ contaminata invenerint ab hæreticis. Sic enim inibi docemur super his: *Elegit*
1. Mach. 4. 42. *Judas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundaverunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod prophanatum erat quid de eo faceret; & incidit illi consilium bonum, ut destrueret illud, ne forte essent illis in opprobrium, quia contaminaverant illud gentes; & demoliti sunt illud, & reposuerunt lapides in monte domus in loco apto quoad usque veniret Propheta, & responderet de eis. Et purgato templo, acceperunt lapides integros secundum legem, & ædificaverunt altare novum secundùm illud quod fuerat prius, & ædificaverunt sancta, & quæ intra domus intrinsecus, & ædem, & atria sanctificaverunt. Et fecerunt vasa sacra nova, & intulerunt candelabrum & altare incensorum, & mensam in templo, & incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas quæ super candelabrum erant, & lucebant in templo. Et posuerunt super mensam panes propositionis, & appenderunt vela, consummatisque omnibus ante matutinum*
2. Mach. 10. 3. *surrexerunt, & de ignitis lapidibus igne concepto, obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum quod fecerunt, quibus actis rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius malis talibus inciderent, sed & si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, & non blasphemis aut barbaris nationibus traderentur. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purgationem fieri xx. & quinta novi mensis Casleu, & cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum. Et decreverunt communi præcepto & decreto universæ genti Judæorum omnibus annis agendum per dies VIII. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis & scutulis, & dedicaverunt portas & pastaforia & imposuerunt eis januas, & facta est lætitia in populo magna valde. Et aversum est opprobrium gentium*; quas legalis umbræ lineas, Evangelica recto pede resculpit veritas, dum pæne eodem modo Catholici patres pro re & temporis sui qualitate expiant contaminatas ab hæreticis ecclesias, quod studii nostri erit alio loco & evidentibus demonstrare exemplis. Attamen & illud interim consideretur, quod ante primam captivitatem sub sacerdotibus quamvis male viventibus, nec altare Domini, nec utensilia ejus, nec ignis sint penitus innovata, sed ab idololatriæ sordibus, reliquisque contaminationibus per manus legitimorum sacerdotum sola aqua expiationis purificata. Quod secus factum esse post captivitatem occasione sacerdotii venalis superius ostenditur. In tantum ut lapides quoque sancti quondam altaris inde remoti fuerint, ignisque novus conceptus ex ignitis lapidibus fuit, cum à sacerdotio Aaron usque ad perfidum Jasonem ignis ab altare holocaustorum non defecerit, nec abominandum idolum desolationis super illud regum quisquam ædificaverit. Quæ tertia jam reconciliatio altaris & templi per aliquot legitimos sacerdotes, qualis Christi præcursoris genitor Zacharias etiam regnante Herode extitit, consecrata fuit, donec jam prædicante Domino nostro Jesu Christo, Annas & Cayphas non solum venale, sed & annuale sacerdotium sua ambitione & pecunia prorsus effecerunt. Quorum suique similium negotio domus orationis spelunca latronum fuerat facta, protestante Domino; quos paulo post in cruce tamquam in throno pontificali exaltatus damnavit, & irrecuperabiliter deposuit, dum velo templi à summo usque deorsum per medium scisso, omnia illorum sacramenta denudavit, eorum sacerdotium cum omnibus suis cæremoniis, & lege spiritualiter ad se, & ad suos cohæredes velut ad tribum Judam nomen ejus confitentem transtulit, reprobatis illis, qui eum negarunt exclamando, *non habemus regem nisi Cæsarem.* Denique quicquid sacerdotalis officii postea tam ab illis, quam ab eorum similibus & sequacibus præsumtum illic & actum fuit, diaboli & non Dei cultus extitit, juxta quod B. papa & doctor Leo asserit, reclamantibus quoque potestatibus angelicis, & dicentibus, Transeamus ab his sedibus. Sic jugi sacrificio ablato, usque in finem perseverat inibi abominatio & desolatio; secundum quod B. Hieronymus de tribus quatuor sceleri-



bus quarumdam differens nationum, ait : A
» Amos propheta in eas gentes, quæ lectione
» ejus comprehensæ sunt, ob eas causas quas
» memorat, affuturam iram Dei denunciat. Et
» quia in sequentibus ait in tribus impietatibus
» & super quatuor non convertam eum, tertio
» peccatorum indulgentiam Deum dare posse
» significat; quem quarto eadem peccata com-
» mittentibus, nec pœnitentiam, nec indulgen-
» tiam daturum denunciat. Nam per ignis si-
» militudinem, quem in prædictas gentes mit-
» tendum prædixit, gravem & irrevocabilem
» Dei iram, animadversionemque voluit demon-
» strare. Quo tanti viri testimonio expergiscan- B
tur Simoniani, & discant quanto minus sint ipsi convertendi, qui non solum ter aut quater, sed etiam centies aut millies committunt eadem scelera, imprætermisse negotiando de Spiritus-sancti gratia. Quæ quamvis graviter punienda sint in emtoribus, multo tamen gravius in venditoribus: quia evenit nonnumquam, ut emtor emendo nonnisi semel delinquat, dum denuo cuilibet vendere quod accepisse putatur recusat. Venditori autem quæ gratia remanet, aut quæ ira non imminet, qui nonnisi vendere solet? Sed ne de aliis tantum sceleribus, & non de Simoniaca hæresi C dictum putetur, attendamus quid de Israël, cujus ambitio in typo hæreticorum regnum bipartitum effecit, ab eodem propheta dicatur; & sole clarius cernetur illorum prius negotium, quo inique vendunt, & alterum quo sibi linguas correptorum, quasi prophetarum iniquius redimunt. Ait enim: *Hæc dicit Dominus, super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit argento justum & pauperem pro calciamentis, & super vestimentis pigneratis accubuerunt, juxta omne altare, & vinum damnatorum bibebant in domo dei sui. Et suscitavi de filiis vestris in* D *prophetas, & de juvenibus vestris in Nazareos, & propinabatis Nazareis vinum, & prophetis minabatis, dicentes, Ne prophetetis.*

Emtores ecclesiarum minus puniendi quam venditores.

Amos 1. 3.

CAPUT XX.

De periculo sacerdotum & indisciplinata ambitione nostri temporis.

SEd væ, væ nobis sacerdotibus & clericis, quia nos ipsi audaciam & gladium ad præsumendum & invadendum ecclesiastica subministramus laïcis, quæ nec præsumerent nec invaderent, nisi aut nostra negligentia aut favor eos ad id animaret. Nempe cum simus canes cælestis patrisfamilias, non solum nullo libero & continuo latratu, nullo acri morsu, importuni à peculio & caulis ejus raptores arcemus: quin potius muti, perditis obsecrationum linguis, aut repressis redargutionum dentibus, vocibus & caudis, velut inertes canes penitus demissi, improba & cæca adulatione ad rapiendum invitamus. Nec aliquo timore vel amore Domini nostri offensam incurrere cavemus, nec instar damnosi canis præcipitandos nos in rapacem carybdim, ultimisque suppliciis obruendos recolimus. Sed quod adhuc plus dolendum est, familiæ Dominicæ efficimur terribiles & raptoribus mites. Insuper tantus stupor nos obsidet, ut credamus laïcorum esse quod nostrum est. Inde est quod nonnulli nostrum cæca ambitione ducti, quo maxime malo intra Italiam laboramus, postpositis ecclesiasticis rectoribus, quorum tantummodo interest, certatim palatia nec requisiti, nec vocati irrumpunt, sæculares potestates impudenter adeunt, censum patrimoniorum suorum & facultates principibus eorumque familiaribus adhærendo & obsequendo expendunt: ut vel sero aliquam ecclesiasticam dignitatem venentur post diuturnas, maximas & continuas angustias, quas insanissima patientia diebus & noctibus perferunt, patientes exsilii, inediæ, algoris & vigiliarum supra modum. In quo nimirum detestabiliores ambitioso Catalina sunt habendi, qui patriæ parricida ob consulatus ambitionem non renuit fieri. Quod si ille terrenæ dignitatis appetitu, terrenum & paganum regnum inquietando & confundendo parricida dictus & habitus est: quia etiam cum interitu urbis, qua editus fuerat, principari tentavit, ubi patres conscriptos suæ ambitioni refragari sensit; qui putamus dicendi & habendi sunt, qui sua ambitione cæleste christianum regnum, Ecclesiam scilicet matrem suam, confundunt & interimunt, contradicente illis ipso regum Rege Christo, omniumque venerabilium patrum præteritorum & præsentium concilio? Quos quis dubitabit dicere supra modum Simonianos, qui non solas pecunias, sed semetipsos insuper in talibus negotiis expendunt? Siquidem tolerabilius est illis qui simul & semel & in uno suoque loco emunt quod quærunt, quam qui particulatim & multotiens, diebusque vitæ suæ peregrinando atque discurrendo de loco ad locum. Qui tandem nullo suo merito, sed solo obsequio aut humana gratia dignitatem à sæcularibus adepti, quam debuerant, si bene in ecclesiis suis militassent, per ecclesiasticos adipisci, in labores eorum tyrannico furore introeunt. De talibus ecclesia, scilicet clerus & populus cujuscumque civitatis conquerendo & ejulando dicere cum Domino potest: *Ipsi regnaverunt & non ex me: Principes extiterunt & non cognovi.* Neque Osc. 8. 4. tamen hæc dicendo illos incusamus, qui suæ E egregiæ indolis publicæque utilitatis causa invitatione, & petitione principum, atque suorum licentia vel præcepto rectorum in terreno palatio conversantur & deserviunt, atque nonnumquam ab ecclesiis rectore privatis, nec aliquem suorum qui proficue succedat habentibus expetiti, regimen suscipiunt: nec dicendi sunt labores aliorum invasisse; sed fratribus in labore deficientibus occurrisse. Et quod laudabilius est, profectum suum suæ debitum ecclesiæ, cujus stipendiis & in qua militaverunt periclitantibus aliis ecclesiis caritative impendunt: nec dignitatem, quæ eis ut emeritis in

ecclesia sua vel patria debebatur, attendunt. Tales profecto tanto magis sunt reverendi, quanto non sua quærunt, sed Christi: quibus sane bonis æque omnibus injuriam faciunt, immo omnipotentis voluntati, in cujus ditione cuncta sunt posita, resistunt, quicumque ob hoc importunos se impudentesque ingerunt; quorum indisciplinatorum & girovagorum tanta est multitudo, nec tantum nobilium & literatorum, quantum & ignobilium atque inlitteratorum, ut ecclesiis claustrisque vacuefactis & vacantibus, palatia, domusque sæcularium vix jam capere sufficiant examina clericorum. In quibus nonnulli inveniuntur, qui ecclesiasticos honores non tantum clericali officio, quantum medicinali aut scurrili seu gnatonico aucupantur. Mentior, si non plures ejusmodi promeruit Italia, quos nulla promovit morum aut litteratorum gratia, sed aut scurrillitas vel fallax adulatio, seu quod excusabilius putatur, sola medicina. Quibus cum nullus christianorum communicare debeat, ut vere acephalis & sine suorum rectorum litteris & permissu vagantibus, insuper regimen ecclesiasticum committitur, quod tandem adepti, non solum tamquam indisciplinati & stulti confundunt & dissipant, sed etiam tamquam libidinosi multimoda fornicatione & fœditate incestant.

Itali multum indignis officia ecclesiastica concedunt.

CAPUT XXI.

De præcipuo malo Italiæ, & de quodam vano episcopo, & officio sacerdotum, principum & plebium.

Talibus utique ordinationibus cum nonnullæ provinciæ sordeant, tum præcipue Italia, in quam hujusmodi solet confluere sentina, quæ non solum suo fœtore navigare ad regnum cælorum cupientes ægrotare compellat, sed insuper pondere demergat. Nimirum tales tardissimi ad bene audiendum, tardioresque ad bene vivendum, cum sint promtissimi ad loquendum & exercitatissimi ad adulandum, aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt, eorumque recta studia depravant. Siquidem prudentia carnis, quæ legi Dei ut ejus inimica subjici non potest, inflari, atque nunc simulare, moxque dissimulare quodlibet periti, verisimilibus argumentationibus, & intercisis sanis Christi sanctorumque patrum sententiis abutuntur ad persuadendum: sicque nunc mimica levitate festivi, nunc philosophiæ gravitate severi, nunc sæculari urbanitate lepidi, nunc pecuniaria largitate importuni, velut alter sceleratus & multiformis Protheus, ipsi quoque versipelles ad suum arbitrium violenti, & quod gravius est, blasphemi, reflectunt quicquid apud Deum & homines constabat Ecclesiæ sanctæ utile & honestum. Mirantes enim personas, quæstus causam inter alia sua deliramenta & præstigia, quibus tam-

Quibus artibus Simoniaci ecclesiastica beneficia aucupantur.

A quam novo aucupio incautos illaqueant, patulis & avidis auribus principum mundanam potestatem, maximeque imperatoriam regiamque potentiam supra modum magnificant, & Ecclesiasticam dignitatem attenuant. Et quia vicissitudo est omnium rerum sub sole, ut aliquando proficiant, aliquando deficiant, secundum exteriorem profectum aut defectum Ecclesiasticæ causæ meritum & potentiam sacerdotalis dignitatis æstimant, ut modo ei velut lunæ solem sæculares potestates præponant; modo velut soli alterum solem opponant; modo (quod tamen rarissime fit) in solo filiatio-B nis nomine velut filium patri supponant. Quod impuræ & improbæ adulationis figmentum diebus nostris sic prævaluit; ut aliquid hujusmodi parasitorum ad confusionem sanctæ Ecclesiæ suamque perditionem, dictus episcopus popularem favorem sic sibi conciliare solitus esset: Papa, inquam, Romanus est Pater, Imperator Filius, ego autem qui inter ipsos duos discurro, Spiritus-sanctus. Quam blasphemiam quis catholicorum, ne dicam declamare, sed vel patienter audire potest? Sed cæcus adulator, sibique supra modum ex suæ adulationis effectu placens, dum conatur ab hominibus æsti-C mari supra id quod erat aut videbatur, duarum hæreseon blasphemias incurrisse convincitur. Ubi sua præsumtione gradus in sancta trinitate constituit tamquam Arius, & tamquam Manes se Spiritum-sanctum esse professus est. Quo utique sacrilegio, multisque aliis Deo & fidelibus ejus invisus, velut alter Jason peregre periit, vagus & profugus. Itaque quicumque principum quærit hic sibi felicitatem & in futuro beatitudinem parare, caveat talibus acquiescere. Rex enim qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habebit impios. Nec habeant Christi sacerdotes & quæ ad eos D pertinent alio loco, quam quo habuit Maximus Constantinus, ejusque orthodoxi successores in imperio, sicut paulo superius ex parte monstratur in hoc opusculo. Unde qui sacerdotalem & regalem dignitatem vult irreprehensibiliter & utiliter conferre, dicat sacerdotium in præsenti Ecclesia assimilari animæ, regnum autem corpori, quia invicem sese diligunt, & invicem sese indigent, suamque sibi operum vicissim exigunt & impendunt. Ex quibus sicut præeminet anima & præcipit corpori, sic sacerdotalis dignitas regali, ut puta E cælestis terrestri. Sic nec præpostera, sed ordinata sunt omnia, sacerdotium tamquam anima præmoneat quæ sunt agenda: regnum deinde tamquam caput sui corporis omnibus membris præemineat, & ex quo expedit præcedat. Sic enim regum est ecclesiasticos sequi; sic laïcorum quoque reges suos ad utilitatem Ecclesiæ & patriæ; sic ab una eorum potestate populus doceri, ab altera debet regi, quarum neutra populum inconsiderate sequi. Quod sanctorum patrum auctoritas sacerdotibus sic inculcat: Docendus est populus, non sequendus; nosque si nesciunt quid liceat, quidve non liceat commonere, non his consensum

Episcopi cujusdam impudentia.

Dignitas ecclesiastica regali præeminet.

præbere debemus. Porro de regibus & sæculi principibus ait: Principes sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit; ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam quam Ecclesiæ utilitas vel humanitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat. Cognoscant principes sæculi debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati sanctam Ecclesiam credidit.

Sæculi potestas in quibus Ecclesiæ necessaria.

CAPUT XXII.

De nociva taciturnitate sacerdotum, & loquacitate adulatorum.

HÆc ita esse cum nemo christianorum contradicere audeat; væ nobis sacerdotibus quia tacemus, quia viri polluti labiis sumus. Si enim sanctissimus Isaïas pollutionem labiorum incurrit, quia regem sacerdotale officium semel tantum attentantem libera voce, sicut Elias, non redarguit, nec perfecte ab ea pollutione purgari juxta beati Hieronymi sententiam potuit, donec crudeliter sectus occubuit; rogo, quando labia nostra mundabuntur, qui sine intermissione principes ecclesiastica præsumentes non solum non redarguimus, sed insuper laudamus? Et talibus labiis Dominum interpellare aut nominare audemus? Et quid juvat quotidie dicere: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa*, & *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam?* Nonne iniqua labia sunt, quæ iniquitatem non arguunt, vel quæ iniquitatem non defendunt? A quibus liberari si omnibus christianis orandum est, multo magis sacerdotibus, quibus non solum pro se, sed & pro omnibus orationi & prædicationi insistendum est, ne forte cum multiplicaverint orationem, non expediat Deus pollutis labiis eorum offensus. Lex enim veritatis, ut beatus Hieronymus super Malachiam disserit, in ore sacerdotis est doctrina populorum, quæ in sacerdote nullo debet mendacio deturpari, sed tota de veritatis fonte procedere, & ut ipse pacem habeat, & ceteros pacificet, nulliusque personam accipiat in judicio, & multos avertat ab iniquitate corripiens alios. Labia sacerdotis custodient scientiam. Et non dixit, proferent, sed, custodient, ut in tempore loquatur opportuno. Et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est, & speculator datus à Domino domui Israël. A

Psal. 119. 2.
Ps. 50. 17.

A cujus ore requiretur doctrina & increpatio, nisi annuntiaverit justo ne peccet, atque injusto ut convertatur: sanguis amborum de manu linguæ illius requiratur. Qua animadversione si feriuntur labia ex solo silentio iniqua; qua putas ferientur dolosa, quæ non solum reticent quam corripere jubentur iniquitatem; sed insuper mentiendo laborant ostendere æquitatem? Unde væ vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum dulce & dulce amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis pruden- B tes: qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo. Qui enim, ut ait Salomon, dicit impio, Justus es, maledicent ei populi & detestabuntur eum tribus. Quos Propheta cavendos denuncians ait: *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad judicandum Dominus, & stat ad judicandum populos. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & principibus ejus. Vos enim depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra.* Quod nequissimum adulationis vitium necesse est tanto animosius insectemur, quanto perni- C ciosius omnibus pene vitiis intelligimus. Ipsum enim sacerdotalem auctoritatem, ipsum regalem potestatem & modestiam destruit; ipsum ne Deo & hominibus debita reddantur, fasque nefasque confundit. Adulator quippe blandus inimicus est, perjurus principibus, quibus contra jusjurandum suum infidelis est, cum eis aut mala agere suadet, aut acta improbo favore effert, ut impœnitentes viam sibi in futuro thezaurizent; perniciosissimus populis, quos nec sapere nec resipiscere permittit; invisus Deo, contra quem efficax adjutor diaboli à bonis revocare, & ad D mala provocare homines insistit. Unde venerabilis Prosper prosa metroque eximius, ait de talibus: Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectantur enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. Cujus inde epigramma tale est:

Isa. 3. 12.

Adulatio quam noxia.

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla sit ut lapso reparandæ aura salutis,
Blanditur sonti dum malesuadus honor.
Libera sit potius vox correptoris amici,
E *Serpere nec fibris cæca venena sinat.*
Nec credens medici verbis fallacibus æger,
Noxia laudatæ vulnera pestis amet.

CAPUT XXIII.

De periculo male tacentium sacerdotum & male loquentium, & de individua unitate divinitatis & suorum.

ITaque hæc & hujusmodi quamplurima patienter audiantur, atque tandem, si suam

alienamque perditionem evitare curant ministri Christi, & maxime sacerdotes, seu timore, seu amore humano caveant non solum malis, sed & bonis tacere: alioquin morientur, si vel intrantes tabernaculum Dei, vel exeuntes de se sonitum non reddiderint. Nihilominus ministri diaboli parasiti & ventriloqui, maximeque erronei clerici desinant majoribus vel minoribus suis placere, dum favent malis & detrahunt bonis. Illi loqui præsumant, isti tacere discant. Alioquin desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & erunt qui beatificant seducentes, & qui beatificantur præcipitati. Quorum nequitiam & pœnam Psalmista in B
Psal. 11. 3. transgressore psalmo intimat, dicens: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximun suum, labia dolosa in corde & ore locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa & linguam magniloquam, qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Sicut ergo maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine; sic & væ ei qui lactat amicum suum, & ducit via non bona.
Isa. 32. 4. Quapropter, admonente Propheta, lingua balborum velociter loquatur. Et plane atque cor stultum intelligat scientiam, & mutilatores discant legem, ne forte illi, quod absit, C divisioni quæ in Deum non cadit tacendo consentientes, & isti adulando insistentes & faventes, à Deo ut schismatici & hæretici dividantur pariter. Indubitanter enim schisma vel hæresis est Deum & suos ab invicem conari dividere, beato Paulo Corinthiis sic protestante: *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri*
1. Cor. 1. 10. JESU CHRISTI, *ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit*: D *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus?* Subauditur Minime. Aliter enim illa ejus oratio, quod absit, infructuosa erit, quam Deo Patri ad passionem iens fudit; ubi inter alia suis maxime ut unum essent in illo deposcebat
Joh. 17. 14 dicens: *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum; Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro his autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* Videsne, divisor blaspheme, Christi non posse individua dividi. Individua quippe sunt Christi & ejus ministri. Et quod magis stupeas, individui

A sunt puri homines à Deo Patre qui tantum Deus est, mediante Christo, qui Deus & homo est, sicut ipse ait: *Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* Quæ tamen mirabilis & desiderabilis unitas illi tamquam Unigenito natura debetur, homini tamquam adoptivo sola gratia præbetur. Denique ut CHRISTUS JESUS Deo & homini uniendis sicut singulariter fidelis mediator ambobus apparet, suæ naturæ divinæ & sanctitati quibus Deo congruebat humanam naturam & sanctificationem, qua sanctus & sine peccato natus est, univit, ut ex una homini in peccatis concepto sic congrueret, ut consuleret, atque ex altera sic subveniret, ut sanctificationem quoque perditam restitueret. Quæ sanctificatio Virginis terræ filio divinitus collata, & diabolicæ potestati ademta, redditur Virginis MARIÆ Filio, qua idem verus homo prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, quem sanctificationis spiritum suis ipse Dei & hominis Filius deposcens ait: *Sanctifica eos in veritate*, scilicet in me qui sum veritas: *ut sint & ipsi sanctificati in me.* Ex quo veraciter colligitur sanctificatione sola effici, ut humanis divina jungantur. Itaque si unum fiunt cum Christo in Deo ministri & famuli Christi, quia sanctificati sunt in ipso; manifestum est quicquid ministrorum Christi est, unum esse cum illis in Christo, quia sanctificatum est in ipsis Christo. Quod si peculium carnalis servi unitur & servi domino per servum qui ejus est; quomodo non magis unitur & cedit Christo quidquid suorum est, præsertim quibus possessio nulla est, nisi quæ ipsi de donis suis redonata illis redonatur, quorum pars hereditatis insuper est ipse Dominus, cui & ipsi sunt hereditas.

Ibid. 23. Ibid. 17.

CAPUT XXIV.

De exemplis individuæ Trinitatis in omnibus creaturis.

SEd proh dolor! unionem hanc detestabiles, & individuum individui & ab ipso divisi dividere aggrediuntur, cum sanctificationem ita in se contineat, ut ab ea contineantur. Equidem velut luteo glaucomate lippi, aut superfluo potu madidi, solem aut lunam, seu quamlibet lucernam credunt sibi non solum duplicari, sed & multiplicari, ut egregius Prudentius Marcionitas duos deos, bonum scilicet ac malum sibi confingentes E confutans, ait: Nemo duos soles, nisi sub glaucomate vidit. Quapropter si possunt perpendant, quam aversi à Deo incedant, qui dividere individua laborant. Denique ipse Deus suam individuam Trinitatem unitate commendat, atque hoc suæ incommutabilis & invisibilis naturæ exemplar non solum invisibilibus & mutabilibus, sed visibilibus quoque facturis suis commodat & conservat. Omnia enim quæ in una sapientia sua Deus fecit, Trinitatem qua subsistunt, insignivit, ubi omnibus mensuram, numerum, & pondus habere dedit. Quæ tria contemporaliter, & inseparabiliter omni-

bus creaturis insunt, nec quodlibet eorum A prius ac posterius duobus reliquis, aut sensibiliter ab illis separabile inveniri poterit. Sive enim mensuram, sive numerum, sive pondus in quibuslibet corporis naturis consideres, pariter & inseparabiliter in ipsa tria nasci, esse, crescere, decrescere, & interire, etiam sensibus corporis senties. Quæ nihilominus in corporeis creaturis si animadvertas, intelliges. Habent siquidem mensuram quæ etiam circumscribuntur, pondus meritorum, numerum affectuum diversorum. Nempe ut membrorum vel partium diversitas dat corporibus numerum, sic & creatis spiritibus diversitas effectuum. Itaque, ut venerabilis Prosper ait, sic operum B species prædicat artificem, fingentem rebus formas, loca tempora, motus, mensuris, numeris, ponderibusque suis. Quæ licet tria omnibus pariter inserit creaturis, tamen unum quoddam efficiunt, unitateque coërcentur, quatenus juxta suum modum, sic sua dilatentur trinitate, ut sua quoque arctentur unitate, sicque numerum habeant, nec habeant, instar sui auctoris, qui & tria summa dicitur & unum. Porro juxta quod beata, & incorruptibilis hæc Trinitas unus Deus recte dicitur & habetur, sic & incorruptibilis illa Trinitas in singulis crea- C turis, aut unus spiritus, aut unum corpus dicitur & habetur. Ex quibus omnibus multipliciter docemur Deum tam in se, quam & in omnibus operibus suis commendare, atque super omnia diligere monadem, & apprime detestari, & odisse à se quodlibet ascendentem. Monas enim individuæ suæ naturæ beneficio etiam dividua individuo unionis reducit, & individuæ connectit. Dias autem dividuas sui vitii maleficio etiam individuum dividere quærit. Illa tamquam inviolabilis & pacifica nil nisi à dividuis, diversis & privatis retrahere, atque suo omnibus communi, & præsenti individuo unire D novit. E contrario ista tamquam violata violatrix, & schismatica, nihil nisi ab individuo consimili & communi bono obrumpere & abscindere tentat. Hæc procul dubio ab illo incommutabili; & individua Monade ultro recedens prius privatæ & solitariæ sedis locum sibi in lateribus Aquilonis exploravit, deinde hominem à Deo divisit. Hæc quoque mo-
3. Reg. 3. 26. re suo per meretricem dixit, *nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Hæc etiam in Evangelio per alium, persuadere cupit æternæ Monadi vi-
Luc. 12. 13. sionem dicens: *Dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem*, Cui beata Monas reclamans, E naturæ suæ impassibilitatem sic prædicavit: *Ho-*
Luc. 12. 14. *mo quis me constituit judicem, aut diversorem super vos?* Et si omnia opera divinitatis consideres, monade prorsus ea subsistere; diade autem interire invenies. Quibus sicut monas est subsistendi principium, sic & dias desistendi initium. Nam quamdiu diversitas, & numerositas membrorum, seu partium unione censetur, vel toto suo connectitur, subsistit. Ubi autem ad diadem accedit, desistere & interire incipit. Quod Moyses quoque innuit. Qui cum singulorum dierum opera Deum quod bona essent vidisse commemoraverit, de die tamen secunda loquens reticuit, significans Deo non videri bonum, ubi quid ab incommutabili ejus unitate discedens, mutabilitatem pluralitatis incipit, & incidit.

CAPUT XXV.

Quod individua sit sanctificatio ab his quæ sanctificat, & qualiter sanctificentur.

CUm ergo his & pluribus aliis sanctæ scripturæ testimoniis liqueat Domino Deo in suæ creaturæ universitate quam maxime placere, universale & commune bonum, atque è contrario displicere particulare & privatum; cujus scientiæ, immo cujus frontis sunt, qui quælibet sanctificata Deo prædicant impune & sine sacrilegio posse dividi ab ipsa sanctificatione sua quæ cohærent Deo? Quæ qualiter sanctificentur, vetus lex, quæ novæ typus est multipliciter ostendit. At enim ex debito quidem, sicut primogenita, primitiæ & decimæ, quæ exiguntur ut pura sanctificata Domino priusquam nascantur; ex oblatione, sicut pectusculum, armus, pecus, vel quæcumque Domino sanctificantur, ubi recte offeruntur; ex voto autem quæcumque sponte voventur. Nam ab ipso voto sanctificata Domino noscuntur. Quæ pariter in Levitico breviter comprehenduntur, ubi sic præcipitur: *Primogenita, quæ ad Deum pertinent nemo sanctificare poterit, & vovere; sive bos, sive ovis* Levit. 27. 26.
fuerit, Domini sunt. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulerit juxta æstimationem suam, & addet quintam partem pretii: si redimere noluerit, vendetur alteri, quantocumque fuerit æstimatum. Omne quod Domino consecratur, sive homo erit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quicquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Omnes decimæ terræ sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum omnium decimarum, bovis, & ovis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum transierit sanctificabitur Domino. Non eligetur malum, nec alterum commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutatum est sanctificabitur Domino, & non redimetur. Quod si diligenter investiges, invenies tabernaculum, cunctaque ejus utensilia oleo sanctificationis inuncta, vocabis sanctum sanctorum, cetera vero exterius quæ eidem vel ministris ejus pertinent, tantummodo sancta. Unde intelliguntur hæc sanctificationem, qua sancta sunt, accepisse ab ea communione, qua per devotionem fidelium connexa sunt sanctis sanctorum. Ex quibus tantam sanctificationem sibi mutuabantur, & potiebantur, ut pro modo admonitionis quædam in loco sanctuarii sacerdotibus tantum, quædam etiam maribus stirpis eorum, quædam & cunctæ illorum familiæ emtitiæ seu vernaculæ debebantur, excepto

omni alienigena, inquilino quoque sacerdotis, & mercenario, nec non leproso & immundo. In quibus sanctificatis, si anima prævaricans cæremonias per errorem peccasset, offerebat pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui poterat emi duobus siclis juxta pondus sanctuarii, ipsumque quod intulerat damnum restituebat, & quintam partem ponens supra tradebat sacerdoti, & sic ei dimittebatur. Quod si quis comederet de sanctificatis per ignorantiam, addebat quintam partem cum eo quod comederat, & dabat sacerdoti in sanctuarium, ne contaminaret sanctificata filiorum Israel quæ offerunt Domino, ne B forte sustineant iniquitatem delicti sui qui Levit. 22. 13. sanctificata comederint: *Ego*, inquit Dominus, *qui sanctifico eos*; ex quibus evidenter comprobatur, quia Dominus tabernaculum suum, & ministros sic sanctificat, ut quidquid ipsis pertinet sanctificatum permaneat. Ex quo si quilibet quantulumcumque sibi per errorem vel ignorantiam præsumeret, aut augmentum restitueret, ut de medio populi sui periret. Si autem per superbiam, nullo pacto diræ mortis evaderet sententiam hic, cum Dominus sanctificator omnium, nunc leniter admonendo, nunc aspere deterrendo, astruat suam sanctificationem ab eis quos vel quod sanctificat inseparabilem; qui sunt isti qui iniquitatem contra Excelsum loquuntur, asserentes sanctificata, sine sanctificatione emisse, aut dono accepisse? Qui utique vel rebus visibilibus debuerant doceri, quas constat, nec sine mensura, nec sine numero, nec sine pondere, quæ semel & simul Deus illis indidit posse vendi aut donari. Quod si concessum est his, quarum ipse usum & servitium ipsis quoque inimicis suis relinquit & permittit, videlicet ne sine suis qualitatibus habeantur, quanto magis conceditur illis, quas ad solos sumtus ecclesiæ suæ sanctæ, ac ministris suis sanctis, non solum ab inimicis, sed ab amicis quoque suis laïcis sua sanctificatione secrevit? Procul dubio in hujusmodi schismaticos non absurde dirigi potest illa querimonia Psal. 21. 9. Christi: *Diviserunt sibi vestimenta mea.* Numquid enim & isti tamquam profani milites ob mercedem illusionum, & injuriarum quas Christo pertinaciter ingerunt, ut inimicis ejus placeant, atque inimicos ab eo avertant, non dividunt jugiter vestimenta illius, quandocumque res illi soli devotione fidelium collatas, & sanctificatas ad victum & vestitum suorum membrorum adhuc istic talibus indigentum præsumunt, & sibi dividunt, non ad aliquam sanctificationem sibi, sed ad solam maledictionem, & sempiternam damnationem? Quem insuper felle cibant, & aceto potant, quia pauperibus ejus debitam alimoniam subtrahentes præ fame & siti vitam eorum intolerabili amaritudine replent, quibus & si de sua videntur interdum aliquid impertiri, tamquam clamys coccinea & adhibetur inhonestioribus, ut putatur membris Christi. Neque enim pudori ejus in hoc consulunt, sed suo, dum miserorum calamitatibus, ob id tantum subve-

A niunt, ne inhumani videantur, aut certe importunos sibi non erubescere arguantur.

CAPUT XXVI.

De pœna divisorum, quod Spiritum-sanctum non accipiant, nisi sequaces fidei apostolorum.

HÆc cum ita sint; quod conjunxit homo non separet, quia perniciose hoc faciet secundum quod in Evangelio ipse super divortio conjugum interrogatus prohibet. Ut enim illi cum duo ante conjugium fuerint, jam post conjugium non duo sed una caro sunt, attestante B Domino; vel sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita clericalis ordo, atque ecclesiastica possessio, una est Domini sanctificatio, quam quisquis sæculariter dividit, nil nisi spiritualem interitum efficit, velut si conjugium mœchando, hominem solvat occidendo, quo denique facto, necesse est duos irrites, dum unum divides, Deum scilicet atque maritum si uxorem; nihilominus Deum atque interiorem hominem, si diviseris exteriorem. Sic in Deum & in famulos ejus peccas, dum sanctificatam eorum possessionem à sua sanctificatione sequestras. Quod periculosius facis hic C quam in adulterio, quia illic unum; hic autem multa hominum millia scandalizas. Quod si quis scandalizaverit unum de pusillis Dei, cum mola asinaria collo ejus suspendenda demergendus est in profundum maris; quid putamus meretur qui tot ejus pusillos cum majoribus sua ambitione, & invasione scandalizat? Quo scandalo coujugium Christi & Ecclesiæ suo solvit adulterio, homicidio quoque, & sacrilegio, ubi suo maligno zelo eliminat ab Ecclesia arram divini matrimonii, Spiritum-sanctum scilicet quo sanctificabatur, vivificabatur & ornabatur. Qui sicut replet orbem terrarum, & con-D tinet omnia tamquam conditor, ut subsistere valeant; sic & Ecclesiam, & omnia illius replet ac continet, tamquam sanctificator, ut non solum subsistere; sed insuper sancta esse valeant. Quam sanctificationem, bona voluntas, vel devotio, atque oratio invitat ad sanctificandum quidquid sanctæ Ecclesiæ confertur à fidelibus, qui præcepta Dominica servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia de terra levant, & transferunt per manus pauperum spiritu, quorum est cælorum regnum, & quorum advocator & consolator est Spiritus-sanctus, à quo omnis sanctificatio, immo qui est E ipsa sanctificatio. Ipso totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur. Ipse Vicarius Christi discipulis ejus & fidelibus omnibus ubique patrocinatur, pro corporali præsentia illius. Hunc alium paraclitum dari suis, ut cum eis maneat in æternum. Filius rogavit Patrem. Hunc Spiritum veritatis, quæ Christus est, non potest accipere mundus in maligno positus, hæretici scilicet, Judæi, & increduli atque pagani: alioquin si mundus qui talibus consistit in perfidia permanendo Spiritum veritatis accipere potest; aut Ecclesia nulla est; aut si est, mendacio arguitur veritas, quæ as-

ſerit extra eum non poſſe accipi Spiritum-ſanctum. Si enim hæretici & ceteri perfidi accipere poſſunt Spiritum veritatis, conſtat catholicos aut non accipere, aut nihil ab hæreticis differre, immo hoc ipſum catholicos quod hæreticos eſſe. Sed abſit hæc perfidia ab animis chriſtianis. Veritas quippe inviolabilis ſuæ promiſſionis ſententiam inviolabili ſubſcriptione corroboravit, eidem mox ſubjungens; *Quia non vidit eum, nec ſcit eum.* Proinde cum ſit plus accipere quodlibet quam videre tantum, aut ſcire; conſtat mendacem mundum non accipere Spiritum veritatis, quem nec videre nec ſcire prædicatur; qui ergo nec quod minimum eſt meretur, dubitatur an quod maximum eſt mereatur. Et qui indignus judicatur etiam extrema ſcintilla, dignus eſt cui cedatur tota flamma. Sed eadem veritas ſuos de Spiritu ſuo certificans ſubjunxit: *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* (Joh. 14. 17.) Hinc comprobatur Spiritum-ſanctum à diſcipulis Chriſti cognoſci, & apud eos, & in eis manere in æternum. Quod ſi quis calumniator aſtruere conatur illis tantum, qui ſibi tunc tantum adhærebant, Spiritum-ſanctum à Chriſto repromiſſum; audiat quod dicitur, *ut maneat vobiſcum in æternum.* (Ibid. 16.) Et ne forte adhuc tergiverſetur; recolat quod paulo ſuperius exempli cauſa aſſumſimus, ubi Chriſto rogando Patrem ut ſanctificaret diſcipulos ait; *Non pro his autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint.* (Joh. 17. 20.) Porro ſanctificatio nec datur nec habetur ſine Spiritu-ſancto. Conſtat ergo apoſtolos eorumque ſucceſſores apoſtolica fide corde credentibus, & ore confitentibus Spiritum ſanctum cognoſcere, accipere, & apud eos & in eis manere. Unde ut reliquas peſtes interim prætermittamus, probent Simoniani fidem ſe apoſtolicam & doctrinam ſequendo vendere & emere Spiritum-ſanctum; & ſine controverſia concedatur eis accipere & habere Spiritum-ſanctum, & cui voluerint ſive gratis, ſive non gratis impetrare aut dare. Quod ſi probare non poterunt, ſicut vere non poſſunt, maxime cum ab ipſis primitivæ vel totius Eccleſiæ columnis, Petro apoſtolorum principe, & Johanne dilecto Domini apoſtolo & evangeliſta noverint, nec negare poſſunt auctorem ſuum pro ſola tam nefandi negotii eſtimatione irrecuperabiliter contritum, cognoſcant ſe eſſe de mundo illo qui non poteſt accipere veritatis Spiritum, & reſipiſcentes feſtinent fieri de mundo illo quem eligit Chriſtus de mundo illorum.

CAPUT XXVII.

De Spiritus-ſancti gratia poſt reſurrectionem in diſcipulos & vindicta in Anania.

Hunc ſane Paraclitum miſit Pater in nomine Filii ſui, ut fideles ipſe doceret omnia, & ſuggereret eis omnia quæcumque dixerit eis idem Filius. Hunc ſuum Spiritum quia à Patre procedit, Veritas ſuis miſit, ut illi teſtimonium per eos perhibeat de ipſis, qui nec à Filio ad eos mitteretur, nec veniret ſi ipſe Filius hinc non abiiſſet. Quod eis maxime expediebat, ne carnales remanerent, ſi Chriſtum non niſi ſecundum carnem noſſe curarent. Hinc veniens arguit mundum immundum de peccato incredulitatis, de juſtitia ſuorum & de judicio diaboli foras ejecti. Hic quoque Spiritus veritatis veniens docet Chriſti diſcipulos omnem veritatem, ut per ipſum ſpirituales effecti, diſcant multa, quæ Chriſtus habebat eis dicere; ſed quia adhuc carnales erant, non poterant hunc portare. Nec loquitur ad ſemetipſos, ſed quæcumque audit loquitur, & quæ ventura ſunt annunciat eis. Ille Filium clarificat, qui ante paſſionem ejus non erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. Hic eſt aqua illa viva ad cujus hauſtum ſitientes idem Filius invitat. Hic quoque eſt Spiritus veritatis, qui ante reges & præſides tamquam fidus advocatus loquitur in diſcipulis, ne ſit neceſſe præmeditari qualiter reſpondeant, quibus datur in illa hora quid loquantur. Nec enim ipſi ſunt qui loquuntur, ſed Spiritus-ſanctus. Hic fecit ut apoſtoli teſtes eſſent Chriſti in Jeruſalem, & ab ea quaqua verſum uſque ad ultimum terræ. Ipſe viſibiliter quoque eos inflammavit, omniumque linguarum ſuæ ſeptemplicitatis gratia donavit. Ipſe in apoſtolis idiotis & ſine litteris reſtitit principibus ſacerdotum, & magiſtratibus Judæorum, ut prohibiti loqui conſtanter reſponderent, *Obedire oportet magis Deo quam hominibus, & ſi juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Neque enim poſſumus quæ audivimus & vidimus non loqui,* (Act. 5. 29.) & cæſi gaudentes à conſpectu concilii irent quoniam digni fuerint pro nomine Jesu contumeliam pati. Ipſe illis orantibus locum in quo erant movit, eoſque ut verbum Dei cum fiducia loquerentur replevit. Ipſe ſigna & prodigia multa per manus apoſtolorum fecit. Ipſe cor unum & animam unam multitudini credentium effecit. Ipſe debitæ [a] cœnobitis pecuniæ fraudatores verbo Petri occidit dicentis: *Anania, cur tentavit ſathanas cor tuum mentiri te Spiritui-ſancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* (Act. 5. 3.) *Et utique convenit vobis tentare Spiritum Domini.* (Ibid. 9.) In quibus aperte prædicatur, non hominum, ſed Spiritus-ſancti fuiſſe pecuniam, qua cœnobitæ illi temporaliter ſic ſuſtentabantur, nec quiſquam egens inter illos inveniretur. Cui illi mentiti arguuntur, moxque defunguntur, qui tentabant eumdem Spiritum-ſanctum abalienare ab illa pecunia, quam in ipſo eorum voto ſibi ſanctificaverat ad ſuorum cœnobitarum ſtipendium, & quia aliquid peculiare ſibi clam retinere, & pauperum Chriſti victum, & veſtitum pro parte alia palam exhibita mercari fraudulenter quærebant. Ipſe Simonem magum ore Simonis Petri ſine fine damnavit.

[a] Id eſt viventibus in communi, quales erat primi chriſtiani, quibus, ut ait liber Actuum apoſtolorum, erant omnia communia.

damnavit. Quia gratiam ejus vendi & emi posse æstimavit. In qua irrevocabili sententia considerandum est, quanto venialior fuerit reatus Ananiæ in transitoriæ suæ pecuniæ defraudatione, quam perfidi Magi in sola æstimatione fraudulenti negotii sempiternæ gratiæ. Unde ille tentans Spiritum-sanctum in fraude rei exterioris & visibilis, quam sanctificaverat, sola morte exterioris hominis plectitur; hic autem fraudem interiori & invisibili gratiæ meditatus, interioris hominis morte percellitur. Unde licet uterque in Spiritum-sanctum peccaverit, tamen secundum modum culparum Ananias temporali morte punitus, perpetuam evasisse putatur: Simon autem morte perpetua damnatus, temporalem distulit, quia nec in hoc sæculo nec in futuro remittenda ei erat blasphemia Spiritus-sancti. Ananias ne puncto temporis in carne vivere fuit permissus; quatenus mors illa sibi ad occultum remedium, & viventibus ad manifestum foret exemplum: Simon vero in anima mortuus, aliquamdiu temporaliter vivere permittitur; ad augmentum sibi futurorum tormentorum, & ad exercitationem bonorum, cum tamen contritus & conterendus, de medio hominum sit ablatus. In quorum vindicta hoc animadvertatur necesse est, quia, ut ait B. Prosper, NIHIL EST infelicius felicitate peccantium, quia pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Reservatur enim æterno supplicio, quod temporali nec punitur nec resecatur flagello.

Ananias morte tantum temporali punitus.

CAPUT XXVIII.

Quanta operatus sit vel operetur idem Spiritus in Ecclesia usque in finem sæculi.

AD hæc sic omnipotens Spiritus Petro apostolo post ostensionem cælestis lintei nuntios Cornelii adesse dixit, eumque gentibus baptizandis direxit, quarum primitias sui effusione & omnium linguarum inspiratione etiam ante baptismum mundavit. Hic à gentibus Circumcisionis & Judaïcarum cæremoniarum onus removit, dicente Petro sic: *Visum est Spiritui-sancto & nobis.* Hic Spiritus JESU non permisit apostolos ire Bithiniam vel evangelizare in Asiam. Hic Paulum & Barnabam separari in opus Evangelii jussit. Hic eumdem Paulum in Macedoniam transire præmonuit, quem postea Judæorum vinculis alligandum & Romanis tradendum prædixit. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei & hæredes, cohæredes autem Christi. Per ipsum qui omnia scrutatur etiam profunda Dei revelavit Deus suis quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit. Ipse per Paulum dat virginibus consilium, nuptis quoque & viduis. Ipsum habemus pignus Christi, clamantem in cordibus nostris Abba Pater. In ipso signati sumus in die redemtionis. Quem si quis non habet, Christi non est. Ipse denique Spiritus, attestante eodem Apostolo, adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Ipsum ab ore Christi post resurrectionem apostoli acceperunt, ut remitterent & retinerent peccata hominum. Et quid plura? Ipse catechismi & scrutiniorum, ipsius quoque baptismatis, Missarum quoque & canonicarum horarum leges & solemnia celebrari docuit. Ipse sanctum chrisma instituit, ipse clericorum vel ministrorum diversos gradus & officia in Ecclesia disposuit. Ipse diversarum professionum homines non solum habitaculis & victu, sed & vestitu distinxit. Ipse singulis professionibus rectores gradatim in unum consummandos præposuit. Ipse quicquid famulatui divinitatis competit vel humanæ conversationi honeste & utiliter expedit, dictavit. Ipse quæcumque Ecclesiæ sacramenta hactenus fuerunt, sunt & erunt, præordinavit. Ipse martyrum rosis & confessorum liliis paradisum Ecclesiæ compingit. Ipse denique evangelistarum, & apostolorum, omniumque Orthodoxorum calamos & animos imbuit, vexit, & præduxit, ut quocumque iret ejus impetus, illuc & ipsi graderentur sequentes eum. Ipse Spiritus vitæ est in rotis, in scripturis videlicet canonicis, ut cum sanctis animalibus currentibus eant, & cum stantibus stent, & cum elevatis à terra eleventur, quia verba eorum Spiritus & vita sunt. Ipse eas sic vivificat, ut homines quoque per illas vivificet. Sine quo non solum non prodest quicquam earum littera, sed insuper occidit, ut caro Christi carnaliter intellecta. Ipse quoque decreta apostolicorum virorum, canonesque sanctorum patrum in diversis conciliis ad correptionem & disciplinam ecclesiarum Dei generaliter & specialiter promulgavit, attestante beato Papa Damaso, qui hinc Aurelio Carthaginensi archiepiscopo sic scribit. [a] « Violatores voluntarie « canonum graviter à sanctis patribus judicantur, « & à Sancto-Spiritu, cujus instinctu ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare « Spiritum-sanctum non incongrue videntur, qui « contra eosdem canones, non necessitate compulsi, sed libenter, ut præfixum est, aliquid « aut proterve agunt aut loqui præsumunt, aut « facere volentibus sponte consentiunt. Talis « enim præsumtio manifeste unum genus est « blasphemantium Spiritum-sanctum. Quoniam « ut jam prælibatum est, contra eum agit, cujus nisu & gratia iidem sancti editi sunt canones. Diabolica vero nequitia plerosque subtiliter fallere solet, & ita quorumdam imprudentiam, per similitudinem pietatis sæpissime illudit, ut pro salubribus nocitura persuadeat. Iccirco norma sacrorum canonum qui sunt spiritu Dei conditi, & totius mundi reveren-

Act. 15.28.

[a] Hanc Damasi ad Aurelium Carthaginensem episcopum epistolam esse spuriam & suppostitiam consentiunt omnes eruditi.

» tia consecrati fideliter à nobis scienda & diligenter tractanda est auctoritas; ne quoquomodo sanctorum patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur, sed fidelissime per ea gradientes, cum eis qui eos instinctu condiderunt divino, mercedis gloriam & laboris cumulum eorum meritis auxiliante Domino habere mereamur, » *& cetera.*

CAPUT XXIX.

Sententia S. Augustini de animæ potentia, & retractatio ex ea, & quales sint promoti à laïcis & metropolitani eorum.

CUjus Spiritus sanctificatio an totum corpus Ecclesiæ sanctificet atque regat, si adhuc dubitatur, vel qualiter id agat, si quæratur, ineffabile & supra humanum modum hoc esse sciatur: Unde necesse est pie credatur & intelligatur, ne si impie discutitur, offendatur. Potest tamen anima, quantum creaturæ conceditur, prædicare homini tantum artificem Spiritum, ut ex illa quantulamcumque mente concipiat ineffabilis diffusionis illius conjecturam, qua fiat ei aliquis gradus ad vel tenuiter cogitandum incomprehensibilem Salvatoris potentiam. Anima quippe, ut beatus Augustinus sancto Hieronymo scribens ait: » per totum corpus quod animat non localì diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest: nec minor in minoribus, nec in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter quod fit in corpore totum sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur, quamvis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur; animam tamen totam non latet. Neque id quod sentitur per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur ubi fit. Unde ergo ad totam mox pervenit quod non in toto fit, nisi quia & ibi est tota ubi fit, nec ut tota ubi fit cetera deserit? Vivunt enim & illa ea præsente, ubi nihil tale factum est. Quod si fieret, & utrumque simul fieret, simul utrumque totam pariter non lateret. Proinde & in omnibus simul & in singulis particulis corporis sui tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus corpora diffusa per spatia locorum minoribus suis partibus minora occupare, & amplioribus ampliora. Hæc ita fieri ab anima, cum tanti Doctoris sententia, tum quotidiana experientia constat. Unde quis fidelium dubitare jam poterit Spiritum-sanctum longe ineffabilius sanctificatione sua totam replere Ecclesiam, ut pro qualitate ministrorum & rerum ejus, singula quæ illi connectuntur & debentur sanctificet? Est enim clericalis ordo in Ecclesia præcipuus, tamquam in capite oculi, de quo ait Dominus: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Est & laïcalis potestas tamquam pectus & brachia ad

Aug. epist. 166

Corporis Ecclesiæ præcipuæ partes.

Zach. 2. 8.

A obediendum & defendendum Ecclesiam valida & exerta. Est deinde vulgus tamquam inferiora vel extrema membra ecclesiasticis & sæcularibus potestatibus pariter subditum & pernecessarium. Porro in capillis capitis possessiones Ecclesiæ, in unguibus autem vel reliqui corporis pilis facultates sæculi non incongrue possunt accipi. Quas qui indiscrete vel violenter exteriori homini demit, necesse est graviter offendat interiorem pro injuria dehonestationis vel præsumtionis. Quod non dubitandum est facere Spiritum-sanctum, qui in universitate Ecclesiæ longe præstantius anima

B omnia operatur in omnibus dividens singulis prout vult, & annuntians discipulis multa, quæ ante passionem Christi non poterant portare. Unde sicut recedente anima, mox fœtores & vermes corpus occupant, qui illud cum maxima hominum abominatione & abjectione in pulverem dissolvunt; sic & res Ecclesiasticæ, recedente ab eis sua sanctificatione, mox dæmonum juri cum summa maledictione Dei & sanctorum patrum relictæ dispereunt. Quapropter secundum quod Dominus in Evangelio ait homini divisionem hæreditatis exigenti, *Videte & cavete ab omni avaritia.* Luc. 12. 15

C O vos divisi divisores, & tamdem vel sero individua dividi non posse cognoscite, jamque divisoribus nolite acquiescere, si cupitis animabus vestris & illorum consulere. Nempe sequendo quæ videntur, & spernendo quæ non videntur, calamum vani honoris temporaliter capescitis, nec supremæ beatitudinis aulam, aut extremæ miseriæ post modicum respicitis. Quæ si maxima pars vestrum christiano talia retractaret animo, nequaquam hoc tanto Ecclesiæ jugiter angeretur malo. Sed pro dolor! à laïcis dignitatibus ecclesiasticam dignitatem adepti, cum juxta ca-

D nonicam auctoritatem deberent cum suis auctoribus & fautoribus non solum communione altaris, sed & ingressu ecclesiæ privari, primum locum in ea, & dispensationem sacramentorum Christi omniumque regimen atque dispositionem adipiscuntur, cujus etiam limina contingere prohibentur, ut puta perjuri principibus, quibus in tanta præsumtione infideles aut consentiunt aut insistunt: sacrilegi, fures & latrones Deo, cui sancta sua furantur & violenter diripiunt: homicidæ insuper pauperibus Christi, quorum patrimonia & pecunias fraudant & suis usibus vendicant: excommuni-

E cati Deo & omnibus sanctis ejus præteritis, præsentibus & futuris, quorum disciplinam destruunt & conciliant, quos scandalizare & offendere non curant. Qui vere jam non sunt habendi ut alii intra Ecclesiam indisciplinati Christiani; sed ut vere blasphemantes Spiritum-sanctum hæretici, dum proterve & voluntarie transgrediuntur leges conscriptas & subscriptas Digito Dei: Quorum peccatis communicant procul dubio primates & metropolitani, qui talibus & sine canonica discussione manus imponunt, reclamante Apostolo in epistola ad Timotheum. Taliter nimi-

rum talium principum, sacerdotumque, & fautorum illorum causa quid Ecclesia etiam visibiliter nonnumquam patiatur, aperte indicat Micheas Propheta: *Audite*, inquit, *hæc principes domus Jacob, & judices domus Israël, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant, & super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala. Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum.*

Mich. 3. 9.

CAPUT XXX.

Recapitulatio de depositione hæreticorum & sententia Ezechielis in eos.

HInc jam licet maxima ex parte spicula adversariorum catholicis objecta Domino donante aut repulerim aut decusserim, aut certe retuderim; adhuc tamen in calce libri hujus retundendum arbitror spiculum illud nimio toxico imbutum, quo obstinato impetitur ecclesiastica regula, quatinus si juxta eam consequitur hæreticos deponendos, consequatur quoque juxta assertionem illorum eosdem gratiam ecclesiasticam adeptos, à cujus ascensione ut deponantur sit necesse. Quapropter hinc quoque trutinatores verborum interim patienter interrogo, a quo gradu divinæ gratiæ deponantur, quibus Psalmista sic imprecatur. *Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Quin etiam à quo gradu ecclesiastico deponantur pro quibus Catholica in die Dominicæ Passionis sic precatur, *Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem.* Ecce hic Catholica rogat ut hæretica pravitas ab animabus diabolica fraude deceptis deportetur. Psalmista quoque superius, ut inimici ejus deponantur. In qua utique depositione nullam depositionem ab alicujus gratiæ vel dignitatis excellentia quam prius habuerint intelligere possumus, nisi solam præsumtionem hæreticæ falsitatis, quam sub specie catholicæ veritatis sibi pertinaciter arrogant. Sic & Simoniani seu quilibet hæretici cum deponi jubentur, non ab aliqua ecclesiasticæ ordinationis gratia quam hactenus habeant deponi jubentur; sed etiam ab exteriori facie ecclesiasticorum graduum, qua ad perditionem suam populique Christiani deceptionem per imposturam abutuntur. Quibus maxime aptari potest fabula de asello pelle leonis induto, qui præsumto, seu quod aptius dicitur, simulato leonino vigore, turbabat pavidas per rura oves,

Quomodo hæretici depositi dicantur ab ecclesiastico ministerio.

Psal. 58. 12.

cum nil omnino leoninæ fortitudinis, excepto vano terrore, ex his exuviis vel spoliis sibi vel cuiquam acquirere potuerit. Cui dum rusticus pellem leonis detraxit, nil prorsus leoninæ potentiæ quam ex pelle illa accepisset aut haberet ei detraxit: sed solam quam ex illa hypocrisi contraxerat præsumtionem, sicut eidem asello rusticus dum spoliatum cerneret, dixisse fertur:

Forsitan ignaros imitato murmure fallis:
At mihi, qui quondam, semper asellus eris.

Est quoque aliud quod in illa oratione poscitur, scilicet, ut hæretici & schismatici ad veritatis divinæ redeant unitatem. In cujus quoque præfatione monemur orare pro ipsis, ut Deus ac Dominus noster eos ab erroribus universis ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam revocare dignetur. Unde luce clarius constat in unitate Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ non adesse, ad quam ut revocentur & redeant, ab eadem universali Ecclesia oratur. Ergo Simoniani aut hæretici non sunt, & in Ecclesia sunt, aut certe hæretici sunt, & extra Ecclesiam sunt. Porro si in Ecclesia sunt, Catholici sunt; atque accipere possunt Spiritum-sanctum; sicque jam hæretici nec habendi nec dicendi sunt. Si autem extra Ecclesiam sunt, certe aut hæretici aut pagani sunt, & ideo accipere non possunt Spiritum-sanctum, quia extra Ecclesiam non potest accipi, protestante Domino superius: cujus procul dubio sententiam, cum omnes orthodoxi, tum egregius Prosper secutus ait: "sicut considerandum est "quid & cui voveas; ita etiam considerandum "est ubi voveas: quia veri sacrificii locus extra "Ecclesiam Catholicam non est. Quod versu "quoque declarans subdit:

Norit qui reddit Domino pia vota Tonanti,
Unum divinis cultibus esse locum,
In toto mundo quem vera Ecclesia præbet,
Et sine quo nullum justitiæ est meritum.

In quibus plane prædicatur, nec veram Ecclesiam, nec verum sacrificium, nec veri sacrificii locum, nec divinum cultum convincentur habere, sicut nec alii hæretici. Quid ergo pariter habent? Solam falsitatem cultumque dæmonicum. Sed esto, dicitur apud eos sacrificium, sacerdotium, & cetera catholicorum sacramenta & insignia. Et ô quam multa dicuntur, quæ omnino nil earum rerum quarum vocabulis indicantur in se habere comprobantur! Quod cum superius ubertim monstratum sit, etiam ex verbis Ezechielis prophetæ monstrari poterit, ubi dicit prophetantibus de corde suo: *Væ prophetis insipientibus &c.* usque *& scietis quoniam ego Dominus.* Ezech. 13. 3.

CAPUT XXXI.

De propriis dictionibus in supradicti Prophetæ & beati Gregorii verbis subjunctis.

QUæ Prophetæ verba icciρco istic seriatim inseruimus; quia etiamsi alia deessent, hæc sola confutationi hæreticorum, & præcipue objectionibus Simonianorum sufficerent. Ut enim cetera præmissæ prophetiæ prætermittamus, quod solum inde præsenti operæ est pretium summotenus attingamus, videlicet parietem à populo ædificatum prophetæ liniant absque paleis. Siquidem lateres in nonnullis provinciis & maxime Orientis sic conficiuntur, ut luto paleæ admisceantur, quibus lutea materies colligetur, nec calor postmodum resolvat quod humor conglutinarat. Unde & ipsæ paleæ istic temperatura dicuntur, quia contemperant dissolubile lutum ne resolvatur. Populus ergo sese in parietem ædificat, dum Ecclesia Christi fieri laborat. Sed à pseudoprophetis, hæreticis scilicet, quia luto visibilium sacramentorum sine temperatura invisibilis gratiæ linitur, casurus est. Qui profecto paries, non esse paries dicitur, & litura non litura, & prophetæ non prophetæ, & vivificatæ animæ non viventes, & mortificatæ non morientes. Ubi etiam illorum pœna prædicitur, qui cor justi, quem Deus non contristavit, contristant; & manus impii ne revertatur à via sua mala & vivat, confortant. Quod autem res visibilium sacramentorum, quæ apud hæreticos christianismi inveniuntur, non solum detrimenta, sed & stercora sint, ex verbis Apostoli ad Philippenses ostendatur, ubi sacrificia & cæremonias quæ apud hæreticos Judaïsmi post Passionem Christi observabantur, quanti prius fecerit, quantive impræsentiarum faciat, prædicat dicens: *Secundum justitiam quæ in Lege est, conoversatus sum sine querela: Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen & existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam* JESU CHRISTI *Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Dominus quoque per Malachiam Judaïcum sacerdotium reprobans ait: *Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.* Quod beatus Hieronymus exponens subdit. Quia ad » sacerdotes loquitur. Projiciam, inquit, in fa» cies vestras ea quæ sanctiora putatis in lege, » & vobis à Deo pro virtutum munere ex hos» tiis condonata. Armum enim, id est brachium, » & pectusculum, & linguam, & ventriculum, » & ea, quæ in Levitico describuntur, accipie» bant ex hostiis sacerdotes. Quæ omnia pro » peccatis eorum se abjicere, & in facies sacer» dotum mittere contestatur; ut scilicet tales » sint qui offerunt talia, qualia & illa quæ of» feruntur. Et assumet vos, inquit, secum, id » est stercus sollemnitatum vestrarum, ut fœtentes facies putrida stercoris commixtione " turbentur. Ad hæc ex verbis quoque beati " Gregorii, cujus improprias dictiones pro propriis defensores Simonianorum accipiunt; ostenditur quam multa improprie dicantur. Ait enim in tractatu Evangelii Theophaniæ: Omnia elementa auctorem suum venisse testata " sunt. Ut enim de eis quiddam usu humano " loquar; Deum hunc cæli esse cognoverunt, " quia stellam protinus miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit. " Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia " tempore mortis ejus scissa sunt. Infernus cognovit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit. Et tamen hunc quem Deum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum esse minime cognoscunt; & duriora saxis, scindi ad pœnitentiam nolunt, eumque confiteri abnegant, " quem elementa, ut diximus, aut signis, aut " scissionibus Deum clamant. Itaque Simoniani eorumque obstinati defensores necesse est fateantur beatum Gregorium istic improprie locutum. Alioquin si attendunt proprie locutum, necesse est profiteantur eum fuisse Manichæum, qui insensibiles res, non solum animam vitalem, sed sensualem habere crediderit & prædicaverit. Quod si profiteri timent, necesse est nobiscum confiteantur tandem nec cælos, nec mare, nec terram, nec solem, nec saxa, nec parietes, nec infernum cognovisse aut clamasse suum auctorem; nec fecisse in obsequium ejus omnia illa quæ prædicantur fecisse: sed repentina & inusitata immutatione vel concussione sui cognitum ab hominibus & prædicatum cata tropon metonomian, per quem id quod fit solet indicari illo quo fit; velut homo dicitur pulvis, & cælum aër. Hoc nihilominus tropo Deus cognovisse quid dicitur, cum efficit ut ab hominibus id cognoscatur. Hoc spiritualem gratiam vel columbam vendi beatus Gregorius fatetur, cum vendi putatur. Siquidem, ut ipse asserit, usu humano locutus, sicut insensibilia sensisse, sic & invendibilia vendi est concionatus.

Phil. 3. 6.

Malach. 2. 3.

CAPUT XXXII.

De criminosis catholicis promotis vel post lapsis, & de ministerio, & de depositione eorum.

ITaque his & aliis quam pluribus argumentis constat Simonianos nil ecclesiasticæ dignitatis obtinuisse, quamvis eorum defensores impudenter persuadere laborent honorem in eis acceptum perdurare, nisi Romanæ & apostolicæ sedis antistes, aut metropolitani eorum comprovinciales episcopi eos synodaliter dejiciant. Quomodo enim in eis perdurare potest quod nullatenus acceptum est? Quod vero subjungunt, hoc etiam de cunctis criminibus considerandum est, ut si presbyter adulterium fecerit deponatur, noverint hoc longe haben-

Ordinationes Simoniacorum nullæ.

dum & agendum. Denique in tantum hæretici differunt à catholicis; ut quantumlibet criminosus catholicus acceptior sit Deo & tolerabilior hominibus, quam quantumlibet justus, si dici potest, hæreticus. Unde catholicus etiam criminosus quicquid boni facit vel habet, procuidubio bonum est merito fidei, sine qua non est. Porro hæreticus etiamsi habeatur justus, quicquid boni facere vel habere videatur, proculdubio malum est merito perfidiæ suæ, cum qua quicquid facit peccatum est. Quod superius tot testimoniis constat monstratum, ut hic non sit inde diutius dicendum. Aut enim ignoratis, aut dissimulatis B seu neglectis humanæ fragilitatis criminibus vel peccatis nonnumquam sacerdotii dignitas conceditur indignis; quorum promotione aut necessitati vel utilitati proximorum in Catholica pro tempore consulitur vel voluntati obsecundatur. Quibus quia fidei catholicæ sunt, credendum est dum promoventur à catholicis conferri Spiritum-sanctum, quem habent, etsi non ad suam, tamen ad aliorum salutem perficiendam. Et adest ergo eis Spiritus-sanctus ministrantibus, & abest transgredientibus. Adest enim ministerio quod fidei eorum à fidelibus creditum recognoscit: abest iniquitati eorum, quam non cognoscit. Dignatur C adesse in sacramentis suis sibi obsequentibus, & dedignatur adesse in pravitate morum sibi resistentibus. Itaque quantulacumque fide cordis eorum Spiritus-sanctus invitatus ministerio oris & manuum eorum sanctificandis ad suorum salutem rebus infunditur, sed perfidia scelerum offensus ad condemnationem sceleratorum provocatur. Qui quoniam ministri sunt & scelerati, ministerium eorum suscipit, scelera despicit & punit: sic ministris præsens ut sit sceleratis absens. Quibus sane aptari potest sententia illa Prophetæ qua Domino di- D

Spiritus-sanctus ministris malis in Ecclesia adest & abest.

Jer. 12. 2. cit: *Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum.* Siquidem Spiritus-sanctus in cordibus talium ministrorum fidei, cujus est auctor, præsidens, secundùm Deum postulat pro sanctis & impetrat quicquid secundum Deum expedit eis. Quod revera metonomicos dicitur agere: quia postulare facit & impetrare, cum ipse cum Patre & Filio postuletur, & donet etiam per ministerium criminosis; sed tamen catholicis à catholicis impositum, ut necessitati vel utilitati catholicorum pro tempore & loco consulatur. Quos nimirum ministros, etsi plurima mala accusant, nonnulla tamen E bona excusant, fides scilicet, quæ pro modulo suo spei & caritatis capax est, tum necessitas & utilitas, devotio quoque seu petitio Ecclesiæ, deinde gratuita ordinatio ab illis qui gratuito eam accepere. Quibus si deest vitæ innocentia secundum canonicam disciplinam, adest tamen obedientia, vel sola promotio ad ministerium ecclesiasticum sine aliqua venalitate secundum datam ab ipso Domino JESU CHRISTO regulam, qua utique firmatur ex parte una, etiam si infirmatur ex altera. Quæ dominica regula si abesset, nil gratiæ quis

A quamlibet aliàs innocens dare & accipere posset. Liquet ergo hac sola regula etiam pravos ad aliquid dirigi, dum ei consentiunt, & sine illa etiam non parum rectos depravari, dum ab ea dissentiunt. Quapropter in ministris modo quo dictum est promotis, vel post promotionem in aliquod crimen lapsis acceptus honor perdurat, quamdiu eorum culpas Ecclesia aut ignorat aut dissimulat, & propter utilitatem aliorum, sub spe pœnitudinis talium tolerat. Talium depositio, quamdiu ab illis quorum interest qualibet occasione differtur, officium quo jam indigni sunt adimplere permittuntur; totumque quod ab eis interim fit pro ministerio prius sibi commisso, vel postea permisso, sanctum habetur. Quod quamvis ipsis ad pœnam, aliis tamen proficit ad vitam. Tales verè deponuntur cum deponuntur, quia etsi non merito, officio tamen veram promotionem habuisse noscuntur. Nec cum eis deponuntur aut damnantur quotquot ab eis ante suam depositionem canonicè promoventur, aut quæque ab eis catholice administrantur.

CAPUT XXXIII.

De qualibuscumque promotis à Simonianis, & repulsione objectionis adversariorum.

Sed non sic impii Simoniani, non sic, quorum depositio non est habiti honoris privatio, sed simulatæ vel æstimatæ promotionis detectio vel confutatio. Quos cum multa sint quæ accusent, nulla sunt quæ excusent. Neque enim in eorum, ut putatur, ordinatione necessitati aut utilitati Ecclesiæ consulitur, nec devotioni aut petitioni acquiescitur, sed soli avaritiæ utrimque providetur. Nec attenditur fides catholica aut doctrina apostolica, sed perfidia hæretica & ambitio Simoniana, nec aliqua vitæ innocentia, sed sola pecunia. Unde etiam quod non nisi gratis dari & accipi potest, vendere & emere student. Cui ergo in talibus ordinationibus consulitur, nisi avaritiæ duorum? Neque enim prior eorum prius aut pro Deo aut pro proximo manum admovet aut os aperit, quàm alter manum marsupio admoverit, aut os promissioni aperuerit. Et qua fronte astruitur quantumlibet justos homines vel gratis posse accipere aliquid gratiæ à talibus, quibus nil fidei Christianæ, sed totum perfidiæ dæmonicæ cooperatum fuisse aut cooperari dinoscitur? Qui etsi videantur interdum aliquos gratis promovere, constat eos non gratis id agere; sed aut obsequium eorum, aut aliorum favorem sæculariter tantum requirere. Quæ duo si palam absunt, datur tamen conjici eos in gratuita, ut putatur, promotione nobilium aut religiosarum personarum, sibi clam aucupari favorem seu auctoritatem eorum: ut jam ab eis promoti sint suæ promotionis securiores, & promovendi ad emendum promtiores; ipsi-

Depositio Simoniacorum simulatæ promotionis detectio.

que ad vendendum audaciores. Sic aut præsens negotium ab illis exercetur, aut ex præsenti præteritum confirmatur, aut certe futurum invitatur. A quibus omnibus munerum speciebus licet excutiendæ sint manus ecclesiasticorum; tamen ante omnia à pecunia, quæ nominatim ab apostolo Petro reprobata, & ipso Simone Mago fuit damnata. Præterea non putatur absurdum istic quoque obviatum ire alii argumentationi vaniloquiorum. Aiunt enim:

OBJECTIO.

Lex imperatorum sancit, ut si quis hoc vel illud fecerit, capite plectatur. Evenit autem ut aliquis sæcularis crimen illud committat, pro quo lege data capite plecti debeat. Quod donec judex cujus interest perficere differt, aut misericordia aut negligentia, numquid interim non vivit? Numquid non caput, quod juste debet amittere, portat? Numquid tandem, si postea genuerit filium, filius pro paterno crimine sanguinis reus erit? Non plane. Quoniam ille qui crimen commisit, solus supplicii sententiam sustinebit.

REPULSIO.

Quæ sane argumentatio pro nobis facere comprobatur, non contra nos pro cephalis videlicet, hoc est capitatis, non autem pro acephalis. Quia verò gratis à catholicis promoti, licet ante aut post promotionem suam inveniantur criminosi, non sine capite sint, paulo superius ostenditur satis, simulque quod ante illorum depositionem promoti ab eis non pereant pro eis. Quamobrem constat præmissa argumentatione nil defensionis provisum acephalis, nec eorum filiis, quia caput, id est officium ecclesiasticum nec habent nec habuerunt quo privari possint. Superflua enim lex esse convincitur, qua quis privari eo quod non habet sancitur. Tale est enim ac si dicatur: si quis decollatus hoc vel illud fecerit, capite privetur. Nimirum decollatus est omnis hæreticus, hæresi sua à capite Ecclesiæ Christo abscissus: & quotquot deinceps ab eis promoveri videntur. Unde & mortui à mortuis nascuntur, ac per hoc nil nisi morticinum ab eis quisquam consequitur. quibus quid auferatur in sua depositione, præmonstratum est abunde.

CAPUT XXXIV.

Argumenta ex mundanis legibus contra promoventes vel promotos Simoniacos.

ITaque suo ipsorum judicio constat actionem horum defensorum infirmatam. Neque enim agitur cum illo, quem defendendum suscepit, sed contra illum. Nam dum laborant probare acephalos caput sibi habere atque gestare seu jure decollatos generare posse, superfluam argumentationem ex acephalis quod caput portent & generent antequam de-

A collentur concepere, & post longam parturitionem abortientes de suæ iniquitatis vulva projecere. Unde explosa hac, ut vere frivola, à conjunctis causæ & consimilibus sumantur argumenta. Ager est aliquis qui judice corrupto à pecunia, favore illius & iniqua sententia obtinet aliena prædia. Hunc si postea justus judex detectum inde ejiciat, & priori domino vel ejus heredibus, sua, ut justum est, cedant, numquid sortes aliquibus donatas, aut venditas, seu titulos vel ministeria & jura ab invasore ibidem præstita legitimus possessor conservat, & non potius sibi suisque consulens ex

B inde exterminat? Alioquin si hæc ob reverentiam vel gratiam invasoris prætermittit, quasi ille juste ibidem aliquid disposuerit, sua ignavia jus suum sibi infirmat & alienat, atque adversario suo confirmat & revocat. Hoc sane argumento injustæ acquisitionis justæque amissionis seu justæ recuperationis potest doceri quid à Simonianis vendatur, quid ematur, quid gratis sive non gratis ab illis promotis conferatur; quid in aliena possessione vel sibi vel aliis proficue disponatur & agatur. Siquidem quamvis invasor profiteatur, attestante sibi iniquo judice, se justitiam suam accepisse,

C habuisse, & aliis donasse aut vendidisse, vel postea sibi ablatam injuste; tamen constat nec eum nec quoslibet per eum aliquando aliquid præter solam injustitiam & detrimentum suum in hujusmodi fundis acquisisse. A quibus dum pœna legum & multiplicata restitutione præsumtarum rerum multati, pariter tam factores quam fautores ejiciuntur; non justitia quam nullam in eis habuerunt, sed sola injustitia quam incurrerunt, privantur. Denique judex crimine perjurii & falsitatis per pœnitentiam exuendus dejicitur: invasores verò lepra falsitatis quoque & rapinæ haud secus

D absterguntur: sin alias usque ad novissimum quadrantem æternaliter reddetur quod hic temporaliter contrahitur. Testis enim falsus non erit impunitus. ET NEMO diu gaudet qui iniquo judice vincit. Amplius. Nonne si quis rem quamlibet furatus deprehenditur, in quadruplum eam, testante Salomone, reddet, & omnem substantiam domus suæ tradet? Si autem quis furtivum scienter comparaverit, & pretium datum perdidit, & nihilominus tenetur noxa & pœna furis. Qui verò nescienter pretium quoque datum perdit & mercem emtam sine nota furis restituet. Si tamen jure-

E jurando arguentibus comprobaverit se nescisse furto sublatam ubi comparavit, alioquin si vel sibi violenter retinere contenderit, aut super furto se excusare distulerit, noxam furis cum nota & pœna subibit. Quod necesse est eum passurum, qui vel gratis acceperit à fure furtivum. Qua de re colligatur, quia si sine infamia damno & pœna non evadit, quisquis à fure quolibet furtivum acquisierit, quandocumque apud eum repertum fuerit: multo magis illi qui à furibus Simonianis aut scientes aut nescientes pretio vel dono columbam Dei furatam, ut videtur, acquirunt, & tanto

magis, quanto majora & cariora sunt divina humanis. Ergo aut probetur Simonianos, sicut & alios hæreticos non esse fures & latrones; aut concedatur nil ab eis acceptum vel accipi posse sine infamia, damno & pœna, quæ certe nequeant declinari sine satisfactione legali. Quod si adhuc minus compertum habetur, an Simoniani sint fures & latrones; diligenter attendatur & fideliter credatur, quia si hæretici sunt, procul dubio fures & latrones sunt: si autem catholici, aut pastores erunt aut mercenarii. Sed ne huic ambiguo diutius hæreatur, Pastor summè bonus speciatim illud resolvens audiatur. Siquidem suo B sermone velut indice pastores mercenarios, fures & latrones, oves & lupos singillatim demonstrat. Et pastores quidem indicans ait: *Qui intrat per ostium, pastor est ovium: huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: & bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Mercenarios deinde ostendens, inquit, *Mercenarius, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovi-* C *bus.* Porro fures & latrones demonstrans ait: *Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Et omnes quotquot venerunt,* subauditur non per ostium, *fures fuerunt & latrones. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet & perdat.* Oves quoque specialiter designans ait: *Oves pastorem suum sequuntur, quia sciunt vocem ejus: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum, nec audiunt fures & latrones.* Jam lupos exprimens ait: *Lupus rapit & dispergit oves.*

Simoniaci sunt fures.

Joh. 10. 2.

Joh. 10. 12.

Joh. 10. 1.

Joh. 10. 4.

CAPUT XXXV.

Replicatio sententiæ Domini de bonis pastoribus & mercenariis.

QUæ verba Domini quamvis ad plenam dinoscentiam bonorum & malorum sufficiant, tamen propter aliquos tardiusculos breviter replicanda putamus. Et primum de pastoribus bonis hoc tantum insinuamus, quia membra sunt ipsius summi Pastoris, in quo uno velut capite omnes consummati per illum sunt, sub illo, cum illo unus pastor unius ovilis. Hii plane sive sint episcopi, sive reliqui rectores Ecclesiæ & ministri, tamquam filii & vernaculi magni Patrisfamilias, oves ejus non sibi ipsis pascunt, sed illi, non quærentes sua, sed illius lucra, simplici victu & vestitu contenti, quem Paterfamilias ex lacte & lanis ovium suarum eis constituit. Decimas enim & primitias, oblationesque fidelium, atque debitæ subjectionis reverentiam ad hoc tantum exigunt, ut pascere oves sic sufficiant, ne in via media & nuditate deficiant. Hii ante A oves vadunt, easque cognoscunt, & cognoscuntur ab eis. Hii ovibus pascua salubria & vitalia provident, & pro tempore nunc blandiuntur, nunc minantur. Hii pecus pingue & forte diligenter custodiunt, infirmum & debile seu fractum sanare, recreare & consolidare sollerter insistunt. Hii baculis & clamoribus validis lupos arcent ab ovibus, dum potestatibus aëreis seu terrenis suam vigilantiam pro earum defensione opponunt, ne aut diabolus spiritualiter tentando, aut quilibet raptor sæcularis carnaliter persequendo diripiat eas & dispergat. Unde nonnumquam resistendo talibus, gravia pericula constanter subeunt, & proprii corporis morte devotas animas pro ovibus alacriter ponunt. Quo maxime indicio cognoscuntur boni pastoris esse, quia non fugiunt videntes lupum venire. Tales nimirum intrant in ovile per ostium Christum, gratis electi & promoti ad hoc ministerium, gratis & sincere vocibus & moribus evangelizantes Christum. Neque enim accipiunt temporalia stipendia ab ovibus, quia evangelizant, sed ut evangelizare sufficiant: nec ut temporaliter ditescant aut nitescant; sed ut suæ temporali necessitati ad ovium Christi perpetuam salutem consulant. Quibus nil obstat in patria quod sumtus sumsere in via, quia non quæsivere ex illis sacculos temporales sibi implere, sed temporaliter fratribus in Christo vivere, sic sibi debitis hic usi sumtibus, ut illic plenis utantur mercedibus. Diximus de paucissimis electis: dicamus de plurimis ad pastoralitatis ministerium vocatis. Et primum de nomine mercenarii dicatur. Mercenarius à mercede & anno compositum nomen est, eo quod mercede annua conductus; procurat causam vel pascit oves sui conductoris. Quas quamvis pascat, pastor tamen non esse prædicatur à Do- D mino, quia oves non sunt ejus propriæ. Neque enim salutem earum & augmentum quærit in eis tamquam in propriis, sed mercedem suam tantum ex eis tamquam ex alienis. Quod veniens lupus manifestat; quia mox visus mercenarium fugat; qui non fugeret, si oves suæ essent, vel si ipse pastor esset. Sed quia mercenarius est, fugit: neque enim ad eum pertinet de ovibus, quarum nec vitam, nec bonam valetudinem, sed solam pastionis mercedem lucratum iri quærit. Quæ utique quia ad eum pertinet, & non oves, non liberat eas, aut cum aliquo periculo suo defendit à periculis in- E gruentibus, sed se tantum pactæ mercedi, cujus occasione oves pascebat, reservat. Quarum sicut incolumitatem ante pactam mercedem non quæsivit, sic nec post persolutam quærit. Quæ si pariter pereant, etiam quando pascuntur, non curat; tantum ipse sua mercede non careat. Est tamen necessarius patri familias, oves ejus ad pascua ducendo & reducendo, sed inutilis lupos fugiendo.

Boni pastores quales sint.

Mercenarius unde dictus.



CAPUT XXXVI.

De mercede mercenariorum & promotione eorum.

Mercenarii in Ecclesia qui.

TAles procul dubio sunt omnes, qui sub nomine pastoris super cathedram pastoralem sedentes, Ecclesiam Christi regunt, & sua tantum, non Christi quærunt. Et quæ sunt sua? Primi recubitus in cœnis, & primæ cathedræ in synagogis, & salutationes in choro, & vocari ab hominibus Rabbi. Deinde lana & lac ovium; omnes videlicet reditus fidelium populorum, quos in usum suum & lucrum convertunt, quos suæ luxuriæ & avaritiæ studio tam violenti exigunt, ut nonnumquam ab ovibus non solum lac & lanam, sed insuper sanguinem cum eis eliciant & extorqueant, dum tyrannico dominio tenues quod non habent reddere cogunt. Qui nullis spiculis se pro ovibus opponunt; sed nec mutiunt, si in aliquo se lædi posse à lupis sentiunt, vel si lana vel lacte aliquamdiu fraudari ab ovibus male sanis metuunt, dum curari refugiunt. Qui tamen non culpantur, quod hæc ad non sibi delegata juste accipiunt; sed quod tantum horum datum & usum, non fructum amant & requirunt, nec nisi propter hæc oves pascunt, quæ in tantum pastoribus debentur, ut mala fiant non reddentibus, etiam si bona non sint accipientibus, ubi hæc sola exiguntur. Qui quia Christum catholica predicatione prædicant, per ostium quidem in ovile ovium ad oves, educturi & reducturi eas intrant: sed quia servi & non filii sunt, non manent in domo in æternum. Neque enim dicendi sunt aliunde descendisse, aut extra Ecclesiam, oves scilicet Ecclesiam pascere, nec venisse ut furentur & mactent & perdant; sed ad hoc tantum ab aliis invitati, ut mercedem suam accepturi custodiant & pascant. Quod quia plus caritate temporalis mercedis quam sempiternæ agunt; non pastores, sed mercenarii sunt: quia non contenti convictu & vestitu tamquam domestici patrisfamilias, annuas sibi mercedes expetunt, quibus privatos sacculos distendant, ne forte remoti aliquando ab ovium cura, quæ non sunt ipsorum, vacui remaneant. Talibus, quia totum quod quæritur ex ovibus recipiunt in via, dicetur in patria: *Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram.* Isti sane non sunt de paucis illis qui salvantur, quia non contendunt nunc intrare per angustam; sed de multis, qui postea quærunt intrare, & non poterunt. Cum enim, ut Lucas testatur, intraverit paterfamilias & clauserit ostium, & incipient foris stare, & pulsare ostium dicentes: Domine aperi nobis, respondens dicet illis, Nescio vos unde sitis. Tunc incipient dicere: Manducavimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti, vel sicut Matthæus ait: *In nomine tuo prophetavimus, & in tuo nomine demonia ejecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus. Et tunc confitebitur illis, quia numquam novi vos. Discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Qui tamen mercenarii quamdiu præesse fidelibus permittuntur, necessarii sunt: quia sacramenta ecclesiastica & fidem catholicam occasione suæ mercedis dispensant & prædicant. Unde & toleratur eorum prava vita, & honoratur officium quo providentur plebibus necessaria. Quorum promotioni ut consentiretur, quia communis necessitas & non privata cupiditas mediastina fuit; non dubitandum à multis fidelibus saluti suæ pro temporis necessitate consulentibus, concessum sit quod Dominus duobus consentientibus concedendum repromittit dicens: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis à Patre meo.* Unde necessitate imperante præsens aut præterita eorum actio non disquiritur, sed soli ministerio & prædicationi fidei Christianæ in talibus consulitur. Quorum etiam post promotionem qualiscumque conversatio nonnumquam ab Ecclesia toleratur, nisi forte à fide ab illis devietur. Ut enim sæcularium mercenarii non ex culpis, quibus sibi tantum nocent, examinantur; sed ex sollicitudine & utilitate qua ovibus possunt prodesse; sic & mernarii Ecclesiæ. Et sicut illi si deprehenduntur fures fuisse, non assumuntur; vel si assumti furari cœperint, abjiciuntur; sic & isti, si ante vel post suam promotionem hæresi languere noscuntur. Et sicut illi quæruntur & ad ministerium quodlibet invitantur spe sæcularis mercedis; sic & illi spe ecclesiasticæ stipis.

Matth. 6. 2 — Matth. 7. 22. — Mercenarii in Ecclesia necessarii. — Matth. 18. 19.

CAPUT XXXVII.

De eo quod Catholici nullum pro crimine promoveant, & Simoniani pro solo crimine omnem.

NEc super hoc isti dant aut permittunt suis ordinatoribus aliquod pretium; sed magis accipiunt instar mercenariorum sæculi; qui nisi mercedis quæ convenerit fuerint securi, nulli se obligabunt servituti. Alioquin ex alienis rebus furtum meditati arguuntur, quod oblata pretia sub obtentu alienæ utilitatis sibi aucupantur. Sive ergo illi, sive isti, necessario & non superfluo precario & non pretio utilitati aliorum acciuntur & conciliantur. Unde sive criminosi, sive innoxii habeantur, gratis necesse est regendis præficiantur. Quod apud Simoniacos non fieri, nemo est qui nesciat: quibus sive criminosis sive innoxiis nec necessitas nec devotio populorum, sed sola pecunia commendat. Neque enim solent aut vere possunt à se promovendis dicere: Accede ut promovearis, quia necessarius vel complacitus es Ecclesiæ; sed quia dedisti aut daturus es nobis solidos centum vel quotlibet. Numquid adhuc auditum est dictum à quantumlibet sceleratis catholicis cuilibet promovendo: Accede ut promovearis, quia adulterium perjurium & his similia fecisti? Absit. Sed quid? Necessarius es ministerio, & complacitus Ecclesiæ. Nec promovendus

dus dicit: Da mihi gradum ecclesiasticum, quia fornicator aut sacrilegus sum; sed quia volo meum Ecclesiæ Dei præbere obsequium, ut ex illa merear stipendium debitum. Denique instar principis dæmoniorum suos satellites promoventis, & coronantis, ut legitur, ob deceptionem suam quâ in crimina præcipitant bonos, Simoniani quoque promovent complices suos. Quorum etiam impudentia tanta est, ut suum reatum palam sic omnibus prædicent, venditori dicentes: Dedimus tibi pretium; da nobis quæsitum gradum, aut redde acceptum pretium. Constat ergo secundum beati Gregorii sententiam apud Simonianos remunerari vitia, scilicet radicem omnium malorum avaritiam atque hæreticam perfidiam: quæ tanto graviora sunt fornicatione vel adulterio, quantò gravius est aliquem peccare in Deum, quàm in corpus suum aut in virum alium. A quibus profecto Simonianis laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur. Quod absit, ut à catholicis qualibuslibet agatur, etiam cum criminosi ab eis promoventur.

Simoniaci remunerant vitia.

CAPUT XXXVIII.

In quo audiendi sint mercenarii, & in quo non.

Mercenariis impendenda obedientia.

Hinc jam ab ipso Pastore oves discant in quo etiam mercenarios audire debeant. De illis siquidem in Evangelio ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Ecce quantam obedientiam vult impendi mercenariis malis Pastor summe bonus; ut dicta eorum non solum servet populus in mente, sed etiam compleat opere. Mox in quo non sint attendendi subjungit: *Secundum opera eorum nolite facere.* Quare hoc Domine? Nonne præcepisti tuis omnia quæ dixerint servare & facere? Adjecit: *Dicunt enim & non faciunt.* Ac si diceret: attendite quia dicunt, & nolite attendere quia non faciunt quod dicunt. Ubi breviter præmonuit doctrinam oris & ministerium eorum quod à Deo acceperunt ad aliorum salutem honorandum & suscipiendum; & carnalia eorum opera, quæ à maligno habent, ad suam tantum perditionem cavendam. Sive secundum opera mercenariorum non faciant oves, ne sicut illi dicunt & non faciunt, sic & ipsæ ab eis audiant & non faciant, quia illos attendunt dicere & non facere. Quorum opera qua intentione fiant, Dominus manifestat dicens: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Ubi summatim ostendit nil eos nisi ut hominibus innotescant & placeant, ex prædicatione vel ex ministerio suo quærere. Deinde quæ ipsorum opera dicat, aperit sic: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Dilatant enim philacteria sua & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis & primas cathedras in synagogis, & salutationes in*

Matth. 23. 2.

Sed non sunt imitandi.

Matth. 23. 4.

A *foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Quibus Redemtoris nostri verbis non reprehenduntur, quod onera mandatorum Dei imponunt hominibus: hoc enim officium eorum esse dinoscitur: sed quod importabilia, & quod ea vel minima sua operatione non alleviant. Nec quia philacteria habent & fimbrias; sed quia illa dilatant, istas verò magnificant: nec quia primi velut magistri recumbunt aut sedent, seu salutantur, vel Rabbi vocantur, sed quia hæc tantum ab eis amantur. Et tamen licet ministri Christi tales sint, ut nil Christi, sed tantum sæculi quærant in ministerio B Christi quod administrant; vult tamen Christus, ut sua illis fideliter reddantur, hoc est audiantur, honorentur, decimis & oblationibus fidelium remunerentur. Qui ergo tam pravi sunt in conspectu hominum, in conspectu Dei putas quales sunt? Et tamen eos Deus & clam & palam malos sive ficte bonos tolerat, & mercede quam quærunt non fraudat. Quia enim ministri Christi sunt, sed non bene præsunt, simplici honore, præsenti scilicet, digni habendi sunt. Nam qui bene præsunt presbyteri, ut ait Apostolus, *duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Dicit enim scriptura: *Non infrenabis os bovi trituranti.* Et *Dignus est operarius mercede sua.* Cujus Apostoli sententia de mercenariis si requiritur quæ sit, epistola ejus ad Philippenses sic ostendit: *Quidam quidem propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex caritate, scientes quoniam in defensione Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, D sed & gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proveniet in salutem.* Ex qua nimirum tanti doctoris sententia quantum mercenarii sint necessarii edocemur: de quibus etiam non sincere prædicantibus Christum sic lætatur, ut sive invidia, sive occasione prædicetur, se gaudere & gavisurum tantus Apostolus testetur, dummodo Christus annuntietur. Et quis ignorat quantum crimen sit invidia? Ecce si vel per ipsam velut per contentionem & derogationem bonorum Christus prædicatur, gaudet Apostolus. Quanta deinde imperfectio occasionem prædicationis arripere pro solius corporis commodo? Et tamen gaudet nihilomi- E nus de hujusmodi prædicatione Apostolus. Ergo nec propter bonam prædicationem & ministerium assumantur mala opera, nec propter mala opera contemnantur sanctæ prædicationis & ministerii bona. Unde necesse est, si carpatur pendens de sepe botrus vitis, ut caveatur spina sepis.

1. Tim. 5. 17.

Ibid. 18.

Luc 10. 7.

Phil. 1. 15.



CAPUT XXXIX.

De malis scienter vel nescienter promotis, & de ministerio eorum sententia Paschasii.

HOs enim ut Dominus in Ecclesia sua usque in finem sæculi monstraret futuros, & à magistris Ecclesiæ aliquando ut aut promoveantur aut ministrent dissimulandos, Judam sacrilegum furem promovere voluit ad gradum apostolicum, quamvis ab initio sciret quid esset in homine. Sic sancti apostoli à tot B millibus sanctorum cœnobitarum electum Nicolaum Epicuri de grege porcum promovere ad diaconatum nescienter ut sic dicatur. In quibus duobus evidenter præfigurabatur alios sciri, alios nesciri, dum in Ecclesia promoventur, quorum tamen officium aut pro seipsis approbatur, pro aliis interim toleratur. Qui quicquid in sacramentis divinis pro officio sibi credito interim agunt, sanctum est totum: sicut Judas ante proditionis conventionem, & Nicolaus ante suæ abominabilis sectæ adinventionem. Quod etiam ex libello Paschasii de Corpore Domini approbatur, ubi sic legitur: C Licet reus sit sacerdos &c. munus suæ largitatis. De qua præfati viri sententia, ne forte restruatur nobis calumnia, quia dicitur hic in fine per ministerium criminosorum dari Spiritum-sanctum, quamvis ipsi eum non habeant, quod interposuit in capite attendant, ubi sic hyppothetice ait. Nihil minus habet hoc mysterium à quovis indigno, si tamen apostolicæ propaginis institutione consecratio exhibeatur: quia non ex eo, sed ex ejus officio à summo Pontifice gratia quam ipsa Veritas repromisit, impletur. Unde liquet eos habere Spiritum-sanctum ministerio quod apostolicæ progaginis D institutione accepere, nec tamen sibi ipsis habere. Habent enim ad ministrandum aliis bona, nec habent ad declinandum sibi mala. Habent deinde ad bene credendum, nec habent ad bene vivendum, sicut superius constat abunde monstratum, & quod ministerium hæreticorum non sit Christi, neque enim acceptum est institutione apostolicæ propaginis.

CAPUT XL.

De furibus Simoniacis, & qualiter ovile intrent. E

Furum indicium. HInc quia dictum est de mercenariis intra Ecclesiam, dicatur & de furibus extra Ecclesiam. Quorum hoc est maximum & primum indicium, quod non intrant per ostium, sed aliunde ascendunt. Pro qua utique transgressione & præsumtione fures & latrones à Domino sic pronuntiantur, ut præmissum Joh. 10. 1. etiam juramentum ob hoc legatur: *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Quod si & absque juramento dixisset, quis A nisi mendax & antichristus ipsi Veritati & Christo loquenti non crederet? Sed cum juramento iccirco curavit profiteri quod volebat sollicitius audiri & firmius retineri. Et juxta litteram itaque verum est proverbium Veritatis, & nihilominus verum est juxta intentionem dicentis. Fures siquidem & latrones apud homines sunt qui non intrant in ovile per ostium, sed aliunde ascendunt, & nihilominus fures & latrones sunt apud Deum qui non intrant in Ecclesiam per Christum, qui est, sicut prædicat, Ecclesiæ ostium; sed aliunde ascendunt. Hi proculdubio sunt omnes hæretici, Judæi & pagani. Ipsi enim pariter non intrant in Ecclesiam per Christum, quem negant in carne venisse. Si quæritur quomodo omnes hæretici negent Christum in carne venisse, quem nonnulli eorum confitentur in carne venisse, sententia sancti Augustini in tertio hujus opusculi libro relegatur inde. Nunc videatur quomodo ascendunt aliunde. Nimirum aliunde ascendunt, verbi gratiâ Arriani, qui sic personarum trinitatem discernunt, ut substantiæ quoque divinæ unitatem dividant. Aliunde Sabelliani, qui sic unitatem divinæ substantiæ prædicant; ut trinitatem quoque personarum confundant. Longum est, & supra ingenii nostri vires singulatim reliquarum hæreseon pestes revolvere. Unde prætermissis aliis, Simoniani, quos noster pugio specialius impetit, quomodo aliunde ascendant monstremus. Nimirum & ipsi contemto ostio Christo, & ostiario ipsius Spiritu-sancto, aliunde ascendunt, Simoniaci sunt vere fures. dum sua pecunia, velut scalis & machinis dominicum parietem, unanimem scilicet populi Dei consensum & soliditatem expugnaturi adoriuntur; & eum aut reptando transiliunt, aut subigendo, vel certe impingendo irrumpunt. Neque enim legem Ostii dicentis: *Gratis accepistis, gratis date*, reverentur, nec beneplacitum Ostiarii præstolantur; sed præcipti prioratus cupidine acti, pariete transcenso vel suffosso aut rupto, oves pessimi furum & latronum invadunt. Matth. 10. 8. Et quidem transcenditur ab illis paries ovilis Dei, cum sæcularibus postetatibus abusi, prævalent temporaliter ovibus dominari: Suffoditur autem, ubi ecclesiasticas personas, fundamento Ecclesiæ cohærentes extrahunt & sibi attrahunt. Rumpitur deinde, ubi mediocres & laïcas personas à caritate Christi dissociant, & sibi consociant. A quibus & tectum scinditur, ubi præpositos Ecclesiæ integritate sui officii depopulantur. Sive ergo reptando, sive suffodiendo, sive irrumpendo in ovile irruant, patet profecto quia aliunde quam per ostium ascendunt. Denique aut sæculares potestates pretio expugnant, aut inferioris ordinis ecclesiasticas personas, aut earum præpositos, aut certe mediocris potentiæ laicos. Minoribus enim populis velut invalidioribus ovibus ad munimentum sui opponuntur hii quatuor ordines, ut sæculares sint eis murus contra incursus visibiles, & Ecclesiastici tectum contra invisibiles. Constat ergo Simonianos latrones ut prævaleant oves

mactare & perdere intrinsecus obtinuisse per alieos qui defensores adhibiti sunt extrinsecus. Unde nec ipsi sine ultione evadunt, ubi velut imbrices, aut lapides ædificio subtracti, jam super faciem terræ neglecti & inutiles jacent extra Christi ædificium. Sed & ipsi parietes & tectum perniciose videntur stare, aut superesse, fugato inde ostiario, & extinctis ovibus, quæ relinquuntur, solitudini & ruinæ, bestiis quoque & immundis avibus.

CAPUT XLI.

Qualiter Simoniani imitentur sæculi fures, & quæ sit eorum vox, quam non audiunt oves.

HInc consideretur quam maxime congruat latrocinio Simonianorum quod solet fieri nonnumquam à sæculi latronibus. Nempe violenter ovile ingressi, prius ostiarium aggrediuntur, eumque nec mora suffocant aut alligant, ut securius oves sibi abigant & perdant. Quod nefas quotidiano experimento constat fieri à Simonianis, & tanto nequius, quanto divina potiora sunt humanis. Equidem ipsi ut plebes dici possint libere devorare & perdere, Spiritum-sanctum in eis prius extinguere, aut vinctum sibi contendunt mancipare. Nonne videntur eum alligatum trahere, cum ejus gratiam confidunt se posse cui voluerint tamquam captivam vendere? Nonne velut à se extinctum negligunt, ubi sua perfidia in ovibus quas vivificabat illum extingunt. Extingui enim dicitur Spiritus-sanctus, cum fides, quæ utique donum est, cuique ipse præsidet, accessu perfidiæ extinguitur. Unde & Apostolus monet sic: *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere.* Extinguunt plane Spiritum-sanctum fures isti in ovibus, ubi communione vel consensu impietatis offensum recedere ab eis & fugere compellunt: quo extincto, omnes jam prophetias, hoc est sanctas scripturas aspernantur. Qua enim reverentia jam suscipient aliorum sententias, qui etiam ipsius magni Prophetæ & Domini prophetarum decretalem sententiam, qua institutioni sacramentorum suorum subscribens ait: *Gratis accepistis, gratis date,* tam pertinaciter conculcant? Tales etsi videntur intra Ecclesiam esse, quia nimirum & fures cum furantur, videntur intra ovile. Qui utique minus condemnarentur, si extra furarentur. Nonne Judæi & pagani aliquando videntur intra materiales Ecclesiæ parietes? Et tamen quales intrant, tales exeunt; immo pejores sunt intus ex præsumtione sua & sacramentorum injuria aliorumque contaminatione. Quæ enim pars fideli cum infideli? qui tamen quamdiu intus videntur, numquid pro Christianis habentur? Sic proculdubio Simoniani dum videntur intra Ecclesiam, tunc magis reprobandi & fures habendi sunt. Qui denique tunc credendi sunt fures & latrones non esse, ubi probabitur eos per ostium intrasse in ovile, nec aliunde ascendisse. Sin alias, nec ipsis exceptis, nec quibuslibet hæreticis, omnes, testante Domino, quotquot præter ostium venerunt, fures sunt

Spiritus-sanctus quomodo extinguitur.

1. Tim. 5. 19.

Matth. 10. 8.

A & latrones. Qui ne forte putarentur in aliquo utiles, sicut mercenarii, subjunctum est: *Fur non venit nisi ut furetur & mactet & perdat.* Joh. 10. 10. Ubi sunt ergo qui prædicant bonis quod à malis Simonianis acceperunt bonum non solum nil obesse, sed etiam prodesse, Domino reclamante non venire fures nisi ad furari, mactare & perdere? Unde qui hæc sola in se habent, & ad hæc sola veniunt, quod bonum dare saltem bono cuilibet possunt, nisi forte resipiscentes se prius mutaverint, & bonum quod aliis dare possunt acceperint? Quorum ne dicam factum, sed ipsa quoque vox eorum B in tantum funesta est, ut si eam audierint, non possent non mori oves. Denique ubi eam audierint, desinunt esse oves Christi, ipso protestante quia non audierunt eos oves. Patet ergo tales jam non boni Pastoris oves, quæ audierunt fures. Et quid sunt? Raptæ, mactatæ à furibus & perditæ, & idcirco nil aliud jam quàm latronum victimæ. Quibus malis misere non succumberent, si eorum voces non audissent. Quamvis enim latrones irrumpere aliquando ad oves prævaleant, non tamen possunt furari, mactare aut perdere eas, nisi prius illos audiant: nec efficiunt fures quod C tentant, quamdiu oves eis auditum suum non accommodant. Quas enim neces Simoniani prævalerent catholicis inferre, si præmoniti à bono Pastore suo Christo, refugerent eos tamquam pastores audire, suumque favorem & consensum talibus furibus præbere? Quamobrem multiplicatio & audacia furum & latronum maxime provenit ex misera patientia ovium, quæ justo Dei judicio pereunt, quia duobus indiciis velut totidem testibus præventæ & edoctæ, fures cavere aut neglexere aut contemsere. Equidem duo indicia, quibus fures cognoscerent, suis bonus pastor proposuit ovi D bus: ut si forte unum sine conscientia eorum & voluntate contingeret, alterum devitarent. Et prius indicium furum & latronum proponitur ex introitu in ovile, si non fit per ostium, sed aliunde. Alterum autem ex incognita ovibus voce, quam hinc necesse est quæ sit breviter inculcemus, quia de perverso introitu sufficienter inculcatum putatur. Sicut vox, verbi gratiâ, Arrianorum est Filium minorem Patre asserere, ipso Filio reclamante: *Ego & Pater unum sumus*; Joh. 10. 31. sic nihilominus Simonianorum vox est: Spiritum-sanctum venalem ha-E bere, reclamante eodem cujus spiritus est, Christo, *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10. 8. Quam vocem Christi si cognoscunt & sciunt ejus oves, necesse est Pastorem suum sequantur & non furem, qui proculdubio alienus est: quem ideo non sequuntur oves, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum, quorum os loquitur vanitatem & dextera eorum dextera iniquitatis. Unde nemo se palpet, nemo sibi ad excusandas excusationes in peccatis tamquam folia ficulneæ suis pudendis aptet. Quicumque audit vocem Simonianorum dicentium: Non do tibi baptismum, non do tibi Corporis & Sanguinis Christi sacramentum, non do tibi

Fures ovibus nocere non possunt, nisi voces eorum audiant.

Fures duobus indiciis cognoscuntur.

Spiritum-sanctum, non do tibi quemlibet gradum ecclesiasticum, nec facio consecrationes ecclesiarum, vel quascumque alias administrationes divinorum sacramentorum, nisi dederis mihi pretium; proculdubio non est ovis Christi, contra cujus vocem, vocem alienorum audit & cognoscit. Quamobrem alienum proculdubio jam sequitur, nisi Christum, à quo jam non cognoscitur, etiam si ei cujus vocem cognoscere desiit, clamare audiatur, Domine, Domine. Cujus vocem si retinuisset, ab alieno incognitam sibi vocem edenti, quantocius fugeret.

CAPUT XLII.

Quanta vigilantia oves furibus debeant obsistere ingressis ovile.

ITaque si oves nequeunt Simonianis furibus ovile irrumpentibus obsistere, obsistant saltem ingressis in hoc quod solum possunt, scilicet ne velint aut cogantur eos sic audire, ut velut pastorem sequantur, aut certe velut mercenarium audiant tales: sed ut dictum est, quod solum valent, fugiant ab eis, devitantes eorum communionem, officia, & officinas congregatas de sanguinibus ovium, quas mactant & perdunt. Quibuslibet ergo terroribus hominum vel damnis corporum suorum vel facultatum, oves Christi obsessæ vel oppressæ, satagant ante omnia animarum suarum læsionem, ne à latronibus vivæ absorbeantur, effugere: nec timeant eos qui occidunt corpus, nec animam possunt occidere, sed eum qui utrumque potest in gehennam ignis inextinguibilis perdere. Considerent vero quia si inexcusabiles erunt, quotquot in fine mundi sub maximo defectu Christianæ fidei antichristum sequentur seducti, non solum signis & prodigiis magnis, sed & tormentis omnimodæ persecutionis coacti; multo magis inexcusabiles sunt qui nunc in maxima gloria Christiani nominis fures & latrones blandimentis & terroribus seducti sequuntur. Ut enim illis prædictum est pseudoprophetas & pseudochristos surrecturos, sic & istis fures & latrones venturos, & in ovile intraturos, Domino sic in apostolis præmonente suos: *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes quia ego sum, & multos seducent. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, & ecce illic, nolite credere, nolite ire, neque sectemini. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire, Ecce in penetralibus, nolite credere. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Vos ergo videte: ecce prædixi omnia.* Quasi diceret: In vobis est jam seduci & non seduci, ac per hoc inexcusabiles eritis, si cavere neglexeritis aut contemseritis, quia prædixi omnia vobis. Siquidem præmonstravi regnum Dei ubi sit, catholica scilicet Ecclesia, id est intra vos, qui apostolicam fidem & doctrinam corde & ore conservatis & retinetis. Unde ubi hæc naufragabitur aut corrumpetur, Christus,

Matth. 14. 4.

A nec regnum ejus ibi esse credatur, etiam si desertum aut penetrale dicatur & videatur. O quot & quam eremitæ tempore Arrianorum dicebant in suo deserto Christum esse, cùm Arriana infecti peste antichristum haberent apud se! O quot & quanti qui putabantur tunc ecclesiastici, concrepabant & conclamabant Christum in suis penetralibus esse, cum nihilominus antichristum celarent apud se. Qualis fuit Eusebius Cæsariensis acerrimus propugnator Arrii, beato Hieronymo profitente: qualis fuit Didymus, & Eutiches, & alii quamplurimi tam ex urbibus, quàm & ex solitudinibus. Quod ergo de præfata hæresi, hoc
B & de aliis dictum putetur. Quod si præmissa Domini verba quis consideret, fures & latrones evidentioribus periochis secundum Johannem expressos quàm pseudoprophetas & pseudochristos secundum alios evangelistas inveniet: quamvis eosdem isti pseudoprophetas vel pseudochristos vocitent, quos ille fures & latrones. Quorum cum nullam alii evangelistæ prædixerint dinoscentiam, nisi quod signa & prodigia magna darent, quod utique non solum incautos ab errore subducit, sed etiam cautos in errorem inducit. Johannes tamen ex introitu & voce illorum om-
C nibus eos velut digito præmonstravit: ne quoquomodo quispiam se de ignorantia suæ perditionis deinceps excusare possit, si audire & sequi fures sibi designatos non timuerit. Denique si liberum de introitu ejus, qui eas recturus est aliquando aufertur ab ovibus judicium; possunt tamen non audire vocem alienorum, & non sequi, sed fugere alienum. Quod si etiam veri pastoris habitu quempiam insignitum viderint, non prius eum audire & sequi audeant, quam ex ipsius introitu & voce pastor an latro sit rescicsant, eique cum Jesu Nave curiositate laudabili dicant: *Noster*
D *es, an adversariorum?* Josue 5. 13.

CAPUT XLIII.

De differentia mercenariorum & furum, & quod hæretici non sint à catholicis tolerandi sicut male viventes catholici.

HInc jam ex procedentibus satis liquet quantum fures & latrones à mercenariis distent. Siquidem mercenarii in omnibus quæ dixerint sunt audiendi, Domino sic præci-
E piente pro eis: *Omnia quæcumque dixerint vobis servate & facite*; fures autem & latrones nec audiri permittuntur, quia mox ut audiuntur, peritur. Et mercenarii quidem tales sunt, ut Apostolus quoque de illorum prædicatione gaudeat: fures autem & latrones tales sunt, ut eos idem Apostolus adulterantes verbum Dei, & inimicos crucis Christi flens dicat. Mercenarii quoque quamvis quærunt sua, non Christi, non tamen quærunt sibi alia quam quæ debentur & jubentur reddi pascentibus oves Christi, videlicet decimas, debitasque

Mercenarii in quo differant à furibus.

reverentias, quas requirendo non delinquunt, A quia quæ Dei sunt, Deo reddi quærunt. Delinquunt autem hæc sola sibi quærendo, quia hæc sola sua esse dicunt, qui tamen dum propter hæc oves pascuæ Dei ad tempus pascunt, Deo etiam quæ Dei sunt in hac parte reddunt. Nam quod decimæ & ceteræ fidelium oblationes Domino tantum debeantur & reddantur, & quod qualibuscumque ministris ejus ad temporale stipendium sint deputatæ divinitus, sic super Malachiam beatus edisserit Hieronymus. Quis est, inquam, in vobis, ô sacerdotes, qui claudat ostium & incendat altare meum gratuitò? Nullus enim in vobis est B usque ad extremum ministrorum, non dico sacerdos & ceteri; sed ne janitor quidem, & qui ignem supponit altari ad cremanda holocausta, qui non à me mercedem accipiat laboris sui. Hoc autem dicit, decimas significans omnium frugum quæ offeruntur à populis, quas profecto dum latrones exigunt, non sua requirunt. Quippe quibus nullum pro ministerio divino quo penitus carent debetur stipendium, sed solum pro suo latrocinio, patibulum vel extremum supplicium. Qui tamen, proh dolor! multotiens accipiunt non solum quod Christi ministris reperiunt deputatum, C sed insuper quod interdictum: cum ad nil aliud veniant & valeant, nisi ut furentur & mactent & perdant. Et quis sanum sapiens, censet hujusmodi fures & latrones à catholicis tolerandos, quos Dominus censet sic fugiendos, ut testetur non esse oves, quæ vel audierint illos? Et qua fronte prædicat quis ministerium horum tolerandum & recipiendum, donec synodaliter deponantur; totumque quod eorum ministerio interim fit in ovili, bonum esse & sanctum, qui solum furandi, mactandi, & perdendi habent ministerium? Si ergo bonum & sanctum est oves Christi fu- D rari, mactare & perdere, sufferantur fures & latrones, qui nil aliud norunt nec possunt facere Domino protestante; cui si quis audet contradicere, asserens fures & latrones aliquid aliud boni nosse aut posse facere; disceptare etiam, & in judicio contendere cum Domino audeat, & si potest, eum mentitum arguat. Si autem nemo Christianorum hoc audet, concedat necesse est, hujusmodi fures & latrones non nisi malum sibi & aliis facere. Quapropter cur putantur Simoniani multotiens & pene quotidie synodaliter deponendi, qui ab initio semel, simul & inretractabiliter ab apo- E stolorum principibus fuere depositi, sicut & postea ab orthodoxis & catholicis patribus alii in ipso ortu suo hæretici? siquidem quotiens quoque mala arbor radicitus evellitur, incassum creduntur rami ejus vivere aut victuri, nisi & ipsi evellantur, cum in suæ matris evulsione & ipsi evulsi computentur. Sic & cujuslibet hæretici depositio tamquam abscissio non est in singulis personis ceu in singulis ramis requirenda, si auctorem hæreseos velut malæ arboris radicem penitus evulsum constat: quod catholicis quamvis male viventibus

Fures numquam tolerandi.

certum est non contingere, quorum radix, Ecclesia scilicet catholica non eradicatur aliquando, etiam cum nonnulli ramorum ejus pro suæ sterilitatis aut incompositionis amputantur vitio. Qui quamdiu à sua matre arbore portantur, aut meliorantur, aut ad umbram hominum vel ad repausationem avium habentur. Sic & mali bonæ Catholicæ ministri quamvis male vivant sibi, tamen donec differuntur depositum iri, aut contingit eos meliorari, aut certe aliquibus interim conferri nonnihil commodi. Ex quibus datur animadverti catholicorum male viventium depositionem pro tempore & re plerumque differri, & interdum fieri; hæreticorum autem nec pro tempore nec re aliquamdiu differri, sed mox ut innotuerint fieri. Unde super male viventibus Christi ministris catholica plebs debet catholicorum expectare synodum, nec abjicere, donec eos abjiciat comministrorum vel magistrorum suorum arbitrium, juxta quod docet Salomon: *Oculi*, inquiens, *tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Solet nempe evenire, ut quod imperfectis videtur intolerabile, perfectis videatur tolerabile, & è contrario perfectis habeatur intolerabile quod imperfectis tolerabile. Quo ambiguo ne forte fallatur, aut scandalizetur Ecclesia, patienter expectandum est & sapienter, donec synodalis illud discernat & determinet sententia. Quam qui censet expectandam & in hæreticis post concilia semel habita de illis, nescio an catholicus vere dici posset; nam cuicumque quælibet hæresis in Ecclesia videtur tolerabilis, haud dubie ab catholica fide naufragavit aut excidit.

Mali catholici aliquando tolerandi, numquam hæretici.

Prov. 4. 25.

CAPUT XLIV.

Exemplis propositis ostenditur hæreticos nec ad horam à catholicis antiquis toleratos, & mercenarios toleratos.

NUmquid tempore Arrianorum seu aliorum hæreticorum sicubi catholicis hæreticus quilibet datus est episcopus, ministerium ejus toleravere, aut sanctum habuere catholici, quousque synodalier deponeretur? Quod non fuisse aliquando toleratum à catholicis cum ex multis clareat historiis; tum ex Tripertita, quæ narrat pueros pilam lusoriam flammis expiasse, quia vel in pedes aselli quo hæreticus illius tunc civitatis episcopus vectabatur, casu excurrisset. Cujus quoque balneas sic exhorruisse feruntur catholici, quod non solum cum illo, sed & sine illo ibi lavari recusassent, priusquam etiam loca ipsa recentibus lymphis expiassent. Quem catholicorum zelum bonum catholicis omnibus ad imitationem propositum, ne quis putet in pace & in aliqua temporali Christianitatis potentia demonstratum; noverit tempore Arrianorum imperatorum & principum hoc factum, à quibus propter hoc ipsa civitas data fuit gladio, & tru-

cidata maxima pars civium. Qui quanta alacritate ad mortem pro fidei catholicæ confessione properaverunt, quodque carnifices prius defecerunt jugulando, quam devoti cives sese jugulantibus offerendo & ingerendo, quisquis enucleatius nosse desiderat, præfatam historiam revolvat. Ibi enim non tantum hæc, sed & alia quamplurima ludibria, verbera, pericula & damna catholicos ab hæreticis perpessos inveniet. Post quæ mala, quis enumerare sufficiet quanta constantia crudelioribus omni bestia Guandalis in Africa catholica restiterit Ecclesia, etiam sub innumeris & exquisitis suppliciis diutius vivere compulsa, vixque serò mori permissa. Unde væ prosperitatibus catholicorum nostri temporis, quibus christiana fides sine aliqua, aut vix cum aliqua sui suarumque rerum jactura subducitur & extorquetur sub principibus Christianissimis, quàm antecessoribus nostris nec subducere nec extorquere indicibiles adversitates valuere etiam sub tyrannis sacrilegis. Quamdiu ergo hæretici sufferantur, vel qualiter deponantur, & Dominus prius constituit, ubi nec audiendos ab ovibus, sed fugiendos innotuit; & Deiloquus Paulus deinde factis & dictis approbavit. Qui quamvis mercenarios etiam contentiosos, contumaces, avaros, cupidos & invidos sic sufferat, ut de prædicatione quoque eorum se gaudere & gavisurum asserat; fures tamen & latrones, hæreticos videlicet homines post unam & secundam correptionem devitandos insinuat. Quod & se fecisse evidenter ostendit, ubi Alexandrum, Ymeneum & Philetum dicentes resurrectionem jam factam sathanæ tradidit, ut discerent non blasphemare. Beatus quoque Augustinus in tractatu Evangelii Johannis adstruens mercenarios in aliquo esse necessarios & utiles, licet in multis culpabiles, concessivo modo inquit: « Habeat ovile Domini præpositos & filios & mercenarios. Præpositi autem qui filii sunt, pastores sunt. Præpositi autem sua quærentes non Jesu Christi, mercenarii sunt. Idem in subsequentibus. Nostis jam in nomine Domini qui sit pastor bonus, & quemadmodum pastores boni membra sint ejus, & ideo sit unus pastor bonus. Nostis quis sit mercenarius ferendus, qui lupus & fures & latrones cavendi, quæ sint oves; quod sit ostium qua & oves ingrediuntur & Pastor; quomodo sit intelligendus ostiarius. Nostis etiam quando quisque non per ostium intraverit, fur est & latro, nec venit nisi ut furetur & occidat & perdat. » Ecce tantus doctor licet dixerit mercenarium ferendum, & habeat Ecclesia mercenarios præpositos, numquid alicubi invenitur dixisse fures & latrones ferendos, & habeat Ecclesia eos præpositos? In cujus tractatu diligentius inveniet designatos mercenarios fures & latrones & cetera, quisquis hîc sibi inde non satisfactum autumat.

CAPUT XLV.

De eo quod sanctus Gregorius adhuc diaconus Euticium devitavit, & quod sanctus Hieronymus non expectandum in eis publicum judicium asserit.

Hic desinit codex mutilus, scriptus auctoris ætate & optimæ notæ, in quo desunt VIII. *capitula, in indice initio libri hujus præfixo notata.*





FRAGMENTUM DISPUTATIONIS ADVERSUS GRÆCOS

Ex ms. codice Floriacensis monasterii.

ADMONITIO PRÆVIA.



SEQUENS Disputationis adversus Græcos Fragmentum suppeditavit nobis codex Floriacensis ab annis circiter sexcentis manu exaratus. Quis autem fuerit illius auctor necdum rescire potuimus, cum Disputationis initium & finis in manuscripto desiderentur. De tempore tamen quo vixerit aut scripserit ille, certo aliquid definire possumus. Neque enim ante tempora Michaëlis Cærularii Patriachæ Constantinopolitani, qui sopitum adversus Latinos schisma non sine furore suscitavit, scriptum composuit suum, sed neque ante Leonem Acridanum episcopum aut Nicetam abbatem Studensem acerrimos Latinorum hostes, quos in diptychis sacris à Græcis conscriptos esse improbat; verum ante finem sæculi XI. *opus suum in lucem emisisse duo mihi persuadent. Unum repeto ex antiquitate codicis Floriacensis, cujus caracter ad annos sexcentos accedere videtur, alterum ex eo quod auctor Græcos non obscure arguat, quod intinctam Eucharistiam porrigant communicantibus, contra morem ecclesiæ Latinæ.* Sed, *inquit*, seorsum Corpus & seorsum Sanguinem sumimus, nec intinctum panem datum cuiquam nisi Judæ traditori cognovimus. *Nam licet ex decreto concilii Turonensis, quod refert Burchardus lib.* 5. *cap.* 9. Sacra oblatio intincta debet esse in Sanguine Christi, ut veraciter presbyter possit dicere infirmo; Corpus & Sanguis Domini tibi proficiat; *huic tamen decreto derogabat canon* I. *concilii* 3. *Bracarensis vetantis* Eucharistiam vino madidam pro complemento communionis porrigere. *Quæ prohibitio vim habuit legis apud Latinos ad usque sæculum* XII. *cujus initio Eucharistia passim intincta tribui incœpit, ut discimus ex epistola Ernulfi Roffensis episcopi ad Lambertum, ubi hunc ritum* nova consuetudine, *ut ait, introductum multis rationibus tueri conatur. Cui favet etiam Ivo Carnotensis in Tractatu de divinis officiis. Hinc patet Disputationem contra Græcos cujus hic Fragmentum exhibemus, scriptam fuisse ab eo tempore quo Michaël Cærularius schisma conflavit in Ecclesia, quod totis viribus tueri conatus est Nicetas Pectoratus, hoc est ab anno circiter* 1050. *ad* 1100. *Tunc Humbertus Cardinalis & Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, duo ordinis nostri luminaria Græcorum commenta suis scriptis validè confutarunt; nec mihi dubium est quin etiam alii eamdem in se provinciam susceperint, quorum utinam lucubrationes haberemus : Sed ne omnino pereant, saltem vel fragmentum exhibeamus.*



Fragmentum disputationis contra Græcos.

VOs fidem illorum ignorare dicetis. Numquid orthodoxis patribus ignorantia vestra præjudicat? Numquid non magis vos culpa negligentiæ damnat? quod si sanctos patres fidem illam non habuisse contenditis, & libros eorum falsatos asseritis, & in hoc quoque recipiendi nullatenus estis: quoniam causationes hujusmodi nullis assertionibus probare potestis. In nulla namque synodo tale sacrilegium nostris opponitur, quod tamen vestros fecisse synodus VI. testatur. Sed ad rem veniamus, & videamus quid etiam in sanctam scripturam, & in ipsam catholicam fidem peccetis. Cum enim Spiritus-sanctus plenus & perfectus sit Deus, & æqualis per omnia Patri & Filio; quod dicitur Spiritus Patris, & quod Pater eum dat & mittit & effundit, vel si quid hujusmodi legitur, nullam servitutem vel minorationem significat. Neque enim Pater vel Deus ejus est, vel Dominus ejus est, quia major non est. Majus enim vel minus in Deo non est. Qui enim minor est, perfectus Deus non est, qui vero perfectus non est, nec omnino Deus est; quia Deus perfectus est. Spiritus autem sanctus ideo Deus est, quia de Deo est. Nihil enim de Deo est, nisi quod Deus est, qui ob hoc solum Spiritus Patris est, quia de Patre est: quia si de eo non esset, nullatenus Spiritus ejus esset; & sicut Filius essentiam habet à Patre nascendo, ita Spiritus procedendo Processio namque significat essentiam Spiritus-sancti. Nihil enim in simplici ejus natura aliud aliquid est, quam quod est. Igitur sive Spiritus-sanctus procedens à Patre dicatur, sive missus à Patre, sive datus, sive effusus, sive Spiritus Patris, unum est, & unum significat, id est essentiam Spiritus, quia nihil in simplici natura diversum est. Quod ergo Spiritus Patris est, essentia ejus est. Quod à Patre proceditur, quod datur, quod mittitur, quod effunditur, essentia ejus est; & nihil habet à Patre, nisi quod est. Quicquid enim est Deus est, nec aliam naturam habet, ut Filius, in qua aliud habeat, quam quod Deus est. Spiritus est Patris ut Deus, procedit ut Deus, datur ut Deus, mittitur ut Deus, effunditur ut Deus, quia totus est Deus. Unum est cum Patre, quia de Patre est. Consubstantialis est illi, procedit ab eo, mittitur ab eo, datur ab eo, effunditur ab eo, quia de eo est, & nihil in eo est, nisi quod est. Similiter quod Spiritus Filii dicitur, quod ab eo datur, mittitur, effunditur, insufflatur, spiratur, profertur, exit, accipit ab eo quod adnuntiat, eamdem processionem, id est, eamdem essentiam ejus puram insinuat. Non enim est aliter Spiritus Filii, & aliter Patris, nec aliter dat eum Filius, aut mittit, aut effundit, aut spirat, quàm Pater; nec aliter procedit à Patre, quàm profertur & exit à Filio; nec aliter accipit à Filio quod adnuntiat, quàm à Patre.

Asseritur Spiritus-sancti divinitas & processio.

A Non diversas essentias habet simplex Divinitatis natura, nec aliquid habet à Patre vel Filio, nisi quod est. Accidens enim in Deo non est. Semper enim est, quod est. Et sicut Pater semper generat, & Filius semper gignitur, & nihil est Pater vel Filius quod semper non sit; sic Spiritus-sanctus semper procedit, semper mittitur, semper datur, semper effunditur, semper spiratur, semper profertur, semper insufflatur, semper exit, semper accipit quod adnuntiat, semper est Spiritus Patris & Filii. Et sicut quod Filius generatur, quod nascitur, quod mittitur in forma Dei, quod B prodit ex ore Altissimi, quod exit à Patre, unam essentiam ejus significat, quam habet à Patre; sic omnia quæ de Spiritu-sancto dicuntur, unam & eamdem ejus demonstrant essentiam, quam habet à Patre & Filio: non enim aliud & aliud significant in eo diversæ prolationes in quo nihil est, nisi quod est. Sed sive processio, sive missio, sive quodlibet aliud, quod habet à Patre & Filio, puram, simplicem, unam & eamdem solamque significat essentiam, quam habet à Patre & Filio. Si enim diversa significat, aut diversas essentias habebit simplex natura; aut aliquid erit in Deo C præter illud quod est, quod Catholica non recipit fides. Item cùm Spiritus-sanctus unum cum Patre sit, & consubstantialis illi, pro eo quod ab eo est, id est procedit; idem Spiritus consubstantialis Filio non est, sicut Patri nec unum cum Filio sicut cum Patre quia non est, nec procedit ab eo, quod catholica fides non recipit, quia non aliter & aliter, sed uno & individuo modo unum est Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Item si Spiritus-sanctus non procedit à Filio, quomodo sicut VII. synodus habet, procedit per ipsum? Quid est enim per domum procedere, nisi de domo procedere? Aut qualiter D exit à Filio Spiritus, si non procedit ab eo? Quid est enim exire, nisi procedere? vel quomodo spiratur, insufflatur, & effunditur, profertur ab eo, si non procedit ab eo? Numquid aliter Spiritus Patris est & aliter Filii, ut hujus sit Spiritus procedendo, hujus verò nequaquàm? Quomodo non procedit qui spiratur, qui mittitur, qui datur, qui effunditur, qui profertur, qui insufflatur, qui Spiritus est ejus, qui exit ab eo, & accipit quod adnuntiat? Quid enim Deus de Deo potest accipere nisi quod est? Numquid indigens Deus est & minoratus est in aliquo, ut potentior Deus ejus E indigentiam suppleat aut formam servi suscepit, in qua quod non habet, accipiat? si sic sapias, malè sapias; contra Deum sapitis, contra fidem sapitis. Postremo si quæ de Spiritu-sancto dicuntur, non essentiam ejus quam habet à Patre & Filio, sed aliquid propter quod accipitis minorem eum Patre & Filio, cum Pnemathomatico Macedonio facitis.

Arguimus

Arguuntur Græci quod Corpori Christi in Azymo consecrato dicant anathema.

ARguimus quod sacrificio Dei detrahitis, & adversus Dominum linguas, ut serpentes, acuitis, ita ut quidam ex vobis in Archierarchicâ dignitate corpori Christi anathema dixerint; & ad terram cum exprobrationinibus multis projecerint & super sanguinem redemtionis nostræ pedibus immundis calcaverint. Quod horrendum facinus ipsum diabolum debuit deterrere. Minus enim peccaverunt Judæi manus impias in JESUM mittentes, & dæmones impellentes, & milites crucifigentes. Per ignorantiam enim fecerunt; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent: vos autem & vidistis & odistis, & secundùm prophetam odio Dominum gratis habuistis. Sed esto, luat corpus Domini, quod cùm panis esset, azymus fuit; sanguis ejus quid meruit ut effunderetur & calcaretur, cui nondum auctoritas vestra condemnationis sententiam dedit?

Sed forsitan non consensistis. Cur igitur MICHAELEM patriarcham inter sacra missarum sollempnia commemoratis? Cur LEONEM Acridanum episcopum & NICETAM abbatem de Studio de diptychis sacris non deletis? Cur adhuc in sacrificio nostro dominico sanguini non communicatis? Sed ex contactu corporis sanguis fortasse polluitur: Legitur enim; quod immundum tetigerit, inmundum efficitur. Sed nos seorsum corpus, & seorsum sanguinem sumimus, nec intinctum panem datum cuiquam nisi Judæ traditori cognoscimus. De Corpore quoque Christi quanta sententiam vestram absurdita sequantur, videte. Si enim Corpus Domini creditis quod ex azymo pane conficitur, cur non recipitur? cur non ut dominicum adoratur? cur ne fiat interdicitur? cur injuriis lacessitur? cur imperfectum & inanimatum vocatur? cur cum sacrificatoribus suis ab ecclesiis pellitur? cur & fermentum præponitur? cur cultores ejus à communione suspenditis? cur azymitas vocatis? Numquid habuit duo corpora Christus? unum perfectum, aliud imperfectum: unum animatum, aliud inanimatum; unum azymum, aliud fermentatum; unum significans, & aliud significatum? Quis hæc de Corpore Christi cogitare præsumit, nisi qui Christum nec reveretur, nec credit; nisi qui manifestè blasphemat, nisi qui Christum sciens & prudens impugnat? Quod si panem azymum fieri Corpus Christi negatis, cur imperfectum negatis? Non enim imperfectum Christi corpus est, quod nullo modo corpus ejus est? Cur denique nos Christianos habetis? Cur non ut idololatras condemnatis? idolum enim est, si panis azymus adoretur ut Deus. Cur hanc impiissimam hæresim publicè non confutatis? cur cum ceteris hæreticis Romanos in Ecclesia non anathematizatis? Nihil enim est medium; aut corpus est Christi, & omnibus adorandum; aut corpus ejus non est & ut idolum contemnendum. Sed unde probatis quod corpus ejus non fiat, cum nullus doctorum hoc sapiat, nulla synodus contradicat? Cur A contra canones ecclesiasticos traditiones contemnitis? Cur synodis quod de corpore Christi non habent apponitis? Quid azymo vel fermento cum corpore Christi? Numquid panis est, ut azymus sit fermentatus? Cur non magis indiscussum relinquitis quod ignoratis? Cur rem quam nescitis temerè confirmatis?

Advertite saltem quod accusatores vos & judices esse in eâdem causâ non liceat, & quod ante probationem judicium lege non fiat, & in causâ vestrâ alios judicare permittite; & Domini corpus ante judicium condemnare nolite.

B

Quod Christum in fermentato pascha celebrasse asserant.

ARguimus quod Dominum ante XIV. lunam pascha contra legem fecisse; vel in XIV. vel fermentum comedendo violasse contenditis; & sic transgressorem legis, & solvisse legem, antequàm impleretur, astruitis; quod Evangelium prima die azymorum quod dicitur Pacha fuisse commemorat; & Christus non ad solvendam, sed ad implendam legem se venisse confirmat. Quod utique non fecisset, si antequam impleretur, fermentum comedendo solvisset. Unde consequitur quod peccatum Dominus fecerit, & in ore ejus dolus fuerit, C juxtà sententiam suam ut transgressor Legis perierit.

Quod fermentatum animatum dicant.

ARguimus quod fermentatum panem animatum asseritis; in quâ sententiâ nec vetus vobis, nec novum testamentum consentit; nec aliquis physicorum novum hoc animal, immò novum portentum præter solos Manichæos confinxit. Quam inopinabilem opinionem inter hæreses Manichæorum sancta jam dudum condemnavit Ecclesia.

Quod animam panis Christum vivificare contendant.

ARguimus quod animam panis, Christi D corpus vivificare contenditis. Numquid duas animas habet Christus; alteram hominis & alteram panis? aut sicut panis in carnem Christi mutatur, sic anima panis in animam Christi convertitur? an animam suam Christus dimittit, & animam panis admittit? numquid si panis anima deerit, Christi corpus animatum non erit? cur non advertitis quod antequam offeratis eum, occiditur, lanceâ perforatur, à toto suo particula quæ consecrari debet, abscinditur, & detruncatus jam & exanimatus ad altare portatur? non enim anima dividi potest, ut divisæ partes divisiones quo- E que retineant animæ. Sed esto, partes etiam propter fermentum habeant animam. Quid cum panis evacuatus fuerit, & omnino fermentum animæ desierit; numquid etiam tunc anima sua manebit, & corpus Domini vivificabitur? Panis enim altaris totus in carnem Christi convertitur, nec aliquid naturæ panis præter speciem solam relinquitur, cur non attenditis, quoniam Dominus quod dedit, fregit, corpus suum vocavit; discipuli, quod acceperunt, manducaverunt? Numquid anima corpus dicitur? numquid frangitur? numquid comeditur? quod Evangelium dedit, dedit hanc

fidem? Quis apostolorum docuit hanc Dominici corporis vivificationem? Origenianus est, non catholicus sensus, ut aliorum animæ in aliorum transeant corpora, & pro meriti qualitate vel meliora sortiantur vel deteriora.

Quod lanceâ corpus Christi percutiant.

ARguimus quod lanceâ Corpus Christi percutitis: hoc enim Christus non fecit, hoc in commemorationem suam discipulos facere nequaquam instituit: accipite, dixit, & comedite, non occidite, vel lanceâ percutite. Christus nec se ipsum occidit, nec discipulos occidere jussit. Milites, non apostoli, Dominum occiderunt; milites, non apostoli, lanceâ latus ejus perforaverunt. Nec vivebat Dominus sicut fermentum vestrum cùm latus ejus perforatur; sed mortuus erat, ne cruribus fractis latronum, os ex eo non comminueretur. Quamvis lancea vestra, non sicut jactatis, usque ad occisionem Christi perveniat; nec corpus Christi, sed solum panem percutiat; nondum enim est caro, sed purus panis, quod lanceatis; & fermentatum viventem, antequam Christum vivificare possit, occiditis.

Quod in terra corpus Christi sepeliant.

ARguimus quod in terrâ Corpus Domini sepelitis, & contrà scripturam corruptionem videre compellitis: Dominus enim corpus suum comedere jussit, non sepelire; & discipuli comederunt, non sepelierunt. Vos autem, non sequentes apostolos, in lacum corruptionis projicitis; & Spiritum-sanctum qui per prophetam dixit: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, mentiri compellitis, qui corruptionem eum videre, quantum in vobis est, facitis.

Quod illud cum aqua calida sumant.


ARguimus quod Corpus Domini cum cibo communi, id est cum aquâ calidâ sumitis: Non enim Christus hoc instituit, nec in sacramento Sanguinis aqua calida fuit; Christus vinum non aquam mutavit in sanguinem, nec aliud aliquid, sed genimen vitis propinavit in calicem. Vos autem quod ad mensam communem ex usu percipitis, nec ad mensam divinam abstinere potestis, & ascribitis religioni quod ad peccatorum excusationem habetis.

Quod sanguinem de Christi latere calidum fluxisse dicant.

ARguimus quod sanguinem de latere Christi calidum fluxisse contra naturam & Evangelium dicitis: dicit enim Scriptura, quod jam obierat, jam exspiraverat, jam mortuus erat, cum corpus ejus vulneratum est, cum lanceâ latus ejus perforatum est. Numquid habet natura, ut corpus ejus mortuum caleat, cum in eo vita non fuerit, cum jam vitalis calor recesserit? Sed forsitan hoc privilegium habuit Dominicum corpus. Unde probatis? Ubi legitis? Quæ scriptura docet? Quod Evangelium habet? Aut de scripturâ quod profertis, probate; aut præsumtioni solitæ, quod scriptura non habet, ascribite.

Quod pueris ante diem septimum baptismum negent.

ARguimus quod puero recens nato baptismum ante septimum diem negatis: Non enim Dominus certum diem in baptismo constituit; nec septimum diem primo diei præposuit; sed simpliciter & absque fallaciâ mittens ad baptizandum discipulos, dixit; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Numquid enim Dominus die septimo baptizatum salvum facere potest, & primo non potest? Omnipotens enim est Deus, & omnia quæcumque voluit fecit, & non est qui possit resistere voluntati suæ. Aut potest quidem, sed non vult quod potest, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Ubi omnis dicitur, nullus excipitur, nec infans cujus est vita unius diei super terram. Christus omnem hominem salvat, vos hominem cur excipitis? Christus neminem ejicit foras, vos longius hunc à Christo repellitis? Christus solus baptizat, vos aquam cur prohibetis? Christus solus peccata dimittit, vos peccata cur retinetis? si sordes exteriores offendunt oculos vestros, numquid & Christum putatis offendi? si carnis immunditiam tactus vester horrescit, numquid & Christum putatis horrescere? Qui carnis infirmitates pro nobis sustinuit, infirmum hominem magis sustentat quàm dejicit. Qui sordes animæ quas ex culpâ contraximus, lavat, sordes corporis quas nobis imponit necessitas, misericorditer portat. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Vos autem homicidas omnes incomparabiliter vincitis, qui pereuntes de manu Salvatoris excutitis, & morientes ad vitam intrare non sinitis, & in gehennam morte Christi reclamante demergitis.





ODONIS

EPISCOPI CAMERACENSIS,

LIBER SEU HOMILIA DE VILLICO INIQUITATIS.

Ex mſ. Pratellenſis monaſterii.

ADMONITIO PRÆVIA



E Odone epiſcopo Cameracenſi ejuſque ſcriptis præter Herimannum, qui de eo pluribus agit in Hiſtoria Reſtaurationis monaſterii S. Martini Tornacenſis, Spicilegii tom. 12. hæc habet Henricus de Gandavo in libro de illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus cap. 4. Odo Cameracenſis epiſcopus ſcripſit homiliam pulcram *in evangelium ſecundùm Lucam,* Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Expoſuit etiam canonem miſſæ *Te igitur.* Scripſit etiam ad Vvilbodonem monachum Affligenienſem diſputationem, quam habuerat cum quodam Judæo de myſterio Incarnationis Dominicæ ſub dialogo, annotatis prima ſui nominis & prima Judæi ſecum diſputantis litteris. *Et Johannes Trithemius in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis:* Odo epiſcopus Cameracenſis, vir in ſcripturis ſanctis eruditus, & in litteris humanis nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, in componendis & declamandis homiliis ad populum veterum more non mediocriter inſignis, ſcripſit diſputationem quam habuerat cum quodam Judæo de myſterio Dominicæ Incarnationis ſub dialogo, annotata prima ſui nominis littera & Judæi ſecum diſputantis.

Ad Wilbodonem monachum librum 1.

In Canonem miſſæ librum 1.

De Villico iniquitatis librum 1. *Homo quidam erat dives.*

Homilias & epiſtolas plures.

Et quædam alia non pauca compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Ex duobus hiſce teſtimoniis conficitur homiliam de Villico iniquitatis, *quæ ſub nomine Odonis cum aliis ejus opuſculis edita eſt tomo 21. Bibliothecæ Patrum Lugdunenſis eſſe non noſtri Odonis, ut pote quæ pro ſui brevitate nec* Pulcra homilia, *multo minus* Liber *dici poteſt, niſi forte quis dicat ipſum duas ſcripſiſſe homilias de Villico iniquitatis (plures enim homilias compoſuit,) unam breviorem, alteram prolixiorem & pulcram, quæ & libri nomine donari poteſt. Qui duo caracteres egregie conveniunt ſequenti homiliæ, ex veteri codice Pratellenſi hic editæ, cujus ſtylus aliunde apprime concinit cum aliis ejuſdem operibus. Fuit autem Odo ex abbate S. Martini Tornacenſis epiſcopus Cameracenſis electus anno* 1105. *obiit in monaſterio Aquicinctenſi anno* 1113. *in quod dimiſſo epiſcopatu ſe receperat. De eo inſignem habemus epiſtolam monachorum Aquicinctenſium encyclicam, quam hic ex mſſ. Alnenſi & Tornacenſi præmittere juvat.*

» Aquicinensis cœnobii humilis congregatio omnibus qui salutis suæ solliciti sunt salutem in Domino.

» Salutem dilectissimi vobis mandamus, quatinus orationibus vestris de tristitia quæ nos premit relevari mereamur. Heu amara mors quæ fratres dividis & dissocias amicos! Unde tibi hæc potestas? Post crucem Christi quis hæc tibi restituit? Certe ille te prostravit, ille devicit, qui dudum per prophetam tibi minabatur: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero, inferne. Si ergo mors Christi tibi nocendi vires ademit, quomodo eos mori cogis, quos ipse semper victuros secum de morte redemit. Ejus etenim verba in evangelio sunt hæc: Omnis qui credit in me non morietur, & si mortuus fuerit vivet. Sed forte dicet aliquis, quale principium dedit adveniens? Quorsum ista? Credite, fratres & Domini, ad quos ista pervenerint: quia non infidelitas, sed meror animi hoc à nobis dicendi extorsit initium, & quasi in mortem fecimus invectionem, licet sciamus exitum de hoc sæculo justorum in scripturis appellari somnum vel dormitionem, unde psalmista ait: Cum dederit dilectis suis somnum. Et Dominus in evangelio: Non est mortua puella, sed dormit. Verumtamen nobis imperare non possumus, quin doleamus, quando domnum ODONEM Cameracensem episcopum, qui nuper apud nos de hoc mundo recessit, ad mentem revocamus. Gravi etenim detentus valetudine, dimisso episcopatu, Aquicinctum se deferri fecit, & quantum ecclesiam nostram, in vita dilexisset, in fine demonstravit. Hic dum viveret nobis pater erat consilio, mater pietate, amicus beneficio; nec mirum si desiderium præsentiæ ejus nequimus sustinere, quibus contigit præsentis vitæ solatium amisisse. Nostram quippe, non illius vicem dolemus, quia nos adhuc inter laqueos hujus sæculi incedentes eum ad meliora evasisse credimus. Credimus, inquam, quia cum justis modo lætus decantat, Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Domini, & cum Moyse ammiratur dicens: Transiens videbo visionem hanc magnam. Magnam nunc certe Dei habet videre visionem, qui cum esset in corpore, non suam, sed illius dilexit voluntatem. Quis autem virtutes quas possederat digne valeat enunciare? quid potius in eo laudare? Si patientiam, si benignitatem, si humilitatem ejus prædices, quicquid dixeris minus erit. Ita in singulis eminebat, quasi ceteras non haberet. Et ubi quotidianam ejus vitam tritis & communibus verbis breviter edisseram? Mitis erat affatu, dulcis alloquio. Nihil illius severitate lætius, nihil lætitia severius: gravitatem morum vultus hilaritas; hilaritatem vero vultus morum gravitas temperabat. Mentiri & jurare aut nesciebat aut nolebat. Linguas quoque adulantium seu detrahentium prudenter cavebat, & utrumque genus hominum velut pestes animæ animo fugiebat. Contra illas sepiebat aures suas spinis, ne audiret linguam nequam. Contra istos scriptum esse sciebat, verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. Nulli malum pro malo reddebat, vel maledictum pro maledicto: & quasi agnus inter lupos missus morsum malitiæ non habebat. Providebat bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ut sine offensione præesset ecclesiæ quam gerebat. Apostolicæ etiam doctrinæ gratia refulgebat, & quantum in se erat tam verbo prædicationis quam optima morum institutione à sæculo revocabat. Inter harum insignia virtutum castitatem in eo laudare superfluum puto, cujus vita etiam ante conversionem pro continentia quam habebat omnibus fuit exemplo, & quod in primis dicendum fuit; sed non omnia dicere institui. Eo quoque tempore, id est ante conversionem, ut ad priora redeam, ita totus in libris erat, quasi nullam se crederet habere requiem, nisi eum quem in exercitio scripturarum arripuisset laborem. Erat quippe fundatus grammatica, ornatus rhetorica, armatus dialectica: & his studiis indesinenter eum occupatum multa turba discipulorum sequebatur, qui ad famam tanti viri undique congregati ejus disciplina sitiebant informari, magisterio erudiri. Hic forsitan aliquis remoraretur & diceret quam ardentis fuerit ingenii, quam tenacis memoriæ, quam temperatus jam tunc in moribus, in verbis sobrius, in doctrina sollicitus, in disputationibus cautus, in solvendis quæstionibus promtus: tanta denique in scholis ejus quies, tanta pax inter discipulos, & vitæ compositio per ejus disciplinam habebatur, ut non tam magister litterarum, quam episcopus animarum merito posse dici vi-

deretur. Postquam vero libri B. Augustini de libero arbitrio & vera religione in manus ejus venerunt, statim mutatus in virum alium, cœpit odire quæ dilexerat, & diligere quæ prius oderat. Jesu bone! quanta hominis mutatio? Fit in pauperes Christi rerum distractio, cibi & potus abstinentia, carnis maceratio, & omne studium quod in sæcularibus disciplinis insumserat, in veram convertens philosophiam de discipulis socios fecit, exemplo sui & doctrina multos convertit, & postmodum relicto foris clerico monachus effectus, monasterium quod dicitur ad S. Martinum Tornaci construxit. Ab omnibus qui per eum vel cum eo mundum reliquerant in abbatem eligitur, consecratur. Multa prætereo, quia ad alia festino. Tunc vero quasi lumen in regione illa visum est oriri. Populus enim ad ejus prædicationem convertebatur. Inter conjugia utriusque partis fiebant sancta divortia, patres à filiis & filii à parentibus gladio verbi Dei dividebantur, omnes sicut in tempore apostolorum in commune afferebant pretia eorum quæ possederant, juvenes ac virgines, senes cum junioribus certatim hujus sæculi sarcinam projiciebant, & quasi jam de hoc mundo non essent nudi ac leves ad cælum volare gestiebant. Civitas eorum quasi carcer eis esse videbatur, monasterium paradisus. Ipse autem omnibus omnia factus, infirmis infirmus, sanis robustus apparebat, & quasi omnium pater esset, sic omnium ex animo curam gerebat. Heu humanarum rerum incerta provisio! Lætis principiis affuit tentatio, & sathan qui etiam inter filios Dei affuit, expetiit eos ut cribraret sicut triticum. In hoc loco quiescat scorpius arcuato vulnere venena detractionis infundere, & ad calumniam tanti viri non referat, quod quidam dimisso sancto proposito ad sæculum redierunt, si Christum non audet reprehendere, quod multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam cum illo non ambulabant. Parcat unusquisque linguæ, parcat animæ suæ, nequissimum vitium quasi novissimum diaboli laqueum nitatur evadere. Nam pauci sunt, ut etiam de religiosis taceam, qui ita irreprehensibilem exhibeant vitam suam, ut non libenter reprehendant alienam. Quid multa? tantam lucernam Christus sub modio latere non patitur, sed per Dei gratiam, ut omnibus qui in domo ejus sunt luceret, ad episcopatum Cameracensis ecclesiæ assumitur. Tunc vero quanta qualisque vita ejus fuerit, quam pristinæ humilitatis vel paupertatis memor permanserit, tot producimus testes, quot in civitate illa habentur homines. Verum quia longius ab incœpto digressi sumus, jam ad ægrotum nostrum postpositis omnibus redeamus, & ne pro nobis moras patiatur ejus ad gloriam transitum breviter referamus. Aquicinctum, sicut diximus, se deferri fecit, ubi omnibus quæ christiano morienti conveniunt rite expletis, tam alacer, tam securus novissimam horam expectare videbatur, quasi non ipse qui infirmabatur, sed alius pro eo esset moriturus. Unde quidam frater in stuporem adductus, remotis omnibus arbitris, solus ad solum accessit, & utrum timeret apposita ori ejus auricula diligenter investigavit: tunc ille, ut verbis ejus loquar, cum diceret ad quid timerem? & ille opponeret ei periculum mortis, & quia judicia Domini abyssus multa, & quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, & cetera hujusmodi, ille paululum reticens, & quasi aliquid in se prius deliberans respondit, Non timeo. Admiratus autem frater conticuit, & magnam eum habere fiduciam persensit. Obiit tertio calendas Julii beatus iste, animam reddidit Christo, nos corpus sepulturæ. Omnes igitur fratres & Domini ad quos hæc legenda pervenerit oramus, & vos pro eo quod pro se nos oravit. Secretius enim loci nostri abbate ad se evocato, ut verba ipsius ponam, Rogate, ait carissime, conventum fratrum, ut pro me apud Deum dignetur intercedere, cujus judicium sine ejus misericordia non potero sustinere. Malui autem hoc scripto multorum subire judicium & à malis ferre confusionem, quam abbatis mei non parere imperio, vel non sequi voluntatem. Ille enim quem loquimur sibi ipsi monumentum erexit æri perennius quod nulla possit delere vetustas. Extant namque apud nos quædam ejus opuscula quæ digna habentur memoria, scilicet de canone evangeliorum & de canone missæ libelli duo, disputatio contra Judæum, & homilia de villico, liber unus de originali peccato & alius de blasphemia in Spiritum-sanctum, quem interrogationi meæ dignatus est cudere, meoque nomini consecrare. Valete.

Luc. 16. *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius*, & reliqua.

PRoposita sancti evangelii lectione, fratres carissimi, plurimi pro sui temporis moribus, & intentionibus negotiorum, splendide plurima tractaverunt, quæ contemporaneorum suorum ignorantiæ pro qualitatibus instruendorum non contemnendam eruditionem attulerunt. Non tamen omnia quæ de ipsa possunt utiliter sentiri; sicut nec de pluribus aliis scripturis disseruere: sed eorum plurima doctoribus convenientem & necessariam sequentibus temporibus doctrinam edituris disserenda reliquere: & ut verum fatear, non potuerunt: quoniam omnimodam ejus intelligentiam sicut nulli præsentis temporis habent, sic nec præcedentes habuerunt. Inest enim naturaliter eloquiis Spiritus-sancti tanta fœcunditas intelligentiarum, ut nec capi possit, nec debeat ab angustiis quarumlibet humanarum animarum. Ipse autem Spiritus-sanctus qui earum multiplicitatem suis eloquiis inseruit, prout videt his quibus locutus est expedire temporibus, eas & personis misericorditer dispertit: unde & nostræ humilitatis supradictæ lectionis intelligentiam, à priorum tractatorum intellectu in pluribus discrepantem, licet scholasticam, non negligendam tamen, dignatus est impertire; quam si facundiæ vires ad hoc ipse dare voluerit, à quibusdam fratribus commonitus, volo pro viribus ingenioli nostri declarando pluribus communicare: Sed quoniam non sufficit ad plenitudinem intellectus in qualibet lectione cognoscere quid verbis insinuetur, nisi etiam totius narrationis exordium & causa finalis agnoscatur; superiora sancti evangelii verba respicienda sunt, ut qua occasione & ad quid insinuandum parabolam de villico iniquitatis Dominus posuerit, deprehendatur.

Scripturæ sanctæ fœcunditas.

2. Refert in præcedentibus S. Lucas evangelista publicanos & peccatores ad Dominum accessisse, & eumdem Dominum carnales cibos cum illis accipere non contemsisse. Refert etiam quod Pharisæi & Scribæ qui de justitia falso gloriabantur, hoc videntes submurmurabant: eaque occasione ipsum & suam doctrinam quantum poterant infamabant. Misericors autem Dominus, qui carnis cibos cum illis accipiebat, non peccatis eorum communicando, sed per carnalis convivii familiaritatem, eos ad spiritualium ciborum refectionem provocando; ut iniquitatis eorum stultitiam eisdem & aliis quibusque notam faceret, seque pastorem verum hominem, & hominibus ejus pretiosam supellectilem esse monstraret; hominis qui centum habuerat oves & una earum perierat similitudinem proposuit; huicque aliam mulieris decem dragmas habentis, quarum unam perdiderat, adjecit. Quibus expletis similitudinibus, velut eas significato coaptans, & quantum sit bonum pænitentiæ, ut ad eam provocaret, per ipsius effectum demonstrans; nec non quare peccatores reciperet insinuans, subjunxit dicens: *Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quæ sententia ut fieret peccatoribus ad pœnitentiam securum incitamentum, subjecit etiam eas quæ sequuntur narrationes trium parabolarum. Quia enim Salvator, sicut ipse ait, peccatores ad pœnitentiam vocare venerat, nullum à pœnitentia pro qualibet causa diffidere posse, vel excusabilem se putare volebat; ideo facta mentione pœnitentiæ, parabolas de luxurioso filio, de villico iniquitatis, de Lazaro ulceroso ad januam divitis jacente subjecit: quibus pro diversitate peccantium, diversos conversionis modos & varias actiones pœnitentiæ demonstravit.

Christus variis parabolis ad pœnitentiam nos incitavit.

Luc 15. 7.

3. Certum est enim quosdam peccatores suorum peccatorum miseram fœditatem sine cujuslibet commonitione, divina tamen gratia suggerente, recognoscentes perhorrescere, & perhorrescentes acerrima mentis afflictione veniam à Domino postulare: quosdam vero sic in eis irrationabiles permanere, ut ea penitus non attendant, donec excitentur tandem ad eorum cognitionem increpatione & comminatione terribili, vel eorum manifesta repræsentatione: quod in eis solet contingere, qui Deo servientes in pluribus, non tamen recedunt prorsus à carnali delectatione. Hi cum per aliorum increpationem sua mala cognoscunt, & futuram damnationem formidant, quia pœnitentiæ severitatem pro carnalis delectationis consuetudine in se non valent exercere, misericordiæ operibus quod deliquerunt emendant. Sunt etiam alii quorum peccata gravissima sunt & numerosa, & sicut ulcera, quæ ab interiori humore, rupta cute, super ipsam creverunt, non occulta: Et hi frequenter ipsa suorum malorum publica gravique fœditate confusi, sed à misericordi Domino veniam non desperantes, usquequaque humiliati, ab omnibus quos legis doctos & justitiæ sectatores arbitrantur, doctrinam æternæ vitæ, quamvis à pluribus eorum contemnantur requirunt: sicut à divitibus panem mendici, cunctisque quibus humiliatorum curam esse cognoscunt, sua mala revelant, quasi canibus Lazari ulcera lingentibus, & ab eis petunt orationibus & satisfactionis doctrina juvari.

Conversionis & pœnitentiæ varii modi.

4. Quia ergo Dominus sacerdos verus & summus peccatores non solum sua hostia, sed & conversionis ammonitione, satisfactionisque doctrina salvare venerat: nominata pœnitentia, illius quas ostendimus varietates & forsitan plures alias in prælibatis parabolis ostendere voluit: in quo & Pharisæos scribasque peccatorum consortium respuentes confuta-

bat: quas cum ad hoc quod de peccatoribus pœnitentiam agentibus in cœlo gaudium fieri dixerat subjecisset: sine errore videtur quod peccatores cujusque generis ad pœnitentiam, quasi sic eos alloqueretur, invitasset: Quisquis itaque in longinquam regionem dissimilitudinis à Creatore luxuriose & secundum libitum vivendo recessisti, ad pœnitentiæ correctionem in te rediendo ne torpeas remeare quasi de venia desperatus: sed attende quod filius, qui portionem suam substantiæ, quam pater tradiderat, consumserat cum meretricibus, tandem ad se rediens, patremque cum lacrymis petens, & non jam ut filius, sed ut servus suscipi postulans, ut carissimus filius, & festive sit susceptus. Tu quoque, quem turpia peccatorum ulcera manifestaque deturpant, ad pœnitentiam fugiens ne cunctæris humiliari; sed à custodibus animarum postula te, supplex factus & humilis, precibus & emendationis insinuatione juvari; & ab his qui sapientes in scripturis videntur instanter opta, (licet plerique januam sermonis obcludant,) scripturarum consolatione confortari: quoniam si hoc feceris, illis qui te scripturis confortare contemnunt, inferni tormentis pereuntibus, tu requiem in sinu Abrahæ consequeris. Lazarus enim, qui jacens ad januam divitis purpura byssoque cooperti plenus ulceribus, refici micis de mensa cadentibus, cum nullus ei daret, cupiebat; sinus Abrahæ refrigerium est consecutus, cum dives ille qui mensæ suæ micas ei non dederat, tormentis infernalibus sit mancipatus. Sed & tu quisquis mihi subderis, & in pluribus obtemperas, & ideo securus in multis per negligentiam desideria tua sequendo delinquis, & quia te delinquere non attendis, ut corrigas nec difficulter] ostendis; cum per quamlibet increpationem tuarum negligentiarum mala cognoveris, de venia ne desperes; nec quam in te severitatem pœnitentiæ nequeas exercere ad excusationem prætendas; sed qualiter Dominum tuum placare valeas, ex hac quam tibi narro parabola perpende sollicitus ut deprehendas.

Exhortatio ad pœnitentiam.

5. *Erat enim homo quidam dives, qui habebat villicum*, & cetera. Homo dives iste, de quo Dominus suis discipulis parabolam proponit, nullus rationabilius intelligitur, quam idem ipse, qui licet homo pauper inter homines conversaretur, in eo tamen quod Deus est, omnibus quæcumque sunt jure creationis dominatur: qui solus vere dives & est & intelligitur; quia quisquis alius dives creditur, nisi ab ipso quod dives est capiat æternaliter possidendum, suis divitiis pauper invenitur. Ad quod ostendendum plura dicere necessarium non videtur, quoniam huic intellectui nullus qui credat refragatur. Sed quoniam quis per villicum debeat intelligi, nondum invenimus ab aliquo sufficienter exploratum, diligenter est per ipsius rei similitudinem rationabiliterque investigandum.

Christus homo dives & solus vere dives.

6. Villicus namque nomen est à villa vel compositum vel derivatum, & significat proprie quemlibet ad colonos villæ custodiendos, ad reditus eorum exigendos & ad compescendos eos, ne domino debitum servitium subtrahant deputatum: Unde jam possemus divitis hujus, Domini nostri scilicet, villicum cognoscere, si villam cognosceremus & colonos quos eam constituit custodire. Sed & hoc facile poterit cognosci, si villæ proprietatem curaverimus diligenter speculari.

Villicus quis.

7. Villa namque dicitur agrestis hominis habitatio, non ad decorem & delectationem constituta; sed ad culturam terrarum exercendam, ut fructuum ferat utilitatem adaptata: quæ si colonos solertes sortitur, ut in ea quod debet esse videatur, res est quæ suo possessori non parum cara, sicut valde utilis habetur. Quippe de bonis quæ colligit ex ea, in amœna civitatis habitatione gloriatur. Si vero colonos inutiles habuerit, parvo tempore vastata, vitæque necessariis carens, possessio vilis, & ferarum habitatio apparebit. Quæ si similibus convenienter aptamus, quid per villam rectius, quam nostram temporalem vitam designari reperiemus? Quid enim est hæc in qua temporaliter vivitur vita, nisi quædam agrestis & laboriosa, nullius decoris, nullius delectationis habitatio, longe à veræ felicitatis civitate remota? In qua dum per corporis membra Domino placituras actiones exercere studemus, dum mente bonos cogitatus fovemus, & quicquid terrenum est, esse caducum; & dum habetur & in usu non est, inutile; cum autem in usu esse cœperit, labile & ideo contemnendum censemus; super cælestia quoque manentia & amœna, cumque suis possessoribus semper in usu jucundissimo sint, numquam transeuntia, & idcirco appetenda cogitamus: nec non cum ad creatoris nostri laudem cognoscendam specialiter insistendum, ut ei sine errore famulari sciamus, ratiocinamur; quid aliud quam terram ad gratos fructus nostro possessori ferendos excolere laboramus?

Villa quid.

Per eam vita præsens designatur.

8. Si igitur villa nostra vita temporalis intelligitur, quid per colonos nisi duæ mentis potentiæ designantur? quarum una corporis artus movet ad quod voluerit operandum: & altera se ipsam multipliciter circumducit ad meditandum & speculandum. Cum ergo hæ duæ animum in meditando, corpus in operando quod Domino placeat exercuerint, quid poterit in temporalibus Domino mentis potentiæ vita nostra gratius inveniri? Et vere cum sic excolitur, grata fieri Domino cogitatur: quoniam tunc in ea, sicut monet Apostolus ipse, per omnia glorificatur. Si vero ad carnalia desideria & temporales glorias dederint manum, quid erit vita nostra, nisi res omnibus bonis vacua & deserta & habitatio dæmoniorum?

Coloni duæ mentis potentiæ.

9. Ne ergo se possent illæ mentis potentiæ, id est vires operandi & meditandi ad nutum suum quo vellent inflectere; præfecit eis Dominus rationem, quæ singulos motus earum deberet examinare; & vellent nollent, ab his quæ Domino displicitura fuerant ad placitura revocare. Quod qui sicut est verum esse discernit, jam villicum quem quærebamus sine dubitatione cognoscit. Ipsa enim ratio villici vices in nobis exequitur, cum vires il-

Villici vices gerit ratio.

-las, quæ corpus ad operandum, & animam A ad meditandum commovent, à vitiis revocat, & ad virtutes exhortatur. Villici vices exequitur, cum eas caute custodit, ne malignorum spirituum tentationibus aliquando frangantur. Tunc etiam locum villici tenet & officio fungitur, cum ipsas quasi violenter impellit ad ea quæ justa sunt, licet humilia despectaque videantur. Sic enim cogit eas Domino, quod deberet, servitium reddere, quod suæ voluptatis appetentia per se non vererentur auferre. Cum ipsis male blandiendo consentit, & ad quod exigunt adjuvat, bona discretionis & potestatis quam Dominus ei tradiderat, quasi abjicit, dissipat, & conculcat; quod Domino nullis potest occultari versutiis: quoniam sicut ait Apostolus, ipse discretor est cogitationum & intentionum cordis, nec est ulla creatura alia in conspectu ejus invisibilis: ad quod indicandum subjecit Dominus: *Et diffamatus est apud ipsum quasi dissipasset bona sua.* Non enim in hoc aliud mihi videtur dicere, nisi se non posse, quod malefecerit ille villicus, ignorare. In hoc enim quod aliquis diffamatur, crimen, quod fortasse occultum esse volebat, publicatur: unde non videtur aliud esse villici diffamatio, nisi negligentiarum rationis & malorum consensuum manifesta Domini cognitio.

Villici diffamatio quid.

10. Sed quid vult indicare quod dixit *quasi dissipasset*, similitudinis significativa voce, & non quod dissipasset absolute? Sed si rei naturam inspicientes, consideramus quod ratio discretionem & potentiam vires illas mentis ad Domini gloriam convertendi numquam non habet; quid per *quasi* demonstrare Dominus voluerit, manifeste satis apparet. Certum est enim, nec ulli rationabili dubitabile, discretionem boni & mali, & potestatem qua viribus mentis supradictis dominatur ratio, easdemque vires & fidei gratiam, bona Domini Dei non parva nec contemtibilia esse. Si ergo hæc omnia posset destruere ratio & destrueret; quanta damnatione dignum in factorem horum, & datorem crimen perpetraretur? Tanta ergo damnatione digna per *quasi* à Domino monstratur cognosci, quia bonis à Domino sibi concessis non utitur, nec prædictis viribus mentis dominatur ut oportet: quantam mereri judicaretur, si sibi tradita bona, & vires operandi & meditandi sibi subjectas, prorsus à suo esse deturbaret: quod justum esse, qui non caret intellectu potest advertere, si merita rerum voluerit justa lance ponderare. Cum enim prædictis bonis, juxta hoc quod ea suscepit à Domino, non utitur, quid aliud, quam si ea penitus extingueret, operari videtur? Cum vero vires mentis quas diximus coartat, ut operantes quod justum est Domino serviant; hoc efficit, ut suo Creatori inhonestius sint, quam si penitus non existant.

11. Sed quia misericordissimus Salvator vult indicare multis talium se per satisfactionem placari; ut ostenderet qualiter, subdidit: *Et vocavit illum, & ait illi.* Quando aliquis vocari dicitur, non per se venire, sed ut veniat invitari demonstratur, monstratur etiam remotus à vocante, vocatione ipsa ut proximus fiat operante. Quid itaque in vocatione, qua villicus dicitur vocari à domino, aliud intelligitur, nisi quod vim rationis non exercentes per se ad sui erroris cognitionem non convertuntur; quodque rationis negligentia plures à Domino separat, quos ad se redire Dominus misericorditer exhortatur? Quam exhortationem etiam voluit ipse pius Salvator patefacere, dicens dominum villico dixisse: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.*

B 12. Quicumque Dominum diligimus, & eum nobis placatum invenire desideramus, hæc verba ipsius diligenter attendamus, intellecta diligamus, & dilecta teneamus. Sunt enim verba potentis, cujus instituta transgredi non sit tutum; commotionem cum gravitate promentia, sed tamen cum misericordia transgressorem ad emendationem vocantia, & non differendam esse correctionem rationabiliter indicantia. Nam dicendo *quid hoc audio de te?* se quasi mirari designat quod peccat in eum fidelis ratio, non utens vel abutens bonorum ipsius largitate. Est enim tale quod villico dicitur his brevibus verbis, quale si rationi diceretur hoc quod subditur vocibus ad intelligentiam multiplicatis: Ego Dominus omnium, creator universorum, potentissimus potentum, sufficientissimus sufficientum, qui extra me nullius egeo, sola voluntate facio quæcumque volo, cum te non egerem, sola bonitate mea te feceram, meæ imaginis impressione boni & mali discretionem inserueram, potentiam refrenandi motus omnes voluntatis tribueram, veræ fidei gratiam speique cælestia consequendi consolationem contuleram, & præceptis meis & exemplis adjuveram; & tu his omnibus quasi contemtis, sequeris motus concupiscentiæ temporalis. Quid hoc audio de te? Immensitas potentiæ meæ vel severitas justitiæ tibi mei non attulerunt timorem: collatio tot & tantorum beneficiorum, patientia & mansuetudo tibi mei dignum non contulerunt amorem. Quid hoc audio de te? Tam vilis per te, tam nullius utilitatis: quam tantam feceram, quam hic sublimaveram; grande malum perpetrasti, grandem pœnam tibi parasti: tamen quia misericors non esse non possum; redde rationem villicationis tuæ, & tibi placari paratus sum.

Cum misericordia Deus peccatores ad emendationem vocat.

C

D

E 13. Rationem reddit quisquis illi à quo impetitur respondendo sicut oportet, donec juste quiescat, satisfacit. Secundum hanc formam monet benignissimus Salvator, ut ei rationem reddamus, scilicet ut ad ea quæ pecasse nos increpat, sibi per pœnitentiam & humiliationem mentis & misericordiæ opera & orationes respondendo satisfaciamus: nec differamus quia propinquum est ut non possimus reddere. Mors enim imminet omni hora, quæ hoc efficit ut post eam nihil ad nutum nostrum valeamus immutare: quod nobis indicavit pius doctor cum addidit: *Jam enim non poteris*

Ratio quomodo reddenda.

poteris vellicare. Nihil enim post mortem prodest perditis jus rationis; quia non valet effugere pœnas meritæ damnationis. Hoc nobis plane voluit ille super omnes dives indicare, dicendo villico : *jam enim*, id est in proximo non poteris villicare.

Deus pluribus modis loquitur.

14. Sed illud attendendum est, qualiter negligenti rationi Dominus sic loquatur, ne quod diximus, minus capacibus remotum à veritate videatur : loquitur Dominus pluribus modis quibus suam vult innotescere voluntatem, unicuique sibi convenienti modo, prout videt exigere cujusque naturam & capacitatem. Loquitur namque quibusdam occulta & absque quolibet indicio facta inspiratione, ut Prophetæ dicenti : *Audiam quid loquatur Dominus Deus in me.* Aliis loquitur voce, nescientibus unde fiat, ut Samueli. Aliis somniis, ut Joseph, Pharaoni, Nabucodonosor, Danieli. Aliis angelico ministerio, ut Moysi, Abraham, Jacob, & aliis pluribus. Aliis signis quibusdam, ut Baltazar digitis in pariete scribentibus. Multis autem loquitur per homines fideles, ut antiquis per prophetas, nobis per ecclesiasticos doctores, nonnullis per divinarum scripturam lectiones, plurimis per corporis afflictionem, quibusdam quoque per temporalem adversitatem. Sunt plures & alii modi divinæ locutionis, quos omnes enumerare non est scientiæ nostræ debilitas. Sed hoc sciendum est, quia tunc Dominus loquitur ad rationem cum aliquo prædictorum modorum, vel quolibet alio eam à suo erratu & negligentia revocat ad ipsius cognoscendam voluntatem. Fidelium autem rationi concupiscentiam carnis secutæ maxime loquitur per doctores & divinarum scripturarum lectiones, & corporum molestiam, vel aliquas adversitates : quæ locutio in ipsa ratione fit, cum à Domino quolibet prædictorum modorum excitata, suos erratus ad memoriam revocans, sibi dicit : Quid misera fecisti ? quam inconvenienter & injuste bona, quæ tibi contulerat Dominus, tractasti ? Immensitatem ipsius & immutabilem justitiam in memoria non habuisti ? te ipsam contra ejus placitum & jussionem, rem vilissimam, carnem scilicet, sequendo fœdasti. Quid sic male te habendo promeruisti, maxime cum illum hæc ignorare non potuisse cognovisti ? Cum hæc secum per aliquam supradictarum causarum commonita ratio meditatur; tunc à Domino velut ei, quid hæc audio de te ? & cetera dicere, increpatur.

Locutio Domini semper efficax.

15. Hoc attendendum quod sæpe fit in ratione cujusvis hujusmodi meditatio, nec subsequitur pœnitentiæ satisfactionisque congruæ sicut oporteret exquisitio. Sed cum hoc contingit non tunc ei Dominus loquitur; sed ipsa se ipsam circumspiciens, absque confusione timoris evagatur. Locutio vero Domini semper id ad quod fit operatur; & ideo quotiens ipse de hiis malefactis corripit rationem, angor cordis & satisfactionis exquisitio comitatur : quod nobis verbis Domini indicatur manifeste. Subdit enim : *Ait autem villicus intra se.* Quasi extra se loquitur, cùm quæ mala sunt facere tractat, vel fecisse sine timore perpendit. Sed tunc intra se loquitur, cum quid juste debeat operari cauta consideratione perquirit. Illud namque ab illa naturaliter est separatum, hoc autem sibi semper proprium est & innatum.

16. Cum igitur Dominus de suorum institutorum transgressione rationem modo aliquo supradictorum increpaverit, ipsa illico non otiosa nec stupefacta permanens intra se dicit : Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem ? id est secundum vim suæ naturæ considerat, qualiter quam se meruisse cognoscit iram Domini non incurrat : quod enim villicus dicit : Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem, sollicitudinem vindicat rationis, ne se judicio Domini, quo damnetur, subdatur, secundum apostoli Pauli consilium velut hoc modo discutientis & judicantis : scio me creatori meo non sicut oportuit servisse, ipsumque transgressoribus suorum præceptorum pœnam infinitam juste instituisse : scio quoque quod cito vitæ me subtrahet, potestatemque quam nunc habeo quod voluero faciendi in contrarium convertet; sed nihilominus illum scio misericordem, vitam peccatoris magis quam mortem desiderantem, & ideo ad pœnitentiæ correctionem provocantem. Hac fiducia sollicita perquiro quid facere debeam quamdiu sum in mea potestate, ne cum perdidero, nimis turpi & intolerabili comprimar egestate. Non autem ignoro cuivis esse promtum aliquod gravis pœnitentiæ genus incipere : licet enim cuilibet vel ignavo bellum indicare; sed didici, docente Domino, salvationem mereri non incipere; sed perseverare. Unde mihi necessarium puto tale genus correctionis vitæ considerare, quod valeam sine defectu quoad vixero tolerare. Hinc est quod sic revolvo qualiter debeam mea mala punire, non audens me committere, timens lapsum ei pœnæ quam non possum perferre. Nolo enim in incertum currere, nec ut aërem verberans pugnare; sed ad bravium & coronam si propositori placuerit pervenire. Propter hoc vires meas me ponderare ostendo. Quid faciam quia Dominus meus aufert à me villicationem dicendo : Neque enim possum sicut fortes fodere, nec ideo tamen volo sicut iners otiosa remanere; sed quod potero faciam, quoniam erubesco mendicare.

Perseverantia salvationem meretur.

Fodere & mendicare quid.

17. Quia terra cum foditur dura ligonis percussione penetratur, scinditur, & ut alimenta vitæ proferat invertitur; recte illa quam exercet acutus dolor peccatorum & cupiditas vivendi cum Domino, carnis attritio perfodere designatur. Quia vero qui mendicat necessariis vitæ carens aliena bona desiderat, bonorum operum quibus sancti abundant inopiam & desiderium mendicare designat. Est ergo rationi dicere Non valeo fodere, infirmitatis suæ debilitatem, ad carnis attritionem tolerandam ponderare. Erubescere vero

mendicare tunc se profitetur, cum quæ potest exercere bona studiose cogitat, ne inops & vacua bonis operibus, & aliena desiderans, in vita quæ sequitur appareat & confundatur. Pro qua tam pura sui discussione & humili, quid sibi utile mereretur cognoscere: nullus enim qui purè considerat & humiliter qualiter Domino placere valeat, relinquetur in dubitatione. Quod plane promittit Dominus vestigantibus quomodo æternam evadant inopiam, cum ostendit villicum suæ sollicitudini subdidisse: *Scio quid faciam.* Cum enim prius eum ostendat dubium & sollicitum dicendo *Quid faciam?* & cetera; quid vult quod eum illico certum factum ostendit subdendo, B *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas*, nisi quia misericorditer docet quantumlibet infirmi peccatoris rationem de suæ salutis ignorantia non diffidere? quia si de præteritis male ingemuerit, & qualiter æterna effugiat sollicite vires suas discutiendo exquisierit; certa reddetur, revelata sibi curatione. Quod ergo dicit villicus: *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas,* hanc indicat consolationem rationis animadvertentis suæ salvationis vias. Quæ paulo ante perterrita Domini mei comminatione, tenebar dubia & sollicita pro meæ infirmitatis consideratione, de suæ gratiæ recuperatione; jam C scio, id est intelligo sicut res est, quid debeam facere, per quod merebor domos quas construunt corporalis actio justa, & bona meditatio, & ideo suæ dicuntur, cum vitæ cursum consummavero, introire: in quas ab illis me suscipiendam dico, quia causa sunt quare recipientur qui recipientur sicut me recipiendam me confido. Non enim, ut ait Apostolus, aliud recipiemus ante tribunal Domini metuendum, nisi quod gesserimus in carne sive bonum sive malum, & diversitas multiplex habitationum, D quas Dominus in domo Patris esse dicit, utique fit pro diversitate meritorum quibus quisque cum gratia juvante, meritus est eas dum vixit. Quæ autem sunt aliæ domus illæ, in quas post hanc vitam volumus rationabiliter, [a] nisi quietis habitationes? Et ipsæ utique cuique proveniunt, quales suæ merentur vel corporis vel mentis actiones: unde rectæ actionum esse dicuntur, quæ aliter nisi promerentibus illis non possidentur.

18. Ne autem versutus mihi occurras, dicens hoc intellectu posse per domos intelligi etiam malorum pœnas; quoniam sicut actiones bonæ quietem, sic & malæ constituunt & promerentur eas: scias quia domus dicitur tantummodo quæ ab imbribus & ab omni intemperie aëris protegere possit habitatio: in inferno vero solummodo sulphur, & ignis, & spiritus procellarum, & ineffabilis tribulatio. Quid vero sit illud quod faciendo villicus in domos subjectorum recipi confidat; subdidit idem Dominum cum dixit: *Convocatis itaque singulis debitoribus suis, dixit primo: Quantum debes domino meo? At* A *ille dixit, Centum cados olei; dixitque illi, Accipe cautionem tuam, & sede cito, & scribe, Quinquaginta. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Et ait illi: Accipe litteras, & scribe: Octoginta.*

Domus quid.

19. Debitores Domini esse vires illas animi quibus & se movet & corpus neminem confidimus negare. Omnes enim suos actus absque contradictione debent jure ad ipsius gloriam referre. Has itaque convocat ratio, cum eas à se desideria propria sequendo remotas revocat in jus suum, & à concupiscentiis, quas sequebantur, reprimit. Quantum vero debeant interrogat, cum eas suæ considerationi proponens, ut quid à Domino factæ sint, & quam studiose, quamque sincere, & in quo, & quare, & quoto tempore debeant famulari, ratiocinando perquirit. Quod primus respondet, Centum cados olei se domino debere, monstrat rationem de vi mentis qua corpus ad operandum movetur cognoscere quod à Domino, qui per se condidit universa, facta sit ut eum honoraret summo studio in operibus propter quæ fecit eam caritatis & misericordiæ, sicut fierent in fidei confessione Trinitatis æternæ, virginaliter, hoc est incorrupte, id est absque malorum operum ammixtione, stabiliter & per totum spatium temporalis vitæ, & pro solius æternæ beatitudinis recompensatione. Oleum namque ceteris unctionibus penetrabilius est, adeo ut, de ipsis medullis eliciat dolorem, omnemque cui sociatum fuerit naturaliter supernatat liquorem: in quo congrue misericordiæ tenet & caritatis similitudinem; quoniam & hæc peccati quantumlibet gravis excusat damnationem; & illam ceteris Spiritus-sancti carismatibus comprobat Apostolus sublimiorem.

Oleum misericordiæ & caritatis symbolum.

20. Cadum autem mensuram dicunt quæ tribus amphoris impletur: & ideo fidem sanctæ Trinitatis apte designat, qua fidelibus omne bonum spirituale mensuratur. Porro Centum numerus est, quem denarius generat per sui ipsius multiplicationem, ac per hoc indicat perfectionis studium & stabilitatem. Notum est enim quod denarius perfectus sit numerus, eo quod post eum non est alia supputatio, & ideo convenienter per eum intelligitur perfectio. Cum autem per se ipsum multiplicetur, ut centum generetur; quam perfecto studio ad perfectionem caritatis & misericordiæ tendendum sit; quamque recte & stabiliter in eo perseverandum per centum E indicatur. Nam quia decies ducitur decem ut centum fiat, non est dubium quin plana æquilatura quadratura denarii centum existat; æquilatura vero quadratura plana quam habet æqua latura justitiæ signum est & rectitudinis; & quia in plano firmiter jacet, signum est etiam stabilitatis. Dividitur autem iste numerus in duo quinquagenaria, qui numerus jubilæi lætitiam repræsentat, in quo secundum legem & servus libertatem consequebatur, & hereditate privatus hereditatem propriam recuperabat: per quod centum, in quo nume-

Cadus quid.

Centenarius numerus quid significat.

[a] Deest aliquod verbum puta introire.

rus iste duplicatur, æternæ felicitatis exprimit lætitiam; in qua qui recipientur corporis & animæ consequentur libertatem; & quam in primo parente perdiderant, non ulterius amissuri recipient hereditatem. Continet etiam idem numerus, id est centum, quater xxv. qui numerus circularis appellatur; ac per hoc designat centum universum spatium temporalis vitæ, quod quatuor varietatibus distinctum semper in se sicut circulus replicatur. Dicunt etiam qui naturam centum exponunt, cum potestas hujus numeri signum in dextram manum transferre & eisdem digitis quibus in sinistra xxx. designant, & LX. significare. Cum autem & xxx. conjugationis sanctitatem & LX. viduitatis ostendat castitatem, dicunt centum quia in dextram transfertur designare felicitatis æternitatem; & quia hisdem digitis quibus illi duo numeri in sinistra signantur, denotatur repræsentari virginitatem.

21. Si ergo recte pensamus & olei naturam, & quam cadus continet quantitatem, nec non centenarii quam monstravimus vim & multiplicem significationem; cognoscemus, sicut superius ostendimus, qualiter quisque debeat Domino famulari per illam monstrari responsionem: quod quia sola ratio se judicans & discutiens in quo peccaverit, de sibi subjecto motu corporis recognoscit; debitor ille primus villico centum cados olei se domino debere respondit. Nihil enim aliud intelligendum videmus quod debitor respondet se tantum motu corporis debere nisi rationem facultatem corporalis actionis discutientem, quod exposuimus de illa sentire. Quis enim audet negare quin per totum spatium vita nostra summo studio absque mali cujusquam ammixtione & pro solius æternæ vitæ præmio corpus ad hoc exercere debeamus, ut fidem veram misericordiæ & caritatis operibus impleamus? Si enim eam operibus vacuam relinquimus, cadaver fidei non fidem vivam vel vivificantem nos habere probamus. Sed quoniam vix invenitur debitor hujusmodi qui debitum hoc sicut debere monstravimus, & verum est, possit persolvere, necessarium est ut villicus caute studeat debitoribus debitum temperare. Nisi enim sicut oportet temperatum fuerit, cum jam non possit reddi sicut debetur, quia male cautum est, uterque simul & villicus & debitor procul dubio peribit. Idcirco villicus ait illi: *accipe cautionem tuam, & sede cito, & scribe Quinquaginta.*

Fides sine operibus cadaver fidei.

22. Pluribus in locis testantur Scripturæ sacræ tractatores quinquagenarium numerum secundum carnem peccantium correctionem & pœnitentiam designare: quod ex ipsarum rerum natura facile cognoscet, qui voluerit, & potuerit considerare. Quinquagenarius enim nascetur, si quinquies decem vel decies quinque computetur. Cum autem caro, quæ quinque sensibus peccata multiplicaverat, ad obedientiam mandatorum Dei, quæ denario numero solent intelligi, redit; cum increpata quovis modo revocatur, tunc quinarius per denarium spiritualiter multiplicatur. Impossibile autem est, ut caro quæ sensuum delectationem secuta fuerat; divinis mandatis subdatur ad obediendum, nisi prius pœnitendo doluerit: quod susceperit aliquando delectationis sordidandum. Unde satis convenienter potest intelligi per quinquagenarium numerum pœnitentiam designari. Est tamen aliud quod in quinquagenario volumus intueri, scilicet corporalem vitam à vitiorum sordibus per Sancti Spiritus gratiam purgandam, ob spem felicitatis æternæ nos in ipso doceri: hinc enim numerus idem quinquaginta à septenario per septenarium superaddita unitate procreatur. Septies enim septies XLVIIII. sunt, quibus unitate superjecta, quinquagenarius consummatur. In scripturis vero notum est per unitatem quæ divisionis diminutionem non suscipit, æternam felicitatem designari, quæ sui detrimentum aliquod aliquando non sentit. Quod ipsius Domini verbis in evangelio fit manifestum, dum dicit Marthæ in amministrando circa plurima sollicitæ, beatitudinem æternam significans, *porro unum est necessarium.* Porro *septem* Sancti Spiritus designat operationem, propter ejusdem gratiam septiformem. Designat etiam humanam vitam, quoniam & VII. diebus agitur, & ab ipsa generatione per septenarium procedit usque ad perfectionem, & per eumdem rursus declinat in defectum & debilitationem. Cum igitur carnalis vita, quæ multis vitiis per se succumbit, per gratiam Sancti Spiritus sine cujus ope non abjicitur iniquitas, ab ipsis emundatur; quid aliud tunc fit, nisi quod septenarius humanitatis per spiritualem septenarium multiplicatur? quod si in spe beatitatis æternæ fiat, unitas est superaddita, & quinquaginta perficiuntur.

Quinquagenarius numerus quid significet.

23. Hoc est ergo quod monet villicus debitorem Domini facere, qui se centum confessus est non aliquando reddidisse, sed debere; scilicet ut cautionem suam accipiat, & cito sedens cum centum non sufficiat reddere, se quinquaginta redditurum scribat. Villicus, sicut jam diximus, ratio est, debitor potentia corporalis actionis, cujus cautio jure dicitur illud quod ei maxime debitum Domini commemorat, id est instantis cogitatio mortis, & timor cruciatus infernalis. Non enim aliquid aliud quo ad solvendum Domino debitum corporei motus potentia tam cauta & provida reddatur; quam si mors semper imminens & gehennalis damnatio præ mentis oculis continue teneatur. Tunc enim nec facile punienda emittit, & quæ emisisse se recolit, modis quibus potest delere contendit. Notandum autem quia quod scribitur ne oblivione depereat aliquando procuratur. Cum ergo ratio quæ minas Domini formidat, quæque recognoscit se illi non servisse corporeis motibus, sicut jus creationis exigebat, menti quod non oportet per corpus exercere volenti, mortem semper instantem & infernalium horrorem pœnarum proponit. Nonne tunc eam quasi cautionem suam accipere compellit? Eamdem quoque quasi cito sedere jubet, cum ut à malis in quibus ante steterat sine dilatione quies-

cat, reprimendo suadet: sed Quinquaginta scribere tunc hortatur, cum Sancti Spiritus adjutorium debere postulari, & ejus auxilio ab omnibus quæ Dominum fuerant offensura motus corporeos emendari, hocque non horarie, sed per spatium vitæ quod superest immutabiliter fieri in spe consequendæ felicitatis æternæ sine cessatione meditatur, ut sic fides Trinitatis intemeratæ conservata, caritatis operibus & misericordiæ utiliter impleatur. Neque enim prodest fidem Trinitatis habere vel opera misericordiæ & caritatis exercere ei qui noluerit immunda carnis opera à se dimittendo removere, & ut compendiose quod ratiocinando diffuse dictum est comprehendamus, cum ratio, quæ se bene non vixisse recognoscit, acerbitatem pœnitentiæ vel non valens ferre, vel perhorrescens, qualiter Dominum placare valeat inquirit, apud se firmiter statuit mortem imminentem, & tormentorum quæ manent impios ineffabilem horrorem contra voluntatem carnalium delectationum, quæ assiduè recurrunt, continuè respiscere: & ideo à malis quibus Dominum offenderat indilate quiescere, & ut vitam quæ restat immaculatam ducere valeat, Sanctum Spiritum adjutorem absque intermissione invocare, fideique Trinitatis individuæ congruentia opera misericordiæ & caritatis exercere. Tunc villicus jubet debitorem Domini cautionem suam sumere, cito sedere & scribere se quinquaginta cados olei Domino debere.

24. Quod autem alius centum coros tritici respondet se debere, significat rationem de potentia meditandi sentire quod omni tempore & sine ammixtione cujuslibet immundæ vel aliquo modo noxiæ meditationis, summo studio & stabiliter, non alternando in spe beatitudinis adipiscendæ, secundum regulam fidei catholicæ debeat divina præcepta meditando revolvere, & creatoris immensam benignitatem & gratiam ammirando considerare. Neque enim aliud hic centum significare credimus quam in primi debitoris responsione: sed triticum aliud designat quàm oleum, Dei præcepta scilicet, & gratiam ejus Christum, qua pascimur, quod palam est in multis locis scripturarum invenire. Corus autem XXX. modios continens mensura perhibetur; & cum XXX. ter X. contineat, recte per corum Trinitatis fides, sicut eam astruunt divinæ scripturæ, quæ denario designantur, figuratur. Quia vero & hujus debiti redditor raro potest inveniri: constat enim omnes fere mentes hominum majore temporis spatio vanitatibus innumeris occupari; necesse est ad salutem villici & hoc debitum temperare. Ait ergo illi: *Accipe litteras tuas, & scribe octoginta*: quoniam litteris memoriam custodiri manifestum est, quasi litteras suas potentiam meditandi ratio jubet accipere, cum disponit inconcusse ad custodiam divinarum doctrinarum memoriam excitare. Idem enim operatur memoria ad meditationis certificationem, quod litteræ ad sopitæ memoriæ suscitationem.

(Corus quid)

25. Octoginta vero tunc quasi jubet inscribi, cum statuit apud se mandata Dei quæ denario designantur; & quibus ad eorum explendam jussionem mens succendatur, ea quæ per VIII. demonstrantur absque oblivione meditari. Per octonarium enim designantur simplicitas divinæ substantiæ, quæ nullis augmentis, nullis diminutionibus, nullis prorsus alteritatibus demutatur; & multiplicitas bonitatis ipsius, quæ tot & tanta creavit, cum illis non egeat qua & creata subsistunt, ordine mirabili continentur, & speciebus multiformibus omnique genere motionis distinguuntur & alterantur, nobisque ab eo prout cuique videt convenire misericorditer conferuntur. Designatur etiam eodem octonario gemina Dei & proximi dilectio, sexque virtutum, fidei scilicet, & pudicitiæ, humilitatis, sobrietatis, munificentiæ, misericordiæ, & concordiæ perfectio. Significat nihilominus idem numerus fidei spei, caritatis possessionem, & quam conferunt se se fideliter possidentibus æternitatem. Eodem quoque numero potest intelligi fragilitas corruptionis corporeæ, quæ fit quatuor elementorum à se invicem dissidentium separatione, & præparatio ad incorruptionem corporis, quæ fit quatuor virtutum, prudentiæ, justitiæ, fortitudinis & temperantiæ observatione. In eodem similiter potest cognosci quantum caritas debeat à possessore diffundi. Designantur etiam octo status eodem numero, quibus vera, quæ quoquo modo capiatur una permanet, comprehenditur beatitudo: quos Dominus ipse plene nobis indicat in evangelio beatos pauperes spiritu, & cetera quæ sequuntur insinuando. Habet etiam idem numerus significationem æquitatis: & quæ nulla ex parte sit vacillabilis stabilitatis: quæ omnia cum in mandatorum Dei meditatione revolvuntur, quid aliud fit quam decem per octonarium, ut octoginta generetur multiplicantur. In his autem fere omnis sanctæ meditationis materia continetur.

(Octonarius numerus quid significet.)

26. Sed forsitan quæret aliquis, quibus hæc similitudinibus in octonario demonstrentur. Cui primum necessarium est ut cognoscat, quod absque prædictorum meditatione nullæ nisi forsitan simplicium mentes justificentur. Qualiter enim potest mens quælibet justitiæ formam servare, quæ divinæ substantiæ simplicitatem omne bonum perfectissime continentis, & nullo modo demutabilis, vel non vult, vel non valet cogitare, & quæ tam multiformia quæ videt tam multimode variari sola bonitate ipsius qui his non indiget non animadvertit existere, ejusdemque jussione in tam multas demutationes transire; & quæcumque bona sibi adesse cognoverit, sive carnalia sive spiritualia ab eo dari cognoscere, vel quæ sine collatione non exquirit qualiter caritatem possit & debeat possidere, & sex virtutes quas præmonstravimus non studet obtinere, vel spem & fidem, & caritatem nunc habendas, ut ait Apostolus cognoscere, & æternitatem per eas se consequi posse confidere, vel corporis corruptibilitatem contemnere, & ad incorruptibilitatem se per quatuor illas prænomina-

tas virtutes præparare, vel quantum caritas extendi & dilatari debeat excogitare; & beatitudinem quæ non possit demutari desiderare, & ut eam consequi mereatur quid sibi sit agendum æquitatis lance pensare, & in his omnibus suam meditationem stabilire.

27. Cum igitur hæc ad mentium justificationem sint necessaria, recte per octonarium designantur. Iste namque numerus propter sacramentum quod continet, à quibusdam sapientibus justitia nominatur. Omnibus enim quibus dividi potest divisionibus & ipsa sui quantitate præmonstratis justitiæ causis assimilatur. Prima namque divisio ejus in unitatem fit, & septenarium, quia designat & simplicitatem Deitatis prima parte, & secunda bonitatis ipsius abundantiam, qua subsistit & modificatur universitas existentium. Ideo autem per septenarium bonitatis Dei abundantiam dicimus demonstrari: quoniam & septiformia sunt dona Spiritus-sancti, quo repletur orbis terrarum, & ternario & quaternario quæ sunt partes ejusdem numeri, multiplicatis alterutrum, duodenenarium, qui est numerus primus superabundans, manifestum est procreari. Secunda divisio ejusdem octonarii fit in binarium & senarium, in qua caritatis geminæ formam exhibet & sex præmonstratarum virtutum. In tertia ternarius & quinarius, qui circularis numerus est, octonarium partiuntur: quibus partibus fides, spes, caritas, & æternitas quam conferunt, figurantur. Quarta vero ejusdem numeri divisio fit in duo quaternaria, quibus & quator elementa signantur, ex quibus corruptibiles sumus, & quatuor principales virtutes, quas in hac vita possidendo, incorruptibiles fieri speramus. Quinta divisio fit ejusdem numeri per quatuor binaria, qua notatur quod caritas ad omnes cujusvis nationis homines sit diffundenda. Sexta quoque divisione per octo dividitur idem numerus unitatis, in quo unam veram beatitudinem designat, & octo quibus adquiritur affectiones, ipsa vero sui quantitate signum est æquitatis: quia primus suscipit nomen numeri pariter paris. Eadem etiam designat firmitatem stabilitatis, quia primus formam cubi generat intellectualis. Cum enim dicitur bis binalis, octo monstratur, & in animo cognoscentis vim numeri, forma cubi generatur. Cubus autem figura est solida ex omni parte æqualiter quadra: & ideo super quamcumque versetur, jacet firma: unde forsitan à cubando cubus dicitur, ob quam suam efficaciam per octo stabilitas firma denotatur.

Cubus quid.

28. Cum igitur hæ quas præmonstravimus mentem justificantes meditationes convenienter per octonarium designentur; cumque mandata Domini per denarium figurentur, quando ad exsecutionem eorum excitandam hæ meditationi ipsorum permiscentur, quasi denario per octonarium multiplicato, octoginta complentur. Quæ omnia si memoriæ quam non deleat oblivio commendamus, octoginta coros tritici tantum nos debere Domino litteris nostris annotamus, Nos enim sumus unusquisque in se ipso villicus & debitores: villicus ratione, sed potentia corporeæ actionis & meditationis debitores. Ergo fratres in eo quod villici sumus comminationem Domini de villicatus ablatione, quia bona illius non ut oportuit servavimus formidantes, & ne in meditationem devolvamur præcaventes; de villicatione nostra dum licet pœnitendo rationem reddamus; & nobis ipsis in eo quod debitores sumus, Domini debitum ei fideliter obsequendo relaxemus, fidemque Trinitatis servando, & operibus misericordiæ insistendo, & ad vitam carnis à vitiorum sordibus mundandam Sancti Spiritus gratiam precibus assiduis expetendo; solamque beatitudinem, in qua non annus, sed æternitas est jubilationis & lætitiæ petendo, corporalis actionis debita quæ Domino vitæ transactæ temporibus non solvimus excusemus. Excusemus etiam meditationis debita, qua solummodo Deo & mandatis ejus inhærere debuimus; sed potius vanis, & sordidis, & criminosis delectationibus, & cupiditatibus eam subdidimus; per spatium vitæ quod superest in lege Domini die noctuque meditando, simplicitatem substantiæ Dei, omne verum bonum in se sine diversitate comprehendentem, ac per hoc nullius indigentem contemplando, multiplicemque bonitatem ipsius qua non eis indigens universa condidit quæ subsistunt, & disponit quæque nobis bona innumera corporis & animæ largitur, ammirando, caritatemque fraternitatis magis & magis in nobis accendendo, veritatem fidei, pudicitiam, humilitatem, sobrietatem, munificentiam, concordiam possidendas esse assidue cogitando; tresque virtutes quæ nunc manent, sicut dicit Apostolus, id est fidem, spem, & caritatem, omni hora complectendo, & per ipsas æternitatem consequi confidendo, corruptibilitatemque corporum temporalem contemnendo; prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, viam ad incorruptionem judicando, caritatem ad omnes extendendo affectiones illas, quas sequitur beatitudo vera discernendo, æquitatem amore immutabili contemplando: intelligamusque nobiscum misericorditer agi, si sic vitam quæ superest ducendo meruerimus à damnatione, quam præcedenti vita meruimus, liberari. Omni namque hora qua viximus, sicut supra monstravimus, & per centum significari ratiocinati sumus, corporis & mentis officiis instanter & obnixe voluntati Domini obtemperasse debuissemus. Quoniam vero non obtemperavimus, tenemur debitorum rei, non solum quia fecimus quæ non debuimus, sed etiam quia non fecimus quæ debuimus, æternaliter puniendi.

29. Hæc sunt debita quæ de centum cadis olei & totidem coris tritici relaxamus: si quid superest vitæ temporalis juxta quinquaginta vel octoginta significationem monstratam transigamus: nec tamen diffidamus de venia, vel dubitemus de remuneratione, si omnis operationis, actionis, vel meditationis

inspectiones, sicut oportere monstravimus, non poterimus adimplere: tantummodo quantum valuerimus in utraque potentia, nos studeamus exercere. Benignus est enim Dominus noster & Redemtor, qui hæc docet, & cui sumus reddituri rationem, nec quemlibet quantum valet facientem pro eo quod non valet condemnabit, vel auferet remunerationem. Relaxemus ergo carissimi debita nobis ob quæ puniendi sumus, & quinquaginta nos & octoginta Domino reddituros, ut poterimus, cautioni nostræ & litteris nostris, ut expositum est, inscribamus: quatinus ab ipso ut prudentes villici laudari, hoc est munerari valeamus. Cum enim misericordissimus Dominus & præceptor subdidisset: *Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter egisset*; securam nobis spem dare voluit de remuneratione, ne diffideremus de venia; si & nos ad formam villici prudenter egerimus pro nostri villicatus iniqua transactione.

30. Villicus enim iste pro dissipatione bonorum domini villicus iniquitatis nominatur: sed quia debitoribus ejusdem domini sui ad suam utilitatem debita relaxavit, ab eodem domino de prudentia commendatur. Sic sic nos licet in præcedenti vita iniqui fuerimus, si de reliquo, sicut dictum est, prudenter vixerimus; ab ipso qui parabolam hanc proposuit laudis mercedem recipiemus: quam quoniam nobis vult immensam conferre, quam vehementes in prudentia ista debeamus existere, bonus doctor voluit nos docere. Cum enim dixisset: *Et laudavit dominus villicum iniquitatis quia prudenter egisset*; quasi subdendo causam quare de prudentia illum laudaverit: *Quia filii sæculi hujus prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*, subjecit; ostendens aperte quod nos qui sæculi hujus filii fuimus, si laudem de prudentia volumus habere, filios lucis in prudentia ista vincere debemus laborare.

Filii sæculi quomodo prudentiores filiis lucis.

31. Non enim illa nobis placet sententia, qua quidam exponunt prudentiam filiorum sæculi hujus, id est quam exercent in negotiis sæcularibus, prudentia qua filii lucis beatitudinem petunt majorem esse. Quoniam sic dicitur veritas rei quæ non est ad rem quæ est, quod esse non potest comparationem fecisse: neque enim filii sæculi dum negotia sæcularia sequuntur prudentes existunt, quos potius vanitates quas appetunt & damnatio quæ sequitur, manifeste stultos ostendunt. Filii vero lucis semper prudentes sunt, quia bonis ardenter inhiant, & inhiando quærere non cessant, quæ numquam defutura cognoscant. Temporalia vero quæ ab his intentionem revocant seu possessa seu non possessa, sicut nullius essent utilitatis, ab amore mentis expellunt.

32. Qualiter ergo de illis stultis ad hos prudentes in prudentia potest comparatio fieri, nisi forte quemlibet, quod de Veritate non est sentiendum, delectet pro consuetudine locutionis mentiri? Sed concedatur ut recte possit ista comparatio fieri; numquid si omnes Deo placere studentes filii lucis intelliguntur, vera poterit illa sententia judicari? quis, inquam, avarus & temporalium bonorum providissimus conquisitor sic fuit cautus ad ea multiplicanda, ut Petrus, Paulus, & innumera millia martyrum vel confessorum utriusque sexus, & universæ nationis, conditionis, & ætatis, ad cælestia promerenda? Qui porro filii sæculi insidias invidorum & adversariorum ita caute vitaverunt, ut isti tentationes omnes spirituum malignorum frustraverunt. Illi cauti, scilicet sæculi hujus sectatores plurimi, sæpe bona temporalia quæ longo tempore suis cautelis acutissimis aggregaverant, ut periculum mortis imminens evitarent tradiderunt: hi autem lucis filii ne de bonis perennibus quæ sperantes petebant quidquam perderent, se ipsos ipsius mortis periculis subdiderunt. Prudentiores igitur illis fuerunt, quoniam & vitam incorruptibilem, & non defectura bona quæ quæsierant moriendo servaverunt. Illi vero bonis pro quorum multiplicatione prudentes putabantur, pro vitæ redemtione traditis, nec ipsam vitam retinere potuerunt.

33. Præterea etiam si vera sententia esset, nec ibi congrue poneretur, nec aliquid ibi doctrinæ pondus haberet. Restat ergo ut sicut cœperamus exponere, ad hoc posita dicatur, ut & causa quare illum de prudentia laudaverit Dominus ostendatur; & ex ipsa ostensione mens peccatoris conversi ad prudentiam, quæ laudari mereatur à Domino, succendatur. Est ergo talis sententia. Iccirco villicum illum quod prudenter egerit dominus ille laudavit: quoniam multos lucis filios cum sæculi filius esset, in ipsa prudentia superavit. Multi namque lucis filii possent inveniri, qui debitorum illorum vel nollent, vel nescirent sicut ille misertus est misereri. Filii namque sæculi hujus prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Id est tunc tantum filii sæculi hujus laudari merentur, cum filiis lucis prudentiores inveniuntur: quod naturaliter in eis evenit, quotiescumque generantur. Lucis itaque filii intelligendi sunt, qui per totam vitam suam crimina devitantes, ut ad vitam æternam perveniant fidei concorditer vivunt. Filii vero sæculi dicuntur, qui mundana lucra & carnalia desideria per fas & nefas obtinere nituntur. Filii lucis & filii sæculi qui.

34. Hi dum sequuntur ea in corruptione sunt & tendunt in non esse: cum vero quovis modo per divinam gratiam suam damnationem cognoscunt & pœnitent, quasi generantur & procedunt ad esse. Generatio namque & corruptio contrarii motus & sunt & dicuntur: unde necessarium est, ut sicut carnalium amatores dum eis insistunt, in corruptione sua sunt, & in miseriæ defectum devolvuntur: ita cum eadem carnalia incipiunt odire, & ab eis recedere, & pœnitendo ad creatorem redire, in generatione sua sint, & ad beatitudinis augmenta revocentur.


35. In hac ergo generatione sua existentes filii sæculi hujus prudentiores filiis lucis sunt.

nam si prudentiores non sunt, nondum in generatione sua sunt. Cum ergo in generatione sua sunt, prudentiores sunt: quoniam illis de suæ vitæ munditia jam securis, & ideo mediocriter agentibus, isti à sordibus quas male vivendo à patre mundo contraxere, se mundare laborant, & bona quæ perdiderant recuperare modis omnibus quibus possunt. Et utique prudentior est, qui & damnum imminens prudenter evitat, & præmium quod pluribus propositum est, eodem actu fortiter acquirit; illo, qui præmio consequendo singulariter intentus, tandem quoquomodo comprehendit. Prudentes sunt filii lucis; quoniam munditiam suam custodientes, ad finem beatitudinis tendunt: tamen à pluribus carnalia subsidia capientes, bona per quæ debent beati fieri partiuntur & quasi vendunt. Prudentiores autem sunt filii sæculi hujus in generatione sua: quia & se quantum possunt emundant, & à bonis quibus beari mereantur non cessant; nec quicquam ab aliis capere curantes, quæ possident pauperibus, & omnibus, quos lucis filios arbitrantur libenter impendunt: unde si beatius est dare quam accipere; illi prudentiores sunt dicendi; quia prudentius esse quod beatius est agere, nemo sanus cunctabitur confiteri. Prudentiores sunt filii lucis, quoniam & bene vivunt & pro aliis frequenter ad Dominum fiunt intercessores; sed prudentiores sunt filii sæculi hujus in generatione sua: quoniam ut non frustrentur beatitudine quam desiderant, multos habere quærunt adjutores: ad quam ut secure valeat quis pervenire, tutius est à pluribus adjuvari quam juvare.

36. Ut autem filii sæculi hujus in generatione sua positi hoc adjutorium à pluribus valeant habere, quicquid mundanum possident, nulla sollicitudine de crastino revocati, student quibus necessarium & dignum esse credunt erogare. Nec solum aliis filiis lucis prudentiores sunt; sed etiam seipsos lucificatos in generatione sua, de die in diem magis & magis in virtute crescendo transcendunt. Iccirco ut ad horum excellentem prudentiam hortaretur Dominus suos, non contentus exemplo proposito, subdidit sua præcepta dicens: *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, & cetera. Cum enim hoc apposuit, & prudentiam filiorum sæculi hujus quam habent in generatione sua nos imitari jussit; & formam ejus ne falli possemus, in ea piissimus præceptor patenter ostendit. Quod enim dixit: *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, & cetera; quid aliud videtur, si rationabiliter discutitur, quam si posuisset hæc verba lectoribus cognitiora? Hoc exemplar quod de villico & de prudentia filiorum sæculi hujus proposui, ad hoc vobis propositum est, ut studeatis imitari; & ut non sitis desides, & omni careatis excusatione, *dico vobis*, id est ad imitandum vos hortor mea præceptione, & quid faciendo prudentiam horum consequi possitis vos instruo in eadem exhortatione: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Hoc est, mammona iniquitatis à vobis removete, & aliis quibus sit necessarius erogate; sicque illos vobis amicos, id est adjutores præparate, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula, id est cum vestra justitia non fuerit inventa sufficiens ad vestram salvationem, in æternorum tamen tabernaculorum ipsis intercedentibus recipiamini mansionem.

37. Sed ne erretis in eo quod dicit de mammona iniquitatis putando pecuniam per nefas quodlibet adquisitam sic nominari: sciatis de ea quæ per nefas adquiritur amicos hujusmodi non posse comparari: scriptum est enim quia de rapina eleemosynam facere sic Deo gratum est, ut patri si carnificem videat coram se filium jugulare. Sed mammona iniquitatis pecunia etiam per fas adquisita nominatur: quoniam dum ei congregandæ insistitur, necessario mens ab inspiratione Creatoris, & ab ejus servitio, cui semper inhærere debet, revocatur. Quis autem sanus negabit iniquum esse pro quantolibet commodo à Creatore vel ad momentum discedere? Ideo æquum & salubre & certa temporis redemtio est pro Creatoris amore filiis lucis pauperibus erogare quicquid nos potuit vel ad horam ab ejus aspectu & desiderio separare. Et certe ratio justitiæ licet per contrarium expostulat, ut pro Dei dilectione contemnatur omne pro quo vel ad horam posuisse illum conscientia peccatoris recordatur. Mammona iniquitatis quid.

38. Idcirco bonus medicus sciens medicinam infirmitati contrariam efficacem curationis, dixit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Sed quos? Utique lucis filios maxime; sed ideo noluit determinare; quia vult suos secundum apostoli Pauli doctrinam omnibus maxime domesticis fidei sua bona communicare. Potest autem intelligi per amicos hic ipsos fructus eleemosynarum significari: qui utique suis factoribus tunc invenientur amici: quia pro ipsis ad Deum orabunt, ut ab externis mansionibus non patiatur eos separari. Hoc nobis innuit illud Spiritus-sancti præceptum: *Date eleemosynam, & ipsa orat pro vobis ad Dominum.* Isti amici vere suos amicos in æterna tabernacula cum defecerint recipient: quia cum ob præcedentia peccata jure damnationi subdendi sint, eorum excusatores & causa salvationis fient. In æterna enim tabernacula dicuntur illos recepturi: quia causa sunt quare beatam sint vitam possessuri; quæ per tabernacula ideo designatur; quia & multas habet mansiones, & quisquis eam ingreditur, velut milites in tabernaculis à labore militiæ diurnæ, ab omni labore temporalis vitæ sine fine refrigeratur. Quam nos introducat, & à miserabili labore hujus vitæ refrigeret, qui hæc quæ utcumque tractavimus docuit, & ad imitandum proposuit Jesus-Christus Dominus noster, cui non solum est gloria, sed & sibi obtemperantes incomparabiliter merita transcendendo glorificat in sæcula sæculorum. Amen.



GUILLELMI DE CAMPELLIS

EPISCOPI CATALAUNENSIS

TRACTATUS BREVIS DE ORIGINE ANIMÆ

Ex mſ. monaſterii S. Audoëni Rotomagenſis.

ADMONITIO PRÆVIA.



VILLELMUS de Campellis, cujus brevem hic habes tractatum de Origine animæ ex mſ. codice S. Audoëni Rotomagenſis, is eſt opinatiſſimus ille magiſter, *ut eum vocant Guillelmus abbas S. Theoderici & Alanus epiſcopus Autiſſiodorenſis in vita S. Bernardi ;* re & fama præcipuus, *ut fatetur Petrus Abaelardus ejus diſcipulus, ipſi aliunde non multum addictus, in hiſtoria ſuæ calamitatis ;* vir admodum litteratus & religioſus *teſte Anonymo ſcriptore ; vir* Magnus, & qui ſublimes cauſas rexerat, & tunc zelum Dei habens ſuper omnes epiſcopos totius Galliæ, divinarum ſcripturarum ſcientiâ fulgebat, *ut eum prædicat Chronicon Maurigniacenſe ; qui cum adoleſcens ſub Anſelmo Laudunenſi decano ſacris litteris operam navaſſet, archidiaconus Pariſienſis effectus & ejuſdem eccleſiæ ſcholis præfectus eſt, inde extra urbem ad cellam, ubi erat capella S. Victoris ; ſanctioris vitæ deſiderio ſecedens, celeberrimæ ordinis canonicorum regularium S. Auguſtini abbatiæ originem dedit : unde non multo poſt id eſt anno* 1113. *ad ſedem eccleſiæ Catalaunenſis evectus eſt, defunctus anno* 1121. 8. *calendas Februarii, & ſepultus apud Claram-vallem, quam vir ſanctus B. Bernardo familiaris præ aliis dilexerat. Plura reliquiſſe poſt ſe ingenii ſui monumenta, tanta viri ſummi eruditio in dubium revocare non patitur, licet perierint fere omnia. Ejus ſub nomine habemus in Bibliotheca patrum editionis Lugdunenſis* Dialogum Chriſtiani & Judæi, *quem Gilberto abbati Weſtmonaſterii jure vindicat noſter Gelberonius ad calcem operum S. Anſelmi, cui ſuffragantur veteres codices mſſ. non pauci. Albericus in chronico aſſerit eum moralia S. Gregorii abbreviaſſe & multa alia ſcripſiſſe ; & revera inter mſſ. codices Bibliothecæ Clarevallis reperimus* Moralia abbreviata Guillelmi de Campellis. *Reliqua ejus opera non ſupereſſe dolemus, interim brevi illius tractatu de Origine animæ fruere.*



TRACTATUS

WILLELMUS DE CAMPELLIS

DE ORIGINE ANIMÆ.

1. Quæstio sæpe ventilata est, qua justitia animæ puerorum qui ante baptismum moriuntur damnentur. Corpus quidem, cujus seminarium fecit in Adam, si contrahat maculam originalis peccati, non vehementer admirandum est: Anima vero quæ ab Optimo facta est, de corrupta non descendens massa, nec ex dispositione sua corpus illud cui unitur præsumens, sed ex voluntate sui Creatoris ubi posita est, ibi obedientiam suam servans, mirum videtur quare debeat damnari, nisi propter illa peccata, quæ sensualitati consentiens jam adulto corpore facit. Fides tamen ecclesiæ habet, quod si quàm statim unita est corpori moriatur puer, damnabitur anima propter reatum originis: in quo videtur esse Creatoris culpa, qui tale dedit illi hospitium, in quo necesse esset illam corrumpi.

Infantes in maternis uteris morientes damnati.


2. Unde quidam impelluntur ut dicant, animam quoque ut corpus ex traduce descendere: & sic à culpa immunis est Creator; quia anima quoque à corrupta anima patris, ut corpus à corpore, descendit. Inde etiam adducunt Gregorium Nazianzenum, sapientem virum, qui dicit quod quàm cito conjunguntur semina patris & matris, statim adest anima, sed non exercet potentias suas, sicut nec quando natus est puer, non statim discernit, nec ea dijudicat quæ post in adulta facit ætate: unde enim, ut ille ait, semen illud in virum formaretur, nisi animæ seminarium haberet? sed si ille dixit animam statim inesse seminibus, non ideo dixit eam ex parentibus descendere. Potest etiam tunc novam animam Deus infundere, quamvis nec hoc doctores Ecclesiæ consentiant, sed vel sexagesimo sexto die post conceptum, vel sexto mense novam asserant à Deo infundi animam. Quomodo ergo non sit culpandus Creator videndum est.

Anima corpori humano quando infundatur.

3. In principio creaturarum Deus fecit rationalem creaturam, id est angelum, qui de Deo notitiam haberet, & eum contemplando beatus fieret, fecit etiam corporalia, quæ nulla ratione vigerent, vel contemplatione beata fierent. Videtur ergo aliquid superfluere in magna Dei republica, ut illa bruta animalia, nisi alicui prodessent ad beatudinem, Spiritus enim his non vescebatur, nec in aliquo his indigebat. Factus est itaque ex rationali spiritu & corpore homo, qui ex natura corporali his opus habebat, ex rationali autem spiritu Deum contemplaretur, & sic se & corpus, cui junctum fuit, beatificaret: quæ duo ita quodammodo sunt inserta, ut & corpus per spiritum sensificaretur, id est illos quinque sensus haberet, & anima naturam corporis ita contraheret, ut inde sensificaret & irasceretur, vel concupisceret, vel esuriret, & cetera hujusmodi. Hac ergo lege creatus est homo, ut hominibus per successionem creandis seminarium haberet quantum ad corpus, Deus autem infunderet novas animas. Si ergo homo in obedientia perseveraret, sicut ipse sanctus & mundus esset, ita & seminarium prolis quod ab eo procederet. Sed quia ipse primus per inobedientiam corruptus est, pœnam suscepit, ut in concupiscentia generaret. Quæ ergo particula ad vim generationis procedit, ipsa quoque corrupta est. Sed si homo quod ad eum pertinebat de generatione male dispensavit, debuitne Deus incommutabilis iccirco consilium suum mutare, ut novas animas non infunderet semini, qualecumque ex parentibus procederet? Non est penes quem sit inconstantia. Facit itaque Deus quod ab æterno proposuerat: novas animas immundis corporibus infundit, non utens crudelitate, sed justam providentiam implens: nec anima habet quid queratur de Deo. Iccirco enim eam fecit, ut animando corpori eam infunderet: quod si corruptum vas invenit, ipsa quoque inde corrumpitur, idcirco necesse est ut purgetur. Nec habet anima quem possit juste accusare de malo quod patitur, nisi priores parentes quorum peccato mors intravit in mundum, quia, ut dictum est, non debuit Deus propter stultitiam hominis mutare consilium animandorum hominum: sed illud pro certo affirmare possumus quod levissime punientur, si ante baptismum anima à corpore separetur. Quod si baptismum suscepit puer, mundatus est ab omni delicto, & in hoc admiranda est maxime benignitas Dei, quæ homini post prævaricationem medicinam invenit. In his vero quæ ante baptismum pereunt, quare Deus hoc diposuerit, ut ad baptismum non pervenirent, occulta sunt judicia Dei.

Deus non injustus creando animam peccatum originale contractuam.

Pœna sine baptismo decedentis levior.



HUGONIS A S. VICTORE
LIBELLUS
DE MODO DICENDI ET MEDITANDI.

Ex ms. S. Audoëni Rotomagensis.

ADMONITIO



UNC libellum exhibuit nobis ms. codex monasterii S. Audoëni Rothomagensis ante annos quadringentos exaratus, atque ita inscriptus Hugo Parisiensis de modo dicendi & meditandi. *Stylus Victorinum Hugonem omnino repræsentat, quem, licet natione Yprensis existimetur, ideo Parisiensem fuisse dictum credimus, quod canonicus Regularis in Parisiensi S. Victoris monasterio, vixerit, scripserit, atque obierit. Sed huic libello haud erit abs re præmittere præclaram de obitu ejusdem Hugonis Otberti epistolam ad Johannem, quam ex mss. Prulliacensi eruimus.*

Dilecto sibi in Christo fratri JOHANNI frater OTBERTUS in Domino semper valere.

Pio postulas desiderio, carissime frater, quatinus de transitu dilecti tui videlicet magistri HUGONIS aliquid tibi scribam, ut secundum veritatem scire possis quomodo se habuerit in illa sua extrema ægritudine. Accipe igitur quod desideras sancte juste & pie per omnia. Sed fortassis non vis me tam breviloquum, & plenius audire de fine illius desideras. Non omnia explicare possum: pauca tamen quæ præsens vidi accipe. Hoc enim nisi fallor in petitione vestra fuit, ut nihil tibi scriberem, nisi illa quæ à me visa vel audita fuissent, non dico de pura & plena perfecta confessione, quam Domino abbati & mihi ipsi satis diligenter, & ultra humanum modum profusis lacrymis, cum magna contritione cordis fecit. Non prosequor crebram gratiarum actionem, quam pro sua præsenti ægritudine me audiente agebat Domino JESU-CHRISTO, illum psalmum sæpe de cordis exultatione eructans: *Benedictus Dominus Deus meus in æternum.* Non in his moror. Ad illa quæ circa finem vitæ suæ dixit vel fecit veniam, & de his erit nobis sequens sermo. Pridie quam de hac vita transiret, mane veni ante illum, & quæsivi ab ipso quomodo se haberet, & cum respondisset bene sibi fore in anima & corpore, dixit mihi: Est ne aliquis hic præter nos duos? Non, inquam. Et ille celebrasti, inquit, hodie missam? & cum respondissem hoc fecisse me. Accede, inquit, & insufflate in faciem meam in modum sanctæ crucis, ut accipiam Spiritum-sanctum. Quod cum prout jusserat fecissem; ipse Davidicum il-
Psal. 118. 131. lud *Os meum aperui & attraxi Spiritum*, fideliter intelligens, & apostolos ex Domini JESU insufflatione Spiritum-sanctum accepisse pie credens, aperto ore quasi

hauriebat Spiritum de ſpiritu. Et quia ſciebat ſecundum Domini ſententiam omnia poſſibilia eſſe credenti, ab homine poſſe accipere credebat quod ab homine non erat. O virum per omnia catholicum! qui jam in extremis poſitus, à ſacerdote propter miniſterium & communionem dominici corporis & ſanguinis poſſe ſibi Spiritum-ſanctum dari fideliter credidit, & tam devote expetiit. Tunc ſtatim exhilaratus, & credo Spiritu Dei confortatus, in hæc verba lætabundus erupit: Modo, inquit, ſecurus ſum, nunc in veritate & puritate ambulo; modo « fundatus ſum ſupra firmam petram & non poſſum moveri amplius. Nunc licet « totus mundus cum delectationibus ſuis veniret coram me, quaſi pro nihilo repu- « tarem, nec pro ipſo toto aliquid contra Deum facerem: modo præcipue cog- « noſco miſericordiam Dei circa me: ita ut de omnibus quæ fecit mihi Deus in tota « vita uſque ad diem hanc, nihil horum tam gratum, tam ſuave, tam acceptum mihi « eſſe poteſt, quam hoc quod in præſenti mecum facere Deus dignatus eſt. Benedic- « tus Dominus Deus in æternum. His dictis humiliter petiit ut abſolverem eum « de omnibus quæ contra Deum fecerat. Hinc dimiſi illum quieſcere, facta prius « ſuper eum abſolutione, prout petierat; & ſic receſſi à lecto ipſius. Proxima vero ſequenti nocte circa galli cantum cœpit graviter & magis ſolito infirmari, & accurrenti mihi ad eum ſtatim, ut loqui receperat, loquutus eſt mihi de ſalute animæ ſuæ. De hinc cum abſolveretur à fratribus qui aderant, ſuggeſſi ei de recipienda ſacra unctione. At ille cum gaudio ſuſcipiens verbum, præcepit nobis, ut ea quæ neceſſaria forent parare non tardaremus. Dehinc paratis omnibus, jam illuxerat dies, & fratres convenientes, circa eum fecerunt pro more viſitationem cum pſalmis & orationibus. Qua expleta, interrogavi ipſum ſi placeret ei ſacram unctionem à nobis ſtatim accipere, an vellet expectare donec domnus abbas veniret. Non enim tunc præſens erat, ſed mandatum fuerat ut celeriter venire deberet. At ille mihi reſpondens, Facite, inquit, quod facturi eſtis, quandoquidem Deus vos congregavit. Convenerant quidem ad eum multi viri religioſi, monachi, regulares canonici, presbyteri, & ceteri clerici; laïcorum etiam non defuit copia. Celebrata igitur unctione, quæſivi ab illo ſi vellet accipere Corpus Domini. Non enim erat paratum in præſenti, quia nudius tertius communicaverat. At ille cum magna increpatione reſpondens mihi, Deus meus! in- « quit, quæriſne ſi volo accipere Dominum meum? Curre cito in eccleſiam, & « affer cito Corpus Domini mei. Quod cum, prout juſſerat, feciſſem; veni ante « lectum ejus, & tenens panem ſanctum vitæ æternæ inter manus meas, adora, inquam, & cognoſce Corpus Domini tui. Ille vero erigens ſe quantum valebat, & extollens utraſque manus ſuas ad ſancta illa: Adoro, inquit, coram omnibus vobis Dominum meum, & accipio ut ſalutem meam. Deinde poſt comeſtionem corporis JESU petivit ut daretur ſibi crux quæ ibi præſens erat: quam cum accepiſſet in manus, ſignavit ſe cum eadem cruce: & poſtquam multum devote oſculatus eſt eam, accepit pedes curcifixi in os ſuum; & ſic tenens diu pedes ipſos in ore ſuo, ſanguinem qui de pedibus arte pictoris manare videbatur, quaſi infans ad ubera matris, obortis lacrymis, ſuxit. Credibile eſt quia ſicut coram aſtantibus nobis Carnem filii hominis manducaverat: ita vir ſapiens tunc etiam quodammodo viſibiliter ſanguinem ejus bibere voluit. Parvo poſt hæc interjecto ſpatio, cum ſuggeſſiſſem ei, ut diceret verſum illum, *In manus tuas commendo ſpiritum meum;* ille, credo, exiſtimans me facere quæſtionem de eodem verſu, & velle ab eo ſolutionem audire, dixit: Dominus, inquit, JESUS exiturus de hoc mundo dixit patri *in manus tuas commendo ſpiritum meum*, & ipſe pater ſuſcepit illum. Ad quem ego, Et tu, inquam, qui exiturus es de hoc mundo debes idem, ut Deus ſuſcipiat ſpiritum tuum. Proinde ille pauliſper ſecum exiſtens, & alia ducens ſuſpiria, omnibus nobis audientibus, tandem in verba prorupit, *In manu*, inquit, *& in fortitudine tua, Domine, commendo ipſum ſpiritum quem tradidiſti mihi & à te accepi.* Quo dicto, ſiluit, & irruente hora mortis ad modicum loqui non

valens, iterum rediit. Et resumpto spiritu nescio quid secum dicere cœpit, & cum quærerem ab ipso quid diceret, aperta voce respondens & ait, Consecutus sum. Et ego, quid, inquam, consecutus es?....

HUGO PARISIENSIS DE MODO DICENDI ET MEDITANDI.

Humilitas discere volenti necessaria.

1. PRincipium discendi humilitas est, cujus cum multa sunt documenta, hæc tria præcipue ad lectorem pertinent. Primum ut nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat. Secundum ut à nemine discere erubescat. Tertium ut cùm scientiam adeptus fuerit, ceteros non spernat. Multos hoc decepit quod ante tempus sapientes videri volunt, & ideo ab aliis quod nesciunt discere erubescunt. Tu verò, fili, ab omnibus libenter disce quod nescis. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Nullam denique scientiam vilem teneas, quia omnis scientia bona est. Nullam, si vacat, scripturam, vel saltem legem contemnas. Si nihil lucraris, nec perdis aliquid. Apostolus enim ait: *Omnia legentes, quæ bona sunt tenentes.* Bonus lector humilis debet esse & mansuetus, à curis sæcularibus & voluptatum illecebris prorsus alienus, & sedulus ut ab omnibus libenter discat. Numquam de scientia sua præsumat, non videri doctus, sed esse quærat, dicta sapientium quærat, & semper coram oculis mentis quasi speculum vultus sui tenere ardenter studeat.

1. Thess. 5. 21.

Studendi tria necessaria.

2. Tria sunt studentibus necessaria, natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur ut facile audita percipiat, & percepta firmiter retineat. In exercitio, ut labore & sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens mores cum scientia componat.

Ingenio & memoria polleat.

3. Qui doctrinæ operam dant, ingenio simul & memoria pollere debent. Quæ duo in omni studio ita sibi cohærent, ut si alterum desit, neminem alterum ad perfectionem ducere possit, sicut nulla prodesse possunt lucra, ubi deest custodia; & in cassum receptacula munit, qui quod recondat non habuit.

4. Ingenium est vis quædam naturaliter animo insita per se valens. Memoria est rerum & verborum & sententiarum ac sensuum firmissima animi vel mentis perceptio. Ingenium invenit, memoria custodit. Ingenium à natura proficiscitur, usu juvatur, immoderato labore retunditur, & temperato acuitur exercitio. Memoria per exercitium retinendi & assiduè meditandi maximè juvatur & viget. Duo sunt quæ ingenium exercent, lectio & meditatio. Lectio est cùm ex his quæ scripta sunt, regulis & præceptis informamur. Item lectio est per subjectam [a] sensus investigatio. Trimodum est genus lectionis, docentis, discentis, vel per se inspicientis. Dicimus enim, lego librum illi, & lego librum ab illo, & lego librum.

De meditatione.

5. Meditatio est frequens cogitatio cum consilio, quæ causam & originem, modum & utilitatem uniuscujusque rei prudenter investigat. Meditatio principium sumit à lectione, nullis tamen struitur regulis aut præceptis lectionis. Delectatur enim quodam aperto discurrere spatio, ubi liberam contemplandæ veritati aciem affigat; & nunc has, nunc illas rerum causas perstringere, nunc autem profunda quæque penetrare, nihil anceps, nihil obscurum relinquere. Principium ergo doctrinæ est in lectione, consummatio in meditatione. Quam si quis familiarius amare didicerit, eique sæpius vacare voluerit, jocundam valde reddit vitam, & maximam in tribulatione præstat consolationem. Ea enim maximè est quæ animam à terrenorum actuum strepitu segregat, & in hac vita etiam æternæ quietis dulcedine, quodammodo prægustare facit. Cùmque jam per ea quæ facta sunt, eum qui fecit quærere didicerit & intelligere, tunc animam pariter & scientia erudit & lætitia profundit: unde fit ut maximum in meditatione sit oblectamentum.

Meditationis tria genera.

6. Tria sunt genera meditationis. Unum constat in circumspectione morum, aliud in scrutatione mandatorum, tertium in investigatione divinorum operum. Mores sunt in vitiis & virtutibus. Mandatum divinum aliud præcipiens, aliud promittens, aliud terrens. Opus Dei est & quod creat potentia, & quod moderatur sapientia, & quod cooperatur gratia. Quæ omnia quanta sint admiratione digna tanto magis quisque novit, quanto attentius Dei mirabilia meditari consuevit.

Memoriæ commendanda quæ sumus edocti.

7. Memoria colligendo custodit ea quæ ingenium investigat & invenit. Oportet enim ut quæ discendo divisimus, commendanda memoriæ colligamus. Colligere est ea de quibus prolixius vel scriptum vel disputatum est ad brevem quamdam & compendiosam summam redigere: quæ à majoribus epilogus, id est brevis recapitulatio supradictorum appellata est. Memoria enim hominis brevitate gaudet, & si in multa dividitur, fit minor in singulis. Debemus ergo in omni studio vel doctrina breve aliquid & certum colligere, quod in arcula memoriæ recondatur, unde postmodum cùm res exigit aliqua deriventur. Hæc etiam sæpe replicare & de ventre memoriæ ad palatum revocare necesse est, ne longa intermissione obsoleat.

Animæ rationali tres visiones.

8. Tres sunt animæ rationalis visiones. Cogitatio, meditatio & contemplatio. Cogitatio est

[a] Deest hic aliquod verbum.

cum mens notione rerum transitoriè tangitur, cùm ipsa res sua imagine animo subitò præsentatur, vel per sensum ingrediens, vel à memoria exsurgens. Meditatio est assidua ac sagax retractatio cogitationis, aliquid obscurum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio est perspicax & liber animi intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusas. Inter meditationem & contemplationem hoc interesse videtur, quod meditatio semper est de rebus à nostra intelligentia occultis; contemplatio vero de rebus vel secundum suam naturam vel secundùm capacitatem nostram manifestis: & quod meditatio semper circa unum aliquid rimandum occupatur; contemplatio autem ad multa vel etiam ad universa comprehendenda diffunditur. Meditatio itaque est vis quædam mentis curiosa ac sagax obscura investigare & perplexa evolvere. Contemplatio est vivacitas illa intelligentiæ, quæ cuncta in palam habens manifesta visione comprehendit, & ita quodammodo id quod meditatio quærit, contemplatio possidet.

Meditationis & contemplationis discrimen.

Contemplationis duo genera.

9. Contemplationis autem duo genera sunt, unum quod & primum est & incipientium in creaturarum consideratione, aliud quod ultimum & perfectorum est in contemplatione creatoris. In Proverbiis Salomon quasi meditando incessit, in Ecclesiaste ad primum gradum contemplationis ascendit, in Canticis canticorum ad supremum se transtulit. Ut igitur tria his propriis vocabulis distinguamus, prima est meditatio, secunda est speculatio, tertia est contemplatio. In meditatione mentem pia devotione succensam perturbatio carnalium passionum importune exsurgens obnubilat: in speculatione novitas insolitæ visionis in admiratione sublevat: in contemplatione miræ dulcedinis gustus totam in gaudium & jocunditatem commutat. Igitur in meditatione est sollicitudo, in speculatione admiratio, in contemplatione dulcedo.

Tria in expositione.

10. Expositio tria continet, litteram, sensum, sententiam. Littera est congrua ordinatio dictionum, quam etiam constructionem vocamus. Sensus est facilis quædam & apta figuratio, quam littera prima fronte præfert. Sententia est profundior intelligentia, quæ nisi expositione vel interpretatione non invenitur. In his ordo ut primum littera, deinde sensus, postea sententia requiratur: quo facto, perfecta est expositio.

Vanitatum tria genera.

11. Tria sunt genera vanitatum, prima est vanitas mutabilitatis quæ omnibus rebus caducis inest per conditionem. Secunda est vanitas curiositatis vel cupiditatis, quæ mentibus hominum inest per rerum transientium & vanarum inordinatam dilectionem. Tertia est vanitas mortalitatis, quæ corporibus humanis inest per pœnalitatem.

Eloquentiæ munia.

S. August. lib. 4. de Doct. Chr. cap. 14.

12. Dixit quidam eloquens & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Demum addidit, Docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas in rebus est constituta quas dicimus, reliqua duo in modo quo dicimus. Qui ergo dicendo nititur persuadere quod bonum est, nihil horum spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, ut flectat; oret atque agat ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur. Quod cùm aptè & convenienter fit, non immeritò eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc tria, id est ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur, pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquii, cum itidem dicit: Is igitur erit eloquens, qui poterit parva summissè, modica temperatè, magna granditer dicere. Discat quidem omnia quæ docenda sunt qui & nosse vult, & docere, facultatemque dicendi ut decet virum ecclesiasticum comparet. Qui vero dicit cùm docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse quod vult, ei quem vult docere; quia etsi dixit quod ipse intelligit, nondum ipsi dixisse putandus est à quo intellectus non est. Si verò intellectus est, quocumque modo dixerit, dixit. Divinarum igitur debet scripturarum doctor & defensor rectæ fidei, & debellator erroris, & bona docere, atque in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agitur quid expectare debeant intimare. Ubi autem benivolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cetera peragenda sunt, sicut causa postulat. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est; si tamen indigeat ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est.

ALCUINUS.

Et Marcus Tullius ait: Thesaurus est omnium rerum memoria, quæ nisi custos cogitatis inventisque rebus & verbis adhibeatur; intelligimus omnia, etiamsi præclare fuerint, in Oratore peritura. Non habemus alia ejus præcepta nisi discendi exercitationem & scribendi usum & cogitandi studium & de ebrietate cavenda, quæ omnibus bonis studiis nocet & menti adimit integritatem.





HUGONIS
ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS
DIALOGORUM,
SEU QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM
LIBRI VII.

Ex duobus mss. uno Colbertino, altero Rothomagensi domini Greboualdi.

ADMONITIO PRÆVIA



HUGONIS archiepiscopi Rothomagensis Dialogorum libros habui beneficio Cl. viri Stephani Baluzii, qui ex manuscripto Colbertino 122. propria manu descriptos, atque editioni jam paratos sponte mihi obtulit. Hos ut accepi, statim cum veteri codice Cl. viri Domini Greboualdi ecclesiæ parochialis S. Petri apud Rothomagum rectoris dignissimi contuli, qui codex ante annos quingentos exaratus ad auctoris ipsius ætatem accedere videtur. Ex utriusque autem codicis collatione nonnulla animadverti, quæ hic adnotare juvat. Primò in codice Colbertino desideratur integer liber septimus, desiderantur & in fine libri tertii & initio quarti folia septem. Secundò plurima passim addita sunt in Greboualdino manuscripto, quæ desunt in Colbertino. Tertiò non eadem est in utroque librorum distributio. Quartò nec procemialis ad Mathæum epistola in utroque eodem modo incipit. Nam in Colbertino sic se habet: Incipit epistola Hugonis Radingensis abbatis : *In Greboualdino vero ita :* Incipit epistola Hugonis Rothomagensis archiepiscopi ad Matthæum Albanensem episcopum. *Sed neque idem est in utroque ejusdem epistolæ finis. Quippe in Colbertino est hujusmodi :* Nos enim una generis consanguinitas, & ejusdem professionis in Christo junxit societas, quos Laudunense solum educavit & docuit. Sed te patria tenuit, me obedientia exsulem in Anglia fecit. Te Parisius apud S. Martinum lætatur habere priorem, me Radingia indignum servat abbatem, Matthæe frater. *In Greboualdino verò ita :* Nos enim una generis consanguinitas, & ejusdem professionis in Christo junxit societas, quos Francia genuit, quos Laudunense solum educavit & docuit, quos veste Christi Cluniacus induit; sed te postmodum sedes apostolica Albanum elegit habere Pontificem; me missum in Normanniam præcepit esse Rothomagensium sacerdotem, Matthæe carissime Pater & Domine. *Ex quibus omnibus erugre mi-*

bi videor, primò Hugonem Dialogorum libros conscripsisse cùm esset abbas Radingensis in Anglia, deinde factum Archiepiscopum Rothomagensem, cùm intellexisset illos omnibus fore acceptos ac cunctorum manibus teneri, eosdem variis accessionibus auctos expolivisse, quas quidem additiones, ut facilius lectores advertant, ansulis includere curavimus: annotatis etiam inferiori margine mutationibus passim ab eo factis.

Ex fine autem istius epistolæ discimus quis fuerit Hugo noster, quæ ejus patria, quæ professio, quæ dignitates: Nos, *inquit*, Francia genuit. *Ergo Gallus erat, non Anglus natione, ut docuerunt nonnulli.* Ambianensem *eum vocat Ordericus Vitalis in Historiæ Ecclesiasticæ libro 12. in fine; cui concinit Gaufridus Vosiensis prior in Chronico cap.* 18. *ubi dicitur Hugo* d'Amians, *mendosè in editis* Damiani. *Ipsum tamen* Laudunense solum educavit & docuit, *fortè quod in ecclesia Laudunensi beneficium aliquod ecclesiasticum obtineret, uti & Matthæus, cui suum opus nuncupavit. Consanguineus erat istius Matthæi, de quo Petrus Venerabilis libro 2. Miracul. cap. 4. ita habet:* Fuit autem hic non obscuri secundùm carnem generis, ortus ex Remensi provincia, utroque parente & nobilitate, ut dictum est, insignito, & mundanis opibus locuplete. Hic in pueritia litteris traditus est, & postquam adolevit in Laudunensi ecclesia clericale officium adeptus est. *Hinc colliges Hugonem non solum in ecclesia, sed etiam in sæculo fuisse illustrem.*

Professionem suam nobis indicat his verbis. Nos una generis consanguinitas, & ejusdem professionis in Christo junxit societas... quos veste Christi Cluniacus induit. *Cluniacensem quoque monachum fuisse docet Ordericus Vitalis loco citato, idque confirmat Petrus Venerabilis lib. 6. epistola ad eumdem scribens in hæc verba:* Quid magis vel rapere cor meum ad amandum, vel movere manum ad scribendum poterat, quàm tam sancta, tam benigna, tam longæva in sancto proposito, à primis ferè adolescentiæ annis usque ad senilem magis labore divino, quàm annorum numero fractam ætatem perseverantia vestra? Quid magis movere poterat, quid movere debebat, quàm illa jam antiqua, cujus vos non immemorem esse credo, mihi & vobis paucisque aliis nota rerum Cluniacensium recordatio? Non excidit mente, qualiter primo juventutis vestræ tempore inter antiquos illos reipublicæ nostræ senatores, vos insignem viderim.

Ex hac republica assumtus ad varias claustri & ecclesiæ promotus est dignitates. Abbatialis & archiepiscopalis ex ejus epistola nobis innotescit. Verum antea prioris exercuisse officium docet Petrus Venerabilis epistola citata. Taceo, nec vivens oblivisci potero, quod à cœpto sanctæ religionis proposito in diversis ecclesiasticorum honorum gradibus, vultus vestri non sunt in diversa mutati: sed tam apud nos quàm semotus à nobis, prior, abbas, summusque tandem pontifex Dei, meritò virtutis ac scientiæ bonus semper, juxta Apostolum, odor Christi in omni loco fuistis. *An prioris dignitatem in Cluniacensi cœnobio obtinuerit ex verbis Petri Venerabilis non satis liquet. Verum anno* 1115. erat prior S. Martialis *(Lemovicensis)* Hugo D'AMIANS, qui religionis titulo cathedralem metropolitanæ Rothomagensis ecclesiæ postmodum perornavit, *ut scribit Gaufredus Prior Vosiensis. Non multo post jubente Pontio Cluniacensi abbate in Angliam transmigravit, ut ibi insigne S. Pancratii monasterium Cluniacensi subjectum regeret. Illud administrabat anno* 1123. *quo* decimo septimo calendas Maii Hugo prior de S. Pancratio efficitur abbas de Radingo, *teste Matthæo Wesmonasteriensi. Quæ tamen extat in Monastico Anglicano charta fundationis Radingensis monasterii anno tantum* 1125. *data est. Verum antea poterant esse Radingæ cum suo abbate monachi, qui construendis perficiendisque regularibus cœnobii locis operam dabant, antequam charta fundationis conderetur.*

Eo tempore, Matthæo Parisiensi monasterii S. Martini à Campis priore hortante, Hugo Radingensis abbas scribendis sex Dialogorum libris animum adjecit, quos eidem Matthæo nuncupavit antequam ille à sede apostolica Cardinalis & episcopus Albanensis crearetur, id quod juxta Ughellum in Italiæ Sacræ tomo 1. *anno* 1125. *contigit. Missos sibi gratanter accepit Matthæus, legendosque omnibus passim exposuit. Quapropter Hugo ad Ro-*

thomagensis ecclesiæ infulas anno 1130. *ut scribunt Ordericus Vitalis, Robertus de Monte, & Matthæus Westmonasteriensis, sublevatus, cùm intellexisset libros suos ab omnibus passim probari, eosdem recognovit & elimavit, addito integro libro septimo. Et in primo quidem agit de* Summo Bono, *hoc est de Deo ipso, in secundo de Creatura, in tertio de libero præsertim arbitrio, in quarto de lapsu hominis, in quinto de peccatorum remediis, hoc est de sacramentis, in sexto de monachis & æterna felicitate, denique in septimo varia Trinitatis vestigia in creatis repræsentat. Nullum in mss. codicibus præferunt titulum; sed Arnoldus Wionius qui sex primos libros viderat in Mantuano S. Benedicti monasterio* Quæstionum Theologicarum *nomine eos insignivit, forte quod theologicæ variæ quæstiones non minus doctè quàm subtiliter in eis versentur. Eodem eos titulo donat Antonius Possevinus in Apparatu sacro & Pithsæus de illustribus Angliæ scriptoribus, ubi Hugonem nostrum confundit cum altero Hugone abbate Radingensi, qui sub finem sæculi* XII. *factus est abbas Cluniacensis hoc nomine quintus. Verum Hugo ipse sincerum librorum suorum titulum nobis designavit in Tractatu super Genesim ubi citat quæ* in secundo Dialogi nostri libro *dixerat. Ut tamen eos auctores cum Hugone ipso aliquatenus conciliemus, hunc ejus operi titulum præfigere libuit* Dialogorum seu quæstionum Theologicarum libri VII.

Quodnam vero de his ferendum sit judicium disces ex Balæo Cent. 3. cap. 20. Hugo Rheadingensis, *inquit*, honesta olim familia genitus, relictis fortunis cum strepitu paternæ domus, claustri quietem sub monasterialibus umbris amplectebatur. Nec alia ab eo hoc factum est ratione, quàm ut opportunè bonis artibus invigilaret. Delegit sibi in præceptores, dum monachus esset, viros doctrina præcellentes; quorum anxius inhærebat vestigiis, donec & ipse parem sibi cum illis & gloriam & famam peperisset. Fuit enim ex labore magno & assiduo theologiæ consultissimus. Hanc illi virtutem, inquit Lelandus, tum educatio, tum diligentia insignem fecit. Quæstiones plures non de trivio petitas, sed potius ex penetralibus scripturæ, in suos numeros redegit, & redactas tanto penetravit acumine, ut dedisse illis lumen potius quàm aliunde petiisse videatur. *Hinc colliges Petrum Venerabilem non adulatorio ad Hugonem nostrum animo scripsisse :* Non excedit quantum eruditio & religio vestra sacrum illum ac magnum Cluniacensium ovium gregem decoraverit.

Præter hos Dialogorum seu Quæstionum theologicarum libros, aliquos etiam scripsit in Genesim, quos Arnulfo Lexoviensi episcopo dicavit, horum fragmentum ex ms. codice Grebovaldino ubi erant imperfecti, hic dabimus. Scripsit insuper vitam S. Adjutoris monachi Tironiensis, quam diu frustraque à Bollando quæsitam ex autographo ipso erutam dedit mihi noster Julianus Belaise, *vir planè eruditus. Præterea tres de hæresibus edidit libros Alberico Ostiensi episcopo nuncupatos, & à nostro Luca Dacherio in appendice ad Guiberti opera publica luce donatos. Quibus ex omnibus patet Hugonem nostrum non vulgari eruditione fuisse præditum, dignum plane omnibus elogiis quibus à nominatissimis ævi sui viris, Innocentio secundo summo pontifice, Bernardo Clarevallensi, & Petro Cluniacensi abbatibus ornatus est.*

INCIPIT EPISTOLA

Hugonis Rothomagensis archiepiscopi ad Matthæum Albanensem episcopum.

De multis interrogas & plura proponis, nec me minus idoneum qui respondere debeam importunus attendis. Prætendo tibi sacra doctorum volumina subtilibus admodum sententiis plena, verborum decore perspicua. Sed inertem te video, dum ea præ multitudine refugis, pro A subtilitate repellis; & me, licèt sensu tenuem, durus exactor ad solvendum protrahis. Quod autem valde mirandum est, brevem de maximis, levem de gravissimis responsionem tibi postulas fieri. Sed quid agis? Cur his quæ ordiri cœperas tam multa interseris? Tuæ quidem impetu voluntatis incœpta sæpius interrumpis,

rumpis, & quæstionum ordinem vagabundus offendis. De creatione quæris, & ad ejus creaturam quàm sæpe recurris. De creatura rationali, tam ea quæ cecidit, quàm ea quæ stetit, de bono & malo quid sit, de libertate arbitrii & dispositione Dei, de gratia [a] redemtoris nostri, & de sacramentis, indebitum me respondere compellis. Magnis sanè doctoribus ista sunt proponenda, non opinando, sed veris assertionibus enodanda, aut quod validius est, divinis auctoritatibus comprobanda. Divinis quidem eloquiis nemo justus obviat, rationem nemo sobrius impugnat, Ecclesiam nemo fidelis exasperat. A pluribus plura fieri debere dicis volumina, ut eadem res diverso dictamine, non diversa fide, plurimos erudiat & ad veritatem via caritatis perducat. Dum itaque tuæ dilectioni parere compellor, detractores è contrà sentio, quos silentio quidem meo judicavi sedandos, sed tua caritate fari & scribere cogor. Hoc tamen à te exigendum puto, ut quæcumque in meis responsionibus inveneris vera, Deo attribuas; quæ autem non vera videris, mihi penitus ascribas, nec recipias, sed mutua caritate, ut corrigi debeant, mihi benignè referas. Nos enim & una generis consanguinitas & ejusdem professionis in Christo junxit societas [quos Francia genuit] quos Laudunense solum educavit & docuit, [b] quos veste Christi Cluniacus induit. Sed te postmodum sedes apostolica Albanum elegit habere pontificem; me missum in Normania præcepit esse Rotomagensium sacerdotem, Matthæe carissime pater & domine.

Explicit epistola.

---

[c] HUGONIS RODOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI LIBER I. INCIPIT.

De Summo Bono.

I. Deus summè verus & verè summus, simplex est bonum, perfectum, incommutabile, solum. Quod de simplici bono genitum est, pariter simplex est. Quapropter & hoc idipsum esse necesse est quod illud unde genitum est. Hæc duo, Patrem & Filium dicimus, de quibus procedit Spiritus sanctus pariter simplex, incommutabilis & coæternus. Tria hæc, quia non essentia [d] nec differentia discreta sunt, numerari nesciunt. Non est hæc trinitas unitate major, nec unitas ipsa trinitate minor. Manet enim trinitas hæc omnino simplex. Quare non potest fieri multiplex. Hujus Trinitatis tam simplicis [e] rara nobis notitia traditur ubi, in capite libri Geneseos, rectè præmittitur: *In principio creavit* *Deus.* ac deinde sequitur: *& Spiritus Domini superferebatur.* Deus namque in principio, hoc est, Pater in Filio, creavit omnia. Quòd autem Filius principium sit, ipse testatur, ubi ait: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Ipse quidem verè principium dicitur omnis creaturæ, qui eam sua omnipotenti virtute de nihilo voluit facere; cui dum Spiritus Domini superferri memoratur, Trinitas cooperata monstratur. Creatorem itaque & creaturam considera, & quis & per quid & quare eam fecerit pensa. Pater enim est qui facit, Filius verò per quem facit, Spiritus-sanctus causa est qua fieri [omnia] placuit. Summa quidem illa quæ Deus est essentia in sua sibique consubstantiali sapientia pro sua immutabili benivolentia facit universa, omni carens indigentia, bonus bona, unus omnia. Item cùm dicitur à Moyse, *Dixit Deus, fiat lux*, & sic de ceteris, sequiturque per singula, *Vidit Deus quia bonum est*, eadem Trinitas in singulis agens operibus signata est. Filius Dei, sicut principium est omnis creaturæ ut sit, ita & eidem Verbum est ut bene facta manendo bona sit; ut cui faciendæ principium extitit, eidem jam factæ & Verbum sit. Creat enim, & creans loquitur, dum suis singula subdit legibus, distinguit ordinibus, signat temporibus. Inde fit quòd creatura, dum ejus instituta non transgreditur, pulchra quidem & honesta nominatur. Quæ autem instituta transgreditur, mox indecens & rea culpatur. Qui itaque creandis principium est, & creatis Verbum est. Quæ duo, se unum esse ostendit ubi ait: *Ego sum principium, qui & loquor vobis.* Spiritus quoque Domini, sicut creaturæ superferri prædictus est ut ipsa sit, ita jam factam videt ut bene sit. Hoc autem videre idem est quod placere. Cui enim placuit ut omnia faceret bona, eidem placet ut bene facta maneant bona. Auctor iste cunctis est excellentior, quia potest omnia. Ars qua facit omnibus est præstantior. Novit enim singula. Causa quare facit universis est melior. Nam bona permanens, bona facere semper amat. Hæc tria coëterna sunt, & simul summa sunt, & simplex unum sunt. Tria propter personarum proprietatem, unum propter inseparabilem deitatem. Inde est quòd cùm aliquid de singulis secundum substantiam dicitur, hoc simul de omnibus, non pluraliter, sed singulariter prædicatur. Ut cùm verè dicitur, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus-sanctus est Deus, non tres Deos dicere possumus, sed unum simpliciter prædicamus, qui divinam essentiam simpliciter unam & unicè simplicem adoramus.

II. Interr. Quid quæso est quod secundùm substantiam dicere voluisti, cùm de Deo nihil secundùm accidens possit dici?

Responsio. Summa illa & perfecta essentiæ simplicitas, quam dicimus Deum, nec re

Marginalia: [e] Trinitatis notitia in scriptura. Gen. 1. 1. — Ibid. 2. — Joan. 8. 25. — Gen. 1. 3. — Joan. 8. 25 — In Deo nullum accidens.

[a] *Al.* redemtionis nostræ.
[b] *Codex Colbertinus*: sed te patria tenuit, me obedientia exulem in Anglia fecit. Te Parisius apud Sanctum Martinum lætatur habere priorem, me Radingia indignum servat abbatem, Matthæe frater.
[c] *Codex Colb.* Incipit liber Hugonis abbatis Radingensis.
[d] *Colb.* differunt.
[e] *Colb.* rata.

cipit augmentum, nec tolerat detrimentum. Non patitur varietatem, quia nescit mutabilitatem. Ubicumque enim mutabilitas ibi & multiplex est accidentalium vicissitudinum congesta varietas. Quapropter in omni re mutabili quod non secundùm substantiam dicitur, restat ut secundùm accidens dicatur; ut cùm de substantia quæ homo est quæritur qualis sit & quantus, vel ad quid referatur, si stet, jaceatne, si galeatus sive ornatus sit, ubi positus, quando natus, si agat aliquid aut patiatur. Hujusmodi namque in prædicamentorum distinctione noscuntur: quæ sunt, qualitas, quantitas ad aliquid, situs, habitus, locus, tempus, agere, pati. Deo autem nihil accidens est, in quo mutabilitas nulla est; sed tamen relativè Pater ad Filium, & ad Patrem Filius, & ad utrumque refertur amborum Spiritus. Quod equidem non ut accidens in Deo dicitur, quia æternaliter iste est Pater, & ille est Filius, & amborum Spiritus-sanctus, sine omni mutabilitate tres personæ, unus Deus.
Joan. 10. 13. Unde pluraliter & singulariter dicitur: *Ego & Pater unum sumus. Unum* dicit & *sumus. Unum* secundùm essentiam quæ est Deus, *sumus* secundùm relationem: quia hic Pater, iste Filius, ille utriusque donum est Spiritus-Sanctus.

III. INTERR. Cùm multi temporaliter per gratiam Dei renascantur, temporaliterque eorum pater aut dominus seu magister vel amicus incipiat dici Deus, nonne relatio ista, tempore quidem cœpta, Deo secundùm accidens adesse convincitur?

RESP. Quod relativè ad renatos in gratia Deus temporaliter dici incipiat non negamus; sed tamen hoc in Deo esse accidens sentire sacrilegium protestamur. Nos quidem incipimus eum dicere quem scimus initium non habere, cui nec futura veniunt, nec præterita transeunt, sed præsentia cuncta persistunt. Unde suos non novo consilio colligit, nec nova caritate diligit. Sed dum sui ad eum refugiunt & convertuntur, eo non immutato, bene illi mutantur; sicut cùm à Deo resiliunt, eo quoque immoto, malè ipsi mutantur; sitque ut cum bonis placidus malisve iratus Deus dicatur, illis utique mutatis, ipse non mutatur; sicut una eademque splendoris claritas & sanis oculis est jocunda & infirmis aspera.

IV. INTERR. Tua mihi responsio placet. Sed quomodo qui simplex bonum est, Deus Trinitas est? Cùm enim trinitatem Dei aut trinum Deum dici audio, triplicem deitatem audire me videor Sed dum fidem catholicam ipse respicio, fateor, erubesco, quia Deum non simplicem, sed pro trinitate multiplicem sentire me sentio.

RESP. Tua quæso prudentia penset quia corpora mole quidem sua sunt magna. Unde fit ut hoc majus ad illud minus aliquando sit duplex, aliquando triplex, vel pro partium
[a] quantitate [a] qualibet multiplex. In spiritalibus verò, quæ non mole magna sunt sed virtute, cùm bonus adhæret meliori, sicut spiritalis creatura creatori, quod quidem caritate fit, major efficitur illa quàm ante fuerat, sed virtute, non mole. Hoc autem est ei majus esse quod melius esse. Qui enim, teste Apostolo, adhæret Domino, unus spiritus fit cum ipso, & ita fit major quia melior. Quare hæc majoritas non est multiplicitas, sed simplex caritas. Cùm itaque illud quod Deus est constet quia perfectè verum est & verè perfectum, incommutabili veritate & perfectione summum est. Quare in Trinitate quæ Deus est alius alio major non est, quia verior sive perfectior alius alio minimè est. Quicquid itaque illud est quod Deus est, sua in se omnipotenti virtute perfectum est. Non est quo crescat aut defluat perfectio tanta. Unde nec triplex potest dici, sed trinitas. Tam vera enim est naturæ illius simplicitas, ut trinitas non sit unitate major, nec unitas trinitatę minor; in quo non est moles corporea seu demutatio aliqua, sed summæ perfectionis & integritatis perpes stabilitas. Non est itaque major simul Pater & Filius & Spiritus-sanctus, quàm solus Pater aut solus Filius aut solus Spiritus-sanctus. Bene quidem dixi, solus. Alius est enim Pater, alius Filius, alius, Spiritus-sanctus. In illa namque essentia, unitate salva, personarum manet divisio, non confusio; nec tamen talis divisio qua impar aliquid altero sentiatur in aliquo.

In Trinitate non unus alio major aut minor.

V. INT. Te quidem libenter audio. Sed quomodo Trinitas in unitate, seu unitas in Trinitate sit, nequaquam intelligo.

RESP. Sunt quædam quæ nec sensibus corporis nec ratione mentis in hac mortali vita cognoscimus, sed sola fidei notione videmus. Fidei sane conditio eò verior est, quò divina auctoritate subnixa validior. In his namque quæ sensu carnis capimus, sæpissime fallimur; & dum carnis corruptæ molestia nostræ mentis oculos instanter reverberat, pauca quidem sunt quæ ratio nostra rectè diffiniat. Sed sola fides catholica certissimè novit quicquid mater Ecclesia Spiritu Domini docente percepit. Hoc indubitanter annuntiat, Deum in trinitate unum, in unitate trinum; quem nec unitas solitarium, nec trinitas facit divisum. Hoc ex parte per fidem in præsenti vita tangimus, quod postmodum caritate perfecta perpetuò videbimus. Hinc ait Apostolus: *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Ne mireris ergo si minùs videndo laboramus. Quamdiu enim ex parte sumus, imperfectè videmus. Hoc autem imperfecto tandem evacuato, in alia vita perfectè videndo, quiescemus in Toto, hoc est, in Deo. Audi attestantem Apostolum. *Tunc*, inquit, *cognoscam, sicut & cognitus sum.* Ibi per ipsam præsentiam incommutabilis veritatis Deum Patrem cum Verbo ejus unigenito & amborum Spiritu-sancto ita plenè cognoscemus, ut in comparatione illius cognitionis nos ipsos in præsenti vita permodicùm agnoscamus. Cùm itaque illud ineffabile quod est Deus ut-

Trinitatis mysterium non rationis sed fidei lumine cognoscimus.

1. Cor. 13. 8.

1. Cor. 13. 12.

[a] *Colb.* quodlibet.

cumque in præsenti vita eloqui volumus, quod tamen ut est fari nullo modo possumus. (Verius est enim quàm mente concipitur, & verius mente concipitur quàm ore profertur) pro fidei veritate tres personas dicimus, non ut disferamus, sed ne taceamus. Loquendi siquidem causa, cùm aliquando doctrinæ cogit utilitas, aut contra hæreticos disceptandi necessitas, respondemus: quia quod dicitur in deitate trinitas designamus, dicendo tres personas. Quod enim à Græcis tres [a] subsistentiæ, una essentia, de Deo dicitur, nos Latini [b] tres personas, unam substantiam, vel quod verius est essentiam prædicamus. His namque verbis proferimus quod sine verbis mente concipimus. Hac de causa præ dicendi penuria hoc verbum, quod est apud Latinos persona, ad respondendum elegit Ecclesia, pro quo Græcus catholicus ponit [c] subsistentia. Nos itaque Latini tres personas in deitate dicimus, non ut diversitatem tam simplicis naturæ sentiamus; sed singularitatem nolumus, qui in unitate trinitatem colimus.

VI. INT. Quod in deitatis essentia, quæ verè una est, trium tamen personarum rata distinctio est, quia non intelligo, admirari non desino.

RESP. Sicut de Deo miraris quod & ipsum credendo sentis, & tamen ut est nequaquam intelligis, ita & tu si te ipsum intenderes, te tibi miraculum esse invenires. Quod equidem scires, nec tamen diffinire posses.

VII. INT. Quid illud est?

In homine corpus & animæ diversa sunt in substantia, unum in persona.

RESP. Dic, inquam, corpus tuum & anima tua, cùm sint diversa in substantia, quonam modo unum sunt in persona? Hoc sanè corpus & hæc anima, de te loquor, tibi duo sunt individua, diversa in natura. Quis, te scilicet dico, unum individuum facit ea?

VIII. INT. Bene quidem me repressisti, me ipsum mihi me nescientem ostendisti. Meipsum, ut dixisti, scire me sentio. Sed ut verum fatear, quid sit quod scio, differere nescio.

RESP. Sicut te diversum in substantia, unum in persona, habere nosti, sed diffinire non nosti, sic te docet mater Ecclesia, quia unus Deus in essentia, trinus est in persona. Hoc est, carissime, quod te fideliter oportet credere, licet ipsum ut est in præsenti non possis ipse differere. Ambula per fidem, ut pervenias ad cognitionem. *Videmus* enim *nunc*, ut ait Apostolus, [per speculum] *in ænignate, tunc autem facie ad faciem.* (1. Cor. 13. 12.)

IX. INT. Quid est hoc speculum per quod, teste Apostolo, nunc in ænigmate videmus Deum?

Homo speculum in quo Deus videri, sed in ænigmate potest.

RESP. Moyses in Genesi scripsit quia Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit. Hanc imaginem, ut sentimus, speculum appellat Apostolus. In hac enim imagine tamquam in speculo Deum ad præsens valemus inspicere, sed in ægnimate, id est, in

A magna obscuritate. Rationalis quidem anima ad imaginem Dei facta, simul habet tria, videlicet quòd se intelligit, & sui meminit, & sese diligit, cùm tamen una sit. In qua id quod dicitur intelligentia memoriam quasi generat. Quod enim scit, se scire meminit. Nam quomodo meminit nisi quomodo priùs scivit vel intellixit? Ex hoc utroque amor bene procedit, cùm amat intelligere se [d] quod meminit, & meminisse [e] quod intelligit. Attende etiam hæc tria sic esse æqualia, ut quemadmodum intelligit quòd sui meminit seque diligit, ita meminit quòd se intelligit

Tria in anima.

B & diligit, ita quoque diligit quòd se intelligit & sui meminit. Ex hac imagine [ipsum] credendo considera quem hæc imago designat. Sic enim, sed dissimiliter, sic Deus Pater Filium genuit æternaliter, & ex utroque procedit Spiritus-sanctus perpetualiter. Sed licèt trium sit divisa persona, una tamen trium manet essentia, una omnipotentia, idem honor, eadem gloria. Cùm itaque summa beatitudo illa Verbum sibi consubstantiale & coomnipotens perpetuò gignit, ô quàm ineffabile gaudium æternaliter inde procedit! Verbum hoc non à Deo factum, sed de Deo genitum, æternaliter dicit Patrem, & se ipsum & ab utroque

C [f] procedentem Spiritum.

X. [INTEROGATIO. Quid est Patrem Filium gignere? quid Verbi dicere? quid est Spiritum-sanctum ab utroque procedere?

Quid in Deo sit Patrem gignere Filium, quid Verbi dicere, quid Spiritum-sanctum ab utroque procedere?

RESP. Idem est Patrem gignere Filium] quod est suam non aliunde, sed ex se sapientiam semper habere. Creaturam sanè suam non ex se, sed aliunde sapientiam constat habere; cui aliud est esse, aliud sapientem esse. Sed summæ illi essentiæ quæ Deus est, id ipsum est esse quod sapientem esse. Quapropter adoramus sine differentia cum genitore genitum, ut coæternum & consubstantialem Patri Filium. Est autem Verbi hujus dicere, simul omnia semper scire. Sic etiam à Patre & Filio Spiritum-sanctum procedere idem est quod nota omnia pariter amare. Semper autem ab utroque procedit qui semper diligit. Hæc tria simul sunt coæterna, simul unum in essentia, quapropter simul adoranda. Tria namque sunt, persona, non essentia; unum, essentia, non persona. Hoc ipsum manifestat angelis Verbum de Deo natum, hoc ipsum hominibus nuntiat Verbum caro factum. Vident angeli, & beatificantur; credunt homines, & justificantur.

E Sicut autem verbum cordis tui sonat in auribus meis vocale factum, sic Verbum Dei in nobis apparuit carne vestitum, loquens angelis in essentia, loquens hominibus in carne suscepta.

XI. INT. Quomodo dicitur Verbum caro factum? An destitit esse Verbum, quia caro factum est?

Verbum quomodo caro factum.

RESP. Verbum Dei, carissime, Deus est.

[a] *Colb.* substantiæ.
[b] *Colb.* tres personas pro verbis proferimus.
[c] *Colb.* substantia.

[d] *Colb. addit* & amare.
[e] *Colb. addit* & amare.
[f] *Colb.* prodeuntem.



Unde nec aliud fieri, nec ullo modo variari potest. Manens itaque quod æternaliter cum Patre vivit, factum est ex matre quod pro nobis in tempore accepit; factum caro; id est [a] homo, secundùm quod alibi dicitur: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Omnis caro, id est, omnis homo. Fides itaque tua id firmissimè teneat quòd Verbum Dei unum cum Patre in essentia, diversum tamen in persona, est etiam cum assumto homine unum in persona, divisum in essentia. Ex duabus siquidem & in duabus naturis constat Christus Deus & homo, sed unus. Sicut enim caro & anima rationalis homo est unus, ita Dei Verbum & homo assumtus Christus est unus. Carnem quidem veram accepit, qua pro nobis pati ac mori & resurgere voluit. Animam quoque accepit, de qua ipse dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Cum hac ad inferos descendit, & suos inde liberos eduxit. Simul ergo sunt in Christo Verbum Dei, anima rationalis, caro hominis. Tria quidem inconfusa & pro natura divisa, sed summa operante potentia in unitatem personæ conjuncta. Unde & totum dicitur Deus propter Deum, & totum homo propter hominem. Inde est quod dixit: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo.* Et Paulus dicit: *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Rectè quidem filius hominis, quia Deus est, se de cœlo descendisse, & dum in terra loquitur, se in cœlo testatur esse. Et Apostolus rectè dicit crucifixum Dominum gloriæ, quia homo est verè particeps mortalitatis nostræ. Idem ipse Christus est qui pro nobis passus, secundùm carnem erat in sepulchro, secundùm animam in inferno, secundùm divinitatem, quæ ubique est, non deerat paradiso. Hinc est quòd promisit latroni converso: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ubicumque [autem] paradisus, quo nomine significatur quies illa ubi feliciter vivitur, quisquis in eo est, cum illo & per illum & in illo ibi utique est qui ubique est. Summa namque essentia, quæ Deus est, tota ubique est; & immobilis manens, nutu suo rectissimè mobilia movet.

[a] Luc. 3. 6. — Joan. 10. 18. — Joan. 3. 13. — 1. Cor. 2. 8. — Luc 23. 43.

XII. INT. Si, ut dicis, Deus ubique est & singula movet, aliquando eum ubi antè non fuerat esse necesse est, & aliquando agere quod quidem non egerat antè. Ipse ego cùm modò sim, fuit tempus quando non fui. Quare si modò in me est & me movet, non semper in me fuit nec semper me movit, cùm utique non semper fuerim. Unde sentio quia aut in me non est nec me movet; aut si, ut asseris, in me est & me movet, est utique in me temporaliter, & movet me mutabiliter.

Deus immutabilis.

RESP. Videtur mihi quia esse tuum & esse Dei indifferenter attendis. Sed scire debes quia tuum esse temporale est, creatura enim es. Si autem temporale, utique & mutabile. Esse verò Dei æternum est. Semper enim idem est. Quod autem semper idem est, utique & immutabile est. Quare cùm in te est qui immutabilis est, ubique est; non tuo quidem, sed suo esse in te est. Suo quidem temporalia movet, nec tempore variatur. Suo quoque localia metitur, nec loco concluditur. Quod autem solum immutabiliter & verè est ideo esse ubique necesse est, quia quiquid mutabile est, per se nullo modo subsistere potest, sed in ipso & per ipsum & in ipso qui summè est. Quod enim mutabile est, æternum non est. Quod verò æternum non est, cùm tamen existat, de nihilo factum esse probabile est. Non enim semper est. Ut autem de nihilo fiat aliquid, omnipotentem habere opificem necesse est. Et quod de nihilo factum est, ne in nihilum redeat; ipsum per quem est inesse ei necesse est. Hinc Apostolus ait: *In eo enim vivimus, movemur, & sumus.* Et alibi: *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria.*

Act. 17. 28. — Rom. 11. 36.

XIII. INT. Tua mihi responsio placet. Sed quomodo Deus ubique est? An per singula rerum magna vel minima diffusus partitusve est?

Deus quomodo ubique.

RESP. Scire debes quia Deus, cùm ubique est, non mole corporea vel magnitudine spatiosa per cuncta diffusus est. Non est enim minor in parte quàm in toto, nec in toto quàm in parte major; sicut immortalitas quæ in Christo præcessit, & nobis in fine promittitur, non erit in aliqua parte corporis majus vel minus. Quantitas sanè corporis in partibus suis amplioribus amplior est, in brevioribus minor. Qualitas verò corporis, quæ dicitur immortalitas, tanta erit in majoribus quanta in minoribus subjecti corporis partibus. Dispar erit in membrorum magnitudine quantitas; sed par erit in disparibus qualitas, dum una per totum erit sanitas vel immortalitas. Sed differenti modo qualitas hæc erit in corpore subjecto, & Deus in omni creato. Si enim sua qualitatibus subjecta tuleris, qualitates nusquam erunt, & ideo nec erunt. [Quemadmodum si corpora spatiis locorum auferas; corpora nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec ipsa erunt.] At verò Deus inest quidem rebus, & simul omnibus totus, & in singulis totus, manens quidem ubique in se ipso totus. In se ipso dixi: quia cùm omne cui inest, sine ipso esse non possit, ipse non egens aliquo, tamquam non possit esse sine illo, perfectus & beatus manet in se ipso solo.

XIV. INT. Vera esse sentio quæ dixisti. Sed animum pulsat quomodo Verbum Dei homo temporaliter fieri potuit, cùm quia Deus est, [b] incommutabiliter vivit.

[b] Verbum cum sit Deus immutabilis, quomodo temporaliter homo fieri potuit.

RESP. In Verbo Dei sine tempore sunt quæcumque temporaliter fiunt. Quapropter in Verbo Dei manet sine tempore quo tempore ipsum in carne oportuit apparere: *Venit enim*, ut ait Apostolus, *plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum factum ex muliere. Ex muliere* ideo dixit, quia diffe-

Gal. 4. 4.

[a] *Al.* factum homo.

[b] *Al.* incommutabile.

rentiam sexus assignare voluit. Quod autem ubique est, eo utique missum est quo factum est. Caro namque est factum, non in carne mutatum. Eo verò quod factum est, minus Patre est. Scire autem te volo, quia aliter mittitur ut sit cum homine, aliter ut ipsum sit homo. Ipsum est enim Patris sapientia, quam mitti sibi desiderabat qui dicebat:

Sap. 9. 10. *Emitte illam à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret*, id est, ut me doceat, & quæ docuerit operari faciat. Transtulit autem se ipsam in homines ut voluit, quos amicos Dei & prophetas constituit; & sic angelos sanctos inhabitat, disponens eos per congrua caritatis officia. Venit quidem in homine; à quo cognoscitur & amatur, quantum mente percipi & amari datur. Cùm verò mente cujusquam utcùmque percipitur, mitti quidem ex tempore, sed non in hunc mundum perhibetur, dum nequaquam sensibus corporis sensibiliter præsentatur; sicut mens ipsa, in quantum divina percipit, se ipsam in hoc mundo esse non sentit. Sed longè aliter dicimus Filium missum,

Eccli 24. 5. quia genitum. Sic enim ait: *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Sicut autem natum esse est [a] Filio à Patre esse, ita Filium mitti est, cognosci quòd à Patre sit, quemadmodum & Spiritui-sancto donum Dei esse est à Patre & Filio procedere, ita mitti est, cognosci quòd ab utroque procedit. Hinc Filius ait: *De Patre procedit.* Et alibi: *Quem ego mittam vobis à Patre.* (Joan. 15. 26.) Ipsum etiam de se procedere ostendit cùm insufflavit, & dixit discipulis: *Accipite Spiritum-sanctum.* (Joan. 20. 24.) Attende quia Filius corporaliter insufflavit; non quòd flatus ille corporeus esset substantia Spiritus-sancti; sed significatio facta est insufflando non tantùm à Patre Spiritum-sanctum procedere, sed & à Filio. Ipsa est, teste evangelio, ipsa est virtus quæ de illo exibat & sanabat omnes. A Patre etiam mittitur, sicut legitur: *quem mittet Pater in nomine meo.* Legimus quidem quia Filius & Spiritus-sanctus mittitur; sed Pater nusquam legitur missus. Sicut enim non habet de quo existat, sic nec à quo exeat vel procedat. Unde non dicitur missus, etsi ex tempore à cujusquam mente cognoscitur. Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Filium suum, non ut esset cum angelis aut in angelis, seu cum hominibus aut in hominibus, sed ut ipse fieret caro, id est, homo. Cùm itaque homo factus est, & homo cum hominibus conversatus est, tunc utique in hunc mundum missus est. In hoc ergo facto manifestum est quia Trinitas sancta ibi cooperata est. Pater enim misit Filium, missus ille hominem induit, Spiritus-sanctus Virginem fœcundavit. Sic enim angelus ad

Luc. 1. 35. eam dixit: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocatur Filius Dei.* Inde est quòd confitemur JESUM-CHRISTUM de Spiritu-sancto & MARIA virgine natum.

XV. INT. Miror te dixisse JESUM-CHRISTUM de Spiritu-sancto natum & MARIA virgine, quem Filium Spiritus-sancti, si de ipso natus est, nescio denegare.

Christus de Spiritu-sancto ex Maria Virgine natus quomodo dicatur.

RESP. Ex his quæ præmissa sunt debueras scisse duas quidem naturas in uno Christo manentes, divinam scilicet de Deo Patre, qua Deus est, humanam verò de Virginis carne, qua homo est. Qui tamen de Spiritu-sancto natus ideo dicitur, quia ejus gratia, non carnis concupiscentia, Virginem fœcundavit. Nec enim de se nascituri substantiam Spiritus-sanctus in Virgine genuit, sed de carne Virginis nascituro materiam præparavit. Exclusum est B enim virile commercium, quo singulare Spiritus-sancti manet officium. Hinc angelus ad Joseph ait: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu-sancto est.* (Matth. 1. 20.) De quo quia MARIA concepit, & mater est & virgo permansit.

XVI. INT. Antiquos patres Sanctum habuisse Spiritum quàm sæpe legimus, quem & in MARIA pleniùs egisse cognoscimus, de cujus carne natum Dei Filium adoramus. Sed quid est quod alibi legitur: *Nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus.* (Joan. 7. 39.)

Spiritus-sanctus antiquis Patribus datus.

RESP. Scimus quidem patriarchas & prophetas Spiritum-sanctum habuisse, quo & C diem Domini desideraverunt videre, & de futuris plurima sacramentis potuerunt prædicere. Isto Johannes Baptista repletus est in matris utero. Isto potuerunt loqui tam multa de Christo & Zacharias & Anna vidua & senex Symeon. Sed omnis illa Spiritus-sancti datio sive missio talis antea nusquam fuit, qualis post glorificationem Christi in Pentecosten copiosa præfulsit: *Factus est enim de cœlo sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, qui & super unumquemque illorum sedit.* (Act. 2. 2.) Nova D ista & admirabilis manifestatio Spiritus-sancti antea nusquam fuit. Secundùm hanc novam proprietatem & propriam novitatem nondum erat Spiritus datus, sed facta est postquam JESUS est glorificatus; de cujus plenitudine omnes accepimus. Ex hac quippe Sancti Spiritus effusione mirifica locuti sunt homines omnium gentium lingua, fuitque sonus iste in omni terra. Quo designatum est omnium linguarum nationes credituras, quia assumta est à Filio Dei humana sine peccato natura, ita ut una sit [b] assumentis & assumti persona. Quapropter qui æqualis est Patri in deitate, factus E est minor Patre ex assumta humanitate, minor & se ipso, minor & Spiritu sancto, & psalmo attestante, minor etiam angelo. Sic enim ait: *Minuisti eum paulò minùs ab angelis.* (Psal. 8. 6.) Spiritus verò sanctus licèt corporali specie, ut decebat, pro tempore sit missus, non est tamen factus, nec in aliud aliquando conversus, nec alicui rei in persona unitas, aut quolibet modo mutatus. Quare minor non est, & tamen missus est. Cùm itaque legimus missum, D i videlicet Filium & Spiritum sanctum; minor

Missionis ipsius & Filii differentia.

[a] Colb. Filium.

[b] Colb. addit facta.

Patre factus est Filius, sed non minor effectus est Spiritus-sanctus, quamvis uterque sit missus. Non equidem sic assumta est creatura, in qua appareret Spiritus-sanctus, sicut assumtus est homo in quo Dei Filius mundo apparuit manifestus. Non enim columbam illam quæ super Dominum apparuit, vel illum flatum quo Dominus spiritum insufflavit, vel illum ignem quo idem Spiritus discipulos inflammavit, in unitatem personæ sibi Spiritus-sanctus univit; sed apparuerunt ista, serviente creatori creatura, ad demonstrandum & significandum Spiritum-sanctum temporaliter assumta, sicut significari & demonstrari æternum mortalibus congruebat. Non itaque possumus dicere Spiritum-sanctum esse Deum & columbam, aut esse Deum vel flatum vel ignem, sicut dicimus Filium Dei esse Deum & hominem. Vox enim illa Patris quæ corporaliter super Filium sonuit, & corporea species columbæ, qua ibidem Spiritum-sanctum demonstrari oportuit, subitò facta sunt, & peracto suæ significationis mysterio, in id unde sumta fuerant illico redierunt. Ibi CHRISTUS JESUS Spiritum-sanctum, quem donat ut Deus, accepit ut homo. Unde dictus est plenus gratia & Spiritu-sancto. Nec tunc primùm Spiritu-sancto unctus est, quando sicut columba Spiritus-sanctus super eum visus est. Ad baptismum namque sicut sine ullo venit peccato, ita non sine Spiritu-sancto, quem nostra humanitas tunc plenè accepit cùm in utero Virginis unita est Verbo Dei. Cùm enim Spiritus-sanctus in MARIAM descendit, per quem Verbo Dei carnis substantiam Virgo ministravit, omnem culpæ originalis maculam mox evasit, & deinceps ab incentivis vitiorum libera permansit; cujus perfecta integritas Salvatorem genuit. Unde & plena omni gratia meritò dicta fuit, quæ temporaliter Filium edidit quem Pater Deus æternaliter genuit. Nec *Christi variæ figuræ.* mireris eumdem Dei & hominis filium multis modis designari, ut per lignum vitæ, quod quidem in paradiso fuit, & per lapidem in quo Jacob dormivit, & per Joseph, quem fratrum invidia, ne super eos regnaret, vendidit, super quos venditus ab eis ille regnavit; & per petram, quæ percussa in eremo aquas dedit. De *1. Cor. 10. 1.* hac dicit Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Istis quidem existentibus, accessit quidam actus significationis, quo Christum significari oportuit. Aliter enim Christus dictus est agnus *Joan. 1. 29* Dei, & à Johanne Baptista, qui dixit, *Ecce agnus Dei*, & ab Evangelista, qui in Apoca- *Apoc. 5. 21.* lypsi sua agnum occisum vidit, quod nemo illorum corporaliter inspexit, sed spiritaliter intellexit. Columbam quidem illam quæ super Christum apparuit præsentes oculis inspexerunt, & vocem illam quæ super ipsum sonuit auribus audierunt, sicut flammam in rubo Moysi ostensam, sicut columna ignis & nubis populo Israel præparatam, sicut in datione legis super montem Sina ignis & tonitrua, & [quam] multa his similia. Horum omnium ideo corporalis species apparuit, ut significaret aliquid, & præteriret peracto officio significationis. Hæc omnia inseparabiliter operantur, Pater & Filius & Spiritus-sanctus, omnipotens Trinitas, unus Deus. Non est enim Filius in deitate minor Patre, nec Spiritus-sanctus in aliquo differt ab utroque. Quorum enim est una essentia, eadem sit sine differentia omnipotentia.

XVII. INT. Assentio Spiritum-sanctum Patre vel Filio non esse minorem; sed tamen dum evangelicum perpendo sermonem, quodam modo ipsum sentio inæqualem. Veritas namque dicit: *Qui dixerit verbum contra Pa-* *Matth. 12. 32.* *trem aut contra Filium, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

RESP. Qui dicit sive qui peccat contra Patrem, peccat pariter contra Filium & contra Spiritum-sanctum. Eodem modo qui peccat contra Filium, peccat pariter contra [Patrem &] Spiritum-sanctum. Similiter qui peccat contra Spiritum sanctum, peccat pariter contra Patrem & Filium. Sed vide quia Spiritum-sanctum accepit [mater] Ecclesia ad remittenda peccata, sicut Dominus in evangelio ait discipulis: *Accipite Spiritum-sanctum. Quo-* *Joan. 20. 23.* *rum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hinc Petro & per Petrum Ecclesiæ dicitur à Christo: *Quodcumque ligaveris super terram, erit li-* *Matth. 16. 19.* *gatum & in cœlo; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Hoc insigne judicium de cathedra Petri procedit: quæ quia sacerdotale officium significat, ejusdem cathedræ festum meritò celebrandum censet Ecclesia. Potestas enim hæc est clavis tam Petri *Potestas dimittendi peccata in Ecclesia.* quàm omnium qui curam habent animarum. Ad eos itaque qui per Spiritum-sanctum peccata possunt dimittere, & pœnitentibus possunt regna cœlestia reserare, pœnitentes oportet confugere; ut qui peccando ligare se potuerunt, sed solvere nequeunt, per clavem Petri solvantur, ut Ecclesiæ catholicæ restituantur. Qui autem infidelis est aut impius, *Peccatum in Spiritum-sanctum.* claves Ecclesiæ contemnit; & qui per eos quibus Ecclesia commissa est, posse peccata dimitti contradicit, hic blasphemat, & contra Spiritum-sanctum peccat, quem accipit mater Ecclesia ad remittenda subditis peccata. Bene itaque dicitur: *Qui peccaverit in Patrem aut in Filium*, à quibus pro identitate essentiæ non possumus separare Spiritum-sanctum, *remittetur ei*, ita videlicet si ad Ecclesiam Dei confugerit, quæ in Spiritu-sancto peccata dimittit. Quòd si contemserit donum Spiritus-sancti, quem ad solvendum mater Ecclesia accepit, damnandus remanet in peccatis. Unde rectè sequitur: *Qui autem peccavit in Spiritum-sanctum, non remittetur ei, neque hoc sæculo, neque in futuro.* Hic accipimus Spiritum-sanctum, [non in essentia illum, sed] illud scilicet inæstimabile ejusdem Spiritus-sancti donum, quo Ecclesia solvit peccatum. Hoc etiam scire te convenit, quia hoc donum, sicut est Spiritus-sancti, sic est Patris & Filii. Inseparabilis enim operatio Trinitatis donum hoc Ecclesiæ contulit à persona Spiritus-sancti; qui procedendo à Patre & Filio,

Deus est & donum Dei. Quapropter unus cum Patre & Filio Deus hunc operatur effectum quo Ecclesia solvit peccatum. Contra hoc Sancti Spiritus donum sentiebat primus fratricida ille qui dicebat: *Major est iniquitas mea quàm ut veniam merear.* Quasi diceret: Non est qui dimittat. Ille etiam Domini venditor confessus est culpam, sed non quæsivit veniam. Hic quoque Spiritum-sanctum contempsit, qui licèt pœnitens, ad gratiam non confugit, sed peccatum peccato cumulans, se ipsum interimens, laqueo se suspendit. Possumus etiam dicere in Spiritum-sanctum peccare id ipsum esse quod in caritatem offendere. Qui enim in caritatem offendit, quamtumcumque pœnitens sit, absque caritate non potest absolvi. Ubi enim caritas non est, sequitur quia pœnitentia vera non est. De caritate namque legimus scriptum: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* CARITAS sanè fœcundam facit Ecclesiam, quæ filios generat ad vitam, qua pœnitentibus reparat gratiam, & perducit ad vitam, per JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum, qui cum Deo Patre vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Gen. 4. 13. Luc 7. 47.

Explicit liber primus.

INCIPIT SECUNDUS.

I. SUmma caritas, quæ Deus est, ubicumque est, non minùs aut magis caritas est. Nulla enim substantia nullave essentia alicubi magis vel minùs substantia vel essentia est. Johannes quidem dicit: *Deus caritas est.* Quod quia essentialiter est, non amare aliquid non potest. Quapropter sicut sapientia, quæ Deus est, omnia indifferenter novit, sic caritas, quæ Deus est, omnia indifferenter diligit. In simplici quidem deitatis essentia non sunt divisa, sed prorsùs idem est caritas & sapientia; & quicquid de Deo secundùm substantiam dicitur, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu-sancto, id ipsum esse dinoscitur. Et tamen Verbum Dei propriè dicitur sapientia, hac utique de causa, quia sapientiam reparavit hominibus apparens in carne [a] assumta. Hinc Apostolus ait: *Christi Dei virtutem & Dei sapientiam.* Spiritus quoque sanctus propriè caritas dicitur. Per ipsum enim caritas in nobis reparatur, teste Apostolo, qui ait: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* Hæc autem Dei dilectio inest homini vel angelo dum eam tota Trinitas largitur. Sed quia persona Sancti Spiritus ministratur, idem Spiritus propriè caritas appellatur. Cùm tamen Pater & Filius & Spiritus-sanctus essentialiter & caritas & sapientia esse prædicantur, non habet homo unde diligat, nisi ei desuper caritas accedat. Hoc autem fit cùm Spiritus-sanctus, qui à Deo procedit, in dilectione Dei & proximi nos accendit. Hoc autem permirabile est, quià cùm utique Deus præsens est, ibi tantùm [b] rectè notus est ubi dilectio est. Johannes quidem dicit: *Qui non diligit, non novit Deum.* In omnibus quidem est per essentiam, non in omnibus verò per notitiam. Licèt enim quidam, ut ait Apostolus, cognoscerent Deum, tamen evanuerunt in cogitationibus suis, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Non enim erat in eis notitia hæc cum caritate, sed cognitionis præsumtione. Qui enim cognoscit & non diligit, abutitur gratia tanti doni, cùm videre bonum, quod est unum, & omne omnium, sine dilectione præsumit. De talibus Johannes ait: *Qui non diligit, manet in morte.* Omnis ergo dilectione Dei vacuus tam à justitia quàm à beatitudine constat alienus. NULLI ergo bene est qui absque Dei dilectione est.

1. Joan. 4. 16. Cur sapientia Verbo, caritas Spiritui-sancto tribuantur. [a] 1. Cor. 1. 24. [b] 1. Joan. 4. 8. Rom. 1. 21 1. Joan. 3. 14.

II. INTERR. Bene caritatem commendasti, quam Deum esse veraciter assignasti. Sed quòd Deus indifferenter omnia diligat, quomodo dixisti? Nonne præ ceteris eos diligit quos à malis exuit, quos virtutibus excolit, quos & beatos facit?

RESP. Universam creaturam Deus non ideo novit quia ipsa existit, sed ideo ea existit quia ille novit. Fecit enim sicut novit qui creanda disposuit. Quare quia præscivit eam condidit, non quia præcondidit eam scivit. Res ergo condita nihil ejus scientiæ contulit, qui perfectè sapiens quod erat permansit; qui omnia sicut novit, sic diligit; sicut amat, ita novit. In eo namque non aliud est scire & aliud amare, sed idem est scire quod amare & amare quod scire. Quare sicut non est alibi magis sciens & hic minùs sciens, ita non est minùs amans & alibi magis amans. Non enim potest Deus alicubi minùs aut magis esse Deus. Quapropter sicut res condita ejus scientiæ nil adjecit, sic ejus caritatem nec auxit nec minuit, quæ nec condendis eguit, nec conditis eget vel egebit, sed indifferenter omnia cognoscendo diligit & diligendo cognoscit. Quibus autem bona sua largitur, non nova dilectione ad eos inclinatur, cujus sempiterna dilectio minimè variatur. [Dicitur autem eos magis amare, sed per effectum non per affectum.] Sicut enim quæ donat sua sunt, sic & quibus donat, ipsi quoque sui sunt. Eis ex ipso melius est, ei ex ipsis nihil collatum est. Propriè tamen eos dicitur amare quibus amorem, quem sempiternum habet, voluit aperire. Hi namque soli beati sunt, qui dilectionis ejus ineffabile gaudium sine fine conspiciunt.

Scientia Dei causa rerum. Caritas Dei incrementum aut detrimentum pati non potest.

III. INT. Ut audio, non est pro creatura in Deo nova caritas, sed pro æternitate caritatis ejus ipsa est nova condita. Sed si omnia æqualiter diligit, cur aliqua punit? Si indifferenter amat, cur quædam damnat?

RESP. Divina illa & perfecta caritas, quæ nisi diligendo facere nihil novit, creaturæ suæ indebito munere benefacere non desistit.

Cur Deus omnia æqualiter diligens aliqua punit.

[a] Colb. suscepta.

[b] Colb. deest rectè.

Quod pia mens gratanter accipit, & accipiendo datorem diligit, & amoris merito tandem ad ipsum ut est videndum beata pertingit. De talibus in evangelio attestatur Veritas [a] Matth. 5. 8. [ubi ait]: *Beati* [a] *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* RATIONALIS quidem creatura ad hoc libertate arbitrii constat prædita, ut creatorem suum debitè diligendo cognoscat, & debitè cognoscendo diligat, qui eam indebitè prævidendo dilexit, ut bonam faceret, & ut bene factæ illi benefacere numquam desineret. Unde & hoc debitum à creatura creator exigit, ut debitè diligendo cognoscat qui eam [indebite] condidit, & debite cognoscendo diligat, qui conditæ illi benefacere non desistit. Quod dum sedula exsolvit, tandem ipsum à quo condita est meretur plenè aspiciendo beata manere. E contrà mens impia, manens ingrata dilectori suo, dilectionis debitum non exsolvit; cupiditate confusa, justitiæ ordinem abjicit; justitia carens, miseriam inquirit. DISPONENTE namque summa justitia, quæ Deus est, omnis inordinata voluntas sua sibi pœna est. Siquidem Deus est creator & ordinator omnium rerum naturalium. Non est autem peccatorum creator, sed ordinator tantùm. Quapropter nec iniquum deserit dum sæpe revocat & corrigit, dum corrigendo flagellat, & incorrectum damnat, ut damnatus vel tormentis addiscat quàm justè pœnam sustineat qui creatus creatorem contemnat & dilectus dilectorem Deum non diligat. Damnatis itaque liquidò manifestat in quantum dilectio omnibus sit habenda, dum pro habita beatitudinem repensat, & pro non habita damnationem irrogat; quibus ipsa vexatio intellectum præstat, quo sciunt quàm rectè non amantes pœna corripiat, cùm amantes beatitudinis sinus excipiat. Unde dives ille in tormentis dum stillam aquæ de digito Lazari anxiè requirit, magna confundi erubescentia meruit ab Abraham respondente, qui ait: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Homo cur libertate arbitrii donatus.

Luc 16. 25.

IV. INTERR. Quid est quòd Abraham vocat filium quem pro iniquitate noverat damnatum?

RESP. SCIRE debes quòd caritatem bonorum aliena iniquitas nequaquam minuit. Unde & dilector Abraham illum quem [b] vidit in pœnis, filium nominavit; cui caritatem suam minimè subtrahit, dum in tormentis memorem facit, quia Deum diligere super omnia debuit, à quo tanta, dum in carne viveret, bona recepit. Sed eum valde confundit, dum ei consolatum pauperem ostendit, qui mala quidem in vita sua à Deo suscepit: quæ quia patienter tulit, nunc suscepta consolatione perenniter hilarescit. Sicut dives ille, quia Deum sibi bona præstantem non amavit, nunc admonitus tormentis pœnaliter

A erubescit. Pauper itaque, quoniam Dominum mala sibi irrogantem amando sustinuit, piè consolatur. Dives verò, quia Deum etiam bona sibi largientem contemsit, quod in paupere neglecto monstravit, meritò cruciatur. Quòd autem chaos magnum obesse perhibetur ne quod postulat consequatur, possumus dicere chaos esse magnum caritatis contemtum, qui absque dubio Dei est odium: quo quia dives ille in præsenti vitam perdidit, sub ipso premitur in inferno, ne ad vitam redire possit; quem tanta etiam inopia deprimit, ut sicut pro se ipso orantem Abraham non exaudivit, B sic nec pro fratribus supplicantem idem pater attendit: quia dum in hac vita bonis exuberaret, pauperem audire contemsit: quod dum recordari monetur, meritò pœnis datus manifestè confunditur. Dilector itaque summus non amantem diligens vel in pœnis cognoscere facit quia amasse debuerat quem contemsit. Deum namque contemsit dum pro Deo pauperem non audivit. Talem etiam in pœnis Deus minimè contemnit, quem adeo diligit ut dolere faciat quòd caritatem tenere neglexit. Punit ergo quem diligit, quem nisi diligeret, non puniret. Nihil enim facit nisi qui C diligit: quia, sicut jam diximus & sæpe dici volumus, nihil nisi diligendo facere novit. Ipse est qui non aliunde suscipit aliqua, sed tantummodo ex se & per se & in se novit & habet & potest omnia, solus perfectè sapiens, nullo carens, sed perfectè sibi sufficiens, unus omnipotens. QUAPROPTER non est ei causa aliquid agendi ulla necessitas, sed sola caritas: qua sicut creanda prævidit, sic & creata tranquillè disponit. Quod licèt jam dictum sit, iterare tamen volui, ut pleniùs videas in quantum caritas omnibus una virtutibus ritè præmineat.

D V. INT. Dic quæso. Te enim de caritate loquentem libenter audio.

RESP. Mediator noster, carissime, Deus & homo rectissime nobis apparuit, qui caritatem qua Deus & homo diligi debeat nobis misericorditer infundit. Hoc autem donum post resurrectionem suam in terra propter dilectionem proximi, de cœlo propter dilectionem Dei pleniùs effudit. Hæc est virtus qua creatura rationalis, si eam tenuerit, factori suo fit similis; si verò ea careat, manet dissimilis. QUISQUIS ergo in omni quod meditatur vel E agit seu loquitur, caritatis causa movetur, suo similis creatori probatur, qui sola caritate cuncta pariter operatur. Quapropter homo vel angelus, attestante Apostolo, *qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quisquis autem absque caritate quidlibet exequitur, opifici summo dissimilis esse probatur, dum aversa voluntate, caritatem qua factus est non [c] imitatur. Hæc caritas una nobis ad omnia constat imitanda. Sola enim caritate ad regna [d] cœlorum venire possumus

De caritate.

[a] *Al.* mundi. [b] *Al.* videt.

[c] *Al.* miratur. Hæc, fili, caritas.
[d] *Colb.* polorum.

mus, etiamsi linguis omnibus non loquamur, A si prophetia careamus, si non omnia sacramenta nec omnem scientiam habeamus, si pauperibus vel non habendo vel aliqua prohibiti necessitate nihil præbeamus, si corpus nostrum ita ut ardeat, nisi causa Christi hoc requirat, minimè tradamus. Fides etiam sine caritate potest esse, sed minimè prodesse. Nam & dæmones credunt; sed contremiscunt, quia non diligunt. Fides ergo quæ cum dilectione est, utilis est. Ait enim Apostolus:
Gal. 6. 15. *In Christo* JESU *neque circumcisio neque præputium est aliquid, sed fides quæ per dilectionem operatur.* NIHIL EST ERGO caritate præstantius; B qua sola Deus & homo conjungitur, qua virtutum chorus cælestium Deo solidatur. Caritas hæc & cælicolis præstat beatitudinem & terrigenis justificationem. Hæc est qua peccata mundo relaxantur, qua inferus spoliatur, qua gladius ille versatilis reversatur, qua paradisi janua reseratur. Hæc, inquam, caritas est qua dum caruit è cælo diabolus, à paradiso protoplastus cecidit; quam CHRISTUS JESUS quia singulariter tenuit, teneri ab inferis, cùm illuc descendisset, minimè potuit, sed sua eum caritas cum suis, pro quibus descenderat, liberum reduxit. UBICUMQUE enim est caritas, adest pariter & libertas. C Hæc est quæ sola habenda est ut cetera bona habeantur: quæ si absens fuerit, nulla habentur. Sic enim Dominus loquitur de ea:
Matth. 25. 29. *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Habenti scilicet caritatem dabuntur cetera bona, & abundabunt ad plenitudinem. *Ei autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Qui non habet, scilicet caritatem, auferetur ab eo bonum quodlibet quod habet ad utendum per caritatem; quo quia per caritatem uti noluit, eo ipso jure privari meruit. Omnia namque in caritate bo-
[a] na [a] sunt; sine caritate autem si qua D sunt, non habenti caritatem bona non sunt.
Jac. 2. 10. Unde scriptum est: *Qui offendit in uno, reus est omnium.* Quære igitur supplicando caritatem, ut det eam qui de cœlo veniens clamat:
Luc 12. 49. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut ardeat?*

[b] VI. INT. Quæso te, ne [b] ita pertranseas; sed quomodo qui offendit in uno, reus est omnium, citiùs exponas.

[c] *Offendens in uno quomodo omnium reus.* *Jac. 2. 10.* RESP. [c] Quisquis in hoc uno præcepto, quod est caritas, offendit omnium reus existit, quia nulla servavit qui caritate caruit. Possumus etiam & aliter dicere: *Qui offendit in uno,* E scilicet mandatorum, *reus est omnium*, scilicet mandatorum. Qui enim de uno negligit, non omnia servavit. CAVE illorum falsam sententiam, qui dicunt eum qui offendit in uno peccatorum, esse reum omnium peccatorum. Sed his omissis, ad caritatis insigne pensandum redeamus.
De caritate iterum. Caritas enim operit multitudinem peccatorum. Sic namque testatur evangelium:
Luc 7. 47. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* TANTA etiam virtus est caritas, ut irasci, corripere, punire, damnare, & quicquid hujusmodi, per se quidem mala sunt cùm sine caritate fiunt; si autem adsit caritas, per eam bona sunt. Hinc Veritas ait in evangelio: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Matth. 5. 22.
Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui verò dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Teste igitur Veritate, mala sunt ista justéque punienda. SIC OMNE quod agitur, cùm nec justitia Dei nec salus proximi ibidem quæritur, malum esse judicatur. Sed si caritas in causa versetur, bene quidem irascitur, rectéque loquitur, & justè operatur quisquis contra peccata movetur. Bona ergo sunt sub caritatis remedio, quæ tamen sine caritate nusquam sunt absque peccato; sicut omnis concubitus semper malè fit ubicumque conjugii remedium non occurrit. Perpende itaque in quantum nobis una per omnia caritas sit necessaria, cùm quicquid agimus in hac vitæ præsentis miseria, si absque caritate fit, manet in culpa. *Caritatis necessitas.* Eo sanè modo quo conditor summus operari novit, cùm nihil omnino nisi diligendo facit, mandat creaturæ suæ, quam rationalem instituit, ut caritate faciat quicquid agit. Sic enim servare poterit quod ei Veritas præcipit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Et 1. Pet. 1. 16.
alibi: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5. 48.
SANCTITAS hæc atque perfectio nusquam est nisi ubi charitas est. Inde præcipitur tibi ut diligas Deum super omnia tamquam Deum, & proximum tuum, non tamquam Deum, sed in Deo tamquam te ipsum. Hoc & præcipuè sentio memorandum, quia sicut caritas Dei causa est efficiens rerum & simul omnium & pariter singularum, sic & caritas in sanctis causa est efficiens virtutum & simul omnium & pariter singularum, ita ut & ipsa bonum earum sit, & sine ipsa bonæ esse non possint; *Caritas causa efficiens virtutum.* quemadmodum & ipsa caritas, quæ Deus est, ita omnia facit, ut sine ipsa nihil omnino esse possit. Hæc est caritas omnipotens & summa, quæ in illa primaria septem dierum dispositione sacrata dinoscitur operata pro sua septiformi gratia.

VII. INT. Ne graveris obsecro disserere nobis quæ est illa gratia septiformis, quomodo in primis septem diebus operata sit.

RESP. Spiritum sanctum propriè caritatem dici jam superius audisti. *Spiritus-sancti gratia septiformis.* Gratiam ejus septiformem, si bene recolis, in Isaia propheta quàm sæpe legisti. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet;* Isai. 11. 1.
& requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Audisti septiformem, noli sentire multiplicem. Simplex est enim in essentia, septiformis verò in donorum gratia. Caritate qua omnia condidit, condita donis uberrimis infundit. Hoc autem in primis [d] septem diebus primò factum ejus [d]
inspirante gratia videamus. Moyse quidem re-

[a] *Colb.* fiunt.
[b] *Colb.* ista.

[c] *Colb.* scire te convenit quia quisquis in hoc.
[d] *Colb.* sex.

Gen. 1. 3. ferente legimus quia dixit Deus, *Fiat lux &c.* Et sic per ordinem dierum usque in septimam sermo progreditur. Quo [a] Spiritu-sancto sacrata opera designantur.

VIII. PRIMUS. In spiritu enim sapientiæ lux prima condita à tenebris separatur, post vesperam habens mane. In diem formatur dum laudabilis illa angelorum societas, bene lux appellata, quia rationalis seu intellectualis est creata, divisa est à tenebris. [b] Cadenti enim superbiæ non consensit, sed humiliter subjecta Domino sapienter adhæsit. Habet vesperam in suæ mutabilitatis natura. Est enim creatura. Sed mane fit, suscepta spiritus sapientiæ gratia, quia in Deum tota caritate succensa, & Deum singulariter amando sapiens effecta. Creatorem non per creaturam, sed potius creaturam per creatorem aspiciens fit dies una, unicè fruens Dei sapientia. Nos itaque post lapsum nostræ pravitatis per Christum misericorditer reformati, hoc sapientiæ donum ab ipso requiramus, ut participes beatitudinis angelicæ fieri mereamur.

IX. SECUNDUS. In spiritu verò intellectus firmamentum Deus in medio [c] libravit aquarum, quando [d] per peccatum homine in exilium dejecto, inter mundalium fluctus errorum divinæ scripturæ firmavit eloquium, quod rectè dicitur cælum, quia multimoda sacramentorum est copia variatum. Habet vesperam in historia litterali, mane in doctrina morali, diem in allegoria spiritali. Hic attende quia cùm per ceteros dies dicat, *Vidit Deus quia bonum est*, tantùm in secunda die dictum non est. Quod ideo arbitror factum, quia secundæ opus diei non in ipsa secunda, sed potiùs in tertia vidit consummatum. Aquæ enim in secunda die leguntur divisæ, hæ scilicet quæ sub firmamento sunt, ab his quæ super firmamentum sunt. In tertia autem die de eisdem aquis prosequitur quomodo à terra segregantur & maria appellantur. Unde & meritò id

Gen. 1. 10. quod dicitur, *Vidit Deus quia bonum est*, in die tertia bis dictum est. Primùm pro opere aquarum tunc expleto, secundò pro terræ spatio herbis arboribusque decorato. Et bene, quia per firmamentum significari divinum diximus eloquium, nondum tamen additum est, *Vidit Deus quia bonum est*, donec ejus salubri dogmate cœpit terra herbis & arboribus coruscare. Non enim auditores tantùm, sed factores legis justi sunt [apud Deum.] Quare non in susceptione verborum, sed in exhibitione operum rectè positum est, *Vidit Deus quia bonum est.* Et notandum quia in fructificatione operum, quam productio significat herbarum & arborum, bis lectum est, *Vidit Deus quia bonum est.* NULLUM quippe opus bonum est, si non sit ex caritate, quæ gemina est. Per eam enim Deus & proximus amari mandatum est. Præstet divina caritas in hoc sacri firmamento eloquii historia, moralitate, & allegoria distincto nos ita moribus & vita proficere, ut & alios id ipsum valeamus edocere.

X. TERTIUS. In spiritu consilii Deus terram segregat ab aquis. Quæ segregata arbores herbasque producit, dum à defluxu vitiorum quidam ad sanctæ conversationis soliditatem transeunt, & herbas, id est incrementa bonorum operum, & arbores, id est culmina virtutum, de caritatis radice producunt. Eis autem vespera fit dum dolent quòd defluxerint per culpam. Habent mane reducti ad veniam, facti dies, uniti Christo per gratiam. Superna caritas suo nobis consilio miserata subveniat, [e] ut à vitiorum voragine retractos, terram fructiferam nos sibi constituat, quæ caritatis germina Ecclesiæ ferre non desistat.

XI. QUARTUS. In spiritu fortitudinis facit Deus cæli luminaria, eos videlicet quorum doctrina fulget Ecclesia ut sol & luna, per quos quandoque fiunt miracula. Hi habent vesperam, qua in præsenti desudant adversùs scandala, habent mane quo triumphant Christi victoria. Manent dies, dum splendore virtutum nimium coruscant, quo & alios illustrant. Supplices itaque [semper] adoremus Sanctum-Spiritum, ut sua fortitudine ita formetur Ecclesia, ne umquam ei prævaleant hæreses aut schismata, sed depulsis errorum tenebris clarescat ubique fides catholica, & caritatis lampas circumquaque resplendeat.

XII. QUINTUS. In spiritu scientiæ pisces & volucres ex aquis à Domino creantur, dum quidam & in multa rerum ambitione sæcularium positi, ut pisces in aquis piis vivunt moribus, & præbendo subsidia ministrant fidelibus. Quidam verò abjectis mundialibus illecebris ad paupertatem Christi confugiunt, & pennis virtutum ab aquis ad cælum caritatis aura conscendunt. Eis est vespera malè assueta pompæ sæcularis illecebra. Eis est & mane fidei virtus indefessa. Eis est & dies, posito divitiarum pondere, conscensus liber ad æthera. Oremus & nos spiritum scientiæ, ut mundi principes & sæculi potestates erudiat, & eorum corda possideat, ne sublime sapiant, ne in incerto divitiarum confidant, sed aut possessis secundùm Deum utantur in bono, aut possessa relinquentes, liberè serviant soli Deo.

XIII. SEXTUS. In spiritu pietatis, jumentis & ceteris animalibus factis, formatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei. OMNES qui in peccatis nati sunt & peccatis serviunt, nudati justitiæ stola, ejecti in veste pellicia, quæ signatur carnis concupiscentia, rectè dicuntur jumenta, testante Psalmista: *Homo cùm in honore esset non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Pro reparanda verò humani generis natura, ineffabili misericordia CHRITUS JE- Psal. 48. 13.

[a] *Colb.* Spiritu *omisso* sancto.
[b] *Colb.* quia eadem superbiæ.
[c] *Colb.* posuit.
[d] *Colb.* peccati merito
[e] *Al. deest* a vitiorum *&c. usque* desistat.

sus natus est de virgine MARIA: qui factus ad imaginem Dei, ab ejus similitudine non declinavit cui omnia jure subduntur, quibus imperio indissolubili dominatur; quem primus Adam præfiguravit, qui, ut ait Apostolus, *est forma futuri.* Et cùm per singula [opera] dictum sit, *Vidit Deus quia bonum est*, nunc una omnibus benedictio communis in isto facta est, ubi dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Ei est vespera, spontanea pro nobis suscepta passio. Ei mane est gloriosa in carne resurrectio. Ei dies est ad æternam paternæ gloriæ confessionem felix ascensio. Adoremus igitur ipsum & glorificemus, ut ejus gratia de morte ad vitam resurgamus, & post eum pariter ascendamus.

Rom. 5. 14

XIV SEPTIMUS. In spiritu timoris Domini requievit Deus ab omni opere quod fecerat, & sanctificavit diem septimam præ ceteris solam. Hinc sane nobis innuitur quia non in opere [a] suo quiescit Deus, sed ab opere qui nullo indiguit, semper in se ipso quiescit Quapropter & nos non in nostris operibus requiem quæramus, sed à nostris operibus in eum qui in se ipso semper quietus est quiescere satagamus. NULLA ENIM requies est in omni re mutabili, sed in eo solo qui felicitate perpetua in se ipso quiescit. Et bene in spiritu timoris Deus hoc in nobis agere dicitur, qui ait: *Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos?* A Spiritu timoris Domini, qui dicitur initium sapientiæ, nos qui cecidimus, ipso relevante initium redeundi sumimus, & de gratia in gratiam provecti, in timore Domini sancto, qui permanet in sæculum sæculi, reditum consummamus, & consummati quiescimus. Alius est enim spiritus timoris, ille scilicet servilis, non Domini, sed peccati. Diligit enim peccatum, sed timet supplicium. Odit justitiam, sed formidat pœnam. Hic est quem foris mittit caritas. Alius verò spiritus timoris Domini, unum scilicet de septem donis Spiritus-sancti. Ejus enim operante gratia incipimus pro amore Dei odire peccata. Est igitur caritas, non servitutis. Hoc autem timore Domini sicut in præsenti crescit caritas Dei, sic & odium peccati pariter concrescit. Tantum [enim] peccatum odis, quantum justitiam diligis. Crescunt simul in hac vita, & perficientur in æterna. Inchoata namque caritas, & timor ille qui dicitur initium sapientiæ, in præsenti simul proficiunt. Perfecta verò caritas & timor Domini qui sanctus permanet in sæculum sæculi, [b] æterna simul erunt. Cohæremus enim Christo per caritatem, non per pœnæ timorem. Bonum est itaque timore Domini à peccatis nostris pœnitendo redire; melius autem, ne Deum offendamus, timore ipsius peccata vitare; optimum autem timore Domini eò usque provehi ne ulteriùs ad culpam possimus detrahi. Complebitur hoc in resurrectione generali, quando ultimum cum ceteris electum incorruptibili gloria Deus coronabit. *Dies illa*, nulla sequente vespera, sine defectu manebit; in qua perenniter cum Domino quiescemus, qui erit omnia in omnibus. Recens ista primorum septem dierum annotatio te pensare commoneat, quia his quasi septem signaculis liber geneseos in suo principio signatus fuerat, quæ per se solvere nemo potuit, donec Agnus ille qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, hoc sacramentum de septiformi opere Spiritus-sancti fidelium cordibus revelavit.

[a]

Isa. 66. 2.

Spiritus timoris duplex.

[b]

XVI. INT. Hanc tuam in illo dierum septenario considerationem lætus accipio. Sed tamen mirari non desino unde subito in mente creatoris accessit, ut faceret quod antè non fecit. Si enim de nihilo fecit omnia, quid antè agebat?

RESP. Quod antè vel subitò attendis in Deo, te nimis inconsideratum video. Antè enim & subitò si bene perpendis, signa sunt temporis. Non est carissime, non est subjectus tempori qui tempora fecit. Qui enim res quas voluit omnes condidit, & rebus tempora concreavit, de informi quidem materia, non quidem temporaliter, sed causaliter simul creavit omnia, è quibus currunt tempora, implentur loca, temporaliumque & localium motibus volvuntur sæcula. Dicimus autem ante sæcula solum Deum, à sæculo ea quæ in initio [simul] facta sunt, è quibus sæcula prodeunt, in sæculum verò ea omnia quæ sub tempore currunt. Quapropter creator rerum & temporum nec res nec tempora præcedit tempore, sed æternitate. Quatuor quippe modis aliquid ab aliquo dicimus quia procedit, scilicet aut æternitate, aut origine, aut tempore, aut electione. Æternitate, ut creator omne creatum; tempore, ut flos fructum; electione, ut fructus florem; origine, ut sonus cantum, vox verbum, informis materia mundum. Cùm enim quæritur quid sit prius, sonus an cantus, respondemus quia prior est sonus. Materia enim cantuum est sonus. Sic & vox prior est verbo. Verbum enim est formata vox. Præcedit autem sonus cantum, & vox verbum, non quidem tempore, sed quadam origine. Non enim ille qui cantat, priùs emittit informem sonum, quem postea colligat & formet in cantum; sed simul utrumque agitur, sonus scilicet & cantus, dum ab aliquo canitur. Et tamen quid de quo fiat naturaliter intuemur. Cantus enim est formatus sonus. Sic Deus utrumque simul condidit, & materiam quam formavit, & res in quas eam formavit. Mox enim ut aliquid fecit, formatum fecit. Illud tamen unde fit aliquid priùs est naturaliter eo quod inde fit. Prior est ergo informis materia mundo, ut vox verbo, licèt non tempore, tamen origine. In rebus sanè quas cernimus, materiam & formam simul esse intelligimus. Sed cùm utrumque loqui volumus, simul utrumque [loqui] non possumus. Bene ergo fit prius in loquendo quod sola origine prius est in agen-

Præcedere aliquid quatuor modis dici potest.

[b] Colb. solo.

[a] Al. in æterna.

do. Hinc est quod scripitura loquendi temporibus dividit, quæ mundum de informi materia factum dicit, quod Deus faciendi temporibus non divisit. Causa namque originis, non mora temporis, informis materia mundum præcedit. Informis ergo materia, quicquid illud est, sine tempore est. Sed & angelos illos sine tempore esse invenio, qui quàm citò conditi, tam citò ad summum & incommutabile bonum sine intervallo temporis sunt conversi. Alioquin in culpa fuissent, si vel ad modicum ab eo vacassent, cum quo incommutabili caritate solidati [facti] sunt, immutabiles gratia, non tamen natura. Sunt enim creatura. Deum quippe sine tempore & loco semper aspiciunt; à qua beatitudinis contemplatione numquam & nusquam resiliunt aut defluunt; & tamen ejus jussa in inferioribus peragunt, & membris Ecclesiæ usquequaque deserviunt, teste Veritate, quæ ait: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Quod dicit, *Angeli eorum*, temporale circa nos ipsorum designat officium. Quod dicit, *semper vident faciem Patris*, designat eos habere incommutabilitatem divinæ visionis, in qua vident æternas omnium creaturarum rationes immutabiles. Vident etiam facta simul omnia sine tempore, [a] sola causali ratione. Originaliter quippe & primordialiter fecit Deus simul omnia, à quibus procedunt temporali varietate currentia. In his autem quæ simul facta sunt, nemo videt quid prius quidve posterius fieri debuit, nisi illa sapientia quæ res & rerum ordinem in se ipsa cognoscit. Nihil eorum quæ fecit existens, nihil extra se inveniens, omnia apud se principaliter habens, sicut novit, sic omnia fecit. Neque enim ea faceret, nisi apud se ea nosset antequam faceret. Hinc Veritas ait: *Quod factum est, in ipso vita erat*, non ut factum, sed in ipso ut vita. Ibi ergo omnia, sed non facta. In informi enim materia omnia simul facta, sed non tempori subdita. In tempore verò omnia varietatum [b] motibus seu locorum spatiis ordinata. Secundùm hoc ergo quod in mente divina rerum omnium manet ratio causalis immota. Ita testatur evangelica veritas: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Vita, inquit, quæ erat lux hominum. Homo enim, scilicet rationalis creatura, non habet lucem nisi sapientiam, quæ Deus est, in qua omne quod factum est vita est. Spiritus sanè rationalis, dum imaginem Dei, ad quam factus est, singulariter custodit, ipsum solum supra se diligens contemplatur, quo nihil superius nihilque beatius. Secundùm id verò quòd simul omnia in initio facta sunt scriptum legimus: *Qui vivit ab æterno, creavit omnia simul.* Secundùm hoc autem quòd singula temporaliter currunt scriptum est: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Omnium sanè simul materialiter conditorum creditur Moyses meminisse ubi ait: *Hic est liber creaturæ cæli & terræ. Cùm factus est dies, fecit Deus*

Matth. 18. 10.

[a]

Joan. 1. 3.

[b]

Eccli. 18. 1.

Joan. 5. 17.

A *cælum & terram & omne viride agri antequam esset super terram, & omne fœnum agri antequam exortum est.* Fecit enim simul omnia in præjacenti materia antequam apparerent visibiliter, & in actu procederent temporaliter. Cùm hæc itaque omnia in initio simul fierent, dicit factum diem. Sed diem illum intellige unum septies repetitum, sine intervallis morarum temporalium. Quod ut manifestè intelligas, responde mihi, quæso, de die septima. Dic, quæso, quæ est facta, annon facta est? Sed præter Deum quicquid est, omnino factum est. Sex quidem dies primi cum quibus operibus B facti sint Moyses enarravit. Omnia etiam intra sex dies illos scribit consummata esse, & Deum in septima quievisse. Sed quomodo in die requievit quem non creavit? Aut si creavit, quomodo sexto die simul omnia consummavit? Non enim aliquid in die septimo creavit, sed potiùs in eo ab omnibus quæ consummaverat requievit. Patet itaque manifestiùs in hoc sensu sententia, si dicamus, quia una dies est quæ operibus Dei & ejus ab omni opere requiei ad videndum præsto fuit, non corporalis quidem, sed angelica seu spiritalis, habens vesperam dum respicit naturam sive actum C creaturæ inferioris, habens mane dum levatur à cognita creatura in laude creatoris, habens diem in contemplatione perfectissimæ veritatis. Hæc enim tunc à tenebris divisa & in diem formata est, cùm à suæ mutabilitatis informitate ad videndam immutabilem creatoris gloriam conversa est. Clarissima igitur visio est videre omnia in arce incommutabilis veritatis. Quod est videre Filium de Patris essentia perenniter generari, & ex utroque procedens ineffabile donum caritatis. Obscura autem ei scientia est videre omnia in eo actu quo facta sunt; à quorum cognitione ne tenebrescat, D semper mane fit, dum à creatura ad laudem revertitur creatoris, laudatque creatorem, non in creatura, sed ab ipsa in se ipso quiescentem, nullo egentem, sed plenè & perfectè sibi in se ipso sufficientem. Quòd autem dies illa septies repetita legitur, cùm & Deo & ejus operibus stabili cognitione præsentatur non temporis varietate, sed cognitionis ordine, non circuitu corporali, sed intuitu spiritali distinguitur. Fit etiam commemoratio rerum sub intervallis temporum digestorum, ubi in Genesi legitur: *Fons autem ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ.* Bene quidem ab E eo elemento quo genera animalium, herbarum, & lignorum nascuntur, incepisse creditur. Omnia namque primordia seminum, è quibus omnis caro & omnia fruteta prodeunt, humida sunt, & ex humore concrescunt. Hanc sanè potentiam & vim efficacissimè gignendi ex simul perfectis operibus Dei, in quibus non tempora sed origo temporum erat, visibilium seu actualium natura contraxit. Ab his enim quæ simul materialiter condidit, ipse singula formaliter agendo, non nova creando, tem-

Gen. 2. 6

[a] *Colb.* sed causali.

[b] *Colb.* spatiis seu locorum intervallis.

poraliter operari non desinit. Hinc est quod Veritas in evangelio dicit: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Semper ergo quiescit, & tamen operari non desinit. Quiescit, nullo indigens. Operatur, singula componens per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Joan. 5. 17

Explicit liber secundus.

INCIPIT TERTIUS.

I. Æterna Dei sapientia, in qua manent omnium rationabilium & irrationabilium æternæ rationes, in qua omnium mutabilium immutabiles vivunt origines, æterno consilio & immutabili voluntate creavit omnia. Quia verò singulariter & summè bona est, quicquid ab ea factum est, & ipsum bonum est. Bonum dico, sed non summum, quia conditum est. Ut ergo universa quæ sunt brevi summa concludas, quicquid est, aut creator aut creatura est. Bonus ille, bona omnia ejus. Sic enim colligit scriptura *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Bona quidem, quòd ab illo; mutabilia, [a] quia non genita de illo, sed facta de nihilo.

Gen. 1. 31.

[a]

II. Int. Quid est quod loqueris? Novi mundum redundare malis ab initio, passim mala conspicio, & intuitus quàm multa tolero, Tu verò, dum universa in duo colligis, malum non attendis, sed quicquid est, tantummodo bonum esse defendis. Quid malo manifestius, quod & semper abesse volumus, nec declinare possumus?

Resp. Cùm de malo quæritur, & quid malum sit non rectè pensatur, haud facilè quæstioni propositæ respondetur. Solet enim malum aliquando dici incommodum seu vitium cujuslibet corporis, sicut & molestiæ animi non contra justitiam sentientis. Corporis quidem, ut sunt ægritudines, supplicia, pœnæ, labores, esuries, & hujusmodi. Animi verò, ut anxietates, studiorum labores, & timores, & desideriorum inquietationes. Hæc enim mutabilitatis causa patiuntur animæ, patiuntur & corpora, quæ vulgi locutio consueta solet dicere mala, sed non sunt damnabilia. Ea enim & justi omnes tolerant in præsenti vita. Qui licet hujusmodi mala patiantur, non ideo tamen mali nominantur. Sic & irrationabilia vel sensu carentia non dicimus mala, quamvis passionum incommodis ipsa sint subdita. At verò ea propriè mala dicimus quæ censura justitiæ damnabilia judicamus. Quæ autem pro lege justitiæ sunt damnabilia, ea utique vocamus peccata. Quisquis ergo ea quæ propriè mala sunt operatur, meritò & ipse malus propriè nominatur. Si autem ea quæ propriè mala sunt ubi sint videre volumus, nusquam nisi in sola rationali voluntate ea esse deprehendimus.

Malum aliquando dicitur pro incommodo.

Malum propriè quid.

[b] III. Int. De his malis [b] age, supplico. Quonam modo in voluntate rationali sint tantum, audire desidero.

Resp. Æterna & summa essentia, quæ Deus est, in se ipsa viva, perennis, & beata, pro suæ benevolentia caritatis condidit angelum viventem & æternum; sed nisi inhærendo creatori minimè beatum. Fecit & hominem utique viventem, sed nisi beneficio creatoris æternitate & beatitudine carentem. Quapropter ipse qui essentialiter vita & æternitas & beatitudo est, pro sua ineffabili caritate liberum arbitrium angelo & homini largitus est, quo utique consequi posset ex gratia quod non acceperat in natura, angelus scilicet beatitudinem, homo verò æternitatem & beatitudinem. Quia ergo uterque liberum arbitrium habuit, debuit uterque ac potuit eum à quo est & cui debet quod est præ omnibus singulariter amare, & amoris merito beata manere, non quidem in se, sed in eo qui summè est, qui essentialiter vivens, & æternus & beatus est. Hic amor, hæc caritas sive dilectio, tam in homine quàm in angelo, propriè bonum eorum esse dicitur, quo supra se ad Deum humiliter elevantur. Angelus itaque vel homo, dum collato sibi libero bene utuntur arbitrio, rectè boni dicuntur & inhærentes ei qui summus est, dum plena caritate ad eum elevantur, exuta mutabilitate sua, immutabili gloriæ Dei sociantur. E contrà, si indebita concupiscentia homo vel angelus avertit se ab eo qui summus est, dum retrogrado amore inclinat se ad id quod minus est, mox arbitrii gratia miser abutitur, summaque justitia, quam non potest effugere, non arbitrio sed arbitrii libertate privatur, ita ut non possit quod antè potuit, quia voluit quod velle non debuit. Sentit quidem ratione se cecidisse in culpam, & ad redeundum non esse liberum. Declinare quidem à bono per se ipsum potuit, si tamen hoc posse fuit. Defectus est enim ab eo quod bene potuit. Potuit quidem cum gratia creatoris; quo contemto, ad non posse devenit. Hic contemtus, hæc negligentia seu malivolentia propriè malum ejus esse dicitur. Unde malus & ipse propriè nuncupatur.

Caritas propriè bonum hominis & angeli.

Malum propriè quid.

IV. Int. Quid est quòd creaturam, quam omni scriptura teste prædixeras valde bonam, ostendis fieri malam? An desinit esse quod facta est, & efficitur aliud quod malum est? Si Deus hoc facit, tunc non bona sunt omnia quæ facit. Si alius hoc facit malum, non est Deus creator omnium, nec omnia per ipsum facta sunt.

Resp. Videtur mihi quia quæ suprà diximus segniter attendisti. Hoc enim de quo nunc agimus malum, quod propriè dicimus peccatum, omnino nihil aliud est nisi rationalis creaturæ vitium. Quæ enim declinat à bono sibi à suo conditore proposito, quo ipsum qui summè est debuit amare & amando percipere & percipiendo beata manere, non in aliud ipsa convertitur, sed arbitrii sui libertate privatur, dum propriam voluntatem, quam creatura habere non debet, creatori suo præponere

[a] Colb. Non quidem genita.

[b] Colb. ostende.

nititur. Quapropter non natura, non res aliqua est istud quod dicimus malum; sed abusio seu negligentia boni, sortita est mali vocabulum. PRIVILEGIUM sane voluntatis propriæ soli convenit creatori, qui nihil debet alicui, sed prout vult omnia facit. Creatura verò, quæ omne quod habet & quod potest & quod ipsa est debet creatori, suam quoque voluntatem omni modo debet illi per quem omnia facta sunt & sine ipso factum est nihil. Creatura itaque rationalis seu intellectualis, bona, quia à bono conditore bene condita, & libertate arbitrii ditata, conditorem suum jure debito debet diligere & ejus instituta studiosè servare: quæ si servare contemserit, contemtus meritò arbitrii libertate carebit, amissamque sibi reddere non poterit. Hanc enim à semetipsa non habuit, sed à conditore suscepit, & abutendo perdidit.

V. INT. Liberum, de quo agis, arbitrium ferè sonat in ore omnium. Sed fateor, quid sit illud ipse nescio.

Liberum arbitrium quid & qua ratione amitti possit.

RESP. Liberum, ut sentio, arbitrium est quidam motus intelligentiæ rationalis habens possibilitatem quod judicat exequendi. Hoc itaque libero rationalis voluntatis judicio tam homo quàm angelus accepto, dum super omnia creatorem attendit, & creaturam inferiùs respicit, judicat verè factori omnimodis obsequendum & factis pro voluntate factoris utendum. Sed hoc ejus judicium minimè constat liberum nisi cùm efficit quod novit agendum. Efficit autem dum creatorem diligit & ejus voluntatem, sua postposita, servando cognoscit. Quòd si servare detrectat quam singulariter servandam verè judicat, suo ipse judicio contradicit, meritòque libertatem judicandi transgressor amittit. Ut verò justitiæ libertatem servare deserit, jure debito traditur vitiis. Amissa itaque arbitrii libertate, captivus remanet sub peccati compede. Libertatem enim quam proprio vitio deserit, reparare sibi ipse nullo modo sufficit. Hæc enim nisi à quo dari potuit, reddi non poterit. Hinc Veritas ait:
Joan. 8.36. *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Post lapsum ergo non possunt esse liberi nisi per unicum Filium Dei liberati. VIDEANT quid
[a] [a] dicant qui vociferando asserunt liberum arbitrium à Deo datum ad bonum pariter & ad malum. Peccando namque amittitur, amissumque nisi per gratiam minimè reparatur. De cetero cùm malum nihil esse convincitur, & bonum solummodo esse probatur, quomodo libertas arbitrii ad aliquid pariter & ad nihil data monstratur? Simpliciter tamen ad utrumque datam concedimus, non ut utrumque sequatur, sed altero reprobato, bonum eligatur; sicut de Filio Virginis per Isaïam
Isa. 7.15. dicitur: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.*

VI. INT. Libenter accipio quod de liberò dicis arbitrio. Sed certè de malo, quòd nihil sit, nondum me sentire fateor. Video enim contra præceptum *divinæ* legis, seu contra instituta justitiæ omnipotentis homicidia, rapinas, incendia, passimque impudicitias, & his similia assiduè fieri. Numquid non ista manifestè fiunt? Quis tam insani capitis est ut dicat quia nihil sunt?

RESP. NULLA [b] certè, nulla varietas rerum seu vis aliqua malorum divinum evertit consilium. Non est aliquid quod magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus præpedire possit, unum habens consilium super opera multipliciter variata. Immobilis enim movet mobilia, æternus temporalia, indivisus divisa, justus injusta, bonus mala. Tranquilla siquidem æquitate disponit voluntates rationalis creaturæ. Bonas namque adjuvat atque remunerat, malas reprimit & damnat; utrasque bene dispensat, utrasque ordinat. Quapropter mundus iste sub ejus omnipotentia cursu ordinatissimo regitur, nec ullum alicubi injustum invenitur, cùm summa æquitas tam per malos quàm per bonos bene semper bonum operatur. Potestas enim malorum semper est justa, quia à Domino. Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Voluntas eorum semper injusta est, dum contra summam justitiam præsumta est. Unde & in defectu est. Quicquid enim est, vel ideo est quia summum bonum est, vel ideo quia à summo bono conditum est. Sed summum bonum nullo modo deficere potest. Summum enim est, & ex illo est quicquid est. Quod verò à summo bono factum est, non quidem id ipsum est quod id à quo factum est. De nihilo enim est. Unde & in defectu est, nisi inhæreat ei qui summè est. QUOD ITAQUE ab eo declinat qui summè est, in tantum ipsum non est in quantum deficit à summo bono, in quo ejus esse est. Est ergo ei deficere ipsum qui summè est non amare. Hoc [enim] vitium, hoc malum, solius est rationalis creaturæ; quod non quidem aliquid, sed nihil dicimus esse. Defectus enim est seu negligentia ab eo quem debet amare vel colere. Hoc ejus vitium, hanc culpam propriè dicimus malum esse. [Malum quidem diversis modis agitur, unde & diversa nomina sortitur, ut rapina, furtum, impudicitia, & hujusmodi quæ sic dicta sunt, non quia actiones sunt, sed quia non bene fiunt.]

VII. INT. Quæ dixisti bene suscipio. Sed quòd justus injusta & bonus mala faciat, non consentio.

RESP. Non legisti quia Veritas in evangelio dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si ergo ad summum opificem respicimus, bene fit omne quod agitur, sive bonus sit, sive malus, homo vel angelus, per quem omnipotens operatur. Si verò rationalis creatura, per quam Deus agit, bona voluntate consentiat, & ipsa bene facit, rectéque bonum dicitur quicquid facit. [Econtra si rationalis voluntas à summo opifice qui per

[a] Colb. dicunt.

[b] Colb. carissime.

eam agit nolendo dissentiat; malè quidem facit, & tamen est aliquid quod facit: sed quia injustè facit, malum dicitur quidquid facit.] Sic sic, si bene recolis, animal tuum, dum vadit quò præcipis, bene ambulare fateris. Si autem deviat ab ea qua intendis via, devium malè ambulare causaris, non quia non ambulat, sed quia deviat. In hoc quòd ambulat, actus est; quia deviat, malus est. Malus quidem, quia non consentit domino per eum agenti & pro nutu suo sibi subditum promoventi. [a] Sic & summus opifex per quoscumque, prout vult bene semper operatur; sed quandoque non bene concordat [ei] subditus per quem operatur, [pro quo injustum seu malum dicitur quicquid per eum agitur, licet pro summo auctore omnium bonum esse probetur.]

VIII. INT. Cùm te ista prosequentem audio, Deum & esse bonum & bona agere omnia sentio. Sed tuis adversa sententiis quàm multa video, dum scripturis sanctis intendo; in quibus, quod tibi in aurem vix dicere audeo, Deum ipsi sibi contrarium sentio.
Isa. 45. 7. Dicit enim per Prophetam: *Faciens pacem, & creans malum, ego Dominus.* Et alibi: *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Et ad Pharaonem Dominus dicit: *In hoc ipsum excitavi te.* Alibi quoque scriptum est: *Non est malum in civitate quod Dominus non fecit.* Et cetera hujusmodi.

Exod. 9. 11. Rom. 9. 17. Amos 3. 6.

Qua ratione Deus malum agere dicatur.

RESP. Crebrò dicimus quia summè bonus, & bene omnia condidit, & condita bene disponit. Unde quicquid est, ideo bonum est quia ab ipso est. Omnis ergo actio, quia bene disposita est ab auctore summo, bona quidem dicitur. Quia verò agentis intentio, hominis dico vel angeli, discordat à Deo, pro agente malo mala dicitur actio; quæ tamen bona est pro opifice summo, qui ait: *Sine me nihil potestis facere.* Ipse quidem per malos, quos bene disponit, bonum assidue operatur, illisque pro mala voluntate bona injustè agentibus bonus ipse semper utitur. Unde nihil ubique nisi justè agitur. Quapropter quicquid per eos agitur, quod quidem pro eis malum jure dicitur, rectè Deus id ipsum agere Prophetis attestantibus declaratur. Sicut ergo mali bonum agere dicuntur quod per eos facit Deus, sic & ipse, qui bonus est, mala agere dicitur dum per malos operatur. Verum est itaque quòd nihil omnino nisi bonum agitur, cùm Deus tam per bonos quàm per malos omnia operatur.

IX. INT. Si, ut tua dicit sententia, omnis actio est bona, ut quid leges, ut quid judicia? Quid corrigunt sacerdotes, quid puniunt potestates?

RESP. Nosse debes quid, à quo, quare, quomodo, ubi, & quando aliquid debeat fieri. Si præterquàm constat indictum aliquid ab aliquo fuerit præsumtum, culpabile deprehenditur, & ob officio corripitur. Privatis namque seu publicis institutionibus singula moderantur. Res quidem de quibus aliquid contra justitiam agendo præsumitur, si bene consideres, sine culpa invenies. Unde non res, sed de rebus agendis injustitiam meritò reprehendis. Agentem, quia indebitè fecit, justitia debitè punit; quem indebitè punisset, si debitè auctor egisset. MAGNUM sanè æquitatis constat indicium quòd malum nusquam remanet impunitum; & dum injusta justè puniuntur, ubique regnare Dei justitiam ipsa profitentur; sub qua nec impuniti remanent qui justum injustè operantur. QUOD AUTEM dictu mirabile est, hoc etiam in malo bonum est quòd impunitum non est. Sciat quoque tua prudentia, quia omne opus commendat humana justitia quo legum institutio fuerit observata. De manifestis enim solummodo judicat, dum occulta cordium ignorat. Sed summus arbiter longè aliter judicat, qui magis corda pensat quàm opera, qui nullum opus approbat quod caritas non commendat. [b] MANDATA quidem & pro variis temporibus & pro rerum necessitatibus sæpissime variantur. Sed una in omnibus caritas à Deo quæritur, qua quicquid agitur, gratanter à Deo suscipitur, sine qua quodcumque feceris improbatur.

Malum non remanet impunitum.

X. INT. Cùm providentiam Dei respicio, contra hæc quæ dixisti sentire me sentio. Quid enim? Nonne providentia Dei, quæ numquam fallitur, omnia antecedit? Nonne sicut prævidit, sic singula facit? Angelum quidem & hominem fecit, nec aliter quàm prævidit. Cecidit autem juxta providentiæ veritatem, quæ providit casurum angelum & hominem. Providentia quippe Dei vera non esset, si aliquid aliter quàm novit fieret. Prævidit igitur casurum. Non enim aliter esse potuit quàm constat fore provisum. Hæc sententia ab omnibus inconcussa suscipitur, quia Dei providentia in nullo fallitur. Quare ergo qui cecidit, in culpa tenetur?

RESP. Vera est, ut ipse asseris, vera est divina providentia; verè secundùm eam fiunt singula. [c] Verè ergo juxta Dei providentiam facta est angeli & hominis rationalis natura, & utrisque data liberi arbitrii facultas. Quare sicut Deus prævidit, utrumque præditum arbitrii libertate condidit, qua libertate angelus & homo bene uti debuit & potuit. Quod si tanto abusus munere neglexit, jure culpandus est qui bene potuit, sed malè voluit. Habens itaque à Deo posse bonum, non debuit apponere velle malum: quod quia transgressor apposuit, justo Dei judicio miser accepit, ut per velle malum amitteret bonum posse. Factus itaque sub velle malo captivus, se non posse quod velit dolet: qui si obediens mansisset sub Deo, posset omne quod vellet. QUI ERGO contemsit Dominum, jure perdidit posse bonum sibi à Domino præstitum; & miser tenuit non posse quod velit, qui velle malum perversè concepit. NON itaque necessariò cecidit.

Casus angeli & hominis licet à Deo prævisus non tamen necessarius.

[a] *Colb.* Constat tamen quia summus.
[b] *Colb.* mandata, filii.
[c] *Colb.* Qua propter secundùm eamdem providentiam.

Nec enim eum Deus omnium præscius casurum necessitate sed propria voluntate prævidit. Minimè ergo Dei providentia cadere eum facit, quem proprio casurum vitio prævidit. Prævidit quidem peccaturos angelos & homines, quem nihil futurorum latet. Nec enim futura essent, si in ejus præscientia non fuissent. Quæcumque igitur Deus providet futura, non possunt non evenire provisa. Alioquin providentia falleretur. Inter omnia autem provisa pariter est liberi arbitrii facultas: quam sicut Deus prævidit, sic eam & angelo & homini dedit. Quapropter tam homo quàm angelus pro facultate liberi arbitrii inter omnia quæ facta sunt currit absolutus quamdiu facultate liberi arbitrii bene sub Deo utitur. Servata igitur ista sibi ab eo præstita libertate, non cogitur necessitate: qui si negligendo declinat à bono, culpa sua exuitur libertate, & servus remanet sub vinculo culpæ.

Necessitas duplex.

XI. INT. Quomodo dicis angelum & hominem pro libertate arbitrii absque necessitate currentem, cùm secundùm immutabilitatem divinæ providentiæ simul omnia sunt sub necessitate? Non enim potest aliter fieri, quàm quod divina providentia inconcussè decernit.

RESP. Duobus modis solet necessitas assignari. Dicitur enim simplex una, conditionalis verò altera. Simplex, ut omne corpus est palpabile. Hoc enim simpliciter est necesse, sine omni conditione, absque ulla determinatione. Conditionalis autem, ut dum aliquem scio legere, eum legere est necesse. Necesse dico, non pro natura legentis, sed pro adjectione conditionis. Quod enim te certum est scire, non potest aliter esse, & te tunc aliter scire. Legentem quippe voluntariè nulla necessitas facit legere; quem tamen dum scio legere, pro lege conditionis necesse est legere. Sic & divina providentia dum præsens aliquid considerat, illud ita tunc esse necessariò constat, tametsi in re visa nulla naturæ sit necessitas. Rationalis sanè creatura pro suæ libertatis natura constat absoluta: quam si ad divinum (a) contuitum referas, fit necessaria pro [a] certissima divinæ visionis constantia. Res equidem licèt ut provisæ sunt existendo fiant, & legem providentiæ nullatenus declinare valeant, tamen suæ proprietatem absolutionis servant; quæ prius quàm eveniant, aut non evenire, aut aliter [fieri] poterant.

XII. INT. Quid dixisti? Potestne aliquid aliter fieri quàm sicut Deus prævidit?

Possunt res aliter fieri quàm Deus prævidit, licet non fiant.

RESP. Nescis quia homo vel angelus qui bona voluntate bonum agit, non necessariò, sed voluntariè agit? Quod si voluntariè agit, non necessitate, posset non agere. Potuit ergo aliter fieri, & tamen aliter non fit. Salva enim est providentia quæ sic prævidit fieri. Fieri dico voluntariè, non necessitate. Potest igitur aliter fieri quàm quod Deus prævidit, & tamen aliter non fit. Quapropter nemo se malè excuset A dicens: Providentiam Dei sequar. Nemo mihi imputet si pecco. Quod Deus prævidit, necessariò oportet fieri. Sed scire te convenit, quia sic est pensanda divina providentia, ut pensetur & res provisa. Vide ergo tuæ absolutionem naturæ ex providentia Dei pendere; nec dicas eam pro certitudine divinæ providentiæ omnino necessitati obnoxiam, quam scimus ex divina providentia factam in suo genere liberam. QUOD IGITUR peccas, de pravitate voluntatis tuæ procedit, non providentia cogit: unde meritò culparis. Sciendum quoque est, quia qui simul omnia condi- B dit, causales quasdam rationes mundo conclusit; quibus non suam potentiam subdidit, sed eas sua sub potentia religavit. Nosti quippe hominem à pueritia ad juventutem, à juventute ad senectutem pro causis humanæ naturæ posse procedere; sed utrum ita procedat, pendet ex superna voluntate. Causæ verò quas Deus in sua voluntate apud se tenuit, non pendent ex causis quas mundo indidit. Ejus namque consilium manens immobile mutat aliquando consuetæ cursum inferioris naturæ. [Hæc sane mutatio est illa pœnitentia in Deo qua dicit: *pœnitet me fecisse hominem*, & hu- C jusmodi, quæ non significant in Deo passionem, sed rerum mutationem, quas mutat secundùm immutabilem æterni consilii firmitatem.] Nec possunt esse contrariæ [causæ,] quas apud se semper habuit, his quas in rebus sua voluntate composuit. Voluntas namque divina immutabilis & sempiterna non potest sibi esse contraria; quæ sic causas mundo indidit, ut ex eis illud cujus causæ sunt esse possit, sed non necesse sit; sicut ex flore quidam causaliter fructus sequitur, sed non necesse est ut sequatur. Causas autem quas apud se semper habuit, ex quibus inferiores facit, sic im- D mobiles sunt, ut ex illis superioribus hoc esse necesse sit quod ex istis inferioribus fecit, ut esse aliquid possit. Itaque supra naturalem rerum cursum habet apud se omnipotentia creatoris posse de omnibus aliud facere quàm quod habet in se originalis cursus seu consueta ratio creaturæ. Nec tamen de rebus facit quod de eis fieri posse non possit. Hinc est quòd de virga Moysi subitò serpens fieri & de serpente virga potuit. Hinc est quòd virga Aaron sine germine, sine terra, sine humore, subitò potuit florere fructumque facere. Hinc anus & sterilis fœcundatur, hinc & asina loquitur. Servat nam- E que sibi ipse in rebus quas condidit, ut ista & his similia ex his facere possit, sicut ipse novit. Nec enim ex his talia faceret si non posse ex his ita fieri ipse præfixisset. Habet igitur omnipotens apud se liberas operum suorum efficacias, qui omnia quæ vult facit, & facta pro voluntate sua disponit. In hoc genere illa gratia est qua salvi fiunt peccatores, qui quantum pertinet ad iniquitatem suam, qua voluntariè depravantur, non habent reditum quo sanentur nisi eis divino medicamine sub-

[a] *Colb.* certissimæ.

veniatur

Rom. 9. 16. veniatur. Hinc Apostolus ait: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; & cui vult miseretur, & quem vult indurat.*

XIII. INT. Ex hac Apostoli auctoritate quam adducis, mea quam debilitaveras sententia multùm convaluit. Video enim secundùm Apostolum, quia nihil est libertas arbitrii, sed sola voluntas Dei cui vult bene facit, & quem vult abjicit.

RESP. Quem te audio? Oblitum quippe eorum quæ diximus te admodum arguo. Dic, quæso, quid nobis divinorum eloquiorum auctoritas, quid monet & obsecrat, quid jubet & vetat, quid corripit & increpat, quid instruit & confortat? Nobis quidem errantibus & à Deo adversa voluntate cadentibus arbitrium rationis culpa deprimitur, non omninò tollitur. Unde, quia errat, meritò culpatur. Nonne superiùs audisti quòd inter omnia quæ facta sunt rationalis creatura præcellit? liberum quidem arbitrium à conditore suscepit, quo ipsum super omnia amare debuit, [1] quisuis eam legibus informavit, cui Dominus præcepta dedit, quæ ipsa pro ratione qua præeminet servanda decernit, quæ decernens servare debuit & liberè potuit, ipso adjuvante qui dedit à quo & esse & posse habuit. Hanc libertatem si peccando amittimus, nobis eam reparare non possumus, sed gratia Dei indigemus, quæ sola potest lapsos erigere, & erectis pristinam libertatem reparare. Unde bene & Apostolus ait: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Arbitrium rationis remanet ad condemnationem, his dico qui peccando perdunt ejus libertatem. Ipsum quidem verò attestatur quòd à Deo quem injustè deseruit, justè condemnatur, dum & ipsa cogunt tormenta pensare quid sit inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ. Quod si superna gratia in tuis te peccatis aliquando respicit, quantum in te est vocantem suscipe, miserenti miserum te propone; reddet tibi, si voluerit libertatem qua poteris surgere ad justificationem. Vocantem si audieris, non deerit qui vocavit, qui nulli umquam defuit. Suscipiet reducentem qui vocavit fugientem. Manum porrigendo lapsum suscitat, nisi lapsus se avertat; sanat ægrotum, nisi refugiat; glorificat sanum, nisi deficiat. At si bonis ejus abutimur & beneficiis ipsius ingrati manemus, justo tandem judicio induramus, & à Deo deserimur. Causam istam penes eos invenimus, ipsi enim peccando meruimus. Si verò ejus misericordia relevamur, collatam nobis gratiam merito miramur. Causa namque hæc penes ipsum est, qua gratuitò salvamur. Non enim meruimus. Secundùm has causas Dominum dixisse legitur: *Jacob dilexi, Esau autem odio*

Rom. 9. 13. *habui*, cùm teste Apostolo nondum nati nihil egerant boni vel mali. Quod itaque Jacob diligit; gratia est, quod Esau odit, justitia est, cùm uterque sub originali culpa genitus est. Cur autem gratia hunc magis quam illum assumat, non solvit Apostolus, sed exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quid igitur? Cui vult miseretur, gratia est. Quid? quem vult indurat, justitia est. Causam hanc qua damnamur in nobis habemus & gerimus. Causam verò illam qua salvamur non in nobis, sed in Deo aspicimus & laudamus. Ipse est enim qui vult omnes homines salvos fieri. Rom. 11. 33.

Arbitrium rationis culpa deprimitur, non omninò tollitur.

XIV. INT. Quid est quod dixisti? quomodò vult omnes homines salvos fieri qui non omnes salvos facit? Malorum multitudinem perire cernimus, bonos vix aliquos invenimus.

RESP. Istud ita dictum intelligimus, quia quos vult, omnes salvantur. Nullus enim potest salvare, nisi ipse velit. Unde supplicandum est ei: salvabit enim si voluerit. Inde monet Apostolus, ut oretur pro omnibus, maximè pro regibus; & dicit bonum esse hoc coram Salvatore nostro Deo. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Non debes dicere omnes in Adam morientes in Christo vivificari; sed sicut omnes in Adam, id est in prævaricatione Adæ manentes moriuntur; ita omnes in Christo, id est in justificatione Christi manentes vivificabuntur. Omnes & omnes dixit, quia in mortem nemo nisi per illum, in vitam nemo nisi per istum. Sic attende, quia omnes quos vult salvos fieri salvos facit, at verò si ad caritatem referimus quod dictum est, *vult omnes homines salvos fieri*, poterit hoc subtiliùs indagari. Legimus Deo mandante præceptum, ut tamquam seipsum homo diligat proximum. Oportet itaque in primo diligat seipsum: qui enim semetipsum non diligit, nec proximum tamquam seipsum diligit. DILIGIT autem seipsum si diligit Deum. A Deo enim & creatori suo debet idipsum quod est. Si ergo amat id quod ipse est, amat eum necesse est sine quo non potest esse quod est, & quo dilecto bonum est quod ipse est, & quo non dilecto nec bonum est quod est. Ante omnia igitur Deo dilectionem debet, ex quo & per quem & in quo esse habet; deinde sibi, non tamen in se, sed in eo à quo habet esse & quod dilecto bonum habet esse; postmodum proximo secundum se qui dilecto Deo ipse diligit se. Et secundùm hoc quod diligit se jubetur proximum amare. Propter hos dilectionis gradus bene in Canticis canticorum dicitur: *Ordinate in me caritatem.* Rectè namque caritatis ordine verus dilector à Deo ad seipsum à seipso descendit ad proximum, à proximo recurrit ad Deum. Hic est triplex funiculus, qui, teste Salomone, difficile rumpitur. In præsenti quidem vita est difficile, in æterna erit impossibile. Hic namque in nobis caritas inchoatur dum mutabilitati subjicimur, qua tandem deposita, in nobis caritas perficietur. Hæc est scala quam Jacob patriarcha à terra ad cœlum erectam vidit, dum hic inamat.

Qua ratione Christus velit omnes homines salvos facere.

1. Tim. 2. 4.

[a] *Colbert* qui suis eam legibus dilexit, quæ cum sit aliud præter ipsum, diligendo aliud non aspexit. Unde nec ad se declinat, sed quod summum est dilectionis stabilitate perenniter amat. *Deinde desiderantur omnia quæ sequuntur usque ad hæc verba libri IV. interrogat. IX.* Inde est quod ab initio culpa non tetigit.

cœptam, ibi complendam agnoscit, qua recte A incedit qui & Deum & se & proximum diligit propter Deum. Si alia causa diligit, scalam dimisit. Quantò fortiùs vadit, tantò profundius cadit. Qui autem recta caritatis scala verus dilector incedit, quicquid diligit, & Deum diligendo bene omnia fecit, eique bona sunt quæcumque contra eum vel de eo à malis fiunt.
Rom. 8. 28. Audi attestantem Apostolum: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quisquis igitur caritatem habet, omnia ad salutem cooperantia habet. Quare quisquis caritate seipsum diligit ad salutem se diligit; qui dum jubente Deo diligit proximum tamquam B seipsum, ad salutem utique diligit & proximum. Quia verò naturaliter omnis homo nobis proximus est, dum proximum amamus, omnem hominem ad salutem diligimus. Quisquis ergo omnes ad salutem diligit verum est quia vult omnes homines salvos fieri. Et hoc velle Deum rectissimè dicit, cui Deus id velle præcepit. Nec enim Deus id præciperet, si minimè vellet. Constat etiam id velle Deum quia spirando facit suos
Rom. 5. 5. volentes idipsum. Hinc Paulus ait, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* Caritatem hanc Abel prothomartyr habuit, quando digne offerendo placuit; sed ea vacuus dum offerre præsumsit Chayn, reprobari meruit. Hanc quoque & ille non habuit qui patris nuditatem non erubuit, sed irrisit: unde meritò cum suis posteris addictus est servituti, cujus fratres, sed caritatem habentes, pudenda patris tegere noverunt, videre nescierunt, jureque patris benedictione liberi permanserunt. Joseph fratrum invidia perdidit, sed perditi caritas perditores suos postmodum salvavit. Phinees fervore caritatis fornicarios obtruncavit, & iram Domini iratus placavit. Caritas hæc si bene consideres, currus igneus est, quo Elias ad cœlum raptus est. Hæc autem caritas est ille spiritus, quem duplicem ab Elia petiit Eliseus.

XV. INT. Eliseus quidem nec tantus fuit, nec tanta fecit, ut par Eliæ nedum major debeat æstimari. Dic itaque, si nosti, qualiter spiritus Eliæ in Eliseo duplex fuerit.

Eliæ spiritus duplex quomodo fuerit in Eliseo. RESP. Eliæ quidem spiritus si bene perpenditur in ipso Elia duplex fuisse creditur. In prophetis namque & perfectis quibusque viris duplex spiritus esse probatur, quo Deus & proximus ab eis amatur. Rectè igitur duplicem hunc spiritum à magistro discipulus petere debuit, quem perseverantia probatus accepit.
4. Reg. 2. 10. Sic enim ei Elias respondit: *Si videris* inquit, *quando tollar à te, erit quod petisti.* At ille nec laboriosa prosecutione ab eo destitit. Perseveravit, vidit, accepit, non dicimus duplo quàm Elias, sed qualem habuit Elias. De his dixerunt
Ibid. 15. filii prophetarum: *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum.* Duplicem ille habuit, duplicem Eliseus accepit. Duplicem dicimus quo Deum & proximum amamus. Si enim Eliseus Elia major esse præsumeret, ejusque spiritum in se duplicari deposceret, potius repelli deberet. Sed dum humiliter Eliæ caritatem habere voluit, merito piæ petitionis quod quæsivit obtinuit. Quod si Eliseus duplicari in se gratiam Eliæ devotus voluit, devotione meruit ut duplo acciperet quod quæsivit. Hic est Spiritus quem Dominus JESUS terrigenis duplicem infundit: unde tanti dator muneris, quod & plurimùm te fateri convenit, rectissimè Deus & homo consistit. Manens enim Deus cum Deo Patre unus in essentia, unus est homini in persona. Emanuel natus ex MARIA, quam non corruptio carnis, sed Spiritus-sancti integritas fœcundavit. Unde bene ipsa primò hunc duplicem Spiritum angelo salutante suscepit, & mediatorem Dei & hominum JESUM-CHRISTUM integra genuit. Hic de Virgine natus lapis est abscissus de monte sine manibus, quem non carnalis amplexus, sed caritatis genuit affectus. Inde est quod Virgo concepit, Virgo in partu & post partum integra permansit. Eva mater corrupta genuit, & mortis filium peperit. MARIA mater integra genuit, & vitæ fructum edidit. Illa perdidit, hæc salvavit. Illa diabolo consensit & cecidit, hæc Spiritum-sanctum accepit & surrexit. Deus enim verus cum assumto homine natus de Virgine ex Adam traxit originem, C non criminis traducem, de nostra substantia tulit inopiam; de suo nobis dat gloriam. Suum dedit & nostrum accepit. Primus homo in paradiso mandatum accepit, quo creatori creatus servire debuit, ut obediendo teneret justitiam, justitia vivens transiret ad gloriam, sed dum præpropero cursu quæsivit gloriam, obedientiæ fregit justitiam, prolapsus in culpam, à culpa in mortis miseriam. Secundus homo quem genuit Virgo, mundi reparator, descendens à superiori, ut nos erigeret inventus est in inferiori. Hinc Apostolus ait:
D *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Phil. 2. 6.
Quem dum mortis auctor indebitè rapuit, per mortem ejus indebitam debitè victus fuit. Teneri namque in morte non potuit, quem culpa non tenuit. Mors quidem nostra qui peccavimus pœna est pro peccato, mors Redemtoris indebita hostia est pro peccato, qua quos solvit à crimine liberat à morte. Via quæ trahit ad mortem peccatum est, via quæ ducit ad vitam justitia est. Illam stravit diabolus, mediator malus qui peccatum suggerit, & in
E mortem trajicit; hanc erigit Christus mediator bonus qui reddit justitiam & ducit ad vitam. Pari quippe modo angelus in cœlo, protoplastus in paradiso sua Deum superbia contemserunt: Unde ille cœlum, iste paradisum meritò perdiderunt. Sed gravissimè credidit qui non solùm se à cœlo dejecit, sed & hominem seducendo post se à paradiso detraxit. Ille namque peccatum invenit, iste ab inventore suscepit: Unde summus arbiter prædatorem illum perpetuò condemnavit; prædatum verò misericorditer modo quo voluit relevavit. Nostram quippe naturam sed à cul-

pa liberam qui deprædari non poterat Dei A filius accepit, & pro nobis prædam fieri prædantem prædaturus elegit. Huic itaque dum prædator antiquus injustè rapuit, justè prædari meruit, quem prædator fortissimus tenuit, & allisit, & captivitatem nostram de manu impia liberam eduxit. Ejus enim passione redimimur, resurrectione levamur, ascensione glorificamur. Hoc sanè mysterium ab æterno dispositum, angelis creditum, diabolo celatum, prophetis revelatum, redditum est in MARIA, susceptum ab Ecclesia, completum in gloria. Amen.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

Elationis & humilitatis oppositio.

I. O Admiranda divinæ Majestatis immensitas, ad cujus altitudinem infinitam dum nulla pertingit elata sublimitas, sola semper ad eam usque conscendit humilitas. MIRO SIQUIDEM modo eum cùm ubique sit non potest invenire superbia, eumque licet infinitè sublimem comprehendit humilitas. Inde est quod ejus humilem in carne adventum humiles soli suscipiunt, superbi nesciunt. Super- C bia quippe & humilitas ab initio semper contra sentiunt, ab invicem sese effugiunt. Hæc est irrevocabilis illa dissensio quæ à mundi exordio sejungit angelos. In aliis namque humilitas regnat, in aliis vero superbia imperat. Alii ex humilitate proficiunt, alii superbiendo deficiunt. Non auctore, non initio, non natura discreti sunt, sed diversa sentiunt, sed diversis ab invicem studiis rapiuntur, sed diversis affectibus abducuntur. Humilium sane caritas ita Dominum singulariter quærit, ut pro illo etiam sese despiciat, superborum verò cupiditas ita sese singulariter diligit, ut præ D se etiam Dominum contemnat. Quare ut erigamur ad Dominum, imitanda nobis est caritas humilium; ne autem cadamus à Domino, omnino evitanda est ambitio superborum. Teste siquidem Evangelio, Publicanus (Luc. 18. 14.) ille in templo humilitate profecit, Pharisæus verò superbia à bono defecit.

II. INT. Quid est? nonne Pharisæus ille Domino non sibi confessus est bona quæ habuit & gratias egit? nonne lætatus est quia peccatoribus dissimilis fuit? Quid ei defuit qui & à malis declinavit & bona fecit, & inde gratias Domino exsolvit? E

Pharisæus superbia cecidit.

RESP. Verum est quia rectè vixit, nec hoc sibi sed Domino lætus attribuit: unde & gratias egit. At verò extra se respiciens, superbia cecidit dum Publicanum judicare præsumsit, seque illi quem quis esset non noverat superbiendo prætulit. Superbia tumidus alienum servum judicabat, & quem Dominus humiliatum justificaverat, elatus ille tamquam reum condemnabat: Quod liquidò perspicies, si studiosè consideres in quo humiltatis gradu steterit Publicanus, & quo superbiendi genere elatus corruerit Pharisæus.

III. INT. Mihi, quæso, paucis insinua quos humilitas gradus quosve superbia casus habeat.

Superbiæ quatuor casus cum totidem humilitatis remediis.

RESP. Tumores superbiæ quatuor esse cognovi, quibus me miserum, fateor sæpissime cecidi. Sunt namque nonulli arrogantes, quos adeo superbia debriavit, ut cùm ipsi nec scientiæ nec alicujus virtutis vestigium revera teneant, alios sapientes & virtutibus abundantes quasi nihil sint omninò contemnant, & se solos valere mendaciter ostentant. Hæc est insana superbia, quæ nec causam habet unde se efferat. Hic est primus superbiæ casus omnino detestandus; Hunc satanas primùm invenit, ubi mendaciter ait: *Ero similis Altissimo.* Contra hoc grave tumoris præcipitium occurrit (Isa. 14. 14) primum & optimum humilitatis remedium, cùm aliquis virtutes ipsas quas verè possidet minimè attendit, sua sibi infirma prætendit, coram Domino se nihil nisi peccatorem recognoscit. De hac humilitatis valle Publicanus ille surrexit, qui & oculos ad cœlum levare timuit. Sola in se tantùm peccata cognovit, & pœnitendo dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* (Luc. 18. 13.)

Item sunt nonnulli qui à summo largitore aliqua virtutum insignia percipiunt, sed tumore superbiæ ad tantam insipientiam devenerunt, ut de acceptis tamquam non acceperint glorientur, & sibi non Domino referenda pertinaciter arbitrentur. De talibus dicit Apostolus: *Quia cùm cognovissent Deum* (Rom. 1. 21) *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quos expellit humilitas, quæ cùm bona habeat, nihil suæ industriæ vel naturæ de acceptis referendum judicat, sed largitori bonorum omnium ea Deo humiliter assignat. Hinc Paulus clamat: *Gratia Dei sum id quod sum.* (1. Cor. 15. 10.)

Item sunt nonnulli qui sua Deo non sibi bona referunt, sed suis ea meritis Deum debuisse procaciter asserunt. Contra hujusmodi humilitas profitetur, quia omnia de plenitudine Dei omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Etsi enim inter accepta bona habeamus aliqua merita, & ipsa jure dicuntur gratia, idem gratis à Deo nobis data, qui sua quoque in sanctis dona gratis renumerat. Hinc Apostolus ait: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Quoniam ex ipso & per ipsum sunt omnia. Ipsi gloria. (Rom. 11. 35.)

Item sunt non nulli qui bona sua & si qua habent bonorum merita æquè omnia Deo attribuunt & gratias agunt; sed dum præ se alios despiciunt, judicantes quos nesciunt, qui ut ait Apostolus: *Sub Domino stant aut cadunt*; præsumtione relabuntur superbiæ, (Rom. 14. 4.) suaque nudantur veste justitiæ. Hic est quartus superbiæ lapsus, quo cecidit ille Pharisæus. Bona quidem habuit & habita à Deo cognovit, unde & gratiarum actionem solvit, sed dum superbè coram Deo proximum quem nescivit judicare præsumsit, justitia vacuus superbia plenus remansit. At vero humilitas non solùm bona sua seu bonorum merita à Deo sibi collata cognoscit, sed & de proximis bene sentit,

de se aut nihil nisi infirmitatem coram Deo prætendit. Tu quoque his admonitus ad Dominum recurre devotus, ut à superbiæ casibus per ipsum redeas, & humilitatis gradibus ad ipsum pervenias; à quo semper superbia refugit, ad quem humilitas semper accedit. Hanc Salvator è cœlo donat, ut ascendamus; illam perditor ab inferis elevat, ut decidamus.

INT. Quæ sunt ista? Quid quæso est superbia quam vituperas? Quid humilitas quam laudas? Quid, quam commendasti, caritas? Quid, quam detestaris, cupiditas?

Quid sit caritas, cupiditas, humilitas & superbia.

RESP. Caritas est profectus animi qui Deum & in Deo omnia diligit. Econtra cupiditas est defectus caritatis, qui nec Deum nec in Deo aliqua diligit. Caritas ergo prima est virtutum omnium, cupiditas verò prima vitiorum. Caritatem humilitas & benevolentia comitantur; cupiditatem superbia & invidia consequuntur. Humilitas quidem contemtus est propriæ excellentiæ ob amorem Dei. Superbia verò est ob amorem propriæ excellentiæ contemtus Dei. Benevolentia est quidem amor alienæ utilitatis, invidia autem bonis aliorum detrahere non desistit. Caritas ergo sicut parens est omnium bonorum, ita cupiditas radix est omnium malorum. Quapropter divinis auctoribus sola caritas servanda mandatur sola verò cupiditas fugienda monstratur. Ab ista revocamur, in illa reformamur. Quicquid fit per istam condemnatur, quicquid verò per istam egeris approbatur. Cupiditas namque perfidiam nutrit, desperationem inducit, & completo præsentis nequitiæ cursu insatiata manet ad perditionem. Caritas econtra generat fidei virtutem, fovet spei firmitatem, & transacto præsenti tempore plena permanet ad beatitudinem. Duo ista ab initio sibi adversa duo constituunt regna. In bonis sanè angelis caritas regnum obtinuit, in perversis verò cupiditas initium sumsit. Caritas in suis est obedientiæ fundamentum, profectus in bonum, accessus ad Deum, hortus bonitatis, plenitudo felicitatis. Ex adverso in suis est cupiditas prævaricationis origo, defectus à bono, lapsus à Deo, concursus malitiæ, completio miseriæ. Caritas in sanctis angelis libero bene utens arbitrio constanter adhæsit Domino: Unde principaliter ei convenit quod legitur in Psalmo: *Mihi autem adhærere Deo bonum est & ponere in Domino Deo spem meam.* Et alibi: *Ut videam voluntatem Domini.* Sancta ergo angelorum societas bene à summo bono condita bona est valde in natura, sed cùm bonæ voluntati conditoris per liberum caritatis arbitrium tota concordat, tunc virtute fit melior seipsa. Transcendit virtute naturam, manet cum Domino ordinata per gratiam. Quantùm enim unumquemque protensa in Deum erigit caritas, tantùm levat eum ordinis à Deo pensata sublimitas. Quapropter sciendum quod propter caritatis meritum à Deo distincti sunt novem ordines angelorum. His addidit & decimam dragmam, humanam scilicet naturam, quæ tamdiu ordinem tenuit, donec ab inordinato deordinata corruit: quam tamen ipse qui condidit perditam quæsivit, quæsitam invenit, inventam in humeris reportavit. Sed qui ab initio mendax fuit, caritate caruit, qui veritate neglecta mendaciter dixit: *Ero similis Altissimo.* Hic verò quia caritatem non habuit, nec ordo fuit, nec de ordinibus cecidit, quos caritatis mensura distinguit. Concedimus tamen dici posse quia cecidit ab ordine, cecidit à beatitudine, non quæ habuerit, vel in quibus fuerit, sed quæ habere vel in quibus esse Deum diligendo potuit. Potuit enim quia & natura bonus fuit, & ut in Deo perficeretur liberi arbitrii bonum à Deo obtinuit. Bonum hoc à summo bono ad bonum accepit, sed abutens facultate doni in se non in Deo gloriam voluit, falsoque dixit: *Ponam sedem meam ad aquilonem, ero similis Altissimo.* Hæc est cupiditas quæ à Deo defluxit, & mater impia primogenitam pessimam edidit, superbiam dico, qua similis Altissimo fieri præsumsit. Hæc est illa primogenita Ægyptiorum quam Dominus interfecit & sic populum suum reducere potuit. Sic & sic, carissime, quantacumque vitia homo in se destruat, nisi in eo primogenita hæc pessima quæ dicitur superbia, funditus pereat, non potest ad Deum libere egredi, nec exire à lateribus aquilonis. Cùm vero primogenitam Ægypti in nobis Dominus perimit, nostrum sibi offerri primogenitum requirit. Nostrum autem primogenitum dicimus Christum. Ipse est enim primogenitus mortuorum, in quo nos qui in Adam mortui sumus ad vitam renascimur, sine quo rectè nihil offerimus.

Psal. 72. 28. — Isa. 14. 14.

V. INT. Bene primogenitam Ægyptiorum ostendisti mortificandam, & primogenitum Ecclesiæ Christum jugiter offerendum: sed de angelo quia non fuit ordo vel in ordine miror tuam sensisse prudentiam, quem Ezechiel propheta describens ait: *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientiæ & perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti.* Quomodo non fuit in beatitudine, quem idem Propheta dicit in deliciis paradisi Dei fuisse? Quomodo dicitur ab initio mendax, cùm de ipso idem Propheta dicat: *Ambulasti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ*, vel sicut alibi dicitur: *In diebus tuis sine vitio, donec inventa est iniquitas in te?*

Ezech. 28. 12. — Ibid. 15.

RESP. Verba hujusmodi & his similia aliquando de rege Tyri, aliquando de rege Babilonis, sive Ægypti, dicuntur à Prophetis: quæ tamen doctores ecclesiastici, quod & tu sentis, de satana ejusque sociis figuratè volunt intelligi. Quæ ut liberiùs exponamus, non tam ad ipsum nequitiæ principem, quàm ad ejus membra à Christo & ab Ecclesia apostatantia referamus. Sunt enim quidam hæretici qui post agnitionem veritatis decisione manifesta à Christo cadunt & ab Ecclesia. Sunt & alii qui licet ab Ecclesia corporaliter non scindantur; sed vita separantur: hi videlicet qui remissis à Christo peccatis relabuntur ad vi-

Ezechielis locus explicatur.

tia, & versantur in crimina. Hi signaculum similitudinis Dei in baptismo perceperunt & manus impositione pontificis sapientiæ Spiritum acceperunt, & perfectionem vitæ apostolicæ in paradiso Dei, hoc est in Ecclesia præsenti, professi sunt, & à die restitutionis suæ in baptismo sine vitio manserunt, donec declinantes à justitia reversi sunt ad peccata. Unde jure damnati separantur ab Ecclesia & demerguntur in tartara. Sunt etiam qui prophetica illa verba quomodo tam capiti nequitiæ quàm membris ejus conveniant, dum discernere nesciunt ad hæc præcipiti sententia divertunt, quod duo genera angelorum à Deo creata conjiciunt; unum supercœlestium unde nullus cecidit; alterum mundanorum, illis supercœlestibus ad quædam mysteria subjectorum, de quibus mundanis, ut aiunt, alii ad beatitudinem pro rectè gestis transeunt, alii pro malefactis damnationem incurrunt. Sed hæc duo genera nulla nobis scripturæ sacræ dicit auctoritas. Divina quidem testantur eloquia quia angelus ille apostata dictus est initium figmenti Domini, non quia ipsum Deus ante omnia condidit. Legimus enim: *Qui vivit ab æterno creavit omnia simul.* (Eccli. 18. 1) Dicitur quidem initium figmenti Domini, non quia Deus ipsum initium malum fecerit, qui omnia valde bona fecit. Dicitur itaque initium figmenti Domini, ac si dicat: hoc figmentum Dominus in initio fecit: vel ita; hoc initium, id est hoc inceptum, non enim est æternum quod habet initium, est figmenti Domini. Hoc est Dominus illud fecit. Hunc itaque natura bonum, sed propria voluntate malum futurum, creare tamen Omnipotens voluit, ut bonus ipse de malo illo prodesset bonis. Præscivit enim eum futurum sanctis utilem, quamvis malivolum, quamvis nolentem. Hinc Psalmista testatur: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* (Psal. 103. 26) Hoc est quod dicitur, ut ei illudatur ab angelis ejus. Bonis namque angelis malus ille à Deo subjicitur, ut ab eis ejus improbitas illudatur, dum non potest quantum nititur, sed quantum permittitur. Hunc quidem omnipotentia summa à Deo comprimit, ut nihil omnino faciat, nisi quod summa æquitas eum agere permittit. Servit itaque Deo sed invitus, bonisque famulatur angelis, sed coactus; viris etiam sanctis præbet obsequium, sed infestus. Mirandum siquidem de eo constat miraculum jucundumque bonis spectaculum. DUM ENIM sanctis nititur obesse, cogitur tentando prodesse. Malus tamen sibi bonus est aliis, dum nihil nisi bonum agit, & nihil nisi malè facit. Bene igitur initium factus ad illudendum dicitur, qui ita à Deo formatur, hoc est disponitur, ut ejus malitiæ illudatur, qui propter sævitiam draco nomitatur. Potest etiam dici initium factus ad illudendum, quia totius malitiæ est initium: quod rectè dicitur, quia mali homines eum tamquam mala membra sequantur. Eos namque præcedit & temporis vetustate & principatu malitiæ. Hi pa-

A riter ad illudendum sunt conditi, bene Deo providente sanctorum utilitati, quibus nocere volentibus ex eorum infestatione sanctis cautela præstatur: Quos quantò istorum premitur impietas; tantò eos sub Deo pia levat humilitas. Qui dum venena vomunt hæretica, & hi divinæ fulgent intelligentiæ gratia quibus est pro tolerantia malorum pia exercitatio, & pro discretione inimicorum sancta probatio. Quos itaque malos futuros prævidit, bene Deus omnipotens condidit: de quorum malitia bene uti novit & potuit: quos ita justitiæ legibus ordinavit, ut servire faciat sanctis, & pro ma-

B livolentiæ merito pœnis exhibeat sempiternis.

VI. INT. Ne graveris illa verba prophetica supradicta nobis si placet, exponere, quomodo conveniant ipsi satanæ.

RESP. Hominem legimus ad similitudinem Dei factum, angelum verò signaculum similitudinis Dei effectum. (De casu angeli.) Constat ergo tantæ angelum excellentiæ in natura fuisse, ut in eo tamquam in signaculo posset homo prospicere quantum suo debeat creatori, qui eum dignatus est creare similem sibi, cujus similitudinis nimiam dignitatem poterat in angelo contemplari. Hoc signaculum in angelo stante

C nobis permanet integrum, quod in isto qui cecidit cernimus obscuratum, qui pro conditione naturæ plenus sapientiæ factus est & perfectus decore, quantum enim ad bonam conditionem quam à Deo innatam habuit, qui nihil imperfectum fecit, omnem perfectionem plenè à Deo rationalis illa seu intellectualis creatura accepit, quam in natura bona qua condita est habere debuit. Sed aliud est à Deo fieri creaturam plenam in natura & perfectam pro modo conditionis bonæ; aliud jam existentem in natura perfectam supra se provehi caritate, & caritatis merito in ipsum qui summè est perfici beatitudine pro modo

D gratiæ. A perfectione igitur illa quam habuit in natura, quia creatorem non amavit, malivolus ille defluxit, à qua chorus ille supercœlestium civium, qui singulariter dilexit Dominum gloriosus ascendit. Perfectio quidem creaturæ illius angelicæ in ea perfectione, qua à Deo creata est, ipsa plena est; sed ejusdem perfectio, qua per caritatem adhæret ei qui summè est, plenissima est. Magna sane laus est conditoris, qui creaturam intellectualem tam decoram condidit, cui & liberam arbitrii facultatem præstitit, qua ad ipsum qui summè est potuit elevari, & ejus

E caritate beata perfrui. Magnum verò dedecus creaturæ tam excellentis, quod eum qui eam tam bonam, tam perfectam, tam decoram condidit, amare noluit. Universale siquidem bonum plenum & perfectum, singulare & summum, Deus est. Huic universali vesana cupiditas privatum aliquod anteponit, dum ad indebitum capescendum se erigit, quod suum est minimè custodit. Nescit enim habita custodire quæ solum inconcessa novit ambire. Suorum obliviscitur, dum semper aliena sequitur. De manu labitur quod tene-

bat, dum intemperans alia rapere festinat. Hæc à luce caritatis refuga semper in tenebris sectatur devia, & semper habet cadere, quæ semper currens nescit ali cubi pedem figere. Quapropter à beatitudinis perfectione, quæ Deus est, non quidem quam habuit, sed quam habere potuit & neglexit, meritò cecidit. A perfectione etiam naturæ optimæ, quam in sua conditione accepit, dum eum qui singulariter & verè est, cui debet ipsa quod est, amando non tenuit, defluxit.

VII. INT. Quid est quod dicis? quomodo beatitudinem non habuit, qui teste propheta in deliciis paradisi Dei fuit?

Qua ratione beatus non fuerit, qui in deliciis paradisi fuit.

RESP. Sicut homo primus in corporali paradiso ut debitæ justitiam obedientiæ ibidem servaret positus, post modum paradisum beatitudinis, qua beati angeli perfruuntur, intraret obedientiæ justitia probatus: Sic angelus ille primò omnem plenitudinem conditionis bonæ, quam naturam intellectualem habere convenit, tamquam delicias paradisi Dei à Deo conditore suscepit, ut bene utens libertate arbitrii, ad ipsum qui est unum & omne bonum omnium tamquam paradisum paradisorum amando pertingeret, qui summa beatitudo est, quam semel habitam amittere fas non est. Omnino enim plena & perfecta est, sed ad hanc via caritatis venire noluit, qui contemto quod est commune omnium præsumsit habere proprium. Unde & à communi retruditur ad suum, hoc est à veritate ad mendacium. Quia verò mentiri Deo non timuit, bene de eo Veritas in evangelio dicit: *Ille ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit.* Hinc & Johannes ait: *ab initio diabolus peccat.* Nec intelligas quod diabolus initium malum habuerit, quem Deus bonum condidit, qui omnia bona valde fecit. Non est itaque mendax ab initio creationis, quasi hoc à creatione habuerit quod malus sit, sed ab initio peccati. Primus enim peccatum fecit: Unde dicitur quia mendax est & pater ejus. Ejus, hoc est mendacii: mendacium enim cùm non esset invenit. Ne æstimes ergo istum à bono conditore malum conditum, quem propria iniquitate novimus à bono prolapsum. Alioquin falsò dicitur cecidisse, si malus est à conditione. Deus quippe naturam non damnat quam condidit, sed conditæ damnat malitiam quam non fecit. Summæ quidem veritati contrarium esset, si quod ipsa condidit hoc damnaret. Evangelica autem auctoritate monstratur, quia diabolus cum suis omnibus condemnatur, ubi apertissime legitur: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Constat itaque justè damnatum quem propria iniquitate novit Dominus puniendum. Bonus siquidem à bono conditore est conditus, sed mox propria voluntate aversus, sed cæca cupiditate corruptus, sed superbia & insania tumidus, nec angelicæ pacis beatitudinem gustavit, nec habitam fastidivit quam nolendo amisit, qui nec Dei nec beatorum spirituum sapientiam attigit, quem elata cupiditas

Joan. 8. 44.

1. Joan. 3. 8.

Matth. 25. 41.

A obcæcavit. Hinc enim continuo impius, consequenter & mente cæcus dum statim cecidit, nec sui casus præscientiam habere potuit, nec ab ea quam habuit beatitudine corruit; sed quam habere potuit, si amore debito elegisset Domino subjici, quia quod noluit damnari meruit. Sed Omnipotentis potentiam sub qua esse superbus noluit, licet invitus nequaquam evasit. Miro quidem miraculo factum est in illo, ut cùm à luce justitiæ nullatenus abscondatur, ipsa quam nequit effugere justitia non lætetur, quam jure dicitur, non videre qui ubique præsentem dignoscitur non amare.

B VIII. INT. Si ut dicis beatus ille non fuit, quid est quod legitur: *Omnis lapis pretiosus operimentum ejus.* Ezech. 28. 14.

RESP. Voluit propheta, ut ejus casum ostenderet graviorem, de ejus gloria efferre sermonem dicens quis esse potuit, sed perversa iniquitate noluit. Lapides quidem pretiosos sanctos intelligimus angelos, cum quibus si iste mansisset, quod utique sub Deo liberè potuisset, procul dubio omnis eorum gloria caritate mutua ejus esset. Quod si ideo dicitur omnis lapis pretiosus operimentum ejus, quia Deus eum pro conditione sua aliis
C clariorem fecerit in natura, magis culpandus est, quod caritatis caruit gratia. A quo enim plus accepit, magis eum amare debuit.

IX. INT. Quid est quod dicis? Nonne, sicut ait propheta, in diebus suis sine vitio ambulavit?

RESP. Quod legitur quia in diebus suis sine vitio ambulavit, vel quod alibi dicitur, ambulavit perfectus in viis suis, sub eodem sensu debet intelligi, quia scilicet diem conditionis suæ bonam à Deo primam habuit, & secundam mox ut conditus est libertatis diem in arbitrio rationali à Deo accepit, quo omnia cum Deo potuit, à quo tanta carismatum
D munera perferens, æternæ gloriæ particeps esse potuit. Sed indebitè suum contemsit auctorem, nec tantorum dilexit munerum largitorem, dum sibi sedem propriam ad aquilonem ponere præsumsit, unde eum qui caritatis est, ordinem nequaquam attigit. Quapropter quem Deus præscivit non natura sed negligentia propria peccatorem futurum, justè prædestinavit ad supplicium, quem injustè puniret, si ad peccandum prædestinasset. DEUS SANE sicut nec est auctor malorum, sic neminem prædestinat ad peccandum. Quorum enim est auctor, eorum tantum est præ-
E destinator; sed nec Dei præscientia peccati est causa, immo peccantis concupiscentia. Licet ergo prævideat peccaturum, tamen non prædestinat ad peccandum. Deum namque res suas prædestinare idem est quod præparare: qui sicut prædestinat peccantes ad pœnam, non est putandus prædestinare ad culpam. Si enim esset auctor culpæ, nec esset justus irrogator pœnæ: sed justè prædestinat ad pœnam quos prævidet futuros injustos per culpam. Prædestinat etiam suos ad gloriam, sicut prædestinat ad justitiam. In istis dona sua glorificat, in illis mala ipsorum condemnat.

Prædestinare quid.

Prædestinatio quippe cælestis gloriæ, ut ad eam electus perveniat, ita est ab Omnipotente dispoſita, ut quiſquis pro indulto ſibi tempore per viam justitiæ ad eam tranſeat, quatinus & ſacramenta ſuſcipiendo, orando quoque, & bene operando percipiat quæ Deus ſuis donanda prævidit ante ſæcula: cujus voluntas rerum est neceſſitas. Non enim poteſt non eſſe quicquid Deus vult eſſe. Sua namque ſimplice cognitione ſic videt omnia, ut ſingularum rerum notitia indifferenter apud ipſum præſens & immobilis maneat. Non igitur prævidet quaſi futura, qui abſque viciſſitudine ſimul omnia videt præſentia. Quapropter ejus illa, quam de rebus habet, ſcientia magis dicenda eſt providentia quàm prævidentia, qua inconfuſè proſpectat apud ſe quidem præſentia & ſtabilia, ad conditionem vero temporis futura & mobilia. Videt quidem omnia contuitu ſuperexcelſo, non viſu temporaneo ſed ſuo ſingula cernens æterno. Hanc immutabilem ſcientiam creatoris beatorum ſocietas angelorum videndam prælegit; inde eſt quod licet natura ſit mutabilis, mutabilitatis tamen elogium non incurrit, dum ſine intervallo temporis quam citò facta eſt, tam citò factorem indefeſſa caritate dilexit, quæ cùm ſit aliud, non aliud præter Deum diligit, unde nec ad ſe declinat: ſed quod ſummum eſt dilectionis ſtabilitate perenniter amat. Inde eſt quòd ab initio culpa non tetigit, nec ulla tranſgreſſionis macula fuſcavit; quæ ad cadendum tenebras neſciens, ſed libero caritatis inceſſu cuncta tranſgrediens, Dominum ſingulariter contemplatur, ejuſque voluntatem tam pro ſe quàm pro omnibus amplexatur, cujus viſione perpetua gloriatur. E contra angelus apoſtata, à ſuæ conditionis initio converſus ad ima, in veritate non ſtetit, beatam beatorum angelorum vitam non attigit, ſed ſuæ cupiditatis pondere corruit, ſed & perpetuæ calamitatis miſeriam incurrit.

X. INTERR. Hæc quæſo malitia quam cauſam habuit? Dic, oro te, unde proceſſit? Si Deum aſpicio, bonus eſt. Si creaturam intueor, ipſa omnis, ut tu ipſe defendis, bona eſt. Ex hac malitia, cujus cauſam quæro, nec tamen invenio, infinita oriri mala conſpicio.

Malitiæ cauſa nulla eſt cùm non ſit effectus, ſed defectus.

RESP. Cauſa iſta quam quæris, ſi diligenter attendis, nulla eſt; non effectus, immo defectus eſt. Defectus dico ab eo quod bonum eſt ad id quod bonum non eſt, vel ab eo quod ſummè eſt ad id quod minus eſt. Cùm autem hoc modo voluntas deficit, non ad mala ſed [ad bona] male divertit. Nulla namque res mala eſt, ſed omnis bona eſt ſecundùm id quod eſt. Sed ideo malè, quia contra ordinem naturæ ſeu contra inſtitutum justitiæ avertit ſe ab eo qui ſummè eſt, & amat [bonum] quod minus eſt. Et ſciendum quia voluntas cùm à bono deviat, ad nihil declinat. Non eſt enim quod invenire poſſis, ſi bonum præter quod nihil eſt tenere negligis. Negligit tenere bonum qui quodcumque tenuerit, non tenet ad bonum. Hoc autem fit quando creatura creatori debitum non exſolvit, ſeu cùm tenere negligit quæ ei ſummus [a] auctor tenenda mandavit. [a] Hujus negligentiæ ſeu defectus ſi cauſam invenire contenderis, tunc poteris cum videre tenebras [b] valueris & ſilentium audire. Sed [b] non videntur tenebræ, nec auditur ſilentium, niſi non videndo & non audiendo. Oculis quidem tenebras & auribus ſilentium utcumque potes percipere, non tamen in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione. Sic & rerum ſpecies intelligibilium, quas novimus, intellectu mentis conſpicimus. Ubi autem deficiunt, quaſi neſciendo cognoſcimus, & cognoſcendo neſcimus. Ut cùm alicujus animam ſentimus habere ſapientiam, intelligendo conſpicimus in ea ſapientiæ formam. At ſi in anima illa defecerit ſapientia, cùm eam inſipientem dicis, non per inſipientiam in ea aliquid ponis, ſed per inſipientiam pronuntias in ea ſapientiam non haberi.

XI. INT. Quid dicis? Numquid inſipientia, ſive ſilentium, ſeu malum, & hujuſmodi voces incaſſum proferuntur, cùm eas aliquis loquitur? Quare ſonant ſi nihil ſignificant?

Malum non eſt aliquid reale ſed boni privatio.

RESP. Scire debes quaſdam voces ſignificare nominando vel indicando rem aliquam; quaſdam verò ſignificare non ponendo ſed potiùs removendo rem aliquam. Nam verbi gratia, bonitas, vox iſta rem ſuam nominando ſeu indicando ſignificat. At verò malitia, ut propriè loquar, bonitatem abeſſe deſignat. Malum ſanè ſive malitia diverſa ſuſcipit vocabula, ut mendacium, fornicatio, adulterium, & quàm multa hujuſmodi. Ea quidem quæ his vocibus deſignantur, ſic dicuntur, non quia ſunt, ſed quia bona non ſunt; ſicut malum dicitur, non quia eſt, ſed quia bonum non eſt. Dicitur autem mendacium privatio veritatis, fornicatio [c] amiſſio caſtitatis, adulterium violatio fidei conjugalis, & cetera hujuſmodi. Enumerare voces [c] non poſſumus quas ſignificare non ponendo ſed removendo novimus; ut cæcitas, [d] ſurditas, nuditas, egeſtas, taceo, nolo, deſipio, neſcio, & hujuſmodi. Quare cavendum tibi ſummopere eſt; ut cùm aliquis tecum pro inquirenda veritate ſeu oſtentatione diſceptat, ne per hujuſmodi voces eum ponere aliquid permittas. Si enim permiſeris, citò te ad inconveniens trahere poterit. [d]

XII. INT. Hoc, ſi placet, vel aliquo demonſtres exemplo.

RESP. Proponat aliquis aliquando & dicat. Quicquid eſt, Deus fecit. Aſſumat autem, ſed malum eſt. Concludat verò, Deus ergo illud fecit. Inferat quoque quia ſi malum Deus fecit, non igitur bona ſunt omnia quæ fecit, vel ſi bonum quodcumque fecit cùm malum exiſtat, non omnia fecit. Ex his paucis debes conjicere quia ſi malitia vox iſta & hujuſmodi vocalia te concedente ſignificando ponant res aliquas, poterunt infinita ſed falſò probare inconvenientia. Ab his tamen vocibus

[a] *Col.* actor. [b] *Al.* quæris. [c] *Colb.* abſentia. [d] *Colb. deeſt* ſurditas.

quæ tantùm removendo significant & nihil nominant, ut malitia, cæcitas, nuditas, & his similia, si quando sumta facimus, ut malus, cæcus, nudus, ista quidem res aliquas nominant, sed principaliter eis quæ nominant, non ea inesse repræsentant, quæ sua primitiva removendo designant; ut malus, cùm angelum vel hominem nominat, principaliter in eis non esse bonitatem repræsentat, quam malitia non nominando sed removendo designat. Est enim cùm dico malitia, ac si dicerem non bonitas, sicut homo & non homo, sicut justitia & injustitia. Attende etiam quia cùm aliquis quærit an malum significet aliquid, si de primitivo agit quantum ad hoc quòd nihil nominat, nihil significat. [Ut cæcitas & cetera talia. Si autem de sumto quærit, verum est quia & quod nominat illud significat.] Scias itaque quia omnia sumta in his quæ nominant, vel inesse quod sua primitiva ponendo significant, vel non inesse quod sua primitiva removendo designant, principaliter repræsentant. [a] Quia enim justitia rem suam ponendo significat, justus quoque in his quæ nominat principaliter inesse justitiam repræsentat. E contrà verò cæcitas, quia visum removendo designat, cæcus in his quæ nominat principaliter non inesse visum repræsentat. Sumta ergo in his quæ nominant, vel inesse aliquid vel non inesse repræsentant sicut sua primitiva aliqua vel nominando vel removendo [b] designant. Sed ab his redeundum est, & ad ipsum cor nostrum levandum est præter quem omne quod est, insufficiens & egenum est. Inde est quia angelus ille à Deo aversus factus perversus cupiditatis suæ pondere rapitur, & inquietudine nimia bonis omnibus adversatur. [c] Hic ad hominem usque gravi malivolentia pertendit, quem à mandatis Dei aberrare fecit.

XIII. Int. Cur quæso Deus homini præcepit [d] quæ transgressurum esse præscivit? Cur tentari permisit quem tentatori consensurum prævidit?

Cur Deus præcepit homini quæ transgressurum præscivit.

Resp. Homo quidem sub Domino positus, (e) alicunde jure prohibetur quo utrum diligat Dominum demonstretur. Nam unde dominum se habere cognosceret, si non ei dominus aliquid juberet? Quòd esse sub domino suo qui factus est homo debuit, præceptum ostendit. Quòd autem suo subesse domino noluit præcepti transgressio comprobavit. Omnis quippe rationalis creatura servatâ subesse Domino debet obedientiâ. Bonum itaque fuit præceptum, quo quid rationalis creatura creatori debeat est ostensum. Domini est videre quid & quare jusserit, servi est agere quod dominus jussit. Quia verò summa utilitas est homini quòd Domino servit, bonum est ei quicquid Dominus jubere voluerit, qui nec jubet inutile, nec facit. Bene etiam post præceptum sequitur immissa tentatio, ut tentatione monstretur si velit obedire servus domino. Permissus itaque tentari, audivit, *Eritis sicut dii*; sed minimè consensisset, nisi contra Dominum superbisset.

Tentationem cur permiserit Deus.

Gen. 3. 5.

XIV. Int. Vide quid dixeris. Si enim superbia hominis tentationem præcessit, tunc priùs quàm tentaretur homo cecidit. Per se ergo, non per diabolum, cecidit.

Resp. Non vère, non tentationem illam præcessit superbia hominis; sed ut altitudinem deitatis tentatio præmissa permisit, superbia tumuit: quo tumoris merito Deus eum deseruit, desertum tentator tenuit, & ad illicitum perduxit. [Tentatio ergo præcessit, & hominem seduxit,] quem suggestione, delectatione, consensu, & defensione pariter fecit peccare

XV. Int. Patet quia peccamus dum suggestione mali posita nobis delectamur, delectati consentimus, consentientes quandoque culpam defendimus. Suggestione vero [dic] quando peccamus, nisi cùm aliis peccare suggerimus? Quomodo dixisti quòd Adam suggestione peccavit, cùm ipse nemini suggessit, sed ei diabolica suggestio facta peccatum attulit?

Quomodo per suggestionem peccetur.

Resp. Cùm vel tentatione dæmonis aut concupiscentia carnis, seu ambitione sæculi ad peccandum trahimur, quandoque per delectationem minimè sequimur, nec per consensum tenemur, nec pertinacia ligamur; & tamen si mox ut senserimus non statim abjicimus, contradicimus, execramur, sola tantùm suggestione peccasse convincimur, qui iniquitatem sensimus, nec [f] statim restitimus, licèt nec delectati fuerimus. Verbi gratia. Si tu proditorem domini tui vel amici tecum loqui de proditione sustinueris, nec contradixeris, cùm tamen de malo domini vel amici tui nec delectatus nec consentiens ueris, quia contradicere vel resistere quàm statim sensisti minimè voluisti, mox isto quantulocumque consensu audiendi reus esse dinosceris. Sic itaque peccatur sola suggestione, licet delectatus non fueris, consensumve actus minimè præbueris. Ita & primus homo suggestorem malum non ignoravit, seque Domini præceptum suscepisse respondit: cui malè suggerenti dum scienter auditum præbuit, mox ipsa suggestionis susceptione deliquit, quo tandem delectatus atque consentiens, plenius peccatum [g] incurrit. Præmissa itaque tentatione, dum minimè contradixit, quod equidem fecisse debuit, iniquitatem sanè vidit, & tacuit, meritò secuta est in corde ejus vis pravæ delectationis. Dum vidit, dum pulchrum aspectu & delectabile judicavit, delectationique consensum actus præbuit, dum accepit de fructu & comedit, actumque excusando defendit, ubi in Deum refundens culpam ait: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi & comedi.* Mulier quoque excusavit dicens: *Ser-*

Gen. 3. 12

Ibid. 13.

[a] *Colb.* quid [b] *Al.* designando. [c] *Colb.* Hinc. [d] *Al.* quem. [e] *Colb.* aliquid de jure. [f] *Colb.* tamen. [g] *Colb.* meruit.

pens

pens seduxit me, & manducavi. Superba amborum excusatio. NUMQUAM [enim] alicujus persuasio debet divino præponi mandato. Suum rei nolunt fateri peccatum, sed pari fastu in alium culpam refundunt; & dum prætendunt excusationem, sibi reservant iniquitatem. Ex his tamen natus, sed non eos imitatus, fidelis quisque & Deo devotus, dum usque ad finem sæculi multis exercitatur malis, [instanter] ad Dominum refugit, & humiliatus dicit: *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.* O si & hoc illi post culpam dixissent, [a] si verè pœnitentes à Domino veniam quæsissent, qui superbi ceciderant, humiles surrexissent. Sed nondum cervices peccatorum fregerat laboris assiduitas & mortis acerbitas: quos ne de se præsumant, & pœna monet quam in præsenti tolerant, & futurum terret judicium quod formidant. Quod autem de transgressoribus illis scriptum est, quia *aperti sunt oculi eorum*; aperti sunt utique, non ad videndum tantùm, cùm scriptum sit quia viderant lignum pulchrum [visu] & ad vescendum suave. Modò autem post culpam aperti sunt ad (b) sentiendum quem ante non senserant in corpore [suo] tumultum, & confusi non sustinent videre pudenda suis per culpam membris insita, qui tumidi reliquerant videre divina. Amisso enim statu illo mirabili, quo sub Domino piè viventes, & ligno vitæ ceterisque salutiferis arboribus utentes, nec ægritudine tabescerent, nec senio veterascerent, susceperunt post culpam in carne sua intemperantiam motumque turpissimum atque præcipitem. Hæc mors eâ die accidit, quâ [Domini] præceptum homo transgredi præsumsit. Et qui obedientiæ priùs decore lætabatur, mox gravem pro inobedientia pudorem in carne sua patiebatur, dum in membris suis anima rationalis bestialem motum videre confundebatur. Secura etiam illa ante peccatum [habita] cum Domino familiaritas, post peccatum verecundiam cumulabat. Et quærens latebras, venienti Domino nuditatem suam præsentare non audebat, quæ etiam suis oculis displicebat.

Psal. 40. 5. (a) Quomodo aperti oculi hominis peccantis. Gen. 3. 7. [b]

XVI. INT. Quid est? Nonne auribus pravam audiendo suggestionem homo peccavit? Nonne oculis indebitum cupidè videntibus, manibus quoque & ore vetitum præsumentibus in culpam cecidit? Quare [ergo] in nullo istorum percussus est, sed in illis genitalibus membris tantummodo ultio manifestata est?

RESP. Ne dicas in illis tantùm. Corpus enim hominis ita peccato factum est morbidum totum, ut Apostolus dicat: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Sed maximè, ut mihi videtur, in illis genitalibus membris ultio desævit, quia ex eis membris propagatio generis humani descendit, quam originaliter lex peccati violenta conclusit ut unusquisque in semetipso Deum formidet offendere, dum tantam in suo corpore portat pœnam de paterno scelere; sub quo quisquis nascitur, si non Christi sacramento sanetur, sub culpæ vinculo reus tenetur. Sic filius ille qui nuditatem patris sui risit, non solùm in se, sed etiam in sua posteritate damnari meruit. Unde pater non dixit, *Maledictus Cham,* sed: *Maledictus Chanaam,* [c] *servus servorum erit.* Dum enim in patre filium maledicit, patris culpam in filium extendit, & quam grave sit in patrem peccare filium damnatis manifestat posteris. Hinc est quòd Dominus exquirit iniquitatem patrum in filios, sicut scriptum est, usque in tertiam & quartam generationem, in eos [d] scilicet qui non sunt renati per gratiam. [e] Nam in his quos baptismi gratia regeneravit, nec parentum nequitiam postmodum fuerint imitati, teste scripturâ, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii. [Hoc est non damnabitur pro peccato alterius qui est in Christo renatus, licèt pœna multetur.] Et sciendum quia quòd filii [f] mali quorumlibet post Adam sequentium patrum portant iniquitatem, non quidem omnium, sed tamen usque in tertiam & quartam generationem, magna Domini miseratio est, cujus vindicta non in omnem eorum generationem protensa est, sed prima primi patris culpa summâ exigente Justitiâ usque ad ultimum filium meritò est effusa. Qui enim universæ posteritati suæ debuit apparere primus auctor justitiæ, & pro justitia gloriæ, dum prior [h] cecidit, primus auctor effectus est culpæ, primus debitæ susceptor pœnæ, primus propinator mali in omni sua generatione. BENEDICTA sit humilitas Salvatoris nostri, cujus nimia caritas perditos quæsivit, inventos misericorditer relevavit, quæ humiles pœnitentiæ semita ad vitam [i] perducit. Hæc fili, pœnitentiæ gratia David post lapsum erexit, Manassen in regno restituit, Petrum lachrymantem in apostolum reformavit. Hæc relevat lapsos, sanat elisos, restaurat perditos. Hanc diabolus post lapsum habere non potuit, qui nullum à Deo remedium accepit. Hinc Paulus ait: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Unde in sua quam invenit iniquitate perditus remansit; quia, qua cecidit, superbiam non amisit. Sola namque per Christum humilitas præstita pœnitentiam suscipit, sola verò superbia per diabolum præstita pertinaciam in malo facit. Pœnitentia humiles levat in cœlum, pertinacia superbos præcipitat in infernum. Superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, per omnia sæcula sæculorum. *Amen.* [K]

Rom. 7. 10. Gen. 9. 25. (c) (d) (e) (f) (g) (h) (i) Heb. 2. 16. (k)

Explicit liber quartus.

[a] *Colb.* Sive. [b] *Colb.* Sciendum.
[c] *Al. deest* Servorum.
[d] *Colb.* Etiam qui sunt renati. [e] *Colb.* Sane
[f] *Al. deest* mali. [g] *Colb.* omnes.
[h] *Colb. addit* gloriæ. [i] *Colb.* reducit.
[K] *In codice Colbertino hic tantùm desinit liber tertius.*

INCIPIT QUINTUS.

I. CReator omnium Deus, inter omnia quæ fecit ad videndam suæ beatitudinis gloriam angelum & hominem condidit, quos intelligentiæ gratia decoravit. In his prima omnium creata est sapientia, [a] quæ in libro Sapientiæ sic de seipsa ait: *Ab initio & ante sæcula creata sum*, &c. Unde & creatricem sapientiam simul omnia creantem sciunt, & supra se quidem aspiciunt.] Qui igitur per sapientiam à Deo præstitam supra se Deum intelligunt, si ipsum non diligunt, in culpa sunt; & dum à summa luce resiliunt, tenebrescunt. SED MIRA Dei omnipotentia, quæ tam de bonis quàm de malis laudabiliter operatur, sicut nullius bono adjuvatur, sic nullius malitia, præpeditur. Bonos facit fructuosos, malos non deserit impunitos; [b] quorum non ita punit malam voluntatem, ut naturæ perimat dignitatem. Nisi enim bonum remansisset in natura, non esset amissi boni dolor in pœna. Dolet namque se non possidere inferius bonum, pro quo contemserat illud quod est summum. Summa quippe justitia, sicut nec sibi consulit de operibus bonorum, sic effectu mirabili bonis etiam consulit de pœnis malorum. Malis quippe impugnantibus, bonis incutitur timor pius, & patientiæ virtus augetur. Sed & mali, dum sibi debitam à Deo recipiunt pœnam, valent aliis ad exemplum, quo studeant evitare peccatum. Quibusdam enim pro iniquitate punitis, timent plurimi, emendantur iniqui.

(a)

De malis quàm bene agat Deus.

(b)

II. INT. Quare hoc? Cur iste labor? Nonne boni essent omnes, si Deus vellet? Non bene videtur fecisse Deus, qui cùm bonos omnes fecerit, non semper bonos custodit: qui non solùm eos cadere permittit, sed etiam post lapsum punit.

RESP. Quid dicis? Visne culpam refundere in Deum quam non fecit? Dic, quæso, quid eligis de te? Meliusne tibi videtur contrahi necessitate quàm ut vivas in libertate? Sed te velle necessitati servire & libertatem non amare ridiculum est credere. Meliùs ergo Deus eos fecit, quibus libertatem arbitrii contulit, ut hoc esse possint quod velint. BEATI siquidem omnes esse volunt, sed beatitudinem ubi ipsa est omnes non quærunt. Dum ergo quærunt, & ubi ipsa sit non attingunt, perversè quærunt, & mendacium pro veritate suscipiunt. Sed in his omnibus justissimus omnium Ordinator jure laudatur, qui de singulis laudabiliter operatur. Optima quidem natura est, quæ tantum in Deo profecit, ut jam ad nullum illicitum valeat inflecti. Bona est & illa quæ sub Domino vivens, pravum in se cohibet appetitum, & de victoria meretur habere triumphum. De utraque ergo meritò laudatur,

A qui utramque bonam condidit, auctor bonus. Una est in angelis bonis, altera in hominibus sanctis. Illi confirmati sunt in bonum, isti per gratiam à malis habent reditum, & sanctificantur per Christum, pro quorum utilitate suum habent & mali locum. Sed & de malis laudatur Deus, de quibus semper bene operatur. De his enim nescientibus Ecclesia proficit, quæ tentationibus vexata exercetur utiliùs & crescit uberiùs [quorum mala voluntas justis tandem pœnis addicitur.]

III. INT. Dum nostræ redemtionis gratiam in Ecclesia præsens aspicio, & dum peccata in baptismo dimitti & diabolum à fidelibus

B superari admodum gaudeo, de pœnis tamen bonorum doleo. Sed cur remanet pœna ubi dimissa est culpa?

RESP. Omnibus in Christo regeneratis omnis culpa remittitur, & rationis arbitrio libertas bene agendi per gratiam redditur. Sed qui post lapsum nos ad bene agendum gratuitò reparat, salubri dispensatione obediendi tempore reparatos sub infirmitate retenta ut, præsens infirmitas præteritæ memores ruinæ nos faciat; quo castigatus quisque pertimeat ne iterum peccans deteriùs cadat. Bene itaque summus dispensator in præsenti vita suos erudire

Cur dimissa originali culpa remaneat pœna.

C dignatur sub pœnæ custodia, ut quia homo sanus in paradiso stare neglexerat, vel infirmus in exilio per gratiam redire contendat. O ADMIRANDA supernæ miserationis efficacia! Homo fortis in paradiso, quia Deum deseruit superbus, cecidit. Homo debilis in exilio: quia Deo servit, humilis [c] resurgit. Ille bonum fortitudinis in malum debilitatis per superbiam transvertit, iste malum debilitatis in bonum fortitudinis per humilitatem traducit. Ille sine Deo à fortitudine deficit, iste cum Deo ab infirmitate proficit. Hinc est quod olim Paulo datus carnis suæ stimulus in bonum ver-

[c]

D sus iste dignoscitur, quod & gratia nominatur. Sic enim ei humiliato & oranti Dominus respondit: *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Quisquis ergo per gratiam resurgit, humiliari satagat, & in pœnis præsentibus gratias agat, nec in se, sed in Domino fidendum correptus addiscat, & supplicando quærat; ut qui propitiando solvit iniquitatem, sanet ægritudinem. Unde tibi psalmista ait: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Primum enim cui vult peccata relaxat, deinde contractas ex peccatis infirmitates curat. Homo

2. Cor. 12. 9.

Ps. 102. 3

E quidem ante peccatum nullam infirmitatem habuit; sed postquam [d] volens peccatum incurrit, justo judicio pœnam pro peccato nolens sustinuit. Mandatum sibi à Domino datum non ignoravit, nec aliquam, qua in observando præpediri posset, debilitatem habuit. Quia ergo sciens & valens transgredi voluit, nunc ignorans & debilis pro transgresso pœnas luit. Hæc duo incommoda sibi invincibilia suscepit

[d]

[a] *Colb.* qua supra se Deum aspiciunt. Qui igitur, &c.
[b] *Colb.* quia.

[c] *Colb.* surget. [d] *Colb.* videntis.

superba transgressio, à quibus numquam exuitur nisi reparante Christo. Cum his duobus ininvincibilibus unusquisque nascitur qui de concupiscentia carnis generatur. Hæc duo parvulis & quibuslibet non in Christo renatis manent in peccatum, & in condemnationem perducunt. Omnibus autem regeneratis per Christum adsunt, quos & ad peccandum pertrahunt: quibus pertrahentibus dum non consentiunt, non eis imputantur in peccatum, propter baptismi remedium. Hinc Apostolus ait: *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego illud operor, sed quod habitat in me peccatum.* Peccatum hoc nobis Apostolus exponit, ubi ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Sic interior homo in Christo renovatus, de exteriori homine suo conqueritur. Unde & cum Apostolo clamamus: *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sed & cum ipso respirantes, læti subjungimus: *Gratia Dei per JESUM CHRISTUM.* Habemus autem & ipsum qui credimus consolantem Dominum, ubi ait: *Confidite, ego vici mundum.* Dum itaque peccato non consentimus, sed ad Christum refugimus, qui hanc nobis inclitam necessitatem dolemus & plangimus, humilitate proficimus, malumque illud in membris nostris quod inviti toleramus, mirabiliter operante gratia in usum humilitatis convertimus. Hinc Apostolus ait: *Nihil ergo damnationis est his qui sunt in* CHRISTO JESU, *qui non secundùm carnem ambulant Lex enim spiritus vitæ in* CHRISTO JESU *liberavit me à lege peccati & mortis.* Credentibus lex spiritus vitæ est in homine interiori, lex verò peccati & mortis est in membris hominis. Contra quod clamat Apostolus: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quamdiu ergo caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, oportet renatos in Christo carni resistere & spiritui deservire.

Rom. 7. 20.
Ibid. 23.
Ibid. 24.
Joan. 16. 33.
Rom. 8. 2.
Rom. 8. 13.

IV. INT. Dic, quæso, quonammodo caro concupiscit adversus spiritum, quæ sine spiritu nullum habet sensum?

Caro quomodo concupiscit adversus spiritum.

RESP. In Adam patre nostro, antequam peccasset, nec caro spiritui, nec spiritus repugnabat carni. At postquam ejus spiritus superbia ductus superiori suo, qui est Deus, servire contemsit, mox justo judicio ab inferiori suo, carne scilicet, reciprocam legem in se suscepit. Quamdiu enim spiritus Deo subditus obedivit, & ei caro subdita servivit. Ubi verò Deo restitit, resistenti caro repugnavit; sicque pro peccati pœna spiritus in suo corpore intemperantiam gestat, & qui intemperans Deo fuit, [nunc] sub intemperantia carnis suæ miser gemit. Unde gravissimam pœnam tolerat dum carnem suam sibi adversariam portat. Caro quippe spiritu vivificata, debuit vivificanti se spiritui esse subdita; sed ejus subjectionem spiritus jure perdidit, quia Deo subesse noluit,

A qui illi carnem vivificandam subjecit. In se ergo de se spiritus pœnam tolerat, dum Deum deserens, à quo vivebat, dolet sibi carnem resistere, quam ipse vivificat. Cavendum autem summopere est, ne duas in uno homine mentes ita esse sentias, quòd duas mentes naturâ diversas, unam bonam, alteram malam, in uno homine cum hæreticis credas. Apostolus unam in uno homine mentem noverat, qui dicebat: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In illis enim mens quæ peccati tenebras antè habuit, nunc gratiæ lumen accepit. Ephes. 5. 8.
B Apostolus quidem, dum condelectatur legi mentis suæ secundùm interiorem hominem, quo Deo consentit, dolet captivum se secundum exteriorem duci in legem peccati ex Adam venientis, quo prævaricationi consentit. Non equidem duo sunt animi procedentes ex diversis initiis, mali scilicet & boni, cùm malum omninò nihil sit, bonum verò tantùm sit, sicut ratio manifesta convincit. De quo me sæpiùs tecum egisse memini. Una quippe & eadem uniuscujusque hominis mens est, & ea bona & una est. Singuli quippe Rom. 7. 22.
C homines singulas habent mentes. Sed mens quæ una est, dum vanitati subjecta est, non unam, sed plurimas habet voluntates. Subjecta est enim vanitati dum versatur in loco quem posuit. Quem locum Psalmista vallem lacrymarum dicit. Quæ quia uni, qui Deus est, servire contemsit, multis ancilla dominis, immo tyrannis subjecta fieri meruit. Inde fit quòd cùm ad eum cujus est respirare satagit, ut in eo qui verè est requiescere possit, deprimatur à lege membrorum, quam ab Adam, non ab auctore contraxit. Hæc est lex quam spontanea incurrit, sed spontanea non deponit. Cùm itaque natura, quam à Deo bonam habuit, ad Deum recurrit, & vitio quòd prævaricata Ps. 83. 7.
D contraxit ad carnem refluit, non duæ mentes, sed una mens hanc pœnam tolerat, & quia unum, qui summum est, injustè deseruit, per multa [a] seipsam dissipat. Novi ego unam mentem eodem tempore ad multa injusta perpetranda simul inhiantem. Dicam ergo multas esse in una. Ego certè, ego ipse sum, qui simul hæc & illa molior agere unâ animâ, unâ mente, qui etiam simul & eodem momento ad diversa pertrahor, dum languidâ mente nihil ex toto, nihil perfectè desidero. Sed nunc ad illud mente elevor, nunc ad aliud desideriis abstrahor. Hæc est [b] pæna quam ex radice (a)
E propaginis vitiata patitur humana miseria. De hac carnis concupiscentia quicumque descendit, non habet in potestate carnem suam, quam gestat, quin spiritui contradicat. Contra hanc renati per gratiam fideles militant ne regnet in eis lex membrorum violenta quam tolerant. Non à foris pugnat; intus est, dum in præsenti vivitur; omninò non tollitur, sed cum ea certatur. Electos enim dum advocat, audiri contemnitur. Amplexatur ut retrahat, sed fidei virtute comprimitur. Hinc Apostolus cùm [b]

[a] *Colb.* dissipatur. [b] *Colb.* miseria.

non posset dicere, *Non sit*, dixit quod debuit. *Non regnet*, inquit, [*peccatum*] *in vestro mortali corpore*; & si adest ex origine, non regnet in voluntate. Ubi enim regnaverit vincit, & damnationi subjicit. Ubi autem non regnaverit, licèt adsit, minimè tamen vincit, sed quia vincitur, restat corona victori. Gratias autem nostro Redemptori, qui carnem nostram suscipiens, ab originali intemperantia [a] liberam suo in se subjectam spiritui carnem nostram ordine recto composuit: in quo cùm utrumque sit, caro scilicet de carne Virginis & spiritus rationalis, quæ duo Dei Filius pro nobis accepit, & cum assumtis una persona fieri voluit, ita spiritus assumtus assumenti Verbo plenè subjectus extitit, ut ei caro assumta plenissimè subjecta fuerit; qui non per carnis concupiscentiam, sed per caritatis gratiam de Virgine nasci voluit Deus apud Deum, homo apud nos, & homo inter Deum & nos. Iste est expectatio gentium, salus omnium; in quo si credimus, per ejus gratiam absolvemur à controversia carnis & spiritus, sub quo laborantes gemimus. Hanc expectabat Apostolus dicens: *Nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos* [b] *ingemiscimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemtionem corporis nostri.* Unde & suprà: *Ipsa*, inquit, *creatura liberabitur à servitute corruptionis.* Hæc est autem corruptionis dolenda servitus, quòd caro adversùs spiritum & adversùs carnem concupiscit spiritus. Dicitur autem caro concupiscere quomodo lingua loqui vel oculus videre. Quis enim nesciat quòd anima per linguam loquatur, per oculum videat, ceterosque sensus moveat, & per eos agat? Carnalis itaque delectatio ex anima est. Per eam enim delectatio sentitur. Ex carne est. Nam sine illa carnalis delectatio non sentitur. Cùm itaque dicitur, *Caro concupiscit adversùs spiritum*, sola delectatio illa intelligitur quam de carne & cum carne à se vivificata habet spiritus. Sic & quando dicitur: *Spiritus concupiscit adversus carnem*, solam intelligimus quam contra carnis illecebras habet delectationem. Sed cùm in electis operante gratiâ rectè membris corporis spiritus imperat, tunc caro non excitat concupiscentiam, sed exhibet obedientiam. Quisquis autem in hac mortali vita dolet se à carne sua sæpiùs offendi, magis doleat quia factori suo ipse qui factus est sæpissimè non consentit. Nos quidem, dum in corpore mortali vivimus, evitare per nos minimè possumus quin aut ignorantiâ aut debilitate peccemus, quæ de carnis propagine ex Adam trahimus. Apostolus quidem dicit: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Ecce unde ad peccandum trahimur. Justificatio autem unde sit ostendens dicit: *Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

Rom. 6. 12. — [a] — Rom. 8. 23. — [b] — Ibid. 21. — Gal. 5. 17. — Rom. 7. 25 — Rom. 4. 25

V. INT. Justificatio ista quam dicis quomodo potest esse in nobis, cum voce Apostolica dicatur: *Scimus quia in multis offendimus omnes.* Jac. 3. 2.

RESP. Peccatum nobis originaliter insitum pertrahit ad peccandum. Unde Apostolus nos revocat dicens: *Sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per* JESUM CHRISTUM. Quia verò, ut suprà diximus, debilitas & ignorantia de peccati pœna venientia nos assiduè comitantur, assiduè in præsenti vita etiam fideles peccare coguntur. Hinc est illud Apostoli: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et vera est ejusdem sententia dicentis: *Qui est ex Deo, non peccat.* Ex Deo est qui non sibi sed Deo vivit. Vivit autem Deo, non sibi, qui non sua sed quæ Dei sunt quærit. Quærit autem quæ Dei sunt quem caritas levat ad Deum. Quam ergo possidet caritas, non consentit peccare voluntas, licèt peccatum ignorantiæ & debilitatis, dum hîc vivitur, non evadat: ad quod quia per consensum minimè trahitur, caritatis remedio liberatur. Caritas namque hoc in electis insigne agit officium, quod & semper operatur bonum, & semper operit multitudinem peccatorum de ignorantia & debilitate provenientium. In quo ergo caritas perseveraverit, nequaquam perire poterit. At verò quisquis, deserendo caritatem, ad peccandum suam exhibet voluntatem, ille in similitudinem prævaricationis Adæ contemnit [c] Deum, dum ex consensu & deliberatione libens proruit in peccatum. Hic jam non vivit, quia justitiam, quâ vivebat, amisit, quia fidem perdidit. Perdidit fidem, dum sciens & volens, Dominumque contemnens, ruit in [d] impietatem. Fide igitur amissâ, amittitur & quæ ex fide est justitia. Amissâ verò justitiâ, amittitur & quæ ex justitia est vita. De talibus in ea quæ ad Hebræos scribitur terribiliter exclamatur: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis.* O quàm gravis ista est jactura, quâ amittitur nostræ redemtionis hostia, quæ in sortem perditionis horribili lapsu præcipitat! Quisquis autem in tanto labitur profundo præcipitii, ut obstrusus mole desperationis non recordetur unde cecidit, hic inter mortuos mortuus habet numerari. Hoc Psalmista noverat, qui deprecans ait: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Aquarum tempestate demergitur qui tentationum fluctibus peccando trahitur. Quòd si manus pœnitentiæ ad enatandum non dirigitur, profundo criminum absorbetur. Si autem iniquitas eò usque progreditur ut desperatione cumuletur, ejus damnationis puteus desuper obturatur. E contrà nobis Apostolus occurrit & clamat: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.*

Nullus hic sine peccato. — Rom. 5. 21. — 1. Joan. 1. 8. — Ibid. 3. 18. — (c) — [d] — Heb. 10. 26. — Psal. 68. 16 — 1. Cor. 10. 13.

VI. INT. Quæ est humana tentatio quam Apostolus non excludit, & quæ illa quam non concedit?

[a] *Colb.* liberavit cùm in se subjecta, *&c.*
[b] *Colb.* Gemimus.

[c] *Al.* Dominum.
[d] *Colb.* peccatum.

Resp. Humana, ut mihi videtur, tentatio dicitur quæ nos in præsenti vita invincibilis & assidua comitatur, dum per ignorantiam seu per debilitatem quisque, quantumcumque fidelis, à bono retardatur : quæ quia nolentes patimur, venialiter peccamus, qui in Christo renati sumus; ad quem dum cum humilitate refugimus, ab his assiduè relevamur. Cùm autem tentationi humanæ diabolica superapponitur, quod fit cum aut deliberatione vel consensu seu voluntariè peccatur, jam non veniale [a] malum quidem agitur, sed criminale meritò judicatur. Ibi namque fides emoritur; quâ perditâ, ei qui reus est damnatio debetur. Ex hac quippe justitia in civili causa statutum novimus, quia cùm aliquis de rebus Domini seu quidlibet [b] usurpasse probatur, si se inscienter id egisse defenderit, usurpatum pro more restituit, & indemnatus evadit. Si autem id scienter egisse convincitur, non solùm usurpato sed & suo jure privatur, & pro sui contemtu Domini condemnatur. Secundùm hanc considerationem levia à gravibus, venialia à criminalibus peccata differre sentimus. In levibus namque seu venialibus quisque fidelis tamquam à serpente tangitur; sed dum voluntate peccandi nequaquam trahitur, non tenetur; dum peccato quidem minimè consentit, nequaquam moritur. Habet enim Christum singulare & summum contra omnia mala remedium. Hic sub præsenti miseria gemit, & ad Christum, quem diligit, perseverando refugit. At cùm aliquis suggestionem [malam] sibi propositam scienter recipit, viamque justitiæ prudens & volens deserit, mox in similitudinem prævaricantis Adæ, tamquam à paradiso, sic ab Ecclesia meretur abscidi, & pro gloria similitudinis Dei ignominiam similitudinis [c] pecorum incurrit, totus peccato redditus tam corpore quàm spiritu. Unde nemo potest resurgere per se nisi eo qui suscitat mortuos relevante & per pœnitentiam suscitante. Hi sunt quorum ruinam deplorat Mater Ecclesia; quos si superna reducit gratia, instanter adjuvat & reconciliat; quibus & sacramentorum remedia Mater pia ministrat.

Quæ tentatio humana, quæ diabolica.

Leviorum & graviorum peccatorum differentia.

VII. Int. De sacramentorum varietate miramur, quòd non sub eisdem tenetur homo Christianus quibus olim Hebræorum populus.

Resp. Nescis quia populus ille antiquus sub legis vinculo & lumine prophetico ad Christum trahebatur? Nescis quia Christianus non nasciturum expectat, sed quem suscepit Christum adorat?

Sacramentorum veteris & novæ legis differentia.

Bene ergo sunt alia Sacramenta sub tempore expectantium Christi adventum, alia suscipientium. Tempora quidem variantur, & pro variis temporibus vita & actus fidelium dispensantur; sed unitas fidei pro temporum varietate non solvitur. Impossibile est enim post lapsum primi hominis aliquem aliquando salvari absque fide Domini nostri Jesu Christi; quæ parvulis est in sacramento, majoribus autem cum obedientiæ debito. In ætate quidem minori non habent fidem parvuli, sed suscipiunt sacramentum fidei. Sicut autem Petra quæ Christum significat Christus dicitur, dicente Apostolo, *Petra autem erat Christus*, sic sacramentum fidei, quia fidem significat, fides appellatur. Ab Adam quippe usque ad Abraham fides fuit absque visibili remedio sacramenti de qua in ea quæ ad Hebræos scribitur ita legitur : *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ab Abraham verò usque ad Christum in gente Hebræorum additum est visibile circumcisionis mysterium, sed in masculis tantùm. Tempore autem Christi tam à feminis quàm masculis in omni genere cum fide suscipitur sacramentum baptismatis. Sic enim Veritas ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Et alibi : *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Dicendo *Qui crediderit*, fidem innuit. Addendo *& baptizatus fuerit*, remedium ostendit. Unde generaliter præcepit. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Quod autem moderno tempore valet baptismus in omni gente, hoc egit antiquitùs sola fides [majorum] pro parvulis, & pro his, qui sunt ex Abraham mysterium circumcisionis. De quibus Dominus ita dixit : *Masculus cui caro præputii circumcisa non fuit, peribit de populo suo.* Et sciendum quia parvulis suscepta sufficiunt sacramenta fidei, adultis verò addenda sunt opera caritatis & sacrificia quæ Deus instituit, & quæ pro temporum varietate, prout voluit, ad salutem [d] fidelium permutavit. Sacramenta quidem quæ antiquo populo fuerunt imposita, nunc autem sunt ab actione remota, legimus ad instructionem & fidei corroborationem, non ut agendo servemus, sed ut interpretatione spirituali fidelibus mysteria revelemus.

1. Cor. 10. 1.

Heb. 11. 16.

Joan. 3. 5.

Marc. 16. 16.

Matth. 28. 19.

Genes. 17. 14.

VIII. Int. Dic quæso varietas ista cur accidit? Quare Christus ab initio non venit?

Resp. Scire debes quia homo superbus primò sub naturali lege sibi fuerat relinquendus, ut in se ipso cognosceret quòd nihil ex se nisi peccatum haberet, [e] & habitum per se deponere nullatenus posset. Huic [insuper præcepta & scripta] legis censuram Deus adhibuit, & prophetiæ doctrinam ministravit, ut dum nec naturali voluntate, nec legis verbere, nec prophetarum dogmate se posse peccatum evitare cognosceret, tandem ad Christi gratiam convictus rediret, quo damnationem promeritam per Christum evaderet, quò & injustitiæ semitas, quas injustè reliquerat, reintraret, & per obedientiam ad beatitudinem rediret. Lex enim jubendo & Prophetia docendo suam homini demonstrat infirmitatem,

Christus cur ab initio non venerit.

[a] Colb. peccatum. [d] Colb usurpare.
[c] Colb. prævaricationis Adæ incurrit.

[d] Colb. gentium [e] Colb. Cùm ex se nisi se posse peccare videret, & sic convictus non jam superbus, sed humilis Deum quæreret.

ut demonstrata infirmitas quærat Salvatorem, à quo sanata voluntas possit quod per se infirmata non potuit. Lex ergo trahit ad fidem tamquam pædagogus, fide spiritus impetratur, spiritus præstat caritatem, caritas implet legem, lex infirmo cumulat præceptum & negligentibus pœnæ vinculum. Bona est ergo lex recta jubendo, non infirmum sanando, sed infirmo transgressionem augendo, non culpâ sui, sed culpâ infirmi.

Fuerat itaque homo priùs ex seipso convincendus, dehinc legis autoritate coërcendus, doctrina prophetica erudiendus, sacramentis renovandus, obedientia nutriendus, & sic vetere exuto homine, novo perenniter in Christo mansurus induendus. Et ne quis sacramentorum remedia contemneret, ipse qui instituit JESUS CHRISTUS patriarcharum oraculis & voce propheticâ præmonstratus, ipse quam instituit circumcisionem in seipso suscepit. Et ne baptisma Domini refugiat servus, baptismum à servo suscepit Dominus, à Johanne Christus. Scire autem te volo quia baptismi sacra largitio, licèt conveniat officio sacerdotum, tamen in necessitate commissa est manibus quarumlibet personarum. Sic enim Deus instituit, quòd intrare ad vitam non possit nisi qui renatus fuerit ex aqua & spiritu.

IX. INT. Quid dicis? Nonne multi ad vitam æternam perveniunt dum pro Christo passi sunt, quamvis baptismi gratiam minimè perceperunt?

Martyres non percepto baptismo salva.i. Matth. 10. 39. Luc. 9.24.

RESP. De his sanè qui ante moriuntur pro Christo quàm renascantur in Christo, [potest dictum intelligi quod] in Evangelio Matthæi Veritas ait: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Juxta Lucam, *salvam faciet eam.* Ex hac fide salvi facti sunt qui dum minimè sacramenta perceperunt, præventi tamen pro Christo passi sunt. Sub hujus fidei sacramento parvuli in Ægypto sub Pharaone, in Bethleem sub Herode, martyrio coronati sunt. Eo namque sanguine quo Christus in eis quærebatur, eo ipsi in Christo consecrabantur. Qui autem contra sacramentorum remedia sanctum illum latronem de cruce adducunt violenter, quid faciunt? Dicunt enim quia latro ille nec baptismo regeneratus, nec causa Christi in cruce fuerat affixus. Quare ergo, aiunt, paradisus ei à Domino est repromissus? Nonne eis idem pro se respondere poterit: Cur me contra sacramentorum gratiam suscitatis, qui gratiam suscepi? Ipse auctor gratiæ gratuitò pendens in cruce respexit me pendentem juxta se, pendentem in cruce, sed pendentem pro scelere. Respéxit & gratiam contulit, quia moriens confessus sum ei peccata quæ habui. Et ceteris Christo moriente desperantibus, solus ego, si dicere audeo, vitam in moriente quæsivi. Nescitis quia confiteri Christo pro nobis in cruce pendenti & morienti idem est ac si cum Christo crucifigi eique commori? ipse qui suâ gratiâ circumcisionis & baptismi remedia dedit, publica habet & privata. Jeremiam enim in ventre matris suæ sanctificavit, occulto quidem remedio quo ipse novit & voluit. Johannem quoque adhuc clausum in utero matris Spiritu sancto replevit, & exultare in gaudio fecit, dum præsentiam Salvatoris in MARIA virgine sentire meruit. Quare ergo miramini quia me pendentem juxta se, negantibus ceteris, confessorem suum fecit, novoque remedio & Passionis suæ participem & gloriæ esse fecit consortem. Nolite ergo contra sacramentorum remedia me ulteriùs præsentare, quem si evangelio creditis, & consortem remedii & possessorem paradisi confiteri debetis. Dicite quæso, quid si antea baptizatus fui? An quia baptizatum me nescitis, non baptizatum esse convincitis?

X. INT. Placet valdè responsio quam proponis. Sed sicut de baptismo latronis nihil certum tenemus, sic & de baptismo apostolorum dubitamus. Eos siquidem baptizasse legimus, sed baptizatos esse nescimus.

RESP. Verum est quia neminem apostolorum præter apostolum Paulum legimus baptizatum. Sed multa fuisse pro certo tenemus quæ tamen scripta non vidimus. Quomodo autem Apostolos fuisse baptizatos dubitare possumus, quos audisse à Domino & prædicasse mundo novimus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei* [a] Pensare te quidem convenit quòd Dominus in cœna paschali Petro respondit: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Lotum ergo lavare volebat, quem non totum sed in pedibus tantummodo lavandum censebat. : Lotum intelligimus baptismate, [b] lavatum pro mundana conversatione. Mundus quidem est totus, omnis in Christo renatus, dum fidem servat operibus, pro mundana quidem conversatione lavandus in pedibus, quia nondum [c] ab ignorantia & debilitate venientibus ex traduce omninò solutus. Ei ergo quem lotum novit pedes solummodo lavit. Quapropter non est iterandus omnino baptismus, quo suscepto unusquisque mundus est totus. Si autem post baptismum supervixerrit, nec à fide exorbitaverit, lavandus est tantùm in pedibus. Hinc est quòd verè judicatur hæresis si semel à quocumque baptizatum quis debere censeat rebaptizari. Sed in pedibus pro temporalium sordibus actionum unumquemque [fidelium] convenit pœnitentiæ sacramento lavari. Quod sacramentum & Dominus fecit, & suos servare mandavit, & ordo monasticus celebrando custodit. Sacramentum hoc Dominus JESUS-CHRISTUS suis servandum imposuit; quod nec quandocumque à fidelibus ritè fit, credendum est in sacramento pœnitentiæ pedes la-

Apostoli an baptizati. Joan. 3. 5. [a] Joan. 13. 10. [b] [c]

[a] *Al.* ad hæc & illud accedit quod Dominus in cœna paschali.

[b] *Al.* lavandum. [c] *Colb* à peccatis per ignorantiam & debilitatem venientibus ex traduce omnino est solutus.

vari, hoc est à contractu conversationis hujus temporaneæ fideles emundari. In his enim ista mundatio remissionis verè fit, quos iniquitas quæ fidem destruat non contingit. Sic etiam ex traditione apostolica fideles infirmos inungit Ecclesia. Hæc unctio, testante Jacobo apostolo, sub oratione presbyterorum à peccatis relevat infirmum. (Jac. 5.) Veneranda itaque sunt sacramenta, & pro more quo Deus eos instituit observanda. NOLUNT arrogantes, sed purificant humiles. Nesciunt mundanâ diffiniri sapientiâ, sed divinâ percipiuntur obedientiâ. Ad hæc quisquis accedens, stultus fiat, ut sit sapiens. Quæratur in eis sanitas, non disputandi vanitas. Dantur enim nobis corporea sacramenta, sed cælesti virtute prædita. Miro siquidem modo qui olim in corporalibus per primum patrem cecidimus, ex his per secundum, qui & Deus est ad spiritalia reditum habemus. Nemo ergo præjudicet sacramentis, sed remedia devotus quærat in eis. Morbi sui dijudicet ægrotus incommodum, non salutare summi Medicantis antidotum. Sua esse sentiat infirma, quæ autem Dei sunt fortia. Dum videt exteriùs corporeum sacramentum, fide divinum interiùs penset effectum. Dei quippe virtus per ministrum in sacramentis operatur. Minister autem tantùm minister est. Qui efficaciam præstat mysteriis, Deus est. Nemo ergo contemnat vim sacramentorum pro vitiis ministrorum, quorum malitia non contrahitur Dei omnipotentia. Non potest minus in malo, majus in bono, qui indifferenter de omnibus & in omnibus potest. In Deo siquidem minùs potest qui malus est, magis potest qui bonus est. Deus autem omnipotenter in utroque potest. Inde est quòd plures novimus sibi quidem malos, sed aliis utiles fuisse ministros, ipso operante per eos qui prout vult bene semper operatur tam per malos utique quàm per bonos. NON MACULAT aliquem communio malorum in participatione sacramentorum, sed in operum consensione malorum. Quapropter ministros, licèt malos, nullus abjiciat quamdiu eos Ecclesia tolerat. Audiat dicentem Apostolum: *Tu quis es qui judicas alienum servum?* (Rom. 14. 4.) Quos tunc tantùm abjicere licet cùm eos Ecclesia manifestè suspendit aut removet. Eis tamen semel imposita ordinationis manet gratia; sed manet ad judicium, non manet ad officium. Quòd si Ecclesiæ placeat ut eos aliquando revocet, revocatos absolvit & reconciliat, non quidem reordinat. Quem autem aliquando à communione segregat, quod absit ut absque ju dicio fiat, nonnisi manifestè convictum aut publicè confessum, medicinaliter tamen damnat, & piâ crudelitate sanat, nisi obduratus ille resistat. Quòd si obduratus Ecclesiæ judicium spernit, tunc ab Ecclesia nominatus sententiam meritò damnationis suscipit, & cum hujusmodi apostolica auctoritate decet nec cibum sumere, [multò magis non orare, nedum in sacramentis agere.]

Sacramenta mali etiam ministri validè & utiliter conferunt.

AT VERÒ cùm deficientibus testibus probari non possunt, de perpetratis criminibus tolerandi sunt, nec à Judice nisi dato probationis judicio damnandi sunt. Quos sibi reservat Dominus ubi ait: *Mihi vindictam, ego retribuam.* (Rom. 12. 19.) Sed nec de his omnino desperamus, quamvis de periculo timeamus. Sæpe enim & de talibus aliquos visitante gratiâ converti videmus, [a] & lætamur nos aliquando tolerasse quos cernimus tandem bene vivere.

XI. INT. De sacramentorum remediis eorumque ministris, & de malorum vel justa separatione vel tolerantiæ dispensatione, te loquentem libenter audio. Sed de ministris suspensis vel excommunicatis seu depositis audire te cupio. Si enim aliquando ministrare præsumunt, quid faciunt? An illi quibus manus imponunt, Spiritus-sancti donum per eos accipiunt? Quòd si ad altare veniunt ministraturi, an ibi conficiunt corpus Christi?

RESP. In his quod catholicum est te volo sentire. Non omnium est altaris mysteria celebrare, consecrationes agere, vel ordinare. Ad hæc sanè agenda CHRISTUS JESUS apostolos consecravit, ab apostolis Ecclesia agendi formam accepit & solemni observantia custodit. In his ergo agendis nemo suscipitur, nisi qui more apostolico ad agenda mysteria consecratur. Ei autem cui Christus per Ecclesiam consecrandi officium tradit, ipsi Christus, si quando expedit, per Ecclesiam officium subtrahit, & ne ministret interdicit. Aliquando etiam deponit aut à sorte fidelium excommunicando dejicit. Quem itaque Christus per Ecclesiam deponendo & excommunicando destituit ab officio, si in sacramentis ministrare præsumit, qui jam minister non est, nihil facit. Sic enim ea Deus agenda instituit, ut non nisi per ministrum valeant fieri. Quare qui minister non est, nihil facit. Quòd si quislibet in sacramentis ministrare posset, si bene consideres, status omnis Ecclesiæ deperiret. Quid namque clavis Ecclesiæ ageret, si in sacramentis unusquisque prout vellet agere posset? Quid ligaret? Quid solveret? Sed velit nolit iniquorum pravitas, Christus imperat, clavis ejus Ecclesiæ commissa solvit & ligat, ministros sacramentorum ordinat, deponit, reconciliat. Legimus tamen & de excommunicatis talibus dispensationem factam à patribus. Universalis Ecclesia Novatianos hæreticos anathematizans damnaverat, sed eorum clericos ad catholicam [fidem] redeuntes Nicæna synodus quos acceperant habere permisit [immo dedit] ordines. Carthaginensis quoque synodus Donatistarum clericos cum suis ordinibus suscipiendos esse decrevit, quibus ordines concessione ratâ præstitit, attendens non quid mali in ordinatore fuerit, sed quid in ordinandum per sacramenti verba descendit. Nemo autem contra Ecclesiam sentiat, nemo clavibus ejus contradicat, quæ in Spiritu sancto solvit & ligat, ligandique & solvendi offi-

Suspensi, excommunicati & depositi an conficiant sacramenta.

Vide epistolam quæ habetur post librum sextum & etiam librum septimum.

[a] *Colb.* quod & lætamur.

cium sensu dispensatorio temperat. Hanc clavem qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. De medio autem, hoc est de communi tunc erit, cùm publicè & passim sub antichristo iniquitas prævalebit. Tunc sacramenta respuentur, claves Ecclesiæ contemnentur. Tunc tanta persecutio contra Ecclesiam erit, ut si fieri posset, ipsi in errorem inducantur etiam electi. Sed Deo gratias, breve tempus erit. Tolletur impius, & [a] Ecclesiæ libertas stabit, & cum Christo libera permanebit. Hæc est libertas quam Christus de Virgine natus mundo reparavit. Cum hac infernum victor intravit; cum hac surgens à mortuis, suos ab inferis liberos eduxit, & cœlum gloriosus ascendit. Libertas hæc, thesaurus ille est qui in agro absconditus, sapienter ab emtore quæritur. Agrum quippe dicimus mandata Domini, quæ mandavit custodiri nimis; ad quæ forti accingitur exercitu fidelis, ut thesaurum in eis absconditum valeat adipisci. Hinc Paulus ait: *Existimo enim quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* De hac autem gloria idem alibi: *Ipsa*, inquit, *creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Pro hac & patriarcha Jacob luctabatur cum angelo, quem dimittere noluit, donec ei benedictio collata remansit. Sic & nobis à servitute ad libertatem redire volentibus occurrit angelus, id est sermo divinus, dominicæ voluntatis nuntius; cum quo dum pio laboris exercitio luctamur, perseverantiæ merito cælesti benedictione consumamur. Priùs itaque oportet te servare mandata, ut bene agendo ad intelligendam quam mundus ignorat libertatem [gloriæ] filiorum Dei proficias. Hinc psalmista Domino canit: *A mandatis tuis intellexi.* Unde qui servat mandatum, audacter clamat ad Dominum: *Servus tuus ego sum, da mihi intellectum*, Mandatum itaque Domini quia homo primus in paradiso noluit servare, jure libertatem perdidit, cujus & intelligentiam pariter amisit. Hinc psalmista ait: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hæc est insipientiæ calamitas, quæ in omni generatione ex Adam originaliter descendit.

[a] | Rom. 8. 18. | Ibid. 21. | Psal. 118. 14. | Ibid. 125. | Psal. 48. 13.

XII. INT. Manifesta est carnis propagatio de seminis traduce descendens. Sed utrum unusquisque nostrum inde animam habeat unde carnem nescio. Nec hoc certum habeo, an inde anima peccatum pœnamque traducat, an aliunde contrahat.

RESP. Quam multos de anima tractasse legimus, sed errasse nollemus. Qui etiam divinis auctoritatibus sua sensa probare voluerunt, sed testimonia quæ adducunt nihil aliud convincunt, nisi Deum animas creare vel fingere vel dare vel insufflare cui & quando & unde voluerit: qui sicut novit, sic omnia facit. Ne autem tua pia simplicitas & simplex eis pietas in aliquo errore consentiat, pauca de erroribus

A tibi cavenda subnotare volumus. Errat qui dicit Deum fecisse animas, non de nihilo, vel de aliquo, sed de se ipso. Novimus enim animas & mutari & quàm sæpe erroribus affici, & nisi per gratiam reparentur, pro erratis condemnari, judicante ipso qui condidit. Errat qui dicit animam esse corpus, cùm ipsa sit spiritus. Rationalis namque & intellectualis ad imaginem & similitudinem Dei factus, & mandata suscipit, & inter bonum & malum utique discernit. [quod quidem corpus non facit.] Errat qui dicit animam, antequàm carni uniretur, bonum aliquod meritum habuisse, sed B per carnem amisisse. Sic & qui dicit animam malum habuisse meritum, quo meruit ut pro eo in carne ferret supplicium. Sed quomodo potest ostendere animam ante carnem bonum vel malum meritum habuisse, quam non probat ante carnem fuisse? Non legit quia Apostolus dicit nondum natos nihil egisse boni vel mali. ERRAT QUI dicit parvulos absque regeneratione divini sacramenti mortuos non damnari, cùm omnes attestetur Apostolus ex uno in condemnationem trahi, nisi fuerint membra Christi. Sed nemo fit membrum Christi nisi vel per fidem Christi C renatus vel antè pro Christo passus. His itaque de erroribus exclusis, scire te convenit quia liber Geneseos primum hominem quomodo factus sit evidenter ostendit. Corpus ejus de limo terræ dicit à Deo factum, & spiraculum vitæ ei qui factus est à factore insufflatum. Insufflatum dicit spiraculum ne sentias de Dei substantia factum. Nam dum sufflamus, non de nostra substantia flatum facimus, sed aerem traductum remittimus. Deus spiraculi conditor est, id verò conditum; Deus immutabilis, id sæpe mutatum. Ei etiam adjutorium simile sibi de ejus costa D feminam formavit; quæ unde spiritum acceperit, scriptura tacuit, sicut & de eorum posteris. UTRUM autem inde animas habeant posteri unde primus hominum habuit, id est, ut sicut primo illi novam Deus indidit, sic novas quoque, non de traduce, à Deo habeant posteri, an sicut corpora sequentium propaguntur de primo corpore, sic de primi anima ceterorum formentur animæ, nondum nobis manifesta ratio probavit, nondum nobis prophetica vel evangelica auctoritas promulgavit. Sed quò feror? Dum subitò ad mentem redeo, illam catholici doctoris, Hieronymi dico presbyteri, sententiam ipse respicio, quia eam sedes E apostolica & universa legit & tenet Ecclesia patenter video. Scribit sanè singulorum animas à Deo fieri novas, non de traduce propagatas. Quod & tantopere confirmat ut his qui aliter senserint dicat anathema. Sed & hoc ipsum generaliter accepit Ecclesia. Nos itaque, qui filii sumus Ecclesiæ, nequaquam ejus debemus sententiam reprobare; sed concedimus animam à Deo factam, attestante Hieronymo, non de Adam traductam, no-

Errores de animæ origine. | Sententia S. Hieronymi de origine animæ vera.

[a] Colb. gloriæ.

vam

vam & innocentem, carni quæ de Adam descendit unitam. Apostolus quidem dicit quod supra jam posui, quia nondum nati nihil egerunt boni vel mali. Constat ergo quia sub nullo vel suo vel alieno crimine condita est, quæ nova & bona Deo auctore carni conjuncta est. Constat sanè apud summum judicem nullum dare in condemnationem qui non habuerit crimen. Sed dicit aliquis quia caro de Adam traducta peccatum originaliter contrahit. Quid, inquam dicit? Nescit quia nisi in sola voluntate rationali nusquam peccatum invenitur? Pro rationalis animæ inobedientia constat caro fuisse corrupta. Peccatum autem in carne & cum carne habet anima. Qui verò carnem solam, cùm de Adam seminaliter venit, peccatum ideo habere dicit, quia postquam in Adam corrupta est, sic ad [a] peccandum habilis facta est, ut quàm citò ei corruptæ unitur anima, mox ex carne impotentiam resistendi peccato ipsa contrahat, quæso dicat utrum necessitate an voluntate anima hoc incurrat. Si eam Deus sine mali causâ meriti sub hac necessitate comprimit, injustè facit. Sed Deum injustè aliquid agere nefas est dicere. Non igitur Deus eam peccare compellit. Quare si anima nova veniens & bona in carne vel cum carne peccatum incurrit, non necessitate, sed propria voluntate delinquit. Peccat igitur ex se, non quidem ex traduce. Sed quid dicimus? An Apostolo contraimus. *Per unum* inquit, *hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* (Rom. 5.12. Ibid. 16.) Audi ipsum alibi attestantem: *Sunt*, inquit, *ex uno omnes in condemnationem.* Constat igitur apostolica auctoritate omnes in Adam peccatum incurrisse; quibus oportet Christi remedio subvenire, ne cum peccato moriantur, & damnari mereantur. Hac de causa consuetudine ecclesiastica pro parvulis curritur, ne non baptizati moriantur. Evangelica namque decernit auctoritas, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum [b] cœlorum. Cùm itaque dicat Apostolus omnes in Adam peccasse, & Ecclesia cum Hieronymo sentiat singulorum animas non propagari de traduce, sed novas fieri cotidie, quomodo simul utrumque constat verum, quòd scilicet omnes peccaverunt, & quòd non de Adam fiunt, sed singulæ in singulis novæ sunt? His angustiis coartati quidam, utramque sententiam videntes, nec utramque concordare valentes, dum non valent quærentibus super his respondere, & tamen erubescunt se quod nesciunt fateri nescire, ita in parte altera se collidunt, ut inferant alteri præjudicium. At dum alteri præjudicasse culpantur & admoniti non corriguntur, quia errorem defendunt, hæretici nominantur.

XIII. INT. Dic quæso, cùm utramque sententiam Ecclesia suscipiat, quomodo uterque concordat.

RESP. Rationalem animam, quam Deus unicuique hominum infundit, non sub peccandi necessitate comprimit, sed eam cum libertate arbitrii rationalem efficit. Cùm itaque anima primùm peccat, quæ arbitrii libertate constat prædita, nulla quidem necessitate, nec Dei, qui nocentem nullam facit, nec sua, nam libera fuit; sed propria voluntate peccatum incurrit. Deus enim sicut non facit nocentem, sic nec damnat innocentem. Constat quidem quia dum vivificat carnem de Adam seminaliter venientem, quàm citò per animam caro vivit, mox incentiva concupiscentiæ, quæ in Adam corrupta contraxit, vivificanti se spiritui importuna suggerit. Huic dum spiritus primo voluntariè consentit, post consuetudinem impendit, consuetudine verò inolita necessitatem incurrit. Hinc est quòd primò sensibus corporeis, ratione sopita, se totam impendit. Unde bene dicitur, Adam non per proprietatem naturæ, sed per similitudinem culpæ & participationem pœnæ. Sic Dominus quibusdam dicit: *Vos ex patre diabolo estis*, (Joan. 8.44) non quidem naturâ, sed tantùm malitiâ. [Et si nesciamus discernere quomodo anima parvuli seminaliter generatur, tam citò peccat, quàm citò in carne vivit: Scimus tamen quia Apostolus confirmat quòd omnis qui peccat eget gratiâ.] Quia verò nulla peccat ante carnem, nulla post carnem, sed dum carnem corruptibilem vivificat, in carne & cum carne solummodo peccat: rectè dicit Apostolus omnes peccasse in Adam, id est in carne tradu-cta de Adam. Omnis ergo anima unita carni de Adam venienti juxta Apostolum peccatum incurrit, & captiva remanet sub mole peccati, nisi eam dum in carne vivit, relevet misericordia Christi. Scriptum est enim: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* (Joan. 8.34.) Hæc misera servitus hominis arbitrium non finit esse liberum. Dum enim peccato fit subditum, perdit posse bonum; sed post amissam libertatem, tenet nomen, tenet & rationem, non quæ fit per se idonea ad consequenda divina, sed tamen dispensantur ad peragenda præsentis vitæ negotia, ut est artes discere, arare, ædificare, & cetera talia. [Quàm multa etiam de spiritualium seu corporalium natura norunt discernere, sed perniciosè, dum sine caritate.] Ista quidem sunt bona de naturæ bono venientia, quæ Deus tam bonis quàm malis prout vult accommodat. Rapere autem seu furari, perdere & luxuriari, & cetera hujusmodi nequaquam Deus instituit, ideoque nec pertinent ad substantiam vitæ præsentis. Non sunt quidem à Deo, sed maculant vitam quæ est à Deo. Malum itaque, quia à Deo non est, nec res nec essentia est, quare nomen tantùm est. Si enim res vel essentia aliqua essent, bonum essent. Quæcumque enim sunt, ideo utique sunt quia à Deo sunt, & bona à bono sunt. Bonum autem summum, quod non est factum, ideo verè est quia incommutabile est. Ea verò quæ facta sunt, nec omninò sunt, nec omni-

[a] *Colb.* ad peccatum. [b] *Al.* Dei.

no non sunt. Omnino quidem non sunt, quia idipsum quod Deus est, minimè sunt; nec omnino tamen non sunt, quia licèt mutabilia, à Deo tamen facta sunt. Ab his ergo quæ verè non sunt revocandi sumus, ut ei qui verè est [a] singulariter hæreamus. Sed ad hoc quia invalidi sumus, mediatorem Dei & hominum JESUM CHRISTUM adoremus, qui fortitudinem suam infirmitati nostræ miscuit, & infirmitatem nostram suâ fortitudine confirmavit. Hinc est quòd nobis in præsenti vita pascendis veritas ejus traditur in sacramentis; sed in æterna vita nobis ipsa dabitur, non in sacramentis, sed manifesta, non in transitu, sed perpetua.

XIV. INT. Cùm interim versamur in sacramentis, dic quæso de sacramento altaris quid sit: de quo quidem non dubito, sed pro dubitantibus super hoc respondere te mihi desidero.

De Sacramento altaris.

RESP. De re tam nota nemo Catholicus dubitat. Hoc autem de quo quæris, ipse qui instituit ita fecit. In cœna paschali panem accepit, benedixit, fregit, dedit. *Accipite*, inquit, *& manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum.* Calicem quoque benedixit & dedit dicens, *Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic est enim calix sanguinis mei.* Ejus VERBI potentia, quâ de nihilo facta sunt omnia, fecit & hic Christus ut substantia panis & vini fiat substantia Corporis & Sanguinis sui. Christus inter apostolos sanus & integer aderat, manu propriâ Corpus & Sanguinem suum dabat; & ne figura putetur, *Corpus*, inquit, *meum quod pro vobis tradetur*, *Sanguis*, inquit, *meus qui pro vobis* [b] *fundetur.* Apostoli Dominum dicentem audiebant, panem & vinum in specie videbant, sed fideles Domino credebant. TENEAMUS igitur & nos fidem apostolicam, omnipotentis Verbi veneremur efficaciam, credamus verbo mutatam panis & vini substantiam, audiamus ipsum ita præcipientem. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Ea hora corpus Christi comestum est, idem ipsum in crastino pro salute mundi in cruce passum est. Ea hora sanguis Christi bibitus est, idem ipse in crastino pro salute mundi in cruce fusus est; in qua pro nobis passus, nostræ redemptionis est præmium, & à redemtis in vitæ sumitur alimentum. Hoc ergo dum ab altari Ecclesia sumit, ipso per eam operante qui hoc in suam commemorationem fieri mandavit, agendo recolit quia Christus, quem comedit, & pretium est quod à morte redimit, & cibus est qui ad vitam pascit. Vide sacramentum: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* Immortalis autem & impassibilis à mortali sensu & passibili non potest sentiri. Cùm igitur ejus præcepto & munere ipsum sumimus ab altari præsentis Ecclesiæ, pro modo sumendi manent ibi & forma & sapor piissimi corporis. Sumitur enim sub specie panis & vini, sicut olim sumtum est ab apostolis in cœna paschali; cùm tamen ibi neque panis neque vinum sit, sed sicut ipsa testatur Veritas, Corpus & Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI. De hoc Andræas apostolus respondens ait: *Immaculatum Agnum quotidie in altari crucis sacrifico; cujus carnes postquam populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit, Agnus qui sacrificatus est integer perseverat & vivus. Et cùm verè sanctificatus sit, & verè carnes ejus manducatæ sint à populo, & verè sanguis ejus sit bibitus, tamen, ut dixi, integer permanet immaculatus & vivus.* Et adjecit: *Si credideris ex toto corde, dicere poteris. Si non credideris, penitùs numquam ad indaginem hujus veritatis attinges.* Vide sacramentum. Christus in altari verè sumitur integer & totus. Cetera quidem corpora possunt secari & in partes dividi atque recolligi, minui quoque vel augeri. Corpus autem Christi jam glorificatum, jam impassibile factum, dum populus tecum comedit, totum est quod accepisti, totum quod ille, totum quod singuli. Et licèt temporum intervallis seu locorum spatiis idem sumatur à multis, non tamen ideo multi Christi, sed unus Christus est in multis illis.

Matth. 26. 26.

Rom. 6. 9.

XV. INT. Quomodo possunt hæc fieri?

RESP. Quid dicis? Visne tibi hæc humanâ ratione probari? Nescis quia supersubstantialis est [quotidianus] panis iste de quo loqueris? Panis iste non est terrenus, immo nec cælestis, sed totus supercælestis. [Hunc quotidianum] in oratione Dominica petit qui secundum aliam translationem ita dicit: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.*] Panis iste unus est & quotidianus, sed qui unus est, dum totus assiduè comeditur, juxta morem consueti panis semel consumtus non posset esse quotidianus. Ut autem quotidianus sit, & unus est & supersubstantialis. Transcendit itaque consuetum morem creatæ substantiæ, qui conjunctus est divinæ. Potest ergo sumi, non consumi.] Quod igitur super omnem creatam substantiam est, humanâ ratione diffiniri non potest. Si quæris quid est, respondeo quia Corpus & Sanguis JESU CHRISTI est. Si quæris quare non video ipsum ut est, respondeo quia sacramentum est. Crede igitur quod est, licèt videre non valeas ut est. SACRAMENTA fidem quærunt, diffiniri nesciunt. Vis scire sacramenta? Quære, fili, qui te doceat. Nescit mundus, novit Christianus. Contradicit hæreticus, defendit Catholicus. Transi ergo mundum, conculca hæreticum, interroga Christianum, audi Catholicum. Quid dicit Christianus, quid docet Catholicus? Respondet se scire, respondet verè. Novit namque idipsum, sed fidei notione, non humanâ ratione. Non omnibus notum est. Sacramentum enim est.

Sacramenta credi debent non ratione probari.

Matth. 6. 11.

Quid sit sacramentum.

XVI. INT. Quid est sacramentum?

RESP. Dicimus quidem sacramentum, sacræ rei signum. Sacramentum itaque hoc res

[a] Colb. fideliter.

[b] Colb. tradetur.

est vera, sed sacra, sed signata. Quid miraris? Nescis quia homo lapsus in crimen, rationalis intelligentiæ perdidit libertatem, & terrenis implicitus, divinorum amisit notionem? Cùm autem miserante gratiâ reducitur ad divina, ea interim suscipit in sacramentis, dum vestitur carne mortali. Hæc est illa vestis pellicea, quâ homo depulsus à paradiso vestitus est in peregrinatione sua. Quamdiu itaque versatur in sacramentis, quia manifestam non habet veritatem, accedit per fidem, & fide transgreditur rationem. Sacramenta namque videt corporea, quæ per fidem intelligit esse divina, sed ratio nescit humana. Fide itaque, non ratione sacramentis utitur; & dum per ea credendo renascitur, mira potestate donatur. Quæris quæ illa sit? Evangelista dicit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quibus *eis*? Scientibus? Non. Immo credentibus. *His*, ait, *qui credunt in nomine ejus.* Crede ergo & tu, ut possis esse filius. Quapropter dum per sacramenta suscipis divina, ad ea intelligenda non ratio sed fides est adhibenda.

Joan. 1. 12.

XVI. INT. Quid est fides?

Fides quid sit.

RESP. Fides hæc de qua nunc tecum agimus est ille mentis humanæ affectus quo soli Deo credit animus: qui dum singulariter Deo credit, hoc Dei gratiâ revelante percipit quòd tenet nota & certa quæ rationi humanæ sunt incognita, sunt dubia. Fides hæc illa est quâ fideles dicuntur qui in Christo baptizantur, discreta à fide humanorum placitorum & pactorum; quæ quia & infideles servare novimus approbamus, sed quod per illicita jurant improbamus. Longè ergo alia est hæc Christiana quam intendimus fides. Hæc fides una & vera & Catholica est quæ in Deum est, quâ solâ ab initio sæculi usque ad finem salvantur homines. Quære per singulas mundi ætates, & teste Scripturâ ita invenies. Fides ista ex Deo est, non de terra. Sic enim Petro respondit Veritas: *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Videbat Dominum Petrus, oculis hominem, fide divinitatem. Fides itaque est quâ credimus, non quod credimus [quod ita describit Apostolus: *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*] Cum hac fide acceditur ad altare. Dum sacramenta percipis, vides exteriùs speciem panis & vini, credis interiùs Corpus & Sanguinem Christi. Ibi verè comeditur quod per lignum vitæ in paradiso & per manna in deserto figurabatur. Sed probet se, Apostolus ait, homo qui comedit. Nam si indignè sumit, judicium sibi manducat & bibit.

Matth. 16. 17.

Heb. 11. 1.

Quæ probatio ad Eucharistiæ sacramentum adhibenda.

XVII. [INT. Quomodo se probabit?

RESP. Videat si credit, respondetur enim credenti quomodo Dominus Mariæ respondit dicens: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Sic prohibetur à perceptione Corporis & Sanguinis Domini, in cujus corde Christus non ascendit, id est qui non credit quomodo Christus qui comeditur in altari manet vivus & integer in gloria Dei Patris. Videat ergo qui ad Eucharistiam accedit,] videat si fide vivit. Est autem fide vivere, Deo credere, non carnis concupiscentiis deservire. Nam quomodo audet comedere Christum [qui non credit aut] qui contemnit Christum? Contemnit sane Christum qui ejus contemnit præceptum. Quod fit dum sciens & volens incurrit peccatum. Sumit ergo sibi judicium quisquis [infidelis aut] cum voluntate peccandi audet comedere Christum Quisquis autem per gratiam Dei depositâ voluntate peccandi fidelis accedit, hic ad vitam comedit. Factus enim membrum Christi à morte surrexit & Christi vita vivit. Semel quidem sumtum vel oblatum [viventibus] sufficit, sed his quos postmodum culpa non tangit. NOBIS autem, qui jam fide vivimus, sed adhuc in periculo versamur, *unde*, ut ait Apostolus, *in multis omnes offendimus*, necesse est contra mala rediviva eum habere remedium qui solus solvit peccatum. Quia ergo cotidie miseri labimur, salutari remedio relevari cotidie quærimus.

Jac. 3. 2.

XVIII. INT. Quid est? Licenter ergo peccabimus, quia remedium salutare ab altare sumere possumus?

RESP. Quomodo sentis? Non audisti quia quisquis cum voluntate peccandi illud sumit, judicium sibi manducat & bibit? Verè scias quia nemo dignè illud comedit nisi fuerit membrum Christi. Nemo est membrum Christi, nisi qui fide vivit. Quapropter Ecclesia ad communionem suscipit neminem nisi fidelem: quæ si aberrantem à fide aliquem viderit, quod aut in verbo aut in opere deprehendit, hunc primò pia sollicitudine corripit, post, si emendare contemnit, dato judicio ab altari medicinaliter excludit, ne reus inde moriatur unde justus vivit; suspensum denique tamdiu removet donec satisfactione præmissa eum reconciliet. Non ergo securè peccandum propter salutare remedium, à quo Ecclesia removet perseverantem in malum, & per ipsum sanat ægritudinem pœnitentium. Sed & hoc salutare remedium antiqua & generalis Ecclesiæ consuetudo pro salute fidelium offert defunctorum, pro quibus in sacro canone quem super altare dominicum soli sacerdotes dicunt, specialis oratio funditur & in oblatione sacri libaminis Domino commendantur, ut eis peccata remittat, & æternam requiem tribuat.

Quis dignè comedat Christum?

XIX. INT. Vide quid dixeris. Peccata quidem Deus remittit, sed tantùm in vita præsenti. Quomodo ergo, ut dixisti, Ecclesia petit Deum remittere peccata defunctis?

Oratio pro mortuis.

RESP. Cùm defunctos à peccatis solvi deposcimus, quos fideles ex hac vita migrasse credimus, non eos quidem habere peccata sentimus, sed peccati nomine pœnam peccati nuncupamus. Nam quos de præsenti vita per pœnitentiam satisfaciendo exisse cognovimus, eis post mortem pœnas reservari minimè sentimus. Quos autem cum pœnitentia fideles, sed sine digna satisfactione præoccupatos mor-

te cernimus, pœnas eis, non damnatorias, immo purgatorias deberi fatemur Pro his autem qui in communionem matris Ecclesiæ vel serò pœnitentes redeunt, & vera confessione data absoluti obeunt, ut solvantur à pœna eis post mortem debita, offert una omnium communis mater Ecclesia ad Deum preces & eleëmosynas,& vivificat dominici altaris mysteria: quæ quidem defunctis nihil prodessent, nisi in Ecclesiæ societate fideles obiissent. Nunc autem Ecclesiæ meritis cotidie solvuntur à pœnis. Quam enim hîc viventes habuerunt in sacramentis genitricem, habent & defuncti propitiam adjutricem. Mira quidem Dei clementia cotidie solvuntur à pœna, dum pro eorum suscepta pœnitentia satisfacit præsens Ecclesia. Inde preces & eleemosynas & altaris mysteria supplicando pro defunctis fidelibus offert Deo publicè & privatim Ecclesiæ caritas.

Rom. 14. 10. XX. INT. Quare hoc? Nonne Apostolus dicit: *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonnm, sive malum.* Secundùm, hoc & Dominus per Prophetam dicit: *Ubi te invenero, ibi te judicabo.* Quia ergo post mortem recipiunt quæ in corpore viventes meruerunt, sive bonum, sive malum, cassa sunt quæ post mortem eorum pro eis fiunt. (Ezech. 24. 14.)

Objectio contra orationem pro mortuis solvitur.

RESP. Verum quidem est quia secundùm præsentis vitæ actum quisque moriens portat Dei judicium. Sed si ante mortem vel serò Ecclesiæ habuit communionem & in communione illa permansit in finem, hic vivendo in carne promeruit, ut cujus communionem habuit, ejus tueatur & meritis. Hoc ergo moriens habet judicium quod habere debet Ecclesiæ membrum ut solvat debitæ pœnam satisfactionis, sed nesciat perpetuæ casum damnationis, habens matrem quæ eum solvit dum viveret in præsenti, cui à Christo præstitum est ne ei prævaleant portæ inferi. Dic, quæso, hostia illa quam filius Dei in cruce Patri obtulit, nonne pro defunctis fidelibus oblata fuit? Hostia quidem illa generalis tam præteritos quàm præsentes & futuros fideles expiavit. Quos enim in cruce positus defunctos redemit, hos ipse ab inferis redemtor eduxit. Hunc itaque morem Ecclesia tenuit, ut ipsum in præsenti pro suis offerat defunctis, sine quo nec vivus poterit nec defunctus absolvi. Festinent ergo, festinent undique miseri, festinent ad gremium tantæ matris, quæ prævalet inferis, quæ pœnitentes absolvit à culpis, quæ pro defunctis filiis mater pia viaticum salutare transmittit.

XXI. INT. Quid appellas viaticum?

Quid viaticum.

RESP. Dicimus viaticum, altaris sacramentum. Nondum enim in patria sumus, sed ad eam per fidem tendimus. Dum itaque in via sumus, isto viatico sustentamur; quod etiam defunctis nostris, quos nondum beatitudinem percepisse credimus, pro eis supplicando transmittimus; ut quod eis restat de pœna, celeriùs Dei misericordia remittat, eisque sinum Abrahæ clementer aperiat. Hoc enim sinu sacra Scriptura secretam quietem beatorum designat.

Abrahæ sinus.

XXII. INT. Cur ergo Abrahæ tantùm sinus esse dicitur quo omnium electorum sedes quieta signatur?

RESP. Dicitur quidem Abrahæ, non quia ejus tantùm, sed quia fidei habens primatum, pater multarum gentium, positus est ad imitandum. Sic & Dominus cùm sit Deus omnium, voluit dici Deus trium. Sic enim ait in Evangelio: *Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob.* Et paulò post sequitur: *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Qui enim per fidem in carne vixerunt, post carnem sine fine vivunt. Horum autem filii, non dico per carnem, immo per fidem, omnes evadunt mortem, & cum eis intrabunt beatitudinem. Quorum enim fidem imitantur, & cum eis mercedem fidei consequentur. Noverat hoc fortissimus ille Machabæus, qui duodecim millia dragmas argenti Jerosolymam misit offerre pro mortuis, considerans quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam [Est autem in pietate dormire usque ad finem in cultu Dei persistere.] Pietas hæc omni tempore in fide est, fides hæc in societate catholica est. In hac quisquis moritur, morte non tenetur, sed vita perpetua donatur, & in fine resurrectionis corporum gloria cumulabitur. Et sicut tunc nonnisi pro circumcisis fidelibus defunctis oblatio illa facta est, ita nunc in præsenti Ecclesia nonnisi pro regeneratis in Christo dominicum in altari sacramentum offerri sancitum est, juxta quod in evangelio scriptum est quia credebant in JESUM & JESUS non se credebat illis. Licèt enim credat aliquis, nisi regeneratus sit, non se credit JESUS illi, hoc est, non admittitur ad percipiendum Corpus & Sanguinem Christi. Hæc namque perceptio convenit tantùm regeneratis: qui si fideles perseveraverint, perducentur ad regnum Dei. (Matth. 22. 32.)

XXIII. INTERR. Cùm ubique Deus regnet, nusquam est qui in ejus regno non est. Quid ergo promittis quia intrabunt in regnum Dei?

RESP. Verè Deus & in omnibus est, & omnia continet, ubique regnat, ubique imperat. Bonos assignat præmiis, malos suppliciis. Ejus justitia colligit omnia. IBI TAMEN specialiter regnare dicitur ubi cognoscitur. Ibi cognoscitur ubi amatur. Propriè ergo regnum Dei dicitur quod possidet pius, non intrat impius. Hoc est illud regnum quod pii poscunt, & in ratione dominica dicunt: *Adveniat regnum tuum.* Regnum hoc, si bene pensas, facit caritas. Unde bene regnum Dei dicitur præsens Ecclesia, quia ipsum amat. Secundùm hoc dicitur in evangelio: *Regnum Dei intra vos est.* Quod quidem ex caritate est. At ubi perfecta erit caritas, ibi veræ pacis & æternæ erit felicitas; ibi præcipuè regnum Dei dicitur esse, in quo sunt mansiones multæ, caritatis gradibus distinctæ. Ibi erit Deus omnia in omnibus. IBI EST beatè vivere, ipsum sicuti est Deum videre. *Hæc est*, inquit, *vita æterna ut cognos-* (Regnum Dei ubi. Matth. 6. 10. Luc. 17. 21. Joan. 17. 3.)

cant te solum verum Deum & quem misisti JESUM CHRISTUM. Sic construe. *Ut cognoscant te & quem misisti* JESUM-CHRISTUM, *esse solum verum Deum.* Hoc est, non duos, sed unum; non multos, sed solum; non factitios, sed verum in unitate sancti Spiritus Deum. Hoc interim credimus quod postmodum fidei merito facie ad faciem videbimus. Hoc in præsenti fideles credunt, & justi sunt. Fides hæc fundamentum est supra quod Ecclesia fundata est. Hanc enim in se fundavit Christus, ille lapis angularis qui factus est in caput anguli, à quo caritate diffusa, ex diversis una in ipso crevit Ecclesia de Judæis & gentibus collecta, ex angelis & hominibus completa, cum Deo mansura, & sine fine beata. Amen. [a]

Explicit liber quintus.

INCIPIT SEXTUS.

I. REparator humani generis, terrena jungens cælestibus & cælestia terrenis, donat seipsum in cœlis, donat & in terris; in cœlis, visione manifesta; in terris, per sacramenta. Visione ejus cœlestia beatificantur, sacramentis ejus terrena renovantur. In cœlis beatitudo est una, in terris sacramenta diversa. Alia enim sunt sacramenta quibus generaliter renovamur, alia verò sunt sacramenta quibus in clerum aliqui ordinantur. Fit ordinatio cleri ad regendam plebem Christi. SED QUI inter fideles, ut aliis providere debeant, ordinantur, ad hoc siquidem promoventur ut in Ecclesia serviant, non ut dominentur, serviant vice Christi, qui venit ministrare, non ministrari. In sacramentis ergo alia sunt necessaria, alia utilia. In necessariis summa salutis humanæ plena consistit, in utilibus verò plebi commissæ caritatis sollicitudo deservit. Sed qui ordinantur ad regendam plebem, alii ordinantur ut eam regimine in terrenis regant, alii ordinantur ut eam ad cœlestia perducant. Qui autem ordinantur ut plebem Dei in terrenis regant, potestates sæculi communi nomine appellantur: de quibus alii sunt qui imperatores, alii qui reges, qui duces, qui consules, & hujusmodi nuncupantur. His etenim Apostolus jubet ut humiliter serviatur. Ne quis autem è contrà sentiat, dicit, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Qui verò ordinantur ut plebem Dei à terrenis ad cœlestia dirigant, communi vocabulo clerici nominantur; de quibus pro agendis in plebe commissa officiis promoventur aliqui. Inde sunt qui apostolici dicuntur, qui pontifices, qui abbates, & hujusmodi, quos Ecclesia promotione graduum regendis plebibus anteponit. Quapropter qui ordinantur in clerum, oportet eos sui nominis pariter & officii pensare debitum. Cleros namque sors interpretatur, clericus verò sortitus. Videat ergo ut ipse sit Domini, & Dominus sors ejus.

Rectores plebis alii terreni, alii spirituales.

Rom. 13. 2.

Clericus qualis esse debeat.

[a] *In codice Colbertino hic desinit liber quartus.*

Debet enim ita canonicè clericus vivere ut omnino expeditus, quantum potest, & divinæ gratiæ subnixus, tam in se quàm in aliis servet quod dicitur. Valde enim confunditur qui servare negligit quod ei committitur & prætermittit officium ad quod eligitur, qui gaudet nomine & vacat opere, qui signum regis portat in capite & vitiis servit in carne, qui coronatus incedit & cupiditatum funibus sustinet religari. Clerici namque, quantumcumque promoti, si in crimine dilabuntur, auctoritate antiqua à clero deponi censentur; ne quibus prodesse prælati debuerant, eis ad peccandum exempla præbeant. Restat enim ut prælatorum vita, quæ subditorum animas exemplo maculat; aut omnino deleatur, aut canonica censura citiùs corrigatur. Dolet hujusmodi lex fori, nisi honor defendat ordinis. Sed meliùs corrigit eos censura cœlestis, dum ab officio deponit, dum sub arctiori vita malè lapsos recludit. Quod pleniùs facit dum eos ad ordinem monasticum pœnitendo perducit.

II. INT. Quid audio? Nescis quia judicant quasi reos quos dicis monachos, dicentes eos esse mortuos & ecclesiasticis officiis indignos?

RESP. Quomodo dicunt monachos, ut asseris, esse mortuos? Qui dicit mortuos corpore, mentitur planè. Loquuntur enim, ambulant, & comedunt, & cetera talia agunt quæ agere nequeunt nisi qui corpore vivunt. Si autem dicit mortuos spiritu, exponat quod loquitur. Spiritus namque hominis aliquando moritur fidei per crimen, aliquando crimini per fidem. De morte spiritus per crimen audi Apostolum dicentem: *Vidua quæ in delitiis est, vivens mortua est.* Delitiosa namque sæculo vivit corpore, sed Domino moritur mente. De talibus in evangelio Dominus dicit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Dicebat mortuos mente, non corpore, dimittendos sepelire mortuos corpore, utinam non mente. De morte autem spiritus per fidem, audi Apostolum viventibus corpore ita dicentem: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Si ergo de morte spiritus per crimen illi impetunt monachos, non ore detractorio, sed more canonico accusent eos & arguant reos. Orent etiam, si sunt Christiani, ut eos ad pœnitentiam perducat Deus, & indulgeat pœnitentibus. MONACHUS quidem, non dico nomine tenus tantùm, sed opere monachus, tunc bene sibi moritur cùm non sua sed Dei voluntate trahitur, & vitæ, quæ Deus est, conformatur. Unde laudabiliter dicitur mortuus in quo vivit Christus. In eo autem Christus vivit in quo est Spiritus-sanctus. Hinc Apostolus ait: *Qui spiritum Christi non habet hic non est ejus.* Quare qui Christi est, habet spiritum ejus. Ab hac unitate spiritus speciali nomine dicitur unicus, id est monachus, qui hanc unitatem vita & habitu profitetur publicè. Monachi namque professio pro vitæ merito commune vocabulum fecit

Monachi an dici debeant mortui & ecclesiasticis officiis indigni.

1. Tim. 5. 6.

Matth. 8. 22.

Colos. 3. 3.

Rom. 8. 9.

sibi proprium. Ab unitate & spiritu Christi A proprie spiritualis debet monachus appellari. Sed dicit Apostolus quia spiritualis omnia judicat & à nemine judicatur. De talibus etiam dicit Dominus : *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* (Matth. 19. 28.) NE IGITUR dicas indignum, ne voces reum, ne æstimes mortuum, quem Dominus dicit judicem sæculi futurum : qui, ut dicit Apostolus, omnia judicat; & à nemine judicatur. Tu potiùs cave ne cui falsò præjudicas, judicet te. Dic, quæso, cui magis hæc cum Christo judicandi potestas convenit, quàm illi qui non solùm sua, sed B etiam se ipsum abnegans, coram patre spirituali profitetur militiam Christi, & deposita vetustate, novam vestem cum benedictione suscepit, quam esse sacramentum novitatis Christi Spiritus sanctus antiquis patribus revelavit? (Monastica professio alter baptismus.) UNUM EST, fili, unum est de sacramentis in Ecclesia vestis monachica. IDEM NAMQUE efficiunt & monachi consecratio & baptismi regeneratio. Sicut enim in baptismo vetustas peccatorum exuitur, & novitas quæ in Christo est supervestitur, ita in benedictione monachica, exuta vetustate, suscipitur cum benedictione colobium, quod est novitatis Christi sacramentum. Hoc C enim dum per manum patris spiritalis more ecclesiastico devotus induit, mox à peccatis solutus, illam quam in baptismo habuit gratiam [a] recipit. QUAPROPTER idem efficiunt & sacrum baptisma & consecratio monachica; nisi quòd baptismus, si servetur, sine isto sufficit, id verò præcedente baptismo nihil officit.

III. INT. Cur hoc sacramentum commendas de monachis tantùm? Nonne id ipsum faciunt de lineis tunicis clerici illi qui superjecto nomine regulares vocantur canonici? Idem est enim quòd dicuntur regulares Canonici ac si dicuntur canonici Canonici.

D RESP. (Canonicorum regularium, linea tunica recenter præsumta.) Illa lineæ benedictio tunicæ quam obtendis, modernis temporibus, ut audio, præsumpta est à clericis: qui si bene ordinem suum considerent, hoc ad se non pertinere cognoscent. HÆC ENIM vestis mutatæ consecratio publicam pœnitentiam profitetur. Sed publica pœnitentia in clero non admittitur. QUI ENIM plebi regendæ clericus ordinatur, ita canonico ordine informatur, ut sine macula criminis prævideat populo Dei & appareat sine crimine qui aliorum crimina debet corrigere. Sit etiam utriusque testamenti paginis plenius instructus qui ad docendum alios ordinatur. Unde mirari non desino cùm in clerum illiteratos à modernis canonicis suscipi video. Sed & peccatores publicos dic qua ratione clericos faciunt, cùm id auctoritate fieri non consentiant? (Peccatores publici non faciendi clerici.) Tu me importunis interrogationibus talia respondere compelles, quæ nisi eos caritas tenuerit, clericos [illos] faciunt contra me moveri? Nolo de clericorum actibus tecum ultrà differere, qui clericalis dignitatem ordinis non habeo judicare. Hic sanè ordo tam purus, tam sanctus est, ut sapientia ceteros doceat, ut vita alios instruat. CLERICI namque crimina solvunt, non admittunt. Peccata diluunt, non in se suscipiunt. Lapsos in crimine à clero deponunt, criminosos autem in clerum non intromittunt. De his enim Dominus dicit : *Vos estis lux mundi.* (Matth. 5. 14.) Non est contrahenda sub modio lux hæc proposita mundo. Et alibi *Vos estis sal terræ.* (Ibid. 13.) Sal, carissime, sal istud est sapientiæ. Lux ista publicas peccatorum tenebras inter se non admittit, sed à clericalis decore ordinis constanter abjicit. Sal istud insipientes & illiteratos à clero rejicit. SED ORDINIS sentina monastici talia passim recolligit, (Monastici ordinis prærogativa.) & sanat in gremio quæ morbida stare non poterant in aperto; quos adeo salubri [b] medicamine roborat, ut quàm sæpe regendis ecclesiasticis fortes restituat, invalidos reficit, sanos utiliores reddit. Minor est sollicitudine: major contemplatione. Minùs occupatus, magis expeditus, juxta quod ait Apostolus : *Quæ retro sunt oblitus, in his quæ antè sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis.* (Phil. 3. 13.) AD ORDINEM istum de quacumque professione licet ascendere; tantæque auctoritatis est vestis monachica cum benedictione patris spiritalis accepta, ut semel habita deponi ulteriùs pro sacramenti reverentia nullo modo queat. HOC ENIM sacramentum semel susceptum, si non deseritur, beatitudine cumulatur. In hoc ordine quæcumque professio consummatur. Hoc ordine, si ad eum confugitur, ceterorum ruina levatur. Hac de causa antiqui sapientes, tam reges quàm pontifices, nec non & alii fideles, multa monasteria multo studio construxerunt : quibus novi insipientes moderno tempore detrahunt, & quos imitari debuerant, monachos condemnant. Sed quæso timeant quod Dominus dicit per Prophetam : *Benedictionibus vestris maledicam, & maledictionibus vestris benedicam.* (Mal. 2. 2.) Sed licet invideant, tamen, si oculos habent, aspiciant quia monachi tonsura utuntur clericali. (Monachi sunt clerici.) Propriè enim sunt de sorte Domini, & ipsum habent sortem quem relictis omnibus quærunt singularem. JURE ERGO vocarentur clerici, rectéque canonici, nisi pro jure arctioris excellentiæ dici mererentur monachi. Omnis namque monachus est quidem clericus, sed non convertitur; sicut omnis clericus est Christianus, sed non omnis Christianus est clericus.

E IV. INTERR. Quid dicis? Unde probas quòd monachus omnis & clericus sit?

RESP. In cognoscendis sanctæ Ecclesiæ institutis te rudem video, quem de monacho, quid sit, quærentem audio. Scias [c] quia nemo fit monachus nisi antè fuerit clericus. Cùm enim quis suscipitur ad monachatum, si laicus est, benedictione catholica primò sacratur in clericum. Non potest sanè fieri monachus nisi fuerit antè Dominum secutus. Fit itaque clericus, non ut ibi tantùm remaneat, sed ut eo gradu ad altiora transeat. Ut ergo fiat mona-

[a] *Colb.* recepit. [b] *Colb.* moderamine. [c] *Colb. addit*, fili.

chus, primò apostolicam perfectionem profitetur, quòd scilicet relictis omnibus, & se ipsum abnegans, Christum obediendo sequatur. Data verò professione, tunc à patre spiritali ut mundo moriens exuitur, & sacramento novitatis Christi, id est colobio, cum benedictione Christi vestitur; ubi clericalis ordo non deponitur, sed religione monachica cumulatur. Qui [quoniam & clerici sunt & relictis propriis more apostolico communiter vivunt,] quantò expediti Deo arctiùs militant, tantò digni sunt ut in Christi militia præeant, & quia se ipsos norunt regere, & alios regant. DEBENT ergo monachi perfectioris vitæ merito cum opportunitate regnum Dei in populo prædicare, peccatores corripere, pœnitentes suscipere, solvere, & ligare. Debent sedulò altariis deservire, de oblationibus & decimis vivere. Decimæ quidem sunt propriæ pauperum, veri autem pauperes sunt, qui teste evangelio pauperes spiritu fiunt, quod ii plane existunt, qui non solum possessa relinquunt, sed & voluntates suas patribus addicunt. Hoc autem publica professione faciunt cœnobitæ. Debent ergo merito paupertatis veræ & proprii abjectione de oblationibus & decimis veri pauperes Christi vivere. Ipsi enim [a] more Apostolico pauperibus & peregrinis sua norunt erogare, non canibus alendis & accipitribus, nec in his quæ erubesco dicere censent disperdere bona Ecclesiæ. QUIA ERGO ad peragenda in populo Dei officia ecclesiastica idonei sunt monachi, nemo præjudicet eis. Ipsi enim & de clero sunt, & canonicè vivunt; licet pro sui nominis prærogativa & sacri habitus reverentia sese arctiùs contrahant & in claustris cœnobialibus silentia teneant, patribusque suis spiritualibus seduli pareant. [Alia quidem est lex cœnobitarum, alia anachoritarum. Hi patribus obediunt, propria nolunt; illi suo arbitrio vivunt, propria colligunt, unde & decimas & oblationes altario deferunt. Utrosque scriptura commendat, utrisque vivendi leges assignat. Sed hoc ad differentiam diximus qui de cœnobitis intendimus.] Hi sunt qui cum apostolo dicunt: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* [Unde & seipsos abnegantes voluntates suas non sibi sed patribus credunt,] & vocanti sponso ut ad aperiendum ei exeant, humiliter excusant dicentes: *Lavi pedes meos. Quomodo inquinabo eos? Exui me tunica mea. Quomodo induar illa?* Hæc de ordinis dignitate sufficiat monastici prælibasse; de quo piè te commoneo ne ultrà sacro ordini detrahas, ne clericos monachis, ne monachos clericis temerarie præferas, quos eadem fides, eadem gratia in Christo sociat, quorum diversus est habitus, sed unus in eis est Christus. Diversa membra in uno corpore non eumdem habent actum, sed eumdem habent Spiritum; pro quo uno diversa illa dicimus corpus unum. Fideles itaque in quocumque genere, in quacumque professione debemus diligere, venerari, & colere; non quia diversi sunt, sed quia unum sunt. [b] Noli dicere, in his vel in illis est Christus, ne sis Donatista novus. Unus in omnibus diligatur Christus; & cùm diligas omnes, vitia non ames; quæ sic in aliis, quæso, redarguas, ut tua primùm rejicias. Ipse ego dum monachi ordinem prædico, ejus tamen vitia non defendo qui videri monachus appetit, sed esse negligit. QUEM enim video [c] vagabundum discurrere, abjecto pudore munuscula quærere, honores ambire, mendacia spargere, garrulum, turpis famæ, hunc tantò altiùs doleo cecidisse quantò sanctiori præditus fuerat ordine. Ejus quippe crimina sic abhorremus, ut tamen monastico ordini minimè derogemus. Sic gladium tyrannicè secantem reprimamus, ut regiam dignitatem non evertamus. Sic adulteria puniamus, ut conjugia non damnemus. Sic ab oculo maculam tollamus, ut visus aciem non extinguamus. Sic itaque fratrum vitia prosequamur, ut caritatem minimè solvamus, qua omnes unum in Christo esse debemus. Caritate namque si vivimus, sola vivimus: quam si habemus Deum non quantum nos, sed plusquàm nos; proximum verò nec plusquàm nos, nec quantum, sed tamquam nos amamus. Scriptum est enim: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum tamquam te ipsum.* Amas quidem te si caritatem habes ad amandum Deum, alioquin non amas ex toto Deum, si te ipsum non amas ad amandum Deum. Dilectio enim tua debetur proximo, non quidem tota, sed dimidiata. Hoc enim quod dicitur *tamquam* significat similitudinem, non exprimit quantitatem. EST SANE tamquam se ipsum diligere proximum quod est se & proximum amare ad amandum Deum. Si igitur ad hoc diligis proximum, servasti mandatum, licet majori affectu diligas te ipsum, seu majori effectu cures te ipsum. Qui enim jussit de duabus tunicis vel de duabus escis egeno impertiri, de una tacuit. Scias etiam quòd in utroque testamento de dilectione proximi Dominus præceptum dedit. Quapropter omnibus affectum dilectionis debemus: quem si alicui subtrahimus, præceptum Domini transgredimur. Sed effectum licet aliquando subtrahere. Inde est quòd in veteri testamento permissum est odire inimicos, non quidem per affectum, ne fiat contra mandatum, sed subtrahendo effectum. Secundùm hoc non intrabant ad gentes præputium habentes. HOC ETIAM ad rigorem justitiæ sæpe fit in Ecclesia, non odii perversitate, sed caritatis dispensatione. Aliquando enim Ecclesia quos diligit ab officio suspendit, aliquando quos amat excommunicat. Hoc ipse Dominus agendum ostendit, qui flagellat omnem filium quem [d] recipit; mortificat ut vivificet, percutit ut sanet, humiliat ut exaltet: qui quoniam cari-

Marginalia: Clericalis ordo professione monastica non deponitur, sed cumulatur. — Decimæ rectè dantur monachis. — 1. Cor. 10. 22. — Cant. 5. 3. — Caritas erga Deum & proximum qualis esse debeat. — Luc. 10. 27.

[a] *Al.* traditione apostolica. [b] *Al.* Nolo te dicere. [c] *Colb.* vagantem. [d] *Colb.* diligit.

A tate facit, omnia bene facit. Quisquis autem indigentibus de [rebus] suis caritatem exhibet, sicut, si [a] indigeret, sibi à proximo exhiberi vellet, servat utique mandatum Domini quod in utroque testamento præcipit. Si autem pro salute proximi animam ponit, non tam mandatum auctoris quàm auctorem mandati dinoscitur imitari. Illa est inceptiva, qua de rebus suis servit egentibus; hæc est perfecta, qua pro salute proximi anima ponitur. Sed propter Deum non diligitur proximus nisi priùs diligatur Deus.

V. INT. Visne auctoritati contraire qua dicitur: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* (1. Joan. 3. 20.) B Dilectio ergo proximi prior est dilectione Dei.

(Quæ dilectio prior, Dei an proximi.) RESP. In exhibitione quidem operis præcedit dilectio proximi, cui Deus servire mandavit; sed nisi priùs auctor mandati diligatur, mandatum ejus nulla caritate servatur. Scriptum est enim: *Qui dicit se Deum diligere, & mandata ejus non custodit, mendax est.* (1. Joan. 2. 4.) Quare qui non servat mandatum, non amat mandatorem Deum. Dilectio itaque Dei causa est sequentis. Sequitur enim dilectio proximi ex amore Dei. Sed quia amor Dei non agnoscitur nisi amore proximi monstretur, præcedit ista affectu exteriori, præcedit illa affectu C interiori. Præcedit ergo dilectio Dei pietate mentis, sequitur dilectio proximi studio operis. Sed scire te convenit quia non duæ, sed una caritas est mentis, quæ Deum & proximum diligit. Incipit à Deo, nutritur in proximo. In electis habet initium caritas in tempore, in eisdem perficitur in æternitate. Qui autem jam in æternitate eam adepti sunt, cum Christo beati sunt. Sic enim ait: *Ubi ego sum, illic & minister meus erit.* (Joan. 12. 26.) Hoc desiderabat Apostolus dicens: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* (Phil. 1. 23.) Quos itaque per vitæ meritum perfectos ad Deum migrasse cognoscimus, hos cum Christo regnare, hos in Christo posse omnia cre- D dimus. Pro his non oramus; immo ut pro nobis orent, nobisque subveniant, eos humiliter petimus, qui eorum impensa petentibus beneficia sub eodem tempore per diversa terrarum spatia cernimus.

VI. INT. Quid dicis? Numquid invocantibus nobis per tam diversa terrarum spatia disjunctis sub eodem momento præsentes sunt? Quomodo hoc possunt qui ubique non sunt?

RESP. Verum est [b] planè, quia Deus solus essentialiter est ubique. Sancti verò, qui (Sancti qua ratione audiant se invocantes.) in summa pace in ipso vivunt, & nobis cari- E tate non desunt, sua quidem essentia ubique non sunt; sed hoc constat manifestum, quia eorum beneficia sub eodem tempore per diversa terrarum spatia fidelibus adsunt. Possunt quidem hæc fieri ministrantibus angelis, ita ut ipsi in persona sanctorum appareant hominibus, & vice sanctorum humanis adsint necessitatibus. Quid miraris? In persona quidem Domini angelos legimus apparuisse patribus; qui & vice Domini loquebantur, & vice Domini adorabantur. Nescis quia spiritus illi angelici sunt administratorii, operante summo opifice, in ministerium sanctorum missi? Nescis quia Petro de carcere venienti & ad ostium pulsanti puella occurrit, & tamen præ nimio gaudio, cùm ei non aperiret, intro recucurrit, dicens Petrum adesse pro foribus, responsumque est ei quia Petrus non est, sed angelus Petri est? Pro hujusmodi scriptura dicit: *Angeli eorum semper vident faciem patris.* [c] (Matth. 18. 10.) At vero si sanctorum gloriam attentiùs pensas, citiùs invenies quod quærebas. Johannes quidem dicit: *Similes Deo erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* (1. Joan. 3. 2.) Videntes itaque Videntem omnia quid non videbunt? Scientes Scientem omnia, quid ignorabunt? Similes Omnipotenti, quid non poterunt? *Similes*, inquit, *ei erimus*. Scimus planè quia sicut miser aut egens est omnis qui quod vult non potest, sic beatus ac sufficiens est quisquis ea quæ bene vult omnia potest. Sed sanctos, de quibus agimus, jam beatos mater Ecclesia confitetur. Quæcumque ergo volunt, omnia possunt. Scimus etiam quia omnis eorum voluntas, Deo penitùs [d] conformata, tota est caritas: quæ sicut in Deo omnia novit, sic adest ubi voluerit. Habet enim de ejus similitudine supra nostræ modum naturæ quòd ejus scientiam nihil lateat, ejus potentiam nihil impediat. Quia ergo possunt omnia quæ volunt, summa celeritate ubi volunt ibi sunt; nec movendo se Deum deserunt, sed intra ipsum currunt quem semper amando conspiciunt. Moventur itaque dum non sunt ubique, moti caritate, non necessitate; & semper stant, quia semper amant. Meritò ergo Ecclesia ubique terrarum diffusa ad eos suis in necessitatibus clamat, cùm se ubique ab eis audiri cognoscat, & eos sibi adesse patrocinando sentiat: quos dum veneratur & amat, in sanctis sanctum qui sanctos fecit honorat & colit & prædicat, & ad eorum pacem spe certa suspirat, cum quibus suam glorificationem corporum in resurrectione communi exspectat, sicut Apostolus clamat: *Salvatorem expectamus Dominum Jesum-Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (Phil. 3. 20.) Qui enim expectatus est ut in præsenti redimeret, expectatur in futuro, ut quos redemit glorificet: quos sicut unde voluit creare potuit, sic ubicumque positos seu dispersos in fine mundi suorum ad vitam cineres suscitabit. Pro spe ista patres antiqui diligenti cura parabant sibi sepulchra, ut per hoc sua testarentur corpora de morte ad vitam surrectura, & mandabant posteris ut sua in sanctorum tumulis humarent corpora, quatinus eis jungantur in resurrectione quos imitati sunt fide. Hinc est quòd mater Ecclesia suis parat fidelibus defunctis sacra cimiteria, inter quos eorum maximè sanctas veneratur reliquias, quibus tamquam organis in vita præsenti Spiritus-sanctus uti voluit. PRÆCIPUE tamen ibi suos sepelit mortuos ubi

[a] *Colb.* indigeat. [b] *Colb.* carissime. [c] *Colb. addit* mei [d] *Colb.* confirmata.

ubi cœtus fidelium die noctuque divinum celebrat officium; ut speciali memoria sibi commissos commendent Domino & salutaribus remediis solvant à pœnis. Inde sunt statuta in sanctis conventibus officia, quæ more catholico universa tenet Ecclesia. [a] Hæc inter pressuras mundi suos tam viventes quàm defunctos crebris juvat remediis, quos omnes simul recipiet in resurrectione generali. Hinc beatus Job dicit: *Scio quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sim, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum; quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Hanc in præsenti spem portat in sinu suo mater Ecclesia; & dum sperat æterna, jam incipit per caritatem vivere. Unde una est cum illa cœlesti quæ jam beata est caritatis æternitate. Nos igitur, quia sumus in invicem membra in uno corpore matris nostræ, quæ est Ecclesia, caveamus divisionem, ne lædamus matrem. Maneamus in caritate, ut vivamus cum matre, [b] servientes Domino, qui etiam de mammona iniquitatis facere jubet amicos.

(a) Job. 19. 25.

VII. INT. Quid? An Deus iniquus est qui de iniquo facere amicos jubet?

RESP. Nec iniquus est Deus, nec exigit ut de iniquo, id est, de rapina, munus ei offeratur, seu pauperibus suis serviatur; sed hoc requirit quod præcepit ubi ait: *Honora Dominum Deum tuum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus.* De tuis, inquit non de alienis; nec omnes fruges exigit, sed de primitiis frugum. Jubet equidem Dominus facere amicos de mammona, id est, de divitiis, quas dicit iniquitatis, si superfluis. Superfluis, id est, ultrà quàm necesse est habitis: QUÆ SI absque necessitate aliqua retinentur, iniquæ reputantur. De his jubet Dominus ne aut superstitiosè aut sub avaritia congregentur, sed ut de superabundantibus amicos nobis utiliter præparemus. Quod equidem facimus dum eas caritatis manu potenti porrigimus, dum eas egenis pro Domino præsentamus, & de his omnibus largitori bonorum omnium gratias agimus, in quo omnes uno beatitudinis denario lætabimur.

Prov. 3. 9. — Superflua pauperibus eroganda.

VIII. INT. Evangelio referente novimus quia in fine laboris venerunt operarii ad suscipiendam mercedem operis. *Venientes autem primi arbitrati sunt quòd plus essent accepturi, & accipientes murmurabant adversus patrem familias.* Et cetera quæ sequuntur. Hæc ut nosti, de remuneratione omnium simul in fine sæculorum præscripta sunt. Sed quomodo, ut dixisti, caritas in fine erit una omnibus, & uno omnes beatitudinis denario lætabimur, ubi quorumdam murmur esse adversùs patrem familias propalatur? Quomodo concordant qui de aliorum bono murmurant?

Matth. 20. 10.

RESP. Scias quia post completionem operum ad susceptionem in fine præmiorum nemo intrans murmurat, nemo murmurans intrat. Sed in hac evangelicæ sententia veritatis videtur mihi divina potissimum justitia commendari. Humana siquidem justitia de opere judicat, attendit merita, & pro debitis præmium repensat. Divina verò justitia humanam superexcedit, dum ingratis & immeritis, quandoque etiam inimicis, sua misericorditer bona refundit. Dum igitur injustos & perditos per gratiam reparat, è contrà siquidem humana pro sui more judicii justitia pensat. Unde rectè dicitur quia murmurat, dum suis legibus divinam minimè coartat, sed eam supra se infinitè sublimem mirando non considerat, quæ prout vult omnia operatur, & liberè bona largitur. His etiam qui parum aut nihil meruerant, aut etiam damnanda egerant, divina munificentia donat uberiùs, quæ suis magis debita meritis humana justitia causatur. Pro divina sanè justitia Paulus dicebat: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Hinc est quòd Dominus respondit murmuranti. *An non licet mihi quod volo facere?* Hinc Apostolus: *Cui vult*, inquit, *miseretur, quem vult indurat.* Et Dominus: *Miserebor*, inquit, *cui voluero*: Quòd autem dicit, *Tolle quod tuum est & vade*, satis indicat quia murmur illud non est damnabile. Est enim consideratio humanæ tantùm miseriæ. Alioquin nihil acciperet, nec intrare sed repelli deberet, si contra Deum murmurando sentiret. Nec ei Dominus dicit: *Oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Quod quidem damnabile esset. Sed quærendo dicitur: *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Hunc intelligimus oculum humanæ rationis judicium; quem sub hac quæstione vult reddere cautum, ne impiè sentiat esse superius bonum. Graviter sanè peccat qui opera Domini semper justa non amat, Sed graviùs delinquit qui ea pertinaciter odit. Non amat quidem qui negligit. Odit planè qui detrahit. Est igitur negligentia malum, detractio perniciosum. Jonathas ille Saulis regis filius, sed David dilectus, interdictum regis ignorando non tenuit, maledictionem patris nesciens incurrit: qua rescita, suam humiliter ignorantiam non prætendit, sed detrahendo dixit: *Turbavit pater meus terram.* Inde factum est quòd Dominus respondere noluit cùm Saul eum consuleret an Philistæum persequi deberet. Dum igitur causa cur hoc acciderit quæreretur, Jonathas deprehensus in culpa legitur. Requisitus autem quid egerit, inventum est quia patris interdictum solverat dum comedit: qui nimirum peccavit, & in eo quòd confiteri noluit, se videlicet per ignorantiam deliquisse, & in eo quòd adjecit regi detrahere. PRÆLATORUM itaque præcepta, sicut bene nosti, debita sunt susceptione servanda: quæ etiam si ignoranter fuerint transgressa, humili satisfactione sunt honoranda, nulla subditorum temeritate mordenda. Humilitas namque meretur ascensum, superbia casum, obedientia præmium, contemptus supplicium. Quapropter humiliati ad Do-

Rom. 5. 15. — Matth. 20. 15. — Rom. 9. 18. — Matth. 20. 14. — Ibid. 15. — 1. Reg. 14. 29. — Prælatorum præcepta ut habenda.

[a] Colb. quæ.

[b] Hic incipit liber sextus in codice Colbertino.

minum resurgamus, & obedientes Ecclesiæ mandata servemus; cum qua tunc beatè vivemus, cùm Deus erit omnia in omnibus.

IX. INT. Quid? Fietne Deus omnia? Quæ omnia? Cùm omnia dicimus, lingua & lapides & omnem creaturam tam spiritalem quam corpoream cogitare solemus. Erit ergo Deus in lapide lapis, seu quodlibet aliud, si omnia in omnibus.

RESP. Quàm præceps vadis, tam inconsultè concludis. Quis adeo desipit, ut pro sensu tuo dicat Dominum omnia fieri? Deus equidem omnia facit, non ipse fit. Nescis quia omnis creatura de nihilo est, & pro conditione sua mutabilitati obnoxia est? Creatura ergo omnis, quantum in se ipsa est, id quod est non est, quia mutabilis est. Creator verò, quia id ipsum quod est, sine initio & sine fine, sine omni mutabilitate in seipso est, id quod est verè & incommutabiliter est; de quo testatur evangelium quia *omnia per ipsum facta sunt.* Sed quæ facta sunt, per se nullo modo subsistunt. Ea propter cùm dixisset, *Omnia per ipsum facta sunt*, rectè subjecit, *& sine ipso factum est nihil.* Quod sic video distinguendum. Et factum est nihil sine ipso. Quia sicut nec fieri sine ipso, sic nec factum potest subsistere sine ipso. Non enim creavit illud Deus de aliquo, sed de ne ullo, sed de nihilo. Quare quod factum est, in se ipso nihil est. Creatura itaque ideo tantùm est, quia à Deo condita est. Creator nimirum adeo verè est quòd creatura quæ ex ipso est, & per ipsum manet quod est, quamvis de nihilo sit, tamen in ipso etiam vita est, teste Evangelista: *Quod factum est*, inquit, *in ipso vita erat.* Hoc animadverte sic dictum, ut causam intelligas per effectum. Causa est ars illa, vel sapientia conditoris, qua omnia facit. Effectus est omne quod condidit. Ars illa, seu sapientia, in Deo perpetua & immutabilis vivit. Effectus, id est creatura, & incipit & in se ipso mutabilis consistit. Omne ergo quod factum est, in se ipso utique nihil est; sed in Deo est quicquid est, in quo ejus esse est. Hoc sanè in vita mortali vix patet alicui, in æterna autem omnibus manifestum erit. Unde rectè dicitur: *Erit Deus omnia in omnibus.* Providè quidem non *est* sed *erit* dicere voluit, quia tunc liquido patebit quòd esse omnium rerum Deus existit. Sed & hoc dicere possumus; quia quàm maximè sanctis promittitur quòd Deus erit omnia in omnibus. Secundùm hoc intelligimus *in omnibus* dici, hoc est, in omnibus sanctis, in quibus tunc omnia erit, ipsisque invicem sese videntibus patebit, quia nihil aliud præter Deum erit in desideriis eorum: qui dum in præsentis vitæ versarentur miseria, multa ex debilitate & ignorantia suis doluerunt voluntatibus interserta. Unde ad Deum cotidie clamat Ecclesia: *Dimitte nobis debita nostra*: quæ tandem erunt nulla cùm perventum fuerit ad æterna. Illis itaque tunc exclusis, erit solummodo Deus omnia in omnibus sanctorum voluntatibus. Una

Joan. 1. 3.
Joan. 1. 3.
Matth. 6. 12.

A enim in eis caritas, quæ Deus est, manifesta videbitur & singulariter diligetur. Ibi ergo per unitatem caritatis bona singulorum erunt omnia omnium. Sed dum hoc intuendo pensamus, omnia dicere possumus de collatis nobis à Deo virtutibus. In præsenti quidem Deum sicuti est minimè videmus, sed eum fide quærimus, sed ad eum spe ascendimus, sed eum caritate contingimus, & participando in eum proficimus. Sicut enim humanus oculus per se solum non potest videre nisi alieno illustratus lumine, quod nec adauget cùm aspicit, nec cùm se avertit minuit; sic rationalis anima B seu mens angelica cùm à Deo accipit ut sit sancta, participando fit sancta; cùm ab eo recedit, remanet mala; bonitas autem, quæ Deus est remanet integra. Te accedente non augetur, te recedente non minuitur. Quòd itaque es pius, castus, verax, justus, sanctus, & si quid hujusmodi, non id essentialiter existis, sed participando efficeris. Quòd autem Deus est pius, castus, verax, justus, sanctus, non participando accipit, sed hoc essentialiter existit. Hoc in evangelio Veritas attestatur dicens: *Nemo* C *bonus nisi solus Deus.* Pietas ergo & castitas & veritas, justitia quoque, & sanctitas, & quæcumque virtus hujusmodi nominatur, essentialiter unum in Deo, immo Deus esse dinoscitur; quo dum plurimi participantur, pro diversis effectibus quos in eis quàm multos operatur, illud unum ut multa dicitur, plurimisque nominibus assignatur. Paulus quippe dicit: *Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus.* Enumeratisque aliquibus gratiarum effectibus, *Hæc autem*, inquit, *omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*: Dat enim Deus servis suis [a] munerum largitatem, unicuique secundùm propriam virtutem. Sunt certè pro sua omnes na- D tura donorum Dei capaces, sunt alii aliis capaciores; sunt omnes, nisi [b] suscipiant, inexcusabiles; suntque pariter tam nolentes quàm volentes, ejus voluntati servientes qui potenter in omnibus potest. Ipse est enim bonum omnipotens & summum, unum & omne omnium. Eo ergo quisquis participat, bonus est; qui ab eo avertitur, bonus non est. [c] Unum manens in essentia in his qui eo participant, agit diversa. In eodem nimirum corpore omnia membra non eumdem actum habent, sed spiritum eumdem in diversis illis diversa agentem, ut in oculo visum, in aure auditum, in E nare odoratum, in palato gustum, in manibus tactum. Unus equidem spiritus movet ista, in eis agens diversa, sed idem in essentia. Sic illa summa bonitas, quæ Deus est, unum se participantibus præbet, quos diversis charismatum muneribus replet. Multa sunt in nobis ejus charismata, dum in parte sumus. Erit unum in nobis tantùm cùm ad perfectum venerimus. Hinc Paulus ait: *Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Hoc in illa nobis vita servatum est in qua

Marc. 10. 18.
1. Cor. 12. 4.
Ibid. 11.
[a]
(b)
[c]
1. Cor. 13. 10.

[a] *Colb.* suorum munerum. [b] *Colb.* desipiant. [c] *Colb.* unde.

videbimus eum sicuti est. Ibi quippe manifestabitur quia Deus fuit & est & erit omnia bona in omnibus. Hoc apertè videbit caritas, quæ tunc erit in omnibus una, & singulis sese invicem perfectè videntibus & diligentibus manifesta, & Deo penitùs conformata, sicut Creatori creatura, in unitate perfecta. Per omnia sæcula. Amen.

Explicit liber sextus.

[a] EPISTOLA HUGONIS RADINGENSIS Abbatis.

CArissimo suo Domino Mathæo frater Hugo abbas Radingensis monasterii indignus sanum sapere & recta docere. Illum quem voluisti nostrum tibi retinere libellum audivi tua voluntate, non nostra concessione, passim expositum, & ut ipse testaris, gratanter acceptum; excepto quòd non bene suscipiunt illud de sacerdote deposito vel excommunicato ibidem ita dictum. Lib. 5. *Quem itaque Christus per Ecclesiam deponendo vel excommunicando destituit ab officio, si in sacramentis altaris ministrare præsumit, qui jam minister non est, nihil facit. Sic enim ea Deus agenda instituit, ut nonnisi per ministrum valeant fieri. Quare qui minister non est, in sacramento altaris nihil facit.* In hac sententia videtur rectè dictum non tam nostris quàm quibuscumque huc usque catholicis quia agens in sacramento altaris, qui minister non est, nihil facit. A patribus nempe traditum legimus & ratum tenemus quia spiritus gratiarum non sequitur personam digni aut maligni, sed ordinem traditionis; ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen consecrare possit nisi ordinatus fuerit ut ministri exhibeat officium, Dei verò est tribuere consecrationis seu benedictionis effectum. Quapropter non temerè fuerat arguendum quod ibi Ecclesia teste catholica constat positum. Hoc potiùs videbatur à dubitante quærendum, utrum quem semel posuit Ecclesia ministrum ad agendum aliquod sacramentum, ipsa possit culpa promerente aliquem deponere vel excommunicare, ita ut in sacramentis nequeat agere quod ante potuit. Ad hæc respondendendum fuit, quia vivus & præpotens est sermo Domini, qui clavi Ecclesiæ quam sancivit ita dicit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Ex hoc apostolica sedes & ubique terrarum catholici doctores, ut scripta testantur antiqua, prædicare solent, quia tam sacerdotes quàm in clericali ordine ministri quilibet tempore depositionis vel excommunicationis suæ gratiam semel acceptam quidem retinent, sed officio carent. Addunt etiam quia qui in sacramentis altaris seu sacramentorum officiis consecrare præsumunt, qui ministri non sunt, nihil utique faciunt.

A Beatus sanè Papa Innocentius ex apostolicæ sedis assensu scripsit quòd quidam Nezelon ab hæreticis ordinatus; quia nihil habuit, dare ei nil potuit cui manus imposuit. Hic equidem si à ministris, licet indignis, non tamen depositis vel excommunicatis ordinatus fuisset, & ipse, quantumcumque indignus, si minister existeret, ex officio utique conferret cui manus ritè imponeret. Da ministrum quantumcumque indignum, da ministrum, fatemur eum habere officium. Aliud est loqui de sacramento, aliud de officio. Officium enim sacerdotale quàm multis interdicitur, sed eis B sacramentum non aufertur. Inde fit quòd cùm Ecclesiæ placet ut eos aliquando revocet, revocatos absolvit & reconciliat, non quidem reordinat. Aliud est etiam dicere de officiali malo, quia non bene ministrat; qui tamen dum minister est, quantumcumque malus, utique ministrat. Aliud est ipsum ab officio deponere, ne ministerium faciat. An ignoramus quia sacramenta alia sunt necessaria, alia officialia. Baptismus quippe necessarius est omnibus. Sacerdotalis verò seu clericalis quælibet dignitas ad officium traditur aliquibus. Baptizati opus nulli interdicitur, nec enim C ab opere Christiano baptizatus quispiam suspenditur; quin potiùs, si inde aberraverit, multis modis revocatur. Sacerdotale verò officium seu clericale plurimis quàm sæpe pro culpa reciditur, & ab eo nonnulli crebriùs deponuntur. Illo omnes in Christo vivunt, isto Ecclesia jubente aliqui serviunt. Illud Ecclesiæ domum ædificat, istud ædificatam dispensat. Dispensatio ista & à quolibet agitur, sed ab officiali per Ecclesiam posito ministratur. Quòd si per Ecclesiam ab officio deponitur, manet sacramentum semel impositum, sed, sicut in nostro legisti opusculo, manet ad D judicium, non ad officium. Sic & Christiano cuilibet excommunicato manet baptismi sacramentum, non ad remedium, sed ad judicium, non ad salutem, sed ad condemnationem. *Manet* ideo dicimus quia cùm resipiscit, per Ecclesiam reconciliatur, non rebaptizatur. Si enim sacramentum peccando amitteret, cùm ad Ecclesiam pœnitendo rediret, eum procul dubio rebaptizari oporteret. Sacramenta quippe divina sunt. Unde & habenti ea per hominem auferri non possunt. Manent itaque ministris sacramenta, sed exigente culpa eis sacramentorum sæpe tolluntur officia. E Sciendum autem quia aliud longè est quòd Christianus per excommunicationem ab Ecclesia deponitur, quàm quòd minister aliquis ab officio removetur. Illud enim assiduè gravat, hoc sæpe alleviat. Illud damnat, hoc castigat. Ministro, si indignè agit, utile est quod deponitur. Christiano autem mortiferum est quòd ab Ecclesia separatur. Dum enim ab Ecclesia scinditur, infidelis utique immo infideli deterior judicatur. Dominus qui-

Urbanus II. 1 q. 7. c. 21. Daibertum.

[a] *Hæc epistola in solo exstitit codice Colbertino.*

dem dicit : *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* AB ECCLESIA ergo dissentire, à Christo est cadere. A Christo autem cadere, fidem non habere. Sed qui fide caret, nullum opus bonum habet. Audi Apostolum : *Omne*, inquit, *quod non est ex fide, peccatum est.* Christianus igitur, licèt habeat baptismi sacramentum, dum aberrat à fide, nullum facit bonum. Non omnis itaque habens sacramentum, habet & sacramenti officium. Unde miramur quosdam dicere de excommunicato seu deposito sacerdote, quòd quia retinet semel acceptum ordinationis suæ sacramentum, habeat & dum præsumit in consecrando effectum.

Quapropter quicumque accedit ut alios de sacramentis ministrorum edoceat, in docendo discernens ordinationis sacramentum & ordinati officium, dicat quod sacramentum semel acceptum, in susceptione manet, sed susceptionis officium sæpiùs Ecclesiæ censura removet. Dicat etiam quòd tam vera est Ecclesiæ potestas, cùm ab officio ministrum jure deponit, quàm vera est cùm eum in officio ritè disponit, doceatque quòd schismaticus sit qui Ecclesiæ catholicæ non consentit ; de quo auctoritas ita dicit : *Quod conficit schismaticus, corpus Christi non est.* Et alibi : *Extra catholicam Ecclesiam non est locus veri sacrificii.* Unde & Dominus per Moysen ita præcepit : *In una*, inquit, *domo comedetis eum, & non efferetis de carnibus ejus foras. Et incircumcisus non comedet de eo.* In unitate ergo, non in schismate, sumitur. Nec enim extra catholicam nec ab alienigena obtinetur. Ne ergo credas vaniloquis, ne acquiescas elatis. Crede humilibus & subditis, qui Ecclesiæ matris sacramenta venerando suscipiunt, non equidem disputando, sed auctoritatem institutoris humiliter venerando, ex quo mater Ecclesia potenter solvit & ligat, efficaciam in sacramentis ordinato commendat, aliquando etiam denegat potestate rata, non verbositate frivola. Non erit autem una prudentia vel potentia : quia si essent efficacia quæ à schismaticis vel à depositis fiunt consecrationum officia, infinitos haberet hodie præsules unaquæque sedes & quàm multos Roma summos pontifices, qui confusione horribili & ligatos ab aliis solverent & solutos indebitè ligarent. Sic sic, si bene perpendis, & rata cassarentur, & irrita præferrentur. Sic nulla de gestis ecclesiasticis essent certa, sed quæque frivola ; & ut verum fatear, nihil omnino esset Ecclesia. Sed de his hactenus nos equidem ista sub brevitate tibi rescribimus, qui facta matris Ecclesiæ non frivola, sed rata tenemus, qui sanctorum auctoritates patrum quàm nostra sensa sequi maluimus, qui vos in Christo diligimus, & à vobis amari volumus. Unde & scripta vestra læti suscipimus, & vobis nostra dirigimus & emendanda committimus. Amen.

Exod. 12. 46.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

1. MAter virtutum caritas, ubique magnifica, nusquam est solitaria, numquam otiosa. Hæc suis contenta, cunctis benevola, nec rapit aliena, nec vult habere privata. Hæc in ea domo perenniter regnat, quam sapientia columnis gratiæ septiformis exaltat, quam luminis æterni splendore clarificat, & bonis operibus plenè perornat. Ejus bona omnia felix concordia servat, dives benevolentia dispensat, divina gratia copiosè ministrat : quo magis erogata, eò potius fiunt augmentata. Hæc semper nova, semper integra, novos parit filios, omnesque liberos, simul ingenuos, moribus insignes, viribus præcellentes. Hos enim humilitas nutrit, patientia provehit, obedientia regit. Horum militia vitiis infesta, sumit arma victoriæ de manu Sapientiæ. Constanter ad bella procedit, quam ordinis virtus invicta custodit. Ibi prudentia consulit, justitia decernit, fortitudo peragit, temperantia componit. His ita procedentibus è contra vitiorum tumultus præcipiti saltu, vario strepitu, effuso milite proruit, temerarium certamen assumit. Hunc enim sua imprudentia resolvit, injustitia dejicit, debilitas frangit, intemperantia perdit. Talibus illico prostratis & perditis, chorus virtutum præcedenti fidei vexillo triumphator incedit, spei firmitate validior universa transcendit, mox ad matris suæ, scilicet caritatis, gaudia pertingens, summæ Trinitatis essentiam jugiter intuendo conquiescit. Ibi nec visio corporea mutabilitate socia decipit, nec spiritualis imaginatio variè concepta pro voluntate congesta fallit, sed pura mentis intelligentia stabilis & certa à veris ad ipsam veritatem perducta idipsum aspicit. O idipsum, unum, & omne bonum omnium ! Vides tu, videt oculus quem illuminasti, oculus caritatis, quia in te sunt omnia, nec dilataris tu in omnibus, nec coarctaris. Tu sine omnibus, nec minoraris : in te simul omnia sine compoto numerat, te in omnibus sine termino mensurat, te sine omnibus tibi sufficientem & summum sine pari ponderat, unum in Trinitate, trinum in unitate. Unum utique non sumtum ab unitate, trinum quoque non sumtum à Trinitate, sed unum prorsus idem quod unitas, trinum omnino quod Trinitas. Unitas quæ numerum minimè inchoat, Trinitas quæ numerum minimè præsentat. Unitas quæ terminum nescit, Trinitas quæ nulla mensura discernitur. Unitas quæ nullo pondere trahitur, Trinitas quæ nulla lance pensatur. Non igitur numero, non mensura, non pondere minus habet unitas Trinitate, nec magis obtinet Trinitas unitate. O Jerusalem cælestis ! ô domus caritatis, civitas luminis, plena beatitudinis ! Tu simul omnia in Deo sine tempore prospicis, tu Deum in omnibus sine motu miraris, tu Deum sine omnibus in se solo plenum & per-

Caritatis elogium.

Unitas & Trinitas in Deo qualis.

fectum sine modo diligis. Hæc videre, hæc nosse cælestis curiæ civibus ineffabili bonitate donatum. Hæc nobis credentibus adhuc minus, & in tempore versantibus, per fidem desiderare misericorditer concessum. O Deus! & quid dico Deus? Deus, te dico fide, nondum visione. Mirabile dictu! de te tacere non possumus, & te dicere non valemus. Nondum enim te videmus; sed tuo munere, tua piissima gratia jam in te credimus unum & fideliter loquimur. Te Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, non tres Deos, sed unum confitemur, adoramus, & sequimur. Unum non quomodocumque unum; nam & multa, quia simul collecta dicimus unum, non tamen simpliciter unum; sed te quidem unum in Trinitate, trinum in unitate; non collectum unitate, nec divisum Trinitate.

11. INT. Mira quæ dicis libenter audio; sed ad hæc si ratione vel auctoritate me pertrahis, libentiùs sequor.

RESP. In præsenti, carissime, ad credendam simplicem unius Deitatis ratam Trinitatem adeo firma ratione procedimus, quòd utique, si bene perpendimus, in omnibus creatis creatricis vestigium Trinitatis liquidò cognoscamus. Hinc Apostolus ait: *Invisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus ejus & divinitas.* Verba ista sic distinguimus: Invisibilia ipsius & sempiterna virtus ejus & divinitas conspiciuntur à creatura mundi intellecta per ea quæ facta sunt. Quæ proposuimus verba Apostoli videamus. *Invisibilia* Patrem, *virtus* Filium; *divinitas* Spiritum sanctum insinuant nobis, prout donat intelligi qui clavem scientiæ gerit. Pater quidem à nullo est, sed quidquid est ab eo esse habet. Unde quia à nullo est, à nullo ut sit visus est. Rectè ergo dicitur quia invisibilis est. Ex ipso nempe sunt omnia, tam ei coëssentialia & coæterna, quàm de nihilo creata & temporalia. Coëssentialia & coæterna Filius & Spiritus-sanctus: De nihilo creata & temporalia, res condita & omnis ejus proprietas. *Sempiterna virtus* propriè dicitur Filius. *Christum*, inquit Apostolus, *Dei virtutem & Dei sapientiam.* Christus est Dei sapientia, quam Deus Pater non aliunde accepit, sed ex seipso sine initio perfectam gignit, per quam immutabiliter simul omnia disponit; per quam de nihilo causaliter, materialiter, naturaliter simul omnia fecit; per quam visibiliter, actualiter, temporaliter singula proponit, & immotus mutabilia regit. Ipse est virtus Dei, quâ sicut de nihilo facta, sic ne in nihilum redeant, tenentur omnia, nullo enim tempore nulla qualicumque varietate in nihilum valent redire, non quidem pro se, sed pro conditore in singulis essentialiter persistente. Si conditoris essentiam vales à conditis removere, & condita de nihilo valent in nihilum deficere. Sicut autem sine nobis conditi sumus, sic & sine nobis à conditore tenemur. *Divinitas* est Spiritus-sanctus, qui ideo rectè divinitas dicitur. Cùm enim

Rom. 1. 20

Apostoli locus ad Rom. 1. de Trinitatis mysterio explicatur.

A causa quæritur cur Deus omnia fecit, quare facta sic ordinat & regit, respondetur quia Deus non eguit, nec eget, nec egebit; sed sola caritate; non nova voluntate omnia fecit, hoc singulare & divinum sibi retinuit. Cùm enim creatura aliquid facit, causa agendorum ejus indigentia occurrit, quæ etsi aliquando agere non agenda præsumit, hoc esse sensus inopiam ratio deprehendit. At verò Deus nullo egens, solus sibi sufficiens, in omnibus quæ agit solam habet causam suæ caritatis: quod Propheta intuens profitetur dicens: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Causa ergo illa singulariter admiranda, quâ sine indigentia facit Deus omnia, rectè dicitur divinitas. Hæc enim causa, si dicere libeat, Deo remanet propriè propria. Bene ergo Pater invisibilis, Verbum virtus per quod Pater omnia facit, Spiritus-sanctus est una & eadem Patris & Filii benevolentia, in qua bene facta sunt omnia, & manent bona. Tria hæc apostolica dicit auctoritas, & subjungit *Ipsi gloria.* Non ait ipsis, sed ipsi est gloria, quia in Trinitate permanet unitas. Nos verò qui catholicè verba Apostoli veneramur, nec Trinitatem confundimus, nec unitatem dividimus, quia sic tria ista prædicamus, ut simplicem unitatem teneamus. Ea ergo sine numero numeramus, qui cùm Propheta dicimus: *Et sapientiæ ejus non est numerus.* Ea quoque sine termino mensuramus, & cùm Apostolo proclamamus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Ea etiam sine pondere pensamus, qui cùm Apostolo profitemur: *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Corda itaque nostra teneant, intelligentiæ nostræ cognoscant, quia nec numero, nec mensurâ, nec pondere continetur summum illud quo simul omnia numerantur, quo simul omnia mensurantur, quo simul omnia ponderantur. Si numerari, mensurari, seu ponderari posset; numero, & mensuræ, & ponderi utique subesset; unde nec Deus esset. Quid igitur agimus? Incomprehensibilis est quem quærimus, ineffabilis est quem fari gestimus. POTIUS ergo ignorantiam nostram humiliter fateamur, quàm temerariè nos incognita scire jactemus. Sed si piè in nobis deficimus, tandem Apostoli consilium humiliter requiramus dicentis: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri JESU CHRISTI, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus in interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, & stabilitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ claritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* His excitati sermonibus primùm doleamus quia eum non comprehendimus ad cujus imaginem & similitudinem conditi sumus, & quod impedit

Causa agendi in Deo sola caritas.

Psal. 15. 2.

Ps. 146. 5

Rom. 11. 33.

Phil. 4. 7.

Deus incomprehensibilis

Ephes. 3. 14.

ne comprehendamus, sectando justitiam removeamus, ut cùm Deo unus spiritus efficiamur, quo solo invisibilis Deus videtur, agnoscitur, comprehenditur. O SPIRITUS-SANCTE, illumina nos & trahe, qui es pondus sine onere, caritas sine affectione, novum non novus nobis aspira pondus amoris. Veni ad nos qui non moveris, mane nobiscum qui nusquam & numquàm recedis. Aspira ut sentiamus, veni ut suscipiamus, mane ut diligamus. Sentiamus fide, suscipiamus spe, diligamus caritate, Patrem scilicet qui generat, Filium sibi consubstantialem absque initio & sine fine; Filium quoque à Patre genitum absque separatione & sine tempore; & te, Spiritus-sancte, procedentem ab utroque sine motu & sine divisione. O unitas invariabilis! ô Trinitas inseparabilis! in qua nec generatio ex Patre, nec processio ab utroque Deum multiplicat, unde nec variat. Pater quidem prout novit omnia facit. Ejus nosse est omnia numerare. Filius Patris omnia ordinat quæ temporibus & officiis competentibus assignat, & in eis singula mensurat. Spiritus-sanctus Patris & Filii unus suo omnia pondere ligat. Ea enim ipsi est benivolentia, qua sicut placuit fieri omnia, placet ut maneant facta. Ex ipso namque pendent omnia ut effectus ex causa. O Deus & qui es Deus meus! tuâ quidem notitiâ omnia numeras, tuâ potentiâ omnia mensuras, tuâ caritate omnia ponderas. Hæc Sapiens ille intuens & tibi loquens aiebat: *Omnia in pondere, & mensura, & numero disposuisti.* (Sap. 11. 21.) Sed dicit aliquis: Si omnia in istis, non sunt ista de omnibus illis. Res equidem, quas omnes disposuit Deus, pondera, mensuras, numeros habere novimus; quæ penitus non essent, si res in quibus subsistunt minimè fuissent. Rebus enim quarum sunt & ipsa creata sunt, quapropter & ipsa disposita sunt. De omnibus enim sunt. Res ergo & rerum pondera æquè ponderantur à superiori pondere qui non ponderatur. Res quoque & rerum mensuræ æquè mensurantur à superiori mensura quæ non mensuratur. Res quoque & rerum numeri æquè numerantur à superiori numero qui non numeratur. Notitia quidem Dei omnia numerat, nec numero capitur; sempiterna virtus ejus omnia mensurat, & nullo termino finitur; benivolentia amborum universa ponderat, & nullâ lance trahitur. Tria ista in quibus disposuit Deus omnia coæterna sibi sunt & inseparabilia, unum in essentia, in personis tria, non quomodocumque unum, sed unitas; non quomodocumque tria, sed Trinitas. Unitas, quæ trinitatem non angustat; trinitas, quæ unitatem non multiplicat. In Deo sane numerum, mensuram & pondus absque compoti ratione, absque finium limitatione, absque perpendiculi motione, prout ab ipso suscipimus, innumerabilia mutabiliter, æterna temporaliter, incorporea corporeis vocibus, non tam differere quàm assignare pro modulo nostro potuimus. Nunc autem in creaturis pondera, mensuras, numeros videamus: & hoc primùm in spiritu rationali perquiramus, ut in eo creatricis vestigium Trinitatis agnoscamus. (Trinitatis vestigia in creaturis.) Spiritus sane rationalis videt in Deo supra se, videt posse Deum in se, videt post se in spiritu irrationali sub se, solâ rationali intelligentiâ sine corpore numerum, mensuram, pondus, in Deo supra se, quod ut potuimus, non ut debuimus, timidè perstrinximus. Post, Deum in se, quod nunc eloqui suscipimus, piè meditari, catholicè fari, fideliter imitari, Domino donante, debemus illam summam, simplicem & individuam Trinitatem, quam chorus angelorum ille beatus primam novit, notam elegit, electam tenuit. O vera cognitio! justa electio! felix possessio! Beatus ille spiritus rationalis Deum aspiciens, in ipso omnia sua colligit notitiâ, de quibus omnibus quid agat, quo ea referat, libero rationis arbitrio rectè dijudicat, quæ pro suo judicio pensans amat. Cognitione ergo numerat, judicio mensurat, amore ponderat, quo se & omnia transiens Deum singulariter amat. Hic tractus ponderis, hoc pondus amoris, hic amor caritatis in electis Angelis conservat signaculum similitudinis Dei. O DEUS omni studio quærendus, omni virtute colendus, omni amore tenendus, angelum & hominem, utrumque rationalem condidisti, qui soli inter omnia rectè scire, verè judicare, plene diligere potuerunt, ut erecti supra se ascenderent ad te, non gressu corporis, sed opere virtutis. Tibi quidem inhærere amoris pondere nulla umquam creatura potuit, nisi tractu superni adjuta ponderis, hoc est absque dono Spiritus-sancti, qui nullum deserit nisi qui refugit: Unde Veritas in Evangelio dicit: *Qui autem peccaverit in Spiritum-sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* (Matth. 12. 32.) Hunc Spiritum-sanctum angelus ille refuga noluit, qui bonus à Deo conditus, mox spiritum superbiæ concepit, quo Deum deserens se sibi retinuit. Solùm inflatus, omnino vacuus remansit, & nos seducendo in primo patre dejecit, sed nos seductos miseratio superna respexit. Quæris causam qua Deus peccatores revocat. Eadem est qua Deus omnia de nihilo creat. Superiùs audisti quia Spiritus-sanctus Patris & Filii unus causa est singularis & divina ex qua pendent omnia ut effectus ex causa: quapropter ad eum referenda sunt universa. SINE ISTO quantacumque quis fecerit, sunt omnia mala. (Caritas à Deo enixè petenda.) Quapropter in omnibus quæ agis quære tibi à superiori pondere pondus amoris, id est à Spiritu-sancto donum caritatis. Ora Patrem per Filium in Spiritu-sancto, non dividas gradibus quem unum in essentia confitemur, quem voluntas non variat, nec dividit actus, ora ut tibi caritas detur, quam propriè sanctus adspirat Spiritus, sed tota Trinitas donat cui vult. Summæ quidem Trinitatis indivisa est unitas, inseparabilis efficacia, & dona communia. Ora ut caritatem accipias, qua accepta, cum Apostolo dicis: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-san-* (Rom. 5. 5.)

ctum qui ortus est nobis. HÆC CARITAS à Spiritu-sancto data, quia de sursum est, quicquid per eum egeris, sursum levat. CUPIDITAS verò, quæ falso de infimis nititur oriri, deorsum trahit. Quicquid per eam egeris, totum perdis. Quapropter Spiritum-sanctum humiliter quære, & per eum pœnitentæ remedia suscipe. Quem enim unctio Spiritus non tetigerit, pœnitentiæ remedium non accepit. Hunc mulier illa susceperat, cujus caritatem Evangelium nobis commendat dicens: *Dimissa sunt ei peccata multa quia dilexit multùm.* Scias ergo quia Dei dilectio verè peccatorum est remissio: unde Apostolus Johannes ait: *Qui non diligit manet in morte.* Stipendium enim peccati mors est. Multi quidem ratione sola commoniti, quæ nec aufertur in pœnis, dolent se esse in peccatis, à quibus non exeunt absque remedio caritatis, quam Spiritus-sanctus infundit. Manente olim mala voluntate, quæ sola Spiritui-sancto nititur contraire, non possunt trahi, quia Spiritus-sanctus in malivolam animam non descendit.

Luc. 7. 47. Dilectio Dei peccatorum est remissio. 1. Joan. 3. 14.

III. INT. Quæ dicis vera esse sentio, sed hæc mihi aliquo te probare placeat exemplo.

RESP. Nosti quia primo patri nostro Adam in paradiso adducta sunt animantia, quæ ei Deus cuncta subjecerat. Arbores quoque paradisi, sola una retenta, eidem Deus concesserat. Adam ea omnia pariter agnovit, de agnitis verè judicans sua singulis animantibus nomina designavit, & tentatus à serpente provida mente respondit, ubi mulier ait: *De omni ligno paradisi vescimur: de ligno verò scientiæ boni & mali ne illud tangeremus prohibuit nos Deus, ne fortè moriamur.* Sed ut Trinitatis in hoc memoriam qualemcumque teneamus, vide numerum in cognatione, mensuram in discretione, ruinam ponderis in cupiditate. Non enim traxit eos caritas, sed depressit cupiditas, qua à Deo recesserunt, dum vetita comederunt, & habere indebita præsumserunt. Hi pro sua mala voluntate à Sancto Spiritu minimè tracti sunt, qui culpam suam non solùm non confiteri, sed etiam excusando defendere maluerunt. DEFENSIO enim culpæ interclusio est veniæ. Vide etiam quia primus ille de primis parentibus natus dum sua omnia à Deo sibi data cognovit, rectè de suis largitori Deo proferre decrevit. In rerum cognitione numerum, in oblatione judicium tenuit & ostendit; sed in pondere peccavit, qui caritate vacuus & sua obtulit & non rectè divisit. Non rectè divisit qui sua Deo se peccato per fratricidium ponderavit. Hinc Scriptura dicit: *Si rectè offeras & non rectè dividas, peccasti.* Offert rectè qui sibi à Deo præstita jure largitori omnium satagit repensare. Sed non rectè dividit qui sua offerens se Deo subtrahit. PONDUS amoris indicat quò intendat. Amor ipsum deprimit, vel elevat. Amor bonus est caritas, amor malus cupiditas. Elevat amor bonus, deprimit amor malus. Deprimit, dum non amanda diligit, dum se vel alia quælibet diligens, Deum negligit.

Gen. 3. 2. Trinitatis vestigium. Genes. 4. 7. Pondus amoris quo ferat.

Sed caritas elevat, quæ quos potest ad amandum Deum excitat, negligit propria, bona quærit communia. Pondus amoris totum Deus quærit, totum accipit, divisum respuit. *Diliges*, inquit, *Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Amor itaque Dei totum capit, omne colligit, nulla dimittit, universa trahit. Sine hoc quæcumque tenueris, omnia perdis, teste Veritate quæ dicit: *Qui non colligit mecum, dispergit; & qui non est mecum, contra me est.* TRAHE NOS, Deus, pondere tuo. Leva nos ad te, sancta Trinitas, cum Helia in curru igneo, in Spiritu-sancto. Conformetur tibi nostra quam creasti Trinitas, ut quicquid cognitione numerat, quicquid ratione mensurat, valido caritatis pondere totum pariter omne simul ad te trahat, in te custodiat, & unita tibi beata permaneat tam honore imaginis, quàm similitudine caritatis. Imago etenim tua æternitatem, similitudo tua tenet beatitudinem. Si autem in debiti pondere amoris, te neglecto, quod absit, transitoria quærimus, amissa tuæ beatitudinis similitudine, miseri remanemus; sed pro tua imagine in nobis naturaliter permanente sub æterna miseria perduramus. O beata illa anima, quæ amore debito quærit æterna, quæ summæ Trinitatis similitudinem tenet in gloria! Hæc Johannes Apostolus de pectore Domini hauriens affirmat dicens: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Propheta quoque dicit pro imagine: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Dicit & pro similitudine: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Nimirum in Deo nulla lætatur imago, nisi quam perornat Dei similitudo. Imago est Dei naturà intelligentiæ rationalis imago æternitatis. Similitudo Dei formatur in nobis, in pondere caritatis, in similitudine virtutis. Hanc primus homo perdidit suæ secutus vocem mulieris, non judicium propriæ rationis: & dum diabolo non Deo credidit, cupidus ad indebita declinavit, seque cum sua propagine vitiis atque dæmonibus mancipavit. O misera anima à summis ad ima prolapsa, in regione similitudinis oberrans & devia, nuda & cœca, virtutibus vacua, vitiis sordida, carni subdita, pecorum socia. Hæc Propheta deplorans clamat: *Homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* In honore fuit qui habens in se creatricis vestigium Trinitatis, voluntatem Dei in mandatis agnovit, servandam judicavit, sed amore defecit dum ea quæ Dei sunt Deo præposuit. Unde bene sequitur: *Non intellexit.* Et intellectu perdito factus est animalis jumento similis. De his Paulus ait: *Animalis*, inquit, *homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Inde est quòd primus Adam parens noster, quia de intellectuali factus est animalis, rectè pellibus animalium debuit indui & à superioribus ad ima detrudi. Exinde hominis sapientia peccatis exigentibus ita deperiit, ut more pecorum subditus corporeæ vo-

Luc. 10. 27. Luc. 11. 23. 1. Joan. 3. 2. Ps. 4. 7. Homo per peccatum pecoribus similis factus. Ps. 48. 13. 1. Cor. 2. 14.

luptati, & suæ notitiam perderet trinitatis, qui summam Trinitatem quæ Deus est obliviscens, creaturam impudens adoravit. De talibus ait Apostolus: *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt iu cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Et paulò post: *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula.* Hi à veritatis luce in errorum tenebris prolapsi, à similitudine Dei in similitudinem pecorum versi, pro veste justitiæ pecorum sordibus obvoluti, nec in se nec in aliis recognoscunt creatricis indicia Trinitatis. Sed æterna Sapientia nec talium oblita misericordiam & miserationem induit, carnem sumsit de nostro genere, non culpam de traduce. *Nusquam*, inquit Apostolus, *angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.* Ejus humilitas nos sanavit, qui morte sua nos redemit. Ejus resurrectio nos sanctificavit qui sua ascensione usque ad solium æternæ beatitudinis secum pariter exaltavit, sic etenim dicit: *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.*

Rom. 1. 21. Ibid. 25. Heb. 2. 16. Joan. 12. 32.

IV. INT. Quis est hic humiliatus denuo exaltandus? Ipsum, quæso, ut sequamur, manifesta nobis qui exaltatus omnia ad seipsum trahit.

Quis humiliatus denuo exaltandus.

RESP. Ipse est, carissime, quem Patriarcharum oracula, quem legalis observantiæ mysteria, quem Prophetarum prædixere vaticinia, quem vox angelica, quem de cælo stella præsentem præsentia, illa pastoribus, ista revelavit regibus. Iste est Sapientia Patris, attingens à fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suaviter. Pater quidem, sicut superiùs jam audisti, omnem creaturam cum sua proprietate non alibi, sed apud se sine varietate semper habet nosse, sine compoto semper numerare. Audisti quia Filius Patris, Sapientia scilicet quam ex se non aliunde sine initio perfectam genuit, omnia certis mensurat finibus pro naturæ modis & actionibus. Audisti quia procedens ab utroque Spiritus-sanctus, suo tenet omnia pondere. Est enim causa qua de nihilo per ipsum facta servantur omnia. Ex his autem quæ facta sunt, quædam motu naturali vegetantur, quod in herbis & arboribus solotenùs fixis persæpe miramur. Sunt & naturali & spontaneo motu prædita, ut animalia, quorum corpora & naturaliter crescunt, & variè discurrunt. Sunt homines qui & naturaliter crescunt & spontaneo motu sese agunt, sed rationali intelligentia præcellunt, qua & supra se divina cognoscunt. Cetera quidem ratione carentia sub his quæ ratione præditi sunt remanent subdita. Eò usque ipsorum pertingit natura. Homo quidem, quasi medius inter inferiora & superiora, & Deum audire debet pro suæ rationis intelligentia, & de inferioribus judicare pro mensura sententiæ à Deo sibi prærogatæ, ut de inferioribus sui lege judicii sic disponat, quatenus auctori omnium & ipse bene compositus assiduè placeat. Sed ejus mensura judicii tunc itaque defecit, cùm Deum deserens, cui subesse debuit, cæca mente his quibus prælatus fuerat tam Dei munere quàm jure naturæ subditus remansit, socius pecorum, servus dæmonum. At hanc verò humani judicii mensuram in propria libertate reparatam Dei sapientia quæ est superior mensura, quæ metitur omnia, nobis per assumtum hominem apparuit Deus & homo, non duæ personæ, sed una; duæ naturæ, non una; Deus & homo, unus non duo; inconfusus, indivisus, plenus & perfectus. Servatâ namque utriusque naturæ proprietate, Deus homo factus non desiit Deus esse; homo factus Deus, homo habuit permanere. Ex duabus igitur & in duabus naturis Deus & homo Christus, non natura sed persona unus, non est recens Deus, sed est ab æterno Christus. Natura quidem hominis non persona à Verbo Dei est assumpta, sed persona Verbi & hominis, id est JESU CHRISTI manet omnia, Patri coæterna; non una de dispositis quæ in Deo sunt vita. *Quod factum est*, inquit, *in ipso vita erat*, sed disponens omnia, creans singula, regens universa. Est enim tertia in Trinitate quæ Deus est persona, non tertia in deitate substantia, sed una & eadem cum Patre & Spiritu-sancto manens essentia. Ejus pro nobis humiliatio est humanæ naturæ susceptio, qua factus est redemptor noster & legifer noster. Ipse est mensura superior, qui mensuram nostri judicii quæ defecerat obedientiæ legibus decoravit, cujus formam in semetipso proponens nobis ait: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Qua usque ad mortem completa, victor ab inferis rediens & à morte resurgens, cælos ascendit, unde nobis Sanctum Spiritum copiosius effudit, cujus pondere nos infima membra sibi unita trahit ad supernai. Agnosce ergo & venerare pro nobis humiliatum, prosequere virtutum gressibus eumdem exaltatum, pondere Spiritus-sancti, fune caritatis omnia trahentem ad seipsum.

Incarnationis mysterium. Joan. 1. 4. Joan. 6. 38.

V. INT. Quæ omnia? Nonne multos perseverante usque ad mortem nequitia credimus perpetuâ damnatos esse sententia?

RESP. Dictum est omnia, non quidem universaliter omnia, sed omnia utique electa. Omnia, de omni gente, de omni conditione, de omni ætate, de omni sexu, de omnibus terræ & maris finibus, à primo justo omnes ad ultimum electos. Hos omnes humiliatus ille quæsivit & exaltatus collectos ad se trahit. Ad hunc in tenebris hujus sæculi cognoscendum nos qui adhuc in carnis infirmitate premimur superna gratia concitamur. Fides nunciat, spes demonstrat, caritas manifestat. His tribus illustrati quicquid multiplici cognitione numeramus, quicquid judicii ratione mensuramus, quicquid amore congruo ponderamus, summæ Trinitati jure debito conformamus, quæ nos & omnia suo simplici numero colligit, sua simplici mensura producit, suo simplici pondere custodit. Una quidem est rationalis anima, quæ summæ Trinitati conformata pro modo

Christus quâ ratione omnia ad se trahere dicatur.

do

Trinitatis vestigia in anima rationali.

do suo tria in se tenet inseparabilia. Numerando enim mensurat & ponderat, mensurando quoque numerat & ponderat, ponderando simul numerat & mensurat. Quia verò pondus suum trahendo numerum & mensuram præponderat, cùm ipsum pondus caritatis flamma ea sursum trahendo rapiat, caritatem Dominus servandam præcipuè mandat dicens: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Ut autem ardeat, *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* & cætera. *Hoc est primum & maximum mandatum.* Primum, quod cetera sequuntur; maximum, quo perficiuntur, vel primum & maximum, quia in prima tabula & de colendo Deo. Nam secundum & magnum in secunda de diligendo proximo. Dilectio Dei meritò præcellit, quo anima vel spiritus rationalis confirmata summæ Trinitati quicquid pro notitia numerat vel ratione judicat, pro amore ponderat. Rectè peragit omnia se ei referens cujus notitia sine compoto numerat, sapientia sine fine mensurat, caritas sine pondere pensat. Hanc summam Trinitatem quæ Deus est fideliter adoramus, cujus imaginem ipso revelante in nobis quærimus: De qua pro modulo nostro aliqua, te compellente, supra taxavimus. Nunc quia perurges super irrationalem spiritum pro ipsa ibidem inquirenda mentis intuitum applicemus.

Luc. 12. 49.

Math. 22. 28.

Dilectionis præceptum quò primum & maximum.

VI. Irrationalis spiritus in agendis suis nulla ratione ducitur, nulla supra se intelligentia levatur, sed animæ viribus nititur, sed suis affectibus implicatur. Amat, odit, audet, metuit non pro intelligentia veritatis, non pro judicio rationis, sed pro appetitu propriæ voluptatis, sed pro consuetudine sibi inditæ necessitudinis. Pro quinque sensibus suis corporeis habet exteriùs corporalium notionem, & pro memoria interiùs cognitorum tenet imaginationem. Eorum etenim, quæ exteriùs agnoscit sensibus corpora apud se intus pro sua recordatur memoria. Suam voluntatem aut circa corpora aut circa corporum imagines occupat, nec ab his elevat; sed eam in his retentat & variat. Sensibus quidem in memoria numerat, affectione mensurat, concupiscentia ponderat. Nec in se nec in aliis hæc tria discernit, quæ ratio deprehendit, intelligentia cognoscit. Hæc duo solummodo homini & angelo collata sunt à Deo. His profectò vacuus irrationalis spiritus minimè est ad imaginem & similitudinem Dei factus. Non habet igitur beatitudinem pro Dei similitudine, non habet æternitatem pro Dei imagine, sed carens utroque suo finitur tempore. Quapropter ejus illa qualiscumque trinitas, quam etiam ipse ignorat, nequaquam summæ Trinitati se conformat. Non enim novit æterna quicquid caret intelligentia, caretquidem intelligentia: quod abhorrens Propheta nobis intelligentibus ita clamat: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*

Irrationalis animæ dotes.

Vestigia Trinitatis in ipsa.

Psal. 31. 9.

VII. Vide etiam nunc ultima rerum corpora, ut in ipsis aliqua Trinitatis signa cognoscas. Habes enim in unoquoque corpore numerum pro multitudine partium; mensuram pro quantitate ipsarum; & pondus pro substantiæ natura, quasi mota fuerit recurrit in sua, omne siquidem corpus ubicumque sit, cùm partes non habere non possit, pro partibus est numerabile, pro termino partium est mensurabile, pro lege sua fit ponderabile. Si enim quantulacumque terræ particula levetur in aëre vel in aqua, nosti quia non quiescit, donec naturali pondere redeat ad solidum terræ. Sic & aquæ guttula in aëre levata non residet lege ponderis donec ad sua redierit. Aër quoque mobilis, nec sub aqua, si exitum invenit, sustinet coërceri. Ignis quoque iste terrenus in sua natura genium superioris ignis observat. Pro posse etenim suo superevolat, nisi eum intercludendo ceterorum constipatio elementorum retineat. Unumquodque istorum quatuor, quod sensu percipis ipse corporeo, sed discernis tactu mentis incorporeo, habet pro partibus numerum, pro mensura terminum, pro pondere locum. Tria ista, numerus, mensura, pondus, distincta & inseparabilia in unoquoque corpore naturaliter præsentantur, sicque in unitate signa trinitatis intelligentibus, angelo scilicet & homini cognoscendo proponuntur. Quisquis ergo ille es qui intelligis, pro intellectu quo præcellis venerare Deum, cujus Trinitatis signa in te & in aliis quibusque creatis utique recognoscis. Intelligis Deum, nec qualem, nec quantum. Agnoscis spiritum à Deo conditum, qualem esse, non quantum. Aspicis corpora qualia & quanta. Deus enim prorsus ab omni qualitate, quantitate seu varietate qualibet omnino liber est. Simplex enim & summum verum & unum est. Spiritus sanè conditus & voluntatibus variatur, & affectionibus mutatur, unde & temporalis esse dinoscitur, sed partibus carens locali dimensione privatur. Ea propter nec magnus nec parvus esse convincitur. Corpora denique vides colorata, sentis lenia vel aspera, calida vel frigida, metiris magna vel parva, terminas longa, lata, alta; sustines gravia vel levia, deprehendis liquidò ea esse qualia & quanta. His hujusmodi taliter inspectis, rectè intelligis, quia æternitas Deo, tempus spiritui, tempus & locus corpori utique convenit; sed ista nesciunt irrationalia, non sentiunt corpora.

Trinitatis signa in creaturis corporeis.

VIII. Vide nunc & corporeos sensus quibus nos utimur, quos quinque novimus; quos visum, auditum, odoratum, gustum, tactum sæpe nominamus. Si actus eorum sedulus attendis, in singulis actibus tria considerans, Trinitatis memoriam penes te consignabis. Anima quidem tota oculis colorata, tota auribus sonora, tota naribus odora, tota palato sapora, tota toto corpore sentit palpabilia. Cùm autem aliquid oculis cernimus, scis quia intus est anima videns, exterius res visa, in medio oculus quo videt anima & videtur res visa. Res quæ extra videntur numero prope infinito præsentantur, visioni oculi mensurantur, sententia videntis animæ ponderantur. Hoc qualecumque Trinitatis indiculum, pensa & in actibus singulis sensuum reliquorum. Et vide quia visus

Signa Trinitatis in sensibus corporeis.

tuus non videt seipsum, nec videt auditum, sicut & auditus tuus non audit seipsum, nec aliquem reliquorum sensuum; sed anima videt sensus, videt & corpora sensibus. Si quidem in sensibus diversa sunt videre, & audire, odorari, gustare & tangere. In anima vero non sunt diversa, sed unum sunt in illa una. Hæc spiritus rationalis illuminatus intelligit, spiritus irrationalis nequaquam percipit, sensus corporeus minimè cernit, corpus nullo modo sentit.

In motibus

IX. Motus denuo si perpendis, tu quoque in ipsis à summo usque deorsum perspectis aliquam Trinitatis notitiam percipere poteris. Omnis quidem motus ab immoto oritur; si enim non esset unde surgeret, nec motus esset. Creator Deus movet omnia, non movetur. Creatura verò corporea non movet, sed movetur. Creatura autem spiritualis movet & movetur. Qui movet omnia, quæque mota suo tenet pondere. Quæ moventur moventi se suo numero præsentantur. Qui movet & movetur inter utrumque veluti medius quasi mensura protenditur. Movet enim cum superiori, movetur cum inferiori. Iste quidem medius si rationalis est & Deo conformatus, tam se quam quemlibet alia superiori judicat referenda. Superiori dico, excellenti & summo, quo simul omnia moventur, nec aliquid est quo moveatur. Et hoc attendere libet, quia si motus rerum nullus esset, nec tempus fieret.

Tempus.

X. Tempus quidem, ut videtur nostris, non est motus rerum, nec mutabilitas motorum, sed spatium mutationis mutabilium. Tempus, ut tu vides, numquam stat, dum omni celeritate futura per præsens labuntur in præterita. Nos verò qui in tempore versamur, & tempus temporaliter agimus, contuitu mirabili perhorremus, quia nec ipsum tempus quod nostrum est tenere possumus, nec ipsum quærentibus quid sit præsentare seu revelare valemus. Et mirum in modum cùm jam non sit præteritum, præsens tamen memoria tenet præteritum. Simili modo cum nondum sit futurum, præsens tamen expectatio captat futurum. Ipsum etiam præsens quod minime stat, facit quasi stare præsens notitia. Dum igitur præteritum memorando numeras, dum præsens intuitu præsenti mensuras, dum futurum expectans intentione suspensa ponderas, ad hæc tria quædam imagino Trinitatis colligenda, manum fere nulla capientem studiose præparas. Nimirum præterita memoriter numeramus, præsentia vix quomodocumque metimur, ad ea quæ futura sunt tendimus. Quæ tria pro rerum mutatione quasi certis intervallorum spatiis assignare conamur, sed defectu continuo fluida perdimus. Hæc autem spatia certa intervalli divisione finita solemus appellare aliquando sæculum, annum, mensem, diem, horam, momentum & si qua similia. Nos autem pro nostra mutabilitate sic moti tempore labimur, quomodo marinis fluctibus navigio evehi solemus, in quo sive ambulantes, sive pausantes simus, navis assidue transit aut agita-

Signa Trinitatis in tempore.

A tur. Simili modo ubicumque sumus in mundo, nostrum quo volvimur transit tempus, seu agentes seu vacantes simus. Sol quidem ad imperium Josue fixus in cœlo stabat, nec minus ideo solis tempus ibat, nec minus ideo sol mutabilis erat.

XI. Inter hujusmodi volumina temporis divina miseratio nostram miserata miseriam ab initio usque ad finem sæculi fideles suos reparando recolligit, & à defluxu temporis ad stabilem veræ beatitudinis gloriam perducit. Primò quidem sub naturalis industriæ moribus, secundò sub legis vinculo & prophetarum vocibus, tertiò quando venit plenitudo temporis in quo Deus Filium suum misit. Primò quando humanum genus sibi ipse relictum est ut pro
B intelligentia naturæ rationalis justè coram Domino viveret. Hoc tempus justitiæ naturalis cùm adjutorio gratiæ tenuerunt patres antiqui ab Adam usque ad Moysem, populi liberatorem Israelitici, latorem legis. Secundò cùm deficiente naturali justitia, superapposita est legis scriptæ disciplina & prophetarum dogmata, quibus adjuta ratio naturalis viam incederet veritatis, quam sola sine gratia numquam tenere potuit. Hoc tempus à Moyse usque ad Christum Dei Filium novimus adimpletum. Tertiò quando plenitudo gratiæ intravit, nato Dei Filio in terris, qui præ-
C varicatores naturalis justitiæ, & transgressores legalis observantiæ & doctrinæ propheticæ suo redemit sanguine, & donorum cælestium fœcundavit ubertate, manifestata fidei veritate in omnes fines terræ. Ecce in his tribus temporibus signa Trinitatis semper intuenda respicimus. Quicquid justitia naturalis servando numerat, lex & prophetia docendo mensurat, Sapientia divina per carnem de Virgine natam pondere virtutum cælestibus inferenda reportat. Humanos siquidem mores naturalis
D ratio producit, legis disciplina & prophetiæ auctoritas componit, incarnati Verbi manifestatio ad usque videnda divina perducit. Nostris cum adjutorio gratiæ moribus & ipsi bene vivimus, & proximos nostros informamus, ut cum ipsis pariter divinæ visioni facie ad faciem præsentemur. Nos ipsos veluti scire, sic numerare possumus: nostros autem proximos sicuti nos nondum scimus, sed eos ad amandum Deum informando veluti nos mensuramus. Deum verò quem singulariter quærimus, nobis & proximis nostris toto amoris pondere præponimus, qui Trinitatis ejus insignia & in his
E & in aliis nobis proposita gratanter aspicimus. Quia verò de moribus aliqua diximus, congruum videtur ut super legis scripta seu quælibet agiographa paulisper intendamus. Mores quidem nostros industria rationalis inchoat, & sacri auctoritas eloquii confirmat, & sacramentorum virtus in æternum usque consummat.

XII. In scripturis divinis historiam & parabolas legendo percurrimus, de quibus mysticum aliquando sensum trahimus, & ex his prudenter inspectis moralitatis dulcedinem prægustamus. Historia & parabolis nutrimur, allegoria

crescimus, quam sola mentis intelligentia cernimus; moralitate perficimur, qua sola Domino conformamur. Historias quidem & parabolas etiam ineruditi & infideles passim referendo, persæpe legendo numerant; allegoriam verò doctores pro intellectus altitudine mensurant; fideles autem & etiam simplices moralitatem piè præponderant. Tribus istis sub Trinitatis memoria signatis, hæc utique prospicimus, quia historia & parabolæ quas legendo vel audiendo memoria tenemus, & allegoria quam solo intellectu cernimus, nisi mores informent, nobis inutilia remanent. Ad hæc enim divina scriptura proponitur legenda vel audienda, ut mores ædificet, vitam informet. Hinc Apostolus ait: *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Hæc videbat Propheta qui dicebat: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit, super aquas refectionis educavit me.* Cùm Dominus, attestante Luca, aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas, eum agnoscere minimè potuerunt, donec ei caritatis officia impenderunt, ut eum in panis fractione mox apertis oculis aspexerunt. Non enim, teste Apostolo, *auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Trinitatis signa in scripturis.

Rom. 15. 4.

Psal. 22. 2.

Luc. 24. 45.

Jac. 1. 22.

XIII. Quia vero de moribus & de scripturis aliqua perstrinximus, & de sacramentis pro fide catholica disseramus. Moribus quippe naturaliter vivimus, scripturis erudimur, sacramentis innovamur. In sacramentis exteriùs vides aquam, vides oleum & balsama, & si qua alia. Infideles cum fidelibus simul vident ea. Ad hæc minister superponit verba divinitus inspirata, & fiunt sacramenta. Hæc infideles nesciunt, soli fideles agnoscunt, & in his efficaciam Spiritus sancti mirabiliter operantem, tam in se quàm in aliis quibus ritè impensa fuerunt, recognoscunt. Hæc utique corporalia oculis cernentibus manifesta, per solos Ecclesiæ ministros verbo fidei consecrata, æterna credentibus præstant beneficia, licet ipsa minimè sint æterna, sed temporaliter exhibita. Vide numerum in exhibitione, mensuram in consecratione, pondus in efficacia cum æternitate. Corporaliter enim præsentantur, spiritualiter consecrantur, æternaliter operantur. Divina sunt ista non humana, gratiæ beneficia non naturæ potentia, opus Spiritus sancti non meritum hominis. Oportet igitur Ecclesiæ ministrum in his agendis sanctum habere Spiritum. In isto namque fiunt omnia, sed singulari opere sacramenta in isto sunt rata, sunt efficacia; sine isto sunt cassa, sunt inutilia. Videat ergo minister ne sit solo nomine minister: sit minister Christi ut habeat spiritum Christi, quem nisi habuerit, non potest esse Christi, teste Apostolo qui ait: *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Qui autem non est Christi, non habet utique spiritum Christi, sine quo nequaquam possunt sacramenta fieri. Quapropter excommunicati, schismatici, depositi, contra Ecclesiam catholicam erecti, seu palmites

Trinitatis signa in sacramentis.

Rom. 8. 9.

Sine Spiritu sancto fieri non possunt sacramenta.

Vide supra lib. 5. & epistolam post librum 6.

A à vite præcisi, quomodo possunt agere in sacramentis? Scio alia alios dixisse, alia scripsisse. Quomodo benedicit cui Christus maledicit? Quomodo consecrat quem Christus execrat? Quomodo potest me consecrare cum quo non possum orare? Quomodo ecclesiastica ministrat cui Ecclesia clamat; *Qui non communicat, exeat foras.* O Veritas! doce nos sententiam veritatis, cadant vaniloquia falsitatis. Christus est via, veritas, & vita. Quare qui à Christo præcisus est vita caret, veritatem non tenet, erroneus est. Quem non tenuit

B arca perdidit unda. Sic omnis perit qui ab Ecclesia cadit. Hæc sola jure cœli & ligat & solvit. Hæc à primo parente hominum usque ad ultimum in fine sæculi filium electos quærit, quos sub infelici numero varietatis sparsos primùm invenit, sed suis dogmatibus & sacramentorum remediis ad mensuram unitatis catholicæ fidei restringit; & caritatis pondere ad videnda divina perducit. Ad hæc quidem videnda origo generis humani illa, quam scire debes, trifaria à summa Trinitate quæ Deus est, constat esse edita.

XIV. INT. Originem generis humani sæpius audivi, sed fuisse trifariam non attendi.

RESP. Adam hominum primus nosti quia nullis præcedentibus patribus à Deo conditus est. De ejus costa Eva legitur formata, de substantia solius viri absque consortio comparis.

C Ex his duobus, Adam scilicet & Eva in una carne copulatis generantur communi lege filii. His tribus modis constat origo generis humani, quibus repræsentat in se quamdam creatricis imaginem Trinitatis. Nosti enim quia Deus Pater à nullo est, Filius autem de Patris essentia natus est, Spiritus verò sanctus ab utroque procedens amborum unus est. Hæc deitatis Trinitas in unitate consistit, fine caret, initium nescit, nihil in ea prius, nihil posterius.

D Non habet variari, unde nec mutari. Idemsemper est, id ipsum permanet. Ad ejus imaginem & similitudinem humana natura facta est sed per eam quæ de viro sine femina constat edita prævaricatione suscepta, trimoda illa generis origo corruit in peccato. At verò superna gratia nec eam in peccatis deserens, inter errorum tenebras stellam fidei sole veriùs radiantem ita fecit oriri, quòd nullis persecutorum tempestatibus, nullis hæresum inundationibus umquam potuit extingui. Hac itaque firmiter accensa prænuntiatus est & quæsitus omnium conditorum, ut & perditorum fieret ipse re-

E demtor. Venit igitur ille æternus de æterno Patre sine matre, & factus est homo de temporali matre sine temporali patre: factus inde medicina unde surrexerat culpa. Eva siquidem legitur facta de viro sine femina: hic de femina sine viro, tenens nostri veritatem genneris absque nostri macula criminis: Deus apud Deum, homo apud homines; Deus & homo inter Deum & homines; unus uniens Deum & homines Deus & homo: unus persona Deum & homines uniens gratia. Hic spiritum-sanctum misit, quo nova progenies de ter-


Hominis origo trifaria Trinitatis imago.

ra procedit. Unus quidem est iste Patris & Filii Spiritus in Deitate tertia persona, non tertius Deus. Ab utroque procedens Deus, ab utroque natos de mare scilicet & femina sub carnis concupiscentia mirabili virtute regenerat. Hic de filiis carnis filios Dei gratuitò facit: gratuitò, quia caritate, non merito, non necessitate. Filios carnis fecit concupiscentia primæ matris, quæ mensuram obedientiæ viro suo servare debuit, sed enormis facta, viro suo inobedientiam propinavit. Vir autem malè ponderans, obedientia relicta, inobedientiam tenuit, qua suæ servus concupiscentiæ cum sua posteritate damnatus remansit. Sic omnis ejus posteritas fomite carnis progenita, à numero deleta bonorum, innumeram cladem portat damnata malorum. Non est qui eruat, non est qui salvet, nisi tu Deus noster, qui verè natus de femina Virgine, solus potes sanare quod prima siquidem mater, nec integra mente nec virgo corpore, suæ perdidit lege concupiscentiæ. Tu pie Domine, tuo caritatis pondere per mensuram obedientiæ erue nos de sorte malorum, resigna nos in numero justorum. O Deus meus, quia homo factus verè meus, propter me factus pauper & egenus in terra mei incolatus, ut me verò pauperem & egenum æternæ felicitatis tuæ possessorem facias in æternum! Ad hæc obtinenda tuis humanum genus renovas sacramentis, diversis pro diverso tempore, non diversa fide; diversis effectibus, non diversis virtutibus. Ex his quo voluisti sacramento renatis ad te multi redeunt vel sola gratia induti, vel pro indulto tempore virtutibus superamicti, aut post immania crimina & neglecta sacramenta per pœnitentiam Ecclesia medicante sanati. Hos Ecclesia pœnitentes numerando resignat, illos piis operibus insignes penna virtutum elevat, alios verò post accepta sacramenta, nulla sequente macula, statim superna de præsenti sæculo eruit gratia sicut accepta sic integra, nec adaucta, nec diminuta. Gratia ergo & renatos mox obeuntes salvat, & pœnitentes post lapsum sanat, & ornatos virtutibus coronat. His tribus ordinibus in fine datur vitæ æternæ denarius pro unitate fidei unus. Sanctis quidem virtutum merita præferentibus pro meritis debetur, pro debito redditur. His verò qui post acceptam gratiam prolapsi sunt, sed per Ecclesiam pœnitendo redeunt & absque fructu virtutum statim obeunt, ille denarius minimè debetur, pro Ecclesia tamen eos remediante & interveniente, post purgatoria donatur, non utique redditur, quia minimè debetur. Illis autem qui renati in Christo non supervivunt, sed celerius exeunt, quia ipsi sunt membra Christi, non possunt non habere regnum Christi. Tribus istis bonorum distinctionibus denarii unitatem percipientibus, quædam summæ Trinitatis imago in æterna beatitudine signata manebit, ab imis per media ad summa perducta, in unum collecta, Trinitatem in unitate plenam & perfectam plena & perfecta manebit in sæcula sæculorum. Amen. Pax tibi.

Electorum tria genera.


XV. INT. Quid? Finem loquendi facis, qui ab imis per media ad summa gradum facis, & quid ipsa sint non ostendis?

RESP. Ne molestum te dimittam, ea paucis expediam. Summa quidem, prout sentimus, hoc in loco virtutes esse dicimus, quas à Deo & in Deo habemus, quibus cum Deo unus spiritus nos ipsi sumus. Ima vero dicimus tam corpora quàm spiritus & quicquid creaturæ nomine designamus. Media autem liberum arbitrium & rationalem intelligentiam hominis & angeli novimus, quibus quamvis & ipsa creata sint, tamquam mediis ima pariter & summa contingendo sentimus. Per ea enim summis & infimis uti valemus, quibus summa infimis præponenda videmus, quibus ceteras veluti quodam lumine creaturas præcedimus. De lumine isto Dominus in Evangelio dicit: *Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint.* Luc. 11. 35. Lumen quippe tuum quo animantia irrationalia præcellis tunc utique tenebræ fit, cùm infima summis amore præponis. Cùm enim virtutes abjicis, non possunt bene fieri quæ sine virtutibus agis. Has sane virtutes intelligi lucernas ardentes voluit qui dicit: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. 12. 35. Lumbos præcingit, qui luxuriam carnis castitatis cingulo reprimit. Lucernas ardentes est in manibus tenere, habere virtutes in operatione, quas cùm operando tenemus, bene per omnia de imis omnibus operamur. Nemo enim castitate mœchatur, nemo veritate mentitur, nemo justitia fraudatur, & sic de ceteris. Cùm itaque virtutibus omnia peragis, tunc ab imis per media libero cursu conscendis, sicque in omni tua actione veneranda Trinitatis auspicia mundi cordis oculis repræsentas. Profers in imis ex multitudine numerum, in mediis rationalis intelligentia mensurat judicium, in summis superna veritas pondere proprio trahit omnia secum. Felix operatio, quæ tali procedit ordine, quæ coram piis oculis insignita refulget Trinitate. Angelorum concivis, Domino similis, homo licet terrenus jam verè procedit, cujus actio tam corporea quàm spiritualis præsentis honore virtutis in odorem suavissimum ad cœli summa conscendit. Videat ergo discretio tua, ut cum virtutibus semper agat. Si enim absque virtutibus quælibet ima tractaveris, sine dubio mox peccabis, mox actio tua Trinitatis decore carebit, tuaque ratio & intelligentia à lumine in tenebras mersa, non erit media, nec ima tantum, sed magis infima. Non quòd mala sint ea quæ diximus ima & media; fecit enim Deus omnia, bonus bona; sed cùm absque virtutibus ima quælibet dispensamus, mediis abutendo peccamus; & tunc mala dicimus ima, quia malè disposita. Media verò pessima non solùm imis, sed & seipsis malè utentia. In his & aliis præmissis hunc certum suscipe finem, ut cujus tenes imaginem fideliter teneas Trinitatem, in omnibus ejusdem signa requiras, quæsita cognoscas, cognita diligas. Ima simul omnia rectè per media semper ad summa referendo quiescas per sæcula sæculorum, Amen.



HUGONIS ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS TRACTATUS IN HEXAMERON FRAGMENTUM

Ex mſ. Rotomagenſi Domini Grebovaldi.

IRO erudito ARNULFO Lexovienſi epiſcopo filio ſuo cariſſimo HUGO Rotomagenſis ſacerdos ſpiritum ſapientiæ, lumen doctrinæ.

Librum principii ſeu creationis rerum Deo annuente ſuſcipimus intuendum. Hanc ſanè coſmographiam Moyſes edidit magnus ille famulus Domini, qui primus à Deo virgam virtutis accepit, quâ mirabilia fecit, & eccleſiam Dei præſulatu magnifico gubernavit. Liber ejus ſacrorum origo voluminum cæleſtia continet & terrena, leges & mandata divina, præmia juſtorum, ſupplicia peccatorum, & ſuper omnia Deum omnipotentem tam de malis quàm de bonis ſemper bene operantem. Auctor iſte plana & aperta promit eloquia, ſed altitudine ſenſuum profundiſſima, quæ ſola Sancti Spiritus aperit gratia. Eo certè ſpiritu quo ſcripta ſunt & reſervari queunt, mundana neſciunt ſcrutari ſapientia, quæ non ratio capit humana. Igitur invocato Spiritu-ſancto, ea videamus quo inſpirante ſententiam veritatis prout voluerit afferamus. Veritatis verba ſunt iſta vero ſpiritu edita: verax eſt qui ea ſcripſit & vera ſenſit in eis. Ex eis omnibus veris poterimus ea ſola noſſe, ea nota dicere, quæ dabit & nobis qui dedit Moyſi noſſe quæ voluit, nec tamen omnia Moyſes novit in eis, quæ novit in eis Spiritus-ſanctus ipſum qui docuit. Igitur ad Spiritum-ſanctum referimus quæ ſuper his ex ipſo dicimus, ſine quo nec ille potuit, nec nos dicere poſſumus. In his ſuperbia cœca remanet, in his humilitas luminoſa videt. Ibi elephans periculoſè natat, ibi agnus ſecurè ambulat. Ibi caput elephantis demergitur, ibi pes agni ſupergreditur. In his ergo & in omnibus ſuperilluminet noſtros ſenſus doctor ille ſummus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, JESUS-CHRISTUS, de quo in Apocalypſi legitur: *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David accipere librum & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* His ſeptem ſignaculis liber iſte Geneſeos diebus ſeptem primariis ſignatus extitit in opere ſeptiformi ſub ſeptem donis Spiritus-Sancti. De his ſeptem diebus ſeptem que ſigillis & Sancti Spiritus ſeptem donis in ſecundo Dialogi noſtri libro egiſſe me recolo. Nunc autem in hoc opuſculo noſtro magis hiſtoriam exquirendo tractamus, quàm ſenſus allegoricos ſeu morales attingamus. Proinde librum iſtum ad eum uſque locum percurrimus, quo noſtrum primus à paradiſo depoſitus vallem lacrymarum intravit, culpis implicitus, pœnis addictus. Lege, fili, legat qui voluerit iſta, ſed conditione data, ut omnia falſa falſo mihi, omnia vera Spiritui veritatis habeant imputari; mihi pro correctione, illi pro gratiarum actione, qui ex Patre Filioque procedens eſſentialiter unus cum Patre & Filio Deus in æternum & ultra vivit & regnat.

Moyſes auctor libri Geneſis.

Apoc. 5. 5.

TRACTATUS


HUGONIS Archiepiſcopi Rotomagenſis ſuper Geneſim.

LIBER PRIMUS INCIPIT.

1. IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CÆLUM ET TERRAM. Scriptura iſta celebris atque notiſſima toto orbe diffunditur, omni lingua prædicatur: veritate qua præminet cunctis ſeſe præbet. Qualis acceſſeris, talem tibi & ipſam invenis. Dulci affatu parvulos nutrit, pio dogmate modeſtos reficit, altitudine ſuperbos ridet, profunditate ſtudioſos terret, de omnibus agit, Deum oſtendit.

Scripturæ prærogativæ.

2. IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS. Ante principium creationis rerum ſi aliquid fortè quæſieris, penitùs invenire non poteris. Sola æternitas præcedit omnia, ſolus Deus univerſa, quorum motus egerit tempora, quorum partes efficiunt loca. Mutatio creaturæ probat eam initium habuiſſe. Quam citò vides rerum creationem, mox invenis Deum creatorem. Qui creat creandis eſt ipſe principium, vel creando facit eſſe principium; itaque de



nihilo per ipsum fieri simul incipiunt. Cùm itaque dicis esse principium, debes nosse quia Deus præcedit omnia, non quidem tempore, sed æternitate. Cùm verò dicis Deo creante simul omnia principium habuisse, intransitivè pensa principium rei & rem principii, creatum esse quod incoeptum est, incoepisse quod creatum est. Pro tanto igitur principio creationis, seu pro tanta creatione principii apud Hæbreos scriptura ista titulum non accepit, quia tam universali principio præponi aliquid indignum fuit, à tanto tamen principio quod habuit apud nos principii nomen assumsit.

De Moyse hujus operis auctore.

3. In principio creavit Deus. Pensa qui legis, pensa auctorem operis, opus auctoris, modum operis, inventionem auctoris. Præsentis igitur operis auctorem sanctum illum agnosce Moysen, qui à fide & genere descendit Abrahæ, susceptus ab aqua, præsignans mysteria, nutritus in aula regia, adoptatus à regis filia. Sentis aulam regiam Christi ecclesiam & regis filiam divinam gratiam. Iste fratrem oppressum liberavit, inimicum perdidit, Ægypti delicias sprevit, in solitudine annis xl. Domino vacavit. Ibi sine incendio ardente in rubo apparente Domino mandata suscepit: inde signis & prodigiis magos & incredulos afflixit, pascha celebravit, populum Dei agni sanguine protexit, quem in columna nubis & ignis eduxit, mare divisit, Ægyptios perdidit. Legem digito Dei scriptam in eremo accepit, de cælo manna, de petra flumina populo ministravit, quem ad terram promissionis possidendam præparavit. Tantus iste glorificata facie loquebatur cum Domino sicut amicus cum amico: unde meritò potuit ipse homo loqui de eo quod erat antequam esset homo, non ex humana sapientia, sed docente Spiritu-sancto.

4. In principio creavit Deus coelum et terram. Ecce quod non vidit homo, nobis loquitur homo, propheta de præterito. Idem ipse quàm multa sacramenta scribendo tradidit, servanda mandavit propheta de præsenti. Ea qui legit, qui tenuit, non intellexit, nisi per eum qui clavem scientiæ gerit. Hic etiam propheta de futuro claruit, unde ait: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis.* Dominus attestatur ei: *Si crederetis*, inquit, *Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Scienda est etiam materia operis, quam tantus propheta Domini, tam præcellens dux Israeliticæ gentis assumsit, ut scire valeas de quo agit.

Act. 7. 37.

Joh. 5. 46.

De ipsius materia.

5. Materia itaque operis hujus est equidem creator Deus & creatura ejus.

De ejus modo.

6. Modus in hoc opere restat intuendus, ut agnoscas quæ ibi intimantur æterna, quæ temporalia, quæ primordialia, quæ subsequentia.

7. Attendit aliquando Deum & in Deo omnia in mente divina ut in arte ipsa. Ibi omnia sunt æterna, fixa, immutabilia. Attendit aliquando facta ea ipsa simul in præjacenti materia, confusa, indivisa, invisibilia. Attendit aliquando ea ipsa simul in principio formata, distincta, perspicua, singula cum proprietate sua. Et ex his primordialibus cetera omnia actualiter, temporaliter, consequenter egredientia, nutum Dei numquam & nusquam transgredientia. Legendo invenies & hæc & plura quæ modi solet habere varietas.

Auctoris intentio.

8. In his æque omnibus auctoris intentio perquiratur, quo fructus & utilitas auctoris & operis agniti facilè capiatur. Quia igitur ex uno referuntur esse omnia simul & singula, æquè referantur ad unum omnia simul & singula, ut rationalis creatura eum qui singulariter unus est, in omnibus quærat, nec se, nec in aliis amando remaneat; sed à conditis ad ipsum qui condidit sese tota dilectione referat. His ita strictè & modicè perquisitis audiamus.

9. In principio creavit coelum et terram. Ex nullis existentibus ea creavit quæ in principio fecit. Si enim alia priùs fecisset, non ista in principio, sed post principium edidisset. Creavit in principio non quod erat, sed omnino quod non erat. Primordialium materiam quæris, nullam præjacentem invenis. Solus Deus est qui ea facit, de nihilo non de aliquo creans quæ voluit. Mira celeritas operis. Non ibi mora temporis, non exercitium laboris, non disciplina studii, sed potestas voluntatis & voluntas potestatis incipiendo creavit, creando incepit. Operatum potiùs quàm operantem esse dignoscimus, quem in principio fecisse potiùs quàm incepisse sentimus. Dixit enim & facta sunt, mandavit & creata sunt.

Vetus error de creatione.

10. In principio creavit Deus coelum et terram. Fuerunt homines suis opinionibus sua sensa probantes, tria esse coæterna dicentes, Deum scilicet atque materiam & formas omnes. Deum non creatorem sed opificem æstimantes, qui materiam & formas minimè creasset, sed conjungere nosset, sed simul aptare potuisset. Dicebant aliquid posse fieri de aliquo, non aliquid de nihilo. Solus quidem Deus potest indifferenter de nihilo facere sicut & de aliquo. Nulla verò creatura potest aliquid de nihilo creare vel facere, licèt possit de creatis agere, pro data sibi à Domino facultate. Secundùm hoc præfati homines de Deo tamquam de se judicantes sicut se posse noverant, sic Deum posse tantùm penitùs æstimabant, hoc est aliquid facere de aliquo, nihil de nihilo. Sed res ipsæ mutabiles, si eas agnoscendo consideres, eorum manifestè destruunt errores. Omne namque mutabile necesse est de nihilo factum esse. Probat hoc mutabilitas quam divina nescit æternitas. Quod enim verè æternum est, nec natura, nec actu mutabile est. Semper enim idipsum est, non aliquando, non alicubi aliter est. Mutabile verò non semper est: unde quantumcumque protrahas, de nihilo processisse necesse est. Si enim de nihilo minimè provenisset, hoc est absque initio permansisset, æternum utique foret, & immutabile permaneret. Quicquid ergo mutatur de nihilo fuisse

probatur; sed res mutabilis seipsam facere, A vel per se subsistere minimè potuit. Factorem ergo necesse est habeat per quem fiat, per quem facta servetur ut maneat, ne de nihilo facta in nihilum redeat.

11. Quæris de factore qui semper est, qui mutabilia facit & immotus est, quid ante agebat quàm faceret ea, unde ei in mentem venit ut subitò faceret quod non semper facit? Sed scire te convenit quia *antè* vel *subitò*, quæ præponis, signa sunt temporis: Deus verò res & rerum tempora facit, ea ipsa non tempore sed æternitate præcedit. Res equidem si nulla B esset, nec motus rerum esse potuisset: si motus rerum nullus esset, nec tempus utique fuisset. Tempus namque terminatum esse dicitur intervallum mutationis rerum. Non est ergo subditus tempori qui tempora fecit, sed omnia æternitate præcedit. Quæcumque igitur sunt mutabilia nulla Deo sunt coæterna, sed à Deo condita, sed initium de nihilo simul habentia. Esse habent, quia facta à Deo: sunt mutabilia, quia facta de nihilo. Providens igitur Propheta sanctus, dux veritatis, dux super Israel excelsus, quosdam vaniloquos vel suo tempore jam exortos, seu postea futuros, de Deo & ejus operibus hæretica sensisse repertos, primo capitulo tales obstruit dicens: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Audis C initium rerum, audis creatorem Deum, audis materiam conditorum. Cœlum enim & terra quibus conserta sunt aër & aqua, dicuntur quatuor elementa, ex quibus ut ex materia fiunt quæque corporea, non ea Deus sibi coæterna invenit, sed eis est principium ut esse possint, vel in principio creavit, ut inciperent fieri.

Deus res non tempore, sed æternitate præcedit.

Elementorum creatio.

12. CREAVIT DEUS. Opponis & dicis: quia Deus est immutabilis, immutabiliter agit. Semper ergo creat, si creavit, sed non semper creat. Igitur non creavit. Nosse debes, quia sic obtendis, quoniam quicquid de Deo D secundùm Deum potest dici, non more nostro, sed suo quo Deus debet intelligi, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Nihil est in Deo novum, sed semper idipsum. Vox ergo illa *creavit* nihil in Deo ponit, sed Deum significans aliquid ponit in eo quod creavit. Vox ista *creavit* rem creatam ponendo innuit. Verba nostra & quælibet vocalia ad indicandum eum qui summè & verè est præsumta, non actionem vel passionem, non quamlibet varietatem ponunt in ipsam Deitatem. Hic de causa prudenter agnoscas, quia verba & quæcumque vocalia ad significandum Deum assumta, jam non sunt de octo partibus illis quas ponunt Grammatici, sed significant ritu divino, non more grammatico, non rhetorico, non dia- E lectico. Deus enim semper est id quod est; qui determinari, seu describi, vel diffiniri non potest, quia incomprehensibilis est. Quæ verò facta sunt deprehensa tenentur; unde terminata, seu descripta, vel diffinita proponuntur. Factum omne incipit esse quod est, nec

Quomodo Deus immutabilis cùm sit, creasse dicitur.

tamen habet ex se illud quod est, sed ex seipso & per ipsum & in ipso qui vita, æternitas, beatitudo essentialiter est. Inde per Moysen scriptum est *Creavit Deus.*.

13. Pro hac voce quam dicimus *Deus*, in Hebræo *Eloym* scribitur. Eloym verò apud Hebræos vox est pluralis, sed idioma linguæ latinæ hoc transferre non potuit. Sic enim est apud Hebræos *Bara Eloym*, ut si verbum ex verbo transferas latino sermone contra morem oporteat dici *creavit Dii*. Unde sciendum est quia vox illa *Eloym* Deum significans enunciatione plurali, non tamen plures Deos ponere potuit, quod determinat apud Hebræos vox adjecta singularis, id est *Bara*, quod est apud latinos *creavit*. Hunc sermonem Hebraicum Catholici nostri rectè sic positum piè defendunt, qui Trinitatem quæ Deus est in unitate simplici prædicant adorari, quam repræ entat eis vox singularis adjecta plurali, id est *Bara Eloym*.

Deus in Hebræo vox est pluralis.

14. CÆLUM ET TERRAM. Non quia sic dicerentur quando creata sunt, sed quia postmodum eadem ipsa à colloquentibus sic nominata sunt. Deum quoque & ea quæ in principio vel facta vel dicta sunt his vocibus assignari oportuit, quibus consuetudo nostra ea significando proponit.

15. CÆLUM ET TERRAM hic dicit quia providè scriptura dixit creata cælum & terram, aërem verò & aquas non fuisse creatas tacendo innuit, ubi omnium creatorum seriem diligenter exquirit. Scias itaque, scias fili, morem sacri eloquii: Solet namque cæli & terræ nomine cuncta simul creata colligere. Testatur hoc Psalmista qui de cælo & de terra ad laudem creatoris creaturam universam provocat, primò de cælis ita dicens: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudent eum omnes angeli ejus*, vel *eum omnes virtutes ejus. Laudent eum sol & luna, laudent eum omnes stellæ & lumen. Laudent eum cæli cælorum & aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.* Nota angelos & virtutes & aquas superiores & cetera cohabitatione & concreatione cælis deputari & cælorum nomine designari. De quibus omnibus illicò subjungit: *Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Subjecit etiam & de terra & ait: *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Sicut enim omnia creat, sic omnia movet & ordinat. Quæcumque igitur Moyses per cœlum & terram intelligenda conclusit, hæc eadem psalmista distinguendo numeravit. Contineri sanè inter cœlum & terram cum aquis aërem cernimus, & ex his duobus subtiliora cœlis corpulentiora terris deputata novimus, qui præfatam distinctionem psalmistæ legimus. Tu denique aërem & aquas confitere creatas, & cum propheta piè Domino decanta: *Aquilonem & mare tu creasti.* Et alibi: *Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud.* Per aquilonem intellige ventos, qui fiunt in aëre commoto

pro nutu divino: unde Pſalmiſta: *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Sed ne ultra dubitare poſſis, *Omnia* inquit, *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et ut ſcias qualiter ea fecerit, *omnia*, inquit, *in ſapientia feciſti.* Nunc verò ſcito pſalmiſtam ad laudem Dei provocare creaturam, primò de cœlis & cum cœlis aſſignatam conſequenter & de terra diſtinctis nominibus aſcitam. Moyſet autem non ea diſtincta ſed materialiter ſimul facta cæleſtia & terreſtria in principio nomine cœli & terræ proclamat, quæ poſtea ſenaria diſtinctione formata declarat, non quia forma ſine ſubſtantia; vel ſubſtantia ſine forma umquam aut uſquam exiſtere queat, ſed confundit eos qui ſubſtantiam & formas Deo opifice dixere connexas, non à Deo creatas. Hæc & hujuſmodi delirant hæretici, qui ſacras ſcripturas neſciunt, qui Sancto Spiritui contradicunt. Sed ſcriba veritatis, quem Deus ipſe de rerum creatione perdocuit, tam ſubſtantias quàm earum formas à Deo conditas & conjunctas novit & docuit. *Creavit*, inquit, *cœlum & terram.* De cœlo quia ignis in eo præeminet, quo pulchriùs eluceſcit & clarificat cetera, ita dimittit. De reliquis ab igne clarificatis ut videri poſſint, terra, ſcilicet, aëre, & aquis, pro eorum informitate quam ſine ignis illuſtratione probantur habere, ſic dicit:

16. Terra autem erat inanis et vacua. Terra ſubſtantialiter inſpecta inanis erat, non quia ſic in actu exiſteret, ſed quia ſic conſiderari poteſt. Quis enim ignorat naturaliter eſſe diverſa ſubſtantiam & formas? quæ licet ſeparata non inveniuntur, rationis tamen intuitu in eodem diverſa naturaliter attenduntur. Sicut de terra dicimus, ſic de cœlo, de aëre, de aqua perſpicimus, dum ea ſolum pro ſubſtantia, non pro forma penſamus ſine his quæ dicuntur qualitas, quantitas, ad aliquid, ſitum eſſe, habere, agere, pati quando, ubi. Hoc qualecumque potius habet cogitari quàm præſentari. Inanis & vacua dicitur terra, non quia eſt; ſed quia informis & inviſibilis, nec habens quæ germinat, vel quæ producit. Inanis enim & vacua non ponendo ſignificant, ſed removendo nominant. Mens equidem ſana ſæpius attendit quid & de quo habeat fieri, priùs id unde aliquid fit, poſtremo hoc quod inde fit. Primò informem materiam, deinde formatam. Præcedit illa quadam origine, non tamen tempore. In illa materialiter factum eſt quicquid de ea actualiter fieri poteſt, ſicut in cera molli cauſaliter latet quicquid de ea excluſoris induſtria facere prævalet. Quiſquis ille eſt qui hoc omnino inane poteſt abſque formarum imagine utcumque ſentire, ſentit aliquid, pene nihil, ſed materiale unde poſſit procedere quicquid eſt actuale. Hoc ſi tamen dici poteſt, hæc ubi omnia confuſa, cæca, inſenſibilia, quidam dixerunt chaos, vocaverunt ylen, molem ſcilicet indigeſtam, rudemque materiam. *Inanis*, inquit, *& vacua*, non quia in principio ſic facta fuerit, ſed quia ſic enarrari debuit, ut materiam & formam, licet ſimul aſpicias, diſcreta cognoſcas, vacua formis, herbis, arboribus, animantibus & motalibus omnibus.

17. Tenebræ erant super faciem abyssi. Aër quoque ſicut terra inſpectus pro ſubſtantia abſtractim ſine forma dum ſine lumine penſatur abyſſus tenebroſa vocatur, non ſolum in ſe, ſed in reliquis, terra ſcilicet & aquis, quæ niſi aëre illuſtrato pariter obſcurantur. Tenebroſam itaque abyſſum dicimus velut omnia indiſcreta, inviſibilia, in informi materia, ubi ſi aliquid quæras, pene nihil invenias. Nihil dico compoſitum, nihil conſpicuum. Vel *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, hoc eſt erat obſcurius quam ſit aliqua abyſſus. Vide quia tenebræ nihil nominant, ſed lucem abeſſe deſignant. Hoc eſt nihil vidi, nihil pro ſpecie deprehendi. Abyſſus tenebroſa quid.

18. Et spiritus Domini ferebatur super aquas. Hic etiam intelligimus aquas nondum iſtas viſibiles nobiſque notiſſimas, ſed fluida quæque & incompoſita, informia & formabilia, Deo auctore, de nihilo progredientia, multabilitatis elogio colligata. Inde eſt quod accidentalium viciſſitudinem patiuntur, quod contingentium viciſſitudine labuntur, ſed eorum deliquia, licet infinita, conditoris tenet omnipotentia, cujus & Spiritus & formanda creat, & creata format, & formata diſpenſat. Sunt igitur ea quæ rerum dicimus elementa & ex eis quæque formata ſimul omnia divinæ voluntati ſubdita. Et bene per aquam deſignat corporalem materiam, informem atque formabilem, quia ex humida natura videmus coaleſcere, augmentari, concreſcere, formari omnia in terra per ſpecies varias *Superferebatur Spiritus Dei.* Superferri dictus eſt non loco ſed potentia ſuperante & præcellente univerſa. Non enim per indigentiam, ſed per caritatem ſuper eminentem creavit Deus omnia, qui ſicut voluit, ſic creavit & creata gubernare non deſinit. *Spiritus Domini.* Vide quia non dixit cœlum Dei, terram Dei, abyſſum vel aquas Dei; ſed dixit *Spiritus Dei ſuperferebatur.* Noli ergo ſentire Spiritum Dei creaturam eſſe, ſed Spiritum Dei Deum intellige. In exordio itaque creationis cœli & terræ, quibus duobus colligitur univerſitas creaturæ viſibilis & corporeæ creatoris Trinitatis cooperata monſtratur, adoranda proponitur, cum dicitur. *In principio creavit Deus..* In Dei nomine Patrem, & in Principii nomine Filium, Spiritum verò.

VITA



VITA SANCTI ADJUTORIS MONACHI TIRONENSIS

AUCTORE HUGONE ARCHIEPISCOPO Rotomagensi hujus nominis tertio, ipsi Adjutori coævo.

Ex mſ. codice Tironenſi

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS AMEN.



DILECTISSIMIS & meritis venerandis totoque ſinu pectoris amplectendis in Chriſto fratribus cœnobitis monaſterii Tironenſis in Pertico Hugo Sanctæ Rotomagenſis eccleſiæ indignus archiepiſcopus Salutem & ſinceræ dilectionis affectum.

B Magnæ caritatis atque dulcedinis vim protuliſtis, & voto ſollicito ut naſcentiam & originem loci veſtri B. Mariæ Magdalenes ſuper Secanam magnis prodigiis & quam plurimis admirandis fulgentis miraculis, ſimulque miracula ipſa in laudem Eccleſiæ certificationemque fidei catholicæ monimentis perpetuis traderemus. Et quidem precibus veſtris, quin ob ſui merita dignis non auſim juſſibus non obaudire; nihil etiam dignius litterarum apicibus commendari putans, quam glorioſiſſimorum ſanctorum geſta, eorum præcipuè qui tam digni fuerunt, ut Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum videre, palpare, cum ipſo converſari, ſalubria ejus monita audire meruerunt. Quis putet aliquem in impetrandis precibus tam promtum tamque audiendum eſſe, quam eum qui Domino tam proximus, ut actum eſt, fuerit? Igitur ad promiſſum veniamus.

In illo tempore quo fulgens in rota ſæculi catholica fides Normannica diffundebatur in tellure, glorioſus vir & digniſſimus ADJUTOR re & nomine hanc ſæculi profectus eſt in lucem, cujus glorioſa vita & vigorem ſui nominis exprimit & gratiam magnæ ſalutis, quia dum ADJUTOR diverſa ſuperavit vitæ hujus A pericula, meritis mundana vicit cuncta impedimenta. Sicut enim in apoſtolico fundamento conſtat Eccleſia, ut à Chriſto firma petra Petrus actor inſuperabilis ſtatutus eſt: ita triumphatoris æterni ADJUTOR duplici militia miles efficitur. Eum autem martyrum & confeſſorum gemina dote reſplenduiſſe non parva documenta produnt, cujus nimirum geſta vel partim neceſſario deſcribuntur, ne fama tanti viri quandoque dubietatis nebula fuſcaretur. Et quidem ſatis eſt ad ejus gloriam quod Chriſtum, cui placere quæſivit, unicum habet in excelſo. Fuit autem natus in urbe quæ C Vernonum dicitur, patre Johanne ipſius loci temporali Domino, matre vero Roſimunda *de Blarru* ipſius Johannis conſorte, certe, ut novimus cum in minoribus eſſemus, Deo devotiſſimis & ſanctiſſimis perſonis: nobilis quidem genere, ſed nobilior fide: ſæculi dignitate inter ſuos clarus, ſed divinorum munerum gratia præcipuus. Hujus infantia viri quantus in futurum eſſe deberet, ſatis prætendebat; Ita enim vigiliis, jejuniis, & orationibus aſſiduis eo tempore, quo aſſolet hu- D jus ſæculi ætas laſcivire, corpus ſuum macerabat: ut jam carnibus conſumtis, pellis oſſibus pene adhærere videretur. Creſcente vero ætate, gratiæ divinæ providentia erga illum omnium bonorum affectus creſcebat. Erat enim forma ſpecioſus, corpore caſtus, mente devotus, affabilis eloquio, amabilis aſpectu.

Ejus parentes.

Ea tempeſtate paſſagio terræ ſanctæ pene omnes chriſticolæ vacabant: in cujus expeditione,

Cruce ſignatus apud Antio-

chiam hostes voto facto fugat. etiam ipse gloriosus vir ADJUTOR una cum ferme ducentis armatis cruce signatus erat, unde contigit ut quadam die, cum parvulo loco quodam in territorio Antiocheno, qui *Jambuit* dicitur, abiret, ipse & comitatus suus prædictus in insidiis Ismaelitarum plusquam mille & quingentorum incideret. Circumvallatus igitur ab eis, cum videret suos fugam petere, quam tamen habere non poterant, videns tantæ multitudini tam paucos subsistere non valere, ad quæ illius erant assueta arma humo prostratus, orationem simul & votum fudit, dicens: Voveo tibi, beatissima Maria Magdalena, quod si mihi victoriam instantis B belli contuleris, domum meam de Monte cum ejus appenditiis ad tibi deserviendum in monasterio Tironensi in Pertico, & in ipso loco monachis ipsis Tironensibus dabo capellam quam in tui honorem quamcito ad partes regressus fuero in ipso loco construi faciam, & de meis facultatibus condotabo. Et repente tarde quidem, nihil tamen nostris agentibus, sed de salute desperantibus, in fidei hostes irrupit: ita ut omnes hinc atque illinc utcumque poterant diffugerent. ADJUTOR vero adjutorium sibi cernens desuper advenisse, sumtis cum suis viribus, non gnaviter super hostes exeruit gladium: C Mille enim & eo amplius non nostrorum dextris, sed B. Mariæ Magdalenæ juvamine, in eo certamine cæsi fuerunt, ceteri autem fuga evaserunt.

Peracta igitur victoria, in triumpho vir sanctus ADJUTOR lætabatur in Christo, eo quod in tantæ calamitatis periculo nullus ex suis cecidisset. Poterat hoc ille agere, qui Pharaone submerso in gurgite, Israeliticum salvavit populum nemine pereunte. Prostrata igitur acerba barbarie, gloriosus vir ADJUTOR gratias agens Altissimo canere cœpit: O Deo devotissimi fratres mei Monachi Tironenses, qui assidue Deum pro me exoratis. O beatissima Maria Magdalenes, quem etiam apud Deum commendatum haberes! O Altissime Deus, in cujus manu cuncta sunt D posita, quas tibi gratias ego miser pro tantis beneficiis referre valebo? Quas tibi laudes peccator ego depromam? Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicos, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios nostros. Hæc autem scivimus per inclytos milites Heliodorum *de Blarru*, Odonem de Porco-mortuo, Johannem *de Breheval*, Anselmum de Cantamerula, VVidonem de Calvomonte, Petrum de Curtiniaco, Richardum de Haricuria, Henricum de Pratellis, & quam plurimos alios, qui ipsi negotio & certamini interfuerunt.

Intercessione B. M. Magdelenæ & B. Bernardi Abbatis Tironensis à captivitate liberatur. E Sed famosissimum illud & admirandissimum miraculum quomodo ab hostibus nostræ fidei captus & dirissimis carceribus mancipatus, & strictissimis loricis & catenis ferreis vinctus liberatus extitit, dignum non ducimus ut omittamus. In expeditione siquidem prædicta Jerosolymitana, cum jam annis decem & septem, quod pauci fecerant, ipse vacasset. Contigit bello- A rum insperatis fortunis, & secreto Dei arbitrio, & forsan quod votum suum, quod supra præmisimus, nimis differebat adimplere, ut ipse gloriosus vir ADJUTOR à sæpedictis inimicis crucis Christi captus fuerit: Cumque ab ipsis perfidis Saracenis loris compeditus fuisset, & catenis dirissimis, & aliis exquisitis omnibus pœnis durissime attritus; & immanissimis tormentis, ut Christum & ejus fidem abnegaret, afflictus fuisset; & in fide perseverans cum Salvatoris nostri clementiæ, & piæ matris ejus, ac B. Mariæ Magdalenes, almi gloriosique & Deo devotissimi Bernardi olim vestrum & vestri monasterii Tironensis Patris precibus sedulus orator se commendaret, & eorum adjutorium jugiter flagitaret; tandem subactis plurimis temporum curriculis, cum suum athletam Deus fortissimum conspexisset, ejus miseriis misericors compassus est. Nocte enim quadam cum aliquantulæ requiei se dedisset, vidit in somnis, immo potius vivifice, B. Mariam Magdalenam à dextra, & gloriosum Bernardum à læva eum tenentes & levantes, ac cursu præpropero eum ducentes, qui eum vinculis quibus vinculatus erat, solutum tamen ab eis reliquerunt. O mira res, & partibus his inauditum, sed percelebre miraculum, & ut diligentissimis per nos factis informationibus cum Petro de Curtiniaco, Henrico de Pratellis, Andrea de Feritate, Rofredo de Puteaco, Odone de Porco-mortuo, & pluribus aliis, qui eum die ipsam noctem præcedente viderant, & cum ipso comederant, & loquuti fuerant, reperimus certissimum:

Excitatus igitur à somno, ut vidit se à vinculis absolutum, & à perfidis Ismaelitis liberatum in eo quo præmisimus loco esse, altissimas mente & ore Altissimo depromens voces, ad vos VVILLELMUM venerabilem abbatem monasterii vestri Tironensis celerrimè mittens, & vices vestras deposcens, veterem hominem cum sæculari militia se exuens, novum hominem, habitum videlicet sacræ vestræ religionis Tironensis in eodem loco assumsit: se & locum ipsum cum ejus terris, vineis, pratis, pascuis, nemoribus, decimis & reditibus, & pertinentiis universis; & sua ubilibet consistentia bona ipsi vestro Tironensi ad opus victualium & necessitatum per abbatem Tironensem ordinandos & ordinanda, distribuendos & distribuenda tribuens & donans, gratias agens Deo & dicens: A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me. Deduxisti me quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici: inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum, quoniam tu Deus exaudisti orationem meam, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum. Fit monachus Tironensis.

Ædificata est ergo capella, quam nos demum cum tribus altaribus dedicavimus, & altaria consecravimus: majus altare in honorem Domini nostri Jesu Christi & B. Mariæ Magdalenes ejus apostolæ consecrantes.

Qualis Monachus factus vixerit.

Postquam verò sæculum relinquens, religionem vestram monachus factus ingressus est, adeo tam sanctam vitam & arduam, ut novimus, duxit, ut præter panem & aquam vel oleum, sale condita nulla sumeret cibaria, nisi fortè festivi diei amor, seu solemnitas, vel magnorum supervenientium virorum hospitalitas eum amplius sumere coegerint. Aspectus autem non solùm feminarum, sed etiam virorum à sua præsentia removebat, ut ab hominibus summotus solum spectaret adventus angelicos, & cresceret in divinitate quod deerat in homine. Lectulum à monachatu numquam habuit, lectaria nescivit, in pluma caput numquam reclinavit; sed veste tantummodo qua die usus erat, nocte contentus est. Pro molli autem lana hirsuto cilicio induebatur, ut inter horas soporis non esset requies corporis, & mutato ordine adhuc post peractum diem nox succederet in labore. Vestis superior tam vilis erat & despicabilis, ut cuculla quæ habitualis erat & modici seu nullius pretii vestis, alterius comparatione pannus aureus esset. Eratque diurnalis oratio & nocturnalis quies in locello parvo retro altare capellæ, quam, ut prædiximus, ipsius precibus dedicavimus. Ibi continui singultus & lacrymæ, ibi assiduæ vigiliæ & orationes, ibi cotidianum jejunium: nescires eum alibi quærere, nullam alibi recipere, corporis refocillationem. Heu me miserum peccatorem! Interrogatus persæpius à nobis cur tam se vilesceret, & non aliquantulum secundum sui sanguinis statum se gereret, aut saltem alio in loco quam in illo corpus recrearet; citò respondit, Nimis olim fuit recreatum corpus meum ad sæculi statum; nunc instat ut reddat quæ sumsit nimis. Sed cùm de loco illo nulla responsa dederit, aliquid in eodem divini esse certè speramus; & hac de re quamdiu in hac fragili vita degemus, locellum ipsum summè veneramur, & quotiens ad ipsum accedimus, & orationes ac preces in eo fundimus, aliquid divinæ inspirationis, & multum devotionis erga Deum nobis plus evenisse seu accrevisse perspicimus. Humus in ipso locello lectum ministrabat; & ubi caput reclinabat, terra aliquantulum prominens pulvinar concedebat.

Varia edit miracula.

Vidimus plures febricantes & alios infirmos ad ipsum stratum suum venire, & in ipso dormientes sanos & incolumes ad propria remeare: alios autem si non statim, saltem paulo post tempore sanitatem recuperasse. Lectum tamen in camera sua satis honorificum habebat, qui non, nisi ut mundanus sicut ceteri videretur, sibi serviebat. Inter quæ tempora, reddidit surdis auditum, aliquandoque multimodis languentibus reddita sanitate, ut de ceteris, tamquam ad plenum de eis non certiorati taceamus: Immo quod sub obtentu B. Mariæ Magdalenes in ipsa capella actum est, quodque plurium fide dignorum testimonio novimus referemus.

Dæmoniacum liberat.

Quadam enim die dum cum matre sua Rosimunda prædicta, & aliis quam plurimis hominibus in capella ipsa existeret, supervenit dæmoniacus quidam (Hilgoldus Ruffi nominabatur) gladium evaginatum tenens, quique ex eo multos in ipsis temporibus viros & mulieres vulneraverat: cumque ipse dæmoniacus hac & illac vagaretur, divertit ad ipsam capellam, ubi ADJUTOR sæpenominatus & Rosimunda mater ejus ac dicti homines consistebant: & eam ingrediens, homines retro altare fugere præ timore coëgit: sed ei occurrens ADJUTOR venerabundus ait: O Domina mi B. Maria Magdalene, & hic licet per dæmonem adductus, ad hanc tamen capellam tuam adveniens, non sentiet aliquid de beneficiis tuis? Illico autem ut hæc Adjutor verba personuit, dæmon ab ipso Hilgodo cum magno rugitu recessit; ipse Hilgodus genua humo flectens, omnipotenti Deo & B. Mariæ Magdalenes de reddita incolumitate gratias egit. Quæ nos ab ipso Hilgodo, & aliis qui præsentes erant, per debitam informationem certissima novimus.

Voraginis periculum ex Sequanæ fluvio precibus suis avertit.

Nec prætereundum est aliud item famosissimum & multistupendum miraculum, quod nobis præsentibus sub oculis multorum hominum, beata, ut tenemus, instante Maria Magdalene, peractum est. Erat prope locum ipsum B. Magdalenes prædictum in flumine Sequanæ vorago quædam aquarum, quæ transeuntes nautas voraginem ipsam ignorantes ita dehiscebat, ut nec mercium vel aliorum suppellectilium, nec hominum, immo nec navium ipsarum quicquam ullo umquam tempore vel rediret; & ita retroactis ab ævo temporibus plures homines periclitati fuerant, ac naves, & alia bona submersa. Quod dum semel, postquam in ipso loco sumto vestræ religionis habitu resedit, accidisset; accersiri nos dignum duxit, ut tantæ calamitati ope vel consilio succurreremus. Celebrata igitur per nos in ipso loco missa de Spiritu-sancto, ad ipsam voraginem, non sine magnis lachrymis & lamentis, nos & venerandus Adjutor naviculam ascendentes, properavimus. Nos verò, quem, quod absorberemur à voragine, timor tenebat pavidum, ipsi ADJUTORI suggerebamus ne huic nos subjiceremus discrimini & fortunæ, cum ille: Potens est Dominus meritis B. Mariæ Magdalene liberare nos in præsenti & pro in futurum populum, & hac die coram omnibus exercere virtutes. Sub confidentia igitur Dei & B. Mariæ Magdalenes & securitate Beati viri pariter ad locum voraginis protendentes; cùm jam nos ad voraginem fluminis impetus attraheret, Benedic Domine Præsul, ait nobis, & signum crucis ede, aspersoriumque aquæ benedictæ in locum projice voraginis: quæ illico complevimus.

Ipse aliquando de ferris à quibus B. Mariæ Magdalenes & sancti Bernardi precibus liberatus fuerat, in ipsum locum projecit: dicens sic: Potest Dominus meritis B. Mariæ Magdalenes & beatissimi Bernardi liberare populum suum, sicut me eorum precibus liberavit. His dictis & factis, subito vorago illa quæ

abyssi profunda petebat, facta est aquarum A grata planities; euntesque desuper huc & illuc nos & ceteri qui à remotis steterant, nautæ, stupore mentis attoniti, gratulabundi tamen & gaudentes ad propria remeavimus, nullusque ex post suffragante gratia divina & B. Maria Magdalene, ibi periclitatus est, nec vorago amplius visa.

Possemus si vellemus alia multimoda in ipso loco, ut à quamplurimis fide dignis audivimus, meritis & precibus beatæ Mariæ Magdalenes tam vivente ipso venerabili ADJUTORE, quàm post ejus decessum patrata miracula narrare; sed ea tantum inserimus, quæ vel nos ipsi vidimus, vel plurimorum fide dignorum attestatione certissima novimus. Et quia in laudem & exaltationem B. Mariæ Magdalenes multi tam evangelistarum quàm aliorum sanctorum prodiere libri; ideoque nec ad ipsius exaltationem dignus est sermo noster. Ideo venerabili nostro ADJUTORI, cui in majori parte principia hujus paginæ dedimus & media, & de quo ut plurimum per vos & alios requisiti sumus, finis paginæ dabitur.

Quæ præsertim in eo laudanda.

Laudent alii expulsorem dæmonum, curatorem cadaverum, ceterisque miraculis pollentem: nos ADJUTORIS nostri præmia patientiæ laudabimus, virtutem Dei, contemtum rerum, post hæc animarum lucrum, restaurationem cœnobiorum; vestitum cibumque monachorum, pacem ecclesiarum, concordiam regum & principum, custodiam viarum, omnium instantiam mandatorum, perseverantiam vigiliarum & orationum, respectus pauperum, correptionem juvenum, honorem senum, emendationem morum, amorem virginum, consolationem continentium, misericordiam miserorum, intemeratam observantiam regularum & mandatorum, ac postremum specimen omnium virtutum.

Ejus obitus.

Appropinquante demum vitæ suæ fine, cum resolutionem sui corporis imminere cognoscerel, nos & Willemum abbatem suum Tironensem ad se duxit evocandos: ad quem nos prædicti cum pluribus aliis flentes & gementes convenimus: cujus auditis de suo fine verbis, B interrogavimus eum: Frater ADJUTOR, ubi sepulturam corporis tui prædestinatam habes? Ad hæc vir Dei respondit: In hac capellula, si placuerit Domino abbati meo. Erat autem vir ipse venerandus humi decubans in lectulo illo, de quo supra scripsimus, retro B. Mariæ Magdalenes altare, in quo divinis sacramentis munitus, indutus ut semper erat, secundo Calendas Maii migravit ad Dominum. Et licet naturali dolore contristati simus; gaudebamus tamen, quia tantum ac talem apud Deum pro nobis præmiserimus patronum & adjutorem. Triumphet spirituali tripudio Pontifex, sacerdotes stolas splendentes exaltent C justitiæ, monachi beatorum lætentur operum fortitudine, ac cincti virtutum decore, omnisque ordo Ecclesiasticus omnipotenti Deo pia reboet carmina, laica turba cum sexu femineo alternatim, & provocent juvenes & virgines, senes cum junioribus dicamus omnes prece supplici sanctissima Maria Magdalenes, & tu Sancte vir ADJUTOR succurrite nobis.





ALGERI SCHOLASTICI LIBER DE MISERICORDIA ET JUSTITIA

Ex ms. Clarevallensi.

ADMONITIO PRÆVIA.



ALGERI *Scholastici viri suo tempore eruditissimi librum* de Misericordia & Justitia, *reperimus in tribus vetustissimis codicibus manu exaratis; uno celeberimi monasterii Clarevallensis ordinis Cisterciensis, altero monasterii Villariensis in Brabantia, tertio insignis monasterii Alnensis ad Sabim fluvium in diocesi Leodiensi. Eumdem librum in uno & altero horum cœnobiorum viderat olim noster Mabillonius, edendum in tomo secundo suorum Analectorum, si ipsius copiam habere potuisset, uti ipse testatur in præfatione ad eumdem tomum. Nos vero illo feliciores acceptum beneficio Reverendissimi Domini* Petri Bouchu *abbatis Clarevallis meritissimi, viri zelo regulari observantiæ inprimis commendandi, qui pro sua summa humanitate nobis describendum curavit ac transmisit, hic publici juris facimus.*

Hunc autem librum tres in partes divisit Algerus, in quarum prima agit de misericordia, quomodo scilicet & quamdiu malis sit exhibenda; in secunda de justitia, quo scilicet tempore, ordine vel discretione contra eosdem sit exercenda; in tertia vero de variis hæresibus, quomodo scilicet in sua suorumve sacramentorum differant damnatione aliquo modo a catholicis, aliquo autem à seipsis. *Quidquid verò tractandum suscipit, hoc sanctorum patrum aut conciliorum auctoritate probare & confirmare nititur, quorum verba aliquando truncata non semper integra refert, sed ea tantum quæ ad suum propositum facere videntur. De Algero vero pluribus disputare omnino superfluum existimamus, cum satis superque eum commendet sequens Nicolai Leodiensis præfatio, quæ in manuscriptis codicibus ejus operibus præmittitur.*

INCIPIT PRÆFATIO DOMNI NICOLAI LEODIENSIS, IN LIBROS Magiſtri Algeri.

ALGERUS Leodienſis ab ipſa infantia totum ſe litterarum ſtudio tradens ſub clariſſimis viris, quorum ſcientia & honeſtis moribus tunc temporis Leodienſis fulgebat eccleſia, Francia illuſtrabatur, nobiliter floruit: adeo ut nulla ei Chriſtianæ fidei regula videretur incognita, nulla liberalium artium aliena. Et ut de moribus ejus aliquid memoriæ tradamus; primò in Eccleſia ſancti Bartholomæi apoſtoli, quæ eſt in ſuburbio Leodii, Deo militavit; profeſſione & habitu clericus, gradu diaconus, officio ſcholaſticus: procedente verò tempore in majorem eccleſiam ſanctæ Mariæ, ſanctique Lamberti ab OBERTO epiſcopo honorabiliter tranſlatus, & à prioribus gratanter exceptus, uſque ad obitum felicis memoriæ FRIDERICI epiſcopi, annis ferè viginti, pro eccleaſiſticis negotiis ad diverſas perſonas & eccleſias multas inſignes conſcripſit epiſtolas, quæ à pleriſque ſummo conſervantur & leguntur ſtudio. Et quoniam ei in omni vita ſua aurea mediocritas familiaris extitit: in appetenda divitiarum extollentia prorſus ab omni ambitione alienus apparuit. Nam cùm à nonnullis epiſcopis Saxoniæ ſeu Germaniæ ob egregiam tam in philoſophis quàm in ſacris litteris famam expeteretur, & copioſis poſſeſſionum reditibus & magnis eccleſiaſticis dignitatibus invitaretur: privatum quem tenebat locum ſublimiori prætulit, dicens illud Salomonis: *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis.* (Eccl. 5. 9.) Erat autem ſubtili ingenio, facundo eloquio, in conſilio prudens, in diſpenſatione rei domeſticæ diligens; in commiſſo fidelis, in propoſito ſtabilis: & quod his omnibus eſt precioſius, exiſtimabatur, & erat tam fide quàm doctrinâ catholicus. Antiquam dignitatem Leodienſis eccleſiæ relatione & ſcriptis majorum adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam ad ſubſidium memoriæ ſcriptam poſteritatis reliquerit: ne quorumdam clericorum ſeditionibus, qui novis rebus ſtudent, aliquando labefactaretur, aut veniret in dubium, quod propter communis concordiæ bonum ad majoris eccleſiæ ſpectat privilegium. Hic itaque poſt obitum FRIDERICI epiſcopi cùm rebus abundaret, & firmo corpore & integris ſenſibus plurimùm valeret, ordinatis rebus ſuis, nudum Chriſtum nudus ſequens arctiorem, & ideo feliciorem vitam ſub ſancti Benedicti regulâ aggreſſus eſt in Cluniacenſi cœnobio: ubi nunc uſque ſupereſſe dicitur, non ſine magno ſanctæ converſationis & doctrinæ præconio. Inter cetera ingenii ſui monimenta in clericatu adhuc poſitus, duos tractatus edidit: eccleſiaſticis negotiis & catholicæ fidei valdè utiles. Quorum primum intitulavit *de Miſericordia & Juſtitia*, auctoris nomine humilitatis gratiâ ſuppreſſo: quem tri- A bus diviſit particulis: Quarum prima temperando juſtitiam miſericordia, ſufficienter agit de malorum toletantia; ſecunda de eccleſiaſticis peccatoribus & eorum canonicâ correctione: tertia verò de his qui extra eccleſiam ſunt & eorum ſacrilega communione. Horum quatuor ſunt ſpecies: excommunicati, damnati, ſchiſmatici, hæretici. Prologi ejus initium ſic ſe habet. *Quiſquis ſim non pondus vel momentum temporis quod Jetro Moyſi pro modulo ſuo omnibus Catholicis.* Alium verò tractatum edidit, tanto nobiliorem quanto ſubli- B miorem, utpote de re mirifica & neceſſaria: de Sacramento ſcilicet Corporis & Sanguinis Domini; de quo varii errores variæque proveniebant hæreſes. Quod quidem myſterium, ut in præfatione ejuſdem operis invenitur, quamvis ſit incomprehenſibile, non tamen fidelibus videatur incredibile, quòd non humanâ ratione, quæ ad hoc non ſuppetit; ſed ipſius Chriſti ſanctorumque ſuorum teſtimoniis, quibus eccleſia roboratur, affirmat & aſtruit. Hoc opus in tres partes dividitur, prima expeditè ait de veritate & virtute Corporis Chriſti, continens viginti duo capitula; ſecunda de ipſius ſacramenti variis quæſtioni- C bus, diſtincta decem capitulis; tertia quæ ad inveſtiganda videtur difficilior, ſub quatuordecim capitulis agit de miniſtris extra-eccleſiaſticis peccatoribus, hæreticis vel ſchiſmaticis: ſi vera, ſi rata ſint, quæ celebrare videntur ſacramenta, an potius vocentur & ſint ſacrilegia. Complectamur igitur ſummo deſiderio præclari ingenii opus laudabile: in quo nihil invenitur ſanctorum dictis diſſonum, nihil catholicæ fidei contrarium.

Explicit Præfatio.

D

INCIPIT EPISTOLA MAGISTRI ALGERI LEODIENSIS

QUiſquis ſim, non pondus vel momentum temporis: quod Jethro Moyſi pro modulo ſuo omnibus Catholicis. Perpendens ſanctæ eccleſiæ ſtatum variis erroribus variiſque ſchiſmatibus concuti, pro eo quòd præcepta canonum à pravis vel neſciuntur vel negliguntur, à ſimplicioribus verò vel non ſuo intellectu vel non ſua diſcretione capiuntur, prout votis meis omnipotens aſpiravit gratia, ita omnibus deduxi ad medium, ut diſcretione veritatis bonorum adjuvaretur de- E votio, & canonicæ autoritatis evidentia perverſorum vinceretur contentio. Quia enim præcepta canonica, alia ſunt miſericordiæ, alia juſtitiæ, adeo diſcreta variis ordinibus, variis perſonis & temporibus, ut nunc miſericordia

omnino remittat justitiam, nunc justitia omnino dissimulet misericordiam; qui per discretionem nesciunt tam diversa temperare, putant ea sibi per contrarietatem discorditer obviare: non attendentes hunc esse modum ecclesiastici regiminis, seu indulgendo, seu puniendo, eamdem intentionem caritatis, eamdem operationem servare salutis, ideoque canonicis regulis non canonicè utentes, sic præcepta præceptis diverberant & impugnant, ut aliquando per indebitam gratiam, suum justitiæ; aliquando per intemperatam justitiam, suum gratiæ locum auferant. Quia igitur præcepta canonica variis personis, euntibus temporibus, vario ordine, varia discretione, contemperanda sunt, ut aliter hæreticus, aliter peccator, aliter subditus, aliter prælatus, sed & aliter & aliter arguendus sit quicumque varia intentione, vel operatione, vel conditione discretus, ad hæc quantùm dedit Deus discernendum elaboravi, ut in canonibus adeo intentionis, utilitatis, veritatis eluceret unitas, ut nullam contrarietatis discordiam pararet aliqua eorum diversitas. Cùm enim universæ viæ Domini sint misericordia & veritas, quia pœnitentibus venia, induratis debetur vindicta, quò suâ discretione altera non præjudicet alteri, ipsis sacrorum canonum auctoritatibus conatus sum exponere, prout potui: ita ut quod pium est, non nisi justè; quod justum est, non nisi piè dispensandum esse comprobans: non istius illi, non illius isti, sed suum cuique modum, pro hæresi vel crimine, pro persona vel tempore, non confuso jure vel ordine, distinguerem ad judicium vel gratiam. In tantæ autem rei evidentia æquâ auctoritate sanctorum facta sicut etiam edicta posui: quia sicut eorum præceptis obediendum est, sic etiam & facta eorum imitanda sunt. Quia cum etiam Dominus Jesus priùs cœpisset facere quàm docere, quis eos aliter credat docuisse quàm fecisse? Tres igitur particulas divisi, ut in prima agam de gratia: quomodo scilicet & quamdiu tolerandis malis sit exhibenda. In secunda de justitia; quo scilicet tempore, vel ordine, vel discretione, contra eosdem sit exercenda. In tertia verò de variis hæresibus; quomodo scilicet in sua suorumve sacramentorum damnatione differant, aliquo modo quidem à Catholicis, aliquo autem à seipsis. Sed quia, ut « ait Augustinus ad Hieronymum, potest fieri, ut « tibi aliud videatur quàm habet veritas, dum « tamen abs te aliud non fiat quàm habet caritas, si fortè minùs discretè sanctorum dicta « distorsisse videor, ut errori meo, si quis est, « nullam defendam auctoritatem: caritati tamen suam reposco vicissitudinem: ut qui fraternæ utilitatis causâ hoc opusculum composui, si negligitur, quod negligenter; non saltem negligatur si quid ego tantillus sanctorum decretis salubriter astruere potui. Ut enim Augustinus ait in epistola sua ad Bonefacium, non quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum virorum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non « liceat, salvâ honorificentiâ quæ illis debetur, « aliquid in eorum scriptis improbare vel respuere; si fortè invenerimus quod aliter senserint, « quàm habet veritas, divino adjutorio vel aliis « intellecta vel nobis. Talis ego sum in scriptis « aliorum, tales volo esse intellectores meorum. « Item Isidorus ad Mesanum episcopum, « capitulo x. In fine autem hujus epistolæ hoc « adjiciendum putavi; ut quotiescumque in gestis conciliorum discors sententia invenitur, « illius concilii magis teneatur sententia, cujus « antiquior & paucior extat auctoritas. Cùm ergo tanti talesque viri sua, vel aliorum scripta, vel etiam quorumlibet conciliorum sententias, aliorum discretioni reliquerint examinandas vel corrigendas; quis ego sum ut meis correctoribus succensere audeam; dum non propter me mea, si qua sunt, bona respuentes, sibimet noceant? Suis ergo titulis quaslibet sententias annotare curavi: ut eis studiosis promtiores essent ad inveniendum, & tardis sereniores ad intelligendum: inter quas & quasdam quasi ex abundanti admiscui, quæ & his quasi à latere subservirent, & suis plenâ fronte suam vicem defenderent.

PARS PRIMA.

Cap. i. *Quòd misericordia præferenda sit omnibus præceptis.* Caput. i.

M*isericordiam & judicium cantabo tibi, Domine*: quia ipse Dominus cum discretione ineffabili, vel in hac vita relaxat peccata pœnitentibus misericorditer, vel etiam in hac vita & in alia judicat, damnando perenniter. Sed quia Dominus ait in evangelio; *Estote misericordes sicut & Pater vester*; & *Nolite judicare, ut non judicemini*, & Jacobus in epistola sua ait: *Misericordia superexaltat judicio*: ideo Psalmista prius posuit misericordiam Deo esse cantandam, quàm judicium. Quia enim vidit magis necessariam omnibus, ut eam à Deo susciperent, ut eam omnes omnibus conservis suis impenderent: quia & princeps apostolorum lapsus est, ut lapsorum culpis ignosceret. Psal. 100. 1. Luc 6 36. Math 7. 1. Jacob 2. 13.

Cap. ii. *Quod misericordia præferenda sit etiam obsequiis divinis.*

Unde Callixtus papa Cap. cci. Sententiam, « quæ misericordiam vetat, non solum tenere, « sed & audire refugite: quia potior est omnibus » holocaustomatibus & sacrificiis. » Cal epist. 2. cap. 6.

Cap. iii. *Quod Christus in evangeliis misericorditer cum præcepto addidit indulgentiam & consilium.*

Unde Dominus misericordissimè disponens Ecclesiam, ut nulli esset difficultas ad vitam promerendam, pro varia capacitate & qualitate nostra triplicem nobis posuit viam: indulgentia, consilio, præcepto. In his sine quibus

ad vitam non potest perveniri, generale præceptum adhibens, ut salvemur: in his vero quibus infecta est fragilitas, & quæ si non prosunt non tamen obsunt, indulgentiam præbens, ne pereamus; in his autem quæ non sunt ad vitam, sed ad majorem coronam invitant, dans consilium, ut perfectionis profectum assequamur. Fragilibus & imperfectis enim dedit indulgentiam in evangelio, ubi cùm de tribus eunuchisandi generibus loqueretur, ad ultimum de illis, qui se pro regno cœlorum castrant, adjungens ait: *Qui potest capere capiat.* Præceptum vero & consilium decrevit in evangelio, ubi cum quæreret ab eo adolescens quid faciendo vitam æternam possideret, prius ei necessaria vitæ præcepta proposuit. Quæ omnia cum se à juventute observasse responderet, justo ordine observàto, Christus adjecit consilium, arbitrio illius relinquens: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes. &c.*

Math. 19. 12. Ibid. 21.

A B

Cap. iv. *Item Paulus idem in suis epistolis*

Huic sententiæ Paulus concordans, unicuique suum virum vel suam uxorem concessit secundum indulgentiam: alterutrum ab alterutro non discedere præcepit post legitimam copulam. De virginibus vero, quarum præceptum non habuit, consilium dedit: bonum si sic essent sicut ipse. Ex his ergo tribus indulgentia & consilium pro arbitrio relinquitur utentium.

Cap. v. *Quod præceptum ipsis etiam prophetis & apostolis cum discretione est relaxatum*

Præceptum vero quamvis sit omnibus necessarium, pro variis tamen rationalibus causis, ex auctoritate canonica persæpe est relaxandum: Sicut mira pietate ad fratrum salutem sanctis quàm pluribus est usurpatum. Nathan enim propheta cum David templum Domino ædificare præcepisset: quia eum ad hæc viderat devotum: postea tamen idem vetuit: quia cùm vir sanguinum esset, spiritu revelante, vidit eum ad hæc non esse idoneum: Paulus quoque cum omni modo vetuisset circumcisionem, utpote figuram veritate fidei supervenientе omninò supervacuam; postmodum tamen ipse eam in Timotheo complevit, non ut eam posse cooperari fidei in aliquo ostenderet; sed ad simplicium errorem destruendum: ne quis circumcisionem æque sacrilegam idolatriam reputaret, cùm eam Dominus suo tempore in umbram futurorum magna utilitate fieri præcepisset. Cum enim Apostolus æque utramque vitaret, diversa tamen causa id agebat: hanc ut superfluam, illam ut sacrilegam. Unde Augustinus ex epistola ad Hieronymum, Paulus « Timotheum circumcidit, Cencris votum per- « solvit, à Jacobo admonitus cum eis qui no- « verant legitima celebranda suscepit: non quia « putaret per ea sacramenta Christianam dari « salutem: sed ut ostenderet ea non tamquam « sacrilega debere damnari, quæ tamen non tan-

1. Paral. 17. 1. Act. 16. 3. Aug. epist. 82.

C D E

quam necessaria vetabat debere appeti. Quod « quia in Timotheo sufficienter ostensum est, non « compulsus est etiam Titus, cùm esset Græcus, « circumcidi.

Cap. vi. *Quod præcepta canonica pro tempore, pro persona, pro variis rerum eventibus, vel partim temperata, vel omnino sint intermissa.*

Inveniuntur etiam præcepta canonica pro tempore, pro persona, pro variis rerum eventibus, vel partim temperata, vel omnino intermissa.

Cap. vii. *Præceptum solo pietatis intuitu intermissum pro eventu rei.*

Cùm enim Leo in decretis suis capite xlix. dicat, non in cujusque persona prætermittendum est quod in statutis generalibus continetur: postmodum tamen ait, in eisdem de laïcis subito contra decreta canonum ordinatis episcopis: Exigunt causæ, ut non solum in tales « præsules, sed & in ordinatores eorum compe- « tens ultio proferatur: Sed circumstant nos « hinc mansuetudo misericordiæ, hinc censura « justitiæ, ut credamus quædam delicta utcum- « que toleranda, quædam verò penitus ampu- « tanda. Illos ergo quorum provectio hoc tantum « reprehensionis incurrit, quod ex laïcis ad offi- « cium episcopale delecti sunt, tenere permitti- « mus, non præjudicantes apostolicæ sedis statu- « tis, nec beatorum patrum regulas resolventes, « quia remissio non dat licentiam delinquendi, « nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit « amplius impunè committi: ne quod ad tem- « pus pia lenitate concessimus, justa postmodum « ultione plectamur. Hic Leo pro eventu rei, quia electi fuerunt & consecrati ex laïcis episcopi pietate interveniente, pepercit & electoribus, & ipsis consecratoribus, & ipsis consecratis.

Leo Epist. 87. Leo. ibid.

Cap. viii. *Item personâ.*

Item Gregorius pro qualitate personæ, pietate interveniente, ait Januario episcopo in epistola sua: Tanta nequitia ad aures meas de tua senectute pervenit: ut eam, nisi adhuc hu- « manitus pensaremus, fixa jam maledictione « feriremus: & quidem pene sententia in te « fuerat jaculanda; sed quia simplicitatem tuam « cum senectute novimus, interim tacemus. « Sed tamen huic parcens consiliarios hujus sce- « leris excommunicavit: dicens Januario Episco- « po: Deinceps ab eorum conciliis cautior existe: « ne si eis in malo discipulus fueris, quibus ma- « gister in bono esse debuisti, nec simplicitati « tuæ ulterius, nec senectuti parcamus. «

Gregor. Lib. 9. epist. 1.

Cap. xi. *Item necessitatis intuitu pro tempore.*

Item Innocentius Papa, cùm pro necessitate temporis, ne nimium scandalum esset in Ecclesia, ordinatos à Bonoso hæretico susciperet: ait in decretis suis capite v. Quod re- « medio ac necessitate temporis statutum est, « constat primitus non fuisse. Quod ergo neces- « sitas

Innoc. epist. 22. n. 5.

sitas pro remedio reperit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat: quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit.

Cap. x. *Item pro tempore.*

Gelas. epist. 9. ad episc. Luc.

Item Gelasius Papa cum pro necessitate temporis, quia videbat Italicam Ecclesiam propter belli famisque incursionem ferè omni clericorum officio destitutam, adeò ut plerisque populis subsidium redimendarum deesset animarum, concederet de monachis, vel etiam de laïcis assumi clericos, ait in decretis suis cap. I. necessaria rerum dispositione constringimur & apostolicæ sedis moderatione convenimur, sic canonum paternorum decreta librare; ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, diligenti consideratione quantum potest fieri temperemus. Postmodum cap. 2. ait: Priscis igitur pro sui reverentia manentibus institutis, quæ ubi nulla rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, eatenus ecclesiis quæ vel cunctis vel sufficientibus privatæ sunt ministris, ut pluribus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant; concedimus ut si quis de disciplinis monasterialibus ad clericale munus accedit, & maxime de laïcis, ante acta vita requiratur, ne sit aliquo gravi facinore infectus, vel illiteratus vel bigamus, vel ab alio derelictam sortitus, vel corpore vitiatus, vel servilis aut originariæ conditionis, vel curiæ vel publicarum rerum nexibus implicitus, vel publica pœnitentia notatus, vel nulla congruentia temporis expectatione discussus.

Cap. xi. *Item intuitu pietatis pro eventu præceptum partim temperatum.*

Postmodum tamen in eisdem decretis cap. 6. de illiteratis & corpore vitiatis ait: Si qui vel propria temeritate, vel incuria præsidentium tales suscepti sunt, nihil ultra promotionis accipiant: satisque habeant hoc sibi pro nimia miseratione concessum. Item ex decretis Syricii Papæ cap 15. de pœnitente, digamo, vel viduæ marito clerico facto: nos interim solo pietatis intuitu necesse est clementer ignoscere, quicumque pœnitens, quicumque digamus, quicumque viduæ maritus, ad sacram militiam indebitè incompetenterque irrepserit, hac sibi conditione à nobis veniam relaxatam intelligat, ut magno debeat computare beneficio, si ademta sibi omni spe promotionis, in quo invenitur ordine, in hoc perpetua stabilitate permaneat.

Syric. epist. 1. ad Himer.

Cap. xii. *Item necessitatis intuitu intermissum.*

Idem Papa cùm de quodam episcopo præter notitiam metropolitani ordinato, inter coëpiscos grave scandalum fieret: ait in epistola sua cap. 2. Quoniam quidquid ab alterutra

A parte est indicatum, omni videmus perversitate confusum, temporum necessitate prospecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod gestum est: ut deinceps nullus præter notitiam & consensum metropolitani ordinetur antistes.

Cap. xiii. *Item pietate temperatum.*

Item Leo Papa in decretis suis cap. xv. Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Si qui tamen B clerici ab his pseudoepiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt quæ ad proprios episcopos pertinebant, & ordinatio eorum consensu & judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter vana est habenda talis ordinatio: Cum tamen Constantinopolitanum Concilium de Maximi illicita ordinatione ita decernat: Placuit neque Maximum episcopum esse vel fuisse, nec eos qui ab eo in aliquo gradu clerici sunt ordinati: cum omnia quæ ab eodem perpetrata sunt, C in irritum deducta esse videantur.

Leo epist. 92. Resp. 1.

Conc. const. can. 3.

Cap. xiiii. *Quod necessitate vel utilitate mutilanda sint decreta.*

Item Gelasius Papa in decretis suis cap. ix. quædam pro tempore esse silenda, quæ tamen manifestè non infamant Ecclesiam, etiamsi illa nonnunquam silenda sunt, quæ si ceterorum constat integritas, sola nocere non valeant: illa magnopere sunt præcavenda, quæ recipi sine manifesta declaratione non possunt. Ac si ea ipsa quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum temporumque cogit intuitus, vel accelerare provisionis respectus excusat; quanto magis illa nullatе- D nus sunt mutilanda, quæ nec ulla necessitas, nec evangelica, nec ulla prorsus extorqueat utilitas? Aliquando enim pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ mutilantur & laxantur precepta canonica.

Gelas. epist. 9. cap. 9.

Cap. xv. *Item necessitate.*

Necessitate: ut Innocentius papa in decretis suis Cap. lvi. testatur. Quoties à populis vel à turba peccatur: quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum transire solet. Priora ergo dico dimittenda Dei judicio, E & de reliquo maxima sollicitudine præcavenda.

Cap. xvi. *Item utilitate.*

Utilitate vero: ut in Meldensi concilio Prohibetur de filiis virginum per vim raptarum, & sic ad conjugium raptorum applicatarum tali conjugio generati ecclesiastici ordinibus non applicentur, nisi fortè eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulat, vel evidens meritorum prærogativa commendet. Cui & Petrus concordans ait: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. &c.*

Act. 10. 34.

CAP. XVII. *Item, cùm nullum omnino peccatum sit perpetrandum, mutilatur præceptum canonicum, ut in difficultate majoris & minoris criminis minus sit eligendum.*

Quia ergo in diversis personis à tot sanctis viris pietate, necessitate, utilitate, temperata sunt præcepta canonica: videamus si similiter agendum sit in una quavis persona variis difficultatibus circumventa. Ait Gregorius in moralibus libro XXVI. cum mens inter majora & minora peccata constringitur; si omnino nullus absque peccato evadendi patet aditus, minora semper eligantur; quia qui murorum ambitu ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.

S. Greg. lib. 26. mor.

CAP. XVIII. *Ut turpe promissum non fiat*

Amb. lib. 3. cap. 12. Unde Ambrosius de Officiis lib. III. Nihil promittas inhonestum, aut si promiseris tolerabilius promissa non facere, quàm facere quod est turpe. Item in eodem. Est autem contra officium ecclesiasticum nonnumquam facere promissum, sacramentum custodire, ut Herodes juravit, quoniam quidquid petitus esset daret filiæ Herodis, & dedit caput Johannis.

CAP. XIX. *Ut fides rescindatur.*

Isid. lib. 2. cap. 10. Unde Isidorus in Synonymis. In male promissis rescinde fidem: ut turpe votum & decretum quod incaute vovisti non facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

CAP. XX. *Ut sacramentum non impleatur.*

Lib. 2. Sent cap. 31. Item Isidorus alibi: Tolerabilius est non implere sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio. Ecce cum Deus imperet non per jurare, sancti piè imperant non implere, non quod sit excusabile; sed magis tolerabile.

CAP. XXI. *Ut pro vitanda luxuria inanis gloria toleretur.*

Greg. lib. 3. Past cap. 18. Unde Gregorius in libro Pastoralium capite XLII. Plerumque dum duûm vitiorum languor irruit, & hoc levius, illud fortasse gravius premit: ei nimirum vitio rectiùs sub celeritate subvenitur, per quod festinè ad interitum tenditur. Sæpe tantum qui luxuriæ stimulis premitur, hujus pugnæ metu territus dum se per abstinentiam restringere nititur, inanis gloriæ tentatione fatigatur: In quo nimirum vitium unum nullatenus extinguitur, nisi aliud nutriatur. Tolerandum est igitur, ut per virtutem abstinentiæ interim arrogantia contra juvenem crescat: ne eum per ingluviem à vita luxuria funditus extinguat. Hinc est quod Paulus cùm infirmum auditorem suum perpenderet, aut parva adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gaudere ait: *Vis non timere potestatem? bonum fac:* Rom. 13. 3.

A *& habebis laudem ex illa.* Neque enim ideo bona agenda sunt, ut potestas hujus mundi nulla timeatur, aut per hæc gloria transitoriæ laudis sumatur; sed cum infirmam mentem non posse simul pravitatem & laudem vitare vidit, alterum obtulit, alterum tulit: ut dum animus in quiddam suum familiariter relinquitur, à quodam suo sine dolore toleretur.

CAP. XXII. *Item quod pro vitanda superbia expediat cadere in luxuriam.*

Item, si superbia prægravat, melius est ut in B luxuriam incidat. Unde Augustinus in homeliis suis: Denique fratres mei audeo dicere superbis continentibus, expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest cui inest continentia, si dominetur superbia? Contemsit unde natus est homo, & appetit unde cecidit diabolus. Melius est in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare. Unde Augustinus in Genesis libro ad litteram de bono conjugali: Melius est omnia bona habere vel minora, quam magnum malum cum magno bono: quia in corporis bonis melius est habere Zachæi staturam C cum sanitate, quàm Goliæ cum febre

CAP. XXIII. *Item quod omne peccatum admittendum sit propter vitandum pejus.*

Unde Augustinus: Nullum peccatum est quod non sit admittendum, propter vitandum pejus. Melius est enim habere filios claudos, quam lugere mortuos.

CAP. XXIV. *Qualiter personæ in variis difficultatibus positæ contemperanda sit medicina pastorum.*

D Huic discretioni concordans Gregorius ait in libro Pastorali cap. LXI. Plerumque corpus debile opprimit languor immanis: Cui obviari adjutoriis fortibus debet: Sed corpus debile, adjutorium forte non sustinet. Tanta ergo discretione adjutorium medicus componat, ut pariter & languori obviet, & vita non deficiat. Unde Apostolus: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Hinc Moïses à secreto Dei exiens, coruscantem faciem velat coram populo, quia turpibus claritatis intimæ arcana non indicat. Et ut attendamus quanta discretio adhibenda sit in præceptis divinis dispensandis, idem Gregorius in suis Pastoralibus tot aliter admonendos describit: ut ab imperito cura animarum quæ vere est ars artium, sine E magno stupore legi non possit. Nec enim omnia omnibus, nec eadem diversis prædicanda sunt; sed aliter & aliter aliis. Unde idem in eodem cap. XL. Paulus duobus discipulis non diversa caritate præditis diversa impendens præcepta, ait Timotheo: *Argue, increpa, obsecra in omni patientia.* Item Tito: *Exhortare, & argue cum omni imperio*: ferventiorem temperans, mansuetiorem inflammans. Nec

Greg. Past. part. 3. 37. — 1. Cor. 3. 2 — Ibid. cap. 16. — Tim. 4. 2. — Tit. 2. 15.

« solùm pro personis, sed pro variis temporibus « diversa sunt providenda, scriptum est enim. « Tempus loquendi, tempus evellendi. Ut enim ait Leo in epistola sua Rustico episcopo Nar- « bonensi, sicut quædam sunt quæ nullâ ratio- « ne possunt convelli: ita multa sunt quæ aut « pro consideratione ætatum aut necessitate re- « rum oporteat temperari.

CAP. XXV. *Quòd discretio præceptorum Dei caritate Dei dispensanda sit.*

Leo. epist. 14 Anastasio episc. Tanta autem discretio quanta caritate dispensanda sit, ait idem Leo Athanasio episcopo Thessalonicensi. Plus erga corrigendos agat « benevolentia, quàm severitas: plus cohorta- « tio, quàm commotio: plus caritas quàm po- « testas. Quia ergo plus caritas agere debet quàm potestas, meritò Psalmista misericordiam ante cantandam dixit, quàm judicium: quod tamen suo ordine contra delinquentes aliquando sicut authenticè, ita severè est peragendum. Non enim Paulus sicut alteri patientiam, sic alteri in arguendo daret imperium, si non ad corrigendos perversos aliquando etiam plus tolerantia valeret quam judicium.

CAP. XXVI. *Quòd eos debet punire justitia quos non corrigit misericordia, & quòd palam sunt arguendi, qui palam peccant.*

Dignum est enim, ut quos misericordia non corrigit, justitia puniat; quæ vitandos, arguendos, increpandos, accusandos, deponendos, malos imperat. Cujus ordinem, modum, « causamque distinguens Isidorus, ait: Qui per « blanda verba non corrigitur, castigatus acriùs » necesse est ut arguatur. Cum dolore abscidenda sunt, quæ leviter sanari non possunt. Qui admonitus secreto corrigi de peccato negligit, publicè arguendus est. Palam etiam sunt objurgandi, qui palam nocent; ut dum aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Melius est enim ut pro multorum salvatione unus condemnetur: quàm per unius licentiam multi Greg. Past. part. 2. cap. 6. « periclitentur. Unde Gregorius in Pastoralibus « capite 17. Sit rector contra delinquentium « vitia per zelum justitiæ erectus, ut cum pra- « vorum culpa exigit, jura rectitudinis exigere « non formidet. Necesse est enim à subditis ti- » meantur, quando ab eisdem minimè se ti- » meri deprehendunt: ut humana saltem for- » midine peccare metuant; qui divina judicia » non formidant. Et paulo post: Nonnumquàm » graviùs delinquitur, si inter perversos plus » æqualitas quàm disciplina custoditur. Quia » enim falsa pietate superatus ferire Hely de- » linquentes filios noluit, apud districtum judi- » cem semetipsum cum filiis crudeli damnatione » percussit. Unde idem in eodem capite 21. Ibid. cap. 10. « Nonnulla vehementer sunt increpanda, ut « cùm culpa ab auctore non cognoscitur, quan- « ti sit ponderis ab increpantis ore sentiatur.

A Unde Augustinus in homeliis: A fructibus eo- « rum cognoscetis eos. De quibus malæ opera- « tionis fructibus id est de manifestis peccatis, « sicut sunt stupra, vel blasphemiæ, vel fur- « ta, vel ebrietas, & si quæ sunt alia, nobis ju- » dicare præcipitur. Cùm autem dicitur *Nolite* » Math. 7. 1. *judicare & non judicabimini*, & *nolite condemnare & non condemnabimini*, & *nolite ante tempus judicare quoadusque veniat qui illuminabit* 1. Cor. 4. 5. *abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, de illis dictum intelligimus, quæ dubium est quo animo fiant. Item Augustinus in homeliis suis: Ipsa corripienda sunt coram B omnibus, quæ peccantur coram omnibus: » Aug. Serm. 82. de script. ipsa corripienda secretiùs, quæ peccantur se- » cretiùs.

CAP. XXVII. *Quia canonica decreta alia sunt misericordiæ, alia justitiæ, & ex utrisque temperamentum faciendum est.*

Quia ergo cum discretione misericordiæ & Greg. Past part. 2. cap. 6. justitiæ regenda est Ecclesia, ut ait Gregorius in Pastoralibus suis cap. 17. quoddam ex utrisque temperamentum faciendum est, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, C neque nimia benignitate solvantur. Hinc nam- » que est, quòd docente Veritate, per Sama- » ritani studium semivivus in stabulum duci- » tur, & vinum atque oleum vulneribus ejus » adhibetur: ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quod sancti in decretis suis discretè observantes, aliquoties ea dedere diversa: ut hujus sanctissimi temperamenti præcepta ignaris non temperata, sed repugnantia prorsus videantur & contraria. Sic enim mordent aliquando, ut nullo modo foveant: sic fovent ut nullo modo mordeant. Sed ponantur tres aliqui, unum idemque vi- D tium committere, alius malitiâ, alius ignorantiâ, alius infirmitate: sitque ex his alius obstinatus, alius desperatione fractus, alius pænitentiâ compunctus; numquid uno eodemque modo judicandum est de omnibus? Utique pœnitens est adjuvandus, desperans relevandus: obstinatus vel confutandus vel tolerandus.

CAP. XXVIII. *Quòd iniqui si non possunt corrigi, sunt tolerandi.*

Unde Gregorius in Pastoralibus cap. XXI. » Ibid. cap. 10. E cùm dixisset subjectorum vitia aliquando pru- » denter dissimulanda, sed quia dissimulantur in- » dicanda, aliquando & apertè cognita maturè to- » leranda, aliquando subtiliter occulta perscru- » tanda, aliquando leviter arguenda, aliquando » vehementer increpanda: postmodum de obsti- » natis ait: Quos nequeo corrigere, quasi super » impositum onus porto: sicut Psalmista ait, *Su-* Psal. 128. 3. *pra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Unde amborum de disciplina & increpatione leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti: asperitate increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. Sustinent ergo

sancti æquanimiter ut infirmos, quos emendare non potuerunt castigatos. Blandâ enim pietate tolerandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt.

CAP. XXIX. *Quòd iniqui sint vitandi.*

« Sed econtra idem Ambrosius alibi, pecca- « tum quod cognitum non arguitur multos con- « taminat, immo omnes qui norunt & non de- « vitant, & cùm possent arguere dissimulant. « Non enim sibi videtur peccare, quando à « nullo corripitur vel vitatur. Quod ita intelligendum est. Semper mente ne consentiamus: aliquando etiam corpore, ne consilium, vel auxilium, vel auctoritatem malitiæ præbeamus. Ut enim supra dictum est, Gregorius consiliarios Januarii episcopi excommunicavit, quorum auctoritate & consilio scelus peractum est. Item Eleutherius papa « episcopus in epistola sua: Negligere cùm pos- « sis perturbare perversos, nihil est aliud quàm « fovere: nec caret scrupulo societatis occul- « tæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

Greg lib. 9. epist. 1.

CAP. XXX. *Quod mali non sunt defendendi.*

Prov. 10. 6.

Unde in expositione Proverbiorum. Os « impiorum operit iniquitatem. Impii sunt, qui « vel sua vel proximorum errata, ne ad sani- « tatem perveniant defendendo contegunt.

CAP. XXXI. *Quod mali non sunt adulationibus blandiendi.*

Ezech 13. 18.

Unde Gregorius in Pastoralibus cap. XIX. *Væ qui consuitis pulvillos sub omni cubito manus, & facitis cervicalia sub capite universæ ætatis ad* « *capiendas animas.* Quasi pulvillo cubitus vel « cervicalibus caput jacentis excipitur, cum cor- « ruptionis duritia peccanti subtrahitur, eique « mollities favoris adhibetur, ut in errore molli- « ter jaceat, quem nulla asperitas contradictio- « nis pulsat. Sed hæc rectores, qui seipsos dili- « gunt, his procul dubio exhibent: à quibus se « nosci posse in studio gloriæ temporalis timent.

Greg. Past. part. 2. cap. 8.

CAP. XXXII. *Quod malis prælatis adulatio non est impendenda, sed contradictio.*

Ibid. cap. 6.

Sed ex eadem adulatione, unde hic rectores erga subditos; inde alibi cap. XVII. sub- « ditos erga rectores ostendit arguendos. Ple- « rumque rector eo ipso quo ceteris præeminet « intumescit, & dum ad usum cuncta subjacent, « dum ad votum velociter jussa complentur, dum « omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudi- « bus efferunt, male autem gestis nulla aucto- « ritate contradicunt, dum plerumque laudant « etiam quod reprobare debuerant; seductus ab « his qui infra suppetunt, super se animum tol- « lunt: & dum foris favore circumdatur, intus « veritate vacuatur. Ecce quomodo corporaliter vitandi sunt mali, tam prælati quam subditi, ne scilicet favoris auctoritate, vel defensionis auxi-

A lio, vel ascensus consilio, malum & nostrum & suum cumulemus. Unde idem alibi cap. XXXXI. subditos ne usque ad consensum & favorem malorum prælatis subjiciantur admonet, dicens: Admonendi sunt humiles, ne plusquam expe- » dit sint subjecti, ne cùm student plusquam ne- » cesse est hominibus subjici, compellantur etiam » vitia per adulationem scilicet numerari. »

Ibid. part. 3. cap. 17.

CAP. XXXIII. *Quod in malo non est obediendum.*

Unde Ambrosius in libro de Paradiso: Non » B semper malum est non obedire præcepto. Si bo- » num est præceptum, honesta est obeditio: Quod » si improbum est, non obedire utile. »

CAP. XXXIIII. *Quod prælati mali sunt arguendi & corripiendi à subditis.*

Verè enim nisi subditi malis prælatis vitabundi aliquando sint, ne ad votum mala jussa compleant, sed cum auctoritate mala eorum reprobant, ut contradicant seductioni illorum, reos se sciant. Si enim asina Balaam sessorem usque ad gladium Angeli subvexisset, nonne uterque eorum sententiam subisset? Nunc autem ei res- C titit, calces allisit, verbis contra naturam increpavit, sicque se ut illum servavit. Sic & Paulus restitit in faciem Petro: quia reprehensibilis erat. Unde scriptum est in epistola ad Hieronymum: Petrus quod fiebat à Paulo utiliter libertate caritatis sanctæ ac benignæ pietate » humilitatis accepit, atque ita rarius ac san- » ctius posteris præbuit exemplum, quo non de- » dignarentur majores, sicubi forte recti trami- » tem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, » & prioribus quasi Paulo confidentius auderent » etiam minores pro defendenda evangelica ve- » D ritate, salva fraterna caritate, resistere. Nam » cum satius sit à tenendo itinere, in nullo quam » in aliquo declinare: multo tamen est mirabi- » lius & laudabilius accipere libenter corrigen- » tem, quam audacter declinare deviantem. »

Aug. epist. 82. ad Hieron.

CAP. XXXV. *Quod prælatus correctionem subditorum libenter amplecti debet.*

Item Gregorius in Pastoralibus cap. XIX. » Prælatus qui prava studet agere, & tamen ad » hæc videt subditos tacere; ipse sibimet » testis est, quia plus veritate se appetit diligi, » quam contra se non vult deffendi. Hinc Petrus » E increpationem Pauli libenter accepit; hinc » David correctionem subditi libenter audivit: » quia & rectores boni dum privato amore diligere se nesciunt, liberæ puritatis verbum à sub- » ditis, obsequium humilitatis credunt. Sed ec- » ce cum superius visus sit dicere, ut subditi prælatis fraternè & liberè contradicant, & arguant, & prælati hæc à subditis benignè & humiliter suscipiant, dicens laudabile quidem esse sub- » ditos corrigere, sed laudabilius prælatos corre- » ctionem audire, hæc contradicere videtur, quod modo temerè & indiscretè fiat. Unde subdit:

Greg. Past part. 2. cap. 8.
Gal. 2. 11.
1. Reg. 24. 7.

CAP. XXXVI. *Quod subditi non temerè vel amarè, sed humiliter & discretè prælatos reprehendere debent.*

Ibid. « Sed inter hæc necesse est, quatenus subditorum mens, cum quidem rectè sentire potuerit, sic in vocis libertatem prodeat, ut tamen libertas in superbiam non erumpat: ne dum fortè immoderatius linguæ eis libertas conceditur, vitæ ab his humilitas amittatur. Hic de superioribus nihil retractat, nisi tamen ut humiliter fiat.

CAP. XXXVII. *Quod subditi quamvis prælatorum vitia reprehendant, tamen eis exhibere debent subjectionis reverentiam.*

Greg. Past. part. 3. cap. 4. « Item in eodem capitulo XXVIII. admonendi subditi sunt, ne præpositorum suorum vitam temere, id est non suo ordine, vel non suo tempore, vel aliis incompetentiis judicent, si quid eos agere reprehensibiliter vident: ne unde mala rectè redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur; sed sic rerum prava apud se dijudicant, ut tamen divino timore & amore constricti, sub eis jugum reverentiæ non recusent. Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cùm rectè reprehendenda videantur: quia nec vehementer, nec amarè, sed leniter & secretè ad tempus sunt arguenda. Si enim prælatus secretè peccat, ut etiam superius de subditis dictum est, secretè arguendus est à subdito. Quod si secretum publicaverit, sicut Cham damnabitur, quia patris verenda detexit.

CAP. XXXVIII. *Quod subditi prælatorum occulta vitia publicare non debent, sed magis tolerare, ne cum merito constituatur plebis princeps, culpam suam in eis vindicent.*

Anacl. epist. 3. cap. 5. « Unde Anacletus papa in epistola sua omnibus episcopis cap. III. Sententia Cham filii Noë damnantur qui suorum doctorum vel præpositorum culpam produnt, qui patris pudenda non operuit, sed deridenda monstravit. Doctor autem vel pastor ecclesiæ, si à fide exorbitaverit, erit à fidelibus omnino corrigendus, sed pro reprobis moribus magis tolerandus: quia rectores Ecclesiæ à Deo judicandi sunt, sicut ait propheta: *Deus stetit in synagoga Deorum: in medio autem deos dijudicat.* (Psal. 81.) Unde oportet unumquemque fidelem si viderit, aut cognoverit plebes adversus pastorem suum tumescere, aut clerum detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus extirpare, prudenterque corrigere satagat, nec eis in quibuscumque negotiis misceri, si incorrigibiles apparuerint antequam suo reconcilientur doctori, præsumat. In quo intelligendum est, vel occultas pastorum sicut aliorum culpas, vel etiam eorum manifestas Deo peculiarius quàm aliorum reservandas. Si enim omnino Dei judicio sunt reservanda prælatorum peccata, quid ergo deponi & damnari pro variis suis culpis imperant judicia ecclesiastica? Hic autem nihil de superioribus retractat, ubi detractionem, & paternorum secretorum publicationem, nec correctionem, sed derisionem vetat: & in his etiam non omnimodo, sed magis tolerandum mandat, & causam quare tolerandus sit eodem capitulo adjecit: quia forsitan pro subditorum merito ille delinquit. Ait enim pro meritis plebis sæpe pastores depravantur ecclesiæ, ut proclivius corruant qui sequuntur. Capite enim languescente, facilius reliqua corporis inficiuntur, sicut scriptum est; *Omne caput languidum &c.* tolerare enim debent quem sua culpa vident languentem.

CAP. XXXIX. *Quod prælatus à subditis, nisi à fide deviaverit magis tolerandus est, quam accusandus aut detrahendus.*

Item capite II. Fabianus præsul omnibus episcopis: Statuentes apostolica autoritate jubemus, ut pastorem suum oves, quæ ei commissæ fuerint, nisi in fide erraverit, reprehendere non audeant. Si à fide deviaverit; erit corrigendus prius secretè à subditis. Quod si incorrigibilis, quod absit, apparuerit; tunc erit accusandus ad primates suos, aut ad sedem apostolicam. Pro aliis vero actibus suis, magis est tolerandus, quàm accusandus ab ovibus suis, aut publicè derogandus: quia cùm in eis à subditis derelinquitur, ejus ordinationi obviatur, qui eos prætulit ei dicente Apostolo: *Dei ordinationi resistit, qui potestati resistit* §. (Fab. epist. 2. cap. 2.) Quod decretum cum fere idem sit quod superius, eodem modo est intelligendum: quia non omnino, sed magis est tolerandus, nec revera publicè est derogandus, ne contrarium sit aliis decretis. Et ne ea quæ in prælatis occulta sunt, admodum Cham filii Noë publicari debeant, testatur Alexander papa omnibus episcopis cap. I. Statuentes decernimus, omnes qui suos patres persequuntur, aut amovere, vel dilacerare manifeste nituntur, infames esse, & à liminibus ecclesiæ alienos, usque ad satisfactionem fieri. (Alex. epist. 1. cap. 1.) Qui ideo infames efficiuntur: quia patres persequuntur, quia scilicet persequi odiosorum & inimicorum est. §. Unde Anacletus in Epistola sua: Deteriores sunt qui doctorum vitam moresque corrumpunt, his qui substantias aliorumque prædia diripiunt. Ipsi autem ea quæ extra nos sunt licet nostra sint auferunt: nostri quoque detractores & morum corruptores nostrorum, sive qui adversum nos armantur, propriè nos ipsi decipiunt, & ideo justè infames sunt, & merito ab ecclesia exteriores fiunt. Multum enim distant damna morum à damnis rerum temporalium, cùm ista extra nos sint, illa vero in nobis. (Anacl. epist. 3. cap. 5.) Ecce quàm superius concessum sit prælatos à subditis caritative argui, hic vetatur odiosè derogari vel infamari. Unde Hieronymus ad Rusticum: Non est de perfecta ætate credendum: quam & vita præterita deffendit & honorat vocabulum dignitatis. Verum quia homines sumus, & interdum (Epist. al. 5. nunc 95.)

" contra annorum maturitatem puerorum vitiis " labimur, si nec vis corrigere, delinquentem " apertè increpa: tamen nec mordeas in occul- " to. Item idem, Quid prodest, si aliis mala mea " referas, si me nescientem detractionibus tuis " vulneres, ut cum certatim omnibus narres, sic " singulis loquaris quasi nulli dixeris? Hoc " est non me emendare, sed vitio tuo satisfacere.

A

CAP. XL. *Quod non usque protendenda est tolerantia malorum, ut spe impunitatis continuæ magis peccetur.*

Sed tamen quia sententia Anacleti, Fabiani ceterorumque sanctorum quam plurimum ad hoc inclinatur, ut prælatus magis sit tolerandus, quam arguendus; videndum est qua distinctione hæc tolerantia habenda sit, cùm " Vigilius Papa è contrario dicat: Res est quidem " divinæ jussioni conveniens patientiam præbere " peccantibus: Quam tamen non usque decet " extendi, ut spe impunitatis continuæ, jugiter " sine correptione peccetur. Ut enim ait Gregorius in Pastoralibus cap. 1. Nemo ampliùs in " Ecclesia peccat, quàm qui perversè agens, " nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Ut enim ait Dominus in Evangelio: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Unde Psalmista, *Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva.* Obscuratis enim oculis dorsum flectitur, quia cùm cæci sint qui peccant, ad portanda peccatorum onera curvantur, qui sequuntur. Quia ergo culpa prælatorum in subditos refunditur, difficilis videtur tolerantia, quando etiam culpis alienis deteriorantur: sed tamen non nocet, si cum discretione necessitatis vel justæ pietatis tam prælatis quàm comparibus exhibeatur.

Greg. Past. part. 1. cap. 2.

Math. 15. 14. Psal. 68. 24.

CAP. XLI. *Quòd ideo tolerandi sunt mali, quia certis documentis accusari non possunt.*

Serm. 351. n. 10.

" Ut enim ait Augustinus in libro de Pœnitentia: Plerique boni Christiani propterea tacent, " & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, " quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ " ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non " possunt. Quamvis enim vera sint omnia: non " tamen judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur.

CAP. XLII. *Quòd non noceat bonis malorum tolerantia, si quantùm, salvâ pace, fieri potest, correctio adhibeatur pro cujusque gradu & persona.*

Isaiæ 52. 11. Aug. Serm. 88. num. 23.

" Item Augustinus in libro de verbis Domini " cap. 28. *Ecce inquiunt*, dicit Propheta, *recedite, exite inde: & immundum ne tetigeritis.* " Quomodo ergo malos pro pace portabimus, à quibus recedere jubemur? Nos hoc spiritualiter intelligimus. Quid est tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid est exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantùm pro cujusque gradu, atque persona, salvâ pace, fieri potest? Redarguisti, corripuisti, adhibes etiam, si res exigit, congruam & quæ unitatem non violat disciplinam: existi inde. Liber es in conspectu Dei, cui Deus neque sua imputat peccata, quia non fecit; neque aliena, quia non approbavit; neque negligentiam, quia non tacuit; neque superbiam, quia in unitate permansit. Sic ergo fratres mei quotquot habetis avaros inter vos, perjuros, adulteros, & ceteros malos, quantùm potestis arguite: & nolite consentire. "

B

CAP. XLIII. *Quòd tolerandi sint mali pro unitate pacis servanda.*

Quòd enim unitas tenenda sit, Augustinus contra Donatistas docet: Dominus servorum suorum tolerantiam confirmavit: Ne dum se boni putant malorum permixtione culpari, per humanas & temerarias dissensiones, aut parvulos perdant, aut parvuli pereant. Quod usque adeo cavendum cælestis Magister præmonuit: ut etiam de præpositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur mali bona discere. Item Augustinus ad Eleisum. Objiciuntur nobis crimina malorum, non nostra, sed aliena; & ipsa partim incognita. " Quæ si etiam verâ præsentiâ videmus, & zizaniis propter frumenta parcentes, impunitatem toleraremus: non solùm nullâ reprehensione, sed etiam non parvâ laude nos dignos diceret quisquis sanctas scripturas non corde surdus audiret. Unde Augustinus super Johannem in cap. 49. quid voluit Dominus admonere Ecclesiam suam, quando unum perditum inter duodecim habere voluit, nisi ut malos toleremus, ne corpus Christi dividamus? Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est, & ne contemnas; fur est & sacrilegus, non qualiscumque, sed Domini loculorum, sed sacrorum. Talis Judas cum discipulis ad cœnam Dominicam accessit: conversari cum eis potuit, inquinare eos non potuit. Item Augustinus in libro secundo loco de pastoribus: Veniet messis & separabuntur zizania à tritico. Non est modò separationis tempus, sed tolerationis. Nunc autem Deus tacet, tu vis loqui. Ipse tacet à vindicta judicii, non à verbo correptionis. Ipse nondum separat, tu vis separare? Si ante ventilationem frumentum vis esse purgatum: tuo vento pessimo ventilaberis. Unde Augustinus de civitate Dei lib. 2. Sed quia iste audit, ille contemnit, pluresque vitiis malè blandientibus quàm utilitati virtutum sunt amicitiores, tolerare Christi famuli jubemur, sive sunt reges, sive sunt principes, vel judices, vel milites, vel provinciales, vel divites, vel pauperes, vel liberi, vel "

C

Epist. 43.

D

E

servi utriuslibet sexus, etiam si necesse sit pessimam flagitiosamque rempublicam : & in illa angelorum sanctorum cælesti republica, ubi Dei voluntas lex est, clarissimum sibi locum ista tolerantia parabit. Unde idem in libro de quæstionibus evangeliorum. Non probatur fortis gravitas frumentorum, nisi perturbationibus paleæ : Quas siquis comprimere non poterit ; veritate defensa cesserit unitate servata. A

Cap. xliv. *Quia aliquando tolerandi sint mali solo pietatis intuitu.*

Aug. lib. 2. de consf. evang. c. 30. Gal. 6. & 2. 5. Sic aliquando tolerandi sunt mali, ut unitas ecclesiæ & pax non turbetur : aliquando solo pietatis & caritatis intuitu. Unde in libro Augustini de Consensu Evangeliorum. Apostolus dicit : *Alter alterius onera portate*, B & rursum. *Unusquisque onus suum portabit.* Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis : alia reddendæ rationis de actibus nostris. Illa cum fratribus communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur. Qui portant invicem onera sua, nisi qui habent caritatem ? qui non habent caritatem graves sunt sibi. Ne prematur talibus oneribus non timeat : sed ne prematur peccatis suis unusquisque attendat. Nam quando portas infirmitatem fratris tui, non te onerant peccata ejus : planè si consentias, jam tua te onerant, non alterius. Vidisti furem : cucurristi cum eo : quod ipsius erat, factum solum est tuum, quia placuit tibi. Si autem displicuerit tibi, & oraveris pro eo, C portas alterius onera, ut alius portet tua ; & implesti legem Christi. Unde in libro Sermonis Domini in monte : Paulus dicit per caritatem servire invicem : quod fieri non potest, nisi alterius infirmitatem quisque habeat sicut suam, ut eam æquanimiter ferat. Unde Augustinus in epistola ad Hieronymum : Factus sum infirmis infirmus : compassione scilicet misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Fit enim tamquam ægrotus qui ministrat ægro : non cùm se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat quomodo sibi serviri vellet si ipse ægrotaret. Unde Augustinus in libro quæstionum cap. 83. Hoc igitur exhibeamus ei cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo exhibetur nobis, si fortè in ea essemus. Unde Gregorius in libro Pastorali cap. 21. *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Ac si dicat : Cùm displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quod es : ut ab increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat timet. Item ex epistola Consilii ad Donatistas : Quisquis in Ecclesia bene vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata : Quia unusquisque onus suum in ea portabit, & *quicumque manducaverit Corpus Christi indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Cùm dicit sibi, satis ostendit quia non alteri, sed sibi : portat enim malus causam suam ; nec præjudicat alteri, quem in consensione mali operis non habet socium criminis.

(Marginal notes: Aug. epist. 40. aliàs 9. — Greg. Past. part. 3. cap. 10. — 1. Cor. 11. 29.)

[a] Videtur hic aliquid deesse v. g. *contubernia*.

Cap. xlv. *Quòd perfectis non est deserenda malorum cohabitatio.*

Unde * Ambrosius : Non est valdè laudabile bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse ; ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. Et hæc quidem videntur sufficere ad probandam innoxiam cohabitationem malorum, si quis ad hæc fortis est, ut exhibere possit eis patientiam, & non assensum. * Immo Greg. lib. 1. moral. c. 1.

Cap. xlvi. *Quòd quibuslibet infirmis malorum etiam corporaliter deserenda sunt* [a] *ne ab eis corrumpantur.* [a]

Si verò impotens est, quin eorum suggestionibus vel exemplis sollicitetur ad malum, audiat Isidorum : Hi qui supernam patriam desiderant, non solùm malorum mores, sed & consortia fugiunt. Si enim fueris conversationis bonorum socius, eris & virtutum eorum. Similis enim simili conjungi solet. Periculosum est vitam cum malis ducere. Perniciosum est cum his qui pravæ voluntatis sunt sociari. Melius est malorum habere odium quàm consortium. Sicut multa bona habet communis vita sanctorum, sic & plura mala afferunt malorum consortia. Unde Hieronymus ad matrem & filiam in Gallia manentes: Quid tibi necesse est in ea versari domo in qua necesse habeas quotidie aut perire aut vincere ? Quis umquam mortalium juxta viperam securos somnos capit ? Quæ etsi non percutiat certè sollicitat. Securiùs est perire non posse quàm juxta periculum non periisse. In altero tranquillitas : in altero gubernatio. Ibi gaudemus : hic evadimus. Difficile inter epulas servare jejunium. Unde & Gregorius cap. 46. Malorum cùm incautè amicitiis jungimur, culpis ligamur. Ab illo qui summè rectus est eo ipso jam discrepat, quo perversorum amicitiis vita nostra concordat.

Cap. xlvii. *Quòd senior districtè increpandus est, quando junioribus malum exemplum præbet.*

Quapropter multùm revera est arguendus, cujus malitia ad hæc prorumpit, ut per eum alii corrumpantur. Unde Gregorius in epistola sua Januario episcopo : *Paulus dicit, seniorem ne increpaveris.* Sed & hæc ejus regula in in eo servanda est, cùm culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum : ubi autem senior juvenibus exemplum ad interitum præbet ; ibi districtâ increpatione feriendus est. Nam scriptum est, *Laqueus juvenum omnes vos.* Et rursum : *Maledictus puer centum annorum.* Ecce, ut auctoritatem habeamus, nos regulam & præcepta sanctorum ad congruum & rerum intellectum

(Marginal notes: Greg. lib. 9. epist. — 1. Tim. 5. 1. — Isa. 42. 22. — Isa. 65. 20.)

" posse restringere, quod Paulus dicit absolutè " & quasi universaliter; hæc Gregorius non ad omnes; sed ad quasdam tantum seniorum culpas non increpandas restringit.

CAP. XLVIII. *Quòd non nocet bonis, etsi sacramenta cum malis etiam cognitis communicent.*

Sed ut hæc dicta sint, de toleranda vel vitanda cohabitatione malorum, quid tenendum est de comparticipatione sacramentorum cum illis? Augustinus contra Donatistas: Quos " corrigere non valemus, etiam si necessitas " cogit, pro salute ceterorum ut Dei sacra- " menta nobiscum communicent toleremus: " Peccatis tamen eorum non communicemus: " quod non fit nisi consentiendo & favendo. " Communio malorum non maculat aliquem " participatione sacramentorum, sed consen- " sione factorum. Item Augustinus ad Emeri- " tum. Et illud non est tacendum, etiam cog- " nitos malos bonis non obesse in Ecclesia, si " eos à communione prohibendi aut potestas " desit, aut aliqua ratio impediendæ pacis im- " pediat. Item ad Emeritum: Manifestum est " non hoc infici hominem, quod est malus quis- " quam cum quo ad altare acceditur, etsi sit " cognitus: si tamen non approbatur, & bona " conscientia displicendo separatur. Item in Ho- " meliis suis: Ut patiaris etiam quem nosti ma- " lum, attende Apostolum dicentem: *Unde* " *quisquis onus suum portabit*: Non cum illo " communices avaritiam; sed communica Christi " mensam, & quid obest si communicas Christi " mensam? *Qui manducat & qui bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Sibi, inquit, non " tibi. Sanè si judex es, si judicandi potestatem " accepisti, si ecclesiastica regula apud te accusa- " tur, si veris documentis testibusque convincitur; " coërce, corripe, excommunica, degrada. "

Aug. epist. 87. n. 2. — Ibid. n. 3. — Gal. 6. 5. — 1. Cor. 11. 24.

CAP. XLIX. *Quòd non noceat sacramenta suscipere à malis prælatis consecrantibus & ministrantibus ea, quamvis hoc sancti quibusdam suis sententiis innuere videantur.*

Sed quid de susceptione sacramentorum ab ipsis prælatis consecrantibus & ministrantibus. Dicit enim Hieronymus in Sophonia de illis: " Sacerdotes qui Eucharistiæ serviunt, Sangui- " nem Domini populis ejus dividunt, impiè " agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam " imprecantibus facere verba non vitam: & ne- " cessariam tamen solemnem orationem, & non " sacerdotum merita. Unde Gregorius in Pasto- " ralibus cap. 10. Cuncti liquidè novimus; quia " cùm ad nos qui displicet ad intercedendum " mittitur, irati animus ad deteriora provoca- " tur. Qui ergo adhuc terrenis desideriis astrin- " gitur, caveat ne districti in se iram judicis " gravius accendens, dum loco delectatur gloriæ, " fiat subditis auctor ruinæ. Item Leo in decretis " suis cap. 48. de malis prælatis: Non est con- " sulere populis, sed nocere; nec præstare re- " gimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum. Nonne enim periculosum est eis subesse, vel quælibet sacramenta à talibus consecrari vel suscipere, quia secundùm has auctoritates non solùm prodesse, sed etiam videantur nocere? quod cum maxima concordia ceterorumque patrum sanctorum est accipiendum, & piè catholicéque resolvendum. Quantùm enim ad veritatem sacramenti, nec à bono melius, nec à malo pejus, conficitur sacerdote. Quantùm verò ad virtutem sacramenti & effectum pro fide & meritis sumentium datur aliis ad salutem, aliis ad judicium. Quod ipse etiam Beatus Hieronymus licet aliud videatur sonare in verbis quibus ad mundiam vitæ sacerdotes hortabatur; tamen eisdem suis verbis & veritatem attestatur sacramenti sacerdotibus malis, & secundùm merita eorum, mala esse eis ad judicium minatur. Dixit enim eos Eucharistiæ servire ex sacerdotali ministerio: quæ si vel sibi, vel alii Eucharistia non esset, servire eos non diceret illi rei quæ omnino nulla esset. Dicit etiam quòd sanguinem Domini populis ejus dividunt: in quo nisi veritatem attenderet sacramenti, nec illud sanguinem Domini diceret, quod sangui. non est; nec populos ejus, sed ex illa communione legem Christi putantes Eucharistiam imprecantis verba facere non vitam: Non dicit eos falsò agere Sacramentum Christi, sed impiè & irreligiosè agere in legem Christi, quia dum in uno offendunt, omnium sunt rei sumendo ad judicium, dum sumunt malè quod est bonum, errantes & putantes ipsum sacramentum Corporis & Sanguinis Domini facere sibi Eucharistiam, id est non judicium, sed bonam gratiam & salutem imprecantis tantum verba, non vitam, cum imprecantis verba solemnia sacramenti perficiant veritatem, non salutem merita verò sacramenti obtineant effectum solùm & salutem, & non verba. Cùm enim illud sit sacramentum in veritate sua omnino unimodum, ad duplicem tamen variatur effectum, ut bonis sit eucharistia salutis, malis verò damnationis judicium. Unde etiam subdit eos impiè agere, putantes ad faciendam & obtinendam Eucharistiam tantùm esse necessariam solemnem orationem, & non sacerdotum merita. Solemnis enim oratio sacerdoti sacramenti efficit veritatem: merita verò salutis ejus obtinent effectum & virtutem. Unde Gregorius in fine Dialogorum. " Tunc enim Deo pro nobis hostiam veram offe- " rimus, si nos ipsos ei hostiam fecerimus. Quia " tunc scilicet salutis, effectum quem promittit " perficiet: Unde & Christus cùm in patria sua præsentiæ suæ exhiberet veritatem, nullam tamen poterat exercere virtutem: & mirabatur propter incredulitatem eorum. Sicut enim sol in se quidem lucet, sed tamen sua præsentia cœcum illuminare non valet; sic pro malis suis meritis non poterat eis Christi signa salutis dare. §. Unde & idem Hieronymus subsequenter adjecit de malis sacerdotibus dicens: De quibus dicitur: Et sacerdos in quacumque

Hier. in Soph. — Greg. lib. 1. Past. c. 10. — Greg. l. 4. Dial. cap. 60.

cumque fuerit macula, non accedet offerre A oblationes Domino. Cùm hoc faciant sacerdotes: nihilominùs clemens & justus est Dominus: Clemens, quod à sua ecclesia non recedit: per scilicet tales ministros præsentiam & veritatem sacramentorum suorum exhibendo ad salutem credentium: Justus, in eo quòd reddit unicuique quod meretur: ut scilicet sit pravis ad judicium in suis sacramentis. Cujus judicii evidentiam non in præsenti, sed in futuro revelandam adjecit. Postquam enim advenerit mane, & nox hujus sæculi pertransierit, dabit in luce judicium suum, & superbos principes, quibus resistit Deus, B quia nolunt ei subesse, de cathedris suis & & de culmine quod tenebant. * In quo notandum est, quòd scilicet mali prælati cathedras & culmen sacramentorum tenere credendi sunt dum vivunt, quamvis eis Deus resistat quantùm ad mala sua merita in ipsis, donec tandem Deus eos detrahat de cathedris quas interim tenent: nisi priùs corrigantur, aut depositi puniantur: & hoc quidem tenendum est de his, qui ad judicium suum Eucharistiam administrant. Sed quod Gregorius dicit, quia cùm displicet qui ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, & hoc modo talis intercessor fit subditis auctor ruinæ: de illis subditis dicit, qui ex industria malos prælatos eligendo, vel malè eis consentiendo, vel etiam imitando eos habent auctores ruinæ, quos habere debuerant rectores vitæ, dum eis judicem non placant, quibus etiam peccata sua communicant: quod etiam notatur cùm dicitur: qui ad intercedendum mittitur. Revera enim si pro pace Ecclesiæ præsumus; vitandum est ne tales ad intercedendum mittamus. Unde ait Apostolus: *Erunt tempora periculosa, cùm non sustinebunt sanam doctrinam, sed coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Quod si quando pro necessitate, vel pro tolerantia id facimus, non consensu malitiæ ejus, sed eâ fide faciamus: ut cùm sciamus etiam per malos administrari per se cujuslibet sacramenti veritatem, credamus non per ea, sed per ipsum sacramentum in gratia Sancti Spiritus devotis & dignis provenire salutem.

* videtur deesse *subvertet* aut simile aliud verbum.

2. Tim. 3. 1.

CAP. L. *Quòd in sancta Ecclesia Spiritus-sanctus per malorum ministerium probos colligit, & non extra Ecclesiam ubi sunt excommunicati & hæretici.*

Unde Augustinus de blasphemia Spiritus: Spiritus in sancta Ecclesia etiam isto tempore, quo velut area cum palea trituratur, sic operatur, ut nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, ut etiam per illorum ministerium probos colligat.

Aug. Serm. 71. n. 37.

CAP. LI. *Quòd per malos prædicatores bona prædicatio audienda est.*

De malis prædicatoribus ait Augustinus in Homelia 44. super Johannem: Multi in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos. *Scribæ, inquit, & Pharisæi super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite: quæ autem faciunt facere nolite.* Quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem pastoris audite? quod mercenarius malè facit non prædicat de cathedra Christi. Inde lædit, unde mala facit: non unde bona dicit. Botros inter spinas cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum. Cùm audis bona dicentem, non imiteris mala facientem. Item in eodem: Veritas est Christus, veritas à mercenariis occasione annuntietur, veritas à filiis veritate annuntietur. Per linguas enim mercenariorum & filiorum Christi gloria diffametur, dum sive occasione, sive veritate, Christus annuntie- C tur. Item Augustinus in Homelia de tribus mortuis suscitatis: Si voluero apud Dominum me sic defendere, ut dicam, Domine, vidi malè viventem illum clericum tuum; & ideo vixi malè, nonne dicturus est: Serve nequam, nonne à me audieras: *Quod dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite?* Qui sequitur malum, non quærat sibi patronum ad causam malam. Item in eodem: Qualiscumque sim, aream dominicam defendo: pro illa clamo. Tu quis in ea sim nolo cures, ventilabrum expecta; aut si curare vis, noli cum lite curare, ut possis fratrem curare. D Item Gregorius: Nemo hoc in loco me despiciat propter me: quia sæpe evenit, ut persona potens famulum despectum habeat, cúmque per eum suis fortè vel extraneis aliquid responsum mandat, non despicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde reverentia mittentis domini, nec pensant qui audiunt per quem, sed quid à quo audiant.

Tract. 46. in Joh. n. 6.

Matth. 23. 2.

Ibid. n. 6.

Matth. 23. 2.

CAP. LII. *Quod Baptisma etsi à pagano detur, non est iterandum.*

Et ut hæc de bona prædicatione malorum E suscipienda sufficiant: videamus de baptismo, si dum ministratur à malo, sit verum & fructuosum, etiamsi cogniti fuerint peccatores vel hæretici. Hoc enim Sacramentum, quia magis est necessarium, latius quàm alia est extensum, etiam ad laïcos; et si contingat, vel si necesse sit, etiam ad paganos. Ut enim in ecclesiastica reperitur historia, cùm Alexander episcopus Alexandriæ Petri martyris diem celebraret: post expleta solemnia, vidit super oram maris ludum imitantium, ut fieri solet, episcopum: & ea quæ in Ecclesia geri mos est. Mox eos ad se jubet perduci,

quid egissent percunctatur: Illi rei ordinem pandunt, baptizatos à se quosdam catechumenos confitentur per Athanasium puerulum, qui episcopus fuerat simulatus. Sed ubi ex responsis eorum videt secundùm religionis nostræ ritum cuncta constare, statuit illis quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere; sed adimpleri ea quæ sacerdotibus mos est. Sed quia historia ecclesiastica minùs judicatur authentica, minùs etiam authenticum videtur, ut hujus pagani pueri, qui simulatus est episcopus, baptisma ab Alexandrino episcopo ratum videatur esse concessum, nisi quòd beatus Isidorus idem in dictis suis astruere videatur hoc modo: [a] Si quis per ignorantiam ordinetur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipse ulteriùs non ordinetur; sed Romanus pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare baptismi gratiam: licet paganus sit qui baptizat. Ex Canonica auctoritate idcirco prohibetur rebaptizatio fieri, ne sanctæ Trinitatis nomen, in quo baptizatum est videatur annullari.

Cap. LIII. *Quod per malos ministros etiam cognitos baptisma rite celebretur.*

Sed ad ministros revertamur etiam malos cognitos. Ait Augustinus in Homilia 6. super Johannem: Per hanc potestatem, quam Christus solus sibi retinuit, & in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros baptizari dignatus sit: per hanc stat unitas ecclesiæ, quæ significatur in columba, de qua dictum est: *Una Columba: mea una est matri suæ.* Si enim transferretur potestas à Domino ad ministros, tot essent baptismata quot ministri, & non staret unitas baptismi. Quamvis ergo baptismum, sive justi tribuant, sive injusti; non tribuitur sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit Columba, de quo dictum est, *hic est qui baptizat in Spiritu-sancto.* Petrus baptizat: hic est qui baptizat. Judas baptizat: hic est qui baptizat. Nam si pro diversitate meritorum baptismus sanctus est, quia diversa sunt merita, diversa erunt baptismata; sed quomodo cùm baptizat bonus & melior, non ideo iste accipit bonum & ille melius, sed unum est & æquale illud quod acceperunt; sic & cùm baptizat malus ex aliqua ignorantia Ecclesiæ vel tolerantia, (aut enim ignorantur mali aut tolerantur) quod datum est unum est, nec impar propter impares ministros, sed par & æquale prope, hic est qui baptizat.

Tract. 6. in Joh. n. 6. 7. 8.

Cant. 6. 8.

Joh. 1. 33.

Cap. LIV. *Quod cum damnatis malis non solùm sacramenta divina non communicare, sed nec cibum carnalem debemus sumere.*

Sed huic suæ sententiæ videtur contrarius idem Augustinus in Homelia sua: Si sit malus, & contingat eum habere ministerium, & si homines eum non noverunt, & Deus eum novit: Deus permittit baptizari per eum qui sibi tenuit potestatem. In quo videtur innuere, quòd mali si cogniti fuerint, baptizari non possunt. Sed ne sibi vel ceteris Sanctis sit contrarius, non de quocumque modo cognitis, qui rationalibus de causis sæpe in Ecclesia tolerantur, intelligendum est; sed de ita cognitis, tamquam ultrò confessis, vel ordine judiciario convictis, quibus divinum ministerium propter scandalum Ecclesiæ non committitur, cum quibus Apostolus nedum sacramenta communicare; sed nec cibum carnalem vult nos simul sumere. Unde Augustinus in libro de Pœnitentia: Apostolus ait: *Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt judicatis? de his autem qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum à vobis ipsis.* Quibus verbis constat auferendos esse malos ab ecclesiæ communione; nec contrarium est huic loco, quod alio loco dicit Apostolus: *Tu quis es qui judicas alienum servum? Suo Domino stat aut cadit.* Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel extra ordinem usurpato judicio: sed potiùs ex lege Dei pro ordine Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Alioquin cur dixit, si quis frater nominatur fornicator, nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam cum sententia ordine judiciario atque integritate profertur? Quapropter ita dicendum est: Si homines non noverunt malum eum ut confessum vel convictum, habitâ de eo cognitione canonicâ, id est si notabiliter & damnabiliter non noverunt, baptizari permittit Deus antequam damnatus sit per eum quia suo ministerio, quamvis indignè, tamen utitur catholicè. Qui damnatus sicut sibi indignè, ita aliis inutiliter ministrat: quia nullus ei debet communicare postea. Alioquin enim nisi cogniti mali in Ecclesia rite baptizare possent; cur alibi idem Augustinus testaretur Johannem novisse mysterium baptismi transiturum & in bonos & in malos? quod ille novit futurum, hoc ego præsens. Unde Augustinus, Noverat Johannes Baptista potestatem à Domino in neminem, sed ministerium transiturum in bonos & malos. Non exhorreat columba ministerium malorum: respiciat Domini potestatem. Quid tibi faciat malus minister ubi bonus est Dominus? Sed dicit hæreticus, Non habes baptismum, quia malus dedit. Si malus est Christus, inquam, & malus mihi dedit. Video quis fuerit minister: de officiali non disputo, nolo discutere causam officialis. Fuerint homines qualeslibet, ego à Christo accepi. Non, inquit, sed ille malus episcopus te baptizavit. A Christo

Serm. 351. n. 10.

1. Cor. 5. 11.

Rom. 14. 4.

Aug. Tract. 5. in Joh. n. 11. & seq.

[a] Hic locus etiam sub nomine Isidori citatur a Burchardo, Ivone & à Gratiano in Decreti 2. parte causa 1. q. 1. c. 59.

" baptizatus sum ego : novi, quia docuit me " columba quam vidit Johannes. Sint justi mi- " nistri si volunt, sin autem noluerint esse justi, " qui super cathedram Moysi sedent : securum " me fecit magister meus, de quo dixit spi- " ritus ejus, hic est qui baptizat. Scribæ " & Pharisæi, inquit, super cathedram " Moysi sedent. si fuerit justus minister, com- " puto illum cum Paulo, qui gloriam suam
1. Cor. 3. 6. " non quærit, dicens. *Ego plantavi, Apollo ri-* " *gavit : Deus autem incrementum dedit. Neque* " *qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed* " *qui incrementum dat Deus.* Qui fuerit verò su- " perbus minister, cum zabulo computatur, " sed non contaminatur donum Christi, quia " per illum fluit purum, per illum liquidum " transit : venit ad fertilem terram. Scio quia " lapis ex aqua fructum ferre non potest, & per " lapideum canalem transit aqua ad areolas. In " canali lapideo nihil generat, sed hortus plu- " rimum fructum affert. Spiritualis enim virtus " sacramenti ita est ut lux, & ab illuminandis " pura excipitur, ut sic per immundos transi-
Aug. Tract. 5. in Joh. n. 18. " ens non coinquinatur. Item in eadem : De- " dit baptismum Judas, & non est baptizatum " post Judam. Dedit Johannes, & baptizatum " est post Johannem; quia qui datus est à Juda " baptismus Christi erat ; qui autem à Johanne " Johannis erat. Non Judam Johanni; sed bap- " tismum Christi etiam per Judæ manus Jo- " hannis dato rectè præponimus. Item quod
Ibid. " Judas baptizat, Christus baptizat. Sic ergo " quos baptizat ebriosus, homicida, adulter, " Christus baptizat. Non timeo illos malos, quia " Columbam attendo per quam mihi dicitur : " Hic est qui baptizat. Item, Sacramentum " ecclesiæ tam magnum est, ut nec homicida " ministrante polluatur : Sed & hoc non solùm " malis ministris, sed & non ministris, scilicet " laïcis, conceditur, si necesse sit.

Cap. LV. *Quòd baptisma est ratum etiam a laïcis pro aliqua necessitate datum.*

Gelas. epist. ad episc. Luc. Brut. & Sicil. " Unde Gelasius cap. 17. Diaconi absque epis- " copo vel presbytero baptizare non audeant, " nisi prædictis fortasse officiis longiùs constitu- " tis, si necessitas extrema compellat, quâ & " laicis christianis hoc plerumque conceditur.

Cap. LVI. *Quod sacramenta à quovis catholico, quamvis peccatore ministrari possunt, & consecrari, nec à bono majus, nec à malo minus perfici.*

Sed quia de baptismatis sacramentis dictum est, de Eucharistia videamus si verè & utiliter consecrari vel ministrari possit à quolibet peccatore, sed tamen catholico. Unde Augustinus : De Corpore Domini intra catholicam Ecclesiam in ministerio Corporis & Sanguinis Domini nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito conconsecrantis est, sed in verbo efficitur creatoris, & in virtute Spiritus-sancti. Si enim in merito sacerdotis; nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut ipse qui baptizat, ita ipse qui per Spiritum-sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit in sanguinem, Credendum est enim quòd in verbis Christi sacramenta conficiantur. Cujus enim potentiâ creantur priùs, ejus utique verbo ad melius recreantur.

Cap. LVII. *Quod non merita sacerdotum, sed officia in divinis mysteriis sunt attendenda.*

Item Ambrosius de Sacramentis: Cùm Scri- " Amb. lib. de mysteriis cap. 5.
ptura testetur, quòd ad Jeroboam præceps " ignis descendit de cælo, rursus precante Eliâ " ignis missus est qui sacrificium consumsit, non " merita personarum consideres, sed officia sa- " cerdotum. Ignis ille visibilis mittebatur, ut " crederent : nobis invisibilis operatur, qui cre- " dimus. Crede ergo adesse Dominum Jesum " invocatum precibus sacerdotum, qui ait : *Ubi* " Math. 18. 20.
fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, " *ibi & ego sum.* Quanto magis ubi fuerit Ec- " clesia ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur ex- " hibere suam præsentiam. Quòd si tantùm valuit sermo Heliæ ut ignem deponeret, non valebit sermo Christi, ut species mutetur elementorum? Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, quia ipse dixit & facta sunt, non potest ea quæ sunt mutare in id quod non erant? In quo notandum est quòd infra unitatem Ecclesiæ, non pro merito, sed pro officio sacerdotum, ad fidem astantium, sermo Christi verum efficit sacrificium, cùm ut ait Augustinus extra Ecclesiam Catholicam, apud hæreticos scilicet, non sit locus sacrificii, quia eorum sacrificium prorsus irritum est.

Cap. LVIII. *Quomodo in judicio suo non improbat Deus, eos etiam habere spiritum prophetiæ, qui non habent meritum Prophetæ.*

Unde Augustinus in tractatu epistolæ Jóhan- " nis cap. 103. de malis, sed tamen catholi- " cis sacerdotibus; Propheravit etiam Saül ma " lus rex, cùm etiam sanctum David persequere- " tur. Non ergo se jactent qui forte sine cha- " ritate habent sanctum munus Dei, sicut san- " ctum baptismum : sed videant qualem ratio- " nem sint habituri cum Deo, qui sanctis non " sanctè utuntur. Ex his erunt qui dicturi " sunt, in nomine tuo prophetavimus. Non il- " lis dicitur mentimini, sed dicitur non novi " vos, recedite à me qui operamini iniquita- " tem. Et spiritum ergo prophetiæ habuisse di- " cendi sunt, & non meritum prophetæ. "

Cap. LIX. *Quod qui indignè offerunt hostias in altari, quamvis sint sanctæ, non sanctificantur ab eis.*

Unde Hyeronymus in Aggæo Propheta : O " populе, qui altari tantùm extructo, & dirura " domo mea, hostias mihi offers in altari, & "

victimis ejus te sanctificari putas: Scito quoniam quiddem sanctum est quod offertur in altari, sed non tam sanctificaris ex hostiis, quàm ex eo quòd interes mortuis operibus pollueris.

Cap. LX. *Quod in solo verbo Creatoris conficiatur Corpus & Sanguis Christi, qui nos redemit.*

Unde etiam sancti, qui merita sacerdotum fidelium nec prodesse nec obesse sacramentis sciunt, plerumque nec illorum mentionem faciunt: sed illius cujus est totum quod est optimum. Unde Ambrosius de Sacramentis: Tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent esse quæ non erant. Terra non erat, ipse dixit & facta sunt. Ergo ut tibi respondeam non erat Christi Corpus ante consecrationem, Calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint; ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video: sed habet similitudinem. Sicut enim similitudinem mortis sumsisti, ita & similitudinem pretiosi sanguinis bibis: ut nullus horror cruoris sit, & pretium redemptionis operetur.

Amb. lib. 4. de sacr. cap. 5.

Cap. LXI. *Quod vera caro sit, quam accipimus in sacramento.*

Item Augustinus in Homeliis: Ante verba Christi quod offertur, panis dicitur: ubi verba Christi depromta sunt, jam non panis, sed corpus Christi appellatur. Unde Ambrosius in libro de Sacramentis: Sicut verus est Dei filius Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quia filius ex substantia Patris: ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus est potus, & quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est divinitatis & corporis, & tu qui accipis divinæ ejus substantiæ in illo participaris alimento.

Cap. LXII. *Quod in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini alio modo species videtur, & dente teritur, alio modo res & fide manducatur.*

Tract. 26. in Joh. n. 12.

Unde Augustinus in Homelia 26. Hic est panis vivus de cælo descendens, ut si quis manducaverit ex ipso non moriatur: Sed quis pertinet ad virtutem sacramenti, non ad ipsum sacramentum visibile, qui manducat intus non foris, qui manducat corde, non terit dente. De cælo descendit manna, sed manna umbra erat; iste veritas est. Hujus sacramentum & unitas Corporis & Sanguinis Christi de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa, cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium: quicumque ejus particeps fuerit. Qui enim manducat carnem meam & bibit Sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Hoc est ergo manducare illam escam, & potum illum bibere: in Christo manere, & illum manentem in se habere, ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat ejus carnem nec bibit ejus sanguinem, etiam si tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducet & bibat. In quo notandum est & credendum, quia cum sacramenta alia tantum duo in se contineant, sacramentum scilicet, & effectum sacramenti; istud solum tria: sacramentum, speciem illam scilicet quæ videtur, rem sacramenti, id est veritatem dominicæ substantiæ, quæ sicut de Virgine vera nata est, vera esse in eo creditur; effectum sacramenti prout quibusdam ad vitam, quibusdam ad judicium sumitur: non enim sicut in baptismate aqua non mutatur ab aqua, & in chismate oleum non mutatur ab oleo, sed id quod substantialiter fuit ante sacramentum, id etiam immutatum, permanet in sacramento: non ita etiam credendum est de pane & vino qui ante consecrationem quidem sunt panis & vinum in substantia; post consecrationem vero mutata sunt, Caro & Sanguis Domini in eadem qua natus est de Virgine qui passus est in carne, qua sedet ad dextram Patris substantia. Unde etiam post baptizandi officium aqua ad ceteram aquam refunditur, oleum cum cetero concrematur, solum corpus Christi sicut apparet esse quod non est, quia videtur esse panis, cum sit vera caro, sic cùm videatur dentibus conteri, manibus frangi; ipse tamen Christus ab omnibus totus integer sumitur essentialiter, & vere & in cœlo totus & integer permanet cum Patre. Quod quomodo fieri possit, quia humanæ intelligentiæ residuum est, igni comburatur, quia ubi ratio deficit fides proficit: nec habet fides meritum, cui præbet humana ratio experimentum. Quod vero beatus Augustinus superius dixit quod malus etiam si sacramentum manducet & bibat ad judicium, non tamen corpus & sanguinem Domini sumit, nisi maneat in Christo: non ideo dicit, quod à suo sacramento separari possit substantia, sed sicut Judæi corpore tenus eum crucifixerunt, & verus Christus erat, sic & christiani sacramento tenus quidem sumunt vere quantum ad veram Christi essentiam; non tamen vere quantum ad suæ salutis efficientiam, ut unum sint cum ipso. Longe enim aliud est essentialiter sumi, vel videri, aliud vero spiritualiter. Unde in Evangelio *multi reges voluerunt videre quæ vos videtis*: non illud scilicet quod Judas vidit & tradidit, sed illud unde dixit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est.* Uterque enim Abraham scilicet & Judas Christum viderunt; vere quidem, sed alter corporaliter, alter spiritualiter; alter damnabiliter, alter salubriter.

Aug. Tract. 26. Joh. n. 11. — Luc. 10. 24. — Joh. 8. 56.

Cap. LXIII. *Quod sacramentum non specie sola, sed etiam re sumendum est, ut tamquam cum Christo unum simus.*

Quod etiam Augustinus distinguens in XXVII. homelia ait: Carnem Christi & sanguinem non

Aug. Tract. 27. 15. Joh. n. 1.

« non edamus tantum in sacramento, quod & A multi mali: sed usque ad spiritus participationem, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur.

Cap. LXIV. *Quod non nocet si mali sumunt nobiscum sacramenta, qui aut ignorantur aut tolerantur.*

Ibid. Et quia prohibetur sanctum dari canibus, ne putaremus omnino malos, quos aut ignoramus, aut toleramus, à tanto sacramento arcendos, subdit: Et ne scandalizemur etiam si multi nobiscum manducant & bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta: quia non consumit trituratio, quod purgatura est ventilatio: & in hoc sæculo necesse habemus usque in finem inter malos vivere. Unde idem contra Donatistas: Communicatio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum.

Cap. LXV. *Quod per ministrum reprobum, sed tamen catholicum remissio peccatorum detur.*

Ut autem sufficienter ostensum sit quòd & C mali sacerdotes verum corpus & sanguinem Christi, non pro merito, sed pro officio suo consecrant, & omnes mali tam ipsi quàm ceteri verum corpus & sanguinem Domini manducant licèt ad judicium: videamus etiam si mali possint dare remissionem peccatorum. Aug. Serm. 71. n. 37. Unde Augustinus in libro de verbis Domini: Ita fit verbum contra Spiritum sanctum, cùm ex dispersione ad congregationem numquam venitur: quæ ad remittenda peccata accipit Spiritum-sanctum. Ad quam congregationem etsi per malum clericum, sed tamen catholicum, ministrum reproborum & fictum aliquis accesserit corde non ficto: in ipso Spiritu sancto accipit remissionem peccatorum, qui spiritus per reprobum ministerium probos colligat: in quo notatur, quòd non ab hæretico, sed à quolibet catholico quamvis peccatore remissio detur peccatorum, vel in baptismate, vel in confessione per Spiritum-sanctum.

Cap. LXVI. *Quod non merito ministrorum, sed gratia & justitia Spiritus-sancti solvuntur vel ligantur peccata à Deo, ut neque intra Ecclesiam sit qui injustè admittitur, neque extra qui ab ea injustè repellitur.*

Unde Augustinus de remissione peccatorum, ut evidenter ostenderet Dominus à Spiritu-sancto, quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum: quodam loco sic ait: Accipite Spiritum sanctum; continuò subjungens: Si cui remiseritis peccata, remittentur ei, hoc est Spiritus remittit, non vos. Proinde sicut is quem sacerdos in Ecclesiam tollit, est tamen extra ecclesiam, & non est de corpore: ita intra ecclesiam est & est de corpore, si quis per pastoris præjudicia compellitur foris esse. In quo ostenditur non in voluntate vel merito boni vel mali, sed ex sola gratia vel justitia Spiritus-sancti solvi peccata vel ligari.

Cap. LXVII. *Quod injusta excommunicatio potius nocet excommunicanti, quàm excommunicato.*

Unde idem ad * Cassium. Illud plane non temerè dixerim, quòd si aliquis fuerit excommunicatus injustè; ei potius oberit, qui B faciet injuriam. Unde idem in libro de summo bono: Nec natura Dei potest nocere quicquam, nec natura Dei injustè nocere, nec nocere patitur quemquam. Item ad clerum Hipponensem. Quid obest homini quòd ex illa tabula * vult eum rapere humana ignorantia, si de libro viventium non eum deleat * humana conscientia?

* Ad classicianum

Aug. epist. 78. n. 4.

* Apud Aug. non vult eum recitari.

* Apud. Aug. iniqua.

Cap. LXVIII. *Quod non solùm culpa, sed etiam ordo observandus est in judicio.*

Unde idem in libro de Pœnitentia, ne quilibet damnetur pro ignorantia Judicis, ait: Noluit Deus hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, aut extra ordinem usurpato judicio, sed potius ex lege Dei, sed ordine Ecclesiæ: sive ultro confessum, sive accusatum, sive etiam convictum. In quibus omnibus constat non pro merito, sed pro officio sacerdotis, secundum ordinem justitiæ quemlibet ligari vel solvi. Aug. Serm 351. n. 10

Cap. LXIX. *Quod à pseudo-episcopis potest rata haberi ordinatio.*

De ordinibus verò quòd à malis sacerdotibus ministrari possint quia superius satis dictum est: nunc vel parum dixisse sufficiat. Ait enim D Leo cap. 25. quòd si qui clerici præsidentium à pseudo-episcopis ordinati sunt, potest rata haberi ordinatio talis.

Cap. LXX. *Quod omnia sacramenta à peccatore, sed tamen catholico ritè ministrentur.*

Et ut bene concludam omnia sacramenta à malis sacerdotibus, sed tamen catholicis posse rite ministrari: ait Augustinus contra Donatistas in libro 5. Quomodo Deus exaudit homicidam precantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, vel E super capita eorum quibus manus imponunt? quæ omnia fiunt & valent tamen, etiam per homicidas, id est per eos qui oderunt fratres, & in ipsa intus Ecclesia. Et bene determinat. Nam extra Ecclesiam, ubi non est fides, neque meritum, quid potest valere sacramentum? Lib. 5. cap. 20. n. 28.

Cap. LXXI. *Quod in unitate christiana non obest malus sacerdos vel collegis bonis vel popularibus subditis.*

Lib. 2. cap. 5. n. 10. « Unde Augustinus ad Parmenianum libro 2. « Unicuique tribuit Deus secundùm cor suum. « Nam si primis temporibus non obfuerunt mali « sacerdotes, vel collegis bonis, sicut fuit Zacharias; vel popularibus sicut fuit Nathanaël, « in quo dolus non erat; quantò magis nihil « obest in unitate christiana episcopus malus, vel « coepiscopis, vel laicis bonis, cùm jam ille sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & « pontifex noster sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis qui traditus est propter « delicta nostra & resurrexit propter justificationem nostram? nec illud bonis obest sed offerentibus, quod verissimè dictum est: *Dona* « *impiorum non probat Altissimus.* Non enim dixit « dona eorum qui pro pace tolerant iniquos, « non probat Dominus... *Sacrificia*, inquiunt, « *impiorum execratio est Domino: Etenim iniquè* « *offerunt illa.* Jam supra responsum est, quia non « est iniquus Christus qui pro nobis seipsum obtulit, & noster in cælo mediator est: quo suam « ecclesiam gubernante bonis mali non oberunt, « qui vel ignorantur, vel pro pace tolerantur. « Quorum crimina bonorum caritati in unitate « omnia toleranti nihil nocerent, si fortè ea « etiam cognita judicibus ecclesiasticis persuaderi « non possent. Sacrificia ergo impiorum eis ipsis « oberunt qui impiè offerunt. Nam unum atque « idem sacrificium propter nomen Domini quod « invocatur & semper sanctum est, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Et post pauca: Dicant ergo mihi cui sancto « secundùm salutem spiritualem obfuerit, vel « in sacerdotibus vel in populo constitutus, malus atque maculatus sacerdos; Ubi erat Moyses & Aaron, ibi murmuratores sacrilegi, ubi « Caiphas, ibi Simeon, & ceteri boni; sed sarcinam suam unusquisque portabit. Et post pauca: In Evangelio, inquiunt, scriptum est: *Peccatores Deus non audit, sed si quis Deum colit &* « *voluntatem ejus facit illum audit.* An propterea « dicunt hoc, ut intelligatur episcopus malus non exaudiri cum pro populo rogat. Quod « si ita esset, non ideo tamen populus, si bonus « atque fidelis est, sollicitus esse debet. Securos « enim facit illos scriptura quæ ait. *Fratres hæc* « *scribo vobis, ut non peccetis; & si quis peccaverit advocatum habemus apud patrem* Jesum-Christum *justum, & ipse est propitiatio* « *pro peccatis nostris.* Non dixit habetis mediatorem me apud patrem, sed Advocatum habetis Jesum Christum. Et post pauca: « Mediator unus Dei & hominum, homo « Jesus-Christus, in quo nos unum sumus: « sic servemus unitatem in vinculo pacis, nec « propter malos bonos deseramus, sed propter « bonos malos sufferamus: Cum certum etiam « sit quia peccatores Deus audit, quia Balaam « propheta non de populo Israel, sed alienigena conductus ab amico, ut populo Dei maledi-

Eccli 34. 23. — Prov. 21. 27. — Cap. 7. n. 12. — Cap 8. n. 15. Joh. 9. 31. — 1. Joh. 2. 1. — Cap. 8. n. 16. & 17. — Num. 24. 1.

A ceret, conversus à Deo ad benedicendum cujus « verba omnia bonum imprecantis audimus & « legimus, & cum aliud habet in voto, verba « tamen precantis bona sunt & pro populo exaudiuntur à Domino. Unde non mirum est, « si verba bona, quæ pro populo dicuntur in « precibus, etsi à malis dicantur episcopis, exaudiri tamen non pro necessitate præpositorum, sed pro devotione populorum. Verum quod scriptum est in Evangelio: *Peccatores Deus non audit*, non à Domino dictum, sed « ab illo qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondùm « B patebant. Unde ipsum Dominum adhuc prophetam putabat: nam eum postea cognitum « Dei Filium adoravit. Ipse autem Dominus cum « in templo orarent Publicanus & Pharisæus, « peccatorem confitentem peccata sua magis « justificatum dicit, quam Pharisæum jactantem merita sua. Quamquam enim justificatus « destiterit esse peccator: tamen ut justificaretur peccator orabat, & peccata confitebatur. « Exauditur: justificatus est. Non desineret esse « peccator nisi priùs exaudiretur peccator. « Quamobrem omnem quidem peccatorem exaudiri, sed tamen non omnem peccatorem « C non exaudiri Veritas testis est. Sed objiciunt « quod in psalmo dicitur: *Peccatori autem dixit* « *Deus, Quare tu enarras justitias meas & assumis testamentum meum per os tuum?* non intelligunt ad hoc, ut sciat peccator sibi non prodesse verba quæ pronuntiat, sed quod dicit « ipse non facit: verumtamen aliis prodesse quæ « per malos audiunt & faciunt: ipse Dominus « docet in Evangelio: *Super cathedram Moysi* « *sederunt Scribæ & Pharisei: quæ dicunt facite,* « *quæ autem faciunt nolite facere.* «

Joh. 9. 31. — Psal. 49. — Math. 23. 3.

D Cap. LXXII. *Quod in mandatis Domini audiendis non per quem sed quid à quo dicatur attendendum est.*

Unde Gregorius: Nemo me hoc in loco despiciat propter me: quia sæpe evenit, ut persona potens famulum despectum habeat, cumque per eum forte suis vel extraneis aliquod responsum mandat, non despicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde reverentia mittentis, nec pensant qui audiunt per quem, sed quid vel à quo audiunt.

E Cap. LXXIII. *Quod omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

In omnibus quæstionibus intelligendum admonemus, quia scilicet omnia sacramenta cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus, sicut verbum Dei: unde dictum est: *Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt facere nolite.* Et revera in Ecclesia non possunt mali ministri præjudicare divinæ gratiæ: quia Spiritus sanctus cum sit omnipotens, liber est ad omnia, ubi vult spirat, quando vult, & quomodo vult; nunc per seipsum, nunc per Math. 23. 2.

ministros tam bonos quam malos. Unde Apo A stolus. *Divisiones gratiarum sunt: Unus autem Dominus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis pro ut vult*, si ergo ipse omnia in omnibus; & nemo aliquid præter ipsum: Unde Dominus ad Moyses, *congrega mihi* LXX. *viros & duces eos ad tabernaculum fœderis, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis.* Non dixit auferes & trades: sed auferam & tradam. Quod ne etiam merito congregandi vel ducendi eos adscriberetur, duo ex his qui descripti fuerant, ad tabernaculum non venerunt; & tamen Moyse non ducente, sicut ceteri spiritum acceperunt. Qui licet de spiritu Moysi ablatus B dicitur: nullo tamen ejus dispendio factum est aliter, quam si ardente candela centum aliæ accendantur: sed ideo dictum est; ut unus idemque Spiritus in prælatos & subditos diffundi credatur. Similiter & in nova gratia cum soleret tantum dari per impositionem manus: tamen adhuc loquente Petro cecidit Spiritus-sanctus super omnes. Similiter, ut legitur in Dialogo Gregorii: non ordinante Episcopo, sed linguam ejus flebotomante angelo, idiota factus est prædicator egregius.

1. Cor. 12. 9.

Num. 11. 16.

CAP. LXXIV. *Quod malum bonis bene datur, sicut angelus sathanæ Paulo ad custodiam, & bonum malis male sicut Cahiphæ spiritus prophetiæ ad ruinam.*

C

Sed quid mirum de bonis, cum etiam malos inspirando organum suum Spiritus-sanctus fecerit? Balaam cum esset ariolus, oriri stellam ex Jacob prophetavit; Nabuchodonosor cum tribus pueris in camino quartum similem filio cognovit, Saül cum David persequeretur, cum Samuele in Ramata propheta inter prophetas extitit. Caiphas cum esset pontifex anni illius de salute mundi bene prophetavit. Et quid mirum de his cum etiam D Deus in ore asinæ ad increpandum Balaam, verba sua posuerit? sicut serpens homini, sic asina locuta est Balaam. Illud opus fuit diabolicum, istud angelicum. Huic ergo Balaam chamum suæ potentiæ in ore posuit: populum quem maledicere volebat, benedicere coëgit. Quorsum hæc omnia, nisi ut credamus quia Spiritus-sanctus non semper ubi dignum est, sed ubi vult, & quomodo vult, spirat? qui ad malos quidem se venire, sed non manere designans, ad bonos venire & mansionem facere denuntiat. Ergo nulla merita præjudicare pos- E sunt suæ gratiæ vel potentiæ, cùm dicat Dominus ad Moysem de filiis Aaron; *invocabunt nomen meum super filios Israël, & benedicam eis.* Itemque in Exodo: *Ego Dominus qui sacrifico vos.* Unde ait Augustinus: Sint justi ministri si volunt: Si autem nolunt, securum me facit magister dicens: Quæ dixerint servate & facite, non ipsi, sed ego qui sacrifico vos. Quid enim præjudicavit Samueli quod fuit Hely discipulus & cum Ofni & Phinees, qui sub Hely perierunt, nutritus? Quid contulit Judæ, quod cum ceteris apostolis à Domino electus est?

1. Reg. 19. 24.

Num. 6. 27.

Quid Nicolao, quod ab apostolis in gradu levitico assumtus est? Paulo datus est angelus sathanæ ad custodiam: Balaam vel Cayphæ prophetiæ spiritus ad ruinam. Unde Augustinus in homelia 62. Multum inter est non quid accipiat, sed quis accipiat, nec quale sit quod datur, sed qualis sit cui datur. Nam & bona obsunt, & mala prosunt: sicut fuerint quibus dantur. Quid ergo miraris, si datus est Judæ panis Christi per quem manciparetur diabolo, cùm econtra videas datum Paulo angelum diaboli per quem perficitur in Christo? Ita & malo bonum obfuit, & bono malum profuit: quia malo non consentit.

Aug. Tract. 62. in Joh. n. 1.

CAP. LXXV. *Quod solo consensu mala fiunt: quia nullum est peccatum nisi voluntarium.*

Unde Hieronymus ad Rusticum: Vas electionis macerat corpus suum, & subjicit servituti; & tamen cernit naturalem ardorem carnis suæ repugnare sententiæ, ut quod non vult agere compellatur, & quasi vim patiens clamat: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Unde Augustinus in libro retractationum: Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium. Potest videri falsa hæc definitio, sed si diligenter discutiatur invenitur verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est quod tantummodo peccatum est, non quod pœna peccati.

Hier. epist. al. 4. nunc 95.

Rom. 7. 24.

Lib. 1. Retr.

CAP. LXXVI. *Quod etiam commixtio carnaliter non est peccatum sine consensu voluntatis.*

Unde etiam cum in commixtione carnali difficillime consensus excusari possit: tamen Hieronymus libro 2. ait: Finge in persecutione aliqua virginem prostitutam: hæc quia voluntarie non peccat, apud evangelium virgo suscipitur, in lege quasi corrupta repudiatur. Idem in libro hebraicarum quæstionum. Corpus mulieris non vir maculat, sed voluntas. Unde Augustinus in libro 1. de civitate Dei; Proposito autem manente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia alienæ libidinis, quam servat perseverentia suæ continentiæ. Item & hinc admonemus ita non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate etiam corpore oppresso: sicut amittitur corporis sanctitas violata animi sanctitate. Unde idem in libro de libero arbitrio. Pudicitiam quis dubitet in animo constitutam, cùm sit virtus? unde à violento strupratore eripi ipsa non potest. Et quid mirum, ubi non est consensus, non esse culpam, cum etiam ubi est consensus, sed tamen rationabilis discretionis intentio, venialem vel nullam habet culpam.

Lib. 1. civ. cap. 18.

A

CAP. LXXVII. *Quod etiam in consensu carnalis commixtionis, si adhibeatur ratio, vel annulatur vel minuatur culpa*

Cap. 6. « Unde Augustinus de bono conjugali: Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam concupiscentiæ satiandæ: sed tamen cum conjuge propter thori fidem venialem habet culpam: adulterium verò sive fornicatio lethalem habet culpam. Cum ergo in tam unica unitate ubi duo sunt in carne una... Unde Augustinus ait paulo post: Quia multo facilius se abstinent, ut non utantur, quàm temperent ut bene utantur, vel non consentiendo, vel discretè consentiendo peccatum vel vitetur vel temperetur; multo magis in Ecclesia, ubi diversæ sunt voluntates & actiones, vel non consentiendo vel tolerando cum discretione possunt quilibet à prælatorum & confratrum culpis immunes: & sacramentorum cœlestium cum ipsis esse ad salutem participes.

CAP. LXXVIII. *Quod quibus placent mali, illi tantum communicant malis, quibus autem displicent non communicant.*

« Unde Augustinus. Quibus mali placent in unitate, ipsi communicant malis. Quibus autem displicent, etiam eos emendare non possunt, ne simul cum zizaniis eradicent & triticum, non factis eorum sed altari communicant: ita ut non solum ab eis non maculentur, sed divinis verbis laudari mereantur, quia pro bono unitatis tolerant quod pro bono unitatis oderunt.

CAP. LXXIX. *Quod aliquando subtrahenda est correctio malis ne ipsi vel deteriores fiant, vel etiam exacerbati aliis noceant.*

Lib. 1. c. 9. n. 2. « Item Augustinus: de civitate Dei libro 1. cap. 60. Si propterea quisque objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunum tempus inquirit, vel eisdem ipsis ne deteriores ex his efficiantur, vel ne ad bonam vitam & piam erudiendos impediant alios infirmos & premant: non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis.

CAP. LXXX. *Quod nullum est detrimentum cum pseudoepiscopis & presbyteris conversari, & non consentire.*

Unde Zacharias papa Bonifacio, in ea Epistola cujus est initium, Benedictus ô Deus « & pater: Propter hoc quod cum pseudoepiscopis & presbyteris conversatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi detrimentum est coram Deo.

CAP. LXXXI. *Quod culpis prælatorum implicantur, qui aliquem consensum eis accommodant.*

Unde Cyprianus martyr econtra in epistola sua: Non sibi plebs blandiatur, quasi immunis esse possit à contagione delicti, cum sacerdote peccatore communicans, & ad illicitum præpositi sui crimen assensum accommodans. Constat enim omnes eodem crimine constringi, quotquot fuerint injusti & prophani sacerdotis sacrificio contaminati. Nonne enim quia B Jonas cum inobedientia esset in navi, navis pereclitabatur conteri? quia Achaz cum anathemate laminæ aureæ erat in Israël, exercitus percussus & fugatus est ab urbe Haï. Si ergo ita punitum est in culpæ ignaros, quid fiet in conscios & consentientes?

CAP. LXXXII. *Quod caute cavendi sunt mali, ne eorum culpis implicemur, & abjicendi de Ecclesia, ne cum eis periclitemur.*

Unde Ambrosius in homeliis: Unius delicto cunctorum merita quatiuntur; dormiebat enim C Christus Petro, ne vigilaret Judæ. Ergo si unius rei de peccato cuncti periclitantur apostoli, hoc exemplo caveamus perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plures fluctuemus. Quin etiam hujusmodi abjiciamus de nostra navicula ut non obdormiat, sed vigilet nobis Dominus. Pro actibus enim nostris obdormit aut vigilat Dominus. Et paulo post: Unius culpa cunctis confertur ignavia: & unius delicto omnibus generatur infirmitas. Quod autem Dominus pro aliena culpa istos quamvis ignaros punivit, ideo fecit: ne pro quavis simplicitate vel ignavia alienis malis implicemur, sed circumspecte ne eis aliquem præbeamus assensum attendamus; unde Dominus in Evangelio: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem* Math. 7. 15. D *sunt lupi rapaces.* Ecce dominus malitiam quavis specie virtutis velatam, cautè jubet esse attendendam. Unde apostolus: *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Et iterum: *Nolite omni spiritui* 1. Joh. 4. 1. *credere.*

CAP. LXXXIII. *Qua discretione complenda sit tanta diversitas scripturarum, quia mali modo jubentur excommunicari, alii autem mediocriter corrigi, ut curentur.*

Unde ergo dictum est, quod mali pro pace Ecclesiæ sunt tolerandi etiam cogniti, cùm nullomodo nobis noceant, neque conversatione, neque sacramentorum participatione, sed E potius prosint fidelibus & prædicatione sua, & oratione, ceterisque omnibus ecclesiasticis mysteriis, sive ea celebrent occasione, sive ut ait Apostolus, veritate: de quorum tolerantia nos Augustinus laude dignos astruit, ab illis nobis esse attendendum Dominus in Evangelio admonet, illos Ambrosius ejicere de Ecclesiæ

clesiæ navicula, ne cum illis pereamus jubet; unius enim culpam cunctis conferre ignaviam docet. Ex qua præceptorum varietate sanctis, quorum unus est spiritus non dissensionis, sed pacis, non est ulla contrarietas imputanda: sed cum omnes viæ Domini sunt misericordia & veritas, maxima discretio est attendenda, qua cum Psalmista misericordiam & judicium Deo cantemus: ut scilicet non dissonè, sed concinnè & concorditer utrumque esse exequendum suo ordine, sua discretione demonstremus. Et illud igitur est faciendum, & hoc non est omittendum: sed est suum tempus tolerantiæ, est etiam suum disciplinæ. Ut enim ait Salomon: *Est tempus plantandi, est tempus evellendi.* Quamdiu enim mali accusari nequeunt, vel quia accusationis documentis deserimur, quia deest accusator, vel numerus: vel probitas, vel culpæ talis evidentia cui testificari possint, vel etiam à malis ecclesiæ judicibus non audirentur, etiamsi accusarentur, vel quia etiam accusatores corrigere non possent, sed pejerarent: vel quia tales personæ sunt quæ vel per se vel per fautores suos toti ecclesiæ concitare possunt scandalum vel schismatis vel oppressionis; tamdiu sunt tolerandi, nec tamen ullo consensu amplectendi: sed tamen qua intentione, vel fragilitate, vel necessitate faciant, diligenter considerandi. Ut ergo misericordia cantetur & consonet cum judicio, temperamentum discretionemque utriusque describit Augustinus in libro de Fide & operibus: Prohibet Dominus sanctum dari canibus, nec contrarius est Apostolus Domino, qui dicit *peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri metum habeant*, cùm ille dicat, corripe eum inter te & ipsum. Utrumque enim faciendum est, sicut diversitatis infirmitas admonet eorum, quos utique non perdendos sed corrigendos curandosque suscepimus: & alius sic, alius autem sic sanandus est. Ita est etiam ratio dissimulandi & tolerandi malos in Ecclesia; & est rursus castigandi ratio, corripiendi, non admittendi, vel à communione removendi. Errant autem homines non servantes modum, & cum unam in partem proclivem ire cœperint, non respiciunt divinæ auctoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utrisque temperata est consistere varietate ac moderatione. Quidam intuentes præcepta severitatis quibus admonemur corripere inquietos, nec dare sanctum canibus, ut ethnicum habere Ecclesiæ contemtorem, à compage corporis membrum quod scandalizat evellere, ita conturbant Ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus separare zizania: atque hoc errore cæcati, ipsi potius à Christi unitate separantur. Quidam vero è contrario periclitantes, cum bonorum & malorum commixtionem in Ecclesia demonstratam vel prædictam esse perspexerint, & patientiæ præcepta dederint, (quæ nos firmissimos reddunt: ut etiamsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediatur fides aut caritas nostra, ut quoniam

Eccl. 3. 2.
Cap. 3. n. 4.
1. Tim. 5. 20.
Matth. 18. 15.

zizania esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus, destituendam putantes Ecclesiæ disciplinam,) quamdam perversissimam securitatem præpositis tribuunt, quasi ad eos non pertineat nisi dicere quid cavendum, quidve faciendum sit, quodlibet autem quisquis faciat non curare. Nos vero ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ex utrisque testimoniis vitam sententiamque moderari: ut & canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum ubi est pax Ecclesiæ tuta non demus. Cum ergo sive per negligentiam præpositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones invenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiastica disciplina corrigere non possumus; tunc ne ascendat in cor nostrum impia & perniciosa præsumtio, qua existimemus nos ab his esse separandos, ut peccatis eorum non inquinemur, veniant in mentem illæ de scripturis similitudines, & divina oracula, & certissima exempla, quibus demonstratum est, malos in Ecclesia permixtos bonis usque ad finem sæculi tempusque judicii futuros: & nihil bonis in unitate ac participatione sacramentorum, qui eis factis non consenserint, obfuturos. Cum vero eis, per quos Ecclesia regitur, adest salva pace potestas disciplinæ adversus improbos exercendæ; tunc rursus ne socordia segnitiaque dormiamus, aliis aculeis præceptorum quæ ad severitatem correctionis pertinent, excitandi sumus: ut gressus nostros in via Domini ex utriusque testimoniis illo duce adjutore dirigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ sæviamus. Et post pauca: Si in præfata condescensione à quolibet calumniaris de aliquo simulandi vel fingendi genere; legimus quod utilis simulatio assumenda est in tempore. Unde & Cephas subtrahebat & segregabat se timens eos: cum vas electionis totundit caput & Timotheum circumcidit. Ipse quoque Filius Dei finxit se longius ire, & nescire quod sciebat. Item in eodem cap. 180. Cavendum est ne ideo putemus esse propositas istas similitudines tritici vel zizaniorum, ut dormiat Ecclesiæ disciplina, de qua in figura illius mulieris dictum est severæ conversationis domus ejus, sed moneo ne eo usque progrediatur dementiæ potius temeritas quam severitas disciplinæ, ut quasi bonos à malis per nefaria schismata separare præsumat. Neque enim per has similitudines & pronuntiationes consilium desidiæ bonis datum est, ut negligant quod prohibere debent: sed patientiæ, qua perferant, salva doctrina veritatis, quod emendare non valent.

CAP. LXXXIV. *Quod aliqui non sunt excommunicandi, ne alios sua excommunicatione contaminent.*

Unde item Augustinus ad Emeritum Donatistam: Non reprehendimus si eo tempore, ne multos secum excommunicatus traheret, & communionem vestram schisma-

Aug. Epist. 87. n. 4.

tis furore procideret, Optatum excommunicare noluistis.

CAP. LXXXV. *Quod non est correctio differenda.*

Lib. 2. cap 11. n. 25. Unde item Augustinus ad Parmenianum libro II. Cum appareat nihil esse gravius sacrilegio schismatis, procidendæ unitatis nulla est necessitas justa, cum sibi nequaquam spiritualiter nocituros malos ideo tolerent boni, ne spiritualiter sejungantur à bonis: cum disciplinæ severitatem consideratio custodiendæ pacis refrenat aut differt, quam tamen securitas exerit, cùm apparet sine schismatis B vulnere ad salubriorem correctionem posse ecclesiastico judicio vindicari.

CAP. LXXXVI. *Quod aliquando peccatori subserviendum est, non in his quæ male, sed quæ bene agit, etiamsi male intendat.*

Lib 2. cont. Parm. c. 18 n. 37. * Videtur deesse *libro* 2 Reg. 22. 18. Sed & boni, si subministrent interim, vel congaudeant malis non in malo, sed si quid forte bene gesserint, etiam mala intentione; non nocet. Unde post pauca Augustinus* eodem: Quis dicit peccatorem esse adjuvandum, ad hoc utique in quo peccare non vult, sicut ipse Achaz, quem audivit Josaphat eundo ad prælium cum illo, cum ille Micheæ prophetæ contemneret verba? sed tamen ut liberarentur à periculo bellico, cetera ejus C benefacta prævaluerunt. Qui autem versatur in Ecclesia Dei, ubi sunt & illi qui sua quærunt non quæ JESU-CHRISTI, qui per invidiam & contentionem Christum annuntiant Phil. 1. 15. non castè, & dicit sive per veritatem, sive per occasionem, Christus annuntietur; in hoc gaudeo, sed & gaudebo: Impollutus inter eos permanet, quia non eis ad sua quærenda consentit, cùm hoc culpet atque reprehendat, nec eos ad peccatum adjuvat, sed ad hoc unde Christus latius prædicetur ab eis qui audiunt & faciunt, per eos quod di- D cunt non quod faciunt, Christus credatur, in Christo speretur, Christus diligatur.

CAP. LXXXVII. *Quod correctio peccatorum caritative & misericorditer exercenda est & discrete.*

Ibid. cap. 21. n. 41. Et post pauca in eodem. Ita plane aliquis malis sociatur, si mali aliquid cum eis committit, aut committentibus favet. Si autem neutrum facit; nullomodo sociatur. Porro si addat tertium, ut non sit in judicando piger, sed vel corripiat justus in misericordia, & arguat, vel si eam personam gerit, & ratio pacis admittit, coram omnibus peccan- E tes arguat, ut ceteri timeant, removeat etiam vel ab aliquo gradu honoris vel ab ipsa communione sacramentorum, & hæc omnia cum dilectione corrigendi, non odio persequendi; plenissimum officium non solum castissimæ innocentiæ, sed diligentissimæ severitatis implevit. Ubi autem cetera impediuntur, illa duo semper retenta incorruptum servant, ut nec faciat malum, nec approbet factum.

[b] Apud Augustinum *Ecclesiastica disciplina.*

CAP. LXXXVIII. *Quod peccatum est correctionem differri, si sine impedimento potest fieri.*

Et post pauca: Ideo Ecclesiastica [a] regula corrigendum est, ne ad multos persuadendo perveniat. Quod ubi fieri res pacis permittit, & non fit: ipsa negligentia culpam trahit, & in periculo consentiendi, vel per desidiam corrigendi. Et post pauca lib. 3. Quisquis contemserit Ecclesiæ Dei disciplinam, ut malos cum quibus non peccat, & quibus non favet desistat monere, corrigere, arguere, si etiam talem gerit personam, & pax Ecclesiæ patitur, etiam à participatione sacramentorum separare, non alieno modo peccat, sed suo. Ipsa quoque in tanta re negligentia grave malum est, ideo Apostolus admonet, ut auferatur malum à seipso, non solum scilicet audaciam committendi, sed & pigritiam corrigendi, & negligentiam vindicandi. (a) Ibid. cap. 21. n. 41. Lib. 3. c. 1. n. 11.

CAP. LXXXIX. *Quod quando plures eodem contaminati sunt morbo, potius est differenda, quam exercenda correctio, quia melius est aliquos in Ecclesia non corrigi, quam ipsam scindi.*

Et post pauca hoc exponens ait: Cum de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet, id est quando ita cuique crimen notum est, & omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel tales non habeat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ: in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior conservatio caritatis. Tunc autem hoc sine labe pacis & unitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest: cum congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine quo anathemizatur aliena est. Tunc enim adjuvat præpositum potius corripientem quam criminosum resistentem: tunc se ab ejus conjunctione salubriter continet, ut nec cibum cum eo capiat. Tunc ille & timore percutitur, & pudore sanatur, ab universa Ecclesia anathematizatum se videns. Et post pauca: De tali medicina ait Apostolus: Satis huic est correptio quæ fit à multis: cum scilicet ille corripitur qui non habet sociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus, & divinæ disciplinæ severa misericordia est necessaria. Nam consilia separationis inania sunt, & perniciosa, & sacrilega: & plus perdunt infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos. Lib. 3. c. 2. n. 13. Ibid. n. 14.

Explicit prima pars libri.

INCIPIT SECUNDA PARS.

CAP. I. *Quod in disciplina Ecclesiæ modus & tempora servanda sunt.*

QUia superius de malorum tolerantia satis dictum videtur: de eorumdem disciplina canonice exercenda, quis modus discretionis vel ordinis exhibendus sit explicemus. Unde Augustinus ad Parmenianum lib. 3. ait: Ut per correptionem separationis de congregatione fratrum auferendus sit; studio sanandi, non odio perimendi, faciendum est: Et adhibendus est modus, temporaque servanda, ne pax Ecclesiæ violetur, in qua maximè tritico est parcendum, ne cum zizaniis eradicetur. Et hoc quilibet diligenter cogitet, ne in conversatione unitatis negligat disciplinæ severitatem: nec immoderatione coërcitionis dirumpat vinculum societatis.

Aug. cont. Parm. lib. 3. cap. 2. n. 15.

CAP. II. *Quod disciplina bona intentione est exercenda, & magna discretione.*

Ad quod quidem exequendum, maxime valet bona intentio: Unde Leo Rustico episcopo Narbonensi: Constanter tenenda est justitia, & benignè præstanda clementia: Odio habeantur peccata, & corripiantur homines tumidi, tolerentur infirmi, & quod severius castigari necesse est, non sævientis plectetur animo, sed medentis. Unde in libro de vera Religione Augustinus: Nihil enerviter faciant, nihil audacter in peccatis eorum: vel pellant omnino iram, vel ita frænent ut sit pulsæ similis. Magnopere observent cùm judicant, ne nimium sit; cùm ignoscunt, ne parum; nihil puniant quod non valeat ad melius, nihil indulgeant quod vertatur in pejus, inimicitias vitent cautissimè, ferant æquissimè, finiant citissimè. In omni conversatione cum hominibus satis est servare hoc unum vulgare proverbium: Nemini faciant quod pati nolunt. Item Augustinus in Soliloquiis: Sicut dilectionem jussi sunt terrentibus debere qui timent: ita timentibus qui terrent. Nihil nocendi faciat cupiditate, omnia consulendi caritate: & nihil fiet inaniter, nihil inhumaniter.

Leo epist. 92.

CAP. III. *Quod in disciplina magis est misericordia tenenda quàm severitas.*

Unde Ambrosius in libro 1. de Pœnitentia adversus Novatianum: Debet justitiam temperare moderatio, nam quemadmodum se tibi curandum præbeat quem fastidio habeas, qui contemtui, non compassioni medicum suum putat futurum? Ideo Dominus JESUS est passus pro nobis, ut ad se vocaret, non deterreret: mitis vero & humilis. Denique ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos.* Reficit ergo Dominus: non excludit, neque abjicit; meritoque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Domini colligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter Christi discipulos non habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur, & cum ipsi misericordiam quærant, aliis eam denegant. Et post pauca: Distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine attemperatione concessit. Et post pauca: Ut agnoscamus Dominum misericordiæ magis esse indulgentem, quam severitatis tenacem; ipse ait: *Misericordiam magis volo quam sacrificium.* Item: Ubi confitetur Dominus, pro omnibus confitetur, omnes complectitur: ubi negat, non omnes negat. *Omnis qui me confessus fuerit, confitebor & ego eum*, hoc est omnem. Consequens erat ut infra quoque sic redderet, omnis autem qui negaverit; sed ne omnis negare videretur, ita subjecit: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego.* Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur injuriam: Quod est miserationis exagerat, quod ultionis extenuat.

Amb. l. 1. de pœn. cap. 1.
Matth. 11. 28.
Ibid. c. 3.
Ibid. cap. 4. n. 16.
Matth. 10. 32.

CAP. IV. *Quod & ignoscendo malis, & plectendo, semper dilectionis & correctionis intentione utendum est.*

Item Augustinus: Non usque ad mortem protendenda est disciplina, ut sit cui prodesse possit, quia & plectendo & ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Quod si tanta est impietas, ut ei corrigendæ nec disciplina prodesse possit, nec venia, tamen intentione qua Deus discernit dilectionis officium impletur, si in senem agendo, ita integritas servetur, ne humanitas amittatur.

CAP. V. *Quot modis consensus malis exhibetur, laudando, imitando, & tacendo.*

Sed quia consensus non est adhibendus malis prælatis: ut magis caveri possit, videas quot modis fiat: fit enim imitando, vel etiam non reprehendendo quod malum est. Ne consentiamus imitando, prohibet Gregorius in Moralibus: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Si inquit, irato Deo ob merita nostra rectores malos accipimus; in illorum actione colligere possumus quid de nostra æstimatione pensemus. Sed cavendum, ne ad hoc veneremur, ut eos imitari cogamur: cum dicat Petrus obedire magis Deo quam hominibus. Ne verò consentiamus laudando prohibet Augustinus dicens: *Si videbas furem, currebas cum eo:* Ne forte diceres, non feci furtum, non feci adulterium: quid si placuit tibi qui fecit? Nonne ipso placito cucurristi? Nonne portionem tuam cum illo qui fecit laudando posuisti? Quia etsi non facis, & laudas quod fit; adstipulator es facti. Non facis mala: laudas mala, hoc parvum malum? Ne autem consentiamus non reprehendo, prohibet Leo:

Job. 34. 30.
Greg. lib. 25. mor. c. 16. n. 34.
Psal. 49. 18.

Greg. lib. 10. Moral. c. 6. Qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. Et Gregorius: Consentire videtur erranti, qui ad resecanda vitia, ut corrigi debeat non occurrit. Item Innocentius: Error cui non resistitur approbatur: & veritas cùm minimè defensatur opprimitur. Et ne alicui erranti aliquem consensum præbeamus prohibet Pius papa: Quid prodest illum suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti?

Cap. vi. *Quod nec amore, nec metu tacenda est veritas.*

Item Fabianus: Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra Evangelium, nec contra Apostolos, nec contra Prophetas, sed suorum patrum instituta agere ullo modo consentit. Quod nec etiam metu alicujus potestatis, vel scandalizandæ carnalis caritatis, si necesse fuerit, dimittatur, ait Augustinus: Quisquis metu alicujus potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat: Quia magis timuit hominem, quam Deum. Item: Certissimum est quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque regni sublimitas, debet esse preciosior veritate. Unde Gregorius capite 48. cùm Moyses irascentem Deum populo cerneret, & eximi ad ulciscendum gladios jubet; illos à parte Dei denuntiavit existere, qui delinquentium scelera incunctanter ferirent, dicens: *Si quis est* Exod. 32. 26. *Domini, jungatur mihi ponat vir gladium super femur suum: Ite & redite, à porta usque ad portam, per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem suum &c.* De porta usque ad portam ire, est à vitio ad vitium, per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrere. Per medium vero castrorum ire, est tanta æqualitate intra Ecclesiam vivere, ut qui delinquentium culpas redarguit, in nullius se debeat favore declinare. Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur: profecto esse Dei denegat, qui in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat.

Cap. vii. *Quod nec metu scandali nec compassione falsa veritas reticenda est.*

Sed hoc aliquando non gratia favoris, sed metu scandali vel compassione falsæ misericordiæ, solet reticeri: ut ait Gregorius in Ezechiele, Greg. Hom. 7. in Ezech. n. 5. quantum sine peccato possumus, vitare scandalum proximorum debemus. Si enim de veritate scandalum sumitur; utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

Cap. viii. *Quod licet pax exterius turbetur per increpationem, intus tamen tenenda est per dilectionem.*

Lib. 3. Past. cap. 22. Unde Gregorius in Pastoralibus cap. 46. Pax præsens ita tenenda est ut & diligi debeat, & contemni, ne si immoderate diligi- A tur, diligentis animus in pœna capiatur. Unde admonendi sunt pacati, nedum nimis humanam pacem desiderant, pravos hominum mores nequaquam redarguant, & consentiendo perversis ab auctoris sui pace disjungant: ne dum humana foris jurgia metuunt, interni fœderis discissione feriantur. Quid enim est pax transitoria, nisi vestigium pacis æternæ? quid ergo est dementius, quàm vestigia in pulvere impressa, sed ipsum à quo impressa sunt non amare? Unde David testatur, quod cum malis concordiam non tenet, dicens: *Nonne qui oderunt te, Deus,* Psal. 138. 21. B *oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Inimicos enim Dei perfecto odio odisse est, & quod facti sunt diligere, & quod facti non sunt increpare. Pensandum est igitur, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa & cum pessimis pax tenetur: Si propheta tantus hoc velut hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit. Hinc tribus Levi quia noluit peccatoribus parcere; dicta est Deo manus consecrasse. Hinc Exod. 32. 27. Finees coëuntem cum Madianitis perculit, & Num. 25. 9. iram Domini iratus placavit. Hinc Veritas dicit: Matth. 10. 34. C *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terra; non veni pacem mittere, sed gladium.* Unde Josaphat, qui tot de ante acta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis increpatur: 2. Paral. 19. 2. *Impio*, inquit, *præbes auxilium: & his qui oderunt Dominum amicitiis jungeris.* Admonendi sunt ergo pacati, ne si ad correptionis verba prosiliant, temporalem pacem sibi perturbare formident: rursumque admonendi sunt, ut eamdem pacem dilectione integra intrinsecus teneant, quam per invectionem vocis extrinsecus turbant. Unde psalmista: *Cum his qui oderunt pacem eram paci-* Psal. 119. 7. D *ficus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.* Ecce loquens impugnabatur, impugnatus erat pacificus: quia nec insanientes cessabat reprehendere, nec reprehensos negligebat amare. Unde Paulus: Rom. 12. 18. *Si fieri potest quod ex vobis est: cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quasi dicat: si pax ab his qui corripiuntur expellitur, vestra tamen mente teneatur. Unde idem ad discipulos. 2. Thess. 3. 14. *Si quis non obedit verbo; per epistolam hunc notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur.* Sed cum vitatur, ne etiam odio habeatur, subjunxit: Ibid. 15. *Et nolite ut inimicum existimare: sed corripite ut* E *fratrem.* Ac si dicat: sic peccantem vestra discordia feriat, quatinus pax à cordibus vestris non discordet.

Cap. ix. *Quod injusta est misericordia quæ malis & impœnitentibus impenditur.*

Sed quia indiscreti ex hac indicta caritatis pace in falsam misericordiam labuntur: ut ante pœnitentiam peccati velint ignoscere, Amb. serm. 8. in Psal. 118. n. 25. ait Ambrosius in Psalmo 118. est injusta misericordia. Denique in lege scriptum est: Deut. 19. 13. *Non misereberis ejus,* & in libro Regum, quia

1 Reg. 15. 9. « propterea Saül contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem; quem prohibebat divina sententia servari: ut si quis latronis filii deprecationibus motus, & lacrymis conjugis flexus, putat absolvendum cui adhuc latrocinandi aspiret affectus, nonne innocentem tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem?

CAP. X. *Quod vera est misericordia malos corrigere.*

Unde Pelagius universis episcopis & cunctis spiritualiter per Campaniam & Italiam « Domino militantibus: Misericordia est circa persecutores & facinorosos servata districtio. Item: ante prævidenda sunt remedia, quam morbus increscat. Item: Sæculi conversatio legum metu retinetur: ecclesiastica vero custodia regularum frænis servatur & regitur.

CAP. XI. *Quod non simplicitati aliquando, sed pigritiæ imputandum est, non corrigere.*

Unde Augustinus homilia 6. Sunt qui di« cuntur simplices & pigri sunt. Non talis erat Stephanus plenus Spiritu-sancto: simplex erat quia nulli nocebat: fervens erat, quia impios arguebat.

CAP. XII. *Quod in nos delinquitur, pro Deo remittere; quod in Deum, canonice vindicare debemus.*

Et quia idem Stephanus pro lapidatoribus suis orabat: quos Dei transgressores argue« bat; ait Augustinus: Dimittamus ergo propter Deum quod in nobis perpetratum est: & quod in Deum commissum est, quod dimittere non possumus, secundum auctoritatem canonicam vindicemus.

CAP. XIII. *Quod prælati à subditis non solum reprehendi, sed etiam accusari & convinci debent.*

Quia ergo non favore, non metu, non misericordia, non simplicitate dimittendum est quin transgressores arguantur, cum de ceteris constet, videndum est quo tempore, qua intentionis discretione, quo ordine, si à subditis, & à quibus prælatis sunt arguendi, vel si corrigi noluerint, accusandi, & postmodum à prælatis damnandi. Usu ecclesiastico celebratum, canonumque auctoritate sancitum reperimus prælatos à subditis nedum reprehensos, sed accusatos & convictos. Ut enim legimus in libris virorum illustrium, Damasus papa à subditis de adulterio accusatus cum quadraginta duobus episcopis est purgatus. Item: Symmachus papa in Romana synodo dignitate sua spoliatus, prius statui pristino reddi decernitur, ut tunc veniret ad causam, et si ita recte videretur responderet. Digna res visa maxima sacerdotum numero ut meretur effectum. Et cum postmodum ordinaretur quomodo accusandus esset præfatus papa, ut causam diceret, occurrebat: nisi ab æmulis impedita fuisset. Item Paulus: Deaclinæ civitatis episcopus accusatur à subditis de lapsu carnis, convincitur, deponitur, alter loco ejus restituitur. Quod quomodo Gregorius approbaverit ex registro ejus ad Johannem episcopum cap. 217. videamus. Lator Nemezion indicavit ad nos veniens, Paulum Deaclinæ civitatis episcopum in corporali crimine lapsum à suis fuisse clericis accusatum, atque habita cognitione convictum: quâ de re illo episcopali sententia deposito, alium loco ejus episcopum ordinatum. Hoc dicto, non in accusatores vel depositores ulciscitur, sed in depositum ulterius prosequitur: Ut si ultra ad episcopatum aspirare tentaverit, & ad agendam perennem penitentiam in monasterio retrudatur. Greg. lib. 12. epist. 31.

CAP. XIV. *Quod Episcopi metropolitanum suum accusare debent.*

Quod verum non solum usurpatum, sed & canonica auctoritate sancitum sit, & in eos qui noluerunt reprehendere vel accusare prælatos punitum videamus, qua auctoritate episcopis suorum metronopolitanorum culpas accusare liceat. Ait Gregorius Innocentio & reliquis episcopis Sardiniæ: Metropolitam vestrum in aliquo postponere non præsumatis: excepto si, ut non optamus, contra eumdem vos aliquid causæ habere contingat: ut ob hoc sedis apostolicæ judicium petere debeatis. Greg. lib. 9 epist. 8. Item Gregorius universis episcopis concilii Vizachii, Sicut, inquit, laudabile discretumque est reverentiam & honorem exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si qua in eis indigent correctione, nulla dissimulatione præponere: ne totum quod absit corpus morbus invadat, si languor non fuerit corrasus in capite. Quædam enim de primate vestro Clementio ad nos perlata sunt, quæ quoniam ita gravia sunt, ut transisse indiscussa nullo modo debeant: fraternitatem vestram hortamur, ut cum omni sollicitudine ac vivacitate veritatis indagare debeatis multis modis substantiam. Et si sunt ut audita sunt: ultione canonica resecentur. Admonemus autem, ut non cujuscumque personæ gratia, non favor, non blandimentum quodlibet, quemquam vestrum ab his quæ nobis nuntiata sunt molliat, vel à veritate excutiat: sed sacerdotaliter ad investigandam veritatem vos propter Deum accingite. Nam si quis in hoc piger, aut negligens esse præsumserit, dictis criminibus apud Deum se noverit esse participem, cujus zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi facinoris causas non movetur. Idem lib. 12. epist. 32.

Cap. xv. *Quod clericis licitum est quemlibet superioris ordinis accusare, etiam episcopum; & quod ipse episcopus non debet reprehendere.*

Quod similiter Gelasius cap. 28. generaliter omnibus cujusque ordinis clericis imperat adversus prælatos suos dicens : Quapropter ne clericorum quisquam se hujus offensæ futurum confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda depromsimus, sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat, & ceteris interdictio delinquendi. Sui vero modi erit unusquisque pontificum ordinis & honoris elisor, si cuique clericorum vel ecclesiæ totius auditui hæc putaverit subprimenda. Et ut pateat peccatum esse consentire in malo, & non accusare prælatos: Accusatur apud Gregorium Lucillus Miletæ civitatis episcopus, & illata crimina ab episcopis coëpiscoporum testimonio vera esse cognoscens, deponi eum imperat, & pariter presbyteros & diaconos, qui conscii vel participes ejus sceleris fuerant, sicut in scriptis ejus reperitur, damnat.

Greg. lib. 9. epist. 63.

Cap. xvi. *Qua discretione accipiendum sit, quod sancti vetant ne prælati à subditis arguantur vel accusentur: iterumque imperant ut ab eis accusentur & arguantur.*

Cum ergo & usurpatum sit, & canonicè imperatum, & nisi factum fuerit vindicatum, quid ergo est quod sancti vetant ne prælati à subditis infamentur, arguantur, aut accusentur? maxime cùm Silvester consensu & subscriptione omnium in synodo constituit distinctè, ut nullus laïcus adversus clericum, nullus minoris ordinis clericus adversus aliquem majoris crimen audeat inferre, insuperque alii sancti hujusmodi infamatores prælatorum, aut infames esse, aut proprio gradu decidere, aut qualibet inhonestatis nota imperant affici debere. In quibus omnibus maxima discretio personarum accusantium vel accusatorum pensanda est : & qua intentione, vel quo ordine faciant attendendum. Quod Augustinus in soliloquiis discernens, ait: Aliud est reprehendere vel improbare, aliud accusare quemcumque : quia præsumunt prælati non debere se reprehendi, pro eo quod canones non eos passim constituunt accusandos, quod tamen solum negatur criminosis, cum de reprehendendo Veritas ipsa constituat. *Si malè locutus sum : testimonium perhibe de malo.*

Cap. xvii. *Quod etiam boni laïci ad accusationem episcoporum sunt admittendi.*

Unde ex Chalcedonensi concilio cap. 21. clericos aut laïcos accusantes, & passim, & sine probatione episcopos & clericos ad accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur æstimationis opinio. In quo non solum clerici, sed & laïci ad accusationem episcoporum recipiuntur, si non passim & inordinate, sed cum approbatione culpæ alienæ, & cum opinione bonæ suæ intentionis bonæque vitæ accusent. Unde ex concilio Carthaginensi cap. 8. Numidius episcopus Affulitanus dixit: Sunt quamplurimi non bonæ conversationis, qui existimant majores natu vel episcopos passim vageque in accusatione pulsandos. Debent tam facile admitti necne? Aurelius episcopus dixit: Placet igitur charitati vestræ, ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majores natu non habeat accusandi.

Cap. xviii. *Quod boni juvenes districta increpatione malos senes ferire debent.*

Sed quod his malis interdicitur, hoc alibi adversus malos majores natu bonis junioribus conceditur. Unde Gregorius Januario episcopo. Paulus dicit *Seniorem ne increpaveris*, sed hæc ejus regula in ea re servanda est, cùm culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem senior junioribus exemplum ad interitum præbet : ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: *Laqueus juvenum omnes vos*; Et rursus : *Maledictus puer centum annorum.* Ecce ut auctoritatem habeamus sanctorum varias regulas pro variis personis ad verum intellectum posse restringere, quod Paulus absolutè & quasi universaliter dixit, hoc Gregorius non ad omnes, sed ad quasdam seniorum culpas non increpandas restrinxit.

Greg. lib. 5. epist. 1. 1. Tim. 5. 1. Isai. 42. 22. Isai. 65. 20.

Cap. xix. *Quod non omnes episcopi sunt episcopi.*

Sunt enim seniores non seniores: sunt episcopi non episcopi. Unde Hieronymus ad Eliodorum : Non omnes episcopi sunt episcopi. Attendis Petrum, sed Judam considera. Stephanum suspicis, sed & Nicholaum respice. Non facit ecclesiastica dignitas christianum. Cornelius centurio adhuc ethnicus dono Sancti Spiritus mandatur, presbyteros Daniel puer judicat. Non est facile stare loco Petri & Pauli, tenere gradum jam cum Christo regnantium, infatuatum sal ad nihilum prodest, nisi ut projiciatur foras, & à porcis conculcetur. Monachus si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos; pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? Item Augustinus homelia vi. Non omnis qui dicit pax vobiscum audiendus est sicut columba. Moxque corvum à columba discernens, ait: Corvi, de morte pascuntur : hoc columba non habet de frugibus terræ vivit; innocens est victus ejus. Quod vere fratres mirandum in columba. Sed passeres brevissimi vel muscas occidunt: Nihil horum columba : non de morte pascitur.

Hier. epist. 5. alias 1. Aug. tract. 6. in Ioh. n. 4.

Quia ergo episcopi non sunt episcopi, presbyteri à Daniele puero judicantur, sal infatuatur, à porcis conculcatur, & qui dicit pax vobiscum, non est columba, sed corvus reputatur. Non ergo semper pro officio vel auctoritate personæ contra pueros est agendum: cum omnis persona criminaliter peccans, alterata, ut ita dicam, & capite minor legibus censeatur. Qui enim facit peccatum servus est peccati, tam in pœna quam in culpa.

CAP. XX. *Quod aliquis malus episcopus vel impudicus, canis magis dicendus est, quam episcopus.*

Unde Gregorius. Qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec crimen filiorum correxit, canis magis dicendus est, quam episcopus. Quibus ergo Hieronymus, Augustinus, Gregorius auferunt nomen Columbæ vel Episcopi, nonne & privilegium auferendum est, ut possint à subjecto reprehendi? Unde & scriptura dissimulans privilegium pravæ senectutis, ait: *maledictus*, non senior, *sed puer centum annorum.*

CAP. XXI. *Quod à minoribus non sit refugienda correctio.*

Quia ergo usu & auctoritate obtinet Ecclesia, ut prælatos subditi reprehendant & accusent: sic etiam præcipit, ut prælati subditorum increpationes non dedignentur vel refugiant. Unde Augustinus ad Hieronymum: Quamquam secundùm vocabula, quæ usus obtinuit, sit episcopus presbytero major; Augustinus Hieronymo minor est. licet enim à minore sit, non refugienda vel dedignanda correctio: si salva fiat caritate.

CAP. XXII *Quod etiamsi subditi mala intentione reprehendant prælatos, tamen se excusare debeant propter vitandum majus scandalum.*

Sed etsi à subditis aliqua sinistra intentione vel importunitate fiat, ne majus fiat scandalum Ecclesiæ, debet prælatus humiliter tolerare & rationabiliter se excusare, ne aliis sit auctor ruinæ. Unde Gregorius Teotistæ patriciæ: Pensate, quæso: ubi erit patientia, si deest quod toleretur? [a] Abel esse non poterit, quem Chaïn malitia non exercet. Ipsa enim malorum satietas purgatio bonorum est. Et post pauca: Sed quia sedari hoc ipsum stultorum hominum murmur tranquilla ratione potest, peccatum credo, si bonum quod valet fieri, negligitur ut fiat. Nam cum placare insanas mentes, atque ad salutem reducere præsumimus, scandalizare eas minime debemus. Sunt enim quædam scandala, quæ omnino despicienda sunt: quædam vero cum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa serventur. Quod sacro Evangelio prædicante cognovimus, quia cum

Greg. lib. 11. epist. 45.

[a] Apud: Gregorium *Ego Abel esse non suspicor, qui Cain fratrem non habuerit.*

A dicerет Veritas, *non quod intrat in os coinquinat hominem*, & discipuli dicerent; *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt*, protinus respondit: *Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum.* Et tamen cum tributum peteretur, prius rationem reddidit; qua tributum solvere non deberet, atque illico subjunxit: *Tamen ne scandalizemus eos vade ad mare, & mittens hamum, piscem tolle & aperto ore ejus invenies staterem. Illum da eis pro me & pro te.* Quid est autem quod de scandalizatis aliis dicitur: Sinite eos; & aliis ne scandalizentur à Domino tributum solvitur quod non B debetur? Quid est autem quod aliud scandalum fieri permisit, aliud prohibuit, nisi ut nos doceret & illa scandala quæ nos implicant in peccatis contemnere, & ea quæ sine peccato placare præsumimus omnibus modis mitigare? Vestra itaque excellentia potest pravorum hominum scandala cum tranquillitate declinare. Et post pauca: Ne nobis indignum videatur, perversa capitula de quibus nobis obloquuntur, anathematizando satisfacere populo. Et post pauca: Certe Petrus potestatem regni cœlestis acceperat, ut quæcumque in terra ligaret & solveret, essent C in cœlo ligata atque soluta: Super mare ambulabat, ægros umbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos suscitabat. Et quià ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus; contra eum à fidelibus quæstio est facta, cur ad gentiles intrasset, & comedisset cum eis, cur eos in baptismate recepisset. Et post pauca: Si cum à fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat attendisset: respondere poterat ut pastorem suum oves quæ ei commissæ fuerant reprehendere non auderent: sed si in D querela fidelium aliquid de sua potestate diceret: profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo ratione eos placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit dicens: *Venerunt autem mecum & sex fratres isti.* Si igitur pastor ecclesiæ, princeps apostolorum, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere; quantò magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros humili ratione placare debemus? Item Augustinus de Doctrina christiana: Nonne Deus E cum Moyse loquebatur? Et tamen consilium regendi tam magni populi à socero, suo scilicet alienigena homine, & maximè providus, & minimè superbus accepit. Noverat enim ille vir, ex quacumque anima verum consilium processit, nec ei, sed illi qui est Veritas incommutabili Deo esse tribuendum. In quo notandum est correctionibus, & consiliis minorum majores acquiescere debere, sicut etiam salubre & necessarium est minores illa majoribus, vel è converso majores minoribus exhibere.

Matth. 15. 11. Ibid 12.

Ibid. 17. 26.

Act. 11. 12.

Cap. XXIII. *Quod vicissim prælati à subditis & subditi à prælatis arguendi sunt.*

Unde Isidorus sancto Cyrillo: Terrent me divinarum scripturarum exempla: & quæ necessaria sunt compellor dicere. Sive enim pater sum, ut dicis, Heli condemnationem metuo, quia peccatores filios non coërcuit: sive filius tuus sum, sicut magis scio illius Marchi gerentis Jonathæ pœnam formido, qui patrem non prohibuit quod poterat, in bello defunctus est. Unde Ambrosius in homeliis suis: « Qui fratrem non arguit peccantem, « quodammodo hortatur ut peccet.

Cap. XXIV. *Quod prælati non ab omnibus, sed tantum à bonis, & nulla omnino macula respersis, vel etiam non suspectis accusandi sunt.*

Sed cum ex auctoritate canonica prælati à subditis sunt arguendi & accusandi, videndum est quod non ab omnibus, sed tantum à bonis, & nulla omnino macula vel præsenti vel præterita respersis, vel etiam non suspectis. Unde Anacletus in secunda epistola: « Accusatio sacerdotum non nisi ab idoneis & « probatissimis viris, & qui suspectionibus & « sceleribus careant fieri debet: Quia Dominus « sacri sui corporis tractatores à vilibus & re- « probis infamari noluit, vel calumniari per- « misit; sed ipse proprio flagello sacerdotes « ejecit. Et paulo post: Sine crimine sacerdos « eligi præcipitur, nullatenus ab hominibus cri- « minibus irretitis accusari aut calumniari per- « mittitur, nec ab aliis quam ab his qui sine « crimine sunt, & juxta electionem, si neces- « sitas fuerit, sacerdotes fieri aut ordinari pos- « sunt. Unde Damasus papa ad Stephanum ex « concilio Africæ: Accusatores episcoporum & « testes super quibus rogitastis, absque ulla in- « famia, aut suspicione, aut manifesta macula, « & veræ fidei pleniter instructi esse debent, & « tales quales ad sacerdotium eligi divina jubet « auctoritas: Quoniam sacerdotes, ut antiqua « tradit auctoritas, criminari non possunt, nec « in eos testificari, qui ad eumdem nec debent « nec possunt provehi honorem: In quo notatur quod qui debent & possunt provehi, quamvis ipsi non sunt sacerdotes: tamen sacerdotes accusare possunt: & in eos testificari, si non sint infames.

Anacl. epist. 2 n. 2.

Cap. XXV. *Quæ personæ infames dicendæ sunt.*

Quos Stephanus papa describens, ait dilectissimo fratri atque familiari amico Hilario « in prima: Infames esse eas personas dicimus, « quæ pro aliqua culpa notantur infamia: Id est « qui Christianæ legis normam abjiciunt, & sta- « tuta ecclesiastica contemnunt. similiter fures, « sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus « irretitos, sepulcrorumque violatores, & om- « nes qui adversus patres armantur; similiter & « incestuosos, homicidas, perjuros, maleficos, raptores, veneficos, adulteros, de bellis « fugientes, & qui indigna petunt sibi loca te- « nere, aut facultates ecclesiæ abstrahunt, vel « qui contra innocentes principum animos ad « iracundiam provocant, & omnes anathema- « tizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia « pulsos, & omnes quos ecclesiasticæ seu sæculi « leges infames pronuntiant. Hi nimirum omnes, « nec servi ante legitimam libertatem, nec pœ- « nitentes, nec digami, nec hi qui curiæ de- « serviunt, vel non integri corpore, aut qui « sanam non habent mentem vel intellectum, « aut inobedientes sanctorum decretis, aut fu- « riosi non debent ad sacros gradus provehi, « nec liberti, nec suspecti. «

Steph. epist. 1. n. 1.

Cap. XXVI. *Quod inimici ab heri & nudiustertius accusatores & testes esse non possunt.*

Unde Anacletus cap. 2. Accusatores & te- « stes esse non possunt, qui ante hesternum diem « aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati « nocere cupiant, nec læsi se ulcisci velint. «

Anacl. epist. 3. n. 5.

Cap. XXVII. *Quod consanguinei & familiares accusatores & testes esse non debent.*

Unde Calixtus papa cap. 2. Accusatores « consanguinei adversus extraneos testimonium « non dicant: nec familiares, nec de domo « una prodeuntes. Et si voluerint & inter se con- « senserint: inter se tantum modo testificentur « parentes & non in alios. Nec accusatores nec « testes suspecti recipiantur: quia propinqui- « tatis & familiaritatis ac dominationis affectio « veritatem impedire solet. Amor carnalis & « timor atque avaritia plerumque sensus hebe- « tant humanos: ut quæstum pietatem putent « & pecuniam quasi mercedem prudentiæ.

Cal. epist. 2. n. 5.

Cap. XXVII. *Quod non solum vita & opinio accusatorum testium, sed etiam intentio perscrutanda est.*

Unde in decretis Evaristi cap. 11. Audivi- « mus quosdam episcopos infamatos, & dila- « ceratos, à sedibus propriis pulsos, & alios in « eis ipsis viventibus constitutos. Ideo hoc vo- « bis scribimus, ut sciatis hoc fieri non licere. « Et post pauca: Si qui sunt vituperatores, « aut accusatores sacerdotum, non oportet eos « à judicibus Ecclesiæ audiri antequam discutia- « tur eorum exstimationis opinio, qua temeritate, « qua intentione, qua fide, qua vita, qua con- « scientia, quove merito, si pro Deo, aut va- « na gloria, aut ex inimicitia, aut odio, aut « cupiditate. Hæc omnia fideliter sunt perscru- « tanda, & diligenter pertractanda. Nam sunt « nonnulli qui præpositos suos persequuntur & « reprehendunt, si vel parum ipsis molesti fue- « rint: idcirco recto oculo primatibus eccle- « siarum utiliter providendum est: ne quis eo- « rum innocens vexetur aut scandalizetur. «

Evar. epist. 1.

A

CAP. XXIX. *Quod sancti ideo vel nullam vel difficilem voluerunt esse sacerdotum accusationem, ne à malis quibuslibet possent infestari.*

Fab. epist. 1. n. 2. Unde Fabianus papa in Decretis suis missis orientalibus episcopis: Talia cogitantes sancti apostoli, eorumque successores, Spiritusancto repleti, malos homines prævidentes, & simplices considerantes, difficilem aut nullam voluerunt esse sacerdotum accusationem; ne à malis potuissent averti aut submoveri: Quia si hoc facile concederetur sæcularibus & malis hominibus; aut nullus, aut vix perpauci remanerent: Quoniam semper fuit, & est, & quod pejus est semper viget, ut mali bonos persequantur, & carnales spirituales infestent. Idcirco, ut prædictum est, statuerunt, ne accusarentur; & si aliter fieri non posset, perdifficilis fieret eorum accusatio, & à quibus, ut supra dictum est, ne præsumeretur; neque à propriis sedibus vel ecclesiis episcopi ejicerentur. Ecce Fabianus apertissime resolvit, quare sancti vetuerunt ne sacerdotes à vulgaribus & vilibus personis passim & temere accusarentur, ne scilicet per stultitiæ indiscretionem, vel malitiæ temeritatem, ab ovibus idiotis vel malis pastores gravarentur. Quod tamen concesserunt bonis subditis, ne prælati quælibet mala perpetrare impunè viderentur. Et revera pastores, quos Dominus vicarios suos nobis reliquit, oculos suos & linguam suam esse voluit: & quos principaliter elegit, suoque judicio peculiariter reservari voluit, cùm pro merito plebis constituatur princeps, & iterum pro meritis plebis damnentur pastores ecclesiæ, nisi in magnis valde, & manifestis, & incorrigibilibus peccatis, pro nomine Domini magis sunt tolerandi quam judicandi: ne dum eos persequimur perverso ordine, etiam nostra peccata, quibus ipsi depravantur, eos antequam nos ipsos luere faciamus.

B

CAP. XXX. *Quo ordine complenda sit disciplina.*

Quia ergo dictum est quo tempore, qua intentionis discretione, quibus accusatoribus, quibus testibus, exercenda sit disciplina: Nunc quo ordine implenda sit videamus. Tantum enim viget ordo in Ecclesia, ut seu facta sint seu verba, nisi ordinabiliter habita, sint etiam irrita. Unde Zepherinus papa cap. 1. neque in re dubia certa judicetur sententia: nec ullum judicium nisi ordinabiliter habitum teneatur: Item Leo papa cap. 49. Si in rebus sæcularibus suum cujusque jus & proprius ordo servandus est, quantò magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet indici confusio?

Zepherinus epist. 1.

CAP. XXXI. *Quod priusquam accusari debeat episcopus conveniendus est non semel, sed sæpissime; non amaro, sed familiari colloquio, ut corrigat quæ in se corrigenda cognoverit.*

Ut ergo ordine fiat disciplina, ante conveniatur episcopus, non semel, sed sæpe quàm accusetur: & ut propter scandalum Ecclesiæ vel se expurget vel corrigat, admoneatur humiliter quidem, & blandè prius privatim, & postea publice. Si neutrum exequi voluerit, ut scilicet expurgetur, vel consilio subjectorum corrigatur; tunc demum primati ejus significetur litteris non furtivis, vel provisoriis, sed canonicis; non ex conspiratione, sed ex caritate, quibus ab ipso accusationis & judicii dies expetatur. Unde Anacletus cap. 11. Si quis adversus pastores & ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit: prius ad eos recurrat caritatis studio, ut familiari colloquio admoniti, ea sanent quæ sananda sunt, & caritate emendent quæ justè emendanda cognoverint. Si autem aliqui eos, priusquam hoc egerint, lacerare, accusare, infestare præsumserint, excommunicentur, & minimè absolvantur antequam satisfactionem condignam egerint: quia injuria eorum ad Christum pertinet cujus legatione funguntur. Item Alexander cap. 1. Si quis erga episcopum vel auctores ecclesiæ se quamlibet querelam justam habere crediderit: non prius primates aut alios adeat judices, quam ipsos à quibus se læsum existimat, conveniat familiariter, non semel, sed sæpissime, ut ab eis aut suam justitiam, aut excipiat excusationem. Si autem secus egerit, ab ipsis & ab aliis communione privetur, tamquam apostolorum patrumque aliorum contemtor.

Anaclet. epist. 1. n. 2.

C

Alex. epist. 1. n. 3.

CAP. XXXII. *Quod metropolitani suffraganeis suis superbi & graves esse non debent, nec sine eorum consilio aliquid, nisi quod ad propriam pertinet parochiam, tractare.*

D

Unde Anitius papa cap. 1. Si quis metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium comprovincialium præsentia vel consilio episcoporum, aut eorum aut alias causas, nisi eas tantum quæ ad propriam pertinent parochiam, agere, aut eos gravare voluerit: ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si verò incorrigibilis, eisque inobediens apparuerit, ad apostolicam sedem ejus contumacia referatur: ut vindicta de eo fiat & ceteri timorem habeant.

CAP. XXXIII. *Quod si episcopus admonitione subditorum incorrigibilis fuerit, tunc canonice ad primatem causa ejus deferatur, qui eum ad concilium convocet.*

E

Unde Felix cap. 11. Si quis episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt, fuerit accusatus; postquam ipse ab eis caritative con-

Fel. epist. 2.

" ventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corripere noluerit; non olim, sed tunc ad summos primates canonicè causa ejus deferatur, qui in congruo loco infra ipsam provinciam, tempore congruo, id est autumnali vel æstivo, concilium regulariter habebunt: ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ episcopis inibi audiatur. Quo & ipse regulariter convocatus, si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit: quia ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est, quam major audientia rogetur.

CAP. XXXIV. *Quòd subditi & prælatos humiliter reprehendant, & reprehensos venerentur.*

Quia ergo conveniendus prius est prælatus, quàm accusandus; quomodo hoc faciendum sit exponit Gregorius in libro Moralium V. " Cum quædam facta meliorum vel prælatorum deterioribus displicent, nequaquam hoc quod mentem movet reticendum est, sed cum magna humilitate proferendum: quatenus intentio piè sentientis eo servet formam rectitudinis, quo per iter graditur humilitatis. Et liberè ergo dicenda sunt quæ sentimus, & valdè humiliter promenda quæ dicimus, ne quod forte intendimus, hoc elatè proferendo non rectè faciamus. Item in eodem libro XXX. Dum salva res agitur, virtutis est meritum; si quod est prioris toleretur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Et post pauca: Si magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos subditi etiam cum displicent venerentur. Sed hoc solerter intuendum, ne quos imitari despicis venerari contemnas.

CAP. XXXV. *Quòd prælati à subditis reprehensi vel debent se purgare, si sunt innocentes, vel emendare si sunt culpabiles.*

Cum ergo prælati debeant à subditis conveniri & reprehendi, ipsi è contrario vel se debent expurgare, si sunt innocentes; vel emendare, si sunt culpabiles. Quod utrumque certis auctoritatibus explicetur. Periculosum enim valde est prælatum esse vel videri reprehensibilem. Cum enim dicatur à Domino sal terræ & lux mundi, quis sapiet si sal infatuatur? Quis non offendet si lux obscuratur? Unde Paulus dicit: *Videte ne ponatis offendiculum fratribus aut scandalum.* (Rom. 14. 13.) Et alibi: *providete bona non solum coram Deo; sed etiam coram omnibus hominibus.* (Rom. 12. 17.) Et Augustinus: Qui negligit famam suam crudelis est. (Aug. Serm. 355. n. 1.) Et in Evangelio: *Væ homini illi per quem scandalum venit.* (Matth. 18. 7.) Et iterum: *Si quis scandalizaverit unum ex pusillis his, expedit ei ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profundum.* (Ibid. 6.) Non est ergo leve prælatum quemlibet sua culpa vel occasione sibi commissos perdere: pro quibus Christus mortuus, pro quibus ipse rationem redditurus est in districto Dei examine. Unde etiam Samuël cum Israël à Domino regem peteret, quia ipse judex eo tenus providens ne per suspicionis præjudicia opinionis damna pateretur, cum divina obtestatione & vulgi etiam testimonio suam innocentiam patefecit, quod nulli scilicet injuriam fecisset, sed muneribus eorum adversatus esset. Sed & Gregorius superius attestatus est, quod Petrus apostolorum princeps cum sex fratrum testimonio de Cornelii ethnici communione se purgavit. (Act. 11. 12.) Plures etiam sancti ne quolibet modo scandalum essent Ecclesiæ solemniter se purgaverunt de sola suspicione. Legitur enim in registro Gregorii ad Justinianum imperatorem cap. 107. quod super altare sancti Petri jurejurando se purgaverit Leo episcopus. Item in registro ad Brunichildem reginam cap. 232. Menas episcopus simili examinatione. Similiter Briccius Turonorum episcopus pro scandalo populi sedando in prunarum deportatione & infantis menstrui collocutione. Unde etiam Gregorius Augustino Anglorum episcopo in epistola cujus est initium *Desiderabile mihi à te*, [a] & cetera: Presbyter vel quilibet sacerdos à populo accusatus, si certi non fuerint testes, qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio: & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nota & aperta sunt omnia, sicque in proprio gradu maneat.

CAP. XXXVI. *Quòd cujus scitur ab omnibus culpa, sciri debet ab omnibus pœnitentia.*

Si autem se expurgare non potest concilio, vel etiam testimonio subjectorum, propter scandalum sedandum necesse est satisfaciat. Genebaldus enim Laudunensis episcopus pro lapsu carnis à beato Remigio in crypta subterranea positus septennem pœnitentiam egit in aqua & pane subcinericio Lauduni coram ipsis eisdem quos inter fuerat infamatus. Dignum est enim revera, ut quos inficit fætor culpæ, reficiat bonus auctor pœnitentiæ. Unde Augustinus in homeliis: " Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Unde etiam filiam archisynagogi Dominus in domo suscitavit: Lazarum verò videntibus Judæis cum clamore de sepulcro vocavit. Unde Augustinus in libro de pœnitentia: Cum tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sint: auctoritate antitistis se debet quisque ab altari removere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere corpus & sanguinem Domini, si eo tempore, quo debet agere pœnitentiam, accipiat. (Serm. 351. n. 9.) Item in eodem: Qui medicinæ petit sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves cælorum ministrantur, & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, in offerendo sacrificio contribulati cordis devotus & sup-

[a] Hæc epistola hodie non extat apud Gregorium

« plex. Id tamen agat quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum: ut si peccatum ejus non solum in gravi ei est malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitiam multorum, vel etiam totius plebis pœnitentiam agere non recuset, non resistat, ne lethali & mortiferæ plagæ addat tumorem.

Cap. xxxvii. *Quòd cum levis culpa qualibet quotidiana confessione fratrum solvi credatur, criminaliter tamen prælatorum tantum absolutione laxatur.*

Sed opponunt quidam, quòd à minoribus & æqualibus satisfactio criminalium possit injungi. Sed Beda presbyter Venerabilis hunc locum ita exponit. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* In hac, inquit, sententia debet illa discretio esse, ut quotidiana leviaque peccata, alterutrum & coæqualibus confiteamur, eorumque credamus quotidiana oratione salvari. Porro gravioris lepræ immunditiam, juxta legem, sacerdoti pandamus, & ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore jusserit purificare curemus. Unde & Augustinus cum de criminalibus discrevisset, ait: De quotidianis autem & levibus sine quibus hæc vita non ducitur: quotidiana fidelium oratio satisfacit. (Jac. 5. 16.)

Cap. xxxviii. *Quòd sacerdotum pœnitentia & si debet sciri, non tamen ab omnibus videri.*

Sed sacerdos, etsi pœnitentiam agat, ita ut omnes sciant, non tamen ita ut omnes, sicut de quolibet laïco per omnia ejus pœnitentiam videant: quia nec manus impositio debet ei in imponendis capiti cineribus à quolibet sacerdote fieri, sicut fit laïcis, nec publicè de Ecclesia sicut laïcus ejici, sed in privato loco, vel ipsius claustri, vel alicujus monasterii, vel ad horam, vel in perpetuum debebit prout jussus fuerit pœnitere: sicut etiam Genebaldus in crypta subterranea, ubi nec homines vidit, nec ab eis visus est, per septem annos pœnituit. Unde Leo Rustico episcopo Narbonensi cap. xvi. Alienum est à consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut in diaconii gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod sine dubio ex apostolica traditione descendit: secundùm quod scriptum est. *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo?* Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio: ubi illorum satisfactio si fuerit digna, sit & fructuosa. Quod ad terrorem dictum est, ut sacerdos tanto familiarius & obnixius Deum oret, quanto inter se & Deum nullum vel rarum intercessorem obtinet; tanto verò expeditius & liberius, quanto in privata secessione sua nec impeditur nec offenditur aliqua sæcularium importunitate. Etsi satisfactio ejus taliter fuerit digna, erit & fructuosa duobus modis, ad salutem scilicet, & ad honorem ecclesiasticum recuperandum. (Leo. epist. 92. n. 2.) (1. Reg. 2.)

Cap. xxxix. *Quòd sacerdos si dignam pœnitentiam egerit pristinæ suæ dignitati restituatur.*

Unde Hieronymus in Michæa: Cum divini magis quàm prophetæ fuerint comprobati, ridebuntur super somniis suis: & populi qui ab eis prius decepti fuerant, contra eos loquentur. Tunc etiam ipsi magistri pœnitentiam agent: & quia clemens sum & nolo mortem peccatoris, cum exaudiero eos, dabo eis virtutem spiritus mei, & implebo eos judicio meo, & fortitudine, ut qui prius populum blandimentis decipiebant, postea vera annuntiando deterreant, & ad rectam revocent viam; & qui causa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus quæ intulerant; & esse occasio sanitatis. Et cum hoc dixisset ex persona Domini; quid ex his verbis concepisset subsequenter ostendit: animadverte, inquit, in præsenti loco posse aliquem docere post peccatum: si tamen vitia pristina digna pœnitentia luerit. Unde & David post adulterium & homicidium loquitur in psalmo: *Asperges me hissopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* Nec sua puritate jam contentus est; sed infert: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Cumque hoc feceris, *docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Unde Calixtus papa capitulo cxcix. Errant qui putant sacerdotes post lapsum si dignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam vitam deinceps duxerint, & suum sacerdotium dignè custodierint. Et ipsi qui hoc putant non solùm errant, sed etiam traditas Ecclesiæ claves despuere videntur: de quibus dictum est: *Quæcumque solveritis super terram, soluta erunt in cœlo.* Alioquin hæc sententia Domini vera non est: nos verò indubitanter tam Domini sacerdotes, quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus: testante Domino per prophetam: *Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat, & qui aversus est non revertetur.* Et alibi. *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat* Et David propheta, pœnitentiam agens dixit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Ipse namque post pœnitentiam & alios docuit & sacrificium Deo obtulit: dans exemplum doctoribus Ecclesiæ, si lapsi fuerint, & dignam pœnitentiam egerint, utrumque facere posse: Docuit enim quando dixit, *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur:* & sacrificium pro se obtulit, cùm dixit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Videns enim scelera sua mundata per pœnitentiam; non dubitavit prædicando, & Domino libando curare aliena. Et subsequenter cap. cc. ut hoc per misericordiam fieri ostenderet, adjecit: Sententiam quæ misericordiam vetat non solum tenere, sed & audire, refugite, & cetera ut superius. (Psal. 50.) (Cal. epist. 2. n. 6.) (Matth. 18.) (Ierem. 8. Ezech. 18. & 33. Psal. 50.) (Ibid. in fine.)

Cap. XL. *Quomodo solvendum est, quod aliqui sancti post pœnitentiam prohibent dignitatis restitutionem, aliqui concedunt.*

Sed videntur sancti huic sententiæ contrarii, qui dicunt post lapsum vel pœnitentiam neminem posse ad clericatum venire, vel redire, vel in clericatu remanere: cum alii dicant è contrario omnia illa fieri posse. Unde Gregorius Constantio Mediolanensi episcopo cap. 61. Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum per reversiones pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Fraternitas si quidem vestra nos consuluit, si Amandinus, qui ex presbytero & abbate à vestro est decessore culpa exigente depositus, in eo quo fuerat ordine revocari debeat; quod quidem nec licet, nec aliqua ratione fieri decernimus. Ejus tamen si forte conversatio meruerit, sacro per omnia, sicut est privatus, officio in monasterio eum ante alios ut provideritis monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare suadeat: ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur esse vindicta. Item Gregorius ad Fabianum episcopum: Presbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præsentis relatione consuluit: nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere aut revocari posse cognoscat. Circa quem tamen mitius agendum est: propter quod commissum facinus facili dicitur professione confessus. Item ad Johannem episcopum Siracusanum: Quæ adversus Lucillum [a] Mucleniæ civitates episcopum querela commota sit, in gestorum quæ ad nos direxistis pagina declaratum est: Et ideo quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri; fraternitas vestra tres aut quatuor de confratribus & sacerdotibus vestris sibi adhibeat, ut ipsis quoque præsentibus patefacta ac satisfacta veritate prædictum Lucillum de episcopatus ordine, quem hujus sceleris contagium maculavit, studeat sine ambiguitate deponere. In quo notandum, quia non de omnibus lapsis hæc sententia intelligenda est. Quidam enim labuntur, de quibus suspicio vel nulla est, vel incerta: de quibus ipse Gregorius ait: Lapsos in ordine ecclesiastico, sed non dejectos, Dei judicio committimus, cujus misericordiæ, ut Leo dicit, nec mensuras præsumimus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras pura confessio, dicente Spiritu Dei per prophetam, *Cum ingemueris salvus eris.* Eos ergo vera confessione dicit esse purgandos. Labuntur vero alii de quibus non suspicio, sed evidentia certa est: sed vel documentis deseruntur subditi, ne accusent; vel prædictæ importunitates temporum vel judicum ecclesiasticorum impediunt. Et ideo, ut dictum est, tolerantur, vel etiam à subditis cum ordine canonico conve-

Greg. lib. 5. epist. 4.

Greg. lib. 9. epist. 63.

[a] Apud Gregorium *Melitæ civitatis.*

A niuntur, ut argui & corrigi ab eis debeant, compunguntur, & subditorum suorum pœnitentiæ satisfactione purgantur, nec deponuntur. Cur enim sancti talem ordinem subditis canonicè darent, ut ante accusationem prælatos suos ad arguendum convenirent, & aliter nisi incorrigibilis esset non accusarent, nisi ut per correctionem anticiparent depositionem? Correctus accusari non debet: non accusatus deponi non potest. Quomodo ergo, ut salvus sit ordo canonicus, deponetur quamvis evidenter cognitus malus, si ad commotionem voluerit esse correctus? Unde Gelasius B cap. v. Qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint; periculum subituri sunt proprii honoris. Unde Isidorus: Qui per blanda verba castigatus non corrigitur: acrius necesse est ut corrigatur. Cum dolore enim abscidenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Item Simmachus: Ferro abscidenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt.

Cap. XLI. *Quod de criminalibus & mortiferis peccatis, si prælatus vult corrigi, à subditis non est accusandus, & cum correctus accusari non debeat, non est damnandus.* C

Sed opponunt quidam non debere ita fieri in criminalibus & mortiferis peccatis, ut sunt homicidia, vel perjuria, & hujusmodi: sed in levioribus ut est simplex lapsus carnis &c. hujusmodi. Et revera, ut Gregorius ait: Quem major sequitur culpa, major implicanda est vindicta: sed tamen ubi abundavit peccatum, ostendatur superabundare & gratia. Cùm non inveniatur majus delictum quam exorbitare à fide per hæresim, quia non corpora moritura, sed animæ in æternum victuræ perimun-D tur: Qua etiam tota Ecclesia à suis fundamentis concutitur. De hoc tanto peccato idem ordo à sanctis patribus Anacleto, Fabiano, ceterisque institutus est canonicè: ut si pastor à fide exorbitaverit, sit prius secreto à subditis corrigendus: Quod si incorrigibilis, quod absit, apparuerit: tunc erit accusandus. Quomodo etiam hæreticus, si à subditis vult corrigi, erit damnandus, cùm nisi incorrigibilis apparuerit non sit accusandus, & nisi accusatus fuerit, ut ait Gregorius, extra ordinem usurpato judicio non sit judicandus, nisi scilicet accusatus, sive ultro confessus vel convictus? Ut ergo etiam de criminalibus, Dei non desperemus gratiam, Hieronymus, ut E superius dictum est, prophetam David cujus auctoritate suam roboravit sententiam, de adulterio & homicidio testatur pœnituisse, & post modum docuisse: & pro certo credendum est immutabilis Dei non esse erga nos mutatam benignitatem; si similem in nobis invenerit pœnitentiæ satisfactionem.

CAP. XLII. *Quod discrete contemperanda sunt verba Gregorii, quibus dicit lapsos non debere restitui, ne sit contrarius ceteris sanctis, & in sequentibus sibi ipsi.*

Quæ cum ita sint, contemperanda sunt verba beati Gregorii, ita ut canonum ordinem non perturbent: quia quod dixit de presbytero & abbate deposito, & de presbytero in judicio facili professione confesso, & de Lucillo jam querela ecclesiastica accusato, quod hi omnes pro lapsu & ordine ecclesiastico aut remanere, aut revocari non debent, propter B scandalum Ecclesiæ fecit vitandum: quia revera postquam quilibet usque ad accusationem incorrigibilis & contumax apparet, ut superius dictum est, acrius puniendus est: vel etiam propter infamiam, quam usque ad ventilationem crudeliter neglexit, vel propter inimicitias quas contra Ecclesiam à qua correctus est gereret, revocandus non est: vel ideo etiam quia ad cetera inutilis est. Quæ omnia non ad hoc impediunt, quin corrigi potuisse concedatur, si ante accusationem vel depositionem voluisset. Sed videndum ne per nos blasphemetur nomen Dei, & ut non vituperetur ministerium nostrum: Et ideo qui negligit famam C suam crudelis est, quia multa non propter desperationem gerere, sed propter scandalum Ecclesiæ severe judicantur. Ut enim ait Isidorus, melius est ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quàm per unius licentiam multi periclitentur. Unde etiam Martinus in ea cujus est initium, *Fraternitatis tuæ studio.* Qui semel in lapsum post suam ordinationem ceciderit, jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci: sed sufficiat ei lamentationibus fletibusque assiduis, quousque advixerit in eadem pœnitentia permanere: ut D commissum delictum divina gratia extinguere valeat. Item, Si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato reprehendatur obnoxius: omnino prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysteria nostræ salutis tractare. Cum ergo semel lapso totius vitæ pœnitentia injungatur, lamentationibus & fletibus assiduis, ubi illa tam facilis gratia veniæ, qua hora peccator « ingemuerit salvus erit? Si sufficit hora, cur vix « sufficere dicuntur tot vitæ tempora? Ubi est « quod ait Augustinus de Agone Christiano, « nusquam tam vigere debent viscera misericor- « diæ, quam in catholica Ecclesia; ut tamquam « mater nec peccantibus filiis misere insultet, « nec correctis difficile ignoscat? Ubi est enim « quod ait Augustinus omelia XXXVIII. Quid « converso non ignoscitur, si fusus sanguis Christi « agnoscitur? Quis homicida desperet, si in spem « redditus est, à quo etiam Christus occisus est? « Crediderunt inde multi, donatus est eis san- « guis Christi, ut magis eum biberent, quo li- « berarentur, quàm rei de illo effuso tenerentur. « Quis desperet si in cruce latro salvatus est, ante » paululum homicida, post paululum accusatus,

S. Aug. de Agone Christ. cap. 30.

A convictus, damnatus, suspensus, liberatus? Noli « mirari, ubi convictus, ibi damnatus; sed ibi « liberatus ubi mutatus. Quis ergo desperet de « gratia ejus qui cœlos penetravit, & interpel- « lat Patrem, qui respicit in faciem Christi sui, « quin eamdem gratiam possit obtinere sibi con- « victo, damnato sed mutato, quam contulit « etiam sub hora mortis latroni simili, vel com- « pari suo? Sed ut dictum est, non propter des- « perationem fit veniæ, sed propter scandalum detrimentumque aliorum: Quia si, ut superius dixit beatus Gregorius, pœnitentia remotionis ab officio non statuta sed dilata videretur, super has pœnitentias agerent suis accusatoribus insidias vel vindictas molirentur: Et alii si in eis leniter vel male correctum vitium viderent, malo eorum exemplo periclitarentur. Et si Christus qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus, tota die usque ad mortem expandit manus suas in cruce ad populum non credentem, ut ostenderet mundum esse contemnendum, nonne & peccator tota die debet pœnitere, ut ostendat vitium quo damnatus est esse vitandum?

CAP. XLIII. *Quod etiam damnatus, si vere pœnituerit, restitui potest: Quia non peccat qui exercet justitiam*

Sed tamen, si vere pœnituerit, & ita perfecte mutatus fuerit, ut prædictæ difficultates non appareant, & aliqua discretio necessitatis vel utilitatis interveniat, debet remitti rigor disciplinæ: Quia suis in locis nec gratia præjudicat justitiæ, nec justitia gratiæ. Unde Augustinus ad Donatum judicem: Qui sine peccato est vestrum, primus, inquit, in eam lapidem mittat: Quasi diceret: Si lex jubet, si Moyses jubet; & ego: Sed competentes legis exigo ministros. Attenditis quam adducitis, attendite & qui estis. Jussit eam lapidari Jesus: Non fecit contra legem, quin etiam indulsit ei. Non fecit contra legem, quomodo nec imperator contra legem facere dicendus est, quod confessis aliquibus reis indulgeat. Utrumque enim ab eo poterat dispensari, hoc ut justum, illud ut pium. Unde Augustinus ad Bonefacium de Donatistis hæreticis, post pœnitentiam etiam in ecclesiasticis honoribus suscipiendis, ne majus Ecclesiæ scandalum concitarent: Si ergo, inquiunt, oportet ut nos extra « ecclesiam & fuisse adversus ecclesiam pœniteat « ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœ- « E nitentiam apud vos clerici vel episcopi perma- « nebimus? Hoc non fieret, quoniam revera « quod faciendum est fieri non deberet: nisi « pacis ipsius compensatione sanaretur. Et post « pauca: Est tale inserendi genus, ut nullo præ- « ciso ramo qui interest, ille qui foris est inse- « ratur: Non tamen nullo sed levissimo vulnere « arboris. Ita ergo etiam isti cum ad radicem ca- « tholicam veniunt, ne eis quamvis post erro- « ris sui pœnitentiam honor clericatus aut epis- « copatus auferatur: Fit quidem aliquid tam- « quam in cortice arboris contra integritatem «

Aug. epist 185. n. 44.

Ibid.

Ibid. n. 45.

« severitatis. Et post pauca: Ut enim constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel in clericatu maneat: non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves Ecclesiæ datas disputabitur: de quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo*. Sed ne forsitan etiam detectis criminibus spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam; severissimè placuit ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset humilitatis. Nam & sanctus David de criminalibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore perstitit. Et beatum Petrum quando amaras lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, & tamen apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posterorum diligentia, qui ubi nihil saluti detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur: experti credo aliquorum fictam pœnitentiam per affectatas honorum potestates. Cogunt enim invenire multas medicinas multa experimenta morborum. Rerum in hujusmodi causis, ubi prægraves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat. Habeant ergo isti de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore, amarum dolorem: & veniant ad Ecclesiam Christi veram matrem catholicam, sint in illa episcopi, sint clerici utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter. Non invidemus: immo amplectimur, optamus, hortamur, & quos in viis & sepibus invenimus intrare cogimus. Apostolus Petrus qui Salvatorem negavit, & flevit, & apostolus mansit, nondum acceperat promissum Spiritum-sanctum: Sed multo magis isti eum non acceperunt, ubi à corpore divisi quod solum Spiritus-sanctus vivificat extra Ecclesiam, & contra Ecclesiam Ecclesiæ sacramenta tenuerunt, & nostris contra nos erectis signis & armis pugnaverunt. Et post pauca: Sic multidinibus per schismata & hæreses pereuntibus subvenire consuevit Ecclesia. In quo notandum est, Augustinum hic solvere quod superius dictum est, in executione justitiæ pacem non esse perturbandam, ubi scilicet non hujus aut illius, sed totius Ecclesiæ scandalum concitatur: Et è contra constanter esse perturbandam, ubi non hujus aut illius, sed paucorum pravorum perversitas concutitur. Secundum quam discretionem, vel justitia prorsus intendenda est, ut mali non ad perturbationem, sed ad correctionem aliorum severe puniantur, vel temperanda per caritatem & gratiam, ne unius mali scandalo ceteri boni periclitentur: Sic tamen ut mali per gratiam cum recipiuntur non insidias vel molestias suis correctoribus moliantur, vel superbè & fictè pœniteant, sed veræ humilitatis & pœnitentis exempla aliis exhibeant. Unde Isidorus Mesano episcopo cap. 10. Veniente ad nos « famulo vestro religioso viro Nicetio, quod consequenter in epistolis fraternitas vestra venerabilis innotuit: nulla est in hujusmodi sententiis diversitas intelligenda: Quod alibi legitur idem in canone Anquiritano cap. 19. post lapsum corporalem restaurandum honoris gradum per pœnitentiam. Alibi vero legitur per hujusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diversitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad primos officii gradus redire præcepit canon, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra hi qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita est utraque dirimenda sententia, ut necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliati sunt divinæ pietati. Hi nec immerito consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem recepisse noscuntur vitæ remedium. Ezechiel enim propheta sub typo prævaricatricis Jerusalem ostendit per pœnitentiam pristinum restaurari honorem. *Confundere, inquit, ò Juda, & porta ignominiam tuam* Et post paululum: *Et tu & filiæ vestræ revertimini ad antiquitatem vestram*. Ergo dum quisquis per opus confusionis suæ confunditur, atque ignominiam suam portat, & depositionem suam luget cum humilitate; revocari secundum prophetam ad priorem statum poterit. Item Johannes Evangelista angelo Ephesi ecclesiæ inter cetera scribit: *Memor esto unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: alioquin veniam tibi: & movebo candelabrum tuum de loco suo*. Et post pauca: Candelabrum sacerdotis quod intelligitur chrisma honoris tunc penitus juxta Johannem movetur, quando post delicti casum neglecta pœnitentia, admissa scelera non delentur. Non enim dixit, pro eo quod cecidisti movebo candelabrum, sed nisi pœnitentiam egeris movebo candelabrum tuum. Ergo quæcumque præpositum peccantem si prævenerit pœnitentia delicti, utique sequetur & reparatio meriti. Ut in proverbiis: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui vero confessus fuerit, & dereliquerit ea, misericordiam consequetur*. Et post pauca. Nam & ipsum quem canonum censura post septem annos remeare per poenitentiam in statum pristinum decrevit, non hoc ex proprio arbitrio sancti patres, sed potius ex sententia divini judicii sanxerunt. Nam legitur quod Maria soror Aaron propter detractionis delictum lepra percussa est: Et ut emundaretur præcepit eam Deus septem diebus extra castra egredi, & post emundationem rursus in castris admitti. Maria ergo soror Aaron caro intelligitur sacerdotis, quæ dum corruptionum contagiis maculatur, extra castra septem diebus, id est extra collegium Ecclesiæ septem annis projicitur: & per emundationem vitiorum loci sive pristi- «

Matth. 16. 19.
Ibid. 47.
Ezech. 16. 52.
Ibid. 55.
Apoc. 2. 5.
Prov. 28. 13.

« næ dignitatis recipit meritum. Et post pauca: « Qui vero nec luget quæ gessit, sed lugenda « committit, non potest ad pristinum gradum « restaurari. Cum vero beatus Isidorus duas sanctorum sententias autentice & rationabiliter discrevisset, ut ostenderet & has & ceteras, pro persona, pro tempore, juste & « utiliter esse discernendas: adjecit: In fine hu« jus epistolæ hoc adjiciendum putavi: quoties « discors sententia invenitur, illius concilii ma« gis teneatur sententia, cujus antiquior & po« tior extat auctoritas. Antiquior dixit ad veritatem, potior ad utilitatem. Cum ergo beatus Isidorus notet angeli candelabrum esse movendum, non quia peccavit, sed nisi pœnitentiam egerit: bene accedit ad ordinem canonicum, ut prius admoneatur prælatus à subditis; & si incorrigibilis apparuerit, tunc ut moveatur candelabrum ejus de loco suo accusetur, & damnetur, quia ita Deus præcipit, & minatur. Cum enim humanum sit peccare, diabolicum perseverare, dignum est, ut nisi quod humanum est corrigatur, quod diabolicum est puniatur. Sed & beatus Gregorius Isidoro concordans in discretione diversarum sententiarum, ait Secundino servo Dei recluso

S. Greg. l. 9. epist. 52. « cap. CCXXII. Legisse te dicis sacerdotali officio « canonum diversas sententias: alias post lapsum « resurgendi, alias nequaquam posse. Nos ergo « generalissima quæ à Nicœno incipiunt conci« lia cum reliquis quatuor veneramur: quia per « ipsa sequentibus unanimes concordamur. A « capite ergo incipientes usque in quartum » altaris ministrum hanc formam servandam, ut « sicut minorem major præcedit in honore, ita « & in crimine: & quem major sequitur culpa, « majori implicetur vindicta, ut post pœniten« tiam credatur esse fructuosa. Quid enim pro« dest triticum seminare & fructum illius non « colligere? aut domum construere & illam non « habitare? Post dignam igitur satisfactionem « credimus redire posse ad honorem Domino di« cente. *Numquid qui cadit non adjiciet ut* « *resurgat? Et qui aversus est non revertetur.* « Item. *Quacumque die ingemuerit, salvus erit.* « Unde & psalmista ait: *Cor mundum crea in me* « *Deus, & spiritum rectum innova in visceribus* « *meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum-* « *Sanctum tuum ne auferas à me.* Dum enim petiit « ne à Domino projiceretur pro lapsu culpæ « pœnitentiam agens, addidit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma* « *me.* Si enim dignam Deo pœnitentiam non « fecisset: nequaquam alius prædicaret. Ait « enim, *docebo iniquos vias tuas, & impii ad te* « *convertentur.* Dum enim peccata sua prospexit « mundata per pœnitentiam, non dubitavit cu« rare prædicando aliena: & sacrificium de se« metipso Deo offerre studuit, cum dicebat: » *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Cum ergo Hieronymus, Calixtus, Augustinus, Gregorius, Isidorus quamvis satis approbent sententiam severitatis, tamen magis amplectuntur eam quæ gratiæ est & caritatis: ut vel propter majus scandalum vitandum etiam hæretici cum honore suo recipiantur, vel propter fructum veræ pœnitentiæ peccatores honoribus suis restituantur; magis accedit ad discretionem, ut cum honore canonico prælatus à subditis convenitur & admonetur, tunc corrigatur, & ita honore suo fruatur; sicque etiam minus erit scandalum infamiæ, nec erit suspicio alicujus sui odii quæ oriri posset ex accusationis læsione. Ne hoc enim contingeret, & ne etiam de impunitate ejus malum aliis exemplum pullularet: statuerunt sancti patres ut accusatus quilibet, si vel confessus vel convictus esset, & ipse procul dubio deponeretur, & alius loco ejus substitueretur. Si autem ipse ultra ad eumdem honorem aspirare præsumeret, ad agendam pœnitentiam perennem in monasterio retruderetur. Unde & Gregorius sua sibi non discordante sententia de abbate deposito, de presbytero, vel de Lucillo episcopo accusato, severum fixumque judicium depositionis pro eorum lapsu dedit, cum tamen propter fructum veræ pœnitentiæ generalem reditum ad honorem omnibus vere pœnitentibus concesserit: quod eum non contrarie sibi, sed discretè suo loco, suo tempore instituisse nemo ambigit. Nam qui de Lucillo episcopo accusato tam severam fixamque sententiam dedit, idem de Viziaceno primate accusato propter scandalum vitandum eam reflexit: ut ostendatur discretè fecisse quidquid vel justè intendit, vel piè remisit. Unde idem Johanni episcopo Siracusano: In quodam crimine Vizace« nus primas fuerat accusatus, & piissimus im« perator eum juxta statuta canonum voluit ju« dicari; sed accipiens auri libras Theodorus « tunc militum magister, obstitit ut minime fie« ret, tunc imperator piissimus admonuit, ut « quidquid esset canonicum faceremus: sed vi« dentes contrarietates hominum, eamdem « causam inire noluimus. Ecce idem Gregorius de Lucillo accusato sententiam dedit: sed eamdem de Vizaceno similiter accusato exequi noluit. Quare? Quia non sibi contrarius, sed contrarius fuit facto.

Psal. 40. 9.
Jerem. 8. 4.
Isa. 30. 15.
psal. 50. 12.
Ibid. 14.
Ibid. 15.
Ibid. 19.
Greg. lib. 9. epist. 59.

CAP. XLIV. *Quod postquam prælatus sæpe commonitus incorrigibilis permanserit, tunc ad primatem causa ejus deferatur.*

Quia ergo cum discretione & ordine omnia facienda sunt, postquam prælatus à subditis conventus & admonitus corrigi noluerit, tunc primum ad primatem causa ejus deferatur canonicè non proditoriè. Unde Eleutherius cap. « I. Proditoris nec calumnia nec vox audiatur, « nec criminatio minorum, quanto magis epis« coporum non est facile recipienda. Unde Ana« cletus cap. IV. Sententia Cam filii Noë dam« nantur qui suorum doctorum vel præpositorum « culpam produnt ceu Cam qui patris pudenda « non operuit, sed deridenda monstravit. Et post « pauca: Unde oportet unumquemque fidelem « si cognoverit plebes adversus pastorem suum « tumescere, & clerum detractationibus vacare: «

Eleuth. n. 3.
Anacl. epist. 3. n. 5.

« hoc vitium pro viribus extirpare prudenterque A
« corrigere satagat. Indignum enim valde est,
« ut patrum peccata non ad corrigendum, sed
« ad deridendum prodantur, & detractionibus
« lacerentur.

CAP. XLV. *Quod proditores & laceratores episcoporum infames fieri, deponi, & curiæ tradi debent.*

Alex. epist. 1. n. 1. « Unde Alexander cap. I. Statuentes decernimus omnes qui suos patres persequuntur, aut amovere & dilacerare nituntur, manifestè infames esse, & à liminibus Ecclesiæ alienos, usque ad satisfactionem fieri. Unde Fabianus cap. II. Cum summonuisset non eos sacerdotes debere accusare aut posse, qui rite fieri sacerdotes non possunt: post pauca subdidit: Statutum est, ut si aliquis suis episcopis infestus aut insidiatus fuerit, eosque criminari tentaverit, aut conspirator fuerit, ut mox ante examinatum judicium submotus à clero curiæ tradatur, cui in diebus vitæ suæ deserviat, & infamis absque ulla restitutionis spe permaneat. Ecce idem qui eos subditos qui rite possunt fieri sacerdotes, sacerdotes accusare non prohibuit, insidiatori, criminatori, conspiratori pœnam indixit. Unde ex concilio Carthaginensi: Clericus qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio. Item ex Calcedonensi concilio cap. XIV. Conjurationis vel conspirationis crimen etiam ab externis legibus est prohibitum: multo magis hoc ne in C Ecclesia Dei fiat admonere conveniet. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis & clericis: gradu proprio deponantur.

Fab. epist. 2. n. 2.

Conc. calc. can. 18.

CAP. XLVI. *Quod qui publice scripta vel dicta contumeliosa in aliquem confingit flagellandus est.*

« Item in decretis Adriani papæ. Qui in alterius famam in publico scripturam aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur: & qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti D causam incurrere.

CAP. XLVII. *Quod convicium non est pro accusatione sumendum.*

Fab. epist. 3. n. 4. « Item Fabianus cap. III. Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temere objecerit: convitium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio, ac quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur, ut si forte resipiscens quæ pro iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, ut reus criminis E teneatur. Omnis ergo qui crimen objicit, scribat se probaturum, & qui non probaverit quod obiecit, pœnam quam ipse intulerit patiatur.

CAP. XLVIII. *Quod si accusatores non fuerint legitimi, non est vexandus episcopus.*

Quia ergo à proditoribus, convitiatoribus, vel talibus quibuslibet, non debet prælatus impeti, ait Euticianus papa cap. II. Non passim « vageque sacerdotum vel reliquorum pastorum « accusatio debet fieri. Nam si facile admitte- « rentur, perpauci nimis invenirentur: quia « omnes qui piè volunt vivere persecutionem pa- « tiuntur. Item Felix papa cap. II. Quoties pastor ecclesiæ super certis accusatur crimini- « bus, si tales fuerint accusatores, qui canonice « recipi debeant: in legitima synodo suo tem- « pore congregata ab omnibus canonice audia- « tur, qui sunt in provincia episcopis. Quod si B legitimi non fuerint accusatores, non fatigetur « accusatus: quia sacerdotes ad sacrificandum « vacare debent, non ad litigandum, nec illi qui « throni Dei vocantur, pravorum hominum in- « sidiis debent perturbari. «

Felix II. epist. I. c. 17.

CAP. XLIX. *Quod episcopus accusatus septuaginta duobus testibus idoneis convincatur.*

Item Zepherinus papa cap. I. Quot & qua- « les testes esse debeant ostendens, ait: Patriar- « chæ vel primates accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant finitivam quam apostolica fuerint auctoritate fulti: « & aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur « testes Qui nimirum testes non minori sint numero quam illi discipuli fuerunt quos Dominus « ad adjumentum apostolorum elegit, id est « septuaginta duo. «

Zeph. epist. 1.

CAP. L. *Quod Silvester papa non vetat subditis quin accusent prælatos, sed ne præsumtuose id faciant.*

Sed & Silvester papa cap. I. Certo numero adversus singulos ordines distinguens testes ait: Præsul autem non damnetur, nisi in septuaginta « duobus testibus. Presbyter autem cardinalis « nisi in sexaginta duobus testibus. Diaconus cardinalis urbis Romæ in 26. Subdiaconus, acolitus, exorcista, lector, ostiarius in septem « testibus damnabuntur. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia. Singulos tamen « minores gradus adversus majores vetuit: non « qui darent accusationem, quia tunc esset aliis « sanctis contrarius, sed ne præsumerent, id est « præsumtuose id facerent. «

CAP. LI. *Quod cum causa accusandi ad primatem canonice perlata fuerit, tunc primas magis pacem reformare debet, quàm judicium.*

Electo ergo uno accusatore idoneo vel pluribus, ut libuerit; sed & certo numero testium assumto, cujuslibet accusandi causa publicè & canonicè deferatur ad primatem: Qui antequam accusationis diem statuat, si forte ad discordiam

discordiam vel ad veniam res attinet, accusatores cum accusatis reconciliare debet: quod si fieri non potest, canonicè synodalem diem instituat. Unde Felix in prima: Si quis episcopum elegerit accusare, summis primatibus episcoporum suam indicet causam, & non sæcularibus: qui magis ad pacem quam ad judicium eos revocent. Unde etiam Innocentius cap. LVII. cum interventu subditorum Fotini episcopi damnationem rescinderet, quam ei per surreptionem falsi rumoris sedes Romana intenderat; ipse è converso pro damnatione Eustacii diaconi, quem illi accusare & damnare volebant, intercessor & reconciliator extitit dicens: Suscipite Eustacium à me comprobatum: nolite expectare ut diaconii gratia exspolietur, sollicitos enim vos pro salute ejus audio libenter. Cui manum porrigitis, vobiscum porrigo: cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim ad Corinthos apostolica est declarata benignitas: ut in uno spiritu ductam ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur. Non enim peccatum est aliquando ei indulgere, aliqua tamen rationabili causa per gratiam, quem videmus posse damnari per justitiam. Unde Augustinus Omelia 115. Non hunc, sed Barrabam. Erat autem Barrabas latro. Non reprehendimus, ô Judæi, quod per pascha liberatis nocentem: sed quod occiditis innocentem. Item Leo Rustico episcopo Narbonensi de quibusdam corrigendis ait: Ut sanandis ægris spiritualem adhibeas medicinam, dicente scriptura: noli nimium esse justus, mitius agas cum eis.

Felic. II. epist. I. c. 13. — Innoc. epist. 22. cap. 7. — Aug. Tract. 115. in Joh. n. 5. — Leo epist. 92.

Cap. LII. *Quod si pacem reformare non poterit, tunc accusatus acceptis ad minus sex mensium induciis, debet synodum infra provinciam congruo tempore auctoritate apostolica congregatam, ad se defendendum convocare.*

Si autem primas eos reconciliare non poterit, synodum vel concilium canonice statuat loco infra provinciam, tempore, vere vel autumno, non sine apostolica auctoritate, & consensu, dans ad minus sex mensium inducias accusato, ut ad respondendum sit paratus. Unde Cornelius papa Rufo coepiscopo: Nullus sacerdotum causam suam alieno committat judicio, nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatum, sed unusquisque comprovinciales & notos judices habeat, nisi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit, aut infestos vel suspectos inibi habuerit: pro quibus causis ad majoris utilitatis judices, & ad alias provincias appellare, & venire concessum est. Item Stephanus papa: Ultra provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur, sed omnis accusatio intra provinciam audiatur & à comprovincialibus terminetur: nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatum. His consentit Innocentius & Pelagius & ceteri. De tempore vero autumnali & æstivali, quia superius à Felice papa cap. 2. satis dictum est, de auctoritate apostolica videamus. Marcellus papa II.

Corn. epist. 2. n. 1. — Steph. epist. 2. n. 2.

A Nullus episcopus nisi in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata, super quibuslibet pulsatus criminibus audiatur, vel judicetur, ne innocens damnetur, aut perdat communionem: De induciis vero dandis, ait Felix cap. I. De induciis episcoporum super quibus consuluistis, diversas à patribus regulas invenimus institutas. Quidam ad repellenda machinamenta imperatorum & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & concilia episcoporum & amicorum quærenda, annum & sex menses concedi B mandaverunt: quidam autem annum, in quo plurimi concordant: minus vero quam sex menses non reperi. Induciæ namque non sub angusto tempore concedendæ sunt, sed sub longo spatio: ut accusati se pleniter armare contra insidiatores valeant & præparare.

Marcel. epist. I.

Cap. LIII. *Quod totum Synodalem ordinem Damasus papa breviter lucideque describit.*

Sed & Damasus papa hæc omnia breviter lucideque perstringens, cap. 4. ait Stephano archiepiscopo: Discutere episcopos & summas C ecclesiasticorum causas negotiorum metropolitanis una cum omnibus suis comprovinciali bus, ita ut nemo his desit, & omnes in singulorum concordent negotiis licet: Sed diffinire eorum atque ecclesiarum summas querelas, vel damnare episcopos, absque hujus Ecclesiæ sedis auctoritate minimè licet: quoniam omnes appellare, si necesse fuerit, & ejus fulciri auxilio oportet. Nam, ut nostis, synodum sine ejus auctoritate fieri non est catholicum: nec episcopus nisi in legitima synodo & suo tempore apostolica vocatione congregata dif- D finite damnari potest, neque ulla concilia umquam rata leguntur, quæ apostolica non sunt fulta auctoritate. Vocatio autem ejus ad synodum qui impetitur per spatium debet fieri congruum atque canonicum: quia nisi canonicè vocatus fuerit suo tempore, & canonica ordinatione, licet venerit ad conventum quacumque necessitate, nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus. Dejectis autem atque à suis rebus exspoliatis, nihil vobis verius significare queo, quàm quod sancti patres definiverunt. Ita enim ex se habent: Episcopos ejectos, atque à rebus suis exspoliatos, in ecclesias proprias primo recipi, & sua omnia legaliter reddi, sancti canones decreverunt. Et postea; E Si quis eos accusare vellet, æquo periculo sanciverunt, judices esse recte sapientes decernimus, & juste volentes, sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi ex consensu elegerint. Tempus si quidem congruum prævideri oportet, quando uniuscujusque accusatæ personæ causa in medium rectissimè perducatur, quam omnes ordinabiliter intendant, ut ad eam in omnibus rationabiliter respondeant, & justè se velle manifestè ostendant. Nullus autem introducatur personaliter, sed accusati & accusatores æqua audiantur ratione, juxta quod

Damas. epist. 4. c. 2. — Ibid. c. 4. — Ibid. c. 5. — Ibid. c. 7.

« gestorum ordo exigit. Accusatores vero & judices non iidem sint: sed per se accusatores, per se judices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine. Inscriptio semper primo fiat, ut talionem calumniator recipiat, quia ante inscriptionem nemo debet judicari vel damnari, cum etiam sæculi leges hæc eadem retineant. Induciæ accusatis in criminalibus sex mensium, & eo amplius, si necesse sit, concedendæ sunt. Habetur quoque in decretis patrum sancitum non fore canonicum quemquam sacerdotum judicari vel damnari antequam accusatores canonice examinatos præsentes habeat, locumque defendendi habeat, id est inducias ecclesiasticas ad abluenda peccata: nec extra propriam fiat provinciam prima discussionis accusatio, sine apostolica auctoritate, cui in omnibus causis debetur apostolica reverentia: quia criminis discussio ibi agenda est, ubi crimen admissum est. Et in canonibus præcipitur, quæque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda esse: salva tamen in omnibus apostolica auctoritate. Ecce Damasus synodalem ordinem fere totum disponens, in prima vocatione ad synodum dat accusatis episcopis sex mensium inducias ad minus, itemque postquam ad judicium venerint sex mensium inducias ad minus ad se defendendum. Spoliatos vero rebus suis etiam cum venerint ad judicium non prius esse accusandos, quam sua omnia eis de integro restituantur: Et postea iterum cum canonica vocatione ad synodum veniant, & tunc primum accusentur.

Ibid. c. 8.

Ibid. c. 9

B

Cap. LIV. *Quod accusatus à communione non debet suspendi antequam convictus sit, nisi judicio se subtrahat. Spoliatus vero rebus suis tamdiu ipsis restituendus est, quamdiu spoliatus erat antequam respondeat.*

Quod si quomodo alii sancti apertius distinguant videamus, Felix papa cap. 11. Si quis episcopus legitimè accusatus, & ad concilium « canonicè convocatus fuerit, absque ulla trepidatione ire debebit: Et si ire non poterit, pro se legatum ad synodum mittat. Accusatus autem non prohibeatur à communione, nisi ad electorum judicium canonice vocatus infra tres aut sex vel plures menses pro suis rationem redditurus culpis venire distulerit. Quod si probare potuerit quod voluerit, sed non potuerit venire, nihil ei nocebit. Ille verò qui vi aut timore expulsus, aut suis rebus exspoliatus fuerit, non prius vocetur ad synodum, quàm ei & omnia legibus redintegrentur: & tamdiu in se, de propria pace potestative cuncta disponens, resideat, quamdiu exspoliatus suis carere visus est rebus. Cùm autem ad judicium venerit, si voluerit & necesse fuerit, induciæ expetenti à patribus constitutæ absque impedimento concedantur, & judices à se electi tribuantur: vel in loco unde est ille qui accusatur, vel si inibi aliquam vim temerariæ multitudinis timuerit, locum sibi congruum eligat, quo absque timore suos testes habere, & absque impedimento suam canonice sententiam finire valeat. »

Felic. 1. epist. 1. c. 6.

D

A

Cap. LV. *Quod duodecim judices sibi eligere debet accusatus episcopus.*

De Judicibus vero quot esse debeant, ait Zephirinus papa cap 1. Duodecim judices quilibet episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat: « à quibus ejus causa juste judicetur: Nec prius audiatur aut excommunicetur, quàm ipsi per se eligantur, ut regulariter à suorum primo conventu episcoporum per eos juste causa audiatur & rationabiliter discernatur. Dictum est, ut superius, quod ab omnibus provinciæ episcopis, ita ut nullus desit episcopus, audiatur sed pro necessitate aliquando ordinatur aliter. Unde Silvester cap. 2. Si fuerit episcopo nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim episcopis, & presbyter à sex episcopis cum proprio suo episcopo, & diaconus à tribus. »

Zeph. epist. 1.

Cap. LVI. *Quod primas personas accusantium vel accusati, cujus fidei, cujusque vitæ sint rimari debet, ut & per hoc accusantibus magis vel minus credat, & accusato magis vel minus parcat.*

C

Cum omni ergo remota difficultate, ut superius dictum est, episcopus accusandus ad concilium venerit, ut ait Calixtus cap. 2. quærendum est à primate in judicio, cujus conver- « sationis & fidei sit is qui accusat, & is qui accusatur: ne quorumcumque fides, vita, & libertas, neque viles personæ in majorum natu accusationem recipiantur. » Quia ergo de accusatorum personis superius expressum est, quales esse debeant, & de testibus similiter, cum de eis nihil aliud sit quærendum, nisi ut tales sint quales superius descriptæ sunt, cur de conversatione & de fide ejus qui accusatur quærendum sit videamus. Ita enim potest in cetera sua conversatione, vel noxius, vel inutilis, vel incorrigibilis esse, quod & facilius credetur accusatoribus de imposito crimine, & accusato minus parcetur in judicii ultione. Quia enim Judas cum fur esset & loculos habens, magistrum malitiose tradidit, non obtinuit veniam: quia vero Petrus non malitiosè, sed timoris fragilitate Dominum negavit, ad honoris sui rediit prærogativam. Diabolus etiam quia malitiose & superbe peccavit, non est restauratus: homo vero quia deceptus ex fragilitate sua cecidit, à Deo est redemtus.

Calixt. epist. 1. n. 5.

E

Cap. LVII. *Quod accusatores & testes præsentes viva voce accusare vel testificari debent, & accusatus præsens judicari, nec se debent nisi de præsenti negotio infamare vel calumniari.*

Item Calixtus papa in eodem: Rimandæ « sunt accusatorum personæ enucleatim, quæ sine scripto difficile, per scriptum autem numquam recipiantur, quia per scripturam nullus «

Cal. epist. 1. n. 5.

« accusari potest, sed propria voce & præsente eo « quem accusare voluerit, quicumque accusator « credatur. Similiter testes per quamcumque « scripturam testimonium non proferant, sed « præsentes quod viderunt veraciter testimonium « dicant : nec de aliis, nisi de his quæ sub præ- « sentia eorum acta esse noscuntur. Et sciendum quod testes vel accusatores non de alia re debent accusare vel infamare episcopum, nisi de ea unde accusant eum: licet à primate extra illud crimen unde accusatur, de alia ejus fide & conversatione requirendum sit, ab aliis quidem, non ab ipsis. Unde Gajus in sua : Si quis « ergo circa hujusmodi personas non probanda « detulerit, intelligat auctoritate hujus sanctio- « nis se jacturam infamiæ sustinere. Sicut autem non debent accusatores accusatum infamare, nisi inde unde eum accusant : ita accusatus non debet eos infamare, vel reprobare, priusquam se à crimine absolverit. Unde Stephanus cap. XI. Negata est accusatis licentia criminandi, « priusquam se crimine quo premuntur exuerent: « quia non credendum est contra alios eorum « confessioni, qui criminibus impliciti sunt, nisi « se prius probaverint innocentes : quoniam pe- « riculosa est, & admitti non debet rei adversus « quemque professio. Quod vero Sixtus ait, quod præsens nisi à præsente non debet accusari : hoc non solum de accusatione, sed & de judicio attestantur sancti. Stephanus cap. XI. « Nullus absens aut accusare potest aut accusari. « Item Cornelius Papa cap. 2. Omnia quæ ad- « versus absentes in omni negotio aut aguntur aut « judicantur, omnino evacuentur: quia absentem « nullus addicit, nulla lex damnat. Item Eleuthe- « rius cap. I. Caveant judices ecclesiæ, ne absente « eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant: « quia irrita erit omnino : & causam in synodo « pro facto dabunt. Item Zepherinus cap. I. Ne- « mo absens judicetur : quia & divinæ & huma- « næ hoc prohibent leges.

Caii. epist. n. 3.

Steph epist. 2. n. 5.

Cornel. epist. 2. n. 2.

Eleuth. epist. n. 3.

Zepher. epist. 2.

CAP. LVIII. *Quod si judicium subterfugerit æque absens ut præsens, tam accusatus, quam accusator damnetur.*

Si tamen judicium subterfugerit, æque absens, ut præsens, reus judicabitur tam accusator quam accusatus. Unde ex concilio Carthaginensi cap. XIX. Non à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad eam causam dicendam electorum judicio die statuta litteris evocatus minime occurrit : hoc est infra spatium mensis ex ea die qua litteras accepit. Quod si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus occurrere non potuisse manifestum sit : causæ suæ dicendæ in alterum mensem integram habeat facultatem. Verum tamdiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad concilium universale infra anni spatium occurrere noluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur; ipse in se primus damnationis sententiam dixisse judicetur tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parochia. Accusator autem si numquam diebus causæ dicendæ defuerit, à communione non removeatur. Si vero aliquando defuerit, se substrahens, restituto in communione episcopo, removeatur à communione accusator : ita tamen ut nec ipsi adimatur facultas causæ dicendæ, si se ad diem occurrere voluisse, sed non potuisse probaverit. Illud vero in judicio episcoporum erit, ut si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen ecclesiasticas asserere voluerit. Item Bo- « nifacius papa ad episcopos Galliæ : Si episco- « pus maximus adesse voluerit, præsens si confi- « dit ad objecta respondeat : si adesse noluerit vel « neglexerit, dilationem sententiæ de absentia « non lucretur. Nam manifestum est eum confi- « teri de crimine, qui indulto & delegato toties « judicio purgandi se occasione non utitur : ni- « hil enim interest utrum in præsenti examine « omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ip- « sum quoque professione procurata toties con- « stet absentem. Item Julius papa cap. II. Nullus « dubitat quod ita judicium nocens subterfugit, « quemadmodum qui est innocens, ut absolvatur « requirit : nec suspicione caret qui calumniis « derogat falsa dixisse, cum ipse ad judicium, ut « probet quæ intulit evocatus venire distulerit. « Et post pauca : Sane manifestum est suum eos « confiteri crimen, qui toties evocati absque in- « evitabili causa venire distulerint, & purgandi « se voluntate non utuntur.

Bonif. 2. epist. 2.

CAP. LIX. *Quod quatuor personæ in omni judicio sunt habendæ.*

In tanto autem discrimine ubi damnandi sunt vel accusator cum testibus suis, vel accusatus, non debet induci confusio personarum, vel indiscretio querelarum : sed omnia ordinatè & discretè debent fieri: Unde Fabianus cap. II. Numquam ullus accusator simul sit & judex vel testis: quoniam in omni judicio qua- « tuor personas esse necesse est, id est judices ele- « ctos, accusatores idoneos, defensores con- « gruos, testes legitimos. Judices autem debent « uti æquitate, testes veritate, accusatores inten- « tione, ad amplificandam causam.

Fab. epist. 2. n. 2.

CAP. LX. *Quod judicium fieri non debet usque dum ad perfectum ventilata sit quæstio.*

Item Eleutherius papa : Judicantem oportet « cuncta rimari, & ordinem rerum plena in- « quisitione discutere, interrogandi, ac propo- « nendi, adjiciendique præbita ab eo patientia : « ut ibi ambarum partium actio limata sit pleni- « ter : nec litigantibus judex prius sua velit sen- « tentia obviare, nisi quando etiam peractis om- « nibus nihil habeant in quæstione quod propo- « nant: & tamdiu actio ventiletur, quousque ad « rei veritatem perveniatur : frequenter enim in- « terrogari oportet, ne aliquid forte prætermis- « sum remaneat, quod annecti conveniat. Item, « induciæ non modicæ ad inquirendum dandæ « sunt, ne aliquid præpropere à quacumque parte « agi videatur : quia per surreptionem multa « proveniunt. Unde Augustinus tantam perso- «

Eleuth. epist. n. 2.

" nam, ut Hieronymum, se reprehendentem ita " temperat: Potest fieri ut tibi videatur aliud " quàm veritas habet, dum tamen aliud non " abs te fiat quam caritas habet. Etsi in tenebris " hujus mundi etiam caritati potest subripi, quid ergo inimicitiæ & dissensioni?

CAP. LXI. *Quod tribus modis expurgare se potest accusatus, scilicet vel magis idoneis testibus, vel summo examine, vel ante omnem publicationem confessione & pœnitentia.*

Quod si accusatus de sua innocentia testes habere potuerit non disparis quidem probitatis, sed majoris dignitatis, sicut Damasus papa cum XLII. episcopis se purgavit de adulterio, conjunctis accusatoribus & testibus eorum, solemniter se purget. Si autem habere non potuerit sacri examinis evidentia, in ipso corpore & sanguine Domini ipsum adhibeat sibi testem, quem habiturus est judicem: unde in corpore canonum talis invenitur auctoritas: Si episcopo aut presbytero causa criminalis, homicidium, adulterium, & maleficium reputatum fuerit, in singulis missam tractare debet, & secretam publice dicere, & communicare: & ita de singulis sibi reputatis innocentem se ostendere. Est etiam tertius modus se excusandi & depositionem suam evadendi: Si ostendat & approbet omnem publicationem illius peccati confessione & digna pœnitentia prævenisse. Non enim judicabit Deus bis in idipsum.

CAP. LXII. *Quod si accusatus se expurgare noluerit, tunc vel convincetur, vel sponte peccatum suum confitebitur, & damnabitur.*

Quod si his tribus modis se expurgare non potuerit, si visis difficultatibus suis sponte confessus fuerit, mitius agetur cum eo, ut superius dictum est. Quod si noluerit, tunc ab accusatore & ejus testibus convincetur hoc modo: Quia jurabunt se vidisse vel audisse, si res est vel visui vel auditui apta, ut homicidium vel perjurium: vel si non est, ut adulterium, vel maleficium, certis signis se scire asserent: quod scilicet noctu in conclavi soli frequenter inventi sunt, vel quod adultera exinde peperit, & de ceteris peccatis similiter quam verius & evidentius astruere potuerint.

CAP. LXIII. *Quod judicium si ordinabiliter non fuerit habitum, vel metu alicujus potestatis subversum, accusatus vel ante vel post damnationem appellet apostolicam sedem.*

Greg. l. 13. epist. 45. Unde Gregorius Johanni defensori: Quia " igitur Stephanus episcopus injustè se asserit con- " demnatum, diligenter quærendum est primo, " si judicium ordinabiliter est habitum, aut si alii " accusatores & alii testes: deinde causarum qua- " litas, si digna exilio vel depositione fuit: " aut si eo præsente sub jurejurando contra eum " testimonium dictum est, seu scriptis actum est, aut ipse licentiam respondendi habuerit. Sed & " de personis accusantium & testificantium subtiliter " quærendum est, cujus conditionis, cujusve " sint opinionis, autne inopes, aut contra episcopum " inimicitias habuissent, & utrum testimonium " ex auditu dixerint, aut certe specialiter se " scire testati sunt, vel si scriptis judicatum est, " & partibus præsentibus sententiæ recitatæ sunt. " Quod si hæc solemniter acta non sunt, in ecclesiam " suam omnibus modis revocetur. Qui vero " eum condemnaverunt injustè, excommunicati " in monasterio ad agendam pœnitentiam sex " mensibus sunt mittendi. Ille vero qui eo vivente " locum ejus temerariè ambiit, ab omni ministerio " ecclesiastico repellatur: atque eidem " episcopo nostro ad custodiendum tradatur. " Episcopi vero qui eum ordinare, vel ordinationi " ejus consentire præsumserunt, communione " privati, ad agendam pœnitentiam in monasterio " sex mensibus deputentur. Si autem metu judicis " talia fecisse sponte professi fuerint: modus pœnitentiæ " est eis temperandus. Si autem is qui prædicti " Stephani locum invasit mortuus est, atque " post eum alius episcopus ordinatus, quia levior " culpa videtur, non quia isti superstiti sed successisse " defuncto, episcopatus illi officium ab eadem " ecclesia tantummodo judicatur: ita ut in " alia ecclesia, quæ à sacerdote erit vacua, si electus " fuerit, esse possit episcopus. Quia ergo, ut " ait Gregorius, metu judicis judicium subvertitur: " ait Calixtus papa cap. I. Injustum judicium " & definitio injusta metu, aut jussu, " cujuscumque episcopi aut potentis ordinata vel " acta, non valeat. Unde Fabianus cap. 3. Si quis " judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis " exhibeat. Appellantem autem non debet " afflictio ulla aut detentionis injuriare custodia: " sed liceat appellatori viciatam causam " appellationis remedio sublevare, liceat in causis " criminalibus appellare: nec vox appellandi " denegetur ei, quam in supplicium sententiæ " destinarit. Pulsatus ante suum judicem causam " dicat, & non ante suum judicem pulsatus si voluerit " taceat: & pulsatus quoties appellaverit " induciæ dentur, nec quemquam sententia, " non à suo judice dicta constringat. Item Victor " papa cap. I. Placuit ut accusatus vel judicatus " à comprovincialibus in aliqua causa episcopus " licenter appellet, & adeat sedis apostolicæ " pontificem, qui aut per se aut per suos vicarios, " ejus retractari negotium procuret: & dum iterato " judicio pontifex suam causam agit, nullus " in loco ejus ponatur aut ordinetur episcopus, " quoniam quamquam comprovincialibus episcopis " accusati causam pontificis scrutari liceat; " non tamen definire, inconsulto Romano pontifice, " permissum est. Unde Zepherinus papa " cap. I. Finis vero ejusdem causæ ad sedem " apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur, " nec antea finiatur, quàm ejus auctoritate " fulciatur. "

Cal. epist. 1. n. 1.
Fab. epist. 3. n. 2.
Vict. epist. 1. n. 3.

Explicit secunda pars.

INCIPIT TERTIA PARS.

CAP. I. *Quod quatuor species eorum sunt, qui sunt extra Ecclesiam, & quorum Sacramenta non sunt rata.*

Quia superius de misericordia vel justitia ecclesiasticis peccatoribus exhibenda, quantum annuit divina pietas, perstrinximus: nunc de his qui extra Ecclesiam sunt pertractemus. Horum sunt quatuor species, excommunicati, damnati, schismatici, hæretici, quorum sacramentis aliquando interesse damnabile est. Unde Gregorius in Registro suo de excommunicatis: Nos consecrationem nullomodo dicere possumus, quæ ab excommunicatis est hominibus celebrata. Item Innocentius de Bonoso damnato cap. 55. Qui ad Bonosum transiere damnatum, & se passi sunt, vel cupierunt ordinari: nihil acceperunt ab eo, & rei sunt usurpatæ dignitatis.

Greg. lib. 4. ep. 21.

CAP. II. *In quo differant schismatici ab hereticis.*

Ut ergo de excommunicatorum & damnatorum sacramentis vitandis satis dictum sit, de schismaticis & hereticis videamus quomodo à se differant, vel in sacramentis suis noceant. Unde Hieronymus super epistolas: Inter hæresim & schisma hoc esse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma per decisionem ab Ecclesia separet. Ceterum nullum schisma non sibi confingit aliquam hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Item Augustinus: Hæreticus est qui non sequitur catholicam veritatem: schismaticus est qui non amplectitur catholicam pacem. Scriptum est. Veri sacrificii locus extra Ecclesiam non est. Unde Pelagius Victori & Pancratio inter cetera: A schismaticorum sacrificiis, potius autem sacrilegiis, abstinere debetis. Quod sanctè & catholicè intelligendum est tam in schismaticis, quàm in hæreticis. Omnia sacramenta à quocumque in Trinitatis nomine consecrata sunt, quantum ad se vera & sancta, ut in sequentibus patebit: sed quantum ad effectus suos, neque vera, neque sancta, sed polluta, & sacrilega, quia non conferunt salutem, sed damnationem: quod primum de schismaticis, postmodum videamus de hæreticis.

CAP. III. *Quod schismatici in sacramenti sanctitate sunt pro nobis, non in schismatis vulnere.*

Unde Augustinus in libro de Baptismo cap. 237. Qui se ipsos à societate ceterorum separantes unitatis vinculum rumpunt: si nihil faciunt eorum quæ in unitate acceperunt, in omnibus separati sunt: & ideo quem sibi sociant, si ad Ecclesiam redierit, debet omnia quæ non acceperit accipere. Si verò nonnulla eadem faciunt, non se in eis separaverunt, & ex ea parte Ecclesiæ connectuntur: & ideo si quis eis sociatus ad Ecclesiam venire voluerit; in eo sanatur ubi errabat: Ubi verò sanctis connectebatur, non curatur, sed agnoscitur, ne cum sana curare volumus, vulneremus. In sanctitate sacramenti; qua contra nos non sunt, pro nobis sunt: in schismatis vulnere, qui cum Christo non colligunt, spargunt.

CAP. IV. *Quod schismaticorum baptisma verum quidem est, sed non prodest quamdiu sunt in schismate.*

Item in eodem cap. 278. Objectio Donatistarum: Sed videntur sibi argutissimè quærere, utrum generet filios baptismus Christi in parte Donati, an non generet: ut si consentimus quod generet, suam asseverent Ecclesiam matrem, quæ filios potuit de Christi baptismate generare: & quia oportet esse Ecclesiam, ex hoc jam nostram non esse Ecclesiam criminentur. Si autem dixerimus non generat: Cur ergo, inquiunt, apud vos non renascuntur per baptismum, qui transeunt à nobis ad vos, cùm apud nos fuerint baptizati, si nondum nati sunt? Quasi vero ex hoc generat unde separata est, non ex hoc unde conjuncta est. Separata est enim à vinculo caritatis & pacis; sed juncta est unitate baptismatis. Itaque una est Ecclesia, quæ sola nominatur catholica: & quidquid habet suum in commutationibus diversorum à sua unitate separatis, per hoc quod in eis habet, ipsa utique generat, non illi; neque separatio eorum generat, sed quod secum de ista tenuerunt. Quod si & hoc dimittant, omnino non generat. Item in libro sententiarum cap. 191. Quærunt etiam utrum peccata dimittantur per baptismum in parte Donati: ut si dixerimus dimitti, respondeant. Ergo est illic Spiritus-sanctus: quia cum, insufflante Domino, datus est, tunc discipulis ait: *Baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Si cui dimiseritis peccata, dimittentur: si cui tenueritis, tenebuntur.* Et si ita est, inquiunt, communio nostra est Ecclesia Christi. Non enim præter Ecclesiam dimissionem peccatorum operatur Spiritus-sanctus. Et si nostra communio est Ecclesia Christi, non est Ecclesia Christi vestra communio: una enim est. Quæ cum ista sit, de qua dictum est: *Una est columba mea*; non possunt tot Ecclesiæ esse, quot schismata. Si autem dixerimus non ibi posse dimitti peccata, ergo inquiunt non illic verus baptismus: Et ideo quos à nobis suscipitis baptizare debetis. Quod quia non facitis, in Ecclesia vos non esse fatemini. His obsistimus ita interrogantes: Utrum dimittuntur peccata ubi caritas non est? Peccata enim sunt tenebræ, & qui odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc. Si ergo dimittuntur peccata, quomodo apud schismaticos aliquis renascitur? Quid est enim renasci, nisi à vetustate renovari? Quomodo autem renovatur, cui præterita non remittuntur peccata; quod si renatus non est, nec Christum induit. Ex quo videtur denuo baptizandus: quia, ut ait Apostolus, *quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Gal. 3. 27.

Math. 28. 19

Porro quia in Christo eum dicimus baptizatum, fatemur Christum induisse: ergo regeneratum, ergo peccata dimissa esse. Quomodo ergo dicit Johannes: *qui odit fratrem suum in tenebris est usque adhuc*, si in odio schismatis peccata dimittuntur? Quod illi ita solvunt dicentes, apud schismaticos baptismum non esse. Sed nos apud eos etiam illum esse fatentes ita solvimus: Si fictus quilibet ad baptismum accedit, dimittuntur ei peccata an non? Eligant quod volunt. Si dimissa dixerint, quomodo Spiritus-sanctus disciplinæ effugiet fictum, si in hoc ficto remissionem operatur peccatorum? Si dixerint non esse dimissa, quæro si aliquando fictionem suam vera pœnitentia fatentur denuo baptizandi esse judicantur? Quod si dementissimum est dicere, fateamur vero baptismo baptizari posse Johannem, & tamen cor ejus in malitia perseverans, peccatorum abolitionem non sinere potest fieri: atque ita intelligam etiam contra Ecclesiam Christi baptismum eadem sacramenti celebratione dari & sumi, qui tamen tunc tantum prosit ad remissionem peccatorum, cum quisquam reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exuitur: quo peccata ejus tenebantur, nec dimitti sinebantur. Sicut hic fictus non denuo baptizatur, sed confessionis correptione purgatur, quod sine baptismo fieri non potest, sed quod datum est ante tunc valere incipit, cum illa fictio vera confessione recesserit. Sic qui in hæresi vel schismate baptizatus est, quo scelere peccata non dimittebantur, cum ad Ecclesiæ unitatem venerit, non iterum baptizandus est: quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat: vel non profuit baptismus, quia Spiritus sanctus, ut peccata ad punctum temporis dimitterentur, & ut recederent venit, & continuo recessit, ut redirent, sicut qui de tenebris per lucem transit ad tenebras, lux in transitu eum perfundit tantum: ut & verum sit per vim sacramenti fictos ad momentum induere, & statim eos Spiritum-sanctum effugere, sicut scriptum est, quia ad aliquos venit, & mansionem non facit. Sed priori sententiæ magis sancti consentiunt: & verisimilius est, ut hæretici in hæresi sua Spiritum-sanctum nec dent, nec accipiant. Quomodo enim Spiritus-sanctus datur, ut sit irritus? Quod idem alibi etiam approbat in libro 5. de Baptismo cap. 204. Etiam corde tardiores intelligunt, baptismum Christi nulla perversitate dantis vel accipientis posse violari. Sed quia aliud sacramentum ab effectu sacramenti est, cum hos qui in ipsa unitate Ecclesiæ perdite vivunt, constet remissionem peccatorum nec dare, nec habere posse, quia non malignis sed justis dictum est, *Si cui dimiseritis peccata dimittentur, cui tenebitis tenebuntur:* patet eos dare tantum vel accipere sacramentum baptismi. Unde etiam ex concilii auctoritate firmatum est, ovem errantem, quæ dominicum caracterem à falsis prædicatoribus foris acceperat, venientem ad christianæ veritatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari: caracterem tamen dominicum in ea agnosci potius, quàm improbari. Item Augustinus contra Donatistas: Sicut urgeri videor peccata, cum juxta te baptizat; sic & ego urgeor cum dico. Ergo & avarus religionis simulator peccata dimittit. Si per vim sacramenti, sicut ille & ille. Si per meritum suum, nec ille nec ille. Illud enim sacramentum & in malis hominibus Christi esse cognoscitur, in corpore autem unicæ columbæ immaculatæ nec ille, nec ille invenitur. Item Augustinus in lib. 6. de Baptismo. Si quis ab hæresis vel schismatis perversitate vel separatione conversus venerit ad catholicam pacem, sub eodem baptismate quod acceperat, ejus peccata dimittentur propter vinculum caritatis, sub quo peccata ejus tenebantur propter sacrilegium divisionis: quia illud etiam in nomine justo & injusto semper sanctum est, quod neque alicujus æquitate augetur, neque alicujus iniquitate minuitur.

1. Joh. c. 11. — Joh. 20. 23. — Aug. lib. 6. de Bap. 15.

Cap. v. *Quod etiam ordinati schismaticorum conversi recipiuntur.*

Unde Augustinus ad comitem Bonifacium: Si ergo, inquiunt, oportet ut nos extra Ecclesiam & contra Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus; quomodo post istam pœnitentiam apud vos clerici vel episcopi permanemus? hoc non fieret, quoniam revera quod faciendum est fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Et post pauca: Est tale inserendi genus, ut nullo preciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur: non tamen nullo, sed levissimo vulnere arboris: Ita & isti cum ad radicem catholicam veniunt, ne eis quamvis post erroris sui pœnitentiam honor clericatus auferatur, fit quidem aliquid tamquam in cortice arboris contra integritatem severitatis.

Aug. ep. 185. n. 44. — Ibid.

Cap. vi. *Quod velut arida manus verum membrum est, sed inefficax, sic eadem dicta vel opera pro intentione vel fide sunt utilia, vel noxia.*

Ut enim si cujus manus esset arida, verum quidem esset membrum ejus, quamvis sine sanguine, inefficax, & mortuum, & sicut fides, cum sit vera, sine operibus est mortua: sic pro intentione judicantur eadem verba vel opera utilia vel mortua. Unde Augustinus in Epistola Johannis cap. 7. Si Pater tradidit Filium, & Filius seipsum, Judas quid fecit? facta est traditio à Patre, facta est à Filio, facta est à Juda. Una res facta est. Sed quæ res discernit eos? Quia hoc fecit Pater & Filius in caritate: Judas autem in proditione. Videtis quia non quod faciat homo considerandum est; sed quo animo & voluntate faciat. Item Augustinus in homeliis suis: Tu es Christus Filius Dei vivi. Hoc dixit Petrus, & audivit: Tu es Simon Barjona: hoc dixerunt & dæmones, & audie-

Aug. Tract. 7. in epist. Joh. n. 2.



" runt, Obmutescite. Una vox est, sed Dominus interrogat radicem & florem. Item Augustinus in libro de Trinitate cap. 22. Sine caritate fides quidem potest esse: sed non potest prodesse. Unde Apostolus, *fides est quæ per dilectionem operatur*: sic eam discernens ab ea, qua dæmones credunt & contremiscunt. Quapropter diabolus melior est hæretico: quia cum fidem habeat, quamvis prævaricator; tamen hæreticus non est. Unde cum baptizati in ecclesiasticis peccatoribus sine nota recipiantur, quia in his quamvis malis perfecta fides perfectum sacramentum tribuit, in hæreticis autem corrupta fides imperfectum: à Paulianistis, ne dicam baptizatos, sed aqua lotos Ecclesia omnino baptizat: ab Arrianis vero ceterisque hæreticis baptizatos non nisi per manus impositionem sub pœnitentiæ imagine sibi reconciliat.

CAP. VII. *Quod fides sit necessaria facientibus sacramenta vel miracula.*

Fide enim omnia sacramenta Ecclesiæ complentur: sicut in evangelio Dominus dicit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti transfer te & mittere in mare, fiet vobis.* Unde & Petrum increpavit de fide cum mergeretur: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Unde notandum facientibus sacramenta vel miracula fidem esse necessariam, sed nec minus his quibus fiunt: quia Dominus non poterat facere signum in patria propter incredulitatem eorum. Unde Augustinus in homelia. 80. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accidit verbum ad elementum, & fit sacramentum: etiam ipsum tamquam visibile verbum. Unde enim ista tanta virtus est aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens.

Matth. 17. 19.
Matth. 14. 31.
Aug. Tract. 80. in Joh. n. 3.

CAP. VIII. *Quod pro fide hæreticorum damnentur vel approbentur sacramenta eorum.*

Quod etiam sancti perspicue attendentes, hæreticorum etiam sacramenta vel damnant vel complent: & ita approbant prout fidem eorum in ipsis sacramentis vident, vel imperfectam, vel corruptam, vel annullatam. Quia enim Paulianistæ etiam nomen Trinitatis refutant: omnia eorum sacramenta ita damnat ecclesia, ut eorum laïcos non recipiat nisi omnimodo à se in nomine Trinitatis baptizatos. Arriani vero ceterique, quia nomen Trinitatis invocant, quamvis perfide credant, baptismum eorum non iterat: sed cum pœnitentia & manus impositione consummat. Donatistæ vero quia magis sunt schismatici, quam hæretici; sed tamen & hæretici, quia præter unitatem Ecclesiæ credunt se salvari: Novatiani etiam quos Catharos id est mundos appellant, aliotenus fidem orthodoxam habent, nisi quod bigamis & in persecutionem lapsis vel etiam post pœnitentiam veniam Sancti Spiritus desperant, laïcos eorum non cum pœnitentia recipit, sed & etiam clericos eorum sola manus impositione consummat, quia & si fidem Trinitatis nullomodo negant, tamen Spiritus sancti gratiæ aliquo modo perfide detrectant, dum Donatistæ extra unitatem Ecclesiæ Spiritus-sancti gratiam se habere credant & sperent, quod est impossibile, Novatiani verò desperent eum post pœnitentiam lapsorum culpis velle ignoscere: quod impium est de vera gratia tam crudeliter sentire.

CAP. IX. *Quod Paulianistarum baptisma est irritum, Novatianorum vero ordines rati cum manus impositione.*

Quod evidentissimis sanctorum patet auctoritatibus. Cum enim Innocentius papa cap. 55. de duabus hæresibus Paulianistarum videlicet, & Novatianorum communiter disputaret, & à Paulianistis venientes baptizandos esse decerneret, à Novatianis vero ceterisque hæresibus omnino prohiberet: causam reddidit dicens: " Quia Paulianistæ, inquit, in nomine Patris " & Filii & Spiritus sancti minimè baptizant. Cumque hac causa horum tantummodo baptisma refutandum diceret, Novatianorum non solum laïcos, sed & clericos cum manus impositione recipiendos dixit: quia apud istos videlicet Novatianos de unitate Patris & Filii & Spiritus-sancti aliquando nec quæstio nominata est. Et ideo de omnibus segregatis hæc sola hæresis electa est, cui istud crederent concedendum, ut eorum clerici reciperentur: quia nihil in Patris & Filii & Spiritus-sancti sacramento peccaret. Sed hoc tantum in his duabus hæresibus singulariter esse præceptum, & non in ceteris: ut Paulianistarum etiam baptisma refutetur, Novatianorum vero etiam ordinatio recipiatur. Idem Innocentius papa paulo superius manifeste distinguit dicens: Quod placuit Nicænæ synodo ut accepta manus impositione, sic maneant in clero: possumus vestræ dilectioni vere dicere, de solis Novatianis hoc esse præceptum, nec ad aliarum hæresum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita deffinirent; addidissent à Novatianis ceterisque hæreticis venientes debere in suum ordinem recipi. Quod si ita esset, etiam illud quod de Paulianistis dictum est, poterit infirmari, à quibus venientes etiam baptizari præcipiuntur. Numquidnam cum de Paulianistis jubent, omnes ab hæreticis revertentes erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere: de ipsis tantum esse præceptum ratio ipsa demonstrat.

Innoc. 1. epist. 22. c. 5.
Ibid.

CAP. X. *Quod nullius hæresis nisi Novatianæ clerici sunt jure recipiendi.*

Cum ergo de solis Novatianis clericis sit præceptum, quid de Donatistis, Bonosiacis sacramentis vel ordinibus in Ecclesia recipiendis est dicendum, nisi quod non jure celebrata, sed qualibet Ecclesiæ vel ignorantia vel necessitate usurpata sint & permissa? sed quid post hæc

de Arrianis, Patripassianis, Symoniacis, quorum ordinatio cum his videatur interdici, nulla auctoritate invenitur usurpari vel permitti?

CAP. XI. *Quod Bonosiaci pro necessitate sunt recepti.*

Sed de his primum agamus, quibus utcumque permittitur, & postmodum de his quibus omnino interdicitur. Bonosiaci sunt Fotiniaci, qui sicut Judæi Christum ante secula ex Patre genitum negant. De his ergo idem Innocentius eodem cap. ait: Annisi fratris quondam nostri aliorumque consacerdotum summa deliberatio fuit: ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem permanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Quod ergo necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate debet pariter cessare quod urgebat, & hoc quidem ante ejus damnationem. Nam de his qui postea ordinati sunt, subsequenter adjecit: Qui de Catholica ad Bonosum transiere damnatum, atque se passi sunt vel cupierunt ab eodem ordinari, constat non oportuisse ordinationis ecclesiasticæ suspicere dignitatem. Et paulo post: Ad summum certè qui nihil à Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis, qui id se putaverunt esse, quod nulla fuerat regulari ratione concessum.

Inn. I. ep. 22. c. 5.

CAP. XII. *Quod Donatistæ pro utilitate sunt recepti.*

Donatistæ vero, quia non alio modo à fide exorbitant, nisi quod ab ecclesiæ unitate schisma fecerunt, irati quod Cæcilianus contra votum eorum episcopus est, Cartaginensi concilio visum est ut cum ad unitatem catholicam quilibet eorum venire disponeret, si hoc paci christianæ prodesse videretur, uam illi valde impugnabant, cum suo reciperetur ordine, sive laïcus in baptismate, sive clericus in suo ordine.

CAP. XIII. *Quod à Leone Maximus recipitur, Maximus ex laïco & Donatista in episcopum ordinatus.*

Leo epist. 87. n. 3.

Item Leo papa ad Mauros episcopos in epistola sua, inter etera: Maximum quoque ex laïco licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, & à spiritu schismaticæ pravitatis alienus est, ab episcopali quam quo quomodo adeptus est, non repellimus dignitate: itaut ipse libello ad nos edito catholicum se esse manifestet.

CAP. XIV. *Item Novitiani ab Innocentio.*

Et quia similiter Novatiani à fide non aberrant: de laïcis vel clericis eorum recipiendis consentit auctoritas. Unde Innocentius Victorio Rotomagensi episcopo: cap xv. Venientes à Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine baptizati sunt.

Inn. I. epist. 2. c. 8.

CAP. XV. *Item Donatus Novitianus à Leone.*

Leo epist. 87. n. 5.

Et Leo ad Mauros episcopos: Donatum autem Sejacensem ex Novatiano, ut comperimus cum sua plebe conversum, ita dominico gregi volumus præsidere, ut libellum fidei suæ meminerit ad nos dirigendum: quo & Novati dogmatis damnet errorem, & plenissimè confiteantur catholicam veritatem. Quod ut de Donatista & Novatiano non regulariter, sed quadam discretione concessum ostenderet: se excusans subsequenter ait: Quæ nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis: ut quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa post hæc ultione plectamus. Ex quibus auctoritatibus colligitur quia sacramenta, quæ hæretici non aliter habent, nec aliter agunt quàm Ecclesia, ea scilicet fide & ordine habentes, & dantes quomodo habebantur, & dabantur priusquam inde exirent aliorsum perfide sentientes quàm in ipsis sacramentis, per manus impositionem consummantur & approbantur revertentibus ad Ecclesiam. Quod tamen intuitu necessitatis & pietatis aliquando factum, non sæpius, ut ait Leo, est usurpatum: ne hæresis nefariam auctoritatem in Ecclesia obtineat, si in sacramentis suis hæreticis & catholicos nulla eligendi vel spernendi ratio discernat.

CAP. XVI. *Quod sacramenta hæreticorum quamvis sint vera, tamen inutilia.*

Aug. epist. 87. n. 9.

Nam quod Augustinus ait ad Emeritum, Sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis approbantur à nobis: ne forte cum vestram pravitatem corrigere volumus, illis ministeriis, quæ in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam. Neque Saül depravaverat unctionem quam acceperat: cui unctioni Rex David post Dei servus tantumexhibuit honorem. Itemque Augustinus ad Donatistas: Sicut autem ficti veraciter conversi recipiuntur, nec tamen eorum baptisma reprobatur: sic & illa quæ schismatici & hæretici non aliter habent, nec aliter agunt, quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed approbamus potius. Item idem ad Vincentium Donatistam: Ex catholica Ecclesia sunt omnia sacramenta dominica, quæ etiam priusquam inde exiretis, non tamen ideo non habetis, quia non estis unde dabatis. Item ad Donatistas: Si autem Deus adest sacramentis & verbis suis per quoslibet administrentur, & sacramenta Dei ubique, perversi sunt intus & foris. Item ita: Ergo nec foris, sed nec intus quisquam, qui ex parte diaboli est potest in se, vel in quemquam maculare sacramentum, quod Christi est, de approbanda veritate sacramenti dictum est, non de utilitate: quia revera non prodest ab hæreticis datum, nisi sanctæ Ecclesiæ sit adunatum, & per manus impositionem vel etiam pœnitentiam, prout est hæresis, reconciliatum. Unde Augustinus

Aug. epist. 93. n. 46.

(a) S. Fulg. de Fid. c. 36. » nus [a] ad Petrum subdiaconum de fide: Firmissime, inquit, tene, & nullatenus dubites, » extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam » non redierint, baptismo cumulari pernitiem. Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis communitas ad salutem, ut baptismo non salvetur, cui non ibi datur, ubi oportet ut detur. De talibus propheta: *Exite*, inquit, *de medio eorum, & non polluamini ab eis*: Sed in suscipiendis vel refutandis sacramentis hæreticorum, ut dictum est, maxime valet discretio hæresium: quia Paulianistarum baptismus refutatur: Novatianorum & Donatistarum baptismus, & ordinatio per manus impositionem recipitur: Arrianorum vero ceterorumque etiam cum pœnitentia mundatur baptismus.

Cap. XVII. *Quod etiam sunt noxia.*

» De quibus specialiter Ambrosius in libro » de Initiandis rudibus: Non sanat baptismus » perfidorum, non mundat, sed polluit: quia » in harum diluvio aquarum ad Deum non approximatur, quia secundum Apostolum, *quidquid ex fide non est, peccatum est*: & ipsis qui » faciunt, & quibus faciunt, non solum non prodest, sed ad judicium est.

Cap. XVIII. *Quod ab hæreticis baptizati per manus impositionem sunt recipiendi.*

Leo ep. 37. n. 2. » Unde Leo cap. 29. Quoniam ab hæreticis » baptizati quolibet modo formam baptismatis » acceperunt, baptizandi non sunt: sed per » manus impositionem, virtute Spiritus sancti » quam ab hæreticis accipere non poterant, » catholicis copulandi sunt. Item Leo ad Leo- Leo ep. 79. n. 7. » nicetem episcopum cap. 19. Hi qui baptis- » mum ab hæreticis acceperunt, cùm baptizati » ante non fuissent, sola Spiritus sancti invoca- » tione per impositionem manuum confirman- » di sunt: quia formam baptismi tantum sine » sanctificationis virtute sumserunt: & hanc » regulam servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, & lavacrum semel initum nulla in- Ephes. 4. » tentione violetur, dicente Apostolo, *unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Cujus » ablutio nulla intentione violanda est, sed sola » sanctificatio Spiritus invocanda, ut quod ab » hæreticis nemo accepit, à catholicis sacerdotibus consequatur.

Cap. XIX. *Quod nulla hæreticorum sacramenta sunt rata.*

Hier. in Agg. » Quod vero eorum sacramenta non sint rata » ubique testatur auctoritas. Unde Hieronymus » in Aggæo propheta: Sic populus esse hæreti- » corum omnium in conspectu meo dicit Do- » minus, ut omne quod fecerint, vel quod mihi » obtulerint, vel vota, vel pro salute, vel pa- » cifica, vel pro peccato, vel holocaustum; » sive eleemosynas, sive jejunia vel corporis » castitatem; contaminata erunt in conspectu

[a] Hic liber non est S. Augustini, sed S. Fulgentii, ut docent veteres codices ante annos mille exarati, & etiam stylus: unde in nova operum S. Augustini editione ad calcem tom. 6. rejectus est.

A meo; quamvis enim sancta videantur specie sui quæ offeruntur, tamen quia tractata sunt ab illo qui pollutus est in anima, polluentur omnia. Item in Amos propheta: Odit Deus sacrificia hæreticorum, & à se projicit: & quoties in nomine ejus congregati fuerint, detestatur fœtorem eorum, & claudit nares suas. « Hier. in Osee.

Cap. XX. *Quod sacramenta hæreticorum vera sunt, quantum ad formam, non quantum ad spiritualem gratiam.*

B Item Augustinus in verbis Domini de blasphemiis Spiritus: Corporalia sacramenta quæ portant & celebrant segregati ab unitate corporis Christi, formam possunt habere pietatis: virtus verò invisibilis & spiritualis ita in eis esse non potest, quemadmodum sensus non sequitur membrum quando amputatur à corpore. Unde Leo, in epistola sua ad Anatholium Constantinopolitanum Episcopum: « Leo ep. 40. n. 2. Isti qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare se magis eligunt, quàm tueri, pacis & communionis nostræ unitate lætentur: ita ut digno prius anathemate quæ contra fidem catholicam sunt præcepta damnentur. Aliter enim in Ecclesia Dei quæ corpus Christi est, nec sunt rata sacerdotia, C nec vera sunt sacrificia, nisi in proprietatem suæ naturæ verus nos Pontifex reconciliet. Sed quod de universis dictum est, insimul de singulis videamus.

Cap. XXI. *Quod corpus Domini ab Arrianis confectum sacrilega sanctio dicatur.*

De Sacramento enim Corporis & Sanguinis Domini ab Arrianis confecto Gregorius in Dialogorum lib. 3. ait de Hermenigildo Greg. l. 3. Dial. c. 31. D regis Leuvigildi filio: Superveniente paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio, ad eum perfidus pater Arrianum episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet: atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Arriano episcopo venienti exprobravit, ut debuit: ejusque perfidiam dignis increpationibus repulit.

Cap. XXII. *Quod sine fide frustra cetera ecclesiastica haberi videantur.*

Unde Hieronymus in Osee: Illi offerunt « Hier. in Osee. panem sacrilegum, & dant eleemosynas, & E sectari videntur humilitatem: quæ si vere fiant haulocausta interpretor: cum autem scientiam Dei reliquerint, frustra truncato capite fidei, cetera membra habere se jactant.

Cap. XXIII. *Quod hæreticorum baptizati cum pœnitentia & manus impositione sunt recipiendi, clerici vero non.*

De sacramento vero ordinum Innocentius «

Aaaa

Innoc. I. epist. 18. c. 3. » cap. 47. ait: Arrianos præterea ceteras hujusmodi pestes, quia eorum laïcos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipere dignitate: quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti perficitur, nec sanctum Spiritum eos habere ex illo baptismate, illisque ministeriis arbitramur, quoniam cum à catholica fide eorum auctores discesserant, perfectionem Spiritus quam acceperant perdiderunt: nec dare eis plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius quam fidem dixerim perdiderunt, quid fieri potest, ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad Spiritus-sancti percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipimus? Item idem cap. Innoc. I. epist. 22. c. 3. 53. Ventum est ad tertiam quæstionem. Cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput, ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, quo possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit: atque ubi pœnitentiæ remedium est necessarium, illic ordinationis honorem locum habere non posse. Nam si, sicut legitur, *quod tetigerit immundus immundum erit*: Num. 19. quomodo ei tribuetur, quod munditia ac puritas consuevit accipere. Sed è contra asseritur, eum qui honorem amisit honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse: quia nihil fuit in dante quod ille posset accipere. Acquiescimus, & verum est certe, quia qui non habuit dare non potuit: damnationem utique, quia habuit, per pravam manus impositionem dedit, & qui particeps factus est damnati, quomodo debeat honorem accipere invenire non possumus. » Sed cum Innocentius dicat, quod hæretici solum baptisma ratum esse permittat, & non cetera sacramenta, quorum Gregorius sacrilegam communionem, Innocentius damnationem vocat ordinationem, videtur esse contrarius Hieronymo, qui Hier. adv. Lucif. dicit ad Luciferianum: « Sicut hic est qui baptizat Christus, ita hic est qui sanctificat. Item ad eumdem: Oro te, inquit, ut aut sacrificandi licentiam ei tribuas, cujus baptisma probas: aut reprobes ejus baptisma, quem non putes esse sacerdotem. Neque enim fieri potest, ut qui in baptismo sanctus est, sit ad altare peccator. » Quod de peccatore, & non hæretico intelligendum est, qui quidquid cum fide pro officio suo facit, licet indignus, cooperante divina gratia, ratum esse creditur. Alioquin si de hæreticis dictum est; ipse sibi contrarius est, cùm dicat in Osee: *Sacrificia eorum panis luctus, quicumque ex eo comederint, contaminabuntur.* Et alibi in persona Domini: *Maledicam in benedictionibus vestris*, hoc est quidquid à vobis benedicetur per me, erit A maledictum. Hoc igitur intelligendum est de peccatore, ut ait Hieronymus, ecclesiastico: illud autem de hæretico.

CAP. XXIV. *Quod ad aliud & ad aliud referenda sunt varia ecclesiæ statuta.*

Varia esse statuta ecclesiæ ad aliud & ad aliud relata: utrobique tamen veritati & justitiæ sunt consona, & causarum ordini congrua. Alioquin si immutabiliter sine discretione tenenda sunt; maxima contrarietatis confusio nascitur. Nonne enim Dominus dixit B ad Abraham: *Immola filium tuum?* & è Genes. 22. 12. contra: *Ne extendas manum tuam super illum.* Et Moyses in lege; *Non occides*; & è contra qui hoc & illud fecerit, occidatur. Et Salomon: *Responde stulto*; & è contra: *Noli respondere stulto secundum stultitiam suam.* Prov. 26. 5. Eccli 22. 14 Et Paulus: *Increpa in omni imperio*; & è contra: *Increpa in omni patientia.* Tit. 1. 13. 1. Tim. 4. 2. Quia ergo hæreticis solum baptisma permittitur esse ratum & verum, quod tamen cum sit sine sanctificatione spiritus, inutile & noxium; vitanda sunt revera omnia eorum sacramenta tam rata, quam non rata: quia ut scriptum est, *Omnia munda mundis, coinquinatis autem &* Tit. 1. 15. C *infidelibus nihil mundum.*

CAP. XXV. *Quod à catholicis in Ecclesia omnia sacramenta salubriter, sed ab hæreticis damnabiliter accipiantur.*

Unde in Affricano concilio cap. 24. « In Conc. Afric sub Cœlestino c. 14. Ecclesia omnia sacramenta salubriter & vitaliter accipiuntur: quæ perseverantibus in hæresi magnam damnationis pœnam conquirunt, quod eis in veritate ad vitam esset luminosius. » Unde Leo cap. 14. « Ad animæ periculum pertinet; si quisquam de his, qui à vobis in hæreticorum atque schismaticorum D errore dilapsus, se utcumque hæreticæ communionis contagione maculaŕit, resipiscens in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. »

CAP. XXVI. *Quod baptizati ab hæreticis, vel ex consensu, vel conscientia, clericatus honore privandi sunt.*

Inde Innocentius cap. 54. « de communione Innoc. I. Epist. 22. n. 4. baptismi, quo sacramentum hæreticorum magis ratum habetur, lex est Ecclesiæ his qui ab hæreticis baptizati sunt per manus im- E positionem laïcam tantum præbere communionem, nec ex his aliquem ad clericatus honorem vel exiguum subrogare: sed tamen si non ex sensu ad eorum communionem, sed vel ignoranter labimur, vel violenter compellimur: excusari possumus. »

CAP. XXVII. *Quod ignoranter ab hæreticis baptizati non debent ab ordinibus repelli.*

Inde in Affricano concilio cap. 14. « Placuit Conc.

Afric. sub Cœlestino Papa c. 14. & 24. de solis infantibus, quæ ab hæreticis baptizantur, ne quod suo non fecerint judicio, cùm ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint reversi, parentum illos error impediat, ne promoveantur sacri altaris ministerio. Idem in eodem cap. 24. Qui apud Donatistas parvuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum, & postquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate, falsitatem eorum abhorrentes, ad Ecclesiam ordine antiquo per manus impositionem recepti sunt; Clericatum non debet impedire nomen erroris.

CAP. XXVIII. *Quod violenter ab hæreticis ordinati aliquem colorem excusationis habent.*

Innoc. I. ep. 22. c. 5. Item Innocentius de violenter compulsis cap. 55. constat multos vim passos atque invitos attractos repugnantesque ab hæreticis ordinatos: sed hujusmodi aliquis, si non post ordinationem talem interfuit, cum illi conficerent sacramenta, si communioni eorum participatus non est, si statim discedentibus illis de pessimo conciliabulo eorum ad Ecclesiam rediit: iste talis potest habere colorem aliquem excusationis. Ceterum aut amplius redierunt cum se considerent ab hæreticis ordinatos. Certe qui nihil ab eis acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis. In quo notatur maxime esse damnabile præbere assensum cuicumque communioni hæreticorum.

CAP. XXIX. *Quod hæretici etiam corporaliter sunt vitandi.*

Unde Ambrosius: Si qua est Ecclesia quæ apostolicæ veritatis fundamenta non possideat, ne quam possit tibi labem ingerere, deserenda est. Unde Gregorius Sabiniano episcopo Jadertino: Ideo, inquit, quia fraternitas tua (Greg. l. 8. epist. 10.) se à consortio & communione Maximi, ubi te prius ex negligentia impuleras, interim postea gravitate sacerdotali ad animum reducta suspendit, ut ejus sola nullatenus patereris segregatione esse contentus, nisi in monasterii claustra te recipiens dudum commissa defleres: propterea in meæ te gratiæ communione receptum esse non dubites. Item beatus martyr Cyprianus in epistolis contra hæreticos (S. Cypr.): Si quis, inquit, ab Ecclesia hæretica præsumtione exierit, à semetipso damnatus est: cum hujusmodi secundùm Apostolum nec cibum quidem sumere debemus. Declaratur hoc in libro Regnorum, ubi cum Homo Dei ad Jeroboam missus esset, qui peccata sua exprobraret, atque ultionem futuram prædiceret, panem apud illum edere & aquam bibere prohibitus est. Quod cum non custodisset, divina censura inde regrediens, morsu leonis in itinere interiit. Et audet quisquam dicere sacramentum salutare, & gratiam cœlestem communem cum hæreticis esse posse, cum quibus nec terrestris cibus, nec sæcularis potus debeat esse communis? Constat autem oleum unde baptizati unguntur sanctificari, & eucharistiam fieri apud illos omnino non posse, ubi spes nulla est & fides falsa, ubi omnia per mendacium geruntur. Nam hæretici simiarum more, quæ cum homines non sint, formam hominis imitantur, vultum Ecclesiæ catholicæ & auctoritatem sibi vindicant & veritatem: cum ipsi in Ecclesia non sint. Benedicit à Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus, Deum invocat blasphemus, sacerdotium administrat profanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit etiam illud malum, ut antistes diaboli audeat eucharistiam facere, cùm nec sanctificari illic oblatio possit, ubi Spiritus-sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per ejus preces & orationem prosit, qui Deum ipsum violavit. Si enim qui Ecclesiam violant ethnici & publicani habentur, multo magis rebelles & hostes falsa altaria, & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega, & omnia adulterata fingentes, inter ethnicos & publicanos computentur omnes: quos constat à charitate & unitate Ecclesiæ catholicæ recessisse. Ergo quæcumque faciunt hæretici, carnalia sunt, inania, & falsa: ita ut nihil eorum quæ illi gesserint, à vobis probari debeat. Non statim suscipienda & assumenda sunt quæ jactantur in Christi nomine; sed quæ geruntur in Christi veritate. Quo modo enim perficere quæ agunt, aut impetrare aliquid illicitis conatibus de Deo possunt, qui contra Deum quod eis non licet moliuntur? Quare qui hæreticis schismaticis patrocinantur, censura divina in eorum probantur facinore, & pejus non solum duces & auctores, sed & participes destinari, nisi se à communione malorum separaverint, præcipiente per Moysen Domino: *Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum: & Nolite tangere de omnibus quæ sunt eorum, ne simul pereatis cum peccatis eorum.* Et quod comminatus Dominus per Moysen fuerat implevit: ut quisquis se à Chore & Dathan & Abyron non separasset, pœnas statim pro impia communione solveret. Sic etiam per Osee prophetam Spiritus-sanctus testatur dicens: *Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur*, docens scilicet & ostendens omnes omnino cum auctoribus supplicio conjungi, qui fuerint peccato eorum contaminati: propter quod integritatis & fidei religiosam sollicitudinem vestram, fratres, quantum possumus, adhortamur: ne vos cum prophanis & maculatis sacerdotibus communione sacrilega misceatis. Sed quia beatus Cyprianus, cujus opuscula Augustinus recipienda docet, quem in libro de Prædestinatione doctorem lucidissimum laudat: cujus lingua tamquam invictissimo telo confoderentur hæretici, itemque in fide & doctrina christiana laudabiliter usquequaque diffamatum astruit; quia, inquam, tantus vir de hæreticorum sacramentis vitandis, ne eorum contaminentur sacrilegis sacrificiis cum ceteris sanctis consentit: videamus igitur quomodo

iterum sancti consentiant, quantum hæresis A crimen simoniam reputant, quomodo sacramenta eorum vel detestentur, vel approbent.

Cap. xxx. *Quod Symoniacus à fide exorbitet.*

Quod enim à fide exorbitet, & Spiritui-sancto blasphemiam irroget, qui symoniam perpetrans, æstimationem pretii confert gratiæ Spiritus-sancti, testatur Ambrosius in libro primo de Pœnitentia ad Novatianum: » Petrus, cùm Simon magicæ artis consuetudine » depravatus putasset quod gratiam Christi per » impositionem manus, & infusionem Spiritus B

Act. 8. 21. » compararet pecuniâ, ait: *Non est tibi sors,* » *neque pars in hac fide: quia cor tuum non est* » *rectum apud Deum.* Vides quod hunc magica » vanitate blasphemantem in Spiritu-sancto » apostolica auctoritate condemnet: & eo ma- » gis quod puram conscientiam fidei non ha- » bebat. Unde Gregorius in Registro cap. 4. » Cum omnis avaritia idolorum sit servitus, » quisquis hanc, & maxime dandis honoribus » ecclesiasticis vigilanter non præcavet, infide- » litatis perditioni subjicitur: etsi tenere fidem » quam negligit videatur.

Cap. xxxi. *Quod capitale quidem est facinus vænundare & comparare Spiritum-sanctum.* C

Greg. l. 9. epist. 109. Unde Gregorius Brunigildæ reginæ: Grave omnino & ultra quam dici possit facinus est, Spiritum sanctum, qui omnia redemit, vænundare. Item de emptione Gregorius Nazianzenus: Nam de eo qui studet donum Dei pretio mercari, ad sacrum ordinem nulla ratione de cetero aut permanere aut renovari posse dubium non est, & à communione modis omnibus abscidatur. Sed valde considerandum est de medicina pœnitentiæ. Nam Spiritus sancti donum comparari pretio, quid aliud est, quàm capitale crimen & symo- D niaca hæresis?

Cap. xxxii. *Qualiter in utroque testamento punita sit symoniaca hæresis.*

Quod quam detestabiliter in utroque testamento damnatum sit videamus. Giezi sanitatis gratiam Naaman Syro vendidit: sed eamdem sanitatis gratiam, Heliseo judicante, leprosus factus amisit. Judas omnium Redemtorem vendidit: mox laqueo suspensus eamdem redemtionis gratiam non obtinuit. Et merito: quia nemo potest retinere quod vendit. Simon Magus cum eamdem Spiritus gra- E tiam emere vellet, damnationis suæ senten-

Act. 8. 20. tiam à Petro audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditione: quia donum Dei æstimasti pecunia possidere.* Unde etiam Dominus, ut vendentes & ementes hujus gratiæ expertes ostenderet: cum ceteros peccatores per gratiam in templo dimitteret, singulariter vendentes & ementes increpans, flagellans de templo ejecit. In quo venditores & emptores suos gratiâ sancti Spiritus constat destitutos esse & vacuos. Quos enim Christus ejecit de templo, numquid Spiritus Christi faciet sibi templum? ex qua re intelligendum & credendum est, in hac hæresi etiam completum, quod superius ab Innocentio in aliis hæresibus est decretum:

« Quod qui perfectionem Spiritus, quam acce- « Innoc. l. epist. 22. c. 3. perant, perdiderunt; non dare eis plenitudi- « nem possunt, quæ maxime operatur in ordi- « nibus: quam per suam perfidiam perdide- « runt. Et iterum: Qui honorem non habuit, « honorem dare non potuit, nec ille aliquid « accepit, quia nihil erat in dante: sed dam- « nationem quam habuit, per pravam manus « impositionem dedit. Quod in his quidem « quos symoniacos symoniacus ordinat, sicut Arrianus Arrianos, Donatista Donatistas: ita & probat veritas & esse consentit auctoritas. Si enim cæcus cæco lucernam obtulerit, neuter tamen melius ob hoc videre poterit. In his vero quos hæreticus non hæreticos, sed gratis ordinat, & non sibi consentientes, sed vel ignavos, vel invitos, & pro qualibet ecclesiæ rationabili tolerantia talem ordinatorem passos: quid ratio vel auctoritas concedat videamus, & primum quidem de his quos per venditionem symoniacus symoniacos ordinat.

Cap. xxxiii. *Quod sacerdotium in his non subsistat qui præmiis id assequuntur.*

Gregorius Brunigildæ reginæ cap. 24. Om- « Greg. l. 9. epist. 109. nino exsecrabile & gravissimum detestamur, « quod sacri ordines per symoniacam hæresim, « quæ prima contra Ecclesiam orta est, & distri- « cta maledictione damnata est, conferantur. « Hoc igitur agitur, ut sacerdotii dignitas in « despectu, & sanctus honor fit in crimine. Pe- « riit itaque reverentia, adimitur disciplina. « Nam quis denique veneretur quod venditur, « aut quî vile non potest esse quod emitur? « Unde valde contristor, & corde illi condo- « leo, quia Spiritum-sanctum, quem per ma- « nus impositionem omnipotens Deus largiri « dignatur divino munere, despiciunt, sed « præmiis assequuntur: & sacerdotium illic sub- « sistere non arbitror. «

Cap. xxxiv. *Quod benedictio ei convertitur in maledictionem, qui emendo spiritualia ad hoc ut fiat hæreticus promovetur.*

Item Gregorius Siagrio episcopo Augusto- « Greg. l. 9. epist. 106. dunensi cap. 129. Nuntio apud nos discur- « rente divulgatum est, quod in Galliarum par- « tibus sacri ordines per symoniacam hæresim « conferantur, & vehementi tædio mæroris « afficimur, si in ecclesiasticis officiis quemquam « locum habeat pecunia, & fiat sæculare quod « sacrum est. Quicumque ergo studet pretii da- « tione hoc percipere, sacerdos non esse, sed « dici tantummodo inaniter concupiscit. Quod « scilicet quid per hoc agitur, nisi ut nulla «

„ actuum probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pecuniam suffecerit, æstimetur? Itaque, frater carissime, in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat; sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio: ut ad summum sacerdotium non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quam grave omnino sit facinus donum Dei vel pretio comparare vel vendere, evangelica testis est auctoritas. Templum autem Dominus & Redemtor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid vero aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere, & Spiritum-sanctum, quem Deus omnipotens hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere cathedrarum utique eversione patenter signatum est: & tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires suas. Nam cogit vendere quos decepit ut emerent: & dum non attenditur, quod divina voce præcipitur, *gratis accepistis, gratis date*, uno eodemque delicto geminatur vendentis & ementis conditio: & cùm liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?

Matth. 21. Matth. 10. 8.

CAP. XXXV. *Quot modis symoniæ pretium impendatur.*

Quot modis autem pretium in hac hæresi detur idem Gregorius in Evangeliorum tractatu exponit, dicens: Sunt nonnulli quidem, qui nummorum præmia ex ordinatione accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur: atque de ipsa largitate laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt: quia Dei impenso officio sanctitatis expetunt nummum favoris. Unde bene cum virum sanctum describeret propheta ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Neque enim à munere, sed ab omni munere adjunxit: quia aliud est munus à manu, aliud munus à lingua, aliud munus ab obsequio. Munus à manu est pecunia, munus ab obsequio subjectio indebitè impensa: munus à lingua favor. Qui ergo sacros ordines tribuit tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Unde item Gregorius Johanni Corinthiorum episcopo cap. 220. De ordinibus aliquid accipere districta interdictione vetuimus. Oportet ergo, ut neque per commodum, neque per gratiam, neque per quorumdam supplicationem, aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci.

Isai. 33. 15.

CAP. XXXVI. *Quod anathematis opprobrio, suscepti honoris amissione, monasterii restrictione multandus sit symoniacus, tam vendens quam emens.*

Item Ambrosius in libro Pastorali cap. 10. Quod non sine magno dolore dicendum est, reperiuntur quamplurimi negotio muneris mercari velle gratiam Spiritus-sancti: dum ille pretium donat, ut pontificalis ordinis sublimitatem accipiat, obliti verborum Petri, qui dixit ad Symonem: *Pecunia tua tecum sit in perditione: quia donum Dei æstimasti pecunia possidere.* Proinde quia & usitatum est tantum malum, & majorum frequenter extat mucrone succisum, nos quoque huic vulneri canceroso quod superest adhuc injicimus ferrum: decernentes omnino, ut quicumque deinceps pro accipienda divini doni dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Christi corporis & sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quod si aliquis extiterit qui accuset: ille qui hunc ordinem muneris fuerit acceptione lucratus, & suscepto honoris gradu privetur, & in monasterio sub perenni pœnitentia trudatur. Illi vero qui pro hac causa munerum acceptores extiterunt, etsi clerici fuerint honoris amissione multentur; si vero laïci fuerint, perpetuo anathemate condemnentur.

Act. 8. 20.

CAP. XXXVII. *Quod proprii honoris periculo subjaceat, quisquis nedum ordines, sed dispensationem alicujus ecclesiastici boni vendiderit vel emerit.*

Item ex concilio Calcedonensi cap. 2. Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit Spiritus-sancti gratiam, quæ vendi non potest; ordinaveritque per pecuniam presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui cognominantur in clero, aut promoverit per pecuniam, dispensatorem aut defensorem vel quemlibet ex his qui subjectus est regulæ pro sui turpissimi lucri commodo: is cui hoc probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit, & qui ordinatus est nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, perficiat: sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine quam pecuniis acquisivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit, siquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat: si vero laïcus, anathematizetur.

Conc. Calced. can. 2.

CAP. XXXVIII. *Quod ecclesiam vel decimas vendere vel emere symoniaca est hæresis.*

Item Gregorius in Registro: Presbyter si ecclesiam per pecuniam obtinuerit, non so-

» lum ecclesia privetur, sed sacerdotii honore A
» spolietur: quia & altare & decimas & Spiri-
» tum-sanctum vendere symoniacam hæresim
» esse nullus fidelium ignorat. Item Hierony-
» mus: Res Ecclesiæ vota sunt fidelium defun-
» ctorum, pretium peccatorum, patrimonia
» pauperum: quas si quis in suos usus retorse-
» rit, similis est Judæ proditori, & Pharisæis ven-
Gelas. epist. 9. » dentibus & ementibus sanguinem Christi. Ge-
» lasius papa cap. 24. Quos constiterit indignos
» meritis sacram mercatos esse pretio dignita-
» tem, convictos oportet arceri sine periculo fa-
» cinus tale patrantes: quia dantem pariter &
» accipientem damnatio Simonis, quam sacra
» lectio testatur, involvit. Quia ergo ex aucto- B
ritate Gregorii apud symoniacos sacerdotium non subsistit, benedictio in maledictionem convertitur; secundùm Ambrosium vero anathematis opprobrio condemnantur, atque participatione Corporis & Sanguinis Domini alienantur; secundùm Calcedonense Concilium ex tali ordinatione nihil proficere videntur; secundùm Gelasium, damnatione Symonis involvuntur, à Christo vero templo ejiciuntur. Quid enim aliud symoniacus symoniaco in sua ordinatione habet conferre, nisi quod Innocentius de ceteris hæreticis testatur, quia scilicet damnationem quam habuit, per pravam manus impositionem dedit; à qua non C esse, sed dici sacerdos inaniter possit.

CAP. XXXIX. *Quod moderni symoniaci satagunt Spiritum-sanctum emere in sacramentis sicut Symon in miraculis.*

» Sed objicit Petrus Damianus moderni tem-
» poris Symoniacos quantum ad fidem, inte-
» gros esse, quia cum miraculis se clarescere
» desperent, non sunt Symoniaci quod Spiri-
» tum sanctum vel ejus dona emere desiderant,
» sed quia ambitiosi, eo quod ad terrenæ digni-
» tatis culmen anhelant. Sed numquid eumdem
Spiritum, quem Symon emere voluit in mira- D
culis, symoniaci nostri emunt in sacramentis? Quis enim vult dici episcopus, nisi ut remissionem peccatorum manus impositione & cetera spiritualia episcopaliter exerceat? Sic & in ceteris officiis cujusque ordinis. Sed quod nec symoniacam sic evadant hæresim, quamvis in spiritualibus dignitatibus terrena tantum
» requirant, testatur papa Pascasius. Si quis
» objecerit non consecrationes emi, sed ipsas
» res quæ ex consecratione proveniunt; penitus
» desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, ut episcopus, aut abbas, aut tale aliquid, sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vi- E
vit: quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum pervenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus ergo emat ecclesiam, vel præbendam, vel aliquid ecclesiasticum: nec pastellum, nec pastum pro hujusmodi solvat.

CAP. XL. *Quod Symoniaci nullam auctoritatem habeant à veteri testamento vendendi vel emendi, quamvis alicubi hoc innui videatur.*

Sed videntur Symoniaci saltem aliquantulam auctoritatem habere, quasi in veteri testamento etiam à sanctis viris hoc usurpatum fuerit, pro eo quod Saül ad Samuelem pro vaticinio expetendo nonnisi cum munere ire præsumserit. Quod beatus Hieronymus in Michæa competenter solvit, malos tantum accepisse, & non bonos denuntians. Duces «
ejus, inquit, in muneribus judicabant, sacer- «
dotes ejus mercede respondebant, & prophe- «
tæ ejus in pecunia divinabant: & super Do- «
minum requiescebant, dicentes: Nonne Do- «
minus est in nobis? non venient super nos «
mala. Idcirco propter vos Sion quasi ager «
arabitur, & Jerusalem in custodia pomerii «
erit. Nemo ambigat, Jerusalem propter sce- «
lera, quæ in hoc capitulo leguntur, fuisse sub- «
versam. Et paulo post: Poterat Petrus Symoni «
Mago vendere quod petebat, immo poterat «
simulare vendentem. Spiritus enim sanctus nec «
vendi nec emi potest, sed oblatam pecuniam «
cum offerente damnavit. Nec moveat quem- «
quam illud quod in primo Regnorum libro «
legimus, Saül volentem ire ad Samuelem di- «
xisse puero suo ad eum, se ire nolle, quia pre- «
tium quod offerret pro vaticinio non habe- «
ret, & puerum respondisse, Ecce inventa est «
in manu mea quarta pars sicli pecuniæ, & «
dabo Viro Dei, & annuntiabit nobis viam «
nostram. Non enim scriptum est, quod Sa- «
muel acceperit, aut quod illi obtulerint: quin «
potius pascuntur à propheta. Sed qui facit «
eum accepisse? stipes magis æstimandæ sunt «
tabernaculi, quam munera prophetæ. Siclus «
enim 20 obolos habet, & quarta pars sicli «
quinque sunt oboli. Et nostri igitur sacerdo «
tes, si volunt vendere prophetiam, & colum- «
bam in cathedris suis proponere, quas Do- «
minus flagello subvertit: quinque tantum obo «
lis sint in mercede contenti, qui utinam non «
pretium villarum, sed quinque obolos accipe- «
rent. Hoc ipsum sonat in 3. Regnorum libro «
de uxore Jeroboam ad Aiam hominem Dei pergente, licet potuerint hi qui ad ariolos ire consueverant pro mala eorum consuetudine id ipsum æstimasse de prophetis, & voluisse sanctis viris offerre quod divinis offerre consueverant.

CAP. XLI. *Quod ex initio symoniæ bonus aliquis fructus non prosit provenire.*

Sed objicit Petrus Damianus, quod etsi «
malum sit ecclesiastica emere, tamen sæpe «
sinistra principia ad felices perveniunt exitus: «
ut Jacob per supplantationem pervenit ad be- «
nedictionem; ut seges quæ leprosa manu se- «
ritur, munda tamen metitur; ut adulterino «
concubitu pulchra soboles nascitur, & multa «
similia quæ ad hoc quidem pro ut sacra testa- «

Leo ep. 87. n. 1. „ tur auctoritas, non operantur. Unde Leo ad Mauros episcopos cap. 49. Principatus quem „ aut seditio extorsit aut ambitus occupavit, „ etiam si moribus atque actibus non offendit, „ ipsius tamen vitii sui est perniciosus exemplo: „ & difficile est ut bono peragantur exitu, quæ „ malo sunt inchoata principio. Item Gregorius Antiocheno episcopo. Gratias agimus „ JESU-CHRISTO Domino nostro: qui pastoribus rite intrantibus in ovile ovium se ipsum „ profitetur ostium, ostiarium vero Spiritum-sanctum. Qui autem intrat per ostium, & „ non aliunde ascendit, ut fur & latro, ille „ Creatoris sui vias & exemplo & verbo in se „ exprimit, culmenque regiminis suscipit ad B officium portandi omnes, non ad appetitum „ transitorii honoris. Cum enim dicat Paulus „ fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est JESUS-CHRISTUS; consequenter probatur, quia ubi „ Christus non est fundamentum, nullum boni Greg. l. 5, epist. 57 „ operis sequitur ædificium. Item Gregorius „ Johanni episcopo Corinthiorum & universis „ per Elladam constitutis: Quibusdam narrantibus audivi in partibus vestris quosdam cum „ pretio sacros ordines assequi. Quod si ita est: „ flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus ceciderit, foris quoque C „ diu stare non poterit. Scimus quoque in Evangelio quid Redemtor noster per semetipsum „ fecerit, qui ingressus in templum cathedras „ vendentium columbas evertit.

CAP. XLII. *Quod Spiritus-sanctus in symoniacis non lucet sacramentis.*

Et ut videamus de radice symoniæ nullum omnino bonum pullulare fructum, constat ex „ auctoritate Augustini: Sicut Eunuchus fuit, „ qui Joseph comparavit: ita qui gratiam mercatur, vivum semen non habet siccis genitalibus. Sic quoque ignis sacrificii, qui per 70 annos Babilonicæ captivitatis sub aqua vixerat, D „ extinctus est, Antiocho Jasoni vendente sacerdotium: quod significavit ignem Spiritus-sancti in simoniacis non lucere sacramentis. Quid in his similitudinibus, beatus Augustinus notare voluit, nisi quia sacramenta symoniacorum sicut & ceterorum hæreticorum, licet sint vera quantum ad formam, inania tamen & falsa sunt quantum ad effectum; cùm non possint in mentibus hominum gignere, vel accendere cœlestem gratiam? Approbat ergo Petrus Damianus illa sacramenta valere, in quibus Augustinus testatur ignem E Spiritus-sancti non lucere. Dicit enim quod sicut Christus venditus restituit auriculam Malcho, & fecit miracula: sic & Spiritus-sanctus possit vendi, & in ipsa sua venditione gratiam suam operari. Sed non valet similitudo ut hoc operetur Spiritus-sanctus spiritualiter in perfidis mercimoniis avaritiæ, quod Christus corporaliter gessit certi causa mysterii ad exemplum patientiæ. Si enim omnifaria est similitudo, cum credatur posse vendi A ut Christus: credatur etiam posse crucifigi Spiritus-sanctus, quod impossibile est.

CAP. XLIII. *Quod Spiritus-sanctus nec vendi nec emi potest.*

Unde Hieronymus in Michæa: Numquid „ divinatio in bonam partem accipitur? Vide- „ bantur quidem sibi esse prophetæ, sed quia „ pecuniam accipiebant, prophetia eorum facta „ est divinatio. Petrus utique poterat Symoni „ Mago vendere quod petebat: immo poterat „ simulare vendentem. Spiritus enim sanctus nec „ venundari nec emi potest; si ergo Spiritus-sanctus nec vendi nec emi potest, si prophetia quæ Dei videbatur, in divinationem, quæ diabolica est, vendentibus convertitur; quid aliud nisi quod symoniacis, ut superius dictum est, nulla spiritualis gratia cooperatur? Cum enim in sacramentis neque qui plantat, neque qui rigat sit aliquid, quis operatur in eis, si Deus qui incrementum dare debet, in eis non lucet, sed est otiosus? sed etsi de adulterino concubitu nascitur soboles pulchra, de eunucho vero nulla potest nasci, cujus sint sicca genitalia: constat etiam ex auctoritate Gregorii symoniacum tam sibi quam aliis obnoxium, cum nec peccata sua redimere possit eleemosynis, factis ex symoniæ pretio; sed iratum potius sibi reddat judicem malo illius merito.

CAP. XLIV. *Quod non possit etiam eleemosyna fieri ex pretio symoniæ.*

Unde Gregorius Syagrio episcopo cap. „ Greg. l. 9. epist. 106. 29. Non eleemosyna putanda est, si paupe- „ ribus dispensetur quod ex illicitis rebus acci- „ pitur: quia qui hac intentione male accipit „ ut bene dispenset, gravatur potius quàm ju- „ vatur. Unde etiam certum est, quia si mo- „ nasteria vel xenodochia, vel quid aliud ex „ pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, con- „ struatur, non proficit mercedi. Ne ergo sub „ obtentu eleemosynæ cum peccato studea- „ mus aliquid accipere, prohibet Scriptura di- „ cens: *Hostiæ impiorum abominabiles Deo quæ* „ Prov. 21. 27. *offeruntur ex scelere.* Nimis ergo declinandum „ est sub obtentu eleemosynæ peccata symonia- „ cæ hæreseos perpetrare. Si ergo nocet cum sit „ causa eleemosynæ, quid cum sit causa ava- „ ritiæ? „

CAP. XLV. *Quod consciis & consentientibus noceat symonia.*

Item Gregorius Theodorico & Theode- „ Greg. l. 9. epist. 110. berto regibus Francorum cap. 26. Fertur sy- „ moniaca hæresis in regni vestri finibus domi- „ nari, cum in sacerdotibus sit fides eligenda „ cum vita. Si vita deest, fides meritum non „ habet: quia *fides sine operibus mortua est.* Quæ „ Jac. 2. 17. enim opera valeant esse sacerdotis, qui hono- „ rem tanti sacramenti convincitur obtinere per „ præmium? Ex qua re agitur, ut qui sacros „

» ordines appetunt, non vitam corrigere student, sed divitias quibus sacer honor emitur congregare. Et ubi placet aurum placet & vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris & ordinati anima lætale vulnus infigitur: verum etiam excellentia vestra regia episcoporũ culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim dignus sacerdotio creditur, cui non merita, sed præmia suffragantur; restat ut in ecclesiasticis honoribus nihil sibi gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri prophanus amor obtineat: & dum illa vitia honore munerantur, non huic sacerdotium proficere, sed perire judicatur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ovibus adhibet medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se feriendus exponit? aut qualem fructum de se producturus est, cujus radix gravi peste infecta est? Major ergo metuenda locis illis est calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur: qui Dei magis in se iracundiam provocent, quam per semetipsos placare debuerant. Proinde vos petimus ut tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inveniat: quia proculdubio facientis culpam habet, qui quod potest corrigere negligit emendare. Cum ergo secundum Leonem symonia bono non peragatur exitu, secundum Gregorium nihil boni operis sequatur; & iterum sacerdotium quod intus ceciderit diu stare non poterit, nec putanda est eleemosyna ex pretio symoniæ fracta; & iterum regia excellentia prægravatur, curandis ovibus, vulnerato pastore, non adhibetur medicina, de infecta radice malus fructus producitur, major etiam calamitas in futuro metuitur, cum de sinistro principio quis felix exitus speratur. Si quis vero ex consensu vel approbatione suæ hæresis quamvis gratis ordinetur ab eo, numquid à peccato erit immunis? nihil vel de ignorantia vel de violentia qua compulsus sit habeat aliquem colorem excusationis? Cum ut superius dixit Augustinus, qui Eunuchi sunt, id est bonorum omnium infœcundi, & in sacramentis eorum Spiritus-sanctus non lucet, hæretici dare non poterant quia ut superius dictum est, quod non habebat, quomodo consentiens hæretico in ordine recipere valeat? Qui enim vendentem approbat, similis est ementi. Sacramentum enim tantum suscipit in forma; non etiam in effectus veritate & substantiæ. *Nonne enim si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt?* Quomodo enim qui ab ipso Deo & omnibus Sanctis anathematizantur, & sacerdotes non esse sed inaniter dici judicantur, sacerdotalia vere administrare approbantur?

CAP. XLVI. *Quod deponendus sit, qui ab eo quem symoniacum non dubitat, se ordinari permittit*

» Unde Alexander Papa inter cetera: Si quis ab eo, quem symoniacum non dubitat, se consecrari permittit; & consecrator & consecratus non disparent, damnationis sententiam ineat; & uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus à propria dignitate persistat. Et quid mirum, si quilibet judicatur impotens ordinare pro symonia, cum etiam idem judicetur si quis ordinare præsumit indignos pro negligentia? Unde Leo cap. 49. inter cetera: Si qui episcopi talem ordinaverint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiamsi aliquomodo damnum proprii honoris evaserint; ordinationis tamen jus ulterius non habebunt: nec umquam ei sacramento intererunt, quod neglecto divino judicio immerito præstiterunt: Quod si illi qui negligenter tantum donum, ut Spiritum-sanctum dederunt, prohibentur amplius à sacramento; quanto magis qui avarè & perfide tradunt? Si quis eis in aliquo sacramento communicare consentiat, quos vitandos, debellandos, accusandos, sacra Scriptura imperat, & à communione modis omnibus abscindendos?

CAP. XLVII. *Quod vehementer contra symoniam sit exardendum*

Unde Gregorius Victori episcopo: Quisquis ad hoc facinus, videlicet symoniacæ hæreseos emendandum pro officii sui consideratione vehementer non exarserit: cum ipso se habere non dubitet portionem, à qua prius hoc peculiare flagitium sumsit exordium. Si ergo qui non exardet cum Simone habet portionem, qui consentit, & approbat, & in consecratione ei submittit se, quam non habet damnationem? quapropter omnino vitandi sunt. Greg. l. 11. ep. 19.

CAP. XLVIII. *Quod persequendi vel vitandi sunt Symoniaci.*

Unde Gregorius: Quis moribus, quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? persequendi sunt itaque lupi, vitandi sunt universi qui ad hoc ut hæretici fiant promoventur: qui lepram Giesi cum divitiis suis possident, & malè quæsita mercede non tam patrimonium facultatum, quàm thesaurum criminum congregaverunt. Cum ergo persequendi judicentur & vitandi, quis eorum lepræ se miscebit, nisi qui leprosus esse voluerit?

CAP. XLIX. *Quod etiam debellanda sit symonia.*

Item Gregorius Virgilio Arelatensi episcopo: Cum divinæ lectionis testimonio idolorum servitus avaritia nuncupetur, quo studio debellanda sit cognoscitur: & tamen à quibusdam sacerdotibus, quod quidem gementes diximus, non cavetur. Dum enim ipsi in Ecclesiam per idolatriam irrepunt, ne soli pereant, ecclesiasticam gratiam largiuntur ad præmium, & ad dispersiones ovium invitant lupos in ovile dominicum. Cum sua ergo pedissequa Greg. l. 11. ep. 55.

dissequa idololatria colitur in templo Dei symonia, & cujus cathedras ipse Dominus evertit, de templo ejecit, & Gregorius etiam cum ceteris sanctis debellari præcipit, eam contra præcepta canonica veneramur: & ejus benedictionibus cujus superius maledictiones dictæ sunt, indifferenter colla submittimus.

CAP. L. *Quod sacramentum cum sit quantum ad verum bonis bonum, malis tamen sit magnum malum.*

Eant ergo ad Petrum Damianum, & in die judicii eum habeant patronum, qui commendant sacramenta symoniacorum. Quæ nos quidem ita ut ipse approbamus, vera quidem quantum ad formam, sed tamen inania quantum ad spiritualem gratiam: quia etsi quantum ad se bona sunt quæ ad invocationem divini nominis celebrantur, mala tamen fiunt his à quibus indignè vel perfidè administrantur: mala etiam his quibus ex consensu vel approbatione, atque adeo indignè vel perfidè communicant. Et quid mirum si sacramenta, quamvis in se sint bona, bonum tamen effectum non habeant, in his qui vel male tractant, vel male communicant? Ipsa Salus nostra buccellam Judæ dedit, & statim cum buccella, non bonus, sed malignus spiritus intravit. Quare? non quia bonus non daret bonum: sed quia malus male accepit bonum; sicque bonum effectum boni non habuit: quia ubi illud faceret non invenit. Item Dominus in patria sua præsens & verus affuit, non per malum ministrum, sed per se ipsum nihil potuit, quia fidem non invenit. Pro perfidia aliorum non caruit sua veritate, sed effectus boni virtute.

CAP. LI. *Quod bis sit Dominus transfiguratus in carne.*

Quod ut plane in omnibus sacramentis suis ostenderet; bis est transfiguratus cum esset in carne. In una transfiguratione, sicut sol fulgens apparuit mirabilis, ut fides ad contemplandam cœlestem gratiam super se elevata proficeret: in altera ut peregrinus incognoscibilis de se dubitantibus longius se ire finxit, & ne agnosceretur oculos eorum tenuit. Ad quid aliud, nisi ut quia per fidem non erat in mentibus eorum, longius se ab eis recedere ostenderet, & quia ipsum non credebant esse quod erat, viderent eum alium quam erat? Ecce in utraque sua visione erat præsentia & veritas, sed in una exercebatur fides, ut magis crederet quam credebat in altera; tenebatur incredulitas ne etiam agnosceret quod videbat, Sic sacramentum Corporis & Sanguinis sui aliis est ad salutem, aliis ad judicium. Sic est magnum sacramentum fidei: sed tamen fides quamvis sit vera, sine operibus est mortua. Sic & omnes decem virgines æqualiter erant virgines: sed ex his quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Et quia erat virginitatis veritas, sed pro ejusdem virginitatis intentione non omnibus æqua meriti dignitas. Sic etiam est sonans æs & cymbalum tinniens martyrium, vel eleemosyna, ut ait Apostolus, quam nescit caritas; si vero cæcus cæco administret lucernæ veritatem, neuter tamen ideo magis suam illuminat cæcitatem. Sic & malus malo vera sacramenta, sed non ideo magis dona spiritualia: quia malis eorum meritis Spiritus-sanctus impeditur, ne in eis quod suum est operetur.

CAP. LII. *Quod in baptismate hæreticorum quamvis concedatur ratum, non credendum sit haberi Spiritum-sanctum, nisi sequatur manus impositio.*

Unde Innocentius cum hæreticorum baptisma concedat esse ratum, non tamen ex illo baptismate concedit haberi Spiritum-sanctum. Et Leo hos qui formam baptismatis ab hæreticis acceperunt, non sint rebaptizandi, sed jubet Spiritum-sanctum quem ab hæreticis nemo accepit, per ejus invocationem & manus impositionem à catholicis sacerdotibus consequi. Unde constat, ut ait Innocentius, habere vulneratum caput per illam pravam symoniacæ manus impositionem; nisi quos excusat ignorantia, vel attractionis violentia, vel forte ex intuitu pietatis, sicut & ceteris quibusdam hæresibus reformat catholicæ manus impositio cum satisfactione & pœnitentia. In qua tamen medicina nulli authenticæ præjudicio sententiæ...quia damnationem symoniacorum & eorum qui eis consenserint, & non contra eos exarserint, reperi; sed medicinam authenticam nominatim ex hac hæresi non legi, nisi quia ita est usurpatum in Novatianis & Donatistis, minoribus utique hæreticis non canonicè, sed ex intuitu pietatis, id ex his etiam ita fieri posse collegi. Et ideo etiam quia aliorsum per omnia orthodoxam habent fidem, nisi quod Spiritum-sanctum credunt esse venalem: & ut ait beatus Augustinus, hæretici cum redierint, qua parte se scindunt ab Ecclesia curentur, qua parte autem adhærent cognoscantur.

CAP. LIII. *Quod quicumque hæretica communione se maculat, non amplius promoveri debeat.*

Item Leo cap. 14. Januario episcopo: Omnis cujuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens fidem, hæreticæ vel schismaticæ communionis contagione se macularit, si ad Ecclesiam redierit cum legitima satisfactione & erroris sui damnatione; hoc in magno beneficio habeat, si omnis promotionis adempta spe, in quo invenitur ordine permaneat. Quo capitulo licet Petrus Damianus suos defendat, satis ostenditur, quia nulla communio hæreticis debeatur, pro cujus macula magno beneficio habendum est, si etiam post satisfactionem non ordo in quo est, sed ordinis promotio cuivis denegetur. Pulchra enim nota suos

inficit communio hæresis, quibus promotionem aufert omnis dignitatis: & quidem statum suum retinere possunt cum satisfactione, non justitiæ imputari sinit, sed conditionali gratiæ.

CAP. LIV. *Quomodo irrita & non vera dicantur hæreticorum sacramenta, cùm sint vera & sancta.*

Notandum vero quod irrita vel etiam damnanda sacramenta vel non vera dicuntur quantum ad se, cum vera sint & sancta etiam ab hæretico celebrata: sed ideo, quia cum illicitè dantibus perfidis sint ad judicium, illicitè autem ab eis accipientibus non conferant Spiritum-sanctum, irrita & non vera dicuntur; quia quod promittunt & facere debent non faciunt; & ideo damnanda, ut ea dari & recipi ab hæreticis non approbetur, sed interdicatur. Non enim quantum ad se polluta sunt, quamvis ab hæreticis pollui dicantur. Unde Gregorius Arrii consecrationem vocat execrationem, & Innocentius ordinationem Bonosi vocat damnationem, non quantum ad hoc quod in se sint, sed quia id male dantibus vel accipientibus efficiunt. Unde etiam Hieronymus in Osee sacrificium eorum panem luctus vocat. Quod non quantum ad se, sed quantum ad suum effectum, se dicere de eis ostendens, adjecit: Quicumque comederint ex eo contaminabuntur, quia judicium sibi sument.

CAP. LV. *Quod alia sint sacramenta dignitatis, alia necessitatis.*

Et notandum quod alia sunt sacramenta necessitatis, alia dignitatis. Quia enim necessitas non habet legem, sed ipsa facit sibi legem, illa sacramenta quæ saluti sunt necessaria cum pœnitentia rata esse permittuntur: illa vero sacramenta quæ sunt dignitatis, nisi dignè fuerint administrata, ita ut dignis digne à dignis proveniant dignitatis esse desistu t, non ut minuatur veritas sacramenti, sed ut cesset officium administrandi: loco, vel tempore, vel promotione.

CAP. LVI. *Quod loco vel tempore vel promotione damnandus sit qui illicite ordinatur.*

» Loco: ut ait Leo: Si qui à pseudoepiscopis
» ordinati fuerint, potest rata haberi talis or-
» dinatio: ita ut in ipsis locis perseverent. Alter vana est habenda talis ordinatio. Ecce aliquis ordinatus à pseudoepiscopo, si locus suæ ordinationis mutaverit, vana id est sine administratione erit ordinatio talis. Tempore vero, ut ait Innocentius de ordinatis à Bo-
» noso, Quod pro necessitate temporis statutum
» est, cessante necessitate, debet pariter cessare
» quod urgebat, quia alius est ordo legitimus,
» alia est usurpatio. Ergo aliquis alio tempore ab eo qui Bonoso sit similis ordinatus, cessabit ab administratione, quæ pro necessitate illius temporis fuit permissa. Item promotione: ut ait Leo: Si quis hæreticæ communio- «
nis contagione se macularit: hoc in magno «
beneficio habeat, si ademta omni spe pro- «
motionis, in quo invenitur ordine permaneat. «
Ecce si clericus vel ordinatione vel quolibet sacramento, hæreticis communicat, cessans à promotione, vix in suo ordine perseverat. Non enim est de hoc sacramento, ut de ceteris. Cetera enim vel ad culpas abluendas dantur, ut baptismus, vel pœnitentia, vel pro culpis non in æternum, sed ad horam negantur ut Eucharistia, quæ tamen in articulo mortis pœnitenti etiam de nefariis peccatis conceditur. Hoc solum non solum pro culpa sed pro infamia interdicitur, sed pro imminuta munditiæ suæ sed & perfectionis extrinsecæ vel intrinsecæ prærogativa: ut digamis, vel viduæ maritis, vel illiteratis, vel corporis qualibet parte vitiatis denegatur. Cui digamo vel illitterato vel corpore vitiato negatur baptismus vel eucharistia.

CAP. LVII. *Quod talis episcopus conceditur cetera sacramenta administrare, qui tamen prohibetur ordines facere.*

Sed & talis episcopus potest cetera sacra- Leo epist. 87. c. 1.
menta administrare, qui tamen istud solum non valet conferre. Ut enim ait Leo: Si qui «
episcopi talem consecraverint sacerdotem, «
qualem esse non liceat, etiamsi aliquomodo «
damnum proprii honoris evaserint, ordina- «
tionis jus ulterius non habebit: nec umquam «
illi sacramento intererunt, quod immerito «
præstiterunt. Ecce cum honoris periculum «
evadant, ut cetera sacramenta sacerdotaliter administrare permittantur: ab hoc solo non modo pro hæresi vel qualibet majori culpa, sed pro sola negligentia removentur.

CAP. LVIII. *Quod præminere debet sanctitate qui præminet dignitate.*

In quibus omnibus notandum sollicite est, quod sacramentum sacerdotalis promotionis præ ceteris omnibus magis accuratè vel dignè dandum vel accipiendum est: quia nisi rite fuerit collatum, eo desinit esse ratum, quo non fuerit perfectè perfectum. Cetera enim sacramenta unicuique propter se dantur: & unicuique talia fuerint, quali corde vel conscientia accipiantur. Istud solum non propter se solum, sed propter alios datur: & ideo necesse est, ut vero corde, mundaque conscientia, quantum ad se sumant, quantum ad alios vero non solum sine omni culpa, sed & sine omni infamia propter scandalum fratrum: ad quorum utilitatem non solum ut prosint, sed etiam ut prosit sacerdotium datur. Unde Hieronymus in Michæa: Hi quoscumque de «
affectis suis ordinantes, & vitam eorum in «
scandalum populi exponentes, rei sunt infide- «
litatis eorum qui scandalizantur. Revera ete- «
nim qui ad hoc eliguntur, ut ceteris præsint,

sicut præordinantur dignitate, sic præminere debent sanctitate. Alioquin cur ceteris præferuntur, qui nulla meritorum gratia à ceteris secernuntur: unde Symmachus Laurentio Mediolanensi episcopo: „ Vilissimo comparandus est, nisi præcellat scientia, qui est honore præstantior. „

Cap. LIX. *Quod damnatus sit Anastasius papa cum suo decreto, quo contra auctoritatem sanctorum ordinatos ab Acatio damnato absolvere nisus est.*

B Addit tamen Petrus Damianus ad eorum qui à Symoniacis ordinantur excusationem, vel defensionem, Acatium Constantinopolitanum episcopum hæreticum & ejus ordinatos, pro eo maximè quod Anastasius papa Anastasio imperatori ordinationem illius quamvis hæretici ita ratam approbat, ut eis etiam quos post damnationem suam baptizavit vel ordinavit in nullo nocuisse ream personam asserat. Quod eum illicitè & non canonicè..., sed contra decreta prædecessorum & successorum suorum probat Gelasius, qui Acatium ante Anastasium excommunicaverunt, & Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eumdem Acatium postea damnavit. Unde etiam ab Ecclesia Romana repudiatus, & à Deo percussus fuisse legitur in gestis Romanorum pontificum, idem Anastasius, hoc » modo. Anastasius secundus fuit natione Romanus: fuit in temporibus Theoderici regis. Eodem tempore multi clerici & presbyteri se à communione illius abegerunt, eo quod communicasset sine concilio episcoporum vel presbyterorum & clericorum cunctæ Ecclesiæ catholicæ diacono Thessalonicensi nomine Fautino, qui communicaverat Acatio: & quia occultè voluit renovare Acatium, & non potuit. Qui nutu divino percussus est. »

Cap. LX. *Decretum quo Felix Papa damnat Acatium.*

Et ut pateat in hoc suo decreto eum contrarium fuisse suis prædecessoribus vel successoribus, ait Felix cap. 82. » Felix episcopus urbis Romæ Acatio. Multarum transgressionum reperiris obnoxius, & in venerabilis concilii Nicæni contumeliam sæpe versatus. Alienarum provinciarum jura tibi temere vindicasti, hæreticos, & pervasores, atque ab hæreticis ordinatos, & quos ipse damnaveras, atque ab apostolica sede petisti damnari, non modo communioni tuæ recipiendos putasti; verum etiam ecclesiis aliis, quod nec de catholicis fieri poterat, præsidere fecisti, atque etiam honoribus quos non merebantur auxisti. Habe ergo cum his quos amplecteris libenter portionem, & ex sententia præsenti, quam per tuæ tibi direximus ecclesiæ defensorem, sacerdotali honore, & communione catholica, necnon etiam à fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen & munus

Felix 3. epist. 6.

A ministerii sacerdotalis agnosce: Spiritus-sancti judicio & auctoritate apostolica per nos damnatus, nec jam anathematis vinculis absolvendus. «

Cap. LXI. *Item Gelasius damnat.*

» Postquam Acatius factus est communionis alienæ, non potuimus eum à catholica & apostolica societate non præcidere, ne per eum, si per paululum cessaremus, nos quoque videremur subiisse contagia impiorum. «

Cap. LXII. *Item Hormisda.*

Item de Hormisda in Gestis pontificum Romanorum hoc modo: » Hic papa Hormisda perrexit ad regem Theodoricum Ravennam, & cum ejus concilio misit auctoritatem ad Justinum: & cum vinculo chirographi & textu libelli redintegravit ad unitatem sedis apostolicæ damnantes Petrum & Acatium vel omnes hæreses. «

Cap. LXIII. *Quod decretum Anastasii fuit contrarium decreto Innocentii.*

C Quapropter etiam decretum illud Anastasii, quo Acatium canonice restituere nisus est, Littera invenitur damnatum. Cum enim Gelasius in tomo suo dicat: Quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistunt. Item Gregorius Anastasio Antiocheno inter cetera: » Quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur auctores. « Itemque Alexander: » Scriptum est, ne transgrediaris terminos antiquorum quos posuerunt patres tui. terminos indubitanter transgreditur, qui statuta patrum postponit atque confundit. Quomodo Anastasius Acatii hæretici & damnati canonice ratam potuit dicere ordinationem, cum D è contra Innocentius ordinatos à Bonoso hæretico damnato reos usurpatæ dignitatis dicat, & nihil eos ab illo accepisse, qui se passi sunt vel cupierunt ab eo ordinari asserat, nullumque colorem excusationis nisi compulsis & statim ab eo discedentibus indulgeat? In quo constat magnum flagitium esse consensum aliquem hæreticorum sacramentis præbere.

Cap. LXIV. *Quod Acatius damnatus sit.*

E Quod ut pateat quomodo Acatius damnatus sit, ad medium deducamus. Acatius Constantinopolitanus regiæ civitatis episcopus, cùm prius acerrimè schismaticos vel hæreticos cum auctoritate Romanæ sedis insectatus damnari fecisset; tandem sive errore, sive præsumtione ausus est inferre præjudicium privilegio sedis apostolicæ, putans sedem Constantinopolitanam, sicut in regno, sic & in Ecclesia esse universalem & primam: adeo ut Petrum Alexandrinum ceterosque pseudoepi-

scopos, quibusdam episcopis indemnatis & inexpulsis tyrannicè superpositos, & ob id à Romana sede excommunicatos, non ex apostolica, sed ex regia, & sua auctoritate absolveret, eorumque indifferenter sacramentis communicaret. Quod cùm se fecisse litteris suis Romano pontifici confessus esset, non synodum universalem convocari, non ipsum præsentem accusari voluit, sed sic absentem litteris quasi præsentem propria voce confessum anathemate damnavit. Quia ergo Acatius absens sola litterarum suarum confessione, quâ se hæreticis communicasse perhibuit, à Felice damnatus est, dissensio maxima orta est multorum variè opinantium. Alii enim B dicebant imperatorem regia potestate Petrum ceterosque pseudoepiscopos absolvisse, Acatium vero tantummodo annuisse; alii autem ex privilegio sedis suæ fecisse & facere potuisse; alii autem eum vere peccasse, alii autem si vere etiam peccasset, non juste à Romana sede damnatum esse: quia non convictus, nec propria voce, quamvis litteris confessus, nec præsens habitus, cùm nemo absens debeat judicari, nec ordine vel judiciario jure in universali scilicet concilio, sed à sola Romana sede condemnatus. Quapropter inter tot dubia, regia etiam potestate urgente, quæ ei favebat, pro ecclesiastica pace tolerandus erat: cum etiam putaretur à quibusdam C pro tot tantisque occasionibus jure absolvendus. De quibus omnibus certa subsequitur auctoritas.

Cap. LXV. *Quod licet ante adventum Christi Ecclesiæ personæ reges & sacerdotes fuerint, tamen post ejusdem regis & sacerdotis adventum regnum divisum est à sacerdotio.*

Quod vero dicebant imperatorem pseudoepiscos absolvisse, & Acatium annuisse, vel Acatium ex sua auctoritate fecisse, testatur Gelasius, utrumque improbans hoc modo: D ait enim in tomo suo: Fuerit hoc ante adventum Christi, ut quidam figuraliter adhuc tantum in carnalibus actibus constituti reges pariter existerent & sacerdotes. Sed cùm ad verum ventum est eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator pontificale nomen imposuit, nec pontifex regale fastigium usurpavit; quamvis membra ipsius regis veri & pontificis secundum participationem naturæ magnificæ, utrumque in sacra regeneratione sumsisse dicantur, ut simul regale genus & sacerdotale subsistant: quia Christus memor quid suorum saluti congrueret, sic E dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit: ut & christiani imperatores pro æterna vita pontificalibus, & pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus: & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsideret, qui esset sæcularibus implicitus:

Gelasius Tract. I. de anath. vinculo.

A ut utriusque modestia curaretur, nec extolleretur utraque facultas. Quibus omnibus satis evidenter ostenditur, à sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse pontificem. Quo manifestius approbatur Petrum Alexandrinum per imperialem tantummodo sententiam nullomodo posse absolvi. Ubi si pontificum quoque sociatus assensus, quærimus utrum præcesserit an fuerit subsecutus: si secutus est, adulationis est, potius quàm legitimæ sanctionis.

Cap. LXVI. *Quod alius non debet absolvere, nisi idem qui ligat, nisi forte ex consensu.*

Si præcesserit, doceatur à quibus vel ille ordo sit gestus, si secundum Ecclesiæ regulam celebratus; si à paterna traditione profectus, si synodali congregatione celebratus, si ad primam sedem cujus intererat sententiæ, qua Petrus tenebatur astrictus regulariter relatus, si eadem quæ ligavit absolvit, vel si illa quæ ligaverat non solvente, immo nesciente, potuit absolvi. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Petrus Alexandrinus prætenditur absolutus, cum nec à pontificibus legitime, nec à sæculi potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi? Ibid.

Cap. LXVII. *Quod inferior superiorem non potest absolvere.*

Sed dicitur forsitan, Non imperator absolvit, sed à pontificibus poposcit absolvi. Tanto magis imperatori poscenti à pontificibus suggerendum fuit, ut si eum legitimè vellet absolvi, legitime ecclesiastici tenoris absolutio proveniret, & precipuè cum de secundæ sedis ageretur antistite, non ab inferiore aliquo, nec à qualibet, sed à prima sede jure posset absolvi. inferior quippe potiorem non potest absolvere: sola ergo potior absolvit. Ibid.

Cap. LXVIII. *Quod prævaricatoria absolutione rei reum non absolvunt.*

Ita Petri absolutio ex utroque non constat: Quia prævaricatoria absolutione rei reum absolvere non potuerunt. Ibid.

Cap. LXIX. *Quod sæcularis potestas de divinis non debet judicare.*

Item Gelasius [a] Eufemio Constantinopolitano; Sed dicunt: Imperator hoc fecit: hoc ipsum in quibus canonibus est præceptum? Cur huic tam pravo consensit Acatius? Quibus canonibus, quibus regulis, Calendion exclusus est, vel urbium diversarum catholici sacerdotes qui traditione majorum apostolicam sedem in judicium vocant? Imperator à pontificibus, & præcipue à beato Petri vica- [a] Gelas. epist. 4.

[a] Hæc non extant in Gelasii epistola ad Euphemium Constantinopolitanum episcopum, sed in epistola seu commonitorio ad Faustum magistrum fungentem legationis officio Constantinopoli.

„ rio deberet cognoscere quæ divina sunt; non „ ipse eadem etiam judicare. Non sibi hoc scilicet, qui tamen christianus est, præsumit: „ nisi religionem forsitan persequens.

CAP. LXX. *Quod licet duæ principales potestates sint regnum & sacerdotium, tamen sicut sacerdotes regibus in terrenis, sic etiam plus reges subjici debent sacerdotibus in divinis.*

Gelas. epist. 8. „ Item idem Anastasio imperatori: Duo „ sunt, imperator auguste, quibus principaliter „ hic mundus regitur: auctoritas sacrata pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto „ gravius est pondus sacerdotum; quanto etiam „ pro ipsis regibus in divino examine sunt reddituri rationem. Noli, fili carissime, quoniam „ licet præsideas humano generi dignitate regum, tamen præsulibus animarum devotus „ colla submittis, & ab eis causas tuæ salutis „ expetis, in quibus sumendis sacramentis cœlestibus, eisque ut competit disponendis, subdi „ te debere cognoscis religionis ordine potius „ quàm præesse. Itaque inter hæc illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi „ voluntatem, sed quantum ad ordinem, publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi dispositione collatum, legibus tuis „ ipsi quoque parent antistites religionis: ne vel „ in rebus mundanis supernæ videantur obviare „ sententiæ. Quo ore te decet, quo affectu eis „ convenit obedire, qui pro gradus sui dignitate venerabilibus sunt attributi mysteriis.

CAP. LXXI. *Quod sedes apostolica sit prælata cunctis sacerdotibus & ecclesiis.*

Ibid. „ Si cunctis generaliter sacerdotibus convenit fideliter colla submitti, quanto potius sedis illius „ præsuli consensus adhibendus est, quem cunctis „ sacerdotibus divinitas summa voluit præeminere, & subsequens generalis Ecclesiæ jugiter „ pietas celebravit? Ubi pietas tua advertit nusquam quolibet penitus humano concilio elevari quemquam posse illius privilegio vel confessione, quem vera vox Christi prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet devota primatem. Impeti „ non possunt humanis præsumtionibus, quæ „ divino sunt judicio constituta. Idem: Desinant, quæso te, temporibus tuis quædam per „ occasionem perturbationis ecclesiasticæ præcipitanter ambire, quæ non licet: ne & illa „ quæ male appetunt nullatenus apprehendant, „ & modum suum apud Deum & homines non „ teneant. Et paulo post: Apostolicæ sedis auctoritas, quod cunctis sæculis christianis Ecclesiæ prælata sit universæ, & canonum serie „ paternorum, & multiplici ratione firmatur. (Ibid.)

CAP. LXXII. *Quod aliqua regiæ civitatis potestas, non potest immutare prærogativam Ecclesiasticæ dignitatis.*

Gelas. epist. 13. „ Item idem universis episcopis Dardaniæ:

A Quod Acatius dicitur regiæ civitatis episcopus; alia potestas sæcularis regni, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum: sicut quamvis parva civitas prærogativam regni non minuit; sic imperialis præsentia mensuram dispositionis religiosæ non mutat. „

CAP. LXXIII. *Quod rex publice est à sacerdotibus arguendus, si peccet.*

Item principi christiano suggerere decuerat sacerdotem, ut Ecclesiæ sineret ecclesias custodiri. Item: Nathan propheta palam publicèque in faciem regis David commissum B errorem & confessione correptum consequenter absolvit. Acatius autem se & suggerere potuisse & noluisse monstravit: immo patefecit favisse: ut etiam imperator cuncta se ex ejus consilio gessisse non taceret. in quo satis ostendit Gelasius nec regem sua potestate, nec Acatium suæ sedis auctoritate absolvere potuisse. (Ibid.)

CAP. LXXIV. *Quod quivis hæreticus secundum regulam ipsius hæresis est arguendus.*

Quod vero dicebant eum, etiam si peccasset, non justè tamen à Romana sede damna- C tum: quia non convictus, neque propria voce, quamvis litteris confessus, nec præsens habitus, nec in generali concilio, sed à sola sede Romana damnatus. hoc idem Gelasius improbat hoc modo: ait enim Eufemio: Miror si „ ignorantiam non perspicit, qui dicit Acatium „ ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit secundum formam synodi Calcedonensis „ Acatium fuisse damnatum, in qua per numerosam sententiam sacerdotum erroris hujus constat auctores fuisse damnatos: sicut in „ unaquaque hæresi à principio christianæ religionis & factum fuisse, & fieri manifesta ratione monstratur, prædecessoremque meum D executorem fuisse veteris instituti, non novæ „ constitutionis auctorem. Quod non solum „ præsuli apostolico facere licet, sed cuique „ pontifici, ut quoslibet aut quemlibet locum „ secundum regulam hæresis ipsius ante damnatæ à catholica communione secernat. Itaque cum nova scita præcederent, alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, ut in illam recideret justa lance sententiam synodalem, quam susceperat auctor „ erroris. „ (Gelas. epist. 4.)

E CAP. LXXV. *Quod ab omnibus ecclesiis apostolica sedes appellari debeat: ipsa autem nec appellare debet, nec ab aliqua judicari.*

Item: Ipsi sunt canones qui appellationes „ totius Ecclesiæ, ad hujus sedis examen voluerunt referri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Et per hanc „ ipsam de tota Ecclesia judicari, ipsam autem „ ad nullius commeare judicium, nec de ejus „ umquam præceperunt judicio judicari, nec „ (Ibid.)

» sententiam ejus dissolvi: potius sequenda de- A » creta mandarunt.

Cap. LXXVI. *Quod sola auctoritate sedis apostolicæ hæretici dejiciendi sunt.*

Ibid. » Item: Hac ipsa causa Timotheus & ceteri » non unus, sed plures utique, nomen sacerdo- » tii præferentes, sola sedis apostolicæ sunt au- » ctoritate dejecti.

Cap. LXXVII. *Quod hæreticus proprio judicio se damnat.*

Ibid. » Nobis nullum fas inire certamen cum ho- » minibus communionis alienæ, divina scriptu- Tit. 3. » ra præjudicante, *hominem hæreticum post pri-* » *mam & secundam correptionem devita: sciens* » *quod hujusmodi delinquat proprio judicio condem-* » *natus:* & ut cognoscant quia non solum ab » alio, sed à seipso quoque damnaretur hære- » ticus, neque cum istis se non corrigentibus » ineunda congressio, quemadmodum cum alia- » rum hæresium sectatoribus dimicatio re- » nuenda.

Cap. LXXVIII. *Quod culpa sine correctione remitti non potest.*

Ibid. » Item: Remitti de præterito culpa potest, » correctione sine dubio subsequente. Nam si » deinceps fingitur mansura perversitas: non est *al. assensio » benignitas remittentis, sed * adnovatio con- » sentientis. Nec mirum si isti sedem beati Pe- » tri blasphemare præsumunt, qui talia por- » tenta vel corde gerunt, vel ore defendunt.

Cap. LXXIX. *Quod uniuscujusque hæresis judicium non est retractandum, sed sine omni ventilatione pro tenore antiquæ constitutionis inde est agendum.*

Gelas. ep. 13. » Item Gelasius universis episcopis Darda- » niæ cap. 32. Patres nostri catholici doctique » pontifices in unaquaque hæresi quolibet tem- » pore suscitata, quidquid pro fide & veritate » catholica secundum Scripturarum tramitem » facta semel congregatione sanxerunt, incon- » vulsum voluerunt deinceps constare, nec in » eadem causa denuo quæ præfixa fuerant re- » tractari qualibet præsumtione permiserunt: » quoniam si decreta salubriter facta quem- » quam liceret iterare, nullum contra singu- » los quosque errores stabile persisteret Eccle- » siæ constitutum. Quid enim fieret, si resumtis » certaminibus subinde fas esset perfidis inire » consilium; cum qualibet manifesta sit veri- » tas, numquam tamen desit quod perniciosa » depromat falsitas, etsi vel auctoritate vel ra- » tione deficiens, sola tamen intentione non ce- » dens? Sabellium damnavit synodus, non ne- » cesse fuit ut ejus sectatores damnarentur » postea: sed pro tenore constitutionis antiquæ » cunctos qui vel pravitatis illius vel commu- » nionis existerent participes universalis ecclesia duxit esse refutandos. Item: Prima sedes « dum Acatium certis comperisset indiciis à « veritate deviasse, quem noverat executorem « sæpe dispositionis suæ contra hæreticos exti- « tisse, per triennium litteris fere destinatis eum- « dem monere non destitit. Idem: Ipse error « qui semel est cum suo auctore damnatus, in « quolibet participe pravæ communionis effecto « execrationem sui gestat & pœnam. Quo te- « nore Timotheus & Petrus non repetita sy- « nodo, sed auctoritate tantummodo apostoli- « cæ sedis, ipso quoque Acatio postulante vel « exequente, probantur esse damnati.

B Cap. LXXX. *Quod sine ulla ventilatione synodi apostolica sedes & damnare & restituere potest quos oportet, utpote cui licitum est de omnibus judicare, & neminem de illa.*

Cuncta per mundum novit ecclesia, quia Ibid. sedes apostolica jus habeat solvendi: utpote quæ fas de omnibus judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: illa autem nusquam debet appellare. Sed nec illa prætermittimus, quod apostolica sedes sine ulla synodo præcedente & solvendi quos synodus iniqua damnaverat, & damnan- C di, nulla existente synodo, quos oportuerit, habuerit facultatem.

Cap. LXXXI. *Quod hæretici sunt qui in aliqua vivis sacerdotibus catholicis superponuntur, vel superpositis communicant.*

Et notandum quod ideo tantum vocat Pe- « Gelas. epist. 13. trum ceterosque hæreticos quia viventibus « episcopis injuste superpositi sunt: & Acatium « etiam quia eis consensit vel communicavit. « Unde item Gelasius: Acatius prævaricator « extitit in omnibus quos fecit depulsis catho- « licis pontificibus tamquam tyrannus in Eccle- « D siis quibusque præponi, vel taliter præposi- « tis perversa communione permixtus est: quia « ob hoc ipsum secundum canones fuerant ab « ecclesiastica communione removendi, quia « sese passi sunt successores vivis sacerdotibus « adhiberi. Item: Quis non prospiciat christia- « nus quod catholicis pontificibus propria sede « dejectis, nonnisi hæretici potuerint intro- « duci: quibus cunctis vel auctor fuit Acatius « subrogandis, vel subrogatis communicator « accessit.

E Cap. LXXXII. *Quod aliquis crimen suum tam litteris quàm voce confessus, non amplius debet audiri.*

Item: Ideo vocatur ad judicium certe quæ- « Ibid. cumque persona: aut ut fateatur objecta, aut « convincatur objectis. Item: Post confessionem « litterarum tenore depromtam, cur ad judi- « cium vocaretur Acatius, quâ se confessus est « Petro, quem petiit à sedis apostolicæ præ- « ceptione damnari, communione sociasse, nec «

» ei jam credi externæ communionis effecto, A » vel pro sua vel pro illorum vel pro Petri defensione jam posset, cui se prius miscuerat nefando consortio; sed cum eodem nondum » legitime discusso atque purgato communione » sociatus: quia adhuc reo se miscuit, jam pro » eodem non habuit fiduciam loquendi? Item: » An denuo dolet Acatius, quod speciali synodo non fuerit confutatus, cum proprium crimen litteris suis ipse detexerit, nec audiri debuerit jam sponte confessus? In quibus omnibus responsis Gelasii constat magnam confusionem vel dissensionem de damnatione Petri Alexandrini vel Acatii Constantinopolitani fuisse episcopi, quæ à multis, ut superius dictum est, multis modis reputabatur injusta. B

CAP. LXXXIII. *Quod cujuslibet mali sacerdotis, vel hæretici, vel damnati, vera sunt sacramenta.*

Quomodo autem vera quamvis non rata possint esse sacramenta cujuslibet mali sacerdotis, vel hæretici, vel damnati, testatur „ Augustinus in Genesi ad litteram: Etsi ali„ qua culpa quisquam ab officio removeatur, sa„ cramento Domini semel imposito non care„ bit, quamvis ad judicium permanente. Idem „ ad Parmenianum de hæreticis etiam damna- C « tis: Quod quidam dicunt baptismum quem « accepit non amittet qui recedit ab Ecclesia; „ sed jus tamen dandi quod accepit amittit, „ multis modis apparet frustra & inaniter dici: „ primo quia nulla ostenditur causa cur ille, « qui ipsum baptisma amittere non potest, jus „ dandi potest amittere, utrumque enim sa„ cramentum est: & quadam consecratione ho« mini datur: illud cum baptizatur, istud cum „ ordinatur. Ideo non licet à catholico illud ite„ rari. Nam si quando ex ipsa parte venientes „ etiam præpositi pro bono pacis, correcto „ schismatis errore, suscepti sunt; & si visum „ est opus esse ut eadem officia gererent quæ D « gerebant, non sunt rursus ordinati; sed sicut „ baptismus in eis, ita ordinatio mansit inte„ gra, quia in præcisione fuerat vitium, quod „ unitatis pace correctum est, non in sacramen„ tis, quæ ubicumque sunt ipsa sunt; & cum ex„ pedire videtur Ecclesiæ, ut præpositi eorum „ venientes ad catholicam societatem, hono« res suos ibi non administrent, non eis ta„ men ipsa ordinationis sacramenta detrahun„ tur, sed manent super illos: ideoque non eis „ manus impositio imponitur, ne non homini, „ sed ipsi sacramento fiat injuria. Sicut autem E „ in baptismo est, quod per omnes dari possit; „ sic in ordinatione jus dandi; utrumque ad per„ niciem suam, quamdiu caritatem non habent „ unitatis, sed tamen aliud est non habere, „ aliud est perniciose habere, aliud est salubri„ ter habere. Quidquid non habetur dandum „ est cui opus est dari. Quod vero perniciose „ habetur, per correctionem agendum, ut sa„ lubriter habeatur: quamquam etsi laicus ali-

Aug. lib. 2. cont. Parm. c. 13.

quid pereunti dederit necessitate compulsus, « quod cum ipse acciperet dandum esse addi- « dicit, nescio an quisquam dixerit pie est re- « petendum. Nulla enim cogente necessitate si « fiat, alieni muneris usurpatio est. Si autem « necessitas urgeat, aut nullum aut veniale de- « lictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpe- « tur, & à quolibet cuilibet detur: quod datum « fuerit non potest dici non datum, quamvis « recte dici possit illicite datum.

CAP. LXXXIV. *Quod illicite dans vel accipiens sacramenta, nisi pœnituerit, puniendus est.*

Illiciti ergo usurpationem corrigit remi- Aug. ibid. niscentis & pœnitentis affectus. Quod si non « correxerit, manebit ad pœnam usurpatoris « quod datum est, vel ejus qui illicite dedit, « vel ejus qui illicite accepit: non tamen pro « non dato habebitur. si enim aliquando fur- « tim, aut extraordinariè, non in monetis pu- « blicis, aurum vel argentum percutiendo si- « gnaverint, cum fuerit deprehensum, nonne « illis punitis vel indulgentia liberatis, cogni- « tum regale signum thesauris regalibus coge- « tur? Et paulo post: Si forte militiæ characte- « rem in corpore suo non militans pavidus ex- « horruerit, & ad clementiam imperatoris con- « fugerit, & impetrata venia militare jam cœ- « perit, numquid homine liberato atque cor- « repto, character ille repetitur, ac non potius « agnitus approbatur? an forte minus habent « sacramenta christiana, quàm corporalis hæc « nota, cùm videamus nec apostatas carere « baptismate, quibus utique per pœnitentiam « redeuntibus non restituitur, & ideo amitti « non posse judicatur? «

Ex quibus verbis beati Augustini cæterorumque sanctorum constat in omnibus tam apostatis, quàm hæreticis, vel damnatis, permanere Christi sacramenta: vera quantum ad se & sancta, sed nisi pœnitentia vel indulgentia subventum fuerit, ad damnationem usurpatoris pervenient, vel habentis, vel dantis, vel accipientis: Quid ergo prodest quod vera & sancta sunt, cum usurpatores pravos æque perimant, ac si essent mala & noxia? Crassus aurum sitivit, æque periit auro sicut Nero veneno. Item. Aurum æque verum est in arca furis, sicut in thesauro regis, sed à rege licitè habetur, à fure illicitè datur, illicite accipitur, ideo & ipse fur, & communicator furti, nisi forte de conscientia furti se purgaverit, ut etiam perhibet Gelasius ad Anastasium imperatorem, uterque dignè & justè damnabitur. Unde periculosum revera vel approbatione, vel consensu, vel saltem ex conscientia, hæreticis communicare: quia etsi aliquando, ut superius patet, indultum est ex discretionis vel pietatis arbitrio, damnabile tamen constat esse justo & vero Dei judicio.

Cap. lxxxv. *Quod sola avaritia commendat symoniam.*

Quia ergo hæreses cum suis communicatoribus sunt damnatæ, ideo à sancta Ecclesia prorsus præter symoniam sunt extirpatæ: quam cum inextricabili miseria sola commendat avaritia. Ceteræ enim hæreses, quæ insolubilibus sententiis Ecclesiam scindebant, sunt sopitæ, sola hæc quæ innumerabilibus pollet pecuniis, incessanter scandalum generat Ecclesiæ. Aliæ auctoritatem sibi videbantur contrahere à prophetis & evangelistis, & tamen ceciderunt; hæc damnationem sustinet ab ipso Deo, & prophetis, & omnibus sanctis; & tamen admodum Lernei capitis ab ipsa sua succisione sumit incrementum. Ut ergo patet, fidem christianam non expugnant sententiæ vel divitiæ, quia ad quod loquaces hæreses sed pauperes non possunt cogere, ad illud hæc muta sed dives potest allicere. regalia enim castra & numismata, quia semel in dotem Ecclesiæ cesserunt, non venduntur; & regalia verba cum transierint in jura Ecclesiæ, sunt vendenda. Totus episcopatus in massa gratis datur à principe, & bannus decaniæ vendendus est à præsule? Frustra ergo præcepit Deus, *gratis accepistis, gratis date*: si quod gratis accipitur in munere, vendendum est in dispensatione, cùm Dominus à sacerdote non pecuniarum sed lucra animarum exigat. Unde etiam Hieronymus conqueritur in Michea. Cum dicatur ad apostolos; Nolite possidere aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris sit, & excutiatur de viri sancti manibus etiam labore parata pecunia: voces Domini venditant, & de columbis mercantur in templo. Revera enim quæ Deo semel oblata sunt, vendenda non sunt: quia, quod ille non vendidit cujus proprium fuit; quomodo ille vendere debet cu-A jus non est? Pauper enim Christus suo ecclesiam sanguine redemit, & instituit non divites, sed pauperes: non ea quæ sunt, sed quæ non sunt de mundo elegit; suos successores non mundi amicos, sed inimicos esse voluit; à sua Ecclesia non modo fœnoris & lucri cujuslibet commercia abstulit; sed & concupiscentiæ, voluptatis, sollicitudinis, impedimenta extirpavit: terrenorum contemptum, cœlestium tantum amorem indixit. Cum ergo nihil habuerit vel habere debuerit, ab originis suæ successione, quod nisi per rapinam habuerit de mundo, nisi forte ex gratuita aliquorum fidelium oblatione, nec ad se suosque sustentandum? B Satis ergo absurdum, ut qui sua relinquere imperantur, aliena vendant, & quod deterius est, quibus de terrenis etiam terrena lucra interdicuntur, de cœlestibus negotiare audeant: adeo ut à suæ venalitatis avaritia, nec tuta esse possit etiam fidelium defunctorum eleemosyna, nec saltem divinæ administrationis gratia.

Cap. lxxxvi. *Quod de symonia damnanda nulli tacendum.*

Aspere quidem in symoniacos loqui visus sum, sed sciat omnipotens Deus salubriter C ac verè, quia non ex meo sensu præsumptuosè, sed ex ipsius Domini & omnium sanctorum auctoritate, qui verbo & exemplo dum nihil in mundo amare vel habere studuerunt, cœlestia pro terrenis mutuare, vile nimis commercium abstruxerunt. Ego autem tacere non præsumsi, nec aliquis revera tacere debet: quia ut ait Ambrosius, licet tibi silere in judicio pecuniario; in causa autem Dei, ubi communicationis est periculum, etiam dissimulare non leve peccatum est. Et Gregorius ait, quia quisquis in symoniam vehementer non exarserit: cum eo à quo hoc flagitium ortum est, portionem habebit.



PETRI



PETRI ABAELARDI

THEOLOGIA CHRISTIANA,

EX MS. CODICE MAJORIS-MONASTERII Turonensis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.



E Petri Abaëlardi varia fortuna pluribus hic disserere non est animus, cum hoc ante me argumentum multi in se susceperint, nec infeliciter prosecuti sint. Ipse etiam totam ferè vitæ suæ seriem in Historia calamitatis suæ luculenter descripsit. Palatio diœcesis Nannetensis oppido natus piis æque ac nobilibus parentibus Berengario ac Lucia, cum promtum ac facile in litteras haberet ingenium, Martis curia penitus abdicata, ut Minervæ in gremio educaretur, Roscelinum in dialectica præceptorem sortitus est, in philosophia Guillelmum de Campellis Parisiensis ecclesiæ archidiaconum ac Peripateticæ philosophiæ celeberrimum professorem. Ex discipulo brevi factus magister, cùm mira docendi facilitate polleret, disputando omnes nullo negotio superaret, ac confluentes undique ad se tot discipulos haberet, ut alii præ illo magistri deseri viderentur; haud paucos, ut fieri solet, homo inquietus sibi comparavit æmulos. Id adversariorum invidiæ tribuit Abaëlardus, nos ipsius petulantiæ. Laudunum deinde profectus Anselmum celeberrimum Theologiæ professorem audiit; sed paucis ejus exceptis lectionibus, magistrum contemsit; & docendi munus ipse sibi assumsit: quæ res novos sibi adscivit æmulos. Coactus discedere, & Parisios reversus, inceptas Lauduni consummavit lectiones, ac famam brevi dilatavit. Sed quoniam prosperitas, *inquit*, stultos semper inflat, & mundana tranquillitas vigorem enervat animi, & per carnales illecebras facile resolvit: cùm jam me solum in mundo superesse philosophum æstimarem, nec ullam ulterius inquietationem formidarem, fræna libidini laxare cœpi. *Et cum totus in superbia & luxuria laboraret, ut ipse iterum loquitur, contigit ut Fulbertus, insignis ecclesiæ Parisiensis canonicus Heloissam formosissimam puellam, quam omni scientiarum genere imbui curaverat, quasi amplioris litteraturæ comparandæ gratia, ipsi traderet erudiendam, hoc est, ut ejus verbis utar,* agnam teneram famelico lupo committeret. *Et revera non multo post adolescentulam corrupit; & cum concepisset, furtim sublatam transmisit in Britanniam, ubi in domo cujusdam sororis suæ peperit filium, quem Astrolabium nominavit. Hæc ubi in cognitionem Fulberti venerunt, tantam in iram exarsit, ut nisi corruptam neptim matrimonio etsi reluctantem copularet Abaëlardus, placari nequiverit. Sed neque hic stetit furoris ejus impetus. Nam cùm Heloissam in Argentoliense virginum cœnobium, ubi olim educata fuerat,*

transmisisset Abaëlardus, eamque habitu monastico induisset, Fulbertus adeo efferbuit, ut ipsum noctu dormientem & nihil tale cogitantem eunuchum fecerit.

Tantam confusionem ut devoraret Abaëlardus, in monasticorum latibula claustrorum convolavit, non sponte, non conversionis devotione factus monachus in monasterio sancti Dionysii. Qui ejus partes tuendas susceperunt, miris post hæc eum perinde ac Heloissam laudibus efferunt, ac sanctis ipsis utrumque fere exæquant. At quanta fuerit utriusque sanctitas ex eorum epistolis facile colligi potest. Et certe quantum ad Heloissam pertinet, quis hæc ejus verba ex epistola ad Abaëlardum decem post conversionem saltem annis scripta non abominetur: Etsi uxoris nomen sanctius ac validius videtur, dulcius mihi semper extitit amicæ vocabulum, aut si non indignaris, concubinæ vel scorti.... Deum testem invoco, si me Augustus universo præsidens mundo matrimonii honore dignaretur, totumque mihi orbem confirmaret possidendum, carius mihi & dignius videretur tua dici meretrix, quam illius imperatrix. *Et in alia ad eumdem epistola*: In omni autem, Deus scit, vitæ meæ statu, te magis adhuc offendere, quàm Deum vereor, tibi placere amplius quam ipsi appeto. Tua me ad religionis habitum non divina traxit dilectio. *Sed neque postquam Paraclitensi monasterio præposita fuit, severiorem regulæ disciplinam saltem in victu secutam fuisse, verùm mollem omnino vitam duxisse satis indicat in alia ad eumdem Abaëlardum epistola, scribens in hæc verba:* Satis nostræ esse infirmitati & maximum imputari debet, si continenter ac sine proprietate viventes, & officiis occupatæ divinis, ipsos ecclesiæ duces vel religiosos laïcos in victu adæquemus. *Ex quibus patet eam religiosorum laïcorum in victu vita contentam, omnem asperitatem, quæ tamen peccatores pœnitentes decet, abjecisse. Hæc sane referimus non quo Heloissæ, quam nonnulli martyribus satis ineptè comparant, famæ detractum iri velimus, sed ne vitium approbare videamur.*

Abaëlardus mutato habitu cor non mutavit, idem in claustro qui fuerat in sæculo; ubique inquietus novos sibi adscivit æmulos. Ipsi si credimus, erat abbatia illa ad quam se contulerat, sæcularis admodum vitæ atque turpissimæ, cujus abbas, quò ceteris prælatione major, tanto vita deterior, atque infamia notior: quorum quidem intolerabiles spurcitias frequenter atque vehementer modo privatim, modo publicè redarguens, *omnibus se onerosum atque odiosum effecit. Quæ quidem si vera essent, longè culpabilior foret Abaëlardus, qui inter tot & tam dissolutos monachos vivere delegisset. Verum etsi non omnino stricta fortè vigeret in monasterio sancti Dionysii disciplina, inustam ipsi ab Abaëlardo labem jam dudum absterfit Andreas Chesnius in notis ad Historiam calamitatis ejus, ubi demonstrat non multo ante Adamum sancti Dionysii abbatem, monasterium illud ad puriorem regulæ disciplinam revocatum fuisse ministerio sancti Odilonis abbatis Cluniacensis, egregiam Adami in pauperes caritatem, pietatem & affectum ejus erga divini cultus honorem & amplificationem probat ex chartis ejusdem monasterii.*

Circa illud tempus Abaëlardus Theologiæ Tractatum de Unitate & Trinitate scholaribus suis composuit, erroribus plenum, quem ab Alberico & Rodulfo Remensium scholarum magistris in concilio Suessionensi delatum, mox igni damnatum propriis ipse manibus in flammas projicere jussus est. Reversus in monasterium, novos inter fratres excitavit tumultus, occasione Dionysii Corinthiorum episcopi, quem cum Dionysio Areopagita eumdem facit Beda. Hinc ansam arripuit homo jugi impatiens de monasterio noctè latenter aufugiendi, nec revocatus ab abbate persuaderi potuit ut rediret. Paucis post diebus defuncto Adamo cùm successisset Sugerius, urgeretque Abaëlardum, ut ad monasterium reverteretur; ille tam amicorum, quàm sæculi potestatum interventu effecit, ut tandem abbas facultatem ei indulgeret monastice vivendi, non ubicumque locus ei competens occurreret, ut petierat, sed ad quamcumque vellet solitudinem transeundi, dummodo nulli se abbatiæ subjugaret. Optatis gaudens Paraclitensis monasterii in Trecensi diœcesi fundamenta jacit, confluunt ad

eum undique discipuli, solitudinemque quasi in urbem convertunt. Factus postea abbas Ruiensis monasterii diœcesis Venetensis in Britannia Armorica, cùm ibi incidisset in christianos & monachos gentibus longè sæviores atque pejores, *abdicata præfectura, in Trecensem solitudinem reversus est. Monachos Ruienses teterrimis coloribus depingit Abaëlardus, non magis credendus, quàm cum Adamum abbatem fratresque Sandionysianos turpissimæ vitæ diffamavit. Longè verisimilius est, eum tanto terrarum intervallo à dilectissima Heloissa suisque amicis separari ægrè ferentem, Ruiense monasterium deseruisse. Certe cùm eo tempore Sugerius abbas sancti Dionysii sanctimoniales ex Argentolio propter impudicitias expulisset, ut monachos sui monasterii ibidem institueret, è re sua existimavit Abaëlardus, Heloissæ, quæ tunc in Argentoliensi monasterio priorissæ officium exercebat, ejusque sororum necessitatibus providere. Id quod præstitit, cum Ruiense monasterium deserens, eas in cellam suam Paracliten-sem, quam illis cum adjuncto oratorio concessit, excepit, donationem confirmante episcopo Trecensi, immo etiam summo pontifice Innocentio II.*

Hactenus à calamo temperaverat Abaëlardus, aut si quid forte scripserat, ab erroribus, qui Suessionensi in concilio damnati fuerant, abstinuerat. At ubi eos, quos tunc passus fuerat adversarios, è sæculo migrasse animadvertit, amplius se cohibere non potuit. Emortuis quippe omnibus pene doctrinæ ecclesiasticæ magistris, *inquit Guillelmus abbas sancti Theodorici*, quasi in vacuam Rempublicam Ecclesiæ domesticus irruens inimicus, singulare sibi in ea magisterium arripuit: agens in scriptura divina, quod agere solebat in dialectica, proprias adinventiones, annuas novitates, censor fidei, non discipulus; emendator, non imitator. *Casu autem contigit, ut idem Guillelmus incideret in lectionem libelli cujusdam hominis illius, cui titulus erat*, Theologia Petri Abaëlardi, *quem cum titulus curiosum fecisset ad legendum, aliqua invenit, quæ ipsum non parum moverent, eanotavit, & cur moverent subnotavit.* Duo autem erant tunc libelli idem pene continentes, *inquit Guillelmus*, nisi quod in altero plus, in altero minus aliquando inveniretur. *Hos suis cum observationibus, hoc est cum refutatione errorum quos repererat, ad venerabilem Gaufredum episcopum Carnotensem & Bernardum abbatem Claræ-vallis misit, ut ex eorum lectione, an recte ipsum movissent, facilius dijudicare possent.*

Lectis errorum capitulis, exhorruit Bernardus, rescripsitque ad Guillelmum in hæc verba: Motum vestrum & justum judico & necessarium. Sed & otiosum non esse, monstrat libellus tundens & obstruens os loquentium iniqua. *Ne tamen auctorem ipsum temere judicare videretur, diem Guillelmo indixit post pascha, quo simul convenirent, legerentque, atque attentius examinarent Abaëlardi Theologiam. Cumque ex sedula librorum ejus lectione virus in eis contentum deprehendissent, Bernardus* solita bonitate & benignitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modestè, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. *Hæc observare operæ pretium fuit, ut appareat quàm immerito, immo quam injuste Otho Frisengensis scripserit sanctissimum abbatem* tam ex christianæ religionis fervore zelotypum, quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulum *fuisse in causa Abaëlardi. Sed vir* arrogans, suoque tantum ingenio confidens, ut vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet, *ut fatetur ipse ejus defensor Otho Frisengensis, cùm ab eo recessisset Vir Dei, consiliis stimulatus iniquis, resiliit à proposito saniori. immo expetens Senonensem metropolitanum, quod in ejus Ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, Clarevallensem causatur abbatem suis in occulto detrahere libris, additque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans ut prædictus abbas dicturus si quid, haberet ad concilium vocaretur. Hæc ex Gaufredo vitæ sancti Bernardi scriptore accurato perinde ac pio. Econtra Otho Frisengensis scribit Abaëlardum ab episcopis abbateque Bernardo ad audientiam apud Senonas vocatum fuisse. Verum præterquamquod auctoritas Gaufredi auctoris dome-*

Gauf. l. 3. de vita S. Bern. c. 5.

stici & ab omni falsi suspicione liberi prævalere debet Othoni auctori extraneo, Patres concilii Senonensis non à sancto Bernardo provocatum fuisse ad concilium Abaëlardum, sed Bernardum ab Abaëlardo, disertis verbis affirmant. Sic enim illi in epistola ad Innocentium papam, quæ inter Bernardinas in nova editione est 337 *postquam dixerunt Abaëlardum minus patienter ac nimium ægrè tulisse, quod à Bernardo primum privatim, deinde publicè coram testibus errores corrigere commonitus fuisset,* Magister Petrus, *inquiunt,* crebro nos pulsare cœpit, nec ante voluit desistere, quoad ad dominum Clarevallensem abbatem super hoc scribentes, assignato die, scilicet octavo Pentecostes, Senonis ante nostram submonuimus venire præsentiam, quo se vocabat & offerebat paratum magister Petrus ad probandas & defendendas, de quibus illum dominus abbas Clarevallensis, quo modo prætaxatum est, reprehenderat, sententias. Ceterum dominus abbas nec ad assignatum diem se venturum, nec contra Petrum sese disceptaturum nobis remandavit.

Ex Bernardi modestia factus arrogantior Abaëlardus, suos cœpit undequaque convocare discipulos & obsecrare, ut ad futuram inter se abbatemque Clarevallensem disputationem, una cum illo suam sententiam simul & scientiam defensuri venirent. Hinc Bernardus magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ejus absentia scandalum populo & cornua crescerent adversario, ad concilium venire tandem acquievit, & quidem tristis, nec sine lacrymarum effusione. Adfuerunt concilio Francorum rex Ludovicus VII. Willelmus comes Nivernensis religiosus, Remensis archiepiscopus cum quibusdam suis suffraganeis episcopis, abbatibus multis, valdeque litteratis clericis. Librum Theologiæ Abaëlardi in medium protulit sanctus Bernardus, quæ in eo annotaverat absurda, immo hæretica plane, capitula proposuit, ut ea vel à se scripta negaret, vel si sua fateretur, aut probaret aut corrigeret. Neutrum præstare voluit Abaëlardus, sed ut tempus redimeret ab æquissimis judicibus, quos ipse delegerat, contra canones ad sedem apostolicam appellavit. Si credimus Othoni Frisengensi, Abaëlardus seditionem populi timens *respondere recusavit. Verum præsentibus rege Ludovico, comite Willelmo, aliisque nobilibus viris, quid à populo metuendum esse poterat? hinc apparet Othonem ea quæ de Abaëlardo concilioque Senonensi scribit, non tam à veridicis testibus, quàm ab incertis rumoribus popularibus didicisse. Æquius est, ut Gaufredo vitæ S. Bernardi scriptori, Abaëlardi cum hæc agebantur discipulo, fidem adhibeamus hæc scribenti:* Sed ab egregio illo catholicæ fidei advocato, *nempe Bernardo*, monitus, ut vel jam sciens in personam suam nihil agendum, responderet, tam liberè, quàm securè, audiendus tantum, & ferendus in omni patientia, non sententia aliqua feriendus: hoc quoque omnimodis recusavit. Nam & confessus est postea suis, ut aiunt, quod ea hora maximè quadam ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & interior fugerit sensus. *Non itaque libertas defuit Abaëlardo semetipsum defendendi, nec timore popularis seditionis id recusavit, sed injustam causam tueri minime potuit. Pro reverentia tamen sedis apostolicæ, ad quam appellaverat, damnatis perversis ejus dogmatibus, personæ ipsius pepercit concilium.*

Egressus à concilio Abaëlardus errorum suorum scripsit apologiam, in qua acriori quidem stylo invehitur in sanctum Bernardum. Id certè discimus ex disputatione abbatis Anonymi contra Abaëlardum, in cujus libro secundo hæc leguntur: In Apologetico suo responsione sua super hoc capitulum furiis exagitatus Petrus insanit; & sic nimis intemperanter invehitur in hominem Dei, ut non eum loqui quæ loquitur, sed per eum satanam, qui transformat se in angelum lucis, assereret. *Et in libro tertio:* In Apologia autem sua multo vehementius spiritu vertiginis abducitur & infelicius ægrotat; diligentiore siquidem tractatu & quasi viribus in unum collectis hoc capitulum (*scilicet de potestate Dei*) ceteris diffusius exequitur. *Postea Romam, ut causam coram pontifice defenderet, fretus amicorum discipulorumque, quos ibi non paucos habebat, auxilio, proficisci statuit. Sed*

cum Cluniacum pervenisset, audivit errorum suorum capitula debita damnatione ab Innocentio II. esse affecta. Hic itaque gradum sistere coactus fuit, monitusque à Petro Venerabili abbate, ut Bernardum sibi reconciliaret, & si qua catholicas aures offendentia aut scripsisset aut dixisset, ea à verbis suis amoveret, & à libris abraderet; Claramvallem cum abbate Cisterciensi profectus, prava dogmata omnia retractavit, & sopitis prioribus querelis, in gratiam cum sanctissimo abbate rediit. Hanc retractationem editis Abaëlardi operibus præmissam habemus, quam Apologiæ nomine donare placuit editori; cum tamen ab ejus apologia sit omnino distinguenda, rectius Retractatio appellanda. Reversus Cluniacum biennio religiose ibidem vixit, ac tandem in Cabilonensi S. Marcelli prioratu, in sinu Ecclesiæ requievit.

Adversus Abaëlardum scripsere Guillelmus abbas S. Theodorici, S. Bernardus, & abbas anonymus, quem eumdem esse putant cum Gaufredo, qui ex Abaëlardi discipulo anno 1140. *factus monachus Clarevallensis, Bernardi notarius, ac post Robertum & Fastredum successor evasit. Prioris & posterioris lucubrationes habemus in Bibliotheca Cisterciensi, in quibus ipsissima Abaëlardi verba quæ impugnant referunt. Nonnullos tamen ille patronos habuit; inprimis Othonem Frisengensem in sanctum Bernardum parum æquum, hominem exterum, &, uti existimamus, parum instructum, cujus certe auctoritas, nec Guillelmo abbati, nec S. Bernardo, nec Gaufredo, qui hominem noverant, ejus scripta attente legerant, ab omni prava suspicione immunes, prævalere debet. Multo minus Petri Berengarii Pictaviensis Abaëlardi discipuli, qui ex professo ejus defensionem suscepit, scripsitque Apologeticum, suam secum condemnationem præferentem, quem rectius libellum in sanctum Bernardum contumeliosum appellare licet, opus in tenebris natum & æterna oblivione dignum. Et certe nequidem unum in eo verbum protulit ad defensionem sui magistri, aut fidem ejus catholicam demonstrandam, ejusque adversarios impugnandos, licet id se præstiturum audacter promisisset. Immo ipse sanior factus contumeliosa scripta retractavit in epistola ad episcopum Mimatensem, ac pro non scriptis haberi voluit:* quia, *inquit*, processu temporis meum sapere crevit, & in sententiam abbatis pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui esse patronus capitulorum objectorum Abaëlardo, quia etsi sanum saperent, non sane sonabant.

Hæc forte sufficere deberent his qui nostro ævo Abaëlardi partes tuendas susceperunt, ac sanctum Bernardum præcipitis in eum judicii accusare non verentur. quibus sane fieri satis haud dubium posset, si Abaëlardi introductionem ad Theologiam integram haberemus. Nam mutila est in editis, nec perfectam invenimus in manuscriptis. Ejus defectu lucem aliquam proferre poterit Tractatus de Trinitate, quem hic ex manu exarato codice Majoris-monasterii vetustissimo damus: quemque eumdem esse cum Tractatu de Trinitate Suessionensi in concilio igni addicto, aut cum uno ex duobus illis libellis, qui in manus Guillelmi abbatis inciderunt, quique idem pene continebant, nisi quod in altero plus, in altero minus aliquando inveniretur, mihi constare videtur. Duo præsertim ex suo libro reprehensa fuisse in concilio Suessionensi asserit Abaëlardus in historia calamitatis suæ: unum scilicet pag. 21. *quod* cùm Deus Deum genuerit, nec nisi unus Deus sit, negaret tamen Deum seipsum genuisse. *id quod probasse se dicit auctoritate S. Augustini libro primo de Trinitate, ubi hæc leguntur:* Qui putat ejus potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est; sed nec spiritalis creatura, nec corporalis. Nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat. *Quæ quidem in nostro Tractatu cum eadem S. Augustini auctoritate reperiuntur. Alterum pag.* 24. *quod asseruisset* solum Deum Patrem omnipotentem, *quæ propositio ex his quæ hoc in Tractatu leguntur facile eruitur, ut ex infra referendis patebit. Quod autem Guillelmus abbas S. Theodorici ad Gaufredum episcopum Carnotensem & S. Bernardum scribens ait, Abaëlardi sub Theologiæ titulo duos in manus suas incidisse libellos*, idem pene continentes, nisi quod in altero plus, in altero minus aliquando inveniretur, *perfectè huic nostro Tractatui congruit, si cum ejusdem Abaëlardi introductione ad Theologiam conferan-*

tur. Et certe primus & quintus Tractatus nostri libri pene de verbo ad verbum integri reperiuntur in introductione ad Theologiam, in qua etiam nonnulla legimus quæ in aliis Tractatus quoque nostri libris existunt, adeo ut nullus supersit dubitandi locus quin unus ex duobus illis sit libellis, qui in manus Guillelmi abbatis inciderunt, & forte idem qui in concilio Suessionensi ante annos circiter viginti damnatus fuerat, in quo nonnulla addere potuit Abaëlardus.

An vero jure à patribus Suessionensis concilii igni addictus sit, & à Guillelmo abbate atque à sancto Bernardo alioque abbate anonymo tamquam perversa continens dogmata exagitatus, æqui doctique lectores non ægrè judicabunt ex sequentibus propositionibus quæ in sequenti Tractatu leguntur.

Et primo quidem in capitulis librorum suæ Theologiæ dicit quod fidem Trinitatis omnes NATURALITER homines habeant. *ab hoc beneficio ne quidem Judæos ac Gentiles excludit; sic enim sub finem libri quarti.* Cum enim Deum esse Patrem & Filium & Spiritum-sanctum tale sit, ut diximus, Deum esse potentiam, ut dictum est, generantem, & sapientiam genitam & benignitatem procedentem; cùm istud nemo discretus ambigat, sive Judæus, sive Gentilis, nemini hæc fides deesse videtur, quod & nos quidem concedimus, sequentes Apostolum, qui ait: *Quod notum est Deo, manifestum est illis:* ac si diceret, Quod ad divinitatem pertinet ratione percipiunt: quia hæc de Deo NATURALITER RATIO unumquemque edocet.

2. *In capitulis librorum sic commendat philosophos gentiles*, ut *digni* illi videantur, quibus etiam Deus suæ fidei arcana revelare dignaretur. *Et in libro* 1. *hanc revelationem non divinæ gratiæ, sed eorum continentiæ tribuit his verbis:* Tum ipsa continentissimæ vitæ sobrietas quodam eis MERITO idipsum acquisivit, *scilicet Dei cognitionem.*

3. *Præ ceteris tamen hoc privilegium tribuit Platonicis.* Revolvatur, *inquit*, & ille maximus philosophorum Plato, ejusque sequaces, qui testimonio sanctorum Patrum præ ceteris gentilium philosophis, fidei christianæ attendentes, totius Trinitatis summam post prophetas patenter ediderunt, ubi videlicet mentem, quam Noyn vocant, ex Deo natam atque ipsi coæternam esse perhibent, id est Filium, quem Sapientiam Dei dicimus, ex Deo Patre æternaliter genitum. Qui nec Spiritus-sancti personam prætermisisse videntur, cum animam mundi esse astruxerunt tertiam à Deo & Noy personam. *Neque id in Abaëlardo ferre potuerunt ejus adversarii, quod Spiritum-sanctum assereret esse animam mundi. Non tamen ibo inficias Abaëlardum Platonicorum verba in sensum catholicum inflectere tentasse. Verum omnino contra Platonis ejusque sequacium mentem, qui Noyn sive Mentem summo Deo, animam mundi Deo & Noy seu Menti inferiorem faciebant. Et certe plures Deos à Platone admissos fuisse docet S. Augustinus in lib. de Civitate Dei, unde & S. Bernardus jure redarguit Abaëlardum, quod* dum multum sudat quomodo Platonem faciat christianum, se probat ethnicum.

Non solum Platonem, sed omnes ejus discipulos christianos facere tentavit Abaëlardus. Nam non multo post citata jam libri ejus primi verba hæc addit: Pluribus quoque sanctorum testimoniis didicimus Platonicam sectam catholicæ fidei concordare. *Et post pauca.* Ex quo, *inquit*, liquidum est Platonicam sectam fidei sanctæ Trinitatis plurimum semper assentire, & eam diligentius ceteris philosophis à Platone & sequacibus ejus distingui ac describi. *Tum referens id quod à Valerio maximo scribitur, Platonis parvuli dormientis ori examen apum insedisse, prodigium illud non suavitati ejus eloquii cum vatibus attribuit, sed* excellentius, *inquit*, & convenientius id interpretandum esse non dubito, si ad divinæ dignitatis gloriam hoc miraculum referatur, ut hoc ei Deus insigne præsagii conferret, qui divinitatis suæ per eum diligentius ARCANA revoluturus esset Oportebat quippe ut summæ Sophiæ, quæ Christus est, Verbum videlicet & Sapientia Dei Patris, summus philosophus ejusque sequaces plurimum attestarentur.

4. *Fidei donum non Platonicis tantum sed omnibus tribuit philosophis. Sic enim in libro* 2. Gentiles fortasse natione, non fide omnes fuerunt philosophi.

5. *Eis non modo SS. Trinitatis, sed Incarnationis Verbi quoque mysterium disertis verbis asserit.* Quis etiam asserat nullis eorum (*philosophorum*) fidem Incarnationis revelatam esse, sicut & Sybillæ, licet in eorum scriptis non videatur expressa.

6. *Ex hujusmodi principiis cœlestem beatitudinem philosophis minimè denegandam infert.* Nulla, *inquit*, ratione cogendi videmur, ut de salute talium diffidamus gentilium, qui ante adventum Redemtoris, nullo legis scripto instructi, naturaliter juxta Apostolum, ea quæ legis sunt facientes, ipsi sibi lex erant. *Et non multo post:* Hæc idcirco induximus, ne quis post legem etiam datam usque ad adventum Christi, de salute fidelium gentilium desperet, si sine perceptione sacramentorum sobriè ac justè vixerint, inter quos quidam philosophi tam vita quam doctrina claruisse noscuntur. *Et iterum:* Quid de philosophis ante adventum Christi tam fide, quàm vita clarissimis diffidere cogamur, ne indulgentiam sint assecuti?

7. *Longe certior fuit Abaëlardus de salute philosophorum quam de salute catechumenorum sine baptismo decedentium, unde paulo ante finem libri 2. improbat Ambrosium scribentem de salute Valentiniani imperatoris catechumeni defuncti minimè desperandum*, cum hoc, *inquit*, non solum Evangelio, verùm & sanctis doctoribus adversari penitus videatur.

8. *Philosophos suos etiam Judæis ipsis, quos in proprium Deus elegerat populum, non obscure præfert. Sic enim in libro* 2. Nam & hunc finem esse eis (*philosophis*) propositum constat, de perceptione scilicet æternæ vitæ, quem & ipse Dominus nobis assignavit, & quem Israël minus attendebat, spe & ambitione terrenæ felicitatis magis subjectus, quàm desiderio æternorum. Unde & eis litteræ veneratoribus nulla retributio in lege de observatione legis juxta litteram promissa, aut expectanda est, nisi prosperitas terrena, ad quam toto inhiant desiderio.

9. *Inter philosophos Socratem sanctis martyribus comparare non veretur. Nam secundum ipsum, Socratem* quasi martyrem & certum de remuneratione occubuisse tam divini quam sæculares commemorant codices.

10. *Ut sanctum efficeret Socratem, quod iste philosophus de communitate uxorum suis præscripserat, excusare non erubuit, ad sensus figurativos ejus verba detorquens, contra manifestam Socratis mentem, qui ipso fatente Abaëlardo*, Uxores quoque communes fore instituit, ut nullus proprios requirat liberos; *cum scilicet ignorarentur veri eorum patres.*

11. *Ferenda certe non videntur hæc Abailardi verba libro* 1. Dixit & Moyses omnia à Deo valde bona esse facta, sed plus aliquantulum laudis divinæ bonitati Plato assignare videtur.

12. *Ipsi etiam Vespasiano imperatori ethnico vera miracula attribuere non hæsitat, ut videre est paulo ante finem libri* 2.

13. *In libro* 4. *Patri tantum tribuit omnipotentiam, Filio quamdam potentiam, Spiritui-sancto nullam potentiam. Sic enim habet:* Ponamus itaque Deum Patrem, ut supra monuimus, divinam potentiam, ac Deum Filium divinam Sapientiam: & consideremus quod ipsa Sapientia sit quædam potentia, cum sit ipsa videlicet potentia discernendi ac providendi seu deliberandi veraciter omnia, ne quid Deum decipere possit aut latere. *Et paulo post:* Est autem Filium gigni à Patre divinam Sapientiam, ita ut determinatum est, ex divina potentia esse, cum ipsa, ut dictum est, Sapientia quædam sit potentia, atque ipsius potentiæ Dei, quæ est omnipotentia, quasi PORTIO QUÆDAM ipsa sit Sapientia, quomodo & quilibet filius portio quædam parentum quodammodo dicitur, &c. *Et aliquanto post:* Spiritus à spirando dictus est, unde Veritas, Spiritus, *inquit*,

ubi vult ſpirat, ideoque ipſo nomine ſuo procedere ex Patre & Filio potius quàm gigni perhibetur. Benignitas quippe ipſa, quæ hoc nomine demonſtratur, non eſt aliqua potentia ſive ſapientia, cùm videlicet benignum eſſe, non ſit eſſe ſapientem aut potentem, &c. *Adverſus hanc de Trinitatis perſonis doctrinam vehementer inſurrexerunt S. Bernardus, Guillelmus abbas S. Theoderici, & abbas anonymus. Et merito quidem. non deſunt tamen qui partes Abaëlardi tuentes, Bernardum alioſque, qui adverſus eum ſcripſerunt, illius mentem minimè aſſecutos fuiſſe jactitent, propterea quod ille diſertis verbis aſſerat Filium ac Spiritum-ſanctum perinde ac Patrem eſſe omnipotentem. Id quod non uno in loco docet. Verum neque id latuit Bernardum, neque Guillelmum abbatem, aliumque abbatem anonymum, qui Abaëlardi libros non oſcitanter, ſed attentè legerant. Sed quod ille uno in loco rectè aſtruit, ab eo alio in loco deſtrui etiam animadverterunt, non verbis tantum, ſed ſimilitudinibus quæ verba ejus confirmant, nec ullum dubitandi locum relinquunt, ut comparatione æris & ærei ſigilli, ceræ & cereæ imaginis, materiæ & materiati, generis & ſpeciei, animalis & hominis, quorum unum longe latius patet altero. Ita enim in libro quarto.* Eſt igitur divina ſapientia ex divina potentia, quomodo cerea imago eſt ex cera, aut quomodo juxta philoſophos ſpecies ipſa ex genere eſſe dicitur, cùm tamen idem ſit ſpecies quod genus, ut homo idem quod animal, & imago cerea idem quod cera. Ipſa quippe imago cerea ita eſt ex cera & homo ex animali, quod ex eo quod cerea imago exigit ut cera ſit, & ex eo quod homo eſt ut ſit animal; ſed non è converſo. Potentia quippe tam ad diſcernendum, quàm ad alia agenda ſe habet, ſicut cera tam ad ceream imaginem, quam ad id quod non ſit cerea imago, & animal tam ad hominem, quàm ad non hominem. *Certè ipſe Abaëlardus tam in privatis quam in publicis cum Bernardo colloquiis numquam cauſatus eſt ipſum ſiniſtra interpretatione verba ſua accipere. Immo cum urgeret eum Bernardus in concilio Senonenſi, ut aut errorem corrigeret, aut ſi quid objectis reſpondendum haberet, ediceret, utrumque facere recuſavit. Et ſub finem libri 3. hujus tractatus facta ſibi objectione cur Patrem & Filium per potentiam & ſapientiam potius diſtinguat, quam per æternitatem aut aliud attributum, nullam reddit rationem, ſed ſic reſpondet:* Ad quod reſpondendum eſt, non hoc nos ſuſcepiſſe negotium, cur hoc potius modo quàm alio perſonæ divinæ diſtinctæ ſint; ſed eas eo modo quo diſtinctæ ſunt convenienter accipi poſſe, & fidem noſtram tueri, &c. *Denique in ſua Retractatione ſeu fidei confeſſione nullam interpretationem benignam ſuis verbis tribuit, ſed ea audacter à ſe umquam dicta negat & pernegat.* Quod autem mihi vel per malitiam impoſitum eſt quod ſcripſerim, quia Pater plena potentia eſt, Filius quædam potentia, Spiritus-ſanctus nulla potentia: hæc ego verba non tam hæretica, quàm diabolica, ſicut juſtiſſimum eſt, abhorreo, deteſtor, & ea cum ſuo auctore pariter damno. Quæ ſi quis in meis reperiat ſcriptis, non ſolum me hæreticum, verùm etiam hæreſiarcham profiteor. *Hic impudentiam Abaëlardi qui ea ſe dixiſſe negat quæ diſertiſſimis aſſeruit verbis, merito redarguit abbas anonymus, qui ejus quondam fuerat diſcipulus, & qui conſequenter ejus doctrinam apprimè noſſe poterat. Nam ſi ejus verba benignam pati poſſunt interpretationem, cur eam hic non proferebat? Certe qui* omnes NATURALITER homines *habere fidem ſanctæ Trinitatis aſſerit, rectè de Trinitate ſentire non eſt dicendus.*

14. *Abaëlardum redarguunt etiam ejus adverſarii, quod Verbum carnem factum eſſe aſſereret, non ut hominem à peccato redimeret, ſed tantùm ut verbis inſtrueret & exemplis ad amorem Dei inflammaret. In hoc autem tractatu etſi non omnino neget Filium Dei hominem à peccatis redemiſſe, præcipuum tamen Incarnationis ejus finem fuiſſe inſtructionem aſſerit. Ita enim libro* 4. Ad hoc omnia geſſit in carne, ut nos vera erudiret Sapientia, quæ ad ſalutem ſufficeret. *Et paulo poſt:* Ad hoc SOLUM & MAXIME Deus incarnatus eſt, ut ſuos prædeſtinatos veræ in ipſo habitu carnis viſibili illuſtraret. *Et non multo antea dixerat:* Lumen divinæ Sapientiæ

pientiæ per hanc Incarnationem carnalibus effulsit, atque hoc SOLUM vel hoc SPECIALITER beneficium Deum intendisse in ipso habitu carnis nobis impertire, pro quo Angelus consilii sive consiliarius dictus est, &c.

15. *Tantam Deo necessitatem imponit, ut secundum ipsum aliter agere non possit quam agat.* Quicquid itaque facit, *inquit libro* 5. sicut necessario vult, ita & necessario facit, &c. *Et paulo post:* Necessario itaque Deus mundum esse voluit ac fecit, nec otiosus extitit, qui eum priusquam fecit facere non potuit, quia priusquam fecit, fieri non oportuit. *Quam doctrinam merito impugnat abbas Anonymus in libro* 3. *adversus Abaëlardum. Taceo quod ille sanctorum Patrum immo & scripturæ dicta quæ citat sæpe detruncat. Ex quibus omnibus, ni mea me fallit opinio, satis apparet quam merito ipsius de Trinitate liber igni addictus sit in concilio Suessionensi, & post modum ejus doctrina ecclesiæ censuris affecta in Senonensi & ab Innocentio II. Nam quæcumque his interpretatio donetur, nemo certe negare potest, quin hæc omnia male sonent, & incautis errandi viam facile præbeant; nec sufficit in his intelligentia doctorum virorum*, requiruntur etiam verba catholica, *ut ait ipse Abaëlardus. Si quid ipsum excusare potest, illud præsertim esse existimamus, quod scripta sua peritiorum ac proinde ipsius ecclesiæ judicio subjecisse videtur. Nam in libro tertio ita disserit.* Quidquid itaque de hac altissima philosophia differemus, umbram non veritatem esse profitemur, & quasi similitudinem quamdam, non rem. Quid verum sit noverit Dominus, quid autem verisimile ac maxime philosophicis consentaneum rationibus, quibus impetitur, dicturum me arbitror. In quo quidem si culpis meis exigentibus à catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione, ignoscat ille mihi, qui ex intentione opera dijudicat, parato semper ad omnem satisfactionem de male dictis, vel corrigendis vel delendis, cum quis fidelium vel virtute rationis, vel auctoritate scripturæ correxerit. *Utinam id sponte præstitisset Abaëlardus, certe debitam erroribus suis censuram non adscivisset.*

LIBRORUM CAPITULA.

PRimus liber continet quid vult distinctio trium personarum in Deo, vel quid sonent in ipso hæc nomina personarum, Pater, Filius, & Spiritus-sanctus. Testimonia tam prophetarum quàm philosophorum de S. Trinitate, nec non & quare Sapientia Dei vocetur Verbum, aut Benignitas ipsius dicatur Spiritus-sanctus. In quo etiam ea quæ de anima mundi à philosophis dicta sunt, rectè de Spiritu-sancto intelligi monstrantur.

Secundus liber adversus calumnias fidelium de admixtione philosophorum testimoniorum totus scribitur. In quo de vita & virtutibus & doctrinis philosophorum, & de naturalis legis hominibus plurima commendatio fit, ut digni illi videantur, quibus etiam Deus suæ fidei arcana revelare dignaretur.

Tertius continet invectiones in dialecticos, & eos omnes qui Deum quoque humanis comprehendi rationibus volunt, nec eadem fide suscipienda censent, quæ humanis rationibus adstrui vel defendi non valeant. Proponit etiam summam fidei circa unitatem ac Trinitatem, & objectiones adversus proposita, & quot modis idem sive diversum accipiatur, & quot modis persona dicatur.

Quartus continet solutiones adversus objecta, & generationem Verbi ex Patre, id est divinæ Sapientiæ ex divina Potentia, & qua similitudine divina Potentia dicatur Pater, vel divina Sapientia dicatur Filius. Continet insuper processionem Spiritus, & quomodo Plato animam mundi quam Spiritum-sanctum intellexit, vult creatam esse, hoc est initium habere, & quod fidem Trinitatis omnes naturaliter homines habeant.

Quintus est de ratione credendi unum Deum non plures, & de perfectione & incommutabilitate hujus summi boni, quod in nullo crescere vel minui possit aut variari.



THEOLOGIÆ CHRITIANÆ LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

SUMMI boni perfectionem, quod Deus est, ipsa Dei Sapientia incarnata Christus Dominus describendo, tribus nominibus diligenter distinxit, cùm unicam & sin-

gularem individuam penitus ac simplicem substantiam divinam, Patrem & Filium & Spiritum sanctum tribus de causis appellaverit.

Ambrosius de Fide ad Gratianum imperatorem. Quod unius est substantiæ, separari non potest; & si non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam.

CAPUT II.

Patrem quidem, secundum illam unicam majestatis suæ potentiam, quæ est omnipotentia, qua scilicet efficere potest quicquid vult, cùm nihil ei resistere queat. Filium autem eamdem divinam substantiam dixit, secundùm propriæ sapientiæ discretionem, qua videlicet cuncta veraciter dijudicare ac discernere potest, ut nihil eam latere possit quo dicipiatur. Spiritum-sanctum etiam vocavit ipsam, secundum illam benignitatis suæ gratiam, qua omnia quæ summa condidit sapientia, summa ordinat bonitate, & ad optimum quæque finem accommodat, malo quoque bene semper utens, & mirabiliter quantumlibet perversè facta optime disponens, quasi qui utraque manu pro dextera utatur, & nesciat nisi dextram. Unde in Enchiridion B. Augustinus, non enim, inquit, Deus omnipotens, cùm summè bonus sit, ullo modo fineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut bene faceret & de malo. Idem in XI de Civitate Dei, de bonitate Dei & malitia diaboli loquens, ait: Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est, ità malarum voluntatum justissimus ordinator, ut cùm ille malè utatur naturis bonis, ipse bene utatur etiam voluntatibus malis. Item idem ibidem de diabolo: Deus cùm eum conderet, futuræ malignitatis ejus non erat ignarus, & prævidebat quæ bona de malis ejus esset ipse facturus. Item post aliqua: Neque enim Deus ullum, non dico angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter noscet, quibus eos bonorum usibus commodaret. Hinc est & illud Platonicum: Omne, inquid, * qui gignitur ex aliqua causa necessaria gignitur. Nihil enim fit, cujus ortum non legitima causa & ratio præcedat. Ex summa itaque illa bonitate sua Deus, qua juxta Moysen cuncta valde bona condidit, & juxta etiam Platonis assertionem, optimus ipse omnium conditor, à quo invidia relegata longe est, cuncta sui similia, prout cujusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit: volens si quidem Deus bona quidem omnia provenire, mali porro nullius, prout eorum quæ nascuntur natura fert, reliquit propaginem, nec fas sit bonitati præstanti quicquam facere, nisi pulcherrimum. Ex hac, inquam, tanta bonitate sua Deus, qua singula quantum potest & decet bona efficit, ac bene disponit etiam mala altissimo suo & in-

Aug. de Civitate Dei lib. 11. c. 17.

Ibid. c. 18.

* f. quod.

A comprehensibili nobis consilio, Spiritus-sanctus, ut supra meminimus, ipse est appellatus. Tale est ergo tres personas, hoc est Patrem & Filium & Spiritum sanctum in divinitate confiteri, ac si commemoraremus divinam Potentiam generantem, Divinam Sapientiam genitam, Divinam Benignitatem procedentem. Ut his videlicet tribus commemoratis, summi Boni perfectio prædicetur, cùm videlicet ipse Deus & summe potens, id est omnipotens, & summe sapiens, & summè benignus ostenditur. De genitura autem hujusmodi seu processione in sequentibus, prout poterimus, & ipse Dominus an-B nuerit, immo gratia sua dederit, aliquid per quascumque similitudines assignare tentabimus. In his itaque tribus, Potentia scilicet, Sapientia, Benignitate, tota Boni perfectio consistit, ac parvipendendum est quidlibet horum sine duobus aliis. qui enim potens est, si id quod potest juxta modum rationis conducere nescit, exitialis ac perniciosa ejus potentia. Si autem sapiens sit & discretus in agendo, sed minimè possit, efficatia caret. Et si etiam potens sit & sapiens, sed nequaquam benignus, tantò ad nocendum fit pronior, quantò ex potentia & astutia sua ad efficiendum C quod vult est securior; nec spem beneficiorum suorum ceteris præstat, qui benignitatis affectu non commovetur. In quo autem hæc tria concurrunt, ut videlicet & possit implere quæ voluerit, & bene velit, utpote benignus, nec exinde sapientia modum rationis excedat, eum profectò verè bonum esse & in omnibus perfectum constat, atque in ejus regimine cuncta quæ optimè condidit, optimè conservari: quippe qui & possit, & sciat & velit. Unde non solum hæc Trinitatis distinctio ad summi Boni perfectionem describendam convenit, verùm etiam ad persuadendam hominibus divini cultus religionem plu-D rimum proficit: ut ob hoc præcipuè ipsa Dei Sapientia Incarnata in prædicatione sua eam rectissimè decrevisset assumere. Duo quippe sunt quæ nos omnino Deo subjectos efficiunt, timor videlicet & amor. Potentia quidem & Sapientia maximè timorem incutiunt, cùm eum & posse punire errata, & nihil latere cognoscimus. Benignitas autem ad amorem pertinet, ut quem benignissimum habemus, potissimum diligamus. Ex qua etiam certum est impietatem ulcisci velle, quia quò plus ei placet æquitas, magis displicet iniquitas, sicut scriptum est, *dilexisti justitiam & odisti iniqui-E tatem.* Nomine vero Patris ut diximus, Potentia designatur, nomine Filii Sapientia, & nomine Spiritus sancti Bonus effectus erga creaturas. Causas autem horum nominum in sequentibus assignabimus, quare videlicet hæc nomina ad hæc distinguenda in Deo translata sunt à consuetis significationibus. Sed prius hanc divinæ Trinitatis distinctionem, non à Christo incœptam, sed ab ipso apertius ac diligentius traditam esse ostendamus. quam quidem divina inspiratio & per Prophetas Ju-

Psal. 44. 8.

dæis, & per philosophos gentibus dignata est revelare, ut utrumque populum ad cultum unius Dei ipsa summi Boni perfectio agnita invitaret, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, & facilius hæc fides Trinitatis tempore gratiæ susciperetur ab utroque populo, cùm eam à doctoribus quoque antiquis viderent esse traditam.

CAPUT III.

Moysis testimonia de Trinitate.

PRimum ipsa legis exordia occurrant, ubi legislator Moyses fidem catholicam de Unitate pariter & Trinitate tamquam omnium bonorum fundamentum anteponit. Cum enim dicitur: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, pro eo quod apud nos dicitur Deus, hebraïca veritas habet *Heloym*, quod est plurale hujus singularis quod est *Hel.* quare ergo non dictum est *Hel*, quod est Deus; sed *Heloym*, quod apud Hebræos Dii sive Judices intepretatur, nisi hoc ad multitudinem divinarum personarum accommodetur, ut videlicet eo modo insinuetur pluralitas in Deo, quomodo & trinitas; & quodammodo dicatur multiplex Deus, quomodo & trinus, non secundùm * quidem substantiæ diversitatem, sed secundùm personarum proprietates? [a] Nam & ibidem de unitate substantiæ demonstranda cautè provisum est, cùm dicitur *Creavit*, non creaverunt. Ubi & statim in sequentibus distinctionem personarum adnectit, quasi ad determinandum quod ad hanc denotandam *Heloym* pluraliter dixerit. Spiritus quippe sancti æternitas patenter ostenditur, cùm dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Verbum vero, id est Filius simul & Pater insinuantur, cùm dicitur, *Dixit Deus, fiat*, hoc est in coæterna Sapientia sua Pater ordinavit facienda. Non enim de corporali locutione hoc accipi potest, sicut postmodum convincemus. In eo quoque quod scriptum est, *Et vidit Deus quod esset bonum*, Bonitas Dei, quam Spiritum-sanctum dicimus, insinuatur, sicut in eo quod dicitur *Dixit Deus*, intelligitur Verbum & Pater. Tale enim quod dicitur, *Vidit Deus quod esset bonum*, ac si dicatur intelligendo quia opus quod fecerat bonum esset, amavit illud eo ipso quod bonum erat. Ex quo & ipse bonus esse liquidè demonstratur. Bene autem ad astruendam fidem operum, & ad commendationem eorum, commemoratio fit divinarum personarum, hoc est Omnipotentiæ Dei, & Sapientiæ ejus & Bonitatis, ut videlicet quia hoc potest & bonus est, credatur ea fecisse quæ & potuit & voluit. Rursus elegantia operum per sapientiam & bonitatem artificis ostenditur, ut quia summè bonus est artifex & perfectè solers, excellentissimum opus componat. Quid etiam apertius ad documentum Trinitatis esse potest, quàm illud quod postea in creatione hominis subjungitur, dicente Domino *Faciamus hominem &c?* Quid enim pluraliter dictum est *Faciamus*, nisi ut cooperatio totius Trinitatis exprimatur? quippe quos cohortaretur Deus ad creandum hominem, aut ad se in aliquo jurandum, ut ipse solus eum creaturus sit? Scriptum quippe est, *Quis adjuvit Spiritum Domini, aut consiliarius ejus fuit, cum quo iniit consilium?* &c. Bene autem ad imaginem & similitudinem Trinitatis, hoc est ad expressam quamdam similitudinem trium personarum homo fieri dicitur: qui & Patrem per potestatem, quam in ceteras creaturas accepit imitatur, & Filium per rationem, & Spiritum-sanctum per innocentiæ benignitatem, quam post modum per culpam amisit. Ad hanc quoque pluralitatem divinarum personarum illud attinere videtur, quod in sequentibus per serpentem dictum est *Eritis sicut dii*, quod ut superius dictum est, in Hebræo sonat *Heloym*; necnon & illa dominica increpatio: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Et rursus illud quod Dominus ait: *Descendamus & confundamus* [b] *linguas eorum*, cùm hoc solus Deus compleverit: unde & subditur: *Atque ita divisit eos.* Nunc autem post legem ad prophetarum testimonia transeamus.

Margin notes: Gen. 1. 1. — * al. quandam. — [a] — Gen. 1. 2. — Ibid. 3. — Ibid. 4. — Ibid. 26. — Isaiæ 40. 13. — Homo quo modo factus ad imaginem Dei dicatur. — Gen. 3. 5. — Ibid. 22. — [b] Ibid. 11. 7. 8.

Testimonium Davidis.

Ait itaque maximus ille prophetarum & regum David, qui suam ceteris intelligentiam præferens dicit: *Super omnes docentes me intellexi, super senes intellexi*; ait, inquam, distinctionem Trinitatis patenter insinuans: *Verbo Domini cœli formati sunt, & Spiritu oris eorum omnis virtus eorum.* qui & alibi unitatem pariter cum Trinitate insinuat dicens: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*

Margin notes: Psal. 118. 99. — Psal. 32. 6. — Psal. 66. 7.

Cassiodorus. Deus sermo græcus est, qui latinè interpretatur timor, pro qua re, ut arbitror, majores nostri Deum à timore appellandum esse voluerunt: unde quidam ait, Geram poëtarum primus, in orbe Deos fecit timor. »

Trina quippe confessio Dei, trinitatem exprimit personarum, Patris videlicet, Filii, & Spiritus-sancti. Bene autem Filium designans addidit *noster*, quasi eum à Patre nobis esse datum ostendens, cùm per Incarnationem Verbi divina nos Sapientia illuminaverit. De quo etiam Verbo Apostolus ait: *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (Rom. 8. 32.)

Augustinus Quæstionum LXXXIV. cap. XLIV. *In principio erat Verbum.* quod græcè Logos dicitur, latine autem & rationem & verbum significat, sed hoc loco melius Verbum interpretatur. Significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt. Ratio autem etsi nihil per illam fiat, rectè ratio dicitur. Cap. XLV. (Johan. 1. 1.)

(a) In Introductione ad Theologiam lib. 1. p. 996. post hæc verba additur: *Ut videlicet tale sit quod dictum est* HELOYM, *ac si diceretur, non res multa, sed persona multa, quarum unaquaque sit Deus: alioquin plures etiam dicerent Deos, cum unus sit tantum.*

[b] In nostra Vulgata & in Introductione ad Theologiam pag. 998. legitur in singulari *linguam.*

„ Dei Sapientia Christus & in utero MARIÆ A „ fuit, & in cœlis, quo modo Verbum hominis, quod etsi multi audiunt, totum audiunt „ singuli.

Unitatem vero divinæ substantiæ Psalmista in eodem aperit, cùm post trinam divini nominis prolationem, unum tantummodo Deum in tribus personis intelligens, non subjunxit eos pluraliter, sed eum singulariter. Huic & illud consonat Isaiæ, qui dicit se vidisse Seraphim & audisse clamantia *Sanctus, Sanctus,*
Isa. 6. 3. *Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

Rectè autem vocabulo *Domini* usus est propheta ad potentiam designandam, quia dominorum est præesse; quæ videlicet potentia B plerumque etiam hoc nomine *Deus* assignatur, eo videlicet quod Theos græcè, id est Deus, teste Isidoro, timor interpretatur, & potestas qualibet timor est subjectorum.

CAPUT IV.

Sapientia cur Verbum dicatur.

VErbum ideo Sapientia vocatur, translato scilicet de effectu ad causam vocabulo, quod maximè ex verbis uniuscujusque intelligentia ipsius & cujus scientiæ sit manifestatur. Unde scriptum est in Ecclesiastico: *In lingua enim agnoscitur Sapientia, & sensus & doctrina in verbo sensati.* Hinc etiam per semetipsam Veritas, *ex abundantia*, inquit, *cordis os loquitur.* Sicut igitur visionem mentis & oculorum dicimus, ita locutionem seu verbum cordis quodammodo dicimus, sicut & oris, juxta illud Psalmistæ: *In corde & corde locuti sunt.* & illud libri Sapientiæ: *Dixerunt impii apud se cogitantes non rectè.* quale & illud est in Evangelio: *Dixerunt intra se, Hic blasphemat*, hoc est cogitaverunt. Et Veritas, *Non quod intrat in os*, inquid, *coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore.* Et post pauca, *quæ autem procedunt*, inquid, *de ore, de corde exeunt, & hoc coinquinat hominem. De corde enim exeunt cogitationes, malæ.* &c. Juxta hanc igitur consuetudinem scripturæ, locutionem cordis, id est ipsam cogitationem, seu intelligentiam animi verbum mentis hoc loco dicimus. In Deo autem ipsa ejus cogitatio seu intelligentia hoc ipsum dicitur quod ratio ejus seu Sapientia, quæ est Verbum Patris, hoc est Filius Dei. Unde & Moyses, ut supra meminimus, cùm in diversis rerum creationibus faciendis præmittit *Dixit Deus*, & ad dictum statim effectum adjungit dicens, *& factum ita*, cuncta Deum condidisse in Verbo, hoc est in Sapientia sua ostendit, id est nihil subito temerè, sed omnia rationabiliter providè. De quo & alibi Psalmista ait: *Dixit & facta sunt*, id est ratione & providentia præeunte cuncta condidit sive ordinavit. Qui etiam hoc verbum alibi apertius demonstrans non esse verbum audibile & transitorium, sed intelligibile ac permanens ait: *qui fecit cœlos in intellectu*, hoc est ad modum illum quo eos primum ordinaverat in verbo mentis, id est in conceptu suæ perpetuæ omnia providentis intelligentiæ.

Eccli. 4. 29. Matth. 12. 34. Psal. 11. 3. Sap. 2. 1. Matth. 9. 3. Ibid. 15. 11. Gen. 1. 7. Psal. 32. 9. Psal. 135. 5.

A de quo quidem verbo, scilicet intelligibili, beatus Gregorius in homelia Evangeliorum VII. ita loquitur, distinguens scilicet ipsum intelligibile verbum à verbo audibili, quod est vox, Scitis, inquit, quia Unigenitus Verbum „ Patris vocatur, Johanne attestante, qui ait: „ *In principio erat Verbum.* Ex ipsa vestra locu- „ tione cognoscitis quia prius vox sonat, ut „ verbum postmodum possit audiri. Johannes „ verò vocem se esse asserit, quia verbum præ- „ cedit. Idem in Homilia XXIII. de Johanne „ Baptista: *Ego vox clamantis in deserto.* Ideo „ vox, inquit, propheta vocatus est, quia verbum „ præibat, quod est dicere: Sicut verbum au- „ B dibile in auditore præcedit intelligibile, quia videlicet prius vox sonat, ut postmodum ex ea intellectus concipitur, ita Johannis prædicatio anteibat adventum Domini annunciando. Verbum itaque dicit conceptum mentis, & quamdam intelligentiæ locutionem, quæ in mente formatur, ad cujus similitudinem unigenitus Dei Verbum dicitur, & quasi quædam ejus intellectualis ac perpetua locutio, in cujus providentia omnium ab æterno præfixa consistit operatio atque ordinatio. Hanc autem intellectualem Dei locutionem, id est æternam Sapientiæ ordinationem Augustinus C de Civitate Dei lib. * XXVI. cap. VI. descri- „ bens, Dei, inquit, ante factum suum locutio „ ipsius sui facti est incommutabilis ratio, quæ „ non habet sonum strepentem atque transeun- „ tem, sed vim sempiternè manentem & tem- „ poraliter operantem. [a] Idem in lib. contra „ V. hæreses, *In principio erat Verbum*, melius „ Græci logos dicunt, logos quippe verbum „ significat & rationem. De quo etiam verbo „ in VIII. de Trinitate ait: Verbum idcirco „ Filium nuncupavit, ut ostenderet de se illum „ extitisse. Quod autem Verbum Dei ipsa ejus „ Sapientia sit intelligendum, apertè in Ecclesiastico monstratur his verbis: *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper,* D *& est ante ævum. Sapientiam præcedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus sapientiæ ab ævo. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, &c.* Ne mireris si, ut dixerim, ipse quoque conceptus mentis verbum dicatur, translato de effectu ad causam vocabulo, cum è converso de causa ad effectum factis plerisque utamur translationibus. Unde & ipsum eleemosynæ beneficium, quo impenso maximè caritas dantis innotescit, caritatem nonnumquam appellamus, & ipsam pœnitentis satisfactionem nomine pœnitentiæ designamus, cùm rectè ca- E ritas non dicatur, nisi dilectio; nec pœnitentia, nisi ipse animi dolor. licet etiam ipsum nostræ mentis conceptum ipsius sermonis tam effectum quàm causam ponere, in proferente quidem causam, in audiente effectum, quia & sermo ipse loquentis ab ejus intellectu proficiscens generatur, ut eumdem rursus in auditore generet intellectum. Pro hac itaque ma-

S. Greg. Hom. 7. num. 1. Joh. 1. 1. Greg. Hom. 20. n. 3. L. XI. † a] Cap. 6. Joh. 1. 1 Eccli. 1. 1.

[a] Hic liber etsi antiquissimi scriptoris, non est tamen S. Augustini, rejectus in appendicem tom. 8, novæ editionis.

xima sermonum & intellectuum cognatione non indecenter in eorum nominibus mutuas fieri licet translationes: quod in rebus quoque & nominibus propter adjunctionem significationis frequenter contingit. Hæc de translatione hujus nominis *Verbum* hoc loco facta & significatione ejus dicta nunc sufficiunt. Filius autem Dei Patris hoc ipsum Verbum, hoc est ipsa ejus coæterna Sapientia dicitur, secundùm illum generationis modum, quo divina sapientia ex divina est potentia, sicut in sequentibus assignare conabimur, prout Dominus dederit. Quod verò nomine Patris divina specialiter exprimatur potentia, maximus quoque episcopus in expositione symboli quod dicitur Apostolorum, quæ legitur in quinta quadragesimæ dominica, his verbis insinuat: Credis, inquit, in Deum Patrem omnipotentem? In Deo natura innascibilis, in Patre Unigeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Est namque per ingenitam Deitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater, ac si apertè dicat, in eo quod est Deus ingenitus, hoc Deus Pater, hoc quasi propriè & specialiter habet quod sit omnipotens, sicut Filius in eo quod Filius est, quod sapiens sive sapientia; vel Spiritus quod sit benignus, immo benignitas ipsa. Non enim ita ut solus Deus sit omnipotens, & non vel Filius, vel Spiritus-sanctus, vel solus Filius sit sapiens aut solus Spiritus-sanctus sit benignus; sed quod juxta cujusque personæ distinctionem quædam specialiter ad unam attinent personam, & ei maximè tribuuntur: quædam ad aliam, ut cùm Pater ex omnipotentia, sicut supra meminimus, dictus sit, quemadmodum Filius ex sapientia, vel Spiritus sanctus ex benignitate, tale sit quod dicitur per ingenitam Deitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater, ac si diceret ad proprietatem seu distinctionem personæ Dei Patris omnipotentiam specialiter attinere, cùm ipsa scilicet omnipotentia generans Sapientiam expressa sit Patris proprietas, sive idem penitus cum ipso Patre, atque hoc nomen Pater in hac persona, ita ipsam divinam potentiam, quæ omnipotentia, simpliciter exprimat, ut neque sapientiam nec benignitatem in ea distinguere habeat, sed tantum contentum sit ipsam omnipotentiam ex qua sapientia gignitur designare. Et notandum quod juxta sanctorum patrum auctoritatem solam personam Patris dicamus ingenitam, sicut & Patrem videtur hic idem esse ingenitum, quod est à semetipso esse, non ab alio, cùm unaquæque videlicet aliarum personarum ab ipso Patre sit. Sola verò persona Patris non sit ab aliqua aliarum. Sicut ergo juxta philosophos omne id genitum dicitur quod est ab alio, unde & genituram mundi legimus secundùm quod scilicet ipse mundus opus Dei dicitur, non tamen filius ejus esse; & Deum genitorem universitatis Plato dicit, à quo scilicet universa alia habent esse; ita è contrario hoc loco solum Patrem dicimus ingenitum, secundùm hoc scilicet quod ipse solus non habet ab alio esse:

Patris persona sola ingenita dicta.

Quare & B. Augustinus Spiritum quoque ipsum negat esse ingenitum, sicut & genitum. Sic quippe ait in Quæstionibus ab Orosio propositis & ab ipso expositis capitulo 11. Spiritum sanctum neque genitum neque ingenitum fides certa declarat: quia si dixerimus ingenitum, duos Patres affirmare videbimur. Sin autem genitum, duos Filios credere culpamur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus est, nec genitus, sed ab utrisque procedens, id est à Patre & Filio. Gennadius de [a] Orthodoxa fide ecclesiasticorum dogmatum, Pater ergo, inquit, principium Deitatis, à quo Filius natus, à quo Spiritus-sanctus non natus; quia non est Filius, nec ingenitus, quia non est Pater. Hunc B. Papa Gregorius secutus in symbolo epistolis suis præscripto meminit dicens: Spiritum vero sanctum nec genitum nec ingenitum, sed coæternum de Patre & Filio procedentem. Isidorus quoque Ethimologiarum libro VI. * imponens quare solus Pater dicatur ingenitus, ait: Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus. Et notandum quòd secundùm hoc quod ingenitum dicimus solum Patrem, in eo scilicet quod non est ab alio, videtur id quoque quod dicitur ingenitus non incongruè ad potentiam maximè vergere, quasi summus ipse ostendatur, non aliqua quidem dignitate, sed subsistendi possibilitate, cùm videlicet ipse solus, ut dictum est, à se ipso habeat esse. aliæ verò duæ personæ nullatenus, nisi ab ipso sint, esse queant. ipse vero solus non alio egeat, à quo esse ducat, quasi ipsi solus suæ sufficiat existentiæ, qui à seipso, non ab alio habet esse. Sic enim & Philosophi existentem naturam aiunt ex summo Deo quem Togaton vocant, id est Filium ex Deo Patre summum in eo vocant quod ab alio non est. qui etiam cùm ipsum Patrem protopanton etiam appellant, id est principem omnium, omnipotentiam ipsi quasi propriè & specialiter ascribunt, eo videlicet quod ab ipso non solum creaturæ, verùm etiam & ceteræ duæ personæ habeant, ut dictum est, esse, non quidem per creationem, sicut aliæ res, sed per generationem vel processionem. Unde & Pater ipse per hoc potestatem in omnibus quasi specialiter ac naturaliter habere videtur, quod ab ipso sint omnia, & quasi quodam naturali jure sua, quomodo & quilibet filius sui patris jure naturali propriæ existentiæ suæ dicitur esse. Unde & sacra pagina maximè hoc nomen Omnipotens cum nomine Patris proferre consuevit, quamvis & utraque aliarum personarum æquè sit omnipotens. Cum itaque superius dixerit Maximus, quod si Deus per ingenitam Deitatem omnipotens talis est, ac si dicat Deo

[a] Gennad. de Dog. Eccl. c. 1.

* f. exponens.

[a] Hic liber vulgo de Ecclesiasticis Dogmatibus inscriptus tribuitur S. Augustino in quibusdam MSS. Ejus auctorem Alcuinum faciunt Trithemius & Balæus, Paterium Gratianus, melius alii Gennadium, non quidem Constantinopolitanum episcopum, ut voluit Ratramnus, sed Massiliensem presbyterum, non vero episcopum, ut perperam quibusdam placuit.

ingenito, id est Deo Patri ex hoc ipso quod ingenitus est, hoc est à seipso, non ab alio existens, maximè & quasi specialiter omnipotentiam esse tribuendam, cum ipse quidem sicut à seipso est non ab alio, omnia vero alia ab ipso, ita à se ipso non ab alio omnia posse, nulli alii in aliquo obnoxius, quasi ab eo vel esse, vel posse, vel facere aliquid habeat qui summus est omnium existentiæ naturarum, & in omnibus aliis tamquam naturaliter suis jure potestatem, ut dictum est, obtinere videatur, tamquam in his quæ ab ipso esse habeant, quæ id quoque quod possunt ab ipso ex necessitate accipiunt, à quo B & esse trahunt. Ipse vero solus sicut in existentia summus est, hoc est non ab alio; ita & summa in eo dicatur potestas, quod à se ipso non ab alio posse habet sicut & esse. Ceteræ verò personæ sicut ab ipso sunt, ita & ab ipso habent quod possunt vel faciunt. unde & Filius ipse perhibet quod nihil à seipso faciat, sicut nec à se ipso loquatur. Eum quippe qui sui ipsius non est Verbum, sed Patris, profecto necesse est & hoc ipsum quod facit habere à Patre, qui hoc ipsum quod est ab ipso habeat. Summus itaque quodammodo per Potentiam videtur Pater, sed non major, qui à se ipso, ut dictum est, omnia possit, qui C à seipso non ab alio subsistit, quod est ei quasi propriè quodammodo vel specialiter omnipotentiam esse tribuendam, qui sic omnia potest, ut hoc à se habeat, non ab alio accipiat. Quod verò ait in hoc nomine Deus ostendi naturam innascibilem, tale est ac si diceret substantiam non factam aut creatam, sed æternam.

CAPUT V.

Spiritus unde dictus. Nomine vero Spiritus-sancti affectus benignitatis & caritatis exprimitur, eo videlicet quod spiritu oris nostri & anhelitu maximè affectus animi patefiant, cùm aut præ amore suspiramus, aut præ laboris vel doloris angustia gemimus. Unde Spiritus-sanctus pro affectu bono ponitur juxta illud libri Sapientiæ (Sap. 1. 6.): *Benignus est spiritus sapientiæ, & non liberabit * maledictum à labiis suis*; atque illud Psalmistæ (Psal. 42. 10.): *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam &c.* De quo & S. Augustinus in primo super Genesim, eo loco quo scriptum « est *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, ait: « Egenus atque indigens amor ita diligit, ut « rebus quas diligit subjiciatur, propterea cùm « commemoraretur Spiritus Dei in quo sancta « ejus benevolentia dilectioque intelligitur su- « perferri dictus est, ne facienda opera sua per « indigentiæ necessitatem potiusquàm per abun- « dantiam beneficientiæ Deus amare putare- « tur. Huic & illud Apostoli planè congruit (1. Joh. 4. 16.): *Deus caritas est*, quia teste Gregorio, Spiritus ipse amor est. Unde & Paulus in salutationibus suis quas epistolis præscribere con-

* maledicum.

A suevit dicens: Gratia vobis à Deo Patre & Domino JESU-CHRISTO; nomine gratiæ Spiritum ipsum congruè designavit, quem etiam Donum Dei vocamus. quam quidem gratiam, id est quem Spiritum ab eisdem dari optimè prædicitur, à quibus & procedit, hoc est à Patre & Filio. Bene itaque Spiritus-sanctus tam in columba, quàm in igne revelari elegerit, cùm ipsa, ut dictum est, divina benignitas seu caritas nomine Spiritus sit expressa. Nam & columba mitissima esse creditur & benignissima omnium avium, quæ & felle carere dicitur, & ab iracundiæ stimulis maximè esse remota, & igneæ quodammodo & calidissimæ esse naturæ, cùm ignis ipse amor dicatur, de quo Veritas, *ignem veni*, inquit, *mittere in terram*, id est caritatem prædicare atque plantare, potius quam timorem, qui frigori comparatur, unde & frequentius, quàm ceteræ aves generare ac parere columbæ sufficiunt, cum sint videlicet calidioris naturæ. Nec vacat etiam quod binos pariunt, etiam sociales sunt, & simul commorantes. Duo quippe sunt caritatis rami, unus in Deum, alius in proximum; & quicumque caritatem habet, unitatem concordiæ servat. Et est hoc loco Spiritus-sanctus proprium nomen unius personæ, cùm in alia significatione acceptum sit commune trium personarum, secundum hoc scilicet quod divina substantia spiritualis est & non corporea, & etiam sancta. De hoc etiam Augustinus libro * v. de Trinitate meminit dicens: Spiritus-sanctus secundùm id « quod scriptum est, quoniam Deus spiritus est, « potest quidem universaliter dici, quia & Pa- « ter spiritus, & Filius spiritus, & Pater sanctus, « & Filius sanctus. Et post pauca: Spiritus sanc- « tus quædam Patris Filiique communio est, « & ideo fortasse sic appellatur, quia Patri & « Filio potest eadem appellatio convenire. Ut er- « go ex nomine quod utrisque convenit, utrius- « D que communio significetur, vocatur donum « amborum Spiritus-sanctus. Idem in xv. multis « exemplis doceri potest multarum rerum vo- « cabula & universaliter poni, & propriè qui- « busdam rebus adhiberi. Hoc ideo dixi, ne « quisquam propterea nos inconvenienter exis- « timet caritatem appellare Spiritum sanctum, « quia & Deus Pater, & Deus Filius potest ca- « ritas nuncupari. Sicut ergo unicum tum Ver- « bum vocamus propriè nomine Sapientiæ, cum « & Spiritus-sanctus & Pater ipse Sapientia: ita « Spiritus-sanctus proprie nuncupatur vocabulo « caritatis, cùm sit & Pater & Filius caritas. « E Frequenter quippe contingit, ut nomen commune multarum rerum ad unam earum quasi proprium transferatur; cùm ceteræ res habeant propria nomina, per quæ scilicet ab invicem distent; hæc vero non habeat nomen; differentiæ sit hujus proprium quod prius commune erat omnium, veluti cum clericos appellamus ad differentiam monachorum, cum tamen & monachi clerici sint, & confessores dicimus ad differentiam martyrum, cùm præcipuè martyres, id est testes, dicendi sint

Columbæ variæ proprietates.

Luc 12. 49.

Similia habet Augustinus l. xv. c. 19.

Cap. 17. n. 30.

Aliquando nomen commune ad quædam quasi propriù transfertur.

confessores, qui usque ad mortem etiam in confessione divini nominis perseverant. Multa quoque alia sunt prophetiarum loca, ex quibus apertè Trinitatis discretio traditur.

De generatione æterna Filii. Psal. 2. 7. Generationem quidem Filii æternam ex Patre ipse David apertè docuit, ubi personam Filii introducit loquentis sic. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam &c.* Tale est autem quod ait *Ego hodie genui te*, ac si diceret, æternaliter ex ipsa mea substantia es. Nam quia in æternitate nihil est præteritum aut futurum, sed tantummodo præsens, idcirco adverbio temporis præsentis pro æternitate usus est, dicendo *hodie* pro æternaliter. Bene autem ad *hodie* addidit *genui* quasi præsenti præteritum, ut videlicet ipsam generationem per *Hodie* præsentem semper, per *Genui* perfectam esse indicaret, numquam scilicet aut cessare aut incœptam esse. Quippe quæ præterita sunt jam completa sunt & perfecta: ideoque præteritum quasi pro perfectione posuit, ostendens scilicet Filium ex Patre semper gigni & semper genitum esse. Qui & alibi apertius æternitatem Filii protestatur dicens: *Permanebit cum sole & ante lunam in generatione & generationem.* Et rursum: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* De hac etiam ineffabili & æterna generatione, sive etiam temporali, quarum utraque mirabilis est, Isaias admirans ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* ac si apertè diceret: Non est hoc differere humani ingenii, sed solius Dei, cujus tamen spiritus in his fidelibus quos vult loquitur, ipso attestante, qui ait: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Hieronymus etiam super Ecclesiasten eo loco quo dicitur: *Quis scit spiritus* [a] *filiorum hominum si ascendat sursum, & spiritus pecoris descendat deorsum in terram.* „ Illud quod dictum est *Generationem ejus quis* „ *enarrabit?* ad exemplum difficilis non impos„sibilis trahit dicens, adjiciendo *Quis*, difficul„tatem rei voluit demonstrare. Pronomen enim „ *Quis* in scripturis sanctis non pro impossibili, „ sed pro difficili semper accipitur, ut ibi gene„rationem ejus, id est Christi, quis enarrabit? &c. Hæc etiam Sapientiæ coæternitas cum Patre planè in Proverbiis monstratur his verbis: *Ego sapientia habito in consilio. Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quicquam faceret à principio. ab æterno ordinata sum antequam terra fieret, necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat & cardines orbis terræ. quando præparabat cœlos aderam, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.* Quid enim apertius ad æternam

Psal. 71. 5. Psal. 109. 3. Isaiæ 53. 8. Math. 10. 20. Prov. 8. 12.

[a] In Vulgata *Spiritus filiorum Adam.... & Spiritus jumentorum.*

A generationem Verbi, quàm id quod ipsa Sapientia perhibet, se ante mundi constitutionem conceptam esse & parturiri, & se cum Patre æternaliter permanentem semper ludere coram eo. quippe quod conceptum parturitur, utique in ipso est à quo generatur. Et Sapientia in ipsa substantia sive essentia potentia est, cum ipsa scilicet quædam sit potentia, sicut posterius ostendemus. Tale est ergo Sapientiam conceptam parturiri à Deo, ac si dictum sit, ipsam Sapientiam ex ipsa Patris substantia, in qua est, gigni. Tale est Sapientiam ludere coram Patre & cum ipso cuncta componere, ac si dixerit, ipsam divinam Potentiam omnia in Sapientia pro bonitatis suæ arbitrio disponere, ut in ipso ludo ipsum bonitatis affectum intelligamus: de quo scriptum est: *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quod vero ait Sapientiam coram Deo Patre semper assistere, tale est, ipsam omnipotentiam nihil efficere, nisi præeunte ratione & ducatu Sapientiæ. Item idem in eisdem Proverbiis de Filio Dei & ineffabili nomine ipsius quoque Filii manifestissimè scribit, quasi induens personam admirabilis cujusdam prophetæ hanc inenarrabilem generationem prophetantis & admirantis. Dicit quippe sic: *Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait: Quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, & quod nomen Filii ejus?* quam firmum etiam, quamque apertum fidei nostræ testimonium in ecclesiastico occurrit, ubi quidem Sapientia Dei & se primogenitam ante omnia dicit secundum divinitatis naturam, & postmodum creatam secundum naturæ nostræ assumtionem, cum ipsa videlicet ad imperium Patris per Incarnationis habitum visitavit Israel. Scriptum quippe est ibi: *Sapientia in multitudine electorum habebit laudem & inter benedictos benedicetur* dicens: *Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola &c.* Et post pauca: *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creavit me requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Jacob in habita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices.* In eodem quoque libro appertissimè peccatorum remissionem consistere in Incarnatione divinæ Sapientiæ, quæ Christus est, prophetat, dicens peccata David per Christum purgata esse. Ibi enim cum de laude David plurima dicerentur, summa totius laudis in hoc uno collecta est, quo subdicitur: *Christus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ejus, & dedit illi testamentum regum, & sedem gloriæ in Israël.*

Psal. 32. 6. Prov. 30. 1. Eccli. 24. 4. Ibid. 12. Ibid. 44. 13.

Michæas quoque de hac æterna Verbi generatione ex Patre, necnon & de temporali ex matre ait: *Et tu Bethleem Effrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab*

Mich. 5. 2.

Invectio in Judæos. *initio à diebus æternitatis.* Dicant rebelles & increduli Judæi, de quo nascituro in Bethleem hoc dictum sit, quod videlicet egressus ejus ab initio sit à diebus æternitatis. Æternum quippe est quod origine caret. quod si hoc referant ad Messiam, illum scilicet maximum prophetam, ut aiunt, quem expectant, qui tamen secundùm eos homo purus erat, non etiam Deus; ostendant quis egressus ejus æternus sit, vel unde æternaliter egrediatur. Si autem dicant eum æternaliter egredi ex Bethleem, eo quod ejus nativitas in eo loco futura ab æterno provisa sit à Deo & prædestinata: hoc utique modo cujuslibet hominis, vel cujuslibet rei nativitas æterna est, quia videlicet ab æterno provisa. Discant itaque æternam generationem esse, quam & scriptam legunt, & legendo profitentur, & profitentes non credunt. Respondeant etiam mihi Psal. 32. 6. cum audiunt prophetam dicentem: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, quid per Verbum Domini, quid per os ejus, vel per Spiritum ejus intelligant. Unum quippe omnium aliarum rerum principium Deum esse constat; & omne quod est, aut Deus est, & ideo æternum, aut ab æterno illo principio manet creatum. Genes. 1. 1. Scriptum præterea est: *In principio creavit Deus cœlum & terram*: unde ante hæc nihil creatum esse volunt. Verbum itaque illud quo cœli firmati sunt, & ideo prius est his quos constituit, creatum non est, immo creator, ipse, qui Deus est, quo cœli firmati sunt. Si autem hoc Verbum locutionem aliquam Dei transitoriam appellent, sicut & verbum hoPs. 32. 9. minis, eo videlicet quod scriptum est, *Dixit Deus & facta sunt*; atque ita Deus quoque sicut homo modo loquitur, cùm ait: *Fiat lux*, modo conticeat, profecto permutabilis est divinitatis æternitas, cùm non semper dicat Gen. 1. 3. *fiat lux*, & cetera quæ jam condita sunt. Quid etiam opus Verbo audibili fuit ante mundi constitutionem, cùm nondum esset cui loqueretur, vel qui audiret? Numquid mane Verbum non protulit, si opus verbo non fuerit? præsertim cum sola voluntas sufficeret, nec adhuc aliquis esset qui audito instrueretur. Quo etiam proferendo verbum emitteret, cùm nullus adhuc locus creatus esset, nec aër adhuc conditus ex quo verba formantur? Quibus etiam instrumentis verba formaret, cùm nec os, nec pars aliqua inesse possit ei qui omnino simplex est & indivisibile? omne quippe quod partibus constat, posterius est naturaliter his ex quibus constat, & quorum conventu proficitur, cùm ex ipsis esse suum contrahat ex quibus est constitutum. Omne etiam, inquit Plato, quod junctum est, natura dissolubile est. Quod si Spiritum Domini ventum intelliGenes. 1. 2. gant, sicuti ibi accipere volunt: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, eo, ut aiunt, quod ventus in aquis quas commovet maximè appareat, quomodo Spiritus, id est flatus oris Domini esse dicatur, cùm videlicet, neque os, neque aliquam partem, ut dictum est, ha-

A beat? Quomodo etiam per ventum virtus cœli & terræ subsistit? Intelligant ergo hunc esse illum Spiritum Domini, cujus septiformem gratiam Ysaias describens ait: *Et requiescet* Isa. 11. 2. *super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis &c.* Et alibi: *Et nunc Dominus misit me, & Spiri-* Ibid. 48. 16. *tus ejus.* Et rursus: *Spiritus Domini super me*, Ibid. 61. 1. *eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* De quo etiam in Sapientia dicitur: *Sanctus Spiritus disciplinæ effugiet fictum.* Sap. 1. 5. *Benignus est enim Spiritus Sapientiæ &c.* De quo iterum cùm subditur: *Et hoc quod continet* Ibid. 7. *omnia scientiam habet vocis*, apertè ipse Spiri-B tus Deus esse perhibetur, cùm omnia continere dicatur. Et iterum ad Deum loquens Sapientia dicit: *Sensum autem tuum quis scivit*, Sap. 9. 17. *nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum-sanctum tuum de altissimis?* Et rursum: *O quam* Sap. 12. 1. *bonus & suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis.* Hic etiam cùm ipse Spiritus Sapientiæ describeretur, verus Deus planè prædicatur, cùm inter cetera de eo scriptum sit in Sapientia sic: *Omnem habens virtutem, omnia* Sap. 7. 23. *prospiciens*, & quod capiat omnia Spiritus. Quem etiam Heliud in libro Job creatorem profitetur dicens: *Spiritus Domini fecit me*, Job. 33. 4. *& spiraculum omnipotentis vivificavit me.* Cui C & Filius ipse Dei in Evangelio æqualem sibi & Patri dignitatem adscribens ait: *Ite doce-* Matth. 28. 19. *te omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Necnon & Apostolus, teste Augustino, cùm templum Spiritus-sancti nominat, aperte eum esse Deum pronunciat, cum solius Dei templum esse dicatur. Scriptum quippe est in Apostolo: *Ne-* 1. Cor. 3. 16. *scitis quod templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis?* Ubi apertè insinuat Deum ipsum cujus est templum, & Spiritum Dei quem inhabitare dicit, idem esse. Sic & B. Petrus in Actibus Apostolorum Spiritum-sanctum Deum esse profitetur, dicens: *Ut quid* Act. 5. 3. D *mentitus es Spiritui-sancto Anania? non es mentitus hominibus, sed Deo.* De quo iterum Spiritu in eisdem Actibus continetur: *Hæc dicit* Act. 13. 2. *Spiritus jubens: Separate mihi Barnabam & Paulum &c.* Et rursum: *Placuit Spiritui-sancto* Act. 15. 28. *& nobis.* Et Psalmista Spiritum Dei ubique esse tamquam incircumscriptum profitetur dicens: *Quo ibo à Spiritu tuo?* Qui & statim ut Ps. 138. 7. ipsum Spiritum Dei, quem ubique esse profitetur, idem esse cum ipso Deo, ad quem loquitur, insinuet, per hoc patenter ostendit, quod statim Spiritum ubique esse assignat per ipsum Deum, quem ubique astruit dicens: E *Si ascendero in cœlum tu illic es &c.* Sed & cùm Matth. 12. Veritas ipsa perhibet peccatum in Spiritum non 32. esse remissibile, cùm peccatum in Patrem & in Filium remissibile dicat, cui apertè non insinuet Spiritum ipsum non minorem esse Patre & Filio, ac per hoc ipsum etiam Deum plenum esse sicut est Pater ipse, vel Filius? Liquet itaque ex supra positis tam Verbum Dei, quàm Spiritum ejus Deum esse, sicut & ipse cujus est Verbum vel Spiritus. Intelligant igitur

A igitur ut dictum est, hoc Verbum Domini, id est Filium Dei, non transitorium verbum, non audibile, sed intellectuale, hoc est ipsam rationem sive Sapientiam coæternam Deo, quam dici convenit omnisapientiam, sicut & dicimus omnipotentiam. Unde & scriptum est:

Eccli. 1. 1.

Omnis Sapientia à Domino Deo est & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Qui etiam in libro Sapientiæ verus Dei Filius & consubstantialis monstratur, ad differentiam scilicet adoptivorum filiorum, de quibus per prædicationem ejus Deo acquisitis scriptum est,

Joh. 1. 12.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sic quippe cùm ejus passio in Sapientia manifestè propheraretur, inter cetera ab impiis dictum est:

B

Sap. 2. 18.

Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit de manu contrariorum. Hanc & apertè generationem profitetur sancta anima per Deum liberata, cùm in Ecclesiastico dicit:

Eccli. 51. 14.

Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ.

Testimonia philosophorum de Deo.

Nunc autem post testimonia prophetarum de fide Trinitatis, libet & testimonia philosophorum supponere, quos ad unius Dei intelligentiam tum ipsa philosophiæ ratio perduxit, qua juxta Apostolum

Rom. 1. 20.

invisibilia ipsius Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, tum ipsa continentissimæ vitæ sobrietas quodam eis merito id ipsum acquisivit.

C

Oportebat quippe ut tunc etiam in ipsis præsignaret Deus per aliquod abundantioris gratiæ donum, quàm acceptior sit ei qui sobriè vivit, & se ab illecebris hujus mundi per contemtum ejus subtrahit, quàm qui voluptatibus ejus deditus spurcitiis omnibus se immergit. Quantæ autem abstinentiæ & [a] continentiæ philosophi fuerint, sancti etiam doctores tradunt, qui & eorum vitam ad nostram increpationem [b] inducunt, & pleraque ex documentis eorum moralibus vel testimoniis fidei ad ædificationem nostram assumunt: quod qui ignorat, legat saltem Hieronymum contra Jovinianum, & viderit quanta de eorum virtutibus vel ceterorum gentilium referat, ad impudentiam scilicet illius hæretici conterendam. Maximè autem & nos hoc opere testimoniis seu rationibus philosophorum niti convenit, in quo adversus eos præcipuè agimus, qui fidem nostram philosophicis nituntur oppugnare documentis, præsertim cum nemo, nisi per ea quæ recipit, arguendus sit, aut convincendus, & ille nimia confusione conteratur, qui per eadem vincitur, per quæ vincere nitebatur.

Ciceronis Testimonium de unico Deo

Philosophos autem unum tantummodo Deum cognoscere, unus ex ipsis Tullius in primo Rhetoricorum perhibet dicens: Eos qui philosophiæ dant operam non arbitrari Deos esse, ac si apertè dicat: immo Deum unum, non deos plures. De quibus etiam Apostolus, teste Augustino, cum Atheniensibus

Act. 17. 28.

loquens rem magnam dixisset, & quæ à paucis posset intelligi, quod in illo scilicet *vivimus, movemur & sumus*, adjecit, sicut & vestri quidam dixerunt. De talibus rursum idem Apostolus ad Romanos scribit:

Rom. 1. 19.

Quod notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis. Nec mirum cùm & Salomonis illa sapientia per concupiscentiam carnalesque voluptates devicta, idololatriæ consenserit, divino cultu, quem in suis & docebat & prædicabat, derelicto. Ad quem etiam cultum Dei magnificandum, ipse jussu Dei templum ædificavit, à quo pater ejus justus inhibitus fuit. Deus autem reprobis etiam & infidelibus nonnumquam maxima dona distribuit, quæ aliorum doctrinæ vel usui necessaria fore videt, necnon & per reprobos multa miracula operatur, de quibus in Evangelio Veritas,

Matth. 7. 22.

Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non novi vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem. Cùm autem per reprobos Deus aut miracula ostendit, aut prophetias loquitur, aut quælibet magna operatur, non ad utilitatem ipsorum [c] agitur, quibus utitur tamquam instrumentis; sed potius aliorum, quos instruere per istos intendat, qui & per indignos ministros gratiæ suæ dona non deserens quotidie sacramenta Ecclesiæ ad invocationem sui nominis [d] specialiter conficit in salutem credentium. Bene autem & per indignos seu infideles maxima Deus operatur, qui verbis asini

Num. 22. 28.

[e] prophetam docuit, ne si per magnos tantùm magna operaretur, virtutibus meritisque hominis magis quàm divinæ gratiæ hæc tribuerentur.

D

Mercurii testimonium de generatione Verbi.

Primus autem nunc ille antiquissimus philosophorum & magni nominis occurrat Mercurius, quem præcellentia sua Deum quoque appellaverunt: cujus quidem testimonium de generatione Verbi Augustinus contra quinque hæreses disputans inducit dicens:

Cont. quinque hæres. c. 3.

« Hermas qui latine Mercurius dicitur, scripsit librum qui [f] Logostilcos appellatur, id est « Verbum perfectum, audiamus quid loquatur « de Verbo perfecto. Dominus, inquid, & « omnium factor Deorum secundum Domi- « num fecit. Hunc fecit primum & solum & « [g] verum. Bonus autem ei visus est & plenissi- « mus omnium bonorum. Lætatus est, & valde «

E

[a] In Introductione ad Theologiam *incontinentia* male omnino & contra auctoris mentem.

[b] Ibid. *advehunt*.

[c] In Introductione ad Theologiam pro *agitur* legitur *agere*, quod nullum efficit sensum.

[d] Ibid. *Spiritualiter*, melius in codice nostro *specialiter*.

[e] Scriptura *Ariolum* vocat non prophetam.

[f] In Introduct. ad Theol. λόγος τέλειος melius ut in libro contra quinque hæreses λόγιε τέλειος.

[g] In lib. contra quinque hæreses legitur *solum & unum*: sed fratres nostri in novissima editione operum S. Augustini notant in quibusdam mss. legi *solum & verum*.

» dilexit eum tamquam unigenitum suum. Item » alio loco dicit: Filius benedicti Dei atque » bonæ voluntatis, cujus nomen non potest » humano ore narrari. Augustinus quem primo factum dixit, postea unigenitum appellavit. quantum plenissimus sit Johannes Evangelista dicit; *De plenitudine ejus omnes accepimus.* (Joh. 1. 16.) Deos autem, hoc est animalia rationalia immortalia philosophi planetas seu etiam mundum ipsum vocare consueverunt. unde & Propheta solem & lunam & cetera militiam cœli vocat, morem gentilium secutus, qui eis tamquam rectoribus suis & protectoribus suis immolabant. Horum autem deorum excellentiores juxta Platonem summus Deus de creatione hominis facienda alloquitur, quasi omnia quæ in terra deorsum fiunt à superioribus per occultas planetarum ac syderum naturas administrentur. [a] » Ita enim dicit: [a] Dii deorum quorum opi- » fex idem paterque ego, opera vos siquidem » mea dissolubilia naturâ, me tamen ita no- » lente indissolubilia &c. ad hoc & illud per- » tinet quod in octavo de Civitate Dei de Pla- » tonicis dicitur. (Aug. de Civitate Dei lib. 8. c. 14.) Omnium, inquiunt, anima- » lium in quibus est anima rationalis tripertita » divisio est, in deos, homines, dæmones. Deo- » rum sedes in cœlo, hominum in terra, in » aëre dæmonum. Et Boëtius super Porphi- » rium, quandocumque, inquit, deum subpo- » nimus animali, secundùm opinionem eam fa- » cimus, quæ solem stellasque atque hunc totum » mundum animatum esse confirmat, quos etiam » deorum nomine appellàverunt. Beatus autem Augustinus, quod dicitur, de sole & ceteris cœlestibus luminaribus nequaquam refellere audet, sed sibi incertum esse profitetur, utrum videlicet quidam rectores spiritus illis insint, per quos etiam vivificentur, & quod mirabile dictu videtur, dicit etiam se ignorare, utrum hæc quoque pertineant ad societatem eorum, quos nos christiani angelos » vel cœlestes spiritus dicimus. unde in Enchi- » ridion ita dicit: (August. Ench. c. 57.) Utrum Archangeli appel- » lentur Virtutes, & quid inter se distent Se- » des, sive Dominationes, sive Principatus, » sive Potestates, dicant qui possunt, si tamen » possunt probare quod dicunt. Ego me ista » ignorare profiteor. Sed nec illud certum ha- » beo, utrum ad eamdem societatem perti- » neant sol & luna & sidera, quamvis nonnulla [b] » lucida esse corpora non [b] cum sensu vel » intelligentia videantur, ne quis fortè sacris eruditus litteris abhorreat Hermetis philosophi verba, quibus videlicet ait de Deo patre qui secundum fecerit dominum, hoc est genuerit filium, cum profecto Deus filius à Deo patre nec factus nec creatus, sed tantum sit genitus; sciat etiam à catholicis & sanctis doctoribus multa de eadem generatione similiter abusivè prolata. Cùm nonnumquam Patrem auctorem Filii, vel eum procreasse, vel Filium à Patre formatum, vel ipsius Patris esse effectum abusivè pronuncient. Unde Hilarius de Trinitate lib. III. (Hil. l. 3. de Trin. 3.) secundum Apostolum [c] quia *in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Col. 2. 9.), sed incomprehensibiliter, ine- « narrabiliter, ante omne tempus & sæcula; « Unigenitum ex his quæ ingenita in se erant « procreavit, omne quod Deus est per cari- « tatem atque virtutem nativitati ejus imper- « tiens: ac sic ingenito, perfecto, æternoque « Patri unigenitus & perfectus & æternus est « Filius. Ea autem quæ ei sunt secundum cor- « pus quod assumsit, bonitatis ejus ad salutem « nostram voluntas est. Item in XI. (Lib. 11. n. 12.) *Verba quæ* « *loquor vobis non à me loquor.* (Joh. 14. n. 10.) Nam dum non « à se loquitur, auctori eum necesse est debere « quod loquitur. Item, ad id quod agit secun- « (Ibid.) dùm nativitatem sibi pater auctor est. Rur- « sus idem libro XII. (Lib. 12. n. 21.) de non nato Deo Patre & nato ab eo Filio loquens ait: Neque ip- « sum non natum atque nasci, quia illud ab « altero, hoc vero à nemine est, & aliud est « sine auctore esse semper æternum, aliud quod « Patri, id est auctori est [d] æternum. Ubi « enim Pater auctor est, ibi & nativitas est. At « vero ubi auctor æternus est, ibi & nativitatis « æternitas est, quia sicut nativitas ab auctore « est, ita & ab æterno auctore æterna nativi- « tas. Item, (Ibid.) Quod ex æterno natum est, id si non æternum natum, jam non erit & Pater « auctor æternus. Si quid igitur ei, qui ab « æterno Patre natus est, ex æternitate defue- « rit, idipsum auctori, [e] qui Pater est, non « est ambiguum defuisse: quia quod gignenti « est infinitum, infinitum est etiam nascenti. « Item ex æterno nihil aliud quàm æternum. « quod si non æternum, jam nec Pater, qui « generationis est auctor, æternus. Item ex te « natus ostenditur, ut nihil aliud quàm te sibi « significet auctorem. Idem in Psalmo CXXXVIII. « (Hil. in Psal. 138. n. 15.) *Tu formasti me & posuisti super me manum* « *tuam*, utrumque significat, ut quod formavit « antiquum sit, quod superposuit manum, « novissimum sit. Quod enim secundùm natu- « ram divinitatis formatus sit, Apostolus docet « dicens: *Qui cum in forma Dei esset* (Phil. 2. 6.), quod « enim in forma est [f] formatur in forma « & ei Pater naturæ & divinitatis est, ut re- « ferri possit ad Patrem, & formatus ab ipso « sit. Augustinus [g] Quæstionum veteris & « novæ legis cap. LVII. Deus pater de se fi- « lium generavit, in quo ipse videtur, qui nihil « ab eo distaret, ut magnitudini suæ congruus «

[a] In Introd. ad Theol. *Dum deorum quæritur opifex idem paterque ego.*

[b] Ibid. *Consensu.*

[c] Non apud Matthæum, sed in epistola Pauli ad Colossenses hic textus reperitur.

[d] Apud Hilarium non simpliciter *æternum*, sed *coæternum* legitur.

[e] Hæc verba *qui pater est* desiderantur apud Hilarium, quæ tamen reperiuntur in duobus mss. In Introd. ad Theologiam *quidem pater est* omnino malè.

[f] Apud Hilarium *formatur in formam, & quidem paterna natura & divinitatis formam.* In novissima editione operum S. Hilarii Abaelardi lectio quæ in unico reperitur mss. tamquam mendo a rejicitur.

(g) Hic liber non est S. Augustini. Plerique viri eruditi hoc tempore existimant auctorem habere Hilarium diaconum qui tempore Damasi papæ vixit.

respondere effectus. Item: Simillimum itaque suum Filium creans edidit ex se quasi alterum se. Idem in eodem: Habuit itaque ante mundum creatæ sobolis principatum, ut pater rerum futurus ante esse debuerit pater proprius, hoc est proprii sui fœtus. Quid itaque mirum cùm in verbis quoque ecclesiasticorum ac sanctorum doctorum nonnulla tam abusivè proferantur ad generationem Verbi demonstrandam, ut Deus Pater auctor esse Filii sui & eum procreasse, vel Filius ab eo creatus, vel ejus esse dicatur effectus, secundum id scilicet quod ab eo est genitus potius quàm creatus vel factus, & ille tantum genitor potius quàm creator vel auctor. Quid, inquam, mirum si prædictus philosophus Hermes videlicet [a] nullis ecclesiasticis imbutus disciplinis, abusitionem verborum non [b] caverit, dicendo scilicet fecisse pro genuisse? Quod etiam eum secundum à Patre Filium dixerit, à verbis quoque sanctorum alienus non extitit. Unde & Hilarius de Trinitate in XII. Filius ex te Deo Patre Deus verus, & à te genitus post te ita confitendus ut tecum, qui æternæ originis suæ auctor æternus es. Nam dum ex te est, secundus à te est, secundus, inquam, ex modo subsistendi, non ex differentia dignitatis. Hic quippe à Deo Patre quasi primo loco subsistit, cum Spiritus tamquam tertio loco ab utrisque sit. Unde & Patrem Hieronymus principalem Spiritum ad Filium nominat opere illo suo [c] de Tribus virtutibus ita loquens: David in psalmo tres Spiritus postulat, dicens: *Spiritu principali confirma me. Spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritum-sanctum tuum ne auferas à me.* Qui sunt isti tres Spiritus? Principalis Spiritus, Pater est; Rectus Spiritus, Christus est; Spiritus Sanctus, Spiritus-sanctus est. Augustinus veteris & novæ legis cap. LVIII. Spiritum-sanctum qui tertius sit à Patre, secundus autem à Christo secundùm numeri ordinem.

Platonis de Trinitate testimonium.

Revolvatur & ille maximus Philosophorum Plato ejusque sequaces, qui testimonio sanctorum Patrum præ ceteris gentilium philosophis fidei christianæ attendentes [d] totius Trinitatis summam post prophetas patenter [e] ediderunt, ubi videlicet Mentem, quam Noym vocant, ex Deo natam atque ipsi coæternam esse perhibent, id est Filium quem Sapientiam Dei dicimus ex Deo Patre æternaliter genitum. qui nec Spiritus sancti personam prætermisisse videntur, cùm animam mundi esse astruerint tertiam [f] à Deo & Noy personam. Ac primum ea diligenter consideremus quæ à Platone de hac anima

A dicta sunt, à quo ceteri philosophi, qui de anima ipsa dixerunt, habuisse creduntur. Hanc itaque mundi videlicet animam quasi tertiam à Deo & Noy personam distinguens, prolixiori ac diligentiori descriptione prosequens, eam tam in se ipsa quàm in effectis suis integerrima designatione declarat. Juxta quod & nos Spiritum-sanctum modo secundùm effecta operum suorum dicere solemus, modo secundùm naturalem bonitatis suæ affectum, quem in seipso ab æterno habuit, sicut diligentius postmodum distinguemus. Nunc autem illa Platonis verba de anima

Quæ de anima mundi scripsit Plato, ea de Spiritu-sancto interpretatur Abaëlardus

B mundi diligenter discutiamus, ut in eis Spiritum sanctum integerrimè designatum esse agnoscamus. Dicit itaque hanc ante mundi constitutionem factam sive genitam à Deo esse, in quo Spiritus-sancti perpetuam processionem, qua ex Deo Patre est, nobis, ni fallor, insinuat. Solent quippe philosopi factum ex Deo sive genitum dicere omne quod à Deo habet esse. Unde & Hermes superius Filium Dei factum à Deo dixit, pro hoc quod ab ipso habet esse tamquam æternaliter genitus, non temporaliter ab ipso factus aut creatus. Plato quoque omne quod à Deo esse habet genitum ex ipso dicit, non tamen

C omne quod à Deo est filium ejus esse, velut ipsum mundum & cetera ejus opera. Ait autem sic, cùm de mundo antea locutus ad animam mundi pervenisset, nec tamen, inquit, eo quo nos ad præsens loquimur ordine ortam animæ Deus annuit, junioremque ac posteriorem corporibus eam fecit. Neque enim decebat rem antiquiorem à postgenita *rei. Item: Deus tam antiquitate quàm virtutibus præire animam naturæ corporis jussit; dominamque eam & principali jure voluit esse circa id quod tueretur. In quo etiam notandum est quod dum eam præesse regimini mundi ut dominam dicit, profectò eam

* f. regi

D omni præfert creaturæ, & Deum esse astruit, quàm postmodum his verbis animam mundi vocavit. Hoc dixit & demum reliquias prioris concretionis, ex qua mundi animam commiscuerat &c. Bene autem Spiritum-sanctum animam mundi quasi vitam universitatis posuit, cùm in bonitate Dei omnia quodammodo vivere habeant, & universa tamquam viva sint apud Deum, & nulla mortua, hoc est nulla inutilia, nec ipsa mala quæ etiam optimè per bonitatem ipsius disponuntur, juxta quod tam apud Evangelistam, quàm apud Platonicos scriptum esse meminimus,

E *Quod factum est in ipso vita erat*, ac si apertè dicatur, omnia temporaliter facta per ipsum, hoc est per ipsam Dei bonitatem condita, in ipsa Dei bonitate quodammodo perenniter vivebant, cùm apud divinam providentiam omnia ab æterno per ejus bonitatem optimè essent ordinata, ut tam bene singula procedere vellet quantum oporteret. Huic non incongruè illud Apostoli consonare videtur, quod perhibet philosophorum quosdam dixisse, quod in Deo *vivimus*, *move-*

Joh. 1. 3.

Act. 17. 28.

[a] In Introd. ad Theologiam legitur *in illis* pro *nullis*, quæ verba contrarium omnino efficiunt sensum.

(b) Ibid. *curaverit*.

(c) Inter opera S. Hieronymi nullum extat opus de Tribus virtutibus.

(d) In Introductione ad Theologiam *accedentes*. Melius meo quidem judicio codex noster ms. *attendentes*.

(e) Ibid. *addiderunt*.

(f) Ibid. *à Deo νοῦν* mendosè omnino nisi restituatur *à Deo & νοῦ*.

mur, & sumus, ac si hanc animam mundi ipsum intelligerent Deum. Quod verò dicit Deum excogitasse tertium animæ genus, quod animam mundi dicimus, tale est ac si tertiam à Deo & Noy personam astruat esse Spiritum-sanctum in illa spirituali divina substantia. Excogitare dicitur Deus, hoc est ex integro percipere hujus personæ discretionem, quam nos dignè cogitare atque ab ipso Patre & Filio plenè distinguere non sufficimus. Tantumdem etiam valet aliquid à Deo excogitari aliquo modo, quàm illud se habere illo modo, hoc est ita veraciter esse. Deinde statim hujus tertiæ personæ, quam animam mundi collocat, diligentem adhibet descriptionem, cùm animam ipsam ex individua & incommutabili substantia consistere perhibet. ac rursus ex dividua secundùm quod scilicet seipsam anima scindere per corpora putatur. Nam & Spiritus-sanctus & in seipso simplex omnino substantia est, & ex natura divinitatis omnino invariabilis atque incommutabilis in seipso perseverat, atque idem Spiritus per effecta multiplex quodammodo vocatur, & septem Spiritus nonnumquam dicitur, secundùm septiformis gratiæ suæ efficaciam: unde & in laude divinæ Sapientiæ Spiritus ejus & unicus & multiplex & discurrens & stabilis esse describitur. Dicit itaque Philosophus animam ipsam esse ex individua semperque in suo statu perseverante substantia. Itaque per alia quæ inseparabilis comes corporum, per eadem se corpora scindere putatur, quia Spiritus-sanctus & hujusmodi est, quod ex suo statu, quem in seipso non in effectis suis habet, omnino simplex est atque incommutabilis, & quodammodo multiplex esse secundùm effecta putatur, quod est seipsum in corpora scindere secundùm quod ipsa videlicet anima inseparabilis comes est corporum, cùm hanc scilicet multiplicitatis scissuram nullo modo quantum ad seipsam habere possit, sed solummodo quantum ad effecta. Egregiè quoque putari dictum est & non esse, quia si verè ac propriè loquamur, non est hæc multiplicitas Spiritus, sed effectorum ipsius, cùm eum videlicet in hoc uno multiplicem dicamus, quia multiplicia facit, quod est effecta ejus magis esse diversa, quàm ipsum. Cùm itaque in ipsa anima mundi individua & dividua, sive ut dictum est eadem & diversa concurrit substantia, addit his duobus in ipsa anima sibi concurrentibus quamdam mixturam effici ex individuo scilicet & dividuo, sive ex eodem & diverso, hoc est incommutabili & commutabili. In qua quidem, ut ita dicam, mixtura Spiritus-sancti proprietas diligenter & integrè videtur expressa, tam in seipso scilicet, quàm in effectis, ut dictum est, suis. Dicit itaque quia Deus hoc tertium substantiæ genus ita, ut dictum est, mixtum, locavit medium inter utramque substantiam; individuam scilicet & dividuam, quia cum sit ipse quoque Spiritus ex Deo tamquam ex ipso procedens, utrumque horum ab ipso habet, à quo esse habet: & hoc est dicere quod Deus locavit hoc ipsum animæ genus inter utraque supradicta quasi medium eorum, hoc est mixtum ex eis, ac si diceret, quod ab ipso Deo, à quo ipsa est anima, tam hoc quàm illud habet, ut videlicet & individua sit in sua substantia & dividua secundùm effecta. Quod autem dictum est locavit, congruè dictum est juxta metaphoram locutionis, qua dictum est medium quasi inter aliqua circumstantia collocatum. Postquam autem designavit mixturam animæ, ex individuo ac dividuo, transit ad mixturam ex eodem & diverso, dicens eamdem animam, eodem modo ex eodem & diverso consistere, sicut ex individuo consistit atque dividuo. Cujus, inquit, pars idem, pars diversum vocetur, cùm videlicet Spiritus ipse & idem sit in substantia cum Deo & Noy, id est cum Patre & Filio, & diversus in proprietate personæ. Possumus etiam eumdem, hoc est incommutabilem in se, eum dicere & diversum quodammodo per effecta esse, cùm non solum ipse ea quæ diversa sunt fecerit, secundùm quod superius dictum est, ex individua constare substantia, verum etiam ea per temporum successionem mutat ac variat, prout opportunum esse judicat, juxta illud Boetii, Stabilisque manens dat cuncta moveri. Et jam quidem superius incommutabilem esse assignaverat, cùm ait, semperque in statu suo perseverante substantia, sed quod variabilis [a] per effectuum suorum mutationem esset, nondum addiderat, quod nunc facit. Bene itaque dicit animam ipsam quoddam medium esse, id est mixtum ex individua in se substantia & dividua per conjunctionem corpoream, id est conjunctionem ipsius ad corpora, quando scilicet ipsa ad res quaslibet creandas vel regendas atque disponendas se applicat, sicut [b] quælibet anima corpori suo sua impertiens beneficia, cui etiam Philosophus totam vim & concordiam proportionalem numerorum tribuit, ut in divinæ gratiæ bonitate universarum rerum concordiam consistere doceat. Omnis quippe ordo naturæ & concinna dispositio numerorum proportionibus vestigatur atque assignatur, & omnium perfectissimum exemplar numeris occurrit quod rebus congruit universis, quod quidem eos non latet qui philosophiæ rimantur arcana. Hinc est etiam quod arithmetica, quæ tota circa proportiones numerorum consistit, mater & magistra ceterarum artium dicitur, quod videlicet [c] ex discretione numerorum ceterarum rerum vestigatio doctrinaque pendeat. Cujus etiam ut ineffabilem exprimerent benignitatis dulcedinem, totam ei musicarum consonantiarum ascribunt harmoniam, qua & ipsum jugiter resonare firmamentum, & superiores mundi

(a) In Introductione ad Theologiam *Per effectum & suorum mutationem.*
(b) Ibid. *animalis anima.*
(c) Ibid. *ex dissectione.*

partes repleri perhibentur. Nihil quippe est quod ita oblectet, & nimia suavitate sui alliciat animos, sicut melodia. Nihil est ita pronum ad eos componendos vel commovendos vel pacandos, ut juxta illud primi capituli Boëtianæ musicæ scirent philosophi, quod nostræ tota animæ corporisque compago musica coaptatione conjuncta sit: adeo quod ut iracundias insaniasque melodia sedaret, & gravissimarum infirmitatum dolores curari animadverterent atque efficerent: quod qui ignorat, nec adhuc experimento didicit, legat prædictum musicæ capitulum, & inveniet quomodo Pitagoras [a] ebrium adolescentem sub Frigii modisono incitatum, Spondæo succinente reddidit mitiorem, & sui compotem. Nam cum scortum, inquit, in rivalis domo esset clausum, atque ille furens domum vellet amburere, cumque Pitagoras stellarum cursus, ut ei mos nocturnus, inspiceret, ubi intellexit sono Frigii modi incitatum, multis amicorum ammonitionibus à facinore noluisse desistere, mutari modum præcepit atque ita furentis animum adolescentis ad statum mentis pacatissimæ temperavit. Inveniet etiam quod cùm vinolenti adolescentes tibiorum etiam cantu, ut fit, [b] instincti mulieris pudicæ fores frangerent, ammonuisse tibicinam, ut Spondæum caneret, Pitagoras dicitur: quod cùm illa fecisset, tarditate modorum & gravitate canentis illorum furentem petulantiam consedasse. Videbit ibidem & quomodo Terpander atque Arion Lesbios atque Iones gravissimis morbis cantus eripuere præsidio; necnon & qualiter Ismenias Thebanus Boëtiorum pluribus, quos [c] sciatici doloris tormenta vexabant, modis fertur cunctas abstersisse molestias. Ubi etiam Empedocles cùm ejus hospitem [d] quidam gladio furibundus invaderet, inflexisse modum canendi dicitur, atque adolescentis iracundiam temperasse. In tantum vero, inquit Boëtius, priscæ philosophiæ studiis vis musicæ artis innotuit, ut Pitagorici cùm diurnas in somno resolverent curas, quibusdam cantilenis uterentur, ut eis lenis & quietus sopor irreperet. Itaque [e] experrecti aliis quibusdam modis stuporem somni confusionemque purgabant. Id nimirum scientes quod nostræ tota animæ corporisque compago musica coaptatione [f] & juncta sit. Nam ut sese corporis affectus habet, ita etiam pulsus cordis motibus incitantur. quod scilicet Democritus Ypocrati medico tradidisse fertur, cùm eum quasi insanum, cunctis [g] civibus id opinantibus, in custodia medendi causa viseret. Sed quorsum istic? quia non potest dubitari quin nostræ animæ & corporis status eisdem quodammodo proportionibus videatur esse compositus, quibus harmonicas modulationes posterior disputatio conjungi copularique monstrabit. Quod si parum fidelibus videantur quæ juxta philosophos de virtute diximus harmonica, nisi & sacræ id scripturæ testimonio confirmemus; occurrat memoriæ qualiter in spiritu malo in Saül irruente, actum est virorum prudentium consilio vim harmonicæ suavitatis non ignorantium, ut vesaniæ tantæ stimulis Davidici moduli mederentur. Unde & postmodum vir Deo plenus cum ad divini cultus religionem amplificandam templum ædificare disponeret, psalmos qui decantarentur composuit, & omnium musicorum instrumentorum genera congregavit, ut tam vocum quàm sonorum consonantiis rudem alliceret populum, per quæ antea diabolicum in reprobo rege mitigarat tormentum. Ex quo præcipuè traditur quàm naturalis animæ sit harmonica modulatio, quæ ita naturam ejus suavitate sui componere ac reparare valet, ut maligni quoque spiritus tormenta eam perturbare non queant. Bene itaque philosophi, immo Dominus per eos id forsitan ignorantes, tam ipsi animæ mundi, quàm superioribus firmamenti partibus nimiam ac summam harmonicæ modulationis suavitatem assignant, ut quanta pace, quanta fruantur concordia, quàm diligentius possent experimerent, & quàm concorditer cuncta in mundo divina disponat bonitas, quam illi animam mundi, veritas Spiritum sanctum, ut dictum est, nominat. Quis etiam si diligenter attenderit, non animadvertat quod de cœlesti dixerunt harmonia, quæ in superioribus mundi partibus incessanter resonat, cùm cœlestes videlicet spiritus ex assidua divinæ majestatis visione, & summa invicem concordia ligentur, & in ejus quem conspiciunt laudes jugi & ineffabili exultatione illud decantent quod juxta Isaiam Seraphim die ac nocte conclamare non cessant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, &c?* (Is. 6. 3.) Superiores itaque cœli, id est firmamenti, partes beatos hos spiritus vel eorum mansionem intelligimus, quos etiam septem planetarum nomine propter excellentiam claritatis ipsorum, quos spiritualiter divina gratia, quæ septiformis dicitur, illuminat, non incongruè designasse videntur, qui & bene apud Isaiam Seraphim, id est incendium, [h] ex speciali illuminatione gratiæ nuncupantur. Superior autem eorum mansio tam dignitate, quàm positione dicenda videtur, [i] atque hi qui superbierunt in hunc caliginosum & densum aërem detrusi dicuntur, qui loci quoque positione inferior sicut & inhabitatione deterior, inferni nomine non inconvenienter accipi potest. Bene etiam beati spiritus illi, sive superna

(a) In Introd. ad Theol. *Ebrum* quasi nomen proprium, longe rectius codex noster *ebrium* ut sequentia demonstrant.
(b) Ibid. *Instructi in litteris pudicè fores frangerent* melius in nostro codice *instincti mulieris pudica fores frangerent.*
(c) Ibid. *Insiciati.*
(d) Ibid. additur *in vitis patrum.*
(e) Ibid. *expergefacti.*
(f) Ibid. *conjuncta sit.*
(g) Ibid. *Democriti civibus*, sed *Democriti* redundat.
(h) In Introd. ad Theolog. *ex spirituali illuminatione gratia in amorem Dei maxime succensa nuncupatur.*
(i) Ibid. *à qua* forte melius quam *atque.*

illorum mansio firmamento comparatur, qui ceteris per superbiam [a] corruentibus, hoc in suæ fidelitatis & humanitatis remunerationem acceperunt, ut sic in contemplatione divinæ majestatis firmarentur, ut omnino ulterius labi non queant. Unde Gregorius in » Job libro XXVI. Prius, inquit, cœlum factum » dicitur, & hoc idem postmodum firmamen- » tum vocatur, quia natura angelica & prius » subtilis est in superioribus condita, & post ne » umquam potuisset cadere, mirabilius con- » firmata. Idem super Ezechielem homelia » *Creavit Deus cœlum, quod postmodum voca-* » *vit firmamentum.* Cœlum ergo fuerunt hi » qui prius bene sunt conditi, sed postmo- » dum firmamentum appellati sunt, quia ne » omnino jam caderent, virtutem incommu- » tabilitatis acceperunt. Illud quoque quod ait Plato, animam locatam esse à Deo in medietate mundi, eamque per omnem globum terrestris orbis æqualiter porrigi, pulcrè designat gratiam Dei omnibus communiter oblatam, cuncta, prout salubre est vel æquum, benignè in hac magna domo sua seu templo disponere. His autem illud libri Sapientiæ apertè concinit: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, &c.* Atque illud psalmistæ, *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (Sap. 1. 7.) (Ps. 32. 6.)

Hieronymus in Epistola Pauli ad Ephesios » lib. II. Diversitas autem omnium in qui- » bus dicitur unus Deus & pater omnium, qui » super omnia & per omnes & in omnibus di- » versam intelligentiam sapit. Super omnia est » enim Deus Pater, qui auctor est omnium: » per omnes Filius qui cuncta transcurrit, va- » ditque per omnia in omnibus Spiritus-san- » ctus, & nihil absque eo est. Tale quid de crea- » turis & Deo etiam Xeno cum Stoïcis suspi- » catur, quem secutus Virgilius, Deum nam- » que ire per omnes terrasque tractusque ma- » ris, & reliqua. Et

Virg. lib. 6 Æneid.
» *Principio cœlum & terras camposque liquentes,*
» *Lucentemque globum, lunæ Titaniaque astra,*
» *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
» *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Quod verò totum mundum unum animal Plato dicit, maximam concordiam universorum Dei operum demonstrat quasi diversorum membrorum in uno corpore animalis, quibus omnibus una præest anima, singulis tota præsens, & in diversis una & eadem operans diversa. Sic & Apostolus cùm totius Ecclesiæ concordiam unitatemque demonstrat, eam unum corpus Christi appellat, per quosdam nexus & compagines fidei & caritatis ex diversis fidelibus conjunctum, ita sibi invicem servientibus vel administrantibus, quasi diversa membra in uno corpore, ex quibus alterum alterius eget obsequio. Huic & invo-

A lucro de positione scilicet animæ in medio mundi locatæ, hoc est de divina gratia omnibus communiter oblata, ipsæ etiam divina facta manifestè concordant, cùm videlicet doctrinam suam & veræ religionis cultum propagaturus Dominus in mundo, Jerusalem, quæ in medio terræ est, elegit, quam quasi caput regni sui constituit, in qua primum ad magnificandum cultum suum ædificari sibi templum quasi regale palatium voluit, ubi etiam uberrimam Spiritus-sancti gratiam apostolis infudit, qua per eos totus spiritualiter vegetaretur mundus. Unde scriptum est: *Deus autem rex noster operatus est salutem in medio* (Ps. 73. 12.)
B *terræ.* Et rursus: *De Syon exibit lex & verbum Domini de Jerusalem.* (Isa. 2. 3.) Medium autem mundum & quasi umbilicum terræ super illum Ezechielis prophetæ locum quo scriptum est, *hæc dicit Dominus: Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam & in circuitu ejus terras,* (Ezech. 5. 5.) Hieronymus ascripsit his verbis: Jerusalem in medio mundi sitam hic idem propheta testatur, umbilicum terræ eam esse demonstrans. Et psalmista exprimens Domini passionem, *comparatus est*, ait, *salutem in medio terræ*, (Ps. 73 12.) Hic plantata est vinea quæ extendit palmites suos usque ad mare, cùm hinc vitis vera Christus, apostolis suis quasi
C palmitibus per universum orbem directis, universum mundum ubertate doctrinæ spiritualis inebriavit. De hac autem vegetatione & vivificatione Spiritus-sancti sanctus Salvianus episcopus ad S. Salonium episcopum libro primo de Gubernatione Dei Pitagoricum testimonium inducit, dicens: Pitagoras philosophus, quem quasi magistrum suum Philosophia ipsa suscepit, de natura & beneficiis Dei disserens, sic loquitur: Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt. quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipso satis diligit,
D quod ipsum semper totum mundi corpus intendit? De Salviano autem isto Massiliensis ecclesiæ episcopo, & de libro ejus ad Salonium episcopum, & aliis operibus ipsius, Gennadius Massiliensis presbyter de illustribus viris scribens, inter illustres viros & eorum opera mentionem facit, qui etiam post Phytagoræ testimonium Tullium inducens, Deum ipsum quem Phytagoras animum vocat, mentem à Tullio appellari commemorat, dicens: Tullius quoque, Nec verò Deus, ipse, inquit, qui à nobis intelligitur, alio modo
E intelligi potest, quàm mens soluta quædam & libera quædam, & segregata ab omni [b] concretione mortali, omnia sentiens & movens. Alibi quoque, Nihil est, inquit, præstantius Deo. ab eo igitur mundum regi necesse est, nulli igitur naturæ obediens aut subjectus Deus, omnem ergo regit ipse naturam.

Augustinus libro IV. de Civitate Dei cap. * XXXIV. de Varrone loquens ait: Dicit (* Cap. 31.)

(a) Ibid. *canentibus* male omnino.

(a) In Introd. ad Theol. *congregatione.*

» autem idem auctor acutissimus atque doctis- A
» simus, quod ii soli ei videantur animadver-
» tisse quid esset Deus, qui crediderunt eum
» esse animam motu ac ratione mundum gu-
» bernantem, ac per hoc etsi nondum tenebat
» quod Veritas habet: Deus enim verus, non
» anima, sed animæ quoque est conditor, ta-
» men unum Deum colendum fatetur, atque
» suaderet. Item libro XXII. Deum certè vo-
» lens, sicut poterat, diffinire Cicero, tantus
» auctor ipsorum: Mens quædam est, inquit,
» soluta, & libera, secreta ab omni concre-
» tione mortali, omnia sentiens & movens,
» ipsaque prædita motu sempiterno. Hoc au-
» tem repperit in doctrina magnorum Philoso- B
» phorum.

Mentem itaque, id est animum sive animam Deum dixerunt, secundùm hoc quod totius mundi regimini quasi anima corpori præest: unde & per Sapientem quemdam adhortando nos digna Deum excolere mente, id est à vitiis purgata & virtutibus adornata, pulcre in ipso suæ adhortationis & disciplinæ exordio dictum est,

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Ac si apertè filium instruens dicat: Cùm
[a] Deus sit animus, [a] hoc est vera & spiritua-
[b] lis vita, sicut & ipsa perhibent [b] scripta poëtarum, velut illa Virgilii verba, quæ super hoc ipsum Macrobius inducit, sicut postmodum ostendemus, hunc præcipuè, scilicet Deum bene vivendo glorifica. Bene etiam cùm animal esse Plato mundum dixerit, ipsumque intelligentem, hoc est rationale animal esse perhibuit, secundùm hoc scilicet, quod ejus anima quantò ceteris præstantior existit, tantò rationabilius in ipso cuncta agit atque disponit. De cujus quidem summæ rationis ordinatione cùm subditur quod hæc ipsa mundi videlicet anima, causas omnium
[c] quæ proveniunt providet, [c] divinam ei omnium naturarum providentiam assignat, & divinæ plenitudinem scientiæ, ex quo ipsa etiam deus esse innuitur, metiri ac deliberare ea quæ futura sunt ex præsentibus dicitur, quia juxta ea quæ jam sunt oportet futura præparari, ut eis congrua ordinatione cohærere possint atque aptari. quod autem subditur ex reliquiis concretionis mundanæ animæ nostras id est humanas animas esse confectas,
[d] tale est ac si diceret [d] eas animam mundi in potentiis ac virtutibus imitari, sed longè in hoc ipso à dignitate ejus abscedere. Congruè etiam dicit animam mundi, nec alicujus rei in mundo, sicut & animam hominis dicimus, nec alicujus membri humani. Anima quippe ab animando dicta est, nec aliquid propriè animari dicitur, nisi id in quo tota vis vegetationis ita consummatur, ut nihil corpori illi vegetato adhærere extrinsecus necesse sit ad vegetationem quam habet in se ipso conservandam. Cùm itaque mundus juxta philosophos universa concludat, ut nihil extra ipsum divinitus disponendum relinquatur, rectè anima mundi dicta est, sicut & anima hominis, cùm universa vis animæ in eo consummetur: adeo quidem, ut nec ipsum mundum oculos vel cetera sensuum instrumenta habere [e] oportuerit, sicut & ipse perhibet Plato, [e]
cùm nulla extra ipsum remaneant ad quæ ista opportunitatem aliquam habeant.

His ex Platone breviter collectis, atque ad nostræ fidei testimonium satis, ut arbitror, diligenter expeditis, consequens existimo ad sequaces ejus commeare, ut ea quæ ab ipsis quoque de anima mundi dicta sunt, nulla ratione convenienter accipi posse monstremus, nisi [f] Spiritui-sancto per pulcherrimam involu- [f]
cri figuram assignentur. Hoc quippe loquendi genus philosophis quoque sicut & prophetis familiarissimum est, ut videlicet cùm ad arcana prophetiæ pervenerint, nihil vulgaribus verbis efferant, sed comparationibus similitudinum lectorem magis alliciant. quæ enim quasi fabulosa antea videbantur, & ab omni utilitate remota, secundùm litteræ superficiem gratiora sunt, cum magnis plena
C mysteriis postmodum reperta, [g] magnæ in [g]
se doctrinæ continent ædificationem. Ob hoc enim, teste Augustino, teguntur, ne vilescant, qui secundo quidem libro de Doctrina christiana, cùm causas difficultatis & facilitatis sacræ scripturæ aperiret, ait: Obscurè « quædam dicta densissimam caliginem obdu- « cunt, quod totum provisum esse divinitus non « dubito, ad edomandam labore superbiam, & « intellectum à fastidio revocandum, cùm fa- « cilè investigata plerumque vilescunt. Item: « Qui prorsus non inveniunt quod quærunt, « fame laborant. qui autem non quærunt, quia « in promtu habent, fastidio sæpe marcescunt. «
D Igitur salubriter Spiritus-sanctus ita scripturas « modificavit, ut locis apertioribus fami occur- « reret, obscurioribus autem fastidia deterge- « ret. Quasi ergo in latebris Dominus quiesce- « re gaudet, ut quò magis se occultat, gratior sit illis quibus se manifestat, [h] & quò magis [h]
ex difficultate scripturæ laboratur, meritum lectorum augeatur. De quo Psalmista, *Posuit*, inquit, *tenebras latibulum suum*. Et rursum: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. quia, inquit, Gregorius obscura est scientia in prophetis. De quo & scriptum est in lege: *Accessit Moyses ad caliginem in qua erat Deus*. Et Salomon
E in Paralipomenon ait: *Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine*. Idem in Proverbiis *Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum investigare sermonem*. Qui etiam ad scripturarum obscuritates quasi ad latebras, in quibus inveniatur Deus, perscrutandas invitat nos

Figuræ philosophis familiares.

Lib. 2. de doct. chr. cap. 6.

Ibid.

Ps. 17. 12.

Exod. 20. 21.

2. Paral. 6. 1.

Prov. 25. 2.

(a) Introd. ad Theol. *nobis hoc est*.
(b) Introd. *Scripturæ*.
(c) Introd. *Divinam & omnium* non ita rectè.
(d) Introd. *Eam animam*, melius codex noster *eas scilicet animas humanas*.

(e) Introd. *oportuit*.
(f) Introd. ad Theol. *Spiritu-sancto* male omnino ut attendenti patet.
(g) Introd. *magnam*.
(h) Introd. *Ex quo*.

[a] in proverbiis dicens: *Sapiens* [a] *animadvertet parabolam & interpretationem, verba sapientium & ænigmata eorum.* (Prov. 1. 6.) quæ quidem tantò cariora sunt intellecta, quantò in his intelligendis major operæ facta est impensa. Hinc & illud Hieronymi ad magnum Oratorem scribentis super hoc ipsum quod in exordio Proverbiorum Salomon modo dixerit. » In exordio, inquid, Proverbiorum commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientium, & ænigmata quæ propriè dialecticorum & philosophorum sunt. quantum etiam semper philosophia arcana sua nudis publicari verbis dedignata sit, & maximè de anima, & de diis, per fabulosa quædam involucra loqui consueverunt, ille non mediocris philosophus & magni philosophi Ciceronis expositor Macrobius diligentissimè docet. Remotis enim generibus figmentorum sive fabulosorum quæ philosophos non decent, superposuit illud quod honestissimè assumunt. » Ait namque quod quando sacrarum rerum notio sub pio figmentorum velamine, honestis & tecta rebus, & vestita nominibus enuntiatur, hoc est solum figmenti genus quod cautio de divinis rebus philosophantis admittit. Idem post pauca: [b] Sciendum est, inquit, [b] non in omnem disputationem philosophos admittere fabulosa, sed his uti solent, cùm vel de anima, vel de æthereis potestatibus loquuntur. Ceterum cùm ad summum Deum & principem omnium, qui apud Græcos Tagaton, qui & Prothopanton nuncupatur, tractatus se audet attollere, & ad mentem quam Græci Noyn appellant, originales rerum species, quæ ideæ dictæ sunt, continentem, ex summo natam & profectam Deo; cùm de his, inquam, loquuntur, summo Deo & mente nihil fabulosum penitus attingunt; sed si quid de his assignare conantur, quæ non sermonem tantummodo, sed cogitationem quoque superant humanam, ad similitudines & exempla confugiunt.

» Cassiodorus in psalmo L. *Redde mihi lætitiam, &c.* A nonnullis patribus corporalium & simul existentium rerum talis similitudo proponitur, invenimus in sole tres proprietates: prima est ipsa substantia corporalis, qui sol est, deinde splendor ejus qui in ipso permanet, tertia calor, qui ab splendore ejus usque ad nos pervenit. quæ hoc modo, si tamen tantæ rei potest similitudo aliqua reperiri, arbitror æstimanda, ut quod est in sole substantia corporalis, intelligatur in Trinitate quodammodo persona Patris; & quod est splendor, hoc persona Filii, sicut Apostolus (Heb. 1. 3.) dicit: *Splendor gloriæ ejus*; quod autem calor, hoc persona Spiritus-sancti, sicut legitur, (Ps. 18. 7.) *Quis se abscondit à calore ejus?* Datur & aliud

A exemplum incorporalium rerum. Anima est « substantia incorporea, in qua est intellectus & vita. Quod ergo est in anima substantia, hoc intelligatur, si dici fas est, in Trinitate persona Patris: quod autem in anima virtus est & scientia, hoc intelligitur Filius, qui est Dei virtus & Dei sapientia; & quod est in anima vivificandi proprietas, hoc intelligitur Spiritus-sanctus, per quem vivificandi opus multis locis prædicatur impleri, sicut ait Petrus apostolus in epistola, *mortificatus carne, vivificatus autem spiritu.* (1. Pet. 3. 18.) Item Apostolus: (1. Cor. 3. 6.) *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Et in Evangelio Dominus ait: (Joh. 6. 63.) *Spiritus est qui vivi-*

B *ficat, caro autem non prodest quicquam.* Sic Plato cum [c] de Tagaton esset loqui animatus, dicere quid sit non est ausus, hoc solum de eo [d] sciens, quod sciri qualis sit ab hominibus non possit. Solum vero ei simillimum solem de visibilibus reperit, & per ejus similitudinem viam sermoni suo attollendi se ad non comprehensibilia patefecit: ideo & nullum ejus simulacrum cum diis aliis constitueretur [e] fixit antiquitas. quia summus Deus & nata ex eo mens, sicut ultra animam, ita sunt supra naturam, quo nihil fas est de fabulosis pervenire. De diis autem, ut dixi, ce-

C teris, & de anima non frustra se, nec ut oblectent ad fabulosa convertunt, sed quia sciunt inimicam esse naturæ apertam nudamque expositionem sui, quæ sicut vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtraxit, ita à prudentibus arcana sua voluit per fabulosa tractari. Sic ipsa mysteria figurarum cuniculis operiuntur, ne vel hoc adeptis .... talium natura se præbeat; sed summatibus tantum viris, Sapientia interprete, sui arcani consciis, contenti sint reliqui ad venerationem figuris defendentibus à vilitate secretum. Juxta quod Veritas ipsa de integumento parabolarum suarum apostolis loquitur di-

D cens: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* (Marc. 4. 11) Ex hac itaque Macrobii traditione clarum est, ea quæ à philosophis de anima mundi dicuntur, per involucrum accipienda esse; alioquin summum philosophorum Platonem summum stultorum esse deprehendemus. Quid enim magis ridiculosum, quàm mundum totum arbitrari unum esse animal rationale, [f] nisi hoc per integumentum sit prolatum? Animal quippe esse non potest, nisi sensibile sit, cùm sit nota diffinitio animalis substantia animata sensi-

E bilis. Quis autem ex quinque sensibus mundo inesse poterit, nisi fortè tactus, qui omnibus est communis animalibus? desunt quippe ei ceterorum sensuum instrumenta, ipso attestante Platone, ubi videlicet ostendit, quare

(a) Introd. *cum advertet.*
(b) Introd. ad Theol. *in omnem* omisso *non* contra manifestum auctoris sensum.
(c) Introd. τῶ ἀγαθῶ.
(d) Introd. *sentiens.*

(e) Introd. *finxit.*
(f) Introd. *nisi per hoc integumentum* ubi manifesta est verborum transpositio hoc modo restituenda, *nisi hoc per integumentum*.

ei aut oculi, aut aures, aut ceteræ partes humani corporis necessariæ non fuerint: [a] aut quæ est pars corporis mundi, qua ipse, si tangatur, sentire queat magis quàm arbores vel plantæ, quas terræ radicitus affixas eadem anima vivificari dicunt. [b] Nam quid ex effossione terræ potius sentiet mundus, quàm arbores ex frondium avulsione, vel totius corporis sui abscissione? arbores tamen & quaslibet plantas insensibiles esse constat, ideoque ad exclusionem earum in definitione animalis post animatum ponitur sensibile. Præterea cùm dicant animam mundi singulis infusam corporibus, ea animare quæ ad animandum apta reperit, quid opus erat creatione nostrarum animarum, quas postea factas esse Plato commemorat? Aut quid opus est animam mundi his corporibus inesse quæ non animat? quid enim evidentius est, quàm corpora nostra ex propriis animabus humanis magis quàm ex anima mundi vitam animalem habere? His quippe animabus præsentibus statim animata sunt, & eisdem absentibus inanimata, licet, ut aiunt, in eis anima mundi etiam post mortem perseveret, quæ in omnibus tota est corporibus, etiam in his in quibus vacat. quid etiam est quod absentibus humanis animabus anima mundi corpora nostra, licet eis insit, animare non sufficit, cùm ipsa, teste Platone, cunctis invisibilibus præstantior à præstantissimo auctore facta sit? Numquid minoris efficaciæ est in nobis quàm ceteræ animæ, aut jam corpora nostra defuncta non sunt idonea ad animandum, sicut antea erant, præsentibus humanis animabus? Potest ex uno corpore innumeros vermes vivificare, cùm jam ipsum corpus non valet animare, quæ deest aptitudo defuncto corpori, [c] ne nunc quoque animetur, nisi tantum præsentia animæ humanæ, quæ & præsens corpus vivificat, & recedens ipsum mortificat? Quod si ad involucrum etiam ista deflectamus, quæ de anima mundi à philosophis dicta sunt, facile est rationabiliter cuncta accipi, nec à sacræ fidei tenore exorbitare.

Conferant humanæ animæ corporibus nostris animalem vitam. conferat anima mundi, [d] quam, ni fallor, Spiritum-sanctum intellexerunt philosophi, ipsis animabus nostris vitam spiritualem, distributione scilicet suorum donorum, [e] ut sint singulæ animæ vita corporum, Spiritus autem sanctus vita animarum, quas vegetando ad profectum bonorum operum promovet. [f] quodam itaque modo animæ nostræ corpora [g] quædam Spiritus-sancti dicendæ sunt, quas ipse per aliquod gratiæ suæ donum, quasi templum inhabitat, & virtutibus vivificat. Sed & illud quod aiunt, animam totam singulis corporibus infusam omnia vivificare, [h] atque animare, quæ ad animandum idonea reperit, nulla ipsorum duritia [i] vel densitatis natura impediente, pulcrum est involucrum, quia caritas Dei, quam Spiritum-sanctum dicimus, cordibus humanis per fidei sive rationis donum primitus infusa, quædam vivificavit, ad bonorum operum fructum nos promovendo, ut vitam assequamur æternam, & in quibusdam ipse Spiritus vacare dicitur, pravitatis eorum duritia repugnante. Hanc autem animæ videlicet mundanæ doctrinam præcipuè diligentissimus philosophorum in expositione Macrobius posteris reliquit. Cujus quidem verba si subtiliter inspiciamus, totam verè fidem nostram de Spiritu-sancto in ipsis expressam inveniemus, cùm hanc ipsam animam & creatorem nominet, atque ex Deo Patre & Noy, hoc est Deo Filio eam esse astruat, eamque etiam ad unitatem substantiæ adsignandam, quam habet cum Filio, à quo ipsa est, nonnumquam Noyn ausus sit appellare. Unde & verba Virgilii exponens dicit de mundana loquens anima: Nam & mundo animam dedit, & ut puritati ejus attestaretur, mentem vocavit. Item & ut illius mundanæ animæ assereret dignitatem, mentem esse testatus est, ac si diceret eam esse ejusdem substantiæ cum ipso Verbo, à quo ipsa est. Puritas mentis dicitur subtilitas rationis, quæ universas discutiendo penetrat naturas. Hæc autem sunt illa quæ proposuimus Macrobii verba: « Anima ergo, inquit, creans sibi condensque corpora, nam ideo ab anima natura incipit, quam sapientes de Deo & mente Noy nominant, ex illo purissimo fonte, quem nascendo de originis suæ hauserat copia, corpora cœli & syderum quæ condidit prima animavit. Et post aliqua: Cùm ipse ipsius animæ vires distinguèret, quas in corporibus exercet, secundùm quas omnium animatorum ordinata est natura, ut alia scilicet aliis præsint, adjecit dicens: Hunc rerum ordinem, & Virgilius expressit. [Æneid. lib. 6.] Nam & mundo animam dedit, & ut puritati ejus attestaretur, mentem vocavit. Cœlum enim, ait, terras & maria, & sydera Spiritus alit intus, id est anima; & ut illius animæ assereret dignitatem, mentem esse testatus est: Mens agitat molem. Nec non ut ostenderet ex ipsa anima constare & animari universa quæ vivunt, addidit: Hinc hominum pecudumque genus &c. Utque asseveraret eumdem esse in [k] anima semper vigorem, sed usum ejus hebescere in animalibus corporis densitate, adjecit: Quantum non noxia corpora tardant. Hæc quidem omnia tam Virgilii quam Macrobii verba facile est juxta propositum nostrum ad nostræ fidei tenorem accommodare, non aliter ea convenit exponi. Quod itaque ait usum animæ hebescere in animalibus corporis densitate, tale est Spi-

(a) Introd. *Atque est pars corporis*, melius ut in codice nostro.
(b) Introd. *Numquid*.
(c) Introd. *Nec item quo animetur*.
(d) Introd. deest *quam*.
(e) Introd. *ut sicut anima*.
(f) Introd. *quod itaque modo*.
(g) Introd. deest *quadam*.
(h) Introd. *atque anima qua ad vivificandum reperit*.
(i) Introd. *vel diversitas*.
(k) Introd. ad Theol. *animabus*.

ritus sancti gratiam suorum beneficiorum efficaciam minus habere in carnalibus & bestialibus hominibus, qui magis sensibus quàm ratione reguntur, carnalibus scilicet dediti voluptatibus, ut ipsam densitatem corporis carnalium illecebrarum magnitudinem intelligamus. Qui etiam ubi ait ipsam animam creare sibi corpora & condere, eam creatorem rerum, & per hoc Deum esse astruit, & creatarum rerum ordinatorem, & præparatorem ad bona opera donorum suorum distributione, ut sibi eas dignum habitaculum efficiat. Ab anima naturam dicit incipere, quia per gratiam Spiritus-sancti nascimur spiritualiter, ut simus filii Dei magis quàm servi. Sicut enim subtracta hac gratia moreremur in vitiis: ita & ea collata nascimur in veram virtutum vitam, quas per naturam habemus, & contra naturam vitia, cùm sit vitium corruptio naturæ. De Deo & mente anima nominatur, quia tam Patris quàm Filii idem est Spiritus, cùm ab utroque procedat: unde etiam, ut ait Augustinus in xv. de Trinitate cap. xix. quia ipse Spiritus communis est ambobus, id vocatur ipse propriè quod ambo communiter, cum videlicet tam Pater etiam ipse, quàm Filius, Spiritus sit & sanctus. Cùm autem de Deo & Noy nasci vel creari voluit, sive fieri anima quandoque à Philosophis dicitur, abusio est verborum magis quàm error sententiæ. [a] Creari namque vel fieri [a] rectè non dicitur, nisi in his quæ incœperunt, hoc est æterna non sunt. Nasci verò, hoc est de substantia ipsa Patris existere, proprium est Filii, de quo suo loco postmodum disseremus. [b] Creari tamen, sive nasci, sive fieri, [b] pro esse ex aliquo philosophi nonnumquam ponunt. Unde & Macrobius, [c] [c] tam Noyn ipsam à Deo, quàm animam à Noy creatam dicit, hoc est ex ipso esse. In eadem quoque [d] significatione nasci hoc loco [d] abutitur. Hermes verò superius cùm dixerit quod Deus se-[e] cundum fecit [e] Dominum, Filium ipsum ex Deo Patre ejus ostendit. Fontem Sapientiæ purissimam ipsam Noyn appellat, hoc est sapientiam Patris, quam nihil quantumcumque obscurum sit latere potest. De copia hujus fontis ipsa Dei bonitas animavit primum corpora cœli ac syderum, hoc est ipsos angelos vel cœlestes spiritus, qui ante hominem conditi sunt, secundùm quod scriptum est, Joh. 1. 16. *De plenitudine omnes accipimus.* Cœli ac syderum dictum est secundùm dignitatum differentiam, cùm alios spiritus aliis prælatos & superiores credamus. Unde angelos atque archangelos dicimus seu dominationes. Corpora summi spiritus dici possunt etiam angeli ab ipso, ut dictum est, spiritualiter vivificati. Vel etiam corpora dicit secundùm hoc quod

A omnem creaturam Augustinus corpoream dicit, hoc est circumscriptam. Sic enim [f] dicit in [f] libro de orthodoxa fide* cap. 10. Nihil incor- * l. cap. poreum & invisibile in natura credendum est, xi. & xii. nisi solum Deum, qui ex eo incorporeus creditur, quia ubique est, & omnia implet, & ideo invisibilis omnibus creaturis, qui incorporeus est. Creatura omnis corporea, angeli & omnes cœlestes [g] virtutes corporeæ, licet non [g] carne subsistant. Ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales naturas, quod localiter circumscribuntur, sicut & anima humana, quæ carne clauditur, & dæmones qui per substantiam angelicæ naturæ sunt [h] corporei. [h]

B Bene autem dictum est ex ipsa sapientia eos esse animatos, quia hæc est vita æterna ut cognoscamus sicut & cogniti sumus, facie ad faciem Deum videntes. Haurit spiritus de illo fonte, cùm nos de divinæ sapientiæ intelligentia imbuit, secundùm quod dictum est, *De* Joh. 16. 14. *meo accipiet & annuntiabit vobis.* unde & Spiritus sapientiæ, sive intellectus, seu scientiæ dictus est. Quod verò dictum est Mens agitat molem, hoc est totius mundanæ fabricæ quantitatem, quasi cuncta in mundo vivificet aut moveat, secundùm hoc accipe, quod optimè cuncta disponit, stabilisque manens dat cuncta moveri. Vivere etiam in Deo cuncta di-

C cuntur, secundùm quod in ipso nulla sunt mortua, hoc est inutilia, sed omnia utiliter aut convenienter facta, sive ordinata. Unde scriptum est, *Quod factum est in ipso vita erat*, Joh. 1. 3. hoc est in ipsa antequam fierent providentia divinæ sapientiæ commodissimè erant ordinata. Hinc rursus dicitur, *Deus cui omnia vivunt* & Apostolus inquit, *In quo vivimus*, Act. 17. 28. *movemur, & sumus.* Tam homines quàm pecudes vivificat, cujus dona aliqua ad vitam tam sapientissimi quàm simplices atque idiotæ habent. Unde & in Ecclesiaste dicitur, *Quis* Eccles. 3. 21. *novit spiritus filiorum Adam, si ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deor-*

D *sum?* hoc est qui sint prædestinati ad vitam, qui deputati ad mortem de sapientissimis & idiotis. Hæc de Macrobio collecta sufficiant. Si quis autem me quasi importunum ac violentum expositorem causetur, eo quod nimis improba expositione ad fidem nostram verba philosophorum detorqueam, & hoc eis imponam quod nequaquam ipsi senserint, attendat illam Caiphæ prophetiam, quam Spiritus-sanctus per eum protulit, longè ad alium sensum eam accommodans, quàm prolator ipse senserit. Nam & sancti prophetæ, cùm aliqua Spiritus-sanctus per eos loquitur, non

E omnes sententias, ad quas se habent verba sua, intelligunt; sed sæpe unam tantum in eis habent, cùm Spiritus ipse, qui per eos loquitur, multas ibi provideat. [i] quare postmodum [i]

(a) Introd. *necessario.*
(b) Introd. *pro esse aliquo.*
(c) Introd. *eam νοῦν.*
(d) Introd. *abutimur.*
(e) Introd. *Dei filium.*
(f) Introd. *Unde Gennadius lib. de orthodoxa fide.* & certe rectius, neque enim Augustinus est auctor libri de orthodoxa fide, etsi reperiatur inter ejus opera, sed Gennadius presbyter Massiliensis, ut supra observavimus.
(g) Introd. deest *virtutes* male.
(h) In editis Gennadii apud Augustinum desideratur verbum *corporei.*
(i) Introd. *quatenus.*

alias aliis expositoribus, & alias aliis inspirat. Unde Gregorius in Registro ad Januarium episcopum [a] Caralitanum scribens loquitur: » In intellectu sacræ scripturæ respui non debet » quidquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim » ex uno auro alii murenulas, alii anulos, alii » dextralia ad ornamentum faciunt: ita ex una » scripturæ sacræ sententia [b] expositores qui- » que per innumeros intellectus quasi varia or- » namenta componunt: quæ tamen omnia ad » decorem cœlestis sponsæ proficiunt. Ipse præterea Macrobius ea quæ de anima mundi à philosophis dicta sunt, mysticè interpretanda esse suprà meminit. [c] Quæ etiam cùm exponi veraciter aut convenienter nullatenus queant, ut supra meminimus, ipsa nos littera ad expositionem mysticam compellit. Pluribus quoque sanctorum testimoniis didicimus Platonicam sectam catholicæ fidei concordare. unde non sine causa maximus Plato philosophorum præ ceteris commendatur ab omnibus, non solum à peritis sæcularium artium, verum etiam à sanctis. De quo Augustinus [d] in libro VIII. de Civitate Dei, » mirantur, inquit, quidam nobis in Christi gra- » tia sociati, cùm audiunt vel legunt Platonem » eum de Deo ista sensisse, quæ multum con- » gruè veritati nostræ religionis agnoscuntur. » Unde nonnulli putaverunt eum quando per- » rexit in Ægyptum, Jeremiam audisse, vel » scripturas propheticas in eadem peregrina- » tione legisse. [e] Sed diligenter computata » temporum ratio, quæ chronica historia con- » tinetur, Platonem indicat à tempore quo pro- » phetavit Jeremias, centum ferme annos po- » stea natum fuisse. qui cùm octoginta & unum » vixisset, ab anno mortis ejus usquequo Pto- » lomeus rex Ægypti scripturas propheticas per » septuaginta Hebræos, qui etiam linguam græ- » cam noverant interpretandas habendasque » curavit, anni reperiuntur ferme [f] sexaginta, » quapropter in illa peregrinatione sua Plato » nec Jeremiam videre potuit tanto ante defun- » ctum, nec easdem scripturas legere in græ- » co, quæ non fuerant in græcum translatæ, » nisi fortè quia fuit acerrimi studii, sicut Ægyp- » tias, ita & istas per interpretem didicit. Adeo autem ipsa Platonis dicta verbis Domini atque ejus prædicationi consonare videntur, ut sicut B. Augustinus in secundo de Doctrina Christiana profitetur, quidam lectores ac dilectores Platonis ausi sunt in tantam prorumpere dementiam, quod dicerent omnes Domini nostri JESU-CHRISTI sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum dedicisse. Hinc etiam Tholomeus rex in Platonis dogma eadem videre, ni fallor, dictus est, quod Deum & mentem, id

Aug. lib. 2. de Doctr. chr. cap. 28.

A est Patrem & Verbum ex platonicis scripturis didicerat. Unde septuaginta Interpretes cum ei legem transferrent arcanum divinæ generationis, prudenti, [g] ut Judæi dicunt, consilio penitus tacuerunt, ne si id quoque apud Hebræos prædicari audiret, duplicem divinitatem esse deprehenderet, [h] qui antea tantum unius Dei cultor extiterat, nec propter Platonicum dogma ab unitate deitatis deviaret, licet ibi plures distingui personas audierit, unius tantum deitatis singularitate servata. Hinc Hieronymus in prologo Pentateuci meminit dicens: « A prædictis septua- « ginta multa hujusmodi reticeri, ut est illud: «
B *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, & similia. Ose. 11. 1.
Ex quo liquidum est Platonicam sectam fidei sanctæ Trinitatis plurimum semper assentire, & eam diligentius ceteris omnibus philosophis à Platone & sequacibus ejus distingui ac describi. Unde & non immerito in ejus laudem Valerius Maximus his prorupit verbis: Val. l. 1. c. 6.
Platone parvulo dormiente in cunis apes mel inseruerunt ejus labellis. qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore emanaturam dixerunt. Excellentius autem & convenientius id interpretandum esse non dubito, si ad divinæ [i] dignitatis gloriam hoc miraculum referatur, ut
C hoc ei Deus insigne præsagii conferret, qui divinitatis suæ per eum diligentius arcana [k] revoluturus esset. Oportebat quippe ut summæ sophiæ quæ Christus est, Verbum videlicet & Sapientia Dei Patris summus philosophus ejusque sequaces plurimum attestarentur. Unde & juxta B. Augustinum Apostolus Atheniensibus loquens, ut supra meminimus, cùm rem magnam dixisset, & quæ à paucis posset intelligi, quod in illo scilicet *vivimus, movemur & sumus*, adjecit, *sicut* [l] *vestri quidam dixerunt*, Act. 17. 28.
Platonem quippe Atheniensem fuisse constat. Illud autem in quo non mediocriter errasse Plato & videtur & dicitur, illud, inquam,
D quod animam mundi factam esse dicit, hoc est initium habuisse, & quod supra Macrobius cùm de anima mundi loqueretur asseruit, Deum & Noyn ultra animam esse, quasi superiores dignitate, cùm constet apud omnes verè catholicos tres personas in divinitate per omnia sibi coæquales & coæternas esse, si diligentius attendatur, à veritate non exorbitat, sicut postmodum ostendemus de processione Spiritus [m] differentes. Non enim sine causa hic philosophus præ ceteris commendatur ab omnibus tam fidelibus, ut supra me-
E minimus, quàm infidelibus. Cùm itaque in omni doctrina philosophiæ Platonica secta enituerit, juvat etiam quorumdam Platonicorum testimonia inferre, quæ idem pater Au-

(a) Introd. *Calaguritanum*.
(b) Introd. *expositiones etiam per innumeros*.
(c) Introd. *Quod etiam juxta litteram exponi*.
(d) Introd. *in libro 9*. male.
(e) Introd. *Si diligenter computetur*. nostra autem lectio conformis est textui Augustini.
(f) Introd. *novem*, nostra lectio ut apud Augustinum.
(g) Introd. *Ut videri dicunt*, quæ verba nullum efficiunt sensum.
(h) Introd. *quod antea*. rectius in codice nostro *qui antea*.
(i) Introd. *deitatis* minus recte.
(k) Introd. *revelaturus*.
(l) In Actibus Apostolorum legitur *vestrorum poetarum*, sed Abaëlardus *poetarum* vocem subticuit, ut dictum Apostoli posset attribuere Platoni, quem Atheniensem facit, sed philosophum, non poetam.
(m) Introd. *Dissentire* contra auctoris mentem.

gustinus in septimo Confessionum commemorat in scriptis eorum se reperisse, in quibus quidem tota fere fidei nostræ summa circa divinitatem Verbi apertissime continetur, sicut ipsa postmodum tradita est à summis scriptoribus novi Testamenti, Johanne scilicet & Paulo, ait quippe Augustinus ibidem ad Deum » sermonem intendens: Procurasti mihi per » quemdam hominem immanissimo typo tur- » gidum quosdam Platonicorum libros, ex græ- » ca lingua in latinam versos, & ibi legi, non » quidem his verbis, sed hoc idem omnino mul- » tis & multiplicibus suaderi rationibus quod

Joh. 1. 1. » *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud* » *Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in prin-* » *cipio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt* » *& sine ipso factum est nihil, quod factum est in* » *ipso vita erat, & vita erat lux hominum, &* » *lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non com-* » *prehenderunt.* Et quia hominis anima, quam- » vis testimonium perhibeat de lumine, non » est tamen ipsa lux, sed Verbum Deus est lu- » men verum, quia illuminat omnem hominem » venientem in hunc mundum, & quia in hoc » mundo erat, & mundus per eum factus est, » & mundus eum non cognovit. Quia vero in » sua propria venit, & sui eum non receperunt, » quotquot autem eum receperunt, dedit eis » potestatem filios Dei fieri, credentibus in no- » mine ejus non ibi legi. Item legi ibi, quia Ver- » bum Deus non ex carne, non ex sanguine, » non ex voluntate viri, neque ex voluntate car- » nis, sed ex Deo natum est. Sed quia Verbum » caro factum est, & habitavit in nobis, non ibi » legi. Indagavi in litteris illis multis modis » dictum, quod sit Filius in forma Patris, non » rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia na-

Phil. 2. 7. » turaliter id ipsum est. Sed quia *semetipsum exi-* » *nanivit formam servi accipiens in similitudinem* » *hominum factus & habitu inventus ut homo est,* » *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad* » *mortem, mortem autem crucis, propter quod &* » *Deus ipsum exaltavit à mortuis & donavit ei* » *nomen quod est super omne nomen, ut in nomine* » *ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium,* » *& infernorum, & omnes confiteantur quia Do-* » *minus Jesus in gloria est Dei Patris,* non ha- » bent illi libri. Quod enim ante omnia tem- » pora, & super omnia tempora incommutabi-

[a] » liter manet [a] Filius tuus coævus tibi, & quia » de plenitudine ejus accipiunt animæ, ut bea- » tæ sint, & quia participatione manentis in se » sapientiæ renovantur, ut sapientes sint, est » ibi. Quod autem pro impiis mortuus est, non » est ibi.

At vero ne aliquis sexus inter homines sapientiæ fama ceteris præstantes fidei nostræ testimoniis desit, illa etiam famosa Sybilla inducatur, quæ divinitatem Verbi, nec humanitatem, nec utrumque adventum, nec utrumque judicium Verbi describendo prætermisit. (Sybillæ testimoniũ de Christo.) Primum quidem judicium quo Christus injustè judicatus est in passione, & secundum quo justè judicaturus est mundum [b] in majestate, de quo Augustinus contra v. hæreses, Audiamus quid etiam Sybilla vates eo- « rum de eodem dicat. Alium, inquit, dedit Do- « minus hominibus colendum. Item, Ipse tuum « cognosce Dominum Dei Filium esse. Alio lo- « co Filium Dei Symbolum appellat, id est con- « siliarium vel consilium. Et propheta dicit: *Vo-* « *cabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius.* De « quo rursus idem pater Augustinus in [c] octavo decimo de Civitate Dei, Eo, inquit, tem- « pore nonnulli Sybillam Eritream vaticinatam « ferunt, quam quidam magis credunt esse Cumanam, & sunt ejus XX & VII. versus, qui sicut eos quidam latinis versibus est interpretatus, hæc continent: [b] (Lib. cont. 5. hæres. cap. 3.) (Isa. 9. 6.) [c] (De Civit. Dei l. 18. cap. 23.)

Judicii signum, tellus sudore madescet,
E cœlo Rex adveniet per sæcla futurus,
Scilicet in carne præsens ut judicet orbem, &c.

Quorum quidem versuum primæ litteræ in græco conjunctæ id sonant JESUS-CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR. Infert etiam Lactantius quidem de Christo vaticinia Sybillæ. (Lact. div. instit. lib. 4. c. 18.)

In manu, inquit, infidelium postea veniet,
Dabunt Deo alapas manibus incestis,
Et impurato ore expuent venenatos sputos.
Dabit vero ad verbera suppliciter sanctum deorsum,
Et colaphos [d] *accipiens tacebit. Ne quis agnoscat* [d]
Quod Verbum vel unde venit, ut [e] *inferius loquatur,* [e]
Et spinea corona coronetur.
Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt.
In hospitalitatem hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim insipiens gens tuum Deum non intellexisti.
Ludentem mortalium mentibus sed spinis
Coronasti, fel miscuisti,
Templi velum scindetur, & in medio die
Nox erit [f] *tribus horis, & morietur* [f]
Tribus diebus somno suscepto;
Et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet.
Primus resurrectionis principio ostensus.

Hoc profecto Sybillæ vaticinium, ni fallor, maximus ille poëtarum nostrorum Virgilius audierat atque attenderat, cùm in quarta Egloga futurum in proximo sub Augusto Cæsare, tempore consulatus Pollionis, mirabilem cujusdam pueri de cœlo ad terras mittendi, qui etiam peccata mundi tolleret, & quasi sæculum novum in mundo mirabiliter ordinaret, præcineret ortum, admonitus, ut ipsemet ait, Cumæni carmi-

(a) Introd. *Unigenitus Filius tuus coæternus tibi.*
(b) Introd. *majestate* omisso *in* quod melius quadrat.
(c) Male in Introd. *octavo.*
(d) Introd. *accipiet* omisso *tacebit.*
(e) Introd. *Inferis.*
(f) In Introd. desiderantur hæc verba *tribus horis & morietur.*

nis vaticinio, hoc est Sybillæ quæ Cumæna A dicitur. Ait quippe sic quasi adhortans quoslibet ad congratulandum sibi & concinendum, seu scribendum de hoc tanto puero nascituro, in comparationem cujus omnes alias materias quasi infimas & viles reputat dicens:

Sicilides musæ, paulo majora canamus,
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ:...
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo dimittitur alto. B

Et post pauca

Teque adeo decus hoc ævi, te consule inibit,
Pollio si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Itemque de puero

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem,
&c.

Quæ apertissimam de Incarnatione Filii Dei continent prophetiam, ipso fortassis poëta ignorante quid in Sybilla vel in eo Spiritussanctus loqueretur, sicut & de Caïpha contigit dicente: *Quia expedit ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Ubi & subditur: *Hoc autem à semetipso non dixit.* Facillimè autem ex subsequentibus convinci potest, hanc Eglogam de nullo veraciter aut convenienter accipi posse, nisi de incarnato Unigenito Dei typicè more prophetico dicantur, cùm apertissimè falsa & omnino impossibilia deprehendantur esse, si ad litteram exponantur, nec saltem commodè in adulationem, ut quibusdam videtur, afferri, quæ statim judicio omnium tamquam incredibilia respuuntur, [a] ut magis commoveant contra nos auditorem ad indignationem, quàm ad benevolentiam trahant. Sed hæc diligentius alibi nobis ostendenda seu exponenda occurrent, cùm de Incarnatione scilicet Verbi, magis quàm de divinitate ejus testimonia conferemus.

Joh. 11. 50.
Ibid. 51.
[a]

Nunc itaque ad proposita de divinitate Verbi testimonia revertamur, & cum Davide & Salomone regibus Israel tertium adhibeamus gentium regem ad summi vaticinium Regis. Quid enim apertius illo testimonio Nabuchodonosor de Filio Dei? *Ecce*, inquit, *video* [b] *viros solutos quatuor ambulantes in medio ignis, & species quarti similis Filio Dei.*

Dan. 3. 92.
[b]

Dindimi regis Bragmanorum testimoniū.

Juvat autem Dindimi regis Bragmanorum inferre testimonium, ut in quatuor regum auctoritate nostræ assertio fidei præemineat; duorum quidem Judæorum, & duorum Gentilium; David scilicet & Salomonis, Nabuchodonosor & Dindimi; sintque hi quatuor reges quasi quatuor rotæ nobilis quadrigæ summi Regis, per quas videlicet fides quatuor evangelistarum de Sancta Trinitate per universum deferatur mundum, & tantò regum auctoritas sit firmior, quantò potestas sublimior; & qui edicta populis legesque proferunt, sacræ quoque fidei dogmata tradant. Ait itaque Dindimus in prima ad Alexandrum epistola, ait, inquam sic: « Inter cetera religionis vel fidei suæ gentis insignia, non suscipit. Deus sacra sanguinea, cultum diligit incruentum, spernit funesta libamina, verbo propitiatur orantibus, quod solum ei cum homine est, suaque [c] nimis similitudine delectatur. Nam Verbum Deus est, hoc mundum creavit, hoc regit atque alit omnia, hoc veneramur, hoc diligimus, ex hoc spiritum trahimus. » [c]

Ex epistola quarta Senecæ ad Paulum. « Profiteor bene me acceptum lectione litterarum tuarum quas Galathis, Corinthiis, Achæis misisti. Spiritus quoque sanctus in te supra excelsos sublimior satis venerabiles sensus exprimit. »

Si quidem Deus ipse spiritus atque mens est, atque ideo non terrenis divitiis, nec largitate munifica, sed religiosis operibus & gratiarum actione placatur. Quantæ autem religionis seu abstinentiæ populus Brangmanorum fuerit, ut illis Deus supra universas nationes fidei sacræ intelligentiam inspirare deberet, epistola Dindimi ad Alexandrum con- C tinetur, quibus quidem epistolis, si fides adhibenda sit, nulla hominum vita quantumcumque religiosorum, innocentiæ atque abstinentiæ Brachmanorum æquiparanda videtur. Hos autem in exemplum abstinentiæ beatus quoque Hieronymus nobis proponit, de quibus inter cetera in secundo contra Jovinianum meminit dicens: « Bardesanes vir Babylonius in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas dividit, quorum unum appellat Brachmanas, alterum Samoneos, qui tantæ continentiæ sunt, ut vel pomis arborum juxta D Gangym fluvium, vel publico [d] orizæ & farinæ alantur cibo. Et cum rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque provinciæ suæ in illorum precibus arbitrari sitam. » Ad quos etiam divina gratia prædicationem evangelii directam, ipsa ejusdem epistola ad magnum oratorem perhibet his verbis: « Pantenus Stoïcæ sectæ philosophus, ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetrio Alexandriæ episcopo missus est Indiam, ut Christum apud Brachmanas & illius gentis philosophos prædicaret. » [d]

Restat denique ad maximum illum latinorum philosophum, Boëtium scilicet descen- E dere, qui omnes fere liberalium artium disciplinas scribendo vel transferendo seu etiam exponendo [e] latinis tradidit, ac diligenter Sanctæ Trinitatis fidem Symmacho Socero suo & compatricio scribendo edisserens, de unitate quoque personæ Christi ac diversitate naturarum quæ in ipso sunt, divinæ scilicet & [e]

(a) Introd. *ut magis contra poetam commoveant ad indignitatem.*
(b) Introd. *cælos solutos.*
(c) Introd. *numinis.*
(d) Introd. *Oziza.*
(e) Introd. *latinè.*

humanæ, ad Johannem diaconum, qui postea papa effectus est, scribendo contra Eutichem & Nestorium optimè disputavit, fidemque nostram & suam ne in aliquo vacillaret, tam de divinitate quàm de divinitatis Incarnatione tractando, inexpugnabiliter astruxit. Constat hunc egregium senatorem Romanum, consulem quoque, atque patricium, tempore prædicti Johannis papæ floruisse à Silvestro papa vigesimi, & eum in illa persecutione Christianorum, qua in Johannem papam ceterosque christianos Theodericus sævit, una cum prædicto Symmacho occubuisse. De quo in gestis pontificum, necnon in libro miraculorum B. Benedicti scriptum est, qualiter videlicet ambos Theodericus rex Gothorum interfecit. In gestis quidem ita scriptum reperies: Rex hæreticus Theodericus duos senatores & consules & patricios gladio interfecit, Boëtium & Symmachum, quorum etiam abscondi corpora præcepit. In libro autem miraculorum prædicti sancti ita continetur. Theodericus post Odoacrem Gothorum principatum cum regio nomine suscipiens, homo pestilens Arrianæ sectæ, denique inter cetera facinora Johannem papam corporali inedia maceratum necavit, duosque senatorii ordinis viros & exconsules, Symmachum videlicet atque Boëtium in carcere gladio transverberavit. Cùm itaque Dominus & per prophetas Judæis, & per præstantes philosophos seu vates gentibus catholicæ fidei tenorem annuntiaverit, inexcusabiles redduntur tam Judæi quam gentes, si cùm in ceteris doctores habeant, in salutem animæ, cujus fundamentum est fides, ipsos non audiant. Et quidem multi ex Gentibus, nonnulli ex Judæis in hoc quoque à doctoribus populi sui instructi fidem Sanctæ Trinitatis recognoverunt in uno corpore Ecclesiæ quasi duo parietes conjuncti. Ex gentibus quidem primò Græci, ex quibus prædicti philosophi fuerunt. Post Græcos Latini, qui sicut in disciplinis sæcularium artium imitati sunt Græcos, ita & in vera fidei doctrina ab ipsis exempla sumserunt, cum eos christianam fidem suscepisse audissent, quos ingeniorum subtilitate præditos, omnibus philosophiæ rationibus armatos esse cognoverant.

LIBER II.

OPERIS parte superiori testimonia quædam tam prophetarum quam philosophorum collegimus, quibus sanctæ Trinitatis fidem astrueremus. Ubi quidem dum philosophorum infidelium assertiones sicut & sanctorum patrum quasi in auctoritatem induximus, multorum detractionibus corrodendos patere præsensimus, atque ante in illis nobis id improperandum quod beato Hieronymo à multis olim legimus objectum, cùm non solùm ille ethnicorum, verùm etiam hæreticorum testimonia suis insereret scriptis.

Hieron. epist. 83. novæ edit. Unde & adversus calumnias magni Oratoris urbis Romæ epistolam scribens, ita exorsus ait: Quod quæris cur in opusculis nostris scholarium litterarum interdum ponamus exempla, & candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus: numquam hoc quæreres, si scripturas sacras legeres, si interpretes earum evolveres. Quis enim nesciat & in Moyse ac Prophetarum voluminibus quædam assumta de gentilium libris, & Salomonem philosophis Tyri & proposuisse nonnulla & aliqua respondisse? Unde in exordio Proverbiorum commonet ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientium & ænigmata, quæ proprie dialecticorum & philosophorum sunt. Sic & Paulus apostolus Ephymenidis poëtæ abusus versiculo est scribens ad

Tit. 1.12. Titum: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* In alia quoque epistola Menan-

1.Cor.15.33. dri ponit Senarium, *Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ.* Et apud Athenienses in Mar-

Act.17.28. tis curia disputans Aratum testem vocat: *Ipsius enim & genus sumus.* Parum hoc est, [a] ductor christiani exercitus & orator invictus pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam, arte torquet in argumentum fidei.

Didicerat enim à vero David extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. 1.Reg.17.

Legerat in Deuteronomio mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos, & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam conjugio. Deut.21. Quid ergo [b] si & ego sapientiam sæcularem propter eloquii venustatem, & membrorum pulcritudinem de ancilla atque captiva Israëlitam facere cupio? Si quod in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, & [c] mixtus purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino. Item Cyprianus vir eloquentia pollens & martyrio [d] Formiano narrante mordetur cur adversus Demetrianum scribens, testimoniis usus sit prophetarum & apostolorum, quæ [e] ille ficta & commentitia esse ducebat, & non potius philopsohorum ac poëtarum, quorum auctoritati ut ethnicus contraire non poterat. Item Josephus duos libros scribit contra [f] Pionem & Alexandrinum, & tanta sæcularium præfert testimonia, ut mihi miraculum subeat, quomodo Hebræus

[a] Introd. *doctor* male, nam exercitus non doctore sed ductore indiget.

[b] Introd. addit. *mirum* ut apud Hieronymum.

[c] Apud Hieronymum *mixtos*.

[d] Introd. *Formano* apud Hier. *Firmiano*.

(e) Introd. *illa* sed apud Hieronymum ut in nostro codice *ille*, scilicet, Demetrianus.

[f] Legendum ut apud Hieron. *Appionem Alexandrinum*.

» ab infantia sacris litteris eruditus cunctam A » Græcorum bibliothecam evolverit. Item ex» tant & Juliani Africani libri & Theodori, vi» ri apostolicorum signorum atque virtutum; » & Dionysii Alexandrini episcopi, Anatholii » quoque, Pamphili, Pierii, Luciani, Malchio» nis, Eusebii Cesariensis episcopi, &c. qui om» nes in tantum philosophorum doctrinis atque » sententiis suos refercerunt libros, ut nescias » quid in illis primum ammirari debeas, eru» ditionem an scientiam scripturarum. Idem ad (Epist. 36. novæ editionis.) » Vigilantium presbyterum: Eadem absenti si» gnifico quæ præsenti quoque loquutus sum, » me ita Origenem legisse vel legere, [a] ut » Apollinarem, ut ceteros tractatores, quorum B » in quibusdam libros ecclesia non recipit; quia » operis mei est & studii multos legere, ut ex » plurimis diversos flores carpam, [b] non tam » probaturus omnia, quàm quæ bona sunt ele» cturus. Assumo multos in manu, ut à multis » multa [c] cognita cognoscam, secundùm quod (1. Thess. 5. 21.) » scriptum est; *Omnia legentes, quod bonum est* » *retinentes*. Unde satis miror te voluisse Orige» nis mihi objicere dogmata. Origenes hære» ticus, quid ad me, qui illum in plerisque hæ» reticum esse non nego? Erravit de resurrec» tione corporis, de animarum statu, de dia» boli pœnitentia, &, quod his majus est, Fi» lium & Spiritum-sanctum in Commentariis C » Isaïæ Seraphym esse testatus est. Item, neque » enim ita debemus bona ejus recipere, ut ma» la quoque suscipere cogamur. Si igitur quæ » bona sunt transtuli, & mala vel amputavi, vel » tacui, vel correxi, arguendus sum cur [d] non » per me Latini bona ejus habent, & ignorent » mala? Si hoc crimen est, arguatur confessor » Hylarius, qui psalmorum interpretationem & » homelias in Job ex libris ejus transtulit. Sit » in culpa Vercellensis Eusebius, qui omnium » psalmorum commentarios hæretici hominis » vertit in nostrum eloquium, licet hæretica » prætermittens. Hæc quidem Hieronymus adversus eorum calumnias reddit, qui ob id ca- D tholicos tractatores reprehendendos autumant, quod scriptis suis infidelium testimonia vel dicta inferere præsumant, quasi eis auctoritatem tribuant, qui nulla digni sunt auctoritate, & quasi maculare sacras sententias possit veritas per infideles prolata. Noverat quippe vir discretissimus grana in paleis, & margaritam ceteris quandoque pretiosiorem in sterquilinio deprehendere, quàm in ornamento regio tamquam sapiens aurifaber valeat componere; & tenebat certissimè dona Dei per quodcumque malum contaminari E non posse, nec divina sacramenta contactu pravorum inquinari, cùm aut in nomine Trinitatis infideles baptizant, aut pessimi quique verba divina prædicant, aut prophetias loquuntur, & nonnumquam miracula faciunt.

Quæcumque enim * dona sunt, à Deo esse (* f. bona.) necesse est, nec ea quorumlibet malitia contaminari possunt. Unde nec prophetia Balaam gentilis atque arioli sacra reprobavit auctoritas, qua postmodum Magi primitiæ gentium incitati creduntur, ut nova apparente stella novum statim regem quærerent, nec Sybillæ vel Virgilii vaticinia spiritualis doctor Augustinus sanctorum prophetiis inserere timuit, adtendens illud Apostoli: *Et nemo potest dicere Dominus* JESUS *nisi in Spiritu-sancto*, nec prophetiam Caïphæ commendare Evangelista veritus est dicens: *Hoc autem à semetipso non* (Joh. 11. 51.) *dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetavit*. Nec ipsorum dæmonum testimonia Evangelium reticuit, cùm ad eorum expulsionem Domino veniente, eum JESUM-CHRISTUM seu Filium Dei inclamarent ac confiterentur. Quippe cujus virtutem sive nascentis, seu morientis, sive resurgentis, vel ascendentis, aut miracula facientis ipsa etiam insensibilia quodammodo sensisse, ut ei testimonium suo modo præberent, perhibet beatus Gregorius; angelis quidem & stella statim in ortu ipsius apparentibus, in morte verò sole obscurato, petris & velo templi scissis, & monumentis apertis sanctorum resurgentium multisque apparentium, in resurrectione terræ motu facto cum visione angelorum, & in ascensione nube eum suscipiente, &c. Cujus quoque potentiam atque sapientiam universus mundi ornatus annunciare non cessat ac prædicare & suo modo laudare & commendare, ex ipsa sui mirabili compositione ac dispositione: Unde Apostolus, *invisibilia*, inquit, *ipsius à crea-* (Rom. 1. 20.) *tura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas, &c.* Hinc & Psalmista insensibilium quoque creaturarum laudibus applaudens, omnes pariter ad laudes Dei creaturas invitat, quasi ex omnibus optimè conditis laudes Dei à nobis exigat, qui pro nobis in mundo condidit universa. Unde & à summitate cœli & [e] sublimitate angelorum exorsus usque ad dracones & serpentes atque omnes abyssos divinas extendit voces cum dixit: *Laudate* (Psal. 148. 7.) *Dominum de terra dracones & omnes abyssi.* Et iterum, *serpentes & volucres pennatæ.* qui nec aliqua reptilia prætermisit alibi dicens: *Lau-* (Psal. 68. 35.) *dent illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.* Legimus etiam in vita Pauli Eremitæ à beato scripta Hieronymo, Satyrum beato Antonio apparuisse, qui adventum Salvatoris protestans, ait sancto viro: Legatione fungor gregis mei, precamur ut pro no- « bis communem Deum deprecetis, quem in « salutem mundi olim venisse cognovimus, & « in universa terra exiit sonus ejus. Cujus Satyri « videlicet confessionem ac testimonium de Christo longævus viator admirans, & [f] gra-

(a) Introd. *aut Apollinarem, aut veteres*

(b) Introd. omittit *non* quod tamen extat apud Hieronymum.

(c) Apud Hieronymum & in Introd. desideratur *cognita* nec certè necessarium videtur.

(d) Delendum hic videtur *non*, quod non extat in Hieronymi textu.

(e) Introd. *solemnitate.*

(f) Introd. *Gavisus.*

vius quod etiam monstra Christum prædicarent, ac vehementer indignatus super duritia & cæcitate Alexandriæ, baculo statim humum percutiens aiebat: Væ tibi, Alexandria, » quæ pro Deo portenta veneraris! Quid nunc » dicturi estis? Bestiæ loquuntur Christum, ac [a] » si apertè clamet dicens: [a] Conterat impudentiam vestram saltem confessio monstrorum. Quæ quidem confessio tantò fortasse mirabilius gloriam atque potentiam Dei prædicat, quantò majori miraculo est habenda, & tantò verior ejus assertio videtur, quanto à doctrina hominum remotior est, & tota suggestioni sancti Spiritus imputanda. Unde & verba asinæ Balaam, & voces in aere factæ, sicut de baptizato vel transfigurato Domino legimus, cùm aliquid astantibus annunciaverunt, tantò facilius ad fidem auditores commovebant, quanto mirabiliores omnibus apparebant: quod de philosophis quoque, vel quibuscumque gentilibus, quantumvis infidelibus seu nostræ fidei inimicis, manifesta docetur ratione. quo enim fidei nostræ magis essent adversi, minus in laude ejus invenirentur suspecti, & probabilius in laude cujuslibet testimonium est inimici quàm amici, sicut è converso in crimine. Unde & cùm Josephi Judæi testimonium de Christo vel de sanctis ejus legimus, plurimum ad fidem in eo commovemur: & cum audimus Philonem Judæum vitam monasteriorum Ægypti probasse [b] atque commendasse, plus nobis fortasse [b] satisfecit, quàm si aliquis noster eam commendaret, ex quo & utrique inter illustres viros à beato Hieronymo connumerari & scribi meruerunt.

Quid etiam magis necessarium ad defensionem fidei nostræ, quàm ut adversus omnium infidelium importunitatem ex ipsis habeamus, per quod ipsos refellamus? ut si nos impetunt philosophi, per ipsos convincantur doctores suos atque philosophos: & si nos im- [c] petunt hæretici, [c] aliquibus sacræ paginæ testimoniis refellantur, atque ita juxta Apos- Rom. 3. 19. tolum *omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.* Quis etiam hæreticos longe [d] deteriores esse [d] philosophis & quibuslibet gentibus ignoret? Juxta namque Petri apostoli assertionem, melius esset eis non nosse viam veritatis, quàm post cognitam retro abire. Si ergo propter infidelitatem gentilium hi qui aliquibus eorum testimoniis vel dictis [e] [e] nituntur arguendi sunt, multò amplius illi qui Origenis tot & tantis hæresibus irretiti expositiones atque sententias tam studiosè ad nostram transtulerunt atque induxerunt ædificationem, cum ex infidelitate dampnabiliores omnibus, ut dictum est, constet esse hæ-

A reticos, Cujus quidem innumeras ac supramodum abominandas hæreses silentio deperire non sustinuerunt, quasi & in his retractandis aliquam præviderent utilitatem: ac si ab eis adsignatis atque damnatis ceteri facilius sibi providerent, aut quibus eas rationibus dissolverent, si quis in eis illaquearetur, addiscerent. Unde & B. Hieronymus epistolam ad [f] Avitum presbyterum direxit, ubi [f] hæretica illa quæ in libris Periarches Origenes [g] innumera posuerat, ex parte mani- [g] festat. Quis etiam me pro testimoniis philosophorum inductis rectè arguat, nisi & in culpam mecum sanctos doctores in hoc ipso tra- B hat? Quæ enim superius ex philosophis collegi testimonia non ex eorum scriptis, [h] quæ [h] numquam fortasse vidi, immo ex libris B. Augustini collegi. Numquid & Apostolum arguere præsument, qui ut ait ipse Augustinus in VIII. de Civitate Dei Atheniensibus loquens, cùm rem magnam de Deo dixisset, & quæ à paucis possit intelligi, quod *in illo vi-* Act. 17. 28. *vimus, movemur, & sumus*, adjecit *sicut & vestri quidam dixerunt*, ipsorum videlicet philosophorum, quorum studiis gloriosa illa civitas extiterat, testimonium ad persuasionem inducens, de quibus, ut in eodem ipse Au- C gustinus præmiserit, ad Romanos scribens, quia *quod notum est Dei, manifestum est illis.* Rom. 1. 19. *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus ac divinitas, &c.* Ex quibus apertè Apostolus docet eis quoque mysterium Trinitatis fuisse revelatum. [i] Sed hæc quidem [i] verba Apostoli nobis in sequentibus exponenda occurrent. Nunc autem adversus tam hæreticorum, quàm philosophorum objectiones pluribus de fide sanctæ Trinitatis collectis atque expositis testimoniis superest aperire. [Quibus rationibus defendi posset quod D testimoniis confirmatum est. Omnis quippe controversia, ut in Rhetoricis suis Tullius meminit, aut in scripto aut in ratione versatur, & beato attestante Augustino, in omnibus auctoritatem humanæ anteponi rationi convenit, maximè autem in his quæ ad Deum pertinent tutius auctoritate, quam humano nitimur ingenio. Hinc est illud, quod ait capite primo libri de moribus ecclesiæ contra Manichæos [k] Naturæ quidem adscribunt. [k]

Quomodo una penitus permanente substantia tres in ea personæ distingui queant, quarum nullatenus una sit alia. Deinde quomo- E do hæc persona genita, illa procedens dicatur.]

Primò itaque disserendum occurrit quot modis personæ nomen accipi solet, ut dili-

(a) Introd. *conteret.*
(b) Introd. *satisfacit.*
(c) Introd. *à quibus.*
(d) Introd. *Gentibus & quibusdam philosophis.*
(e) Introd. *utantur.*
(f) Introd. *auctum.*
(g) Introd. *minima.*
(h) Introd. *quorum pauca novi, immo ex libris sanctorum Patrum collegi.*

[i] Introd. *Sed hic quadam verba Apostoli.*
[k] S. Augustini textum hic non profert codex noster, sed primum dumtaxat & ultimum illius verbum, quem lectores apud Augustinum lib. Moribus ecclesiæ catholicæ contra Manichæos cap. 2. legere possunt. Sed neque hæc verba, quæ parenthesi includuntur. Satis cohærent cum sequentibus, licet ex præcedentibus rectè sequantur, quare secundo hic loco addita credimus.

genter



genter à ceteris hoc signo distinguatur. Aliter autem in rhetorica, aliter in grammatica, atque aliter in theologia personam accipimus. Quod enim dictum est invisibilia Dei eis fuisse revelata ad personam Spiritus non incongruè applicatur, qui hoc ipso quod Spiritus dicitur, ex ipso nomine invisibiliter insinuatur. Et quia ipsum donum Dei vocatur, & secundum septiformem gratiam multiplex, & septem Spiritus quasi VII. dona nonnumquam dicitur, non incongruè dictum est pluraliter *Invisibilia Dei*, hoc est Spiritum ejus septiformis gratiæ donorum distributorem. Verbum autem Patris Christum Dominum Dei virtutem & Dei Sapientiam Apostolus clamat. Unde & hoc loco cùm dicitur *Sempiterna quoque Dei virtus* persona Filii exprimitur, ut & cùm subditur *& Divinitas*, quia ut supra meminimus, maximè nomine Dei vel Domini potestatis majestas exprimitur, Persona quoque Patris expressa est. Quod si adhuc nec ipsius Apostoli, nec sanctorum patrum auctoritas mihi satis suffragari videtur, nec ea quoque, quàm supra prætendimus, ratio, quod in præsenti videlicet opere maximè adversus philosophorum discipulos agimus, qui nos philosophicis impetunt rationibus, quorum & penitus auctoritate ipsi nituntur, superest ut hostilis malitiæ jacula pluribus retundamus rationibus, & per singula eorum respondentes objectis, eorum compescamus latratus, ne quod ad fidei nostræ defensionem sincera conscripsimus intentione, inde eorum invida sive erronea criminatione vilescat fidelibus; unde magis patet infestum infidelibus, & quoniam infidelitatis philosophos, utpote gentiles arguunt, omnemque eis quasi damnatis per hoc fidei auctoritatem adimunt, in hoc nostra plurimum intendat defensio, in quo tota eorum nititur impugnatio.

Gentilibus philosophis revelata fuisse mysteria Trinitatis & Incarnationis hic docet Abaëlardus.

Gentiles fortasse natione, non fide, omnes fuerunt philosophi, sicut de Job & amicis ejus dicitur. Quomodo enim infidelitati ac damnationi eos omnes deputaverimus, quibus, Apostolo quoque testante, ipse fidei sui arcana, ac profunda Trinitatis mysteria revelavit, & mirè eorum virtutes & opera à sanctis quoque doctoribus prædicantur, quamvis eorum nonnullos per elationem excæcatos, atque ad idolatriam & ignominiosam vitam devolutos esse idem perhibeat Apostolus, sicut & de Salomone ipso legimus, & de multis contigit fidelibus. Quis etiam asserat nullis eorum fidem Incarnationis revelatam esse, sicut & Sybillæ, licet in eorum scriptis non videatur expressa? quæ neque à Job & nonnullis prophetarum apertè prædicatur, cum & Septuaginta Interpretes legem ethnicis transferentes, omnia fere fidei arcana tacuerint, quæ fortè rudi populo revelata magis scandali offensionem parerent, quàm ædificationem. Quod si ad allegoriam dicta quoque philosophorum accipi fas esset, quis

A non convenienter ad mysterium redemtionis mundi animadvertat deflectendum esse, quod Plato asserit, Deum in ipsa mundi compositione duas longitudines in speciem χ chi græcæ litteræ sibi invicem applicuisse, curvasseque in orbem, ut ipsum mundi perficeret globum, quasi mysticè perhibeat, universorum hominum salutem, quam ipsius mundi veram intelligimus constitutionem, in ipsa Dominicæ Crucis passione consummatam fuisse? Quod si sacramenta non susceperunt, qui ante adventum Salvatoris extiterunt, cùm neque de Job gentili id credere cogamur, nec ita lex omnibus data videatur, sicut Evangelium fuit, sed soli Israëli, qui solus ex omnibus populis primò vocatus est,

B lege accepta, ut non ita generalis intelligatur legis institutio, sicut est Evangelium; aut prima vocatio, sicut est secunda. Unde Moyses capite Deuteronomii XV. ad Israël dicit: *Interroga de diebus antiquis ex die quo creavit Deus hominem, si facta est aliquando hujuscemodi res, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vidisti, si fecit Deus ut ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum per signa atque portenta, videntibus oculis tuis, ut sciret quoniam ipse est Deus, & non alius de cœlo te* Deut. 4. 32.

C *fecit audire vocem suam, ut doceret te, quia dilexit patres tuos, & elegit senes eorum post eos.* Item idem capite XXIII. *Populus sanctus es Domino Deo tuo: Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis quæ sunt super terram, &c.* Hinc & illud est Psalmistæ. *Non fecit taliter omni nationi; & judicia sua non manifestavit illis.* Nullâ itaque ratione cogendi videmur, ut de salute talium diffidamus gentilium, qui ante adventum Redemtoris nullo legis scripto instructi, naturaliter juxta Apostolum ea quæ legis sunt facientes, ipsi sibi lex erant, qui ostendebant opus legis scriptum in cordibus Deut. 7. 6.

D suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Sicut namque scriptum est in epistola ad Romanos, *non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur: cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et post aliqua: *arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. An Judæorum Deus tantum? nonne & gentium? immo & gen-* Rom. 2. 13. Rom. 3. 28.

E *tium: quoniam quidem unus Deus qui justificat circumcisionem ex fide & preputium per fidem.* Item. *Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Et rursum * *Discimus quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo reputata est? In circumcisione, aut in preputio? non in circumcisione, sed in preputio, & signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei quæ est in preputio, ut sit pater omnium credentium per preputium.* Et iterum, *Si enim qui ex lege* Rom. 4. 3. *l. Dicimus. Ibid. 9. Ibid. 14.

heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur: ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Et in sequentibus, *Peccatum*, inquit, *non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione vero accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat, ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum, & inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Ex quibus quidem verbis Apostoli aptè monstratur justitiam à naturali lege incepisse, & omnino sine lege scripta per fidem homines justificatos esse, ubi etiam adnectitur, quia facilè ad gravissima peccata post legis scriptæ prohibitiones inclinarentur homines, juxta illud poëticum, *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* At fortasse, inquies, non posse cassari illud circumcisionis decretum postquam datum fuit Abrahæ primum: *Masculus cujus preputium caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Sed si diligenter consideremus præcedentia, inveniemus hoc nonnisi Abrahæ & semini ejus fuisse injunctum. hoc est his qui de Isaac, non de Ismael egressuri erant. Unde & Abrahæ dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Legimus etiam in utero sanctificatos esse Jeremiam & Johannem antequam corporalia perciperent sacramenta. Absit itaque ut ita generale esse profiteamur sacramentum circumcisionis sicut & baptismi, sed juxta Ambrosium potiora semper dicamus & perfectiora sacramenta Ecclesiæ quàm Synagogæ, cum hæc omnibus, illa quibusdam, ut dictum est, data sint, & sine his jam nulla remissio vel sanctificatio speranda sit. Hæc iccirco induximus, ne quis post legem etiam datam usque ad adventum Christi de salute fidelium gentilium desperet, si sine perceptione sacramentorum sobriè ac justè vixerint: inter quos quidem philosophi tam vita quàm doctrina claruisse noscuntur. Quanta verò abstinentia, quanta continentia, quantis virtutibus non solum philosophos verum & sæculares atque illiteratos homines lex naturalis amorque ipse honestatis olim sublimaverit, multorum didicimus testimoniis, quos nonnumquam ad increpationem negligentiæ nostræ sancti quoque doctores, sicut & beatum Job inducere curaverunt, & utrumque eorum sexum quasi in exemplum imitandæ religionis impudentiæ nostræ proponere, qui utriusque testamenti paginis & innumeris sanctorum scriptis instructi, per omnia deteriores existimus, cùm nec sic obtemperare volumus, qui & juxta Gregorium una cum B. Job illud nobis improperant propheticum: *Erubesce Sydon, ait mare.* Unde & bene Dominus ante scriptæ legis traditionem vel miraculorum suorum exhibitionem quosdam in utroque sexu nobis virtutibus imitandos præmisit, tum ut per eos nostra inexcusabilis appareat negligentia, tum etiam ut obedientium major conservetur humilitas, si post tot documenta tam miraculorum quàm scriptorum, post tot exempla sanctorum, aliqua bona habeamus opera; cùm illi sine scripto legis, sine ammonitione prædicationis, tantis virtutibus, tanta etiam morum disciplina claruerint, tamque constanti animo in reprehensione vitiorum præstiterint, ut pro veritatis defensione mortem nonnulli subierint. Quæ jam per singula subjectis testimoniis & exemplis confirmemus. Fidem itaque, ut diximus, philosophi prædicant, & immortalitatem animæ tradunt, futuramque pro meritis retributionem animarum sive ad pœnam sive ad gloriam: unde & ad bona nos maximè cohortantur opera, spe videlicet cœlestis beatitudinis & comminatione infernalis supplicii, de quibus plura Macrobius loquitur. Hinc & Hieronymus ad Heliodorum episcopum in Epitaphio Nepotiani, Taceo, inquit, de Græcis, Hebræis & Latinis, quas nationes crucis suæ titulo Dominus dedicavit. Immortalem animam & post dissolutionem corporis subsistentem, quod Phytagoras somniavit, Democritus credidit, in consolationem damnationis suæ, Socrates disputavit in carcere. qui etiam quantis claruerint virtutibus, ipsa eorum tam vita quàm doctrina perhibet: qui nequaquam, ut arbitror tam diligenter virtutes describerent, dum moralia tradunt instituta, nisi eas in seipsis certis cognoscerent experimentis. quas quidem descriptiones virtutum sancti & doctores ab ipsis assumere non sunt dedignati, cum aut justitiam aut fortitudinem, aut ceteras virtutes eis nobis exprimunt verbis, quasi & ipso Spiritu eodem locutos fuisse non ambigant. Quorum quidem unus cùm honestatis formam traderet, egregiè ait: *Oderunt peccare boni virtutis amore*: ac si apertè doceat à turpitudine vitiorum magis abstinendum ipsius virtutis amore, quæ dicitur honestas, quàm supplicii timore, quo ingrati coercentur servi. Quod si id minus videtur esse ad meritum salvationis quod dicitur amore virtutis, & non potius amore Dei, ac si virtutem vel aliquod bonum opus habere possimus, quod non secundùm ipsum Deum ac propter ipsum fit: facile est & hoc reperiri apud philosophos, quod summum bonum, quod Deus est, omnium tam principium, id est originem & causam efficientem, quàm finem, id est finalem causam constituunt, ut omnia, scilicet bona, amore ipsius fiant, cujus ex dono proveniunt. unde ipsum Alpha & Omega, hoc est principium & finis, rectè nominamus, à quo sunt omnia, & propter quem omnia. Hunc Plato optimum & ineffabilem omnium naturarum conditorem asserit, qui cum omnia possit, & ab eo longè relegata sit omnis invidia, omnia tam bona condidit, quantum singulorum natura permittebat, vel ipse ordo & concinnitas rerum

Rom. 7.7.
Gen. 17.14.
Gen. 21.12.
Philosophorum & gentilium virtutes extollit.
Isa 23. 4.
Hier. ep. 35. nova edit.

Gen. 1. postulabat. Dixit & Moyses omnia à Deo
valde bona esse facta: sed plus aliquantulum
laudis divinæ bonitati Plato assignare videtur, cùm tam bona facta dicit singula, quantum eorum natura permittebat, vel opportunum erat. ubi etiam adjecit ipsam Dei voluntatem rectè omnium creatarum rerum causam arbitrari. Ac si omnia ideo facta atque optimè facta intelligat, quia optimus artifex ita facienda decrevit, cujus ad omnia sufficit voluntas, quæ nullatenus cassa esse potest. Hic autem cùm de Deo loquens sic præmisisset, itaque consequenter cuncta sui similia, prout cujusque natura poterat esse capax beatitudinis, effici voluit, adjecit statim,

Voluntas Dei ex Platone rerum causa.

» atque ait: Quam quidem voluntatem Dei
» originem rerum certissimam si quis ponit,
» rectè eum putare consentiam. Quem & beatus secutus Augustinus in Enchiridium * c. xi.

* l. cap. ix.

» Satis est, inquit, christiano rerum creatarum
» causam nonnisi credere bonitatem Creatoris,
» qui est Deus unus, nullamque esse naturam
» quæ non aut ipse sit, aut ab ipso. Hanc etiam causam & magister ipsius Socrates assignatam reliquerat, ut videlicet omnium factarum naturarum causæ penes ipsius Creatoris incommutabilem voluntatem incommutabiliter permaneant, & stabiliter vivant, C sicut quod dictum est *quod factum est in ipso vita erat*. Ubi etiam & de inquirendis causis ac primordiis rerum apud physicam disciplinam Socratica sanxit auctoritas, nullam adipisci nos posse certitudinem, nisi illuc contemplatione mentis conscendamus, ubi causæ omnium, ut dictum est, incommutabiliter fixæ manent, in ipsa scilicet voluntate creatoris, quo nec posse conscendi perhibet, nisi mente à vitiis purgata, juxta illud Veritatis *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Unde & propter ipsam quoque physicæ vel cujuslibet philosophiæ perceptionem, quæ nonnisi in discussione occultarum causarum * consistunt, D primùm purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, ac si ethica in omni philosophia primum præfigeret gradum, ut quod amore Dei ad vitæ honestatem allicere non posset, saltem cupiditate philosophiæ aliquatenus ad hoc eos initiaret. quem quidem Augustinus in viii. de Civitate Dei talibus dignè effert præconiis.

Joh. 1. 3.

Matth. 5. 8.

* l. consistit.

Aug. de Civit. Dei l. 8. c. 3.

So-
» crates magister Platonis universam philoso-
» phiam ad corrigendos componendosque mo-
» res flexisse permemoratur. Hic animum in-
» tendit ad hoc quod esset beatæ vitæ neces-
» sarium, propter quam unam omnium philo- E
» sophorum invigilasse ac laborasse videtur in-
» dustria. Nolebat immundos terrenis cupidi-
» tatibus animos se in divina conari, quando-
» quidem ab eis causas rerum videbat inquiri,
» quas primas atque summas nonnisi in unius
» veri ac summi Dei bonitate esse credebat.
» Unde nec eas putabat nisi mundata mente

A posse comprehendi, & ideo purgandæ bonis «
moribus vitæ credebat instandum, ut depri- «
mentibus libidinibus exoneratus animus na- «
turali vigore in æterna se attolleret, natu- «
ramque [a] incorpoream, atque immutabilis « [a]
luminis, ubi causæ omnium factarum natu- «
rarum stabiliter vivunt, intelligentiæ purita- «
te conspiceret. Et post pauca: Socrates, in- « Ibid.
quit, reliquit plurimos suæ philosophiæ se- «
ctatores, quorum certatim studium fuit in «
quæstionum moralium disceptatione versari, «
ubi agitur de summo Bono, [b] sine quo « [b]
fieri beatus nullus potest. Ubi quidem &
B de Platonica disciplina quam diligenter Deum investigaverit, & ipsum summum Bonum esse definierit, in quo tota beatitudinis summa consistit, & quam rectè philosophari determinaverit amare Deum, ut omnium quoque bonorum finem amorem Dei constituat, placet nunc subinferre ex eodem, scilicet viii.
de Civitate Dei: Fortassis, inquit, qui Pla- « Ibid. c. 4.
tonem ceteris philosophis gentium longè re- «
ctèque prælatum acutius atque subtilius in- «
tellexisse [c] assecuti laudantur, aliquid tale « [c]
de eo sentiunt, ut in eo inveniatur & causa «
subsistendi, & ratio intelligendi, & ordo vi- «
vendi: quorum trium unum ad naturalem, «
alterum ad rationalem, tertium ad moralem «
[d] intellexit pertinere. Si enim homo ita est « [d]
creatus, ut per id quod in eo præcellit, ad- «
tingat ad illud quod cuncta præcellit, id est «
unum, verum, optimum Deum, sine quo nulla «
natura subsistit, nulla creatura instruit, nullus «
usus expetit: ipse quæratur, ubi nobis secura sunt «
omnia; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt om- «
nia; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia. « Cap. 5.
Si ergo Plato Dei hujus imitatorem, cognitorē, «
amatorem dixit esse sapientem, cujus parti- «
cipatione fit beatus, quid opus est excutere «
ceteros? Item, Viderunt ergo isti philosophi, « Ibid. c. 6.
quos ceteris non immerito fama atque [e] gra- « [e]
tia prælatos videmus, nullum corpus esse «
Deum; & ideo cuncta corpora transcende- «
runt quærentes Deum. Viderunt quicquid «
mutabile est non esse summum Deum, & «
ideo animam omnem mutabilesque omnes «
spiritus transcenderunt, quærentes summum «
Deum. Item de Philosophis: Hi verò, quos « Ibid. c. 7.
merito ceteris anteponimus, discreverunt ea «
quæ mente conspiciuntur, ab his quæ sen- «
sibus attinguntur, nec sensibus adimentes «
quod possunt, nec eis dantes ultra quam pos- «
sunt. Lumen autem mentium esse dixerunt, «
[f] ad discernenda omnia, Deum, à quo facta « [f]
sunt omnia. Reliqua est pars moralis, quàm « Cap. 8.
græco vocabulo dicunt ethicam, ubi quæ- «
ritur de summo bono, quo referentes om- «
nia quæ agimus, quod non propter aliud, «
sed propter seipsum appetentes, idque adi- «
piscentes, nihil quo beati simus ulterius re- «
quiramus: ideo quippe & finis est dictus, «
quia propter hunc cetera volumus, ipsum «

(a) Apud Augustinum *incorporei*.
(b) Apud Aug. *quo fieri homo beatus potest*.
(c) Apud Aug. *atque scuti esse fama celebriore laudantur*.
(d) Apud Aug. *intelligitur*.
(e) Apud Aug. *gloria*.
(f) Apud Aug. *ad discenda*.

„ autem nonnisi propter ipsum. Item, Nunc „ satis commemorare Platonem determinasse „ finem boni esse propter virtutem vivere, & ei „ soli evenire posse qui notitiam Dei habeat & „ mutationem, nec esse aliam ob causam beatum, ideoque non dubitat hoc esse philosophari amare Deum. Unde colligunt tunc fore „ beatum studiosum sapientiæ, id est philosophum, cùm Deo frui cœperit. Quisquis ergo „ fruitur eo quod amat, verum & summum „ bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus negat? Ipsa quoque Platonis documenta didicimus ex ipsis philosophiæ studiis, & investigatione rationum veri philosophos ut Deo placeant intendere. A quo quidem præmissa prece in quibuslibet rationibus ut veritatem percipere ac disserere possent, atque hinc etiam ipsi placere supplici obsecratione postulabant: in tantum ut eos omnes pro furiosis & inexpiandis haberent, qui omnibus rectè agendis divinam non invocent opem. Ex quo plurimum & eorum intentio manifestatur, & humilitas commendatur, cùm & propter Deum omnia rectè agi velint, ut hinc ei suppleatur, & ei omnia tribuant bona à quo postulant universa. Hinc est illud Platonis, ubi introducta Socratis & Tymæi persona, scriptum est: Socrates. Ergò age, „ Tymæe, deliba cœptum, vocata, ut mos est, „ in auxilium divinitate. Tymæus. Verè, mi „ ô Socrates. nam cùm omnibus mos sit, & „ quædam quasi religio, quod de maximis „ vel de minimis rebus acturi aliquid, sunt „ * prædicari ad auxilium divinitatem, quanto nos æquius est, qui universitatis naturæ „ substantiæque rationem præstituri sumus, „ invocare divinam opem, nisi planè sævo quodam furore atque implacabili raptemur „ amentia? Sit ergo meis precibus comprehensum, maximè quidem ut ea dicantur à „ nobis quæ placeant Deo, tum ut nobis quoque ipsis consequenter propositoque operi decenter proferamus. Quis etiam illam Pitagoræ non satis ammiretur humilitatem, qui se more antiquorum non sustinuerit appellari sophum, hoc est sapientem, sed magis philosophum, hoc est amatorem sapientiæ, quasi non in homine, sed in solo Deo verè sapientiam Dei prædicaret, cujus se participatione desidem potius quàm habilem profiteretur? Hinc est illud Augustini in VIII. de Civitate Dei. Duo philosophorum genera traduntur; „ unum Ithalicum ex parte Ithaliæ, quæ quondam magna Græcia nuncupata est: alterum „ Ionicum, in eis terris, ubi & nunc Græcia „ nominatur. Ithalicum genus auctorem habuit „ Phytagoram Samium, à quo & fertur ipsum „ philosophiæ nomen exortum. Nam cùm antea sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur; iste interrogatus quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum vel amatorem sapientiæ: quando sapientem profiteri arrogantissimum, videbatur. Huic profecto minimè necessaria videbatur illa Veritatis ammonitio, *ne vocemini magistri, unus est enim magister vester qui in cœlis est.* Minus quippe ei esset sapientis nomen quàm magistri sibi arrogare. Notanda sunt ipsa Augustini verba, quibus sophum sive philosophum solere appellari dicit, ex laude vitæ potius quàm scientiæ. Sicut enim nunc, ait, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur. Unde & Boëtius in editione II. super Porphyrium philosophiam describens dicit: Philosophia est rerum humanarum divinarumque cognitio cum studio « bene vivendi conjuncta. Et Isidorus Etymologiarum libri VIII. capite VI. Est, inquit, « philosophus qui divinarum & humanarum « rerum scientiam habet, & omnem bene vivendi tramitem tenet. Non itaque aut sophus id est sapiens, aut philosophus dicebatur, ex quantacumque scientia, si deesset vitæ munditia. Aliud quippe est astutia sive calliditas in sola cognitione scientiæ, aliud sapientia in rectitudine etiam vitæ. Quam quidem sapientiam Tullius in Rhetorica eloquentiæ conjungendam dicit, ut prodesse civitatibus eloquentia velit, secundùm quod orator à Victorino describitur Vir bonus dicendi peritus, &c. Bonus quidem rectitudine sapientiæ, ut bene velit, peritus scientiæ Rhetoricæ, ut bene possit. Quem & B. Hieronymus tamquam præceptorem suum in rhetorica secutus, in illa quam ad Oceanum scribit epistola, Definiunt, inquit, rhetores « [a]oratores oratorem qui sit vir bonus, dicendi peritus. Ante vita, sic lingua inreprehensibilis quæritur, ut doctus merito suscipiatur. « Perdit auctoritatem dicendi, cujus sermo « opere destruitur. De hac quoque sapientia « benignitatis seu bonitatis, qua videlicet dulce nobis sapit per desiderium quod rectè capimus per intellectum, Augustinus * in Enchiridion capitulo I. loquitur, dicens: In libro S. Job legitur quod ipsa sapientia dixerit homini: *Ecce pietas est sapientia.*

Quod si post fidem ac moralem doctrinam philosophorum finemque seu intentionem recte vivendi ab eis assignatum, vitam quoque ipsorum inspiciamus, & quàm diligenter reipublicæ statum instituerint, atque ipsorum civium simulque conviventium vitam ordinaverint, reperiemus ipsorum tam vitam, quàm doctrinam maxime evangelicam seu apostolicam perfectionem exprimere, & à religione christiana eos nihil aut parum recedere, quod nobis tam rationibus morum, quàm nomine ipso juncti sunt reperiuntur. nomine quidem, cùm nos à vera sophia, hoc est sapientia Dei Patris, quæ Christus est, christiani dicamur, verè in hoc dicendi philosophi, si verè Christum diligimus. Fide quoque & spe morumque & honestatis rationibus secundùm caritatis libertatem, quod in gratia vocati sumus, non secundùm servitutem Judaïcam ex timore pœnarum & ambitione terrenorum, non ex de;

Marginalia: * f. prædicaturi. — Pytagoræ humilitas prædicatur. — Aug. de Civitate Dei lib. 8. cap. 2. — * I. capitulo 2. — Job. 28. 28. — [a]

[a] Apud Hieronymum desideratur *Oratores*.

siderio æternorum, nobis plurimum philosophos certum est assentire: quibus, ut diximus, & fides Trinitatis revelata est, & ab ipsis prædicata, & spes immortalis animæ & æternæ retributionis expectata, pro qua mundum penitus contemnere, & terrenis omnibus abrenuntiare, & seipsos dura macerare inedia non dubitaverunt, ponentes nobiscum amorem Dei finem & causam omnium, ut supra satis meminimus. Hinc quidem facilius evangelica prædicatio à philosophis, quàm à Judæis suscepta est, cùm sibi eam maximè invenirent adfinem, nec fortasse in aliquo dissonam, nisi fortè in his quæ ad Incarnationis vel sacramentorum vel resurrectionis mysteria pertinent. Si enim diligenter moralia evangelii præcepta consideremus, nihil ea aliud quàm reformationem legis naturalis inveniemus, quam secutos esse philosophos constat; cùm lex magis figuralibus, quàm moralibus nitatur mandatis, & exteriori potius justitia, quàm interiori abundet. Evangelium verò virtutes ac vitia diligenter examinat, & secundùm animi intentionem omnia, sicut & philosophi, pensat. Unde cùm tanta, ut dictum est, evangelicæ ac philosophicæ doctrinæ concordia pateat, nonnulli Platonicorum, ut supra olim meminimus, in tantam proruperunt blasphemiam, ut Dominum JESUM omnes suas sententias à Platone accepisse dicerent, quasi philosophus ipsam docuisset sophiam.

Præcepta philosophorum de vita rectè instituenda prædicantur.

Nunc autem præter diligentem virtutum descriptionem à philosophis datam, juvat & eorum de activæ vitæ rectitudine doctrinam inspicere, cùm rectis rationibus vivendi civitatum & eorum rectorum instituerent vitam, deinde quantum ipsi quoque suis de rectitudine vivendi obtemperaverint dictis, vel amplius fecerint quàm aliis imponerent; juxta quod & de vera scriptum est sophia, quæ *cœpit Jesus facere & docere*: ac si diceret, primum facere, deinde docere. Instituerunt autem juxta evangelicam prædicationem tam conjugatorum, quàm rectorum, quàm continentium vitã, cùm & civitatibus quasi conjugatorum conventibus modum vitæ assignaverunt, & quales ipsi reipublicæ rectores esse oporteret deffinierunt, & in seipsis continentium atque abstinentium vitam expresserunt, quam nunc clerici sive monachi profitentur. Civitatum autem conventus tanta proximi caritate junxerunt, ut omnibus in commune redactis, nihil civitas nisi fraternitas videretur, & nihil aliud rectores civitatis, quàm reipublicæ dispensatores dicerentur, ut jam tunc illam primitivæ ecclesiæ apostolicam præsignarent vitam, de qua in Actibus apostolorum dicitur: *Quod erant eis omnia communia, & nihil suum dicebat aliquis; sed unicuique distribuebatur prout cuique opus erat:* Cujus nunc vitæ se professores monachi dicunt, cùm hæc omnibus rectè conviventibus philosophi jure assignaverint, juxta illam de æquitate caritatis

Act. 1. 1.

Communis vita ab ipsis laudata.

Act. 4. 32.

[a] Apud Hieron. *Xystus*, sed mss. legunt *Sextus*.

A regulam *Diligẽs proximum tuum tamquam te ipsum.* Quid etiam amplius omnem interdixit proprietatem, & omnia in commune redegit, quam illud Socratis dictum in Tymæo Platonis inductum, quo uxores quoque communes fore instituit, ut nullus proprios recognoscat liberos? Numquid hoc, fratres, ad aliquam turpitudinem inclinandum est, ut tantam ac tam manifestam atque abominabilem obcœnitatem tantus institueret philosophus, à quo totum moralis disciplinæ studium & investigatio summi Boni sumsit exordium; & cùm non solum à philosophis, B verum & à poëtis, & ab omnibus naturalis legis hominibus adulteria damnentur: immo & à nonnullis ardor libidinis in uxorem propriam adulterio deputetur. Unde Hyeronimus contra Jovinianum libro primo, [a] Sextus in sententiis, Adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, [b] ne præceps feratur in coitu. Nihil est fædius, quàm uxorem amare quasi adulteram. Certè qui dicunt se causa reipublicæ & generis humani, uxoribus jungi, & liberos tollere, imi- C tentur saltem pecudes, & postquam uxoris venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos. Cùm itaque Socrates uxores quoque publicandas esse instituerit, de communitate quarum nihil omnino tenendum esse videbatur, profecto nihil penitus reliquit proprium, quod videlicet ad communitatem non reduceret. Uxores itaque vult communes esse secundùm fructum, non secundùm usum; hoc est ad utilitatem ex eis percipiendam, non ad voluptatem in eis explendam, ut videlicet tanta sit in omnibus caritas propagata, ut unusquisque omnia quæ habet, tam filios, D quàm quæcumque alia, nonnisi ad communem omnium utilitatem possidere appetat. Quod diligenter ille attendebat, de quo Valerius Maximus inter cetera commemorat, dicens. Aulus Fulvius filium suum pravo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra ejus temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit, præfatus non se illum Catilinæ adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse. Et hos fortasse omnes tales veros reipublicæ rectores intellexit, qui ea scilicet quæ possidere videntur, non sibi, sed communi E deputant utilitati. Et hæc quidem verè dicenda est respublica, cujus administratio ad communem geritur utilitatem: & hi vere dicendi sunt concives, qui sic in unum tam corpore quàm devotione inhabitant, ut in eis completum videatur, quod de perfectione primitivæ Ecclesiæ, quam nunc monasteriorum conventus imitantur, per Psalmistam dicitur: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Et hinc eorum unani-

[a]

[b]

Val. Max. lib. 5. c. 8.

Ps. 132. 1.

[b] Apud Hier. *Nec præceps feratur.*

mis convictus rectè civitas est appellandus, ubi par æquitatis censura unicuique quod suum est servat, & in omnibus æqua dispensatio tenetur, & prout cuique opus est, & facultas permittit, omnia dispensantur, & ad unum exitum, hoc est ad communem civitatis incolumitatem, quæ omnia fiunt intenduntur, ut in omnibus sine murmuratione sincera caritas conservetur. Unde

Hier. Ep. 35. novæ ed. pag. 268.

Clemens ad Jacobum scribens: Nisi in communi vivendum esse adhortaretur: Denique, inquit, Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse, ait: Sicut non potest aer dividi, neque splendor solis; ita nec reliqua, quæ communiter in mundo hoc omnibus data sunt ad habendum dividi debere, sed habenda esse communia. Alioquin non est in proximum caritas perfecta, quæ quærit quæ sua sunt, sed amici sui commoda.

Hieronymus ad Eliodorum episcopum in Epitaphio Nepotiani: Quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus, quasi quibusdam stellis, Latinæ micant historiæ? Pulvillius capitolium dedicans, mortuum ut nunciabatur filium, subitò se jussit absente sepeliri. Lucius Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans Urbem ingressus est.

Ad hanc profectò æquitatis censuram illa civitatum definitio spectat, de qua verba Tullii Macrobius exponens ait: Illa autem definitione quid pressius potest esse, quid cautius de nomine civitatum, quàm concilia, inquit, cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur? Secundùm quam quidem definitionem conventus quilibet christianæ religionis propriè civitates dicendi sunt, & concives propriè fratres, in quo per gratiam renati. Unde & Veritas de societate Ecclesiæ dicit. *Non potest abscondi civitas supra montem posita.* (Matth. 5. 14.) Cui & illud in Iezechiele concinit de ædificio civitatis super montem ostenso, atque illud Psalmistæ *Hierusalem quæ ædificatur ut civitas.* (Psal. 121. 3.) Ad hanc, credo, reipublicæ communitatem cùm nos adhortarentur philosophi, egregie per naturalem justitiam commendaverunt positivam, hoc est hanc quam ipsi ponere & statuere in conventibus civitatum cœperunt, & congruè ad concordiam & communitatem hominum in terris, concordiam superiorum & cœlestium rerum, quæ communiter nostris usibus deputatæ sunt, introduxerunt; ut cùm omnes beneficium solis & ceterorum communiter accipiamus, ammoneamur ex his & nos ipsi nobis invicem communiter subvenire; & cùm major mundus divina dispositione singulis suis partibus nobis subveniat, qui nec sibi ipsi, sed nobis factus est; ex hoc præcipuè minor mundus, id est singuli homines ammoneantur, mutuis sibi beneficiis subvenire, & ad communem omnia quæ habemus utilitatem disponere; præcipuè cùm id ipsum Deus omnium remunerator se apertissimè velle insinuet, cœlestia quoque & universa quæ in mundo sunt, & insensibilia omnium nostrum usibus, ad quos & facta sunt, subjiciendo, sicut per Psalmistam de homine ad Deum dicitur suis verbis: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, &c.* (Psal. 8. 8.)

Quantum etiam illud magnificandum est ac prædicandum, quod cum rectitudine civilis honestatis Plato institueret, à verbis quoque inhonestis & fabulosis, sicut & à turpibus factis providet, ut in nullo civitatis ordinationem labefactari permitteret. Unde & cùm civitatis rectè ordinandæ traderet institutionem, poëtas à civitatibus ejiciendos esse decrevit, sicut in secundo de Civitate Dei B. Augustinus his verbis commemorat: (Aug. de Civ. Dei l. 2. c. 14.) « An fortè, inquit, Platoni potius palma danda est, qui cùm ratione formaret qualis esse civitas debeat; tamquam adversarios [a] civitatis poëtas censuit urbe pellendos. » Item post aliqua: « Quod si Plato poëtas ipsos, vel pro arbitrio mentientes, vel hominibus miseris quasi deorum facta pessima imitanda proponentes, omnino in civitate bene instituta vivere noluit, ac si apertè factis & ipsis illud jam prædicaret, *Omnis qui mentitur occidit animam.* » (Sap. 1. 11.) Atque illud Apostoli: *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinent, &c.* (Ephes. 5. 3.) Quid etiam philosophia de poëticis æstimet musis, & quantum indignetur aliquem alumnum suum ad meretriculas illas umquam divertere, in ipso aditu libri Boetii de consolatione philosophiæ diligenter exprimitur, ubi de ipsa ad consolandum philosophum accedente & inspiciente musas philosopho illi assistentes, ipsemet ait philosophus: « Quæ ubi poëticas musas vidit nostro assistentes thoro, fletibusque meis verba dictantes, commota paulisper, ac torvis inflammata luminibus, quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores ejus non modo nullis remediis foverent, verùm dulcibus insuper alerent venenis? Hæ sunt enim quæ infructuosis affectuum spinis uberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant. At si quem profanum uti vulgo solitum vobis blanditiæ vestræ detraherent, minus molestè ferendum putarem. Nihil quippe in eo nostræ operæ læderentur. Hunc verò [b] Eleaticis atque Academicis studiis innutritum, sed ite potius Sirenæ usque ad exitum dulces, meisque eum musis curandum sanandumque relinquite. His ille chorus increpitus dejecit humi mæstior vultum, confessusque rubore verecundiam, tristis excessit. »

Quanto etiam effectu subditam plebem re-

(a) In mss. S Augustini libri solet legi *adversarios veritatis.*

(b) S. Thomas hunc Boëtii locum commentans, *Eleys*, inquit, *est civitas Græciæ, in qua studuit Aristoteles, unde studia sua dicuntur Eleatica. Academia autem fuit civitas vel villa in qua studuit Plato, unde studia sua dicuntur Academica.*

ctores civitatum amplectantur, ut eis magis per amorem adesse, quàm per damnum præesse recognoscant, & se potius ministros quàm dominos, certum præfixerunt philosophi decretum, cùm tales eos descripserunt, qui juxta illud Tullii, pro libertate patriæ non solum pugnare, verùm & vitam ponere non formident: certi de illa cœlestis beatitudinis sede, quæ Scipioni revelata promittitur. De quo & nonnulla apud gentiles ipsos in præsto nobis sunt exempla, qui propriæ saluti suorum sospitatem præponerent, & plus suos quàm seipsos se diligere exhiberent. quod in duobus Deciis, quod in Platone, quod in multis aliis mirari vehementer cogimur. Nam & illi pro salute suorum morti se devovisse, & viriliter eam sustinuisse referuntur, & hic siti periclitans oblatam aquam suscipere recusavit, & communi periculo maluit cum suis occumbere, quàm se solum superstitem haustu refocillatum conservare. quod & dilectus Domino David antea suæ indolis reliquerat exemplum. Erubescant ad hæc hujus temporis abbates quibus summa religionis monasticæ cura commissa est, erubescant, inquam, & resipiscant saltem gentilium exemplo commoti, quod in oculis fratrum vilia pulmentorum pabula ruminantium, exquisita fercula ac multiplicia imprudenter devorant. Attendant & christiani principes quanto fortitudinis zelo justitiam gentis amplexæ sint, & illud inter cetera Valerii Maximi quasi præ oculis affixum semper in exemplo gerant. Illud, inquam, de quo scriptum est: Zeleuchus cum * filiis suis adulterii crimine damnatus, secundùm jus ab ipso statutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnam adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit: tandem populi precibus victus, suo prius, deinde filii oculo eruto, utrique usum videndi reliquit. Item debitum supplicii modum legi reddidit. magnus in hoc filii amor, sed major justitiæ exhibetur. Naturæ indulsit quantum potuit, sed tamen virtus naturam superavit. plus se principem quàm patrem profiteri voluit. Quanta etiam pro veritate & fidelitate conservanda sustinuerint, & quanto fortitudinis zelo libertatem animi sibi vindicaverint, ille in exemplo præstat, qui ne conjurationem in supplicium tyrannus à se & conscriis suis factam detegere cogi, & socios prodere posset, linguam sibi morsu vehementi præcisam, ipse in os prædicti tyranni sævientis expuit, sicut & secundus Boetii de consolatione philosophiæ liber continet.

Val. Max. lib. 6. c. 5.

* l. Filius suus.

Quod si ad ipsorum philosophorum perfectionem vitæ rationis nostræ examen sublevemus, summam in eis anachoretarum seu monachorum mirabimur abstinentiam & contemplativæ vitæ celsitudinem. de quorum qui-

A dem conversione à sæculo ad solitariæ vitæ quietem, tum propter illecebras sæculi fugiendas, tum etiam pro desiderio divinæ contemplationis & philosophiæ studio adipiscendæ, multi posteris scribere curaverunt. Unde & B. Hieronymus in secundo contra Jovinianum ad impudentiam illius Epicurei hæretici conterendam, philosophorum quoque ab illecebris sæculi conversionem inducit dicens: « Nos quorum & conversatio in cœlis est, non ei debemus cui nascimur, sed cui renascimur. Esus carnium & potus vini, ventris [a] est satietas, seminarium libidinis est. Unde & Comicus, Sine Cerere, inquit, & Libero friget Venus. [a]
B Per quinque sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est. Non potest metropolis & arx mentis capi, nisi per portas irruerit hostilis exercitus. Si circensibus quisquam delectatur, si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, si splendore gemmarum, vestium, &c. Hujusmodi per oculorum fenestras animæ capta libertas est, & impletur illud propheticum: *Mors intravit per fenestras nostras.* Igitur cùm per has portas quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas? ubi fortitudo ejus? ubi de Deo cogitatio?
C maximè cùm tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam compati, & quodammodo exercere quod non agit. His igitur rationibus invitati multi philosophorum, reliquerunt frequentias urbium, & hortulos suburbanos, ubi ager irriguus & arborum comæ, & susurrus avium, fontis speculum, rivus murmurans, & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret, & ejus pudicitia stupraretur. Inutile quippe est crebro videre per quæ aliquando captus sis, & eorum te experimento committere, qui-
D bus difficulter careas. Nam & Pytagorei hujuscemodi frequentiam dedignantes, in solitudine & desertis locis habitare consueverant. Platonici quoque & Stoïci in templorum [b] lucis & porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipse Plato cùm dives esset, & thorum ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiæ, elegit [c] academiam villam ab urbe procul, non solum desertam, sed pestilentem, ut cura & assiduitate [d] membrorum libidinis impetus frangerentur, dis-
E cipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. » De quibus & Hieronymus ad Eustochium scribens, cùm austeram Ægyptiorum monachorum per cellulas divisorum descripsisset vitam, [e] tales, inquit, philosophiam Platonici ser-

Jerem. 9. 21.

[b]

[c]

[d]

Hier. epist. 18. p. 46.

[e]

(a) Apud Hier. *Ventrisque satietas.*
(b) Apud Hier. *locis.*
(c) Apud Hier. *Academicam.*
(d) Apud Hier. *morborum.*

(e] Textum Hieronymi non satis fideliter hic citat Abaëlardus. Nam apud Hieronymum sic legitur, *Tales Philo Platonici sermonis imitator: tales Josephus, Græcus Livius in secunda Judaicæ captivitatis historia Essenos refert.*

monis imitantur, tales Josephus in Judaïcæ captivitatis historia esse nos debere refert. Philosophiam dicit Platonici sermonis, quam in sermone suo Plato ipse, sive Platonici prædicabant. Macrob. l. 1. in Som. Scip. c. 8. Hi quidem juxta Macrobium ad tantam vitæ celsitudinem pertingisse videntur, ut ipsi à quibusdam soli virtutes habere crederentur, ac per eas soli fieri beati. Plotinus verò inter philosophiæ professores cum Platone princeps, ut ait Macrobius, cùm quatuor virtutes quadrifariam divisisset, [a] in Platonicas scilicet virtutes, & purgatorias, & quæ sunt purgati animi ac defecati, atque exemplares; purgatorias philosophantibus quasi proprias assignat; & hæ sunt, inquit, B hominis, qui divini capax est, solumque animum ejus expediunt, qui decrevit se à corporis contagione purgare, & quadam humanorum fuga solis se inserere divinis. quorum, inquiunt, prudentiam esse mundum istum & omnia quæ in mundo insunt divinorum contemplatione despicere, omnemque animi cogitationem in sola divina dirigere. Temperantiæ autem, omnia relinquere in quantum natura potitur, quæ corporis usus requirit, ac si & ipsi pariter cum ipsa veritate tam factis quam verbis animent* omnibus *Intrate per angustam portam*, & *beati qui se castraverunt propter regnum cœlorum*. (* f. omnes. Matth. 7. 13. Ibid. 19. 12.) C Nam & hunc finem esse eis propositum constat, de perceptione scilicet æternæ vitæ, quem & ipse Dominus nobis assignavit, & quem Israel minus attendebat spe & ambitione terrenæ felicitatis Deo magis subjectus, quàm desiderio æternorum. unde & eis litteræ veneratoribus nulla retributio in lege de observatione legis juxta litteram promissa aut expectanda est, nisi prosperitas terrena, ad quam toto inhiant desiderio. quæ quidem promissio in Deuteronomio apertè continetur capitulo XXIV & XXVIII. At verò qui hic transitoria despiciunt, necesse est ut potiora his aliqua sperent quæ D sunt æterna, sicut philosophi & Christiani. Hinc & supra Hieronymus consolationem Socratis induxit super condemnatione ejus ad mortem immeritam, de promerenda immortalis animæ beatitudine, tam in fide Sanctæ Trinitatis, quam in spe futuræ beatitudinis conjunctos nobis fuisse philosophos intelligamus, & eumdem utrisque finem esse propositum ac bravium ipsum, videlicet summum quod Deus est Bonum.

(Epist. 50. novæ edit.) Hieronymus ad Paulinum presbyterum de omnibus divinæ historiæ libris: Legimus in veteribus historiis, quosdam lustrasse provincias, novos adiisse populos, maria transisse, ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pitagoras Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum & Architam (Ibid.) Tarentinum eamque oram Italiæ quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit; ut qui Athenis magister erat & potens, cujusque doctrinam Academiæ Gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quàm sua imprudenter ingerere. Denique cùm litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus à piratis & venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, vinctus & servus. Tamen quia philosophus, major emente se fuit.

Unde & cùm superius de ipso Socrate beatus ageret Augustinus, (Aug. de Civit. Dei l. 8. c. 8.) dictum est de eo inter cetera, hic animum intendit ad hoc quod esset beatæ vitæ necessarium, propter quam unum omnium philosophorum invigilasse ac laborasse videtur industria. A Qui etiam de discipulis Socratis adjecit dicens: Quorum certatim studium fuit, in quæstionum Moralium disceptatione versari, ubi agitur de Summo Bono, sine quo fieri beatus nullus potest. Ad hoc & illa pertinet exhortatio, quam rectoribus reipublicæ Tullius scribit, inducens scilicet avum Scipionis, cum eo per somnum ita loquentem: (Cic. Som. Scipionis.) Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rempublicam, sic habeto: Omnibus qui patriam conservaverint certum esse in cœlo definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Nihil est illi principi Deo........ qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius quam concilia cætusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur.

Bene autem subdidit, ex his quæ in terris fiant, hoc est in communi hominum habitatione, quod ad activam referendum est vitam, quæ in necessitatibus proximi, cum quo inhabitat, amore quoque ipsius laborat in terrenis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, & ei fructum sui commiscet laboris. MAJORIS quippe meriti solitaria vita est contemplationis, quæ nos nimius divini amoris fervor ad contemplationem divinæ visionis suspendit, omni jam mundanarum necessitatum sollicitudine postposita, & quasi in cœlestibus nostram tenet conversationem. Quod nec ipsa Macrobii expositio notare prætermisit, activam rectorum vitam pèr hoc à contemplatione philosophorum distinguens. Duos itaque continentium ordines in philosophis concluserunt, cùm alios adhuc purgari per abstinentiæ ac studii assiduitatem dicunt, qui fortasse philosophantes rectius quàm philosophi dicendi sunt, & communi habitatione studiorum, formam cœnobitarum tenent monachorum, qualem & Josephus in octavo decimo Antiquitatis libro vi- E tam Esseorum describit, cùm Hebræos quoque tria genera philosophorum & eorum sectas distingueret, quorum alios Pharisæos, alios Saducæos, alios Essæos appellat. quos quidem novissimos miris effert laudibus, alios jam purgati ac defecati animi esse, in quorum carne jam per diutinam abstinentiam mortificata nullus jam irrepere vel dominari concupiscentiæ motus valet, qui jam solitaria

ria

[a] Apud Macrobium non *Platonica*, sed *politica* dicuntur.

ria habitatione viventes, suo ipso sufficiant A præsidio, qualium perfectam anachoretarum vitam dicimus, quos quidem juxta Hieronymum ad Rusticum monachum scribentem (Epist. 95. novæ edit.) de conventu monasteriorum egredi oportet quasi de schola philosophantium, ut illic sub regula disciplinæ instruantur, atque tam exemplo aliorum, quàm verbo ad perfectionem erudiantur, & à recenti consuetudine voluptatum abducti purgentur. hic purgati jam, & in omnibus instructi, cunctisque tentationum motibus repulsis, quasi sui ipsorum victores, sui regimen securi suscipiant, & ad videndum Deum purgatis jam mentibus toti anhelent, ut jam nulla hominum frequentia (Epist. 28. novæ edit.) vel aspectu ab illa contemplationis celsitudine revocentur. Quantus autem mundi contemtus apud philosophos fuerit, & quam sibi arctam vitam à sæculo recedentes instituerint, quantumque alios ad hoc ipsum tam factis ipsis quam dictis adhortati sint, pluribus sanctorum quoque patrum testimoniis didicimus. Socratem quippe multosque alios omnia reliquisse sicut & apostolos Hieronymus perhibet, tum quia in eis nullam judicarent gloriam, quæ tam à pessimis quàm ab optimis viris possideri possint, ET INIQUISSIMUM esse attenderent illam humani animi excellentiam, & divinæ decus imaginis rebus infimis & caducis subdi: tum quia has impedimento esse præsentirent ad studium, sive ad veræ beatitudinis perceptionem, quasi jàm tunc in ipsis philosophis illa Veritatis prædicatio diceret, (Luc. 14. 33.) *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et iterum: (Matth. 6. 24.) *Non potestis servire Deo & Mammonæ.* Quorum quidem unus diligenter adtendens, quid distet inter habere pecuniam, & servire pecuniæ, juxta quod & Psalmista ait: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, inter cetera meminit dicens: Et mihi res non me rebus supponere conor, ut videlicet ego ipsis dominer, non ipsæ mihi aliqua sui ambitione capto & usque ad illicita pertracto. Hinc est illa Hieronymi ad Julianum (Epist. 92. novæ editionis.) exhortatio: "Contemnis aurum? contemserunt & mundi philosophi, è quibus unus, ut B ceteros sileam, multarum possessionum pretium projecit in pelagus, Abite, dicens, in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Quem quidem in secundo contra Jovinianum ex nomine videtur exprimere, ubi de amore studii philosophorum loquitur dicens: "Quosdam legimus sibi effodisse oculos, ne per eorum visum à contemplatione philosophiæ avocarentur. Unde & Crates ille Thebanus projecto in mare non parvo auri pondere, Abite, inquit, pessum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Idem in C eodem: Pythagoræ, Socratis, Anthistenis, & reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram, nisi & longum esset & proprii operis indigeret. Hic certe est Antisthenes qui cùm gloriosè docuisset Rhetoricam, audissetque Socratem, dixisse fertur ad discipulos suos: Abite, & magistrum quærite, ego enim reperi. Statimque venditis quæ habebat, & publicè distributis, nihil sibi plusquam D palliolum reservavit. Paupertatisque ejus & laboris & Xenophon testis est in Symposio, & innumerabiles libri ejus; quorum alios philosopho, alios rhetorico genere conscripsit. Hujus Diogenes ille famosissimus sectator fuit, potentior rege Alexandro, & naturæ humanæ victor. Nam E cùm discipulorum Antisthenes nullum reciperet, & perseverantem Diogenem removere non posset, novissimè clava minatus est nisi abiret.

Ambrosius in epistola ad Hireneum: Pithagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari invenimus, quod ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc unde assumserit non est incognitum. Nam cùm ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta, meritoque magnus apud philosophos habitus; æqualem, ut aiunt, vix reperit. Legerat itaque in Exodo Moysi præceptum esse, ut montem cùm sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Separavit igitur sacerdotes à populo, & postea ipsum Moysen intra nubem intrare præcepit. Vides divisiones? nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque usu & moribus inconditæ multitudinis? Supergradiamur igitur plebeias opiniones, & strata quædam gregalis conversationis, ac detritæ vitæ orbitas declinemus vulgaris semitæ: solum quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium, inviam operibus imperitorum, quam nullus maculosus deterat. (Ps. 61. 11.)

"Hieronymus ad [a] Avigium Spanum: Ne doleas, si hoc non habeas, quod formiculæ & muscæ & serpentes habent, id est carnis oculos; sed illum te oculum habere lætare, de quo dicitur in Cantico canticorum, (Cant. 4. 9.) *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, uno de oculis tuis*, de quo Deus videtur, de quo ad Moysen dicitur (Exod. 3. 3.) *Transiens videbo visionem hanc magnam*, [b] de quo quosdam etiam mundi philosophos legimus, ut totam cogitationem [c] cogitarent ad mentis puritatem, sibi oculos eruisse. Et à Propheta dicitur: (Jerem. 9. 21.) *Intravit mors per fenestras vestras*; & apostoli audiunt: (Matth. 5. 28.) *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam jam mœchatus est eam*"

(a) Apud Hier. *Abigaum.*
(b) Apud Hier. *Denique quosdam.*
(c) Lege *cogerent* ut apud Hieronymum.

Cui ille subjecisse dicitur caput, atque dixisse: Nullus tam durus baculus erit, qui me à tuo possit obsequio separare. *in corde suo.* Refert Satyrus qui illustrium virorum scribit historias, quòd Diogenes pallio duplici usus sit propter frigus, peram pro cellario habuerit, secumque clavam ob corpusculi fragilitatem, qua jam senex membra sustentare solitus erat & ΗΜΕΡΟΒΙΟΣ vulgò appellatus sit, in præsenti poscens à quolibet & accipiens cibum. Habitavit autem in portarum vestibulis & in porticibus civitatum, cùmque se torqueret in dolio, volubilem habere domum jocabatur, & se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolii vertebat in meridiem, æstate ad septemtrionem, & utcumque se sol inclinaverat, Diogenis simul prætorium vertebatur. Quodam verò tempore habens ad potandum caveum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, & elisisse illud fertur ad terram dicens: Nesciebam quod & natura habet poculum. Quid ad hoc dicturi sunt nostri temporis monachi, & qui se mundum cum Christo contemnere profitentur? quid, inquam, dicturi sunt, qui ut vinum in dulcedine bibant, pigmenta studiosè conficiunt, sciphos preciosos & nitidos quærunt, nec communi hominum victu vel apparatu contenti sunt? Adde & illud in laudem philosophi quod Valerius Maximus refert de invicta ejus constantia, his verbis scribens: Alexander continentiam Diogenis vincere nequivit, ad quem cùm in sole sedentem accessisset, hortareturque, ut si qua sibi præstari vellet indicaret. Ille, inquit, cetera omitte, verum nolo ne mihi obstes à sole. Quapropter dicitur Alexander * primus movisse gradu suo Darium armis suis, quam Diogenem divitiis.

Val. Max. lib. 4. c. 3.

* Al. prius.

Philosophorum arcta vita.

Plurimi etiam philosophorum multis possessionibus suis omnino abrenuntiantes, adeo arctam & laboriosam arripuerunt vitam, ut labore manuum omnia sibi necessaria præpararent, quasi jam tunc nobis formam perfectionis anachoretarum ex abstinentia & labore manuum prætenderent; ac si illud Apostoli divinitus inspiratum jam audissent: *Qui non laborat, non manducet*; atque illud Psalmistæ, *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Unde Hieronymus ad Heliodorum scribens, Apud Græcos, inquit, philosophus ille laudabatur, qui omne quo uteretur usque ad pallium & anulum manu sua factum gloriatus est. Quanta autem animis eorum fortitudo inerat, & quantus castimoniæ amor, neque hoc sancti doctores tacuerunt. Unde Socratem usque ad mortem in correctione stultorum ac vitiosorum perstitisse, & pro veritatis assertione quasi martyrem & certum de remuneratione occubuisse, tam divini quàm sæculares commemorant codices. Hinc est illud Valerii Maximi: Socratem damnaverunt, qui novam religionem introducere videbatur.

2. Thess. 3. 10.

Ps. 127. 2.

Val. Max.

A Quæ vero hæc nova religio esset? de commendatione scilicet virtutum & reprehensione vitiorum, cùm in Ethicis suis mores hominum ad honestatem informaret, B. Augustinus in VIII. de Civitate Dei exponit dicens: Constat eum imperitorum stultitiam scire se aliquid opinantium, etiam in ipsis moralibus quæstionibus, lepore mirabili & acutissima urbanitate agitasse. unde & concitatis inimicitiis calumniosa criminatione damnatus, morte multatus est. Sed cum postea illa ipsa quæ publicè damnaverat Atheniensium civitas publicè luxit, in duos accusatores ejus usque adeo populi indignatione conversa, ut unus eorum ipsius in multitudinis B interiret exilio, alter voluntarie atque perpetuo pœnam similem evaderet. Tam præclarâ igitur vitæ mortisque famâ Socrates reliquit plurimos suæ philosophiæ sectatores, quorum certatim studium fuit in quæstionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de summo bono, sine quo fieri beatus nullus potest.

Aug. de Civitate Dei lib. 8. c. 3.

Hieronymus ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani: Xerxes ille potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cùm de sublimi loco innumerabilem videret exercitum, flesse dicitur, quod post centum annos nullus eorum quos tunc cernebat superfuturus esset.

Epist. 3. novæ editionis.

In eodem quoque refert prædictus sanctus, C quòd se legisse dixerit Agellius, hoc Stoicis placuisse de subitis animi perturbationibus ex timore provenientibus, quod cum ex terribilibus rebus veniunt, necesse est ut etiam sapientis animum moveant; ita ut parumper vel pavescat vel contristetur. Hoc tamen interesse censent inter animum sapientis & stulti; quòd stulti animus eisdem passionibus cedit atque accommodat assensum: sapientis autem quamvis eos necessitate patiatur, retinet tamen de his quæ appetere vel fugere rationabiliter debet, veram & sta- D bilem inconcussa mente sententiam. Quis illam Diogenis constantiam atque animi robur invictissimum maxima admiratione non excipiat, qui morte potius febres excludere, quàm eas sibi dominari elegerit, & se magis infirmitatis victorem, quàm ab ea victum custodire? Unde & Hieronymus in secundo contra Jovinianum de ejus quoque magnanimitate adjecit, dicens sive ex sua sive ex Satyri persona, qui illustrium virorum scripsit historias. Virtutem, inquit, ejus & continentiam mors quoque indicat, nam cùm E ad agonem olympiarum, qui magna frequentia Græciæ celebrabatur, jam senex pergeret, febri in itinere adprehensus, dicitur occubuisse in crepidine viæ: volentibusque eum amicis, aut in jumentum aut in vehiculum tollere, nec acquievit, sed transiens ad arboris umbram locutus est: Abite, quæso, & spectatum pergite. hæc me nox, aut victorem probabit aut victum. Si febrem vicero, ad agonem veniam; si me vicerit febris, ad

Ibid. lib. 3. c. 4.

» inferna descendam, ibique per noctem eliso A » gutture, non tam mori se, ait, quàm febrem » morte excludere. Quid iste facturus esset in persecutione fidelium, cùm ei pro fide dimicandum immineret, & pro æterna temporalem vitam impendendam, & sic perpetuam mortem evitandam crederet, qui ne febribus opprimeretur, morte medicinam adhibuit, apertè protestatus quàm parvi penderet vitam hanc ærumnis implicatam. Huic & illam quam supra meminimus adhibe philosophorum mirabilem tolerantiam, qua nonnulli eorum effossionem oculorum, ne à contemplatione philosophiæ per eos devocaren- B tur, quasi illud Veritatis ad litteram inter-

Matth.18.9. pretantes: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* In quo apertè docuerunt, quantum corporeo lumini mentis oculos præponerent, & quantum carnem ipsam spiritui subjacerent, cùm fenestras corporis, de qui-

Thren.3.51. bus propheta conquirente dicitur: *Oculus meus deprædatus est animam meam*, tanta passionum molestia obstruere sustinerent. Dicit fortasse aliquis hoc omnino fortitudinem aut virtutem apparere, non esse, immo pro furore habendum, quòd sibi ipsi Diogenes manum intulerit, de quo nec Samsonem, neque aliquem excusare præsumimus, nisi C hoc committant familiari aliquo mandato sibi divinitus inspirato, sicut de Samsone creditur factum, ad ulciscendum scilicet de Allophilis, quos pariter secum stravit, & de nonnullis virginibus christianis, quæ se flammis vel aquis injecerunt, ne à gentilibus cor-

Aug de Civit. Dei. l.1.c.26. rumperentur. Unde Augustinus de Civitate » Dei libro primo, Quædam, inquiunt, sanctæ » feminæ tempore persecutionis ut insectatores » suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque » necaturum se fluvium projecerunt, eoque » modo defunctæ sunt, earumque martyria in » catholica Ecclesia veneratione celeberrima » frequentantur. De his nihil temerè audeo D » judicare: utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide » dignis testificationibus, ut earum memoriam » sic honoret, divina persuaserit auctoritas » nescio, & fieri potest ut ita sit. Quid enim si » hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed » divinitus jussæ; nec errantes, sed obedien- » tes? Ad hoc maximè illud Hieronymi spectare videtur quod ait super Jonam prophetam, eo quidem loco, quo scriptum est, Jona

Jon. 1. 12. dicente: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis*, illud, inquam, Hieronymi quo dicitur, Non est enim nostrum mortem arripere, sed illatam libenter acci- E pere: unde & in persecutionibus non licet propria manu perire, absque ubi castitas peri-

Aug. de Civit. Dei. l.1.c.21. clitatur. Item in eodem de Civitate Dei li- » bro: Nec Samson, inquit, aliter excusatur, » quod seipsum cum hostibus ruinâ domus op- » pressit, nisi quod latenter Spiritus hoc jus- » serat, qui per illum miracula faciebat. Item

in eodem: De Samsone aliud nobis fas non « Cap. 26. est credere. Cùm autem Deus jubet, seque « jubere sine ullis ambagibus intimat? quis « obedientiam in crimen vocat, quis obse- « quium pietatis accuset? Nam & [a] miles « [a] cùm obediens potestati, sub qua legitimè « constitutus est, hominem occidit, nulla ci- « vitatis suæ lege reus est homicidii, immo nisi « fecerit, reus imperii deserti atque contemti. « Quod si ita est, jubente imperatore, quantò « magis jubente creatore? In his itaque ista « animi magnitudo atque constantia virtus for- « titudinis esse potuit, quod in Diogene minime comperimus. Ubi enim non est considerata laborum perpessio, hoc est provida & rationabilis, non subest tolerantiæ causa, certum est fortitudinem non esse, cùm hoc ad descriptionem fortitudinis attineat. Nec nos quidem in hoc virtutem Diogenis satis commendare valemus, quod rationabiliter factum esse non agnoscamus; sed illi magis B. Augustini sententiæ assentimus, qua in eo-

dem capitulo primi libri de Civitate Dei de Ibid.c.22. interfectoribus sui subjunctum est: Quicum- « que hoc in seipsis perpetraverunt, animi ma- « gnitudine mirandi, non sapientiæ sanitate lau- « dandi sunt. Quamquam si rationem diligen- « tius consulas, nec ipsa quidem animi magni- « tudo recte nominabitur, ubi quisque non va- « lendo tolerare, vel quæque aspera, vel aliena « peccata, seipse interemerit. magis enim mens « infirma deprehenditur, quæ ferre non potest « vel duram sui corporis severitatem, vel stul- « tam vulgi opinionem, sicut de Catone vel « Lucretia legimus, cùm ille quidem qui tanti « nominis ac rigoris æstimabatur, seipsum Uticæ occiderit, ne sub Cæsare libertatem amitteret; & illa laudis nimium avida, verita sit ne putaretur, quòd violenter est passa cùm viveret, libenter passa si viveret. Item in eo- «

dem: Si magno animo fieri putandum est, « Ibid. cùm sibi homo ingerit mortem, ille potius « [b] Theobrotus in hac animi magnitudine « [b] reperitur, quem ferunt lecto Platonis libro, « ubi de immortalitate animæ disputatum est, « se præcipitem dedisse de muro, atque ita de « hac vita migrasse ad eam quam credidit esse « meliorem. quod tamen magnè potius esse « factum, quàm bene, testis esse potuit Plato « ipse quem legerat, qui profecto id præcipuè « potissimumque fecisset vel etiam præcepisset, « nisi ea mente qua immortalitatem animæ vi- « dit, nequaquam faciendum, quin etiam pro- « hibendum esse judicasset. Item post aliqua: « Ibid.c.22. Restat una causa, de qua dicere cœperam, « qua utile putatur, ut se quisquam interficiat, « scilicet ne in peccatum irruat, vel blandiente « voluptate, vel dolore sæviente: quam cau- « sam si voluerimus admittere, eo usque pro- « gressa perveniet, ut hortandi sint homines « tunc se potius interimere, cùm lavacro sanctæ « regenerationis abluti, universorumr emissio- «

[a] Miles hoc loco pro carnifice seu quæstionario sumitur, frasi Augustino non omnino insolenti, qua etiam utitur in sermone 302. n. 13.

[b] Ita omnes pene Augustini mss. legunt, vulgo *Cleombrotus* legitur. Cic. in 1. Tuscul. *Ambracietam Cleambrotum* vocat.

» nem acceperint peccatorum. Tunc enim tem-
» pus est cavendi omnia futura peccata, cùm
» sunt omnia deleta præterita. Item ô mentes amentes! Quis est hic tantus non error, sed furor? Constat ipsorum quoque judicio philosophorum hoc detestandum esse, ut sibi aliqua ratione manus aliquis injiciat, quod sine ulla penitus exceptione damnaverunt, sicut jam supra ex ipsa Platonis sententia cognovimus, & Macrobius diligenter tam ipsum, quàm Ciceronem secutus, exponit, eo scilicet loco commentatus, ubi Cicero describens somnum Scipionis, ipsum inducit Scipionem cum Paulo patre ei apparente loquentem, & desiderantem quoque ad æternæ vitæ beatitudinem quoquo modo posse properare; quam sibi per avum suum intellexerat revelatam, atque bonis reipublicæ rectoribus à Deo esse in cœlis præparatam. Quæso, inquit, pater sanctissime atque optime, quoniam hæc est vita, ut Affricanum audio dicere: Quid moror in terris, quin huc ad vos venire propero? Non est ita, inquit, ille, nisi enim cùm Deus istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Quare & tibi, Publi, & piis omnibus retinendus animus in custodia corporis; nec injussu ejus, à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, nec munus assignatum à Deo ipsi fugisse videamini. Macrobius super hunc locum: Hæc secta & præceptio Platonis est, qui in Phædrone definit homini non esse sua sponte moriendum. Sed in eodem tamen dialogo idem dicit mortem philosophantibus appetendam, & ipsam philosophiam meditationem esse moriendi. Sed Plato duas mortes hominum novit, nec hoc nunc repeto quod superius dictum est, duas esse mortes, unam animæ, animalis alteram. Sed ipsius quoque animalis, hoc est hominis, duas asserit mortes, quarum unam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur cum anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori enim dicitur, cùm anima adhuc in corpore constituta corporeas illecebras, philosophia docente, contemnit, & cupiditatum dulces insidias reliquasque omnes exuitur passiones. Hanc ergo mortem dicit Plato sapientibus appetendam. Illam verò quam omnibus natura constituit, cogi, vel inferri, vel accersiri vetat, docens expectandam esse naturam. Hoc quoque addidit nos esse in dominio [a] Dei, cujus tutela & providentia gubernamur. Nihil autem esse, invito domino, de his quæ possidet, ex eo loco in quo suum constituerat, auferendum. Et sicut qui vitam mancipio extorquet alieno, crimine non carebit, ita eum qui finem sibi, Domino necdum jubente, quæsierit, non absolutionem consequi, sed reatum. Hæc Platonicæ sectæ semina altius Plotinus exequitur. Cum constet, inquit, remunerationem animis illic esse tribuendam, pro modo perfectionis, ad quam in hac vita unaquæque pervenit; nôn est præcipitandus vitæ finis, cùm adhuc proficiendi esse possit accessio. Ergo, inquies, qui jam perfectè purgatus est, manum sibi debet inferre, cùm non sit ei causa remanendi, quia profectum ulterius non requirit, qui ad superna pervenit. Sed hoc ipso, quo sibi celerem finem spe fruendæ beatitudinis accersit, irretitus laqueis passionis: quia spes sicut timor passio est. Et hoc est quod Paulus filium spe vitæ verioris ad se venire properantem prohibet ac repellit. Nisi enim cùm Deus, inquit, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Nec dicit quod nisi mors naturalis advenerit, mori non poteris, sed huc venire non poteris. Pari autem constantia mors, nec veniens per naturam timenda est, nec contra ordinem cogenda naturæ. Cùm itaque aut Diogenem aut Theobrotum de sibi illata morte defendere nemo præsumat: arbitror tamen hoc ad exemplum tolerantiæ, & ad contemtum hujus vitæ, & desiderium æternæ nobis salubriter à sanctis patribus esse propositum; ut hoc saltem laudabile in illo monstretur, quod hanc vitam ita contemserit, non quod sibi manus injecerit, in isto autem quod immortalem animæ beatitudinem tanto desiderio amplexus sit.

Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. cap. 13.

De continentia philosophorum.

Et si post abstinentiam & magnanimitatem philosophorum eorum quoque continentiam consideremus; multa in confusionem nostram de eis & ab eis scripta reperiemus, & in eis christianæ castimoniæ, quam Judæi non intellexerunt, incœpisse pulchritudinem. De qua per Sapientiam dicitur, *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* id est continentia vitæ cum illuminatione sapientiæ, cùm sint & fatuæ virgines, cujus & laudem statim prosequitur dicens: *Immortalis enim est memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.* Cùm præsens est, imitantur illam; & desiderant eam cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens, quam & Veritas apostolis injungit dicens: *Sint lumbi vestri præcincti*, & Apostolus maximè commendat dicens: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Et item, *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium habet donum ex Deo; alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis & viduis, bonum illis est, si sic permaneant sicut & ego: quod si se non continent, nubant.* Et rursus, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.* Et post aliqua: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quo modo placeat uxori & divisus est. Et mu-*

Sap. 4. 1. Luc. 12. 35. 1. Cor. 7. 1. Ibid. 7. Ibid. 25. Ibid. 32.

[a] Apud Macrobium non *Dei*, sed *Deorum* legitur. Sed Abaelardus, ut suos philosophos ipsis etiam christianis præcellere demonstret, Deorumque pluralitatem ab eis avertat, Macrobii textum mutare non veretur.

lier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine Ibid. 38. *impedimento Domino obsecrandi.* Item, *Igitur & qui in matrimonio jungit virginem bene facit, & qui non jungit melius facit. Mulier alligata est quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium.* Quantis autem impedimentis, quantis molestiis & periculis matrimonia abundent, multorum anteà testimoniis & lapsuum experimentis didicimus, cum in paradiso mulier statim virum captivaverit, & Nazareum Domini Samsonem, cujus per angelum nativitas annuntiata fuerat, concupiscentia mulieris usque ad interitum attraxit, & maximum illum prophetarum & regum David, cui & Dominus tantum Act. 13. 22. dederat testimonium dicens: *Inveni virum juxta cor meum*, unus Bersabeæ aspectus in tantum illaqueavit, ut strenuissimo ac fidelissimo Uria interfecto, tam adulterii quàm homicidii, seu summæ proditionis reus simul constituatur. Et Salomonem illum sapientium maximum usque ad idolatriam voluptas ita prostraverit quasi in idolo illo, ut quod turpissimum est turpiter efferam, cunnum gentilis feminæ per concupiscentiam magis quàm idolum ipsum per ignorantiam veneraretur, tantò effectus deterior, quantò ex conscientia sua inexcusabilior. Qui etiam quàm facilis sit ac periculosa hujus concupiscentiæ tentatio, ipsemet qui tam graviter hoc expertus est, per semetipsum nobis in Prov. 6. 26. Proverbiis exponit dicens: *Mulier viri pretiosam animam capit. Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant; aut ambulare super prunas, &* Prov. 7. 4. *non comburantur plantæ ejus.* Item, *dic Sapientiæ, Soror mea es, & prudentiam voca animam tuam, ut custodiat te à muliere extranea, quæ verba sua dulcia facit. De fenestra enim domus meæ prospexi juvenem, & ecce mulier occurrit ei ornatu meretricio præparata ad ca-* Ibid. 7. 22. *piendas animas. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta cor ejus, velut si avis festinet ad laqueum; & nescit quia de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo, fili mi, audi me, ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus. multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus ejus penetrantes ad inferiora.* Idem in Ecclesiaste: Eccl. 7. 26. *Lustravi universa animo meo, ut quærerem Sapientiam & rationem, & inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus. Vincula enim sunt manus illius. Qui placet Deo effugiet eam, qui autem pecca-* Ibid. 29. *tor est, capietur ab ea.* Item, *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.*

His & illa consonant de Ecclesiastico de molestiis & periculoso feminarum consortio tam propriarum quam extranearum: *Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat malitiam doctrinæ nequam. Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur virtute tua & confundaris. Non respicies mulierem multivolam, ne fortè incidas in laqueos illius.* Item, *Operarius ebriosus non locupletabitur, & qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes & arguunt sensatos.* Item, *Omnis plaga tristitia cordis est, & omnis malitia nequitia mulieris. Non est caput nequius super capite colubri, & non ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadit super eam. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo, & plaga mortis mulier nequam. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Non des aquæ tuæ exitum, nec mulieri nequam veniam prodeundi. A carnalibus tuis abscide illam, ne semper abutatur.* Et rursum: *In medio mulierum nolo commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas. melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier & mulier confundens in opprobrium.* Hinc & ipsa Sapientia in laudem virginum seu continentium prorumpit dicens: *Felix sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum, & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, non cogitavit adversus Deum nequissima; dabitur enim ei fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.* Et iterum illud quod jam supra posuimus: *O quàm pulcra casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.* Bene autem dicit hanc virtutem non solum apud Deum notam, quasi specialiter approbatam, quod ei in Evangelio centesimum assignat fructum, & eam in semetipso de Virgine natus tam verbo quàm exemplo prædicare voluit, quem verum Agnum & sine macula hi qui sine macula sunt, id est virgines, sequi dicuntur quocumque ierit: à quo etiam virginitas octo Sybillarum, beato attestante Hieronymo, spiritū propheti promeruerit; verùm & apud homines, cum solæ virgines Deo consecrandæ manu summi sacerdotis velentur, & diaconissarum obtineant principatum. In quanto etiam honore apud gentiles quàm & infidelis virginitas semper habita sit, B. Hieronymus in primo contra Jovinianum exposuit dicens: « Certè Romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet quod consules & imperatores, & in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus, eis viam cedere solitus sit. Nam quod etiam inter duodecim signa cœli, quibus mundum volvi putant, virginem collocarint, nulli dubium est; unde magna injuria nuptiarum,

Eccli. 9. 1. Eccli. 19. 1. Eccli. 25. 17. Eccli. 42. 12. Sap. 3. 13. Sap. 4. 1.

ut ne inter scorpios quidem & centauros & cancros, & pisces, & enocerotas uxorem maritumque construxerint. His & consimilibus rationibus incitati philosophi, continentiæ sibi proposuerunt vitam, tum ut philosophiæ penitus vacare possent, tum plurimum ne eorum fortitudo muliebrium illecebrarum mollitiis enervata succumberet, vel filiorum affectu ad illicita vel turpia quædam cogerentur, vel labem aliquam infamiæ, quam ex propria non haberent vita, vitiis uxorum contraherent: quarum impudentiæ petulantiam & Socrates expertus satis est ceteris in exemplo, quantum oporteat philosophum vitæ munditiam observare, nec philosophiæ, cui se copulat, alterius quasi adulteræ copulam superinducere. Ut enim in primo contra Jovinianum beatus meminit Hieronymus, Socrates Xanthipem, & Miro neptem Aristidis duas habebat uxores: quæ cùm crebro inter se jurgarentur, & ille eas irridere esset solitus, quod propter se fœdissimum hominem simis naribus, recalva fronte, pilosis humeris, & repandis cruribus, disceptassent; novissimè verterunt in eum impetum; & malè multatum fugientemque diu persecutæ. Quodam autem tempore cùm infinita convitia ex superiori loco ingerenti Xantippæ restitisset, aqua profusus immunda, nihil respondit amplius, quàm capite deterso, Sciebam, inquit, futurum, ut ista tornitrua imber sequeretur. Has profectò molestias atque turpitudines, assiduasque inquietudines conjugiis inesse Theophrastus noverat, qui penè omnibus diligenter expositis, uxorem sapienti non esse ducendam plurimis astruit rationibus: quasi eam veram intelligat sapientiam, de qua Jacobus apostolus dicit: *Quæ desursum est sapientia primum pudica quidem est, deinde pacifica.* (Jac. 3. 17.) Ac si apertè dicat: Contemplationi studioque divinorum idoneus non est, qui continentiæ vitam non arripit, ut liber à gravissimo uxoris jugo, & quietus à tot & tantis conjugiorum molestiis vivat. Servum nempe se efficit qui se vinculis nuptiarum astringit, propriique etiam corporis juxta Apostolum potestatem amittit, ut si quandoque etiam à sæculo converti ad religionem voluerit, uxore prohibente, non possit. Unde &, ut ait Hieronymus in primo contra Jovinianum, illud est Apostoli: *Servus vocatus es? non sit tibi curæ, sed & si potes liber fieri, magis utere.* (1.Cor 7.21.) hoc est, etiam si habes, inquit, uxorem & illi alligatus es & solvis debitum, & non habes tui corporis potestatem, atque ut manifestius loquar, servus uxoris es, noli propter hoc habere tristitiam, nec de amissa virginitate suspires, sed etiam si potes causas aliquas invenire discidii, ut libertate pudicitiæ perfruaris, noli salutem tuam cum alterius interitu quærere, &c. Quod autem Theophrastus quoque eam quæ desursum est sapientiam intellexerit, qua jam gustu contemplationis de Deo sapere aliud incipimus, in eodem aperit capitulo, ubi sapientem numquam solum perhibet, quem semper aut cum sapientibus conferre, aut cum Deo loqui asserit. De quo ista Hieronymus in eodem primo contra Jovinianum libro, Fertur, inquit, Aureolus Theophrasti liber de nuptiis, in quo quærit an vir sapiens ducat uxorem, & cùm definisset si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus & dives; sic sapientem inire aliquando matrimonium, statim intulit: hæc autem raro in nuptiis universa concordant. non est igitur uxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophorum, nec posse libris & uxori pariter inserviri. Multa esse quæ matronarum usibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumtus, ancillæ, supellex, variæ lecticæ, & esseda deaurata. deinde per totas noctes garrulæ conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? De foro veniens quid attulisti? non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem suum odium suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere, nec cum sarcina ire possumus. Pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum. Adde quod nulla est uxoris electio, sed qualiscumque obvenerit, habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida; quodcumque vitii est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia probantur prius & sic emuntur, sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quàm ducatur. Adtendenda semper est ejus facies, & pulchritudo laudanda; ne si alteram aspexeris, se æstimet displicere. vocanda Domina, celebrandus natalis ejus, jurandum per salutem illius, ut sit superstes optandum, honoranda nutrix ejus, & gerula, servus paternus, & alumnus, & formosus assecla, & procurator calamistratus, & in longam securamque libidinem exsectus spado; sub quibus nominibus adulteri delitescunt. quoscumque illa dilexerit, gratis sunt amandi. Si totam ei domum regendam commiseris, serviendum est. Si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit, & in odium vertetur ac jurgia, & nisi cito consulueris, parabit venena. Anus, & aurifices, & ariolos, & institores gemmarum sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiæ est; si prohibueris, suspicionis injuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas, & illa verè pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit. Pulchra cito adamatur, fœda concupiscit. Difficile custoditur quod plures amant. Molestum est possidere quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quàm formosa servatur. Nihil tutum in quo totius populi vota suspirant, alios forma, alios ingenio, alios facetiis, alios libe-

Hier. l. 1. cont. Jovin. p 189. Vide Lacertium.

ralitate, sollicitat. Aliquo modo expugnatur quod undique lacessitur. Quod si propter dispensationem domus, & languoris solatia, & fugam solitudinis ducuntur uxores; multò melius servus fidelis dispensat, obediens auctoritati Domini, & dispositioni ejus obtemperans, quàm uxor, quæ in eo se æstimat Dominam, si adversum viri faciat voluntatem, id est quod placet, non quod jubetur. Assidere autem ægrotanti magis possunt amici & vernaculæ beneficiis obligati, quàm illa quæ nobis imputet lacrymas suas, & hereditatis spe vendat illuviem, & sollicitudinem jactans, languentis animum desperatione perturbet. Quod si languerit, coægrotandum est, & numquam ab ejus lectulo recedendum. Aut si bona fuerit & suavis uxor, quæ tamen [a] rara, aut vix est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Sapiens autem numquam esse solus potest: habet secum omnes qui sunt, quique umquam fuerunt boni, & animum liberum quocumque vult transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur; & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Numquam minus solus erit, quàm cùm solus fuerit. Porro liberorum causa ducere uxorem, ut vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, & [b] cunctis utamur heredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes è mundo, si nomine nostro alius non vocetur, cum & filius non statim patris vocabulum referat, & innumerabiles sint qui eodem appellantur nomine? Aut quæ senectutis auxilia sunt, nutrire domi, qui aut te prior forte moriatur, aut perversis moribus sit, aut certe cùm ad maturam ætatem pervenerit, tardè ei videaris mori? Heredes autem meliores & certiores sunt amici & propinqui, quos judicio eligas, quàm quos velis nolis habere cogaris. licet certa hereditas sit dum advivis bene uti substantia tua, quàm tuo labore quæsita in incertos usus relinquere. Hactenus quidem Theophrastus, deinde Hieronymus hæc, inquit, & hujusmodi Theophrastus disserens, quem non suffundat christianorum, quorum conversatio in cœlis est, qui quotidie dicunt, *Opto dissolvi & esse cum Christo?* (Phil. 1. 23) Heredem nimirum desiderabit, liberorum nepotumque serie delectabitur, quos forsitan fit occupaturus antichristus, cùm legamus Moysen & Samuelem filiis suis alios prætulisse, nec putasse liberos, quos videbant Domino displicere. Idem in eodem: Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium Therentiæ, sororem ejus duceret, omnino facere supersedit, dicens non posse se & uxori & philosophiæ operam pariter dare. (Ibid.) Item idem: Scribit Herodotus quod mulier cum veste deponat & verecundiam; & noster Comicus fortunatum putat qui uxorem numquam duxerit. Epicurus voluptatis assertor raro dicit sapienti ineunda conjugia, quia multa incommoda admixta sunt nuptiis. Quanta etiam cura honestas gentilium non solum actionum verum etiam suspicionum turpitudines evitaret, docet Valerius Maximus de quodam adolescente ita scribens: (Val. Max. l. 4. c. 5.) Spurvina adolescens excellentis pulcritudinis cùm mira specie feminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris & parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus confodit. Factis etiam ipsis ad illud nos sapientis maximè adhortatus, de quo scriptum est, *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ.* (Prov. 22. 1) Et crudelis est qui famam suam negligit. Hi etiam quanto studio pudicitiam amplecterentur, & in omnibus quæ possent obscenas turpitudines prævenirent in eodem continetur libro. [c] Vergilius, inquit, filiam suam in forum deductam occidit, eo quod Claudius (Val. Max. l. 6. c. 1.) stuprum ejus potestatis viribus fretus expeteret, pudicæque quam corruptæ esse pater maluit. Item, Metellus uxorem quæ vinum bibisset fustim percussam interemit, quia quæcumque femina vini usum immoderatè appetit, virtutibus januam claudit, & delictis aperit. Idem, Sulpicius uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versantem cognoverat. Antistius uxorem repudiavit, quod illam in publico cum quadam libertina vulgari secreto loqui viderat. Sempronius uxorem dimisit, quod se ignorante ludos spectaret. Proh pudor! & multos christianorum novimus lenocinium in uxoribus exercentes. Sed nec ista continentiæ virtus, aut pudicitiæ amor, feminis ipsis philosophiæ & litterarum abundantia insignitis defuisse cognoscitur, ut hoc insigne virtutum maximè congruere philosophicæ eò cognoscamus excellentiæ, & quantum semper ab obscenis voluptatibus concupiscentiæ decor se subtraxerit philosophiæ. Unde Hieronymus in eodem contra Jovinianum libro, Quid referam, inquit, Sybillam Erithream atque Cumanam & octo reliquas. Nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est, & virginitatis pretium divinatio. Item in eodem: Diodorus Socraticus quinque filias dialecticas insigne pudicitiæ habuisse narratur, de quibus Philo Carneadis magister plenissimam scribit historiam. Quod si etiam post philosophos aut litteratas feminas, ad sæculares vel laïcos venire delectat, nec de talibus exempla deerunt, quæ nos ad pudicitiam invitent, tam de innuptis quàm de nuptis. Unde Hieronymus in primo quoque contra Jovinianum libro, talium quoque laudem prosecutus ait Demotionis Ariopagitarum principis virgo filia, audito sponsi Leosthenis interitu, se interfecit, asserens quamquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogeretur, quasi secundum acciperet, cùm priori mente nupsisset. Item, quis valeat, inquit, silentio præterire VII. Millesias

(a) Apud Hieronymum *rara avis est.*
(b) Apud Hier. *certis.*

(c) Apud Valerium Maximum non *Vergilius* legitur, sed *Virginius plebei generis, sed patricii vir spiritus.*

» virgines, quæ Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecenter sustinerent, mortem sumserunt, exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus [a] majus pudicitiam esse quàm vitam.

» Nichanor victis Thebis atque subversis, unius captivæ virginis amore superatus est, cujus conjugium expetens, quod captiva optare debuerat, sentit pudicis mentibus plus virginitatem esse quàm regnum. Interfectam propria manu flens ac lugens amator tenuit. Narrant scriptores Græci & aliam Thebanam virginem, quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, & violatorem virginitatis suæ jugulasse postea dormientem, seque interfecisse cum gaudio, ut nec vivere voluerit post perditam castitatem, nec ante mori, quàm sui ultrix existeret. Quantum autem virtutem pudicitiæ Deus approbet, manifestis miraculis, in talibus quoque virginibus declarare non est dedignatus. Unde inter cetera idem Hieronymi liber ita continet: Claudia virgo Vestalis cùm in suspicionem venisset stupri, fertur cingulo duxisse ratem, quàm hominum millia trahere nequiverant. Ad hoc & illud Sidonii pertinet in Propenticon ad libellum suum ita loquentis: Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa quam Teipitinæ procreasti. Qualis nec Phrygiæ dicata veste quam contra satis albulam tumentem duxit virgineo ratem capillo.

Si autem post virginalem castimoniam ad conjugalem transmigrare juvet, quantaque reverentia, quàm integro amore fidem conjugii illæsam servare & gentes studuerint, nec in his exemplorum copia defuerit. Præstat in exemplo illa Lucretia, quam omnes fere Romani tam poëtæ, quam historiographi dignis laudibus pro castitatis amore conati sunt efferre. Unde est illud Valerii Maximi, Lucretia à Tarquinio per vim stuprum pati coacta, cùm injuriam suam coram amicis suis deplorasset, ferro se quod veste tectum attulerat interemit. Item Plautius Horestillæ uxoris suæ morte audita, stricto ferro incubuit, ejusque amore se interfecit. Item idem, Portia Catonis filia cùm apud Philippos interemtum virum suum Brutum audisset, quia ferrum deerat, ardentes ore carbones haurire non dubitavit, novo genere mortis assumto. Et item Hypsicratia Metridatem conjugem suum verè amavit, propter quem formæ suæ decorem in habitum virilem convertit, tonsis enim capillis, equo se & armis assuevit, quo facilius ejus laboribus interesset. Quis itaque non attendat quantum in omni gente semper Deo accepta fuerit carnis integritas & continentia vitæ, cùm beato etiam attestante Hieronymo, supradictæ VIII. Sybillæ ex virginitatis suæ decore spiritum meruerunt prophetiæ. qui & Claudiam vestalem virginem à suspicionis labe protegens admirabilis signi miraculo non tacuit. Et quid mirum, cum hoc illi continen-

(Val. Max. l. 6. c. 1.) (Ibid. l. 4. c. 6) (Ibid.) (Ibid.)

(a) Apud Hier. *magis pudicitiam curæ esse, quam vitam.*

A tia vitæ contulerit, si magna apud Deum promeruerit tanta philosophorum abstinentia & continentia, cùm hæc tanto laudabiliora in eis videantur, & majori reputanda merito, quantò minus ad hæc aliorum prædicatione vel exemplis incitati sunt, sed propria ratione & naturalis legis instructione commoti. Sicut enim constat nos tam naturali quàm scripta lege utriusque testamenti, & tot vel ipsius Domini vel sanctorum patrum exemplis instructos, tanto deterius * relinquere quanto inexcusabilius: ita è contrario tanto eorum venialiora erant mala & laudabiliora videbantur bona. unde & Dominus Job gen- B tilem non immerito ceteris, qui tunc temporis erant, fidelibus prætulit, dicens; *Quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo*, quamvis multi etiam de filiis Abrahæ tunc superessent, cùm hic post legem etiam datam in tempore Israelitarum Judicum, ut beatus asserit Gregorius, fuisse signetur. Hinc est & illa Hieoronymi commendatio in laudem Titi imperatoris, & confusionem nostram, super epistolam ad Galatas: Titus, inquit, « filius Vespasiani, qui in ultionem Dominici « sanguinis subversis Jerosolymis Romam vic- « tor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonita- « C tis, ut cùm quadam nocte sero recordaretur « in cœna quod nihil boni in die illa fecisset, « dixerit: Amici hodie diem perdidi. Nos pu- « tamus non perire nobis horam, diem, mo- « menta, tempus, ætates, cùm otiosum ver- « bum loquimur, pro quo rationem reddituri « sumus in die judicii. «

(* f. delinquere.) (Job. 1. 1.)

Quod si hæc ille sine lege, sine evangelio, sine apostolorum doctrina naturaliter & dixit & fecit; quid nos oportet facere, in quorum condem- D nationem habet & Juno univiras, & Vesta univirgines, & alia idola continentes? Legerat, ni fallor, prædictus sanctus illud Suetonii, vel consimile, de excellentia supra nominati principis. Titus amor & delitiæ generis humani, id obstinatissimè tenuit, ne quemquam ad se accedentem postulandi gratia sine spe dimitteret. Quin etiam admonentibus domesticis quod plura polliceretur, quàm præstare posset, non oportere, ait, quemquam à sermone prin-

Augustinus de Civitate libro XXII. Jam « si ad eorum miracula « veniamus, quæ facta « à diis suis opponunt » martyribus nostris; « nonne etiam ipsa pro « nobis facere, & nobis « reperientur omnino « proficere? Nam inter « magna miracula deo- « rum suorum, profec- « tò magnum illud est, « quod Varro comme- « morat Vestalem vir- « ginem, cùm pericli- « taretur falsa suspicio- « ne de stupro, cribrum « implesse aqua de Ty- « beri, & ad suos judices « nulla ejus parte stil- « lante portasse. Quis « aquæ pondus tenuit « tot cavernis patentibus? « Itane Deus omnipotens terreno cor- « pori grave pondus au- « ferre non poterit, ut « in eodem elemento « habitet vivificatum « cipis

(Aug. de Civitate Dei lib. 22. c. 13.) (Suet. l. 8.)

cipis tristem discedere. Idem recordatus super cœnam quod nihil tota die cuiquam præstitisset dixit, Amici diem perdidi. Idem febrim nactus qua & mortuus est, cùm lectica veheretur, suspexisse dicitur cœlum, multumque conquestus est eripi sibi vitam immerenti. Neque enim extare ullum suum factum, quod sibi esset pœnitendum, excepto dumtaxat uno. id quale fuerit, nec ipse tunc prodidit, neque cuiquam notum fuit. De cujus etiam patre Vespasiano quàm mirabile sit illud quod in eodem Suetonius præmittit, & quàm accepta Deo opera ejus, ipsa miraculorum dona testentur, quis non intelligat? Sic nempe scriptum est, Vespasianum necdum imperatorem » quidam è plebe luminibus orbatus, item alius » debilis crure, sedentem pro tribunali pariter » adierunt, orantes opem valetudinis, demon» stratam à Serapide per quietem; restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum » crus, si dignaretur calce contingere. Orantibus amicis, licet invitus utrumque tenta» vit, nec defuit eventus. Quod si etiam consideremus quantum talibus hominibus etiam in infidelitate sua mortuis vel sine sacramentorum gratia defunctis ante actæ vitæ opera profuerint, nec de hoc nobis testimonia deerunt. Legat quislibet capitulum * XLIII. libri II. vitæ B. Gregorii, & inveniet quantum justitia Trajani gentilis imperatoris tam Deo ipsi, quàm prædicto sancto acceptabilis extiterit, cùm prædictus sanctus ejus animam, qui post Evangelii quoque traditionem sine fide & gratia baptismatis defunctus fuerat, à penalibus locis & inferni cruciatibus, precum instantia suarum, & abundantia lacrymarum, eruisse scribatur; compunctus quidem vehementissimè super recordatione illius justitiæ prædicti imperatoris, quàm in tanto arcto positus viduæ occurrenti fecerat, de qua ibidem videlicet scriptum est, quòd dum quodam tempore Trajanus ad imminentis belli procinctum vehementissimè festinaret, & viduæ cuidam proclamanti pro vindicta filii sui interfecti, si sanus reverteretur à prælio, vindictam per omnia se facturum respondet, vidua dixit: » Si tu in prælio mortuus » fueris, quis mihi præstabit? Trajanus res» pondit, Ille qui post me imperabit. Vidua » dixit: Et quid tibi proderit, si alter mihi « justitiam fecerit? Trajanus respondit, Uti» que nihil; & vidua, Nonne, inquit, tibi me» lius est, ut tu mihi justitiam facias, & tu pro » hoc mercedem tuam recipias, quàm alteri » hanc transmittas? Tunc Trajanus ratione pietateque commotus, equo descendit, & peregit judicium. Hujus itaque justitiæ tam clementis & justi imperatoris clementissimus papa recordatus, & hoc plurimum adtendens, quod pro æterna remuneratione id factum ab imperatore, ad S. Petri

Suet. l. 8.

* l. 45. Joh. Diac. in vita sancti Gregorii l. 2. c. 45.

A apostoli basilicam pervenire ausus dicitur, ibique tamdiu super errore tam clementissimi principis deflevisse, quo usque responsum sequenti nocte accepisset, se pro Trajano fuisse auditum, eruta quidem anima ejus de locis pœnalibus, quamvis, ut ibidem dicitur, non ideo credere cogamur, introductam eam fuisse in regnum cœlorum, ne fortè verbis Veritatis præjudicemus, quibus dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non potest introire in regnum cœlorum.* Sed fortasse illud majori admiratione suscipitur, quod in Consolatione super morte Valentiniani imperatoris ad sorores ipsius beatus

B scripserit Ambrosius. Ubi quidem prædictus sanctus omnino astruere intelligitur, eum à se jam catechisatum, sed nondum baptizatum, ex ante actæ vitæ bonis operibus veniam impetrasse post mortem, & sortem electorum sine baptismi gratia percepisse, cùm hoc non solum evangelio, verum & sanctis doctoribus adversari penitus videatur. Unde Augustinus de [a] orthodoxa fide: « Baptizatis tantum interesse salutis, nullum catechu« menum, quamvis in bonis operibus defunc« tum, vitam æternam habere credamus, ex« cepto martyrio, ubi tota baptismi sacra« menta complentur. Hæc autem sunt illa «

C Ambrosii verba in præfata epistola de mor« te Valentiniani ad sorores ipsius: Audio vos « dolere quòd non accepit sacramenta bap« tismatis. Dicite mihi, qui etiam dudum hoc « voti habuit, ut cum in Italiam venisset ini« tiaretur, & proximè baptizari se à me signi« ficavit; & ideo præteritis causis me accer« sendum putavit. Non habet ergo gratiam « quam desideravit? non habet quam popos« cit? Et quia poposcit, accepit. Et ubi illud « est, *Justus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in requie erit.* « Solve igitur, pater « sancte, munus servo tuo. Item, Non metue«

D bat hominibus displicere, ut tibi soli place« ret in Christo; qui habuit spiritum tuum, « quomodo non accepit gratiam tuam? aut si, « quia solemniter non sunt celebrata mysteria, « hoc movet? Ergo nec martyres, si catechu« meni fuerint, coronantur. quod si suo ab« luuntur sanguine, & hunc tua pietas abluit, « & voluntas. Item, Et huic adhuc intercessio« nem addisco, cui remunerationem præsumo, « pio requiem ejus poscamus affectu. Item, « Doleo in te, fili Gratiane, doleo etiam in te, « fili Valentiniane, Tu per me putabas eripi « te periculis, tu me non solum ut parentem « diligebas, sed ut redemtorem tui & libera«

E torem sperabas. Tu dicebas, Putasne vide« bo patrem meum? Speciosa de me voluntas « tua, sed non efficax præsumtio. Hei mihi! « vana spes in homine, Hei mihi! quid volun« tatem tuam non ante cognovi? Domine, quia « nemo habet quod alii plus deferat, quam « quod tibi optat. non me ab illis separes post « mortem, quos in hac vita carissimos sensi. «

Joh. 3. 5.

[a] Gennad. de Dog. Eccl. c. 41.

(a) Hic liber, ut jam observavimus, non est Augustini, sed Gennadii Massiliensis presbyteri; sub cujus nomine non semel eum citat Abaelardus.

» Domine, peto ut ubi ego fuero & illi sint A
» mecum. Te quæso, summe Deus, ut earissimos juvenes matura resurrectione suscites, &
» resuscites, & in maturum hunc vitæ istius
» cursum matura resuscitatione compenses.
Quod si hi post evangelii traditionem, sine fide JESU-CHRISTI, vel gratia baptismi, tanta apud Deum ex ante actæ vitæ meritis obtinuerint, quid de philosophis ante adventum Christi, tam fide quam vita clarissimis, diffidere cogamur, ne indulgentiam sint assecuti, aut eorum vita & unius Dei cultus, quem ipsi tunc temporis præcipuè habuerunt, & scribendo prædicaverunt, magna eis à Deo dona tam in hac quàm in futura vita non acquisierit, & quæ necessaria saluti essent ostenderit, cùm scriptum sit, *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, & tanta sit divinæ gratia misericordiæ, ut invitis quoque sua præstet beneficia? [Ps. 110. 10.] B

[De doctrina philosophorum] Quod si post vitam philosophorum nobis ad nostræ confusionem impudentiæ à sanctis patribus propositam de eorum doctrina discutere libet, intelligemus tam testimoniis sanctorum, quàm manifesta ratione, quàm sit ea quoque sacris litteris necessaria, non solum in his quæ ad documenta morum attinent, seu ad sacræ fidei testimonia, verum ad omnia quæstionum genera rationibus terminanda, sive allegoriarum quoque mysteria discutienda, quas frequenter in naturis numerorum investigamus. Unde nobis præcipuè tam dialecticam quàm arithmeticam beatus commemorat Augustinus, qui ideo in secundo libro de Ordine dialecticam commendare ausus est, ut eam solam esse scientiam profiteri videatur, cùm eam solam posse C
» facere scientes dicat. Disciplinam, inquit,
» disciplinarum, quam dialecticam vocant, hoc
» docet docere, hoc docet discere. In hac si
» ipsa ratio demonstrat atque aperit, quæ scit
» quid velit. Scit scire, sola scientes facere non
» solum vult, sed & potest. Idem in secundo de Doctrina christiana cùm inter omnes artes præcipuè dialecticam & arithmeticam sacræ paginæ necessarias esse profiteretur, illam quidem ad dissolvendas quæstiones, hanc ad allegoriarum mysteria discutienda, quæ frequenter in naturis numerorum investigamus, tanto amplius dialecticam extulit, quantò amplius necessariam eam assignavit ad omnes videlicet quæstionum dubitationes D
[Aug. l. 2. de Doct. chr. c. 31.] » terminandas. ait autem sic: Restant ea quæ
» non ad corporis sensus, sed ad rationem pertinent, ubi disciplina regnat disputationis &
» numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in sanctis litteris sunt penetranda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus attentos decipiant. quod genus captiosarum E
conclusionum scriptura quantum existimo « detestatur illo loco, ubi dictum est: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Qui rursus in eo- « [Eccli. 37. 23.] dem cùm in ipsis philosophorum dictis magnam morum ædificationem, & nonnullam de fide & cultu unius Dei doctrinam consideraret, adjecit atque ait: Philosophi qui « [Aug. ibid. c. 40.] vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ « accommoda dixerint, maximè Platonici, « non solùm formidanda non sunt; sed etiam « ab eis tamquam injustis possessoribus in usum « nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptus « non tantum idola habebat quæ populus Israel detestaretur, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potius, « tamquam ad usum meliorem, clanculo vindicavit præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea quibus non bene utebantur: Sic doctrinæ omnes gentilium, & liberales disciplinæ usui veritatis aptiores, etiam morum quædam præcepta continent, deque ipso Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos. Item in eodem de philosophis: Dederunt aurum & argentum & vestem suam exeunti de Ægypto populo Dei, « nescientes quemadmodum illa quæ dabant « in Christi obsequium redderentur. Noverat « itaque ille ecclesiasticorum maximus doctor, & à philosophia olim gentili ad veram, quæ Christus est sophiam conversus, quæ in philosophicis de Deo legerat scriptis, & quàm indignum esset philosophicas quoque disciplinas, quæ inter maxima dona Dei semper in terris effloruerunt, auctorem suum atque omnium non agnoscere, & ei quoque cui obtemperant omnia non deservire. Attendebat & illud quod in Ecclesiastico scriptum est: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit, occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur.* Juxta quod & Salomon, beato, ut supra meminimus, attestante Hieronymo, in ipso statim Proverbiorum exordio commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas & obscurum sermonem, dicta sapientium, & ænigmata; quippe, inquit Hieronymus, dialecticorum & philosophorum sunt. unde & à sanctis postmodum patribus non incongruè liberalium artium studia, tamquam sacræ paginæ admodum necessaria, plurimum commendantur, cùm omnino poëtica figmenta christianis interdicantur, non solum quia falsitate referta sunt, & *os quod mentitur occidit animam*, verùm etiam, quia inanium fabularum cogitationibus ad desideria turpitudinum quæ fingunt, alliciunt animum, atque à sacræ lectionis meditatione nos abducunt. De utrisque autem in promtu sunt nobis sanctorum testimonia. Synodus Eugenii papæ tempore Ludovici, De quibusdam, in- « quit, locis ad nos refertur non magistros, « [Eccli. 39. 1.] [Sap. 1. 11.]

» neque curam inveniri pro studio litterarum. » Idcirco universis episcopis, subjectisque plebibus, & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur, ut magistri & doctores constituantur, » qui studia litterarum liberaliumque artium » habentes dogmata doceant: quia in his maximè divina manifestantur atque declarantur mandata. De poëticis autem figmentis, quos nonnulli libros Grammaticæ vocare consueverunt, eo quod parvuli ad eruditionem grammaticæ locutionis eos legere soliti sunt, talia sanctorum sanxit auctoritas. Hieronymus ad Damasum papam de Filio prodigo: Dæmonum cibus est carmina poëtarum, sæcularis sapientiæ rhetoricorum pompa verborum. Et post aliqua: Absit, inquit, ut de ore christiani sonet Jupiter omnipotens: & me Hercle, & me Castor, & cetera magis portenta quàm numina. Ac nunc etiam sacerdotes Dei, omissis evangeliis & prophetis, videmus comœdias legere, amatoria Bucholicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium, & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluntatis. » Idem super epistolam ad Ephesios: *Educate*, ait Apostolus, *filios in disciplina & correctione Domini.* Legant episcopi atque presbyteri, qui filios suos sæcularibus litteris erudiunt, & faciunt comœdias legere, & [a] amorum scripta turpia cantare, de ecclesiasticis forsitan sumtibus eruditos, & quod in corbonam pro peccato quilibet pauper totam substantiam effundens obtulerat, hoc in Saturnalium sportulam & Minervæ, aut in sumtus domesticos, aut in sordida scorta convertit. Idem in epistola ad Eustochium virginem: *Quæ communicatio lucis ad tenebras? Quis consensus Christo ad Belial?* Quid facit cum psalterio Horatius, cum Evangelio Maro, cum Apostolo Cicero? Qui etiam statim in eadem epistola se propter lectionem Platonis seu aliorum philosophorum quibus intendebat, cùm ei sermo propheticus incultus horreret, raptum in spiritu fuisse ante tribunal districti judicis asserit, ubi interrogatus conditionem suam, christianum se esse respondit. Cui ille qui præsidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus; *ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic & cor tuum.* Qui denique post multa verba prece assistentium sanctorum, & quasi sub obtestatione sacramenti, quòd numquam amplius sæculares libros legeret, vix impetrare potuit indulgentiam per quam evaderet. Unde & Rabanus de pressuris ecclesiasticis » parte secunda, Legimus, inquit, de B. Hieronymo, quoniam cùm librum legeret Ciceronis ab Angelo correptus est, eo quòd christianus vir paganorum intenderet figmentis. » Isidorus Sententiarum libro III. cap. XIII. » Ideo prohibetur christianus legere figmenta » poëtarum, quia per oblectamenta inanium » fabularum mentem excitat ad incitamenta

Contra lectionem poetarum.

Hier. l. 3. in epist. ad Ephes. Eph. 6. 4.

Epist. 18. nov. edit. 2. Cor. 6.

Matth. 6. 21

(a) Apud Hier. *Mimorum.*

A libidinum. Non enim solum thura offerendo dæmonibus immolatur; sed etiam eorum dicta libentius capiendo. Item, Cavendi sunt libri gentilium, & propter amorem sanctarum scripturarum vitandi. Simplicioribus litteris non est præponendus succus grammaticæ artis; meliores enim sunt grammatici quàm hæretici. Grammaticorum doctrina potest etiam proficere ad vitam, dum fuerit in meliores usus assumta. Ex concilio IV. Cartaginensi cap. IX. Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro necessitate & tempore. Gregorius Desiderio episcopo: Pervenit ad nos fraternitatem tuam B grammaticam quibusdam exponere; quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementer aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerant in gemitum & tristitiam verteremus: quia uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt: & quàm grave nefandumque sit episcopum canere quæ nec laïco religioso conveniant, ipse considera. Unde & Plato ipse cùm civitatis rectè ordinandæ traderet institutionem, poetas à civitatibus ejiciendos esse decrevit, sicut in II. de Civitate Dei beatus Augustinus his verbis commemorat: An forte, inquit, Platoni potius palma danda est, qui cum ratione formaret, qualis esse C civitas debeat, tamquam adversarios civitatis poetas censuit urbe pellendos? Item post aliqua: Qui scilicet Plato poetas ipsos vel pro arbitrio mentientes vel hominibus miseris quasi deorum facta pessima imitanda proponentes, omnino in civitate bene instituta vivere noluit. Ac si apertè factis etiam ipsis illud jam prædicaret, *Os quod mentitur occidit animam.* At fortasse, inquies, non solum poetarum, verùm etiam liberalium artium lectiones christianis interdicendas, cùm B. Hieronymus in epistola ad Eustochium, se graviter correctum, & verberatum à Domino, pro D lectione philosophicorum scriptorum asserat. Ac jam profecto nec grammaticam à christiano legi conveniet, sine documentis cujus nec divina intelligi pagina potest, nec scriptura aliqua. Sic nec rhetoricam, quæ omnis eloquentiæ tradit ornamenta, quibus maximè sacra Scriptura referta est, nec ejus decor nisi his diligenter assignatis, elucere poterit. Quare ergo, inquies, propter Ciceronis libros prædictus doctor tam graviter correctus & flagellatus est, ut sub obtestatione sacramenti cogeretur omnino sæcularium librorum lectioni abrenuntiare? Profecto quia non pro utilitate aliqua, sed pro E oblectatione eloquentiæ illis intendebat, neglecto sacræ Scripturæ studio, cujus, ut ipsemet ait, incultus ei sermo horrebat. Ego autem nullius artis lectionem cuicumque religioso interdicendam arbitror, nisi fortè per hoc major aliqua ejus utilitas præpediatur, sicut & in ceteris bonis faciendum scimus, ut videlicet minora pro majoribus quandoque intermittantur, vel penitus obmittantur. quippe cùm nulla est in doctrina falsitas, nulla

Aug. l. 2. de Civit. Dei c. 14.

Sap. 1. 11.

in verbis turpitudo, nonnulla de scientia utilitas, quis hæc discendo aut docendo culpari mereatur, nisi causa intervenerit suprapoſita, potiori videlicet bono neglecto aut dimisso? nemo etenim scientiam aliquam rectè malam esse dixerit. Quod quidem in quantam nostri condemnationem & confusionem factum sit, quis discretus non animadvertat, Sap. 1. 11. quibus non solùm illud dicitur, quod *os quod mentitur occidit animam*, verùm de omni verbo otioso districta exigitur ratio. Si juvat christianum legere ad eruditionem locutionum vel sententiarum, numquid hoc plenè efficere non potest, nisi poeticis studendo figmentis & inanibus fabulis? quæ sunt genera locu- B tionum, qui ornatus verborum, quæ sacra pagina non habeat, maxime parabolarum & allegoriarum ænigmatibus referta, & ubique fere mysticis redundans involucris? quæ sunt urbanitates locutionum, quæ mater linguarum Hebraica non docuerit, præsertim cùm Palæstinæ terræ etiam plebem parabolis assuetam non lateat, ut his quoque Dominum JESUM loqui eis oporteret, cùm evangelium prædicaret? Quæ deesse fercula possunt spirituali Domini mensæ, id est sacræ Scripturæ, in qua juxta Gregorium, & elephans natat, & agnus ambulat? Cujus quidem intelligentia ita omnium alimentorum C & deliciarum copiis exuberat, ut sola ipsa triplici expositione perfectionem teneat doctrinæ, in qua quislibet & dictaminis suavitatem, multo amplius atque facilius, quàm apud poetas addisceret, & simul morum honestatem, & ædificationem animæ plenè percipiet. Quis enim, non dico poetarum, verùm etiam philosophorum maturitate dictaminis beatum Hieronymum, quis in suavitate beatum Gregorium, quis in subtilitate beatum æquiparet Augustinum? In illo quidem Ciceronis eloquentiam, in istis Boëtii suavitatem & Aristotelis invenies subtilitatem; &, ni fallor, multo amplius, si singu- D lorum conferas scripta. Quid de eloquentia Cypriani sive Origenis & aliorum innumerabilium ecclesiasticorum doctorum, tam Græcorum, quàm Latinorum, in omnibus liberalium artium studiis eruditissimorum? Cyprianum in dictamine omnes transcendisse gentiles, ipsorum quoque gentilium judicio, beatus asserit Augustinus. Ubi quædam dicta cujusdam epistolæ Cypriani inducta sunt à Christianis in ipsum certaminis conflictum inter christianos & gentiles habitum, qui de eorum doctoribus in dictando prævaluissent. Sunt autem hæc illa Cypriani verba dicentis quo- E » dam loco: Petamus hanc sedem. dant secessum

A vicina secreta, ubi dum erratici palmitum la- « psus pendulis nexibus per arundines bajulas « repunt viteam porticum frondea tecta fece- « runt. De quo quidem verborum istorum ornatu, beatus Augustinus in quarto de Do- Aug. l. 4. de Doct. chr. c. 14. ctrina christiana meminit, dicens: Exigua & fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur. Est tale aliquid in epistola Cypriani. Ait ergo quodam loco: Petamus hanc sedem, &c. quod si in brevi assequi juvat christianos lectores tam genera constructionum, quàm ornatus verborum, plenè id percipient ex ipsis artibus, quæ ista ex integro & apertè tradunt, grammatica scilicet, dialectica, rhetorica: nec opus est diu detineri in fabulosis poetarum, ut hæc colligant, quæ ibi aut raro, aut obscure, aut imperfecte notantur. Unde nec Tullius in rhetorica cùm de elocutione plene instrueret, poeticis uti voluit exemplis, sed propriis, in quibus plenius, ut ipsemet ait, ars emineret. Quid ergo episcopi & religionis christianæ doctores poetas à civitate Dei non arcent, quos à civitate sæculi Plato inhibuit? Immo quid in solemnibus magnarum festivitatum diebus, quæ penitus in laudibus Dei expendi debent, joculatores, saltatores, incantatores, cantatores turpium acciunt ad mensam, totam diem & noctem cum illis feriant, atque sabbatizant, magnis postmodum eos remunerant præmiis, quæ de ecclesiasticis rapiunt beneficiis, de oblationibus pauperum, ut immolent certe dæmoniis? QUID ENIM sunt Histriones apostoli dæmonum. tales histriones, nisi præcones, & ut ita dicam, apostoli dæmonum, per quorum ora vel gestus prædari miseras non cessant animas? Gravat profecto & tædet auditores quod in ecclesia Dei dicitur. Molestum est illis qui offerunt Christi altaribus; nec in ipsis missarum solemniis, ad unius horæ spatium, linguam à vaniloquiis cohibere possunt. Totus flagrat & anhelat animus foras ad curiam dæmonum & conventus histrionum, ubi sunt in oblationibus prodigi, & cum summo silentio & toto desiderio attenti illi, ut dictum est, diabolicæ prædicationi. Parum fortassis & hoc diabolus reputat quod extra sacra loca basilicarum gerunt, nisi etiam scenicas turpitudines in ecclesiam Dei introducat. Proh dolor! audet hoc; & proh pudor! perficit, atque ante ipsa Christi altaria, omnibus jam ubique introductis turpitudinibus, per solemnitatum conventus templa dedicantur dæmonibus, & sub religionis & orationis obtentu, ad explendam libere lasciviam omnibus undique tam viris quam feminis convenientibus, Veneris celebrantur vigiliæ,

LIBER III.

Ratione contra philosophos atque hæreticos agere sibi proponit Abaelardus.

CUM omnis controversiæ discussio aut in scripto aut in ratione versetur, ut eisdem terminetur, si hujusmodi est quæ finem accipiat, primò nobis necessarium duximus ex scriptis præcellentium sapientium ad nostræ fidei firmamentum auctoritates conferre; deinde ipsas etiam auctoritates ad nostræ perfectionem disputationis superest rationibus fulcire. In his quidem in quibus non irrationabiliter videntur oppugnari, ne fortè illud comici poetæ nobis improperetur: Huic opus est patrono, quem mihi paro defensorem. Beatus quoque Augustinus *capite 1. libri de Moribus Ecclesiæ contra Manichæos auctoritatem rationi præmittendam censet, dicens: Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cùm aliquid dicimus, rationem præcedat auctoritas. Nam & infirma ratio videri non potest, quæ cùm reddita fuerit, auctoritatem postea per quam firmetur assumit. Restat itaque nunc nobis post auctoritatum fundamentum fulcimenta superinducere rationum, maxime ideo ne verbositas inimicorum Christi nostræ insultet simplicitati. Qui cùm aliquos idiotas aut minus eruditos christianos inductionum suarum laqueis præpedierint, summæ id sibi gloriæ adscribunt: quibus quidem non sufficit ut soli moriantur, nisi etiam alios suis consepeliant erroribus, illo videlicet Judæorum more, quo eos Veritas dicit, *mare & aridam circuire, ut unum faciant proselytum.*

*I. Cap. 1.

Matth. 23. 15.

OMNIUM autem bonorum quasi fundamentum sanctæ Trinitatis fidem ponimus, ut ab ipsa divinæ naturæ cogitatione omnium bonorum ducatur exordium. Quisquis itaque hoc fundamentum labefactare poterit, nihil fructuosum de his etiam [quæ] superædificanda sunt relinquit. Unde & nos primùm huic tanto periculo tam auctoritatem, quàm rationum clypeum opponere curavimus, in eo quidem confisi qui suos confortat, dicens: *Cum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*, cujus quidem fretus auxilio parvulus David immensum & tumidum Goliam proprio ipsius Goliæ gladio jugulavit. Et nos ergo ipso humanarum gladio rationum, quibus nos tam philosophi quàm hæretici impetunt, * in eos converso robore eorum. Multi namque jam clamant magni Antichristi præcones, per quos hostis humani generis fidem omnium bonorum fundamentum labefactare conatur. Talium ora quondam miraculis obtrusa sunt; cum illi verbis, sancti vero patres dimicarent factis. Præterierunt miracula, crevit malitia, fallacia membra sua adversus veritatem jam effrenis armat, atque unum jam superest, ut qui non possumus factis, pugnemus verbis, in ipsa confisi veritate quæ confortat, dicens: *Ponite in cordibus vestris non præmeditari quomodo respondeatis, ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

Matth. 10. 19.

* Hic deesse videtur aliquod verbum, ut *accingamur* aut *utamur*.

Luc. 21. 14.

Supra universos autem inimicos Christi tam hæreticos, quàm Judæos, sive Gentiles, subtilius fidem sanctæ Trinitatis perquirunt, & acutius arguendo contendunt professores dialecticæ, seu importunitas sophistarum, quos verborum agmine atque sermonum inundatione beatos esse Plato irridendo judicat. Hi argumentorum exercitio confisi, quid murmurarint scimus, ubi facultas apertè garriendi * non datur. Hi, inquam, non utentes arte, sed abutentes; neque enim scientiam dialecticæ, aut cujuslibet liberalis artis, sed fallaciam sophisticæ condemnamus, præsertim cùm SS. quoque Patrum judicio hæc ars maxime, ut supra meminimus, commendetur, & ceteris præferatur. Tenet itaque hæc philosophia acutissimi gladii instar, quo tyrannus ad pernitiem præceps utitur, ad defensionem, ac pro intentione utentium sicut plurimum prodesse, ita & plurimum nocere potest. Scimus quidem à Peripateticis, quos nunc dialecticos appellamus, nonnullas & maximas hæreses tam Stoïcorum quàm Epicureorum rectis rationibus esse repressas, sicut est illa de qua contra Stoïcos disputant & fortissimis astruunt argumentis, quòd licet Deus ab æterno cuncta providerit, atque ipsius providentia omnino falli non possit, nec tamen ideo cuncta ex necessitate proveniunt, ut scilicet humani pereat libertas arbitrii. Alioquin, inquit princeps Peripateticorum Aristoteles in 1. Periherme-nias, non oportebit consiliari neque negotiari. De libero autem arbitrio convenientius alibi differendum nobis reservamus. Sed neque ullam scientiam malam esse concedimus, etiam illam quæ de malo est, quæ justo homini deesse non potest, non ut malum agat, sed ut à malo præcognito sibi provideat, quod nisi cognitum, teste Boëtio, vitare non posset. Non est malum scire decipere vel adulterari, sed ista committere, quia ejus rei bona est cognitio, cujus pessima est actio; & nemo peccat cognoscendo peccatum, sed committendo. Si quæ autem scientia mala esset, utique & malum esset quædam cognoscere, nec jam absolvi à malitia Deus posset qui omnia novit. In ipso enim solo plenitudo est scientiarum, cujus donum omnis scientia. Scientia quippe est comprehensio veritatis rerum quæ sunt, atque eis cuncta veraciter discernit, cui ea quoque quæ non sunt quasi præsentia assistunt. unde & enumeratis donis

* f. eis dicitur.

Scientiam nullam malam esse.

Spiritus ejus, ipse Spiritus scientiæ esse dicitur. Sicut autem mali quoque scientia bona est, ad evitandum scilicet malum necessaria; ita potestatem etiam mali bonam esse constat, & ad promerendum necessariam. Si enim peccare non possemus, nihil non peccando promereremur, & ei qui liberum non habet arbitrium, nullum ex his quæ coactus agit debetur præmium. At verò econtra, ut ait propheta, *qui potuit transgredi & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Ex his itaque liquidum est, nullam aut scientiam aut potestatem malam esse, quantumcumque sint mala exercitia ipsarum, cùm & Deus omnem tribuat scientiam, & omnem ordinet potestatem. Qui etiam de potestate iniquissimi Pilati adversus se ait, *Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper.* Scientias itaque approbamus, sed fallaciis abutentium resistimus. Non enim, teste Tullio, mediocriter errant, qui ex vitio hominis scientiam culpant. Sic enim cùm de reprehensione argumentationum in rhetorica doceret, ait inter cetera: Non ad id quod instituitur accommodabitur aliqua pars argumentationis, si res ex hominis vitio vituperabitur, ut si quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat. Nullos autem sacris litteris eruditos ignorare arbitror, plus in sacra doctrina spirituales viros, ex ipso scientiæ studio, quàm ex religionis merito profecisse; & quo quisque sanctorum ante conversionem suam ampliorem sæcularium litterarum scientiam habuerat, post conversionem suam eum amplius in sancta eruditione valuisse. Paulus quippe apostolus licet non major meritò, quàm Petrus videatur; confessor Augustinus quàm Martinus: tantò tamen uterque altero majorem in doctrina gratiam post conversionem habuit, quantò antea majore litterarum scientia pollebat. Ex quo præcipuè sæcularium quoque litterarum studium divina dispensatione commendari arbitror, non solùm per utilitatem quam continent, verùm ne à donis ejus alienæ viderentur, si ad nullum eis commodum verteretur. Novimus tamen & ab Apostolo dictum quia *scientia inflat*, id est superbiam generat. Sed ex hoc præcipuè bona esse convincitur, quia in malum superbiæ conscium sui tribuit. Sicut enim nonnulla sunt bona, quæ nonnisi ex malo proveniunt; ita nonnulla sunt mala quæ ex bono originem trahunt. pœnitentia quippe, seu correctionis satisfactio cùm bonæ sint, ita malum factum comitantur, ut nonnisi ab eo nasci possint. E contrario superbia sive invidia cùm sint pessimæ, nonnisi à bonis initium habent. Nemo quippe nisi ex bonis quæ se habere cognoscit, in superbiam extollitur, & nemo alteri nisi pro bonis ejus invidet. Unde & Lucifer ille, qui mane oriebatur, tantò ad superbiendum pronior extitit: quantò ceteris angelicis spiritibus per sapientiæ vel scientiæ claritatem superior fuit: nec tamen ideo sapientiam vel scientiam de naturis rerum, quam à Deo acceperat, malam dici convenit; licet ille superbiendo malè illa usus sit. Sic & cùm quislibet de philosophia vel doctrina sua superbit, non ipsam culpare scientiam debemus, propter adjunctum vitium; sed unumquodque secundum se pensari convenit, ne fortè indiscretè agentes propheticam illam maledictionem incurramus: *Væ his qui dicunt bonum malum & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Hæc adversus illos dicta sufficiant, qui suæ imperitiæ solatium quærentes, cùm nos aliqua de philosophicis documentis exempla vel similitudines inducere viderint, quibus planius quod volumus fiat, statim obstrepunt quasi sacræ fidei & divinis rationibus ipsæ naturæ rerum à Deo conditarum inimicæ viderentur, quarum videlicet naturarum maximam à Deo peritiam ipsi sunt à Deo philosophi consecuti: ut cùm sancti doctores allegoriarum mysteria in ipsis animalium vel quarumlibet rerum naturis investigent, juxta ipsorum philosophorum dicta has assignent, dicentes quidem hanc hujus vel illius rei esse naturam, sicut physicæ scriptores tradiderunt. In tantum verò in ipsa factura sua delectatur Deus, ut frequenter ipsis rerum naturis quas creavit, se figurari magis quàm verbis nostris quæ nos confiximus aut invenimus exprimi velit, & magis ipsa rerum similitudine, quàm verborum nostrorum gaudeat proprietate, ut ad eloquentiæ venustatem ipsis rerum naturis juxta aliquam similitudinem pro verbis scriptura malit uti, quàm propriæ locutionis integritatem sequi. Nemo itaque me culpare præsumat, si ad propositum nostrum ostendendum aliquas vel ex nobis vel ex philosophis similitudines induxero, quibus facilius aperire quod desidero possim. Scriptum quippe est. Fas est & ab hoste doceri. & cùm intelligentiæ deservimus, modis omnibus curandum est, ut quoad possumus facilius studeamus. Unde est illud B. Augustini consilium in IV. de Doctrina christiana, ubi quidem christianæ doctrinæ modos exequitur ac docet: « Non curante illo, inquit, qui docet quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia. Diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, unde ait quidam, cùm de genere tali elocutionis ageret, esse in eo quamdam diligentiam negligentem. Item, quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis? cùm loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur. Qui ergo docet vitabit verba omnia quæ non docent. Item insignis est indolis in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est? »

At sicut erroneam penitusque irrationabilem esse talium reprehensionem non ambi-

Marginalia: Eccl. 31.10. — Joh. 19.11. — 1. Cor. 8.1. — Isa. 5.20. — Aug. de Doct. ch. l. 4. c. 10. & seq.

gimus; ita & eorum impietatem maximam A impietatem profitemur, qui donum Dei maximum quod ex collatione scientiæ susceperunt, improbitate sua culpari faciunt atque vilescere, & immeritam atque innocentem artem in suæ culpæ trahunt participationem. quod quondam & de rhetorica contigisse in ipsa statim Tullius rhetorica meminit, & nos quotidie modo de dialectica fieri non ignoramus. Quippe sicut illam malitiosorum oratorum solertia omnibus fere bonis hominibus odiosam fecerat, propter incommoda scilicet civitatibus per eam frequenter illata; ita & jam fere omnibus religiosis contemtibilem reddidit dialecticam impuden- B tium scholarium ejus vita & garrulitas, sanctam Dei civitatem, quæ est Ecclesia, plurimum conturbantium. qui dum intolerabili verbositate gloriam sibi comparare nituntur, non finit miseros animadvertere singularis eorum superbia, in quantam secum ignominiam ipsam de qua gloriantur artem deficiunt. adversus impudentiam quorum & Tullius in secundo Rhetoricæ, ad Herennium invectus ait, de causa scilicet ambigui » scripti differens hoc modo: Sunt qui arbi- » trentur ad hanc causam tractandam vehe- » menter pertinere cognitionem amphibolo- » giarum eam quæ à dialecticis profertur. Nos C » verò arbitramur non modo nullo adjumento » esse, sed potius maximo impedimento. Om- » nes enim illi amphibologias occupant eas, » quæ etiam parte ex altera sententiam nul- » lam possunt interpretari. Itaque & alieni ser- » monis molesti interpellatores, & scripti tum » odiosi, tum obscuri interpretes sunt, & dum » cautè & expeditè loqui volunt, infantissimi » reperiuntur. Ita dum metuunt in dicendo » ne quid ambiguum dicant, nomen suum pro- » nunciare non possunt. Verum horum pueri- » les opiniones rectissimis rationibus cùm vo- » les refellemus. In præsentiarum hoc inter- » dicere non alienum fuit, ut hujus infantiæ D » garrulam disciplinam contemneremus. Sed nec ipse maximus eorum præceptor Aristoteles sophisticas ipsorum importunitates reticuit dicens in primo Peri. Et quæcumque, inquit, cetera talium determinamus contra argumentorum sophisticas importunitates. His & illa saluberrima tam apostoli Pauli, quàm B. Ambrosii adhortatio consonat libro II. de fide ad Gratianum imperatorem sic continens: Scriptum est, *Cavete ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem seductionem secundùm traditionem hominum & secundum elementa hujus mundi, & non secundum Christum.* Omnem enim vim venenorum suorum in dialecticis disputationibus constituunt, quæ philosophorum sententia definitur non astruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica placuit Deo salvum facere populum suum. regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. Quam etiam B. Ambrosii sententiam in eadem adhortatione, Responsiones Adriani papæ contra objectiones quorumdam ad Carolum capite XLIX. ita commemorant: Omnem vim « venenorum suorum in dialectica disputantes « ponunt hæretici. quæ philosophorum senten- « tia definitur, non adstruendi vim habere, « sed studium destruendi, &c. Item, Aufer « hinc argumenta [a] ubi fides sequitur, etiam « ipsis gymnasiis suis jam dialectica taceat. Non « quæro quid loquantur philosophi, requiro « quid faciant. Soli in suis gymnasiis reman- « serunt. Vide quàm fides argumentis præpon- « deret. Illi quotidie à suis consortibus dese- « runtur, qui copiosè disputant: isti quotidie « crescunt qui simpliciter credunt. non credi- « tur philosophis, creditur piscatoribus. Non « creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi « voluptatibus & delitiis orbem ligarunt, isti « jejuniis & doloribus exuerunt. Plures itaque « jam cœpit illicere injuria, quàm voluptas. « Item de Arrianis: Nonne ex philosophia » omnem impietatis suæ traxerunt colorem? « Et Apostolus ad Corinthios: *Si quis, inquit, contentiosus videtur esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Et ad Timotheum primam scribens epistolam, diligenter eum ad ultimum ammonet, ut summopere inusitata verba quasi profana & falsæ scientiæ laqueos devitet, per quos à fide quosdam jam excidisse asserit dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & opponens falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Idem ad eumdem in secunda: *Hæc commoneo, testificans coram Deo, noli verbis contendere, in nihil utile est, nisi ad subversionem audientium. Profana autem & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Item, *Juvenilia autem desideria fuge, sectare verò justitiam, fidem, caritatem, pacem cum his qui invocant Deum de corde puro. Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.* Unde & ab his quos obstinatos atque importunos viderimus circatores declinare nos Veritas admonet, dicens: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent pedibus suis, & conversi disrumpant vos.* De illis autem, quos devotos ad inquisitionem veritatis percipiendæ viderimus, ut E eis scilicet per rationes satisfacere studeamus, Petrus apostolus ammonet dicens: *Dominum autem Christum sanctificare parati, semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide & spe.* Et coapostolus ejus Paulus: *Sermo,* inquit, *vester in gratia conditus sit sale, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Aliud quippe est conferendo veritatem inquirere, aliud disputando contendere ad ostentationem.

Ambr. l. 2. de fid. c. 5.
Col. 2. 8.
Conc. tom. 7.
Ambr. l. 1. de Fid. c. 13.
Ibid.
1. Cor. 11. 16.
1. Tim. 6. 20
2. Tim. 2. 14
Ibid. 22.
Matth. 7. 6.
1. Pet. 3. 15.
Colos. 4. 6.

[a] Lege ut apud Ambrosium *ubi fides quæritur.*

Illud quippe devotionis est studium ad ædificationem; hoc elationis impetus ad gloriationem. Ibi scientiam quam non habemus percipere nitimur, hic eam ostentare quam nos habere confidimus. Quo enim est excellentius scientia bonum, facilius ad elationem trahit, juxta illud Apostoli, *Scientia inflat, caritas ædificat.* Unde & magnus ille apostata angelus, qui pro majori perspicacitate intelligendarum naturarum rerum ceteris à propheta prælatus est, & præ nimia scientiæ illuminatione Lucifero comparatus, dicente propheta: *Tu Lucifer qui mane oriebaris, &c.* quanto majori præditum sapientia se conspexit, tantò facilius altiusque intumuit, & prostratus deterius ruit. Cujus, ni fallor, imaginem inter universos philosophos dialectici sibi hoc tempore vindicant, quasi magis egregiam adepti philosophiam, quia magis verbosam. Hi, inquam, tam Deo infesti, quam hominibus ingrati, sicut scriptum est, vir linguosus non dirigetur in terra, &c. Et Boëtius, Si arrogans est, inquit, odiosus est. Ex arrogantia enim quisque fit odiosus. Hæc quidem omnis peccati initium angelum primum, ut diximus, statim à Conditoris sui visione, hoc est à vera beatitudine expulit. quæ sicut illum apostatare fecit, ita & multos ei adhuc per hæresim acquirit. Non enim ignorantia hæreticum facit, sed superbia. ut quis videlicet ex novitate aliqua nomen sibi comparare desiderans, aliquod inusitatum proferre gloriatur, quod adversus omnes importunè defendere nititur, ut superior omnibus videatur, aut ne confutata sententia sua, inferior ceteris habeatur. Unde Augustinus in libro de Utilitate credendi, hæreticum diligenter describens, Hæreticus, » [est] inquit, ut mea fert opinio, qui alicu» jus temporalis commodi, & maximè gloriæ » principatusque sui gratia, falsas & novas opi» niones vel gignit vel sequitur. Idem in VIII. » de Civitate Dei: Qui in Ecclesia aliquid pra» vum sapiunt, si correcti contumaciter resis» tunt, & sua pestifera dogmata emendare » nolunt, sed & defendere persistunt, hære» tici fiunt. Item idem in epistola ad Opta» tum, Si de anima, inquit, falsitatis assertio » proferatur, & fallacitas mendacem, & falsi» tatis importuna defensio hæreticum facit. » Idem super Genesim, Non ob aliud sunt hæ» retici, nisi quod scripturas canonicas non re» ctè intelligentes, suas falsas opiniones con» tra earum veritatem pervicaciter asserunt. Ad quod tantò facilius professores dialecticæ pertrahi solent, quantò se amplius rationibus armatos esse autumant, & tantò securiores liberius quodlibet aut defendere, aut impugnare præsumunt. quorum tanta est arrogantia, ut nihil esse opinentur, quod eorum ratiunculis comprehendi aut edisseri nequeat, contemtisque universis auctoritatibus, solis sibi credere gloriantur. quod enim id solum recipiunt, quod eis ratio sua persuadet, profecto sibi solis acquiescunt, quasi eos habeant oculos, qui in nullis caligare noverint. Adversus quales illud Augustini dicitur super XXXIX. psalmum: Nonne superbus « inveniris, cùm dicis, Primò videam & sic « credam? quibus, quod mirum est, ex scien« tia ignorantia generatur, ut contrarium vitium virtus pariat. Scientiam quippe superbia, superbiam cæcitas comitatur, cùm quis videlicet donum maximum, quod à Deo recepit, sibi ascribit, & non recognoscendo dantem, amittit datum; & tantò postmodum deterior fit, quantò melior ante factus factori gratias agere contemsit. Justum quippe est, ut cui plus committitur, plus ab eo exigatur. Talium verò justam excæcationem, & sensus & vitæ reprobæ ignominiam Apostolus conspiciens ait: *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, &c.* Et Psalmista de hujusmodi contentiosis elatis, qui se quasi magistros & principes aliorum æstimant, *Effusa est*, inquit, *contemtio super principes, & errare fecit eos in invio & non in via.* Hæreticus quippe, ut aiunt, electus interpretatur, eò videlicet quod nemo hæreticus fiat, nisi quem propriæ elationis æstimatio ceteris præferat, ut jam de communione aliorum videri erubescat. Unde Isidorus Ethimologiarum libro IV. cap. III. Hæresis, inquit, græcè ab electione vocatur, quòd scilicet « unusquisque sibi eligat quod melius sibi esse « videtur. Ac si diceret, non spiritum Dei, sed « suum sequentes. Omnem autem elatum sicut impatientem, ita & contentiosum necesse est esse, cùm quis ei quoquomodo resistere cœperit. Et hæc quidem ea est contentio, quæ, ut supra meminimus, hæreticos facit. Unde Gennadius de orthodoxa fide ecclesiasticorum dogmatum, cap. VII. ita dicit: Quolibet quis acquiescat modo, non « est hæreticus, nisi in contentione hæreticus « fiat. Idem de unico Baptismo libro IV. Jus« tum, non hæreticum, dico, nisi manifesta « sibi doctrina catholicæ fidei resistere malue« rit, & illud quod tenebat* elegit. De talibus « quidem electis Psalmista commemorat dicens: *Et non communicabo cum electis eorum.* Quam Apostolus quoque sententiam prosecutus scribens ad Titum ait: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* Quippe qui seipsum magis ad contentionem præparat, quàm ad disciplinam; & magis gloriam suam desiderat, quàm salutem; & se opportunè contendere apud se recognoscit, proprio eum judicio ipsa ejus conscientia accusat. Hæc illi effrenes & indomiti circatores attendant, qui singulari superbiæ cornu erecti, in solum etiam conditorem irruentes, posuerunt in cœlum os suum,

Marginalia: 1. Cor. 8. 1. — Isa. 14. 12. — Hæreticum hominem quid faciat. — Aug. de Util. cred. c. 1. — Aug. de Civ. Dei l. 18. c. 51. — Id. de Gen. ad litt. l. 7. c. 9. — Rom. 1. 21. — Ps. 106. 40. — Isid. Etym. l. 8. c. 3. — * f. elegerit. — Tit. 3. 10.

A à fallaciis quorum simplicitatem fidelium protegi precatur qui ait : *Salva me ex ore leonis , & à cornibus unicornium humilitatem meam.* A quibus & summopere Apostolus cavendum ammonet , hoc est à fallaciis ipsorum providendum dicens : *Cavete ne quis vos decipiat per philosophiam inanem secundùm elementa mundi* , ac si diceret : Providete ab argumentis eorum , qui de singulari & incorporea divinitatis natura ad similitudinem corporum ex elementis constantium ratione præsumunt , non tam pro percipienda veritate , quàm pro philosophiæ suæ ostentatione : ideoque ad ejus notitiam minimè assurgunt , qui superbis resistit semper , & humilibus dat gratiam. De talibus in Proverbiis scriptum est : *Abominatio Domini est omnis illusor , & cum simplicibus sermocinatio ejus.* Illusores ipse deludet , & mansuetis dat gratiam suam. Unde & Veritas ipsa , *Confiteor tibi* , inquit , *Pater cœli & terræ , qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus , & revelasti ea parvulis.* Et Apostolus , *Scriptum est* , inquit , *Perdam sapientiam sapientium , & prudentiam prudentium reprobabo.* Item , *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum , placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* C Et post aliqua : *Videte* , inquit , *vocationem vestram , Fratres , quoniam non multi sapientes secundum carnem , non multi potentes , non multi nobiles , sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus , ut confundat sapientes ; & infirma mundi elegit , ut confundat fortia , & ignobilia mundi & contemtibilia elegit , & ea quæ non sunt , ut ea quæ sunt destrueret , ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus , ut quemadmodum scriptum est , Qui gloriatur in Domino glorietur.* Unde & consilium de via disciplinæ per humilitatem arripienda in eadem adnectit epistola dicens : *Nemo se seducat. Si quis autem videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo , stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim , Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Et iterum , *Dominus novit cogitationes hominum quia vanæ sunt. Itaque nemo glorietur in hominibus.* Et post pauca cùm omnia bona divinæ tribueret gratiæ , *Quid habes* , inquit , *quod non accepisti ? Si autem accepisti , quid gloriaris quasi non acceperis ?* Et alibi : *Noli altum sapere , sed time.* Qui etiam ea maximè , quæ ad notitiam Dei attinent , nonnisi eo revelante percipi posse quam soli mundicordes conspicere valent , valida E similitudine convincit , dicens : *Quis scit hominum quæ sunt hominis , nisi spiritus hominis , qui in ipso est ?* Ita & quæ Dei sunt nemo cognovit , nisi spiritus Dei , præsertim cùm nec minimum aliquid doceri quis valeat , nisi eo nos interius illuminante , qui nisi mentem instruat interius , frustra qui docet aërem verberat exterius. Quid enim quod cum alicujus doctoris verba æqualiter ad aures diversorum perferuntur , nec tamen æqualiter ab eis intelliguntur , nisi quod quibusdam præsto est interior magister , quibusdam minime , qui quos vult etiam sine sono docet ? De hujus quidem magistri sapientia ipse Sapientiæ liber continet ita : *Sentite de Domino in bonitate , & in simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his qui non tentant illum : apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitationes separant à Deo : quoniam in malevolam animam non introibit sapientia , nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et Apostolus , *Animalis* , inquit , *homo non percipit ea quæ sunt spiritus* B *Dei.* Sed juxta Psalmistam *Intellectus bonus omnibus facientibus eum* , hoc est illis qui quod bene intelligunt , operatione implere satagunt , ut ex hoc apertè doceamur , PLUS PER intelligentiam apud Deum ex religione vitæ , quàm ex ingenii subtilitate proficere. Alioquin Dominus sibi plus humanum ingenium , quàm sanctitatem vitæ placere ostenderet. Quippe quod plus de Deo à nobis sentitur , plus à nobis diligitur , & cum profectu intelligentiæ caritatis accenditur flamma , licet hi qui simplices atque idiotæ nobis videntur , & ideo vehementer sint ferventes , nec tantum exprimere aut differere queant , quantum eis intelligentiæ divina inspiratio confert. Hoc utinam & illi attenderent , qui imprudenter magisterii nomen in divina pagina sibi arrogant , cùm vitam non emendent , & cùm carnaliter & spurcè vivant , specialem divinorum ænigmatum intelligentiam sibi revelatam , & cœlestia sibi arcana commissa esse mentiuntur , ac si se templum Spiritus-sancti apertissimè jactent. quorum saltem impudentiam falsorum christianorum gentiles conterant philosophi , qui normam Dei non ratiocinando , sed magis bene vivendo acquirendam censebant ; & ad eam moribus potius quàm verbis nitendum esse. D Unde Socrates , ut jam præfati sumus , nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se in divina conari , quoniam quidem ab eis causas rerum videbat inquiri , quas nonnisi in Dei voluntate esse credebat , & ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum. Cujus & ipse non immemor Augustinus sententiæ , libro primo super Genesim , contra calumnias Manichæorum , ipsam quoque aliis explicavit verbis hoc modo : Qui dicit , Quare Deus fecit & terram ? respondendum illi est , Quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli & terræ , & ideo major quàm cœlum & terra. Qui autem dicit , Quare voluit ? majus aliquid quærit , quàm est voluntas Dei. Nihil autem majus inveniri potest. At si voluntatem Dei nosse quisque desiderat , fiat amicus Deo : quia si voluntatem hominis nosse vellet , cujus amicus non esset , omnes imprudentiam aut stultitiam deriderent. Non autem efficitur amicus Dei , nisi purgatissimis moribus , & illo fine præcepti , de quo dicit Apostolus : *Finis*

Marginal references: Colos. 2. 8. — Prov. 3. 32. — Matth. 11. 25. — 1. Cor. 1. 19. — Ibid. 20. — Ibid. 26. — 1. Cor. 3. 18 — Ibid. 20. — Ibid. 4. 7. — Rom. 11. 20. — 1. Cor. 2. 11. — Sap. 1. 1. — 1. Cor. 2. 14 — Ps. 110. 10.

1. Tim. 1. 5. » *autem præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta* : quam isti si haberent, non essent hæretici. Quantam etiam in Deum reverentiam Socrates habuerit, ut ei videlicet omnia nostra tribuerit, atque adscripserit bona, maximè ea quæ ad percipiendæ veritatis attinent discretionem, ipsemet profitetur, cujus persona in Timæo Platonis introducta, ut supra quoque meminimus, omnem intelligentiam & rationem in omni veritate discutienda à Deo simplici obsecratione petendam censet : in tantum ut eos omnes pro furiosis & inexpiandis habeat, qui in omnibus rectè agendis divinam non invocent opem. In quo apertè se nihil ex se posse, sed ex divinæ beneficio gratiæ protestatur. Audiant saltem philosophorum consilium hi qui se philosophos profitentur. Audiant magistros suos qui contemnunt sanctos, ut si videlicet cupiunt Deum intelligere, velint ad intelligendum se bene vivendo præparare, & viam * humanitatis arripere, qua sola ad celsitudinem illam intelligentiæ acceditur, numquam pervenitur quamdiu in hac mortali carne vivitur. *Corruptibile enim corpus aggravat animam, & deprimit terrena inhabtiatio sensum multa cogitantem.* Unde & Dominus Moysi quærenti faciem ejus videre respondit : *Non videbit me homo & vivet.* Ipsa quippe visio divinitatis ipsa est futura beatitudo, de qua dicit Apostolus : *Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et alibi : *In quem desiderant angeli prospicere.* Sed & cum dictum est, *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* ; tale est ne videndo fruatur, quia videre frui est. Tanta est enim illius gloriæ beatitudo, ut nemo eam videre queat, qui simul non sentiat. Unde & Psalmista, *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* Tunc quidem implebitur quod ipsa sapientia Dei promittit dicens : *Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum.* Nisi enim se ipse Deus manifestet, nec tunc natura nostra eum videre sufficiet ; nec nunc mortales omni spurcitia peccatorum pleni ratiunculis suis comprehendere incomprehensibilem nitantur, qui nec seipsos nec quantulæcumque naturam creaturæ discernere ratione sufficiunt. Quod etiam maximus ille sapientium considerans in Ecclesiaste profitetur dicens : *Cunctæ res difficiles, nec potest eas omnes homo explicare sermone.* Idem in eodem : *Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem, & proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole.* Item. *Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam & intelligerem distensionem quæ versatur in terra, & intellexi quod omnium operum Dei nullam possit invenire homo rationem eorum quæ fiunt sub sole, & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniet, etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Omnia hæc* [a] *tentavi in corde meo, ut* A *curiosè intelligerem.* Et item, *Cuncta tentavi in sapientia. Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis quantum erat & alta profunditas, quis inveniet eam?* Ac si aperte magnus ille Sapiens profiteatur, se in omnibus rerum naturis investigandis & ratione discutiendis insufficientem atque imbecillem reperiri, qui prius ad hoc se sufficere arbitrabatur, & summa præditus sapientia videbatur. Consule etiam ipsam Sapientiam, & attende quid de hoc ipsa consulat ; illam, inquam, quæ à quodam summo sapiente singularis & maxima prædicatur, ut magis divina quàm humana videatur, ubi scilicet in libro B Sapientiæ scriptum est, summo illo Sapiente ita dicente : *Mihi dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum quæ mihi dantur. Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, &* [b] *consummationes ipsorum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum. Et quæcumque sunt abscondita & improvisa didici.* Ecce quanta sit hæc sapientia, & quàm longè omnem C humanum exsuperet sensum. Sed attende quid in sequentibus & ipsa dicat. *Cogitationes*, inquit, *mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, & difficile æstimabimus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inveniemus cum labore. Quæ in cœlis sunt autem quis investigabit?* Ille, inquam, maximus ac studiosissimus naturæ indagator, cui incomparabiles opes, cui pacem ac sospitatem continuam, is quoque qui sapientiam ei largitus est contulit, ne qua fortè necessitatis sollicitudo, ne qua periculorum instan- D tia studium ejus præpediret. De hujus quidem sapientia ac studio liber tertius Regum sic continet : *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum ; & erat sapientior cunctis hominibus, & nominatus universis gentibus per circuitum. Locutus est quoque tria millia parabolas ; & fuerunt carmina ejus quinque millia ; & disputavit super ligna à cedro quæ est in Libano usque ad hysopum quæ egreditur de pariete, & disseruit de jumentis & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis regionibus terræ.* De E cujus etiam incomparabili divitiarum affluentia inter cetera eodem subscriptum est libro : *Sed & universa vasa, de quibus potabat rex Salomon, erant argentea, & universa suppellex domus saltus Libani de auro purissimo. Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis.* Item post pauca : *Fecitque ut tamen esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta lapidum & cedrorum præbuit multitu-*

Margin notes (left column): 1. Tim. 1. 5. — * f. humilitatis. — Sap. 9. 15. — Exod. 33. 20. — 1. Cor. 13. 12. — 1. Pet. 1. 12. — Ps. 16. 15. — Joh. 14. 21. — Ecclesf. 1. 8. — Ibid. 12. — Eccl. 8. 16. — [a]

Margin notes (right column): Eccl. 7. 24. — Sap. 7. 15. — [b] — Sap. 9. 15. — 3. Reg. 4. 30. — 3 Reg. 10. 21. — Ibid. 27.

(a) In libro Ecclesiastes legitur *tractavi*.

(b) In libro Sapientiæ *commutationes temporum*.

dinem, quasi sicomoros quæ nascuntur in campestribus. Miræ quidem opes Salomonis, mira opera quæ construxit, sed mirabilior sapientia, qua cùm modico præesset regno, tantas congregavit. Quem etiam per exorcismos quos invenit, seu per quasdam naturæ rerum vires occultas quas cognovit, dæmonibus quoque ipsis certum est dominari. Sic in octavo Judaicæ antiquitatis libro Josephus narrat, & seipsum id visu probasse perhibet, abstracto videlicet dæmonio per nares cujusdam quem vexabat, immisso anulo ipsius naribus, cui suberat radix Salomonis. Cum itaque tantæ excellentia sapientiæ cunctas res adeo difficiles esse intelligat, ut explicari sermone nullatenus possint, quasi illud philosophicum & ipse clamet, *Latet omne verum*, perpende quisquis es quanta præsumtio sit de eo, quod cuncta transcendit humana, discutere ratione, nec aliter acquiescere velle, donec ea quæ dicuntur, aut ex sensu aut ratione humana sint manifesta. quod est penitus fidem & spem tollere, cùm utramque de non apparentibus esse constet. Unde Ambrosius, si ratione convincor, fidem abnuo. Et Apostolus, *Fides*, inquit, *est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Et alibi: *Spes autem quæ videtur, non est spes. quod enim videt quis, quomodo sperat?* Ex quo liquidum est, tales omnium hominum miserrimos esse, qui tam fide quàm spe destituti, nec cum philosophis immortalitatem animæ credent, nec Deum remuneratorem bonorum expectabunt, toti sensuum experimentis dediti sicut pecora; & cum pecoribus suam ponentes sortem, quæ cùm carne penitus deficiunt, atque hic omnino moriuntur. Ad hæc quippe recipienda & credenda nec sensuum experimentis, nec humanis cogi rationibus poterunt, sed sola auctoritate sunt conducendi. Quod si ex auctoritate his acquiescunt quibus tamen ratione satisfieri non potest, cur de Deo ista reprobant quæ tot testimoniis tantorum comprobata sunt sapientium? Scimus omnes in his quæ ratione discuti possunt, non esse necessarium auctoritatis judicium. Id quoque pro ratione satis esse debet, ut qui cuncta longè transcendit per omnia, humanæ discussionis atque intelligentiæ vires excedat, & quod capi non potest loco, humano non comprehendatur animo. Quæ etiam major indignatio fidelibus habenda esset, quàm eum se habere Deum profiteri, quem ratiuncula humana possit comprehendere, aut mortalium lingua disserere? Hoc autem nec ipsos latuit philosophos, quorum maximus in Timæo suo ait: Opificem genitoremque universitatis tam invenire difficile est, quàm inventum impossibile est profari dignè. Qui etiam cùm Noyn ex Deo natam esse assereret, id explicare non præsumsit, quod inexplicabili modo esse cognovit atque professus est, sed tantum de ineffabili illa generatione dixit, quantum voluntas divina permisit. Qui etiam, teste Macrobio, quid sit Deus dicere non est

Hebr. 11. 1. Rom. 8. 24.

A ausus: hoc solum de eo sciens, quod sciri qualis sit ab hominibus non possit: qui nec ab ipsis spiritibus cœlestibus majori sapientia præditis plenè cognoscitur. Unde Augustinus libro Quæstionum veteris & novæ legis. « Cherubim, inquit, & Seraphim non comprehendunt penitus quid Deus sit; quia nemo novit Patrem nisi Filius. Hermes quoque cùm de Filio Dei supra loqueretur adjunxit: Cujus nomen non potest humano ore narrari. Hinc » est enim quod merito Deum appellabat ignotum, quasi qui à paucis vel summis sapientibus intelligeretur aut crederetur, nec in communem vulgi veniret opinionem: cui B nec simulacrum juxta Macrobium, ausi sunt constituere: quem etiam, juxta philosophos, soli mundicordes & purgati animi conspicere possunt: de quo & Lucanus ait: Incerti Judæa Dei, hoc est absconditi atque ignoti: cujus quidem ignoti Dei aram magnus philosophus Dionysius Areopagita Paulo apostolo apud egregiam studiis civitatem Athenas legitur ostendisse. Hæc quidem, ni fallor, illa est ara misericordiæ, cui à supplicibus non immolabatur nisi illud Brachmanorum sacrificium, hoc est orationes & lacrymæ; cujus videlicet aræ & Statius in XII. meminit, di- C cens:

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deûm mitis posuit clementia sedem,
&c.

Quid ad hæc responsuri sunt professores dialecticæ, si illud ratione conantur discutere, quod præcipui doctores eorum perhibent explicari non posse? Irridebunt doctores suos, quia inspiratam sibi à Deo veritatem non tacuerunt: quam tamen ipsimet edisseri non posse profitentur, & tantò id venerabilius habuerunt, quantò amplius ipsum omnem humanæ intelligentiæ exsuperat sensum. Non pudebat eos profiteri se multa audire vel D etiam dicere, & vera profiteri, quæ non sufficerent differere. qui etiam adeo obscuritate ænigmatum gaudebant, sicut supra meminimus, ut in his quoque quæ facile possent edisseri, litteræ velamen obducerent, ne scilicet nuda vel aperta veritas ex facilitate intelligentiæ contemneretur. Unde & Macrobius in argumentum mysticarum locutionum philosophorum illud assumsit: quomodo Numenio philosopho irata per somnium apparuerint numina, ipsæque Eleusinæ deæ in habitu meretricio visæ sint ei ante lupanar consistere, & querentes ab ipso se adyto pudicitiæ E per eum vi fuisse abstractas, eo videlicet quòd de eis ille aperta sit interpretatus expositione; & non sicut alii de eis mysticè & involutè sit locutus. O utinam vel per somnium & isti, qui se philosophos profitentur, à præsumtione sua compescerentur, ut veri & summi numinis incomprehensibilem majestatem esse non negarent, nisi eam apertè discuti audirent. Sed fortasse, inquiunt, quid eam veritatem dici attinet

Macrob. l. 1. in Somn. Scipion. c. 2.

Gregorius in Pastorali: Sunt nonnulli

ab aliquo, quam ipse non valet explicare, ut intelligi possit? Multum equidem respondeo. Cùm enim auditur de Deo quod non intelligitur, excitat auditorem ad inquisitionem: quod nec fieret nisi audiretur. Inquisitio vero facilè intelligentiam parit, si devotio adsit. Cui se Deus revelare dignetur, & sæpe quod divina inspiratione dicitur, vel divina operatione geritur, non ad opus eorum fit, per quos agitur, sed ad commodum aliorum intenditur, sicut de miraculis supra meminimus. Aliis itaque dicendi gratia data est, aliis intelligendi reservatur, quousque opus sit secundùm divinæ consilium providentiæ, & aliquorum sincera devotio tum orationibus tum bonis operibus id promeruerit. Interim autem dum ratio latet, satisfaciet auctoritas, & ea notissima atque maxima propositio de vigore auctoritatis in ipso corpore artis à philosophis tradita conservetur; QUOD OMNIBUS, vel pluribus, vel doctis videtur hominibus, ei contradici non oportere. Credi itaque salubriter debet quod explicari non valet, præsertim cùm nec pro magno habendum sit, quod humana infirmitas disserere sufficit, nec pro fide reputandum, quod de manifestis recipimus humana compulsi ratione, nec apud Deum meritum habet, in quo non Deo creditur qui in sanctis loquitur, sed ratiunculis humanis quæ frequenter falluntur, & vix deprehendi possunt quando sint rationes. Unde Gregorius in homilia xx. super Evangelia, Sciendum, inquit, nobis est, quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Ad hoc & illud Ambrosii occurrit consilium de fide ad Gratianum imperatorem scribentis his verbis: Mihi impossibile est generationis scire secretum, supra potestates, supra angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est. Scrutari non licet superna mysteria, licet scire quod natus, non licet discutere quemadmodum. Item idem: Credere jussum est, non discutere permissum. Ac rursus adjecit: Mysterium Patris nec angeli potuerunt comprehendere. Hinc & B. Augustinus de fide Symboli ad Laurentium papam scribens inter cetera ait: Propheta dicit: *Nisi crediderites, non intelligetis.* Item in eodem: Quomodo sanè Deus Pater genuerit Filium nolo discutias, ne te curiosius inferas in profundi hujus arcanum, ne fortè dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum quod mortalibus divino munere concessum est perdas aspectum. Unde &

S. Greg. Hom. 26. in evang.

Isa. 7. 9.

qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpe in quibusdam inquisitionibus plusquam necesse est se exercentes ex nimiâ subtilitate falluntur. Unde hic quoque subditur, vel grandi vel torto naso. Nasus enim grandis & tortus est discretionis subtilitas immoderata: quæ dum plus quā decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit.

A illa comminatio Sapientis seu consilium, *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Et Hieronymus super Jeremiam libro VI. Quid sibi, inquit, in loco hoc voluerit Editio Vulgata possem dicere, & sensum aliquem reperire, nisi de verbis Dei humano sensu argumentari esset sacrilegium. Rursus de Baptismo parvulorum Augustinus, Ubi, inquit, de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in alteram partem declinando. Ad extremum illud nobis opponendum arbitror, ut dicere illi tales velint, se non ideo fidem B nostram reprobare, quia probari vel disseri non valet, sed magis quia defendi non potest, cùm eam penitus manifestæ rationes stare non permittant. A quibus id requirendum puto, quid de magistris suis censeant, qui hoc docuerunt, nec falsa esse deprehenderunt. Scimus quidem à solo Boetio omnium argumentationum, quibus nunc utimur traditum esse documentum, & omnium argumentorum vires ab ipso nos didicisse. Scimus & ipsum de Fide Trinitatis diligenter ac phi- C losophicè juxta decē prædicamentorum distinctionem disseruisse. Arguent magistrū ipsum rationum, & dicent eum in rationibus oberrasse, quas tamen sese ab eis gloriantur didicisse. Non animadvertit magister quod animadvertunt discipuli, quibus scilicet rationibus id quod arguebat impugnari posset? Ignosco tam manifestæ talium impudentiæ. quantumD libet jam detrahant nobis qui nec parcere noverunt suis, dummodo simplicitatem fidelium non perturbent, & eisdem laqueis sophismatum, quibus jam ipsi abstracti sunt, in suam alios foveam non trahant. quod ne fortè eveniat, unum superest adversus hanc pestem à Domino petere medicamentum, ut eorum ipse machinamenta dissipet, qui crebro argumentorum suorum ariete verum ipsius templum dissolvere conantur.

Prov. 25. 27.

Augustinus libro II. contra Maximum: Distinguere inter illam generationem & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio, quia & illa & ista est ineffabilis, sicut propheta de Filio ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* Ita de Spiritu-sancto verissimè dicetur, Processionem ejus quis enarrabit?

Isa. 53. 8.

Cùm itaque talium importunitas corrixariorum, neque sanctorum, neque philosophorum auctoritate compesci possit, nisi humaE nis rationibus eis resistatur, qui humanis rationibus invehuntur, decrevimus & nos stultis secundùm stultitiam suam respondere, & eorum impugnationes ex ipsis artibus, quibus nos impugnant, conquassare. Nam & divino fretus auxilio parvulus David immensum ac tumidum Goliam proprio ejus gladio jugulavit; & nos eodem dialecticæ gladio, quo illi animati simplicitatem nostram impugnare nituntur, in ipsos converso, robur eorum

ariesque argumentorum suorum in Domino dissipemus, ut jam minus simplicitatem fidelium aggredi præsumant, cum de his confutati fuerint, de quibus præcipuè impossibile eis videtur responderi, de diversitate scilicet personarum in una & individua penitus ac simplici divina substantia, & de generatione Verbi, seu processione Spiritus. De quo quidem nos docere veritatem non promittimus, ad quam neque nos aliquem sufficere credimus; sed saltem aliquod verisimile, atque humanæ rationi vicinum, nec sacræ fidei contrarium, proponere libet adversus eos, qui humanis rationibus fidem se impugnare gloriantur, nec nisi humanas curant rationes quas noverunt, multosque facile assentatores inveniunt, cùm fere omnes animales sint homines, ac paucissimi spirituales. Sufficit autem nobis quocumque modo summorum inimicorum nostrorum robur dissipare, præsertim cùm alio modo non possimus, nisi has quas noverunt rationes ex ipsorum artibus afferamus. Absit enim hoc ut credamus Deum, qui malis quoque ipsis bene utitur, non bene etiam omnes artes, quæ ejus dona sunt, ordinare, ut hæ quoque ejus majestati deserviant, quantumcumque male his abutantur perversi, unde & B. Augustinus .... Doctores ecclesiastici sæculares quoque artes, ipsam præcipuè dialecticam, sacræ Scripturæ admodum necessarias perhibent. His contra adversarios prælibatis ad propositum festinemus illo prius à nobis commemorato atque constituto, ne si in tanta obscuritate ratio caligaverit, quæ magis religione, quàm ingenio conspicitur, aut tot & tantis subtilissimis inquisitionibus parvitas nostra non suffecerit, aut etiam victa succubuerit, ne ob id, inquam, culpare aut reprehendere fidem nostram præsumant, quæ minus in se non valet, si quis in differendo eam deficiat. Nemo etiam mihi præsumtioni imputet, si quod aggressus sum non perfecero; A sed piæ ignoscat voluntati, quæ apud Deum sufficit, si facultas desit. Quidquid itaque de hac altissima philosophia differemus, umbram non veritatem esse profitemur, & quasi similitudinem quamdam, non rem. Quid verum sit, noverit Dominus; quid autem verisimile ac maxime philosophicis consentaneum rationibus, quibus impetitur, dicturum me arbitror. In quo quidem si culpis meis exigentibus à catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione, ignoscat ille mihi qui ex intentione opera dijudicat, parato semper ad omnem satisfactionem de maledictis vel corrigendis vel delendis, cum quis B fidelium vel virtute rationis vel auctoritate scripturæ correxerit. Scio namque quod scriptum est, *Corripiet me justus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Ps. 140. 5. Et in Proverbiis: *Via vitæ increpatio disciplinæ. qui autem odit increpationes insipiens est.* Prov. 6. 23. Et iterum: *Qui custodit increpationes, astutior fiet, & qui increpationes odit, morietur.* Ibid. 15. 5. Et rursum: *Non amat pestilens eum qui se corripit. Si autem corripuerit sapientem, intelliget disciplinam.* Ibid. 19. 26. Item: *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus.* Eccl. 29. 1.

* Ita in mss. sed hæc subjicienda videntur verbis Augustini in altera columna relatis.

* Qui & alibi suo instruit exemplo nonnumquam ad rationes, cum de divinis agitur, transmeare, ubi videlicet cum illis conferimus, qui sacras non admittunt »auctoritates. Unde in »libro de Moribus Ec»clesiæ contra Mani»chæos cap. 11. ait: »Unde igitur oriar, »ab auctoritate, an à »ratione? Naturæ qui»dem ordo ita se ha»bet, ut cùm aliquid »discimus, rationem »præcedat auctoritas. »Nam infirma videri »ratio potest, quæ »cùm reddita fuerit, »auctoritatem postea »per quam firmetur »assumit. Sed quoniã »cum his nobis res »est, qui omnia con»tra ordinem & sen»tiunt, & loquuntur, »& gerunt; nihilque »aliud maxime di»cunt, nisi rationem »prius esse redden»dam, morem illis »geram; quod fateor »in disputando vitio»sum esse suscipiam. »Rationem igitur »quæramus quemad»modum sit homini»bus vivendum, &c.

C Primum autem ponendum est totius nostræ disputationis thema, & summa fidei breviter concludenda, de unitate scilicet divinæ substantiæ ac trinitate personarum, quæ in Deo sunt, immo Deus unus sunt. Deinde objectiones adversus proposita, denique solutiones adversus objecta subjiciemus. Tenet itaque christianæ fidei religio, tenet, & incommutabiliter, & credit salubriter, asserit constanter, profitetur veraciter, unum Deum tres personas esse, Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum. Fides SS. Trinitatis in quo consistat. Unum, inquam, tantummodo Deum, ac nullo modo plures deos; unum creatorem omnium * tam visibilem quam invisibilem, D unum principium, & unum bonum, unum dispositorem omnium & Dominum, unum æternum, unum omnipotentem, unum immensum; ac per omnia solam prædicat & credit singularitatem unitatis, excepto quod ad trium personarum attinet discretionem, id est Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. In quibus videlicet personis solummodo pluralitatem ac multitudinem seu diversitatem profitetur, cùm in ceteris omnibus, ut dictum est, unitatem conservet. Tres quippe personas dicimus ab invicem suis proprietaE tibus diversas, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, sed non tres Deos aut Dominos, & sic unitatem per omnia profitemur, excepta multitudine personarum, licet unaquæque harum personarum non sit aliqua aliarum, & unaquæque in seipsa sit Deus plenus aut Dominus: ita ut juxta B. Hieronymi assertionem de fide scribentis ad Damasum Papam, exceptis vocabulis quæ proprietatem personarum indicant, quicquid de una persona dicitur, de tribus dignissimè

* f. tam visibilium quàm invisibilium.

possit intelligi. Neque enim Pater est Filius, aut Spiritus-sanctus, nec ipse est Spiritus-sanctus. Sed Pater est Deus, & Filius Deus, & Spiritus Deus. nec ideo tres dii sunt aut plures, sed unus solummodo Deus in tribus personis æternaliter atque incommutabiliter consistit. Sic & unus creator & unus Dominus, & ita in ceteris. Nec refert ad veritatis enuntiationem sive unum Deum dicamus de singulis tribus personis, sive de eis simul, cum æque & unaquæque ipsarum trium sit unus & idem Deus cum duabus aliis, & tres simul, hoc est ipsa Trinitas sit unus Deus, unus Dominus, &c. Est itaque harum trium personarum una & eadem omnino substantia, & individua penitus & simplex essentia, una prorsus potentia, una gloria, una majestas, una ratio, una voluntas, eadem operatio, non divisa. Unum atque idem per omnia ipsæ sunt, excepto quod ad differentiam attinet proprietatum, per quas ipsæ ita ab invicem perpetuò diversæ consistunt, ut numquam unius personæ proprietas in aliam transfundatur personam, neque umquam ab altera communicetur persona: alioquin non esset proprietas, sed communitas. Proprium autem Patris à se ipso tantum non ab alio esse, & coæternum sibi Filium æternaliter gignere, vel genuisse. Filii verò proprium est à solo Patre æternaliter gigni, seu genitum esse [Spiritus-sancti proprium est procedenem esse à Patre & Filio], non creatum, non factum, non genitum, sed procedentem tantum. Et hæc quidem est trium personarum ab invicem discretio, juxta proprietates singularum.

* Inclusa parenth: si desunt in ms. sed debent necessariò restitui.

Quædam itaque sic de Deo dicuntur, ut de una tantum trium personarum & non de pluribus earum dici possint: & rursus quædam ita de pluribus personis dici possunt, ut de eis tam divisim quàm conjunctim dicantur, hoc est de eis singulis & de eis simul; quædam verò conjunctim tantum. Verbi gratia Pater, & generans, sive ingenitus de solo Patre dicuntur, quamvis etiam & Spiritus-sanctus, cùm non sit genitus, sit ipse quoque non genitus, non tamen & ipsum consuevimus dicere ingenitum, sed solum Patrem, ut tale sit hoc loco dicere ingenitum, ac si eum esse non ab alio, sicut priore libello prætaxati sumus. Est itaque hoc loco aliqua differentia dicere ingenitum, & dicere non genitum; sicut aliqua est differentia dicere injustum & dicere non justum: quippe quod injustum est necesse est esse non justum, sed non è converso. Lapis namque non justus sicut & non rationalis, nec tamen injustus dicitur aut irrationalis. Illa quippe infinita sunt sive abnegative nomina, hæc privatoria. Augustinus tamen de Trinitate libro v. Ingenitum hoc nomen abnegativè pro non genito ponit, ubi videlicet capite VII. de divinis similiter differit personis his » quidem verbis: Quod ergo dicitur ingenitus, » hoc ostenditur, quòd non sit Filius; sed genitus & ingenitus commodè dicuntur. Filius « autem latinè dicitur; sed infilius ut dicatur, « non admittit loquendi consuetudo. Nihil ta- « men intellectui demitur, si dicatur non Fi- « lius, quemadmodum etiam si dicatur, non « genitus pro eo quod dicitur ingenitus, nihil « aliud dicitur. Item, Non ergo jam dicemus « ingenitum, quamvis dici latinè possit; sed « pro eo dicamus non genitum, quod tantum « valet. Non ergo aliud dicimus, quàm non « Filium. Item, Ingenitus porro quid est nisi « non genitus? Sicut enim genitus non ad seip- « sum dicitur, sed quod ex Patre sit; ita cùm « dicitur ingenitus non ad seipsum dicitur, « sed quod ex genitore non sit ostenditur. Ex « his itaque liquet Augustinum hoc loco Ingenitum largè pro non genito dicere: nisi fortè diligens lector hoc ad hypothesim per consensum potius deflectat, quàm ad veritatis assertionem, ut, quemadmodum supra jam adstruximus, Pater & Generans sicut Ingenitus tantùm de solo Patre dici liceat; [a] non etiam non genitus solo Filio, & Spiritus-sanctus seu Procedens à Patre & Filio de solo Spiritu-sancto. At verò Deus, Dominus, Creator, Omnipotens, Immensus, Æternus, Principium, Vita, Lumen, & quæcumque ad divinæ naturæ dignitatem attinent, non ad personarum significantiam, tam de singulis personis, quàm de eis simul dicenda sunt. Trinitas verò de tribus tantummodo personis simul & conjunctim dicitur, non divisim de una earum, vel de duabus per se, sed de tribus tantum. Neque enim Pater est Trinitas, hoc est tres personæ simul, una tantùm; Deus tantum ipse Trinitas est, & Deus ipse Pater, nec tamen ideo Pater est Trinitas. Sic nec Filius nec Spiritus-sanctus Trinitas dici potest, sed una tantùm in Trinitate persona. Pater itaque & Filius & Spiritus-sanctus propria sunt nomina singularum personarum; & Trinitas trium simul proprium est nomen; Deus verò & Dominus & cetera suprapposita communia sunt tam singulis personis, quàm toti Trinitati. Unum verò nomen est quod singulis personis & non eis simul commune est. hoc videlicet nomen Persona, quod in ceteris minime reperies. Non ergo mirum si & id solitarie hoc nomen possideat, ut ipsum solum ex communibus personarum nominibus pluraliter efferatur. Plures quippe personas dicimus, quia tres personas prædicamus; sed non plures Deos aut Dominos, licet unaquæque trium personarum in se ipsa Deus sit & Dominus, nec ullo modo una persona sit alia. Plures itaque personæ dicuntur, sed diversitate proprietatum, quas superius singulis personis assignavimus. Plures autem Deos aut Dominos si diceremus; aut cetera nomina, quæ substantialiter magis de Deo dicuntur, quàm relative, hoc est ad seipsum & non ad alium

Differentia inter ingenitum & non genitum.

(a) Hic videtur aliquid deesse, sensusque exigit ut dicatur, *sic etiam Filius & genitus de solo Filio*, aut quid simile.

sicut est Magnus, Bonus, & simul pluraliter efferremus multitudinem diversarum rerum & numerum substantiarum essentialiter diversarum, quare unaquæque Deus & Dominus esset, & magna sive bona explicaremus. Unde Augustinus de Trinitate lib. v. » cap. VIII. Quapropter illud præcipuè teneamus, quicquid à se dicitur divina sublimitas, substantialiter dici: quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relativè; tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu-sancto, ut quicquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Item, Quicquid ergo ad seipsum dicitur Deus, & de singulis personaliter dicitur, & simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Quoniam quippe non est aliud Deo esse, & aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quod magnum esse. Propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines. Una quippe tantum & eadem res est in singulis personis una & individua penitus substantia, atque omnino simplex essentia, cui tres illæ insunt proprietates, secundùm quas personarum consistit diversitas, non aliqua in rerum numero multitudo, cùm sit una tantum res singularis atque omnino indivisibilis. Unde sanctam & individuam dicimus Trinitatem, cùm nulla in ea sit multitudo rerum, sed sola diversitas proprietatum. Constat itaque tres personas sibi per omnia coæquales, sicut & coæternas esse, quia nullam dignitatis differentiam habere possunt, quarum eadem penitus essentia singularis & individua. Constat ex hoc quoque nullam trium personarum ab alia substantialiter esse diversam, vel etiam secundùm numerum rerum esse discretam, sed tantummodo proprietate sua diversam esse unam ab alia, non autem substantia dissimilem aut numero, ut Arrius putat. Unde est illud Ambrosii de fide ad Gratianum libro II. Apostolus dicit imaginem Patris esse Christum. Arrius dicit esse dissimilem; & vult ut pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens qui generare sibi similem non potuerit. Item, Imago docet non esse dissimilem. Non est itaque Pater aliud quàm Filius vel Spiritus-sanctus, aut Filius quàm Spiritus-sanctus, nec in numero divisus. Non est, inquam, aliud in natura, cùm unaquæque trium personarum sit eadem penitus divina substantia; sed alius est in persona, alter ab altero, id est in proprietate sua diversus ab alio, cùm hic non sit hic qui ille, sed hoc ipsum quod ille; nec alter alterius proprietatem communicet, ut supra meminimus: alioquin personas sibi permiscendo confunderemus. Sed nec Socrates cum sit à Platone numero diversus, hoc est ex discretione propriæ essentiæ ab ipso alius, ullo modo ideo ab ipso aliud dicitur, hoc est substantialiter differens, cùm ambo sint ejus naturæ secundùm ejusdem speciei convenientiam, in eo scilicet quod uterque ipsorum homo est; atque ideo nulla substantiali differentia disjuncti sunt, ut hic aliud sit quàm ille ex diversæ speciei substantia: Sed aliud, ut dictum est, in persona, ex discretione scilicet propriæ substantiæ. Multo minus ergo aliqua trium personarum, quæ in Deo sunt, dicenda est aliud ab alia, quarum unica est penitus substantia singularis, nullam partium aut formarum diversitatem recipiens. Quippe quod partibus constat, ipsis partibus naturaliter posterius est ex quibus constituitur, & ad esse perducitur, & suum esse contrahit. Hilarius super psalmum *De profundis*: Nulli etiam fidelium dubium esse arbitror, divinam substantiam sicut partium constitutione, ita etiam ab omni proprietatis informatione alienam, ut videlicet in ea nihil esse possit, quod non sit ipsa. Unde Augustinus in XII. de Civitate Dei disputans de simplicitate ac sinceritate divinæ substantiæ ait: Non propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia est pater in ea solus, aut Filius solus, aut solus Spiritus-sanctus, aut sola est ista nominis Trinitas sine subsistentia personarum, sicut Sabelliani putaverunt. Sed ideo simplex dicitur, quia hoc est quod habet, excepto quod relativè quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius; & Filius Patrem, nec tamen est Pater. In quo verò ad semetipsum dicitur, non ad alterum; hoc est quod habet, sicut ad semetipsum dicitur vivus, habendo utique vitam, & eadem vita ipsa est. Propter hoc utique natura hæc dicitur simplex, quod non sit aliud habens, aliud quod habet sicut in ceteris rebus. Neque enim vas habens liquorem, liquor est; nec corpus color, nec aer lux sive fervor, nec anima sapientia est. Hinc est quod etiam privari possunt rebus quas habent, & in alios habitus verti atque commutari. Idem in VII. Confessionum ad Deum loquens, ait: Ne cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major, quàm potentia. Esset autem major, si te ipso tu ipse major esses. Item, Voluntas & potentia Dei Deus ipse est. Boëtius quoque in libro de Trinitate cùm de summa illa unitate divinitatis loqueretur, in qua non partium nec formarum potest esse diversitas. Quocirca, inquit, hoc verè unum, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id quod est. Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est, formæ vero subjectæ esse non possunt. Formam itaque Boëtius hoc loco dixit divinam substantiam secundùm hoc quod nullarum formarum sustentamentum est.

Aug. de Civit. Dei l. 11. c. 10.

Bene autem omnium Theologorum auctoritas divinam substantiam simplicem omnino esse astruxerit, hoc est ab omni accidente, ab omni formæ participatione immunem, ut nihil scilicet in Deo sit, quod Deus non sit. Omne quippe quod naturaliter existit, aut æternum est, ut Deus; aut cœpit ab eo summo Principio quod Deus est, ducens exor-

dium: A se quippe nihil est, præter illud à A quo sunt omnia. Unde [a] Gennadius de Orthodoxa fide capite XI. Satis est, inquit, christiano rerum creatarum causam nonnisi credere bonitatem creatoris; nullamque esse naturam quæ non aut ipse sit, aut ab ipso. Naturam, ut arbitror, sive rem naturalem dicit, quæ ad humanæ operationis efficaciam non attinet. Nam peccatum & idolum nostra magis dicenda sunt opera, quàm naturæ. Unde Apostolus, *Scimus*, inquit, *quoniam nihil est idolum in mundo*, hoc est non est idolum de universis creaturis Dei, neque ad res naturales, & ad ipsa naturæ opera pertinet, B quæ de mundo esse dicuntur, sed ad nostram formationem. Unde & vilius hoc ipsum apparet quod dicitur idolum, quàm quod dicitur lignum; cùm illud factitium sit, hoc naturale. Si itaque potentia Dei, sive sapientia, aut etiam pars aliqua, seu aliud aliquid in Deo sit quod Deus non sit, utique ab ipso incœpit, à quo sunt omnia: quod si incœpit aut potentia ejus aut sapientia, profectò ipse qui æternus est extitit absque istis, ut videlicet non semper aut potens fuerit aut sapiens, donec scilicet ipse * imp.... in seipso potentiam cr... aut adhuc insipie... sapientiam sibi credidisset. Quæ cùm fecerit absque discre- C tione sapientiæ, quippe quam nondum habebat, utique nonnulla ejus opera irrationabilia sunt. Si quis autem dicat qualitates in Deo sic esse, ut nec Deus sint, nec à Deo factæ, sed in Deo æternaliter permanentes, atque ipsi divinæ substantiæ, in qua sunt, coæternas esse: quærendum restat, utrum ei substantialiter atque accidentaliter insint. Si autem substantialiter, ut scilicet divinam substantiam conficiant; profectò ipso Deo naturaliter priores videntur, cui esse conferunt, sicut rationalitas homine prior dicitur, quia ejus scilicet constitutiva est forma, atque in ipsa ejus constitutione pars quædam formalis D est, cujus conventu ad substantiam animalis, quasi ad materiam, homo ipse perficitur. Nec refert etiam ad constitutionem quæ ex materia venit & forma, sive sapientia quæ inest Deo sit ei substantialis sive accidentalis, dummodo sit forma aliqua in Deo & res diversa ab ipsa divina substantia. Similiter enim homo albus vel corpus album ex homine vel corpore & albedine constat ad similitudinem materiæ & formæ, sicut ærea statua ex ære & compositione: atque eadem ratione oportet concedi quod Deus sapiens ex ipsa divinitatis substantia & sapientia constitueretur; si videlicet sapientia in Deo res alia esset à Deo, E cujus conventu ad substantiam ipsam Deus sapiens esset, duabus invicem convenientibus rebus: ac per hoc Deum sapientem quoddam esse totum ex materia & forma compositum, ipsamque materiam ac formam, ex quibus conficitur, principium sui habere. Quis etiam dicere præsumat aliquid Deo per accidens

[a] Gennadius. — 1. Cor. 8. 4. — * f. Impotens in seipso, potentiam creasset, aut adhuc insipiens, sapientiam sibi condidisset. — In Deo nullum accidens.

(a) Hic locus non reperitur apud Gennadium, sed apud Augustinum Enchiridii cap. 9.

posse inesse, & ipsum quoque accidentibus esse subjectum: quod omnium tam philosophorum quàm catholicorum anathematizat auctoritas? Unde Augustinus de Trinitate libro V. capitulo VIII. « Accidens dici non solet, nisi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti potest. Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amissibile. Quamobrem nihil in eo secundùm accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundùm substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia & ille semper Pater, & ille semper Filius. Quod si aliquando esse cœpisset, aut aliquando esse desineret Filius, secundùm accidens diceretur. Si verò quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium; secundùm substantiam diceretur. » Præterea philosophi accidentia determinant esse posterioris generis & adventitiæ naturæ. Unde & Porphirius, proprium quoque ipsum, quod in natura speciei insitum esse videtur, posterius specie naturaliter esse confirmat, eo scilicet quòd substantiam speciei minimè conficiat, sicut substantiales, id est specificæ differentiæ. Ait enim: « Species ante subsistit, quàm proprium; proprium verò postea fit in specie. Oportet enim hominem esse, ut sit risibile. » Qui etiam cùm accidens generaliter definiret dicens: « Accidens est quod adest & abest præter subjecti corruptionem », patenter docuit omne accidens subjecto tam adesse quàm abesse posse præter corruptionem ipsius subjecti. At vero quomodo Sapientiam Dei in ipso, vel posterioris generis, vel adventitiæ naturæ dicemus esse, aut eam ei præter corruptionem posse abesse, cùm nullo penitus modo ei possit abesse? Omnino enim Deum necesse est esse sapientem, nec ullo modo aut non esse potest, aut non esse sapiens, aut aliquam suscipere corruptionem, ut ei aliquid accidere possit. Quippe cùm definitur accidens quod adest & abest præter subjecti corruptionem, patenter innuitur, accidens non inesse nisi corruptibili rei, quæque videlicet possit non esse, aut corrumpi; ut tale sit, ac si ita dicatur: Accidens est forma corruptibilis rei, sine qua illa res & esse & non esse potest præter corruptionem, id est egressum à substantia, quam per illam formam incurrat. Tale quippe est quod ait, præter corruptionem subjecti, ac si apertius dicat, quòd earum corruptionem, quas pati potest subjectum, nullam per adventum vel recessum hujusmodi formæ incurrit. De quo alibi plenius nobis disserendum fuit. Non itaque sapientia in Deo vel substantialis ei forma vel accidentalis, immo Sapientia ejus ipse Deus est. Idem de potentia ejus sentiendum est, & de ceteris quæ ex nominum affinitate formæ esse videntur in Deo quoque sicut in creaturis. His itaque rationibus patet divinam substantiam omnino individuam, omnino informem perseverare, atque ideo eam rectè perfectum

Aug. l. 5. de Trin. c. 4.

fectum bonum dici, & nulla alia re indigens, A sed à seipso habens, non aliunde quod habet accipiens. Creaturæ autem quantumlibet bonæ, adjunctione egent alterius, ex qua quidem indigentia imperfectionem suam profitentur. Virtutes quippe quæ animam bonam faciunt, subjecto indigent quo sustententur; quia pietas esse non poterit, si non habeat fundamentum in quo sit. Ipsa autem anima ut bona sit, virtutum indiget ornamentis. De hac etiam informitate ac sinceritate seu simplicitate divinæ substantiæ Boëtius in eo quem de Trinitate componere libro dicitur, » ait: Quod non est hoc atque hoc, sed tan- » tum est hoc, illud vere est, id quod est, & B » hoc fortissimum quod nullo nititur. Quocirca » hoc est verè unum in quo nullus numerus, » nullum in eo aliud præter id quod est. Qui etiam ibidem statim ipsam divinam substantiam, in eo quod nullis accidentibus subjecta est, tamquam sustentamentum, sicut sunt ceteræ substantiæ, formam potius quàm substantiam nominat, ut jam supra meminimus. quam rursus in sequentibus substantiam quæ sit ultra substantiam esse profitetur, nec propriè secundùm usitatam significationem sub- » stantiæ dici substantiam his verbis: Substan- » tia in illo non est vere substantia, sed ultra » substantiam est, cùm dicimus, inquit, *Deus*, » substantiam quidem significare videmur, sed C » eam quæ sit ultra substantiam. Cum verò *Ju-* » *stus*, qualitatem quidem, sed non accidenta- » lem, sed eam quæ sit substantia & ultra sub- » stantiam. Item, cùm dicimus *Magnus*, vel » *Maximus*, quantitatem quidem significare vi- » demur, sed eam quæ sit ipsa substantia talis » qualem esse dicimus ultra substantiam. Sic ergo Boëtius Deum propriè dici substantiam negat, quæ sit scilicet accidentium sustentamentum. Ita & proprietates quæ ipsi divinæ substantiæ insint, accidentia sive formas substantiæ dici non convenit; sed tam accidens hoc nomen, quàm forma & novem prædicamentorum nomina, quæ his duobus inclu- D duntur, propriè in rebus tantum creatis ac- » cipiuntur. Unde & Boëtius in eodem cum » ait, Substantia in illo non est vere substan- » tia, sed ultra substantiam, adjecit statim, » Item qualitas & cetera quæ evenire queunt, » hoc est quæ possunt accidere, ut scilicet ac- » cidentia dicantur, in ipso verè non sunt. Cum itaque divina substantia singularis prorsus & unica sit, in qua tres personæ consistunt, ita ut unaquæque personarum sit eadem penitus substantia, quæ est & altera, nec ulla sit partium aut formarum diversitas illius simplicis E boni, multò minus hæc persona aliud ab illa dici potest, quàm Socrates à Platone; cùm videlicet trium personarum una sit singularis essentia; Socratis vero & Platonis non sit eadem essentialiter substantia, sed magis discretæ eorum substantiæ: ita quidem ut hæc essentia Socratis non sit illa Platonis. At vero eadem essentia quæ est Patris, eadem penitus est Filii; eadem etiam prorsus est Spiritus-sancti. Nec minus tamen Pater alius est, id est diversus in persona à Filio sive à Spiritu-sancto; necnon & Filius à Spiritu-sancto; cùm hic non sit ille, licet sit illud quod ille. Magna autem & subtilissima discretio hic adhibenda est, ut nec identitas singularis substantiæ, & individua unitas essentiæ impedimento sit diversitati personarum, & cum Sabellio oberrantes unam tantùm profiteamur personam, sicut unum Deum: nec diversitas personarum impedimento sit singularitati substantiæ, & in foveam Arrii corruentes, tres asseramus Deos, sicut & tres personas; sed simul & unus omnino in singularitate substantiæ sit Deus, & totus ipse sit in trium personarum discretione. Quo in loco gravissimæ & difficillimæ Dialecticorum quæstiones occurrunt. Hi quippe ex unitate essentiæ Trinitatem personarum impugnant: ac rursus ex diversitate personarum identitatem essentiæ oppugnare laborant. Horum itaque objectiones primum ponamus, postea dissolvamus.

Deus ultra substantiam.

Aut enim, inquiunt, hæc diversitas personarum in solis vocabulis consistit, non in re, ut videlicet vocabula tantum diversa sint, & nulla sit in Deo rei diversitas: aut in re sola, & non in vocabulis: aut simul & in re & in vocabulis. At verò si alterum horum auferri poterit, non remanebit utrumque. Quod si ad vocabula respiciamus, jam non est Trinitas personarum æterna, cùm ipsa impositio nominum ab hominibus facta sit. CAP. I.

1. Objectio adversus Trinitatem

Præterea si ad numerum vocabulorum hæc distinctio personarum sit accipienda; multò plures personas confiteri quàm tres nos oportet, quia multa sunt & alia divinæ substantiæ nomina, sicut hoc nomen Deus, vel Dominus, vel Æternus, vel Immensus, vel Creator, & alia infinita nomina. II.

Sin autem hæc diversitas personarum, magis accipienda sit in ipsa re quàm in vocabulis, in Deo autem nihil est in re præter singularem substantiam, & individuam, & informem, quis dubitet Trinitatem accipi secundùm substantiæ unitatem, ut & trinus sit in substantia dicendus Deus? III.

Aut si idem penitus in Deo substantia sit & personæ, ut videlicet nihil aliud substantia sit quàm personæ, vel personæ quàm substantia; numquid si unus est Deus in substantia, unus est & in personis; aut si trinus sit in personis, trinus & in substantia? IV.

Quomodo etiam tres personæ sunt ubi nullo modo tria sunt? Aut quomodo tria sunt si multa non sunt? Aut quomodo multa esse possunt, si nulla sit rerum multitudo? At verò multitudo rerum esse non potest ex una tantum re, nisi videlicet ex pluribus constet partibus. Partes autem nullæ in ipso esse possunt, ut supra confirmavimus. quomodo ergo Trinitas ibi est, ubi nulla est multitudo? Omne quippe simile in aliquo dissimile est. Aut quomodo tres sunt, si multi non sunt? V.

Præterea quomodo dicitis, Talis Pater qualis Filius vel Spiritus-sanctus, si nulla sit per- VI.

sonarum similitudo, quarum nulla est multitudo? Omne quippe simile in aliquo dissimile est, & nulla est nisi in discretis rebus similitudo. Unde nemo hunc hominem & hunc album similes dicit, de eodem homine agens, cùm non sint ab invicem essentialiter discreti.

VII. Amplius cùm unumquodque quod existit aut substantia sit aut forma in substantia subsistens, sicut est albedo, vel pietas, vel quælibet res novem prædicamentorum, quomodo possunt esse aliqua multa, nisi aut substantiæ sint aut formæ, aut ex utrisque conjuncta?

VIII. Aut cùm Deus substantia sit, & hoc nomen Deus substantiæ sit, non personæ, hoc est propter naturam substantiæ, non propter personam distinguendam inventum, sicut est Pater & Filius, quomodo melius dicitur Deus trinus quàm substantia trina, vel quàm Pater trinus? Sicut enim una tantum substantia est, & unus pater: ita etiam unus tantum Deus, non plures.

IX. Trinus etiam Deus vel trina substantia quid aliud sonat, quàm tres dii, vel tres substantiæ? Quippe quid aliud est trina oratio, quàm tres orationes? vel bina percussio, quam duæ percussiones? Ad hæc fortasse & illud in oppositionem ducitur, quod Deum tripertitum Augustinus in Enchiridion capitulo XI. his verbis dicit: » Satis est christiano rerum creatarum causam nonnisi » credere bonitatem creatoris, qui est Deus » unus; nullamque esse naturam, quæ non aut » ipse sit, aut ab ipso, eumque[a] tripertitum, Pa- » trem scilicet, & Filium, & Spiritum sanctum. Quomodo enim, inquient, tripertitus est Deus, si partitus non est, aut partes habeat? Aut quomodo partitus est, nisi primum integer fuerit, aut postmodum divisus? Sed hoc quis adeo infidelis est, ut non anathematizet?

Aug. Euch. c. 9.

X. Quomodo etiam fieri potest, ut tres personæ ita ab invicem sint discretæ, ut hæc non sit illa, & unaquæque ipsarum substantia sit & Deus, & non sint ideo plures substantiæ vel dii? Quippe quid aliud est dicere plures substantias, quàm dicere plura, quorum unumquodque est substantia? Ipsum nempe plurale vocabulum nihil aliud est, quàm geminatio vel multiplicatio sui singularis, ut videlicet plurale multa simul nominet, quibus singillatim convenit singulare.

XI. Qua etiam ratione melius dicuntur tres personæ, quia unaquæque ipsarum persona est, quàm tres dii vel tres substantiæ, cùm unaquæque ipsarum Deus sit, sive substantia?

XII. Quod si ideo plures substantias vel plures Deos dici negemus, quia licet unaquæque personarum substantia sit sive Deus, nulla est unius personæ differentia ad aliam in eo quod substantia est vel Deus: profecto eadem ratione numquam dicendum est plures homines, nec etiam plures personas, cùm videlicet hic homo non differat ab illo in eo quod homo est, aut hæc persona ab illa in eo quod persona est.

(a) Apud Aug. non *Tripertitum* lego, sed *eumque esse Trinitatem*.

XIII. Quomodo etiam verè dicimus Tres personæ sunt, si multa entia non sunt, hoc est multæ essentiæ? Ipsum quippe participium ubique in numero suum verbum sequitur, ut videlicet de quo dicimus ambulat, dicamus est ambulans; & de quibus dicimus ambulant, dicamus sunt ambulantia. Unde Aristoteles in secundo Physicorum, Nihil, inquit, « differt dicere hominem ambulare & homi- « nem ambulantem esse. Ex quo apparet quod « de quibuscumque dicimus Sunt, dici oportet Sunt entia, id est essentiæ.

XIV. Quomodo etiam hoc nomen *Deus* singulare est & non magis universale, si plura sint personaliter discreta, hoc est numero differentia, de quibus singulis prædicetur, cùm videlicet & Pater sit Deus, & Filius Deus, & Spiritus Deus, nec iste sit ille?

XV. Quæ etiam rerum differentia esse potest ubi eadem est singularis & individua penitus essentia? Omnis quippe differentia aut in rebus discretis accipitur, cum videlicet hæc essentia non est illa; aut in eadem re secundum variationem ejus vel aliquam mutationem per temporis successionem, ut si aliquis modo stet, modo sedeat. Discretio autem rerum nulla est ubi unica est & individua essentia. Sed nec in Deo ulla potest esse variatio, cùm scriptum sit, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* De quo etiam ille philosophus ait: Jacob. 1. 17.

Qui tempus ab ævo
Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Boet. l. 3. de Consol. Philos.

Cujus etiam verum esse & incommutabile ipsemet Dominus aperit Moysi, dicens: *Ego sum qui sum, hæc dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos.* Exod. 3. 14.

I. Objectiones adversus unitatem. Præterea cùm Pater sit Deus, hoc est hæc essentia divina, & Deus est Filius, numquid & Pater Filius est? Quomodo enim ex eo quòd Pater est Deus, & Deus est æternus, melius ostenditur, Pater est æternus, quàm ex eo quòd Pater est Deus, & Deus est Filius, sive Incarnatus, Pater etiam esse Filius sive Incarnatus? Præsertim cùm hoc nomen *Deus* singulare esse constat, sicut hoc nomen *Socrates*, immo etiam magis singulare, hoc est individuum videtur, cùm individuam, hoc est omnino indivisibilem, ac prorsus simplicem unicamque substantiam significet.

II. At verò cùm hic sedens sit Socrates, & Socrates sit albus, constat etiam hunc sedentem esse album, cùm eadem prorsus essentia sit hujus sedentis & hujus albi, nec multa numero dicantur hic sedens & hic albus, cùm eadem sit essentia hujus & illius, quæ diversis licet occupata sit formis, non tamen aut multæ personæ, aut multa numero Socrates esse dicitur; alioquin hoc nomen *Socrates* universale esset potius quàm singulare, cùm de differentibus numero diceretur.

III. Multò autem minus multa numero in Deo sunt, ubi nec ulla est formarum multitudo; & multò magis concedendum est in Deo,

quia hic qui Pater est Filius est, quàm in creaturis, in quibus est saltem formarum diversitas, atque ipsius substantiæ instabilitas, assiduaque variatio. A

IV. Quomodo ergo, si concedamus in creaturis propter identitatem essentiæ, quòd hic sedens est hic albus; vel hic qui Pater est Filius est, non hoc magis in Deo recipiamus, ut is videlicet qui Pater est Filius sit, cùm sit utriusque unica & individua prorsus ac mera substantia? Aut hic qui Pater est sit Incarnatus sicut & Filius, cùm eadem substantia quæ Pater est carnem susceperit, sicut ea quæ Filius est, cùm eadem penitus substantia sit utriusque personæ? B

V. Denique cùm nihil in Deo sit præter unicam essentiam simplicis & individuæ omnino substantiæ, & Deus Deum generet, hoc est Pater Filium, numquid substantia substantiam generat? Et cùm eadem sit penitus substantia quæ generatur cum ea quæ generat, numquid idem seipsum generat? Quod autem eadem res seipsam gignat, non solùm omnium ratio, verum sanctorum Patrum scripta detestantur, maximè in hac ipsa generatione divina, de qua Augustinus in primo de Trinitate ait: Qui putat ejus potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat quod non solùm Deus ita non est; sed nec spiritualis creatura nec corporalis. Nulla enim omnino res est quæ seipsam gignat. Constat quippe omne quod de Deo dicitur, de personis ipsis aut sigillatim aut conjunctim dicendum esse, hoc est de una earum aut de pluribus simul. Si ergo Deus seipsum genuerit, utique aut aliqua trium personarum seipsam, aut plures earum seipsas genuerunt. Quòd si aliqua trium personarum seipsam genuerit, vel Pater ipse gignit se, vel Filius ipse, vel Spiritus-sanctus. Quod si Pater seipsum gignat, profectò ipse sui est Filius; & ita confusæ sunt personæ, cùm ille qui Pater est sit Filius. Eadem quoque confusio est, hoc est permixtio personarum, si aliqua aliarum seipsam gignat, hoc est sit pater sui.

Aug. l. 1. de Trin. c. 1.

Præterea si Deus Deum generat, utique vel seipsum vel alium Deum. Alius verò Deus ab alio non potest esse, sed unus tantum Deus, nec juxta Augustinum & suprapositam rationem Deus seipsum generare potest. Quippe si seipsum Deus genuerit, utique ipse Deus sui pater est. Quod si ipse Deus pater est sui, profecto vel Deus Pater est pater sui, vel non Deus Pater est pater sui. At verò Deus pater solius Filii, & non sui ipsius pater est. Non igitur Deus Pater est pater sui. At rursus si falsum sit Deum Patrem esse patrem sui; utique falsum est, Deum Patrem sui esse patrem sui. At vero quis ponat aliquid esse patrem sui, & contradicere audeat ipsum patrem sui esse patrem sui?

VI. Qua etiam ratione cùm una tantùm substantia sit trium personarum, ut sit videlicet eadem penitus substantia Patris quæ Filii sit & Spiritus-sancti, ipse Filius tantùm ex substantia Patris quæ Filii sit & Spiritus-sancti, dicitur esse & non ex substantia Spiritus-sancti vel sua?

VII. Aut cùm similiter una eademque sit sapientia trium personarum, quarum unaquæque sapiens æquè est ut aliæ, eademque caritas singularum; cur non æquè dicitur Filius Sapientia Spiritus-sancti, vel sui ipsius, sicut dicitur Sapientia Patris? vel ipse Spiritus amor sui ipsius, sicut amor Patris vel Filii? Numquid enim vel Filius vel Spiritus-sanctus sapiens est, & non per sapientiam sui; aut sapientia est, & non est sua sapientia, sed alia? aut diligens est, & non est sua dilectio; sicut ipse est potentia sua, magnitudo sua, justitia sua, pietas sua, & voluntas?

VIII. Quomodo etiam potest esse, ut Filius ex Patre sit genitus, vel ex Patre esse habeat tam Filius quàm Spiritus-sanctus, non Pater ex illis; & non sit Pater prior illis?

His & consimilibus objectis respondere non differamus, in ipso confisi, de quo loquimur; in ipso securi pro quo dimicamus.

CAP. III. Summa, ut arbitror, omnium quæstionum hæc est, quomodo scilicet in tanta unitate individuæ ac penitus meræ substantiæ diversitatem personarum consideremus, cùm nullus differentiæ modus à philosophis distinctus videatur hic posse assignari, secundùm quem diversitas personarum valeat ostendi. C

Ad quod illud primùm respondendum esse arbitror, quòd mirabile non debet videri, si illa divinitatis natura sicut singularis est, ita singularem modum loquendi habeat. Æquum equidem est, ut quod ab omnibus creaturis longè remotum est, longè diverso genere loquendi efferatur, nec illa unica majestas communi ac publica locutione coerceatur, nec quod omnino incomprehensibile est atque ineffabile ullis subjaceat regulis cui sunt omnia subjecta, quod nec ab homine intelligi potest, qui ad manifestandos intellectus suos voces instituit. Hoc autem nec philosophorum latuit reverentiam, qui quantum reveriti sint semper summum illud bonum verbis etiam attingere, quod omnino incomprehensibile atque ineffabile profitentur, ex suprapositis liquidum est, cùm summus philosophorum nec quid sit dicere ausus sit: hoc solùm de eo sciens, qui sciri non possit ab homine. Hoc enim docere rectæ Sophiæ incarnandæ reservandum erat, ut ipse per seipsum sui notitiam afferret Deus, cùm ad ejus notitiam nulla assurgere creatura sufficiat. Ipse itaque solus quid ipse sit manifestè aperuit, cùm gentili illi & Samaritanæ mulieri ait: *Spiritus est Deus*, hoc est Divinitas spiritualis substantia est, non corporalis. At verò sicut in corporibus alia aliis subtiliora sunt, utpote aqua quàm terra, & aer quàm aqua, & ignis quàm aer: ita longè & inexcusabili modo omnium spirituum naturam ita propriæ sinceritatis subtilitate divinitas transcendit, ut in comparatione ejus omnes alii spiritus quasi corpulenti seu corpora quædam dicendi sint. Unde Gennadius de Ortho-

Responsio ad objecta.

Dicere quid sit Deus non ausus est Plato.

Joan. 4. 24.

Gennad.

de Dog. Eccl c. 11. „ doxa fide; Nihil, inquit, incorporeum & invisibile in natura credendum est, nisi solum Deum Patrem & Filium, & Spiritum-sanctum; qui ex eo incorporeus creditur, quia ubique est, & omnia implet, atque constringit: & ideo invisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura omnis corporea, angeli & omnes cœlestes virtutes corporeæ, [a] licet non carne subsistant. Ex eo autem [a] incorporeas credimus intellectuales naturas, quia localiter circumscribuntur, sicut & anima humana quæ carne clauditur, & dæmones qui per substantiam angelicæ naturæ sunt, corporea. Ex his itaque liquidum est quantæ subtilitatis sit divina substantia, atque animæ à natura corporum disjuncta, & à vigore nostrorum sensuum penitus remota. De qua si quid forte philosophi dicere animati sunt, ad similitudines & exempla se contulerunt, quasi præsumtionem suam velantes, quòd de ineffabili fari viderentur: cujus gloriam in creaturis quoquo modo non in ipsa vestigabant, atque per ipsas assignabant, sicut de Platone supra meminimus ad similitudinem Solis cùm de Deo loqui præsumeret recurrente. Quod autem illi quoque doctores nostri, qui maximè intendunt Logicæ, illam summam majestatem, quam Ignotum Deum esse profitentur, omnino ausi non sunt attingere, aut in numero rerum comprehendere, ex ipsorum scriptis liquidum est. (Deum in rerum numero non compreheéderunt philosophi.) Cùm enim omnem rem aut substantiæ aut alicui aliorum generalissimorum subjiciant: utique & Deum, si inter res ipsum comprehenderent, aut substantiis, aut quantitatibus, aut ceterorum prædicamentorum rebus connumerarent, quod nihil omnino esse ex ipsis convincitur. Omnes quippe res præter substantias per se existere non possunt, nisi scilicet substantiis sustententur, ut albedo nulla ratione esse potest, nisi in subjecto corpore, aut pietas nisi in anima, aut quælibet res novem prædicamentorum nisi subjectis substantiis insint. Substantiæ verò in propria natura per seipsas subsistere ac perseverare possunt omnibus & aliis rebus destructis. Unde & substantiæ quasi subsistentiæ dictæ sunt, & ceteris rebus quæ eis assistunt, * non per se (* f. nec.) subsistunt, naturaliter priores sunt. Unde liquidum est Deum, qui omnium rerum est unicum & singulare principium, nullo modo in eo rerum numero contineri, quæ substantiæ non sunt: sed nec substantiæ secundùm eos supponitur Deus, licet ipse maximè sit res per se existens, & verum & incommutabile esse ipse solus à se habeat à quo sunt omnia. (Exod. 3. 14.) Propter quod Moysi dicit: *Hæc dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos.* De cujus quidem veritate, ac simplicitate, seu incommutabilitate substantiæ, Augustinus in libro v. (Aug. l. 5. de Trin. c. 1.) de Trinitate ait: Sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ [b] præsentem, [b] sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnimodo invenire quid sit; piè tamen cavet, quantum potest, aliquid de illo sentire quod non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur essentia, quam Græci οὐσίαν Usiam vocant. Quod autem nec juxta philosophos ipse Deus substantia sit dicendus, facilè convinci potest ex ipsis scriptis omnium dialecticam tractantium, quam nunc latinitas... Porphyrii scilicet, Aristotelis & Boëtii. Ait quippe Porphyrius in Isagogis quas ad cathegorias Aristotelis perscribit, ait, inquam, unamquamque substantiam una specie participare, pluribus verò accidentibus & separabilibus & inseparabilibus. Aristoteles quoque in Cathegoriis propriè proprium substantiæ assignans inquit: Maximè autem proprium substantiæ videtur esse, quod cùm sit unum & idem numero sit susceptibile contrariorum. Item idem de eodem: Quare proprium erit substantiæ, quòd cùm unum & idem numero sit, susceptibile est contrariorum. Cùm itaque Deo ista aptari omnino non possint, cujus substantia nec accidentibus variari, nec ullis omnino formis subjacere potest, liquet nec inter substantias eum philosophos recepisse: ea profecto ratione qua Plato inter nullam & aliquam substantiam ὕλην collocavit, quam omnino adhuc informem conceperit. Neque enim substantia non est Deus, [c] si verè subsistentiæ naturam, & incommutabile esse in ipso attendamus. Nec rursus substantia est, si usitatam nominis substantiæ appellationem sequamur; cùm videlicet accidentibus subjectus esse non possit. Unde & illo argumento non esse substantia Deus apertè ostenditur, quo Boëtius, quamvis christianus, opinionem secutus philosophorum, cùm de philosophia tractaret, Themistium scilicet & Tullium in Topicis suis vestigans, probat in [d] secundo ipsorum Topicorum albedinem non esse substantiam his verbis: [d] Substantia est quæ omnibus accidentibus possit esse subjectum. Albedo autem nullis accidentibus subjecta est. Albedo igitur substantia non est. Ipse quoque Augustinus hanc usitatam & propriam significationem substantiæ apertè profitetur in septimo de Trinitate libro cap. IV. & V. his quidem verbis de Deo disputans: si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erunt [e] dicere tres substantiæ, ut [e] non dicuntur tres essentiæ: quemadmodum quia hoc est Deo esse quod sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus.

(a) Lege *corporeas* ut apud Gennadium.
(b) Ita editi apud Augustinum, sed mss. magno numero legunt *præsidentem*.
(c) In Introd. ad Theol. l. 2. *Si verè subsistere naturam & incommutabilem esse in ipso attendamus.*
(d) Introd. *quinto.*
(e) Lege ut apud Aug. *dicenda.*

" Sic enim quia hoc illi est Deum esse quod est A
" esse, tam tres essentias, quàm tres Deos dici
" fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud
" subsistere, sicut aliud est Deo esse, aliud Pa-
" trem esse vel Dominum esse. Quod enim est,
" ad se dicitur, Pater autem ad Filium, & Do-
" minus ad servientem creaturam relativè sub-
" sistit, sicut relativè gignit, & relativè domi-
" natur. Ita jam substantia non erit substantia,
" quia relativum erit. Sicut enim ab eo quod
" est esse appellatur essentia, ita ab eo quod
" est subsistere substantiam dicimus. Absurdum
" est autem ut substantia relativè dicatur. Om-
" nis enim res ad seipsam subsistit, quantò ma-
" gis Deus? Si tamen dignum est ut Deus di- B
" catur subsistere. De his enim rebus rectè in-
" telligitur, in quibus subjectis sunt ea quæ in
" aliquo esse subjecto esse dicuntur, sicut color
" in corpore. Item, Res ergo mutabiles neque
Ibid. " simplices propriè dicuntur substantiæ. Item,
" Nefas est autem dicere ut subsistat & subsit
" Deus bonitati suæ, atque illa bonitas non sub-
" stantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus
" sit bonitas sua, sed in illo sit tamquam in
" subjecto. Unde mani-
" festum est Deum abu-
" sivè substantiam vo-
" cari, ut nomine usita-
" tiore intelligatur es-
" sentia, quod verè ac
" propriè dicitur; ita ut
" fortasse Deum solum
" dici oporteat essen-
" tiam. Est enim verè
" solus, quia incommu-
" tabilis est, idque no-
[a] " men suum Moysi[a] es-
" sentiavit, cùm ait:
Exod. 3. 14. " *Ego sum qui sum, & dices ad eos, Qui est misit me ad vos.* Sed
" tamen sive essentia di-
" catur quod propriè
" dicitur, sive substan-
" tia, quod abusivè,
" utrumque ad se dici-
" tur non relative. Unde hoc est Deo esse quod
" subsistere; & ideo si una essentia Trinitas,
" una etiam substantia. Ex his itaque liquidum
est, nec etiam juxta Augustinum Deum pro-
prie dici substantiam, sicut nec juxta philo-
sophos ullo modo, cùm videlicet aliquid in
eo non sit ut in subjecto, hoc est ut accidens,
sicut supra satis disseruimus. Cùm igitur Deus
nec juxta Augustinum proprie dicatur sub- E
stantia, nec ullo modo juxta philosophos,
qui tamen omnem rem aut substantiæ aut
alicui aliorum prædicamentorum applicant:
patet profectò à tractatu Peripateticorũ illam
summam majestatem omnino esse exclusam,
nec ullo modo regulas aut traditiones eo-
rum ad illam summam & ineffabilem altitu-
dinem conscendere; sed creaturarum naturis
ad inquirendum eos esse contentos secundùm

In illud Job: *Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationes ejus.* Gregorius: Aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter esse, aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt: quia in semetipsis minimè subsistunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Unde etiam ad Moysen dicitur: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos.*

(a) Apud Augustinum *enuntiavit*.

quod scriptum est: *Qui de terra est, de terra* Joh. 3. 31
loquitur; quas nec adhuc comprehendere ac
ratione discutere ad liquidum sufficiunt. Quod
verò omnis hominum locutio ad creaturarum
status maxime accommodata sit; ex ea præ-
cipua parte orationis apparet, sine qua teste
Prisciano, nulla constat orationis perfectio,
ex ea scilicet quæ dicitur verbum. Hæc quippe
dictio temporis designativa est quod incœpit
à mundo. Unde si hujus partis significationem
attendamus, oportet per eam cujusque con-
structionis sensum infra ambitum temporis
coerceri, hoc est ad eas res tantum inclinari,
quas temporaliter contingere, non æternali-
ter subsistere volumus demonstrare. Unde
cùm dicimus Deum priorem esse mundo, sive
extitisse ante tempora, quis sensus in his ver-
bis verus esse potest de præcessione Dei, &
successione istorum, si hæc verba ad homi-
num institutionem accipiamus secundùm ip-
sam temporis significationem, ut videlicet di-
camus Deum secundùm tempus priorem esse
mundo, vel extitisse, hoc est in præterito
tempore fuisse antequam tempus aliquod es-
set. Oportet itaque cùm ad singularem di-
vinitatis naturam quascumque dictiones trans-
ferimus, eas in quamdam singularem signifi-
C cationem seu etiam constructionem contra-
here, atque per hoc quod omnia excedit,
necessario propriam institutionem excedere.
Constat quippe juxta Boëtium ac Platonem
cognatos de quibus loquuntur rebus oportere
esse sermones. Quod rectè Gregorius in Pro- "
logo Moralium ait: Indignum vehementer "
existimo, ut verba cœlestis oraculi restrin- "
gam sub regulis Donati. Sed nec proprium "
& usitatum nomen Dei ad illam unicam di-
vinitatis majestatem, quæ excogitari non va-
let, necdum differi, ipsi magni philosophi
noverunt accommodare, qui cùm Deum in
arce nominant, quam animali rationali sup-
D ponunt, de mundo & cœlestibus corporibus
illud, ut supra meminimus, accipiunt. Quid
itaque mirum, si cùm omnia ineffabiliter trans-
cendat Deus, omnem quoque institutionis
humanæ sermonem excedat? Et cùm ejus ex-
cellentia omnem longe exsuperet intellectum,
propter intellectus autem voces institutæ sint,
quid mirum si effectus transcendit, qui trans-
cendit causas? Multo quippe facilius res ex-
cogitari quàm edisseri valet. Quid etiam mi-
rum, si in se ipso Deus philosophorum infrin-
gat regulas, aut exempla quæ in factis etiam
suis frequenter cassata *. Cùm videlicet ali- *Adde sunt
qua nova contra naturam facit, sive supra
naturam, hoc est supra hoc quod prima re-
rum institutio potest. Numquid enim illumi-
natione cæci nota illa philosophorum regula
infringitur, qua ab Aristotele dictum est, ab
habitu quidem in privationem fit mutatio,
à privatione vero in habitum impossibile est.
Neque enim cæcus factus rursus videt, &c.
Numquid & Virginis partus omnino illi præ-
judicat propositioni, quæ frequenter à philo-
sophis in exemplum necessariæ consequentiæ

seu argumentationis affertur: Si peperit, cum viro concubuit? Ut hinc quoque appareat quod ait Apostolus: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Quod si ut philosophos salves, ea quæ per miracula fiunt excipias, aut in his vocabula propriam significationem non observare dicas, ut videlicet non proprie dicantur visio vel partus, quæ per miraculum contingunt, quanto magis in ipso auctore miraculorum idem concedi oportet?

1.Cor.1.20.

Invectio in dialecticos

Responde tu, mi acute dialectice, seu versipellis sophista, qui auctoritate Peripateticorum me arguere niteris, de differentia scilicet personarum & earum proprietatibus, quæ in Deo sunt, quomodo ipsos quoque doctores tuos absolvis, secundùm traditiones quorum, ut jam ostendimus, nec Deum substantiam esse, nec ipsum esse aliquid aliud cogeris confiteri? quem tamen solum verè ac propriè esse, videlicet perpetuam ejus & incommutabilem permanentiam, tam ipse, ut dictum est, ad Moysen loquens innotuit, quam ab ipso instructi veri philosophi. Unde & beatus Job inter cetera de eo commemorat, *Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationes ejus.* Attendite fratres & verbosi amici, quantum ab invicem dissonent divinæ & humanæ traditiones, spiritales & animales philosophi, sacrarum & sæcularium scripturarum disciplinæ. Ut enim supra docuimus, constat secundùm vestrarum artium disciplinas quæ omnium rerum naturas in decem prædicamenta distribuunt, Deum penitus nihil esse, quem tamen ipsius Dei ac discipulorum ejus testimonio solum esse profiteri cogimur. Quod si ut vestras defendatis disciplinas, naturis, ut diximus, creaturarum differendis eas esse contentas annuatis, nec de celsitudine divinitatis eas præsumsisse, & vos eis innitentes minus nos infestare præsumite, cùm talia fides verba protulerit, quorum intelligentia vestris incognita est disciplinis. Certum quippe est quoniam unaquæque sententia atque cujuslibet artis tractatus propriis utitur verbis, & unaquæque doctrina propriis locutionibus gaudet, & sæpe ejusdem artis tractatores verba variare delectat, quia semper in omnibus, teste Tullio, identitas mater est satietatis, hoc est fastidium generans: quantò magis ergo illius singularis & summi Boni tractatores singularia verba habere oportuit, quibus id quod singulare est singulariter efferretur, nec publicis & vulgaribus locutionibus illud ineffabile, illud incomprehensibile coerceretur. De quo si quid dicitur, aliqua similitudine de creaturis ad creatorem vocabula transferimus: quæ quidem vocabula homines instituerunt ad creaturas designandas quas intelligere potuerunt, cum videlicet per illa vocabula suos intellectus manifestare vellent. Cum itaque homo voces invenerit ad suos intellectus manifestandos, Deum autem minimè intelligere sufficiat, rectè illud ineffabile bonum effari nomine non est ausus. unde in Deo nullum propriam in-

Job.23.13.

A ventionem vocabulum servare videtur: sed omnia quæ de eo dicuntur translationibus & parabolicis ænigmatibus involuta sunt & per similitudinem aliquam vestigantur ex parte aliqua inductam, ut aliquid de illa ineffabili majestate suspicando potius quàm intelligendo degustemus. Et quoniam minus plenarias similitudines invenimus ad illud quod singulare est inducendas, minus de eo satisfacere possumus per similitudines: quas tamen possumus aggrediemur maximè ut pseudodialecticorum importunitatem refellamus, quorum disciplinas & nos paululum attingimus, B atque adeo in studiis eorum profecimus, ut Domino adjuvante, ipsis in hac re per humanas rationes, quas solas desiderant, satisfacere nos posse confidamus. Habet enim humanas etiam rationes conditor ipse rationis, quibus animalium hominum ora obstruere possit, qui nos per Sapientem illum admonet dicens: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* De cujus etiam sapientia in ipso Sapientiæ libro inter ceteras ipsius laudes dicitur: *Scit versutias sermonum & [a] dispositiones argumentorum.* Illud autem primum removeamus obstaculum, quod de differentia personarum unius & ejusdem penitus essentiæ opponunt, cùm hic differentiæ C modus tam philosophis quàm ceteris omnibus videatur ignotus.

Prov.26.5.

Sap.8.8.

[a]

Quod autem Porphyrium nobis opponunt, qui de differentiis tractans, modos differentiarum distinxit, sub quibus modus iste differentiæ personarum quæ in Deo sunt non cadit, nihil impedit. Ibi quippe solummodo differentias tractat quæ in formis consistunt; quando videlicet res discretæ diversis ab invicem formis distant, vel eadem res per formas sibi invicem succedentes permutatur. In Deo autem nullæ formæ sunt, nec tamen ideo minus eum à creaturis differre dicimus, licet D Porphyrius in Tractatu differentiæ hanc differentiam non connumeret. Multos etiam alios differentiæ modos præter hos quos Porphyrius distinguit fateri cogimur: quos omnes ut plenius ac diligentius prosequamur, distinguendum est quot & quibus modis idem accipiatur, sive etiam diversum, præsertim cùm totius controversiæ summa ex identitate divinæ substantiæ & diversitate personarum pendeat, nec aliter ipsa queat terminari controversia, nisi ostendamus hanc identitatem illi diversitati non esse contrariam. Quod ut diligentius fiat, præmittendum est, ut diximus, quot modis dicatur idem, & quot modis diversum. E

Quinque autem modis ac pluribus fortassis utrumque per se etiam acceptum dici videtur. Idem namque sive unum aliquid cum aliquo dicitur, secundùm essentiam, sive secundùm numerum, idem proprietate, idem definitione, idem similitudine, idem pro incommunicato. Totidem modis è contrario dicimus diversum ac fortassis pluribus.

Quot modis dicatur idem.

Idem aliquid cum aliquo essentialiter di-

(a) In vulgata editione *dissolutiones*.

cimus, quorum eadem numero est essentia: A ita scilicet ut hoc & illud sint eadem numero essentia, sicut eadem numero essentia est ensis & mucro, vel substantia & corpus, sive animal sive homo, sive etiam Socrates, & album idem numero quod durum. Verum est enim substantiam esse hoc corpus sive hoc animal, licet non omnem. Et hæc quidem omnia, quæ videlicet eadem sunt essentialiter, eadem numero dicuntur; quia cùm eadem sit utriusque essentia, non potest in eis numerus rerum multiplicari, nec computatio ex ipsa rerum discretione procendi, ut videlicet dicatur de eis unum duo, &c. cum videlicet numerus nonnisi in discretis constat essentiis, hoc est, in his quæ ita penitus sunt diversæ, ut non solùm hoc non sit illud, verùm nec alterum de altero sit, nec aliquid de isto sit de illo, hoc est, ut nec alterum pars sit in quantitate alterius, nec eamdem communicent partem.

Idem vero proprietate aliquid cum aliquo dicitur, quando hoc illius proprietatem participat, ut album duri, vel durum albi. Nam & album duritiam participat, quæ proprietas duri, quod est dicere Durum est album, vel è converso durum albi. Nonnulla autem essentialiter eadem sunt, quæ tamen proprietatibus suis distinguuntur, cùm eorum scilicet proprietates ita penitus impermixte maneant, ut proprietas alterius ab altero minime participetur, etiamsi sit eadem numero penitus utriusque substantia. Verbi gratiâ in hac imagine cerea idem est numero hæc cera, hoc est materia ipsa & materiatum, nec tamen ibi materia ipsa & materiatum suas communicant proprietates, cum nec ipsa materia cereæ imaginis sit materiata, hoc est ipsa cera sit facta ex cera, nec ipsum materiatum sit materia ibi, hoc est cerea imago sit materia cereæ imaginis, cùm videlicet nihil sui ipsius pars aliquo modo sit constitutiva, aut naturaliter prius. Itaque materia cereæ imaginis & materiatum ex cera cùm sint eadem numero essentia, in suis proprietatibus tamen sunt impermixta. Ipsa quippe materia cereæ imaginis & ipsum materiatum, utpote ipsa cera & ipsa imago cerea sunt eadem cera, hæc scilicet cera: sed tamen ipsum materiatum ibi nequaquam est materia, nec ipsa materia est materiata, licet ea res est quæ materiata. Pertinet autem ad proprietatem materiæ præcedere ipsum materiatum quod ex ipsa fit: ad proprietatem verò materiati subsequi ac posterius esse. Proprietas itaque materiæ ipsa est prioritas, secundùm quam ex ea materialiter aliquid fieri habet. Materiati vero proprietas est ipsa è converso posterioritas. Proprietates itaque ipsæ impermixtæ sunt per prædicationem, licet ipsa propriata, ut ita dicam, permixtim de eodem prædicentur. Aliud quippe est prædicare formam, aliud formatum ipsum, hoc est rem ipsam formæ subjectam. Si enim dicam, Imago cerea est prior cera, hoc est prioritatem habet respectu ceræ, tunc ipsam copulo ac prædico formam; & falsum est quod dicitur. Si vero dicam, Imago cerea est prius cera; hoc est res aliqua prior cera, tunc ipsum copulo & prædico formatum, ac vera est propositio, cum ipsa imago sit corpus quod est prius cera. Sic & Socrates non habet perpetuitatem, hoc est non est perpetuus, licet sit res perpetua sicuti hoc corpus. Ostenso itaque quæ sint proprietatibus diversa, clarum est è contrario quæ sint eadem convenientia proprietatum.

Ex his autem quæ scilicet eadem essentialiter seu proprietate dicuntur, quædam diffinitione quoque eadem sunt, sicut ensis & B mucro, vel Maro & Tullius, & quorumcumque eadem penitus est diffinitio, quoniam non solummodo ensis & mucro est & mucro ensis; verùm etiam ex hoc quod ensis est, mucro est, & à converso, ut eadem penitus diffinitione sint terminanda, cùm idem sit expressum & proprium esse hujus quod illius. Hoc autem modo Boëtius idem accipit in primo Topicorum ubi ait, quæstionem de diffinitione esse de eodem, veluti cùm quæritur utrum idem sit utile quod honestum, « eo, inquit, quòd quarum rerum eadem est « diffinitio, ipsæ res eædem sunt: & quarum C « rerum diffinitio est diversa, ipsæ res sunt di- « versæ. Diffinitionem autem hoc loco accipimus, quæ ex integro vim & proprietatem definiti exprimit, & sententiam nominis in nullo excedit, nec ab eo exceditur, ut si quis diffiniens corpus dicat ipsum esse substantiam corpoream, non substantiam coloratam. quamvis enim hæc diffinitio substantia colorata omnibus ex solis corporibus conveniat, sicut illa; non tamen vim & sententiam hujus nominis, quod est corpus, aperit, sicut facit illa: quia nomen Corpus colorem D non determinat, quod est accidens corpori, sicut determinat corporeitatem, quæ est ei substantialis. Nec ita hæc diffinitio ostendit id quod proprietas exigit, ex eo scilicet quod corpus est, sicut illa facit. Tale est ergo dicere quod ensis & mucro idem sunt diffinitione, ac si diceretur, eadem essentia ita esse ensis & mucro, quod ex eo quod ensis est, hoc tantum exigit ut mucro sit & è converso, ut videlicet non solum eadem essentia sit ensis & mucro, verùm & idem sit penitus esse ensem quod esse mucronem. Eadem itaque diffinitione dicuntur, quæ ita adjuncta sunt, non ut solummodo hoc sit illud, verùm etiam E ex eo quod est hoc exigat tantum ut sit illud, & è converso; & hoc quidem modo non possunt dici idem substantia & corpus, vel album & durum, licet sint idem essentialiter. Omnia ergo quæ eadem sunt diffinitione, eadem sunt essentialiter, sed non convertuntur; & secundùm has quidem tantum duas significationes suprapositas relativè supponi solet hoc pronomen quod est *Idem*, hoc est aut secundùm identitatem numeri, aut secundùm identitatem diffinitionis. Cùm enim

dicimus, Mulier damnavit mundum & eadem salvavit, duo sunt sensus: unus quidem falsus, si ad identitatem numeri fiat relatio, ut videlicet eadem personaliter ac numero mulier intelligatur & damnasse & salvasse: Alius sensus verus, si ad identitatem diffinitionis supponatur *Idem*, ut videlicet tantumdem significet, quantum nomen mulieris simpliciter repetitum, mulier damnavit, & mulier salvavit: quod quidem verum est per Evam & Mariam.

Idem verò similitudine dicuntur quælibet discreta essentialiter, quæ in aliquo invicem similia sunt, ut species idem sunt in genere, vel individua idem in specie, sive unum, vel quælibet in aliquo convenientia eadem dicuntur, hoc est similia. Unde Porphyrius, "Participatione, inquit, speciei plures homines unus; "unus autem & communis particularibus plu-"res.

Dicimus etiam idem pro incommunicato, ut semper idem Deus est, hoc est numquam in aliquo alteratus vel permutatus, quia nihil umquam natura divinitatis in se habet, quo aliquando careat; vel caret, quod habeat efficaciæ valetudinem, sicut easdem quæ idem valent. Idem itaque sive unum quinque supradictis modis dicitur, licet sæpe eadem res sub pluribus ex istis modis cadat, ut videlicet tam hoc quàm illo modo possit dici eadem cum aliquo. Totidem etiam modis dicimus diversum, sive differens, cùm videlicet modo diversa dicantur essentialiter, id est numero, modo, proprietate, vel diffinitione, vel similitudine, vel mutatione.

Quot modis accipiatur diversū.

Dicimus autem ea ab invicem essentialiter diversa, quæcumque ita ab invicem diffident, ut hoc non sit illud, ut Socrates non est Plato, nec manus Socratis Socrates. Sic etiam quælibet disparata diversa essentialiter dicimus, cum videlicet essentia unius non sit essentia alterius, quamvis tamen sit de essentia alterius, ut manus de homine, vel paries de domo. Sicut ergo Socrates aliud est essentialiter quàm Plato; ita manus Socratis quàm Socrates, & quælibet pars quàm suum totum. Secundùm quam quidem acceptionem dicimus rem aliam simplicem, aliam compositam, cum videlicet id quod simplex est, non sit ipsum compositum; licet sit de ipso composito. Omnia ergo essentialiter diversa dicimus, quæ ita ab invicem sunt remota, ut hoc non sit illud. Hanc verò differentiam ipse quoque Porphyrius in communitatibus aperte insinuat, ubi videlicet ostendit generalissimum & specialissimum in eo differre, quòd neque generalissimum fictum quam specialissimum, neque specialissimum generalissimum. Horum autem quæ essentialiter diversa sunt, quædam numero quoque diversa sunt, quædam minime.

Diversa quippe numero dicimus, quæ adeo tota essentiæ suæ quantitate ab invicem discreta sunt, ut non solùm hoc non sit illud, verùm ne unum alterius pars sit, vel eam-

A dem cum eo communicet partem. Hæc itaque sola & omnia numero sunt differentia, quæ tota quantitate suæ essentiæ discreta sunt, sive solo numero ab invicem distent, ut Socrates & Plato; sive etiam specie, ut hic homo & ille equus; seu genere quoque, ut hic homo & hæc albedo; seu quacumque forma ab invicem differant, sive illa forma sit communis differentia, hoc est separabile accidens, ut nasi curvitas, sive magis propria differentia, id est substantialis, sicut est rationalitas, quæ scilicet substantialis differentia non solum facit alterum, id est quoquo modo diversum; B verùm etiam aliud, hoc est substantialiter atque specie diversum. Et hæc sola proprie dicuntur plura sive multa, eo quod plura & multa proprie ad numerum pertinent, & secundùm numerum accipiuntur. Sunt itaque quædam essentialiter diversa, quæ non sunt numero differentia, utpote domus & paries, & quodlibet integrum totum cum propria parte sua. Utroque autem prædicto diversitatis modo ipse etiam Deus differens dicitur à creaturis, tam essentialiter scilicet quàm numero. Hoc etiam modo diversa sumimus quando negamus in uno ternario diversos esse binarios. Nam licet tertia unitas cum una-C quaque aliarum duarum unitatum unum binarium efficiat, & hic binarius non sit ille, diversos tamen binarios dici negamus, cùm non sint tota capacitate vel continentia suæ essentiæ discreti, cùm eamdem scilicet unitatem communicent. Sed & cùm dicimus aliquem solam domum possidere, hoc est, domum & nihil aliud diversum à domo, diversum numero potius quàm essentialiter intelligimus. Qui enim domum possidet, etiam parietem, qui non est domus, in possessione habet. Sed cùm sit paries essentialiter diversus à domo, in qua non est diversus numero, cum videlicet in ipsa quantitate domus com-D prehendatur. Et notandum quod cùm omne idem essentialiter cum aliquo sit idem numero cum ipso & è converso; non tamen omne diversum essentialiter ab aliquo diversum in numero est ab ipso, ut suprà docuimus. Pars quippe quælibet diversa est essentialiter à suo toto, sed non diversa numero, nec fortassis eadem numero, nisi quis forte numero idem negative dicat, hoc est non diversum numero. Si enim pars numero diversa diceretur à suo toto; profecto Socrates de differentibus numero prædicari concederetur, cùm videlicet hoc totum ex manu scilicet & reliquo cor-E pore compositum sit Socrates, & ipsum quoque reliquum corpus à manu deinceps Socrates sit dicendum, hoc est hac anima vivificatum, de quo quidem latius in prædicamento substantiæ alibi nobis agendum fuit.

Diversa autem diffinitione sunt, quæ eadem diffinitione sententiæ terminari non possunt, hoc est quæ talia sunt, ut sese mutuo non exigant, licet eadem res sit utrumque, sicut est substantia & corpus, vel album & durum. Non enim ex eo quod substantia est, corpus

corpus est; vel ex eo quod album est, durum A est, cùm hoc sine illo queat esse, neque ex se illud exigat. Et hanc quidem differentiam Boëtius in primo Topicorum nos docet, ubi cùm dicat idem esse propositionem, quæstionem, conclusionem; dicit tamen ea differre, cùm videlicet propositio possit esse si non sit quæstio vel conclusio; & quæstio si non sit conclusio, cùm hoc non exigat illud, & singula propriis diffinitionibus terminanda sint. Qui etiam in divisionibus hoc modo rationale & bipes differre dicit. Licet, inquit, nulla ab invicem oppositione disjungantur. Porphyrius quoque in Isagogis suis hujusmodi differentiam, secundùm diffinitionem scilicet, non prætermisit, cùm ait: Quorum termini, id est diffinitiones sunt differentiæ, ipsa quoque sunt B differentia: certum quippe, est omnia quæ quoquo modo affirmatione & negatione disjungi possunt, differre ab invicem. Verbi gratia, si de aliquibus ostendere possumus, quod istud animal, & illud non sit animal, clarum est ea differre. unde etiam oportet concedi quælibet diffinitionibus diversa, etiamsi sint sibi per prædicationem cohærentia, sicut animal & homo, vel album & durum, differre quodammodo ab invicem, cùm ea quoque quodammodo affirmatione & negatione ab invicem separentur. Animal quippe esse potest, ita quod non sit homo; sed homo non potest esse, ita quod non sit* homo; & animal hæc tantum exigit, ut sit animatum & sensibile; homo vero non hoc tantummodo, C sed insuper ut sit rationale & mortale. Eodem modo phœnix & hic phœnix, & hoc corpus, & hæc anima, sive hic homo, sive hoc corpus album, diversa esse possunt ostendi, licet ejusdem penitus essentiæ sint. Ad hanc quoque diversitatem illud pertinere videtur, quod ait Porphyrius, differentiarum alias esse divisivas generis, alias constitutivas specierum. Nam licet eædem penitus divisivæ sint & constitutivæ, aliunde tamen constitutivæ sunt, ex eo scilicet quod constituunt, aliunde divisivæ, ex eo scilicet quod dividunt ab invicem, hoc est diversificant species. Et ideo alia est pro- D prietas sive diffinitio constitutivi, alia divisivi, sicut & cùm dicimus infinitum aliud secundùm tempus, aliud secundùm mensuram, aliud secundùm multitudinem & cetera, aliud diffinitione accipimus. Et nos quidem pro eodem vel diversis diffinitione eumdem statum vel diversos status consuevimus dicere, nec aliter hunc statum illum esse dicimus, nisi idem sit diffinitione penitus hæc res cum illa, aut hunc statum non esse illum, nisi hæc res non sit eadem penitus cum illa, in expresso scilicet esse suo, hoc E est eadem omnino diffinitione.

*f. animal.

Quæ vero sint proprietate diversa diligenter arbitror superius esse discussum, cùm è contrario quæ sint eadem proprietate doceretur.

Similiter & ex eo quod diffinitum est quæ sint eadem similitudine, hoc est similia, clarum è contrario relinquitur quæ sint similitudine diversa, hoc est in aliquo dissimilia.

Diversum quoque mutatione ex superioribus per contrarium dici liquet quicquid in aliquo est permutatum, hoc est diversificatum ab eo quod prius erat, ut si modo stet Socrates, modo sedeat. Hæc quidem dicta sunt ad ostendendum quot modis Idem & Diversum accipiantur ex propria vi per se etiam dicta, cùm frequenter ex adjunctis & alias assumant significationes, vel istas deponant. Cùm enim dicimus loca diversa, diversa dicimus secundùm continentiam, non secundùm numerum, vel secundùm essentiam. alioquin vinum quod est in dolio & in domo in diversis esset locis, cùm nullum corpus in diversis esse locis concedatur. Cùm itaque locus hoc nomen ex continentia vel capacitate conveniat, cùm additur ei diversum, diversitas continentiæ designatur: ac si diceretur loca diversa quæ idem continere ac concludere non habent. Sic & cùm dicimus Spiritum-sanctum multiplicem, vel septem Spiritus, quia Spiritus ex operatione suæ bonitatis & distributione suæ gratiæ dici solet, hanc multiplicitatem ac diversitatem Spiritus ad effecta ejus totam reducimus: juxta quod & illud accipitur quod Veritas ait: *Alium Paraclitum dabo vobis*, hoc est ad aliud efficiendum in vobis. Sed & cùm dicimus opifex alius, pictor alius, faber alius, &c. quia hoc nomen opifex ex operatione convenit, sive ex officio, dicimus alium & alium secundùm effecta vel officia, non secundùm personas, cùm fortasse nonnumquam eadem persona utriusque officii sit. Sed cùm Aristoteles vester dicit in primo Perihermenias sermones sicut & litteras non eosdem omnibus esse; sed diversos diversis secundùm officium significandi id dixit, quod est sermonum & litterarum, non secundùm ipsam vocum prolationem: quia cùm sit prolatio vocum naturalis omnibus, significandi officium apud omnes non tenetur, sed apud eos solummodo, qui earum impositionem non ignorant. Qui etiam postmodum in secundo Perihermenias ait, vocem esse unam & affectiones multas. Aut cùm Priscianus dixit multa nomina incidere in unam vocem, multa seu diversa accipiuntur secundùm ipsum significandi officium ad diversos intellectus constituendos, unde affirmationes vel nomina dicuntur. Vocem verò unam dicit ex ipsa prolationis & soni forma; non ex officio, cùm videlicet vox hoc nomen ex qualitate soni, non ex officio significandi datum sit. Sic itaque ex adjunctione subjectorum idem & diversum frequenter suas significationes commutant, sicut & ceteræ sæpe dictiones, ut si dicam Citharœdus bonus & homo bonus, vel vox simplex & propositio simplex, vel vera diffinitio & vera oratio.

Joh. 14.16.

Puto me diligenter distinxisse, quantum ad præsens negotium attinet, quot modis Idem sive Diversum accipiatur, ut facile postmo-

dum discutiatur in quo consistat diversitas personarum quæ in Deo sunt, quarum eadem penitus substantia est. Eadem, inquam, essentialiter ac numero, sicut eadem est substantia ensis & gladii, vel hujus hominis & hujus animalis. Sunt autem ab invicem diversæ personæ, id est Pater & Filius, & Spiritus-sanctus ad similitudinem eorum quæ diffinitione diversa sunt seu proprietate, eo videlicet quòd quamvis eadem penitus essentia sit Deus Pater quæ est Deus Filius, seu Deus Spiritus-sanctus; aliud tamen proprium est Dei Patris in eo scilicet quod Pater est, & aliud Filii & aliud Spiritus-sancti. Patris quidem proprium est, ut supra quoque meminimus à seipso esse, non ab alio, & coæternum sibi Filium æternaliter gignere. Filii verò gigni à solo Patre, Spiritus-sancti procedere ab utroque. Unde bene sancti Patres has personas ab invicem quibusdam quasi proprietatibus differre dixerunt, juxta illud Gregorii, Et in personis proprietas, & in essentia unitas; & illud Hieronymi in epistola de explanatione fidei ad Damasum papam directa, ubi dicitur: Confundentes Arrium, unam eamdemque dicimus Trinitatis substantiam. Item, Impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Et post aliqua, Personas etiam ipsas proprietates appellat, dicens: Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel ut Græci exprimunt hypostases, hoc est subsistentias confitemur. Ubi & rursus adjecit: Itaque substantia unum sunt, personis ac nominibus distinguuntur. Non tamen cùm proprietates dici audimus ita intelligendum est, ut formas aliquas in Deo opinemur, sed proprietates quasi propria dicimus, eo scilicet modo quo dicit Aristoteles omni substantiæ commune esse non esse in subjecto, vel non suscipere magis & minus, sive nihil esse ei contrarium, nec in his tamen communitatibus quas assignat ullas intelligit formas; quas scilicet communitates potius removendo aliquid, quàm ponendo assignat. Et quemadmodum dicimus substantiæ proprium esse quod per se subsistit; quia videlicet ex eo quod substantia est, hoc solummodo exigit; & rei informis dicimus proprium esse quòd non habet formas, utpote ipsius Dei, vel rei simplicis quæ partibus caret, nullasque per hoc formas ponere videmur; sed prorsus omnium tam formarum quàm partium remotionem facere: aut si quis aliquas in hoc quoque formas intelligat; certum est ipsas omnino non esse diversas res ab ipsis substantiis quibus insunt. Ita & Patris istud esse proprium dicimus, illud Filii, atque illud Spiritus-sancti. Nolo autem sub silentio præterire, quare videlicet in adsignandis proprietatibus divinarum personarum tamdiu perstiterim, ut eas quidem proprietates non esse aliud ab ipso Deo vel ab ipsis personis astruerem. Hoc ideo plurimum faciendum esse decrevi, quod temporibus nostris nonnulli inter verè catholicos

Contra eos qui in Deo paternitatē à Patre distinguunt.

A computati, atque etiam per assiduitatem studii divinorum librorum cathedram magisterii adepti, in tantam prorumpere ausi sunt insaniam, ut proprietates ipsas personarum alias res esse ab ipso Deo vel ab ipsis personis profiteantur: hoc est Paternitatem ipsam, & Filiationem, & Processionem Spiritus, quas quidem ipsa etiam sanctorum Patrum auctoritas relationes appellat. In hanc autem hæresim ex hoc maximè sunt inducti, quod nisi proprietates istas, per quas scilicet personæ differunt, diversas res ab ipsa substantia divina ponant, nullo modo assignare valent, in quo sit personarum diversitas, quarum eadem penitus est essentia. At vero frustra hoc B diffugium quærunt, ut se absolvant; & frustra hanc falsitatem constituunt, ut veritatem defendant: quos, cùm interrogantur, nescire se profiteri pudet. Cùm enim unam tantùm & individuam esse divinam essentiam non præsumant contradicere, cui tres illas proprietates inesse dicunt: quæ est ideo major diversitas inter Deum Patrem & Deum Filium, quam inter hunc hominem patrem istius & eumdem filium illius, cùm videlicet idem homo & pater sit istius & filius illius? Aut si non est major diversitas ibi quàm hic, qua C ratione concedunt hunc hominem patrem esse, hunc hominem filium, & non Deum Patrem esse Deum Filium? Quid etiam valet hoc constituere quod summam non excludit controversiæ? Quomodo hoc præsumit Christianus quod etiam gentilis & quislibet abhorret infidelis, aliquid videlicet in Deo fingere quod non sit ipse? Numquid enim si Paternitas, quæ in est Deo, alia essentia sit ab ipso Deo, verum est Deum Patrem ex duobus consistere, hoc est ex Deo & Paternitate, ipsumque esse totum ad hæc duo ex quibus consistit? Numquid etiam pro eo quod has proprietates vocamus relationes, oportet eas D intelligi res diversas ab ipsa substantia, quæ ad aliquid relativè secundùm eas dicitur? Nequaquam utique. Alioquin & cùm Deus relativè Dominus dicitur, dominium ejus alia essentia ab ipso esset, cujus profectò susceptione mutari Deum contingeret cùm esse Dominus cœperit. Adversum quam detestabilem hæresim B. Augustinus v. libro de Trinitate capite XVI. apertè invehitur, Dei incommutabilitatem defendens in his quidem quæ ei ex tempore conveniunt. Certe, inquit, ut Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo, & ut tuus Dominus esset aut meus, qui modo E esse cœpimus; quomodo igitur obstinabimus nihil secundùm accidens dici de Deo, nisi quia ipsius naturæ nihil accidit quo mutetur, [a] aut ea sint accidentia relativa, quæ cum aliqua mutatione earum rerum de quibus dicuntur accidunt, sicut amicus relativè dicitur, & fit aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus autem cùm dicitur pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus est, neque cùm dicitur pignus. Si ergo nummus po-

(a) Apud Augustinum, *ut ea sint*.

» test nulla sui mutatione totiens dici relativè, » ut neque cùm incipit dici, neque cùm desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua » nummus est, mutationis fiat; quantò facilius » de incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relativè aliquid ad creaturam, ut quamvis tamen temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse intelligatur; sed illi creaturæ ad quam » dicitur, *Domine refugium factus es nobis?* In » nobis ergo fit aliqua mutatio, & efficimur ad » eum refugiendo meliores, in illo autem nulla.

Ps. 89. 1.

[a] » [a] Sed & Pater noster esse incipit, cùm per » ejus gratiam regeneramur. Substantia itaque » nostra mutatur in melius. Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, manifestum est » relativè dici, non secundùm accidens Dei, » sed planè secundùm accidens ejus ad quem » dici aliquid incipit Deus relativè. & quod » amicus Dei justus esse incipit, ipse mutatur, » Deus autem absit ut aliquem temporaliter » diligat, quasi nova dilectione. Itaque omnes » sanctos ante mundi constitutionem dilexit, » sicut prædestinavit: sed cùm convertuntur, » & inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi » dicuntur, ut eo modo dicatur, quo potest humano affectu capi quod dicitur: Sic & cùm iratus malis dicitur, & placabilis bonis; illi mutantur, non ipse: sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est, ipsorum mutatione, non sua. Nemo itaque quia Deum relativè Patrem vocari novit, sive Filium, proprietates istas relationum alias res esse à Deo præsumat confiteri, cùm & ipsius Augustini testimonio, quod longe ante posuimus; divina substantia ideo simplex dicatur, quod nihil sit in ipsa. quod etiam omnem naturam, aut Deum esse, aut ab ipso factam, apertè profitetur, sicut supra quoque meminimus. Sed & Hieronymus ipse, ut suprà quoque meminimus, proprietates ipsas personas dicit. Non » enim, inquit, nomina tantummodo, sed & nominum proprietates, id est personas confitemur. Nam & in nobis ipsis multa relativè accipiuntur, cùm nemo discretus relationes ipsas aliud à nobis esse concedat. quippe unaquæque res cuilibet alteri similis dicitur in eo quod esse habet; vel etiam opposita sive dissimilis in eo quod non est ipsa. Quod similitudo vel oppositio ab ea re cujus relatio dicitur diversa essentialiter sit, cùm ipsa rursus similitudo similis sit, & ipsa oppositio opposita, quis summum infinitatis inconveniens vitare rationabiliter poterit, cùm nullus in natura rerum terminus occurrat: ita ut nec Deo numerus ipse rerum definitus sit, qui in rerum natura definitus non subsistit, ubi quidem nullus terminus occurrit? Quid enim ridiculosius, ut cum aliquis modo nascitur, cui similis efficior, propter illum quædam res nova mihi innascitur, quam cùm ille perierit necesse sit deperire?

Quomodo Theologi personam in Trinitate accipiant.

Personam itaque hoc loco diversam ab altera dicimus, eo quod diffinitione ab ea disjungatur, hoc est proprietatis suæ singularitate, ut videlicet hoc sit hujus proprium quod non sit illius proprium. Quæ quidem propria superius sunt distincta. Et ita Pater à Filio proprietate sive diffinitione diversus est, hoc est alius; & similiter uterque à Spiritu-sancto. Quomodo autem beatus Augustinus, nisi hanc diversitatem propriorum sive diffinitionum attenderet, quomodo, inquam, dixisset in VII. de Trinitate, ut supra quoque meminimus, Quid aliud est Deo esse, aliud Patrem esse, cum videlicet idem numero sit in Deo ipsum ens & pater? Quod si expressius prosequi velimus quid sonet persona in Deo, tantumdem valet, quantum si dicamus, eum esse vel Patrem, hoc est divinam potentiam generantem; vel Filium, hoc est divinam Sapientiam sumtam; vel Spiritum-sanctum, hoc est divinæ benignitatis processum. Et Deum esse tres personas tantumdem valet, ac si dicamus eum esse Patrem simul & Filium & Spiritum-sanctum. Tale est etiam Patrem & Filium & Spiritum-sanctum esse tres personas ab invicem discretas, tamquam si dicamus tres personas ex diversitate proprietatum suarum ita ab invicem per prædicationem disjunctas, ut nulla earum sit altera, neque scilicet Pater sit Filius aut Spiritus-sanctus; neque Filius sit Spiritus-sanctus. De qua quidem prædicationis oratione plenè nobis differendum in sequentibus erit, & fortasse cum dicimus in Deo personas diversas, ita scilicet ut non solum sint diffinitione diversæ, verum etiam prædicatione ab invicem disjunctæ, cum hæc non sit illa: non est necesse ut hoc nomen *diversum* per se hanc significationem gerat, sed ex adjuncto quod est, persona id contrahat. Persona itaque, hoc nomen cum in divinitate profertur, & tantumdem sonat, quantum si sub disjunctione diceretur, Deus Pater, vel Deus Filius, vel Deus Spiritus-sanctus; quodammodo non substantialiter sed relative dicitur, cum ea videlicet quæ relativè dicantur, sub disjunctione denotet Patrem scilicet, Filium & Spiritum-sanctum, quamvis in constructione non habeat ad quod relative dicatur. Alioquin cum personas pluraliter dicamus, non ad probandum videtur quod beatum Augustinum supradixisse commemoravimus v. de Trinitate libro capite VIII. tantam videlicet vim esse ejusdem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu-sancto, ut quicquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Qui etiam cum ibidem in fine præcedentis capituli summisisset, quia sicut Filius ad Patrem, & non Filius ad non Patrem refertur, ita genitus ad genitorem & non genitus ad non genitorem referatur necesse est. Longe aliter quàm nos soleamus relativa dixit, non Filium & non Patrem, & non genitum & non genitorem, cum in his nominibus abnegativis magis relationes removeantur, quàm conferantur, nec naturaliter ista simul habeant esse, sicut de relativis constat. Non enim necesse est ut si aliqua res sit

(a) Apud Aug. *sic & pater noster.*

non generans, sit aliqua non genita vel è converso. Quodam itaque modo abusivè hæc quoque relativa dixit, secundùm illam relationum significationem quam remotivè tenent, sicut & non homo hominem perimendo significare dicitur, & quodlibet infinitum suum finitum.

Quomodo in Grammatica personæ nomē sumatur.

Ne mireris in eadem divina substantia tres personas distingui secundùm expositam rationem, cùm etiam secundùm grammaticam institutionem eumdem hominem tres personas esse concedamus. Primam videlicet secundùm hoc quod loquitur, & secundam in eo quod ad ipsum sermo dirigitur, necnon & tertiam cùm de ipso alter ad alterum loquitur. Quarum quidem personarum diversitas cum eadem sit ipsarum substantia, non aliter distingui possunt, quàm secundùm propria eorum quæ diffinitionibus exprimuntur, cùm videlicet aliud sit proprium loquentis, in eo scilicet qui loquitur, aliud audientis, vel de quo locutionem alter habet ad alterum, sicut & divinarum personarum diversitas secundùm proprias ipsarum diffinitiones est ad significata. Qui si hoc loco diversas personas dicere non abhorres, propter diversitatem scilicet proprietatum, cùm tamen hæ personæ non sint à se per prædicationem disjunctæ, ut non videlicet dici liceat primam personam esse secundam, & secundam tertiam. quippe Socrates ipse grammaticis omnis persona esse conceditur. multò magis in Deo diversas esse personas concedi oportet, quas prædicatione quoque à se disjunctas cognoscimus. Præterea sicut in grammatica cùm dicimus tres personas determinatè intelligimus loquentem, & ad quem loquitur, & de quo loquitur, ut supra meminimus: ita cùm dicimus in divinitate tres personas, determinatè intelligi convenit Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ut supra quoque astruximus. alioquin fortasse plures personas quàm tres videlicet confiteri cogeremur.

Quomodo in Rhetorica.

Rhetores quoque alio modo quàm theologi sive grammatici personam accipiunt, pro substantia scilicet rationali, ubi videlicet de persona & negotio agunt, & locos rhetoricos per attributa personæ & attributa negotio distinguunt. Quam quidem significationem Boëtius exsecutus in quarto Topicorum ait: Purgas cum facti culpa his ascribitur, quibus obsisti obviarique non possit, nec tamen personæ sunt. Id enim in aliam constitutionem cadit. Qui etiam hanc acceptionem personæ contra Euthicen & Nestorium disputans de unitate personæ Dei & hominis in Christo, tali prosecutus est diffinitione. Persona est, inquit, naturæ rationabilis individua substantia. quæ quidem nequaquam diffinitio dicenda est trium personarum in Divinitate superius à nobis distinctarum, hoc est Patris & Filii & Spiritus sancti. Alioquin cùm sint tres personæ, essent tres individuæ rationales substantiæ.

Quomodo in Comœdiis.

Personas etiam comœdiarum dicimus ipsos videlicet homines, qui per gestus suos ali- A qua nobis facta vel dicta repræsentant. Quas & ipse Boëtius ibidem distinxit dicens: Nomen personæ videtur aliunde tractum, ex his scilicet personis, quæ in comœdiis tragœdiisque eos quos interest homines repræsentabant. Tribus itaque seu quatuor modis ac pluribus fortassis hoc nomen Persona sumitur; aliter videlicet à Theologis, aliter à Grammaticis, aliter à Rhetoribus, vel in comœdiis, ut supra determinatum est. Cùm autem sicut in principio operis assignavimus, in tribus divinis personis, Patre videlicet, Filio, Spiritu-sancto, tota boni perfectio consistit, & omnia quæ ad boni perfectionem pertinent, in his tribus comprehenduntur; B bene hæ solæ tres personæ distinctæ sunt, cùm hæc tria nomina secundùm vim suæ significationis cetera omnia in se concludant, quæ ad commendationem boni sunt idonea. Quod enim æternus est Deus, potentiæ est, ut videlicet aliquo non eguerit principio per quod subsisteret; quod verò justus est, sive misericors, benignitas est. Justitia namque est quæ unicuique reddit quod suum est, sive pœnam sive gloriam pro meritis retribuendo. Hoc autem ex benignitatis affectu descendit, quia sicut impium est non judicare mala; ita è contrario pium est illatas ulcisci C injurias. Unde & vindicta benignitati adscribenda est, quæ scilicet benignitas nomine Spiritus designatur, sicut scriptum est, *Spiritu oris sui interficiet impium.* (Isa. 11. 4.) Similiter cetera nomina Dei, quæ ad perfectionem illius summi boni determinandam conveniunt, ad hæc tria retorquentur.

Sed huic loco gravis fortassis occurrit objectio, cùm videlicet Pater & Filius ex potentia & sapientia maximè dicantur, sicut in ipso operis exordio determinavi; quomodo melius per sapientiam Dei una est persona distincta, * quæ per æternitatem, cùm secundùm æternitatem quoque quædam sit diffi- D nitionis & diversitas. Sicut enim juxta Augustinum aliud est Deo esse, aliud Patrem esse; ita & aliud Deo esse æternum, aliud esse Patrem. Numquid etiam hac ratione multas & innumeras personas in Deo convenit confiteri? Quippe Deus ipse & potens est, & sapiens, & justus, & æternus, & misericors, & multa & innumera secundùm diffinitionum ac proprietatum diversitatem de eo dici possunt, secundùm quæ tamen non est fas assignare personas in Deo, cùm sint tres tantum quas distinximus personæ, id est Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Ad quod respondendum est non hoc nos suscepisse negotium, E cur hoc potius modo quàm alio personæ divinæ distinctæ sint; sed eas eo modo quo distinctæ sunt convenienter accipi posse, & fidem nostram tueri, si quis non ita, ut credimus, posse stare arguat; hoc autem discutere penes ipsum est Deum, à quo hæc fides tradita est, in cuju voluntate omnium rerum causæ incommutabiliter consistunt, quarum minimam nulla valet humana ratio compre-

* f. quàm.

hendere. Plures autem personas quàm tres A sive pauciores nullomodo in Deo esse concedimus; cùm persona in Deo tantumdem sonet determinatè, quàm vel Pater, vel Filius, vel Spiritus-sanctus, ut jam supra diffinivimus. Multa autem tradunt philosophi, quæ eo solummodo tenentur, quia auctoritate philosophorum confirmantur, non ratione aliqua quæ appareat. Quantò magis ea quæ Deus tradit, præsertim cùm præsto sit ratio, quare videlicet dicta sit hæc trium personarum distinctio, ad commendationem scilicet vel descriptionem summi Boni, sive ad majorem, ut supra meminimus, divini cultus B persuasionem. Licet & hæc nobis ratio desit quare hoc modo potius quàm alio summi Boni descripta sit perfectio, quæ & aliis fortasse multis modis æquè describi aut doceri posset.

Liquet etiam diversitatem personarum non tantùm in diversitate diffinitionum ac proprietatum consistere, verùm etiam in remotione prædicationis ipsarum ab invicem cum nullo modo una personarum sit alia. quam quidem remotionem ab invicem cetera supraposita non habent, cùm videlicet ipse Deus Pater sit æternus, & justus, & misericors; similiter & Filius idem sit, & Spiritus-sanctus. His de identitate aut diversitate rerum prælibatis, atque insuper adsignato in quo Unitas Dei, in quo Trinitas personarum sit accipienda, ad suprapositas quæstiones atque objectiones redeamus, singulis ordine, prout Dominus annuerit, satisfacientes, quarum primam primum solvamus.

Explicit Tertius.

LIBER IV.

Solutio.

QUÆSITUM primùm est an Trinitas personarum quæ in Deo sunt, in vocabulis an in re potius sit accipienda.

Trinitas personarum non in vocabulis sed in re accipienda.

Nos autem in re ipsa ita eam accipi debere prædicamus, ut ab æterno res illa unica simplex omnino & individua quæ Deus est, tres personæ sit, ut supra determinatum est, hoc est Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Tres quidem, ut diximus, secundùm diffinitiones aut proprietates, non secundùm numerum. Nam & hæc anima & quælibet res multa est & infinita secundum diffinitionum proprietates, non secundum numeri discretionem, eò videlicet quòd hujusmodi sit res, quæ sub diversis diffinitionibus cadat, hoc est cui diversæ applicari diffinitiones queant: diversæ, in- B quam, in sententia, non in rerum continentia. Hæc quippe anima & sapiens est, & justa; sed non idem est sensus sive intellectus diffinitionis justi, qui sapientis. Sicut ergo dicimus hanc animam esse diversam diffinitionibus, secundùm hoc scilicet quod est sapiens & justa: ita Deum concedimus esse diversas diffinitionibus personas, secundum hoc scilicet quod est Deus Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Et licet idem numero sit in Deo essentia quod personæ, non tamen ideo si est trinus Deus in personis, est trinus in essentia: vel si est unus in essentia, est unus in personis. quod est dicere, si sunt tres personæ, sunt tres es- C sentiæ: vel si est una tantum essentia, est una persona. Quippe cùm dicimus trinus in personis, hoc est tres personas, tres secundùm diffinitiones aut proprietates accipimus, ut supra satis docuimus. Cùm verò dicimus Trinus in essentia, hoc est tres essentias, tres essentialiter sive numero intelligimus. Possumus etiam ita accipere Deum esse trinum in personis & unum in essentia, tamquam si dicamus ipsum esse trium diffinitionum sive proprietatum, ut supra determinatum est ex per- A sonis ipsis, quod ipse est. In eo, inquam, trium diffinitionum, quod ipse est illæ personæ: Et rursus eumdem esse diffinitionis unius ex essentia quæ ipse est, in eo scilicet quod est illa essentia. Si autem idem esset diffinitione essentia quod personæ, ut videlicet idem penitus sonaret essentia quod personæ, tunc fortassis necesse esset Deum esse trinum in essentia sicut est in personis, aut unum esse in personis sicut est in essentia. In hoc videlicet sensu, ut si trium diffinitionum vel proprietatum esset ex personis & ex essentia similiter, aut si ex essentia unum esset, & ex personis unum. Cùm vero non sint idem diffinitione essentia & personæ, non est necesse hoc. Nam & cùm homo idem sit numero cum risibili & navigabili, vel Socrates cum loquente vel audiente & de quo alter ad alterum loquitur, non tamen * si homo est multa diffinitione, *f. sic. in eo scilicet quod est risibilis & navigabilis. Ideo in eo quod est homo, vel si unum diffinitione in eo quod homo, ideo in eo quod est risibilis & navigabilis. Similiter & Socrates cum sit tres personæ secundùm grammaticos, in eo scilicet quod est loquens, & audiens, & de quo alter ad alterum loquitur: non tamen in eo quod est Socrates vel quod est substantia, immo ipse unus est in substantia & trinus in personis secundùm grammaticos acceptis. Sic & Deus unus omnino est in essentia & trinus in personis: quia & in essentia unus tantum est in numero, & in personis tria diffinitionibus aut proprietatibus diversa. Trinitas itaque ista ad diversitatem diffinitionum vel proprietatum, ut dictum est, spectat; unitas ad essentiam: ideoque sibi minimè adversantur, cùm secundùm diversa, ut dictum est, Trinitas ipsa & Unitas accipiantur; illa videlicet secundum diversitatem diffinitionum aut proprietatum; hæc secundùm numerum.

Movet fortassis aliquem, quod diximus Trinitatem divinarum personarum in re esse accipiendam: ac si dicamus Deum esse trinum in personis, in eo quod ipse res est, cùm potius in eo quod res est, una tantum numero sit res, ac nullam in se habeat multitudinem, nec etiam proprietatum diversitatem. Et hic qui hoc dicit rectè sentit de eo quod dicit, sed non de eo quod à me supra dictum est & determinatum. Non enim ita Trinitatem in re accipi dicimus, ut in eo quod ipse Deus est res, trinum eum dicamus: Sed ita Trinitatem ejus in re esse determinamus, & non in vocabulis consistere, ut ipsa res quæ Deus est, ipsa sit Trinitas: non in quantum res ipse est, sed magis in eo quod est ab æterno illæ tres personæ per vocabula distinctæ. Non enim quia distinctio nominum facta est, Trinitas ista est; sed quia ista ab æterno Trinitas est, distinctio nominum temporalis facta est, ad hoc scilicet quod æternaliter est nobis assignandum qui ex tempore cœpimus. Unde cùm dicit Augustinus Deum unum in substantia, trinum in vocabulis; tale est trinum in vocabulis, ac si dicat trinum in his quæ per vocabula distinguuntur, hoc est in personis. Tale etiam in Isidoro reperitur, ubi in Ethimologiarum libri VII. capitulo IV. sic ait: Proinde Trinitas in relativis personarum nominibus est secundùm id scilicet quod in illis exprimitur ac designatur. In re itaque quæ Deus est Trinitatem accipimus, non in vi vocabulorum: quæ si omnino deessent, non minus illa in re ipsa permaneret Trinitas. In re, inquam, ita eam accipimus, ut ipsa res quæ Deus est, illa sit Trinitas, non in eo tantum quod est ipsa res, sed quod est personæ illæ suprà distinctæ. Longe autem aliud est rem ipsam esse Trinitatem, aliud eam in eo quod est res esse Trinitatem: sicut aliud est hominem esse album, aliud hominem in eo quod homo est esse album; & Socratem esse tres personas secundùm grammaticos, & in eo quod est Socrates esse tres personas illas. non itaque Deus aut in eo quod est una res, aut in eo quod sit multæ res, quod omnino falsum est, dicendus est Trinitas esse; sed in eo tantum quod est Pater & Filius & Spiritus-sanctus, hoc est harum trium particeps proprietatum supra determinatarum, ut videlicet & gignere habeat Deus & gigni habeat, atque procedere.

Notandum quoque quod nullam rerum multitudinem in divinitate concedamus esse, sed personarum solummodo. Augustinus tamen in primo de Doctrina Christiana res pluraliter abusivè dicere ausus est ad diversitatem personarum aspiciens, ait quippe sic: » Res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum. Illæ quibus fruendum est nos beatos faciunt. Istis quibus utendum est tendentes ad beatitudinem adjuvamur. Frui enim est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Uti autem quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum, si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potius vel abusio nominanda est. Si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur. Res igitur quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus-sanctus; eademque Trinitas summa una quædam res est, communisque omnibus fruentibus ea: si tamen res & non rerum omnium causa sit; si tamen & causa. non enim facile nomen quod tantæ excellentiæ conveniat inveniri potest. «

(Aug. l. 1. de Doct. chr. c. 3. 4. 5. — Rom 1. 20.)

In quibus verbis dum dicit si & si, quasi dubitativè magis quam confirmativè nullum horum creaturarum nominum divina excellentia dignum esse insinuat. Hieronymus quoque tres Spiritus, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum juxta divinarum personarum proprietates abusivè protulit, ubi quidem de tribus virtutibus Scribens ait sic: » David in psalmo tres Spiritus postulat dicens, *Spiritu principali confirma me*, *Spiritum rectum innova in visceribus meis*, *Spiritum-sanctum tuum ne auferas à me*. Qui sunt isti tres Spiritus? Principalis Spiritus Pater est, Rectus Spiritus Christus est, Spiritus sanctus Spiritus-sanctus est. «

(Ps. 50. 14. 12. 13.)

II

Quod autem opponunt Deum non esse tres personas, nisi etiam sit tria, & per hoc multitudo sit in Deo ex partibus juncta, frivolum est. Tres enim personas dici concedimus, & multas personas, sed non ideo tria per se, vel multa simpliciter dici convenit. Accidentaliter enim tres addimus ad personas, cùm dicimus tres personas: ideoque non est necesse, ut tria per se dicamus. Quæ enim accidentali prædicatione sibi conjunguntur, non est necesse sigillatim dici, quamvis conjunctim dicantur, sicut jam dudum ex secundo Perihermenias didicimus. Neque enim necesse est ut sit vigesimus primus, ideo sit vigesimus sive primus; vel si hæc sunt viginti unum, ideo sint viginti sive unum; vel si sit dimidia domus sive imperfecta domus, ideo sit domus; vel si hoc corpus sit parum ridens, ideo sit ridens; vel si sit magnus locus, ideo sit magnus; vel si aliquis sit citharœdus bonus secundum existimationem, ideo sit bonus; aut si Verbum sit factum caro, id est incarnatum, ideo sit factum; vel si Deus sit factus adjutor, ideo sit factus; vel si hæc vox *Est* propositio simplex, hoc est non habens propositiones in terminis, ideo sit simplex, id est non constituta omnino ex aliquibus per successionem vocibus; vel si hæc anima sit multæ personæ vel multi loci secundùm dialecticos, ideo sit multa, hoc est multæ res ab invicem discretæ. Est autem hæc anima multæ personæ secundùm grammaticos, cùm scilicet aliquis ad eam loquitur, & de ea alius, & de eadem anima diversa argumenta fieri possunt. vel secundùm hoc scilicet quod est oppositio alicui, vel quod est similis, vel secundum alias habitudines ex quibus ipsa est diversi loci; nec tamen ideo

quod anima est multi loci secundùm dialecticos, eo scilicet quod diversas vires probandi habet; ideo concedi oportet eam simpliciter esse multa. Similiter & Deum licet sit multæ personæ, hoc est Pater & Filius & Spiritus-sanctus, non ideo concedendum est eum esse multa, hoc est multas res, sive multas essentias, cum eadem penitus essentia quæ Pater est, sit Filius, sit & Spiritus-sanctus. Quippe multa hoc nomen, sive tria & quælibet numeralia nomina propriè ad numerum pertinent; ideoque in rebus tantum numero diversis rectè sunt per se accipienda. Huic etiam illud Boëtii de Trinitate concordat, » ubi de Deo ait: De forma ejus superius de- » monstratum est, quoniam is sit forma, & » unum verè, nec ulla pluralitas, unde etiam » sanctam & individuam dicimus Trinitatem. Poterit & fortasse quodammodo Deus & tria & multa dici, si videlicet tria & multa diffinitione vel proprietate non numero intelligamus, & magis veritatem sensus, quàm proprietatem verborum attendamus. Ipse quippe æternus est, immensus, creator, omnipotens, & alia multa diffinitionibus diversa, & ipse Deus & Pater est & Filius & Spiritus-sanctus: & ita quodammodo multitudinem in eo attendi licet, secundum videlicet diversitatem diffinitionum vel proprietatum, non numeri. Juxta quam quidem diversitatem apo-

Joh. 5. 7. stolus ait: *Et tres sunt qui testimonium dant in cœlo, & tres unum sunt*; nihil videlicet addens ad hoc nomen tres, neque personas, neque aliud. Hoc etiam Augustinus VII. de Trinitate libro capitulo IV. confirmat his verbis: » Dum intelligatur saltem in ænigmate quod » dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid » cùm quæreretur quid tria sint, quæ tria esse » fides vera pronuntiat, cum & Patrem non » dicit esse Filium; & Spiritum-sanctum qui est » donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Fi- » lium. Idem post aliqua in eodem capitulo: » Cùm conaretur humana inopia loquendo » proferre quod tenet de Domino Deo, timuit » dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa » summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non » esse tria quædam non poterat dicere, quod » Sabellius, quia in hæresim lapsus est, dixit. Tria itaque debere dici etiam Augustinus manifestè perhibet, secundum ipsam scilicet, ut dictum est, personarum diversitatem.

At rursus tria quomodo dicentur nisi & quædam sit multitudo? Quod si quis multitudinem personarum etiam per se multitudinem dici annuat, cùm omnis multitudo ex multis colligatur partibus; numquid & multitudo personarum, quæ in Deo sunt, partes habebit? Pars autem, teste Boëtio, prior est ab eo cujus pars est, & eo ejus constitutiva divisio in priora fit, sicut generis in posteriora. Oportebit itaque quamlibet trium personarum ipsa Trinitate quam constituunt priorem esse, & ipsam Trinitatem posteriorem esse singulis illis, si non tempore, saltem natura. Ipso etiam attestante Boëtio, non idem est pars quod est totum: quia una eademque essentia esse totius & partis non potest, cùm hæc in quantitate totius ipsius inclusa sit cum aliis, atque ideo minor. At vero & tota Trinitas, & singulæ personæ, sunt una & eadem penitus divina substantia. Dicamus itaque constanter, sicut incœpimus, nullam omnino multitudinem in divinitate consistere, licet multitudo personarum ibi sit; atque ipsam Trinitatem individuam penitus confiteamur: quia licet in ea diversæ, ut dictum est, personæ sint, nulla tamen ideo multitudo partium, vel quæcumque multitudo dici potest, ubi nulla est rerum atque essentiarum diversitas. Nullo itaque pacto concedimus multitudinem illam personarum dici absolutè multitudinem, nec quia multæ sunt personæ ideo dici multa simpliciter: quia quantumcumque quislibet & abuti verbis velit, neque hoc nomen multa, neque hoc nomen multitudo, nonnisi juxta numerum accipi rectè potest, hoc est nonnisi secundum pluralitatem aliquam ac diversitatem rerum in essentiis discretarum: ita scilicet diversarum, ut hæc essentia non sit illa: quæ quidem pluralitas nullo modo in simplicitate divinæ substantiæ potest esse: ac sic nec totum aliquod ex multitudine aliqua partium, cùm nullo modo ibi res multæ sint, licet multæ sint personæ, & nullo modo ibi sit diversitas rerum, licet sit personarum. Unde Leo papa in Sermone Pentecostes, In Trinitate, inquit, divina nihil dissimile, nihil « impar est. Tale namque est quod ait nihil, « ac si diceret nulla res; & quod ait Nihil est ibi dissimile, tale est ac si diceret: Nulla res ibi est diversa ab alia, cùm sint tamen diversæ ab invicem personæ secundùm proprietates suas superius distinctas, non secundùm numerum. Unde & Augustinus de Trinitate libro VII. capitulo VI. non tantum est unus « homo quantum tres homines simul; & plus « aliquid sunt duo homines, quàm unus homo. At in Deo non est ita. Non enim major essentia est Pater & Filius simul, quam « solus Pater aut solus Filius; sed tres simul « personæ æquales sunt singulis. Ac si diceret non in aliquo numero rerum excedentes, ne quem fortè moveat, quod Isidorus Etymologiarum libri * VI. capitulo IV. dum etymologiam nominis divinæ Trinitatis prosequeretur, ipsam Trinitatem unum totum ad singulas dixerit personas. His quidem verbis Trinitas appellata est, quod fiat unum totum ex quibusdam tribus quasi Trinitas attendat abusivè totum dici pro quacumque tam rerum quàm proprietatum multitudine. Qui etiam in eodem capitulo cum propria & appellativa Dei nomina distingueret, ita ab omni hominum ratione & usu recesserit, ut propria diceret quæ magis appellativa videntur, & è converso appellativè propria. In hac, « inquit, Trinitate alia appellativa nomina, alia « propria sunt. Propria sunt essentialia, ut Deus, « Dominus, omnipotens, immutabilis, im- « mortalis: & inde propria, quia ipsam signi-

* l. VII.

ficant substantiam qua unum sunt. Appellativa verò Pater & Filius & Spiritus sanctus; Ingenitus, Genitus & Procedens, eadem & relativa possumus etiam dicere, quòd cùm nominis hujus quod Trinitas etymologiam Isidorus reddiderit, vim ipsam nominis generaliter nobis expresserit, non singulariter in divina solummodo Trinitate. Et verum quidem est quod juxta propriam & usitatam significationem, si dicatur Trinitas vel tria, multitudinem rerum & numerum monstrant, quod in Deo minime convenit, ubi nequaquam multitudo est rerum, sed diversitas personarum.

Quod autem in eo quod dicitur talis Pater qualis Filius & Spiritus-sanctus, quædam similitudo innuitur, ut scilicet Pater sit similis Filio vel Spiritui sancto; tale est ac si dicatur, Non est in aliquo majestatis bono ab eo diversus, ut videlicet negatione magis quàm affirmatione intelligatur. Et similiter cùm dicitur æqualis esse, tale est ac si dicatur, in illa divinitatis gloria alia persona minor esse,* cùm sint ejusdem penitus essentiæ.

*adde non potest.

[a] Sed & cùm [1] Athanasius præmisso, Qualis Pater, talis Filius & Spiritus-sanctus, statim adjecit, quasi ad determinandum in quo sint similes, hoc est non diversi, dicens: Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus-sanctus, &c. apertè declaravit, quomodo id quod præmiserat intelligendum esset, ut videlicet idem quod uni personæ convenit, & alteri, de his scilicet quæ statim adjungit. Nec fortassis incongruum est, si similia dicamus non solum quæ essentialiter vel numero diversa sunt, verum etiam quæ proprietatibus disjunguntur. Sic quippe propositionem & conclusionem convenire dicimus in terminis & in aliis multis, cùm non sint tamen ab invicem numero vel essentialiter disjunctæ propositio & conclusio. Unde etiam divinas personas non est incongruum hoc modo similes ad invicem dici. Simile etiam quandoque pro eodem ponitur, sicut in tertio Topicorum, ubi ait Boëtius, quod locus à contrario & à repugnantibus videtur esse similis, hoc est idem. Quippe sicut dicimus aliquid diversum à seipso fieri, atque differens, sive dissimile, ac non idem permanere, quando mutatur; cur non aliquid quodammodo simile sibi dicamus quando id permanet nec variatur? Quid enim est simile alicui, nisi tale esse quale illud est? Ac similiter simile sibi tale esse, quale primitus erat. Quam quidem rationem Augustinus secutus libro primo de Vera Religione, cùm de identitate atque incommutabilitate divinæ pulcritudinis ageret ait: Quamobrem sanandum » esse animum ad intuendam incommutabilem » rerum formam, & eodem modo semper se » habentem, atque undique sui similem pulcri» tudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem ex omni par« te servantem, &c. Simile itaque pro eodem « dixit, & in hac quoque acceptione potest dici, Pater similis Filio vel Spiritui, hoc est idem penitus cùm illo in substantia, sive in his quæ statim Athanasius determinavit, cùm videlicet illud idem quod immensum est Pater sit & Filius, &c.

Aug. de Vera Relig. c. 3.

IV. Sed & illud quod opponitur, cùm unumquodque quod existit sit vel substantia vel forma, quomodo multa dici possunt, si non sint multæ substantiæ, vel multæ formæ, vel multa ex utrisque conjuncta? Jam jugulatum est, secundùm illud quod jam negavimus omnino Deum esse multa, quia licet sit multæ personæ, non ideo fortassis est multa simpliciter; cum videlicet multitudo, sicut dictum est, rectè non sumatur, nisi in discretis essentiis ac numero diversis. Secundùm verò illud quod quis receperit Deum esse multa quantum ad diversitatem proprietatum, ut expositum est, seu diffinitionum non procedit conclusio, ut videlicet si Deus sit hoc modo multa, ideo sit aut multæ substantiæ, quod sonat numero diversæ, aut multæ formæ, &c. Eadem quippe anima seu quælibet substantia est multa diffinitionibus, nec tamen ideo multæ substantiæ vel cetera. Quod si esset multa numero, tunc indubitanter conclusio præmissa procederet.

V. Illud autem quod quæsitum est, quare videlicet magis dicitur Deus Trinus, quam substantia trina, rationabiliter interrogatur, & magis, [b] ut arbitror, oportet dici Deum esse Trinitatem, quam Deum esse trinum. quod licet sincera & sana intelligentia esse possit, si dicamus Deum trinum quantum videlicet ad proprietates personarum; non tamen ratio videtur cur magis dicamus trinum, quàm substantiam trinam. Multo etiam minus tripartitum dici Deum approbamus, licet in sensu Sanctus ille qui hoc dixit non oberraverit, Trinitatem scilicet personarum intelligens.

VI. Illud verò multis modis refellitur, quod cùm unaquæque trium personarum sit Deus sive substantia, neque una persona sit alia, non tamen ideo plures dii sunt sive substantiæ. Non enim necesse est, ut cùm de aliquibus sigillatim dicatur nomen singularis numeri, plurale de eisdem simul dicatur. Nam cum Plato alterius hominis, alterius Socrates frater sit, & per hoc concedatur & Plato esse frater, & Socrates esse frater; non ideo fortasse concedi convenit Platonem & Socratem esse fratres: quod nequaquam dici solet, nisi ad ostendendum quòd sint invicem fratres. Sed & cùm tam hæc albedo quàm ille color sit, non tamen propterea diversos esse colores dicimus, cùm non sint colores specie differentes. Duobus quoque hominibus assistentibus mihi, cùm profero hanc vocem *homo*, per quam uterque intelligitur animal rationale

[a] Hæc desumta sunt ex symbolo quod singulis diebus Dominicis ad Primam canit Ecclesia, quodque vulgo tribuitur Athanasio, ut hic, sed non est illius.

[b] Eadem fuit sententia Hincmari Remensis archiepiscopi, qui contra Gotescbalcum collectionem ex SS. Scripturis & Orthodoxorum dictis scripsit de *una & non trina Deitate*. At Gotescbalci sententiam approbavit Ecclesia universa, quæ quotidie resonat in templis *Te Trina Deitas unaque poscimus*.

tionale mortale, diversa quidem est essentia hujus intellectus, & essentia illius. quare unaquæque est intellectus, nec tamen ideo multos intellectus dicimus, cùm hæc diversa concipiant nec diverso modo. Et cùm multa nomina vel multæ affinitiones incidunt in unam vocem, omnis autem affinitio & omne nomen sit vox sive essentia; non tamen ideo multas voces dicimus, sive multas essentias. Sed & cum dolium quod in domo est sit quidam locus, & ipsa rursus domus sit quidam locus, nec sit iste locus ille, non tamen diversa loca dicimus dolium ipsum & domum: alioquin vinum, quod in dolio est, in diversis esset locis; cùm nullum, ut supra meminimus, corpus in diversis locis esse constet. Sed & cum unaquæque res tantum post proprium habeat, hoc est quantamcumque moram existentiæ suæ, non tamen diversa tempora accipimus, nisi per successionem. Præterea in uno homine multæ sunt partes ita ab invicem diversæ, ut hæc non sit illa; vel in uno ligno, vel in una margarita, quæ ceteris partibus abscissis vel remotis, homines vel ligna seu margaritæ dicuntur: quarum etiam partium unaquæque ante abscissionem homo erat, sive lignum, seu margarita. non enim separatio nostra quicquam in substantia confert ei quod remanet, vel quod remotum est, quod prius non haberet: quia abscissa manu, id quod tunc homo permanet & ante abscissionem homo permanebat. Quædam pars latens in homine, qui integer erat, similiter postea abscindatur, residuum homo est, quod non homo erat ante ipsam abscissionem, cùm tunc quoque hominis diffinitionem haberet, quo tunc etiam animal erat, cùm esset animatum & sensibile, & eodem modo rationale & mortale, quo modo & nunc. Cùm itaque ante omnem abscissionem multæ partes essent in uno homine, quarum unaquæque esset homo; non tamen ideo multi homines in uno homine erant, quia multos homines non dicimus, nisi multis animabus vegetatos. Si autem cùm essentialiter diversæ res sunt, quarum unaquæque est intellectus, sive homo, non ideo tamen dicimus multos intellectus vel multos homines: quanto magis non oportet dici multos Deos, vel multas substantias, quamvis unaquæque personarum Deus est sive substantia, quarum eadem penitus est essentia? Cùm enim trium personarum secundum grammaticos quæ in Socrate sunt, unaquæque sit Socrates, sive homo, cùm videlicet ipse loquens sit homo sive Socrates; & ipse ad quem aliquis loquitur, vel de quo loquitur, non ideo tres Socrates vel tres homines dicimus, cùm sit trium personarum eadem essentia: hoc est ejus qui loquitur, & ad quem aliquis loquitur, vel de quo loquitur. Eadem de causa & trium personarum quæ in Deo sunt, cui sit una essentia, licet unaquæque ipsarum sit Deus sive substantia, non ideo oportet tres Deos dici sive tres substantias: cùm sæpe, ut

A supra meminimus, voces ex adjunctis significationem suam varient, utpote hæc dictio tres & aliæ multæ. Eumdem quippe hominem tres opifices dicimus esse secundum trium officiorum scientiam, non tamen ideo tres homines. Græci tamen, teste Augustino, non reverentur tres substantias dicere magis quàm tres personas. Unde in VII. de Trinitate capitulo IV. ita meminit: Loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo possemus modo, quod effari nullo modo possumus, dictum est à nostris Græcis una essentia, tres substantiæ, à Latinis una essentia vel substantia, tres personæ: quia, sicut jam diximus, non aliter in B sermone latino essentia quam substantia solet intelligi. Item, Quod de personis secundùm nostram, hoc est de substantiis secundùm Græcorum consuetudinem. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres personas, unam essentiam vel substantiam. Non est autem nunc nobis sermo adversus Græcos, nec fortassis à nobis in sensu diversi sunt, sed in verbis tantum, abutentes hoc nomine substantiæ pro persona, cùm & ipsam nonnumquam usiam id est substantiam ad naturam ipsius essentiæ, non ad proprietatem personæ, in C ipsa quoque animæ substantia dicere non recusent, sicut & in ceteris quibuscumque substantiis, quibus hoc nomen totius prædicamenti substantiæ commune est. Ipsi quippe ad identitatem substantiæ in tribus personis intelligendæ, novum nomen Homousion quod est unius substantiæ instituerunt. Quam quidem acceptionem Hieronymus quoque secutus ad Damasum scribens, Omousion Trinitatem ipsam confitetur, hoc est unius substantiæ, non unius personæ. Hinc & Gennadius de Ortodoxa fide meminit dicens: [a] Omousion ergo, id est coessentialis in divinitate Patri Filius, Omousion Patri & Filio Spiritus-sanctus. Unde liquidum est; cùm D tres substantiæ à quibusdam eorum dicuntur, substantias pro personis abusivè dici. Quam quidem abusionem apertè ac merito Hieronymus reprehendit, scribens ad eumdem Damasum papam de novo nomine trium hypostaseos his verbis: Interrogamus, quid hypostasis posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Si quis autem hypostasim usiam intelligens, non in tribus personis unam hypostasim E dicit, alienus à Christo est. Item idem: Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim nisi usiam novit, & quis umquam, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit? Una est Dei sola natura, quisquis tria esse, hoc est tres hypostases dicit, tres naturas conatur asserere. Et si ita est, cur ab Arrio parietibus separamur, perfidia copulati? sufficit nobis dicere unam substantiam tres personas perfectas, æquales, coæternas. Non

Græci substantiæ vocabulū pro persona usurpant.

Gennad. de Dogm. Eccl. c. 5.

Hier. ep. 14. novæ edit.

(a) Legendum *Homousios* ut apud Gennadium.

» bonæ suspicionis est, cùm in eodem sensu » verba dissentiunt. Aut si rectum putatis tres » hypostases cum interpretationibus suis debere » nos dicere, non negamus. Sed mihi credi» te, venenum sub melle latet. Transfigurat » se angelus sathanæ in angelum lucis.

VII. Quod autem opponitur quare potius tres personas dicimus, quam tres Deos, aut tres essentias, jam arbitror ex suprapositis esse manifestum: quia videlicet personarum diversitas ad distinctionem proprietatum pertinet, non ad discretionem essentiarum. Ideoque tres sunt personæ, quia diversa insunt propria eidem essentiæ, cùm ex eo quod Pater est aliud proprium habeat vel aliud exigat; & aliud ex eo quod est Filius vel Spiritus-sanctus. Tale est ergo Deum esse tres personas, ac si dicamus ipsum esse Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Plures autem Deos esse si dicamus, sicut plures homines, discretionem rerum essentialiter diversarum demonstramus quare unaquæque sit Deus. Sic & Socratem secundùm grammaticos plures personas dicimus, sed non plures homines. Eadem ratione nec plures Dominos vel plures potentes dici convenit, nec ulla omnino assignanda est Deo pluralitas nisi in personis.

VIII. Objectum quoque est, quomodo dicimus Personæ sunt, nisi dicamus essentia id est essentiæ sunt? Sed hoc modo dictum est quo dicimus Athenæ sunt, sicut vel hic albus & homo sedens idem sunt. Non enim semper pluralitas vel singularitas vocis ad significationem respicit; sed quandoque ad terminationem vocis vel constructionem, velut cùm dicimus numerus est, * hoc unitates sunt; & Athenæ sunt, hoc est hæc civitas est. Quandoque etiam secundùm pluralitatem vocum plurale verbum significatè proferimus, sive etiam plurale nomen etiam quando eadem est penitus vocabulorum intelligentia, non tamen eadem essentia, veluti cùm dicimus ensem & gladium esse multivoca. Unde Boëtius in primo Topicorum: Quarum rerum, inquit, eadem diffinitio, ipsæ quoque res sunt eadem. Cùm autem figuratè dicimus sunt, ubicumque scilicet una tantum res est, non est necesse dici entia vel essentias: quia sæpe cùm eædem sint voces in significatione per se acceptæ, una earum constructionem habere potest per figuram in uno sensu, quam non habet alia.

* f. hoc est.

IX. De eo etiam arbitror esse discussum quod dictum est hoc nomen Deus magis universale quàm singulare dicendum esse, cùm de divinis personis dicatur. Quippe diversitas illa personarum non in discretione essentiæ constat, sed magis in diversitate proprietatum vel diffinitionum, ut diximus; sicut & diversitas personarum secundùm grammaticos, quæ scilicet personæ insunt Socrati, propter quas tamen non minus hoc nomen Socrates singulare est.

X. Sed illud hoc loco maximum impedimentum occurrit, quod essentialiter quoque ab A invicem personæ quæ in Deo sunt discretæ videntur, cùm hæc scilicet non sit illa, quod non est in grammaticis personis. Ad quod respondendum est, quod non magis istæ personæ essentialiter discretæ sunt quàm illæ, cùm sit harum quoque sicut illarum una eademque penitus essentia ad comparationem unitatis; cujus, hoc est, divinæ essentiæ nulla vel corporea vel spiritualis creatura dicenda est una, cùm hæc omnino nullam aut partium aut formarum diversitatem admittere possit, nec in aliquo permutari. Quocirca, inquit Boëtius « de Trinitate, hoc vere unum in quo nullus « numerus, nullum in eo aliud præter id quod « B est. Unde bene eam philosophi monadem id « est unitatem magis quàm unam vocare voluerunt. Cùm autem nulla sit in personis discretio essentiæ ab invicem, non tamen oportet dici Pater est Filius vel Spiritus-sanctus; vel Filius est Spiritus-sanctus: quia etsi quis forte sanum sensum in suis verbis habere queat, eo scilicet quod eadem essentia quæ Pater est, sit & Filius & Spiritus-sanctus; sensus omnino falsus est secundùm sanctorum Patrum acceptionem, quæ est hujusmodi, ac si dicamus personam * ... ntem esse personam genitam vel esse personam ab utrisque procedentem, quod est dicere eamdem esse proprietatem C utriusque personæ: ita videlicet ut utræque personæ sint eadem diffinitione terminandæ atque exprimendæ, quod omnino falsum est. quippe cùm idem sit numero status risibilis & status navigabilis, atque insuper de quocumque dicatur risibile dicatur & navigabile: non tamen hunc statum illum esse dicimus, hoc est risibile idem esse diffinitione cum navigabili, cùm aliud sonet hoc nomen risibile, aliud hoc nomen navigabile, licet eadem res penitus sit utrique nomini per appellationem subjecta, ipse videlicet homo, cui tam risibile quàm navigabile proprium assignatur. Quia ergo statum eumdem vel diversum non dici-D mus, nisi secundùm expressam atque integram diffinitionem aut proprietatem, oportet cùm hic status ille dicatur, hanc rem cum illa eadē penitus inexpressa proprietate monstrari. Sic & in divinis personis cùm ad proprietates earum, non ad numerum rerum tota spectet diversitas, non potest hæc verè illa dici, dum sit aliqua proprietatis diversitas, *etiam diversis in sensu nominibus exprimatur, sicut & in ipsis contigit personis. Aliud quippe sonat Deus Pater, aliud sonat Deus Filius, aliud sonat Deus Spiritus-sanctus & aliud proprium habet Deus Pater, in eo scilicet quod generat Deum Filiū; E aliud Deus Filius, in eo videlicet quod ab eo generatur; aliud Deus Spiritus-sanctus, in eo scilicet quod procedit Qui itaque dicit de Deo Pater est, * Filius non simplicem enuntiationem facit, ad identitatem scilicet tantum essentiæ demonstrandam, ac si videlicet ita diceret, Hoc quod est Pater est Filius; sed insuper proprietatum exprimit unitatem, ac si videlicet dicat, idem proprium esse hujus quod est illius, sicut si diceret hunc statum illum esse

* f. generantem.

* f. etiamsi.

* f. Filii.

in his omnibus, quæ diversis in sensu nominibus A sunt exprimenda; quod omnino falsum est, quamvis sit eadem utrique personæ essentia. Nam & sic solemus dicere, non idem esse utile quod honestum, etsi id quod est utile sit honestum: nec idem esse Grammaticum & Oratorem, cum scilicet aliud sit proprium hujus, aliud illius; quia licet eadem sit essentia Grammatici & Oratoris, aliud tamen est esse Grammaticum, aliud esse Oratorem; & aliud esse hunc Grammaticum quàm hunc Oratorem; & aliud esse risibile quàm navigabile, licet una penitus sit utriusque substantia. Sic etiam licet eadem sit Patris & Filii substantia, diversum est tamen esse Patrem B & esse Filium. Unde Augustinus libro v. de Trinitate, quamvis, inquit, diversum sit Patrem esse & Filium, non est tamen diversa substantia. Idem in VII. Aliud est, inquit, Deum esse, aliud Patrem esse: Sed & cum eadem vox sit quandoque nomen & verbum, vel dictio simul & oratio; nomen tamen non esse verbum concedimus, cum hoc sine tempore sit, illud cum tempore: & dictionem non esse orationem, cum partes dictionis in ea significativæ non sint, sicut sunt orationis. Sed nec fortasse personas Grammaticorum per prædicationem conjungi convenit, ut vi- C delicet una persona sit altera, licet idem sit una quod altera, ut supra meminimus. Cum enim sint diversæ tres personæ secundum Grammaticos, prima videlicet, secunda & tertia; non est fortasse una persona alia persona cum ipsa diversa persona ab alia. Quippe cum aliquorum diversitas tantum in proprietate ipsorum aut in differentia statuum consistit, non in numero vel in essentia, recte identitas eorum in hoc ipso monstratur per prædicationem ipsorum ad invicem, ut videlicet cum dicitur hæc persona esse illa, quæ proprietate tantum vel diffinitione, hoc D est statuum diversitate disjunctæ sunt, intelligatur hæc eadem esse cum illa in hoc ipso, hoc est proprietate vel diffinitione, quod omnino falsum est tam in his personis quàm in divinis. Præterea multa sunt, ut supra meminimus, numero eadem, quorum tamen nomina per prædicationem disjuncta sunt, quod maxime vis quædam relationis facit, quæ in illis nominibus continetur, cum videlicet omnis relatio inter opposita consistat. Idem quippe est numero materia Socratis & Socrates, & prius Socratis & Socrates; & perpetuum Socratis & Socrates: cum videlicet hoc corpus sive hoc animal idem sit quod Socrates; E nec tamen dici convenit, ut Socrates sit materia Socratis, quamvis sit idem quod est materia Socratis; aut ut sit prior Socrate, hoc est seipso; aut ut sit perpetuus, licet sit hoc quod est perpetuum, utpote hoc corpus. Sic nec Patrem convenit dici Filium suum, aut Filium esse Patrem suum, hoc est alterum ex seipso, ipso esse gignendo seipsum, sicut nec Socrates dicitur ex seipso esse, ut sit videlicet materia sui vel materiatus ex se, licet idem sit Socrates cùm materia sui, hoc videlicet corpore, vel cum materiato sui, videlicet Socrate albo, sicut idem est Pater quod est Filius secundum substantiæ identitatem, non personæ proprietatem. Sed dicet mihi aliquis: Dicam Pater & Filius, & sane intelligam, ita scilicet, quod eadem essentia quæ est Pater est & Filius. Nam & ipso attestante Augustino in libro de duabus animabus, de verbis cum res constet, controversia facienda non est. Idem in IV. super Genesim, Dum intelligatur, inquit, quod intelligendum est, non magnopere curandum est quod vocetur. Et post pauca, Hoc est, inquit, quod dixi dum res conceditur, non esse de vocabulis laborandum. Ad quod respondeo, quod placet mihi sola intelligentia; sed requiro verba esse catholica: quia non sine causa Apostolus novitates verborum nos vitare admonet, tum ideo ne contemtores Sanctorum videamur & Spiritus-sancti qui loquitur in eis; tum etiam magis, ne si tu in verbis tuis sanum sensum haberes, alius in eis offenderetur, qui sensum tuum non intelligeret, & scandalum erroris inde sumeret. Habe itaque etiam cum sensu verba idonea, ad ædificationem, non ad scandalum; & dicas ad hunc sensum manifestandum, Non Pater est Filius, sed hoc quod est Pater est Filius, hoc est eadem est utrorumque essentia sive substantia. Nec dicas hanc personam esse illam, quod est dicere idem esse proprium utriusque, sed hanc personam idem esse quod illa est, hoc est ejusdem substantiæ esse. In quanta autem veneratione etiam verba divina habenda sint, vis ipsorum admonet, quæ quotidie Sacramenta ecclesiæ conficit, cùm ad invocationem sui nominis mira Deus operatur, etiam per immundissimos ministros. Unde & merito christiana religio verbis quoque divinis reverentiam exhibens, sola ipsa vocabulum *Dei* usurpare non consuevit, sed immobile illud custodit, quod tam à gentibus, quam Judæis ad creaturas nonnumquam detortum est, cùm utrique deos nominent. Ipse etiam Priscianus doctor & scriptor loquendi in locutionibus maxime usum æmulandum esse admonet. Bene equidem cùm locutio significationem non ex placito hominum habeat. Quod vero ait Augustinus: de verbis cùm res constet controversia facienda non est, ibi sane intelligendum, ubi de rebus contentio orta est, hoc est de inquirenda & discutienda veritate rerum potius quàm de proprietate verborum. Cùm enim jam id habemus quod quærebamus, hoc est illam rerum certitudinem quam investigabamus; non est curandum quo genere verborum id nobis significetur aut comprobetur, cùm jam ita esse teneamus. At verò si de verbis quæstio mota fuerit, an videlicet sermo qui dicitur, hoc vel illud habeat dicere sicut hoc loco quæritur, cur non scilicet verè dicatur Pater est Filius, tunc tota controversia ad vim verborum est referenda. Dicit fortasse aliquis quod secundùm propositam ex-



positionem, in qua dicitur Pater non est Filius, hoc scilicet modo quod non est idem proprium utriusque, licet etiam dicere Pater non est Deus, vel homo non est animal; cùm videlicet non sit idem proprium istorum sicut nec illorum. Ad quod respondendum est quod verba nostra ad Deum translata, ut jam supra meminimus, ex ipsa singularitate divinæ substantiæ, sicut singularem significationem, ita & singularem nonnumquam constructione contrahunt sensum. Præterea non oportet figurativas & improprias locutiones porrigi ultra hoc quàm auctoritas vel usus habet, si ad doctrinam & intelligentiæ facultatem loqui intendimus, ut cùm dicitur figurativè de Deo quia nescit malos, ideo figuram extendentes dicamus, quia non scit omnes homines, vel nescit omnia. Vel si dicam quia adoro crucem, ideo concedam me adorare insensibile vel lignum. vel si dicam me credere in Christum vel adorare eum, qui etiam figurativè lapis aut serpens dicitur; ideo me in lapidem credere vel in serpentem annuam, vel adorare lapidem aut serpentem. Aut cùm Christus ex divinitate & humanitate una sit compacta persona, & pro parte Deus, pro parte homo dicatur, atque in ipso homo Deus esse dicatur, quia hic illi in unam personam sit unitus, sitque divina substantia æterna, humana non æterna, non tamen ideo concedere cogimur quod non est æternum esse æternum; nec Scripturæ figurativas locutiones ultra hoc quod scriptum necesse est extendi. Sed nec cuiquam fas est, à consueta significatione sermonem commutare, nisi ei cujus gravissima videtur auctoritas, aut aliqua ornatus hoc commendet gratia. Quid etiam mirum si voces cùm à creaturis ad Deum transferuntur, significationem varient, utpote hoc nomen Pater vel Filius, constructionis quoque vim commutent, cùm illæ etiam id faciant quæ significationem nullatenus mutare videntur. Nemo quippe rectè intelligens unitatem aut plerasque alias formas ita à subjectis substantiis dividit, ut eas ab eis numero vel essentialiter diversas existimet. Nec quis, cùm dicit unitatem Dei, vel unum Deum, aut simplicitatem Dei, & simplicem Deum, sicut unitatem animæ vel unam animam, aut simplicitatem animæ vel simplicem animam ad alium sensum hæc nomina in Deo accipit, quàm in animam: non tamen ita dicimus unitatem vel simplicitatem esse animam, sicut esse Deum. Sed quælibet formarum nomina Deo copulata solam identitatem essentiæ monstrant: ac si dicamus idem esse unitatem quòd Deum, quod minime in ceteris contingit substantiis, sicut alibi, cùm de discretione prædicamentorum dissereremus, ostendimus. Quid itaque mirum si Pater & Filius hæc nomina à creaturis ad Deum translata in creaturis sibi copulata solam identitatem essentiæ monstrent, in Deo autem id solum non faciant, sed & insuper identitatem proprietatis, cum è contrario nomina formarum

A Deo copulata, solam identitatem essentiæ monstrent quæ in creaturis contenta non sunt?

XI. Illud autem Athanasii, quod ait Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus-sanctus, maxime fortasse confirmare videtur, ut concedamus Filium quoque, sive Spiritum-sanctum esse Patrem, cùm scilicet, ut supra diximus, Pater ex potentia sit dictus, sicut Filius ex Sapientia, & Spiritus ex benignitate. Quis etiam negare queat quin unaquæque personarum potens sit & sapiens & benigna? Cum itaque Filius sit Deus omnipotens, & tantumdem valeat dicere Deum

B omnipotentem, quantum dicere Patrem, numquid & Filius est Pater? Ad quod primum respondere satis arbitror, quod sæpe, ut diximus, voces per se acceptæ eamdem vim penitus habent atque æquipollentiam juxta propriam earum significationem, quæ tamen eamdem vim in constructione non custodiunt. Nam, teste Prisciano, amans & qui amat idem valent, non tamen sicuti de eo qui modo non amat verum est dicere quod erit amans, ita verum est dicere quod erit qui amat. Unitas quoque & unum, & sessio

C & sedens, eadem penitus fortasse sunt in significatione, non in constructione, sicut alibi docuimus, cum de discretione prædicamentorum nobis esset tractandum. Quid igitur mirum est, si ponamus hæc nomina Pater & Deus omnipotens ejusdem penitus esse significationis in Deo, non tamen ejusdem constructionis esse concedamus, nec ea in contextu orationis eumdem penitus custodire sensum? Atque ita dicere licebit quod hæc enunciatio Pater est potens, sive sapiens, aut benignus, ad identitatem tantum essentiæ sit accommodata, ac si dicatur quod is qui Pa-

D ter est, sit potens sive sapiens aut benignus. Hæc autem enunciatio Pater est Filius sive Spiritus sanctus, ad identitatem, ut dictum est, proprietatis tantummodo spectat, ut videlicet idem sit utriusque proprium, ut expositum est, ideoque tantummodo falsa est enunciatio. Præterea quis ex suprapositis edoceri non possit, quod non idem penitus sonent in Deo hæc nomina Pater & Potens; & Filius & Sapiens; & Spiritus-sanctus & Benignus? Alioquin non magis relative invicem dicerentur Pater & Filius, quam Potens & Sapiens; vel Spiritus-sanctus ad Patrem & Filium, quam Benignus. Non itaque Pater hoc

E nomen sonat tantummodo divinam potentiam, verum etiam ipsam ut gignentem determinat; ac si ita dicatur, Divina Potentia generans divinam Sapientiam. Nec Filius simpliciter ostendit divinam Sapientiam, verum & ipsam significat tamquam ex Patre genitam. Sed & Spiritus-sanctus divinam Bonitatem tamquam à Patre & Filio procedentem determinat. Unde recte hæc nomina Pater, Filius, Spiritus-sanctus discretiva personarum sunt: hoc est earum ab invicem diversitatem monstrantia; cum videlicet hanc personam

tamquam generantem, illam tamquam generatam ab ista, & rursus aliam tamquam procedentem ex istis duabus hæc nomina discernant. Quædam enim differentia rerum prædicatione ab invicem disjunctarum, in relativis nominibus insinuatur, unde ipsa ab Aristotele opposita dicuntur; & quædam prædicationis disjunctio innuitur in eo qui generat & qui ab ipso generatur; & in eo qui procedit & à quibus procedit. Unde mirabile non est, si ex hujusmodi personarum discretione hæc nomina ab invicem per prædicationem disjuncta sint: quæ relationes & significent & copulent; & non illa suprapposita quæ minime sunt relativa: quod & ipsis quoque rerum aliarum generationibus seu creationibus facile est assignari, ubi etiam rei generantis & genitæ est eadem essentia. Ex materia quippe ipsum materiatum generari & creari quodammodo tradunt philosophi. Unde Plato Ylen, id est corpoream naturam tamquam matrem corporum ponit: Et Boëtius in libro Divisionum genus dividi in species quasi in quasdam à se quodammodo creationes dicit, eo quod species ex ipsa generis substantia nasci & confici habeant superveniente forma: ut homo ex animali superveniente animali rationalitate & mortalitate; sicut statua ex ære superveniente figura. Et cum idem sit materia quod materiatum, sicut idem est animal quod homo; vel hoc æs quod hæc statua: non tamen ipsum materiatum est materia sui, aut ipsa materia est materiata ex se, licet sit hoc ipsum, quod est materia ejus. vel sit hoc ipsum quod est materiatum ejus, utpote hæc statua est hoc æs, & hoc æs est hæc statua. Et sonent idem hæ voces per se acceptæ, materia & id ex quo aliquid materialiter constat, vel materiatum, & id quod ex aliquo materialiter conficitur; non tamen in constructione de eodem necesse est ea prædicari, cum hæc vox substantiam complet illa proprietate: quæ quidem proprietas in relatione consistit materiæ scilicet vel materiati: de qua nos quidem prædicationis differentia supra satis disseruisse arbitror. Magna itaque discretio adhibenda est in his enunciationibus quæ de Deo fiunt; quæ videlicet tantum ad identitatem essentiæ, quæ ad identitatem quoque proprietatis sint accommodatæ. Ad identitatem quidem essentiæ tantum non etiam proprietatis hæ spectant, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus-sanctus est Deus, vel æternus, vel Dominus, vel creator, vel omnipotens, vel immensus, seu justus, sive misericors, & aliæ multæ, ideoque veræ sunt. Hæ vero adnunciationes Pater est Filius vel Spiritus-sanctus; vel Pater est Genitus seu Procedens, ad identitatem proprietatis aspiciunt, ideoque omnino falsæ sunt. Ibi quippe solummodo ostendebatur idem esse rem prædicati & subjecti termini, veluti idem esse Deum quod est Pater, &c. Hic verò rem subjecti termini proprietatem quoque prædicati termini sic habere, ut hoc sit hujus personæ proprium quod illius, vel eadem insit proprietas huic personæ, quæ illi: hoc est ut sic Patri conveniat gigni ex Patre, hoc est ex seipso, sicuti & Filio congruit gigni ex ipso Patre. quod omnino falsum est, sicut diligentius ostendemus de generatione postmodum disserentes. Ut itaque juxta Athanasium neque confundamus personas, hoc est permisceamus eas, alteram scilicet in proprietate alterius, neque separemus unitatem substantiæ, oportet diligenter vim singularum enuntiationum distinguere; quæ videlicet ad identitatem substantiæ, quæ ad identitatis proprietatem sint accommodatæ. *In symbolo*

Notandum quoque quòd cùm in descriptione Summi Boni potentia ejus ac sapientia seu benignitas, ut supra sæpius docuimus, commemorantur; ideo ista relativè magis quàm simpliciter assignari, cùm videlicet Deus Pater, Filius, & Spiritus-sanctus, ut major unionis & concordiæ in ipsa personarum Trinitate commendatio fiat, cùm eas sic invicem se habentes & sibi æternaliter connexas assignamus, ut aliam personam ex alia gigni, aliam ex his duabus procedere confiteamur, hoc est aliam ex alia, vel ex illis esse.

XII. Apparet autem ex his quæ dicta sunt de dicretione scilicet enunciationum illud refelli, quod supra opponebatur, cùm videlicet objiceretur, quòd sicut ostenditur per hoc quod Pater est Deus & Deus est æternus, Pater esse æternus; ita etiam ostendi possit, per hoc quod Pater est Deus & Deus est Filius, Pater esse Filius. Ibi quippe ea propositio quæ consequitur ex duabus præmissis, quæ videlicet ait Pater est æternus, ad solam identitatem essentiæ spectat, sicut & præmissæ, ut supra jam determinavimus: ideoque ex ipsis convenienter infertur. Quæ vero ait Pater est Filius, non solùm essentiæ, verùm insuper proprietatis identitatem ostendit; ideoque ex præmissis non procedit, quæ scilicet præmissæ simpliciter ad identitatem essentiæ spectant: immo apertissime falsum esse liquet, ideoque quod Pater est Deus & Deus est Filius, oportere concedi Patrem esse Filium. Quod est dicere, ut supra jam exposuimus, idem esse proprium Patris & Filii, in eo scilicet quod Pater est & Filius, ipsum Patre hoc est seipso gigni. Quod si ad hanc quoque complexionem comprobandam illa inducatur dialecticorum regula quæ ait: Quotiens aliquid prædicatur de aliquo, quicquid prædicatur de prædicato & de subjecto: hoc est quotiens aliqua res est aliquid, & illud idem rursus est aliquid, primum est ultimum; facilè deprehendi potest nihil ad hanc complexionem regulam attinere, nec eam ex hac regula monstrari posse, cùm videlicet illa ad enunciationes illas tantum attineat, quæ ad identitatem solam essentiæ spectant, non etiam ad identitatem proprietatis, sicut hæc facit quæ ait Pater est Filius. Immo si vim verborum diligenter attendamus, talis potius ei

regula inducenda esset, si vera esset. Quotiens aliquid prædicatur de aliquo & aliquid prædicatur de prædicato, idem est proprium primi subjecti & ultimi * prædicti. quod cùm apertè falsum sit, non est pro regula habendum. Possumus etiam dicere, si diligentius vim & significationem verborum quàm sonum eorum attendamus, cùm inferebatur ex præmissis Pater est Filius, non idem prædicari quod primitus prædicabatur, cùm videlicet diceretur, Deus est Filius; sicut & cum dicitur, hæc cera est hæc imago, & hæc imago est ex hac cera. quasi Filius qui est ex Patre, ergo hæc cera est ex hac cera. Sed de hoc nobis diligenter dicendum erit postea, cùm de generatione Verbi differemus. Sunt & aliæ consimiles dispositionis argumentationes, quibus propter terminorum dispositionem præmissa regula competere videtur, cùm à sensu verborum longè sit: quales sunt hujusmodi complexiones, hic homo est hoc corpus, sed hoc corpus semper est, ergo hic homo est semper. Item hic homo est hoc corpus, & hoc corpus est materia hujus hominis, vel factum est hic homo, vel prius est homine hoc: ergo hic homo est materia hujus hominis, vel factus est hic homo, vel prior est hoc homine. Item hic Citharœdus & hic Citharœdus bonus est vel laudandus. Ergo hic miles. De qualibus quidem argumentationibus in Dialectica nostra latius prosecuti sumus.

* f. prædicati.

XIII. Quod autem solus Filius non etiam Pater vel Spiritus-sanctus incarnatus dicitur, cùm tamen eadem essentia quæ Pater est sive Filius vel Spiritus-sanctus sit incarnata, non sine magna ratione traditum est. Hoc enim his verbis ostenditur, cùm dicitur Filius Dei est incarnatus, lumen divinæ Sapientiæ per hanc incarnationem carnalibus effulsisse, atque hoc solum, vel hoc specialiter beneficium Deum intendisse in ipso habitu carnis nobis impertire, pro quo Angelus consilii sive consiliarius dictus est. quod & Johannes evangelista innuens, *Vita*, inquit, *erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* De qua etiam illuminatione scriptum est, *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Et item, *Ambulabunt gentes in lumine.* Et Psalmista, *In lumine tuo videbimus lumen.* Et Simeon, *Lumen ad revelationem gentium.* Et Platonici, Verbum Deus est lumen verum, &c. Qui etiam à Judæis requisitus quis esset, ut quid intenderet audirent, respondit: *Ego principium qui & loquor vobis:* ac si diceret: Ego Verbum ante tempora, quod vos ex tempore verbis instruere veni, ac prædicare regnum Dei. Tale est ergo Sapientiam Dei incarnatam esse, ac si dicatur, ad hoc Deum incarnatum esse, ut verè doctrina justitiæ nos instrueret, tum prædicatione, tum etiam exemplo corporalis conversationis suæ. Unde & Isidorus de Summo Bono primi libri capitulo XIV. Ideo, inquit, Deus in homine venit, quia per se ip-

Joh. 1. 4. Isaie 60. 1. & 3. Ps. 35. 10. Luc. 2. 32. Joh. 8. 25.

» mo Bono … » quit, Deus in homine venit …

sum ab hominibus cognosci non potuit, quorum videlicet ratio in tantum jam multitudine peccatorum oppressa atque obtenebrata erat, ut consurgere ad invisibilia * valeret, nisi visibilibus quibusdam judiciis duceretur. Sapientiam itaque Dei in carne esse tale est, carnales, id est homines hac incarnatione veræ sapientiæ lumen suscepisse, & eam nostræ mortalitatis testam luce sua accendisse, sicut scriptum est, *Verbum caro factum est & habitavit in nobis*; ac si apertè diceret, Ad hoc ipsa Sapientia incarnata est, ut per illuminationem in nobis inhabitet veræ notitia Sapientiæ. qui in ipsa carne quam assumsit, tum, ut dixi, conversatione vitæ, tum etiam passione mortis suæ, sive etiam gloria resurrectionis suæ vel ascensionis perfectè nos instruxit & docuit. Moriendo quidem docuit quantum nos dilexerit, juxta hoc quod & ipse ait: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, atque in hoc ipso nobis usque ad mortem pro ipso certandi exemplum proposuit. Unde & apostolus Petrus, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Resurgendo autem vitam immortalitatis exhibendo prædicavit. Ascendendo docuit nos illuc milites esse trahendos, quò jam in rege nostra regnat substantia, & illic semper mente membris inhabitandum esse, quo jam præcesserit caput nostrum. Unde Apostolus, *quæ sursum sunt*, inquit, *quærite, ubi Christus est in dextera Dei Patris.* Cùm itaque in omnibus quæ in carne gesserit Dominus, nostræ sit eruditionis intentio, rectè sola incarnari Sapientia dicitur, & in carne quam accepit ista nobis exhibuisse; quia ad hoc omnia gessit in carne, ut nos vera erudiret Sapientia, quæ ad salutem sufficerent. Qui etsi in aliquibus vel miraculis vel aliis factis suam exhiberet potentiam, omnia ad intentionem doctrinæ spectant, ut factis quoque nos de ipsa sua potentia ad percipiendam fidem erudiret. Prius itaque docendus erat homo, qui vel crederet vel ageret, deinde ad amorem trahendus eorum quæ nosset. Hæc autem quæ in carne gessit Dominus ad doctrinam attinent, ut diximus. Ad amoris vero fervorem, qui omnia * tolleret adversa, ut libera voce ubique terrarum verbum Dei prædicaretur, infusio illa Spiritus, quæ super discipulos die Pentecostes in igne est revelata. Sed dicit mihi aliquis quod hæc incarnatio cùm ex summa sola misericordiæ divinæ gratia, non ex meritis nostris facta sit, maximè Spiritui tribuenda est, ut scilicet Spiritus potius quàm Filius incarnari diceretur. Unde & scriptum est, Conceptus ex Spiritu-sancto, hoc est ex sola benignitate misericordiæ suæ incarnatus. Ad quod respondendum est quod aliud est concipi ex Spiritu, aliud Spiritum concipi, hoc est incarnari; sicut aliud est ex aqua & Spiritu regenerari, aliud aquam & Spiritum regenerari. Si quis itaque vim hujus enunciationis attendat, Filius est

* f. minime valeret. Joh. 1. 14. Joh. 15. 13. 1. Pet. 2. 21. Colos. 3. 1. * f. tolleret

incarnatus, ad quam, scilicet eam sanctorum auctoritas instituit, solus est Filius incarnatus, non etiam Pater vel Spiritus: quia hic est sensus, ac si dicamus, quod ad hoc solum vel maxime Deus incarnatus est, ut suos prædestinatos veræ Sapientiæ luce in ipso habitu carnis visibili illustraret. Cùm itaque sint in diversa opera trium personarum, quarum nullomodo diversa est essentia, pro diversitate tamen personarum & operum quædam specialiter opera uni personæ tamquam propria, quædam alii*. Patri quidē propriè tribuuntur ea quæ ad potentiā pertinent, sicut est creasse cuncta ex nihilo, per Verbum tamen suum, non Verbum per Patrē; vel disponere omnia pro arbitrio suo, vel imperare, vel dare potestates, vel mittere Filium suum in mundum, vel obedientiam impendi, unde scriptum est *Obediens Patri*, & postremo omnia quæ ad potentiam ac reverentiam majestatis pertinent, Patri specialiter tribuuntur. quod etiam verba Christi apertè insinuant, cùm videlicet humanitas ejus in anxietate posita, quotiens à divinitate in unam personam sibi unita opem virtutis, aut quotienscumque preces ei fundit, solo vocabulo Patris utitur, ipsam scilicet commemorando potentiam qua potens est efficere quod rogatur. Quod & adhuc maximè mos ecclesiasticus observat in specialibus orationibus suis, quæ in celebrationibus missarum ad altare fiunt: quæ scilicet orationes ad solum intenduntur Patrem. Sed cùm ait Filius ipse quæ Pater posuit in sua potestate potius quàm quæ Filius in sua, vel Spiritus-sanctus in sua, qua-

adde tribuuntur.

ſ. 26. 9.

hil. 2. 8.

A si propriè & specialiter divinam potestatem Patri adscribendam esse innuit. Filio autem ipsi ea maximè adscribuntur, quæ ad Sapientiam attinent, sicut est judicare quod discretionis est. Unde scriptum est: *Pater omne judicium dedit Filio*: quia potentia sapientiæ cedit in discussione judicii:
B ubi æquitas magis examinanda est, quam vis potentiæ exercenda. Ad hoc etiam illa inscriptio Psalmi IX. pertinet, quæ ait: *Pro occultis filii*, scilicet judiciis. Quæ etiam bene mens Patris seu ratio sive angelus consilii dictus est: quia omnia in hac sapientia rationabiliter
C Pater disponit, sive creando mundum, sive eumdem reparando post lapsum: & in hoc Pater verum consiliū nostræ ignorantiæ dedit, cùm eo incarnato nos visitaverit. Logos itaque Filius Dei cùm dicitur, id est Verbum secundùm illam significationem sumitur, secundùm quam lo-
D gos apud Græcos ipsum mentis conceptum seu rationem significat, non vocis prolationem. Unde

Boëtius in Categorias Aristotelis lib. II. Quoniam græca oratione logos dicitur etiam animi cogitatio, & intra se ratiocinatio logos quoque & oratio, ne quis Aristotelem, cùm diceret logon, id est orationem quantitatem esse, de eo putaret dicere, quem quisque logon in cogitatione disponeret, addidit: qui fit cum voce. Unde & B. meminit Augustinus libri Quæstionum
E LXXXIII. capitulo XLIV. *In principio*, in- « Joh. 1. 1.
« quit, *erat Verbum*, quod græcè logos dici-
« tur, latinè autem & rationem & verbum
« significat. Logos enim ratio dicitur. Idem in
« libro contra V. hæreses: *In principio erat Ver-* Lib. cont. quinque hær. c. 4.
« *bum*. Melius Græci logos dicunt. Logos quip-
« pe Verbum significat & rationem. De quo quidem Verbo Dei, scilicet intelligibili, quod, ut dictum est, ejus Sapientia intelligitur, B.

Augustinus de Verbis Domini & quibusdam sententiis Pauli apostoli sermone LXXIV. Solet hæc quæstio à studiosis proponi. Facit aliquid Pater quod non facit Filius, aut Filius quod non facit Pater. De Patre & Filio dicam. Cùm autem hic expedierit conatum nostrum cui dicimus: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* intelligitur etiam Spiritus sanctus in operatione Patris & Filii nequaquam discedere. Fratres audite: Facit aliquid Pater sine Filio? Respondemus, Non. quid enim facit sine illo, per quem facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil? Intelligimus utique immensam creaturam factam per Filium. Nihil itaque Pater sine Filio, nihil Filius sine Patre facit. Occurrit quæstio: Si nihil facit Pater sine Filio, & nihil Filius sine Patre, nonne quasi consequens erit, ut & Patrem dicamus natum de Virgine, passum, resurrexisse, in cœlum ascendisse? Placet nobis quæstio proposita: Deus adjuvet ut placeat & soluta: Filius quidem, inquam, non Pater natus de Virgine. Sed ipsam nativitatem & Pater & Filius operatus est. Non est passus Pater, sed Filius. Passionem tamen & Pater & Filius operatus est. Non resurrexit Pater, sed Filius: Resurrectionem Filii & Pater & Filius operatus est. Apostolus inquit, *Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Ecce Pater fecit Filium nasci de Virgine. Probavimus nativitatem Filii à Patre factam, probemus & à Filio factam. Quid est nativitas Filii de Virgine? Certè assumtio formæ servi in utero Virginis. Ergo quia Filius *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, videmus nativitatem Filii & ab ipso factam esse. Facit Pater passionem Filii, qui *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Facit & Filius passionem suam. *Qui me*, inquit Apostolus, *dilexit, & tradidit semetipsum pro me.* Passio hæc uni facta est, sed ab utroque facta est. Operatur Pater resurrectionem Filii. Resuscitavit Pater Filium, & Filius resuscitat semetipsum. In figuram sui corporis de templo dixit, *Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.*

Gal. 4. 4.
Joh. 5. 22.
Phil. 2. 7.
Rom. 8. 32.
Gal. 2. 20.
Joh. 2. 19.

[a] papa Gregorius in homelia [a] operantem. Spiritui autem ea quasi propriè tribuuntur, quæ ad comparationem divinæ gratiæ attinent, sicut est remissio peccatorum & quorumcumque donorum distributio ex sola bonitate ejus, non ex meritis nostris proveniens, qualis est regeneratio in baptismo ad dimittenda peccata, confirmatio per impositionem manus episcopi ad dandam armaturam virtutum, quibus scilicet virtutibus, post remissionem peccatorum perceptam, resistere valeamus inimico tunc vehementius insurgenti. Sic & cetera sacramenta quæ in Ecclesia conferuntur ex bonitate Dei Spiritui tribuenda sunt. Nam etsi idem sit dialecticus quod orator, aliud tamen oratori tribuendum est secundùm officii sui proprietatem, aliud dialectico.

Movere fortasse aliquos poterit quod dicimus in diversa opera Trinitatis, hoc est hoc idem operari unamquamque trium personarum, quod una earum operatur, ut videlicet omne id quod facit Pater, faciat Filius sive Spiritus, & è converso. Solus quippe Filius carnem accepisse dicitur, sicut & passus; & solus Spiritus nos regenerare dicitur in baptismate. Solus etiam Pater Filium generat. Ad quod respondendum arbitror, quod licet non possimus dicere aut Patrem aut Spiritum accepisse carnem, hoc est incarnatum esse aut passum; tamen verè profitemur, quia in eadem ipsa incarnatione & Pater operatus est & Spiritus, à qua nec potestatem divinam nec benignitatem possumus excludere. Nam & cùm se induit aliquis aut armat, multi in eodem cooperantur, qui tamen non armantur aut induuntur. Quamvis igitur omnia verba operationis, quæ uni personæ congruunt, alteri non conveniant; operatio tamen unius personæ non minus aliarum esse dicenda est: quia in eodem necesse est omnes simul cooperari. Animæ quoque ipsi, quæ corpus movet & agitat, omnes nostræ actiones non immerito tribuuntur, nec tamen omnia verba actionum designativa in prædicatione sua ad animam referuntur. Neque enim omnes animam ambulare, vel comedere, sed ipsum animal, & tamen ipsam actionem qua sic anima corpus agitat in ambulando vel comedendo, certum est soli animæ inesse: quæ quidem per actiones ambulat & comedit. Hæc verba significantur in ipsa anima, dum de ipso animali dicitur quod ambulat & comedit: quod est dicere, sic ipsum ab anima sua moveri atque agitari, ut solam animam in hoc agere intelligamus, & corpus ipsum agitari. Cùmque itaque hæc verba actionum animæ significativa nullo modo de ea, cui soli insunt hæ actiones, prædicabilia sint; non est mirandum si in tribus divinis personis, cùm sit communis eis actio,

Tota Trinitas Incarnationem operata est.

(a) Ita in mss. relinquitur spatium vacuum, quod occupare debuerat locus ex S. Gregorio, cujus ultimum tantum verbum ponit scilicet *operantem*.

A de una earum tamen Verbum ipsum specialiter dicatur, secundùm quamdam, ut diximus, proprietatis ipsius personæ expressionem. Quod verò opposuimus propter conclusionem operis comprobandam solum Patrem generare, nihil attinere videtur, cùm hæc generatio, quæ æterna est, opus non sit aliquod aut aliqua creatio Dei.

Superest extrema objectio, qua scilicet opponitur, idem à se ipso nasci, vel à se procedere, quod recte discuti non valet, nisi quæ sit hujusmodi generatio vel processio determinemus.

B Ac primum de generatione disseramus, nihil quidem sub assertione docendæ veritatis astruentes, ut satis supra meminimus; sed sub quadam pia similitudinis umbra, quam nos Veritas docuit, defendentes. Non enim hoc opusculo veritatem docere, sed defendere intendimus, maximè adversus pseudophilosophos, qui nos philosophicis maximè rationibus aggrediuntur. Unde & nos per easdem, scilicet philosophicas rationes, quas solas recipiunt, & quibus nos impetunt, eis præcipuè satisfacere decrevimus, defendendo veritatem potius, quàm docendo. Quod si mihi fidelium quisquam objiciat, jam nec C doctrinam meam nec defensionem necessariam esse, post tot videlicet & tanta sanctorum documenta: Verum fortassis dicit quantum ad doctrinam, non quantum ad defensionem. Cùm enim unusquisque in sensu suo abundet, & pro diversitate hominum vel temporum, novæ quotidie quæstiones vel impugnationes oriantur, novis quotidie rationibus resistendum puto, & novis exorientibus morbis nova quærenda remedia. Potuit autem fieri, ut in antiquis temporibus sancti Patres ea quæ tunc adversus catholicam fidem opponi audirent, rectis diluerent rationibus, & illis quos tunc invenerunt morbis D mederentur; non his quos quotidie succrescentes nondum fortassis deprehenderant. Quousque enim paleas cum granis præsens Ecclesia indifferenter continebit, nec messi Domini inimicus homo super seminare zizania cessabit, donec inde in fine sæculi messores Angeli Dei zizania colligant, & in fasciculos in ignem arsuros mittant; non possunt schismatici, non possunt deesse hæretici, nec inter scorpiones & serpentes tutum patebit iter; sed semper ad probationem vel exercitationem fidelium habebit mater Ecclesia sub Christi nomine multos quos toleret anE tichristos: pro quibus ingemiscens quotidie dicat *Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant*, & affectu materno per singulos annos, pro eis ut redeant immolat publicas orationum hostias. Nam *oportet*, inquit Apostolus, *hæreses esse, ut & qui probati sunt manifesti fiant*: quod maximè in novissimis temporibus, antichristi regno appropinquante, futurum expectamus, quando juxta dominicam & apostolicam sententiam graviora semper imminere atque

1. Cor. 11. 19.

atque excrescere constat pericula, & refrigescente caritate, mala omnia amplius pullulare. Unde & idem Apostolus ad Timotheum, *Hoc autem*, inquit, *scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, sine pace, habentes speciem quidem pietatis, virtutem ejus abnegantes.* Qui & alibi, *nos*, inquit, *sumus, in quos fines sæculorum devenerunt.* Et Petrus in epistola secunda, *hoc primum*, inquit, *scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, &c.* Et Johannes, *Filioli*, inquit, *novissima hora est, & sicut audistis quod antichristus venit, nunc antichristi multi facti sunt. Unde scimus quia novissima hora est. Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant.* Hinc & in epistola Judæ scriptum est: *Vos autem, carissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri* Jesu-Christi, *qui dicebant vobis, quoniam in novissimis temporibus venient illusores. Hi sunt qui segregant semetipsos: & hos quidem arguite judicatos.* Ac si apertè nos adhortetur dicens: Providete, ut tales dijudicare ac rationibus convincere valeatis, *comparati semper*, ut B. Petrus meminit, *ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe & fide, ut in eo quod detrahunt de vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* Idem & coapostolus ejus Paulus ammonens, *Sermo*, inquit, *vester in gratia conditus sit sale, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Ratione magis hæretici quàm potestate coercendi, cùm juxta sanctorum patrum auctoritatem fideles quidem, quibus omnia cooperantur in bonum, eorum disputationibus exercitati vigilantiores atque cautiores reddantur. Unde Hieronymus super » Jeremiam libro II. Ad tempus, inquit, va- » let hæresis, ut electi quique manifesti fiant » & probati sint. Augustinus contra Epistolam » Parmeniani: Hæretici si in ecclesia essent, » nihilominus errarent. Cùm autem foris sunt, » plurimum prosunt non verum dicendo quod » nesciunt, sed ad verum quærendum carna- » les, & ad verum accipiendum spirituales ca- » tholicos excitando. Utamur ergo hæreticis, » non ut eorum approbemus errores, sed ut » catholicam disciplinam adversus eorum insi- » dias asserentes, vigilantiores & cautiores si- » mus, etsi eos ad salutem revocare non pos- » sumus. Isidorus Sententiarum libro I. c. XVI. » Sancta Ecclesia exercetur sapientia, cùm » tentatur verbis; exercetur patientia, cùm » tentatur gladiis. Causa pravitatis hæreticæ » doctrina est propagata ecclesiæ. Nam antea » simplici tantùm fide vigebat. Hæreticorum » igitur occasione propagati sunt doctores in » fide, & per acumen hæresum Ecclesiæ ma- » gistri creverunt. Unde etiam sancti doctores, cum ad exercitationem, ut dictum est, fidelium adeo necessarias esse hæreticorum disputationes vel inquisitiones attenderent, ratione potius quàm potestate coerceri sanxerunt, & eos quasi tantæ victoriæ desiderio ad sacræ studium eruditionis sunt potissimum adhortati. Unde Hieronymus ad Nepotianum, Disce, inquit, quod doces, ut possis « exhortari in doctrina [a] sacra, & contradicen- « tes revincere, paratus semper ad satisfactio- « nem omni poscenti te rationem de ea quæ « in te est spe. Gregorius Bonifacio [b] . . . . « potius quàm vi convincatis. Qua vero ratione hos, qui christianitatis bonum suscipere renuunt, convincere, quibus monitis vel exhortationibus ad fidem attrahere poterimus, si quid in ipsa fidei nostræ professione dubium protulerimus, quod non valeamus defendere, nedum confirmare? auctoritate quidem scripturæ, quam non recipit, argui nemo potest. Quod si adhuc aliquis in meam perseveret reprehensionem, & cùm nondum illa periculosa tempora instent, nostra penitus abjiciat vel non curet scripta; illud tandem Hieronymi audiat: Peregrinæ merces tantum volentibus navigant; & nos quidem ista volentibus tantum scribimus, immo importunè nobis insistentibus atque insultantibus; quod eam quam prædicamus fidem defendere ausi non simus; præsertim cùm omnium bonorum fundamentum fidem esse constet, quam quisquis labefactare poterit, nihil de superædificatis firmum reliquerit. Sed & si veritatem profiteri liceat, cùm nullas hujus etiam temporis hæreses aut schismata reprehendendas aut corrigendas esse censemus, quas vel ipsi nos ab his qui eas profitentur audivimus, vel ab his qui eas audierint didicimus. Sunt enim, ut supra meminimus, qui ad assignandam trium personarum diversitatem tres proprietates in eo intelligant, tamquam tres res diversas essentialiter ab ipso Deo. Quorum etiam unus qui in Andegavensi pago magni nominis magister viget, in tantam proripere ausus est insaniam, ut omnia creaturarum nomina ad Deum translata, ipsi quoque Deo convenire velit, ex quibusdam formis diversis essentialiter ab ipso Deo sicut & in creaturis, veluti cum dicitur Deus justus sicut & homo justus; ita justitiam ab ipso Deo essentialiter diversam intelligit, sicut ab homine; & similiter cum dicitur Deus sapiens, Deus fortis. Necnon & propria ipsius Dei nomina vult in ipso Deo, ita qualitates aut formas ponere, sicut & in creaturis, ut est hoc nomen æternum, sive etiam Deus, vel creator: quod maxime ex eo adstruere nititur, quod ait Priscianus proprium esse nominis substantiam & qualitatem significare; & ex ipsa nominis diffinitione, qua asserit unumquodque nomen subjectis corporibus vel rebus proprias vel communes distribuere qualitates, propter quos & hujusmodi illud Gregorii, quod supra meminimus, convenienter dici arbitrari licet, indignum vehementer existimo, ut verba cœ-

Margin notes: 2. Tim. 3. 1. — 1. Cor. 10. 11 — 2. Pet. 3. 3. — 1. Joh. 2. 18. — Jud. 18. — 1. Pet. 3. 15. — Colos. 4. 6. — Isid. l. 1. de summo Bono c. 19. — Epist. 34 nov. edit. [a] — [b] — Variæ hæreses exortæ tempore Abælardi.

(a) Apud Hier. *sana* ut apud Apostolum.
(b) Hoc etiam loco relinquitur spatium vacuum ad S. Gregorii textum ponendum, cujus ultima tantum verba scriptor apposuit, scilicet *potius quàm vi convincatis.*

lestis oraculi restringam sub regulis Donati. Est & alius in Francia, qui se quasi singularem divinæ paginæ magistrum omnibus præfert, & cum hoc quod dictum est in ceteris ipse quoque vehementer arguat, nihil videlicet penitus inesse Deo, concedimus, quod non sit Deus, non minorem tamen videtur incurrisse errorem ex summa illa unitate divinitatis quam tenet, cum nihil in Deo præter ipsam substantiam esse nobiscum profiteatur. Inde enim ad hoc compulsus est, sicut & ipsemet ego ab ipso audivi, ut confiteatur Deum ex seipso gigni, quia Filius à Patre est genitus. Et sicut arrogantissimus omnium omnes plane hæreticos vocat quicumque ita non tenent, quem etiam hi qui ab eo legerunt, ita in fide ab Ecclesia jam divisum esse asserunt, ut multos qui ante Incarnationem Dei fuerunt, salvari asserat & per passionem ejus redimi, qui numquam aut incarnationem aut passionem ejus crediderunt. qui etiam quod mirabile est apud omnes catholicos, sicut ad nos nuper * ablatum est, asseruisse etiam publice in scholis suis non est veritus, Dominum Incarnatum ita aperto utero Virginis natum sicut & ceteros homines, nisi quod ipse solus sine virili coitu sit conceptus. Novi etiam quemdam non parvi nominis inter hujus temporis magistros ad hoc perductum esse ex quibusdam argumentorum quas tenet rationibus, ut Deum etiam posse decipi profiteatur, pro eo scilicet quod res aliter evenire possint quàm ipse prævideritt: quod nec credo apud gentiles vel quantumlibet infideles dici umquam permissum est. Novimus & duos fratres, qui se inter summos connumerant magistros, quorum alter tantam vim divinis verbis in conficiendis sacramentis tribuit, ut à quibuscumque ipsa proferantur, æque suam habeant efficaciam, ut etiam mulier & quislibet cujuscumque sit ordinis vel conditionis per verba dominica sacramentum altaris conficere queat. Alter vero adeo philosophicis innititur sectis, ut profiteatur Deum priorem per existentiam mundo nullatenus esse. Est & quidam eorum patriota inter divinos celeberrimus magistros, qui in tantam protupit insaniam, ut corpus dominicum ejusdem longitudinis seu grossitudinis in utero Virginis fuisse astruat, cujus & in provecta ætate extitit. Sed nec adhuc illam summam controversiam de sacramento altaris, utrum videlicet panis ille qui videtur, figura tantum sit dominici corporis, an etiam veritas substantiæ ipsius dominicæ carnis, finem accepisse certum est; & innumeras alias in quarum quotidianis relationibus frequenter obstupescimus, quæ nec per incendia eorum qui à populo deprehenduntur compesci possunt. Hæc illi attendant, qui de fide amplius minime scribendum esse autumant, cum mille, ut aiunt, hoc tempore hæreses pullulent, quasi ipsi omnium conscientias & fidem cognoverint.

* fallatum.

Nunc ad propositum redeamus, de generatione verbis quibus possumus disse- A renda ad defendendam, ut diximus, fidem nostram, non docendam. quod quidem ideo maxime faciendum esse decrevi, quod similitudines illas quas ad hanc generationem Filii vel processionem Spiritus defendendam, seu ad diversitatem personarum assignandam à sanctis patribus didicimus, minus satisfacere quibusdam videantur, quod in illis rebus, quæ per simile inducuntur, non possit unius essentiæ identitas servari, unde & nonnullos fidelium quasi irridentes murmurare sæpe audivimus, cùm de his ad hoc similitudo inducitur quæ non sunt ejusdem essentiæ, veluti cùm in illo sermone natalis Domini B. Augustinus ad defendendum quòd solus Filius sit incarnatus, similitudinem in cithara & sole sumsit, per quam videlicet assignaret non esse mirandum, si cùm in una divinitatis substantia tres personæ conveniant, uni tamen earum congruat, quod alteri non convenit, utpote soli Filio incarnari. Sicuti, inquit, in una citharizationis actione tria conveniunt, ut simul agant ars, manus, & corda; cum tamen diversa agantur à singulis, cùm videlicet ars dictet, manus tangat, corda resonet. In sole etiam, inquit, calor & splendor diversa agunt, cùm calor exsiccet, splendor illuminet. Sed ad hæc quid nonnulli murmurent novi, dicentes quidem hæc nihil attinere ad vim quæstionis, quæ de identitate unius substantiæ in tribus personis orta est. Nemo enim, inquiunt, dubitat, quin in eodem opere diversæ res diversa agant, aut in eadem substantia diversas habeant vires diversæ qualitates: Sed hoc, inquiunt, miramur, cùm sit una penitus substantia sive essentia trium personarum, qua ratione hæc incarnata dicatur & non illa, cùm ipsa divinitatis substantia carnem susceperit, quæ una & eadem singulis æque inest personis. Fuit & quidam novissimè temporibus nostris Anselmus videlicet Cantuariensis metropolitanus, qui servata substantiæ unitate, validiorem visus est similitudinem ad hæc quæ diximus induxisse. Cujus, ni fallor, similitudinis fundamentum à B. sumsit Augustino scribente ad Laurentium papam de hoc ipso, & fontem & ejus rivum, quorum eadem est substantia, ad divinæ generationis exemplum, ubi eadem est substantia generantis & geniti, inducente. Ponit itaque prædictus archiepiscopus quasi tria ejusdem substantiæ, fontem videlicet rivum & stagnum: Fontem quidem ex quo est rivus, quasi Patrem ex quo Filius, stagnum verò quod ex fonte & rivo provenit, quasi Spiritum qui ex Patre & Filio procedit. Posuit etiam rivum in fistula quasi Filium in carne humana, ac si rivum infistulatum dicamus Verbum incarnatum. Sed hæc quoque similitudo non minus satisfacere potest, quod non est simul eadem substantia fontis & rivi atque stagni; sed per temporis successionem eadem aqua primo fons erat, deinde rivus, denique stagnum facta est. Unde non est mirabile si per successionem temporis ea-

dem aquæ substantia diversis modis se habeat; A cùm numquam simul eadem numero sit substantia fontis, & rivi vel stagni, ut videlicet umquam verè dici possit, modo aqua fontis est aqua rivi sive stagni; sicut semper dicimus substantiam Patris esse substantiam Filii & Spiritus-sancti. Immo fortassis hæc similitudo illi maximè suffragatur hæresi, quæ ita per tempora proprietates personarum commiscet, ut eamdem personam dicat quando vult esse Patrem, quando vult Filium vel Spiritum-sanctum. Ut itaque satisfacere per similitudinem de hac generatione vel processione valeamus, excogitanda est talis similitudo generationis vel processionis, in qua eadem simul B sit substantia generantis & generati, vel procedentis & à quo procedit, & tamen proprietates eorum impermixtæ maneant, ut videlicet genitus non sit generans, nec procedens à quo procedit. Quod facilius nos posse invenire arbitror, si juxta Apostoli testimonium, diligenter attendamus, qualiter à creatura mundi per ea quæ facta sunt, ipsi quoque philosophi, quorum rationibus nos impetunt, congruis similitudinum proportionibus in una & eadem divina substantia tres personas proprietatibus ab invicem diversas vestigare atque assignare, Domino revelante, * valuerit. Sic quippe scriptum est, *Quod notum est Dei manifestum est illis*, hoc est non solum illis, C verum etiam in illis, hoc est per illos & eorum scripta aliis, *Deus enim illis revelavit*, eorum scilicet illuminando rationem, ut ex similitudine corporalium seu visibilium rerum, ad incorpoream atque invisibilem divinitatis naturam contemplandam assurgerent. *A creatura*, inquit, *mundi per ea quæ facta sunt* tam à nobis etiam ipsis, quàm à natura secundùm illam videlicet philosophicam rationem, qua dicuntur alia ex materia & forma consistere, alia ad similitudinem materiæ & formæ. In his quippe constitutionibus cùm sit una penitus substantia constituens & constituti, utpote materiæ & materiati, diversa tamen sunt pro- D prietate ab invicem materia ipsa & materiatum, utpote cera ipsa, & quæ ex ipsa est imago cerea. Ac primum de generatione prosequamur.

* f. valuerunt.

Rom. 1. 19.

Ponamus ergo ante oculos ceream imaginem, & consideremus in ea ipsa naturam ceræ, hoc est ipsam ceream substantiam, ex qua est imago cerea juxta philosophos tamquam materiatum ex materia, cum tamen eadem essentia sit cera ipsa & imago cerea, ut etiam per prædicationem sibi sociari queant cera ipsa & imago ipsa, & dici possit quod imago cerea sit ipsa. Nec tamen ideo minus E dicamus ceream imaginem esse ex cera, non ceram ex cerea imagine, & ceram ipsam esse materiam cereæ imaginis, non ceream imaginem esse materiam ipsius ceræ aut cereæ imaginis. Et rursus imaginem ceream dicimus esse materiatam ex ipsa cera, neque ipsam ceram aut ipsam imaginem esse materiatam ex cerea imagine. In qua quidem re considerandum est, quod si ea nomina ipsius ceræ & cereæ imaginis accipiamus, quæ absolutè non relativè dicuntur, licet ea per prædicationem sibi veraciter conjungi propter identitatem substantiæ ipsius ceræ & cereæ imaginis, veluti cum cera ipsa sit crocea, & imago sit recta, unum est ipsum croceum & rectum, vel è converso. Si verò ea sumamus nomina, quæ secundùm ipsam generationem aut constitutionem cereæ imaginis ex cera relativè ad invicem dicuntur, utpote materia vel materiatum, sive constituens & constitutum, sive causa & effectus, sive generans & genitum; non licet ea secundùm suas proprietates sibi per prædicationem sociari, ut videlicet dicamus ibi ipsam materiam esse materiatum; vel ipsum materiatum esse materiam, &c. Quod si hujus similitudinis rationem ad divinam generationem reducamus; facile est ibi cuncta assignare ac defendere quæ audimus. Ponamus itaque Deum Patrem, ut supra meminimus, divinam potentiam, ac Deum Filium divinam Sapientiam: & consideremus quod ipsa Sapientia quædam sit potentia, cùm sit ipsa videlicet potentia discernendi ac providendi seu deliberandi veraciter omnia, ne quid Deum decipere possit aut latere. [a] Est igitur divina Sapientia ex divina Potentia, quomodo cerea imago est ex cera, aut quomodo juxta philosophos species ipsa ex genere esse dicitur, cùm tamen idem sit species quod genus, ut homo idem quod animal, & imago cerea idem quod cera. Ipsa quippe imago cerea ita est ex cera, & homo ex animali, quod ex eo quod cerea imago exigit ut cera sit; & ex eo quod homo est, ut sit animal; sed non è converso. Potentia quippe tam ad discernendum, quàm ad alia agenda se habet, sicut cera tam ad ceream imaginem, quàm ad id quod non sit cerea imago; & animal tam ad hominem quàm ad non hominem. Est itaque Filium gigni à Patre divinam Sapientiam ita, ut determinatum est, ex divina potentia esse, cùm ipsa, ut dictum est, Sapientia quædam sit potentia, atque ipsius Potentiæ Dei, quæ est omnipotentia, quasi portio quædam ipsa sit Sapientia, quomodo & quislibet filius portio quædam parentum quodammodo dicitur. Ideo autem quasi * Patrem omnipotentiæ & non propriè partem dicimus Sapientiam, quòd nulla sit rerum multitudo in illa simplici penitus divinitatis natura, quarum conventu quantitas alicujus totius componatur, ut supra jam sæpius meminimus. In eo tamen quasi partem quamdam Omnipotentiæ dicimus Sapientiam, quod cùm ipse Deus ex omnipotentia sua ad infinita agenda se habeat, ex Sapientia ad discernendum tantum sese habet; & cùm dicamus omnipotentiam

* f. partem.

(a) Alia similitudine utitur Petrus Abaëlardus in Introductione ad Theologiam, scilicet æris & sigilli ærei, sed quæ ejus ad intentum ex æquo facit, contra quam merito invecti sunt ejus adversarii S. Bernardus, Guillelmus abbas S. Theoderici, & abbas anonymus, qui fuerat ejus discipulus.

Dei quasi omnem potentiam ejus, plures ejus potentias quodammodo dicimus, quantum ad effecta scilicet, hoc est ad diversitatem eorum quæ agere potest, secundùm quod dicimus eum diversa agere, cùm unus atque idem omnino perseveret. Unde & unum & eumdem Spiritum-sanctum multiplicem dicimus, seu etiam septem Spiritus, secundùm septiformis gratiæ operationem, non secundùm substantiam. Et attende quod quemadmodum in suprapositis generationibus, de imagine scilicet & specie, licebat sibi per prædicationem sociari nomina illa generantis rei & genitæ, quæ absolutè dicebantur; sed non illa nomina quæ relativè ad invicem dicuntur, secundùm hujusmodi generationem: ita etiam in hac ipsa generatione divina. Ipsa quippe imago cerea est cera, & ipse homo est animal, & * è converso. Sed non ibi ipsum materiatum est materia, vel ipsa materia est materiata à se. Hæc quippe nomina materia & materiatum relativè ad invicem dicuntur, sicut Pater & Filius. Illa verò suprapofita secundùm substantiam potius quàm secundùm relationem prædicantur. Materiam quidem dicimus secundùm hoc quod aliquid ex ipsa est: materiatum verò secundum id quod ex aliquo ipsum est. Sic & Pater & Filius relativè invicem dicuntur, secundum id scilicet quod hic illum generat, atque ex hoc ille per generationem existit, sicut illud ex illa per constitutionem materialem. Eadem itaque ratione qua non licet dici quod materia ex seipsa sit materiata, vel materiatum sui ipsius sit materia, vel constituens sit constitutum ex se, vel posterius se, vel generans se: quamvis in talibus idem sit generaliter materia quod materiatum, velut hoc æs idem quod hæc statua, & idem constituens quod constitutum, & idem prius quod posterius, & generans quod generatum. Eadem, inquam, proportionis ratione & in divinis personis neque Pater est Filius, hoc est Deus Pater genitus à seipso; neque Filius est Pater, hoc est Deus Filius genitor sui ipsius: quod esset dicere ipsam divinam potentiam esse ex seipsa; vel ipsam divinam Sapientiam esse ex seipsa; sed solummodo ipsa Sapientia est ex ipsa Potentia, sicut est determinatum: quemadmodum imago ex cera, non imago ex se, vel cera ex se, sive ex imagine, licet idem sit cera ipsa quod imago illa: sicut idem est Pater quod Filius secundum substantiam, sed non secundum proprietatem vel diffinitionem, & ipse Deus omnipotens sit sapiens sive benignus, & è converso. Et quemadmodum ibi quod ex materia est id quod est materiatum ex ea, utpote cera ipsa est cerea imago, vel è converso; nec tamen ideo ipsa materia est materiata ex se, vel ipsum materiatum est materia sui: ita & hic id quod Pater est, id quidem est Filius, & è converso; nec tamen Pater est Filius vel è converso. Ibi quippe substantiæ prædicatio fit, cum videlicet dicitur, Est id quod est materiatum, vel quod est Filius: hic verò proprietatis cum dicitur, Est materiata vel est Filius. Substantia verò eadem est, proprietates verò impermixtæ sunt. Apparet itaque secundùm propositam rationem qua ratione divina Potentia dicatur Pater, aut divina Sapientia Filius, quod est hanc ex illa esse, ut supra distinximus; & qua ratione sibi nomina proprietatum relativarum conjungi minime per prædicationem liceat.

* f. non è converso.

Si quis autem quærat utrum secundùm istum generationis modum assignatum ipsa Divina Potentia possit dici materia divinæ Sapientiæ, hoc est Pater Filii, seu causa seu principium, aut aliquo modo prior saltem natura, si non tempore. Respondemus nihil horum nobis videri posse dici propriè. Materia verò nullo modo dici hic concedimus, cùm materiam Boëtius describat eam quæ subjecta formam suscipit, & in Deo nullam omnino formam esse certum sit. Sed nec rectè materiam dicimus, nisi quæ tempore quoque materiatum præcedit, sicut cera ipsa quæ ante fuit quàm esset imago. Unde & philosophi alia ex materia & forma constare, alia ad similitudinem materiæ & formæ consistere distinxerunt, sicut nos alibi de materia & forma tractantes docuimus. Nunc autem ad hoc nos induxisse similitudinem de materia & materiato sufficiat, quod quemadmodum illud ex illa dicimus generari, secundùm hoc quod ex illa est: ita hic Filium ex Patre, hoc est ipsam Sapientiam ex ipsa Potentia esse, ut determinatum est. Sed nec causam propriè dicimus, nisi ad effectum, ubi nihil est factum. Effectus quippe est, teste Boëtio, * quod efficit causam; & juxta Tullium omnis causa præter finalem efficiens dicitur, & natura prior effectu. Unde Boëtius cùm locum à causa juxta Tullium in tertio Topicorum tractat, causam diffiniens, dicit eam esse, quæ quamlibet rem præcedens efficit, non tempore, sed proprietate naturæ, ut sol diem. Ipse etiam Augustinus hanc secutus rationem omnem causam efficientem dicit capitulo xxx. Libri Quæstionum LXXXIII. his verbis: Qui quærit cur Deus voluerit mundum facere, causam quærit voluntatis Dei. Sed omnis causa efficiens est, omne autem efficiens majus est, quàm id quod efficitur. Nihil autem majus voluntate Dei. Non ergo ejus causa quærenda est. qua quidem ratione manifestè convincitur, nec Deum Patrem esse causam Filii, cum videlicet nec ipsum efficiat, quem nullo modo facit, sed tantummodo gignit; nec major eo sit, nisi fortè secundùm carnis susceptionem. Quomodo etiam dicemus principium vel originem habere id quod æternum est? Æternas verò & coæternas sibi esse tres personas certum est. Non est itaque altera alterius principium, sed unaquæque sine principio est, quia æterna est, & omnium aliarum rerum principium. Quippe quod æternum, sicut in tertio Topicorum Boëtius definit, origine caret, hoc est principio. Nec illud quidem obest, quod dicimus Deum Patrem principium sine principio, & Filium

Potentia divina dici nequit materia divinæ Sapientiæ.

Neque causa.

* f. quem efficit causa

Neque principium

principium de principio, hoc est de Patre qui est principium omnium creaturarum. quippe cùm dicimus de principio, non addimus suo, ut non Filii principium intelligatur Pater, sed creaturarum omnium, sicut & Filius ipse, qui de semet ait: *Principium qui & loquor vobis.* Sed fortassis dicis nulla ratione dicendum esse hanc personam esse ex illa, sed non è converso, nisi illa hujus quædam causa sit atque origo sive principium, præsertim cùm hanc ex illa nasci dicamus, quod est oriri, à quo origo dicta est. Cui quidem rationi ipsi quoque doctores catholici plurimum suffragari videntur, ubi nonnumquam ipsum Patrem causam Filii, seu principium duarum aliarum personarum dicunt, necnon tam Patrem ipsum quàm Filium esse principium Spiritus-sancti. . . . quippe qui ex ipsis est, non per generationem, sed per processionem, & tam Patrem Filii, quàm Filium Spiritus-sancti caput esse. Unde Augustinus libro Quæstionum LXXXIII. capitulo XVII. » de Filio Dei differens: Deus, inquit, omnium quæ sunt causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam Sapientiæ suæ causa est, nec umquam Deus sine sapientia. Suæ igitur sempiternæ Sapientiæ causa est sempiterna, nec tempore prior est quam sua Sapientia. De Ortodoxa fide capitulo I. Credimus, inquit, unum esse Deum Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Patrem eo quod habeat Filium, Filium eo quòd habeat Patrem; Spiritum sanctum eo quod sit ex Patre & Filio. Pater ergo principium Deitatis, à quo Filius natus, à quo Spiritus-sanctus non natus: quia non est Filius, neque ingenitus, quia non est Pater, neque factus, quia non est ex nihilo, sed ex Deo Patre & Deo Filio Deus procedens. Ex his itaque testimoniis clarum est Patrem ipsum aliarum personarum causam sive principium quodammodo dici, in eo scilicet quod aliæ duæ personæ ex ipso esse habent: altera quidem nascendo, de qua dictum est: altera procedendo, de qua dicendum est. Et nos quidem sensum sanctorum virorum venerantes, verba eorum minus nunc approbanda esse censemus, ut videlicet id dicamus habere principium quod est æternum, ac per hoc sine principio est: vel id dicamus habere causam quod non convenit effectum dici, cùm nullo modo effici vel fieri possit, id quod nullo modo non esse potest, sed penitus ex necessitate est. Quippe si sit aliquid, ut ait ipse quoque Aristoteles, non est. Ipse etiam Augustinus nec ista verba sese approbare satis insinuat, ubi omnem causam superius efficientem dixerat, & majorem esse effectu suo: ac per hoc omnem causam à voluntate Dei removet, ut nihil videlicet causa esset divinæ voluntatis. Qui etiam in ipso libro de Trinitate ubi specialiter de ipsa Trinitate definire intendit, incertum nobis reliquit quod asserere non est ausus, sed dubitativè protulit, ac sub quæstione deseruit, an videlicet Pater principium dicendus sit aliarum personarum. Ait quippe sic ibi libro V. capitulo XIII. Dicitur relativè Pater idemque relativè principium. Sed Pater ad Filium dicitur, principium verò ad omnia quæ ab ipso sunt. Item & principium Filius dicitur. Cùm enim diceretur ei Tu quis es? Respondit, *Principium qui & loquor vobis.* Creatorem quippe se ostendere voluit, cùm se dixerit esse principium, sicut & Pater principium est creaturæ, quòd ab ipso sunt omnia. Item, Unum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo, vel tria principia. Ad se tamen invicem in Trinitate, si gignens ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum. Utrum autem & ad Spiritum principium sit Pater, quoniam dictum est, *de Patre procedit*, non parva quæstio est. Et post pauca in sequenti capitulo. Si, inquit, & quod datur, principium habet eum à quo datur, fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus-sancti. Sed nec natura Patrem esse priorem Filio concedimus: immo simul esse natura, cùm mutuo relativè ad invicem dicantur Pater & Filius. Et juxta ipsos quoque philosophos omnia ad invicem relativa simul sint natura, cum utraque mutuo ad invicem ita sese habeant, ut nullo modo alterum sine altero queat esse. E contrario autem, ut ait Aristo-

Johannes Chrysostomus super epistolam Pauli ad Hebræos Sermone XI. Sadech justitiæ dicitur, Melcha vero rex. Melchisedech ergo rex justitiæ. Quomodo initium dierum, neque finem vitæ habuit, quomodo in eo non est narrata genealogia, sic & Christo ipsa natura rei, & sine initio, & sine fine est. Sicut enim istius nescimus neque initium dierum, neque finem vitæ, quod non sit scriptum, sic & nescimus Filii vel initium vel finem. Item, Intueris sine initio Filium, non quia non habet causam ex qua sit; hoc enim impossibile est. Habet namque Patrem, alioquin quomodo Filius? Sed quia non habebat initium vitæ, neque fine.

Ex libro Quæstionum Orosii ad Augustinum. Orosius. Voluntate genuit Pater Filium, an necessitate? Augustinus. Nec voluntate, nec necessitate: quia necessitas in Deo non est. Præire voluntas Sapientiam non potest. Igitur prius est rationabiliter sapere, quàm rationabiliter velle. Nam quidam nostrûm cùm eum interrogasset hæreticus, utrum volens an nolens genuerit Pater Filium? Laudabiliter respondisse fertur, Dic, inquit, & tu, hæretice, Deus Pater necessitate est Deus, an voluntate? Si dixisset necessitate, sequebatur grandis absurditas: si voluntate, respondebatur illi. Ergo voluntate est Deus, non natura.

Joh. 8. 25. — Gennad. de Dogm. Eccl. c. 1. — Joh. 8. 25. — Filius cum Patre simul natura.

teles, naturaliter prius alterum altero id dicitur, quod consequi habet necessario ad illud, sed minimè antecedere, ut unum duobus prius est: potest quippe unum existere, ita ut non sint duo, sed è converso. At verò nulla Personarum ita potest esse ut non sit altera; cùm nullo modo aliqua ex eis possit non esse, cùm æquè omnes necesse sit esse, hoc est omnino impossibile sit non esse ipsam personarum Trinitatem.

Sed nec ullam habent ad invicem dignitatis prioritatem, ut videlicet Pater dignior sit Filio, vel Spiritu-sancto dicatur, quia illi ex ipso sunt, non Pater ex ipsis; aut Filius eadem ratione Spiritu-sancto. Alioquin & animal eadem proportione dignius esset homine; cùm potius natura hominis naturam animalis præcedere videatur: cùm homo ipse ex propria natura rationalis sit, quod animal ipsum ex sua natura non obtinet. Sic & homo posset dignior dici homine aliquo dignissimo vel optimo omnium, cùm videlicet homo optimus ex homine esset, non ex homine optimo homo. Quod si quis in eo quoque Patrem ceteris præferat personis, quòd Pater non est ab alio, cùm tam Filius quam Spiritus ab alio sint, utpote à Patre ipso; præferat eadem ratione malum angelum bono angelo; cùm ille quod hujusmodi est à se ipso non ab alio habeat: iste verò à Deo hoc habeat. quæ etiam dignitas notari possit in non esse ab alio, cùm maxima emineat in esse à Deo. Magnum quippe est esse Deum de Deo & Summum Bonum de Summo Bono. Quasi geminatio quædam dignitatis in hoc exprimitur, in eo quod dicitur non esse ab alio, quæ ostenditur dignitas, cùm id rebus quoque non existentibus applicari possit, quæ nihil penitus habent dignitatis. Sed & si posset contingere ut aliquis homo à se ipso esset, & alius esset à Deo; numquid is qui à se esset melior esset aut dignior eo qui esset à Deo, iccirco quod hic à se esset, & ille ab alio? Non utique, cùm longè melior à Deo hic fieri posset, quàm ille per se esse valeret. Ponamus etiam quod aliquis homo genuerit alium æque sapientem, æque potentem, æque per omnia bonum & æqualem ipsi Patri suo. Ponamus, inquam, hoc sicut fortasse nonnumquam evenit vel evenire potest, cùm sæpe etiam filii parentibus sint præferendi, dico postea: Numquid is qui Patri suo per omnia æqualis est, aut fortasse melior, in aliquo indignior est Patre suo? Non utique, cùm æqualis ei per omnia sit aut fortasse melior. Si autem in nullo penitus is talis indignior est patre suo, quomodo in eo indignior vocabitur quod est ab ipso? Aut quomodo dignitati alicujus id derogaverit quod ab alio est, potius quàm qui à se ipso esset, si per omnia æque bonus sit is qui est ab alio, sicut est ille à quo ipse est? Nihil quippe aliqua dignitate præcedit alterum, quod in nullo bono exsuperat ipsum. Deus autem Pater Deum Filium in nullo transcendit bono, cùm æque

A Filius & potens sit & sapiens & benignus, & eadem per omnia boni perfectio singulis insit personis, sicut & eadem penitus individua illis inest substantia. Quod itaque perhibet Mercurius Filium esse secundum Dominum à Patre, tale est ac si dicat, ipsum quoque Filium esse Dominum, & esse secundum à Patre, hoc est personaliter diversum à Deo Patre, à quo solo ipse est, sed non solus, cùm ipse quoque spiritus ab utrisque sit. Quasi ergo primo loco Filius est ex Patre, nullo scilicet mediante: Spiritus verò quasi tertio loco, quoniam sic est ex Patre, quod est etiam ex Filio. Secundùm itaque dixit quasi eum

B qui primo loco ex Patre sit, ex ipsa videlicet ejus substantia, & nulla alia interveniente persona. Sed & cùm dicunt philosophi mentem ex Summo Deo natam, hoc est Verbum ex Deo Patre, summum, ut dictum est, dicunt non ex aliqua dignitate; sed ex eo quod à nullo sit ipse, cùm ceteræ duæ personæ ab ipso sint.

Quod vero objectum est quòd quia idem sit essentialiter Filius quod Pater, & Pater generet Filium, idem generet seipsum, hoc est, quia Filius, ut diximus, est ex Patre, idem sit ex seipso; facile est quassari ex similitudine superius inducta, de cera videlicet

C atque cerea imagine. Idem quippe est essentialiter cera ipsa & imago cerea. Et cùm imago ipsa ex ipsa cera est, non ideo ex seipsa, hoc est non ideo ipsa imago cerea est ex ipsa imagine cerea: quia est ex ipsa cera, quamvis hæc ipsa cera, & hæc ipsa imago, idem sint penitus essentialiter, non diffinitione quidem vel proprietate. Ipsæ quippe dictiones relativæ cùm ad identitatem ejusdem rei præmissis nominibus superponuntur, non solùm ad identitatem essentiæ, verùm etiam ad identitatem diffinitionis atque ejusdem penitus status accommodantur, ut si dicam aliquam rem esse ex se, oportet ut idem penitus sint

D juxta expressum esse suum, res ipsa quæ est & res ipsa ex qua est, veluti si idem esset diffinitione hæc cera & hæc imago cerea, sicut idem est ensis & mucro: & tunc cum concederemus ipsam imaginem esse ex ipsa cera, oporteret concedi idem esse ex se ipso. Cùm verò non possit ostendi id quod dicitur esse ex illo idem esse diffinitione cum illo, non est ideo verum idem esse ex se ipso, etsi hoc idem sit essentialiter ac numero cum illo. Multò minus cùm Pater & Filius diversi ab invicem sint, tam diffinitione quàm proprietate, licet sint idem essentialiter, non est necesse, ut cùm

E Filius sit ex Patre, vel generetur ex Patre, idem sit ex se vel generetur ex se. Sed dicis mihi, quia Deus de Deo est, cùm Filius sit ex Patre. unde & confitemur nos credere in Filium Dei, Deum de Deo, lumen de lumine. Cum itaque, inquies, Deus sit de Deo, & Deus hoc nomen proprium sit unius & individuæ singularisque substantiæ, nec ullo modo Deus à Deo sit diffinitione diversus, sed penitus idem, oportet concedi idem esse

ex se ipso. Ad quod respondeo, quod quemadmodum dicimus hominem ab homine esse diversum diffinitione sive proprietate, si hoc scilicet ad diversitatem Personarum, quæ in homine sunt, accipiamus, ut videlicet una persona hominis diversa sit ab alia, utpote Socrates à Platone, nec tamen ideo eadem res diversa est à se ipsa, cùm hæc persona non sit illa: ita & dicimus Deum à Deo diversum esse diffinitione vel proprietate, secundùm ipsam personarum diversitatem, quarum unaquæque Deus est, cum is qui Deus est, hoc est Pater ab eo qui Deus est, hoc est Filio, sit proprietate diversus, nec tamen ideo eamdem rem à se ipsa diversam esse contingit, cum hæc persona non sit illa. Falsum est itaque quod dictum est, nullo modo Deum à Deo diffinitione vel proprietate diversum esse, cum is qui Deus est ab eo qui Deus est sit proprietate diversus, hoc est una persona ab alia, utpote Pater à Filio. Quod verò additum est, quod hoc nomen *Deus* proprium sit unius individuæ substantiæ, ac per hoc, si Deus de Deo sit, idem est à se ipso, nihil cogit: quia Deum de Deo esse dicimus propter personas ipsas, quarum cum unaquæque Deus sit, una tamen est ex altera, nec ullo modo est altera. Unde non est necesse, ut cum una persona quæ Deus est sit ex una persona quæ Deus est, quod est Deum esse de Deo, ideo idem sit ex se, cum nullo modo una persona quæ est ex altera sit illa ex qua est; ac similiter istæ personæ quæ in Deo sunt sint à se per prædicationem disjunctæ, sicut & illæ quæ sunt sub homine & specie.

Quod vero objectum est, si Deus Deum generet, vel seipsum Deum vel alium Deum, facile est refelli secundum inductam superius generationis similitudinem, de cera videlicet & imagine cerea. Cera quippe cujuslibet ceræ quocumque modo formatæ materia est, & quodammodo quodlibet suum generat materiatum quod ex ipsa est, ut diximus. Cum itaque cera hanc ceram sic formatam quasi materia constituat atque generet, utique cera quamdam generat ceram. Unde oportet secundum suprapositam rationem, ut vel seipsam generet, vel aliam ceram. Sed nec eadem cera ex se ipsa generatur, vel ex se ipsa est, quamvis cera sic formata idem sit essentialiter cum cera ipsa ex qua est, nec sit idem diffinitione. Unde supra meminimus relativas dictiones non propriè supponi nisi ad identitatem quoque diffinitionis. Est itaque cera materia ceræ cujusdam atque ejus materia juxta Platonem, qui materiam quasi matrem materiati constituit, nec tamen ideo vel sui ipsius materia est seu mater, vel alterius ceræ. Sic & Deus cum Deum generet, hoc est sit Pater Dei, nec seipsum ideo generat, nec alium Deum.

De æternitate autem generationis quod quæsitum est, utrum videlicet Filius semper gignatur, an semper sit genitus; in ipso ferè superius nostri tractatus exordio quod sentimus assignavimus, eum scilicet tam gigni semper quàm genitum esse asserentes, hoc est semper eum ex Patre esse, & plenam semper & perfectam in hoc ipso generationem ejus esse: quæ numquam aut incoepit aut desinit: quod est eum semper gigni & semper genitum esse, cum idem sit ei gigni quod est genitum esse. Neque enim cum dicimus, aut quod Filius ex Deo Patre gignitur, aut quod est genitus, secundum temporum distinctionem id accipimus, cum illa videlicet æterna generatio tempori nullo modo cedat, quæ ante tempora quoque sicut nunc perfecta consistebat. Ac per hoc nihil referre intelligimus, sive gigni Filium, sive genitum esse teneamus. Præterea quomodo dici potest, quod Pater genuit Filium, nisi ipse fuerit gignens Filium? Nihil quippe aliud sonat quàm fuit gignens, sicut nec gignet aliud sonat quam erit gignens, vel gignit quam est gignens. Quod si gignens fuerit Pater, & jam gignens non sit, cum jam videlicet genitus ab eo Filius esse dicitur potius quàm gigni, profecto inchoata primitus, & postea perfecta esse Verbi generatio dicenda est, & ille qui antea fuit gignens, postea à generando cessare, cum jam ab eo genitus esset Filius. In æternitate autem nulla imperfectio, nulla cessatio, aut variationis vicissitudo contingere potest*. Patri itaque, & ex hoc idem esse gigni Filium Dei & genitum esse, cum videlicet nulla ratione intelligere possimus aliquid esse genitum, si nullatenus ipsum gigni contingeret; nec aliquem genuisse, si penitus eum numquam contingeret gignere. Numquam autem hoc loco pro æternaliter non temporaliter sumimus, cum illa, ut dictum est, generatio æterna sit, non temporalis. Videntur tamen nonnullæ auctoritates hoc penitus respuere, quod Filius Dei nasci vel gigni dicatur ex Patre, sed tantum natus esse vel genitus. [a] Unde Augustinus de hac ipsa generatione differens in libro LXXXIII. quæstionum capitulo XXXIX. meminit dicens: "Melius est semper natus quàm qui semper nascitur: quia qui semper nascitur nondum est natus, & numquam natus est aut natus erit si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc numquam Filius, si numquam natus. Et si semper Filius, semper igitur natus." Hinc & illud Gregorii, qui ait in Moralibus libro XXIX. "Dominus Deus JESUS-CHRISTUS in eo quod virtus & sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est, vel potius, quia nec cœpit nasci, nec desiit, dicamus verius semper natus. Non autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus esse videa-

* f. patet.

[a]

Greg. l. 29. mor. c. 1.

(a) Id etiam acriter in Abaëlardo arguit abbas anonymus in libro tertio dissertationis quam adversus eum conscripsit, probatque contrarium auctoritate tum S. Augustini tum S. Hilarii, atque etiam S. Leonis, adversus Arianorum argutias, qui aliquam in Filio Dei imperfectionem prætendebant, eo quod semper de Patre gigneretur, cum contra sancti Patres non *semper gigni*, sed semper genitum esse assererent.

A „tur. At verò ut æternus designari valeat & perfectus, & semper dicamus & natus, quatenus & *natus* ad perfectionem pertineat, & *semper* ad æternitatem: quamvis hoc ipsum quod perfectum dicimus, multum ab illius expressione veritatis deviamus; quia quod factum non est, nec potest dici perfectum. Et tamen infirmitatis nostræ verbis Dominus condescendens, *Estote*, inquit, *perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*" [Matth. 5. 48.] Quod verò B. Augustinus de semper nascente & semper nato dixerit in illo quæstionum LXXXIII. libro, juxta consuetam verborum significationem dictum puto, quod fortasse aliquis illam quæstionem movens nasci & natum eo modo B sumserit, quo de generationibus nostris agimus. Tunc enim nasci dicimus cum nondum completa est nativitas, sed inchoata; tunc verò natum, quando jam perfecta est. Cùm ergo quis ita verba accipiens quæstionem hujusmodi moverit, non incongruè sanctus vir, servata eadem verborum acceptione, eisdem satisfecit verbis, præferendo scilicet completam & perfectam generationem, quam Filio Dei ascribit inchoarè & nondum completè. Et tale est quod dicit quod melior est nativitas quæ numquam inchoata semper est perfecta, quàm esset aliqua quæ inchoata semper C perseveraret imperfecta. Quod verò dicitur Filius esse ex substantia Patris, tantumdem hoc loco sonat esse ex substantia Patris, quantum gigni ex Patre, ab eo quod translatum quod in nostris generationibus is qui gignitur, in eo de substantia Patris esse dicitur; quod in ipsa generatione humani corporis traductum est & conversum aliquid de ipsa substantia corporis Patris in corpus Filii. Cùm ergo tale sit Filium esse ex substantia Patris, ac si dicatur gigni ex Patre, sicut ex solo Patre gignitur, ita solummodo ex substantia Patris esse dicitur, non etiam ex substantia * vel Spiritus-sancti, quod esset à seipso D gigni sive à Spiritu-sancto. Gregorius in Job libro XXXIV. *Lingua mea calamus scribæ.* [Ps. 44. 2.] Quod loquimur transit, quod scribimus permanet. Lingua Patris scribæ calamus dicitur, quia ab eo Verbum illius coæternum ac sine transitu generatur. Ambrosius de Fide ad Gratianum imperatorem: Non hæc sunt in Deo corporalibus æstimanda. Incomprehensibiliter generatur Filius. Impassibiliter generat Pater, & tamen ex se generat, & ante omnem intellectum generat, ut Deus verus Deum verum. Hieronymus in diffinitione fi- E dei catholicæ Nicænique Symboli: Quod de substantia Patris natus est semper, ipse ait Salvator in Evangelio, *Quod* [a] *nascitur ex carne caro est, & quod nascitur de Spiritu spiritus est, quoniam Deus Spiritus est.* [Joh. 3. 6.] Augustinus de Trinitate libro V. capite XIII. Si gignens ad id quod gignit principium, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum. Idem in Sermone de Symbolo: Multis libris disseruerunt docti & spiritales viri, quod ille genitor ille genitus. Ille hujus principium, unde & caput Christi dicitur, quamvis & Christus principium, sed non Patris. Hic vero illius imago, quamvis nulla ex parte dissimilis & omnino indifferenter æqualis Filius Patri debet quod est: hoc etiam debens utique Patri, quod Patri æqualis est: Pater autem nulli debet quicquid est. «

[* f. addendum *Filii.*]

Notandum quoque quod Sapientia Patris vel Amor Patris & Filii, cùm ad distinctionem personarum Filii & Spiritus-sancti proferantur; sicut & Spiritus-sanctus ad distinctionem tertiæ personæ tamquam propria ipsarum personarum nomina relativè ponuntur, ut tale sit quod dicatur Sapientia Patris, ac si dicatur ex Patre genita, quod est Verbum ipsum, id est Filius. Et quod dicitur Amor Patris vel Filii, ac si dicatur ex eis procedens, hoc est tertia illa persona Spiritus-sanctus. Et sic quidem dum relativè ponuntur istæ orationes, vim habent propriorum nominum singularum personarum, sicut & Spiritus-sanctus quando per processionem dicitur. Si verò dicatur Spiritus-sanctus communiter & non propriè, hoc est secundùm hoc quod quilibet Spiritus bonus Spiritus talis est qui sit sanctus, & non secundùm proprietatem processionis tertiæ in Trinitate personæ, licet juxta beatum quoque Augustinum tam Patrem etiam ipsum, quàm Filium dici Spiritum-sanctum. Sic fortasse & cùm dicitur Sapientia Patris vel Amor Patris non relativè inter personas ad invicem, ut videlicet vel generationem Filii vel processionem Spiritus determinemus, scilicet ita simpliciter, ac si diceremus: Sapientia ipsa quæ est Patris, vel amor ipse qui est Patris, immo & ipse est Pater, nihil impedit dici vel ipsum Patrem esse Sapientiam sui, hoc est eam ipsam Sapientiam qua Sapiens est, immo & quæ ipse est, cui juxta Augustinum etiam idem est sapere quod esse; & ita sicut in seipso habet sapere non ad aliud, vel ipsum similiter Filium vel Spiritum-sanctum esse ipsam suam Sapientiam, & unamquamque personam hoc modo Sapientiam quæ est uniuscujusque personæ, vel amorem similiter qui sit uniuscujusque personarum, cùm unaquæque personarum & sapientiam habeat & amorem, nec sint diversæ sapientiæ vel amores. Si quis tamen hoc omnino dicere recusset propter scandalum sermonis in aliam significationem pronioris ac magis usitati, quamvis sententiam non contradicat, sicut & omnino dici respuat Pater vel Filius est Spiritus-sanctus, non eum cogendum esse arbitror. Hæc de generatione Verbi dicta terminemus, nunc de processione Spiritus-sancti, ipso inspirante, dicamus.

[b] Spiritus quasi à spirando dictus est, unde Veritas, Spiritus, inquit, ubi vult spirat, ideoque ipso nomine suo procedere ex Patre & Filio potius quàm gigni perhibetur. Benigni- [b]

(a) In Evangelio Johannis legitur *quod natum est ex carne*, & mox *quod natum est de Spiritu.*

(b) Hunc locum integrum refert & refutat Guillelmus abbas S. Theodorici in disputatione adversus Petrum Abaëlardum c. 4.

tas

A tas quippe ipsa, quæ hoc nomine demonstratur, non est aliqua potentia sive sapientia, cùm videlicet benignum esse non sit esse sapientem aut potentem. Nullus quippe in eo quod benignus est aut sapiens est aut potens, immo ipsam magis caritatis affectum sive effectum dici convenit. Caritas autem teste Gregorio, minus quàm inter duos haberi non potest. » Nemo enim, inquit, ad semetipsum habere » caritatem dicitur, sed dilectione se in » alterum tendit, ut esse caritas possit. Procedere itaque Dei est sese ad aliquam rem per affectum caritatis quodammodo extendere, ut eam videlicet diligat, ac se ei per amorem conjungat. Cùm itaque tam Filius quàm Spiritus-sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens, differt in eo generatio ipsa à processione, quod is qui generatur ex ipsa Patris substantia est, cùm ipsa, ut dictum est, Sapientia hoc ipsum esse habeat ut sit quædam potentia. Ipse verò caritatis affectus magis ad benignitatem animi, quàm ad potentiam attineat. Unde bene filius ex Patre gigni dicitur, hoc est ex ipsa Patris substantia esse. Spiritus verò minimè gigni, sed magis procedere, hoc est se per caritatem ad alterum extendere, quia quodammodo per amorem unusquisque à seipso ad alterum procedit: cùm propriè, ut dictum est, nemo ad seipsum caritatem habere dicatur, aut sibi ipsi benignus esse, sed alii. Maximè autem Deus, qui nullius indiget, erga seipsum benignitatis affectu commoveri non potest, ut sibi aliquid ex benignitate impendat, sed erga creaturas tantum, quæ semper donis gratiæ ejus indigent. Quodam itaque modo à seipso Deus ad creaturas exire dicitur per benignitatis affectum sive effectum, cum hoc ipsum quod benignus est, aut benignè aliquid ex caritate agit, secundùm affectum sive effectum, quem in creaturis habeat, dicatur. Tunc verò in se per benignitatem remaneret, si sibi benignus esse posset, aliquam in se beneficentiam exercendo. Ex Patre autem

Joh. 8. 4.

Eccli. 24. 5.

B Ambrosius de Fide ad Gratianum libro I. Crede quia à Deo exivit Filius, ut ipse testatur, dicens: *Ex Deo processi & veni*. Et alibi: *A Deo exivi*. Qui à Deo processit & à Deo exivit, nihil aliud potest habere, nisi quod Dei est.

Item ex Patre nascendo prodivit, ut dixit ipse qui natus est: C *Ex ore Altissimi prodivi*. Idem libro IV. Dicit Sapientia Dei, *Ex ore Altissimi prodivi*, hoc est non coacta, sed libera, non potestati obnoxia, sed nata generationis arcano. CXX. Ex libro Quæstionum Orosii ad Augustinum, Responsio Augustini: Nullus autem filius est nisi duorum, patris & matris. D quod absit ut inter Deum Patrem & Filium tale aliquid suspicemur: quia nec Filius hominis simul ex Patre procedit & ex matre, quia cum procedit ex Patre, non tunc procedit ex matre.

E

& Filio procedere Spiritus habet, quia bonus ipse affectus sive effectus faciendi aliquid ex potentia ipsius & sapientia provenit, cùm ideo velit Deus & faciat, quia & potest illud adimplere & * sollerter efficere. Nisi enim posset aliquid, frustra illud vellet, quia efficacia careret; & nisi sollerter sciret illud efficere, non haberet egregium effectum. Constat etiam nihil eum posse velle, nisi optimum, nec rationabiliter illud vellet quod ignoraret. Ut itaque rationabiliter aliquid velit facere & optimè, oportet eum & hoc posse, & ante cognoscere quæ faciat, & scire optimè facere. Bonus itaque affectus Dei quodammodo ex potentia ejus ac sapientia descendit, quod est Spiritum ipsum ex Patre & Filio simul procedere: quia eo vult, ut dictum est, optimè cuncta efficere, quia & potest & scit.

* f. Et scit sollerter.

Græci tamen ex solo Patre, non etiam ex Filio Spiritum-sanctum procedere confitentur, eo scilicet quod Veritas in Evangelio fidem integrè continente de processione Spiritus loquens, solum Patrem commemorat dicens: *Spiritus qui à Patre procedit*. Qui etiam super hoc quod eum à Filio quoque procedere credimus, nos vehementer arguunt, atque reos anathematis teneri asserunt. quod in principalibus conciliis quæ apud eos celebrata sunt, ita symbola eorum subjunctis anathematibus sancita sint, ut nulli de fide Trinitatis aliud docere vel aliter prædicare, quàm ibi continetur, liceat. In quibus symbolis cùm in processione Spiritus de solo Patre commemoretur, Quicumque, inquiunt, Filium addunt, anathema incurrunt. Addunt etiam ad exaggerationem impudentiæ nostræ testimonium damnationis, symbolum fidei, quod juxta traditionem prædictorum conciliorum Leo tertius Romæ transcriptum in tabula posteris argentea reliquit, pro amore, ut ipsemet dicit, & cautela orthodoxæ fidei. In quo quidem symbolo ipse quoque in processione Spiritus, solum commemorat Patrem, his quidem verbis: Et in Spiritum-sanctum « Dominum & vivificantem, ex Patre proce- « dentem, cum Patre & Filio coadorandum & « glorificandum &c. In quanta autem reveren- « tia principalia illa concilia tenenda sint, beatus diligenter aperit Gregorius, qui se ea tamquam quatuor evangelia suscipere & venerari profitetur. Unde & eorum verbis non magis quàm evangelicis vel addere aliquid vel subtrahere nos permittit, ita Constantio episcopo Mediolanensi de uno eorum scribens: Nos « auctore veritate, teste conscientia, fatemur « fidem Chalcedonensis symboli illibatam per « omnia custodire, nihilque ejus diffinitioni ad- « dere, nihil subtrahere audere. Sed si quis con- « tra eam ejusque Synodi fidem, sive plus mi- « nusque ad sapiendum usurpare appetit, eum « omni dilatione postposita anathematizamus, « atque à sinu matris ecclesiæ alienum esse de- « cernimus. Sed profectò cùm interdicitur, ne « quis aliter doceat aut prædicet catholicam fidem, quàm in prædictis continetur conci-

Græcorum hæresis de processione Spiritus-sancti.

Joh. 15. 26.

liis, aliter dictum puto, non secundùm verborum diversitatem, sed secundùm fidei contrarietatem, ac si dicatur aliter; hoc est contrario modo, non diverso verborum sono: quia & nos latinè dicimus quod illi græcè. Sicut ergo diversum pro proposito dicitur, ita diverso modo quod est aliter pro opposito modo non incongruè sumitur. Alioquin cùm unumquodque illorum conciliorum proprium composuerit atque instituerit symbolum, sintque ipsis symbola ab invicem verbis diversa, ac fortasse quibusdam sententiis, cùm unum nonnumquam contineat quod alterum non habet, profectò anathematis reus esset, qui uno recepto cetera symbola decantaret. Eadem ratione rei teneremur ex supplemento evangelii additi, cùm in Deuteronomio Moyses dicat, *Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Addi itaque prohibuit contrarium aliquid, non quod perfectioni deerat suppleri. Quamvis etiam ita possit intelligi, * aut omnino prohibeatur homo ex seipso verbis Domini aliquid supplere. Tunc verò homo ex se aliquid adderet, si hoc ex sensu suo, non ex inspiratione Spiritus præsumeret. De quo quidem Spiritu scriptum est, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Multa etiam de miraculis sanctorum & de his quæ sancti Patres post apostolos scripserunt prædicamus, cùm tamen Apostolus dicat ad Galatas scribens, *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizamus vobis, anathema sit. Sicut prædixi, & nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Quod autem opponunt Græci evangelicam traditionem ad integram fidei disciplinam sufficere, nec quicquam ulterius addendum esse præter ea quæ in verbis continentur evangelicis, in seipsos sententiam proferunt, cùm aiunt Spiritum à solo Patre procedere. Non enim Evangelium cum à Patre procedere Spiritum dicit, *solo* adjungit, quod ipsi apponunt; sed tantummodo *à Patre* dicit. Multa quoque fidei necessaria post evangelia ab apostolis vel apostolicis viris addita sunt, quæ ex verbis evangelicis minimè comprobantur, sicut est illud de virginitate matris Domini etiam post partum jugiter conservata & de aliis fortasse multis.

Deut. 12. 32. — * f. ut omnino. — Matth. 10. 20. — Gal. 1. 8.

Testimonia patrū Græcorum de processione Spiritus-sancti.

His autem adversus Græcorum objectionem de processione Spiritus responsis, libet etiam ex ipsorum doctoribus testimonia proferre, quibus à Filio quoque Spiritum-sanctum procedere doceantur. Athanasius in Symbolo fidei, Spiritus, inquit, sanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, non genitus sed procedens; ubi quidem cùm præmiserit Spiritum-sanctum à Patre & Filio esse, atque subjunxit procedens, manifeste docuit eum ab utroque procedere, cùm ad utrumque procedens retulerit sicut esse, præsertim cum non aliter à Patre Spiritus esse habeat, quàm procedendo. Ait etiam Didymus eorum maximus doctor in libro de Spiritu-sancto, quem beatus transtulit Hieronymus, verba Christi de eodem Spiritu ita inducens atque exponens: Salvator, qui & Veritas, ait: *Non enim loquetur à semetipso*, hoc est non sine me, & sine meo & Patris arbitrio, quia inseparabilis est à mea & Patris voluntate: quia ex se non est, sed ex Patre & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, à Patre & me illi est. Ego veritatem loquor, id est inspiro quæ loquitur. Siquidem Spiritus veritatis est; dicere & loqui in Trinitate non secundùm consuetudinem nostram accipiendum, sed juxta formam incorporalium naturarum, & maximè Trinitatis, quæ voluntatem suam ingerit in corda credentium. Item, Spiritus-sanctus qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ, non potest audire, Filio loquente, quæ nescit, cùm hoc ipsum sit quod profertur à Filio, id est procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens à Veritate, consolator [a] manens de consolatore. Item Cyrillus Alexandrinus Episcopus in epistola VIII. Nestorio directa, quæ sic incipit, Reverendissimo & Deo amantissimo &c. Si est, inquit, in subsistentia Spiritus spiritali, vel certè & intelligitur per se secundùm quod Spiritus est & non Filius, sed tamen est non alienus ab eo. Spiritus enim Veritatis nominatur, & profluit ab eo sicut denique ex Deo Patre. S. Johannes Chrysostomus Homilia XXVI. de Expositione Symboli, quæ sic incipit. Universalis Ecclesia congaudet: Iste est Spiritus procedens de Patre & Filio, qui dividit propria dona singulis prout vult. Idem

Joh. 16. 13.

Ivo Carnotensis in Sermone Pentecostes: Dominus dicit in Evangelio, *Cùm venerit Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille vos docebit omnem veritatem, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hæc verba ita interpretatur Didymus. Etiam separabilis est Spiritus à mea & Patris voluntate. Et amplius quia non ex se est, sed ex Patre & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, à Patre & à me illi est. Item, consensus significatio est. Spiritus-sanctus quidem est, Spiritus Veritatis, Spiritusque Sapientiæ, non potest audire, Filio loquente, quæ nescit, cùm ipsum sit, quod profertur à Filio, id est procedens Deus de Deo, Spiritus Veritatis procedens à veritate, consolator manens de consolatore. Item, idem in Symbolo Ephesini concilii, quod Græcorum fuisse constat, manifestè his verbis astruitur; Quamvis in sua substantia sit Spiritus Filii, & intelligatur in persona proprietas, juxta id quod est Spiritus, & non Filius, non est tamen alienus ab ipso. Nam Spiritus appellatur Veritatis, & veritas Christus est.

Didymus lib. 2. de Spiritu-sancto. — Joh. 16. 13.

(a) Lege ut apud Hieronymum, *Manens à consolatore.*

in Homilia xxviii. in alia expositione ejusdem Symboli, quæ sic incipit Super fabricam
» totius Ecclesiæ : itaque credendum est Spiri-
» tum Patris esse & Filii. Item, Non dicatis
» minorem esse Filium de Patre genitum, sed
» istum qui natus est de Spiritu-sancto & Ma-
» ria Virgine. Item, Istum Spiritum-sanctum
» dicimus Patri & Filio esse coæqualem, & pro-
» cedentem de Patre & Filio. Hoc credite ne
» colloquia mala corrumpant mores vestros
» bonos. Item, Sunt hæretici qui dicunt Spi-
» ritum-sanctum inter creaturas esse ordinatum.
» Item, Videte ubique sacramentum Trinitatis.
» Ecce & in Spiritum-sanctum creditis, qui Spi-
» ritus-sanctus procedens de Patre & Filio ca-
» ritate conjungitur. Augustinus libro Quæstio-
» num ad Orosium cap. 11. Ipse Dominus noster
» JESUS-CHRISTUS post resurrectionem ut
» ostenderet à se procedere Spiritum-sanctum
Joh. 20. 22. » sicut à Patre, insufflans ait : *Accipite Spiri-*
» *tum-sanctum.* Idem libro IV. de Trinitate, Nec
» possumus dicere quod Spiritus-sanctus & à
» Filio non procedat. nec enim frustra idem
» Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur. Nec
» video quid aliud significare voluerit, cùm suf-
» flans ait : *Accipite Spiritum-sanctum.* Neque
» enim flatus ille corporeus substantia Spiritus-
» sancti fuit, sed demonstratio & à Filio pro-
» cedere Spiritum-sanctum. Sufficere autem putamus quod in processione Spiritus Veritas solum Patrem commemorat. Cùm enim ipsa Sapientia, ut dictum est, quædam sit potentia, atque in ipsa potentia sit sapientia inclusa, satis probabiliter apparet, per processionem Spiritus ex potentia processio ipsius ex Sapientia. Sed & Hieronymus scribens de Fide solum Patrem commemorat, sicut & in symbolis principalium conciliorum continetur. Unde ita ad Damasum scribit, dicens :
» Credimus & in Spiritum sanctum, Deum ve-
» rum ex Patre procedentem. Necnon & Augustinus cap. 1. libri Enchiridion de solo Patre in processione Spiritus mentionem facit, licet Spiritum ipsum tam Patris quàm Filii
S. Aug. Ench. c. 9 » esse dicat his quidem verbis : Satis est christia-
» no rerum creatarum causas nonnisi bonita-
» tem credere creatoris, nullamque esse natu-
» ram, quæ non aut ipse sit aut ab ipso, eum-
» que esse Trinitatem, Patrem scilicet & Filium
» à Patre genitum, & Spiritum-sanctum ab eo-
» dem Patre procedentem, sed unum eum-
» demque Spiritum Patris & Filii. Multis tamen aliis locis, tam ipse Augustinus quàm omnes fere latini theologi Spiritum sanctum ex Filio quoque procedere & profitentur & comprobant. Unde & ipse in xv. de Trinitate c. xxvi.
» de processione Spiritus differens ait : Scriptura
» sancta Spiritum eum dicit amborum, de quo
Gal. 4. 6. » dicit Apostolus : *Misit Deus Spiritum Filii sui*
» *in corda nostra* ; & de quo dicit idem Filius,
Matth. 10. 20. » *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* ; de
Joh. 15. 26. » quo item dicit : *Quem ego mittam vobis à Pa-*
» *tre.* Et alio loco : *Quem mittet Pater in no-*
Joh. 14. 26. » *mine meo.* Et cum resurrexisset à mortuis, dis-
Joh. 20. 22. » cipulis suis insufflavit & ait : *Accipite Spiritum-*

A *sanctum*, ut eum etiam de se procedere ostenderet. Quippe quomodo apertius quàm insufflando docere potuerit Spiritum-sanctum ex se quoque procedere ? Præsertim cum Spiritum quasi Spiramen à spirando dictum esse constet, & juxta propriam significationem Spiritus sanctus hoc loco, ut dictum est, sonet procedens. Unde necesse est, ut cujuscumque Spiritus esse dicatur, vel ab eo mitti, vel ab ipso procedere concedatur. Propriè tamen seu principaliter ab ipso Patre procedere Spiritus dicitur. Unde Hieronymus definitionem fidei catholicæ Nicæni symboli tractans ait : Credimus & in Spiritum-sanctum, «
B qui de Patre procedit propriè. Item, Spiritum- «
sanctum verum Deum invenimus in Scrip- «
tura & de Patre propriè esse. Et iterum, De «
Patre Filius, & Spiritus propriè & verè de Patre quidem procedit. Primum igitur accipe quod de Patre est propriè Spiritus-sanctus, dicente Scriptura : *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ps. 32. 6.
Et Salvator ait : *Spiritus veritatis qui à Patre procedit.* Joh. 15. 26.
Et beatus Augustinus in xv. de Trinitate * cap. xviii. Non frustra in hac Tri- « *l. c. xvii.
nitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec «
Donum Dei nisi Spiritus-sanctus, nec de quo «
genitum est Verbum, & de quo procedit prin- «
C cipaliter Spiritus-sanctus, nisi Deus Pater. Ideo «
autem addidi principaliter, quia & de Filio «
Spiritus-sanctus procedere reperitur. Sed hoc «
quoque illi Pater dedit, non jam existenti, «
& nondum habenti : sed quicquid unigenito «
Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum «
genuit, ut etiam de illo [a] bonum commune procederet, ac si apertè Augustinus his verbis determinet per hoc Spiritum-sanctum principaliter ex Patre procedere, & non principaliter ex Filio, quia sic ex Patre procedit quasi primo loco, cum Pater ab alio non habeat, sed à seipso, sicut & à seipso est, hoc est non ab alio. Filius verò cum à se non sit,
D sed à Patre, & hunc ipsum Spiritum à Patre habet, à quo per generationem esse habet. Sed quid est quod dictum est, propriè Spiritum ex Patre procedere ? numquid propriè ibi dictum est sicut hoc loco principaliter, & fortasse eodem modo dici videri posset, nisi quod ibi interseritur quod & Filius ex Patre natus sit proprie, sicut & Spiritus à Patre propriè dicitur esse ? Dictum quippe ibidem est, Filius non ex semetipso natus est,
E sed ex Patre natus est propriè, non in tempore, sed semper : non aliunde, sed de sua substantia ; non de aliena, sed de sua propria. At vero si eodem modo & in Filio & in Spiritu-sancto accipitur pro-

Caritas Dei, qua se per creaturas ad effectum extendit, id est bona ejus erga eas voluntas, tam in eis condendis quam disponendis, qua videlicet Deus non solum bonum vult, sed etiam benè, ut rationalis monstretur, ex Patre procedere dicitur & Filio, hoc est

(a) Apud Augustinum *Donum commune.*

prié, cum hic scilicet propriè nasci ex Patre, & ille propriè procedere dicitur ex Patre; & tale sit dicere propriè, ac si diceretur principaliter. Quo modo Filium ex Patre principaliter nasci dicemus, cùm ex eo solo natus sit? nisi forte cum ibidem statim additum sit non temporaliter, sed semper respectu temporalis generationis ejusdem Filii id dictum sit, ut videlicet hæc principalis & prima sit quæ est æterna, per quam ab æqualitate Patris non receditur. Illa verò quasi posterior & temporalis secundùm quam minor Patre Filius ipse dicitur. Possumus & dicere in eo Filium ex Patre propriè natum esse sive genitum, quod naturalis ejus sit Filius, non adoptivus, sicut & statim determinatur cùm subditur non alium, sed de sua substantia. Sed & secundùm hoc quod juxta philosophos nata sive genita omnia dicuntur, quæ ab aliquo habent esse, propriè Filius solus ex Patre natus est: quia solus ipse nascendo ex ipsa Patris substantia est. Spiritus verò sanctus secundùm hoc ex solo Patre propriè procedere dicitur, quòd ab eo sic procedit, quasi à summo principio, quod videlicet ab alio non est. Inde enim aliquid propriè procedere dicitur, unde primo venire ac moveri cœpit, sicut lacus ex fonte non ex rivo, sed per rivum, in quem à fonte emissus per eum transiit, ac pervenit in stagnum. Sic & Spiritus-sanctus ex Patre propriè procedere dicitur, quasi à summa origine, quæ scilicet aliunde non sit, & ab ipso in Filium quasi in rivum: quia & quod habet Filius, ab ipso habet à quo & hoc ipsum habet quod ipse est, & per Filium ad nos tandem quasi in stagnum hujus sæculi. Quippequi omnia in Sapientia facit ac disponit; & in hac ipsa sapientia sua Spiritum tribuit suorum distributorem donorum non improvidè vel inconsideratè. Unde & beatus Hilarius Spiritum à Patre per Filium magis quàm à Patre & Filio procedere seu esse sicut & mitti perhibet, ita ad Deum Patrem de Spiritu ipso & Filio loquens in XII. de Trinitate libro, » In sancto Spiritu tuo ex te profecto & » per eum misso. Item, Ex te per eum Spiritus-» sanctus tuus est. Item, Filium tuum una te-» cum adorem, sanctum Spiritum tuum, qui » ex te per unigenitum tuum est, promerear. Et hoc fortasse modo si à solo Patre procedere Spiritum Græci intelligant, eo videlicet quod sic ab ipso sit quasi à summo & non existente ab alio, nulla est sententiæ controversia, sed verborum diversitas. Certum quippe est, & solam personam Patris hoc modo summam debere prædicari; & Spiritum ab ipso quoque esse sicut à Filio, qui ipsius quoque sicut & Filii Spiritus dicitur.

in illis quasi primordium & causam suæ existentiæ habere, cùm ex eo Deus rationaliter velit quicquid de condendis vel disponendis creaturis instituit: quia & potentiam & solertiam in his vel condendis vel disponendis plenam obtinet.

Quod verò nonnulli moventur ex eo quod dicimus Filium à Patre per generationem esse; & Spiritum à Patre & à Filio per processionem; nec tamen ideo Patrem per existentiam priorem esse Filio, vel Patrem aut Filium Spiritu-sancto: potest ex multorum similitudine exemplorum refelli. Solis quippe substantia & splendida est & illuminabilis, id est potens illuminare aliquid, & cum sit splendor ex sole & illuminabilitas ex sole simul & splendore, numquam tamen aliquid ex his tribus per existentiam aliquid horum præcesserit.

Sed & si quis illam philosophicam Platonicæ rationis considerationem altiùs inspiciat, quæ videlicet de Deo opifice ad similitudinem quamdam solertis artificis agit, præmeditantis scilicet & deliberantis ea quæ facturus est, ne quid inconvenienter componat, & prius singula ratione quàm opere formantis. Ad hunc quippe modum Plato formas exemplares in mente divina considerat, quas ideas appellat, & ad quas postmodum quasi ad exemplar quoddam summi artificis providentia operata est; videbit Spiritum-sanctum ex Filio quoque, sive per Filium rectè procedere, cùm ex ratione Sapientiæ universa Dei opera administrentur; & ita quodammodo conceptus divinæ mentis in effectum per operationem prodeat. Effectus autem ad Spiritum pertinent, qui ex bonitate conditoris eveniunt: quia Spiritus ipse bonitas est. Dicamus itaque Spiritum ex Filio quoque procedere, cùm ratio divinæ providentiæ ad effectum benignitatis perducitur, & quod ab æterno faciendum providerit, temporaliter quando vult facit. Hanc autem processionem, qua scilicet conceptus mentis in effectum operando prodit, Priscianus in primo constructionum diligenter aperit, dicens generales & speciales formas rerum intelligibiliter in mente divina constitisse, antequam in corpora prodirent, hoc est in effecta per operationem: quod est dicere, antea providit Deus quid & qualiter ageret, quàm illud opere impleret. Ac si diceret, nihil inpræmeditatè sive indiscretè egit. Macrobius quoque ipsam etiam mundi animam, quam putamus Spiritum-sanctum intelligi, ex Noy hoc est ex Filio præcipuè esse declarat, cùm apertè eam à Noy creatam sive natam, sicut & ipsam Noym à Deo Patre esse profitetur, ita generaliter de origine animæ exorsus: « Deus qui prima causa & est & vocatur, unus omnium quæ sunt, quæque videntur esse, princeps & origo est. Hic superabundanti majestatis fœcunditate de se mentem creavit. Hæc mens quæ Noys vocatur, qua Patrem inspicit, plenam similitudinem servat auctoris. Animam vero de se creat, posteriora respiciens. Rursus anima Patrem qua intuetur induitur, ac paulatim [a] redigente respectu in fabricam corporum, in corporea ipsa degenerat. » (Macrob. lib. 1 in Somnium Scipion. c. 14.) Creari autem sive nasci, hoc loco Macrobius abusivè protulit, sicut & in primo loco determinavimus, cùm

(a) Apud Macrobium *regrediente respectu*.

videlicet tam mentem ipsam quàm animam creatam dixerit: mentem quidem ex Deo, hoc est Filium ex Patre; & animam ex mente, hoc est Spiritum ex Filio. ubi & utramque natam esse insinuat, cùm utrique Patrem assignat, Deum quidem menti, & rursum mentem ipsam animæ. Creari itaque sive nasci esse ex alio intelligit, ut tale sit quod ait hoc ex illo nasci sive creari, quasi simpliciter diceret hoc ex illo esse. Sufficit autem philosopho ad ostendendum animam ipsam tam ex Patre quàm Filio esse, solum memorasse hoc loco Filium, quia cùm Filius ex ipso Patre sit, & Spiritus ipse hoc est anima ipsa ex Filio esse assignatur, liquet profectò ipsam quoque ex Patre esse secundùm quod & ipse eam Philosophus à Deo & Noy juxta sapientes nominari supra inductus asseruit. Quod verò ait mentem esse ex fœcunditate majestatis, tale est ac si diceret Sapientiam ex ipsa omnipotentia esse naturâ. Propriè namque majestas ac reverentia potentiæ ascribi solet. Quod verò dicit, quod mens qua Patrem inspicit similitudinem servat, ita dictum puto ac si apertè dicat Filium ipsum in omni re, in qua similis est Patri, æqualem omnino illi esse. Potens quippe est sicut & Pater & tantumdem Potens: bonus est sicut & Pater, & æquè bonus. Sic & in ceteris in quibus habet similitudinem cum Patre & æqualitatem habet. Non autem in omnibus similitudinem habet cum Patre, cùm ipse solus sit genitus & solus Pater genitor. quod quidem ad distinctionem personarum attinet secundum proprietates earum. Secundum nos etiam, qui solum Filium incarnatum credimus, in hoc uno Filium minorem Patre, non æqualem dicimus. Noys posteriora respiciens animam creat, quia Spiritus-sanctus, qui ex Filio est, sive quæcumque anima ab ipso conditore suo ducens exordium, hoc ipsum quod anima est, id est vita creatarum rerum, ex respectu quodam ipsius creatoris habet; hoc est ex beneficio divinæ Sapientiæ cuncta disponentis, ut in ipso respectu Dei divinum intelligatur beneficium. Anima quippe ab animando, hoc est vivificando dicta est. Spiritus quidem sanctus, ut in primo libro distinximus, quasi anima est, hoc est vita nostrarum animarum, & nostræ animæ quasi quædam ejus corpora sunt, ab
[a] ipso scilicet donis suæ gratiæ [a]
vegetata, quas rursus animalem vitam nobis certum est impertire. Patrem suum id est Noym, dicit animam indui in ea sua vi qua intuetur, hoc est ratione utitur: quia ex ratione quam habet maximam similitudinem cum divina sapientia tenet, cùm ratio maximè sit adscribenda Sapientiæ. Paulatim anima in corpora respicit, quia ad comparationem plenitudinis illius summi Boni, modicum est quicquid habemus, quantacumque dona virtutum ab ipso susceperimus. Possumus etiam in eo paulatim dictum esse intel-

(a) Ita in mſ. parvum spatium vacuum relictum est.

A ligere, quod quibusdam gradibus per intervalla temporum à minimis ad maxima spiritus suos fideles promoveat, nec sua simul conferat dona. Degenerare dicitur anima in ipso suæ operationis effectu, ex quo anima dicta est, cùm non sit hoc æternum, sed temporale, quod operatur. In quo, ni fallor, illud facile est absolvi, quod Plato animam mundi incœpisse voluerit, nec coæternam esse Deo & menti. Cùm enim Spiritum-sanctum animam magis quàm Spiritum appellaverit, quasi ab animando, hoc est vivificando nos donis suæ gratiæ per incrementa virtutum; non semper Spiritus anima fuit, id est vivi-
B ficans, quia nondum creaturæ essent, quibus dona sua distribueret, in illas donorum suorum distributionem non exercebat. Sicut ergo Spiritum-sanctum, qui in se est omnino simplex, multiplicem tamen dicimus, & VII. Spiritus appellamus secundum diversitatem donorum: ita etiam Philosophus eumdem qui in essentia propria essentialiter subsistit, incœpisse quantum ad effecta sua voluit, ex quibus eum animam magis quam Spiritum appellaverit. Spiritus quippe nomen est naturæ, anima verò officii ab animando scilicet. Sicut ergo ipsos cœlestes Spiritus semper quidem Spiritus, sed non semper angelos esse profi-
C temur, eo quod Angelus nomen sit officii, non naturæ: & Dominum JESUM-CHRISTUM secundùm humanitatem incœpisse, secundùm verò divinitatem æternum esse prædicamus: ita & Spiritum-sanctum secundùm subsistentiam essentiæ suæ æternum, secundùm effecta verò incœpisse dicamus. quod est dicere effecta potius quam ipsum incœpisse, & hunc quidem Philosophi sensum esse arbitror sub illo animæ typo, quo eam creatam esse, id est incœpisse perhibet, & quasi temporalem esse non æternam, juxta quem & Macrobius animæ ipsi tam Deum quam Noyn præferre non abhorret. Vocet itaque
D Spiritum-sanctum Plato animam secundùm effectum operum; nos verò dicamus Spiritum secundum naturalem suæ bonitatis effectum, quem ita ab æterno habuit, ut tunc opere eum impleat quando implendum esse prævidit. Dicat ille animam incœpisse secundùm effecta, nos vero Spiritum in effectu suæ bonitatis æternaliter perseverare. Dicat ille animam incœpisse, nos Spiritum omnino æternum esse. Sit processio Spiritus secundùm affectum æterna, quia scilicet ab æterno sic voluit. Sit processio animæ secundùm effectum temporalem. Utramque autem Spiritus pro-
E cessionem tam secundum effecta scilicet, quàm secundùm affectum, à sanctis Patribus distinctam esse cognovimus. De processione quidem efficaciæ Beda in Homilia Dominicæ primæ post Ascensionem ita loquitur: Cùm «
Spiritus gratia datur hominibus, profectò «
mittitur Spiritus à Patre, mittitur & à Filio. «
Procedit à Patre, procedit & à Filio, & ejus «
missio ipsa processio est qua ex Patre proce- «
dit & Filio. Ipse etiam Augustinus utrumque «

eum procedere perhibet tam secundùm hoc quod datur, quàm secundùm id quod dabilis est. Unde libro v. de Trinitate cum ad processionem Spiritus pervenisset, ait: Procedit non quo modo natus, sed quo modo datus. quod autem datum est, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus dedit. Item, Sed si non procedit nisi cùm datur, nec procedet utique prius quam esset cui daretur. Nam donum potest esse & antequam detur. Donatum autem nisi datum fuerit nullo modo dici potest. Quid itaque mirum cum duobus modis Spiritum procedere dicamus, si secundùm alterum processionis modum dicatur Spiritus à nobis, & secundùm alterum vocetur anima à philosophis. Illud ergo Spiritus æternaliter, hoc temporaliter habet. Unde & statim in eodem idem adnectit dicens: Nec moveat quod Spiritus-sanctus cùm sit coæternus Patri & Filio, dicatur tamen aliquid ex tempore veluti hoc ipsum quod donatum dicimus. nam sempiternè Spiritus donum, temporaliter donatum. nam & si dominus non dicitur nisi cùm habere incipit servum, & ista appellatio relativa ex tempore est Deo; non enim sempiterna creatura est, cujus est ille Dominus. Item, Ecce Dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur esse etiam creaturam sempiternam dicere, quia ille sempiternè non dominaretur, nisi etiam ista sempiternè famularetur. Qui etiam in eodem libro superiori capitulo, Spiritum etiam secundum effecta manifestè vocat, cùm ei principium assignat. Ait autem sic: Quod datum est, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus dedit: ita Spiritus sanctus dicitur, & Dei qui dedit, & noster qui accepimus. Unde scriptum est de Johanne, quòd in Spiritu Eliæ veniret. Hoc & de Moyse intelligendum est, cùm ait ei Dominus, *Tollam de Spiritu tuo & dabo eis*: hoc est de Spiritu-sancto quem tibi dedi. Si ergo & quod datur principium habet eum à quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit: fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus-sancti, non duo principia, sed unum principium. Liquet itaque Augustinum hoc loco Spiritum accepisse secundum effecta, cùm dicit datum, magis quam secundum naturalem suæ benignitatis affectum. Unde bene secundùm effecta Pater & Filius priores Spiritu dicuntur, & quasi principium ejus, quia ex potentia, moderante sapientia, effectus gratiæ descendit. Ex quo Spiritus etiam hoc loco appellatur, & prius potentiam & sapientiam esse oportet, ut postea aliquid in effectum ducatur. Tale est ergo Patrem & Filium esse principiū Spiritus-sancti, ac si dicamus Spiritum ex ambobus per effectum procedere, hoc est Potentiam Dei, moderante ejus ratione, ad [a] actum perduci. Et hoc quidem modo si quis nomen Spiritus accipiat, secundùm scilicet suæ gratiæ effecta, non rectè dicitur Spiritus æternus, sicut nec Dominus, aut creator: quia, ut diximus, non semper Spiritus secundum effecta extitit. Unde & bene Evangelista Johannes ab æternitate Dei inchoans, cum Verbum apud Deum æternaliter esse ostenderet, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, &c.* nullam Spiritus mentionem habuisse videtur, qua eum æternum esse astrueret, cum de Deo & Verbo ejus loquens, Patri & Verbo solummodo æternitatem adscribit dicens: *Hoc erat in principio apud Deum.* Qui in eo fortasse quod subjunxit de effectu operum dicens, *Omnia per ipsum facta sunt*, Spiritum designasse videtur secundum effecta ipsa quæ sua Deus condidit bonitate, secundum quæ, ut diximus, æternus non est Spiritus, id est datus, sicut nec anima mundi quam Plato dicit. Nec mirum locum Evangelistæ maximè cum Platone convenire, cum totam verborum istorum sententiam in libris Platonicorum Augustinus, ut supra meminimus, invenerit. Sunt autem nonnulli qui caritatem Dei non solum ad creaturas porrigi velint, verum etiam ab una persona in alteram, ut videlicet amor Patris etiam in Filium vel Filii in Patrem Spiritus ipse sit. Quod apertè Augustinus in xv. de Trinitate astruit his verbis: Denique si in donis Dei nihil majus est caritate, & nullum est majus donum Dei quam Spiritus-sanctus, quid consequentius, quàm ut ipse sit caritas, quæ dicitur Deus & ex Deo? Et si caritas, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem amborum demonstrat; quid convenientius, quàm ut ille propriè dicatur caritas, qui Spiritus est communis ambobus? Hinc & illud est Hieronymi super xvii. psalmum: Spiritus-sanctus nec Pater est nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Quod fortassis ideo maximè dicendum videtur & tenendum, ut videlicet amor quoque Patris in Filium vel Filii in Patrem dicatur Spiritus-sanctus, & non tantum amor ad creaturas, quod fortassis aliter videretur Spiritus-sanctus posse non esse, ac per hoc non necessario esse ipsam Trinitatem. Posset quippe esse ut nulla creatura umquam esset, cum nulla ex necessitate sit, ac per hoc consequens videtur, ut jam nec affectus ipsius, quem videlicet erga creaturas habet, ex necessitate sit, ac per hoc Spiritus ipse ex necessitate non sit, quem dicimus ipsum affectum Dei esse sive amorem. At vero si amorem Dei non solum erga creaturas, verum etiam unius personæ erga alteram accipiamus, apertè hoc inconveniens evitamus. Ac fortasse cum creaturæ ipsæ ex necessitate non sint, hoc est possint omnino non esse, ipse tamen Deus ipsa sua voluntate necessario permanet, nec potest aliquo suo bono carere per omnia incommutabilis. Sed de hoc plenius tractandum nobis postmodum reservamus, cum de divina potestate principaliter

Marginal notes: Aug. l. 5. de Trin. c. 14. — Ibid. c. 15. — Ibid. c. 16. — Ibid. — Ibid. c. 14 — Num. 11. 17. — [a] — Joh. 1. 1. — Aug. de Trin. l. 15. c. 19.

(a) Male in Introd. ad Theolog. *adauctum*.

processionis modum diligenter distinguit, cùm tractanti se obtulerit negotium. Donum tamen Patris quantum ad Filium, & Filii quantum ad Patrem, nequaquam dicendum esse arbitror Spiritum, quia nequaquam dari ei potest, cui abesse non potest: hoc est cui necessario inest, qui necessario utriusque est Spiritus.

Non alienum à quæstione reor, utrum hæc nomina personalium proprietatum, quæ in Deo sunt, Paternitas scilicet, Filiatio, Processio, de Deo prædicari valeant sicut & cetera. Ut videlicet quemadmodum dicitur, Deus est Omnipotentia, vel Sapientia, sive Caritas, Benignitas, Justitia, Misericordia, Pietas; ita etiam dici liceat, Deus est Paternitas vel Filiatio sive Processio. Nihil quippe in Deo esse constat, quod ipse non sit, ut longe ante præfati sumus, cum omne quod est bonum, hoc omnem naturam, aut creatorem aut creaturam esse necesse sit. Aut itaque has proprietates non esse res aliquas bonas vel naturas dicemus, aut Deum eas esse profitebimur, cum numquam eas creari constet, quæ incipere nullatenus potuerunt, sed penitus æternæ sunt. Ac fortasse nihil impedit, si quemadmodum omnipotentiam Dei Deum omnipotentem esse ponimus, quia Sapientiam Dei nihil aliud quam Deum sapientem esse intelligimus; vel Benignitatem ipsius, quàm ipsum benignum; ita & Paternitatem Dei Deum Patrem esse concedamus; & Filiationem Filium, & Processionem procedentem, id est Spiritum-sanctum. His tamen enunciationibus nusquam auctoritatem Patrum usam fuisse meminimus, sicut suprapositis illis. Sed ubicumque de ipsis egerunt proprietatibus, eas * ante proprietates, aut relationes nominasse, quibus nemo umquam nominibus Deum appellaverit. Non est itaque incongruum, ut quemadmodum in ceteris rebus relationes à subjectis suis res diversas non ponimus, nec tamen ideo eorum nomina per prædicationem sibi conjungimus: ita etiam hic observemus, ut videlicet Paternitatem Dei vel relationem quamlibet ad Filium, nullo modo Deum Patrem vel etiam Deum esse annuamus, si omnino substantiam divinam, sive personas singulas ab his quas habent proprietatibus relativis per prædicationem disjungamus, sicut hominem vel Socratem, à paternitate quam habet; cùm tamen ipsa paternitas non sit res alia ab ipsis, nec fortassis eadem, cùm res omnino rectè dici non possit, quæ in se veram non habet * entiam, ut sit in se una res numero à ceteris omnibus, quæ ipsa non sunt, rebus entialiter discreta. Sed de hoc diligentem, ut arbitror, tractatum in retractatione prædicamentorum nostra continet grammatica. Tres itaque proprietates non tres res dicimus, id est non tres essentias, sed tres in una essentia relationum diversitates, per quas, ut dictum est, tres personæ consistunt. Cum itaque has proprietates res non esse ponamus, & dictum sit, Quidquid est in Deo, Deus est; hoc est

* f. aut proprietates.

* f. essentiam.

A nullam rem esse in ipso, quæ non sit ipse: profecto non possumus cogi, ut per hoc has proprietates Deum esse concedamus, cùm ipsæ, ut dictum est, rerum aliquæ non sint existentiæ, sed in una re consistentes proprietates.

Si quis forte objiciat, quod si non sint res aliquæ, omnia non sint, aut nihil sint, cùm omne quod est, res aliqua sit; profecto fallitur, vim enunciationum distinguere nesciens. Est quippe verbum æquivocè dici auctore por.... Aristoteles asserit, ut aliter scilicet de substantiis, aliter de eorum proprietatibus dicatur: cùm enim dicimus esse, tale est ac

B si ponamus hominem in sua manere substantia, hoc est aliquem seipsum esse, sive aliquid esse hominem. Si verò dicamus paternitatem esse, tale est ac si ponamus, aliquid esse Patrem, non ipsam paternitatem esse suam essentiam. Unde penitus falsum est paternitatem nihil esse, hoc est non esse, quamdiu aliquid Pater sit, hoc est eam habeat. Quod etiam dictum est, quicquid est, res est; & ideo Paternitatem non esse, si ipsa non sit res: nihil ad formam attinet syllogismi, si vim & sensum enunciationum magis quàm

C sonum attendamus. Tale quippe est quod dicitur, Quicquid est, res est; ac si dicatur, Quæcumque res est, ipsa est res: cùm vero additur, Paternitas non est res, & ex his colligitur paternitas non esse; talis est, ut diximus, conclusionis sensus, ac si dicamus non esse aliquid Patrem. Resolutis itaque per expositionem propositionibus, talis erit argumentatio, ac si ita dicatur: Omnis res quæ est, est res; sed Paternitas non est res, ergo non habet aliquid Paternitatem, quod omnino non provenit. Si quis verò graviter accipiat, quod hoc loco lectorem ad retractationem prædi-

D camentorum invitaverimus, atque hunc sibi tractatum sufficere non posse dicat, & ob hoc eum quasi imperfectum arguat: breviter de prædicatione Patris & paternitatis instrui poterit, quare videlicet cùm diversam rem paternitatis à Patre nolimus esse, ea * tantum sibi invicem per prædicationem non jungamus, ut videlicet dicamus Patrem esse paternitatem, & è converso. Si enim Pater esset paternitas, profecto ex participatione Patris esset assignandus Pater, ut videlicet idem penitus esset, aliquem esse eum qui Pater est, & eum habere in se paternitatem, hoc est eum esse Patrem, quod omnino falsum est.

E quippe sicut aliud est aliquid esse id quod est prius, vel id quod est perpetuum, quàm ipsum esse prius, vel esse perpetuum: ibi quippe res formatæ, hic formæ ipsæ prædicantur: ita aliud est aliquid esse eum qui Pater est, quàm ipsum esse Patrem: hoc est, aliud est ipsum esse eum qui habet paternitatem, quam ipsum habere paternitatem: licet illud sine hoc non possit esse. Qui itaque dicit de aliquo quia est Pater, paternitatem non patrem prædicat. Si verò diceret quia est is qui pater est, hoc est qui habet paternitatem;

* f. tamen.

tunc utique patrem ipsum prædicaret. Non est itaque Pater paternitas, cum ex participatione patris non sit assignandus pater; sed ex participatione, ut dictum est, paternitatis. Sed neque è converso paternitas est Pater, hoc est habens paternitatem respectu Filii sui, cùm ipsa omnino substantia non sit, ut ex seipsa Filium gignere possit; sed magis proprietas relatio substantiæ est, quam substantia. Sed hæc nunc satis.

Superest autem novissima quæstio, quomodo scilicet hanc fidem Trinitatis soli christiani teneant, & non etiam vel Judæi vel Gentiles. Cùm enim Deum esse Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, tale sit, ut diximus, Deum esse Potentiam, ut dictum est, generantem, & Sapientiam genitam, & Benignitatem procedentem; cùm istud nemo discretus ambigat, sive Judæus, sive Gentilis: nemini hæc fides deesse videtur. quod & nos quidem concedimus, sequentes Apostolum qui ait: *Quod notum est Dei, manifestum est illis*: ac si diceret: Quod ad divinitatem pertinet ratione percipiunt: quia hæc de Deo naturaliter ratio unumquemque edocet. Unde & superius cùm Platonicorum sententias de Verbo Dei Augustinus præsentaret, solum quod ad divinitatem Verbi pertinet se in eis reperisse confirmavit, & nihil de Incarnationis mysterio, in quo totam salutis humanæ summam consistere certum est, sine quo frustra cetera creduntur. Facile autem convinci poterit, eos quoque qui nostra de fide verba abhorrent, cùm videlicet audiunt Deum Patrem & Deum Filium, in sensum verborum nobis esse conjunctos. Interrogemus enim eos, si Sapientiam Dei credant, de qua scriptum est, *Omnia in Sapientia fecisti*: & statim respondebunt se credere. Inferamus deinde convenienter eos in hoc ipso Filium Dei sicut & nos credere, cùm nos videlicet idem

Rom. 1. 19.

Ps. 103. 24.

A intelligamus per Verbum, sive per Filium Dei, quod illi per sapientiam Dei. Quisquis autem Filium esse recipit, utique & eum cujus est Filius, esse non dubitat, hoc est Patrem. Spiritum quoque simili ratione eos credere convincemus, si eis quid in hoc nomine intelligamus exposuerimus, ipsam scilicet divinæ gratiæ Bonitatem. Hinc autem facile occasionem sumi arbitror convertendi ad fidem nostram quoslibet alienos, si hujusmodi inductionibus eos jam communem nobiscum fidei sensum habere convincerimus: quam licet ore non profiteantur sicut nos propter ignoratam scilicet verborum nostrorum significationem, corde tamen eam jam tenent,
B sicut scriptum est, *Corde creditur ad justitiam.* Rom. 10. 10

Hæc nos de altissima & incomprehensibili philosophia divinitatis coacti frequenter & provocati ab importunitate infidelium scribere ausi sumus, nihil asserentes de eis quæ dicimus, nec veritatem docere intendentes, quam neque nos posse scire profitemur. Sed neque hi qui fidem nostram impugnare gloriantur, veritatem quærunt, sed pugnam. Quibus si resistere possumus lacessiti, satis esse debet quod nos defendimus. Hi vero qui impetunt, nisi vicerint à proposito cadunt atque deficiunt. Et quoniam philosophicis maximè rationibus nos aggrediuntur, & nos eas præ-
C cipue prosecuti sumus, quas credo ad plenum nemo intelligere valet, nisi qui philosophicis & maxime dialecticis studiis invigilaverit. Necesse autem erat, ut adversariis nostris ex his quoque quæ recipiunt resisteremus, cùm nemo nisi ex his quæ concesserit arguendus sit aut refellendus, ut illud Veritatis judicium impleatur, quo dicitur: *Ex ore tuo te judico serve nequam.*

Explicit quartus.

LIBER V.

EXPEDITIS his quæ ad singularem christianæ fidei professionem attinere videntur: De discretione videlicet trium personarum in una eademque penitus ac simplici divinitatis substantia, juvat in hujus summi Boni perfectione contemplanda mentis aciem altius imprimere: ac diligentius singula
[a] [a] retractando, quæcumque aliquid quæstionis habere videntur, verisimilibus & honestissimis rationibus definire, ut quo amplius innotuerit hujus summi Boni perfectio, majori unumquemque ad se trahat desiderio. Ac primo de unitate divinæ substantiæ, postmodum de personarum recapitulandum est Trinitate. In superioribus itaque libellis ad nostræ professionis defensionem elaboratum est, hic verò ad ipsius amplificationem elaborandum.

Prima igitur de ratione credendi unum

(a) Introd. *replicando.*

A Deum discussio, & quod unum magis quàm plures credi attineat, ubi & prima se ingerit quæstio, an humana etiam ratione divina celsitudo indagari potuerit, ac per hanc à creatura sua creator recognosci, an se potius ipse Deus signo aliquo sensibili suam ei notitiam primùm exhibuerit, velut in angelo aut in quacumque ei specie primitus apparens, sicut de primis legitur parentibus, quibus in paradiso locutus fuisse perhibetur. Et fortassis ita primò factum est, ut in aliqua, scilicet visibili specie invisibilis creator ipse homini se revelaret. Si tamen ipsam vim ra-
B tionis diligentius attendamus, cujus proprium est omnem transcendere sensum, & ea vestigare quæ sensus non valet attingere, profectò quantò quæque res subtilioris est naturæ, & à sensu remotior; tantò rectius rationis se committit judicio, & majus in se ratio-

nis

[a] nis studium provocare debet. Verum etiam cùm per insigne rationis [a] imagini Dei specialiter homo compararetur, in nihil aliud homo prævius eam figere debuerat, quàm in ipsum cujus imaginem, hoc est expressiorem similitudinem per hanc obtinebat, & in nullam fortasse rem percipiendam pronior esse credenda est, quàm in eam cujus ipsa amplius adepta sit similitudinem. Facile quippe est ex similibus similia conjici, & quo quisque alteri similior est, facilius ex seipso ad ejus notitiam pertingere valet, cui est ipse per naturam vicinior. Quod si & in hoc ipsa quoque sensuum experimenta necessaria fuisse videantur, ut videlicet à sensibilibus ad in-
[b] telligibilia [b] duceremur; facile id etiam erat, ut optimus omnium conditor atque dispositor Deus, per ea quæ tam mirabiliter & facit & ordinat, ex ipsis suis quantus sit operibus indicaret; quia & pro qualitate operum, quæ videntur, absentis artificis industriam dijudicamus. Hoc quidem modo & ipse perhibet Apostolus Deum sui notitiam reprobis quoque contulisse: juxta quod ad Romanos scribens, inexcusabilem omnem hominem esse convincit, & de contemtu sui conditoris arguendum, cum ejus notitiam lex ipsa naturalis, quæ in ratione consistit, etiam sine scripto in ipsa operum ejus exhibitione omnibus
Rom. 1. 18. afferret. Ait quippe sic: *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei manifestum est illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles: quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias ege-*
Rom. 2. 1. *runt.* Et post aliqua: *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui judicas*, hoc est qui rationis uteris judicio in bonis & malis discernendis, atque in ipsis creatoris & creaturarum discernendis naturis. Unde & Salomon nonnullos mundi sapientes se vehementer mirari insinuat, quomodo scilicet mundum ratione vestigarent, naturamque ipsius per singulas ejus partes differere conati sunt, nondum creatorem ipsius animadvertentes, quem
Sap. 13. 19. facilius ratione percipere poterant. *Si enim,*
[c] inquit, [c] *tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo ipsius mundi Deum & creatorem non facilius invenerunt?* Hoc & ille Latinorum maximus philosophorum Tullius diligenter intuitus, cùm non solum optime factum, verum etiam optime disponi mundum conspiceret; providentia id potius
[d] agi, quàm fortuitu [d] confirmat, tam suam nobis in hoc quàm ceterorum rationem exposuit philosophorum. Unde illud in primo

A Rhetoricæ, Melius, inquit, accurantur quæ « consilio geruntur, quàm quæ sine consilio ad- « ministrantur [e]. Exercitus is cui præpositus « [e] est sapiens & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is qui temeritate aut stultitia alicujus administratur. Eadem navigii ratio est. Hoc itaque proposito collatione similitudinum convenienter astructo, assumtionem statim aggregans syllogismi, nihil autem, inquit, omnium rerum melius, quàm omnis mundus administratur. Nam & signorum, inquit, ortus definitum « quemdam ordinem servant, & [f] annuæ com- « [f] B mutationes non modo quadam ex necessitate « semper eodem modo fiunt; verum ad utilita- « tes quoque rerum omnium sunt accommoda- « tæ, & diuturnæ nocturnæque vicissitudines « nulla in re umquam mutatæ quicquam no- « cuerunt. quæ signo sunt omnia non mediocri « quodam consilio naturam mundi administrari. « Quod si melius, inquit, geruntur ea quæ con- « silio quàm quæ sine consilio administrantur, « nihil autem omnium rerum melius quàm « omnis mundus administratur: consilio igitur « mundus administratur. Quanta autem ratione cuncta in mundo fiant ac disponantur, maximus omnium philosophorum Plato diligen-
C ter attendens ait: nihil fit cujus ortum non legitima causa & ratio procedat. quæ enim quantum ad nos fortuita dicuntur, atque inopinate provenientia, certis in Deo rationis legibus fixa sunt, atque optimo [g] quæque [g] fiunt consilio. [h] Hoc vero, quo optimè [h] cuncta fiunt ac disponuntur, consilium, alii Deum, alii naturam ipsam rerum, alii mentem seu animam mundi vocare consueverunt, omnes autem id summum bonum intellexerunt, quod professus est Socrates. Primus autem Anaxagoras inter universos philosophos divinum animum omnium effectorem naturarum sensisse perhibetur, sicut in octavo de Aug. de Civit. Dei l. 8. c. 2.
D Civitate Dei beatus commemorat Augustinus. Unde & illud est in * epistola ad Ma- « * ed. epistolis. cedonium, non propterea veritas cara esse « debet, quia non latuit Anaxagoram, sed quia « veritas est, etiamsi nullus illorum cognovis- « set. Facile autem illud quoque ratione [i] con- « [i] jici poterat, mundum etiam ipsum & quæ in eo sunt, à seipsis non esse, nec per se subsistere, sed ab alio quocumque longè cunctis excellentiore cuncta optimè tam fieri quàm regi. Quippe quod à seipso est, natura dignius esse constat, quàm quod ab alio est. Et omne quod rationis atque intelligentiæ ca-
E pax est, universis aliis excellentius esse [k] non [k] ambigitur. Non igitur oportet rationalem substantiam ab alio esse concedi, si ratione carentem à se esse ponamus. Nemo autem est nostrum, qui se ipsum ignoret à se minimè esse, sed ab alio gigni. quomodo igitur ea

(a) Introd. *imaginis.* (b) Introd. *duceretur.*
(c) Introd. addit *ratione*, sed non extat in Scriptura.
(d) Introd *confirmans.*
(e) Edit. addit *Domus ea quæ ratione geritur, omnibus est instructior rebus, & apparatior, quàm ea quæ temere & nullo consilio administratur.*

(f) Introd. *anima.*
(g) Introd. *quoque.*
(h) Introd. *hac vero qua.*
(i) Introd. *convinci.*
(k) Introd. *invenitur.*

quæ ratione carent, ab alio esse negabimus? Partes itaque mundi, quæ naturaliter priores sunt, factas esse convenit: ac per hoc ab alio mundum exordium ducere, atque factum esse: quippe quem etiam propter hominem factum esse constat, cui singulis suis partibus deservit, longe indigniorem eo esse convenit, ac per hoc minime concedi oportet, hunc non esse factum; cùm ille factus sit. Multo [a] minus etiam convenit, ut suo regimine [a] non rationalia quàm rationalia nitantur, hominem autem quamvis rationalis sit, nequaquam suo regimini sufficere constat, cùm seipsum quomodo vult in hujus vitæ pelago regere non valeat. Multo igitur minus proprio regimini committi convenit, quæ qua se regere possint ratione carere certum est. Id vero est mundus, sive ejus singulæ particulæ. Et his quidem vel consimilibus rationibus omnia quæ in mundo sunt conditorem seu rectorem habere manifestum arbitror, quem nos Deum dicimus.

Mundus ab uno tantum rectore gubernatur.

De cujus nunc unitate superest disputare, ut magis videlicet unum conditorem ac rectorem mundo præesse conveniat quàm plures, atque unum potius Deum ac Dominum omnium quàm plures credi oporteat. Certum quippe est, omnia tanto majori concordia regi, quanto paucioribus cura regiminis eorum commissa est. Nihil autem melius aut majori concordia regi quàm mundum constat universum, sicut supra Tulliana exposuit ratio. [b] Uni igitur ejus regimen subjectum est. Nihil quippe, ut dictum est, majori concordia quàm mundus regitur, nec etiam res ea quælibet, cui unus tantum præsidet rector. Nullo itaque modo pluribus rectoribus mundus subjacet, sed uni tantum. Tanto quippe major in omnibus custoditur concordia, quanto major tenetur identitas; & tanto amplius à concordia receditur, quanto ab unitate magis absceditur. Ut ergo summa sit concordia, summa teneatur identitas, ac præcipua conservetur unitas. Nihil autem cum aliquo ita ut secum idem esse vel unum potest, nec ita alii concordare ut sibi, cùm à seipso nihil dissimile sit. Ad unum itaque cuncta spectare ac referri convenit, ut quod rerum diversitate agitur, una ratione concorditer administretur, modo in omnibus quem oportet servato. Sed nec plures ad rerum creationem magis quàm ad generale earum regimen convenire credendum est, sed ab uno naturas omnes fieri sicut & regi opportune creditur, ut tanto concordius regi valeant, quanto majori sunt connexæ concordia. Tanto autem major est earum concordia, quanto [c] amplius ab uno eodemque penitus semper principio manant, & earum artifex à multiplicitate ac diversitate recedit. Facta autem sunt primitus, ut optime postea regerentur, & quæ fiebant ut regerentur, ad regendum utique dum fierent præparabantur. Ut ergo optime regerentur facta, optime dum fierent ad regendum erant præparanda. Quomodo autem optime præparantur dum fierent, ut facta postmodum optime regerentur, nisi summa invicem concordia ex ipsa creatione sui colligentur, ut eo amplius concorditer atque melius regantur, quanto concordius in ipsa eorum conditione naturæ ipsorum sunt invicem colligatæ? Ad quam etiam conditionis concordiam sicut & regiminis, unitas ipsa atque identitas maxima conditoris perficit, ut hinc quoque unum eumdemque penitus conditorem sicut & rectorem omnium esse constet, quem nos Deum dicimus, ac summum jure profitemur bonum. Qui quomodo summum diceretur Bonum, nisi ceteris omnibus præcelleret bonis? quod verò omnibus aliis præcellit, unum profectò & unicum esse convenit; & quod in se perfectum esse conceditur, atque ad omnia quæ facienda sunt, ex propria voluntate per se sufficiens, ex quo & omnipotens dicitur, [d] compar aliquod bonum habere non potest. Neque enim bonum esse poterit, quod superfluum sit. Superfluus autem alius vel creator esset vel rector, si unus ad omnia æque sufficiat ut plures. Sufficit autem cùm sit summum ac perfectum, atque ad omnia sufficiens, ut dictum est, bonum. Nullo itaque modo plures Deos esse sive credi convenit.

PluTium Deorum impossibilitas demonstratur.

Sed fortassis, inquies, quia quò melius est quodlibet bonum [e], ejus multiplicatio melior esset, atque ita illud Summum Bonum quod dicitur Deus, melius fore multiplicatum, quàm unicum: & si ipsum extollere cupimus ac magnificare, magis ipsum multiplex, quàm simplex prædicandum esse. Sed ad hoc primò respondendum arbitror, quod juxta hanc rationem, quanto plures prædicaverimus Deos, tanto amplius divinæ gloriam excellentiæ amplificabimus. Infinitos itaque prædicari oporteret Deos, ut infinitam ejus gloriam magnificemus: præsertim cùm nulla sit ratio, qua ad certum numerum aliquem ea reduci queat, quàm juxta prædictam rationem tanto magis amplificabimus, quanto amplius numerum ejus extenderimus. Atque ita plura esse summa bona quàm inferiora conveniret: immo omnino infinita esse, ut nec eorum scientia esse possit, quorum nullus in natura terminus occurreret, nec ipse etiam Deus ea per scientiam comprehenderet, quæ nullo naturæ termino comprehenduntur. Præterea si plures sunt dii, quomodo deum quemcumque summum bonum dicemus, cùm aliquid majus sit ipso, ipsa videlicet deorum multitudo, quam quislibet unus ex ea multitudine. Sed nec bonum dicendum esset, quod, ut jam ostendimus, superfluum esset. Denique omnis multitudo totum [f] quoddam est, & omne totum propriis partibus

(a) Introd. *rationalia quam non rationalia.*
(b) Introd. *Uni igitur regimini.*
(c) Introd. *amplius uno.*
(d) Introd. *cum pars.*
(e) Introd. *donorum.*
(f) Introd. *quidem.*

posterius esse naturaliter constat: atque omne quod simplicius est, tanto firmius esse necesse esse, cùm omne compositum natura dissolubile sit, & tanto infirmius, quàm dissolutioni magis obnoxium. Quis etiam quodlibet bonum tanto pretiosius esse deneget, quanto rarius; & eo magis gloriosum, quo magis est unicum? Unde & plerumque ea etiam quæ minus sunt necessaria aliis, raritate tamen sui eis omnino præferuntur, ut aurum ferro, piper frumento. Commendat itaque divinæ gloriam excellentiæ ipsa quoque ejus singularitas, quæ operum quoque ipsius maxima est commendatio, tam in his faciendis, quàm in
[a] eis disponendis atque regendis. Nulla [a] quippe tanta fieri concordia vel regi possunt, quanta illa quæ unus tantum & condit & regit.

Hæc quidem ad adstruendam divinæ singularitatem excellentiæ pro rationibus induci satis arbitror: quibus & facile assentire quemque bonum existimo, qui nulli invidus, omnium rerum commendationi plurimum congaudet. Magis autem honestis quàm necessa-
[b] riis rationibus [b] nitimur; quoniam apud bonos id semper præcipuum statuitur, quod ex honestate amplius commendatur, & ea semper potior est ratio, quæ ad honestatem amplius, quàm ad necessitudinem vergit, præsertim cùm quæ honesta sunt per se placeant, atque nos statim ad se sua vi alliciant. Quàm honestum verò sit ac salubre omnia ad unum optimum tam rectorem quàm conditorem spectare; & cuncta potius ratione, quàm casu fieri seu regi, nullus est cui propriæ ratio non suggerat conscientiæ. Quæ enim sollicitudo bonorum nobis operum inesset, si quem nec amore nec timore vereremur, Deum penitus ignoraremus? Quæ spes aut malitiam refrænaret potentum, aut ad bona eos alliceret opera, si omnium justissimus ac potentissimus frustra crederetur? Ponamus itaque ut dum bonis prodesse ac placere quærimus, obstinatos cogere non possimus, cùm ora eorum non necessariis obstruamus argumentis. Ponamus, inquam, hoc si volunt; sed opponamus quod nolunt, summam eorum impudentiam arguentes, si hoc calumniantur quod refellere nullo modo possunt, & quod plurima tam honestate quàm utilitate commendatur. Inquiramus eos qua ratione malint eligere Deum non esse quàm esse; & cùm ad neutrum cogi necessariò possint, & alterum multis commendetur rationibus, alterum nullis, iniquissimam eorum confundamus impudentiam, qui id quod optimum esse non dubitent, omnibusque est tam rationibus quàm auctoritatibus consentaneum, sequi respuant, & contrarium complectantur. Quod si de occultis rerum naturis, ac de ipso quoque rerum cœlestium statu, quas experimentis non possunt discutere, ut certi non valeant esse, auctoritatibus hominum [c] cedunt, cur de auctore omnium Deo eisdem non acquiescunt? Sed hæc hactenus adversus hanc primam ac maximam infidelium obstinationem. [c]

Nunc autem ab unitate divinæ substantiæ, quam quasi fundamentum subjecimus; ad discretionem trium personarum, quæ eidem insunt substantiæ, ordo est commeare; & de divina potentia, vel sapientia, seu benignitate, juxta quæ, ut dictum est, tres distinguuntur personæ ad perfectam & integram illius summi Boni commendationem, superest diligenti examinatione disserere: ut quo amplius, ut supra meminimus, hujus boni perfectio cognita fuerit, magis ad amorem sui quemque alliciat, præsertim cùm nullæ super his fidelium quoque animos difficiles movere possint quæstiones, & tanto facilius minus eruditos ad maxima trahere scandala, atque infideles juvare; quanto difficiliores ad solvendum videntur. Ac prima nobis de omnipotentia Dei consideratio sit.

Quærendum itaque primo videtur, quomodo verè dicatur omnipotens, si non possit omnia efficere; aut quomodo omnia possit, si quædam nos possumus, quæ ipse non possit. Possumus autem quædam, ut ambulare, loqui, sentire, quæ à natura divinitatis penitus aliena sunt, cùm necessaria istorum instrumenta nullatenus habere incorporea queat substantia. Quibus quidem objectis id prædicendum arbitror, quod juxta ipsos quoque philosophos, & communis sermonis usum, numquam potentia cujusque rei accipitur, nisi in his quæ ad commodum vel dignitatem ipsius rei pertinent. Nemo enim hoc potentiæ hominis deputat, quod ille superari facile potest, immo impotentiæ & debilitati ejus quod minime suo resistere potest incommodo, & quicquid ad vitium hominis vergit, magisque personam improbat, quàm commendet, impotentiæ potius, quàm potentiæ adscribendum est. Unde & Aristoteles in secundo qualitatis genere, ubi scilicet de potentia naturali & impotentia agitur, sanativum & durum ad potentiam reducit, & ægrotativum & molle ad impotentiam, cùm tamen ægrotativum dicamus qui facile ægrotare potest, hoc est, non valet facile hujusmodi passioni resistere; & molle quod leviter secari aut dissipari possit. Sanativum verò & durum è contrario ad potentiam reducit, cùm tamen sanativum dicatur, quod non potest leviter secari. Sic ergo in suprapositis, id est ægrotativo & molli, illa posse quæ ad incommodum vel debilitatem rei attinent, impotentiæ est potius quàm potentiæ: ita & eadem non posse è contrario potentiæ est ascribendum. Alioquin è converso impotentiam diceremus potentiam, & potentiam impotentiam. Nemo itaque Deum impotentem in aliquo dicere præsumat, si non possit peccare sicut nos possumus, quia nec in nobis

De Dei omnipotentia.

(a) Introd. *proprie.*
(b) Introd. *utimur.*
(c) Introd. *credunt.*

ipsis hoc potentiæ tribuendum est, sed infirmitati. Unde & Augustinus de Trinitate libro xv. Magna ejus potentia est non posse mentiri. Sunt etiam quædam quæ in aliis rebus potentiæ deputanda sunt, in aliis verò minime, & quæ in aliis laudabilia sunt, in aliis reprehensibilia sunt, cum eadem sæpe aliarum rerum dignitatem commendent, aliarum vero minime, veluti si quis hominum ursum viribus superare possit, hoc magnæ hominis potentiæ adscribendum est. Unde [a] ceteris ipse præcelleret & commendabilior esset, quod in leone tamen vel elephante pro magno nullus haberet. Inde enim potentem hominem comparatione aliorum hominum diceremus; sed non ita leonem vel elephantem. Sic & in homine quod ambulare valet potentiæ est adscribendum, quoniam ejus necessitudini congruit, nec in aliquo ejus minuit dignitatem. In Deo verò, qui sola voluntate omnia complet, hoc omnino superfluum esset, quod in nobis necessarium est, atque ideo non potentiæ, sed vitio penitus tribuendum esset in eo, præsertim cùm hoc in multis excellentiæ ipsius derogaret, ut ambulare videlicet posset. Ex quo & moveri localiter posset, & compositionem pedum admittere, ut & mobilis & dissolubilis esset ejus corporea & compacta substantia. Non absurdè tamen, & de his omnibus quæ efficere possumus Deum potentem prædicabimus, & omnia quæ agimus ejus potentiæ tribuemus, in quo vivimus, movemur, & sumus. Et qui omnia operatur in omnibus, (utitur enim nobis ad efficiendum quæ vult, quasi instrumentis,) & id quoque facere dicitur, quæ nos facere facit, sicut dives aliquis turrem componere per opifices quos adhibet, & posse omnia efficere dicitur qui sive per se sive per subjectam creaturam omnia quæ vult, & quomodo vult, operatur; [b] & ut ita fiant ipse etiam facit. Nam etsi non potest ambulare, tamen potest facere ut ambuletur, hoc est aliquis ambulet, cùm ipse [c] hoc à sua creatione quemque aptum præparet, & in ipso etiam actu ipsum conservet & sustentet, [d] ut hunc ille actum expleat. Posse itaque Deus omnia dicitur, non quod omnes suscipere possit actiones, sed quod in omnibus quæ fieri velit, nihil ejus voluntati resistere queat [e]. Unde & Apostolus, *Voluntati ejus*, inquit, *quis resistet?* [Rom. 9. 19.] Et Psalmista, *Quæcumque voluit fecit.* Sed & cum idem alibi dicat Apostolus *Deus vult omnes salvos fieri & neminem perire*, juxta illud prophetæ *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*; & per semetipsam Veritas obstinatæ & damnandæ dicat civitati, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* patet divinæ voluntatis vocabulum duobus modis esse sumendum. alioquin cùm Deus omnia quæcumque voluit faciat, & omnes salvos fieri velit, cogemur utique profiteri [f] juxta illum detestabilem Origenis errorem, quod usque etiam ad dæmones salvationem extenderit, omnes quandoque salvandos esse, & Veritatem ipsam Veritati contraire, ubi de impiis & justis loquitur, dicens: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* [Matt. 25. 46] Qui rursus impiis ait: *Ite maledicti in ignem æternum qui præparatus est diabolo & angelis ejus.* [Ibid. 41.] Velle itaque Deus duobus modis dicitur, aut secundùm videlicet providentiæ suæ ordinationem, secundùm quod scilicet aliquid disponit apud se ac deliberat, statuitque sua providentia, ut sic postmodum compleat, aut secundùm consilii sui adhortationem vel approbationem, qua unumquemque ad hoc admonet, quod per gratiam suam remunerare paratus esset. Et juxta priorem quidem modum quo Deus velle [g] aliquid dicitur, hoc est ex gratia sua ordinare atque apud se firmare, ut fiant aliqua, tam nos quàm [h] Apostolus in his quæ fieri vult, nihil ejus voluntati resistere posse dicimus, nec eam aliquo impediri casu, cui omnia necesse sit obedire. Secundum autem posteriorem modum multa dicitur velle fieri, quæ non fiunt: hoc est multa adhortari, quæ certum est ex gratia ejus remunerari si fierent, quæ minime fiunt. Sic quippe unicuique homini consulit de fa-

Hinc illud est quod in Enchiridion beatus commemorat Augustinus: Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Idem in libro de Spiritu & littera: Non potest facere injusta, quia ipse est summa justitia & bonitas. Omnipotens verò est, non quod possit omnia facere, sed quia potest efficere quicquid vult: ita ut nihil valeat resistere ejus voluntati quin compleatur, aut aliquo modo impedire eam. Johannes Chrysost. homilia xxviii. de expositione symboli quæ sic incipit Super fabricam totius Ecclesiæ; omnipotens dicitur, quia posse illius non potest invenire non posse, dicente propheta, *Omnia quæcumque voluit fecit.* Ipse est ergo omnipotentia, ut totum quod vult possit.

[Ps. 103, 13. — 1. Tim. 2. 4. — Ezech. 33. 11. — Matth. 23. 37. — Deus velle aliquid duobus modis dicitur. — Ps. 103. 13.]

Non ita ut æstimat Nabugodonosor operatur Deus, more videlicet eorum, qui in his quæ faciunt, non tam quod bonum est attendunt, quàm ut suæ satisfaciant voluntati, qualiscumque ipsa sit, de qualibus scri-

(a) Introd. *ceteris hominibus.*
(b) In Introduct. deest *& ut ita fiant ipse etiam fecit.*
(c) Introd. *ad hoc sui creatione.*
(d) Introd. *& hunc.*
(e) In Introductione hic sequuntur ea quæ in altera parte hujus columnæ habentur *Hinc illud est.*
(f) Introd. addit *omnes quandoque salvandos esse* omissis quæ sequuntur usque ad *velle itaque.*
(g) Introd. *aliud.*
(h) Introd. *apostolos.*

lute sua, & ad hanc eum adhortatur, cùm obediant pauci. Vult itaque Deus peccatorem converti; quia id ei consulit quod esset benignè remuneraturus. quodammodo enim gratum ei dicitur in quo ejus gratiam experturi essemus. E contrario nolle illa dicitur quæ dissuadet, aut quæcumque punire magis deberet, quàm dono aliquo remunerare, & in quibus iram ipsius potius quàm gratiam sentiremus, hoc est vindictã potius quàm præmium.

An Deus plura aut meliora facere posset quàm faciat.

Quærendum arbitror utrum plura facere possit Deus vel meliora quàm faciat, aut ab his etiam quæ facit ullo modo cessare posset, ne ea umquam videlicet faceret. Quod sive concedamus sive negemus, multas fortassis inconvenientium anxietates incurremus. Si enim ponamus ut plura vel pauciora facere possit, vel ab his quæ facit cessare, profecto multum summæ ejus bonitati derogabimus. Constat quippe eum nonnisi bona facere posse. Si autem bona cùm possit non faciat, & ab aliquibus quæ facienda essent se retrahat, quis eum tamquam æmulum vel iniquum non arguat? Præsertim cum nullus eum labor in faciendo aliquid gravet, cujus æquè omnia voluntati sunt subjecta, secundùm quod dictum est, *Dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt.* (Ps. 148. 5.) Hinc est illa Platonis verissima ratio, qua videlicet probat Deum nullatenus mundum meliorem potuisse facere, quàm fecit. Sic quippe in Tymæo ait: Dicendum cur conditor &c.

Quis etiam neget unumquemque tantum velle bene agere quantum potest, aut unumquemque tantum debere bene agere, quantum potest? Quod si hoc in nobis judicium tenemus; quantò magis in eo qui summè est bonus, & quem nullius operationis labor gravare potest? Quomodo autem vult & potest Deus, si non perficit? Aut quomodo justus est, si quod debet & etiam potest non facit? Sed etsi minus benefaceret quàm posset, perfectè bonus non esset. Facit itaque omnia quæ potest Deus, & tantum bene quantum potest. Sed non cessare ab iis potest quæ facit, ut videlicet ea tunc non faciat quando facienda sunt. Quippe si cessaret à bonis quæ posset, cùm ea fieri oporteret, profecto & ex hoc non esse perfectè bonum convincendus esset. Præterea quæcumque ei naturaliter insunt, carere non potest. Si autem, quem necesse est summè bonum esse atque benignum, nec in sua minui posse bonitate, bona voluntas naturaliter ac substantialiter inest, non sicut nobis per accidens. Unde eam quam habet bonam voluntatem deponere non potest, quam & Deum esse concedi convenit. Quamcumque itaque bonam habet voluntatem, carere non potest. Necesse est igitur, ut omnia quæ vult, ipse velit; sed nec inefficax ejus voluntas esse potest: necesse est ergo ut quæcumque vult ipse perficiat, cùm eam videlicet sumamus voluntatem, quæ ad ipsius pertinet ordinationem. Istis ergo rationibus astruendum videtur, quod plura Deus nullatenus facere possit quam faciat; aut melius facere, aut ab his cessare, sed omnia ita ut facit necessario facere. Sed rursus singulis istis difficillimæ occurrunt objectiones, ut utroque cornu graviter fidem nostram oppugnet complexio. Quis enim negare audeat, quod non possit Deus eum qui damnandus est salvare, aut meliorem illum qui salvandus est facere, quàm ipse futurus sit collatione suorum donorum, aut omnino dimisisse ne eum umquam crearet? Quippe si non potest Deus hunc salvare, utique nec ipse salvari à Deo potest. Necessaria quippe ptum est: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Sed magis velle dicendus est singula ut fiant, quia bonum esse ut forent vidit. Patet itaque quicquid Deus faciat aut dimittat, justam ac rationabilem subesse caussam, ut sola illa faciat aut dimittat, quæ fieri vel dimitti oporteat, atque ipsum deceat. Quod si quod facit, eum facere oportet: justum est utique ut faciat quicquid facit, ac sine dubio quicquid facere debet. Quod si debet, non potest profecto juste dimittere ne faciat. Omne quippe quod justum est fieri, injustum est dimitti; & quisquis id non facit, quod ratio exigit, æque delinquit, ac si faciat quod rationi minimè concordat. Sed fortassis inquies, quod sicut justum est aut bonum seu rationabile id quod modo facit, ita bonum esset atque æquè bonum si aliud faceret & hoc dimitteret. Atqui si æquè illud bonum esset quod dimisit facere quando istud elegit, nulla profecto ratio fuit cur illud dimitteret atque istud eligeret. Fuit autem inquies, quia cum non utrumque fieri oporteret & æquè hoc vel illud fieri bonum esset, quodcumque eorum fieret, rationabiliter factum esset. Sed juxta hanc profecto rationem æquè fieri oportebat quod factum non est, sicut quod factum est; & æquè bonum erat illud fieri sicut hoc. Cùm vero quid fieri bonum est, & rationabilem habet causam qua faciendum sit, irrationabiliter profectò agit, qui quod à se fieri debere non ignorat, prætermittit; atque ita jam in suprapositum inconveniens relabemur. Sin autem dicas de altero quod factum non est, quia non erat bonum ut faceret, nisi ita ut alterum cessaret, profecto eadem ratione de altero quod factum est non erit simpliciter concedendum ut bonũ esset illud fieri, cum æquè concessum sit tam hoc quàm illud fieri bonum esse. Fecit itaque Deus [a] quod non erat bonum fieri? absit. Quod si illud solum quod facit fieri ab eo bonum est, profecto illud solum quod facit facere potest, qui nihil facere potest, nisi quod ab eo fieri bonum est.

(a) Introd. quod noverat.

est hæc reciprocationis consecutio. quod si iste salvatur à Deo, Deus hunc salvat. Unde si possibile est hunc salvari à Deo, possibile est Deum hunc salvare. Non enim possibile est antecedens, nisi possibile sit & consequens: alioquin ex possibili impossibile sequeretur. quod omnino falsum est. Sic enim in primo *Y præcorum Boëtius, impossibile diffiniens ait: Impossibile est, quo posito aliquid falsum atque impossibile comitatur, hoc est id impossibile est quod habet ad aliquid impossibile necessariæ argumentationis adjunctionem, hoc quippe propter syllogismorum complexiones inducebat, in quibus per inductionem impossibilium conclusionum impossibilia esse præmissa convicturus erat. Quis autem necessariam negare audeat & hujus argumentationis inferentiam: Iste à Deo salvatur, ergo Deus hunc salvat? Cùm itaque possibile sit inferens, possibile est & illatum. Atque ita si possibile sit hunc salvari à Deo, possibile est Deum hunc salvare, & si non sit possibile Deum hunc salvare, non est possibile hunc à Deo salvari: hoc est, ut supra posuimus, si non potest Deus hunc salvare, utique nec ipse salvari à Deo potest, ac per hoc nec omnino salvari, quem nonnisi per Deum salvari posse constat. quod si salvari iste non potest, profectò liberum jam perit arbitrium, frustraque homini illi ea quæ ad salvationem pertinent injunguntur, qui salvari omnino non potest, nec ea facere quibus salvari potest. Similiter etsi illum Deus meliorem facere non potest, utique nec ipse ab eo melior fieri potest, atque ita nec ullo modo melior fieri, quod utique si fieret, à Deo fieri necesse esset. Absit autem ut aliquem nostrûm adeo bonum esse concedamus ac perfectum, ut ulterius crescere non possit, quamquam in contrariam Plato plurimum declinare videatur sententiam, cùm omnia à Deo tam bona fieri dicat, quantum singulorum permittit natura, & Deum ex ipsa summa sua bona voluntate, qua omnium faciendorum causam constituit, ad faciendum singula compulsum, & ad faciendum tantum bona, quantum eorum fert & natura. Sic quippe scriptum est in Tymæo: Dicendum, inquit, cur conditor fabricatorque geniture omne hoc instituendum putaverit. Optimus erat. Ab optimo porro invidia longè relegata est. Itaque consequenter sui similia cuncta, prout cujusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit. quam quidem voluntatem Dei originem rerum certissimam si quis ponat, rectè eum putare consentiam. Volens siquidem Deus bona quidem omnia provenire, mali porro nullius, prout eorum quæ nascuntur natura fert, reliquit propaginem. Et hæc quidem Platonis verba planè omnia à Deo tam bona fieri perhibere videntur, quantum fieri bona possunt, vel quantum ipse ea bona facere potest. quam etiam rationem sancti secuti videntur, cùm Deum Patrem probarent Filium tam bonum genuisse, quantum potuit, ut ei æqualis esset.

* f. Hypotheticorum.

Unde Augustinus libro quæstionum LXXXIII. cap. LXIV. Deus, inquit, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, nihil enim Deo melius, debuit æqualem. Si enim voluit & non potuit, infirmus est. Si potuit, & noluit invidus est. Ad hoc & illud pertinet Nicæni concilii, quod sicut in primo libro præfati sumus, beatus retractat Hieronymus dicens: Absit ergo in Filio Dei aliquid plus minusve aut in loco aut in tempore, aut in potentia, aut in scientia, aut in æqualitate, aut in subjectione cùm dicitur hoc, ut Deitati ejus non carni ascribatur. Si enim plus minusve aliquid invenitur, excepto hoc quod genuit Pater Filium, & excepto hoc quod Filius non ex semetipso natus est, sed de Patre, aut invidens aut impotens Pater, insuper etiam temporalis [a] nascitur. Hac itaque ratione, qua convincitur quia Deus Pater tam bonum genuerit Filium quantum potuit, cùm videlicet aliter reus esset invidiæ, clarum est & omnia quæ facit quantum potest egregia facere, nec ullum commodum quod conferre possit subtrahere velle. Nihil quippe est quod aut faciat aut dimittat, nisi optima & rationabili causa, licet illa non occulta sit. Unde & illud est Platonicum, Omne quod gignitur, ex aliqua causa necessaria gignitur. Nihil enim fit, cujus ortum non legitima causa & ratio præcedat. Hinc & illud est Augustini, cùm omnia in mundo fieri vel disponi divina providentia convinceret, & nihil casu, nihil fortuitu evenire, sed omnia ex divino provenire consilio. Ait quippe sic Quæstionum LXXXIII. capite XXVI. Quicquid casu fit, temere fit; quicquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus amministratur. Item, Illud bonum, cujus participatione sunt bona cetera, non per aliud, sed per semetipsum bonum est. Quod divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo. In tantum autem in omnibus quæ Deus facit, quod bonum est attendit, ut ipso boni pretio potius quàm voluntatis suæ libito ad singula facienda inclinari dicatur. Hinc est illud Hieronymi in expositione versionis super Danielem III. ubi de Deo sic Nabugodonosor loquitur: *Juxta voluntatem enim suam facit* [b] *tam in cælo quàm in terra, & non est qui resistat manui ejus, & dicat cur fecisti?* Et hoc, inquit, Hieronymus, loquitur quasi homo sæculi. Non enim quod vult hoc facit; sed quod bonum est, hoc vult Deus. Nabugodonosor autem sic locutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit. Tale ergo est quod ait Hieronymus, Non enim quod vult hoc facit, sed quod bonum est hoc vult Deus, ac si diceret: In omnibus itaque Deus quæ facit aut dimittit, rationabilem habet causam cur

Dan. 4. 32.

(a) Introd. *agnoscitur.*
(b) Apud Danielem *tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus cœli.*

ab eo faciendum sit aut dimittendum. Si igitur ratio est cur facere aut dimittere debeat, profectò ab eo fieri debet aut dimitti. Quod autem ab eo fieri debet, quomodo dimittere potest, vel quod dimittere debet quomodo facere potest? Qui enim facit quod omnino ab eo fieri non convenit, non rectè agit. Deus autem cùm aliquid omnino dimittit, ut non faciat, videt profectò quare ab eo numquam sit faciendum. * quod tam à veritate, quàm à nostra remotum est opinione: quod tamen postmodum si poterimus aliqua liniemus expositione. Nunc ad incœpta redeamus: Quomodo etiam, inquam, diceremus non posse dimittere quin ea quandoque faciat quæ facit, nisi ea necessario quandoque faciat? Facit autem hunc hominem bonum: necesse est ergo hunc hominem bonum fieri, nec ullo modo eum damnari posse, quod omnino falsum est. Scriptum quippe est ad laudem justi viri de eo, *qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Scriptum quoque est quod potuerit Deus alio modo quàm fecerit humanum genus redimere. Unde est illud beati Augustini in libro de Trinitate XIII. cap. X. Eos, inquit, qui dicunt: Itane defuit Deo modus alius quo liberaret homines, ut unigenitum Filium hominem fieri vellet, mortalemque factum mortem perpeti? Parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos liberare dignatur, asseramus bonum; verùm etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æque subjacent. Sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem alium modum non fuisse; cur non fieret mors Christi, immo cur non prætermissis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos uti posset Omnipotens, ipsa potissimum eligeretur? Item, Poterat utique Deus hominem aliunde suscipere, in quo & esset mediator Dei & hominum, non de genere illius Adam, sicut illum quem primum creavit, non de genere creavit alicujus. Poterat vel sic, vel alio quo vellet modo creare unum alium, de quo vinceretur victor prioris. Sed melius judicavit, de ipso quod victum fuerat genere hominem assumere. Item in libro Quæstionum veteris & novæ legis: Potuit Deus simul cuncta facere; sed ratio prohibuit. Item, Poterat animam limo terræ admiscere, & sic formare corpus, sed ratione infirmabatur, quia primum oportebat domum compaginari, & sic habitatorem induci. Idem in Enchiridion: Omnipotentis voluntas mala esse numquam potest. Præterea multa potest facere, quæ nec facit, nec vult. Potuit enim efficere ut XII. legiones angelorum pugnarent contra eos qui eum ceperunt. Evangelista Matthæus, *An putatis quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquam XII. legiones angelorum?* Item: Tunc in clarissima Sapientiæ luce videbitur, quod nunc fides habet, quàm certè immutabilis efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit & non

* Videtur ne aliquid hoc loco desit, omissum forte scriptoris oscitantia.

Eccli. 31. 10.

Ibid. c. 18.

Matth. 26. 53.

A velit, nihil autem velit quod non possit. Idem in libro de Spiritu & Littera. Absurdum tibi videtur dici aliquid fieri posse, cujus desit exemplum, cùm sicut credo non dubites, numquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret; & tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile. Item his addi possunt etiam illa quæ leguntur in libro Sapientiæ, Quoniam multa posset nova tormenta Deus exercere in impios, ad nutum sibi serviente creatura, quæ tamen non exercuit. Potest & de monte illo quem fides in mare transferret, quod tamen nusquam factum vel legimus vel audivimus. Quisquis horum aliquid Deo dixit B impossibile, vides quam desipiat, quamque adversus fidem scripturæ ejus loquatur. Multa alia hujusmodi possunt occurrere vel legenti vel cogitanti, quæ possibilia Deo negare non possumus, quamvis eorum desit exemplum. Idem in libro de Natura & Gratia: Dominus Lazarum suscitavit. Sine dubio potuit: quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est, Non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset: quia Filius quos vult vivificat. His itaque tam rationibus quàm auctoritatibus, graviter in utraque parte complexionis impliciti, quo nos explicare possimus non facile C aditum invenio. quo enim vehementiores sunt quæstionum impugnationes, difficiliores profectò necesse est esse solutiones. Sed quoniam divinum in omnibus integrum honorem servare, & prout possumus magnificare intendimus, ipsius opem super hoc confidenter imploremus, ut qui suos absolvit à peccatis, expediat à verbis, & horum quoque laqueos sicut illorum ad nominis sui laudem sua explicare gratia dignetur, ne nos mendacii vel præsumtionis in eum ab ipso arguamur, qui probator cordis & rerum magis in omnibus intentionem attendit, quàm actionem; nec quæ fiant, sed quo animo fiant.

D Eo itaque more, quo de Deo disserere cœpimus, innitentes quid & nobis super hoc visum sit sine aliqua obstinationis assertione proferamus. Visum autem itaque nobis est Deum qui summè bonus est, nec in sua exercere vel minui bonitate potest, quam naturaliter ac substantialiter ex seipso non nostro modo per actus habet, ex ipsa sua & ineffabili bonitate, adeo semper, ut humano more loquar, accensum, ut quæ vult necessario velit, & quæ facit necessario faciat. non enim carere sua potest bona voluntate E quam habet, cum sit ei naturalis & coæterna, non adventitia, sicut nostra est nobis, & omne quod in natura est divinitatis necessario ei atque omnibus modis inevitabiliter inest, utpote justitia, pietas, misericordia, & quæcumque erga creaturas bona voluntas. Qui itaque necessario tantum bonus est, quantum bonus est, nec minui potest in bonitate, necesse est ut tam bene velit de singulis, quàm bene vult; & tam bene singula tractet, quantum potest. Alioquin juxta etiam Platonem

SOLUTIO.

æmulus esset, nec perfectè benignus. Quod si eam quam habet voluntatem faciendi aliquid, necessario habet, nec illa umquam efficacia possit carere; necesse est ut & ea necessario faciat quæ ejus voluntatem necessario comitantur. Quicquid itaque facit, sicut necessario vult, ita & necessario facit. Tanta quippe est ejus bonitas, ut cum necessario ad bona quæ potest facienda compellat, nec omnino possit abstinere quin bona quæ potest efficiat, & quo melius potest vel citius potest. Unde & in laudem ejus dicitur de his quoque quæ diu distulit, quia non tardabit. Nemo enim tardare in aliquo dicendus est, quod ideo differt ut convenientius fiat: sed A is tantum tardare dicendus est, qui dum facere debet non facit. nam & differre sicut auferre bonum quod possis, non est bonitatis perfectæ, hoc est ut quod jam faciendum esse censeas, in futurum differas, cum jam æquè possis ut in futuro. Necessario itaque Deus mundum esse voluit ac fecit, nec otiosus extitit, qui eum, priusquam fecit, facere non potuit, quia priusquam fecit, fieri eum non oportuit. Si enim prius fecisset, utique & prius eum fieri oportuisset, quia facere quicquam nisi opportunum non potest, immo nisi optimum, id est tam bonum quantumcumque convenit. quod suo alto reservatur consilio.



PETRI



PETRI ABAELARDI

EXPOSITIO IN HEXAMERON.

Ex mſ. Monaſterii ſancti Michaelis in periculo maris.

OBSERVATIO PRÆVIA.



NTER difficiliora intellectu ſacræ ſcripturæ loca, tria in primis recenſent antiquiores Eccleſiæ Patres, quorum lectionem etiam nonniſi peritis in lege permittebant Judæi, ſcilicet Initium Geneſis, Canticum Canticorum & Ezechielis Prophetiam. Hinc natum primis ſæculis ſingulare illa explicandi ac commentariis illuſtrandi ſtudium: quo in labore operam impendiſſe ſuam præſertim Rodonem Tatiani diſcipulum, Candidum, & Hippolytum teſtatur Hieronymus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis capp. 37. 48. & 61. ut interim taceam Baſilium Cæſarienſem & Ambroſium Mediolanenſem epiſcopos, qui omnes ſingulari aliquo opere initium Geneſis explicare aggreſſi ſunt. Horum exemplo ſequentem expoſitionem in Hexameron conſcripſit Petrus Abaëlardus ſecundùm triplicem ſenſum, litteralem, moralem & allegoricum. Hanc autem ad petitionem Eloiſſæ, cui nihil negare poterat, conſcriptam, quonam tempore aggreſſus fuerit non ſatis conſtat. Exiſtimamus tamen eam poſt ſuam cum ſancto Bernardo reconciliationem ab eo jam Cluniacenſi monacho facto ſuſceptam fuiſſe. Nam referens illam Philoſophorum ſententiam de anima mundi, ſtellarum & planetarum, illam de Spiritu-ſancto, ut in ſua Theologia fecerat, non amplius interpretatur. Sed quocumque tandem tempore illa expoſitio ſcripta fuerit, in ea mirum Abaëlardi ingenium & eruditionem ſuſpicere libet. Præter ea verò quæ hactenus ſub ejus nomine prodiere opera, & ea quæ hic à nobis edita fuere, reperimus in veteri codice mſ. monaſterii B. Mariæ de Fontanis in diœceſi Turonenſi Abaëlardi Elucidarium*: quod opus in codice Clarevallenſi* Angeldi Montis-Leonis *nomen præfert, editum eſt inter ſpuria S. Anſelmi opera.*



ABAELARDI PRÆFATIO

IN HEXAMERON SUUM.

TRIA sunt in veteri Testamento loca quæ ad intelligendum difficiliora esse sacræ Scripturæ periti censuerunt. Principium scilicet Geneseos, secundùm ipsam divinæ operationis historiam, & Canticum canticorum, & Prophetiam Ihezechiel in prima præcipuè visione de animalibus & rotis, & in extrema de ædificio in monte constituto. Unde apud Hebræos institutum esse aiunt prædictorum scriptorum expositionem præ nimia difficultate sui nonnisi maturis sensibus seniorum committendam esse; sicut & Origenes meminit prima in Cantico canticorum Omelia, dicens: *Aiunt & observari apud Hebræos quod nisi quis ad ætatem perfectam maturamque pervenerit, librum hunc in manibus tenere non permittitur: sed illud ab eis accepimus custodiri, apud eos omnes scripturas à Doctoribus tradi pueris, ad ultimum IV. libros reservari, id est, principium Genesis quo mundi creatura describitur, & Ihezechiel prophetæ principia in quibus de Cherubim refertur, finem quoque in quo templi ædificatio continetur, & hunc Cantici canticorum librum.* Hinc & illud Hieronymi in prologo expositionis suæ in Ihezechielem: *Aggrediar Ihezechiel Prophetam, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerii, id est trigesimum annum impleverit, nec principium Geneseos, nec Canticum canticorum, nec hujus voluminis exordium & finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.* Supplicando itaque postulas, & postulando supplicas, soror Heloyssa in sæculo quondam cara, nunc in Christo carissima, quatenus expositionem horum tanto studiosius intendam, quanto difficiliorem esse constat intelligentiam; & spiritaliter hoc tibi & filiabus tuis spiritalibus persolvam. Unde & rogantes vos rogo, ut quia me rogando ad hoc compellitis, orando Deum mihi efficaciam impetretis; & quoniam, ut dici solet, à capite inchoandum est, tanto me amplius in exordio Geneseos vestræ orationes adjuvent, quanto ejus difficultatem ceteris constat esse majorem; sicut expositionum raritas ipsa testatur. Cum enim multi multas mysticas vel morales in Genesim confecerint explanationes, solius apud nos beatissimi Augustini perspicax ingenium historiam hic aggressus est exponere. Quam adeo difficilem recognovit, ut quæ ibi dixerit, ex opinione potius quàm ex assertione sententiæ protulerit; vel quærendo magis tamquam dubia, quàm diffiniendo tamquam certa, quasi Aristotelicum illud attendens consilium, *Fortasse*, inquit, *difficile sit de hujusmodi rebus confidenter declarare, nisi sæpe pertractata sint: dubitare autem de singulis non erit inutile.* Prædictus itaque Doctor in secundo Retractationum suarum, libros XII. suos de Genesi ad litteram retractaturus ait: *In quo opere plura quæsita sunt quam inventa, & eorum quæ inventa sunt pauciora firmata, cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint.* Sed quoniam hujus quoque operis dicta adeo vobis obscura videntur, ut ipsa rursus expositio exponenda esse censeatur, nostram etiam opinionem in exponendo prædicto Genesis exordio efflagitatis. Quam nunc quidem expositionem ita me vestrarum instantia precum aggredi cognoscatis, ut ubi me deficere videritis, illam à me apostolicam excusationem expectetis. *Factus sum insipiens, vos me coegistis.*

EXPLICIT PRÆFATIO.



INCIPIT EXPOSITIO

PETRI ABAELARDI IN HEXAMERON.

IMMENSAM igitur abyssum profunditatis Geneseos triplici perscrutantes expositione, historica scilicet, morali, & mystica, ipsum invocemus Spiritum, quo dictante, hæc scripta sunt; ut qui Prophetæ verba largitus est, ipse nobis eorum aperiat sensum. Primò itaque prout ipse annuerit, immo dederit, rei gestæ veritatem quasi historicam figamus radicem. Carnalem itaque populum Propheta desiderans ad divinum cultum allicere, cui tamquam rudi adhuc & indisciplinato prioris instituta Testamenti fuerat traditurus, primò eos ad obediendum Deo tamquam omnium creatori ac dispositori monet, consideratione videlicet corporalium ejus * ... in ipsa mundi optima creatione ac dispositione. Quarum quidem rerum ab ipso mundi exordio usque ad tempora sua diligenti narratione deducit. Unde & ipsius rectè materiam assignamus hanc ipsam, quam diximus mundi creationem ac dispositionem, hoc est ipsa quæ in creatione mundi vel dispositione divina operata est gratia. De qua quidem operatione ad cognitionem opificis nos perducente Apostolus ait: *Invisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c.* Quisquis enim de aliquo artifice an bonus vel solers in operando sit voluerit intelligere, non ipsum sed opera ejus considerare debet. Sic & Deus qui in seipso invisibilis & incomprehensibilis est, ex

* f. operum

Rom. 1. 20.

operum suorum magnitudine primam nobis inde se scientiam confert; cum omnis humana notitia surgat à sensibus. Quod diligenter Moyses attendens populo illi carnali & corporeis sensibus dedito nec spiritali intelligentia prædito, juxta numerum quinque sensuum hoc vetus Testamentum in quinque libris scribere decrevit, ab ipso divinæ creationis exordio sumens exordium, naturalem quidem ordinem in hoc prosecutus: unde bene hanc ipsam ejus operationem Prophetæ hujus materiam assignamus.

Intentio hujus operis. Intentio verò est ea quam præmisimus, horum videlicet narratione vel doctrina carnalem adhuc populum ex visibilibus saltem B operibus ad cultum allicere divinum, ut ex his videlicet homo intelligat quantam Deo debeat obedientiam, quem ipse & ad imaginem suam creavit & in paradiso collocatum ceteris præfecit creaturis tamquam propter eum conditis universis, sicut scriptum est, *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, &c.* (Ps. 8. 8.) Quem etiam post culpam à paradiso ejectum beneficiis suis non destituit; sed eum modò per aspera corrigendo, modò per blanda attrahendo, modò lege instruendo, modò miraculis confirmando, modò minis deterrendo, modò promissionibus alliciendo, summa eum C sollicitudine ad veniam non cessat invitare. Quæquidem omnia, ut præfati sumus, diligenti narratione ab ipso mundi exordio usque ad tempora sua Moyses prosecutus ita exorsus est.

DE OPERE PRIMÆ DIEI.

Cœli & terræ nomine quatuor elementa intelliguntur. IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS COELUM ET TERRAM. Cœli & terræ nomine hoc loco quatuor elementa comprehendi arbitror, ex quibus tamquam materiali primordio cetera omnia corpora constat esse composita. Cœlum quidem duo levia elementa, ignem videlicet atque aerem dicit. D Reliqua verò duo quæ gravia sunt, terram generaliter vocat. Cœlum quippe tam aereum dicimus, juxta illud, *volucres cœli*, quàm æthereum quod est igneum. Unde non incongruè tam aerem quàm ignem cœlum hic nominat. Constat etiam cœlum æthereum, quò purior est ignis, cœlum proprie solere dici. Unde meritò nomen cœli, quod quantò purior est ignis, tantò levioris est naturæ, pro duobus, ut dictum, levibus elementis igne scilicet atque aere hic positum esse intelligitur. Sicut è contrario per terram, cujus maximè gravis est & ponderosa natura, tam terram ipsam, E quàm ei adhærentem aquam determinat. Hæc itaque quatuor elementa tamquam ceterorum corporum principia Deum in principio fecisse prænuntiat.

Et tale est quod dicit, *in principio*, ac si diceret ante illa omnia quæ consequenter enumerat, & de quorum etiam consummatione postmodum subdit, *Igitur perfecti sunt cœli, &c.* (Gen. 2. 1.) Tale est quod dicit in principio sequentium operum, ac si diceret, in principio mundi; id est, antequam quidquam de his

A quæ de mundo sunt efficeret. Non enim angeli, cùm incorporeæ sint naturæ, inter mundanas creaturas comprehenduntur, sicut homines, de quibus in III. Topic. Philosophus meminit. *Mundus*, inquit, *providentia regitur, homines autem pars mundi sunt; humanæ igitur res providentia reguntur.*

Potest etiam sic intelligi, *in principio creavit* hæc, ac si diceretur, ut ipsa quæ diximus elementa, ceterorum corporum ex eis conficiendorum primordialiter essent causa. Unde & bene elementa quasi alimenta dicta sunt, quòd ex eis cetera suum esse trahant: sicut & quæcumque animantia per alimenta ciborum vivere habent atque subsistere.

Bene autem de elementis dictum est, *creavit*, potius quam *formavit*; quia creari proprie id dicitur, quod de non esse ita ad esse producitur, ut præjacentem non habeat materiam, nec in aliquo primitus subsisteret naturæ statu. (Inter creare & formare quid discriminis.) Cum autem de ipsa jam materia præparata adjunctione formæ aliquid fit, rectè illud formari dicitur: sicut est illud quod in sequentibus ponitur, *Formavit igitur hominem de limo terræ.* (Gen. 2. 7.) Et iterum, *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ.* (Ibid. 19.) Cum enim præjacens materia denotatur, veluti cum præmittitur de humo quoniam in speciem aliquam formaretur, tunc rectissimè formari dicitur.

TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA. Quoniam ad hominis creationem de terra formandi & in terra conversaturi specialiter iste spectat tractatus, quo Propheta, ut diximus, ad cultum Dei hominem allicere intendens, ad terrena opera stilum convertit, cœlestis & superioris naturæ, id est angelicæ creatione prætérita; ne fortè si eam perscrutaretur, & ad creatoris sui laudem ejus excellentiam ostenderet, minus hominem ad amorem Dei alliceret; qui sibi aliam præferri naturam conspiceret. Præmittens itaque terram in creatione sua inanem & vacuam extitisse, quomodo post modum ejus inanitati & vacuitati divina operatio consuluerit, posteriorum dierum operibus declarat; *Inanem* dicit terram à fructu, quem nondum produxerat; *vacuam* ab habitatore non solum homine, verum etiam ab omni penitus animantium genere; cum nulla adhuc animantia vel terrestris vel aquatica mansio contineret, quæ utraque, ut diximus, terræ vocabulo comprehendit. Terram itaque dicit secundum quod expositum est, hanc ex elementis gravibus constantem inferiorem mundi regionem. Et notandum quod dum ait, *terra autem erat inanis & vacua*, subinnuit ex illa apposita conjunctione adversativa de cœlo non sic esse intelligendum, cùm videlicet angeli vel ante ipsum cœlum vel cum cœlo creati esse intelligantur, qui quasi cœlestes habitatores dicuntur, ut licet eorum creationem Propheta non exequatur, in transitu tamen eam perstringat, ne quid ejus narrationi de divinis operibus deesse videatur. (Angelorum creatio.)

Abyssus quid.

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Abyssum, id est profunditatem, vocat totam illam confusam necdum distinctam, sicut postmodum fuit, elementorum congeriem. Quam quidem confusionem nonnulli philosophorum seu poetarum chaos dixerunt: quod enim profundum est minus apparet & visui patet. Illam itaque elementorum congeriem nondum per partes ordinatas distinctam, ut cognitioni nostræ vel visui patere posset, etiamsi jam homo creatus esset, abyssum nominat; faciem vero qua unusquisque cognoscitur pro notitia ponit. Facies ergo abyssi tenebris obducta erat, id est, notitia illius congeriei ex prima confusione præpediebatur, ut nequaquam se visibilem præberet, vel aliqua ejus utilitas in laudem creatoris adhuc appareret.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Hebraicum habet, *volitabat super faciem aquarum.* Translatio vero quædam habet, *fovebat aquas*, quædam, *ferebatur super aquas*, sicut habet præsens quam præ manibus habemus, ac primum nobis occurrit exponenda. Quantum ergo nobis videtur, aquarum etiam nomine fluidam illam atque instabilem congeriem nondum certa partium suarum collocatione firmatam comprehendit. Super hanc itaque Spiritus Domini ferebatur, quia ut eam ordinaret, tamquam imperio suo subjectam divina disponebat gratia, ne videlicet ulterius esset inanis aut vacua, seu tenebrosa vel fluida. Quid enim Spiritus Dei nisi ejus bonitas intelligitur, cujus participatione sunt bona universa? Quæ videlicet Dei bonitas, quia nondum in illa elementorum confusione apparebat, superferri potius illi, quam inferri dicebatur, quia nondum in ea operatus fuerat, unde aliquid utilitatis ipsa prætenderet. Unde nec in ejus commendatione dicitur, *vidit Deus quia bonum est*, sicut in commendatione reliquorum operum. Diligenter etiam dicit, ferebatur super aquas potius quam erat, quasi ostendens eum habere quemdam transitum in istis, ut de tenebris ad lucem produceret, non in eis permanentiam habere, quas nequaquam in hac confusione proposuerat relinquere.

Spiritus Dei ejus bonitas.

Alia etiam, ut diximus, translatio habet, *Et Spiritus Domini fovebat aquas*, more videlicet avis, quæ ovo incumbit, ut ipsum foveat atque vivificet; unde & bene vivificatorem Spiritum-sanctum appellamus. Bene autem ovo nondum vivificato aut formato illa confusa congeries comparatur, in qua tamquam in ovo quatuor in se continenti quatuor elementa comprehenduntur. Est quippe in ovo testa exterior; deinde intus tela, id est cartilago quædam testæ adhærens; ac postmodum albugo; denique medium illud ovi quasi medulla ejus. Quod quidem medium ovi quod vitellum dicimus, quasi terra est in mundo: albugo quasi aqua terræ adhærens: tela tamquam aër: testa ut ignis. Ex vitello autem & albugine ovi constat pullum in eo formari & nasci: & ex terra vel aqua cuncta produci ac formari animantia liber iste commemorat. Sicut igitur avis ovo incumbens & ei nimio affectu se applicans, ipsum calore suo fovet, sicut dictum est, pullum format atque vivificat; sic divina bonitas quæ Spiritus-sanctus intelligitur, & proprie caritas Dei dicitur, quæ infusa cordibus fidelium ea fervere in Deum facit, & sic quodam suo fotu calentia reddit, illi adhuc fluidæ & instabili congeriei, quasi aquis præesse dicitur, ut inde postmodum animantia producat, quia sic eam quasi sub se habebat, hoc est, in sua potestate, ut inde postmodum hominem & animantia cetera quasi de ovo pullum formaret, ac formata vivificaret.

Notandum vero quod ubi nos dicimus *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, pro spiritu Hebraicum habet *ruauh*, quod tam spiritum quam ventum figurat: Et pro eo quod dicimus, *ferebatur super aquas*, in Hebræo est, *volitabat super faciem aquarum*, ut supra quoque meminimus. Ex quo & volitans alibi in eodem Propheta reperitur, cum dicitur, *sicut aquila provocans ad volandum pullos & super eos volitans.* Quod itaque dicitur ventus Dei jam tunc super faciem aquarum volitare, id est, ventilare, tale est fortassis juxta litteram, ac si diceretur, quod jam tunc ventus à Deo aquis immissus, earum superiorem partem, quam semper constat leviorem esse in omni aquarum congerie, sursum agitabat; ut videlicet postmodum suspensæ firmarentur. Cum enim postmodum ait, *fiat firmamentum in medio aquarum*: Et rursum, *divisit aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super*, innuit jam eas fuisse divisas, sed nondum esse firmatas. Nec mireris hoc loco ventum à Domino aquis immissum Spiritum Domini à Moyse dici, cum hoc idem Propheta tamquam in consuetudine habens alibi dicat: *In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.* Et rursum; *Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare.* Nec mirum ventum à Domino immissum spiritum ejus vocari, cum malignus quoque spiritus nonnumquam ab eo furere permissus spiritus Domini malus nuncupetur, sicut in Saüle legimus.

Deut. 32. 11.

Spiritus Domini vento comparatus.

Exod. 15. 8. Ibid. 10.

Bene autem ventus aquis immissus & eas sustollens, ut universum tegerent mundum, typum nostræ regenerationis ex aqua & spiritu præsignabat. Hoc enim elementum Spiritus-sanctus ceteris dignitate præfecit ac superposuit, dum hoc ei sui gratiæ beneficium contulit, ut quorumlibet hominum aqua baptismatis perfusorum universa peccata sic tegerentur vel delerentur, ut nec satisfactio pœnæ corporalis restaret.

Ventus aquis immissus baptismi typus.

Si quis etiam hoc ad naturalem ordinem elementorum ita referat, ut aërem aqua circumfusum dicat, sicut aqua terram tunc omnino ambibat, vel cœlum aërem ambit, & tale sit spiritum tunc illum volitare super aquas, quasi mobili sua levitate illas ambire. Videtur hæc quoque sententia naturali

rerum ordini consentire, nisi forte quod cum A de aëre dicitur spiritus, additur Domini: quod nequaquam de terra vel ceteris dictum est elementis. Sed fortasse tantò id diligentiùs Propheta scripsit, quantò perfectiùs rem gestam simul & mysticam comprehendit. Tale est ergo *Spiritus Domini volitabat super aquas*, ac si diceret, Ventus in eis spirabat, typum gerens Spiritus-sancti aquas in baptismum sua gratia fœcundaturi & quasi hoc beneficium eis inspiraturi.

Cum ergo Propheta de cœlo & terra manifestam prius fecisset mentionem, dicens: *Creavit cœlum & terram*, & in hoc patenter B duo elementa comprehendisset, ignem videlicet ac terram, præsertim cum nomine cœli & terræ nonnisi terrenum elementum & igneum ex quo est, extrema mundi spatia, hoc est æpherea, quæ proprie cœlum dicitur, intelligi soleat: duo quoque alia, scilicet aquam & aerem consequenter exprimere curavit: quæ dum non creari tunc sicut illa patenter dixerit, quamvis, ut diximus, hæc quoque in eorum nominibus comprehendat, curavit manifestè nunc ea distinguere, ut diligenter totam mundi constitutionem in quatuor istis consistere declararet.

DIXIT QUOQUE DEUS: FIAT LUX. C

Dictum Dei Verbum ejus. Dictum ipsius Dei est Verbum Patris, quod ejus coæternam Sapientiam intelligimus, in qua primitus omnia disponuntur quàm opere compleantur; sicut scriptum est, *qui fecit quæ futura sunt*: fecit, inquam, disponendo antequam faceret opere complendo. Sicut est itaque verbum oris, ita & verbum

Ps. 11. 3. dicitur cordis, juxta illud: *In corde & corde locuti sunt.* Cum igitur Propheta in diversis rerum creationibus faciendis præmittit, *Dixit Deus*; & ad dictum statim effectum adjungit, dicens, *Et factum est*: ita cuncta Deum condidisse in Verbo, hoc est in sapientia sua ostenditur, id est, nihil subito vel temere, D sed omnia rationabiliter ac providè. De quo

Ps. 32. 9. & Psalmista, *Dixit*, inquit, *& facta sunt*, id est, ratione & providentia præeunte cuncta condidit sive ordinavit. Qui etiam alibi verbum hoc apertius demonstrans non esse verbum audibile & transitorium, sed intel-

Ps. 135. 5. ligibile ac permanens, ait, *qui fecit cælos in intellectu*; primò videlicet per rationem apud se eos constituendo quàm opere complendo; quasi bina sit omnium rerum creatio: una quidem primùm in ipsa divinæ providentiæ ordinatione, altera in opere. Secundum quas etiam duas creationes duos esse mundos, E unum videlicet intelligibilem, alterum sensibilem astruxere philosophi. Quod nec ab evangelica dissidet disciplina, si sententiæ veritatem magis quam verborum attendamus proprietatem. Scriptum quippe est in Evange-

Joh. 1. 3. lio de hoc ipso Dei Verbo: *Quod factum est in ipso vita erat.* Quòd tamen philosophi ipsum etiam divinæ providentiæ conceptum mundum appellant, ab ecclesiasticæ locutionis usu plurimum dissentire videtur. Unde Augustinus in primo Retractationum, *Displicet*, inquit, *mihi quod philosophos non vera pietate præditos dixi virtutis luce fulsisse. Et quod duos mundos, unum sensibilem, alterum intelligibilem sic commendavi tamquam hoc etiam Dominus figurare voluerit, quia non ait: Regnum meum non est de mundo, sed, regnum meum non est de hoc mundo.* Item, nec Plato quidem in hoc erravit quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod ecclesiasticæ consuetudini in re illa minimè usitatum est, sed ipsam rem volumus attendere: mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit ipsam rationem qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur ut dicat irrationabiliter, Deum fecisse quæ fecit. Idem de Civitate Dei libro decimo-sexto hanc internam Dei locutionem, & intellectuale non audibile verbum diligenter describens, *Dei*, inquit, *ante factum suum locutio ipsius, facti sui est incommutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed inde sempiterne manentem & temporaliter operantem.*

Quod itaque dictum est, *Dixit Deus, fiat lux & facta est lux*, tale est quod sicut prius in verbo mentis ordinavit, aut propria ratione faciendum esse decrevit, ita postmodum opere complevit. Lucem vero istam, quæ prædictas tenebras removit, ipsam sequentium operum distinctionem accipimus, qua videlicet confusa illa congeries, quæ se nondum visibilem præbebat, nec usui apta alicui cognosci poterat, vel ad quid creata esset ex ipsa adhuc percipi valebat, ad eam ordinationem perducta est, ut jam se omnino ipsis aptam præberet. *Et facta lux*, hoc est, juxta hoc quod in verbo mentis suæ Deus ordinaverat opere complevit, illis videlicet confusionis, quas diximus, tenebris sequentis distinctionis luce remotis.

Nec est prætereundum quod superius in creatione cœli & terræ non est scriptum, *Dixit Deus & factum est ita*, sicut in sequentibus per singula opera scriptum videmus: sed quasi primò tacuit Deus, & à luce loqui exorsus est. Bene equidem; quasi enim imperando dicit Dominus, *fiat*, & ei subjecta famulatur creatura, quantumcumque irrationalis sit vel bruta, tamquam ejus audierit atque intellexerit imperium: sicut & Jeremias meminit dicens; *Perfecit terram & adimplevit eam* Baruc. 3. 32.
pecudibus, vocavit eam & audivit in tremore; stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt & dixerunt, Assumus; & luxerunt cum jocunditate. Quomodo itaque nondum creata materia, nec adhuc existente, cui imperaretur, verba imperii convenienter dicerentur? Præterea dictum illud Dei, hoc est, verbum ipsius, de quo scriptum est, *Erat lux vera quæ illuminat omnem* Joh. 1. 9.
hominem, &c. Bene tunc primò Propheta demonstravit, cum ad lucem operum Dei pervenisset, per quam quidem lucem operum Deus homini quodammodo loqui & seipsum manifestare primò incepit, sicut & Aposto-

Rom. 1. 20. lus patenter edocuit dicens; *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c.* Dum igitur illa adhuc confusa congeries nec visui nec notitiæ se præberet humanæ, nec alicui apta usui, vel angelo, vel homini, si jam esset creatus, appareret, quasi tacuisse Deus ostenditur, quia nondum tale quid in illa egerat. Unde aliquid ipse loqui valeret, hoc est humanam instruere rationem atque aliquam excellentiæ suæ præbere notitiam.

Dei unitas & Trinitas initio Genesis expressa. Notandum vero in hoc ipso Genesis exordio fidei nostræ fundamentum circa unitatem Dei ac Trinitatem Prophetam diligenter expressisse. Cum enim dixerit *Spiritus Domini*, simul & personam Spiritus-sancti, & Patris à quo ipse Spiritus, ut beatus meminit Augustinus, principaliter procedit, manifeste distinxit. In eo vero quod addidit, *Dixit Deus*, dictum ipsius Dei, id est Verbum ejus, quod est Filius, cum ipso pariter Patre patenter expressit. Nemo etenim sani capitis ita desipere potest, ut hoc dictum corporale æstimet, cum nec corporalis sit divinitas, nec loqui corporaliter habeat, nec adhuc cui eum loqui corporaliter oporteret assisteret. Ubi autem nos dicimus, *Creavit Deus*, pro eo quod est *Deus*, in Hebræo habetur *Heloym*, quod divinarum personarum pluralitatem ostendit. *Hel* quippe singulare est, quod interpretatur *Deus*; *Heloym* vero plurale est, per quod diversitatem personarum, quarum unaquæque Deus est, intelligimus. Unde autem dictum est, *Heloym creavit*, non creaverunt? ut videlicet ad plurale nomen singulare verbum referretur; quatenus insinuaretur in tribus illis Personis non tres creatores, sed unum tantum debere intelligi. Cum igitur dixit *Heloym creavit* in quo divinas personas pariter cooperari docuit, profecto indivisa esse opera Trinitatis præfixit. Opera Trinitatis indivisa. Cum autem postmodum, ut diximus, Patris & Spiritus & Verbi personas distinxit, in quo illa consisteret Trinitas determinavit.

Notandum vero pro eo quod dicimus, *fiat lux, & facta est lux*, in Hebræo haberi *sit lux, & fuit lux*: & similiter in ceteris quæ sequuntur ubicumque nos habemus, Dixit Deus, Fiat hoc, & factum est ita; in Hebræo est, Sit hoc, & fuit ita. Quibus fortasse verbis maxima celeritas divinæ operationis exprimitur. Quippe dum aliquid fit quod nondum est, aliqua mora in faciendo esse potest. Cum vero dicitur Sit & fuit, nulla interposita mora perfectio rei ostenditur.

ET VIDIT DEUS LUCEM, QUOD ESSET BONA. Cum dicitur in diversis operibus Dei post eorum consummationem, quia vidit Deus quod esset bonum, tale est ac si diceretur, Intellexit nihil ibi per errorem factum quod sit corrigendum, etiam aliquid comparatione præcedentis imperfectionis esse perfectum innuitur. Bene lucem id est distinctionem operum Deus approbat, quia per eam excellentiæ suæ laudem nobis manifestat, quoniam laus operis in artificem redundat. Unde etiam de his quæ propter hominem facit, cum dicitur ipse videre quia bona sint, nullo modo rectius intelligi puto, quam quod ea sic ordinat, ut nos etiam illa bona esse videre faciat; sicut & Abraham dicit, *Nunc cognovi quod timeas Dominum*, id est, cognosci feci. Gen. 22. 12. Hinc est quod secundæ diei opera in suspensione scilicet superiorum aquarum minime approbare dicitur, cum nos id minime laudare faciat, cujus operis rationem vel utilitatem nequaquam percipimus.

ET DIVISIT LUCEM A TENEBRIS. Hoc est operatione sua perfectum discrevit ab imperfecto, & distinctum à confuso. Superius autem ubi ait, *Dixitque Deus, Fiat lux, & facta est lux*; ad imperium quidem Dei lucem esse factam monstravit. Hic vero cum ait, *Et divisit lucem à tenebris*, per ipsum quoque hanc distinctionem operum, quam lucem appellat, factam esse demonstrat, ut idem ipse materiæ creator pariter & formator intelligatur, eique tota laus tam de creatione materiæ quam de operum formatione tribuatur.

APPELLAVITQUE LUCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM. Hoc est, fecit eam hac appellatione dignam, ut videlicet ipsa operum facta distinctio per similitudinem dies appelletur, & illa quæ præcessit confusio nox dicatur, quæ etiam superius tenebræ dicebatur.

ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES UNUS. Diem unum hic vocat totam illorum operum Dei consummationem, prius in mente habitam, & in opere postmodum sexta die completam. Vesperam autem hujus totius temporis quod hic unum diem appellat, totam illam operationem Dei vocat, secundum quod prius in ejus mente latebat, antequam per effectum ad lucem prodiret. Ac rursus ipsam eamdem operationem mane nuncupat secundum quod opere postmodum completa se se visibilem præbuit. Vespera & mane quid. Divinæ itaque mentis conceptum in dispositione futuri operis vesperam dicit, mane vero appellat ipsam conceptus illius operationem & divinæ dispositionis effectum in sex diebus consummatum. Cum itaque dicitur, *Et factum est vespere & mane dies unus*, tale est ac si diceretur, Eadem est operatio, quæ in mente Dei tamquam in vespere prius latebat, & quæ postmodum per effectum operum ad lucem erupit: quod est dicere; sicut prius mente concepit, ita postmodum opere consummavit, juxta quod scriptum est, *Quod factum est in ipso vita erat.* Joh. 1. 3. Quasi enim de sinu quodam secreti sui singula Deus producit, dum exhibet opere quod ante conceperat mente; nec à conceptu dissidet opus, dum quod mente disponitur opere completur. Cum itaque tam vespere quam mane totam divinorum operum summam, ut dictum est, comprehendat, tam videlicet conceptorum mente quam exhibitorum opere, bene dictum est dies

Cur primus dies non unus non primus dicitur.

unius potius quam dies primus, cum omnia A comprehendat opera, nullus est operum dies respectu cujus primus hic dici possit. Unitas vero hæc dici magnam divinorum operum concordiam & convenientiam demonstrat, in illa scilicet tota tam diversorum operum summa. Hunc vero unum diem magnum, totum videlicet tempus illud divinorum operum ipse in sequentibus Propheta declarat dicens: *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus cœlum & terram & omne virgultum agri, &c.* Cum vero in sequentibus dicit diem secundum & tertium; &c. diem primum intelligit quo cœlum & terra creata sunt, sicut dictum est, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, in quo etiam lux est creata vel à tenebris divisa. B Ad opera quippe primæ diei sola creatio cœli & terræ pertinet quæ primo diei deputanda est, respectu cujus videlicet primæ diei secundus aut tertius dies dicatur: ut tale sit, in principio creavit, ac si diceretur, In prima die, hoc est ante cetera quæ sequuntur opera. Prius quippe materiam creari oportuit quam formari. Si quis tamen quod dicitur, *Et factum est vespere & mane dies unus*, ad opus solummodo primæ diei referre velit, sicut & in ceteris diebus de operibus eorum fit, nihil impedit: nam & ipsam materiam sicut & materiata prius in mente Deus habuit, velut in vespere, antequam per creationem produceret in mane.

C

DE SECUNDA DIE.

Dixit quoque Deus. Notandum vero quod in his dictis divinis nostra translatio habet aliquando, *Dixit quoque Deus*, aliquando *Dixit vero Deus*, vel *autem*, vel *etiam* quod idem est, aliquando sicut superius, *Dixitque Deus*, cum Hebraica veritas ubique habeat, *Dixitque Deus*. Quæ quidem veritas Hebraica juxta superiorem nostram expositionem huic loco maxime congruit, ut videlicet dicatur *Dixitque Deus* potius quam *Dixit quoque Deus*. Cum, ut diximus, in luce facta D omnium sequentium operum distinctio intelligatur, nequaquam proprie ista conjunctio *quoque* quoddam augmentum dicti significans supponi hoc loco debuit; cum jam videlicet hujus diei operatio sicut & ceterorum in luce facta sit comprehensa. Cum ergo in Hebraico dicitur, *Dixitque*, ut scilicet qualiter ista lux facta sit distinguatur, ita est ad superiora continuandum, tamquam si dicatur Facta est lux, id est, distinctio præcedentis confusionis, sicut dixit Deus, & ita facta est ad imperium dicti ejus, sicut tam nunc E quam postmodum distinguitur. De cujus quidem distinctionis opere primo nunc dicitur, *Dixitque Deus, &c.* Dixit Deus, id est in Verbo sibi coæterno, sicut jam determinatum est, id est in ipsa propriæ Sapientiæ providentia prius id disposuit quam opere compleret.

Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Firmamentum vocat aëreum similiter simul & æthereum cœlum, de quibus dictum est, *& aquæ quæ super cælos sunt*, quæ utraque nunc interjacent inter has aquas inferiores sive terram, & illas superiores aquas. Quod quidem ideo firmamentum dicitur, quod superiorem aquarum fluidam naturam ne inferius defluant & relabantur propria interpositione confirmat. Unde Hier. *Samaym* Hebraïcè, id est cœlos, æthereum scilicet atque aëreum, quos hic firmamentum Moyses appellat, ex aquis dicit sortiri vocabulum, id est pro eo sic appellatum, quod aquas ita superius firmat, ne inferius defluant.

Firmamentum quid.

Quæritur autem quomodo ignis & aër aquæ substantiam quæ ponderosior est sustentare valeant. Sed profecto tanta potest esse raritas atque subtilitas illarum aquarum, & tanta ignis & aëris massa quæ ei subjacet, quod ab istis illæ sustentari queant; sicut ligna & nonnulli lapides ab aquis, quamvis ipsa terrenæ sint & gravioris naturæ. Quis etiam nesciat vicinum aërem, quamvis aquis levior sit, eas tamen exhalatione terræ vaporaliter tractas, antequam in guttas conglobentur, suspendere atque sustentare? Si ergo his aquis vaporatis, illæ superiores rariores sunt ac minus corpulentæ, cur non ab igne simul & aëre subjacentibus sustentari perenniter valeant, sicut illæ corpulentiores ab aëre solo suspenduntur ad horam? Nam & nubes densas & ingentia draconum vel avium corpora ab aëre sustentari manifestum est. Nec quisquam fidelium dubitat humana corpora, quamvis terrenæ naturæ sint, tantæ subtilitatis ac levitatis post resurrectionem futura, ut non solum super cœlos consistere queant, verum etiam ubicumque voluerit Spiritus sine dilatione transferantur. Præterea quis nesciat inclusum aërem in vesica circumstantem pellem vesicæ undique suspendere atque sustentare, licet ipse omnino pelle illa sit levior? Imo etiam quantamcumque corporum molem sustentare posset quamdiu inclusus cohiberi posset. Sic & illa aeris & ignis congeries atque globus in illa aquarum corpulentia conclusus nequaquam levitate sui eas suspendere vel sustentare impeditur. Nec ullo modo labi aqua illa circumfusa posset, qua undique ignem & aerem cohibet, donec ei ignis vel aer in aliquam partem cederet, quoniam locum unius corporis nullatenus alterum occupare potest, nisi illo primitus inter recedente. Undique vero aer ipse & ignis, ne devolare fortassis possint, circumstantibus aquis comprimuntur; & undique superpositas habent aquas, quomodo in omni globo quæ exteriora sunt superiora sunt. Ut autem cohibere illa & comprimere possint, aliquid gravitatis inesse necesse est, & ita moderate, ut ab illis queant sustentari. Constat vero, ut dictum est, duo tantum elementa gravia esse, terram scilicet atque aquam, & terram gra-

Ignis & aër quo pacto aquas sustentare valeant.

viorem aqua. Unde ut moderatior esset gravitas aquam potius quàm terram superponi oportuit, quæ & facilius sustentari, à levibus potuit. Denique in his corporibus, quæ ex quatuor constant elementis, tam animatis quàm inanimatis, quis rationabiliter negare possit, hæc quatuor elementa tali sibi modo copulari, ut nonnullæ particulæ leviorum elementorum aliquibus particulis graviorum supponantur? Non enim alicujus magni corporis inferiores partes ita prorsus ignei vel aerii elementi ammixtione penitus carent, sicut nec superiores ab aqua & terra prorsus sunt immunes; sed tam superiores quàm inferiores hujus corporis partes ex quatuor constant elementis, congrua quadam naturali moderatione sibi colligatis, juxta illud quod ad Deum dicitur, *qui numeris elementa ligas*. Quid ergo mirum si in compositione mundi aqua igne vel aëre gravior superponi potuit illis, & ab eis etiam sustentari?

Nonnulli autem aquas illas superiores glaciali concretione solidatas atque in cristallum induruisse astruxerunt. Quod quidem si ita est, quantò magis sunt solidæ, tantò vehementius conclusum ignem & aërem cohibent ne aliquo abscedant, & tanto fortiùs ab ipsis sustentantur; immo fortassis nec jam ab eis sustentari eas necesse est, quæ jam fluidæ non sunt, sed in cristallum solidatæ. Unde Josephus antiquitatum lib. primo secunda die cœlum super omnia collocavit, eumque ab aliis distinguens in semetipso constitutum esse percepit; & ei cristallum circumfigens, humidum esse & pluviale ad utilitatem quæ fit ex imbribus terræ congrue fabricatus est. Hieronymus ad Oceanum de unius uxoris viro: « Inter cœlum & terram medium extruitur firmamentum, & juxta Hebraïci sermonis ethymologiam cœlum, id est *samaim* ex aquis sortitur vocabulum, ut aquæ quæ super cœlos sunt in laudes Domini separentur. Unde & Ezechiel crystallum super cherubim videtur extensum, id est compactæ & densiores aquæ. Beda de rerum naturis: Cœlum superioris circuli virtutes continet angelicas, quæ ad nos exeuntes ætherea corpora sumunt, ut possint hominibus etiam in edendo similari, eademque ibi reversæ deponunt. Hoc Deus aquis glacialibus temperavit, ne inferiora succenderet elementa, dehinc inferius cœlum nuncupans firmamentum propter sustentationem superiorum aquarum: Item aquas super firmamentum positas cœlos quidem spiritualibus humiliores, sed omni creatura corporali superiores.

Quidam ad inundationem diluvii reservatas, alii vero rectius ad ignem siderum temperandum suspensas affirmant. Beatus vero AUGUSTINUS istas opiniones prætermittens de aquis illis superioribus, utrum videlicet glaciales sint vel non, vel quas in se habeant utilitates, ait: « Sane quales ibi aquæ sint quosve ad usus reservatæ conditor ipse noverit, esse tamen eas ibi scriptura testante nulli du-

A bium est. Quod ergo tantus doctor quasi dubium sibi reliquit, affirmare nobis arrogantissimum videtur. Quod vero nonnulli opinati sunt eas ibi constitutas & reservatas ad inundationem diluvii, ut inde scilicet labentes abundantia sui terram cooperirent, frivolum omnino deprehenditur. Cum enim Psalmista longe post diluvium existens dicat: *Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*, (Ps. 148. 4) profecto ibi nunc quoque sicut ante constat eas existere. Quippe non ait: quæ erant, sed quæ sunt. Quod si pars quædam inde sit delapsa, nequaquam firmamentum illi parti fuit in-

B terpositum, quod nequaquam ita eas firmavit, ut non ulterius laberentur. Constat etiam, ut Genesis refert, diluvium ex abundantia pluviarum fuisse, ruptis etiam fontibus abyssi magnæ: quibus postea clausis & prohibitis pluviis, ipsum diluvium cessavit. Certum autem habetur pluvias nequaquam oriri nisi terrarum exhalatione, cum sol videlicet eas calefaciens vaporatione sui aquas tenues tamquam in fumo ex calefactione terræ conscendentes attrahit. Non itaque illa aquarum abundantia, quæ in pluviis fuit, de supernis sed infimis originem habuit. Ubi & cum jam diluvio cessante additur, non solum quia plu-

C viæ sunt prohibitæ, sed etiam quia clausi sunt fontes, manifeste innuitur totam illam aquarum in diluvio abundantiam nonnisi de inferioribus aquis fuisse, quæ in die tertia congregatæ sunt ut appareret arida. Quod vero dictum est, quia cataractæ cœli in diluvio sunt apertæ, & facta est pluvia, cœlum ipsum aëreum, unde pluvia manat, non æthereum dicit: Cataractas vero non arcta foramina dicens, abundantiam pluviæ insinuat, tamquam tunc nihil nubium vel aquæ vaporatæ aër uspiam retineret. Aqua itaque desuper in pluviam labente, & obstrusis terræ foraminibus, terram undique aquis cooperi-

D ri necesse fuit, sicut & in die tertia antequam illæ eædem aquæ inferiores in unum congregarentur locum ut appareret arida. Quid ergo suspensio illa aquarum utilitatis habeat, quod nec à sanctis certa sententia definitum est, difficillimum disseri arbitror. Illa tamen nobis probabilior videtur opinio, ut ob hoc maxime ad calorem temperandum superioris ignis constituerentur, ne fervor ille superior vel nubes ipsas vel aquas inferiores omnino attraheret, cum sit vis ignis naturaliter attractiva humoris: unde & fleobotomatii cum vasculis appositis sanguinem extra-

E here volunt, inclusis stupis ignem immittunt, ut calore ignis humorem attrahant sanguinis.

Et notandum, quod ubi nos dicimus *fiat firmamentum in medio aquarum*, Hebræi habent, *fit extensio infra aquas*; hoc est intervallum quo ipsæ ab invicem in perpetuum separentur ne se ulterius contingant: sicut scriptum est, *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus*. (Ps. 103. 2) Et alibi: *Congregans sicut in utre aquas maris*. (Ps. 32. 7) Illa igitur extensio qua superiores

res & inferiores aquæ separantur quasi pellis interjacens inferiores aquas tamquam utrem concludit, & superiores quasi firmamentum suspendit atque sustentat. Cum autem ait: *Divisit aquas quæ erant sub firmamento, &c.* tale videtur esse, ac si diceret, divisit quæ jam divisa erant. Non enim ait, quæ nunc sunt sub firmamento & quæ super, sed quæ jam tunc erant. Ex quo manifestum est à prima die jam aquas super ætherem constitisse, sive flatu venti, ut diximus, illuc superjectas, sive ibi in ipsa sua creatione factas & circumductas universo mundo, non de inferioribus illuc flatu aliquo venti sublatas. Quod ergo nunc dicitur in secunda die divisas aquas quæ erant super ab his quæ erant subtus, divisionem istam per interpositionem firmamenti intelligit ita eas in secundo die firmatas esse, ut ulterius labi non possent. Quamvis enim in prima die jam ibi essent, non tamen jam ibi firmatæ erant, ut labi non possent, quod secunda die factum est, in qua firmamentum fieri dicitur. Hebraïcum tamen ubi nos habemus, *divisit aquas quæ erant sub firmamento, &c.* non habet *erant*; quoniam verbo substantivo aut vix aut numquam utitur, & absque hoc verbo enuntiationes facere consuevit, veluti cum dicitur Beatus vir, pro Beatus est vir. Tale est itaque quod ibi habetur, ac si diceretur: Divisit aquas quæ sub firmamento ab his quæ super firmamentum. Ubi quidem si subintelligatur, *sunt*, quod est in præsens verbum, sicuti cum dicitur Beatus vir, pro Beatus est vir; tale est quod Propheta ait, Divisit tunc quod nunc sub firmamento, &c. quoniam in ipso tempore Prophetæ qui loquitur & firmamentum jam olim existebat factum, & divisio aquarum erat per interpositionem ipsius sicut & modo.

Substantivo verbo raro utuntur Hebræi.

Si quis autem requirat quanta mora ibi fuerint antequam firmarentur, volens cognoscere quæ fuerit illa prima dies ante secundam: sciat istos sex dies quibus mundus perfectus est, nequaquam mensurari debere secundum dies istos quos nunc habemus ex solis illuminatione, præsertim cum nondum sol in illis tribus præcedentibus diebus factus esset. Cum ergo dies in his operibus Dei computamus, & dicimus quod factum est vespere & mane dies unus, nequaquam diem vel vesperam vel mane juxta dies nostros quos nunc habemus accipimus; sed unam & aliam diem secundum operum distinctionem intelligimus, ut prima videlicet dies dicatur prima Dei operatio, per quam ipse prius operatus est, unde nos illuminare de sua notitia posset, juxta illud quidem Apostoli, *Invisibilia enim ipsius, &c.* Etsi enim materia illa informis primo die creata minus sufficiens esset ad notitiam vel laudem creatoris quamdiu in illa confusione vel informitate sui permaneret, illa tamen primæ creationis confusio postea formanda atque distinguenda in hunc mundi ornatum quo nunc utimur, & quem necessarium nobis intelligentes, Deum inde laudamus, non immerito prima dies dicta est, quia inde humanæ notitiæ circa Deum exordium cœpit. Prius quippe cœlum & terram creari necesse fuit, hoc est materiam futurorum in elementis præparari, quam eam in opera subsecuta formari. Primam itaque diem dicit, ut jam supra meminimus, primam materiæ creationem in elementis. De vespera quoque & mane hujus diei sicut & ceterorum jam dudum docuimus.

Nunc autem ut ad intermissa non dimissa redeamus, sciat lector nos hæc interposuisse, nec cum audit unam diem vel aliam à Propheta dici, moras istas temporis intelligat, quas nunc in diebus nostris accipimus, sed diversitatem dierum ad diversitatem operum referat, quantamcumque moram in successione vel operatione sui habentium. Nemo igitur miretur, cum audit secunda die aquas firmari jam super cœlos existentes, tamquam aliqua mora fuerit inter illam earum existentiam & firmationem ipsarum, cum videlicet statim postquam ibi fuerint, firmatæ sint ibi. Quod ergo nunc dicitur, *Fiat firmamentum*, vel *divisit aquas quæ erant, &c.* ista firmatio earum vel divisio ita est accipienda, ut sine dilatione postquam ibi fuerunt in indissolubilem glaciem tamquam crystallus induratæ, sic stabilirentur & firmarentur per interpositionem ætheris & aëris, ne ad inferiora dilaberentur, quamvis ex natura elementi aquatici aliquid ponderositatis haberent, & juxta Philosophos omnia pondera nutu suo ferantur in terram.

Forte & hoc aliquis requirit, si, ut dicitur, aquæ illæ superiores igni superpositæ in glaciem duruerint, qua vi naturæ id factum sit. Ad quod primum respondeo, nullatenus nos modo, cum in aliquibus rerum effectis vim naturæ vel causas naturales requirimus vel assignamus, id nos facere secundum illam priorem Dei operationem in constitutione mundi, ubi sola Dei voluntas naturæ efficaciam habuit in illis tunc creandis vel disponendis; sed tantum ab illa operatione Dei sex diebus illa completa. Deinceps vim naturæ pensare solemus, tunc videlicet rebus ipsis jam ita præparatis, ut ad quælibet sine miraculis facienda illa eorum constitutio vel præparatio sufficeret. Unde illa quæ per miracula fiunt magis contra vel supra naturam quam secundum naturam fieri fatemur, cum ad illud scilicet faciendum nequaquam illa rerum præparatio prior sufficere possit, nisi quamdam vim novam rebus ipsis Deus conferret, sicut & in illis sex diebus faciebat, ubi sola ejus voluntas vim naturæ obtinebat in singulis efficiendis. Quæ quidem si nunc quoque sicut tunc faceret, profecto contra naturam hæc fieri diceremus. Veluti si terra sponte sua sine seminario aliquo plantas produceret, vel bestias ex se vel aqua volucres formaret. Naturam itaque dicimus vim rerum ex illa prima præparatione illis collatam ad aliquid inde nascendum, hoc est efficiendum sufficien-

tem. Nemo ergo quærat qua natura illas superiores aquas super ignem constitutas duruerit in glaciem, vel eas etiam sursum extulerit, cum tunc sola ejus voluntas, ut dictum est, vim naturæ obtinuerit: quam & Plato in rebus efficiendis sive conservandis omni natura earum validiorem esse profitetur, ubi.... Deum in Timæo suo loquentem ad sydereos Deos introducit, cum ait: Immortales quidem nequaquam, nec omnino indissolubiles, nec tamen umquam dissolvemini, nec mortis necessitatem subibitis, quia voluntas mea major est nexus & vegetatior ad æternitatis custodiam, quam illi nexus vitales ex quibus æternitas vestra coaugmentata atque composita est. Potest & fortassis probabiliter dici, quod ipse ventus, qui eas sursum projecerit, frigiditate sui flatus eam in glaciem astrinxerit, ut ita secunda die firmamentum fieret; eis videlicet tunc ita solidatis, quæ ibi ante fuerant quàm sic solidarentur. Quod enim ibi jam essent antequam sic solidarentur, manifestè, ut supra meminimus, insinuatur, cum dicitur *quæ erant* potius quam *quæ sunt*. Hebraïcum tamen, ut jam quoque dictum est, non habet *erant*, quo minus habeat quæstionis.

Et factum est ita. Hoc est, firmata est in perpetuum hæc aquarum divisio, ut numquam ulterius illæ superiores aquæ ad istas inferiores relabantur. Quod quidem ideo dici arbitror, ne quis putaret ex illis superioribus aquis pluviam stillare, & adhuc illas superius suspensas fuisse, sicut & Josephus opinatus est, ut supra meminimus.

Vocavitque. Id est, fecit per hoc unde ipsum firmamentum appellaretur postmodum à nobis cœlum, cum videlicet tam aëreum quam æthereum cœlum nunc dicamus quasi superiores mundi partes comparatione nostræ habitationis. Cum autem in Hebraïco pro cœlo *Samaim* habeatur, quod ex aquis, ut dictum est, vocabulum trahit, rectè *Samaim* dici videtur pro divisione aquarum vel suspensione & confirmatione illarum superiorum.

Et factum est vespere. Sicut superius vesperam & mane conceptum divinæ mentis & effectum operis accepimus, ita tam in hoc loco quam in ceteris intelligendum est. Tale est ergo cum in hac operatione vel in ceteris dicitur, *factum est vespere & mane dies unus*, tamquam si diceretur hujus operis effectus qui per hanc diem designatur, ita ad mane productus sicut in vespera fuit, hoc est ita visibili opere completus, sicut in mente divina primo fuit dispositus, tamquam eadem sit sententia cujusque operis in novissimis verbis quæ in prioribus quasi ad principium finis reducatur. Idem quippe est quantum ad sensum, cum in singulis operibus præmittitur, Dixit Deus: fiat hoc, & factum est: quod & in fine subponitur, cum dicitur quia hujus diei factum est vespere & mane dies unus, hoc est hujus operationis comple-

A xio, sicut ejus in Deo præcesserat dispositio. Notandum vero, ut supra quoque meminimus; non ita in hac die dici, *Et vidit Deus quod esset bonum*, sicut in ceteris, hoc est non ita Deum approbasse operationem hujus diei sicut reliquorum, propter eam videlicet causam quam jam reddidimus, hoc est cum nondum nos faciat Deus videre quid boni vel utilitatis habeat illa superiorum aquarum suspensio. Sed nec ista divisio aquarum laude digna visa est, cum nondum aquæ divisæ ita collocatæ & stabilitæ erant, ut permansuræ fuerant, & necessarium erat ad creationem rerum futurarum. Adhuc enim inferiores

B aquæ in unum erant congregandæ, ut appareret arida. Denique nec illam corporalem superiorum aquarum suspensionem, ut universum operirent mundum, commendare Propheta voluit, providens baptismum in aquis futurum ad quamlibet peccatorum multitudinem operiendam in his superpositis aquis figurari.

DE TERTIA DIE.

Dixit vero Deus, Congregentur aquæ. Inferiorem terræ regionem, in qua hominem Deus creaturus & collocaturus

C erat ei, prout necessarium erat, præparat; inundantes videlicet aquas à superficie terræ removendo, atque ipsam terram herbis & arboribus venustando.

Quæ sub coelo sunt. Hoc dicitur ad differentiam earum quæ super cœlum id est firmamentum suspensæ sunt.

In locum unum. Hoc est, ut non jam totam cooperiant terram, sed cedentes in unam partem terræ, aliam habitabilem præbeant.

Factumque est ita. Id est cedentibus aquis in unam partem terræ, altera detecta est, sicut scriptum est, *Qui fundavit terram*

D *super aquas*. Quasi enim aliquis globus ita in aqua constituatur, ut una pars ejus supereminear; ita ille globus terræ in aquis insedit, ut ex una parte eum mare contingeret, & per venas ejus se infunderet, unde nobis fontes vel flumina nascerentur. Cujus quidem maris aqua in unum modo congregata profundior facta est quam prius esset diffusa, nisi forte id quod per venas terræ immissum est ejus minuat profunditatem.

Et vocavit. Id est vocari dignam fecit aridam, id est siccam illam terram aquis detectam. Terra enim erat etiam cum limosam

E eam aquæ superfusæ redderent, sed arida nunc facta est aquis cedentibus.

Congregationesque aquarum. Id est earum continuationes licet diversis locis distinctarum. Apud Hebræos enim cunctæ aquarum congregationes, sive salsæ sive dulces, appellari maria dicuntur. Et nota quod cum in opere secundæ diei præmisisset, *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, &c.* postea supposuit, *Et factum est ita.* Quod nequaquam

in ista congregatione aquarum nunc facta observavi. Non enim dixit prius & congregatæ sunt aquæ; ut postmodum subderet, & factum est ita; sed tantum dixit, quia factum est ita. Si enim hic sicut ibi supposuisset, factum est ita; innuere videretur quod sicut illa suspensio aquarum perpetua est, ita etiam hæc congregatio earum: quod nequaquam verum est, cum eædem aquæ tunc in unum locum adductæ ut appareret arida, in diluvio sint reductæ ut eam contegerent.

Et vidit. Id est sic istam congregationem fecit, ut bonam esse, & ad hæc quæ facturus erat necessariam, postmodum eam videri faceret.

Germinet terra. Id est in se primum concipiat quod deinde proferat, sicut ex conceptu producitur in lucem partus. De quo quidem partu statim adnectit, *Et protulit.* Quod vero interpositum est, *Et factum est ita*, ad conceptum tantum germinationis pertinet. Quod vero statim addit, *Et protulit*, tale est tamquam si diceret, Et mox germinatum produxit. Et nota quod cum ex terris vel aquis aliqua procreari vel nasci dicuntur, non sic accipiendum est, ut ex uno tantum elemento constent, sed ex obtinenti nomina sortiuntur, sicut & ipsa ex quibus produci referuntur.

Herbam virentem. Quæ terræ radicitus adhærent, & ex humore aquæ vivere & crescere habent, recte prædictæ dispositioni terræ & aquæ sub una die aggregantur. Notandum vero, ut quibusdam videtur, ex hoc maxime innui mundum verno tempore his adornari, quod his nascituris de terra vel conservandis vernam temperiem necessariam videamus. Sed profecto non video qua ratione hanc temperiem, quam nunc experimur, in vere mundus habere posset, sole nondum condito, ex cujus quidem accessu ipsa nunc fit temperies; immo hac die qua hæc terra protulit frigidius tempus extitisse videtur quam in hyemalibus diebus quos quantulumcumque sol modo calefacit. Unde ergo secundum naturam rerum terra tunc germinare ista potuerit vel conservare nonnulla est quæstio. Sed sicut jam supra meminimus, in illis operibus sex priorum dierum sola Dei voluntas vim naturæ obtinuit, quando ipsa etiam natura creabatur, hoc est vis quædam conferebatur illis rebus quæ tunc fiebant. Unde ipsa postmodum ad multiplicationem sui sufficeret vel ad quoscumque effectus inde processuros vel tamquam nasciturus. Quippe, ut dictum est, nihil nunc naturam aliud dicimus, nisi vim & facultatem illis operibus tunc collatam, unde illa sufficerent ad efficiendum hæc quæ postmodum inde contigerunt.

Potest fortassis & nonnulla naturæ ratio reddi, qua tunc terra producere ista potuerit, quod scilicet illa terræ novitas in producendis vel conservandis plantis vires majores habuerit quam postea, & maxime hoc accepisse ex nimia humectatione sui, quam aqua-

A rum abundantia ei contulit antequam congregarentur, & ex calore solis die proximo conditi ad hæc conservanda profecisse, qui fortasse conditus statim calore sui universam temperiem fecit in aliqua terrarum parte, non, ut arbitror, ubique. Numquam enim eodem tempore omnes regiones æqualiter calent & frigescunt, nec eodem tempore quæ in eis sunt nascuntur vel revirescunt, nec simul ad maturitatem fructus ubique perveniunt, nec in omnibus terris eædem herbæ vel arbores nascuntur. Si igitur omnes herbarum vel arborum species hac die terra protulit, ut in sex diebus Deus opera consummasset, neque B simul verna temperies omnibus terris inesse posset, quid necesse est, ut in vere id fieret, nisi in ea forte parte terræ ubi ver esset? Ex qua quidem parte ad cetera terrarum loca postea transferri & transplantari potuerunt. Verna autem temperies in paradiso jugis esse creditur, & ibi fortassis omnia tunc simul terra producere & conservare potuit, ubi & terra omnibus apta & ipsa temperies cœli convenirent. Scimus autem multa de terra nasci, quorum alia calidam terram desiderant, alia frigidam, alia temperatam: & sic fieri potuit, ut quocumque tempore terra germinaret, in diversis locis diversa produceret. Nec C tam necessaria videtur temperies ad producendas plantas, quam ad conservandos fructus. Scriptura autem de fructibus nullam hic mentionem facit. Sed de fructuosis plantis in paradiso ubi homo collocandus erat, fructus subito cum arboribus produci credimus quantum homini necessarium esset: unde & eos in fructu vetitæ arboris transgressos fuisse scriptura commemorat, & ceterarum arborum fructus ei fuisse concessos in esum ei necessarios. Nihil tamen impedit, si in diversis terris pro qualitate earum ac diversa temperie cœli diversæ plantæ fructus suos eodem tempore conservarent, vel eædem plantæ in alia D terra cum fructu, in alia sine fructu tunc consisterent donec temperies adveniret, sicut quotidie contingit, cum videamus non æque cito terras omnes eosdem fructus ministrare.

Et facientem semen. Sive ut nata statim semen suum haberet, ac si ad maturitatem pervenisset, sive ut apta ad habendum semen crearetur.

Et lignum pomiferum. Hoc est arbores fructuosas, sive statim cum nascerentur poma, id est fructus suos afferentes, sive non statim. Solet quippe pomum generaliter pro omni arboris fructu intelligi.

E Juxta genus suum. Hoc est secundum materiæ suæ naturam, ut pro diversitate scilicet herbarum vel arborum magis quam terrarum, diversos afferant fructus non eosdem. Cujus semen, hoc est dum terræ radicitus adhærebit, vim suæ propagationis in seipso habeat, sive ex semine sive ex insertione ramorum vel ex plantatione. Et nota quod cum ait *lignum pomiferum*, de fructuosis tantum arboribus, non de infructuosis, videtur dicere

Omnes arbores an simul productæ.

quod tunc creatæ sint; & ita non omnes tunc arbores creatas esse, sed quasdam postea, sicut de spinis & tribulis creditur post peccatum in pœnam hominis de terra productis. Si quis tamen dicat has quoque arbores, quæ nunc infructuosæ sunt, primò creatas esse fructuosas, sed postmodum pro peccato hominis infructuosas fieri, vel fructum arboris sive pomum quamcumque utilitatem ligni intelligat, non absurdum videtur, cum infructuosa quoque ligna nonnullas habeant utilitates, etsi fructum aliquem non producant in esum. Et quia non est in consuetudine sermonis, ut pomum pro quacumque utilitate sicut fructus accipiatur, ideo cum prius dictum sit *pomiferum*, postea quasi pro expositione supposuit *faciens fructum*, hoc est habens quamcumque utilitatem. Propter quam etiam expositionis determinationem cum præmittat, *factum est ita*, statim adjungit *Et protulit terra herbam, &c.*

DE QUARTA DIE.

FIANT LUMINARIA. Inter creationem plantarum jam factam, & animalium faciendam, luminaria fiunt, ut calore ipsorum plantæ foveantur & proficiant, & eorum luce animalia solatium habeant, ne quasi cæca oberrent in tenebris, ut & alimenta sua eligere possint.

IN FIRMAMENTO COELI. Intransitive quod novissime cœlum est appellatum, aquis, ut dictum est, interpositum, & ab illis aquis quas superius firmat firmamentum dictum.

ET DIVIDANT. Ad quas utilitates fiant exponit. Primo ad distinguendum sua illuminatione diurnum tempus ac nocturnum. Diurnum quippe tempus est quod sole illuminatur, sicut nocturnum quod luna & sideribus illustratur, vel solis illuminatione caret.

ET SIGNA. Non quæ vanitatis est observare, sicut in auspiciis atque auguriis, sed in quasdam naturales ostensiones futurorum eventuum sive præsentium. Nautæ quippe siderum inspectione ad quas partes mundi ferantur cognoscere solent, & de commutandis temporibus multa indicia ex sole & luna vel sideribus capiuntur, cum modo alterius coloris vel caloris, modo alterius nobis esse videntur, vel quocumque modo nostris aspectibus variantur.

Ex inspectione syderum plures eventus naturales prænoscuntur.

ET TEMPORA. Hoc est temporum computationem, sicut dierum vel annorum, quæ statim per exempla supponit: dies enim computamus atque numeramus secundum motus & discursus solis ab oriente in occidentem, & annos secundum revolutiones ejus & nonnumquam ceterorum planetarum computare solemus, ut quot videlicet revolutiones sunt eorum ad idem punctum, tot annos solis vel Saturni vel aliorum planetarum dicamus.

ET LUCEANT. Ut alibi *sint*, & alibi *illuminent* terram, scilicet ubi necessarium est splendorem suum inde spargentia.

FECITQUE. Quomodo factum sit de illis

A ad dividendum diem & noctem quod prius dixerat exponit, cum solem ad illuminationem diurni temporis, lunam & stellas ad illuminationem nocturni instituerit.

LUMINARE MAJUS. Scilicet solem, non tam sui orbis quantitate quam suæ illuminationis virtute quantum ad sensum nostrum, qui majorem inde suscipimus illuminationem.

PRÆSSET DIEI. Tamquam videlicet ipsū diurnum tempus illuminatione sui efficiens, vel lucem circumferens, sicut luna & stellæ nocti.

LUMINARE MINUS. Lunam dicit, quasi secundam à sole in effectu illuminandi, quod terris propinquior sit quam stellæ, ideoque majorem vim ad lucendum nobis habeat quam stellæ, etsi aliquæ ipsarum magis à nobis remotæ amplius splendoris vel magnitudinis habere credantur.

B

ET STELLAS. Subaudit, similiter fecit ut præessent nocti. EAS. etiam; scilicet stellas in firmamento sicut solem & lunam.

UT LUCERENT. Istud communiter tam ad stellas quam ad solem & lunam referendum est. Alioquin non apparet quomodo diceret, ut præessent diei ac nocti, cum videlicet stellæ nocti tantum præesse non diei habeant. Non parva quæstio est de planetis, qui contra firmamentum ferri dicuntur, utrum animati sint, ut Philosophis visum est, & quidam spiritus illis præsint corporibus, qui hunc eis motum tribuant, an sola Dei voluntate & ordinatione hunc discursum immobiliter teneant. Philosophi vero tam eos quam ipsum totum mundum animatos esse astruunt, & quædam animalia rationalia immortalia atque impassibilia non dubitant asserere, dicentes omnem motum in corporibus ab anima incipere, nec postea corpus nisi per eam moveri. Qui etiam mundum ita ubique animalibus repleri volunt, ut singulæ mundi partes habeant animalia propria, aër quidem iste inferior & corpulentior usque ad lunam dæmones, superior vero pars mundi, quam æthereum cœlum nominare solemus, planetas vel cetera sidera. Quam quidem sententiam beatus AUGUSTINUS commemorans libro de Civitate Dei octavo, ita de Platonicis ait: Omnium, inquiunt, animalium in quibus est anima rationalis, tripertita divisio est in deos, homines, dæmones. Deorum sedes in cœlo est, hominum in terra, in aëre dæmonum. Item; habent dæmones cum diis communem immortalitatem corporum, animarum autem cum hominibus passiones. Et post aliqua descriptionem dæmonum ex dictis Apulei Platonici supponens ait: Breviter Apuleius dæmones diffiniens, ait eos esse genere animalia, anima passiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna. Ex quibus Philosophorum dictis maxime vero Platonicorum, constat cœlum quoque & aërem propriis animalibus adornari: quorum hæc dæmones, id est animalia rationalia, immortalia & passibilia dicunt; illa vero Deos appellant, hoc est animalia rationalia, immor-

C D E

Planetæ an animati.

De civit. Dei l. 8. c. 14.

Cap. 16.

talia & impassibilia, sicut sunt omnia sidera, non solum planetæ, verum etiam quælibet stellæ. Planetas vero non solum deos, verum etiam deos deorum, tamquam ceteris sideribus excellentiores, & majorem efficaciam habentes, à Platone dici autumant, ubi, sicut aiunt, eos præcipue ad creationem hominis invitat, ut vi quadam eorum ex terra fingatur corpus humanum, cui Deus animam infundat. Cum autem deorum neminem nisi bonum esse fateantur, dæmonum tamen sicut & hominum quosdam bonos, quosdam malos esse distinguunt: unde hos græce calodæmones, illos cacodæmones appellant. Nihil enim sciunt de diaboli dejectione, sed sicut homines vel cetera animalia, ita & dæmones corporeos esse creatos arbitrantur. Omnium itaque animalium rationalium corpora secundum regionem vel partem mundi quam inhabitant distinguunt, ut videlicet horum alia terrena sint, sicut hominum; alia aërea vel ætherea, sicut dæmonum vel deorum. Constat itaque juxta Platonicam vel Platonicorum sententiam, ipsa quoque sidera quædam esse animalia, & illis sidereis quæ videmus corporibus quasdam inesse animas, quibus ipsa moveri vel agitari queant. Quam profecto sententiam beatus Augustinus nequaquam refellere præsumens, dicit in Enchiridion sibi adhuc incertum esse, utrum ad societatem angelorum sol & luna pertineant, an videlicet quidam de spiritibus angelicis illis sidereis corporibus sint deputati, ut illa trahentes ac circumducentes, humanis usibus tanta beneficia ministrent. De mundo autem utrum animal quoddam sit, quod tam hæc animalia quam cetera in se contineat minus rationi propinquare, primo Retractationum libro insinuat. Cujus nunc verba ex utroque ipsius opere collecta non incongruum supponere duximus. Ait itaque in Enchiridion Cap. xxv. *Utrum archangeli appellentur virtutes, & quid inter se distent sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt: ego me ista ignorare profiteor. Sed neque illud certum habeo utrum ad eamdem societatem pertineant sol & luna & sidera, quamvis nonnulla lucida esse corpora, non cum sensu vel intelligentia esse videantur.* Idem in primo Retractationum: *Animal esse istum mundum, sicut Plato sensit, aliique philosophi plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec divinarum scripturarum auctoritate persuaderi posse cognovi: unde tale aliquid à me dictum, quod accipi possit etiam in libro de Immortalitate animæ temere dictum notavi, non quia hoc falsum esse confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo quod sit animal mundus.* Apostolus quoque tam cœlestia animalia, quæ deos philosophi vocant, quam aëra, quæ dæmones appellant, distinguere videtur. Si ergo, ut philosophis visum est, nec sancti prorsus refellere præsumunt, illis cœlestibus siderum corporibus quidam præsint spiritus, qui eos mo-

Sydera juxta Platonem quædā sunt animalia.

Enchirid. 58.

A vere vel agitare queant, facile est propositæ quæstionis de motu planetarum solutio. Sin autem aliunde ordinatum sibi & stabilem motum habeant, sufficit hoc divinæ tribuere voluntati, quæ in primordialibus, ut dictum est, causis vim naturæ obtinuit, & juxta Platonem in omnibus efficiendis validior est, quam ipsa rerum creatarum naturalis facultas.

Futura contingentia astronomiæ beneficio non posse cognosci.

Sunt qui astronomiæ doctrinam atque ipsam vim astrorum in tantum efferant & extollant, ut ex ipsis etiam contingentia futura præsignari queant, & per hanc artem de his quoque se judicare fateantur, quæ naturæ incognita philosophi profitentur, tamquam ipsa videlicet astra in signa sint futurorum, non B solum naturalium, ut diximus, verum etiam contingentium, sicut illi mentiuntur. Naturalia vero futura dicuntur, quæ causam aliquam naturalem sui eventus habent, ut ex his quæ præcedunt tamquam quibusdam naturalibus sui causis contingere habeant, & sic eis adjuncta sint, ut vix aut numquam illis præcedentibus hæc inde contingere possit impediri: velut mortis dissolutio futura in proximo post venenum exhaustum, vel pluvia post tonitruum, vel sterilitas terræ post nimiam æstuationem vel immoderatos imbres. Contingentia vero futura sunt quæ sic æqua- C liter ad fieri & non fieri sese habent, ut nulla in rerum naturis causa præcedat, unde ipsa fieri vel non fieri cogantur, nec ex aliquo prænosci queat, utrum illa contingere habeant vel non, sicut me hodie lecturum esse, & quæcumque tam facere quam dimittere in nostri arbitrii consistit potestate. Sunt itaque futura quædam naturalia & quasi determinata in suis eventibus, cum ex aliqua naturali adjunctione ad præcedentes sui causas prænosci queant, ac per hoc jam naturæ esse cognitæ dicuntur, sicut omnia quæ præsentia sunt vel præterita. Cum enim jam in præsenti sit ipsa astra esse paria vel esse non paria, D nec nobis cognitum sit quid horum jam sit, ipsum tamen naturæ cognitum esse Boëtius asserit. Cum jam videlicet in ipsis astris sit numerus talis qui de se cognitionem conferre possit, quod est eum naturæ cognosci vel determinatum esse. Nam & vox vel sonus audibilis naturaliter dicitur quantum in ipsis est, etsi nemo assistat qui hæc audire valeat; & ager ad excolendum aptus fuit antequam homo esset qui eum excolere posset. Futura vero contingentia naturæ quoque dicuntur incognita, cum videlicet ex nulla naturæ ope- E ratione vel institutione prænosci queant. Unde miror quosdam se per astronomiam scire profiteri, de his quoque judicare posse, & quasi divinatores talium esse. Cum enim astronomia species sit physicæ, hoc est naturalis philosophiæ, quomodo per eam investigare valent quod ipsi quoque naturæ philosophi asserunt incognitum esse, hoc est ex nulla rerum natura prænosci posse? Naturalia vero quædam futura nequaquam cognosci per eam negamus, sicut nec per medicinam.

Medici enim secundum complexiones corporum multa prænoscere de infirmis possunt, utrum videlicet evadere queant, an minime. Sic & periti astrorum, qui naturas ipsorum, unde calida aut frigida, sicca vel humida vel temperata sunt, noverunt; & illas partes cœli quæ domicilia eorum vocant, in quibus cum fuerint, suas maxime vires exercent, per astronomiam didicerunt, multa de naturalibus futuris prænoscere possunt, utrum videlicet sequenti tempore siccitas abundet aut pluvia, sive color aut frigiditas. Quæ non solum ad providentiam cultus terræ, verum etiam ad medicamentorum moderationem plurimum valet. Unde & philosophi planetas ipsos vocare ausi sunt deos, & quasi quosdam mundi rectores profiteri, eo videlicet quod secundum eorum naturas & qualitates situs iste noster plurimum varietur, ut diximus, ut modo sterilitas inde, modo abundantia contingat, modo in humidis locis, modo in siccis seminandum sit, modo calida vel humida in medicamentis vel alia sint providenda. De contingentibus vero futuris, quæ, ut diximus, naturæ quoque sunt incognita, quisquis per documentum astronomiæ certitudinem aliquam promiserit, non tam astronomicus quam diabolicus habendus est. De quo facile nihil eos scire convincere possumus. Si enim interrogemus de aliquo faciendo, quod æque facere vel dimittere in nostra sit potestate, nullum ibi judicium ex aliquo artis suæ documento facere audent, scientes quod si hoc dicerent, in aliud nos converteremus. Si vero alius ex nobis eos hoc ipsum interrogaret de nobis; neque id, inquiunt, faceret causa tentandi, sed sincera intentione veritatis, tunc se veritatem dicturos promittunt. Quod quanta irrisione sit excipiendum quis non videat? Si enim per artem suam de eventu, de quo consuluntur, certitudinem habent, quid refert quis inde eos interroget, vel qua etiam intentione? Vel cur etiam de intentione dijudicare non possunt, quæ cum præsens sit, determinatum jam habet eventum, & de futuro quod omnino incertum est certitudinem promittunt? Ex quo liquere arbitror, quod si quemquam in talibus verum dicere ipsos contingat; non hoc ex arte prædicta, sed ex opinione diabolica instructi proferunt. Sicut enim nos rerum aliquarum videntes apparatum, quid inde proveniat ex suspicione magis quam ex certitudine prædicimus: ita & diabolus quem consulunt in hanc eos divinationem inducit, ut multa veraciter incerti pronuntient: qui cum de aliquibus vera prædixerint, de ceteris omnibus præscire credunt. Sæpe quoque præsentia de absentibus vel præterita nuntiant diabolico instinctu, nec mentiuntur, quod ab imperitis pro magno habetur, non attendentes quod hæc

Diabolicus potiusquam Astronomicus qui futura contingentia artis suæ beneficio se scire asserit.

A diabolus nuntiet, quæ jam conspiciendo noverit, ut de futuris quoque ipsis credatur. Nemo itaque talium divinationes ad prædictam referat artem, sed magis ad diabolicam machinationem. Quod itaque de sideribus dictum est, & sint in signa scilicet futurorum, non de contingentibus futuris, hoc est casualibus, sive fortuitis, quæ ad utrumlibet se habere Aristoteles dicit; sed de naturalibus futuris, ut dictum est, accipiendum est; tamquam hinc maxime astronomicæ disciplinæ studium sumserit initium, vel auctoritate ejus hoc loco præcipue utilitate præsignata; in qua B & ipse Moyses Ægyptiorum scientiæ peritissimus enituisse creditur.

DE QUINTA DIE.

Reptile animæ viventis. Ambrosius in Hexaemeron de die quinto: *Scimus reptilia dici genera serpentium, eo quod super terram repant, sed multo magis omne quod natat reptandi habet vel speciem vel naturam; nam cum supra aquam natant, repunt toto corpore quo trahuntur super quædam dorsa aquarum: Unde & David ait: Hoc mare magnum &* C *spaciosum, illic reptilia quorum non est numerus. Quin etiam cum pleraque pedes habeant & ambulandi usum eo quod sint amphibia, & quæ vel in aquis vel in terris vivant, ut sunt focæ, crocodili, equi* * *fluvialis, quos hyppopotamos vocant, eo quod hi generentur in Nilo flumine, tamen cum in alto aquarum sunt, nec ambulant, nec natant, nec vestigio utuntur pedis ad incedendum, sed tamquam remo ad reptandum.* Ex quibus quidem Ambrosii verbis patet omnes etiam pisces reptilibus aggregari, cum sine incessu pedum se se moveant. *Animæ viventis* dicit ad differentiam vivificationis plan- D tarum, quæ si animam quamdam, id est vitam habere dicantur, non tamen ex se vivere habent, sicut ea quæ spirando & respirando vivunt, sed terræ tantum affixæ ipsum terræ humorem in eas conscendentem pro vita habent. Tale est ergo, *animæ viventis*, hoc est vitæ ex se, ut dictum est, permanentis, non ex immissione terreni humoris.

Reptilia quid.

Ps. 103. 25.

* F. fluviales.

Et volatile. Ex quo liquidum est tam pisces quam volucres ex aquis procreatos habere corpora ejusdem naturæ, nec tantam vim humanis corporibus ad lasciviendum carnes eorum ministrare, quantam carnes terrestrium animantium, quæ cum nostris cor- E poribus ejusdem sunt naturæ. Unde nec monachis beati Benedicti Regula ita [a] carnes illas sicut has interdicit, cum videlicet à carnibus tantum quadrupedum, non aliarum abstinere præcipit.

[a] Reg. S. Bened. c. 39.

Super terram, sub firmamento coeli. Quod dicit, *super terram sub firmamento cœli*, non solum ad volatile, sed etiam

[a] Eadem est sententia Theodemari abbatis Casinensis in epistola ad Carolum magnum, Rabani Mauri lib. 2. de Institutione clericorum c. 27. & S. Hildegardis in Expositione regulæ S. Benedicti. Communis tamen opinio est S. Benedictum non solum quadrupedia, sed etiam volatilia monachis prohibuisse. qua de re vide quæ diximus in Commentario ad c. 39. regulæ S. Benedicti.

ad reptile referendum videtur, si videlicet ipsa quoque sidera animata putentur. Ipsa quippe cum sine pedibus ferantur, reptilibus aggreganda essent sicut & pisces: sed cum ipsa sub firmamento cœli nequaquam sint, patet ea excludi per hoc quod dicitur, *sub firmamento cœli.* Tale est ergo reptile atque volatile tamquam si diceretur animal aptum ad rependum sive volandum super terram, hoc est ita ut terram non contingat. Nam postmodum cum dicit reptilia terræ potius quam super terram, profecto hoc & istud reptilium genus diligenter distinguunt. Nonnullæ aves aquaticæ dicuntur pedes habere, ita posterioribus adhærentes ut nequaquam cum illis incedere queant, sed solummodo natare, sicut pisces cum pennulis suis, quas profecto reptiles magis quam gressibiles dicendas credimus. Quæ cum numquam in terram exire videantur, nonulla quæstio est de ovis earum quomodo ea foveant, an potius aquæ ipsæ talium ova sicut & piscium suscepta quodam suo fotu vivificare sufficiant.

Cum dicit, *sub firmamento cœli*, intransitive videtur accipiendum quasi sub firmamento quod cœlum est, sicut cum dicitur urbs Romæ, fluvius Tyberis, creatura salis, corpus vel essentia lapidis. Hoc autem firmamentum, ut superius dictum est, inde sic nominatur, quod aquis interpositum, superiores ita sustentando firmet, ut relabi ad inferiores nequeant, vel eas umquam contingere. Non ergo proprie firmamentum dicitur quod aquis nubium permixtum est, sed quod prorsus ab aquis vacuum superius est. Aves verò nequaquam volare per firmamentum possunt, quia earum corpora sustentari ab aëre sine aquarum corpulentia nequaquam possent.

Creavitque, ex ipsis videlicet aquis.

Animam pro toto animante ponit ex corpore simul & anima constante, unius videlicet nomine partis totum comprehendens. Juxta quod & alibi ait: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Et rursum: *Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta.*

Viventem. Subaudis ex se non ex terra, sicut plantæ affixæ radicitus terræ.

Atque motabilem. Ad differentiam scilicet ceterorum animalium, quæ terra postmodum produxit, quæ gravius est elementum quam aqua. Unde & ista ex aquis producta naturaliter mobiliora & agiliora sunt, cum ex leviori scilicet elemento consistant. Et attende quid superius dixerit de plantis, quod terra eas germinavit ac protulit. De animalibus vero dicitur tantum, quod aqua vel terra ea produxerit, non quod germinaverit: ut videlicet innueret, quia non terræ radicitus affixa vegetationem inde accipiunt sicut plantæ.

Quam produxerant aquæ in species suas. Sic construe: creavit omnem animam, hoc est omne animatum tale in species: ac si diceret, omnem, inquam, secundum speciem, non secundum numerum. Quippe non omnia individua harum specierum, sed singulæ species tam avium quam piscium tunc creatæ sunt. Unde & in sequentibus cum dicit Deum requievisse ab omni opere suo, non de individuis specierum multiplicandis est accipiendum, sed de naturis specierum jam præparatis ad quælibet postmodum inde procreanda. *Quam produxerant.* Id est ad quam producendam jam aquæ fuerant præparatæ; sive dulces, ut flumina; sive salsæ, ut marinæ.

Et vidit. Nota in operibus hujus diei nequaquam in repetitione creationis ipsorum dici, *Et factum est ita*, sicut superius in secundo die. Vel cum præmisisset, *Et fecit firmamentum, &c.* postmodum adjunxit, *& factum est ita*, tamquam per hoc innuens illam aquarum divisionem ita in perpetuum permansuram. Sic & in creatione hominis postquam dixit, *Creavit Deus hominem, &c.* subjunxit, *& factum est ita.* Cùm ergo ubicumque dicitur, *& faciamus ita*, perseverantia quædam operum significetur, ut sic scilicet permaneant sicut facta sunt, nequaquam in speciebus avium id recte dici posse videtur, cum videlicet nonnulla species in eis quandoque prorsus deperire habeat, sicut de phænice legitur ac forsse de nonnullis aliis tam avium quàm piscium speciebus contingit, quæ ad opera pertinent hujus diei.

Benedixitque. Solis animantibus istis ex aqua productis sicut & postmodum hominibus creatis benedixisse Deus memoratur, quasi quadam dignitate animantia ista homini propinquarent, quæ de illo generata sunt elemento, de quo & homines regenerandi erant. Unde & in arca secundum post hominem locum aves tenuisse non immerito videntur, quia videlicet de illo facta sunt elemento, quod in sacramento baptismi magis necessarium nostræ esset saluti. Recte ergo benedictio Dei à creationibus aquaticis incepit, cum ex hoc, ut dictum est, elemento nostræ salutis benedictio initium esset habitura in remissionem peccatorum perfecta. Tale est ergo, benedixit eis, tamquam si diceret, typum sanctificationis regenerandorum ex aqua vel multiplicationis eorum comparatione circumcisorum jam tunc providebat. Circumcisio quippe quamvis id quod baptismus operata esse dicatur in remissionem peccatorum, non tamen hanc efficaciam in tot habuisse potuit in quot baptismi gratia persistit, non enim nisi mares circumcidebantur, & soli Judæi sive proselyti.

Dicens. Id est apud se disponens quod nobis postmodum exhiberet.

Crescite et multiplicamini. hoc est numero individuorum non diversitate specierum crementum accipite. Non enim ita est intelligendum, ut prius in seipsis crescerent donec ad perfectam venirent ætatem qua generare possent, cum statim creatio talium perfecta fuisse credenda sit, alioquin diu educanda esset ut ad perfectionem veniret.

Quod si de avibus quoque intelligamus, non facile apparet unde alimentorum acciperent nutrimentum.

Replete. hoc est quantum satis sit ad hoc fructificate.

Aquas maris. Cùm tamen & aquæ dulces tam pisces habeant quàm volucres. Sed constat quia omnis congregatio aquarum tam salsa quàm dulcis mare dicitur, & omnes aquæ ex mari proveniunt. Ubi & quod ait, *animam viventem atque motabilem*, de his scilicet animantibus quæ producta sunt ex aquis, sacramento baptismi plurimum congruere videtur, ubi à peccato liberati, & quasi de morte suscitati per vivificatorem spiritum nasci ac vivere in Deo incipimus, ac de veteri Adam in novum promovemur & in membra Christi transformamur. Et attende quod solis animantibus istis ex aqua scilicet creatis & postmodum hominibus & tandem septimo diei Deus inter hæc opera benedicere memoratur, benedictione hominis media constituta, tamquam ad illam ceteris duabus convenientibus. Benedictio quippe hominis à baptismo incipit, remissione plenaria peccatorum ibi percepta, ac postmodum in sabbatum supernæ felicitatis promota consummatur, ut hinc quoque benedictum sit superius produci ex aquis animam viventem atque motabilem. In baptismo quippe vivere incipimus, ut inde postmodum in prædictum sabbatum promoti pariter quiescamus.

DE SEXTA DIE.

Animam viventem. Hoc est animatum ex se vivens, non ex terra vitam contrahens, quamvis ex terra sit, sicut è contrario plantæ faciunt. *Viventem*, inquit, *in genere suo*, quia etsi jam illa animantia quæ prius creata fuerunt in se defecerunt, nec jam eadem numero permanent quæ prius facta sunt, in suo tamen genere quodammodo semper vivunt, quia decidentibus individuis genus sive species non deperit. Vivunt ergo in genere, hoc est in specie sua, quæ primo creata sunt, etsi jam in se non vivant. Sicut & de aliquo dicitur tyranno jam mortuo, quia vivit in filiis suis. & nota quod cum ait *animam viventem* de his quæ de terra produxit, non adjecit motabilem sicut prius de his quæ aquæ produxerunt; quia cum elementum aquæ levius sit terra, profecto animalia de aquis producta faciliorem habent motum, & corpora eorum facilius ab anima moveri atque agitari possunt, ut jam supra meminimus.

Jumenta. Id est quadrupedia domestica quasi sub jugo & dominio nostro posita.

Reptilia terræ. Sic enim jungendum est ad differentiam scilicet supradictorum reptilium aquæ.

Bestias. videlicet silvestres, ut feras, vel quascumque à nostra conversatione remotas.

Et fecit. Primò dixit, *factum est ita*, quod scilicet terra produxit animalia, secun-

A dùm corporis substantiam: sed postmodum hæc Dominus consummando fecit, quasi perfecit, vitalem spiritum eis dando de aqua, ut nonnullis videtur, sive de ceteris elementis, non ita corpulentis aut gravibus, sed magis levibus atque mobilibus. Non dicitur Deus benedixisse bestiis sicut piscibus & volucribus, quia serpens cui maledicturus erat de bestiis tunc erat. Homini vero benedixit quamquam peccaturus esset, nec eum sed terram propter eum maledictam dicit.

Deus cur non benedixerit bestiis

Faciamus hominem. Creatis ceteris omnibus sive dispositis propter hominem, eum novissime condidit, & tamquam in fine suorum operum constituit: ad quem tamquam

B finem & causam suæ creationis cetera omnia tendebant, cùm propter eum fierent universa. Unde nec eum creari oportuit nisi ceteris quibus præesse debebat, vel quæ ipsi in esum necessaria, vel saltem ad glorificandum Deum congrua erant ante creatis & ei præparatis, ne quid forte de indigentia in excusationem sui peccati prætendere posset, & tanto amplius ab offensa Dei revocari posset, quanto majorem dilectionis ejus causam haberet, qui eum præfecerit universis, vel etiam post casum ad pœnitentiam citius moveretur, dolens se illum offendisse cui tanta debebat.

Homo est creaturarum ultimus creatus.

C Cujus quidem creationis excellentiam patenter insinuat, cùm quasi ex quodam consilio loquens, dicit, *faciamus*. Sed cur pluraliter dicitur, *faciamus* hominem ad imaginem nostram, si nulla prorsus pluralitas in Deo sit, qui solus hominem creasse ad imaginem suam postea memoratur his verbis: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Dicant Judæi si possunt, vel nobiscum fateantur in una divinitatis essentia pluralitatem personarum magis quàm rerum esse. Quod diligenter Propheta considerans ad distinctionem personarum faciendam, dicit pluraliter *faciamus*; ad unitatem vero Dei assignandam subjunxit singu-

D lariter, *& creavit Deus hominem, &c.* Quasi ergo aliquis secum loquens se & rationem suam quasi duo constituit cum eam consulit, sicut Boëtius in libro de Consolatione Philosophiæ, vel Augustinus in libro Soliloquiorum. Sic Deus Pater ad creationem hominis tam Sapientiam quàm Bonitatem, hoc est Filium & Spiritum-sanctum quasi invitans dicit, *faciamus*, eum talem & tantum, ut imago nostra sit vel similitudo. Quæ quidem creatio quam excellens sit, & ceteris supra

E positis longe superior, ipsis quoque verbis exprimitur tamquam in consilio quodam collatis ad magnum aliquid faciendum cùm dicitur *faciamus*. In ceteris vero creationibus non ita dictum est, sed solummodo ut fiat hoc vel illud, vel terra sive aqua hoc vel illud producat. Cùm autem homo commune nomen sit tam viri quàm feminæ, cùm sit utrumque animal rationale mortale; unde & in sequentibus cum dicitur *quia creavit Deus hominem*, statim subinfertur, *masculum &*

feminam

Homo ad imaginem Dei creatus, femina ad similitudinem.

feminam creavit eos, intelligimus virum ad imaginem Dei creatum, feminam vero ad similitudinem. De viro quippe Apostolus ait: *Vir quidem non debet velare caput suum, quia imago & gloria Dei est.* hoc est gloriosior & pretiosior ejus similitudo. Distat autem inter imaginem & similitudinem, quod similitudo rei potest dici quod convenientiam aliquam habet cum ipsa, unde simile illi dici queat. Imago vero expressa tantum similitudo dicitur, sicut figuræ hominum quæ per singula membra perfectius eos repræsentant. Quia ergo vir dignior quàm femina est, & per hoc Deo similior, imago ejus dicitur; femina vero similitudo, cum ipsa etiam sicut vir per rationem & immortalitatem animæ Deum imitetur. Vir autem hoc insuper habet quo Deo similior fiat, quod sicut omnia ex Deo habent esse, ita ex uno viro secundùm traducem corporis tam femina ipsa quàm totum genus humanum initium habet. Si quis autem diligentius ac perfectius hanc imaginem vel similitudinem Dei ad quam homo factus dicitur considerare velit juxta ipsarum personarum distinctionem, videbit hominem ipsum tam Patris quàm Filii vel Spiritus sancti ex sua conditione similitudinem maximam adeptum esse. Constat quippe Deo Patri, qui à seipso non ab alio esse habet, juxta hanc ejus proprietatem, id quod ad potentiam pertinet divinam specialiter adscribi; sicut & Filio, qui ejus Sapientia dicitur, quod sapientiæ est; & Spiritui-sancto, qui amborum amor vocatur & propriè caritas dicitur, id quod ad bonitatem divinæ gratiæ spectat tamquam proprium tribuitur. Homo itaque, ut dictum est, secundùm animæ dignitatem ad similitudinem singularem personarum factus est, cum per potentiam & sapientiam & amorem ceteris prælatus animantibus Deo similior factus sit. Eo quippe anima humana per propriæ naturæ potentiam ceteris omnibus validior est, quod sola immortalis & defectus ignara est condita. Sola quoque capax est rationis & sapientiæ & divini amoris particeps. Quæ enim Deum recognoscere pro ratione nequeunt, nequaqam eum diligere possunt. Et hæc quidem tria tam viro quàm feminæ communia sunt; unde utrique ad similitudinem Dei facti memorantur cùm in sequentibus dicitur: *In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum & feminam creavit eos.* Cùm itaque ambo juxta prædicta similitudinem cum divinis personis habeant, vir tamen quo majorem cum eis similitudinem tenet, non solum ad similitudinem, verum etiam ad imaginem creari dicitur. Ut enim ex Patre ceteræ personæ habent esse, ita in humana creatione femina ex viro creata esse inde habuit, non vir ex femina. Per sapientiam quoque sive rationem virum feminæ præeminuisse supra docuimus, & in hoc eum sapientiorem constare, quod à serpente seduci non potuit. A quo etiam Deum magis diligi non dubitandum est, qui

1. Cor. 11. 7.

nequaquam eum sibi invidere, vel dolose quicquam dicere, vel in mendacium prorumpere, credere potuit, sicut mulier seducta fecit. Ex his itaque liquet virum illum primò conditum non solum similitudinem, verum etiam imaginem divinarum personarum ex ipsarum cooperatione in sua creatione accepisse, quod similior illis in istis conditus sit. Unde recte de viro dictum est *ad imaginem nostram*, hoc est ad expressiorem similitudinem; & de femina subjunctum est tantum, *ad similitudinem.*

Et præsit piscibus. Non quidem hominem homini præponit Deus, sed insensibilibus tantum vel irrationabilibus creaturis, ut eas scilicet in potestatem accipiat, & eis dominetur quæ ratione carent & sensu, sicut postmodum ait ibi, *Et dominamini piscibus maris, &c.* Potestas aut dominium in his ideo collata homini dicuntur, quòd juxta ejus arbitrium hæc omnia disponerentur, & pro voluntate sua eis penitus uterentur, quamdiu ipse voluntati sui conditoris subjectus esset. In quos tamen usus hæc omnia tunc haberet, non facile est de singulis disserere, si semper in paradiso persisteret, tamquam ad manum habens omnia necessaria, & sufficientem sibi de fructibus arborum vel herbis esum concessum: præsertim cùm nec ad eum pertingere possent universa animantia. Ut enim de bestiis & avibus prætermittamus, quis cete grandia vel marinos pisces illuc posse pervenire, vel etiam vivere arbitretur? Quale denique dominium super hæc exercere posset quæ numquam videret, nec etiam ubi essent sciret, nec fortassis si essent cognosceret? Quomodo insuper universæ, ut dicitur, terræ dominari vel præesse posset in uno paradisi loco semper conclusus, ceteris omnibus mundi partibus ignoratis tamquam nondum visis? Aut quod postmodum ait: *Crescite & multiplicamini & replete terram*, quomodo umquam eveniret, si in tantula parte mundi conclusi nondum exirent in diversas mundi regiones? Nulla itaque ratio habet totam hominum futuram multitudinem in illo uno paradisi loco semper conversaturam esse, si non peccassent, sed inde postmodum sicut & de arca per mundum dispergendos esse, nihil pœnale alicubi reperturos, cum nulla maledictione pro peccato terra percuteretur à Deo. Ideo tamen primos homines in paradiso locatos primum credimus, quo temperies illa loci, quem à principio Dominus plantaverat, fructibus plurimum abundaret, nondum his ita vel ceteris per mundum propagatis. Sed nec de ligno vitæ diffitendum est, ne ante maledictionem terræ per plantationem multiplicari posset in terris. Tunc utique universæ terræ homo præesse & dominari posset, & multis usibus ei animantia cetera esse fortassis postmodum & in esum ei concessa, sicut post diluvium à Domino Noe concessum est. Possent & delectationem nonnullam homini afferre secundùm sensuum diversitatem, cum

Potestas & dominium in creaturas in quo consistant.

Tttt

ex cantu auditum mulcerent, vel ex pulchritudine formæ visum oblectarent, vel odoris suavitate olfactum reficerent, vel quibuscumque modis diversæ ipsorum naturæ diligenter cognitæ in amorem & laudem creatoris nos amplius excitarent, juxta quod ad
Ps. 91. 5. eum Psalmista dicit: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*

Sunt fortassis quibus hujusmodi quæstiones frivolæ esse nec rationabiliter moveri videntur, cum quis videlicet quærit de aliquo numquam eveniente, & dicit quid fieret si ita esset. Quæ namque, inquiunt, ratio est quærere si ita esset, quod nec fieri habet, sicut nec illud esse? Dicunt itaque Deum præscium futurorum hoc homini concessisse, ut per rationem dominaretur ceteris animantibus, & ea constringere posset atque opprimere, quamvis corpore validiora, ut videlicet ex concessa sibi ratione tanto eum homo amplius diligeret, quanto amplius in hac se ab eo accepisse cognosceret.

Cùm dicit, VOLATILIBUS COELI, hoc est avibus, non ad differentiam aliquam volatilium additum est *cœli*, sed ad demonstrandum per quam partem mundi volare habeant; sicut etiam dictum est *piscibus maris*, vel sidera coeli dicere solemus, non ad aliquorum determinationem, sed magis ad eorum exprimendam proprietatem ubi esse habeant. Cœlum ergo hic tam aereum quàm æthereum comprehendens, quicquid ab inferioribus aquis usque ad superiores interest hoc vocabulo nuncupat.

ET BESTIIS. Quod superius per bestias & jumenta distinxit, hic nomine bestiarum communiter comprehendit.

UNIVERSÆQUE TERRÆ. Nota quod cum hic concedatur homini tam bestiis quæ in terra sunt, quàm ipsi terræ præesse, nequaquam tamen ita superius ei concessum est, tam piscibus maris quàm ipsi mari, vel tam volatilibus cœli quàm ipsi coelo præesse. Non enim ita mare vel cœlum in nostra est potestate, sicut terra in qua manemus, & ædificia nostra constituimus, & quæ ad nostras utilitates excolendo paramus.

REPTILI QUOD MOVETUR IN TERRA. Hoc est in hac mundi parte inferiori, ad differentiam fortassis cœlestium animalium, id est siderum, quæ sicut philosophis visum est, animata sunt, & reptilia potius in suo motu quàm gressibilia sunt dicenda, cùm pedibus careant.

HOMINEM AD IMAGINEM SUAM. Virum videlicet prius condidit talem, ut ejus esset imago, sicut exposuimus. Recte postquam dictum est, *faciamus hominem ad imaginem nostram*, subditur hic, *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*, hoc est Dei, non alterius rei, sicut statim etiam supponitur, *ad imaginem Dei creavit illum*. Ne videlicet cùm præmitteretur *nostram*, non solum ad imaginem Dei factus intelligeretur, verum etiam ad aliquorum aliorum quibus loqui videretur, cùm ait, *faciamus hominem*. Et nota quod cùm ait hic, *ad imaginem Dei creavit illum*; & postmodum addit, *masculum & feminam creavit eos*, nec repetit ad imaginem Dei, cùm dicit pluraliter *eos*, sicut fecit cum dixit *illum*, patenter innuit de solo viro recipiendum esse quod ad imaginem Dei creatus sit. Potest etiam videri quod adjunctum est, *ad imaginem Dei creavit illum*, aliter debere intelligi, quam quod dictum est *ad imaginem suam*. Filius quippe Dei imago dicitur, qui ex solo Patre est, cùm Spiritus-sanctus à Patre & Filio esse dicatur. Vir itaque ad imaginem Dei creatus est, quia in hoc præcipuam habet cum Filio Dei similitudinem, quod sicut ille ex solo est Patre tamquam genitus, ita iste ex solo Deo habet esse tamquam creatus, non de aliquo animali assumtus, sicut mulier de viro sumta est & de costa ejus formata.

MASCULUM ET FEMINAM. Hoc est tales qui ad propagationem humani generis sufficerent. De qua propagatione postmodum ait: *Crescite & multiplicamini*. Cùm dicit eos masculino genere pro viro simul & femina, pro dignitate virilis sexus factum est: Quod in tantum etiam usque hodie servamus, ut uno viro multis feminis aggregato, cùm de ipsis loquimur, plurale aliquod adjectivum de ipsis simul proferentes, masculino genere contenti sumus, veluti si de ipsis dicamus quia sunt boni vel albi.

BENEDIXITQUE. hoc est, de meliori statu ipsorum immortali & incorruptibili futuræ vitæ jam tunc disponebat. Hoc autem Propheta dixit præveniens futurum eorum lapsum, ne quis forte cum postmodum audiret eos expelli de paradiso terrestri, desperaret de cœlesti.

CRESCITE ET MULTIPLICAMINI. Sicut superius animantibus aquaticis dixisse memoratur, *Crescite & multiplicamini & replete aquas maris*: ita hic hominibus creatis dicere narratur, *crescite & multiplicamini & replete terram*; ut hæc quoque locutio sicut illa non prolatio sermonis, sed dispositio divinæ operationis subintelligatur, præsertim cum nondum linguæ alicujus institutio facta esset, nondum impositis ab Adam nominibus, sicut postmodum fecisse refertur: unde ista quoque Dei locutio sicut & supradictæ non tam de prolatione verborum accipienda videtur, quam ex dispositione divina; cum videlicet ita de ipsis facere Deus apud se ordinaret, ut crescerent & multiplicarentur, id est incrementum multiplicationis acciperent commixtione masculi & feminæ, quos jam supra distinxit tamquam ad hoc masculum & feminam creatos. Ex quo patenter insinuat, quantum à creatione Dei & institutione naturæ illa Sodomitarum abominabilis commixtio recedat, qui seipsos tantum polluunt, nullum de prole fructum reportantes. Damnantur & ex hoc loco præcipuè damnatores nuptiarum, cum primis hominibus creatis,

Locutio Dei est divina rerum dispositio.

ex auctoritate dominica conjugium statim sancitum sit.

ANIMANTIBUS QUÆ MOVENTUR SUPER TERRAM. Quod adjungit, quæ moventur super terram, potest videri additum esse ad exclusionem tam cœlestium animalium, juxta illam scilicet opinionem philosophorum, qua sidera deos appellant, id est animalia rationalia, immortalia, impassibilia, quam aëreorum id est dæmonum.

Carnium esum Deus homini indulsit post diluvium.

ECCE DEDI. Ac si diceret, In præsenti tempore sive loco, quia & post diluvium carnium quoque esum homini Dominus indulsit. Sed cùm nonnullas modo bestias vel aves videamus, quibus carnium esus necessarius sit, quomodo his quoque sicut homini solummodo herbæ & arbores nunc in esum conceduntur, tamquam hæc illis primùm sufficerent, & nisi post peccatum hominis carnibus indigerent, ut pœna videlicet hominis ex peccato proveniens in ea quoque redundaret, quibus homo præesse & dominari habuit, ut alia scilicet animantia aliis in rapinam & esum traderentur. Et fortassis nulla sunt animantia de his quæ hodie inter nos carnium indigerent alimento, quibus in aliquibus mundi partibus sufficiens esus reperiri non possit in herbis vel arboribus. Et attende quantum sibi in omnibus hominem velit obedire, cum nec eum comedere ut vivat nisi per obedientiam velit, nec sine permissione sua quidquam in quibuscumque necessariis attingere, nec ad sustentationem etiam vitæ. Ex quo patenter innuit totam hominis vitam nonnisi in obedientia Dei consistere, & ad hoc eum solummodo debere vivere.

Tota hominis vita in obedientia consistere debet.

VOBIS ET CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ. Alia quidem vobis, alia illis, vel aliqua pariter vobis & illis. Non enim omnia pabula vel homini vel illis convenire videntur, quamvis ante peccatum nullum escæ genus homini nocivum esset vel fortassis incongruum; sed si hominibus omnia convenire ponamus, nequaquam credibile est, ut hoc de animantibus annuamus, ut eis quoque tam lignum vitæ quàm cetera omnia sint concessa, nisi forte quis velit ea quoque sicut homines inde contra mortem & senium habere remedium: quibus etiam lignum scientiæ boni & mali numquam legimus esse prohibitum, sicut postmodum hominibus dicitur interdictum. Non enim apparet quomodo de omnibus lignis hæc concessio facta sit hominibus & ceteris animantibus, si arbor illa vetita numquam fuerit hominibus vel illis concessa. Et nota quod illæ quoque arbores, quæ infructuosæ dicuntur, aliquod alimentum in foliis saltem vel floribus seu cortice nonnullis animantibus ministrare possunt. Et attende quod cum de cibo etiam hominis sicut de cibo animalium providet, & omnibus pariter terrena concedit alimenta, patenter insinuat mortales quoque homines creatos fuisse, & eos in corporibus animalibus non spiritalibus factos esse, & ne morte dissolverentur, tunc quoque homini sicut nunc cibum necessarium esse. Unde nec iste animæ vel vitæ status, in quo videlicet homo conditus fuerat, laudem habere meruit, comparatione scilicet spiritalis illius vitæ ad quam transferendus erat. Non enim de homine quoque creato sicut de ceteris animantibus dictum est, quia vidit Deus quod esset bonum, quia commendari non debuit in homine vita illa ad quam obtinendam nequaquam creatus erat, sed de illa transiturus ad longe meliorem. Communiter vero cum ceteris laudari potuit, quia comparatione aliorum hic etiam mortalis status hominis tamquam excellens & optimus commendandus fuit, cùm tamen ad hoc quod futurus erat nequaquam in tantum dignus laude censebatur, ut per se optimus, id est valde bonus, diceretur.

ET FACTUM EST ITA. Hoc non ad creationem hominis tantum, vel operationem sextæ diei, sed ad totam præcedentium operum summam referendum videtur. Quæ universa statim comprehendit, cum in eorum laudem prorumpens ait, *Cuncta quæ fecerat*, tam de creatione scilicet cœli & terræ, quàm de luce operum superaddita & in creatione hominis consummata. Ad quem quidem tamquam finem, hoc est finalem ceterorum causam, omnia spectabant, cum propter hominem creata sint sive disposita. Homo vero non propter illa, sed propter Deum solum glorificandum. Cum ergo illa usque ad hominem per suas utilitates pervenerint, cursum suum quasi in meta quadam & stadii termino sibi præfixo consummabunt. Homo vero usque ad Deum pervenire habet, & in ejus visione tamquam in sabbato vero quiescere.

Homo propter Deum glorificandum creatus.

Et nota quod non ait, Videns quod essent cuncta valde bona, sicut superius in diversis operibus dictum est, Vidit quod esset bonum; sed ita distinxit, Vidit Deus cuncta quæ fecerat; & postmodum nequaquam repetens *vidit*, subintulit Et erant valde bona. Non enim juxta hoc quod exposuimus de singulis, Vidit Deus quod esset bonum, hoc est videre hoc nos & intelligere fecit ex manifesta eorum utilitate. Potuit de omnibus dici, quia viderit cuncta bona propter operationem saltem secundæ diei de suspensione aquarum, quarum, ut diximus, utilitatem nondum probare valemus. Quod ergo dictum est *vidit cuncta & erant valde bona*, tale est quod nihil in eis ab ipso perfecte cognitis corrigendum censuit, sed tantum omnia bona condidit, quantum bona condi oportuit, ut nihil scilicet in conditione sua plus boni accipere illa decuerit, juxta illam quoque Platonis sententiam, qua mundum ab omnipotente & non æmulo factum Deo convincit nequaquam meliorem fieri potuisse. Quod & Moyses considerans, asserit omnia valde bona creata, quamvis de omnibus rationem reddere nec ipsi etiam concessum esse credamus. Non tamen singula in se, sed omnia simul valde bona dicit, quia ut beatus quoque meminit

Augustinus, bona sunt singula in se, sed cuncta simul valde bona: quia quæ in se considerata nihil aut parum valere videntur, in tota omnium summa valde sunt necessaria. Unde dicitur: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Ps. 110. 2.

Opera Dei qua ratione valde bona. Movet fortassis aliquos cùm dicitur, *valde bona*, quid de quibusdam animantibus vel plantis venenatis dicamus, vel de aliis quibusdam quæ omnino superflua censentur, vel denique de ipsis apostatis angelis, qui ab ipso statim exordio suæ creationis superbiendo mali facti sunt. Sed quia malitiam istam à se postmodum habuerunt, non in sua creatione acceperunt, nequaquam à Deo facti sunt mali, sed à seipsis superbiendo corrupti. Quia ergo & illi spiritus facti sunt boni & absque peccato; sed non tales perstiterunt, nequaquam propter hoc negandum est opera Dei bona fuisse, cum illos quoque spiritus bonos condiderit, in ipsa scilicet spiritali substantiæ natura, quam ipsi superbiæ labe maculaverunt, non destruxerunt. Opera itaque Dei cuncta bona sunt, & omnis creatura bona est prædicanda, quia nihil peccati vel mali in ipsa suæ creationis origine accipiunt, sed singulis tantum confert Deus quantum convenit, ut non solum bonæ verum etiam optimæ, id est valde bonæ, singulæ ab ipso fiant creaturæ. Nec solum tunc cum primo crearentur, verum etiam quotidie cum ex illis primordialibus causis nascendo procreantur vel multiplicantur. Etsi enim infans cum nascitur nondum bonus homo dicatur, quod ad mores pertinet, bona tamen est creatura. Sic & pullus cum nascitur, quamvis nondum sit bonus equus & ad usitandum idoneus, bona tamen est creatura, & quantum ei convenit in ipsa creatione à Deo accepit, qui nihil sine ratione vel facit vel fieri permittit, etiam cum abortivi fœtus producuntur vel vitiati nascuntur. De sarmentis vero plantarum quæ superflua videntur, & à nobis sæpe resecari convenit, sicut & capillos nostros vel ungues, seu de venenatis quæ diximus: illud fortassis ad solutionem sufficere videtur, quod ait, *erant valde bona*, tunc videlicet ante peccatum hominis non nunc, jamque post peccatum in pœnam nobis conversa. Constat quippe si homo non peccasset, nec ex veneno illi imminere periculum, nec ex aliqua re cruciatum, sed omnia illi animalia quantumcumque sæva, quantumcumque crudelia, ei mansueta quasi domestica, fore per omnia illius dominio subjecta, quamdiu ille suo Creatori qui hoc ipsi subjecerat per obedientiam subjectus esset. Quod postquam ille neglexit, multa illi ex his periculosa facta sunt, & usque ad mortem in eum prævalere permissa, ut ex his miser jam disceret quantum deliquerit non obediendo Deo, qui hæc tamdiu in potestatem habere mereretur, quamdiu ille summæ Potestati subjiceretur, à qua acceperat ut his ipse dominaretur. Quem ergo ratio retrahere debuit à peccato, & quid cavendum esset prædocere, irrationabiles vel insensibiles quoque creaturæ nunc ei periculosæ factæ patenter edocent quantum deliquerit, tamquam quadam vi divina sentientes jam se homini nullam subjectionem debere, postquam ille Deo subjectus esse neglexerit, utpote quæ nihil ei nisi propter Deum deberent. Ex quo & patenter ipsa etiam quæ ratione vel sensu carent nostram insipientiam erudiunt, ne aliquibus in his obediamus quæ contra Deum facere præsumunt, cum nihil cuiquam nisi propter Deum debeamus, & omnium quæ agimus finem in Deo constitui oporteat. Non obediendum in his quæ contra Dei. Nemo itaque inobedientiæ est arguendus, nec etiam arguendus ubicumque offensa Dei cavetur, quæ sola quemlibet reum constituit. Juret quislibet alicui quod ab eo ille requisierit, & tamdiu juramentum teneat, quamdiu non recognoverit se id quod juravit exequendo Deum esse offensurum, sicut & ex ipsis, ut diximus, quæ ratione carent, jam edocti sumus, quæ jam nostrum non curant dominium, tamquam intelligant nos respuisse divinum. Quæ dum nos perimunt vel cruciant, divinum in hoc judicium exercendo ac debitam pœnam inferendo, falso in eis opera Dei quasi mala calumniamur, quia nobis in dolorem pro meritis nostris convertuntur: alioquin & pœnam ipsam quæ justa est, & tam Deum quàm quemlibet judicem justum, cùm reos punit, & quod debet agit, arguere possemus. Non sunt igitur opera Dei ulla dicenda mala, quamvis nonnulla, ut justum est, periculosa sint ac nociva, vel cum nonnumquam justum perimendo ab hujus vitæ angustiis liberant, vel aliquibus afflictionibus purgant. Sed nec aliqua in creaturis superflua sunt dicenda, quamvis nos nonnumquam maxime gravent, quia pro diversis usibus ea quæ ad unum minime valent, ad aliud commoda sunt, ut sarmenta præcisa quæ fructui vitis nocerent si in ea remanerent, ad faciendum ignem vel ad alias necessitudines non inutilia sunt. In creatis nihil superfluum. Denique quanto amplius vita hæc periculosior vel magis pœnalis habetur, tanto ardentius illa expetitur quæ ab his omnibus immunis existit. Quid autem propriè bonum ac per se, scilicet sine adjectione, vel quid malum sive indifferens dicatur, in secunda collatione nostra quantum arbitror satis est definitum.

De creaturis autem nonnulla est quæstio, utrum videlicet, ut quibusdam videtur, quidquid est & creator non est, creatura dicatur; an solæ substantiæ, non etiam earum accidentia dicendæ sint creaturæ, an res etiam aliquæ sicut est sessio. Non enim cum aliquem sedera accidit, quamdam rem tunc dicimus esse quæ prius non fuerit, vel quamdam rem periisse quæ prius in stante fuisset.

Et factum est vespere. Sicut in ceteris diebus tali fine opera eorum sic concludit, ut nihil supra intelligendum sit quod ad opera uniuscujusque diei pertineat, ita & de hac die intelligendum videtur, ut nihil scili-

cet supra id quod dictum est ad operationem hujus diei pertinere dicatur, sed statim primis parentibus creatis, totam operationem hujus sextæ diei consummatam esse. Unde quod in sequentibus additur de prohibitione ligni facta, vel transgressione præcepti, & de ejectione paradisi, vel impositione nominum quam Adam fecit, vel si qua sunt alia, non necesse est hæc omnia nos profiteri sexto die hæc facta; præsertim cum incertum sit quanto temporis spatio illi parentes in paradiso perstiterint, ut hæc scilicet omnia quæ postea referuntur ibi facta fuisse, peragi possent ante ipsorum dejectionem. Quod enim multis annis vel diebus ante transgressionem in paradiso fuerint, tam auctoritas quàm ratio habere videtur, sicut postmodum loco suo ponere decrevimus.

Incertum quanto tempore homo perstiterit in paradiso.

Dies sextus. Quod in sex diebus opera sua Deum consummasse Propheta retulerit non vacat à mysterio, ut videlicet perfectioni operum ipsa quoque numeri attestaretur perfectio: hic quippe numerus qui senarius dicitur inter eos numeros qui perfecti dicuntur primus occurrit. Tres quippe numerorum species secundùm computationem partium suarum distinguuntur; cum videlicet alii perfecti, alii abundantes, alii dicantur diminuti. Perfecti vero sunt quorum partium computatio summæ totius adæquatur: verbi gratia, senarius mediam partem habet ternarium, tertiam binarium, sextam unitatem: quibus quidem ad invicem ita junctis ut dicas, unus, duo, tres, solum perficit senarium. Abundantes vero numeri dicuntur quorum computatio partium ipsos excedens majorem reddit numerum, ut duodenarius: hujus quippe senarius media pars est, quaternarius tertia, ternarius quarta, binarius sexta, unitas duodecima; quæ omnes ad invicem conjunctæ sedecim faciunt, qui profecto numerus duodenario major est. Diminuti vero sunt quorum partibus computatis & sibi conjunctis summa totius reddi non potest, ut est octonarius: hic quippe numerus mediam partem habet quaternarium, quartam binarium, octavam unum; quæ simul junctæ septenarium faciunt, quem octonario minorem esse constat.

Numeri senarii perfectio.

Igitur perfecti sunt. Quia videlicet elementa, ut dictum est, creata sunt atque disposita, & sideribus, plantis, animantibus adornata: igitur non solum facta in creatione, sed etiam perfecta sunt in sua dispositione. Ornatus eorum dicit non saltem quæ sunt in eis, verum etiam quæ sunt ex eis, non spiritales scilicet sed corporales substantias, quæ maxime ad commendationem mundi pertinent per hoc quod ex eo initium habent. *Omnis ornatus eorum.* Tam cœli videlicet, sicut sidera, quam terræ vel aqua, sicut plantæ vel animalia.

Quod fecerat. Sex scilicet præcedentibus diebus. Sed quomodo tunc opus suum complevit & non in sexta die, si tunc nihil fecit? Unde septimum diem intelligimus totum futurum sæculi tempus, quo multiplicare non cessat species creatas in aliquo rerum numero ex natura earum jam præparatarum, juxta illud Veritatis: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Tamquam si diceret: Sicut ille nondum operari cessat, quotidie scilicet multiplicando quæ primò facta sunt; sic nec ego pariter cooperari tamquam coæterna ejus Sapientia, per quam omnia facit.

Et requievit. Cessando scilicet, sicut statim exponit, à speciebus quas creaverat, non à numero rerum in eis multiplicandarum: nulla quippe de speciebus illis postmodum peritura erat, ut ad eam reparandam non sufficeret per se natura jam præparata, sicut & ad individua specierum multiplicanda. Etsi enim ponamus phœnicem speciem esse, vel aliquas species herbarum vel florum quandoque deperire: jam tamen ita natura ex primordialibus causis est præparata, ut ad hæc restauranda sufficiat. Bene itaque dicit *quod patrarat*, scilicet in speciebus, non quod multiplicaturus erat in numero individuorum. Quamvis enim mulus inter species animalium creatus non fuerit, vel vermes multi ex aliqua putredine vel corruptione postmodum nati, in ipsis tamen speciebus prædictis seminarium habuerunt & vim quamdam futuræ suæ creationis. Animæ vero licet ex animabus per traducem non propagentur; quia tamen jam species animæ creata fuerat, non impedit earum quotidiana multiplicatio dici Deum requievisse ab universo, &c.

Benedixit et sanctificavit. Id est ceteris prætulit diebus, & in celebrationem ipsum constituit.

Cessaverat. Quod dicit *cessaverat*, expositio est ejus quod dixerat *requievit*, ne forte à labore ipsum quievisse arbitraremur.

Creavit. In Verbo ut *faceret* in opere juxta illud, *dixit & facta sunt.* Et attende quod non ita de septima die, sicut de ceteris dicitur, quia factum est vespere & mane dies septimus. Non enim in eo sicut in ceteris aliquid fecisse Deus memoratur, sed tantum quievisse, nec opera multiplicationis quæ in hoc septimo die fuerunt quotidie usque ad consummationem sæculi complebuntur.

Quoniam ea quæ prædicta sunt juxta radicem historiæ ac veritatem rei gestæ quantum valuimus prosecuti sumus, juvat morali quoque ac postmodum mystica expositione nos eadem perquirere. Moralis itaque dicitur expositio quoties ea quæ dicuntur ad ædificationem morum sic applicantur, sicut in nobis vel à nobis fieri habent quæ ad salutem necessaria sunt bona, veluti cum de fide, spe, & caritate, vel bonis operibus expositione nostra lectorem instruimus. Mystica vero dicitur expositio, cum ea præfigurari docemus, quæ à tempore gratiæ per Christum fuerant consummanda, vel quæcumque historia futura præsignari ostenditur.



MORALITAS.

Confusio illa cœli & terræ prius creata in materia, & nondum in creatam partium distinctionem redacta, homo est ex superiori & inferiori substantia constans, id est ex anima & corpore: sed adhuc quasi informis & moribus incompositus, nondum carne spiritui sicut oportet subjugata, immo magis spiritui dominante, atque ita naturalem ordinem confundente ac perturbante, donec divina gratia animalem hunc hominem in spiritalem transferat atque formet, sicut illam quasi brutam atque confusam elementorum congeriem postmodum ordinavit. Cui videlicet confusioni, quæ per fluidum elementum aquæ iterum figuratur, spiritus incumbit, dum de homine adhuc animali spiritalem efficere divina bonitas disponit: & sic quodammodo illam confusionem more avis incumbentis fovet, ut inde quasi pullum producat, dum veterem adhuc hominem in novum reformare parat. Quod quidem efficit primò lucem fidei inspirando, postmodum spem, deinde caritatem, tandem in operibus caritatis eum consummando, ut non solum sibi sed etiam aliis vivat, nec tantum in se bonus sit, verum etiam alios bonos efficiat tam exemplo operum vel beneficiis collatis, quàm doctrina prædicationis. Creatio itaque lucis illuminatio est fidei, quam Spiritus-sanctus his quibus vult inspirans ædificium animæ spiritale ab hoc inchoat fundamento, sine quo, ut ait Apostolus, impossibile est placere Deo. Unde & bene post creationem illam cœli & terræ lucem factam esse propheta statim commemorat. Post fidem autem spes sequitur, quæ hominem prius per concupiscentiam ad terrena defluentem, dum variis ducitur desideriis, jam quasi à terrenis ad cœlestia sustollit, & in eis ejus animum ad multa primitus discurrentem firmat ac stabilit, & contra quaslibet adversitatum procellas quasi anchora navem conservat, & ad quælibet tolerenda vel aggredienda desiderio cœlestium corroborat. Quod bene superior aquarum suspensio facta secundo die figurat, quæ per interpositionem cœli sursum firmiter est stabilita. Tertio die recedentibus aquis, vel per meatus quosdam terræ submissis, exsiccatur terra & arida fit, quia igne caritatis anima succensa, dum carnem spiritui subjicit, à fluxu vel desideriis carnalium concupiscentiarum hoc calore siccata quadammodo fit arida, ut jam fit de illis locis inaquosis, per quæ diabolus suggestionibus suis transiens requiem non invenit, quia talem animam per concupiscentias ad consensum non trahit. Ut autem talis anima per opera etiam consummetur, primum terra producit plantas, postea luminaria in firmamento posita lucem ministrant. Terra itaque, ut dictum est, arefacta plantas producit, cum anima quælibet caritatem qua fervet interius in exhibitione corporalium

A operum ostendit. Quæ si in tantam perfectionem excreverit, ut verbo quoque prædicationis alios ædificare atque illuminare possit, luminaria fuerit in cœlo, id est verba prædicantis in Ecclesia minorum & quasi adhuc terrenorum fuerit illuminatio, & hoc est illuminent terram. Nec solum in die, verum etiam in nocte, quia tam in prosperitate quam in adversitate infirmis mentibus prædicatio necessaria est, ne per hanc extollantur, vel per illam frangantur. Qualibus quidem luminaribus non solum exemplo sed etiam verbo alios ædificantibus Apostolus ait: *Inter quos lucent tamquam luminaria.* Et Veritas ipsa: *Vos estis lux mundi.* Hoc igitur vi- Matth. 5. 14
B ro perfecto tum luce operum tum etiam documento prædicationis alios ædificante, parit undique mundus animantia, tam volatilia scilicet, quam gressibilia, sive reptilia; hoc est, trium ordinum fideles, continentes videlicet, rectores, seu conjugatos. Denique homo ille extra paradisum creatus in paradisum transfertur, dum is qui in hac vita tantis bonis per gratiam Dei floruit ad Patriam cœlestem de hoc exilio transfertur, pro meritis primò ad Sabbatum, deinde ad Octavam perveniens.

C

ALLEGORIA.

Sex ætates sæculi senarius iste dierum quibus mundus perfectus est atque adornatus exprimit. Prima ætas sæculi quasi ejus infantia est ab Adam usque ad Noë. Inde secunda usque ad Abraham quasi pueritia. Deinde tertia ad David tamquam adolescentia. Postea quarta usque ad transmigrationem Babylonis quasi juventus, id est virilis ætas. Inde quinta usque ad Christum tamquam senectus. Denique sexta usque ad finem sæculi tamquam senium vel decrepita ætas. Sex mundi ætates.

Confusa itaque illa nec adhuc distincta con- Prima.
D geries elementorum primam mundi ætatem sine lege & disciplina incultam & rudem bene figurat, quæ infantia mundi vocatur: & bene infantia necdum ex documento legis verba Dei formare valens, sicut infantes nondum loqui sufficiunt. Deleta hæc est ætas diluvio, sicut eorum memoria quæ in infantia geruntur per oblivionem delentur.

Secunda ætas diluvio non deletur, cum Secunda.
quisque eorum quæ in pueritia gesserit recordari valeat. In hac ætate arca in diluvio fideles conservavit, & quasi firmamentum aquis
E interpositum eos ab aquis desuper compluentibus & ab aquis inferius inundantibus illæsos custodivit.

Tertia ætate lex data est, quæ fluxum car- Tertia.
nalis concupiscentiæ ab antiquo populo timore pœnarum coerceret, sicut die tertia ab inferioribus aquis terra est exonerata, & statim germinans terrenam sobolem in herbis & arboribus produxit, quia populus antiquus terrena potius quam cœlestia desiderans, terrenam accepit promissionem, & terrenis

maxime desideriis adhærens, quasi terrena A generatio fuit, atque terræ totus innitens, & in terrenis vitam suam constituens.

Quarta. Quarta die facta luminaria lucem prophetarum post Legem significant longe apertius de Christo loquentium quam Lex antiqua fecerat, sicut dicit Daniel: *Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia tam in viris, ut in Samuele, Nathan, quam in feminis sicut in Anna.* Proprie namque à tempore Samuelis tempus prophetarum incepit, sicut in Actibus Apostolorum, ubi scriptum est, *Et omnes prophetæ à Samuel & deinceps, &c.* diligenter exprimitur. Beda etiam attestante, » dum locum illum exponeret dicens: Quam- B » vis patriarchæ & sancti priorum temporum » multa de Christo dictis factisque prophetaverint, tempus tamen propriè prophetarum, » eorum dico qui de Christi Ecclesiæque mysterio manifeste scripserunt, à Samuele exordium sumsit, & usque ad Babylonicæ captivitatis solutionem permansit.

(Dan. 12. 4. — Prophetarum tempus à Samuele incœpit. — Act. 3. 24.)

Quinta. Quinta ætas quasi senium mundi, defectum præteritorum bonorum designat, cum jam patriarchæ & prophetæ præteriissent, atque unctio ad alienigenam transferretur, non jam pristino ritu sacrificium celebraretur, quod etiam Babylonica captivitas abstulerat. In hoc quidem senio jam mundo languescente missus est Salvator, qui veterem renovaret hominem, baptismum prædicaret: in quo quidem baptismo homines veterem hominem deponentes, & novum induentes, sicut scriptum est, *Quicumque baptisati estis Christum induistis*, quasi ex aquis animalia producta sunt.

(Rom. 6. 3.)

Sexta. Sexta ætate homo renovatus in paradiso collocatur, quia post passionem Domini tantum aditus cœlestis hominibus patuit, ut primo sabbatum in anima postmodum octavam in corpore simul & anima celebret. Unde & Latroni dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso*, ut in hac ætate tantum cœlum D hominibus patere ostenderet.

(Luc 23. 43.)

Istæ generationes. Quasi diceret, bene dixi, *Cessaverat*, quia istæ sunt non aliæ postmodum ex aliqua nova naturæ præparatione futuræ: *Generationes cœli & terræ.* Id est species rerum factæ materialiter ex elementis per cœlum & terram, ut diximus, primò significatis.

Quando creatæ sunt. Id est primum factæ istæ scilicet generationes ante hunc septimum diem quo multiplicantur quotidie.

In die. Id est in tempore illo sex præcedentium dierum.

Quo fecit Dominus coelum et terram. In Hebræo est ordo commutatus ita, *quo fecit Dominus terram & cœlum*; cum in principio dictum sit è converso, quia creavit cœlum & terram. Ex quo innuitur ex hac commutatione ordinis varietas quædam significationis ad prædictas scilicet generationes comprehendendas. Per terram quippe & cœlum animalia, per virgultum & herbas comprehendit plantas. Animalia quippe, quia vivificationem non ex humore sicut plantæ, sed ex spiritu habent, juxta quod Gregorius tres vitales spiritus distinguit, per terram & cœlum hoc loco insinuantur, cum ex corporea & gravi substantia constent secundum corpus, & ex spiritali & levi secundum animam. Et quia corpora prius formata sunt quam spiritus infunderentur, bene hic terram prius quam cœlum nominavit. Ubi & de stellis innuere videtur, si omnia comprehendit facta ex elementis, quosdam spiritus & illis inesse quo possint animalibus & connumerari, sicut philosophi asserunt, & beatus Augustinus adeo sibi esse incertum profitetur, ut se ignorare dicat, utrum sol & luna ad societatem angelorum pertineant, sicut & supra meminimus.

Virgultum agri. Id est agreste adhuc & nondum cultum ab hominibus vel insertum sicut nunc vel aliqua cura hominum custoditum.

Oriretur in terra. Id est fructificaret per universas terras dispersum sicut nunc ex irrigatione imbrium proficiens.

Regionis. Pro quo in Hebræo est *agri*, sicut superius; quasi diceret incultam adhuc C nec ex propagine & ope imbrium multiplicatam sicut nunc. Unde & subditur.

Non enim. Id est, nondum pluvia facta fuerat, ex qua tunc quoque sicut nunc per universum mundum hæc multiplicatio fieret, homine tunc terram sicut nunc excolente, cum nec ipse homo qui terram operaretur tunc esset. Quod statim annectit dicens.

Et homo non erat. Non dicit simpliciter non erat, cum ipse quoque inter generationes cœli & terræ superius sit comprehensus & factus esse monstretur; sed non erat ad operandum terram, quia nondum ei necessaria erat laboriosa cultura, quam postmodum in pœnam peccati accepit, & quam nunc ubique terrarum exercet.

Sed fons. Ne quis forte requireret unde ergo humorem quo nutrirentur vel conservarentur plantæ habebant, cum pluvia non esset, respondet, quia de imo aqua tenuis conscendens more fontis irrigabat eas mundi partes in quibus plantæ dispersæ erant. Et attende quod cum superius per septem dies Deus tantum vocatus sit, non etiam Dominus appellatus; hic tamen ubi generationes cœli & terræ completas commemorat, eum non solum Deum sed & Dominum vocat, & deinceps frequenter Domini vocabulo ipsum designat. Hoc quippe nomen Dominus nonnisi ex creaturis quibus dominari & præesse habet convenit, nec ex quibusdam tantum creaturis, sed ex omnibus simul. Unde post consummationem omnium ipsum tantum poni congruum visum est.

E (Domini nomen quando Deus accepit.)

Formavit igitur. Hoc & ad illud

respicit quod sexto die præmissum est de hominis creatione, cum dicitur, *Et creavit Deus hominem, &c.* Ibi quippe quod creatus sit homo tam masculus quam femina præmissum est, sed modus creationis expressus non est: quod hic diligenter aperit docendo scilicet corpus viri de limo terræ prius formatum esse, ac deinde animam infundi; feminam vero non per se creatam esse, sed de viro assumtam, ut sequentia docent. Continenter dixi hominem creari, sed modum creationis non expressi, igitur nunc faciam. Et hoc est quod nunc agit dicens, formavit *hominem*, id est humanum corpus in effigiem istam quam nunc habemus composuit.

Anima humana ex modo creationis differt ab aliis.

De limo terræ. Id est de terra humida & quasi compacta non dissoluta, & sic corpori jam creato infudit animam. Ex quo patenter innuit, animam humanam ex ipso modo creationis dissimilem à ceteris animabus esse. In creatione quippe ceterorum animantium dictum est terram vel aquam ea cum corpore simul & anima produxisse: ex quo innuitur illorum animas ex ipsis etiam elementis esse quasi quamdam eorum raritatem vel subtilitatem, pro qua scilicet subtilitate illæ quoque animæ spiritus dicuntur, sicut & ventus nonnumquam spiritus appellatur, comparatione terræ & aquæ, quæ grossioris & corpulentioris substantiæ sunt. Diligenti etiam vocabulo utitur, cum dicit hominem de humo formari potius quam creari. Ubi enim de materia aliquid fit forma ei superaddita, formari proprie dicitur. Isidorus Ethimol. Lib. undecimo capite primo: Homo dictus est, quia ex humo est factus, sicut & in Genesi dicitur, *Et creavit Deus hominem de limo terræ.* Abusive tamen pronuntiatur ex utraque substantia totus homo, id est ex societate animæ & corporis, nam proprie homo ab humo. Item: Duplex est autem homo, interior & exterior: interior homo, anima; exterior homo, corpus. Idem: Anima hominis non est homo, sed corpus quod ex humo factum est, id tantùm est homo. Beda supra Genesim Lib. II. Et vocavit nomina eorum Adam in die quo creati sunt. Adam interpretatur homo, ut utrique sexui possit aptari. Unde recte dicitur, Vocavit nomina eorum Adam, id est homo. Sicut homo latinè ab humo, ita apud Hebræos Adam à terra nominatur. Unde & terrenus sive terra rubra potest interpretari. Porro apud Græcos homo aliam habet ethimologiam. Vocatur enim ἄνθρωπος ab eo quod superna spectari & ad cœlestia contuenda debeat mentis oculos attollere.

Bestiarum animæ subtiles elementorum partes.

Homo ab humo dictus.

Inspiravit spiraculum vitæ. Id est quasi per se non de aliquo materiali primordio dedit animam corpori jam formato, ut ipsa videlicet anima ex solo Deo tamquam principio non ex alia primordiali causa esse haberet. *Spiraculum vitæ* dicit ad differentiam flatus venti, qui & spiraculum dicitur, sed non vivificans, sicut & anima nonnum-

A quam flatus dicitur, juxta illud Isaiæ; *flatum omnem ego feci.* Isa. 57. 16. Hinc quoque anima recte flatui sive spiraculo comparatur, quia maxime an in corpore sit expirando vel flando apparet, cum sine his vita non possit in animalibus conservari.

In faciem ejus. Spiraculum, inquam, in faciem ejus, hoc est hominis factum, ut videlicet anima illa sola non ceterorum animantium notitiam sive scientiam per rationem haberet. facies quippe qua unusquisque cognoscitur notitiam significat.

Et factus est. Id est, ita consummatus est homo.

B In animam viventem. Id est per talem animam quæ semper vivat, cum defectum non habeat.

Paradisum voluptatis. Id est hortum delectabilem, ut non solummodo ex dignitate creationis suæ quantum Deo debeat homo attenderet, verum etiam ex amœnitate & delectabilitate loci electi ex universo mundo in quo est positus. De quo quidem loco scriptum est, quod nonnulli volunt, quod in orientali parte orbis terrarum sit locus paradisi, quamvis longissimo interjacente spatio vel Oceani vel terrarum à cunctis regionibus quas nunc humanum genus incolit

C secretum. Unde nec aquæ diluvii, quæ totam nostri orbis superficiem altissime cooperuerunt, ad eum pervenire potuerunt. Quod quidem ex eo maxime videtur, quod Enoch ante diluvium in paradisum translatus submergi non potuit. Hieronymus Hebraïcarum quæstionum in Genesi. Paradisum à principio &c. Ex quo manifestissime comprobatur quod priusquam cœlum & terram Deus faceret, paradisum ante condiderat. Et legitur in Hebræo: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum in Eden à principio.* Isidorus Ethim. lib. XIV. Cap. III. de Asia in qua est paradisus: *Paradisus est locus in Orientis par-*

Aquæ diluvii paradisum non operuerunt.

D *tibus constitutus, cujus vocabulum ex græco in latinum vertitur hortus: porro hebraice eden dicitur, quod in nostram linguam deliciæ interpretatur.* Quod utrumque junctum facit hortum deliciarum. Est enim omni genere ligni & pomiferarum arborum consitus habens etiam lignum vitæ. Non ibi frigus, non æstus, sed perpetua aëris temperies. E cujus medio fons prorumpens totum nemus irrigat, dividiturque in quatuor nascentia flumina. Cujus loci post peccatum homini aditus interclusus est. Septus est enim undique romphæa

E flammea, id est muro igneo accinctus, ita ut ejus cum cœlo pene jungatur incendium. Cherubim quoque, id est angelorum, præsidium arcendis spiritibus malis super romphεæ flagrantiam ordinatum est, ut homines flammæ, angelos vero malos angeli submoveant, ne cui carni vel spiritui transgressionis aditus ad paradisum pateat. Quod vero ait *à principio*, subaudit plantationis; innuit ante ceteras plantas ipsum fuisse: quo aliquid delectabilitatis præ ceteris locis haberet quando

do in ipsum homo introduceretur, tantò diligentius ante præparatus, quantò ampliùs temporis impenderetur ejus præparationi.

Posuit hominem quem formaverat. Id est virum; cujus formatio jam prædicta est. Vir quippe extra paradisum factus de limo terræ in paradisum translatus est: mulier vero in paradiso de viro creata est, quæ tamen virum & se pariter de paradiso ejecit, sicut sequentia manifeste tradunt. Ex quo patenter innuitur, non tam loca quam mores ad salutem pertinere, cum mulier in meliori loco facta deterior in seductione fuerit.

Vir extra, femina in paradiso creati.

Non loca, sed mores ad salutem conducunt.

Produxitque. Quare dixerit, voluptatis, assignat. *Pulchrum visu & ad vescendum suave*, ut visu delectaret, & gustus suavitate reficeret.

Lignum etiam vitæ. Cum dixerit omne lignum, quid est quod dicit de istis duobus lignis etiam tamquam ipsa non fuerint de omnibus lignis visu & gustu delectabilibus, maxime cum de ligno in quo transgressio facta est scriptum sit in sequentibus, quia vidit mulier quod bonum esset lignum & delectabile? Sed profecto non pro diversitate lignorum dictum est *etiam*, sed pro diversitate loci ubi hæc duo ligna constituit & sibi conjunxit, id est in medio paradisi, non in circuitu sicut cetera. Cum enim dixisset quia protulit terra in paradiso ligna cetera sicut & ista, nequaquam distinxit quomodo ponerentur, vel qua dispositione sibi aptarentur. Quod nunc facit cum hæc in medio, illa circumposita describit. Lignum vitæ dicit quod ad vitam conservandam & corporis incolumitatem sine defectu senii quasi pro medicamento illis creatum & concessum fuerat. Unde & in sequentibus de ipsis post peccatum à paradiso ejectis scriptum est, *Ne forte sumat de ligno vitæ & vivat in æternum.* Et rursum, *Collocavit ante paradisum cherubin ad custodiendam viam ligni vitæ.* Cetera vero ligna in esum quotidianum habebant ad sustentationem vitæ, & corporis refectionem, non ad medicamenti sanitatem. Lignum vero scientiæ boni & mali dicitur, non ex eo quod accepisset in sua creatione, sed ex eo quod consecutum est in illis primis parentibus ex ea quam in eo fecerunt transgressione. Per hanc enim experimento ipso didicerunt quid inter bonum vitæ delectabilis quam prius habebant, & inter malum pœnæ quam incurrerunt, distaret quasi inter requiem & laborem.

Lignumque scientiæ. In medio simul paradisi cum ligno vitæ, ut dum hoc lignum quod melius est, & magis sibi necessarium, homo conspiceret sibi concessum, à transgressione alterius maxime revocaretur, si non amore Dei, saltem retinendi tanti beneficii in ligno vitæ constituti. Quale autem hoc lignum fuerit in quo transgressi sunt, nulla definitum est scripturæ auctoritate. Nonnullis tamen visum est quod ficus fuerit, ex eo præcipue quod postmodum referantur illi

Lignum scientiæ boni & mali quænam fuerit arbor.

A parentes de foliis ficus perizomata sibi consuisse. Unde & illud quod Dominus respondit Nathanael quærenti unde eum nosset, dicens, *Cum esses sub ficu vidi te*, ita intelligi volunt, tamquam si Dominus diceret, non modo mihi primùm notus esse cœpisti, quem à principio in primis parentibus per seminarium existentem per præscientiam novi. Sic enim & Levi in lumbis Abrahæ fuisse Apostolus dicit. Hebræi autem hoc lignum scientiæ boni & mali autumant vitem fuisse, & sic ligno vitæ in medio paradisi appositam, sicut nunc sæpe videmus, vitem ab ulmo sustentari & ei quasi in uno corpore colligari.

B Hinc etiam vitem lignum scientiæ boni & mali dici assignant, quod ex fructu ejus vinum productum moderate vel immoderate sumtum hominem reddat scientem bonum vel malum, id est bono vel malo sensu eum esse faciat: cujus scilicet ingenium vel acuit vel pervertit. Unde & uvam esse fructum illum intelligunt, in quo priores patres prævaricati sunt, juxta illud Prophetæ: *Patres nostri comederunt uvam acerbam*, id est fructum quo acerbitatem pœnæ incurrimus. Quod statim determinans ait: *Et dentes filiorum obstupuerunt*, id est pœna in posteros traducta

C perseverat. Cui fortassis opinioni illud quoque non incongruè attestari videtur, quod post esum hujus ligni statim senserunt incentiva libidinis. Calidæ quippe naturæ fructum hunc vel vinum hinc expressum esse constat, & in luxuriam maxime commovere, juxta illud Apostoli: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Secundum quem etiam luxuriæ motum in primis illis hominibus inde factum, de quo erubescentes virilia texerunt, non incongruè videtur dictum, scientiæ boni & mali fuisse illud lignum. Denique hujus ligni gustum, in quo Adam excedens tam se quam posteros pœnæ addixit, in tantum posteritas ejus postmodum abhorruit, vel vitare decre-

Vinum ante diluvium cur non biberit homo.

D vit, ut ante diluvium nemo vinum attigisse credatur, quasi memor pœnæ quam ex contactu incurrerat vetiti fructus. Post diluvium Noë plantata vinea, quasi supradictæ transgressionis immemor, inebriatus vino memoratur, & statim genitalibus suis denudatis turpitudo ejus apparuit. Sic & in primis parentibus factum fuerat, qui post commissum vetitæ arboris gustum nudati referuntur, & de sua nuditate mox erubuisse, & ad tegenda pudenda statim festinasse, sicut & de Noë duo ejus filii curaverunt, tertio patrem irri-

E dente.

Et fluvius. Id quoque ad describendam amœnitatem loci pertinet, ut cum arboribus jocunditas quoque fluvii incolas illos oblectaret.

De loco voluptatis. Hoc est de ipso paradiso, non de foris influens, sed de ipso paradiso intus nascens, ut omnia in se necessaria continere monstretur non aliunde accipere.

Ad irrigandum. Et virorem per-

petuum ei conferendum, ut nulla ibi pluvia esset necessaria.

INDE. Unde videlicet de terra egrediens emergebat, vel de ipso paradiso cum exterius egrederetur, quamvis in ipso paradiso quasi unus esset fluvius.

IN QUATUOR CAPITA. Id est, in origines quatuor fluviorum hæc fit divisio. Ubi enim divisio hæc incipit, inde habent flumina distingui, quia ante hanc divisionem tota illa aqua per unum alveum discurrens fluvius unus dicenda est, sive fons unus & origo illorum quatuor fluviorum.

NOMEN UNI. Videlicet capiti horum quatuor. Sicut enim fluvius quislibet horum quatuor à capite suo habet distingui, ita & à capite habet nominari, quia usque ad initium illius divisionis tota illius fluvii aqua sic vel sic nominatur donec mare ingreditur.

IPSE EST. Hoc pronomen relativum *ipse*, cum sit masculini generis secundum proprietatem constructionis, reducendum est ad hoc nomen *Phison*, non ad illud quod præmissum est, uni videlicet capiti.

OMNEM TERRAM. Pro majori parte dicit, cum nullus fluvius aliquam omnino terram circuire possit, cum nullatenus per illam partem qua influit effluere possit.

EVILAT. Id est, India, quæ inde habet hoc nomen, quod post diluvium possessa sit ab Evila filio Jectan, filii Heber, unde Hebræi. Plinius dicit Indiæ regiones auri venis præ ceteris abundare terris.

BDELLIUM est arbor aromatica colore nigra, lacryma ejus lucida, gustu amara, boni odoris, sed vino perfusa odoratior.

ONIX, lapis pretiosus ita appellatus, quod in se habet permixtum colorem vel in similitudinem unguis humani. Græci enim unguem ὄνυχα dicunt. Antiqua translatio habet pro his, *carbunculus & lapis prassinus*. Carbunculus est lapis ignei coloris, qui noctis tenebras illustrat. Prassinus viridis aspectus. Unde & à porro nomen accepit, quod à Græcis πράσον dicitur. Cum laudem cujuscumque fluvii de paradiso egredientis prosequitur, in commendationem hujus loci redundare videtur, tamquam ex loco nativitatis suæ trahat, quod his bonis abundet. Et nota quod ad majorem horum fluviorum notitiam non solum ex nominibus suis eos distinguit, verum etiam ex locis terrarum ad quæ perveniunt, ut ex utilitate ipsorum ibi præcipuè cognita amplius commendentur. Cum dicit de his fluminibus unum, vel secundum, vel tertium seu quartum, non hoc juxta ordinem positionis eorum, sed magis narrationis accipiendum videtur, nisi forte quis dicat in prædicta quoque divisione ipsorum hunc ordinem haberi, ut alius alio prius dividatur in alveum suum ab ipsa origine nativitatis suæ.

IPSE EST EUPHRATES. Hunc non ita describit ex locis p r quæ discurrit sicut ceteros; cum, ut aiunt, vicinior atque notior populo Judæorum esset. Hæc flumina gentibus per quas fluunt notissima sunt. Duobus eorum vetustas nomina mutavit. *Gion* quippe ipse est qui nunc Nilus vocatur. *Phison* autem ille dicebatur quem nunc Gangen appellant. Duo vero Tygris & Euphrates antiqua nomina servaverunt. Sed movere potest quod de his fluminibus dicitur, aliorum fontes esse notos, aliorum prorsus ignotos, & ideo non posse accipi ad litteram quod ex uno fonte dividantur, cum potius credendum sit quoniam locus ille paradisi remotus est à cognitione hominum, qui in quatuor aquarum partes dividitur, sicut fidelissima scriptura testatur. Sed ea flumina quorum fontes noti dicuntur alicubi esse sub terris, & post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse, ubi tamquam in suis fontibus noti esse perhibentur. Nam hoc facere solere nonnullas aquas quis ignorat? Sic & illud Boëtii absolvi judicant, quod libro quinto de Consolatione his verbis de Tygri & Euphrate dixit:

Rupis Achimeniæ scopulis ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax.
Tygris & Euphrates uno se fonte resolvunt.

ISIDORUS Ethimol. lib. XIII. *Gion vocatur quod incremento suæ exundationis terram Ægypti irriget. γῆ Græcè latinè terram significat. Hic apud Ægyptios Nilus vocatur propter limum quem trahit, qui efficit fœcunditatem terræ: unde & Nilus dictus est quasi* * *Niahomon. Nam antea Nilus latine Melo dicebatur.* Ganges quem scriptura *Phison* cognominat, pergit ad Indiæ regiones. Dictus est autem Phison, id est Caterva, quia decem fluminibus magnis sibi adjunctis impletur & efficitur unus. Ganges autem vocatur à rege Gangaro Indiæ. Fertur autem Nili modo exaltari & super Orientis terras erumpere. Tygris fluvius Mesopotamiæ pergens contra Assyrios post multos circuitus in mare mortuum influit. Vocatur autem hoc nomine propter velocitatem instar bestiæ tygris nimia pernicitate currentis. Euphrates fluvius Mesopotamiæ copiosissimus gemmis per mediam Babiloniam influit. Hic à frugibus vel ab ubertate nomen accepit: nam hebraice euphrata fertilitas interpretatur. Mesopotamiam etenim ita in quibusdam locis irrigat, sicut Nilus Alexandriam. Sallustius autem auctor certissimus asserit Tygrim & Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividantur spatio medio relicto multorum millium. Quæ tamen terra quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. Ex quo Hieronymus animadvertit aliter de paradisi fluminibus intelligendum. Beda de natura rerum: Nili flumine pro pluviis utitur Ægyptus, propter solis calorem imbres & nubila respuens: mense enim Maio dum ostia ejus quibus in mare influit, zephiro flante, undis ejectis arenarum cumulis perstruuntur, paulatim intumescens, ac retro propulsus plana ir-

Isid. Etym. l. 13. c. 21.

* l. νεῖαν ἰλὺν.

rigat Ægypti; vento autem cessante, ruptisque arenarum cumulis, suo redditur alveo.

TULIT ERGO. Quia videlicet tam delectabilis & amœnus erat ille locus paradisi. Commodè vir extra paradisum factus est, & inde in paradisum translatus, ut tantò amplius amœnitatem paradisi concupisceret, ac retinere niteretur, quantò eam terræ illi exteriori qua conditus fuerat præcellere videbatur.

UT OPERARETUR. Id est ad excolendum ipsum paradisum, & per obedientiam servatam sibi custodiendum, ne videlicet per transgressionem expulsus eum amitteret. De quo autem præcepto deberet ibi B obedire statim insinuat, cum ait:

PRÆCEPITQUE EI. Non dicit *eis* pluraliter, sed *ei* singulariter, respiciens ad solum virum, quem dixit in paradiso translatum, cum tamen mulier postmodum fateatur sibi pariter ut viro Deum hoc præcepisse dicens: *De fructu ligni quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus.* Unde intelligendum est, quod cum hoc loco Dominus lignum illud viro interdicit, ad speciem hominis in illo communiter loquitur, non specialiter ad personam illam sermonem intendens, sed generaliter ad naturam humanam, id est penitus interdicens ne quis humanæ naturæ id præsumat. Sic & sacerdos cum aliqua aqua præsentem sanctificans dicens, *qui super te pedibus ambulavit, qui te in vinum convertit*, ad elementum aquæ non ad C præsentem illam aquam sermo dirigitur. Sed quomodo verum est quod Deus hominem posuerit in paradiso ad hoc ut eum excoleret, ac sibi custodiret, cum hoc nullatenus sit consecutum, ut homo sibi eum custodiret. Duobus quippe modis dicimus aliquid fieri ut aliud inde contingat vel fiat, tum videlicet secundum intentionem, tum secundum effectum consecutionis. Veluti si de aliquo dicam, quia exiit ad bellum ut occideret, vel exiit ut occideretur, sicut illud in- D telligitur hac intentione factum ab illo ut alium occideret: sic istud ita factum ut eum occidi inde contingeret. At vero cum dicimus, quia posuit Deus hominem in paradiso ut eum sibi custodiret, nequaquam ipse hac intentione id fecit quod sciebat nequaquam futurum esse, neque ita ut illud inde contingeret. Ita ergo accipiendum est, *ut operaretur, &c.* ac si diceretur quia ponendo eum ibi, constituit eum cultorem & conservatorem illius loci, præcipiendo scilicet ei ut eum excoleret ac sibi conservaret: Excoleret quidem eum delectatione magis aliqua ibi E operando, sicut arbores ipsas vel herbas purgando, potius quam cum fatigationis labore.

Quæri etiam potest si hoc præceptum audibile fuit, qua lingua prolatum sit quam Adam intelligere posset, cum postmodum ipse referatur linguam invenisse, cum adductis ad se animalibus nomina illis imponeret. Sed scimus multa in scripturis per intermissionem vel anticipationem extra ordinem rei gestæ nonnumquam narrari. Ecce enim superius sexto die tam viro quam femina creatis, sed nondum exposito modo illius creationis, postmodum repetitur illa creatio, ac sic diligenter & integre narratur, tamquam tunc tantum & non ante fieret. Sicut ergo ipsa prius facta postmodum iteratur propter intermissum scilicet ejus modum, ita & per anticipationem nonnulla hic referri extra ordinem non est improbandum, ut prius scilicet Adam voces instituerit ad loquendum, quam præceptum Domini audiret in illis vocibus quas ipse instituisset, ut eas intelligere posset, quibus & ipse postmodum loquens diceret *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* quibus & serpens cum muliere loqueretur, vel mulier cum serpente; & ipse rursum Dominus in increpatione peccati cum Adam & Eva, vel ipsi cum Domino. Ex quo profecto non minimum rationis habere videntur, qui illos primos parentes aliquibus annis in paradiso ante peccatum vixisse æstimant, quamvis nullum ibi filium genuerint. Non enim breve temporis spatium, ut cetera omittamus, ad unius linguæ inventionem sufficere poterat, nec sola inventio nominum quæ hic tantum commemoratur in his locutionibus continetur, quæ in paradiso dici memorantur; imo è contrario nullum de nominibus animantium terræ vel volucrum quæ Adam imposuisse dicitur, in his locutionibus continetur. Quod autem pluribus annis in paradiso innocenter vixerint, præter rationem quam diximus, auctoritas Malachiæ prophetæ, cui plurimum in hoc beatus assentit Augustinus, astruere videtur. Unde idem Doctor verba illa Prophetæ inducens lib. de Civ. Dei XX. cap. XXVII. Exponere, inquit, nos oportet quomodo sit accipiendum quod dictum est, *sicut in diebus pristinis & sicut annis prioribus:* fortassis enim tempus illud commemorat, quo primi homines in paradiso fuerunt. Tunc enim puri atque integri ab omni sorde ac labe peccati seipsos Deo mundissimas hostias offerebant. Ceterum ex quo commissæ prævaricationis causa inde emissi sunt, atque humana in eis natura damnata est, excepto uno mediatore, & post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, *nemo mundus à sorde*, sicut scriptum est, *nec infans cujus est unius diei vita super terram*. Quod si respondetur, etiam eos merito dici posse offerre hostias in justitia, qui offerunt in fide, *justus enim ex fide vivit*; quamvis seipsum seducat, si dixerit se non habere peccatum, & ideo dicat nunc quia ex fide vivit. Numquid dicturus est quispiam hoc fidei tempus illi fini esse coæquandum, quando igne judicii novissimi mundabuntur qui offerrent in justitia. Ac per hoc quoniam post talem mundationem nullum peccatum justos habituros esse credendum est, profecto illud tempus, quantum attinet ad non habere peccatum, nulli

Primi parentes pluribus annis in paradiso permanserunt.

Job. 14. 4.

Rom. 1. 17.

1. Joan. 1.

» tempori comparandum est, nisi quando pri-
» mi homines in paradiso ante prævaricatio-
» nem innocentissima felicitate vixerunt. Rec-
» te itaque intelligitur hoc significatum esse
» cum dictum est, *sicut diebus pristinis & sicut*
» *annis prioribus*. Nam & per Isaiam postea
» quam cœlum novum & terra nova promis-
» sa est, inter cetera quæ ibi de sanctorum bea-
» titudine per allegorias & ænigmata exequi-
» tur, quibus expositionem congruam redde-
» re nos prohibuit, vitandæ longitudinis cura,
Isa.65.22. » *secundum dies*, inquit, *ligni vitæ erunt dies*
» *populi mei*. Quis autem sacras litteras atti-
» git, & ignorat ubi Deus plantaverit lignum
» vitæ, à cujus cibo separatis illis hominibus,
» quando eos sua de paradiso ejecit iniquitas,
» eidem ligno circumposita est ignea terribi-
» lisque custodia. Quod quisquam illos dies
» ligni vitæ, quos commemoravit Propheta
» Isaias, istos qui nunc aguntur Ecclesiæ dies
» esse contendit, ipsumque Christum lignum
» vitæ prophetice dictum, quia ipse est Sapien-
Prov.3.18. » tia Dei de qua Salomon ait, *Lignum vitæ est*
» *omnibus amplectentibus eam*, nec annos ali-
» quos egisse in paradiso illos primos homines,
» unde tam cito ejecti sunt, ut ibi nullum gi-
» gnerent filium, & ideo non posse illud tem-
» pus intelligi in eo quod dictum est, sicut die-
» bus pristinis & sicut annis prioribus, istam
» prætereo quæstionem ne cogar, quod pro-
» lixum est, cuncta discutere, ut aliquid horum
» veritas manifestata confirmet. Video quippe
» alterum sensum, ne dies pristinos & annos
» priores, carnalium sacrificiorum nobis pro
» magno munere per Prophetam præmissos
» fuisse credamus. Hostiæ namque illæ veteris
» legis in quibusque pecoribus, quæ immacu-
» latæ ac sine ullo prorsus vitio videbantur
» offerri, significabant homines sanctos, qua-
» lis solus inventus est Christus sine ullo om-
» nino peccato.

A Ut tamen his quoque satisfacere laboremus qui primos parentes nec unius diei spatium in paradiso peregisse volunt, fortassis aliquibus signis ibi pro voce usus est Dominus, quorum intelligentiam facile fuit ei inspirare homini. Nam & serpens non verbis, sed sibilo mulieri locutus fuisse creditur, tantæque sagacitatis illi primi parentes extitisse, ut ex sibilo serpentum vel vocibus avium affectus eorum cognoscerent. Quod si ita ponamus, nullatenus cogimur profiteri B Adam instituisse linguam in paradiso: sed hoc per anticipationem quod extra paradisum factum sit Prophetam retulisse.

Ex omni. Solummodo id quod sequitur, *de ligno vero scientiæ, &c.* videtur ad præceptum pertinere. Quod vero præmittitur *ex omni ligno*, concessio potius quam præceptio videtur. Non enim rei essent, si non de omnibus aliis lignis comederent, quando in paradiso fuerunt. Unde & mulier respondens serpenti, de ligno tantum quod est in medio paradisi se accepisse præceptum solummodo dicit.

In quacumque. Comminatione pœ- C næ ad obedientiam eum adhortatur dicens, quod quacumque die lignum illud vetitum attingat, ex morte animæ id est peccato tunc commisso, mortem postmodum corporis incurret: quasi geminam mortem. *Reliqua desunt.*





PETRI VENERABILIS ABBATIS CLUNIACENSIS IX. SERMONES TRES.

Ex schedis Mabillonii & ms. Cluniacensi.

ADMONITIO PRÆVIA.



E Petro Mauritii nono Cluniacensi abbate, vulgo Venerabili appellato, deque ejus scriptis pluribus agit Andreas Duchesne *in Bibliotheca Cluniacensi, in qua opera illius omnia quæcumque reperire potuit, typis mandari curavit. Contexens autem operum illius catalogum, atque inter alia recensens ejus sermones, hæc habet:* Item scripsit idem Petrus Sermones quatuor valde utiles & elegantissimos, quorum primus de Transfiguratione Domini est; secundus Sermo de laude sepulchri Domini est; tertius Sermo de S. Marcello papa & martyre est; quartus est inscriptus in veneratione quarumlibet reliquiarum. *Ex quatuor hisce sermonibus unicum de Transfiguratione Domini habes in Bibliotheca Cluniacensi, aliis ab Andrea* Duchesne *frustra quæsitis, reliquos tres publica luce haudquaquam indignos reperimus inter schedas Mabillonii; tertium vero & quartum in veteri codice Cluniacensi auctoris ætate exarato, in quo lectiones ad nocturnas vigilias recitandæ continentur. Hinc colligimus Sermones illos olim Cluniaci in divinis officiis decantatos fuisse.*



SERMO I.

DOMNI PETRI ABBATIS

IN LAUDEM SEPULCRI DOMINI.

CONCEPTUM, ait Scriptura divina, sermonem tenere quis possit? Non parvum enim, fratres carissimi, tempus effluxit, ex quo in laudem divini Sepulcri se effundere animus studeat, & salutarem locum in quo Salvatoris caro quievit, devotis pro posse præconiis attollere concupiscit. Hoc quia commissi munus officii hactenus impedivit, adjuvante eo cujus causa agitur, ad solvendum tandem diuturni affectus debitum, ut poterit accingatur. Attollant alii celsis pyramidibus busta majorum & splendenti marmore, operosisque saxis mortuorum suorum cineres exornari contendant, nos antrum incorruptionis, & speluncam de cujus septis infernus expugnatus est, B usque ad cœli fastigia, de terris elevatum fidelibus obsequiis honoremus. Ostendant illi erga mortuos suos sculpturis lapidum & picturis parietum animorum suorum affectus, nos erga mortuum nostrum qualem in intimis animæ nostræ geramus amorem, ipsam animam & laudibus & lacrymis effundendo monstremus. Spargant illi sepulcra corruptione horrentia diversorum generum flore, nos sepulcrum de quo incorruptio ex vita exorta est castitatis liliis, humilitatis violis, rosis passionum, devotionum pigmentis, orationum aromatibus aspergamus. Meretur hoc à nobis, & plus quam etiam possumus, locus ille beatus meretur, quia qui granum frumenti in terra cadens ac mortuum præ C cunctis terrarum locis suscipere meruit, panem nobis vitæ sempiternæ eo de se resurgente providit.

Noverat terra peccante homine à Deo in primordiis sæculi maledicta, noverat plane post latam mortis sententiam, qua dictum homini est, *terra es, & in terram ibis*, ad mortem, ad corruptionem homines suscipere, (Genes. 3. 19.) noverat substantiam hominis suscipere, noverat substantiam ex se ad immortalitatem & incorruptionem creatam & ad suam originem propriæ culpæ merito redeuntem, à statu pristino annullare. Aperiebat ex se ortis & ad se per mortem revertentibus D sinum suum ad corrumpendum, nusquam ad conservandum. Aperiebat sinum suum, ut ad cognatam terram terrenus homo videret, nec quicquam in illo de membrorum lineamentis à Deo creatis vel in modico remaneret. Aperiebat, inquam, sinum suum omni carni, non, sicut dictum est, ut conservaret,

A sed ut putrefaceret, ut carnium mollitiem, ut ossium duritiem, ut humoris temperiem, ut totius demum humani corporis compaginem resolveret, & ad informem ex qua sumtum fuerat materiam redire compelleret. At nunc primo de numero filiorum Adam unum & solum inter mortuos universos mortuum suscepit, in quo jus generalis corruptionis periisse, & legem omnibus mortuis impositam evanuisse mirata est. Mirata est certe terra servare se illæsam à corruptionis miseria unius tantum hominis corpus, miratus est infernus liberum inter mortuorum spiritus spiritum non solum nihil timere, sed in ipsis & de ipsis spiritibus libere omnia agere. *Deus* enim *ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit.* (Ps. 93. 1.) Hæc est enim, hæc est summa causa ô homo, qua in Christo salutari tuo exultare, qua sepulcrum in quo pro vita tua ipse mortuus requievit, præcipuo affectu excolere, singulari reverentia præ cunctis orbis totius locis venerari debes. Nam benignus Salvator ad te, qui ab ipso perieras, investigandum, de supernis ad ima descendens, non solum te in terris errantem, sed etiam in sepulcris sub terra latentem in ipsis quoque inferis, debitas divini contemtus pœnas luentem quæsivit. Quæsivit, inquam, & invenit, & de hoc sepulcro mortuorum omnium sepulcra concutiens, ad immortalem vitam, à qua exciderant, per corpus suum corpora mortuorum reparavit, & suorum animas à tenebrarum locis per beatam animam suam summæque majestatis potentiam ad lucem liberam revocavit. Sic te in se de sepulcro resuscitans, de cinere redintegrans, de corruptione restaurans, & tanti beneficii largitione sepultum ad crucem & tanti benefactoris reclinatorium sepulcrum cœlesti honore dignum esse probavit.

Honoramus quidem, ut justum est, præsepe in quo Dei mater & virgo natum Deum puerum reclinavit, sed excellentiori gloria veneramur sepulcrum, in quo multis magnisque laboribus perpessis post crucem & mortem pausavit. Involvit pannis maternus affectus suum & Dei Filium, dum eum in præsepe reclinaret, involvit eumdem cum aromatibus in sindone munda sanctorum Joseph & Nicodemi devotio, dum eum de cruce depositum in monumento exciso in lapide sepeliret. Magno quidem ille locus dignus est honore, qui cœlestem Regem ad

hostium prælia de supernis descendentem suscepit; sed majore gloria sublimandus est ille, qui eum jam de hostibus triumphantem excepit. Magno dignus est honore, qui Salvatori mundum salvaturo gremium suum aperuit; sed majore dignus est præconio, qui eidem sinum suum ad quiescendum, mundo jam ab eo salvato, expandit.

Et novi equidem res insensibiles laudes ex se non mereri, quia sola ratio creaturæ creatori voluntati sponte obtemperans laudis gloriam promeretur. inde vel soli sancti angeli vel sancti homines à conditis laudem, à conditore merentur gratiam, quam liberum voluntatis arbitrium, quo à Deo averti poterant, ab ipso inspirati, ad ejus obsequium converterunt; sed hoc modo, hoc est suo merito, laudamus sepulcrum Domini, sed quia electum ad suscipiendum corpus Domini, suscipiens ab ipso sanctificatum est corpore Domini. non solum enim angelos vel homines Deo placentes sanctos dicimus, sed etiam loca à Deo sanctificata sancta vocamus. Hinc templum Domini sanctum, hinc templi sanctiora vocata sunt Sancta sanctorum. Hinc de
Matth. 4. 5. ipsa urbe Jerusalem dictum est, *Tunc assumpsit eum*, id est Christum, *diabolus in sanctam civitatem*. Hinc alibi in sancto evangelio scri-
Matth. 27. 52. ptum est: *Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & venerunt in sanctam civitatem*. Hinc vasa quibus patres antiqui Deo ministrabant, in quibus diversi generis sacrificia offerebant, sancta dicta sunt. Hinc ipsæ vestes leviticæ & sacerdotales, sed maxime pontificales sanctæ vocatæ, loquente Domino
Exod. 28. 4. ad Moysen: *Facies vestem sanctam Aaron & filiis ejus, ut officio fungantur mihi*. Hinc super omnia hæc altare Dei & arca ejus sancta esse monstrata sunt, ut ipse Ozias ad sacrificandum quidem Deo, sed illicite ad altare accedens, statim leprosus factus sit, & Ozias etiam pro officio arcam sustentare volens, mox à Deo in conspectu omnium interfectus sit. Inde est quod in hoc tempore, ô christiane, non uni templo Dei quod solum in mundo erat, sed innumeris Dei templis per totum orbem diffusis, vasis etiam & vestibus sacris eadem reverentia debetur & defertur, quia idem Deus, qui illud unum templum, & quæ in eo continebantur, & illi uni genti sufficiens, &c. elegerat & sanctificaverat, ipse multa millia templorum necessaria multis millibus populorum, & quæ in his continentur, & eligit & sanctificat: quod non facit merito aliquorum ipsorum locorum, sed causa in se credentium, sibique obsequentium populorum. unde non solum divina colentes, sed insuper loca ubi familiarius divina coluntur & sacramenta saluti hominum necessaria dantur, & suo tempore apud Judæos consecravit, & nostro tempore usque ad finem sæculi consecrare non desinit. unde sicut & ipsa crux Domini non aliquo suo merito, sed quia in ejus corpore dedicata est, sancta dicitur: ita & sepulcrum Domini non aliquo

A suo merito, sed quia ab eodem corpore Christi, quod in eo requievit, consecratum est, Sanctum vocatur. Si igitur templum Dei ad preces Deo fundendas constructum sanctum dictum est, nonne sepulcrum in se continens templum Dei, id est Christum, in quo Deus erat mundum reconcilians sibi, qui de seipso dicit: *Solvite templum hoc, & in tribus* Joh. 2. 19.
diebus suscitabo illud, multo magis sanctum est, si altare Dei cadavera animalium Deo oblata suscipiens sanctum est, nonne sepulcrum Domini, in quo corpus Agni Dei, qui tollit peccata mundi, Deo oblatum requie-
B vit, multo magis sanctum est. Si arca Dei in qua erat lex Dei & virga Aaron, & manna de cœlo, sancta dicta est, nonne sepulcrum Domini continens in se corpus Domini, in quo Verbum Dei, in quo virga æquitatis, in quo panis vitæ æternæ latebat, multo magis sanctum est? Quia ergo sepulcrum istud Domini, non solum sicut alia sancta loca, sed etiam plusquam illa sanctum est, idcirco majorem omnibus illis ab universis laudem meretur, ut non tantum locus, quia tum ipsum sanctificans omnium locorum sanctorum sanctificator Deus, à nobis & ab omnibus glorificatur. Ea igitur causa est laudandi
C sepulcrum Domini, ut quicquid de eo dicitur, solum referatur ad honorem sepulti Domini: unde non solum templo, non solum arcæ, non solum præsepi Dominico sepulcrum Domini præponitur, verum etiam absque ulla exceptione sacris omnibus locis antefertur.

Sed quid locorum salutarium, quem ob Salvatoris meruerunt gloriam, honorem discernens præsepi Domini sepulcrum Domini præfero? Altius aliquid aggrediendum est, ut secundum quamdam similitudinem matris Domini sublimior gloria appareat sepulcri Domini. Præparatus est ille virginalis
D uterus per Spiritum Dei ad suscipiendum adventum nascituri filii Dei. Præparata est ejusdem sancti Spiritus providentia salutaris specus, ad conferendum passione laceratum corpus resurrecturi filii Dei. De illa supercœlesti Virgine matre, & ejus sponso justo Joseph scriptum est: *Antequam convenirent*, Matth. 1. 18.
inventa est in utero habens de Spiritu-sancto, quia nullus ad illum Deitatis palatium temerator accesserat, nullus umquam accessurus erat; de isto salutari Salvatoris hospitio scriptum est, *in quo nondum quisquam positus fuerat*, quia nullius mortui corporis corruptela Luc 23. 53.
E fœdaverat. De illo ad mortalem vitam mortali adhuc morte amictus tamquam de talamo sponsus Salvator egrediens orientalis portæ virginalia sigilla illibata servavit, de ista corruptione jam in incorruptionem transfusa, morte in victoriam absorpta, corpus suum sepulcro clauso & signato eduxit. Istis rationibus magna gloria præsepis Domini, major gloria sepulcri Domini, ipsi gloriæ contigua matris Domini esse probatur; & hoc insuper evangelicis testimoniis & mira-

culis declaratur. Dignum enim erat ut non A solum regalis aula virginalis uteri, quæ prima venienti ad homines Deo congruum domicilium præparavit, & quæ gratia superna ac merito singulari ei complacuit, cœlestibus miraculis illustraret, sed etiam rationis & sensus expertia loca ad suscipiendum Dei Filium humana carne amictum præparata, sublimibus miraculis sacra esse monstrarentur. Video namque angelum Gabrielem de cœlis à Deo missum illi Beatæ Virgini colloquentem, eam inaudito prius venerationis genere salutantem, adventum Spiritus-sancti, conceptum Filii Dei cœlesti præconio nunciantem, & quanto dignus esset honore B ille cœlestis regis thalamus indicantem. Video deinde festivum ac terribilem angelum cum turbine maximo descendentem super revolutum à monumento Domini lapidem sedentem, custodes impiorum solo sui adventus terrore percellentem, sanctis mulieribus etiam sepulto Domino obsequi cupientibus, eum à mortuis surrexisse, ut prædixerat, nuntiantem. Cerno ad augmentum stupendi miraculi duos angelos non jam extra, sed intra septa venerandi sepulcri residentes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Intueor & Magdalenam Mariam impatienti Christum C amore suspirantem, secundo intus inspicien-
Joh. 20. 15. tem, ab eisdem angelis audientem *Mulier quid ploras?* Audio rursum angelos non tantum ad gloriam nati Domini, sed etiam ad de-
Luc 2. 12. cus sepulti Domini pastoribus loquentes: *Hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio.* Audio non dissimiliter non solum ad laudem sepulti Domini, sed etiam ad decus sepulcri Domini, an-
Marc 16. 6. gelum beatis feminis dicentem: *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic.* Et statim: *Ecce locus ubi posuerunt eum.* D Videtis, fratres, nascituri Domini habitaculum Virginem, nati Domini diversorium præsepe, sepulti Domini reclinatorium, sepulcrum angelicis præconiis, cœlestibus honoribus insigniri, & hospitis honore quantum ipsa hospitia humanis hospitiis honorari debeant angelicis officiis indicari. Magnus quidem & in creaturis excellens honor est matris Domini, & tamen etsi non componitur, tamen proxime adjungitur honor sepulcri Domini; sed sicut supra dictum est, licet magnus esse debeat honor præsepis Domini, ratione tamen & miraculis indicantibus, longe excellentior est gloria sepulcri E Domini.

Hujus gloriæ, ut dictum est, cum angeli attestentur, Dominus quoque angelorum adveniat, & ad gloriam sepulcri sui prophetarum suorum testimonia & exempla perducat. Judæis enim tentantibus & curiosa malignitate signa quærentibus, quid responderit
Matth. 12. 39. audistis, *Generatio*, inquit, *mala & adultera, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Non dabitur, inquit, eis, nisi signum Jonæ. Quod signum? Non enim fuit signum quia absorptum consumere non potuit: non fuit signum, quia in ventre ejus præda quam sorbuerat descendit; sed fuit signum quia in intestinis innumeris belluæ constitutum virtus superna à corruptione servavit. Non fuit signum si à vasto piscis corpore minoris corporis propheta absorptus est; sed fuit signum, quia nec absorptus mortuus est, nec sepultus corruptus est. Hoc ergo signum Jonæ Judæis datum est, quando Christus ab eis impie occisus, à piis hominibus pia voluntate ei obsequentibus in sepulcro positus est. Datum tum hoc est & concessum fuit impiis Judæis, ut ad implendam mensuram patrum suorum, exigente hoc iniquitate eorum, post prophetas quos illi occiderunt, isti Christum post servos quos illi peremerunt, isti Dominum post sanctos homines quos illi extinxerunt, isti Sanctum sanctorum, immo ipsum in humana carne apparentem Dominum occiderent, & quia erat mortuus, & egere sepultura videbatur, non obsequendo, sed persequendo sepelirent. Dandum erat hoc signum de terra signa de cœlo quærentibus, quia cœlestes homines signis cœlestibus decorandi terreni ac terrena sapientes pro impietatibus suis terrenis erant miraculis arguendi. Arguendi, inquam, erant sublimissimo sed de terra facto miraculo, ut Christo quem velut hominem occiderant, velut impotentem in sepulcro clauserant, sicut Dominum resurgentem, sicut omnipotentem de sepulcro, eo clauso & signato, exeuntem, aut confitentes salvarentur, aut negantes punirentur. Non enim, sicut de Jona dictum est, signum fuit, quia Christus mortuus est, sed quia in ejus morte mors omnium extincta est. Non fuit signum, quia sepultus est; sed quia claustris sepulcri nonnisi triduo retentus est. Non fuit signum, quia sepulcrum carne mortuus intravit; sed quia de sepulcro ad immortalem vitam carnem propriam reparavit. Non fuit signum, quod more omnium mortalium mori se ac sepeliri permisit; sed quia contra morem omnium corpus suum, ut dictum est, ad æternam vitam reformans, suos omnes etiam qui futuri erant, in se de sepulcris propriis eduxit, & ad beatam vitam quam amiserant reformavit. Ita vitali sepulcro suo mortuorum omnium sepulcra vivificans, ea non tantum corruptionis conservatoria, quantum incorruptionis præseminaria esse voluit, quia juxta Apostolum *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in infirmitate, surget in virtute.* 1. Cor. 15. 44.

Sic erit, ait, Christus filius hominis in corde terræ. erit, inquit, in corde terræ. Convertite animos ad cognoscendum cor terræ, quicumque corda ad intelligendum habetis, convertite, inquam, corda ad cor, &

& videte sublime latens in isto corde terræ A mysterium. videte æternam Dei sapientiam non solum fortiter, sed etiam suaviter omnia disponentem, non personas solum humanæ incarnationi ministras, non modum tantum eidem restaurationi congruum elegisse, sed etiam loca humani generis saluti aptiora ante sæcula providisse. Poterat quidem omnipotens auctor salutis hujus ad operandum hoc opus suum ultimos recessus indicere, extremos fines Galliæ, meridiei torrida, aquilonis gelida, vel quælibet alia spatiosi orbis loca eligere, sed quia fructus salutis hujus ad omnes æqualiter pertinebat, nec salvare mundi partem, sed totum simul B mundum disposuerat, maluit non in angulo orbis, sed in medio orbis; non in parte terrarum, sed in medio terrarum æquis velut spatiis contiguo redemtionis opera exercere. Commune enim opus, communem locum exigebat, ne si in remota aliqua terrarum parte fieret, tardius ad salutem suam qui esset remotior perveniret, tardius etiam ipsa ad longe positos se diffunderet, nec tam facile sonus ejus in omnem terram exiret; sed electus est medius & communis locus in orbe terrarum ad diffundendam communiter & festinanter salutem orbi terrarum, & ut nemo sibi vindicaret ut proprium quod C erat absque ulla exceptione generaliter universorum. Hic est plane medius ille orbis locus, quem Salvator cor terræ nominat, & in quo se requieturum ad instar Jonæ prophetæ requie triduana declarat. Illud certe, illud Redemtoris sepulcrum proprie cor terræ, id est medius mundi locus vocatur, licet & ipsa urbs Jerusalem, immo tota illa quæ promissionis terra dicebatur intelligi congruenter isto cordis nomine possit. Nam sicut cor humanum vel cujuslibet animalis medium corporis..... cui in terra illa, in qua Patres antiqui fidei christianæ conversati sunt, in medio circumposita mundi loco constituta videtur. Unde universaliter tota D illa terra patrum sanctorum, specialiter ipsa urbs Jerosolyma, in qua sunt Sancta sanctorum, specialiter vero sepulcrum Domini, cordis terræ nomine designatur, in quo requievit Sanctus sanctorum. Quia vero ab ipsa urbe Jerusalem disseminandum erat in omnes gentes evangelium regni cœlorum,
Isa. 2. 3. & ille affuit qui ait: *De Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem*, & ipse in evangelio post resurrectionem suam indicat Rex
Luc 24. 46. cœlorum, *Quoniam*, inquit, *sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis die tertia, & prædicare in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolyma.* E

Sed unde probatur Jerosolymam vel Jerusalem medium obtinere locum in universo orbe terrarum? Posset equidem suffragari nobis in hac parte, etiam ea quæ vocatur philosophica ratio, sed non indiget fulciri ratione humana ea assertio quæ roboratur auctoritate divina, quæ ut absque nubilo cognoscatur, adveniat clarum prophetæ Ezechielis testimonium, quo Spiritus Dei de jam dicta Jerusalem loquens, vera esse quæ dicimus approbavit. *Ista est*, ait, *Jerusalem, in medio gentium posui eam & in circuitu ejus terras*, de quo medio & maxime in prophetis David nihil sacramentorum salutarium more suo intemperatum relinquere volens *Deus*, ait, *rex noster ante sæcula; operatus est salutem in medio terræ*. Non, inquit, in angulo orbis, non in qualibet parte terrarum, sed in medio terræ Deus noster & rex operatus est salutem. Et quidem in omni parte tam proxima quam remota operatur Deus noster & rex sæculorum salutes, quia in omni loco & in omni tempore secundum decreta æterni consilii sui homines & jumenta salvat, sed tempore ante sæcula ad hoc præordinato in hoc de quo medio agitur terræ operatus est, non particularem, sed universalem salutem ille qui mandat salutes Jacob. De Jacob enim ait vero, non per philosophiam, licet fallere volentis Balaam, erit qui damnabitur. Videte ergo, carissimi; vos, inquam, sacrarum rerum studiosi, vos qui meditationi divinæ intenditis, vos qui verbo Dei assiduam operam datis, quorum cibus & victus, non adeo est panis terrenus, quantum ille de quo scriptura prophetica, *Panem Angelorum manducavit homo*, & de quo Salvator ipse, *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.*

Ezech. 5. 5. Ps. 73. 12. Ps. 77. 25. Joh. 6. 41.

Videte & scrutemini scripturas, in quibus non sicut Judæi maligni putatis, sed sicut benigni christiani pro certo agnoscitis vos vitam æternam habere. Videte qualiter pene omnes justi, quibus paginæ sacræ justitiæ testimonium reddunt, hanc de qua sermo est terram, in medio, ut dictum est, terrarum omnium constitutam, ipsam, inquam, non aliam incoluerunt. Oportebat enim ut per quinque millia annorum mundo in maligno posito, atque à principe tenebrarum occupato, terra illa in qua Dei Filius nasciturus pro salute sæculi erat, non ab impiis Dominum contemnentibus, sed à piis colentibus incoleretur, & sic cultu divino sanctificata, justitiæ operibus ab injustorum actibus segregata. Itaque ab immundorum sordibus emundata conditoris ac reparatoris adventui idonea exhiberetur. Unde eam, ut dictum est, ab initio usque ad Christum, justi pene omnes incoluerunt, & quod aliquid factum & magnum, singulare, & insolitum rector sæculorum de ipsa vel in ipsa quandoque vellet facere, continua sui inhabitatione innuerunt. Inde ipsius primi parentis omnium Adæ de paradiso expulsi, ubi per tanta quibus vixit tempora, conversatio fuerit in canone non legitur, sepultura tamen mortui ubi fuerit non tacetur. Loquens vero scriptura de civitate Ebron, quæ prius Arbe dicebatur, nunc autem alio vocabulo nuncupatur, ait: *Ibi Adam maximus inter Enachim situs est.* Jos. 14. 15.
forsitan erubescis?

Si vis ergo aliquid retribuere sepulto Domino, quia pro te jacuit mortuus in sepulcro, esto & tu sepulcrum ejus, ut & in te non tantum triduo, sed perpetuo maneat & vigeat memoria ejus. Absconditus apud te in fide firma, caritate perfecta, lateat JESUS-CHRISTUS, qui licet sicut tunc in sepulcro positus non appareat conspectibus humanis, pateat tamen manens apud te conspectibus divinis. Sit vita tua juxta Apostolum, abscondita cum ipso Christo in Deo, ut cum ipse vita tua apparuerit, tunc & tu appareas cum ipso in gloria. Assumat anima tua personam, speciem & amorem sponsæ illius formosæ, quæ in cantico amoris vulneratæ caritatis verba deprimens, loquitur: *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Dilectus, inquit, meus mihi & alteris, quia Dei Filius non cœlo & terræ, non soli & lunæ, non angelis ipsis, nec cuilibet creaturæ, sed mihi homo factus, mihi passus, mihi mortuus, mihi sepultus est, mihi resurrexit, mihi ascendit, mihi in hoc sæculo passionem in imitatione, in alio vitam in resurrectione, ascensum ad cœlos in sua ascensione, regnum in suo regno præparavit. Ego autem illi, id est in illum solum, non in alium sperando; illum, non alium vel aliud amando; ejus in omnibus mandatis obediendo, totam meam substantiam quam creavit ejus obsequiis impendendo; pro illo, etiamsi causa vel tempus se obtulerint, moriendo, qui pascitur inter lilia: quia dilectus meus cui cuncta bona placent; inter universa quæ placent, singulariter delectatur pudicitia, delectatur purificata conscientia, delectatur sequestrata à sordibus immundorum actuum vita. Filius enim Virginis & Agnus sine macula est, & idcirco non potest habitare in corpore subdito peccatis: quia ut de Spiritu ejus legitur, effugit fictum & aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripitur à superveniente iniquitate. Loquere & cum eadem sponsa in eodem Cantico: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Licet enim dulcis sit, & omnem dulcedinem superans dilectus meus, licet abscondat magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se: tamen ne sæculo oblecter, ne voluptate hujus vitæ pertrahar, ne forte peccata peccatis addendo, ne eis putrescam, ne malæ insuper opinionis fœtorem multiplicatis malis in proximos vel remotos diffundam, erit mihi myrrha amaritudinis dilectus meus, ut timoris ejus & amoris recordatione à malorum putredine incorruptam conservet, ut delectationem noxiam vi sua removeat, & ab omni inordinato amore carnem, ab omni superfluo affectu animam illibatam custodiat. Et quia secundùm divinam sententiam non parva, sed magna est humana malitia, & juxta apostolicum verbum, ubi abundat iniquitas, refrigescet caritas; non parva quantitas myrrhæ, sed fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi factus est: quia multa gratia ejus contra multam malitiam, multa timoris ejus amaritudo, contra multam carnis & sanguinis intemperiem, multa ejus virtus contra tanta vitia mihi necessaria est, qui inter ubera mea commorabitur, quia à memoria pectoris vel cordis mei, quod inter ubera etiam in corpore meo medium sibi locum vindicat, nullo umquam tempore separabitur. Imitabor & in hoc sepulcrum ejus quod velut in medio terræ positum continuit corpus ejus, retinendo in corde meo, quod quasi inter ubera mea medium est, perpetuam memoriam ejus. Sic à me spiritualiter & firmiter semper retentus & velut in sepulcro sepultus, inter ubera commorabitur mea, mecum semper versabitur, nullo umquam à me, ut dixi, tempore separabitur: Vere non separabitur ullo tempore, quia spretis rebus omnibus aliis & abjectis, JESUS mihi vita, JESUS mihi victus, JESUS mihi requies, JESUS mihi gaudium, JESUS mihi patria, JESUS mihi gloria, JESUS mihi omnia erit, quantum potero hic per spiritum & amorem, quousque possim, illic ubi promittitur, eum contemplari facie ad faciem, hoc modo, si in te ipsum susceperis, si ei talem in morte tua quietem paraveris, non mortale sed vitale, id est vitam continens, ejus sepulcrum efficieris.

Cant. I. 12.

Hoc exemplum sepulcri Domini sano in te intellectu refundens, felicius eo lapide Christo requiem præparabis, feliciorem etiam suscepti Christi exitum promerebis. Nam lapis ille in quo Salvator corpore requievit, nullam aliquando mercedem accipiet. Te autem, si modo quo dixi in te Christum sepelieris, paradisus excipiet. non ille gratiam, quia non habet meritum, tu gratia & merito obtinere poteris regnum cœlorum. Substantia illius lapidis in nihilum quandoque redigetur, substantia corporis tui etsi ad tempus annullari videatur, communis tamen resurrectionis tempore in integrum reparabitur. Non enim propter aliquam utilitatem ejus creator omnium & salvator suorum in saxo insensibili per carnem pausare disposuit, sed propter æternam salutem tuam in eo ad tempus requiescere voluit. Cujus requietionis ea sola & tota causa fuit, ut sicut ipse post innumeras passiones & crucis mortem jam non patitur, jam non moritur, nec passio, nec mors ei umquam deinceps dominabitur: ita & tu postquam ejus vitale sepulcrum fueris, & eum modo quo dictum est dum vivis continueris, misera hac vita exacta, jam non patiaris, jam non moriaris, nec in sepulcrum illud lapideum in frusta vel nihilum redigaris, sed de putredine, vel de cinere, vel de nihilo reparatus, ad æternam resurrectionem immortalis jam & beatus cum Christo reformeris.

Sed quid nobis salvatricis speluncæ arcana admirantibus, & de evangelicis apostolicis & etiam propheticis libris ad ejus gloriam testimonia proferentibus, tu maxime prophetarum tamdiu, Isaia, taces? dic, non ultra reticeas, sed sicut Salvatoris gloriæ in omnibus

famularis, ita sacri sepulcri ejus gloriam, sicut A spiritus ejus te docuit manifesta: Sicut enim nos de virga & flore, de Virgine & ejus partu, de Christo & ejus passione, de Judæorum reprobatione & gentium vocatione: sicut, inquam, nos de istis & omnibus fidei nostræ mysteriis docuisti, sic de magnificentia sepulcri Domini quid sentire debeamus insinua.
Isa. 11. 10. *In illa die*, inquit Isaias, *radix Jesse, qui stat in signum populorum, & ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.* Audite populi universi, audite gentes diffusæ in orbe terrarum, attendite linguæ & nationes diversæ, quæ vos posthabitas putatis, quæ contemtu huc usque dignas existimastis, attendite B & gaudete non oblitum vestri vestrum creatorem, in ira sua misericordias suas nequaquam ultra continere volentem, & non solum illis parvi numeri Judæos, sed & vestræ multitudinis infinitatem salvare misericorditer jam volentem. Audite divinum Prophetam, immo præcipuum in prophetis ad vos ante multa sæcula propheticum oculum convertentem. Videte Spiritum Dei, qui ubi vult spirat, eum inspirantem, & vestram salutem per Salvatorem implendam ante non pauca,
Isa. 11. 10. ut dixi, tempora prædicentem. *In illa*, ait, *die radix Jesse, qui stat in signum populorum*, & C quidem radix Jesse. Antequam hæc prophetia proferretur, fuit David, fuit Salomon, fuit Roboam, fuit Abia, & reliqui. Postquam autem prolata est, fuit Josias, fuit Joachim, fuit Zorobabel, fuit Salathiel, & usque ad Christum plurimi, nullus tamen eorum in signum populorum positus est, donec oriretur ille de eadem radice Jesse, qui in signum omnium populorum positus est. Hunc enim, sicut ipse loquitur, pater signavit Deus, signavit utique, ut esset in signum; sed ad quod signum signavit eum? ut scilicet in altissimum crucis signum more serpentis ænei elevatus in medio castrorum non Judaici tantum po- D puli, sed totius mundi sublimiter exaltatus omnium oculos ad se converteret, omnium animos ad se traheret in morte sua quam in cruce pertulit, totam omnes spem suam ponere admoneret, & sanando omnes infirmitates eorum, remittendo omnia peccata eorum, aperiendo etiam universis diu clausa regna cœlorum, secundùm prophetiam magni patriarchæ Jacob se esse eum qui mittendus erat, se esse eum qui expectatio gentium dictus fuerat, demonstraret. Hoc enim signum levavit ipse in nationes, ut congregaret profugos Israel, & dispersos Juda colligeret à E quatuor ventis. *Ipsum*, ait, *gentes deprecabuntur.* quid hoc verbo clarius? quid hoc sermone lucidius? quid hac prophetia manifestius? quid expectatis eam, ô gentes, ut obscuram exponi, cum nec ab ipsis cœcis ubilibet per totum orbem constitutis non possit non videri? Nonne vos ipsi, qui ab omnibus veteris testamenti prophetis gentes vocatæ estis, JESUM CHRISTUM radicem Jesse in signum sublime vobis positum assidue deprecamini? quamvis enim vobis à Deo electis paucitas Judæorum nimiis impietatibus & exosa facta repulsa sit, quamvis aliqua pars vestri, quia gratiam Dei quam susceperant abjecerunt à nequam Mahumet seduci permissa reprobata sit: vos tamen, vos aut in libertate, aut sub corporali infidelium servitute, quod nihil vestræ saluti æternæ obest, per universum orbem diffusi redemtorem vestrum ubique in signum salutis levatum attendentes deprecamini, & impletam in vobis magni prophetæ Isaiæ prophetiam lætamini; lætamini, inquam, tam felicis præconii in vobis prophetiam impletam. exultate & magnum David regem & prophetam suo illum testimonio confirmantem, atque spiritu Deo loquentem. *Omnes*, ait, *gentes quascumque fecisti venient & adorabunt coram te Domine*, Ps. 85. 9. sed quascumque fecisti. Sed quare dixit quascumque fecisti? Nonne omnes terrarum populos vel gentes ipse fecit? Nonne dicit alio in loco scriptura sancta: *Tu enim fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur?* Isa 37. 16. Sicut enim nullus alius creator omnium gentium est, sic nullus alius Salvator omnium gentium esse potest. In omnibus ergo gentibus, quas ille fecit, vos estis. Idcirco eum deprecamini, idcirco in nomine ejus genuflectitis, idcirco eum non solum oratis, sed etiam ut Deum, ut auctorem naturæ vestræ & reparatorem salutis vestræ adoratis, & eum hæc faciendo nomine & re, Jesum, id est Salvatorem vestrum & omnium esse probatis.

Et erit sepulcrum ejus gloriosum. Istius qui radix Jesse dicitur, istius qui in signum populorum ponitur, istius quem gentes deprecaturæ scribuntur. Istius, inquit, sepulcrum erit gloriosum. Audite, amatores gloriæ mundanæ, audite, qui in umbris fugacibus, in floribus marcentibus, in ventis inanibus gloriari soletis. Audite qui gloriam vestram in fragili potentia, in labili pecunia, in caduca superbia ponere consuetis. Videte omnem hanc gloriam vestram ad sepulcrum hominis mortui transferri, & illud omni humanæ voluntati vel jactantiæ anteferri. Sic enim Christus Dominus perversitatem mundi regula justitiæ castigavit, ut quod ipsi pro magno habebant, ipse vile & abjectum contemnendo monstraret; & quæ ipsi ut vilia conculcabant, ut horrenda fugiebant, ipse ea patiendo perferenda ac præferenda his esse omnibus judicaret. Ideo superbiam, ideo divitias, ideo reliqua omnia quæ in mundo amantur contemsit. Ideo vitam ipsam carnalem pro qua conservanda omnes in quantum possunt laborant, neglexit. Ideo mortem suam illi præposuit, ideo in sepulcro, quod omnes prout possunt fugiunt, voluntarius requievit. Unde & de eo gloriosa opera tam in cœlis quàm in inferno faciendo gloriosum esse debere ostendit. Gloriosum de eo inferos spoliando; gloriosum de eo cœlestia reserando, gloriosum de eo mortem destruendo, gloriosum de eo immortaliter resurgendo,

gloriosum de eo ad vitam immortalem per suam resurrectionem mortales homines reformando, gloriosum insuper ad ipsum sepulcrum suum orbis terrarum populos convocando, convocatos suscipiendo, susceptos justificando, justificatos salvando, & in salutem eorum quos ad mortem peccatorum & inferi liberat, quos ad justitiæ & felicitatis æternæ vitam resuscitat, se mortis ac vitæ Dominum comprobando.

Quid enim aliud, ô gentes, ad sepulcrum ejus venientes speratis? Quid aliud ab ejus sepulcro referre optatis? Quid aliud laboris præmium? Quam aliam periculorum mercedem diversarum mortium, quas ad illud euntes assiduè patimini, cursusque vestri quod aliud quam istud bravium expectatis? Quid planè vos aliud ab ignotis orientis finibus, à remotis occidentis partibus, ab ultimis austri aquilonisque recessibus ad sepulcrum quondam hominis mortui congregat, & tam diversarum terrarum & linguarum tantos populos ad unius lapideæ speluncæ angustum receptaculum coadunat? Quid vos, ô Galli Germanique populi, quid aliud vos Daci & Norici barbarie virtuteque feroces, quorum alii terreno, alii marino itinere sacrum locum bellicis sudoribus, fuso cruore, sed præclara victoria à jugo Persarum & Arabum eruistis? Quid aliud, inquam, mercedis pro tantis laboribus sustinuistis? Quærebatis sepulcrum, sed non in eo, sicut olim bonæ mulieres vel apostoli quærebatis sepultum. Noveratis mortuum illum, qui olim in eo quieverat, in cœlis residere, noveratis eum jam non de illo sepulcro, sed de sede majestatis divinæ angelis & hominibus imperare. noveratis non jam mortuum, sed viventem, non jam Judæis vel Romanis subjectum, sed sibi omnia deitatis potentia subjicientem. Noveratis non jam sepulcro vel inferno teneri, sed de locis cœlestibus toti terræ, ipsique inferno dominari. Quoniam vos non latere poterat in nomine JESU omne genu flecti, cœlestium, terrestrium, & infernorum, omnemque linguam debere confiteri, quia Dominus JESUS-CHRISTUS in gloria est Dei patris, nec esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri. Ista omnia scientes ad sepulcrum Dei & Domini nostri & creatoris & redemtoris vestri, non ut hostes, sed ut creatura, ut servi, ut redemti venistis, piis gladiis ab impiorum sordibus cœlestis munditiæ locum & habitaculum expurgastis, & ne ultra nequam servi dilectis filiis veniendi ad patris tumulum aditum possent intercludere providistis. Sic faciendo, sic sepulcro Salvatoris nostri, ô salvatæ gentes, animas vestras, animas efferendo, vestra corpora immolando, nullatenus quidem aliquid dignum pro tantis ab eo vobis impensis beneficiis retribuistis, sed tamen si facultas data esset, vos velle retribuere designastis, impletam in vobis istis operibus solemnem prophetæ Isaiæ prophetiam

A monstrastis, qua ante multa sæcula de vobis sollicitus Deus, & salutis vestræ, quam ipsi apud se ab æterno absconderat præscius, per jam dictum prophetam ait: *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, in Lydiam tendentes sagittas, Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres meos de cunctis gentibus donum Domino, in equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum Jerusalem, dicit Dominus.* Isai. 66. 19.

B Quod licet in fide christiana à vobis & patribus vestris per apostolicum ministerium susceptum impletum sit: tamen multo magis impletum est, quando amore Christi Domini & Dei vestri gloriosum ejus sepulcrum per vos à perfidorum dominio liberatum est, in quo vestræ devotionis fructuoso affectu, quia sepulcrum Domini vitæ vestræ præposuistis, quia pro eo infortuniis universis vos exposuistis, quia nulla pro eo pericula expavistis, quia pro eo horrenda supplicia, ipsamque mortem constantissime contemsistis, quia omnem vestram mundique gloriam ejus gloriæ subje-

C cistis. in his sane omnibus secundùm præmissæ prophetiæ tenorem, quæ dixerat: Erit sepulcrum ejus, id est Christi, gloriosum. gloriosum illud esse super omnia terrenæ habitationis loca declarastis.

Sed quid ego quasi solam hominis gloriam ad glorificandum sepulcri Domini locum propono, cum sicut Salvator de seipso dicit, *Ego habeo testimonium majus Johanne*, nos de gloria sepulcri Domini habere possimus testimonium majus omni homine? Majus plane omni homine testimonium est, quod non de terris, sed de cœlis est. Majus omni homine testimonium est, quod non ab homine, sed

D à solo Deo est. Majus omni homine testimonium est, quod non de imis locis natum est, sed de supernis locis exortum est. Accedite huc cum quibus mihi sermo est, omnes populi terrarum, & ad gloriam sepulcri Domini, singulare & à prima sæculi origine inauditum & invisum videte, & obstupescite fieri miraculum in orbe terrarum. Audistis miracula prophetarum, audistis miracula apostolorum, audistis ipsius Salvatoris adhuc inter homines viventis miracula, audistis innumerabilium ejus discipulorum infinita & miranda opera, quibus & Dei cognitio mortalibus

E se efficacius infundit, & bonorum hominum merita divina bonitas aliquando patefecit. Sed jam non dicam audite, sed dicam attendite, videte, accedite, & considerate, qui signum hoc admirabile ad gloriam sepulcri sui in tempore isto non auribus vestris obtulit, sed oculis vestris ingessit, ingessit, immo ingerit oculis vestris ignem [a] cœlestem, eoque sepulcrum suum non semel, sed annua- [a]

(a) Insigne hic designat miraculum, quod olim singulis annis contingebat in sepulcro Domini, ubi in vigilia Paschatis ignis divinus de cœlo descendens omnibus videntibus

tim honorat. Innuit, immo apertè clamat A quanto illud homines honore colere debeant, cum tam præclara & cœlos præbere obsequia videant. Mittitur à Patre luminum de cœlis lumen ad terras, & à sepulcro Domini corporales tenebras fugans, lumen quod illuminat omnem hominem ibi quondam latuisse, inde quondam surrexisse clarius omni luce demonstrat, fortius omni argumento confirmat, fugat de tenebris hominum, quos tamen ductrix omnium ad vitam gratia irradiat, omnes dubietatis tenebras, nec fidem quæ in Christo est vel in modico vacillare permittit, dum tantæ novitatis signum nonnisi à Deo posse fieri cernitur, nec nisi veritati veritas, B quæ Deus est, testimonium posse ferre cognoscitur. Supplet plenissime nobile miraculum antiquorum miraculorum locum, nec istud attente considerans, ea post istud sibi necessaria ad roborandam fidei gratiam judicabit. Quid enim si tu qui ad roborandam fidem tua signa requiris à prophetis Christum prædicentibus, ab apostolis Christum prædicantibus, ab innumeris quoque aliis ejus discipulis cæcos illuminari, surdis auditum restitui, mutos loqui, leprosos curari, dæmones expelli, morbos omnes auferri, mortuos suscitari, montes transferri, atque alia diversi generis omnem numerum excedentia signa C fieri non vidisti? Numquid non alienis sed tuis oculis signum hoc admirabile, & pene omnibus præferendum ab eodem signorum auctore, ad ejus sepulcrum fieri non vidisti? quod si forte quia non aderas non vidisti; numquid ab innumeris qui viderant hominum millibus illud referentibus non audisti? nam licet adeo frequenter nostris his diebus miracula jam dicta non fiant, quia nec jam mundo scientia Domini repleto sicut primis temporibus necessaria sunt, nec illi qui fidem, quam patres eorum tenuere, abjecerunt, etiam digni sunt; licet, inquam, non adeo ut prius tam frequentia miracula D fiant, datum est tamen hoc nostris sæculis miraculum; quod sicut dictum est plene supplere valeat illorum omnium locum miraculorum.

Nonne enim ut de digniori inter miracula miraculo loquamur, aut majus aut saltem æquum est ignem de cœlo deponere & animam ab inferis revocare? nonne æque mortalibus & impossibile & stupendum videtur & spiritum de imis redire, & ignem de supernis venire? nonne æqualiter pugillo divinæ potentiæ concluduntur & spiritus mortuorum & ipsa corporalis & ignea vis cœlorum? non est hoc miraculum sicut portenta magorum, E inane aut phantasticum, sed verum, corporale, ac solidum, quia ignis corporeus ad gloriam sepulcri Domini de cœlis à Deo missus corporalibus papyri vel stupæ speciebus adjungitur, & corpore olei ceræque depascitur. Apparet visibili hominum splendore, indicat tactibus hominum calore ignem se esse corporeum, implens imposita sibi annuæ servitutis officia, ad honorem corporis Domini olim in illo corporali sepulcro conditi, corporali & publico officio deservit. Quid igitur quæris videre mortuum de terra surgentem, cum videas è terris ignem è cœlo fulgentem? de cœlo plane tibi datum est hoc signum, sicut Judæis datum fuerat de terra signum: illis sicut infidelibus & terrenis datum est signum de terra, tibi sicut fideli & cœlesti datum est signum de cœlo. Illis datum est signum de terra Christus in corde terræ, id est in hoc sæculo sepultus, ut morte ejus quam ipsi intulerant aut aversi damnarentur, aut conversi salvarentur; tibi datum est signum de cœlo, primo Christus resurgens & in cœlos ascendens, deinde ignis ab ipso de cœlo missus, ut lumine cœlesti magis spiritualiter illumineris, ut calore ejus magis spiritualiter accendaris, & sic illuminatus agnitione divina, accensus claritate superna suo tempore ad cœlestia proveharis. Est ergo, ut dictum est, de cœlo ignis cœlestis, quo homines illustrati & accensi ad amanda cœlestia animentur & à JESU-CHRISTO Domino suo hujus tanti miraculi auctore, ad ea ante sepulcrum animabus, post sepulcrum corporibus subleventur.

Advertendum est & hoc ad augmentum miraculi, quod non Nazareth ubi Christus conceptus, non Bethleem ubi natus, non Capharnaum ubi nutritus, non alia Judææ vel Galilææ loca, in quibus infans, puer, adolescens, juvenis educatus, demoratus, conversatus est, lumen illud cœleste illuminat, sed solum sepulcrum Domini & venerabiliter infulgendo honorat. Addendum est & hoc ad insignis signi altitudinem commendandam, quod non die conceptionis Domini, non die natalis Domini, non die apparitionis Domini, non die repræsentationis Domini, sed die passionis uno die sepulturæ Domini ignis iste cœlestis in terris apparet, nec de tribus diebus ac noctibus quibus Salvator jacuit in sepulcro, aliam quam sabbathi, id est requiei, diem ad demonstrandum eligere solet, & cum annuo recursu passionis vel sepulturæ Domini memoria non designata, una eademque die, sed secundùm patrum regulas maturius vel serius celebratur, non fallitur mutati miraculi certitudo, sed cœlestis benignitas devotionem prosequens ecclesiæ suæ die quo Christus in sepulcro carne quiescens recolitur & adoratur, cœli sublimia humilitati terrenæ adjungit, & tam nobili & jucundo miraculo christianorum suorum solemnia condecorat. Magnum quidem & admirandum fuisset, si tantum semel patrum vel nostris temporibus

ecclesiæ lampades accendebat: cujus quidem miraculi testes sunt Bernardus monachus, qui anno 870 Hierosolymam profectus, illud à se visum refert in suo Itinerario, vetus Pontificale ecclesiæ Pictavensis ante annos 800 manu exaratum, Rodulphus Glaber l. 4. Hist. c. 6. Leo Ostiensis Chronici Casinensis lib. 3. c. 3 Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, auctor Historiæ belli sacri tom. 1. Musei Italici Mabillonii n. 102. Guillelmus Malmesburiensis lib. 4 de regibus Anglorum, Chronicon Andrens. Spicil. tom. 9. & Chron. Fontanense ibid. tom. 10.

A signum hoc mortalibus apparuisset, sed nunc longe majus & mirabilius esse quis non videat, cum ante multorum annorum spatia nullum neque patrum neque nostris diebus ab hoc miraculo annum, fidei & saluti hominum consulens, superna pietas excipiat, continuata est jam isto miraculo tanta series sæculorum, ut nullus nec in decrepitis senibus reperiatur, qui ab aliquo præcedentium hujus tanti signi exordium se audiisse aliquando fateatur. Ita omnipotens dispensator, qui unicuique tempora providet & dispensat, rarescentibus prioribus miraculis, istud eis jam ex longo tempore succedere voluit, tantumque esse decrevit, ut & vicem præcedentium signorum compleret, & se mundo & christianæ fidei non solum per gratiam, B sed nec etiam per miranda opera, ubi necessaria sunt, posse deesse monstraret. Quare hoc? quare, inquam, loca vel dies conceptionis, nativitatis, apparitionis, repræsentationis, ipsius quoque resurrectionis vel ascensionis, loco vel diei sepulturæ cœlesti judicio, cœlestibus dignitatibus indicantibus superponuntur. Patet, patet ratio, totis ulnis affectuum amplectenda. Conceptione enim Christi vel nativitate vel apparitione vel repræsentatione & similibus opus nostræ salutis inceptum est, sed sola morte ejus perfectum est, unde & in cruce, in qua mortem passus est, ut hoc ita esse ostenderetur, ab eo dictum est, *Consummatum est*. More ergo omnium utilium operum dignior est etiam hujus C operis divini perfectio quam inceptio, consummatio quam inchoatio, finis quam principium. Nihil enim nobis Christum nasci, nihil circumcidi, nihil baptizari vel baptizare, nihil prædicare, nihil divina & miranda opera facere profuisset, nisi mors ejus pro vita mortuorum justitiæ Dei oblata fuisset; sed postquam morte corporis justitiæ Dei satisfactum est, succedente ejus misericordia, mortuus homo vitæ redditus est. Fuit ergo perfectio omnium ejus operum mors suscepta pro vita omnium hominum. Unde quia ipse hac gratia pro mortuis mortuus locum hunc sepul- D cri, in quo quiescere elegit, omnibus illud sacris locis hac electione præfecit. Nam sicut mors ejus præfertur omnibus operibus ejus: ita locus mortis ejus merito præfertur locis omnibus mirabilium operum ejus. quod vero diem resurrectionis, quod diem etiam & locum ascensionis diei vel loco dominicæ sepulturæ vel mortis supposui, non dignitatis prælatione, sed velut causæ & effectus distinctione monstravit. Sicut enim hominis peccatum mortis causa fuit, ita resurrectionis & E ascensionis causa eadem Christi mors extitit. Nam neque Christus moreretur, nisi peccatum pro quo mortuus est præcessisset, nec à mortuis resurgeret, nisi mortuus ante fuisset. Et sicut effectus causæ quæ peccatum dicitur, mors Christi fuit; ita effectus causæ quæ mors Christi vocatur, resurrectio & ascensio extitit. Quia enim præcessit peccatum, resurrectio & ascensio consecuta est. non ergo ut dixi, quantum ad dignitatem, mortem Domini resurrectioni vel ascensioni præfero, sed unde illa originem trahant ostendo. Mors enim Christi resurrectionis & ascensionis causa est, resurrectio vel ascensio ipsius causæ effectus est. Mors Christi prælii victoria est, resurrectio & ascensio triumphus victoriæ est. Mors Christi pretium est, resurrectio & ascensio præmium est. Sicut igitur in humanis commerciis non potest sequi præmium emtionis, nisi præcedat pretium venditionis, nec potest sequi præmium remunerandi, nisi præcedat pretium obsequendi: sic in hoc divino commercio non posset sequi præmium resurrectionis, nisi præcessisset pretium redemtionis: quia ergo per redemtionem ipse est ad retributionem; idcirco dies redemtionis præfertur diei resurrectionis; & hoc eodem merito idem dies & locus redemtionis diei & loco præponitur ascensionis. Claret ergo hac ratione non incongruè hoc in loco pretium præmio anteponi, quia, ut dictum est, non esset iter ad præmium, nisi præcederet pretium. Ea causa dies resurrectionis cum die & loco ascensionis diei & loco sepulturæ Domini postponitur. Et licet infirmitatis sit mori, virtutis resurgere, ignominiæ descendere, gloriæ ascendere; tamen quia per infirmitatem ad virtutem, per ignominiam ad gloriam pervenitur, infirmitas virtuti, ignominia hoc loco gloriæ antefertur.

De his ne quilibet mortalium dubitaret, ne ficta magis quàm vera putaret, tu Pater omnipotens humanæ mentis obscuris involucris occurristi, & lumine cœlesti ad sepulcrum filii tui dimisso, omnes hujus obscuritatis tenebras effugasti. Fugasti certè humanas tenebras luce superna, & sepulcrum illud, ubi lumen de tuo lumine natum, & per susceptæ carnis mortem quasi obscuratum delituit, terrenis omnibus locis esse præferendum monstrasti, commendasti in gloria sepulcri ejus magnifice complectendam esse humilitatem sublimem ejus, quia humilitas humilior esse non potuit, quam quando se idem filius tuus de altissima sede majestatis tuæ non solum usque ad terram vivus, sed etiam usque ad sepulcrum mortuus inclinavit. Neque enim adeo commendanda erat à te naturalis majestas, quantum assumta mortalitas; non adeo innata potestas, quantum mutuata debilitas; non adeo propria celsitudo, quantum aliena, sed in te suscepta abjectio. Idcirco magis sepulcrum ejus quàm alia loca humanitatis ejus, tu qui facis ministros tuos ignem urentem, igne misso de cœlis, honoras, ut quæ ob tantæ humilitatis abjectionem humiliora videri poterant, tam sublimibus miraculis gloriosiora esse clarescant: gratam tibi in hoc & Christi tui humilitatem & christianorum tuorum esse indicas devotionem, dum signo illo quo antiquorum sanctorum affectus tibi placere monstrabas, eodem etiam obsequia tibi complacere demonstras.

Discrevisti olim inter munera Abel & A Cain signo isto, hoc est igne cœlesti, & quid tibi in uno acceptum, quid in altero esset ingratum, per scripturam tuam nos docuisti dicentem: *Inflammavit Dominus super munera Abel, super munera vero Cain non inflammavit.* Dedisti idem signum per magnum prophetam Heliam à te aversis Judæis, & quantum inter cultum creatoris & creaturæ distaret eodem ignis signo monstrasti, dicente
3.Reg.18.21 prædicto servo tuo Helia ad populum, *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Et rursum de sacerdotibus ido- B
Ibid. 23. lorum: *Dentur vobis duo boves, & illi eligant bovem unum, & in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant, & ego faciam bovem alterum, & imponam super ligna, ignemque non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum, & ego invocabo nomen Domini, & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Clamavit ergo servus tuus Helias, & quod solus universorum sis Deus, misso de cœlis igne, holocaustum ejus absumente, docuisti. Sic plane, ô Domine, sic creator omnipotens, sic inter nos & inter Judæos vel ethnicos hoc tempore facis, sic eorum vota, C preces, & munera abjicis, sic tibi odiosum esse ostendis. Sic eis reprobatis, nostra approbas, sic tuorum sacrificia christianorum preces & vota tibi placere pronuncias, dum ad filii tui sepulcrum, quod soli isti honorant, ut reveletur eumdem ignem de supernis dirigis, dum eorum corda in amorem tuum eodem igne accendis, dum eos ejus splendore hic & in æternum illustras. Et quia perfidi hostes Christi tui magis ejus mortem, quam aliqua ejus humilitatis opera contemnunt, tu tanti luminis miraculo locum mortis ejus decorando, quantis stultitiæ tenebris te- D neantur ostendis. Contemnunt ipsi præcipuè mortuum, honoras tu præcipuè mortui sepulcrum, & quod ipsi putant ignominiosius, tu signo tam mirabili esse indicas gloriosius. Reprobas Judæos sicut invidum Cain, reprobas gentiles sicut cultores Baal, & super sacrificia eorum inflammas, eligis christiani populi hostias, sicut munera Abel, approbas ejus sacrificium sicut holocaustum Eliæ, dum sepulcrum in quo filius tuus pro nobis factus hostia requievit, igne de supernis transmisso inradias. Latebat olim in parva Bethleem, parvulo loco, parvulus juxta carnem idem filius tuus ex hominibus ignorantibus eum mi- E rabiliter stella indice prodidisti, at nunc mirabilius locum sepulcri ejus cœlesti luce illustras, & eum non ut hominem mortuum in sepulcro latere, sed ut Dominum de cœlestibus locis vivis ac mortuis imperare designas. currunt eo miraculo, sed maxime tua gratia tractæ ad sepulcrum tuum, JESU-CHRISTE, fili Altissimi, gentes universæ, & non solum te Deum & Dominum suum, sed & mediatorem, redemtorem & salvatorem fatentur. Offerunt seipsos tibi, qui teipsum

pro eis hostiam obtulisti, nec ut te in tuo sepulcro adire possint, terræ marisque pericula ulla verentur. Sciunt quidem jam in illo te sepulcro non jacere ut mortuum, sed in cœlis regnare ut Deum vivum, sed tamen quem ad te affectum habeant, lapidem in quo jacuisti, immo per ipsum te in lapide venerantes ostendunt. Osculantur piis mentibus peccatores pœnitentes lapidem tuum, & quia sicut peccatrix sed pœnitens illa Maria pedes tuos super angelorum verticem constitutos osculari non possunt, ostendunt ibi lacrymando vulnera sua, ne se super eos continere valeant super miseros semper misericordia stillantia viscera tua. Non ignorant te à tempore passionis mortis & sepulturæ tuæ majore super eos quam ante pietate moveri, quia eos non facile mori permittis. Noverunt non posse te pati æquanimiter irritum fieri tanti pretii pretium, quod pro mortalium vita dedisti, nec ferre patienter, ut post mortem tuam hi pro quibus mortuus es moriantur, regno enim mortis quo usque ad te protensum fuerat succedere vitæ regnum fecisti, & tam diram ac longissimam servitutem tanta ac perpetua libertatis gratia mutasti.

Ostendisti per ipsum diem, in quo mortuus es, per ipsum locum in quo sepultus es, pro quibus & quare mori & sepeliri voluisti, & hoc melius rebus quàm verbis ignorantes homines docuisti. Non sexta die creasti hominem, quia sexta hora illud quod deliquerat per lignum expiando ad paradisum revocasti hominem. Post meridiem ad auram in paradiso deambulans, peccatorem increpando dixisti: *Adam ubi es?* Post meridiem hora nona emittens spiritum peccatorem ad paradisum reduxisti, cui dixeras: *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc 23.43. Ad quam paradisum, ut omnibus post latronem per mortem & sepulturam tuam aditum patefactum monstrares, in paradiso, hoc est in horto pati, in paradiso crucifigi, in paradiso mori, in paradiso sepeliri, de paradiso etiam resurgere voluisti. Sic enim loquitur dilectus discipulus tuus, apostolus tuus, evangelista tuus. Sic certe de loco in quo captus pati cœpisti, ait: *Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem* Joh. 18.1. *Cedron, ubi erat hortus.* Sic Petrus alia etiam de loco mortis & sepulturæ tuæ testatur: *Erat*, inquit, *in loco ubi crucifixus est hortus,* Joh. 19.41. *& in horto monumentum novum.* Ergo quid aliud, ô Domine, ô Patris æterni invicta Virtus, ô summa Sapientia, non tantum fortiter, sed pulcrè suaviterque disponens omnia? quid, inquam, aliud, ut dictum est, in horto captus, in horto crucifixus, in horto mortuus, in horto sepultus, de horto resuscitatus, quam hominis per ista omnia ad hortum, id est ad paradisum reditum designasti? expiasti in horto quod commissum fuerat in horto, & ut culpam in horto perpetratam dilueres, pœnam culpam illam expungentem in horto subiisti. intulerat homini horti culpa æternam mortem, restituit homini horti pœna æternam

vitam. sic misericorditer & eleganter opus tuum, ô Salvator, redintegrans, quod perierat restaurans, per mortem tuam hominis tui mortem destruxisti, per sepulcri tui quietem animabus tuorum quietem providisti, per resurrectionem carnis tuæ sepulcro carni humanæ resurrectionis gloriam præparasti. Adhibe igitur pias aures ad sepulcrum tuum venientium precibus, inclina etiam eas remotorum te in sepulcro tuo venerantium affectibus: quia obesse non potest illa benignitas & communis pietas his quos & bona conjungit voluntas. Pacem enim quam per cœlestis exercitus sacram militiam bonæ voluntatis hominibus natus nunciasti, de sepulcro resurgens & pax vobis dicens per teipsum eisdem hominibus bonæ voluntatis exhibuisti. Unde quia tu æternus es, pacem nominando, eam non transitoriam, sed æternam designasti, hanc à te & sepulcro tuo proximi ab eo etiam corpore remoti implorant. Suscipe ergo tu, qui in sepulcro mortuus jacuisti, qui de sepulcro à mortuis resurrexisti, preces & fletus & affectus tuorum, & à tuo nomine Christianos vocatos tuæ crucis caractere insignitos, eo signo Israelitarum more ab Ægyptiis hoc est ab omni infidelium numero distinctos baptismate tuo, & peccatis omnibus lotos, corpore & sanguine tuo ad vitam æternam refectos, spiritali affectu mortuos & sepultos. Hos, inquam, omnes tu, qui resurgens à mortuis jam non moreris, tecum resuscita, vacua tuo sepulcro sepulcra eorum, destrue morte tua mortem eorum, repara tua vita vitam eorum, para ascensu tuo ascensionem eorum, & ut debito fine concludas omnia quæ pro eis fecisti, da eisdem regnum cœlorum; tu qui rex es & dominus regni cœlorum, præsta ne à diabolo, peccatis aut mundo impediti confundantur ab expectatione sua, sed per te, qui expectatio gentium dictus es, beata eorum spes in adventu tuo commutetur gloria & felicitate æterna. Apparebit tunc longe amplior gloria sepulcri tui, quando hi qui te in humilitate sepultum devotis sunt obsequiis prosecuti, non solum in animabus, sed etiam in corporibus perpetuam de sepulcro resurrectionem, immortalitatis gloria fuerint sublimati. Nam qui in hac peregrinatione eis ad patriam tendentibus per susceptæ carnis humilitatem factus es via, apparebis eis per divinæ potentiæ majestatem veritas & vita sempiterna, qui vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

PETRI VENERABILIS

DE SANCTO MARCELLO PAPA ET MARTYRE.

NATALEM, fratres, gloriosi martyris & summi pontificis Dei Marcelli hodie cum honore & gaudio celebrandum suscepistis. Et merito cum honore & gaudio, ut eum ad summum honorem & sempiternum gaudium hoc suo natali pervenisse significetis. Et unde hoc probamus? Unde, inquam, probamus? Unde ostendimus diem mortis natalem ejus esse, & eum hoc natali ad summum honorem & sempiternum gaudium pervenisse? Natalis, carissimi, sive generationis in scripturis divinis ille dies dicitur, quo sicut de utero sic de morte ad vitam pervenitur: unde Dominus in Evangelio spiritaliter docens omnem hominem ad vitam debere renasci, Nicodemo ait: *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Rursum illam, quæ in consummatione sæculi futura est, etiam corporum resurrectionem generationem vocans ait discipulis: *In regenerationem cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim.* Sicut igitur per aquam & spiritum de peccati morte ad vitam justitiæ homines renovati renasci dicuntur: & sicut de sepulcris ad vitam immortalem resurgentia corpora regenerari perhibentur, sic sancti Dei de corpore mortis hujus gratia Dei liberati, & ad vitam quæ post mortem eis datur translati, merito nati referuntur. Hinc & dies ille quo de miseria ad beatitudinem, quo de tenebris ad lucem, quo de morte ad vitam transferuntur, non ut dies funeris cum mœstitia, sed ut dies natalis cum lætitia celebratur. Ista enim sanctorum nativitas longe verior, quam illa carnis est, in qua non de matrum uteris ad vitam miseram & cito finiendam exeunt, sed de mundi angustis tenebris ad liberam lucem & æternam vitam conscendunt, de qua Dominus: *Ego sum*, inquit, *resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet.* Tali ergo modo felix beati Marcelli de terris ad cœlos transitus ejus dies natalitius vocatur, qualiter vero hoc suo natali ad summum honorem & sempiternum gaudium pervenerit à domino audiamus: *Si quis*, ait, *mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis est.* Videndum est quomodo Christo beatus Marcellus ministraverit, & qualiter bene ministrans, à Patre honorificari meruerit. Ministravit ille Christo in omni cleri ministerio, ministravit

Matth. 19. 28.
Joh. 11. 25.
Joh. 12. 26.

ministravit in pontificatus officio, ministravit in multiplici martyrio, neque enim in pace ei licuit ministrare, sed imposita est necessitas etiam militare. Nec tantum rei familiari providere ut sapiens & fidelis dispensator jussus est, sed ut probatus miles & peritus bellorum dux cœlestis militiæ in magnis præliorum periculis factus est. Probat hoc atrocior solito suo tempore emergens persecutorum immanitas. Probat largiter ubique profluens martyrum sanguis. Probat orbis totis adversus Christum viribus dimicans.

Multa quidem ante adversus ecclesiam Dei satanas molitus fuerat, multas à Neronianis temporibus incipiens tempestates excitaverat, sed nihil se proficere cognoscens, hujus beati viri diebus totam vim furoris effudit, & de tumente utero omnem veneniferæ pestis plenitudinem evomens, regna universa contra eam movit, & Romanos Principes qui ferè omnibus dominabantur, ad eam si fieri posset eradicandam acrius instigavit. Nam ut multiplicia mortium genera seponantur, ut innumera occisorum illis persequentibus christianorum agmina supprimantur, soli triginta dies, decem & septem millia in Christi confessione suo sanguine purpuratos cœlestium camporum floribus addiderunt.

Tunc & beatus Marcellinus summus apostolicæ sedis episcopus, & præcipuus ovium Christi pastor, eisdem ovibus sibi creditis per martyrii coronam adjunctus est. Hujus tempore beatus Marcellus, cujus passione hodiernus dies illustris est, presbyterii honore insignitus, & post ipsum atque cum ipso principalem ecclesiæ Dei solicitudinem gerens, nihil remissum esse patiebatur; sed quanto majus videbat instare periculum, tanto ad omnia toleranda majorem parabat & animum.

Ducitur interea pontifex Marcellinus ad victimam, sequitur & presbyter Marcellus ad coronam, optat pati cum magistro discipulus, sed differtur ad pugnandum diutius. Non permittitur eum comitari ad requiem, quia ad majorem reservatur laborem. Pergit cum eo quasi pariter moriturus, sed Deo providente non moritur episcopo successurus. Præparat ecclesiæ suæ Christus idoneum rectorem. Providet navi suæ multa vi fluctuum laboranti doctissimum gubernatorem. Conservat in acriori certamine fortissimum præliatorem. Abscondit in pharetrâ sagittam, quâ postmodum durum transverberet hostem.

Adjurat ergo antequam pateretur beatus papa presbyterum, ne in aliquo consentiat impiis præceptis imperatorum. Forte martyr sanctus, spiritu admonente, didiscerat eum pro se Christi ecclesiæ præponendum, quem tam sollicite in ipsa jam pene sui sanguinis

A effusione putavit admonendum. Prædixit in hoc verbo gravi verbere flagellandum Domini gregem, cujus tam intente ne deficiat hortatur pastorem. Sic & Christus summus Pastor, passione imminente, de grege quem quasi relinquebat sollicitus, ait Petro: *Simon ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Luc. 22. 32. Ita beatus Marcellinus locum Petri habens, & eum beato Marcello relinquens, ne deficeret admonuit, & ad mala quæ sequebantur æquanimiter toleranda animavit. Nec putet quispiam tantum eum beato B viro in multis jam probato timuisse, quantum alios quibus timendum erat, in ipso quasi eorum personam gerebat, talibus sermonibus instruxisse: etsi enim à Christi martyre forti viro non erat formidandum, erant tamen infirmi quibus erat utique metuendum, de quibus paterna cura sollicitus successuro pastori eos commendabat attentius.

Consummatur igitur sanctus pontifex glorioso martyrio, & remanet Marcellus in majori quam fuerat ante periculo. incumbit ei cogitare de grege quem cernit proprio viduatum pastore. Videte, fratres, quanti fuerit apud Deum martyr noster, cujus hodie C festa solemnizatis. Videte, inquam, quid de eo judicium cœleste decreverit, & sic videbitis quantus fuerit. De virtute militis consulite sententiam imperatoris. Consurgit vehemens contra Christi militiam persecutionis pressura. Conjurat mundus in arma: fremunt gentes, & populi meditantur inania: astant reges terræ & principes conveniunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus: exerunt gladios, prosternunt exercitum, interimunt ipsum ducem, reliquos fugantes ubi ubi dispergunt. At miles noster fugatos revocat, revocatos congregat, instaurat aciem, hortatur ad bellum, aggreditur hostes, pugnat D acriter, victoriam obtinet, victor exultat. Sic, sic beatus Marcellus in spirituali agens prælio, virtute animi in Christi militia insignis effulsit. Undique enim gladio sæviente, ubique persecutore instante, Diocletiano & Maximiano ferociter urgentibus, tot sanctorum millibus interemtis, ad hoc ille, ut diximus, singulariter ad tempus servatus est, ut ecclesiam per multum temporis pastore destitutam atque trepidantem meritis defenderet, consilio muniret, labore sustentaret.

Attendite, fratres, & considerate quantus tribulationis ignis ecclesiam Dei illo tempore E exurendo probavit, quando per septem [a] annos & sex menses ac diebus viginti quinque; [a] quod numquam ante nec post contigisse legitur, nec Romana sedes episcopum, nec universalis ecclesia apostolicum super ceteros potuerit habere pontificem persecutionis tur-

(a) Id desumsit Petrus Venerabilis ex libro de Romanis Pontificibus Damaso attributo, quod certe stare non potest: nam cum Marcellinus martyrio coronatus sit anno 304 circa extrema Diocletiani Imperatoris tempora; Marcellus verò postquam quinque annis & aliquot mensibus sedisset, obierit anno saltem 310. sedes vacare non potuit per septem annos, sed aliquibus tantùm mensibus.

bine prohibente, clero & populo qui supererat nec conveniendi possibilitas, nec eligendi potuit esse facultas. Toto hoc tempore beatus Marcellus ante pastoralem curam pastorale gerens officium, vices summi pontificis indoctos instruendo, trepidos confortando, Christi sacramenta tribuendo, omnia in tanto mortis timore providendo indesinenter agebat. Mortuos pro confessione fidei, quorum pene quotidie acervi fiebant, sollicite disquirens & colligens sepeliebat. Unde & beati Marcellini papæ ac sanctorum martyrum Claudii & Sirini corpora quæ per triginta sex dies jussu Diocletiani ad terrorem christianorum in platea jacuerant, noctu veniens cum presbyteris & diaconibus, rapuit, & sepelivit in cryptâ clarâ viâ Salariâ cum Dei laudibus.

Assumitur deinde aliquantulum sedato persecutionis fervore in summum pontificem. Gratulatur ecclesia magnum se nunc tandem habere pastorem, probatum etiam adversum cuncta certamina, ac fortissimum propugnatorem. Hæc duo in illo specialiter effulsisse, ut scilicet & commissis sollicite provideret, & hostibus fortiter resisteret, susceptum multo magis probavit officium. Nam quod sollicitus & pervigil in ecclesiæ administratione sive ordinatione fuerit, declarant plurima ab eo, prout temporis ratio permittebat, salubriter disposita atque ordinata. Sic quippè de eo inter cetera in gestis scribitur: „Hic fecit cimeterium viâ Salariâ, & viginti quinque titulos in urbe Româ. Constituit & dioceses propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, & propter sepulcra martyrum. Hic ordinavit viginti quinque presbyteros in urbe Româ, & diaconos duos per mensem Decembrium." Vere magnus dispositor, vere providus ordinator familiæ Christi, qui non cogitabat exertos super cervicem inimicorum gladios, nec periculum imminens attendebat, sed velut tranquilla pace perfruens universa procurando non cessabat, suamque mortem vice omnium impendebat.

Propterea rursus beatus martyr à tyranno comprehenditur, ecclesia in stabulum redigitur, animalia publica in ea congregantur, sub arctâ custodiâ papa stabularius esse cogitur. Desudat per multum tempus in tam laborioso & tam injurioso officio, deservit cum multa patientia animalibus, nudus amictus cilicio. Non ille gladio peremtus, non igne consumtus, non aquis immersus, non præcipitio collisus est, ne compendio finitus laborem requie, dolores gaudiis commutaret. Sed tali est ministerio deputatus, cujus ignominia plusquam ignibus concremaretur, corpus nimia fatigatione attereretur, nec adhuc multo transacto tempore finiretur, horresceret aspectus sordes, odoratus non ferret fœtores, carnem durus atque assiduus labor consumeret, fames hinc acriter instans urgeret, illinc nuditas miserias cumularet, & inter multimoda angustiarum genera nequaquam moriens, morte miserius semper deficeret. Ita martyr egregius non tam animalibus quam Christo ministrans, ad illum quem in initio sermonis diximus, ministrantium honorem pervenit, de quo ipse Dominus Christus ait; *ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Joh. 12. 26.
Ad tantum ergo honorem bene ministrando beatus vir provectus est, ut illuc conscenderet ubi Dei filius est. Quale vero pro tot angustiis gaudium obtinuerit, & ipse Dominus indicat loquens discipulis: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Joh. 16. 22.
Habent vere nunc sancti tristitiam, non quia mala mundi inviti sustineant, sed quia illa sensus naturaliter molesta fugientes conturbant. Hanc conturbationem sive tristitiam in se ipse Dominus suscipere dignatus, sic in Evangelio ait: *Nunc anima mea turbata est, & iterum tristis est anima mea usque ad mortem.* Joh. 12. 27.
Hanc sancti viri ex carnalibus, ut dictum est, sensibus contrahentes patiuntur, sicut in psalmo legitur: *euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Psal. 125. 6.
Hanc apostolus Petrus passus est, cui dictum est: *extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo non vis.* Joh. 21. 18.
Volebat sane Petrus pro Christo pati, qui si nollet nec pateretur. Pati, inquam, pro Christo volebat, sed voluntati spiritus carnis infirmitas resistebat, de quo Dominus: *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.* Matth. 26. 41.
Hujusmodi tristitiam beatus Marcellus, beati apostoli Petri successor, cum ipso ac ceteris Christi discipulis habuit, propter quam gaudio succedente gaudere promeruit.

Videbo, inquit, *vos, & gaudebit cor vestrum*; Joh. 16. 22.
videbo vos piis clementiæ meæ oculis, videbo vos, non ultra avertens faciem meam à vobis; videbo vos, ut domesticos recognoscendo; videbo vos, labores præteritos remunerando, & in sinu meo ut proprios filios confovendo. Gaudebit cor vestrum nihil in se retinens tristitiæ; gaudebit cor vestrum, non dimidium, sed totum; gaudebit cor, hoc est totus homo vester interior; gaudebit cor quod solum gaudere potest; gaudebit cor vestrum omni exutum infelicitate, omni repletum beatitudine, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, corde vestro mecum gaudente quod mecum contristatum fuerat, gaudium vestrum nomo tollet à vobis. Nolite timere ne gaudium quo vestrum cor replebitur aliquando à vobis tollatur. Nolite timere ne magnum quod dabo gaudium possit quandoque de termino esse suspectum. Non hoc sic incipiet ut aliquando terminetur; non sic inchoabitur, ut vel post multa sæcula finiatur. Non recedet cum tempore quod datur ab illo qui est sine tempore. Non potest finiri gaudium, quod in se nec initium habet, nec terminum. Ipsum gaudium vestrum ego sum, qui in me id sum semper quod sum. Hoc gaudium postquam adepti fueritis, nemo tollet à vobis: quia me nullus poterit separare à vobis. Ad hoc gaudium post passionum

tristitiam hodierna die Marcellus beatus perducitur, & in conspectu regis æterni miles bellicosus post multas victoriarum palmas præsentatur. Nam moritur in egregia confessione martyr & pontifex Dei, & transit de stabulo ad regnum Dei, imitatus in morte sua nativitatem filii Dei.

Merito, fratres, natalis beati Marcelli nativitati est proximus Christi, proximus est tempore, quia nec remotus est similitudine, locus enim illius nativitatis loco non est dissimilis istius passionis. In tali namque loco Marcellus mortuus est, in quali Christus natus est. Habuit ibi Christus temporale principium, ubi sumsit Marcellus non finiendæ vitæ initium. Inde & ibi ei fuit æternus natalis, ubi fuit Christo exortus temporalis: suscepit præsepe infantem nascentem, accipit stabulum martyrem patientem. Patitur summa majestas vile reclinatorium, tolerat summus pontifex sordidum habitaculum. Involvitur vilibus pannis divina infantia, tegitur asperrimis ciliciis damnata innocentia. Fit natus Christus animalibus quæ forsitan aderant spectaculum, fit Marcellus animalibus serviens ludibrium. Nato in præsepi Deo puero angelicus chorus gloriam in excelsis canit, mortuus in stabulo martyr ad angelorum gloriam hodie pervenit. Pervenit ad gloriam conjunctus supernis civibus, sed relinquit & ipse post se tunc quoque ab angelis nuntiatam pacem hominibus. In eo namque quasi defatigatus furor hostium conquievit, & fervor camini, ecclesia jam purgata, refriguit. Fuit enim in apostolicis pontificibus solus, qui in paganorum principum persecutionibus martyrii confessione meruit coronam extremus. Primus in illis martyrii certamen Petrus inivit, ultimus in eis illud fortiter dimicans Marcellus finivit, & hoc fine ad principium quod est sine fine pervenit Dominum nostrum JESUM CHRISTUM qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

PETRI VENERABILIS ABBATIS CLUNIACENSIS

IN VENERATIONE QUARUMLIBET (a) RELIQUIARUM.

SOLEMNI, fratres carissimi, & singulari hac die exultate lætitiâ, quia singularis vobis per eam datur exultandi materia. Est quidem sanctorum omnium memoria cunctorum fidelium veneratione communis; sed his quorum sacris pignoribus præsens ecclesia ditatur, merito ab eâ impenditur devotio specialis. Magnum, inquam, est & magnifice prædicandum supernæ munificentiæ donum, quo magni & præclari martyris corpore omni argento præclarius, omni auro fulgentius, omni margaritâ pretiosius voluit decorare hoc templum. Jure in hujus beati corporis exceptione olim præsentem Ecclesiam contigit gavisam fuisse, in cujus beatæ animæ susceptione certum est eam quæ sursum est Jerusalem exultasse. Merito etiam hodie ei congratulamur in terris, cui omne supernum collegium sempiterne collætatur in cœlis.

Fulget jam, secundum Salvatoris promissum, sicut sol in regno patris sui, illius justi spiritus, cujus hæc corporalis fabrica beatos continet artus. Divisit velut æquis partibus divina dignatio martyrem suum, ut ejus sibi animam inter beatorum spirituum agmina retineret, & sacri corporis venerandas reliquias fidelibus adhuc in carne viventibus mirabili largitate donaret. Sed dicet aliquis, quid prodest exanimata corpora honorare, quid confert ossa sensu carentia hymnis & laudibus frequentare? absit, absit à cordibus fidelium, fratres, hujusmodi cogitatus, recedat à sanctis servorum Dei meditationibus, longe fiat ab animis Deo appropinquare quærentibus, fuere quondam impii, qui ista meditati sunt & à Christi corpore, hoc est ejus ecclesiâ impietatis suæ merito ut membra inutilia præcisi sunt. Unde ut noverit Spiritui-sancto præsenti solemnitate unita congregatio vestra quam digne ac salubriter sanctorum corpora seu reliquiæ à fidelibus honorentur, scripturæ sanctæ auctoritas in medium adducatur.

Creator quippe spiritualium & corporalium rerum Deus, cum spiritus angelicos & hanc corpoream mundi molem omnipotenti dexterâ creavisset, ad ostendendam ineffabilis artificii sui gloriam, humanam creaturam condidit, & eam excellenti operatione ex spiritu rationali & carne compegit, in qua tanto mirabilior ejus demonstrata est sapientia, quanto potentius ex diversis substantiis una hominis est conjuncta persona, quam mirandæ conjunctionis unitatem propria & unicuique naturæ congruenti felicitate magnificans, & animæ justitiam & corpori contulit incorruptionem. Quod ultimum ex primo pendere decrevit, ut libero vigente arbitrio, quamdiu ab spiritu servaretur justitia, nulla carnem præmeret corruptela. At ubi justitiam ille desereret, statim ista corruptionis legibus subjaceret. Abjecit deinde infelix homo hanc quam dixi sibi impositam legem justitiæ, &

(a) In apographo nobis à Cluniaco transmisso hic sermo notatur pronunciatus in receptione reliquiarum S. Marcelli martyris.

mox subjectus est durissimæ quam nostis corruptionis miseriæ, & qui à benigno conditore factus fuerat ad sempiternam gloriam, ad debitam prolapsus est impietatis pœnam.

Venit demum tempore ante sæcula prærodinato, & humanæ reparationi congruo Dei Filius, & nec desertus deserens, nec contemtus contemnens, bonitate qua creaverat hominem recreavit, & animæ justitiam, corpori incorruptionem restituit. Sed quia, ut prius instituerat, ordo hic erat, ut spiritus justitia præiret, & carnis per spiritum justificatæ incorruptio succederet; statuit totius hominis justificationem in hac vita præcedere, & in futura carnis incorruptionem seu immortalitatem differre. Quod & ad fidei meritum conservandum fieri voluit, quod nullum tunc esset, si quod in futuro nobis Christus promisit, in præsenti conferret, nec jam speraremus in supernis promissionem regni cœlorum, qui jam eam nobis collatam crederemus in partibus imis terrarum. In æterna igitur quam per fidem expectamus vita, quam promisit ille qui est fidelis in verbis suis spiritus justorum, beate interim vivere novimus, & in eorum corporibus resurrectionem cum immortalitate & omnimoda incorruptione futuram expectamus. Inde ea causa est, quod eorum corpora, qui in hac vita justitiam coluerunt, non ut exanimata abjicimus, non ut insensata contemnimus, non ut brutorum animalium cadavera conculcamus, sed ut templa Domini veneramur, ut palatia divinitatis excolimus, ut margaritas æterni regis coronæ adaptandas recondimus, ut resurrectionis vasa beatis animabus iterum conjungenda devotione qua possumus conservamus, non quo ad ea reparanda nostro Deus indigeat adjutorio, sed quo solito benignitatis suæ more salutis nostræ avidius nostro erga sanctos suos delectetur obsequio.

Duplex in tali exhibendo sanctis corporibus honore ratio est, quoniam & per justitiam olim Deo famulantia membra servorum Dei in hac vita famulatu digna esse judicantur, & ad æternam beatitudinem resurrectura à fidelibus minime dubitantur. Eâ spe etiam sancti antiqui corpora sua vel suorum minime contemnenda putarunt. Hac fiduciâ magni patriarchæ Abraham, Isaac, & Jacob, speluncam duplicem elegerunt. Hoc intuitu Joseph ossa ejus mandato ab Ægypto referentes in repromissionis terra posteri sepelierunt. Nam licet nihil obstaret inter meritis impares sepeliri; placuit tamen à sejunctis fide, à disgregratis moribus, ipso quoque corpore separari: in quâ discretione corporum varia docebant esse intelligenda pro meritis discrimina animarum. Ostendit & ipse Deus magni apud se pretii esse servorum suorum corpora, quando veteris testamenti legislatorem Moïsen nequaquam per hominum manus more consueto passus est in sepulcro reponi: sed per semetipsum eum dignatus est sepelire: *Mortuus est*, ait scriptura, *Moïses servus Domini*, Deut. 34. 6. & sepelivit eum Dominus. In quo facto licet, ut quidam sentiunt, idololatriæ occasionem populo ad mala proclivi abstulerit, quod tamen in conspectu suo cadaver justi mortui minime viluisset, monstravit.

Salvator etiam ipse, quem idcirco humanis obsequiis sepeliri oportebat, ut cum eum propriis oculis vere mortuum & sepultum homines cernerent, vere quoque à mortuis resuscitatum minime dubitarent, quid passioni proximus in Bethania dixerit, quid de reverentiæ obsequio sanctis corporibus impendendo senserit, sui exemplo edocuit. Venit mulier nardo pretiosa, pedes super angelorum verticem constitutos perunxit, & sic demum ad sacrum caput se erigens, fracto alabastro quo continebatur, in Christi corpus totam summam carissimi liquoris effudit: quo effuso, odore unguenti domus impleta est, & proditoris adhuc occulta impietas palam ostensa est, *Ut quid*, ait, *perditio hæc?* Et secundum Marc. 14. 4. Johannem: *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis & datum est egenis?* Joh. 12. 5. Ad quem Dominus: *Sine illam, ut in die sepulturæ meæ servet illud.* Et juxta Matthæum sub plurali discipulorum numero: Matth. 26. 10. *Quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me: nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis; mittens enim unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*

Ecce audistis, fratres, beatam mulierem sancta Dominum devotione ungentem, avarum proditorem bono ejus operi detrahentem, benignum Salvatorem bonum opus magnifice prædicantem: *Bonum*, inquit, *opus operata est in me.* Quis ultra sentire audeat bonum opus non esse beatorum mortuorum corpora honorare, cum audiat Dominum non mortui, sed post paululum morituri corporis sui unctionis honorem magnificis laudibus commendare? *Ad sepeliendum*, inquit, *me fecit*, unguentum quod corpori meo infudit non viventi, sed jamjamque morituro, & sepeliendo impendit, exhibuit ante sepulcrum honorem sepulturæ, & quod tunc rebus perturbatis non poterit, moras pati nesciente pietate, prævenit. Timuit ne persecutores mei facultatem perungendi corporis adimant, & eadem invidiâ quâ viventem occisuri sunt, mortuo quoque humanitatis & reverentiæ debitum tollant. Et idcirco quod sibi tempore illo non licere timuit, nunc laudanda per orbem devotione, ut potuit, fecit. Ideo sequitur: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Matth. 26. 13. Mundus, ait, totus hoc bonum opus mulieris hujus audiens collaudabit, & quia hoc in mei memoriam & honorem fecit perpetua & ipsa ad sui ædificationem tam beatum opus memoria retinebit. Hæc dicens Salvator insipientium ora obstruxit, cogitatus noxios longe etiam post futuros abstulit, reverentiam sacris corporibus exhibendam sui corporis exemplo monstravit, quando reverentes tam egregie collaudavit.

A Quid mirum vero si caro spiritui inhærens unam, ut supra dictum est, unitate sua hominis personam perficiens creatori pariter deserviens, post abscessum etiam animæ honoranda dicitur, cum carnis ipsius tegumenta merito veneranda credantur? Sicut enim subjectum Deo, mediante spiritu, corpus ejusdem beatæ subjectionis causa non solum vivens, sed & mortuum veneramur, sic quælibet extrinsecus eidem corpori adhærentia, & ipso attactu velut à sancto sanctificata debito cum honore suscipimus. Consuevit & hoc agere pio affectu ecclesia, & quæ aliquando sanctorum corporum reliquias habere non valet, devotionem suam de quantulacumque sacrarum vestium portione exercet. Consolatur tali remedio desiderium suum, ut quæ æternæ sanctorum societati toto animi fervore inhiat, esuriem interim suam eorum vestibus sive xeniis pascat. Refertur hoc totum ad gloriam Dei, cujus judicio in omnibus concordans ecclesia ejus, multipliciter studet honorare in terris quos ineffabiliter ab illo credit glorificari in cœlis. Et ut totum quod dicitur cœlestis oraculi robore confirmetur; audite, carissimi, etiam de his quæ neminem fallit sanctam scripturam, consulite insuper virtutem divinam, agnoscetis absque dubio non solum membra, sed & membrorum esse tegmina veneranda sacrorum; ut sciatis quam pretiosa sint in conspectu Domini etiam post mortem justorum corpora, quando virtus divina ipsa eorum honoranda esse indicat indumenta. Testis est horum quæ dicuntur ipsius Domini vestis, cujus fimbriæ contactu à sanguinis fluxu mulier sanata est, & per quam divini corporis virtus occulta palam omnibus demonstrata est:
Luc. 8. 46. de qua virtute ait ipse Dominus: *Ego sensi virtutem de me exisse.* Veniat & apostolus Paulus ad hoc adstruendum, à cujus corpore deferebantur super languidos sudaria vel semicinctia, & recedebant, ut scriptura loquitur, ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Quod si & de veteri scriptura aliquid assumamus, videbitis Eliseum pallium rapuisse Eliæ, quod ei, dum in sublime ferretur, ceciderat; secum ferentem, & Jordane eadem veste ter percusso dicentem: *Ubi*
4. Reg. 2. 14. *est Deus Eliæ etiam nunc?* qua percussione Jordane diviso, & siccum iter prophetæ inter fluenta patuit, & sancti illius egregium meritum nobili per vestem ejus miraculo divina potentia declaravit. Sunt igitur vestes vel similia quæque sanctorum non propter se, sed propter sanctorum ipsorum honorem venerabiles, sicut & ipsi non ex se, sed ex ejus cui obsecuti sunt dono facti sunt in cœlo pariter & in terra insignes.

Exinde namque juxta scripturam in præsenti justus vivens in spe, ad cœlestia obtinenda se erigens, caritate quod credit ac sperat ex parte jam retinens, facit quod hic fieri potest, & quem nondum in se ipso contemplari potest, eum in sanctis suis conspiciat, quosque nec viventes diu retinere prævaluit, eisdem mortuis per eorum quamlibet parvas reliquias vivorum reverentiam impendat. Vivorum, inquam, eis honorem impendat, quos apud Deum sempiterne vivere novit, sicut Salvator in evangelio ait: *Deus non est mortuorum,* Luc. 20. 38.
sed vivorum; omnes enim vivunt ei. Vivunt quidem mali per propriam quam numquam perdunt essentiam; sed singulariter Deo vivunt boni per beatam, qua in ipso nunquam carere poterunt vitam. Hanc quamdiu in carne vivunt non consequuntur: reconduntur in sinu cœlestium atriorum à Deo jam glorificati spiritus, quousque in communi carnis resurrectione, unusquisque proprium ad gloriam B recipiat corpus. Quæ corporum gloria qualis aut quanta futura sit, ab ipso Domino audiamus. Nam cum de justorum resurrectione tractaret, inter cetera ait: *In resurrectio-* Matth. 22. 30.
ne neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo: & item, *æquales sunt angelis Dei,* & filii Dei sunt, cum sint filii resurrectionis.


Eorum quorum corpora fratres veneramini, quorum cineribus exultatis, quorum beatis ossibus aurea sepulcra paratis, filii sunt Dei, æquales sunt angelis, filii sunt resurrectionis. Inde eos ut filios Dei reverenter suscipitis, & angelis æquales paribus laudibus extollitis, ut filios C resurrectionis in carne propria resurrecturos speratis. Hac spe omni humana re certiores effecti, præsentis martyris ossa non velut arentia contemnitis, sed quasi futura incorruptione jam florentia honoratis, ipsumque voce prophetæ exultantem auditis, *Et refloruit caro* Psal. 27. 7.
mea; & eumdem prophetam alio loco dicentem: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Floridam ab ariditate carnem, juventutem à senio reparatam, etsi nondum in martyre vestro conspicitis, his tamen sacris auctoritatibus nullo modo futuram desperatis, unde vobis, ut dictum est, adhuc per fidem, non- D dum per speciem ambulantibus, licet corporalibus vestris oculis vita sanctorum corporum minime pateat, eam tamen consonans utriusque testamenti auctoritas luce clarius manifestat, quæ apud fideles mentes tantam vim obtinere consuevit, ut non indigeat carnis intuitu cernere, quod ipsam audiunt confirmare.

Habentes igitur carissimi auctorem veteris legis ac novæ gratiæ JESUM CHRISTUM prius per antiquos sanctos, & postmodum per ipsum resurrectionem carnis & totius humanæ substantiæ glorificationem servis suis promittentem, & eam in suo corpore præmonstrantem, E hujus beati martyris corpus, licet ut mortuum teneamus, tamen ut resurrecturum & immortali gloria vestiendum honore debito percolamus. Credamus eum Deo vivere, cui vitam mortemque suam voluit inservire; vivere, inquam, Deo sanctorum corpora mortui quoque prophetæ Elisæi corpus indicat, quod cum exanimum fuerit, consepulto cadaveri attactu vitali vitam quam amiserat reddidit. Vivere illa Deo in-

numera ubique locorum miracula probant, quæ illi frequentissima experti sunt, qui ad eorum veneranda sepulcra devotis mentibus accesserunt. Vivere illa Deo & Apostolus docet, qui fideles contristari de dormientibus prohibet; dormientes ille non mortuos vocat, quos velut à somno evigilaturos confirmat dicens: *Hæc vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Et alibi: *Corruptibile hoc induet incorruptionem, mortale hoc induet immortalitatem.* Et Esaias: *Ossa vestra ut herba germinabunt.* Quia ergo præsentis martyris ossa ad vitam æternam resurgentis ut herba germinabunt; quia corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem; quia hoc justi corpus raptum obviam Christo semper cum ipso permanebit, quis non toto affectu in hac vita ducat honorandum, quod in futura credit tanti honoris gloria sublimandum? Non enim Salvator verborum suorum oblitus, *Ubi sum ego, illic & minister meus erit*, non frustra & illud Patri dictum est, *Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam.* Ad eam quippe videndam, hominem, ut supradictum est, ab initio creavit, ad quam conspiciendam martyrem nostrum per susceptæ carnis meditationem, atque per opera justitiæ reparavit, quod donec Christo ad judicandum veniente fiat, lætantes audite pretiosum Christi corporis membrum, vocem quondam capitis sibi assumentem, & dicentem: In pace in idipsum dormit martyr & requiescit; in pace, quam jam spiritus obtinet & in carne sustinet; in idipsum, à quo nec mortuus separat Christum. Dormit expleto mortalitatis somno evigilaturus, requiescit ad requiem sempiternam de præsentibus laboribus transiturus: unde & sequitur: *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me*, quoniam alieni non transibunt per Jerusalem amplius, nec intrabit in illam omne coinquinatum & faciens abominationem in spe resurrectionis, quam secundum apostolum promisit non mendax Dominus, qui & in evangelio ait: *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent qui bona fecerint in resurrectionem vitæ; qui mala fecerint, in resurrectionem judicii.* In hac spe constitutus martyr singulariter, suo tempore in carne glorificandus, & de corpore suo hoc sentire docuit, & quid de ipsis corporibus vestris sperare debeatis ostendit; ad quam spem per fidei patientiam nutriendam, & apostolus Jacobus vos hortatur dicens: *Patientes estote usque ad adventum Domini.* Et similitudine subjuncta, ait; *Ecce agricola exportat pretiosum fructum tempore, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum.* Qui exponens quod dixerat adjecit: *Patientes estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit.*

1. Thess. 4. 16.
1. Cor. 15.
Isa. 66. 14.
Joh. 12. 26.
Joh. 17. 24.
Psal. 4.
Joh. 5. 28.
Jac. 5. 7.

Hunc adventum Domini & ipsi in corporibus vestris glorificandi securi expectabitis, si cordibus vestris in superni desiderii affectu confirmatis, sicut martyris corpus, sic exempla tenetis. Delectabitur tunc vestro obsequio, cum viderit non deviare vos ab itinere suo. Iter ejus Christus fuit, per quem constanter gradiens, ad ipsum pervenit; ad ipsum, inquam, humilitate ad ejus celsitudinem, laboribus ad requiem, ignominia ad gloriam, morte demigravit ad vitam. Ad hanc vitam & vos martyrem vestrum sequendo ad Christum pervenietis, quem & nunc magnum refugium & singulare præsidium apud ipsum habetis. Amplectitur plenus ea qua jam fruitur caritate Deo, amoris vestri obsequium, cui debita merces deesse non poterit, nisi forte, quod absit, amor ipse defecerit. Recogitate erga sepulti Domini corpus irrequietum sanctarum mulierum amorem, quia quæ mortuo instanter obsecutæ sunt, resurgentes gloriam primo cernere meruerunt, non terruit eas Judaïca feritas, non præsidis potestas, non custodum immanitas, sed per metuendam sævitiam persecutorum ad Domini intrepide pervenere sepulcrum, quibus & visio angelica ex resurrectionis dominicæ ostensa est magnificentia, ut nihilominus perfectam se gaudeant recepisse beatitudinis mercedem, quæ perfectam toto cordis affectu exhibuerant servitutem. Hæc est enim perfecta sanctorum remuneratio, quando mundis corde sanctorum angelorum societas redditur, & ipsius Domini plena æternæ societatis præsentia exhibetur. Hanc vos carissimi sanctarum mulierum exemplo promereri poteritis, si sanctis corporibus, quæ à Deo vobis commissa sunt, devote servientes, felicis servitutis vestræ perseverantiam ad debitum usque finem perducere studueritis. Non erit inferior vestri obsequii remuneratio, si in consimili servitute obsequentium fuerit non impar devotio. Conferet beati corporis beata servitus angelorum consortium, & perducet obsequentes ad æternam visionem Regis cœlorum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EXCERPTA
EX HAMELINI DE VERULAMIO MONASTERII S. ALBANI IN ANGLIA PRIORIS,
LIBRO DE MONACHATU.

Ex ms. Bigotiano.



HAMELINUS de Verulamio discipulus Lanfranci Dorobernensis archiepiscopi, prior vero cœnobii S. Albani martyris, utillimum de monachatu libellum edidit, in quo plura de monasticis consuetudinibus, quas infruniti parvipendunt, solerter exponit. Ait autem inter cetera: Ut sacris auctoritatibus & sapientum doctrinis instruimur, tantumdem proficit monachatus eumdem appetentibus, & in eo bene perseverantibus, quantum initiandis susceptio baptismi, & baptizatis perfecta observatio christianismi.

Trina mersio in aquam baptismatis triduanam Domini * disciplinam imitatur; & monachus nuper consecratus capitio velut in albis baptizatus per triduum operitur; & summo cum silentio Domino quodammodo consepelitur, & deinceps totus vitæ suæ cursus sub obedientia constituitur.

* f. Sepulturam.

Monachatus est humanæ vitæ speculum, & quotidianorum excessuum apud Deum digna satisfactio, & ad paradisum, de quo per inobedientiæ malum exsulamus, per sanctæ laborem obedientiæ rectus callis & manifesta regressio. Christus auctor omnium istius ordinis propositum primus instituit, dum id antiquis patribus primum revelante Spiritu-sancto observandum & instituendum innotuit. Tandem tempore gratiæ suæ discipulis ad abrenunciationem rerum sæcularium eos eorumque sequaces provocans ait: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum & tollat crucem suam & sequatur me.*

Monachus componitur ex *monos* græco, & *custos* quod est latinum. Custos enim est A unius excellentis rei, id est animæ, qua omnia vivificantur, vel appetitor unius mansionis, de qua David: *Unam*, inquit, *petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Monachus etiam, ut cuidam placet, componitur ex *monos* græco, & *corde* latino. Sicut enim unum non potest dividi, ut ex uno fiant duo: sic monachus aliquando propter aliquod fidelium dissidium non debet à fratribus disjungi; sed semper cum illis, quibus intra sinum matris Ecclesiæ est cor unum & anima una, & quibus sua sunt omnibus una communia, per fraternam caritatem, & pacis unitatem debet conjungi.

B Nigredo monachilis habitus humilitatem indicat: unde in Canticis canticorum dicitur: *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.* Comæ ecclesiæ sunt fideles, qui Deo adhærent, & bene agendo quasi in capite pendentes honorem conferunt: Bene elatis palmarum comparantur, quæ valde in altum crescunt, & inferius graciles ac in summis grossiores fiunt: quibus monachi designantur, qui cum magni meriti apud Deum habentur, apud homines loco humili continentur. Nigræ autem quasi corvus existunt; quia quamvis in cœlum virtutum gressibus se erigunt; semper tamen peccatores se esse re-C cognoscunt. Melior est utilis nigredo, quam inutilis candor.

Talaribus vero vestimentis more Joseph monachi utuntur, quibus perseverantia semper ad memoriam reducitur. Nam qui perseveraverit usque in finem, his salvus erit: omnis autem laus in fine canitur.

In manicarum & caputii extensione signum crucis præsignatur, ut mortificationem car-

nis & interioris hominis jugiter apud se circumferant.

Per cucullam vero, qua sicut tunica talotenus induitur, humilitas ordinis & religionis perseverantiaque maxime commendatur. In qua etiam quia novitius benedicitur, Dominoque per triduum summo cum silentio consepelitur, candida vestis figuratur, qua super fontes à sacerdote baptizatus induitur. Cuculla est signum monachatus speciale, ad quam pœnitentes pro recuperatione candidi chrismatis, quod per peccata maculaverunt, in spiritu renovandi quasi denuo baptizandi confugiunt.

Vigilans vel dormiens monachus vix discingitur aut discalceatur, quia castitate lumbos præcinctos & calceatos pedes in præparatione evangelii pacis secundum Domini præceptum jugiter habere debet.

Siricius papa in Decretis suis ait, monachos etiam quos tamen morum gravitas & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari, & optamus & volumus. Si igitur monachi secundum decreta pontificum, clericorum officiis canonice debent ac possunt aggregari; qua ratione debent à clericorum oblationibus & decimis jure privari? Cum vero fidelium oblationes non solum in monasteriis canonicorum aut juri presbyterorum parochianorum, sed in potestate vagorum clericorum rediguntur; qua ratione quave autoritate monasteriis pariter attribui non permittuntur? Num monachi clericis apud Deum sunt viliores, & fidelium eleemosynis indigniores existunt, eo quod in Dei servitio jugiter intra parietes ecclesiæ inclusi, pro salute eorum eleemosynis sustentantur, orationi devotius insistunt? Dicit enim Dominus per prophetam: Apportate omnem decimationem in horreo meo, ut sit cibus servientibus in domo mea.

Nullus in hac vita quicquam quod Deo amplius, immo quod Deo placeat, facere potest quam monachizari. Hoc est enim mundo mori & spiritu renovari, Deoque holocaustum fieri.

Sicut pisces multiplicantur & crescunt in aquis; sic & monachi spiritualiter crescunt & vivificantur in claustris; & terrestria obliviscentes, quæ sursum sunt sapientes, gratia Dei fiunt genus electum, regale sacerdotium & gens sancta. Porro qui se talibus præfert & malitiose derogat, eosque cum ministris Dei ecclesiasticorum participes beneficiorum esse non debere affirmat, si secundum Dei voluntatem juste judicet videat.

Omnibus qui ad perfectionem religiosæ vitæ conscendere affectant, spirituales sophistæ monachatum laudant, & eumdem festinanter arripere frequenter invitant. Verum nostro tempore quidam etiam de præsulibus hoc dissuadent; & pœnitentibus in morte ne monachi fiant prohibent, & malunt eos secus pellices suas mori, quam mutato habitu monachos fieri. Oportet igitur, ut cautè considerent quid inde Gregorius cuidam episcopo dicat: *Pancratius lator præsentium, diaconus ecclesiæ vestræ, divina inspiratione compunctus, gratiam monachicæ conversationis appetiit; hortamur ergo, ut ejus sic promtæ devotioni, qua in sancto studet adesse proposito, minime vestro sit impedimento fraternitas: magis autem quibus valetis adhortationibus pastorali admonitione succendite.*




GEROCHI



GEROCHI PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS TRACTATUS ADVERSUS SIMONIACOS.

Ex ms. Dunensis monasterii.

ADMONITIO PRÆVIA.



EQUENTEM adversus Simoniacos tractatum suppeditavit nobis optimæ notæ codex antiquus Dunensis monasterii apud Brugas, ordinis Cisterciensis, à reverendissimo abbate domino Luca solita humanitate nobis communicatus. Cujus quidem tractatus primum folium auctoris nomen præferens, nescio quo fato avulsum erat. Verum hunc defectum supplevit contentorum in codice opusculorum index ipsi præfixus, primaria scriptoris manu exaratus. Qui est hujusmodi. In hoc volumine continentur libri isti. Regula Templarensium auctoritate multorum patrum præcipue domni B. abbatis edita. II. Liber domni B. ad eosdem de laude novæ militiæ. III. Liber apologeticus. IV. Epistola domni Willelmi abbatis ad fratres de Monte-Dei. V. Epistola fratris Geroch ad domnum B. abbatem de Simoniacis. VI. Epistola cujusdam heremitæ ad Rainardum Morimundensem abbatem. VII. Liber Petri Cluniacensis ad domnum B. abbatem de objectis & responsis utriusque ordinis. *Fuit autem Gerochus, seu Gerhoüs, vel Gerhohus, canonicus regularis ordinis S. Augustini, præpositus Reicherspergensis in diocesi Salisburgensi, vir doctrinæ non vulgaris, nec inferioris pietatis, sæculi atque ecclesiæ principibus, episcopis scilicet ac summis pontificibus carus, qui corruptos sæculi sui mores verbis ac scriptis non semel exagitavit. Inter varia autem ingenii sui monumenta, quorum indicem magnum habes in Chronico Reicherspergensi, pauca hactenus prodierunt in lucem, scilicet* Syntagma de statu ecclesiæ sub Henrico IV. & V. impp. & Gregorio VII. nonnullisque consequentibus pontificibus *vulgatum Ingolstadii anno* 1611. *à Gretsero* Chronicon Reicherspergensis monasterii *eodem anno editum Monachii, &* Expositio in Psalmum LXIV. sive liber de corrupto ecclesiæ statu ad Eugenium III. papam, *quem publici juris fecit Stephanus Baluzius Miscellaneorum tomo V. Quapropter viris eruditis pergratum facere censendi sunt hi qui tanti viri hactenus latentia opera è tenebris eruunt, deque nobis eos benemerituros fore speramus, qui sequentem tractatum adversus Simoniacos aliis Gerochi opusculis certe non inferiorem hic vulgamus. In eo auctor etsi omnes omnino Simoniacos aggrediatur, conductitios tamen clericos qui nullo titulo alligati sacrum ministerium pro pecunia sola exercent, insectatur: quorum occasione pluribus agit de validitate sacramento-*

rum ab hæreticis administratorum. Porro tametsi epistolæ *titulum tantum præferat epigraphe codici præfixa, prolixitas tamen illius, Tractatus aut libri nomen exigere videtur. B. abbas cui inscribitur, is non alius est quam magnus Clarevallensis abbas S. Bernardus, quem Romæ existentem aut in Alemannia prædicantem videre potuerat: quemque ita sub fine tractatus sui seu epistolæ compellat:* Ad te, vir sancte, abbas Clarevallis, ad te, inquam, nominis ac vitæ illustris, cum semel cœpissem loqui, brevitatis compendium coactus excessi, meumque sensum, qui sæculares clericos & maxime conductitios offendit, ideo tibi tamquam patri spirituali digessi, ut ubi quæ sentio approbaveris, defensorem & adjutorem: ubi vero aliquid eorum improbandum judicaveris, correctorem te mihi exhibeas.

EPISTOLA FRATRIS GEROCH

AD BERNARDUM ABBATEM,

DE SIMONIA.

1. . . . . Pharao & tota Ægyptus, id est omnis hic mundus in maligno positus: quia necdum apparet, quod sacramentis & signis licet omnino similibus, non ubique cooperatur invisibilis Dei digitus, qui à multis asseritur inesse omnibus sacramentis, tam extra quam intra celebratis. Quod tamen vos, Deo gratias, non conamini astruere, sed inter diversas & adversas mundi partes, ita vos medium soletis exhibere, ut neque affirmantes neque infirmantes prænotatum sensum adjuvetis. Ob hoc forsan, quia vos cum Helia declinando insidias Jezabelis, in spelunca silentii super hac quæstione vultis latere, captata vobis ac vestris quadam securitate, quam non possetis habere, si quemadmodum de peccato & de justitia mundum arguitis: ita quoque de judicio eum velletis arguere, astruendo scilicet quod princeps hujus mundi non solum in seipso; sed etiam in quibusdam membris suis jam judicatus est. Quod cum ita vel sit, vel vobis esse videatur; gaudemus quidem de vestra securitate, gaudemus vobis omnes homines esse amicos, etiam ipsos christianæ religionis inimicos, dum modo vos constet eorum pravitatibus inimicari & adversari, quantumlibet sentiatis vos ab eis amari. Sed multum per omnem modum illi nos exhilarant, qui cum Helia non solum latitare, sed & cum eodem solent in hoc se manifestare, ut sacrificia falsorum prophetarum annihilent, & eosdem spiritus gladio jugulent. Quid autem de illis dicam, qui numquam latitant cum Elia, sed semper in urbibus morantur cum Isaia, Zacharia, Jeremia, ceterisque prophetis, qui nullos vel paucos habuere discipulos: & tamen eos in faciem resistentes iniquis hominibus hoc solum reddit co- A ram Deo gloriosos, quod ludibria & verba experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.

2. Imitatores talium sitiens anima mea nusquam dulcius reficitur, quam cum præsides apostolicæ sedis intuetur. Per hos enim contritus est Simon Magus, per hos à sacri altaris ministerio repelluntur greges sodalium, scilicet vel cum Nicolao, Ebione, & Paulo Samosateno fornicantium, vel cum ipso Simone Mago & Juda mercatore pessimo in domo Dei negotiantium. Ut enim B de ceteris nunc taceam, in quibus princeps mundi hujus jam judicatus est, quis impium Simonem cum suis sequacibus totiens damnatum denuo censeat vocandum in judicium tamquam adhuc judicandum, cum in eo princeps hujus mundi jam ita sit judicatus, ut de illius toleratoribus Victori episcopo scribens dicat S. Gregorius: «Quisquis ad hoc facinus, videlicet Simoniacæ aut Neophytorum hæreseos, emendandum officii sui consideratione vehementer non arserit, cum illo se non dubitet habere portionem, à quo prius hoc piaculare flagitium sumsit exordium.» Sane hoc notari cupimus, quod non in cau- C sis dubiis vel personis ignoratis dicimus hujus mundi principem damnatum: cum talium personarum tales causæ divinum extremi examinis expectent judicium. Sed in his tantum causis vel personis dicimus mundi hujus principem damnatum, de quibus evidenter à sede apostolica invenimus judicatum. Hæc enim sedes cautis utendo circumscriptionibus, non perdit justum cum impio: unde ab illius præsulibus non alii cum Nicolao & Simone Mago judicantur, vel Nicolaïtæ aut Simoniaci hæretici nominantur, nisi qui in erroris sui secta indurati synodalibus sanctorum patrum diffinitionibus

& decretalibus eorum statutis & manifeste inobedientes, apostatarumque pertinacia eis recalcitrantes, studio & voluntate refragantur. In tales dudum data est anathematis sententia, eorumque penitus interdicta sunt officia, quamvis in convictu, salutatione, ac ceteris hujusmodi eis communicare permittatur (in) ecclesia: quia si etiam in talibus interdicerentur, oportuerat nos exire de hoc mundo Nicolaïtis & Simoniacis pleno. Quis enim clericos conductitios eorumque conductores dubitet esse Simoniacos & hæreticos negotiatores? Quis altaris ministros fornicantes & interdicta sibi officia usurpantes, talemque præsumtionem contra sedis apostolicæ doctrinam pertinaciter defendentes dubitet hæreticos, utpote à Romana Ecclesia discordes eique rebelles? Verum quia tales incestuosos & præsumtuosos difficile nimis est examinare, qui videlicet sint hujus præsumtionis & inobedientiæ, quam in interdictis officiis committunt, pertinaces defensores, & ob hoc hæretici nominandi ac publice vitandi, maxime si eos vitandos docent proprii sui episcopi, & qui non publice sint vitandi sed caute declinandi: maxime quia vel non defendunt aut docent faciendum quod faciunt; vel quia eos, licet à Romana sede interdictos, proprii episcopi adhuc sufferunt; rectius fortasse hujusmodi homines inter pravos & interdictos catholicos, quam inter exclusos hæreticos computamus. Quamvis anno Dominicæ Incarnationis MLVIIII. celebrata synodo, præsidente papa Nicolao II. idem papa inveniatur eos cum assensu totius concilii Nicolaïtas nominasse, perversitatemque ipsorum hæresim appellasse. Cum itaque auctoritate hujus Romani pontificis & concilii sub eo celebrati, possimus prænotatos incæstuosos & præsumtuosos proscribere inter ceteros hæreticos: tamen quia, ut dixi, vix possunt examinari, contenti sumus eos pravos & interdictos catholicos nominari: ut nemo Romanæ sedi obediens audiat eorum officia terribiliter ab eadem sede interdicta: Quia, ut ait septimus Gregorius, peccatum ariolandi incurrit quisquis dum christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit. Sed hanc obedientiam facile possunt observare qui habent episcopos per omnia obedientes apostolicæ sedi, vitando scilicet, & vitandos docendo quorum illa sedes officia prohibet audiri: ubi vero episcopi similes angelo Tyatiræ nolunt mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, de suis terminis expellere; sed permittunt eam interdicta sacrificia edere, pariterque fornicari, ac servos Dei seducere, ibi oportet veros catholicos aut persecutionem pati ab ista Jezabele, aut fugere sicut antiquam Jezabelem fugit Elias, aut ita suam cautelam & Romanæ sedis obedientiam occultare sub ista Jezabele, sicut quondam septem millia virorum ante Baal genu non incurvantium suam cautelam occultabant regnante Jezabele.

Cum Simoniacis minus notis ecclesia permittit habitare.

3. Hæc de incestuosis clericis dicta sufficiant. Si quis vero in lepra simoniæ ita notabilem & insignem se reddiderit, ut ex felle amaritudinis & obligatione impietatis agnosci possit, hunc non dubito ut hæreticum & hostem ecclesiæ cavendum: utpote in ipso Simone Mago à beato Petro multisque successoribus ejus proscriptum & damnatum, quoniam, teste Gelasio papa, cum quilibet cujuscumque perversitatis auctores ac doctores anathemati addicerentur, omnes eorum complices & sectatores pariter sunt anathematizati & gladio spiritus amputati, atque antequam nascerentur prædamnati, sicut Chanaam filius Cham maledictus est antequam natus, dicente Noe, Maledictus Chanaam servus servorum erit fratribus suis. Quare in impio patris derisore Cham adhuc non natus maledictus est filius ejus Chanaan, nisi quia in damnato quolibet hæresiarcha intelligi debet omnis posteritas ejus maledicta? Lege si vacat epistolam Gelasii papæ ad Euphemium, & invenies uniuscujusque semel damnatæ pravitatis non solum auctores, sed & successores & successorum communicatores pari modo vitandos. Dicit enim inter cetera ipse beatus papa Gelasius in ipsa epistola: « Si aliquis recte sapiens de fide catholica communicet hæreticis vel successoribus eorum, non est fas eum inter catholicorum altaria nominare. Idem orientalibus episcopis; Omnes complices sectatores communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur. Item omnibus episcopis Dardaniæ; Patres nostri auctore cujuslibet erroris pariter cum errore damnato, sufficere judicaverunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali ejus sententia damnatus esset, quando manifeste qualibet vel professione sua vel communione posset agnosci. Et post pauca: Forma fidei communionisque catholicæ Nicæno prolata concilio Arrianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive consensu, sive communione deciderit, sine retractatione excludit. Idem in sequentibus: Ipse error, qui semel est cum suo errore damnatus in participe quolibet pravæ communionis effecto & execrationem gestat & pœnam. »

Noti omnino fugiendi.

4. Nonne per hunc Romanum pontificem talia dicentem Spiritus veritatis arguit mundum de judicio, nimirum ostendens quod princeps hujus mundi jam judicatus est, non solum in ipsis hæresium damnatarum auctoribus, sed & in omnibus eorum sectatoribus, successoribus, communicatoribus. Hoc principis hujus mundi judicium jam factum bene prospexit Romana diligentia, docens conductitios clericos in nullis ecclesiis tolerandos: utpote in impio Balaam primo conductitio damnatos, & sub ejusdem Balaam detestando nomine in Apocalypsi Johannis apostoli, & in Epistola Petri apostoli, ac Judæ notatos, immo & in Simone Mago multo-

Clerici conductitii non tolerandi.

tiens anathematizatos. Tales enim conductitios eorumque conductores, vel præbendarum seu ecclesiarum publicos venditores & emtores recte Simoniacos hæreticos nominamus: etiamsi semel damnatam, immo multotiens præcisam non defendant negotiationem, quo modo eam Simon Magus non defendit: qui licet esset in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis, tamen dixit apostolis: *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis.* (Act. 8. 24.) Quamquam ergo ad judicium sint vocandi qui de Simonia pulsati, neque simoniacæ actionis, neque simoniacæ pactionis lepra sunt manifeste maculati, ut habeant locum defensionis qui adhuc habent vocem negationis: illi tamen clerici conductitii eorumque conductores tam manifesti sunt in domo Dei negotiatores, ut non solum actio, sed etiam pactio simoniaca ita sit in his manifesta, quatenus debeat pro certo constare, illos jam dudum cum Simone & in Simone Mago damnatos, neque sortem ullam eis in sacerdotio Christi esse, dicente ad Simonem Magum Simone Petro: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo.* (Act. 8. 21.) Similis enim causa simili subjacet sententiæ. Numquid enim Petrus Magum illum damnans non eamdem causam expressit, quam nunc inter conductitios & conductores esse nemo est qui negare possit? *Cor enim*, inquit, *tuum non est rectum coram Deo.* Sic & nunc si quærant conductitii quare à Petri vicario sint proscripti, dictum sibi putent quod Simoni Mago dictum est: Cor enim vestrum non est rectum coram Deo. In quo non est rectum? Videlicet quia donum Dei existimastis pecunia possideri.

(Simoniaci cur acrius damnati.) 5. Libet admota scripturarum lucerna propius, demonstrante ipso lumine quod illuminat omnem hominem, intueri, quare præ omnibus hæreticis acrius damnati sunt Simoniaci. Quia cum omnes hæresiarchæ pravitatem suam pertinaciter defendentes legantur damnati, in solum Simonem Magum etiam pro venia rogantem depromta est maledictio, non quia donum Dei pecunia possederit; sed quia hoc posse fieri existimavit, quod est istud donum tam impretiabile, ut hæreticus & damnationis & perditionis filius judicetur, quisquis illud existimat pretio possideri vel obtineri posse, ut ille filius perditionis, cui dictum est à Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditione.* (Act. 8. 20.) Non sic, non ita vehementer damnatus est ille alter filius perditionis venditor Christi, ut una cum ipso perderetur pretium sanguinis Christi. Nam ipso quidem pessimo mercatore perdito, magna utilitas provisa est de ipso sanguinis pretio, dum secundum auctoritatem propheticæ scripturæ comparatus est inde ager figuli in sepulturam peregrinorum. Simoni vero dicitur, *Pecunia tua tecum sit in perditione*, ut hinc liquido animadvertere possimus scelere Judæ scelus Simonis majus esse. Nam

A Judas quidem vendidit Christum, quem ut pote mortalem non intellexit esse ipsum Deum, Deo Patri coæternum: quod hinc facile perpendimus, quia ipsa nocte qua Christus tradebatur, discipulos ita increpatos legimus: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* (Juda deteriores.) (Joh. 14. 9.) Si hoc bonis discipulis dici potuit, quanto magis illi, quem ne Christum Deum agnosceret, avaritia quæ sapientium quoque oculos excæcat, obcæcavit? In recompensationem namque ut sibi videbatur perditi unguenti, quod ipse dixerat trecentis denariis potuisse vænumdari, stimulante avaritia contentus est hujus precii, id est trecentorum denariorum decimam Christo vendito acquirere, hoc est triginta denarios, qui sunt trecentorum denariorum decimatio.

B Quam cæcus venditor qui pro tam vili pretio vendidit illum, cujus in Canticis canticorum legitur, *Caput est aurum optimum, & manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, (Cant. 5. 14.) longe pretiosiores triginta argenteis, immo qui est illa Sapientia de qua dicitur, *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari!* (Prov. 3. 15.) Attamen quemadmodum dicitur hujus mundi principibus, *quia si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, (1. Cor. 2. 8.) ita de isto dici potest, quia si aureum caput, manus aureas & cetera in eo

C desiderabilia mortalitate carnis obtecta perspexisset, numquam Dominum gloriæ tam vili vendidisset. Neque tamen per ea quæ dicimus Judas mercator pessimus excusatur, qui etsi aliud nihil de Christo scire potuit, nisi quod homo innocens & bonorum operum factor extitit, hunc talem pro triginta denariis vendendo ad mortem, digne ac merito hereditavit à Psalmista in illum prædictatas triginta maledictiones, quarum prima est, *Constitue super eum peccatorem*; (Psal. 108. 6.) ultima, *Operiantur sicut diploide confusione sua.* (Ibid. 29.) Verumtamen tam iste Judas, quam etiam cuncti hæretici, qui peccaverunt in personam Filii,

D tolerabilius peccasse judicantur, his qui peccaverunt in personam Spiritus-sancti. Verbi gratia tolerabilius peccavit Arrius in sua blasphemia dicendo creaturam esse Filium, quam impius Macedonius dicendo creaturam esse Spiritum sanctum. (Deteriores Arrio.) Ut enim Arrius Christum creaturam diceret, ipsius Christi verbis de se secundum humanitatem prolatis, & ab ipso Arrio non recte intellectis, primo induci potuit. Verbi gratia cum dicit Christus quia *Pater major me est*; (Joh. 14. 28.) sed ubi CCCXVIII. Patrum sententiam consonam de Patris & Filii consubstantialitate in uno Spiritu prola-

E tam & indubitata Sancti Spiritus auctoritate corroboratam pertinaciter oppugnans, indignum se vitæ æternæ judicavit, non solummodo in Filium, sed in Spiritum quoque sanctum Arrius ipse peccavit. Est enim indubitata Sancti Spiritus auctoritas, unanimis patrum orthodoxorum in aliqua sententia id ipsum dicentium, id ipsum sapientium censura, quam si quis contemnens dissono Spi-

ritu sic agitur, ut ex dispersione ad congregationem quam Spiritus-sanctus operatur numquam redeat; ipse, beato Augustino teste, verbum dicit contra Spiritum-sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittendum. Sic sic Arrius vel alius quilibet hæresiarcha, seu etiam schismatis inveterati defensor aliquis, dum nimis amando suam sententiam vel invidendo melius dicentibus, factus est pertinax & obstinatus, post initia suorum errorum, quibus fortasse non peccabatur in Spiritum-sanctum, erroribus ipsis augmentum capientibus incidit in Sancti Spiritus blasphemiam, neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendam. Simon vero Magus vel alius quilibet Simoniacus in ipsa Simoniacæ negotiationis inceptione, qua donum Dei existimatur pecunia possideri, convincitur esse blasphemator Spiritus-sancti. Nam quod Spiritus-sanctus donum Dei dicatur & sit, ita est evidens; ut probatione non egeat; unde illud quod mulieri Samaritanæ Christus dixit, *Si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* (Joh. 4. 10.) Ita invenimus à magnis doctoribus expositum, ut donum Dei de quo Christus ait, non aliud intelligamus quam Spiritum sanctum. Quod cum ita sit, quisquis donum Dei existimat pecunia possideri, ipse Spiritum-sanctum qui æque ut Pater & Filius est creator omnium, redigit sub precium utique ab Sancto Spiritu creatore creatum. Cum ergo creatorem creaturæ vili aut confert aut supponit, longe deterius Arrio delinquit, quoniam ille Filium Dei asseruit quidem esse creaturam, sed tamen excellentissimam, cui nec angelicam dignitatem concessit æquiparandam. Simoniacus autem donum Dei, hoc est Spiritum-sanctum credens & existimans quasi rem propriam posse ab homine pecunia emi, cum omne quod quasi proprium possidetur ab homine sit vilius & inferius homine, Spiritum-sanctum qui donum Dei est, immo qui Deus est, supponit homini, & coæquat pretio gratiam impretiabilem, comparatque rem incomparabilem, si ad creaturas universas attendimus, quibus omnibus appretiari vel comparari non potest creator Spiritus, quem admodum nec Pater nec Filius, quorum amborum est iste unus Spiritus, æque liber ut Pater & Filius: immo cum Filius, forma servi accepta, per annos triginta fuerit servus, etiam servientibus sibi angelis paulominus minoratus, Spiritus-sanctus tantæ est libertatis, ut etiam servos quos repleverit liberos faciat; unde est illud Apostoli: *Ubi est Spiritus Domini, ibi libertas.* (1. Cor. 3. 17.) Item, *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* (Gal. 5. 18.) Jugum quippe legis iram operantis, jugumque peccati graviter onerantis, per solum hunc Spiritum advenientem aufertur, juxta illud Isaiæ dictum *Computrescet jugum à facie olei.* (Isa. 10. 27.) Nonne itaque magnum & nefandum sacrilegium homo committit, cum hunc solum Spiritum omnino liberum ac totius angelicæ vel humanæ libertatis aut liberationis effectorem vendit vel emit, quasi mancipium proprium? Immo cum hoc facere non possit, existimat se illum posse aut emere aut vendere, qui non venit ad homines ulla emtione, sed potius tamquam liber solummodo ubi vult spirat, & sua donativa dividit singulis prout vult, non prout emitur pretio, non prout exigit ambitio, sed, ut dixi, prout vult? Peccavit quidem in hunc Spiritum-sanctum impius Macedonius, asserendo quod ipse esset Patris ac Filii servus, omnibus tamen angelis præferendus; multo amplius peccat Simoniacus, existimans quod liberrimus hic Spiritus, quasi mancipium proprium suum possit ab ipso vendi. (Deteriores Macedonio.) Qui autem hunc emere nititur, & pretium perdit, & appretiatum non acquirit, sed tota lepra venditoris miro modo cum ab ipso non recedat, ad emtorem commigrat, ut tam emtor, quam venditor inter illius membra pereat, qui extollitur super omne quod dicitur Deus. Nam Simoniacus venditor & emtor extollitur supra Spiritum-sanctum, qui dicitur & est cum Patre & Filio unus & summus Deus, in qua excellentia quoniam Spiritus-sanctus vili creaturæ supponitur, ut præmonstratum est, eidem Spiritui-sancto sua divinitas denegatur; quod aptissimum scelus & blasphemia in Spiritum-sanctum esse comprobatur; & est nequius hoc scelus scelere Macedonii, & eorum qui cum ipso blasphemabant Spiritum-sanctum, dicentes eum Patris & Filii servum; quod ne videamur de corde nostro prophetare, patrum non paucorum testimonium subnectere libet, quorum tam auctoritas, quam numerositas fidelem & non contentiosum auditorem potest movere, quæque dicimus persuadere.

6. Septima Synodus universalis habita à quinque patriarchis cum CCCL. patribus in epistola quam Adriano papæ direxit, hæc inter cetera dixit: (Ex septima Synodo.) Eos qui per pecuniam manus imposuerunt, vel imponunt, Petrus divinus « apostolus, cujus cathedram sortita est Sanc- « titas vestra, tamquam Simonem Magum de- « ponit: Tolerabilior est enim Macedonii & eo- « rum qui circa ipsum sunt Sancti Spiritus im- « pugnatorum impia hæresis. Illi enim crea- « turam & servum Dei Patris & Filii Spiritum- « sanctum delirando fatentur. Isti suum eumdem « Spiritum-sanctum efficiunt servum. Omnis « enim dominus quod habet si vult vendit, sive « servum, sive aliquid eorum quæ possidet. Si- « militer & qui emit, dominus volens esse ejus « quod emerit, per pretium pecuniæ illud ac- « quirit: ita & qui hanc iniquam actionem « operantur, detrahunt Spiritui-sancto æqua- « liter peccantes, his qui blasphemaverunt di- « centes in Belzebub ejicere Christum dæmo- « nia: & procul dubio non est gratia Spiritus- « sancti in eis, id est sacerdotii sanctitas: ait « enim Petrus Simoni, *non est tibi pars, neque* « (Act. 8. 21.) *sors* in sermone isto. Nam & vicesimus & oc- « tavus canon apostolorum, & Actus eorum, «

Zzzz iij

» tertius & quartus liber Regnorum alienum om-
» nino à sacerdotio pronunciant eum, qui aliqua
» dederit, vel acceperit pecuniam in aliquo tem-
» pore, sive ante manus impositionem, sive post
» impositionem. Accipere enim est quandocum-
» que accipere. Item ex ultima epistola ejusdem
» Synodi: Qui per pecuniam quemque conse-
» crat, vel consecratus est, alienus est à sacer-
» dotio, sicut omnes Ecclesiæ scimus alumni
» ex canonicis disciplinis eruditi, Quem non moveat tantorum patrum in una Synodo residentium auctoritas consona, idem prædicantium quod prædicat etiam parvitas nostra? Cui si quis æstimat facile contradicendum, restat ut annihilet auctoritates tot patrum nobis consonantium, atque una nobiscum affirmantium quod Simoniacus in sua hæresi vincat Macedonium hæreticum.

Argumenta Simoniacorum refelluntur. 7. Sed quia de manus impositione multi concedunt, quod si per pecuniam tribuatur, dans & accipiens hæreticus efficiatur: de ceteris vero rebus ecclesiasticis non idem concedunt. Audiant illud ex epistola Paschalis papæ Me-
» diolanensibus directa. Si quis objecerit non
» consecrationes sed res ipsas quæ ex conse-
» cratione proveniunt vendi, videtur quidem
» aliquid dicere, nihil autem penitus sapere. Nam cum corporalis ecclesiæ episcopus vel abbas aut tale aliquid sine rebus corporalibus & exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit: quisquis eorum alterum vendit, sine quo alterum habere non provenit, neutrum non venditum derelinquit. Quam tamen objectionem sacer Chalcedonensis canon penitus exterminat, cum procuratorem vel defensorem ecclesiæ vel quemquam regulæ subjectum adeo per pecunias ordinari prohibeat, ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat. Quid plura? Si anathematizati & excommunicati, & ut vere hæretici, Simoniaci & Neophyti ab ecclesia sunt separati, quis non videat, quod hujusmodi sacerdotum missæ & orationes Deum ad iracundiam super populum provocent, quem talibus placari credebamus? Scriptum est enim: Veri sacrificii locus extra ecclesiam non est. Et item, *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* (Tit. 3. 10.) Quoniam ergo tales episcopos, vel abbates, vel reliquos clericos non devitamus, si eorum missas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem subimus. Quos quidem sacerdotes esse saltem credere omnino errare est: cum Petrus Simoni dicat: *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri*, (Act. 8. 20.) ut cum *existimasti* dicitur, non pro eo quod fecerit, sed quod se facere credidit condemnatur, cum minus sit existimare, quam credere. In hoc ergo quod subjungitur, *Non est tibi pars neque sors in sermone isto*, (Act. 8. 21.) patenter ostenditur, quod nihil sacræ ordinationis in hac promotione percipitur.

Conductitiorum defensores refelluntur. 8. Audent adhuc aliqui post istas aliasque fortissimas auctoritates conductitios ab hæresi defendere dicentes; ea quæ de Simoniacis dicta sunt non ad eos pertinere, pro eo quod conductiones, de quibus agimus, non videntur nominatim in prædictis auctoritatibus expressæ. Hii audiant illud ex concilio Clementis papæ:
Jussum est antiquitus, & nos sub anathemate in «
perpetuum interdicimus de hæresi Simonia- «
ca, quæ crevit inepta, de qua sancta decre- «
vit synodus, nullum aut ecclesiarum conse- «
crationem, aut archipresbyteratum, aut com- «
mendationes altarium, aut traditiones ec- «
clesiarum, aut abbatias aut præposituras ven- «
dere; quique conduxerit aut vendiderit, aut «
emerit, anathema sit. Amen. Et responde- «
runt omnes tertio, Fiat, fiat. Audiant illud con- «
ductitii, ne novum putent quod conductiones nihilominus quam emtiones aut venditiones ecclesiasticarum rerum dicimus pertinere ad anathematizatum Simoniæ mercimonium.

9. Item sunt qui conductitios ac ceteros hujusmodi mercatores per hoc nitantur defendere, à Simoniaca hæresi, quod peccant cupiditate potius lucri, quam seducendi studio stimulati; quasi perversa eorum cupiditas minuat ac non potius augeat malum quod agunt, qui maxime per ipsam cupiditatem accusabiles fiunt. Neque enim Giezi ideo potuit à se lepram amovere Naaman Syri, quod peccaverat magis cupiditate vestium & argenti, quam studio quemquam seducendi. Talibus manifeste obviat Urbanus papa secundus, ita
dicens: Quicumque res ecclesiasticas non ad «
hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra «
munere linguæ vel indebiti obsequii vel pecu- «
nia largitur vel adipiscitur, Simoniacus est: «
cum principalis intentio Simonis fuerit sola pe- «
cunia, & avaritia id est idololatria, ut ait Apos- «
tolus, *Et avaritia quæ est idolorum servitus.* « (Ephes. 5.)

10. Huic Romani pontificis auctoritati quidam faciunt ineptam oppositionem. Dicunt enim: Si rerum ecclesiasticarum per munus linguæ, obsequii indebiti, perque munus pecuniæ facta largitio vel adeptio est Simonia; jam Simoniacis plena est omnis terra, quoniam & villicis ceterisque colonis necnon militibus laïcis donantur interdum ecclesiastica, interveniente linguæ, obsequii, ac muneris mercimonio. Qui hæc dicunt, non satis inter sacrilegium & Simoniam distinguunt. (Inter sacrilegium & Simoniam facienda distinctio.) Nam cum beneficium & officium ecclesiasticum ita sint juncta, quemadmodum corpus & anima, quisquis eorum alterum ita comparat, ut alterum sine altero non proveniat, ipse utique in Spiritum sanctum peccat, sine quo nullum ecclesiasticum officium posse rite administrari constat. Officia ecclesiastica sunt quorum ista sunt nomina, episcopatus, presbyteratus, diaconatus, præpositura, abbatia, clericatus, & si qua sunt hujusmodi, quæ sine dono Spiritus-sancti non possunt rite administrari. Ut igitur de uno agamus, de solo episcopatu proponamus posse fieri, ut aliquis episcopales facultates per munus obtineat, villasque ac cetera bona

episcopali administrationi debita sic possideat, ut omnino episcopus nec esse, nec dici concupiscat, quod à nonnullis tyrannorum sociis factum constat: numquid hunc talem judicabimus esse Simoniacum, quia nullatenus existimat vel hoc de se cupit existimari quod donum Dei possideat? Immò si congrua rebus nomina ponimus, non simoniacum, sed sacrilegum hunc talem dicimus: quia tollendo sacrum de sacro, ecclesiastica, quantum in se est, facit sæcularia, & non ecclesiastica existere. Istud sacrilegium laïcis est imputandum, qui res ecclesiasticis administrationibus debitas possident per sæculare obsequium talibus rebus indebitum. De hoc sacrilegio notantur laïci decimarum possessores, & episcopi earumdem decimarum ultronei concessores, juxta illud beati Urbani papæ & martyris: Ipsæ vero res singularum parochiarum in ditione episcoporum, qui locum tenent apostolorum, erant & sunt usque adhuc, & futuris semper erunt temporibus, ex quibus episcopi & fideles dispensatores eorum communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerunt, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alios usus quam ecclesiasticos & prædictorum christianorum fratrum vel indigentium converti: quia vota sunt fidelium & pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem, quod absit, secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Saphyræ percipiat, & reus sacrilegii efficiatur, sicut illi fuerunt qui pretia prædictarum rerum fraudabant. De quibus in prædictis apostolorum legitur Actibus, *Vir autem nomine Ananias, &c.* usque *factus est timor magnus in omnes qui audierunt hæc*. Hæc fratres valde cavenda sunt & timenda, quia res ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes & Domino oblatæ cum summo timore non in alios quam præfatos usus sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, ubi traditæ sunt, &, quod pejus est, anathema fiant, & si non corpore, ut Ananias & Saphira fecerunt, qui mortui ceciderunt, anima tamen quæ potior est corpore mortua & alienata à consortio fidelium cadant, & in profundum baratri labantur. Huc usque verbis Urbani primi sufficiat nobis exaggerasse crimen sacrilegii, quod in distractione rerum ecclesiasticarum committunt episcopi, qui nequaquam in illicita decimarum concessione quam laïcis faciunt, simoniam committunt: quia cum illis decimis nullam spiritualem administrationem illis injungunt: sed manifestum sacrilegium, ut satis arbitramur superius demonstratum: quia videlicet rem ecclesiasticam, quantum in ipsis est, faciunt non ecclesiasticam. Urbanus autem secundus de talibus egit: Qui dant vel possident res ecclesiasticas, ut ecclesiasticas, id est officio vel ministerio spirituali quemadmodum corpus animæ, conjunctas; quas dum vel habent, vel aliis largiuntur, una scilicet cum spiritali ministerio sub Simonis intentione, quæ fuit avaritia sive cupiditas lucri, vere comprobantur esse Simoniaci: quia donum Dei quod in sancto ministerio est, existimant pecunia possideri, & contumeliam faciunt Sancto Spiritui, quem sic existimant posse obtineri. Nam, ut præmissa superius papæ Paschalis auctoritas ostendit, quicumque de rebus pariter conjunctis alteram vendit, alteram invenditam non relinquit, scelus istud quisquis occulte committit, reus est judicio, videlicet judicio divino. Qui autem quasi dicens Racha, manifestum & indubitatum in se hujus sceleris dederit signum, reus est non solum judicio divino, sed etiam humano concilio; quoniam subjacere dinoscitur his quæ contra Simoniacos prolata sunt in quolibet sanctorum Patrum concilio. Si autem à quolibet sane redarguitur, redarguenti se dicit Fatue, reus erit gehennæ ignis, & est omnino illis consimilis, qui Christo arguenti se dixerunt, *Dæmonium habes*.

Contra decimarum detentores.

Act. 5. 1.

11. Nunc igitur illis divino judicio servatis, qui rei sunt judicio, quoniam scelus eorum est in occulto, agamus de illis qui sunt rei concilio: quia Simonia eorum est in aperto, ut manifesti venditores & emtores ecclesiarum, præbendarum, aliarumque rerum ecclesiasticarum ut ecclesiasticarum. Quibus cogimur connumerare conductitios clericos eorumque conductores: quoniam & illi committunt non occultam, sed apertam Simoniam, dum & conductitii vendunt, & conductores emunt missam vel amministrationem in Spiritu-sancto agendam: hos tamquam reos concilio primum percutimus, vel potius percussos demonstramus in Chalcedonensi concilio, ubi de talibus clericis vagis, & ad nullum titulum certum ordinatis, ab omni concilio statutum est & definitum, eos nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam. Huic sancto & magno concilio consonans Leo magnus, Vana est, inquit, habenda consecratio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita. Sanctus papa Gregorius idem concilium cum ceteris principalibus conciliis approbans in sua synodica dicit: Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere ac venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arrii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo error Eunomii & Macedonii convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione amplector; integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato, sanctæ fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ & actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse vi-

Clerici vagi & nullo titulo astricti per stringuntur.

„ deatur, extra ædificium jacet. Cunctas vero „ personas quas præfata veneranda concilia respuunt respuo, quas venerantur amplector : „ quia dum universali consensu sunt constituta, se & non illa destruit quisquis præsumit; „ aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema „ sit. Et nos ergo sancto Gregorio consona sentientes, clericos vagos ad nullum certum titulum ordinatos, passim vagantes, & venale officium suum circumferentes in Chalcedonensi concilio abjectos abjecimus, ne vel à sancto Gregorio dictum anathema incurramus, vel extra ædificium juxta illius censuram jaceamus.

Contra eos qui nomine-tenus attitulati ordinantur.

12. Objiciunt quidam hujusmodi vagos clericos, cum ordinarentur, quibusdam titulis fuisse assignatos, quibus tamen nec ipsi erant regulariter alligati; sed cum ordinarentur, sunt ad illos titulos nominati, quia non erant illis titulis seu ecclesiis vel prælati vel earum prælatis canonice aut monastice alligati; sed tantum sunt nominetenus attitulati. Quorum consecrationem nos talem censemus, qualis esset consecratio episcopi, qui ad aliquam episcopalem sedem consecraretur, ad quam non fuisset electus, & in qua numquam reciperetur: sed illo neglecto & rejecto, sedes illa per alium regulariter electum & consecratum regeretur, nec ei locus ullius episcopandi vel illic vel alius concederetur: qui tamen si alicubi regulariter alligarentur, ita ut aut canonici aut monachi efficerentur, posset eis certo in loco fundatis impendi aliquod subsidium pietatis. Nunc autem quia nusquam regulariter aut legitime stabiliti hac & illac vagantur, circumferendo venalia officia sua, quæ nusquam celebrant, nisi sub conventione simoniaca, proferenda sunt contra eos alia capitula, quibus eorum demonstrentur officia penitus esse vacua & irrita, tam pro eo quod sine titulo sunt ordinati, quam pro eo quod manifesti sunt Simoniaci. Placentinum concilium præsidente Urbano papa celebratum „ dicit: Sanctorum canonum statutis consona „ sentientes, decernimus, ut sine titulo facta „ ordinatio irrita habeatur. In eadem synodo „ contra Simoniacos ita dictum est: Ea quæ „ à sanctis patribus de Simoniacis statuta sunt „ nos quoque Sancti Spiritus judicio & apostolica auctoritate firmamus. Quicquid igitur „ in sacris ordinibus vel in ecclesiasticis rebus, „ data vel promissa pecunia, obsequio, aut „ lingua, acquisitum est, nos irritum esse & „ nullas vires umquam obtinere censemus. Si „ qui tamen à Simoniacis non simoniace ordinati sunt, siquidem probare potuerint, se „ cum ordinarentur, nescisse Simoniacos; & „ si tunc pro catholicis habebantur, in ecclesia „ talium ordinationes misericorditer sustinemus: si tamen laudabilis vita eos commendat. Qui vero scienter se à Simoniacis consecrari, immo exsecrari passi sunt, eorum „ ordinationem omnino irritam esse decernimus. Multa possemus his capitula consona colligere; sed ista credimus intelligenti sufficere ad nostræ comprobationem sententiæ, qua dicimus omnia manifestorum Simoniacorum officia in præmissis capitulis exsufflata & damnata penitus esse irrita, sicut & Donatistarum aliarumque damnatarum & exclusarum personarum officia, omnino asserimus esse irrita, quamvis eadem quæ nos habemus habeant sacramenta.

Irritum & integrum quid differant.

13. Hic scio multos non consentire dicentes fieri non posse, ut ubi est integritas sacramentorum, ibi vel in missis vel in aliis officiis quicquam dicatur irritum. Quæramus ergo quod sonet hoc nomen *Irritum*, & hoc aliud nomen *Integrum*: quoniam videtur quibusdam hæc duo nomina significativa esse quasi rerum contrariarum, quæ de uno eodemque subjecto non possunt pariter enunciari. Sic album & nigrum, dulce & amarum, & alia nomina rerum contrariarum non sibi pariter conveniunt circa unum idemque subjectum. Nos autem de uno eodemque subjecto, videlicet de uno eodemque alicujus excommunicati vel damnati hæretici sacramento enunciamus, utrumque scilicet quod sit integrum & tamen irritum; quoniam, affirmante Augustino, ubi de Agar & Ismahel disputat, idem sacramentum in hæretico & catholico constat, æque integrum, si tamen ritu ecclesiastico fuerit utrobique celebratum, accedente verbo ad elementum, sicut Isaac & Ismaël pariter de semine Abrahæ natis, quantum ad paternum semen par fuit nobilitas nativitatis.

Quid integrum, quid ratum.

14. Videamus ergo an sacramentum utrobique integrum, sit etiam utrobique ratum. Quod ut possimus videre, libet utriusque nominis, rati scilicet & integri, quasi quandam descriptionem ponere. Totum integrum dicimus, cui nulla principalis pars constitutiva deest. Verbi gratia, cum domui neque tectum, neque parietes, neque fundamenta desunt, integra domus dicitur: Si vero aliquid horum desit, non dicetur domus integra, immo nec dicetur omnino domus. Ratum vero id dicimus, quod firmum & virtute ac viribus plenum significamus, & irritum quod à virtute vacuum viribus carere demonstramus. Item ratum non incongrue dicimus, quod virtutem quam continet numquam amittere posse significamus, ut, verbi gratia, propositio vel oratio aliqua talem continens vel significans veritatem quæ impermutabilis est, cum vel affirmat esse quod potest non esse, vel è converso, potest dici rata oratio, potestque proprie dici oris ratio. Dicitur namque ratio ab eo quod est ratum, quamvis & falsa oratio dicatur oratio, quæ tamen ratum, id est firmum seu verum non generat intellectum: & ideo recte sicut falsa, ita & irrita recte dici potest oratio, quæ rato & vero intellectu caret: quia videlicet aliter est in re quam ipsa significat esse. Exemplum ad ea quæ dicimus hoc sit.

sit. Si quis proponat *Deus verax est.* Hæc propositio tam vera est atque tam rata, ut omnis qui acceperit ejus testimonium, subscribere ac signare possit quia Deus verax est. Quod enim veraces homines dicunt, verum esse volunt: quod autem non solum dicunt, sed etiam scribunt fortius atque durabilius verum esse innuunt: quod autem dictum & scriptum signant aliquo inviolabili sigillo verum durare volunt sub ipso signaculo. Unde Johannes de Christo loquens, qui accipit, inquit, ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. In quo verax, nisi quia sicut locutus est ad patres nostros Abraham & semini ejus in sæcula, sic fecit, & facit, & faciet in sæcula? In quo verax, nisi quia mittens incarnari filium suum, visitavit & fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, non alio modo, non alio tempore, non alia de tribu, non alio in castello, nisi per Virginem in plenitudine temporis, de tribu Juda, in Bethleem castello David, sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum ejus? Itaque testimonio Christi suscepto recte credimus, recte quod credimus in corde scribimus, & scriptum signamus, hoc scilicet quia Deus verax est. Hæc enim propositio non solum integra, sed etiam rata est. Integra nimirum, quia nulla principalis pars constitutiva deest in hac oratione: nam quemadmodum domus principalis constitutivæ partes sunt, tectum, parietes, fundamentum; quarum partium si vel una defuerit, domus non integra, immo nec domus erit: ita orationis vel propositionis principales constitutivæ partes sunt, nomen & verbum: quorum si alterum defuerit, propositio vel oratio integritate carebit. De tali autem oratione agendo, quam dialectici enunciativam dicunt, nomen & verbum large accipimus, cum nomine pronomen, cum verbo participium comprehendendo, ut in tanto negotio, tantilla determinatione, quasi modico flabello sophismatum importunas muscas abigamus. Integra ergo non erit oratio carens nomine cum verbo; immo non erit oratio dicenda, cui deest pars orationis principalis & principaliter constitutiva. Sed ista oratio *Deus verax est*, omnino est integra, quia non caret aliqua parte principaliter constitutiva, licet careat secundariis partibus orationis, conjunctione, præpositione, ac ceteris, quarum absentia vel subtractio non diminuit integritatem orationis, idest non destruit orationem, quo minus oratio sit, sicut nec paxilli, vel tegulæ subtractio domum destruit. Ignosce, lector, tamdiu talibus nugis immoranti: quoniam ea quæ dicimus notata valent nobis ad demonstrandum integritatem cujusque sacramenti.

15. Dicamus item. *Deus verax est*, est oratio integra, integra, inquam, nulla carens parte principaliter constitutiva. Sed si solum-modo esset integra, non etiam rata, nequaquam esset juxta consilium Johannis Baptistæ signanda, sed exsufflanda, quantum esset integra. Est autem hæc oratio ita vera & rata, quod possibilius est cœlum & terram in nihilum redigi, quam hanc orationem irritam fieri; quod enim significat ita verum est, ita invariabiliter existit, ut numquam non esse possit. Proponat alius, *diabolus verax est.* Et hæc oratio nihilominus est integra, ex nomine scilicet & verbo constituta; sed nequaquam est rata; quoniam sæpe est falsificata, licet interdum & diabolus vera dicat, seu verisimilia, ut persuadeat ea quæ omnino falsa sunt. Dicimus ergo secure, quoniam hæc propositio, *diabolus verax est*, omnino est irrita & falsa, inanis & à veritate vacua, suffragante nobis testimonio Veritatis de ipso diabolo testantis, quia mendax est & pater * ejus, & quia in veritate non stetit.

* f. mendacii.

16. Ut igitur ad rem de qua sermo est redeamus. Unumquodque sacramentum est quasi quoddam totum integrum: habet enim partes constitutivas, quando accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Verbi gratia, cum baptizatur aliquis, hoc verbum *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*, accedit ad aquæ visibilis elementum, & fit invisibilis gratiæ sacramentum, de verbo audibili & aqua visibili tamquam de partibus principaliter constitutivis perfectum. Nam ceteræ preces quæ illa jam dicta verba præcedunt vel sequuntur, & cetera quæ præter elementum aquæ illic adhiberi solemne vel usitatum est, ut oleum, seu chrisma quod baptismo permisceri solet, aliaque hujusmodi non sunt principales vel constitutivæ partes baptismatis sacramenti; sed solum, ut dixi, hoc verbum, *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*, rite accedens ad elementum aquæ, constituit sacramentum integrum, sive in ecclesia, sive extra ecclesiam sic celebretur ita perfectum. Hæc verba visibili aquæ adhibenda non ab apostolo aut propheta sunt ecclesiæ tradita; sed desuper contexta, textrice ipsa Dei Sapientia, sicut & illa verba quæ super elementum panis & vini effusa conficiunt corpus & sanguinem Christi, sunt contexta per totum. A solo enim Christo exordium habuit utraque traditio, tam baptisma perficiendi, quam corpus & sanguinem ipsius conficiendi, per illa nimirum verba quæ de ipsius Christi ore sunt primum prolata, vel ubi baptisma instituit dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Matth. 28. 19. Vel ubi corpus & sanguinem suum de pane ac vino confecit, & discipulis suis ut id ipsum facerent præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. 19. Quæ autem vel in baptismi vel in missæ celebratione huic traditioni, huic verbo consummato per Christum & adbreviato superadduntur, non magis perimunt integritatem,

sacramentorum si prætermittuntur, nec perficiunt si adduntur, quam orationem ex nomine & verbo constantem perimunt seu perficiunt reliquæ orationis partes appenditiæ, demtæ vel additæ.

17. Cogimur enim nunc talium quoque næniarum uti similitudine. Olim quippe non tanto exterioris apparatu decoris missarum solemnia celebrabantur, nec ab uno quolibet hæc omnis religiosi obsequii gratia consummata & perpolita est. Pontifices namque sacri splendida Romanæ sedis luminaria sicut diversis temporibus affulserunt, ita paulatim studii sui claritate venustatem hujus salutaris officii perfecerunt; & sicut traditum à Domino per Moysem sacrificii veteris ordinem præcipue David & Salomon sacerdotum & levitarum ministerio, cantorum multiplici numero, psalmorum divinorum tripudio, templi vel altaris illustri gloria, sacrorumque multitudine vasorum splendidius amplificaverunt; sic traditum à Domino mirabile novi sacrificii ritum per primos apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fideli cura conservavit, diligenti apparatu exornavit, proferens de thesauro suo nova pietatis monumenta, quoddam velut ex auro lapidibusque pretiosis religiosi officii sancto sacrificio fabrefecit diadema, dum alius Romanorum pontificum antiphonam ad introïtum, alius *Kyrie eleïson*, alius *Gloria in excelsis Deo*, atque alius aliud in missa instituit canendum vel dicendum: non quidem ad augendum illud unicum sacramentum, sed ad ornandum ejusdem sacramenti cultum divinissimum & ad venerandum singulare sacrificium à Christo apostolis & per apostolos nobis traditum. Neque enim sanctius hinc est quam erat prius, cum ad sola verba Domini solamque orationem dominicam consecrabatur; sed maxime decuit, ut fides quæ adhuc erat illo tempore rudis, & ut ait quidam tam doctus quam fidelis, agresti turbida cultu, nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos, ubi ornari potuit, maxime in hac parte tamquam in capite suo deauraretur, & quasi murenulis aureis vermiculatis argento decenter ornaretur.

In missa plura à summis pontificibus addita.

18. Igitur quamvis, ut dixi, nec talibus prætermissis minuatur integritas sacramenti à Christo constituti: tamen si quis ea temerarius decerperet, quæ dominicis verbis patres sancti addiderunt, parificandus esset militibus vestimenta Christi scindentibus & dividentibus. Illa vero dominica verba desuper contexta per totum, ubi Christus inducitur ore proprio loquens & dicens: *Accipite & manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum. Accipite & bibite ex hoc omnes: hic est enim calix sanguinis mei*, &c. usque *hoc facite in meam commemorationem*. Illa, inquam, verba super panem & vinum fusa, quibus accedentibus ad panis & vini aqua mixti elementum fit sacramentum, simili-

In missa quid faciat integritatem sacramenti.

Luc. 22. 17.

A tudinem repræsentant illius tunicæ desuper contextæ, quam neque ipsis Christi crucifixoribus licuit scindere. Hoc est verbum brevians & consummans totam integritatem, quæ est in panis & vini sacramento, si eidem, cui ea Christus adhibuit, adhibita fuerint elemento, ritu videlicet ecclesiastico, quem traditum scimus ab ipso Christo. Quod si vel baptizans aliquis vel sacrificans aliquis traditionem Christi derelinquat, ita ut in perficiendis sacramentis alias elementorum species quam eas quas Christus instituit adhibeat, vel verba ipsa ipsius Christi prætermittat & contemnat, hic non perficit integritatem

B sacramenti: immo quod agit non magis habet nomen sacramenti, quam illa res nomen potest domus habere, cui constiterit vel tectum vel parietes vel fundamenta deesse. Posset autem domus esse cui pictura parietum, vel clavi tegularum, vel cetera talia deessent: posset quoque oratio consistere, cui contingeret omnes partes orationis deesse præter nomen & verbum: subtracto autem nomine & verbo, non esset unde constitueretur oratio. Sic in celebrando baptismi vel missæ officio interdum quædam subtrahuntur, quæ à sanctis patribus apposita noscuntur, ut cum

C periclitantem infantem baptizamus, & sola ibi verba unius trini nominis recitamus, vel cum interdum *Gloria in excelsis* & *Credo in unum* prætermittimus, & tamen integritatem sacramenti perficimus. At si baptizantes unam saltem personam de tribus personis nominare contemnamus, vel sacrificantes & omnia quæ à sanctis patribus apposita sunt recitantes, Christum in cœna sua loquentem non introducamus, non potest nominari sacramentum quod agimus. Hinc est quod sancti patres etiam in hæresi ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti baptizatos prohibent rebaptizari, agnoscentes in eis caracterem Christi, id est integritatem sacramenti.

D Ab his autem hæreticis baptizatos, qui non baptizabant in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, censuerunt non tam rebaptizandos, quam ex integro baptizandos, quia non reputatur baptismi sacramentum, ubi secundum ritum divinitus traditum invocatio trini nominis non fit super aquæ visibilis elementum.

19. Donatistæ autem & alii multi hæretici sacramenta divina ritu ecclesiastico celebrabant: & ideo B. Augustinus violenter decertat in quibusdam scriptis contra re-

E baptizatores à talibus baptizatorum, & contra reordinatores à talibus ordinatorum: integritatem, inquam, non utilitatem talium sacramentorum defendit: quia extra ecclesiam ea posse quidem inesse, sed non posse prodesse contendit, & multis rationibus ostendit. Multi tamen scripta ejus negligenter legentes, ubi integritatem & formam sacramentorum tam extra quam intra vident, parificari putant eorumdem sacramentorum virtutem tam intra quam extra ecclesiam

Sacramenta ab hæreticis collata esse integra, tamen mortua.

æqualiter operari. Quod ille beatus pater numquam sensit: quia hæreticorum sacramenta quantumlibet integra, tamen probat esse mortua, & omni virtute Sancti Spiritus destituta; neque enim hæc sunt contraria, esse aliquid integrum & mortuum: quia sæpe vidimus corpus humanum integrum, & tamen mortuum. Sæpe contingit ut palmes abscissus & integer existeret, & tamen vitalem succum non haberet. Fieri potest ut manus abscissa formam membri obtineat, sed usum membri non exhibeat. Non ergo beatus Augustinus sibi est contrarius, dum sacramenta hæreticorum defendit integra & numquam reiteranda, quæ tamen B probat esse mortua. Dicit enim in sermone » de Blasphemia Spiritus-sancti: Potest esse » visibilis forma palmitis etiam præter vitem: » sed invisibilem vitam non potest habere » radicis nisi in vite. Proinde corporalia sacra» menta, quæ portant & celebrant etiam se» gregati ab unitate corporis Christi, formam » possunt exhibere pietatis. Virtus vero pie» tatis invisibilis & spiritualis ita in eis non » potest esse: quemadmodum sensus non se» quitur hominis membrum dum amputatur. Nonne ista dicendo beatus Augustinus probat esse mortua hæreticorum sacramenta; C quæ tamen quantum ad extrinsecam formam docet auctoritas Romana redeuntibus ad ecclesiam non esse iteranda; sed sola Sancti Spiritus invocatione per manus impositionem confirmanda. Unde Leo papa Nicetæ Aquilegiensi patriarchæ scribens ita dicit: „ Hii qui baptismum ab hæreticis acceperunt, „ cum baptizati antea non fuissent, sola San„ cti Spiritus invocatione per impositionem ma„ nus confirmandi sunt: qui tantum formam „ baptismi sine sanctificationis virtute sumse„ runt: & hanc regulam servandam ab om„ nibus ecclesiis prædicamus, ut lavacrum se„ mel initum nulla ratione violetur, dicen„ te Apostolo, *Unus Deus, una fides, unum* „ *baptisma*: cujus ablutio nulla iteratione te„ meranda est: sed, ut diximus, sanctificatio „ sola Sancti Spiritus invocanda est, ut quod „ ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sa„ cerdotibus consequatur. Eant nunc hæretici & glorientur de sacramentorum integritate, dummodo nobis constat eadem sacramenta penitus mortua, penitus extincta. Unde idem Leo papa Leoni augusto de Alexandrinis excommunicatis, & tamen sacramenta ritu ecclesiastico celebrantibus loquens ita » dicit: Perspicuum est quibus pietas vestra » succurrere, & quibus debeat obviare, ne » Alexandrina ecclesia, quæ semper fuit do» mus orationis, spelunca nunc sit latronum. » Manifestum quippe est per crudelissimam » immanissimamque væsaniam omne illic cœ» lestium lumen sacramentorum extinctum: in» tercepta est sacrificii oblatio, defecit chris» matis sanctificatio, & parricidalibus manibus » omnia se substraxere mysteria.

Eph. 4. 5.

20. Ecce probavimus mortua & extincta A hæreticorum sacramenta: liceat nunc eadem affirmare irrita, nisi fuerint per ecclesiam confirmata. Liceat nos nunc consentire Placentino concilio affirmanti penitus irritum esse, & nullas vires habere quicquid vel in sacris ordinibus vel in ecclesiasticis rebus data vel promissa pecunia, obsequio aut lingua acquisitum est. Quæ synodalis censura etiam eos perculit, qui amissa per aliquod crimen officia reambiverunt, & data vel promissa pecunia, obsequio indebito, aut lingua reacquisierunt.

Conc. Plac. can. 2.

21. Jam de sacramentis extra ecclesiam ritu tamen ecclesiastico celebratis quatuor demonstrata sunt, videlicet quod sunt integra quantum ad partes principaliter constitutivas, quod sunt mortua secundum testimonium Augustini, quod sunt extincta secundum testimonium Leonis papæ, quod sunt irrita secundum testimonium Placentini concilii. Libet nunc distinguere inter ipsa sacramenta quæ possunt esse mortua, extincta, irrita, & ipsam virtutem sacramentorum, quæ numquam potest esse mortua, extincta, irrita; sed ubicumque est viva, lucida & rata est. Est enim distantia non parva in his consideranda, quæ facile videbitur si ipse sacramentorum effectus primo distinguatur. Sacramentorum etenim effectus non est uniformis: quia dicitur sacramentorum effectus passive, ille scilicet quo ipsa sacramenta effici designamus. Dicitur etiam active, ille scilicet quem efficiunt sacramenta. Et prior quidem effectus in eo consistit, si ritu ecclesiastico integre celebretur: quia si vel in missa vel aliis divinis officiis alio ritu quam eo quem ecclesia divinitus traditum tenet, quis agat, nequaquam sacramentum illic efficitur, sicut illi hæretici fecerunt, qui non in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti baptizverunt: & ideo pro sacramento baptismi non est ha- D bitum quod fecerunt. Et qui de talibus resipuerunt in ecclesia catholica, tamquam numquam baptizati ex integro baptizati sunt. qui autem foris ritu ecclesiastico sunt baptizati, ad ecclesiam venientes per manus impositionem sunt confirmati: utpote habentes in se illum effectum sacramenti, quo sacramentum potuit etiam extra ecclesiam effici. At ille activus effectus quem agunt & efficiunt sacramenta, non est nisi in catholica ecclesia. Et prior quidem effectus oculis & auditu discernitur; quoniam de verbis audibilibus & speciebus visibilibus ipsum sacramentum, id E est rei sacræ signum perficitur. Activus autem sacramentorum effectus quem sacramenta efficiunt solis fidei oculis cernitur. Cum ergo multiplex intellectus generetur, si absque determinatione sacramentorum effectus nominetur, veniam postulo quod necessitate coactus, passivum & activum effectum sacramentorum nomino, more hactenus inusitato. Neque enim omnes vocum novitates, sed profanas tantum Apostolus cavendas dicit; non est autem profana vocis novitas, qua exprimi-

Sacramentorum effectus duplex activus & passivus.

NOTA.

tur non nova rerum veritas. Licuit, semperque licebit rei veritatem utcumque aptatis nominibus quæ modo nihil erroris inducerent proferre, sicut sancti patres in Nicæno concilio fecerunt, qui urgente necessitate nomen novum *omousion* in symbolo recitari fecerunt: quo tamen nomine rem non novam expresserunt. Sic & nos urgente necessitate cogimur sacramentorum effectus in re multum distinctos etiam nominibus distinguere, ut evidentius pateat, quo sacramentorum effectu dicimus hæreticos carere. Sicut enim apostoli cum vidissent in nomine Domini quemdam dæmonia ejicientem & ipsos non sequentem, & hunc prohibuissent, inde sunt à Christo redarguti, quod in eo in quo erat secum prohibuerunt eum, quem potius debuerant invitasse ad sequendum ipsum, in cujus nomine fecit signa virtutum: sic & nos argui possemus, si hæreticos in eo increparemus, in quo nobiscum agunt, & interdum dæmonia ejiciunt, videlicet cum baptizant infantes, vel alios errores in quo ipsi sunt excusabiliter ignorantes, vel etiam eos qui urgente mortis articulo non valentes habere catholicos baptizatores, accipiunt per hæreticos, quod mallent accipere per catholicos. Quibus ita baptizatis, quoniam corde non abnegant virtutem pietatis, non inaniter credendum est, inesse ipsum sacramentum pietatis. Hoc intuitu prænotatum Placentinum concilium à Simoniacis hæreticis non simoniace ordinatos judicat misericorditer tolerandos; si tamen probare potuerint, se cum ordinarentur suos ordinatores nescisse Simoniacos: & si tunc pro catholicis habebantur ipsi ordinatores, & si ipsos ordinatos laudabilis vita commendat. Si ergo utcumque toleramus à talibus ordinatos per jam dictas causas excusatos, multo magis per ignorantiam vel necessitatem à talibus baptizatos, & errori eorum in nullo consentaneos ecclesia catholica suos potest recognoscere filios: si tamen errore talium baptistarum agnito hæresim detestari, & catholicam veritatem & pacem voluerunt sectari.

Conc. Plac. can. 1.

22. Igitur Simoniacos & alios hæreticos in nomine Domini signa facientes, videlicet sacramenta quæ sunt rerum sacrarum signa, non sic facere prohibemus, sicut faciunt, quoniam nobiscum faciunt; sed ibi facere ubi faciunt: quoniam extra ecclesiam signa faciendo nobiscum non colligunt. Et quia ipsis eorumque pravitati consentaneis una cum ipsis anathemati subjacentibus nullus provenit hujusmodi signorum usus, eos familiariter monemus, ne glorientur in signis, quemadmodum gloriabantur magi Pharaonis, quoniam digitus Dei nusquam operatur nisi in ecclesia Dei, nec in ipsis eorum baptizatis vel ordinatis, quicquam per eos operatur, nisi cum eorum animus ab ecclesia catholica non esse disjunctus probatur, & vel per infantilem vel aliam invincibilem ignorantiam seu etiam per mortis articulum excusatur: quæ tamen excusatio non ut in baptismo, sic etiam in alio quolibet reperitur sacramento. Unde S. Johannes Alexandrinus dicit inter cetera: « Baptismus à quovis « hæretico vel facinoroso suscipi potest, si in no- « mine Patris & Filii & Spiritus-sancti baptizari « potest. Pœnitentia autem à nullo nisi à catho- « lico suscipienda est. Et post pauca: Si nullus « catholicus sacerdos vel bonus vel facinoro- « sus affuerit; rectius est, sine communione « manere visibili & invisibiliter à Domino com- « municari, quam ab hæretico communicari « & à Christo separari. *Nulla conventio Christi* « *ad Belial*, ait Apostolus, *nulla pars fideli* « *cum infideli*. Omnis hæreticus infidelis est: « Simoniacus autem est hæreticus: igitur in- « fidelis est. Sacram communionem Christi « quamvis visibiliter & corporaliter catholici « propter imminentes hæreticos habere non « possunt: tamen dum mente & opere Christo « conjuncti permaneant, sacram Christi com- « munionem invisibiliter habent, sicut plurimi « sanctorum, qui remoti in eremo à nullo vel « viventes vel morientes videbantur: quos « tanto magis credimus conjunctos esse Deo, « quanto disjunctos hominibus. Item testimo- « nium ejusdem. Nullatenus, ait, aliquando « hæreticorum communione, immo coinqui- « natione participemini: etsi in omni vita ve- « stra ex aliqua impulsione vel necessitate com- « munionem catholicæ ecclesiæ non invenien- « tes, sine communione permanseritis. Si enim « uxorem corporalem legitime possidentes, si « in regione aliqua longinqua absque ista mu- « liere tempore multo morantes, relinquere « hanc mulierem & alii copulari à Deo & le- « gibus prohibemur: si vero egerimus, puni- « mur: quomodo putas Deo per rectam fidem « & catholicam ecclesiam conjuncti, ut ait « Apostolus, *Aptavi vos uni viro virginem ex-* « *hibere Christo*, si orthodoxam ecclesiam & « sanctam fidem adulteraverimus per commu- « nionem hæreticorum, non in futuro tor- « menti, quod expectat hæreticos, erimus « participes? Communio enim dicitur eo quod « communem faciat, & firmat communicantem « quibus communicat. Ne igitur, quæso, ait, « ô filii, hujuscemodi oratoriis applicetis. Hoc « ultimum de oratoriis quæ dedicaverant hæretici dictum inde colligimus, quod eumdem Johannem alias de catholicis ecclesiis dixisse invenimus. Ecclesias catholicas quamvis ab hæreticis invasæ sint, tamen ingredi ad orationem nullus timeat: quia quamvis carnifices membra Christi vulneraverint, & vestimenta diviserint, tamen sanctissima remanserunt in semetipsis.

Johannis Alexandrini sententia de non recipiendis hæreticorum sacramentis.

2. Cor. 6. 15.

2. Cor. 11. 2.

23. Nunc ad intermissa redeamus, & sacramentorum effectus supra distinctos adhuc plenius distinguamus. Ille quidem sacramentorum effectus, quem diximus passivum, semper est uniformis, & tam extra, quam intra ecclesiam unius institutionis vel constitutionis quantum ad partes principaliter constitutivas, nam in secundariis & appendiciis

partibus modus est interdum varius, & multifarius, prout singularum ecclesiarum est usus. At principali sacramentorum constitutione semper modus est unus & uniformis in omnibus ecclesiis, Græcis & Latinis. Nam in eo quod Græci fermentatum panem offerunt; principalem Christi constitutionem non omittunt, quam tunc omitterent, si aliud quam panem offerrent: verbi gratia, caseum vel tale aliquid quod Christus non obtulit. Et ideo quamvis rationabilius facerent, si azymum panem offerendo sanctæ Romanæ ecclesiæ concordarent: eorum tamen fermentatum sacrificium diu toleravit ecclesia, non cum negligentia, sed adhibita per multos multa diligentia, ut Græci concordarent cum Romana ecclesia. Inde [a] Leo VIII. hujus nominis Papa à beato Petro CXLVIII. contra Michaelem Constantinopolitanum patriarcham egregiam conscripsit epistolam; defendens consuetudinem Romanam sinceram, & institutioni Christi magis consonam. Sed tamen Græci perseverant in sua consuetudine, non discordantes à nobis in principali sacramentorum constitutione. Similiter inter ipsos Latinos, cum aliqui discrepent in eo quod cum pene omnis ecclesia teneat Gregorianum ordinem; ipsi adhuc tenent Ambrosianam institutionem, in principali tamen sacramentorum constitutione adeo sibi concordant omnes ecclesiæ, ut etiam hæreticorum nullus eam audeat mutare, atque si quis eam permutaverit, scilicet vel aliud offerens, vel in alio liquore baptizatus, vel aliud inter offerendum, aut baptizandum recitans, quam habet ecclesiastica traditio, nullatenus quod agit reputetur pro sacramento. Sunt igitur inviolabilia sacramenta, quoniam ubicumque sunt, eadem sunt, & semel imposita, numquam aboleri possunt. Neque enim cum ordinati vel baptizati excommunicantur, sacramentis quæ ritu ecclesiastico susceperunt, ullatenus privantur, sed permanent in eis ordinationis vel baptismi sacramenta, quamvis mortua, quamvis extincta, quamvis irrita, id est nullius virtutis aut salutis effectiva. Speciem ergo solam pietatis quam habent hi tales baptizando conferunt; sed quam non habent virtutem ejusdem pietatis, conferre non poterunt, maxime his qui suis erroribus consentiunt, & ab ecclesia dissentiunt, vel in eo quod eorum interdicta sacramenta scienter suscipiunt. Quapropter tales qui à talibus baptizati, quando ad catholicam ecclesiam redeunt, non eis repetitur lavacrum carnis, sed ut perficiatur quod deest, inseruntur catholicæ matri, ut per ejus reconciliationem Spiritus-sancti gratiam percipere mereantur. Nam in illa sola Spiritus-sanctus datur: quia videlicet in scissura mentium Deus non est, sed in unitate & pace, quæ perfectionis vinculum est. Et hi quidem thoro minus legitimo procreati, tamen reputantur filii, nam & ex omni tribu

(Sacramenta hæreticorum virtutem sacramenti non conferunt.)

filiorum Israel numerati sunt filii Deo cogniti: ubi signantur servi Dei nostri in frontibus suis, scilicet tam ex tribu Gad & Aser, qui de illa nati sunt, quam ex tribu Juda & Joseph, qui ex legitimis conjugibus orti sunt. Verumtamen si ante legitimæ matris reconciliationem de hac luce subtraherentur, cum Ismaële de domo & hereditate paterna ejecti, nequaquam inter heredes regni Dei reputarentur, dicente matre libera: *Ejice ancillam & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* (Gen. 21. 10.) Quod beatus Augustinus exponens ait: Ecclesia dicit » Ejice hæreses & filios earum: non enim hæ- « redes erunt hæretici cum catholicis. Sed « quare non erunt heredes? nonne de semine « Abrahæ nati? & quomodo baptismum ha- « bent, baptismum heredem faceret semen « Abrahæ, nisi ab hæreditate superbia exclu- « deret. Eodem vero verbo nasceris, eodem « sacramento; sed ad eamdem hereditatem « vitæ æternæ non pervenis, nisi ad ecclesiam » catholicam reversus fueris. In his dictis B. » Augustini ac ceteris ejus scriptis diligenter perspectis facile notatur, quem sacramentorum effectum ipse astruat apud homines esse perfectum, nempe non alium, nisi quem nos dicere possumus passivum. Quo nomine notamus non eum effectum quem efficiunt, sed quo efficiuntur sacramenta, ut sint sacramenta, id est rerum sacrarum signa, sicut aqua baptismi signum est Spiritus-sancti, vel sicut oleum sanctum in ordinatione pontificis signum est Spiritus-sancti, vel sicut panis & vinum sacrificatum unitatis est signum, in eo scilicet, quod sicut unus panis ille de multis confectus est granis, & sicut vinum illud de multis confluxit acinis; sic ecclesia de multis hominibus una consistit per fidei unitatem. Significari autem pane illo uno unam ecclesiam dicimus, non in eo quod offertur & consecratur; sed in eo quod de multis, ut dictum est, conficitur granis. Nam in eo quod consecratur nec ipsum individuum corpus Domini significat, sed est corpus Domini transfuso in se Dei Verbo per fidem passionis, resurrectionis & ascensionis. Dominus enim non hoc significat, sed *Hoc est corpus meum*, inquit. (Matth. 26. 26.) Ergo panis ille aliud est, aliud significat. Nam est corpus Domini, significat autem unam ecclesiam, quæ licet & ipsa sit corpus Domini: aliud est tamen corpus Domini redimens, aliud corpus redemtum. Aliud est corpus Domini, quod est etiam Dominus; de quo Maria loquens, *tulerunt Dominum meum*, (Joh. 20. 13.) inquit, *& nescio ubi posuerunt eum*: aliud corpus Domini, quod non potest Dominus vel Deus nominari, quamquam sit corpus Domini. Corpus Domini quo redimimur, est ipsum individuum corpus, de quo dixit Christus; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis & pro multis tradetur in remissionem peccatorum.* (Matth. 26. 26.) Corpus vero Domini quod est ecclesia, non est unum individuum corpus,

(Corpus Christi in Eucharistia signum est ecclesiæ.)

(a) Lege Leo IX.

nec est corpus redimens, sed est per unam fidem unum corpus, & corpore Christi redemta, una in multis individuis vel personis ecclesia. Hanc ecclesiam panis sacrificii significando, est & dicitur sacramentum, id est sacræ rei signum. Unitas enim ecclesiæ res sacra est, quam panis ille in eo significat quod de multis granis confectus est, & unum quid effectus. Hoc idem cum in quolibet pane possit significari qui de multis granis conficitur, aptius tamen hanc significationem quasi rei sacræ signum & quasi sacramentum, immo vere sacramentum in illo pane ecclesia sancta veneratur, qui sacrosancto altari adaptatur, & super quem verbum Christi secundum ritum ecclesiæ recitatur. Quod quia tam hæretici quam catholici, qui tamen ritu ecclesiastico sacrificant, uno eodemque modo recitant, æqualiter sacramentum, id est rei sacræ signum tam hi quam isti repræsentant. Quod enim significat panis à catholico sacerdote oblatus, hoc significat panis ab hæretico & simoniaco sacerdote secundum ritum ecclesiæ oblatus. Et miro modo etiam significat panis ille unitatem, ubi constat non esse ipsam ecclesiæ unitatem. Unitas enim ecclesiæ nequaquam potest intus & extra esse; sed in una ecclesia est unitas indivisa. Signum vero vel sacramentum unitatis etiam extra unitatem potest esse; sed ipsa unitas, ut dixi, extra semetipsam non potest esse, nec potest quisquam indivisibilem unitatem dividere. Cum ergo signum unitatis est præter unitatem, ad quam significandam fuit institutum, habet quidem suimet effectum ipsum sacramentum, quem supra diximus effectum passivum; sed non habet effectum, quem dicere possumus activum; quoniam ipsum quidem sacramentum efficitur vel conficitur, dum verbo accedente ad elementum sacræ rei signum perficitur; sed quia sacra res illic deest, non efficit suos effectus ipsum sacramentum. Quomodo enim corpus absque anima nihil operatur, sic sacramentum unitatis absque unitate suos effectus non operatur. Nam sicut corpori ut aliquid operetur, anima cooperatur; sic sacramento unitatis, ut aliquid operetur, ipsa unitas cooperatur; & sicut corpus est vivum habens in se vivificantem spiritum, eoque subtracto, est mortuum; sic sacramentum unitatis vivit, si ipsum in unitate & unitas in ipso consistit, & ab unitate sejunctum penitus est mortuum, & ad eos effectus quos efficere deberet invalidum.

Sacramenta sanctificationem, permutationem & salutem operantur.

24. Cooperante namque unitate, sacramenta nonnihil efficiunt, quia operantur in creaturis triforme opus creatoris, id est sanctificationem, permutationem, salutem. Sanctificationem etiam in rebus inanimatis, ut in chrismate vel in templo manufacto, quæ per verba alia sacrarum rerum signa sanctificantur. Permutationem, ut in pane & vino, quæ dum sacrificantur, in aliud PERMUTANTUR. Salutem, quia fideles digne sacramentis participantes, & in unitate perseverantes, per ea salvantur. Hæc autem omnia, videlicet sanctificationem, permutationem, & salutem operatur in sacramentis & cum sacramentis unus atque idem Spiritus, circa ipsas creaturas quæ sanctificantur, permutantur, & salvantur, per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, cui tamquam viti palmites adhærent catholici sacramentorum celebratores; quamdiu enim per unitatem fidei magistro concordant veritatis, unitatis vinculum servantes, id ipsum sentiendo omnes in Christo manent, & singuli de spiritu ejus viventes, internæ viriditatis gratiam habent, vivitque in salutem communicantium illis, quodcumque celebrant sacramentum in ecclesia Christi. Christus namque in eis loquitur, & quicquid ab eis fit, ab eo factum & Spiritu ejus confirmatum esse recte creditur: etiamsi in moribus suis reprehensibiles inveniantur, dummodo in unitatis compage maneant, & uni viti quæ Christus est inhæreant. At vero ubi dissentientes sesque per hæreses & schismata ab unitate ecclesiæ dividentes, à Christo præcidunt, mortuum est omne eorum verbum & sacramentum; & quicquid agere videntur, irritum; quicquid sanctificare putantur, pollutum est.

25. Eant igitur & fructum ferre gestiant, plantaria mortis & surculi æternis ignibus deputati, Simoniaci conductores & conductitii ceterique negotiatores, flagello dominico ejecti de domo Dei, & omnes hæretici & schismatici ab unitate præcisi, & ideo penitus infructuosi. Nam quicquid apud eos agitur, quodcumque quasi sacrum vel sacramentum celebratur, tam vere verbo vitæ & spiritu veritatis caret, quam vere palmes, nisi manserit in vite fructum ferre non potest, quam vere manus abscissa à corpore vivere vel operari non potest. Igitur cum in omnibus gestis & dictis in quibus testimonium Christi recipimus, hoc oporteat notari & signari, quia Deus verax est: hoc ejus testimonium tamquam à Deo, tamquam à veracissimo teste prolatum diligenter est notandum & inviolabili fidei signaculo signandum, ubi ait: *Manete in me, & ego in vobis:* Joh. 15. 4
addiditque: *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* Hoc veracis Dei testisque fidelissimi verum testimonium non solum contra hæreticos atque schismaticos, sed etiam contra quoslibet præsumtuosos est caute signandum, & memori semper in pectore gestandum. Quis enim vitis & palmitum ejus nesciat unitatem? Quamdiu palmites in vite manent, tamdiu ascendentes per venas intimas genuinum radicis ejus humorem bibunt, & vivunt, florentque, & flores fructus parturiunt. At vero si de vite palmes excisus fuerit, jam boni succi ejus particeps esse non potest; sed nec vivit, nec usum habet alium, nisi ut in ignem mittatur & ardeat. Itaque ô hæretici atque schismatici ab ecclesiæ corpore vos præscindentes,

& propriis ad inventionum vestrarum sarculis præcisi, nolite putare, quod vitalem fructum ferre possitis. Itemque & vos præsumtores & nimii assertores liberi arbitrii; qui vos putatis non indigere auxiliantis & miserantis gratiæ Dei tamquam volentes & currentes vestra velocitate vitæ sempiternæ fructum comprehendere possitis: scitote vos horrenda manu agricolæ tollendos & in ignem mittendos, nisi omnem pulchritudinem, omnemque fructuum venustatem, non ex vobis, sed ex vitis intima radice procedere confessi fueritis. Dicit enim fidelix & verax testis noster: (Joh. 15. 5.) *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Plane nihil, quia peccatum nihil est, quod solum sine ipso facere possumus. Non enim est peccatum ulla substantia, sed corruptio substantiæ. Similiter mendacium pro nihilo est habendum. Est namque mendacium quo id significatur esse quod non est, vel non esse quod est. Unde cum audimus mentientem, solemus dicere, Nihil dicis: quod idem est, ac si dicamus Non est quod dicis. Non est ita in rerum existentia, sicut significant verba tua; & ideo recte mendacium nihil dicitur: quia non habet ubi subsistat, ejus existentia subtracta vel denegata illi re significata. Sic postquam Christus natus est, cujus nasciturì signum erat circumcisio, Apostolo affirmante, (1.Cor.7.19.) *Circumcisio nihil est*, id est falsum signum est, quod illo signo significatur futurum, jam est præteritum, nato Christo de semine Abrahæ, cujus futuræ nativitatis erat signum verum ipsa circumcisio propterea posita in illa corporis parte per quam semen traducitur, ne dubitaretur de semine Abrahæ nasciturus, qui ad benedicendas omnes gentes fuit Abrahæ promissus. Quo nato, quicumque se circumcidit nihil facit, quoniam teste Apostolo, (1.Cor.7.19.) *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Simili modo qui sacramenta ecclesiæ data extra ecclesiam celebrat, nihil facit, quia ibi signum rei sacræ adhibet, ubi res sacra esse non potest. Ibi exhibet signum sanctificationis, ubi nihil sanctificatur: & ideo signum vel sacramentum illud nihil est. Verum ergo Veritas dicit, (Joh. 15. 5.) *quia sine me nihil potestis facere.* Hoc enim Veritatis testimonium est adeo verum, ut nihil sit apud ipsum sacramentum, id est ipsum sacræ rei signum, cujus exhibent speciem palmites præcisi; sed speciem omni fructu, omni virtute, omni veræ vitis viriditate ac succo carentem: & ideo Judæorum qui blasphemant Christum circumcisioni per omnia consimilem. Nam sicut Judæi blasphemant Christum, & tamen portant signum nativitatis ejus indicativum; sic hæretici & maxime, ut præostensum est, Simoniaci blasphemant Spiritum-sanctum, & tamen celebrant signa Spiritus-sancti operationem & virtutem significantia.

(Quid de oc-) 26. Memorem volumus esse lectorem, A quia ut superius determinavimus, non nisi de manifestis & indubitatis, atque synodaliter damnatis hæreticis agimus, illosque tantum Simoniacos quasi reos concilio in sanctis conciliis damnatos asserimus, quos in felle amaritudinis & obligatione impietatis per hoc esse constiterit, quod eorum Simonia indubitata cernitur, & ob hoc eorum officium à Romana sede interdicitur. Ubi enim Simoniaci vel ceteri hæretici sic latent, ut pro catholicis à catholicis habeantur, non eos judicamus reos concilio, sicut eum qui fratri suo Racha dicens reus erit concilio; B sed arbitramur eos reos judicio, sicut eum qui fratri suo irascitur, dicimus reum judicio, judicio videlicet, non humano, sed divino, ad quem spectant omnia quæ fiunt in occulto. Quod ergo de occultorum hæreticorum sacramentis rei veritas habeat, illius judicio servandum putamus, qui si etiam per tales necdum aperte seclusos aliquid virtutis & salutis operatur, magna in hoc ejus pietas commendatur. Si autem Spiritus-sanctus, qui indisciplinatum in sacramentis fugit apertum hæreticum, etiam disciplinæ fugiet fictum, id est occultum hæreticum, C lupum videlicet ovina pelle vestitum, quis ei dicere audebit, Cur ita facis? Credimus tamen fideles Christi, qui istos latentes hæreticos ignorant, & eorum sacramentis in fide Christi communicant, non fraudari munere Christi & operatione Spiritus-sancti, qui sicut vult spirat: ita & per quos vult spirat, etiam per consimiles Cayphæ interfectori Christi: qui cum jure sint damnandi, habent tamen exemplo ipsius Cayphæ potestatem etiam ipsum Christum in suis membris judicandi, cum, ut dixi, deberent potius ipsi à membris Christi dijudicari & D damnari. Quamdiu ergo Christus in suis membris tales patitur, quasi Cayphas pontifex in domo Dei principatur, cujus familiaritas non magis accepta est veris Christi apostolorumque pedissequis, quam familiaritas Cayphæ accepta fuit ipsis apostolis; sed inviti tolerant parietem dealbatum, donec Deus percutiat illum. Qui autem eumdem parietem fulciunt, longe à Paulo apostolo dissentiunt, qui stans coram quodam tali pontifice, dum ipso præcipiente percuteretur, *Percutiet*, inquit, *te Deus, paries dealbate.* (Act. 23. 3.) Sed hunc parietem dealbatum & quodam justitiæ quasi cæmento vestitum Deo E percutiendum relinquamus: & nos eidem jam jam ruituro saltem latenter subtrahamus, prout possumus, ne si eum velut stipites fulcire nitamur cum ipse ruere cœperit nos obruamur. Stipites hunc parietem fulcientes sunt clerici valenter litterati, & laïci religionis inimici, & omnes ipsorum tales amici, qualis fuit ille amicus pontificis, qui Christum percutiens dixit: *Sic respondes pontifici.* (Joh. 18. 22.) Poterat quidem brachium Domini repercutere percutientem, nec eum solum, sed etiam illum, quem tam rigidus stipes

(cultorum hæreticorũ sacramentis sentiat auctor.)

fulciebat statim subvertere parietem dealbatum, id est ipsius falso pontificem appellatum, sed accepit injuriam, servavit patientiam, nec ullam tam iniqui pontificis captavit erga se clementiam. Sic igitur & nos, opitulante ipso, servemus patientiam, nec ullam iniquorum pontificum captemus clementiam, benevolentiam vel munificentiam; si magis volumus cum Christo salvari, quam inter impiorum pontificum adulatores damnari. Habent isti pontifices Cayphæ consimiles, in cathedra Moïsi sedentes, etiam in hoc affinitatem cum illo Caypha, quod sicut ille Christum captivum tenuit, & occidit, non solum sua lingua, sed etiam Romana manu: ita isti Christum quasi captivum in sacramentis tradunt illis quibus ipse tradi non vult, ut fiant rei corporis & sanguinis Domini, non solum dum ipsi sibi manducant & bibunt judicium, sed etiam dum his quos usque ad condignam pœnitentiam ab ecclesia pellere deberent, ipsum corpus Domini tradunt manducandum, & conspuendum, & crucifigendum: quia, testante Apostolo, reatus corporis & sanguinis Domini contrahitur, quando corpus & sanguis ejus indigne manducatur. At illi manifesti hæretici, præcisi palmites & aridi & omnino mortui, & mortuorum sacramentorum inutiles ministri, nec saltem hoc debent existimare, quod vel illo modo quo eum Cayphas apud se habuit, habeant Christum vel corpus ipsius vivificum, quamquam habeant corporis Domini sacramentum, ut superius est ostensum.

27. Rursum non inde sibi blandiantur, quod si non est Christus in eorum sacramentis, ipsi participando illis, non fiant rei corporis & sanguinis Domini. Pari enim vel graviori eos reatu constat astringi; occisoribus enim ipsius Christi perseverantibus in reatu suo graviter imputabatur ipsa ejus occisio; sed gravius imputata fuisset ipsius Christi divisio, si eum tamquam lanistæ divisissent, & membratim decerpsissent, ossaque ipsius confregissent. Hoc autem fieri non decuit, quoniam filius hominis secundum quod de eo diffinitum erat, ad Patrem vadens, nihil sibi vel corpori suo pœnarum vel injuriarum inferri permisit, nisi quod de eo scriptum fuit. Unde cum omnia consummata fuissent, quæ de passione ipsius erant scripta, nihil ultra in eum carnifices potuerunt. Verum si divinitus cohibiti non fuissent, libenter ossa ejus & crura confregissent, & fortasse ita eum dilaniassent ac divisissent, sicut servorum ejus multos legimus dilaniatos & membratim discerptos. Sed scriptura sacra quæ prædicabat Christi occisionem, nusquam prædicabat, immo modis omnibus prohibebat ipsius Christi divisionem. Prohibebat quoque crurium ejus confractionem, dicente Domino per Moïsem de Agno paschali in
Exod. 12. 46. typum Christi, *In una domo comedetur:* quod idem est, ac si dixisset, per diversas domos unus ille Agnus non dividetur; sed in una domo comedetur, *& os non comminuetis ex eo.* Joh. 19. Culpa ergo malorum indigne corpus & sanguinem Domini accipientium in ecclesia, judicante Apostolo, est quasi occisio Christi reputanda: quia reum corporis & sanguinis Domini eum esse asserit, qui indigne manducat & bibit. Et est quidem culpa hæc magna, sed à scripturis non dissona. Hæreticus autem vel schismaticus, non tam de Christi occisione, quam de Christi culpatur divisione, pro eo quod contra omnem sacræ scripturæ auctoritatem Christum conatur dividere, putans illum in diversis ac pluribus domibus comedi posse, cum lex dicat: *In una domo comedetur.* Exod. 12. 46. Quamquam itaque numquam dividatur Christus: tamen hujus divisionis rei fiunt in suis cogitationibus, qui contentiose affirmant, quod tam extra quam intra ecclesiam comedatur paschalis Agnus. Est autem pejor, detestabilior, & execrabilior hæreticus vel schismaticus ipsis Judæis & militibus Christi occisoribus: Hæretici & schismatici Judæis pejores. quia quod per illos non potuit fieri, hoc facere conantur isti; sed frustra: quia ut Christus dividatur, & tam extra, quam intra unam domum ecclesiæ dividatur non concedit sancta scriptura, sicut evidentissime probant subjuncta patrum testimonia. Cyprianus in epistola ad Cornelium: « Existimat aliquis summa & magna, aut non « sciente Deo, aut non permittente fieri; & « sacerdotes, id est Dei dispensatores erunt « non de ejus sententia ordinati. Hoc est fidem non habere quia vivimus, hoc est Deo « honorem non dare, sed de ejus sententia « non ordinantur sacerdotes, qui extra ecclesiam fiunt, qui contra dispositionem & traditionem evangelii faciunt, sicut ipse Dominus in XII. prophetis ponit & dicit: *Sibimetipsis regem constituerunt, & non per me.* Osee 8. 4. « Et iterum: *Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur.* « Et per Isaiam Spiritus-sanctus clamat & « dicit: *Væ vobis, filii desertores, hæc dicit Dominus: habuistis consilium & non per me, & fecistis conventionem non per Spiritum meum adjicere peccata super peccata.* Isa. 30. 1. « Idem ad Magnum presbyterum: Ecclesia una est, quæ intus & foris « esse non potest. si enim apud Novatianum est, « apud Cornelium non fuit: si vero apud Cornelium fuit, Novatianus in ecclesia non est, « nec episcopus computari potest. Hieronymus « super duodecim prophetas: Odit Deus sacrificia hæreticorum, & à se projecit, & quotienscumque sub nomine Domini fuerint congregati, detestabitur fœtorem eorum, & « claudit nares suas. Deus sacrificia hæreticorum reprobat. Odisse autem & projicere & non odorari, humana loquitur similitudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus cognoscamus. Idem de Agno paschali loquens ait inter cetera: Non putemus « Agnum istum ubique posse comedi. Præcipitur nobis ut in una illum comedamus domo, id est ne extra ecclesiam immolari « Agnum «

agnum putemus. Ex quo manifestum est quod Judæi & hæretici & omnia conventicula dogmatum perversorum, quia in ecclesia non comedunt, non eos Agni carnes, sed draconis comedere, qui datus est in escam populis Æthiopum. Nos vero comedimus azyma sinceritatis & veritatis. Augustinus ad Bonifacium: Hæretici non quærant Spiritum-sanctum, nisi in Christi corpore, cujus habent foris sacramentum; sed rem ipsam non tenent intus cujus illud est sacramentum. Idem: Qui Joseph emerat, Eunuchus fuit: ita qui gratiam Sancti Spiritus mercatur, vivum semen non habet siccis genitalibus. Sic quoque ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babilonicæ captivitatis sub aqua vixerat, extinctus est Antiocho Jasoni vendente sacerdotium. Hoc significat ignem Sancti Spiritus simoniacis non lucere sacramentis. Origenes in expositione super Leviticum: Talis vir quæritur, qui carnes sanctas possit comedere, non in quocumque loco, sed in loco sancto inter atrium tabernaculi. Audiant hæc qui scindunt ecclesias, & peregrinas ac pravas inducentes doctrinas, putant se sacras carnes extra templum Dei, & extra aulam dominicam posse comedere, prophana sunt eorum sacrificia, quæ contra mandati legem geruntur. In loco sancto edi jubentur, intra atria tabernaculi testimonii sunt, quæ fidei murus ambit, spei columnæ suspendunt, caritatis amplitudo dilatat. Ubi hæc non sunt carnes sanctæ nec haberi possunt nec comedi.

28. Si autem aliquæ auctoritates requiruntur à sede apostolica promulgatæ nostris assertionibus consonæ, poterunt sufficere auctoritates præmissæ de scriptis Leonis magni & papæ Paschalis excerptæ: quorum alter in ecclesia Alexandrina propter excommunicatos asserit interceptam sacrificii oblationem, & defecisse chrismatis sanctificationem, & omne cœlestium sacramentorum lumen extinctum. Alter in epistola Mediolanensibus directa, illud B. Augustini dictum comprobat: Veri sacrificii locus extra ecclesiam catholicam non est. Horum duorum Romanorum pontificum dicta cum superius posuerimus, eadem hic iterare superfluum, sed commemorare opportunum duximus. Attamen si quis plures apostolicæ sedis requirit auctoritates, audiat quæ sequuntur. Pelagius papa Victori & Pancratio ait inter cetera: Non est Christi corpus quod schismaticus conficit, si Veritate duce dirigimur. nec enim divisum Christum esse poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, esse constat ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest. Simul enim cum ab eo quisquam discesserit, esse desistit ecclesia. Unum Hierusalem templum est, idolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit. Idem Johanni Patricio: Noli catholicam semper mentem aliqua schismaticorum communione polluere. Unum Christi corpus, unam constat esse ecclesiam. Divisus ab unitate veritatem corporis Christi non potest consecrare. Si enim ipsius consecrationis nomen rationabili ac vivaci intellectu discutimus, consecrare est simul sacrare. Sed ab ecclesiæ visceribus divisus, & ab apostolicis sedibus separatus, dissecrat potius iste, non consecrat. Noli ergo quasi nulla schismaticorum aut ecclesiæ sit differentia, velle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari. Gregorius in registro: Nos consecrationem nullomodo dicere possumus, quæ ab excommunicatis est hominibus celebrata. Idem in Moralibus libro XXXV. Notandum magnopere est, quod conversionis suæ sacrificium amici Job Domino non per se, sed per Job jubentur offerre. Ait enim, *Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* (Job. 42. 8.) Ac si aperte hæreticis dicat, Sacrificia vestra non suscipio, petitionum vestrarum verba non audio, nisi per intercessionem illius, cujus professionis verba de me veracia recognosco. Et post pauca: Salutem vestram per catholicam ecclesiam quam diligo postulate: ipsi enim volo dimittere id quod mihi in ipsa deliquistis, ut hæc vestram incolumitatem obtineat, quæ ex vestro languore laborabat. Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Unde de Agni hostia Dominus præcipit dicens: *In una domo comedetur, nec efferetur de carnibus ejus foras.* (Exod. 12. 46.) In una vero domo agnus comeditur: quia in una ecclesia catholica vera hostia immolatur, de cujus carnibus divina lex efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat.

29. Hæc patrum dicta tam patentia atque manifesta sunt, ut dilucidari non egeant. patentissime namque Simoniacorum aliorumque hæreticorum sacerdotum * & sacrificium irrita demonstrant: immo nullum eos convincunt habere sacrificium verum, quamquam habeant sacramentum verum & integrum sacrificando secundum ritum ecclesiasticum. Duo enim nomina sunt sacrificium & sacramentum; & longe inter se discrepant significata ipsorum: cum vivificum Christi corpus proprie satis appelletur sacrificium, quod non proprie dicitur sacramentum, nisi quantum ad speciem quam sensibus ingerit: quæ species non incongrue sacramentum dici poterit, utpote signum unius corporis quod est ecclesia, de multis personis quasi de multis granis in unum compacta, & unum corpus velut unus panis effecta. Hanc unionem non significat nobis corporis Christi existentia, utpote nimium à sensibus nostris remota, sed ipsa quæ videtur & sentitur species & forma. Cùm enim sacramentum sit visibile signum invisibilis gratiæ, corpus Christi secretum & nostro visui absconditum non audeo sacramentum appellare: quia non significat rem sacram, sed est res sacra, nisi forte ab effectu

* Deest hic aliquid verbum forte *sacramentum*.

Sacrificium & sacramentum quid differant.

dicatur sacramentum, quia digne participantem sacrat, sicut ornamentum quia ornat. Sententiam quorumdam magistrorum affirmantiũ quod carne & sanguine Christi utroque invisibili intelligibili significetur corpus Christi visibile & palpabile, cogor admirari, cum potius invisibilia per visibilia, quam visibilia per invisibilia soleant significari. Igitur hæretici, schismatici & omnes evangelica falce præcisi, licet possint habere identitatem sacramenti, non tamen inde consequens est eos pariter habere identitatem sacrificii nobiscum, quibus ille Agnus est unicum sacrificium, quem in una tantum domo comedi probat evidentissima veritas præmissarum auctoritatũ.

30. Quibus etsi alicubi videantur aliæ auctoritates obviare, quæ sunt tam intra quam extra ecclesiam, affirmant eadem esse ad modum quatuor paradisi fluminum, quæ sunt tam intra quam extra paradisum. Nihil nos movet hujusmodi auctoritatum diversitas: quia nos non denegamus extra ecclesiam esse posse sacramentorum integritatem; sed sacrificii veritatem juxta præmissarum auctoritatum assertionem, quibus illæ auctoritates recte inspectæ non obviant, quæ non sacrificium sanctum, sed sacramentum integrum; non corpus Domini, sed sacramentum corporis Domini extra ecclesiam esse posse affirmant.

Differentia inter sacramenta facta circa creaturam rationalem & circa irrationalem.

31. Est in hac diversarum non adversarum auctoritatum determinatione caute notandum, quia magna invenitur differentia intra sacramenta & sacramenta. Nam alia sunt sacramenta quæ tantummodo circa creaturam rationalem fiunt, ut sacramentum ordinationis & baptismi, alia quæ circa res inanimatas fiunt, ut illa sacra signa, quæ verbis divinis accedentibus ad elementa fiunt in consecratione chrismatis vel altaris, vel etiam panis & vini; & illa quidem sacramenta quæ circa creaturam rationalem fiunt, cum extra ecclesiam celebrata sint, irrita, vacua, extincta & mortua, fiunt rata & lucida & viva, dum rationabili creatura, id est homine pœnitentiam agente sacramentis extra celebratis, accedit ecclesiæ confirmatio. Illa vero sacramenta, quæ circa res inanimatas fiunt, nullo modo confirmari poterunt: quia illæ creaturæ pœnitentiam agere non poterunt. Unde aliquando legimus personarum sacramenta foris data vel intercedente pœnitentia per catholicos confirmata, vel interveniente ignorantia excusata, sicut ab Anastasio papa sunt excusata ordinationis & baptismi sacramenta per Acacium damnatum celebrata, cujus dicta quidam negligenter legentes putant eum sentire contra præmissas auctoritates, sed non ita legenti patebit, si sacramentorum differentiam attendere voluerit, eorum scilicet quæ aliquo modo & aliquando poterunt excusari, per venialem seu invincibilem ignorantiam eadem sacramenta percipientium, & solam Dei gratiam in sacramentis quærentium, & eorum sacramentorum quæ circa res inanimatas foris exhibita numquam leguntur intus confirmata vel excusata; sed omnimodis ubique sunt exsufflata. Unde Alexander papa dicit: « Ecclesia quæ per pactionem pretii claruerit esse « consecrata, & ut verius dicatur exsecrata, « nullomodo pro ecclesia habeatur. » Quod de ecclesia dicitur, de omnibus rebus inanimatis non incongrue dici poterit, quia videlicet neque vinum neque panis, neque oleum à quolibet hæretico exsecratum potius quam consecratum dicendum vel habendum est sanctum. Ecce utcumque de sacramentis quæ sentimus expressimus absque præjudicio meliorum & meliora dicentium, quibus acquiescere parati sumus, ostensa nobis ratione vel auctoritate, cui non debeamus contradicere, & propter quam debeamus dicta nostra mutare.

32. Libet autem adhuc dicere aliqua de iniqua peste simonia. Inter omnes quippe vulpeculas quæ demoliuntur vineas, nulla vulpecula nequior vel astutior simonia. Nam, ut quidam ait, *Simonia deterior vulpecula vineas demoliente.*

Quo teneam nodo mutantẽ Prothea vultus?

Sic nos dicere possumus, quo teneamus nodo simoniam vulpeculam astutissimam, vultu multifariam, habitu milleformem, & pene semper non solum aliis vulpeculis, verum & sibimetipsi dissimilem, usque adeo ut cum vineas Christi demoliatur, interdum in ipsius vinitoris habitu cernatur? Cum enim in una qualibet sua pelle dinosci cœperit, continuo aliam induit, & vineas quas devastat, interdum se plantare simulat. Aliquando & multotiens hæc vulpecula à sagacibus Christi venatoribus deprehensa est, & pelle sua spoliata: at nunc pellem talem invenit in qua vix dinosci possit, quando in ea non more vulpis utitur astutia, nec omnino apparet quasi bestia, sed quasi ovis domestica. Cum enim cœnobiorum prælati ab his quos in suum consortium recipiunt munera exigunt, ipsam simoniacam avaritiam nomine oblationis tegunt: nimirum satis improprie, cum aliud sit oblatio, aliud exactio; aliud quod sponte offertur, aliud quod etiam ab invitis aufertur & extorquetur. Non sic beatus Benedictus in regula sua præcepit fieri: immo istud vetuit fieri, docens ut pauperes, qui pueros suos offerunt, simpliciter petitionem faciant, à divitibus autem parentibus non sinit quidem aliquid exigi; sed si quid sponte offerunt, acquiescit posse recipi. quod ita receptum potest appellari oblatio, non exactio. Christus etiam diviti cuidam perfectam conversionem suadens, non ait, Vade, vende quæ habes, & affer mihi; sed *da*, inquit, *pauperibus, & veni sequere me*. Petrus quoque apostolus communem vitam Hierosolymis regens à nemine sua exigit: quamquam ea suis pedibus apposita, quasi voluntariam oblationem recepit. Ananiam & Saphyram sua Christo destinare non exegit; sed ea jam destinata Christo vin-

Simonia in receptione monachorũ damnatur.

Reg. S. Bened. c. 59.

Luc. 18. 22.

dicavit, & in eorum fraudatores debitam vindictam exercuit. quo exemplo debetur illis magna severitas, qui fraudant vel decimas vel alias oblationes jam usui communis vitæ destinatas: & ideo non debent culpari vel cum debita sibi stipendia exigunt episcopi, & reliqui altaris ministri, vel graviter in eos vindicant qui talia defraudant. Illud quod in divinis ministeriis exigunt non debita, quid est nisi apertissima simonia, sed novo pallio vestita, ut non possit agnosci, dum Simon Magus Simon Petrus appetit videri. Dicunt enim episcopi deberi sibi servitium & expensas multas dum consecrant ecclesias: & nos non negamus eis debitum servitium & expensas quamlibet multas: verumtamen non ab ecclesiarum fundatoribus exigendas, nec omnino ab eis recipiendas, nisi voluntarie, non per exactionem, sed per devotionem offerant eas. Habent enim episcopi decimas & curtes ac villas, quemadmodum olim levitæ habebant decimas & civitates cum suburbanis ad altaris ministerium caste adimplendum; sed mirum est quod dicimus, ad placita sæcularia, & hujus mundi negotia. pascunt semetipsos episcopi de facultatibus episcopalibus: & aliunde pastum exigunt in ipsis ministeriis episcopalibus, ecclesias consecrare, clericos ordinare, christianos consignare pertinet ad officium episcopale: decimæ, primitiæ, seu ceteræ facultates ecclesiasticæ ad hoc officium debent episcopum sustentare, atque ideo ex debito requirendæ in usum episcopi & clericorum cooperantium illi. Si quid ultra exigitur in amministratione spiritualium officiorum, lepra Giezi contrahitur, & in tali amministratione non Deo sed mammonæ servitur. Unde laudanda est papæ HONORII censura justissima, qui OTTONEM Halverstatensem dictum episcopum deposuit, & simoniacum suis litteris publicavit, pro eo quod in consecratione cujusdam ecclesiæ, sub prætextu servitii convictus est pecuniam exegisse.

In sacris ministeriis exercendis nihil ab episcopis exigendum.

33. Igitur ô vos omnes quibus dicit sponsus, *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*: capite istam vulpem vetustissimam tempore, sed semper novam nova fraudium separatione. Separate vos ab oratoriis per manifestam pretii pactionem, per indebiti obsequii exactionem non tam consecratis quàm exsecratis. Nam si tales ecclesias pro consecratis habebitis; Romanæ sedi inobedientes eritis. Docet enim Alexander papa secundus, ut jam supra notavimus, ecclesias per pactionem pretii consecratas, non tam consecratas quàm exsecratas esse, ac nullo modo pro ecclesiis habendas. Idem in ecclesia Constantiniana centum & amplius
[a] episcoporum [a] synodum celebrans, vulpeculam de qua loquimur tribus percussit ictibus. Nam legitur inter cetera illius concilii » capitula: Ut ecclesia & altaria nec vendantur, nec emantur: & qui amodo vendiderint, vel qui emerint, anathemati subjacebunt. « Item ut ecclesiæ per precium vel à simoniacis consecratæ denuo consecrentur. Item ut « presbyteri à tempore Nicolai papæ usque « nunc & deinceps scienter ordinati à Simoniacis, sciant se depositos. Hujuscemodi percussionibus plagata jam vulpecula poterat videri penitus interfecta, nisi quod ipsa est fortasse illa bestia, de qua legitur in Apocalypsi, *quod habet plagam gladii & vixit.* Arriana pestis vel alia quælibet hæresis tunc est extincta per plagam gladii, cum damnata & anathematizata est judicio synodali. Simonia vero quamvis gladio anathematis non semel percussa, tamen adhuc vivit: quia plaga mortis ejus per hoc videtur curata, quod etiam à religiosis quibusdam recipiuntur manifestorum Simoniacorum sacramenta, licet à Romanis pontificibus tamquam ore ipsius Petri multotiens interdicta. Vivit plane adhuc Simonia, non quidem veritate, sed eorum æstimatione, qui Simoniacorum sacramenta putant vivere, pro eo quod Simonem Magum vident non jam per terras ambulare, sed juxta cœlos volare. Concedimus & nos adhuc vivere Simonem Magum in suis complicibus: attamen jam mortuus est, & quotidie moritur: immo quasi cadaver fœtidum reputatur ab electis ad Christum pertinentibus & ejus contactum fugientibus, juxta quod in lege fuit prohibitum, ne quis tangeret morticinum; quod si quis tetigerat, lex eum judicabat immundum. Et notandum quod tangere vel comedere morticinum lex absolute prohibet. Portari vero morticinum urgente necessitate indulget, ita dicens: *Et si necesse fuerit, ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad solis occasum.* Qua consideratione concedimus quidem urgente necessitate morticinum esse portandum; sed numquam concedimus illud esse tangendum vel comedendum. Verbi gratia, quando de Simoniaco agimus, quem licet aliqui contendant vivere, nos mortuum non dubitamus, numquam concedimus talem mortuum tangendum, quia non est ejus peccato consentiendum. Multo minus vero acquiescimus talem mortuum comedendum, quia factum ejus non est imitandum. Attamen fatemur urgente necessitate, mortuum istum aliquando portandum, donec fodiatur peccatori fovea, in quam projectus non portetur ultra. Parata vero tunc erit mortuo fœtenti sua fovea, cum Deo vel per seipsum vel per legitimos judices agente projicitur de ecclesia in sepulcrum vel infernalis pœnæ, vel quod magis optandum est pœnitentialis pœnæ. Ubi vero facultas non est exequendi falsa judicia, necesse est ut portentur morticina; sed non sine lacrymosa compunctione, qua debemus vestimenta nostra lavare, id est exteriorem no-

Apoc. 13. 14

Levit. 11. 25

(a) Tria Romæ sub Alexandro papa II. celebrata sunt concilia: unum anno 1063, duo vero 1065. Ad primum, quod præsertim adversus Simoniacos congregatum est, spectare videntur tres isti canones, qui in editis desiderantur.

strami conversationem, ita formare ac purgare, ne videamur peccatores maxime in conciliis anathematizatos ex voluntate potius quàm ex necessitate tolerare. Item vestimenta nostra lavamus, si pro eis lacrymas & preces fundimus, ne forte, sicut ait Apostolus, det illis reprobum sensum; sed ut resipiscant à laqueis diaboli, à quibus capti tenentur ad ipsius voluntatem. Sic rex David portabat Saülem divinitus quidem depositum à regno, sed adhuc potentem ex humano suffragio. Portabat quidem rex in Deo vivus regem Deo mortuum, sed tamen eumdem quasi non tetigit; quia ejus factum non approbavit, quin potius ne illum tangere cogeretur, profugus ab illo in silvas latitavit & ad ultimum exsulavit. Lavit quoque idem David vestimenta sua, dum non in ruina inimici exultavit; sed planxit planctu magno super Saül & Jonathan filium ejus. Paulus quoque apostolus Ananiam pontificem portavit; sed tamen ejus pontificatum minime approbavit, cui sui interitum prænunciavit, dicens:

Act. 23. 3. *Percutiet te Deus paries dealbate.* Lavit etiam vestimenta sua idem Paulus tristitiam habens magnam pro fratribus suis. Itaque David regis atque Pauli apostoli exemplis edocti mortuos ubi necesse fuerit ita portemus, ut tamen contactum eorum prout possumus declinemus.

34. Factus sum insipiens altiora me tractando; sed quia coactus dixi quæ dixi, credo & spero ab ipsa incarnata Dei Sapientia imperfectum meum posse perfici, à cujus adversariis coactus sum insipiens fieri, non solum, ut dixi, altiora me tractando, sed & scribendo ad virum sapientissimum, cum sim stultissimus. Non enim ignoro quis cui loquor; sed exemplo Abrahæ dicentis, Loquor ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis, & ego cum sim genere, conversatione, ipsoque nomine obscurus, ad te, Vir sancte abbas Claraevallis, ad te, inquam, nominis ac vitæ illustris, cum semel cœpissem loqui, brevitatis compendium coactus excessi, meumque sensum qui sæculares clericos & maxime conductitios offendit, ideo tibi tamquam patri spirituali digessi, ut ubi quæ sentio approbaveris, defensorem & adjutorem: ubi vero aliquid eorum improbandum judicaveris, correctorem te mihi exhibeas, adjuratus & obsecratus per illum, à quo tibi est ea quæ rogo faciendi possibilitas. Si enim in dictis & scriptis nostris cernuntur illa insignia, quibus Thamar ne combureretur legitur defensa, videlicet anulus, baculus & armilla, per quæ intelligitur fides, spes & caritas, obsecro te ne credas animam meam cum patre mendacii fornicatam, sed potius fatere illam de semine Judæ, id est Christi, gravidatam: ut exemplo Thamar pareret quasi filium, qui appellaretur Phares, id est divisio, quia Deus testis est, nulla propriæ gloriæ captatione, sed sola veritatis æmulatione vel me à sacramentis hæreticorum divido, vel inter ipsorum & catholicorum sacramenta magnam divisionem & distinctionem esse dictis & scriptis demonstro, sine meliorum, ut dixi, præjudicio.

Auctor scripta sua S. Bernardi judicio subjicit.

35. Dudum necessitate compulsus ad Dominum papam INNOCENTIUM, ipso vocante, veni; cui me scrutanti, cum peteret qua fide vivo, qua spe gaudeo, & qua erga Deum & sanctam ecclesiam dilectione, Christo donante, moveor; tamquam si audisset ex ore meo, de viro cujus hæc sunt concepi, benigne sui gratia me habuit, & per litteras suas domino meo Salzburgensi archiepiscopo meam parvitatem defensandam commendavit: quem ideo præ ceteris optavi mihi defensorem dari & fieri, quoniam & ipse non minus quam ego, immo pro suæ auctoritatis majestate multo magis ipse insignis archiepiscopus, quam ego pusillus clericus, hæc decertat optinere: quod princeps mundi hujus non solum in seipso, sed etiam in membris suis ab ecclesia separatis jam ita sit judicatus, ut omnino contemni debeat, quamvis per sacramenta vacua inveniatur in angelum lucis transfiguratus. Unde accensus zelo justitiæ non patitur in sua parrochia vel clericos conductitios vel manifestos incestuosos altari ministrare. Nam cum habeat latam parrochiam & amplam per iter decem dierum vel amplius extensam, non posses infra tantum terminum invenire saltem unum conductitium, vel unum clericum aperte incestuosum. Irregulares etiam canonicos tamquam vere Cananæos terra sancta indignos de claustris suis ejecit, & in locum eorum regulares canonicos tamquam veros Israelitas introduxit. Quod ejus factum licet nos approbemus, dum irregulares Cananæis, regulares autem Israelitis conferimus; non tamen ignoramus inter irregulares aliquos esse salvandos, & inter regulares aliquos damnandos, quomodo in Babilonia quidam laudabiliter vixerunt, & in Jerusalem quidam perierunt: sed quia super flumina Babilonis non est tuta sessio, neque in littoribus eorumdem fluminum, utpote multum lutosis, est fida statio, nequaquam commendat ipsam Babilonem bonorum illic bene acta conversatio, sicut nec Hierosolymam damnat pravorum inhabitatio, quominus de harum duarum civitatum altera dicatur, *Exite inde*: de altera vero, *illuc vero ascenderunt tribus tribus Domini ad confitendum nomini Domini*; atque ideo non immerito gaudemus, ubicumque irregularem aliquam congregationem quasi Babyloniam destrui, & de ipsius quasi melioribus lapidibus Jerusalem in communis vitæ reparationem videmus ædificari. Gaudemus, inquam, & petimus ut gaudium nostrum sit plenum per Christum Dominum nostrum. Amen.

Innoc. II. acceptus commendatur archiepiscopo Salzburgensi.

Ps. 121. 4.

DISPUTATIO ECCLESIÆ ET SYNAGOGÆ,

AUCTORE GILLIEBERTO.

Ex mſ. codice monaſterii B. Mariæ de Columba.

OBSERVATIO PRÆVIA.

INTER *varios auctores, quos adverſus Judæos ſcripſiſſe ex Bibliotheca Theologica Johannis Molani Lovanienſis regii profeſſoris, recenſet eruditus vir Petrus Stevartius, occurrit in primis* altercatio Eccleſiæ & Synagogæ ætate Caroli-magni ſcripta, *cujus nec auctorem indicat, nec utrum typis aliquando mandata fuerit, aut quo reperiatur in loco. Sequens ejuſdem argumenti opuſculum reperimus in manuſcripto codice B. Mariæ de Columba ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Lemovicenſi, quod tantæ non credimus antiquitatis. Codicis unde illud eruimus caracter annos circiter quingentos repræſentat, nomenque auctoris, Gillieberti ſcilicet ſeu Gilberti, profert: quis autem fuerit ille Gillebertus non tradit. Fuere ejuſdem nominis celebriores ſæculo* XII. *ſcriptores, Gilbertus Porretanus Pictavenſis eccleſiæ, à qua non multum diſtat monaſterium de Columba, epiſcopus, & Gilbertus Weſtmonaſterienſis monachus, qui etiam in formam dialogi ſcripſit diſputationem Judæi & Chriſtiani editam à Gerberonio noſtro cum S. Anſelmi operibus. Utrum vero eorum alteri tribuenda ſit ſequens diſputatio, an alii ejuſdem nominis penes viros eruditos judicium eſto.*

INCIPIT DISPUTATIO SYNAGOGÆ ET ECCLESIÆ.

EX eo tempore quo ficus floruit ſub quo Natanahel latuit, cœpit exordium miſeriæ matris Judæorum ſynagogæ, quæ à monte in abyſſum deſcendit, cùm regem ſuum Chriſtum extra portam corona ſpinea coronavit ut miſera. Tunc omne decus perdidit, quod ei Deus contulit, quando per Moyſen eam in monte Sinaï peracto illius jejunio confirmavit, & in Aaron corroboravit. Tunc exſpoliata eſt veſtimentis fidei & diademate ſui regni, quod ex prophetis & à primis patriarchis ab initio prædicatis ſumſit ab Abraham. Noluit obedire ejus imperio per quem in manu forti B ducta fuit ex Ægypto, ſed audacter contradixit, cum eum cruci clavis ferreis affixit, & lancea latus ejus perforavit, ex quo ſanguis & aqua in humani generis redemtionem manavit. Stabat miſera mater Synagoga, ſponſo Deo viduata, & deridebat eum clamantem in cruce *Eloï*, cùm deberet voce magnâ intonare *Deus miſerere mei.* Si enim voluiſ- A ſet non potuiſſet, quia jam ſpirituales oculos amiſerat, intuitumque mentis, quo dudum in prophetis contemplabatur ſummum Deum in ænigmate, perdiderat; ſicque uſque in finem ſæculi languore depreſſa extra portam paradiſi eſt expulſa & ſtat à ſiniſtra.

Igitur ejus filia, ſcilicet ſancta Eccleſia, quæ diu filium Dei expectabat, ac ubi illum veſte purpurea indutum, ab Herode contemtum, & à Pilato abſque crimine jam judicatum, & ſpinea corona jam ab illo coronatum, & lignum crucis ſibi bajulantem, ut in eo crucifigeretur, proſpexit, cupiens illum quem mater ejus ita morti tradiderat, accipere in ſponſum, veloci curſu properata accepit calicem ſanctæ benedictionis, & cucurrit ad locum ſanctæ immolationis, & latere ejus aperto ſanctum recepit liquorem, ſcilicet ſanguinem ejus; & recedentibus omnibus, remanſit cum eo, & in ea hora qua ipſe conſtituerat, ſanctum ejus

corpus tradidit sepulturæ, sed non dimisit illum: immo salvato ejus corpore, surrexit cum eo in tertia die vestita veste nuptiali, & anulo subarrata fidei. Tunc Synagoga amisso lumine videns per tenebras ignorantiæ ecclesiam tali veste ornatam, dixit illi.

Synagoga. Filia, ut mihi videtur, spiritus tuus decepit te, bonus intellectus deseruit te, ratio & memoria recesserunt à te & omne bonum. Numquid iste qui se regem Judæorum dixit esse, & ideo à filiis meis crucifixus est, decepit te?

Ecclesia. Et respondit: Non sum decepta, sed in morte Jesu Christi sponsi mei sum redemta; qui me tali veste induit, ac tali diademate coronavit, & me anulo isto sibi desponsavit virginem.

Synagoga dixit: Filia, dic mihi, si es illi desponsata, & ab eo coronata, & si adhuc absque meo consilio illum accepisti sponsum?

Ecclesia respondit: O mater falsa & misera, & jam ex toto viduata, interfectrix prophetarum, quale consilium potest ille dare, qui nullum habet sensum? vel quo modo potest ille qui cœcus est non videntem ducere, sive ei viam demonstrare? Nonne nimis cœca eras & tui oblita, cùm illum qui ab Ur te Chaldæorum extraxit, & in Abraham in Mesopotamiam adduxit, ubi esses sponsa, vere nimis ebria & cœca, cùm [illegible]um qui tibi tanta beneficia contulit morti tradidisti per manus impiorum!

Synagoga ait. Heu! heu! filia, ut video, in morte ejus es decepta, qui te nequivit in sua decipere vita. Melius mihi foret ut mortua esses in fiscella scirpea, quando filia Pharaonis extraxit te de aqua, & in thalamo suo nutrivit ab infantia. Nunc deberes juxta tuam stare matrem, nostram defendere legem. Ideo enim illum interficere præcepi, quia meæ contradixit legi & cæremoniis, & quia in sabbato curavit homines, quod fuit mihi contrarium.

Ecclesia respondit. Bene namque fecit, quod populum suum à languoribus curavit. Sed tu invidia ducta, non potuisti ejus videre beneficia.

Synagoga dixit: Juxta præceptum David regis, omnis homo est mendax, Deus autem verax; & iste homo erat qui nostram legem penitus adnihilabat, & mandata quæ nobis per Moïsen Deus mandavit, ipse sua doctrina destruebat, & ideo morti succubuit.

Ecclesia respondit. Non poterat morti succumbere qui erat dux vitæ. Ipse enim vita fuit, qui per simplam mortem suam nostram duplam destruxit. Postquam verò ille peregit temporalis cursum vitæ, prout sibi placuit, de torrente in via bibit, laqueosque mortis destruxit; & cùm de morte in immortalitatem, de passibilitate in impassibilitatem transiit, ad æqualitatem Patris reversus est, multos secum adducens in gloriam.

A Synagoga dixit. Nulla pestis ad nocendum potest esse nequior mihi, ut video, quàm filia mea, quæ modo prædicat mihi nova inaudita. Et si hodie arte sua magica prævalet in me, destructa sum in omni ornatu meo, & in lege mea quam Deus mihi dedit per Moïsen. Scio enim legem esse sanctam & bonam, multosque in illa sancte vivere, & sic per eam ad æternam requiem transire, sicut Abraham qui filium suum Deo obtulit, & Job qui ante legem fuit, & Loth nepotem ipsius Abrahæ, ceterosque innumeros.

Ecclesia respondit: Lex quidem est B sancta in se, sed filios Abrahæ non sanctificat; immo ex toto damnat, quia non habet eos observatores, sed sui transgressores: quod apparet in tuis pessimis discipulis, qui præcipiebant populo Dei mentam, ciminum, anetum, & olera decimare, & majora legis dimittere. Sed nunc surda mater & cœca, surge à nequitia tua, & dum tempus habes age pœnitentiam de morte sponsi mei Jesu Christi, & vide quomodo te multiplicavit. Cùm enim adhuc esses tenera in lumbis Abrahæ, ipse te in Rebecca adduxit de Mesopotamia Syriæ, & in Isaac perpetua benedictione te benedixit, atque juxta nume- C rum stellarum te adæquavit, & ingrata es.

Sinagoga dixit. Nunc, filia, sermo tuus in me generat fastidium, quo prædicas Deum menti esse mortuum, quod est inconveniens. Si enim iste homo, in quem credis, esset Deus, numquam legi meæ contrarius esset, neque à meis pontificibus & ab aliis minoribus teneretur reus.

Ecclesia respondit. Nunc mater surda & cœca, præbe mihi auditum, & audi. Iste homo Verbum Patris mori non poterat; sed hominem illum quem sibi in unam personam assumserat, prout ei placuit in morte & in sepulcro deposuit; & iterum in die tertia in D gloria assumsit. Et nunc homo ille quem tua nequitia & invidia morti exposuisti, sedet ad dextram Dei in majestate excelsa, & quotidie suorum excusat facinora, & me qualem vides assumsit in gloria.

Synagoga dixit. Nimis & ultra modum erravi, quando te lacte meo nutrivi. Heu! quo abii? vel ad quem locum transii peregrinari, cùm te solam dimisi retro me manere? Magna arte magica & falsa doctrina diu es imbuta, cùm dicis jam in cœlo illum cum Deo regnare, quem culpa sua & E non mea inter latrones pessima interfeci morte, & corpus ejus traditum fuit sepulturæ. Scio enim usque in generali resurrectione neminem resurgere posse à morte.

Ecclesia respondit. Audi mater cœca & misera, ficus sterilis & arida, non sum decepta arte magica, neque falsa imbuta doctrina, sed Jesu Christi sponsi mei sapientia, qui illuminat omnem hominem prout vult. Cur non revocas ad memoriam, quomodo Deus, quem per manum discipuli

sui tradidisti in potestatem impiorum, ut eum morti darent, in Jacob filio Isaac benedixit te atque ditavit, & ex parte Esau te reprobavit. Ingrata esne Judæa tanti beneficii ac doni?

SYNAGOGA DIXIT. De illo Deo quem adorant Nazareni, & condemnant Judæi, non est verum, quod ipse me umquam divitiis suis ditasset, vel in benedictione Jacob benedixisset, aut multiplicasset: immo in quantum potuit semper me & meos adnihilavit, & ideo mortis meruit pœnam.

ECCLESIA RESPONDIT. Mentiris, mater cœca & infœcunda, Deus & homo fuit ille: qui non meruit pœnam mortis, immo per mortem suam quam suscepit in corpore, mortis destruxit imperium. Passus est impassibilis in passione quam suscepit in humanitate; & immortalis mortuus est, & qui numquam moritur resurrexit. Passus est & non passus, mortuus & non mortuus, sepultus & non sepultus, resurrexit & non resurrexit à mortuis. Passus est enim in humanitate, sed surrexit divinitate, quia impossibile erat eum teneri à morte.

SYNAGOGA DIXIT. Qui mala arte est imbutus sermones nescit multos, vias & vestigia ut subdola vulpecula, quæ aliis animalibus semper est contraria. Dic mihi, filia, ubi didicisti talia, vel quis docuit te hæc omnia loqui tam obscura & etiam inaudita? Prophetæ namque mei sic non scripserunt, neque ita locuti sunt, vel aliquis alius lacte meo educatus, sicut tu es locuta. Legem enim habeo & prophetas, & psalmos & historias, in quibus talia verba non reperiuntur. Et ideo valde miror ubi hæc sumsisti verba quæ dixisti de passo & non passo, de mortuo & non mortuo, de sepulto & non sepulto, & quomodo resurrexit & non resurrexit, cùm ex toto scio eum morti esse expositum.

ECCLESIA RESPONDIT. Si tibi est lex scripta quæ damnat, mihi datum est evangelium quod salvat. Si tibi data est umbra & figura, mihi scriptæ sunt epistolæ Pauli & omnis divina scriptura. Si tibi datum est cor lapideum & oculi graves; mihi datum est cor lucidum & oculi spirituales. Si tuis est regio infernalis tributa, meis est aula paradisi patefacta. Si tuis datum est usque ad adventum antichristi, quem expectas pro Messia, tecum manere in falsitate; meis à Deo est concessum mecum regnare in veritate. Age, quæso, cœca mater, pro te & tuis pœnitentiam; & dum tempus habes, à Deo postula veniam, & pro certo dabit tibi & tuis veram indulgentiam.

SYNAGOGA DIXIT. Cum esses mecum in Ægypto sub potestate Pharaonis, non sic tunc loquebaris. Nam luto & latere nimis afflicta, parva doctrina eras imbuta; & ecce nunc cogis me pœnitentiam agere, & in Deum tuum credere, quem Judæi discipuli mei in Jerusalem acceperunt subvertentem plebem, & Pilato tradiderunt, ut eum secundum legem judicaret, & sic morti daret. Sed modo, dum tempus est, veni retro ab incredulitate tua, & postula à me veniam. Nam justum est ut filia semper suæ obediat matri.

ECCLESIA RESPONDIT. O mater nimis cœca & misera, in rubro mari submersa esses, sed propter me fuisti dimissa; ideo videlicet, ut per te Filius Dei venisset ad me, & sic me unicam sibi sponsam copulasset, sine ruga & macula. Tibi enim non est bonum obedire, vel sermonem tuum audire: quia semper Deo fuisti adversa atque suis operibus inimica; sed reminiscere, quæso, quomodo te Deus longo tempore manna pavit in deserto, & inimicos tuos humiliavit ante te, magnoque honore ditavit cùm te in terram promissionis in manu forti & valida adduxit; nam cùm esses sub Pharaonis potestate, servilis eras & misera; sed Deus quem iniqui filii tui morti tradiderunt, te fecit liberam. Propinasti enim ei poculum mortis, qui tibi dedit dapes vitæ & salutis perpetuæ.

SYNAGOGA DIXIT. O filia mihi semper adversa, quam mirabiles sunt tui doctores, sagaces & fallaces, qui te sic imbuerunt arte sua magica! Quomodo enim ausa es me docere, qui totam legem scio & prophetas, psalmos & historias? Tuis quidem dictis credere non debeo, quia prædicas mortuum vivum esse Deum tuum quem Judæi suspenderunt in ligno. Ut enim mihi videtur, piscatores te docuerunt cum esses cum illis in mari Galilææ, Petrus scilicet & Andræas. Ab indoctis es indocta, & cum idiotis es nutrita; ac propter hoc ut ab eis didicisti, faris mihi contraria, & ut mihi videtur, inebriata es vino quod in nuptiis Johannis bibisti cum matre Dei tui MARIA in Cana Galilææ.

ECCLESIA non amplius sustinens matris suæ Synagogæ obprobria, falso sibi imposita, sic ei audacter dedit responsum: Sacræ vitis vini dulcedine sum propinata in passione JESU-CHRISTI sponsi mei in monte Calvariæ ubi sanguis & aqua in humani generis redemtione fluxit, aperto ejus latere. Sed deus tuus princeps totius nequitiæ, antiquus hostis diabolus & satanas te propinavit vino miseriæ, quando in templo Dei divino cultu relicto, sacrasti Baalim falso libamine. Propter quod populus tuus fuit captus à rege Persarum & à Nabucodonosor rege magnæ Babiloniæ, ubi exsul detentus fuit usque ad annos LXXI. alieno oppressus jugo multoque crimine. Sed post hæc fuisti reversa in me iterum in terram promissionis, gratia ejus qui me redemit sacro suo sanguine. Sed iterum nequius fecisti, quando prostibulum juxta templum Dei tui fabricasti, in quo diis alienis sacrificium obtulisti cum buccinis & lituis, & etiam magistra meretricum fuisti effecta, quod Deo fuit con-



trarium. Est etiam, mater, quod retexam de tua nequitia. Quando enim secundùm carnem filius Dei qui & Deus & in Bethleem pro nostra salute natus fuit de virgine MARIA, occurristi ei cum Herode, quatenus illum in infantia sua cum sanctis Innocentibus occideres; sed certè non poteras, quia nondum advenit tempus ejus. Nonne puduit te tales jugulare pueros, quales nondum ætas permisit loqui nec adhuc ire? Vere quidem nimis tunc cœca & misera fuisti, cum cogitasti Deum in infantia sua occidere, qui non propter se, qui erat auctor vitæ, venit in mundum, sed propter nostram salutem. Cur taces? Quare non loqueris? an oblita es tui? Hoc........... hoc est an es tu asinus ad lyram? cur occidisti prophetas, exspoliasti omnes fideles qui in sinu tuo fuerunt nutriti, & salutem tuam annunciaverunt, quam à Spiritu-sancto acceperunt. Confitere, ne abscondas. Pro tuo enim malo & meo bono tradidisti Dominum, cujus corpore sum satiata & ejus sacro sanguine fideliter imbuta. Mihi namque bene in ejus morte contigit, quia ab eo sum redemta; & tibi malè, nam propter illum es damnata tam corpore quàm anima. Postquam verò à morte resurrexit, quadraginta annos tibi ad pœnitentiam dedit, sed noluisti agere, propter quod pejus fuisti destructa, non habens amplius locum, vel sedem propriam, aut unctionem aliquam. Nam post quadraginta annorum duorum curriculum, exterminavit te aper de silva, & te singularis ferus est depastus tunc, quando Titus & Vespasianus civitatem tuam Jerusalem, quam injuste tenebas, destruxerunt, & te ac tuos diversis tormentis exposuerunt. Nam ex tuis undecies centena millia ducti fuerunt in captivitatem, mei autem discipuli, quos per regenerationem baptismatis ex te accepi, à Spiritu-sancto admoniti perrexerunt ultra Jordanem in regnum à prope ubi tui fuerunt.

SYNAGOGA DIXIT. Post multam redargutionem tuam atque increpationem, ô filia, mihi semper adversa, tibi dabo responsum. Scio enim Deum tuum tantæ esse potestatis atque virtutis, quod quidquid vult sine mora operatur per se & suos; sed tamen discipulos habet leprosos atque hydropicos; si tamen discipuli ejus sunt vel non, hoc penitus ignoro. Nam in opere suo & sermone semper de esse ad non esse tendunt. Sitiunt quidem thesaurum magnum argenti & auri, & non sitiunt imbrem cœlestis eloquii. Ardent amore terreni regni, & non fervent amore cœlestis desiderii; sacros vendunt honores, vel ordines, decimas atque præbendas, & quicquid docent ore, destruunt opere. Videntur tui esse rectores & non sunt, immo destructores atque subversores. Non enim sequuntur vestigia Dei tui, neque apostolorum ejus, immo favorem atque laudem transitoriam populorum. Subjectos enim suos immani crudelitate opprimunt. Non ut pastores illos regunt, sed

A ut lupi eos devorant atque dilaniant; totum namque mundum turbant, parum boni faciunt, cœci sunt & cœcos ducunt. Prædicant hominibus regnum vitæ, sed ipsi petunt regnum mortis. Sedent in cathedris gemmis diversis & auro ab artificibus præparatis, & docent populum de regno Dei quibus meritis ad Deum pervenire debeant, sed ipsi intrare nolunt. Pulcre namque in vita sua in pretiosis vestibus & anulis fulgentibus coram populo à ministris deducuntur in hoc mundo, sed male ab angelis illorum animæ cùm de hoc sæculo exeunt in futuro repræ-

B sentantur coram Deo. Quid etiam faciunt, filia, minores, cùm sic operantur majores? De regibus quidem tuis ac principibus multa tibi adhuc habeo dicere, qui omnino modum suæ excedunt vitæ. Carnem suam procurant, & Epicuri superbi sunt & lascivi, fallaces & invidi, populum Dei regunt ut tyranni, Dei tui contemnunt scripta & omnia ejus mandata, quorum penitus nulla est vita. Nam ante Deum est maledicta, & post mortem ducuntur in infernum. De ceteris quid est ordinibus, ut sunt presbyteri, & clerici, non tacebo, qui vitam suam pravè vivendo contaminant. Nam sæpe divino cultu

C relicto, negotiis sæcularibus se implicant, terrena petunt, & amore illorum cœlestia contemnunt. Et quid dicam? fere omnis populus tuus deceptus est. Gerunt enim Christi nomen in fronte, sed habent omnes malitiæ cupiditatem in mente.

ECCLESIA RESPONDIT. Huc usque, mater cœca & misera, silui, sed nunc ut parturiens loquar. Exemplum namque perpetuæ damnationis à te acceperunt omnes hominum nationes, & ideo hoc privilegium mortis ab exordio mundi secum ducunt usque in finem. Non est numerus tuæ avaritiæ, nec finis tuæ malitiæ. Cumulus enim arenæ ma-

D ris non potest adæquari cupiditati tuæ. Reges enim tui fuerunt plebis Dei subversores, & ideo ducti sunt in captivitatem, non amplius in regnum suum revertentes. Pontifices etiam tui servientes in templo Dei nimis erant rapaces, & omnes ministri tui gulosi & fallaces. Peccaverunt in Christum non suscipientes ab eo redemtionem. Clauserunt oculos cordis sui contra divina præcepta non intelligentes testamenta Dei. Fuerunt namque prophetarum interfectores, & idolorum fabricatores, malitiosi & invidi, superbi & lascivi, verbi Dei venditores, Christi gregis

E non pastores, sed iniqui mercenarii; & ideo quidquid mali mei in se habent, à tuis acceperunt; quia tui in priori tempore nati fuerunt, hoc est ante legem, sub lege & post legem esse habuerunt. Mei vero post Christi resurrectionem esse cœperunt; & ideo novus est populus meus & propter hoc nova facit peccata, sed in baptismo & pœnitentia abluuntur, & sic ad Deum revertuntur.

SYNAGOGA DIXIT. Dic mihi, filia, nunc quid est Deus?

ECCLESIA

Ecclesia respondit. Deus est spiritualis substantia, & lux inaccessibilis, in quem angeli, qui in sua pulcritudine septuplo solem vincunt, semper desiderant prospicere. Et ut melius intelligas, aspice solem in quo est ignea substantia, splendor & calor, tria enim sed inseparabilia; quia si volueris splendorem separare, statim mundus carebit sole: & si iterum tentes calorem segregare, amittes solem. In ignea verò substantia intellige Patrem Deum, in splendore Filium, in calore Spiritum-sanctum. Ecce habes, mater cæca & misera, quid sit Deus.

Synagoga dixit. Vere, filia mea carissima, vere misera huc usque fui & cæca, quia nescivi nec intellexi sic esse Deum. Peto à te illuminari atque lumine divino oculos meos accendi. Nam usque-modo fui in tenebris, & nulla lux umquam mihi fuit orta. Scio enim in te omnem fidem, spem, caritatem, verumque lumen esse, quia firmiter Deo tuo credidisti. Ego verò velut misera & adultera erravi, & post deos alienos ambulavi. Sed unum superest, ut mihi scilicet demonstres quomodo Filius Dei incarnatus est, & sic verbis tuis amodo aurem inclinabo.

Ecclesia respondit. Nunc quidem gaudeo de confessione atque conversione matris meæ Synagogæ, quia video illam sic peccata & abominationem suam mihi confiteri. Deus enim Pater post ineffabile consilium suum quod fuit in Trinitate, reparandi videlicet genus humanum, misertus illius misit angelum suum in civitate Nazareth ad Virginem Mariam, postquam ipsa desponsata fuit Joseph, adnunciare illi, ex ea scilicet carnem nobis similem accipere. Angelus autem ingressus in cubiculum in quo Beata Virgo sedebat, diligentissimè salutavit eam, & postea omnem ordinem Incarnationis Christi, sicut in evangelio invenitur, exposuit. Virgo verò læta & non dubia, sed est fidens in hoc quod angelus ei dixerat, expansis manibus laudavit Deum & dixit, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Angelo namque recedente ab aspectu Virginis, mox Filius Dei venit in illam, & in illa hominem sibi in unam personam univit, quod prius non fecerat. Neque tamen divinitas in hominem, neque homo in divinitatem permutatus est: immo unaquæque natura impermixta permansit.

Synagoga dixit. Ergo in Christo fuerunt duæ naturæ?

Ecclesia respondit. Fuerunt quidem duæ, divina scilicet & humana, & tres substantiæ; caro, anima, & Verbum.

Synagoga dixit. Igitur cùm ita sit de Christo, ut asseris, aliud dicitur de Patre secundùm substantiam quàm de Filio?

Ecclesia respondit. Non est aliud de uno quam de alio. Nam quidquid dicitur de Patre secundùm substantiam, illud idem dicitur de Filio & de Spiritu-sancto. Nihil enim de Deo dicitur secundùm accidens.

Synagoga dixit. Hoc non videtur verum esse; nam quædam nomina de Deo dicuntur secundùm substantiam, & notant aliud.

Ecclesia respondit. Notant quidem aliud, nam notant respectum; quia ideo Pater dicitur, eo quod habeat Filium, Filius vero eo quòd habeat Patrem; Spiritus namque sanctus licet non notet respectum, tamen notat ab utroque processionem.

Synagoga dixit. Cùm autem Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus-sanctus est Deus, videtur mihi quod tres sint incarnati, & quod tres carnem acceperunt.

Ecclesia respondit. Non est verum. Tota enim Trinitas illum hominem operata est, sed tamen solus Filius carnem accepit. Deus enim ex substantia Patris est ante sæcula genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus: perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne existens.

Synagoga dixit. Gaudeo plane quia filia mea omnem dubietatem de Deo à meo corde abstulit. Nunc enim credo Christum verum esse Deum & non alium, cui est honor & laus in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit liber Ecclesiæ & Synagogæ Gillieberti.





ANONYMI
TRACTATUS ADVERSUS JUDÆUM.

Ex mſ. codice S. Petri Conchenſis.

ADMONITIO PRÆVIA.



I neceſſe ſit eſſe hæreſes & ſchiſmata, ut qui probati ſunt manifeſti fiant; non ſine ſingulari Dei providentia factum, ut Judæorum perfida natio, ac propter horrendum in Chriſtum ſcelus perpetratum omnibus exſecranda, non omnino deleretur; ſed per totum terrarum orbem paſſim diſpergeretur, ut vel paganis ipſis de ſacrorum codicum veritate teſtimonium perhibens, fidei lucem aliis præferret, quam nec ipſa vult aſpicere. Hinc bellè Petrus Bleſenſis cap. 1. libri contra perfidiam Judæorum poſt S. Auguſtinum & Bedam: Ideo etiam Judæis hodie vita indulgetur, quia capſarii noſtri ſunt, dum ad aſſertionem noſtræ fidei Prophetas circumferunt & Legem Moſaïcam, nec ſolum in eorum codicibus, ſed in vultibus eorum Chriſti legimus paſſionem. *Cùm autem implacabili odio chriſtianam religionem proſequantur, nec eam aliquando & factis & dictis impugnare deſtiterint, frequentes cum ipſis concertationes non habere non potuerunt eccleſiaſtici doctores. Sed cùm ſæculo præſertim* XII. *chriſtianis eſſent infenſi, perplures eo tempore ſcriptores, eoſque omnino inſignes calamum adverſus eos exacuere neceſſarium fuit. Hinc elegantes Gilberti Weſtmonaſterienſis, Ruperti Tuitienſis, Petri Venerabilis Cluniacenſis, Guiberti de Novigento abbatum, & Petri Bleſenſis archidiaconi Bathonienſis ea de re lucubrationes, quibus accenſendus auctor ſequentis Tractatus, planè gravis & eruditus ac in ſcripturarum ſtudio plurimum verſatus: cui cùm res fuiſſet non ſemel cum Judæis, ut conſtat ex n.* 10. *&* 70. *omnia ipſorum ſubterfugia, vanas & inanes ſcripturæ interpretationes, ut optimè noverat, ita ſolidè refellit. id quod facili negotio deprehendere licet ex lectione ſequentis Tractatus, in quo myſterium ſanctæ Trinitatis, legalium rituum abrogationem, Virginis conceptum & partum, Chriſti divinitatem, Judæorum reprobationem, gentium vocationem ex certis & indubitatis veteris Teſtamenti teſtimoniis & argumentis comprobare nititur. ætatem verò ſuam indicat ipſe auctor n.* 34. *ubi hæc habet:* Milleſimus centeſimus ſexageſimus, meis dico temporibus, jam annus evolvitur, ex quo Filius virginalis effulſit in mundo. *Idem innuit n.* 48. *Porro præter hunc tractatum, quem ex veteri codice monaſterii S. Petri Conchenſis in diœceſi Ebroicenſi annorum circiter* 500. *deſcripſimus, alium de ſerpentis aſtutia & invidia compoſuit, cujus meminit n.* 12.

INCIPIT TRACTATUS CONTRA JUDÆUM.

1. SCRIPTURUS contra Judæum, A quæso lectorem in primis, ne in his quæ dicenda sunt quærat jactantiam sæcularium litterarum, sed potius affectum nostræ parvitatis. Attendat magis nos studuisse fidei rationem exponere, quàm captare laudes eloquentiæ Tullianæ. Hæc quippe nostra simplex intentio, ipso inspiciente qui scrutatur renes & corda, non eò procedit, ut simus inanis gloriæ cupidi; sed ut de scripturis contra perfidiam Judæorum, qui detrahunt fidei christianæ, aliqua respondere simus instructi. Mihi scribo meisque similibus, non magnis ac sapientibus viris, qui juxta beatum Apostolum semper parati sunt respondere de ea quæ in nobis est spe, sed illis quibus B mecum sola sufficit fides & sancta simplicitas. Scimus enim quia regnum Dei non est in sermone, nec in dialectica disputatione, sed in fidei simplicitate consistit. Quapropter sicut benivolum emendatorem requirimus, ita detractorem malivolum detestamur. Utrosque enim nos habituros speramus, sed magis eligimus quorumdam qui insidiando circumvolant odium sustinere, quàm adversarios fidei christianæ derogantes patienter audire, & Christi victoriam silentio præterire. Scribimus ergo non ut nostra laudentur, sed ne Judæis risum nostræ imperitiæ præbeamus, qui totiens nobis insultant, & quodam- C modo cum Golia dicunt: Eligite ex vobis unum qui ineat nobiscum singulare certamen. De novo Testamento cum eis nequaquam debemus inire conflictum; sed quicquid eis opponemus, de veteri Testamento sumendum est: ut cùm conventi fuerint super his quæ negare non poterunt, arctiùs teneantur, & tamquam validissimis loris astricti, aut verum fateri cogantur, aut legem nescire probentur. Ideo modum in scribendo tenemus quo novimus eos velle contendere, ne possint calumniari se magis sophisticis disputationibus quàm veritate vel ratione superari. Hinc est quòd eis semper opponimus & respondemus ad litteram, ac multò aliter quæ- D stiones & solutiones inferimus quàm habet ordo disputandi; quia per diversa huc illucque discurrunt, & cùm comprehendi se senserint, ad modum vulpis in fovea de loco ad locum resiliunt; ac ubi fortiùs teneri putantur, nisi præveniantur insidiæ, citiùs elabuntur. His obviare studemus assertionibus prophetarum, quibus contraire non possunt, & illud quod maximè exosum habent, videlicet Deum hominem factum auctoritate prophetarum verum esse convincimus, ut in sequentibus demonstrabitur.

1. Reg. 17. 8.

Adversus Judæos quo modo disputandum.

Gen. 1. 1.

Ex principio Genesis probatur mysterium Trinitatis.

2. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Hic primùm libet interrogare Judæum, utrum dicat Deum cœli & terræ fuisse principium, an cœlum & terram aliud habuisse principium præter Deum. Fortè dicturus est illud esse principium cœli & terræ, quod cœperunt existere. Si ita est, jam Deus non erit cœli & terræ principium, quia numquam esse cœpit; sed ab eo cœpit omne esse quod creatura est. Ergo ipse principium totius creaturæ est. Si Deus principium totius creaturæ est, non est aliud principium in quo cuncta creavit præter ipsum; in ipso namque est illud in quo cuncta creavit, attestante Propheta qui ait: *Omnia in sapientia fecisti.* Sed quicquid in Deo est, Deus est. Ergo & ipsum principium in quo cuncta creavit Deus est. Quis creavit cœlum & terram? Deus. In quo? In principio. Quid est illud principium? Deus. Ergo Deus in Deo. Duos, inquis, vis esse Deos, cùm scriptura dicat: *Deus Deus tuus unus est.* Respondemus: Lux & lumen ejus una substantia sunt. Lumen à luce est, non tamen duo, sed unum sunt. Duo vocari possunt, sed esse probari non possunt nisi unum. Itaque cùm scriptura dicat: *Dominus, Deus tuus, Deus*, nonne tres designat in vocabulis? Et cum subjungit: *Unus est*, nonne tres unam affirmat esse substantiam? Distinguit proprietates personarum, non dividit unitatem substantiæ. Unum ergo Deum in substantia diligenter attende, Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, ex quo & per quem & in quo universa sunt condita. Alioquin si volueris esse principium cœli & terræ quod cœperunt existere, audire volumus à te utrum in illo principio Deus cuncta creavit. Si in illo principio Deus cuncta creavit, ipsis existentibus cuncta creata sunt. Ergo prius cuncta cœperunt existere quàm creari: quod quia falsum est, quærimus à te quod sit illud principium in quo Deus cuncta creavit? Respondebis iterum: Quando Deus cuncta creavit, hoc illud esse principium. Quærimus adhuc utrum illud fuerit æternum an temporale? Si temporale, alicujus temporis fuit; sed tempus esse non potuit antequam creatum existeret. Ergo nec temporale. Si æternum est, nihil est ab æterno nisi Deus, & illud principium est ab æterno. Ergo illud principium Deus est. Si Deus cuncta creavit in principio, & ipsum principium Deus est, oportet ut fatearis principium de principio in quo cuncta creata sunt, nec tamen duo principia, sed unum principium. Si non, responde, quomodo Deus cuncta creans in principio habuerit aliud principium in quo cuncta creaverit, præter id quod in ipso est. Sed dices: Nonne cuncta creata esse cœperunt? Non fuerunt ab æterno: ergo cœperunt esse ex tempore. Quid determinandum est? cœperunt esse in tempore, non tamen habuerunt esse ex tempore. Principium existendi habuerunt, verum est. Sed vellem

Ps. 103. 24.

Deut. 6. 4.

nosse à quo, utrum ab ipsa sua primitiva substantia, an ab ipso qui creavit omnem creatam substantiam? Si à sua substantia, principium habuerunt à se: si ab ipso qui cuncta creavit, ipse principium est. In quo ergo principio cuncta creata sunt? Non potes respondere in alio quàm in ipso quod est Deus. Confitere ergo principium ex principio, Deum ex Deo, nec tamen duo principia, sed unum principium. At ne objicias fidei christianæ vanum esse quod in hoc opere prædicat Trinitatem. Tu ipse expone quod paulo post sequitur: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Habes Deum cuncta creantem, principium in quo cuncta creavit, spiritum ejus cuncta foventem & regentem. Numquid hoc negare poteris? Aut Scriptura mentitur, quod dicere nefas est, aut tu errore deciperis, quod utique verum est. Nam Deus numquam fuit sine principio quod in ipso semper est, nec sine spiritu, qui spiritus ejus est. Ergo Trinitatem in Unitate cognosce: Deum unum in substantia, trinum in personis una majestate regnantem, & omnia continentem. Probet hoc Scriptura, & exponat nobis apertiùs mysterium Trinitatis.

Gen. 1. 2.

3. Dixit verò Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Certè unus locutus est, cujus tamen operatio numero plurali facienda designatur, cùm dicitur *Faciamus.* Quomodo unus, & quomodo *Faciamus?* Numquid alicujus indiget auxilio? Si responderis Deum hoc verbo, quod est *faciamus*, voluntatem suam angelicis spiritibus intimasse. Factores etiam & cooperatores Dei sunt ad hominem faciendum. Jam ergo non erit creator unus, sed plures, quod omnino falsum est, Isaia dicente: *Quis adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Nemo ad alium loquitur hoc modo, ut ei dicat *Faciamus*, nisi velit ut aliquid cum eo faciat. Si hoc referatur ad angelos, quomodo stare poterit quod statim sequitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam?* Non dixit: Creaverunt Deus & angeli, sed creavit Deus; nec ad similitudinem eorum, sed ad similitudinem suam. Neque una potest esse imago vel similitudo Dei & angelorum, cùm de eo scriptum est: *Non est qui similis sit tibi.* Ergo propter Deum & imaginem ejus & Spiritum ejus dictum est plurali numero *Faciamus*, ut monstraretur Trinitas in personis. Itemque propter unitatem substantiæ & individuam operationem dictum est numero singulari *creavit* & *fecit.* Aut esse verum permitte quod Dominus de se ipso testatur, aut falsum esse convince, quod quidem non potes, quia veritas non mentitur. Cùm Deus seipsum dicat habere imaginem & spiritum, tu quis es qui repugnas ausu temerario, & dicis Non est Deus Trinitas?

Gen. 1. 26. Aliud argumentum ex principio Geneseos petitum. Isa. 40. 13. Gen. 1. 28. Ps. 39. 6.

4. Sed scio totam intentionem tuam circa hoc frustra laborare, ut dicas hoc verbum quod est *imago*, non posse referri ad aliquam personam sive substantiam. Ubi primùm, quæso te, responde utrum aliquid sit Deus

A quod non sit substantia? Certè hanc imaginem, de qua sermo est, alicujus alterius præter solius Dei esse probare non potes. Sic enim ait Scriptura: *Ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos.* Igitur & hæc imago de unitate substantiæ est, quæ Deus est, quia Deus non est duæ sed una substantia. Si hæc imago unius cum Deo substantiæ est, unius potestatis, unius naturæ, unius majestatis atque virtutis est; æqualis ergo est, quia video nihil majus aut minus, nihil inæquale sive diversum. Quod itaque referatur ad substantiam quæ Deus est, æstimo quia de cetero rationi contraire non

B prævales. Quomodo verò referatur ad personam inspice mecum, & præbe veritati quamvis invitus assensum.

Gen. 1. 28.

5. Quid est illud ad quod homo creatus est? Imago Dei. Estne aliquid quod in se vitam habeat? Utique est: quia unius cum Deo substantiæ est. Vita est: substantia namque quæ Deus est, vita in se vivens est. Quæso te id quod in se vita vivens est persona esse potest? Aliquid est ab aliquo, quia imago Dei est, & ab ipso Deo est. Cùm itaque ejusdem substantiæ sit, ejusdemque naturæ, sicut ipse Deus in se persona est, & imago ejus in se persona est. Secundam verò personam hanc

C esse negare non potes. Aut si contentiosus es, consequenter exponere debes de quo loquatur Deus quem suam vocet imaginem, cui suam potestatem & operationem in hominis creatione communicet, quæ sit illa persona quæ loquitur in Proverbiis: *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.* Et post pauca ubi de Deo loquitur: *Quando præparabat cœlos aderam cum eo componens omnia.* Itemque: *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam,* non ab alio genita, nisi à Domino. Primogenita, inquit.

D Quis genuit? Dominus. Quid? Sapientiam. Ergone genita est? Utique. Huc usque diffugium habere potuisti, sed nunc quò divertere possis non video. Loquitur ista quæ habitat in altissimis, quæ thronum habet in columna nubis, quæ sese fuisse testatur cum Deo quando cœlos fecit, & dicit: *Ante omnem creaturam primogenita sum.* quia non est aliquid generatum sine generante. Genitorem cogeris confiteri simul & genitum. Quod est illud genitum? Ipsum quod cuncta prævidit, quod cuncta disposuit, quod cuncta creavit cum Domino. Ipsum est quod prius dictum est, principium in quo cuncta sunt creata; postea imago ad quam factus est ho-

E mo: hic verò dicitur Sapientia, quæ de illa divina generatione mirabili atque ineffabili nos in quantum licet docet & instruit. alibi dicitur Brachium Domini, alibi Os, alibi Verbum, alibi Manus, alibi Dextra; & cùm tot appelletur nominibus, unum nomen est, quod nescio qua de causa exosum habes, in quo divinitas ejus manifestè declaratur, cùm ab ipso Domino ad eumdem Prophetam dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Eccli. 24. 7. Prov. 8. 27. Eccli. 24. 5. Secunda Trinitatis persona variis nominibus appellata. Ps. 2. 7.

6. Quid dentibus strides, & torvo me A respicis oculo? Hæc testimonia quæ contra te profero divina sunt, & ab ipso Domino dicta. Si potes ea refellere, Deum verum falsa dixisse probabis, quod impossibile est. Deus verus de se ipso vera loquitur, vera de Filio suo testatur. *Filius*, inquit, *meus es tu, ego hodie genui te.* Quid hic dicturus es? Fortè quod hoc de David locutus est Dominus. Expone ergo verum esse de eo quod sequitur: *Dabo tibi gentes hæreditatem & possessionem tuam terminos terræ.* David non possedit terminos terræ, immo alium possessurum esse prædixit, cùm ait: *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad* B *terminos orbis terrarum.* Sed neque Salomon filius ejus umquam obtinuit Ægyptum, aut Æthiopiam, aut ceteras nationes, quod scriptura manifestat apertius: *Conjunctus est*, inquit, *rex Salomon affinitate regi Ægypti, & accepit filiam ejus uxorem.* Item possedit Salomon hæc & illa, non totum orbem terrarum. Dic mihi, quæso, quis sit iste filius, quem Dominus se genuisse testatur, qui dominium totius orbis adeptus est? Languere te simula, & ideo respondere non posse. Ipse est, ipse est de quo iterum dicitur: *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Quod ibi dictum est *hodie genui te*, hoc est æternaliter, hic dicitur *ante lucife-* C *rum*, hoc est ante omnia temporalia. De Filio Dei hæc & alia his similia de multis scripturarum locis tu ipse contra perfidiam tuam potes assumere, tibi conscius quia male negas quod velis nolis intelligis.

Filii generatio asseritur.

Ps. 2. 8.

Ps. 72. 8.

3. Reg. 3. 1.

Ps. 109. 3.

7. De Spiritu-sancto quòd ipse cum Patre & Filio sit unus creator & conditor, in secundo versu docetur cùm dicitur, *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quid est *Ferebatur super aquas*, nisi quod ipsa adhuc tenera mundi primordia fovebat & vivificabat? Qui si vivificator, consequenter & conditor & Deus. Quod propheta testatur di- D cens: *Spiritus ejus ornavit cœlos.* Cœlos ornasse idem est quod fecisse. Nam quis fecit ornamenta cœlorum nisi Deus? *Fecit*, inquit, *Deus duo magna luminaria*; statimque subjungit, *Et stellas, & posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram.* Ergo Spiritus Dei Deus. Utrum operatio eorum individua sit Isaïam interroga. *Et nunc Dominus*, inquit, *misit me & Spiritus ejus.* Non solum Isaïam, sed & omnes prophetas implevit iste Spiritus creator & conditor tertia persona in Trinitate, verus Deus cum Patre & Filio in unitate substantiæ: unde & ab electis in Ecclesiastico dicitur: *O quàm bonus &* E *suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis!* Quid Deo melius & suavius? Quid dulcius illa dulcedine quæ corda sanctorum illustrat? Ipsum tamen quod tam dulce, tam suave est, hoc nomine subtiliter vocaverunt quod est *Spiritus*, cujus in hoc quod bonus & Dei dicitur, naturæ unitas & personæ proprietas designatur. Nam cùm sint alii spiritus qui dicuntur boni, nullus tamen eorum tantæ bonitatis aut tantæ virtutis est, qui corda sanctorum tamquam Deus inhabitet; & tali suavitate permisceat, quæ non est aliud nisi Deus, ut ei ab eisdem dicatur: *Tu in nobis es, Domine, & nomen tuum sanctum invocatum est super nos.* Aliud quippe est officium servitutis, aliud bonitas & suavitas creatoris. Si alius id in eorum cordibus ageret, & ea tanta foveret dulcedine quàm ipse Deus, nequaquam pari desiderio soli Domino dicerent: *O quàm bonus & suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis!* Bonus utique, qui unum solum bonum inspirat, sine quo non est aliud, quod qui adeptus fuerit, eo melius habere non potest. Bonus est quo præsente recedit omne malum, dat omne bonum, quia ipse adest qui fons & origo totius boni est. *Quàm suavis!* inquiunt. Suavis plane est illa dulcedo præsentiæ Spiritus-sancti, quæ corda fidelium quadam ineffabili suavitate perfundit. Sentiri potest, sed minimè comprehendi. Dulcedine namque simul & suavitate se ingerens, quæ harum major sit altera, quæ ab inspirante donatur, ab inspirato nescitur, utrumque tamen simul adesse nemo qui sit expertus ignorat. Unde quia hoc ab electis comprehendi non potest, de gratiæ magnitudine soli Domino gloriam adscribentes, dicunt: *O quàm suavis est Domine Spiritus tuus in nobis!* Multa possent super hoc dici capitulo, sed non est tecum agendum de suavitate quam ignoras, de gratia quam negas, de dulcedine quam tibi facis amaram, de pietate quam tibi facis offensam. Tamen, velis nolis, hic Dei Spiritus dicitur & operator bonitatis ac suavitatis in sanctis esse probatur.

Spiritus-sancti divinitas probatur.

Gen. 1. 2.

Job. 26. 13.

Gen. 1. 16.

Isa. 48. 16.

Sap. 12. 1.

Jer. 14. 9.

Sap. 12. 1.

8. Quod autem & Filii sit Spiritus sicut & Patris, audi quid idem Filius qui Sapientia Patris est, dicat in Proverbiis: *En*, inquit, *proferam vobis Spiritum meum*, quandoquidem se promittit esse daturum quod suum est, & ipse Sapientia Dei est, profectò utriusque Spiritus est. Pater ergo plenus Deus in se. Filius Deus plenus in se. Spiritus-sanctus Deus plenus in se, non tamen tres, sed unus Deus: quod & Isaïas in visione Domini sedentis super solium excelsum testatur se audisse Seraphim proclamantia *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; & ut non tres, quamvis tertiò sanctum nominassent, & non unum intelligeremus, subjunctum est, *Dominus Deus Sabaoth*: quem tertio repetendo sanctum dixerant, unum Deum esse proclamando dixerunt, *Dominus Deus.* Hæc ipsa agmina Seraphim testata sunt, non homo, ut si non vis credere tuis litteris, credas saltem cœlestibus secretis & angelicis spiritibus.

Spiritus-sancti processio à Patre & Filio.

Prov. 1. 23.

Isa. 6. 3.

9. Idem apertiùs insinuatur in Abraham, qui tres vidit descendentes ad se, & unum adoravit in tribus. Visne dicere quod Abraham adoravit creaturam: angeli quippe creatura sunt. Aut creatorem adoravit aut creaturam. Si creaturam, idolatra fuit, quia omnis qui creaturam adorat, à veri Dei cultu re-

Trinitatis mysterium probatur ex visione Abrahæ.

cedit. Ergo creatorem adoravit in tribus: A & quid est creator in tribus, nisi Deus in Trinitate? Tribus utique tamquam uni loquitur & dicit: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis.* Gen. 18. 3. Et post pauca subjungit: *Ideo declinastis ad servum vestrum.* Ibid. 5. Expone tu nobis cur modo numero singulari tamquam cum uno loquatur, modo plurali cum tribus. Sed & ipsa Domini apparitio ita describitur, Ibid. 2. *Apparuit Dominus Abrahæ in convalle mambre, cùmque elevasset oculos suos, apparuerunt tres viri, quos cùm vidisset, cucurrit & adoravit, & dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis, &c.* Dic mihi quis horum trium Dominus appellatus est? Dices fortè quod unus eorum fuit B Dominus, & duo fuerunt angeli ejus. Quid est ergo quod sequitur: Ibid. 5. *Qui dixerunt, Fac ut loquutus es?* Numquid Dominus & angeli pares sunt in loquendo, pares in jubendo, aut quando Abraham obsequium Domino præstare se credidit, errore deceptus idem angelis exhibuit? Est-ne credibile creatorem & creaturam à sancto viro pari veneratum obsequio? Nec una persona minus honoratur ab altera, nec adoratur, nec minori habetur obsequio, nec minus auscultatur alloquio. Rogo te quæ est hæc trium personarum tanta parilitas quæ adorentur ut unus, his ob- C sequatur ut uni, idem loquantur ut unus, pari voce jubeant, parique sermone respondeant? Aut hi tres unus Deus sunt, aut in præceptis angeli Domino pares sunt: quod absurdum est credere. Nam qui sunt illi qui dixerunt: *Fac ut locutus es?* Creatore præsente creatura proferre præsumsit imperium? Si ita est, quomodo verum est quod ipse per Isa. 42. 8. Isaïam locutus est: *Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo?* Certè imperare gloria regis est. Angeli non imperant, sed imperata consummant, nec præsumunt usurpa- D re creatoris imperium, sed implere jubentis officium. Qui ergo sunt illi qui dixerunt? Illi tres qui apparuerunt. Et qui sunt illi tres? Gen. 18. 1. Dominus, attestante Scriptura quæ ait: *Apparuit Dominus Abrahæ.* Et ipse Abraham videns tres, unum adoravit in tribus, de quo Ibid. 3. sic legitur: *Et ait ad illos: Domine si inveni gratiam, &c.* Illos vocavit Dominum & non Dominos, adoravit ut unum Deum & non ut tres: Trinitatem in personis intellexit & credidit, & tamen Unitatem adoravit in Trinitate, sicut ipsa divinæ Scripturæ probat auctoritas. Quomodo refellere poteris Abraham E hæc non credidisse? Proba illum prius nec tunc illa vidisse, neque hæc audisse, vel ea dixisse; & demum facile poteris de neganda fide disputare. Hæc de fide nostra quæ in Deum est contra tuam perfidiam ad præsens dixisse sufficiat.

De observatione sabbati.

10. Veniamus ad sabbatum, & eo ordine quo quæstiones sacris litteris insertæ sunt opponamus, ut audiamus quid ad singula responsurus sis. Sabbatum de cujus otio maximè gloriaris & ante omnia dicis observandum, audi quod in principio ab ipso Domino dissolutum sit. Nam ita scriptum est: *Complevitque die septimo opus suum quod fecerat, & requievit ab omni opere quod patrarat.* Gen. 2. 2. Responde quomodo Dominus non sit operatus in sabbato, cùm eo die cuncta opera sua dicitur complevisse? Si cuncta opera sua complevit in sabbato, jam non erant perfecta in die sexto. Si aliquid die sexto perfecturum ac completurum remansit, die sabbati completum atque perfectum est. Non itaque perfecta Dei requies fuit in die sabbati, quia ex parte legitur opera sua complevisse, & ex parte requievisse; non utique quod heri perfectum est, hodie completum dici debet. Nam si de hesterna die perfecto opere dicerem, Hodie completum est, nonne manifestè mentirer? Ergo Dominus creator & conditor, non, ut tu asseris, tota die sabbati otiosus fuit: sed eo die prout ei placuit cuncta opera sua complevit: nec ante sabbatum cuncta completa sunt, sed in ipso die sabbati, ut scriptura testatur. Nunc velim scire per te, qua hora diei sabbati cessavit Deus ab opere? Si nona, frustra ante hanc horam in memoriam illius requiei sabbatum celebratis. Si mane vel summo diluculo, non est tota dies sabbati celebranda, cujus initium non à requie, sed ab opere Dominus inchoavit. Media nocte, ait mihi quondam aliquis, cessavit ab opere. At ego risum cohibere non valens dixi: Numquid Dominus non habuit spatium operandi per diem? Frivola sunt hæc & puerorum ludo similia. Sed dicis: Nonne scriptum est, Domino jubente per Moïsem: Exod. 20. 8. *Memento ut sanctifices diem sabbati?* Sabbatum Judæorum à Deo reprobatum. Respondemus Verum est quod Dominus præcepit in lege sabbatum observari & hostias immolari, videlicet vaccam rufam, boves de armento, hircos & agnos, oves, &c. Sed his finem per prophetam imposuit, & finiri jussit. Vis audire per quem? Isaïas in principio sui voluminis sic ait: Isa. 1. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum. Holocausta arietum & adipem pinguium & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Et post pauca: Ibid. 13. *Ne afferatis ultra sacrificium: incensum vestrum abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatum & festivitates alias non feram. Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens.* Inter alias festivitates sabbatum connumeratum est. Ergo & hoc inter alias reprobatum est à Domino. Ezechiel quoque sub persona Domini sic ait: Ezech. 20. 25. *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* Quæ præcepta, vel quæ judicia nisi legis? Pro nihilo gloriaris in sabbato, aut circumcisione, aut ceteris legalibus observantiis, cùm ea jam esse reprobata à Domino per prophetas ostenditur. Osee primus duodecim prophetarum ea reprobata fuisse testatur, ita per eum dicente Domino: Osee 2. 11. *Cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, Neomeniam ejus, sabbatum ejus & omnia festa, tempora ejus & populi Judæorum.*

Mich. 6. 7. Michæas quoque sic ait : *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium ?* Nec non & Ps. 49. 7. David in Psalmo : *Audi populus meus & loquar.* Ibid. 9. Et Paulo post : *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Ps. 49. 13. Et iterum : *Numquid manducabo carnem taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ?* His & aliis prophetarum assertionibus apertè monstratur legem & circumcisionem fuisse datas ad tempus, quousque vos ad meliora proveheret. Quæ est igitur ista præsumtio, quòd lege finita, & Domino prohibente sacrificium ulterius immolari, aut sabbatum celebrari, tu adhuc otio vanitatis torpes in B sabbato ? Reprobasse satis prohibuisse est.

Judæi superstitiosæ sabbati observationis transgressores.

11. Præterea qua fronte te asseris sabbatum observare, qui legem sabbati minimè tenes ? Præceptum namque legis est, ut die sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, nec ambulet de loco in quo habitat. Ergo lex sabbati est, ut in eo non ambules, neque stes, neque jaceas, sed tantummodo sedeas. Si vel unum pedem extra limen moveris, violasti sabbatum. Aut præceptum observabis & sabbatum, aut maledicto subjacebis, quia scriptum est : Gal. 3. 10. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege.* C Unde maledictus es, quia hanc legem minimè custodientem video te per omne sabbatum vagari per vicos huc illucque discurrere. Et cùm scriptum sit : Exod. 20. 8. *Memento ut sanctifices diem sabbati*, tu in hac parte legem infringis & sabbatum, quia utrumque observare contemnis. Sed dicis (a) BARACHIBAS, & (b) SYMEON, & HELLES magistri nostri tradiderunt nobis, ut duo millia pedes ambulemus in sabbato. Quæso te, qui sunt isti qui divinæ sententiæ præferuntur ? vel cujus auctoritatis, ut magis eorum definitioni credatur quàm legi mandatorum Dei ? Non est hoc divinitatem colere, sed apertè Deum offen- D dere. Nam quis, ut de his loquar qui dominantur in populo, non doleret sibi præferri vel inferiorem ? Deus præcepit ut sedeas, Barachibas suadet ut ambules, non quantumcumque volueris, sed numero præfinito, videlicet duo millia pedes. O ridiculum ! Nisi tecum magistrum habueris, qui mensuras pedum diligenter annumeret, facilè præscriptum numerum potes excedere, & pervenire usque ad tria millia. Vel si à domo tua duo millia recesseris, nonne in eodem E loco quo punctum mensuræ compleveris, stare vel sedere vel jacere cogeris, ne magistri scriptam sententiam transgrediaris ? Nam si redire domi volueris, non erunt duo millia, sed quatuor. Nam ulteriùs progredi non licebit. Quid ergo : Aderunt fortè Barachibas, Symeon, & Helles, ac te per cincinnum capitis apprehensum, sicut quondam Angelus Domini portavit Abacuc, domi restituent, ne falsam & imperitam protulisse videantur sententiam. Sed crede mihi, nusquam reperitur scriptum in lege Judæum volitare debere per aëra in die sabbati ; sed in domo sua sedere, & non egredi de loco in quo habitat. Hæc de vana observantia sabbati & circumcisionis post evangelium, transeamus ad reliqua.

[a] [b] Duo pedum millia sabbato ambulabant Judæi.

12. *Et ait Dominus ad mulierem : Cur hoc fecisti ? Et illa : Serpens decepit me & comedi. Et ait Dominus Deus ad serpentem : Maledictus eris, &c.* Gen. 3. 13. Et post pauca : *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipse conteret caput tuum.* Ibid. 15. Quis sit iste serpens optime nosti, ille videlicet de quo præmissum est : *Et serpens erat callidior cunctis animantibus quæ fecerat Dominus Deus.* Gen. 3. 1. Verum est, nihil eo callidius aut versutius in creaturis Dei : quia etsi felicitatem perdidit, non tamen naturæ subtilitatem amisit, de cujus dolis & invidia in præcedenti tractatu locuti sumus. Huic post perpetratam nequitiam qua genus humanum decepit, Deus sententiam maledictionis indixit, ac majori pœna damnandum per victoriam mulieris comminatus est, quia caput ejus conterendum per semen mulieris esse prædixit. Et notandum diligenter quid secretius innuat ista sententia. De semine mulieris & non v[i]ri processurum esse promittit, per quod de s[er]pente triumphet genus humanum. Ergo id de muliere sine viro prædictum est. Felix & gloriosa mulier ista, cui Dominus tantam potestatem se daturum esse promisit, videlicet inimicitiarum adversus eum exercere vindictam, simulque beatum & benedictum semen parere, quod bello inter humanum genus & adversarium finem daret, per hoc quòd caput ejus non tantùm humiliaret, aut vulneraret, sed ex toto contereret. Quænam putas est ista mulier ; aut quod est istud semen, quod non est aliud quàm filius mulieris ? Sic enim dicitur : *Ipse conteret caput tuum.* Gen. 3. 15. Nos Latini legimus *ipsa*, sed melius habetur in Hebraïco *ipse conteret caput tuum.* Quia bis verbis datur intelligi quod mulier esset filium paritura, qui caput diaboli & serpentis antiqui, hoc est id quod in eo principale fuit, videlicet superbia qua generi dominabatur humano, propria virtute comminueret atque contereret ; sicque per mulierem inimicitias adversùs eam habentem & per filium matris injuriam vindicantem proveniret homini lapso victoria, & seductori perditio sempiterna.

Virginis partus in Genesi prædictus.

13. Et notandum quòd non dixit ad præsens inimicitias pono, sed illud in futuro promittens, *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te & mulierem.* Non ergo fuit Eva, quam jam subdolè deceperat, quæ tunc erat ; sed

[a] Barachibas, seu Achibas, unus fuit ex præcipuis doctoribus sectæ Scribarum, à quo etiam suas traditiones maxima ex parte acceperunt, ut discimus ex S. Epiphanio lib. 1. de hæresibus, hæresi 15.

[b] Videtur legendum Sammai & Hillel, *ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi, quorum scholam suscepit Achibas, quem magistrum Aquilæ proselyti autumant*, inquit S. Hieronymus lib. 3. in cap. 8. Isaiæ, qui, ut idem paulo post subdit, *non multò prius quàm & Dominus orti sunt in Judæa*,

mulier longis post retro temporibus nascitura. Quomodo, inquis, id probas? Quæso diligenter attende, & scripturæ veritatem ausculta: neque enim propter me à vero declinabit auctoritas, neque propter te mentiri volet solidissima veritas. De Eva sic legitur: *Concepit & peperit Caïn dicens: Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit Abel.* Quid hi duo egerunt scriptura manifestat apertiùs: Caïn occidit fratrem suum. Nescio utrum hic dicere velis quod Abel, qui primus in ordine justorum est, diabolus & serpens fuerit; ac per hoc quod eum frater occiderit, Domini sententiam esse completam qua dicitur: Semen mulieris conteret caput tuum. Sed hoc falsum est, quia scriptum est: *Respexit Dominus ad Abel, & ad Caïn & ad munera ejus non respexit.*

Gen. 4. 1.

Ibid. 4.

14. Si objeceris de hoc serpente reptili quod quotidie movetur in terra id esse dictum: & hoc utique falsum est. Nam quomodo serpens loqui potuit, qui numquam loquendi usum accepit? Non, inquis, serpens locutus est, sed diabolus in serpente. Hic te oportet ut doceas quomodo in aliquam creaturam intrandi ante peccatum hominis diabolus potestatem acceperit, cùm scriptura testatur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Num solùm hoc reptile malum fuit inter cuncta quæ Deus fecit? Sed erant valde bona. Ergo & hoc bonum inter cetera bona. Dic mihi, quomodo potuit bonum malus induere, vel per bonum effectum iniquitatis implere? Absit hoc à summo bono Deo, ut creaturam innocentem, & adhuc minimè lædentem à maligno spiritu assumi permitteret, aut bonum à malo possideri concederet ad hominem decipiendum, quem bonum ipse creaverat. Quare ergo, inquis, dictus est serpens? Propter mortis aculeum, propter malitiæ venenum & nocendi desiderium. Non itaque de hoc reptili conterendo, quod vix novit insidias declinare, quamvis in natura venenosum sit, Dei procedit comminatio; sed de illo qui callidior est cunctis animantibus quæ fecit Dominus Deus. Et ut cetera brevi sermone concludantur, quicquid mali esse potest, in eo est. De hoc conterendo sive damnando sermo Dei est. Et quamvis ipse spiritus subtilis naturæ sit, nihilque commune habeat cum carneis membrisque corporeis, ab homine tamen in carne vivente conterendus esse prædicatur à Domino, qui ait: *Ipse*, id est semen mulieris, *conteret caput tuum.* Quid est semen mulieris, quod masculus masculino genere præsignatur cùm dicitur *ipse*, nisi homo? Et quomodo potest homo qui carne vestitur, quam Deus promisit de spiritu incorporeo vindictam assumere? Nunc tuum est mulierem & filium ejus ostendere, cùm non possis de Eva quod hæc eadem ipsa sit, amplius disputare. Discute quinque librorum Moïsi volumina, necnon & Ruth, Judicum & Esther, Isaiæ & duodecim prophetarum, Ezechielis, Danielis, & Jeremiæ, & Baruc, &c. In his omnibus non reperies aliquam filium peperisse qui de spiritu incorporeo perfectam victoriam obtinuerit, nisi ad illam redieris quæ nostra est, olim tua in tribu Juda, modo nostra in Dei misericordia. Quòd si hanc eamdem esse negaveris; scito te prophetarum assertionibus tamquam funibus validissimis esse ligandum. Non poteris huc illucque divertere, quia circumdabunt te inimici tui vallo sententiarum, circumdabunt te, & coangustabunt undique prophetiæ veritate superandum. Igitur nos, auxiliante Domino Deo omnipotente, proferamus adversum te ea quæ negare non poteris, nec quibus valebis versutis disputationibus obviare. Hic per semen mulieris victoriam esse venturam Deus asseruit, cui in hoc loco non potes resistere. Eodemque benedictionem cunctis gentibus profuturam esse promisit, ubi ad Abraham locutus est. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Quis serpens Evam seduxerit.

Gen. 1. 31.

Gen. 12. 3.

15. Non est aliud semen, sed idem. Nam si per unum victoria de diabolo, & per aliud cunctis gentibus proveniret benedictio, duo profecto essent, cùm non sit aliud hoc loco gentes benedici, quàm à potestate diaboli liberari. Quod ipse Dominus sua sententia destruit dicens: *Ipse conteret caput tuum*, & non ipsa. Ergo idem est semen per quod in primis promissa est victoria, per quod & Abrahæ dicitur benedictio cunctis gentibus tribuenda. *In semine*, inquit, *tuo.* Non in multitudine Judæorum, ut tu asseris, sed in uno qui de ejus semine esset, & non in pluribus. Nam si volueris hoc verbum multitudini Judæorum ascribere, dic mihi, ubi umquam per Judæos omnes gentes benedictionem acceperint. Quod cùm non poteris invenire, nobiscum quod adoramus adorare debes, & credere. Divinum aliquid & ultra quàm humana natura cognosceret in hoc ejus semine futurum intellexit, ubi ad servum suum loquitur: *Pone manum tuam super femur meum, & jura per Deum cæli.* Quid sibi vult femur Abrahæ ad Deum cœli? Vel quæ est ista comparatio femoris ejus & Dei? nisi quia per semen, id est carnem ejus benedictionem daret superna divinitas, & non tantùm per carnem, sed in carne, sicut ipse Dominus ait: *In semine tuo. In Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen*: non tamen ipse Isaac illud semen. Alius ergo quàm Isaac requirendus est, per quem & in quo benedictio gentibus mitti debeat. Quis est iste tantus ac talis de semine Abrahæ nasciturus, per quem & in quo benedictio divinitatis universo mundo refulgeat? Alium respondere non poteris, nisi illum quem David testatur esse dicens: *Dominus dabit benignitatem.* Si in carne de stirpe Abrahæ danda est cunctis gentibus benedictio, & non alius sit eam daturus quam ipse Dominus, neque caro Abrahæ sine Domino in ea præsente eam dare poterit, neque Dominus, ut verum sit quod promisit,

Christus Abrahæ semen in quo benedicentur omnes gentes.

Gen. 3. 15.

Gen. 24. 3.

Heb. 11. 18.

Ps. 84. 13.

promisit, dabit eam nisi præsens in carne, A quia homo quamvis de semine Abrahæ per se benedictionem divinam cunctis gentibus dare non posset, nisi Deus, qui est ipsa benedictio, præsens in carne maneret. Sed quomodo Deus & caro, id est Deus & homo, unam benedictionem darent, nisi quodammodo unum essent? Nullus potest universo mundo benedicere nisi Deus, nec juxta promissum Dei debet nisi homo. Ergo dabit eam Deus homo.

16. Et hoc probat apertius in præcedenti psalmo, dicens: *Benedictionem dabit Legislator*, hoc est benedictionem dabit qui legem dedit. Ibunt illi quibus eam dederit de virtute in virtutem, hoc est de bono per mandata legis habito in melius, quod erit ipsa benedictio quam dabit ipse Deus; & ideo de virtute in virtutem, id est à lege bona transibunt in gratiam meliorem, quia videbitur ipse Deus deorum oculis carnis & aspectu corporeo in Sion, hoc est in ipsa civitate Jerusalem. Hæc eo sensu dicimus quo tua est refellenda perfidia, non quo auctoritas Ecclesiæ roboranda. Et est considerandum attentius quis sit ordo verborum. Post legem datam benedictionem esse dandam affirmat, per quam illi proficiant de bono in melius qui visuri sunt ipsum Deum in Jerusalem. Virtutum alia superior, alia inferior. Num quia Deus se videndum promittit in terra, ideo illi qui eum visuri sunt ibunt de superiori ad inferiorem? nequaquam; sed de bono ad meliorem, hoc est de lege ad gratiam, si ille qui legem dedit vel legislator benedictionem dabit, & ideo ituri sunt electi de virtute in virtutem. unde, vel quò, nisi de lege prius data in benedictionem post legem dandam? Sed & causam cur fiat hæc mutatio dexteræ excelsi, consequenter annectit. *Videbitur*, inquit, *Deus Deorum in Syon*. Ecce quid sit illa benedictio sacrificio melior & lege fructuosior. Ipsa Dei visio, qua videri possit ab homine in Syon, id est in Jerusalem, velis nolis, qui respuis doctrinam Ecclesiæ & omnia vis interpretari ad litteram secundùm tuam interpretationem stabit ista sententia.

Ps. 83. 8.

Ps. 83. 8.

17. Testatur hoc Isaias apertiùs ubi ait: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar ecce adsum.* hoc est qui loquebar in lege per Moysen & prophetas, nunc ego ipse præsens sum. Et post modicum: *Oculo ad oculum videbunt, cùm converterit Dominus Syon.* Quid est oculo ad oculum videre Dominum convertentem Syon? Num Deus potest in sua divinitate sicut est videri ab homine? Certè ipse ait ad E Moysen: *Non videbit me homo & vivet*, & tamen oculo ad oculum videndus esse prædicitur in Jerusalem cùm converterit eam. Oculo ad oculum videri non potest nisi quod corpus est; & quod corpus est, videri, sentiri, & palpari potest. Si verum est juxta prophetam quod Dominus oculo ad oculum videndus sit in Syon, & ipse Dominus in sua di-

Isa. 52. 6.

Ibid. 8.

Deus in carne oculo ad oculum videndus.

Exod. 30. 20

vinitate ab homine mortali videri non potest, vel sic vel alio modo videbitur; sed non in divinitate. Ergo in corpore, & non in quolibet aereo vel phantastico, sed humano. Angelos, inquit, sæpe viderunt Patres, non tamen ipsos angelos homines effectos. Nos hoc nequaquam negamus, sed aliud est angelum ad horam corpore assumto ex aere nutu & voluntate Dei apparere hominibus, aliud ipsum Dominum per prophetas præsentiam propriam promittentem ad effectum promissa perducere, & sermonem opere veritatis implere. Si angeli apparuerunt Abrahæ, Loth, Moysi, Josue, Balaam & Manue, non tamen apparuerunt in carne, sed in corpore assumto B ex aere. Dominus autem non sic. Quoniam si creatura sumatur ab alia, præceptum vel promissio creatoris est. Non id quod semel assumitur semper sic manet, sed ad horam: quia neque angelus aer, neque aer angelus esse potest: quod verò à Deo assumitur, Deus est: quia nihil in Deo quod non sit Deus.

Angeli hominibus quomodo apparuerunt.

18. Cùm itaque Deus se visibilem inter homines venturum esse promittat, quæro à te utrum per rationalem an irrationalem creaturam videndus sit? Non es tantæ dementiæ ut dicas illum qui summa ratio est in se aliquid irrationale assumere. Inter omnes creaturas nihil rationale nisi homo & angelus; & quoniam angelus spiritus invisibilis est, C ab omni ratione penitus est alienum, Deum invisibilem per aliud invisibile visibilem affirmare. Quid ergo? vel visibilis apparebit in homine, vel non poterit oculo ad oculum videri, juxta quod propheta de eo divinitus inspiratus asseruit. Si necesse est Deum videri per hominem ut sermo prophetarum impleatur, non erunt utique duæ, sed una persona Deus & homo. Sed numquid Syon dicet homo? poteritne credere Deum esse hominem? Et quare non credet? Homo natus est in ea. Quis? Ipse qui fundavit eam. Homo tantùm? Non, immo Altissimus qui fundavit D eam ut Deus antequam nasceretur in ea. Ergo una persona Deus & homo. Nam per id quod in Syon natus asseritur, homo esse probatur. Per id quod ipse in ea natus est, fundator ejus & altissimus prædicatur, Deus esse manifesta ratione declaratur. Quis enim Altissimus nisi solus Deus? vel quis potest aliquid fundare vel operari antequam fiat homo, nisi ille qui est ante omnia? Non potes hic tergiversari, nec diverticula quærere, quia nihil apertius hac veritate quæ per prophetam insonuit. Nam ipse qui homo est & natus est in Syon, idem ipse, quia homo natus est & Altissimus est, Deus est. Prius Altissimus quàm homo, Deus ante quàm natus; fundavit Syon, & non tantùm quæ sunt in circuitu Jerusalem, sed omnia quæcumque creata vel facta sunt creavit & fecit priusquam homo nasceretur in Syon. *Homo*, inquit, *natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* O insigne miraculum ac vehementer Judæo stupendum! Altissimus homo na-

Deus visibilis apparere non potuit nisi in carne humana.

Ps. 86. 5.

tus asseritur, & ante fundator Syon quàm nativitatis ejus tempus adveniat. Deus antequam sit homo, & post nativitatis ejus impleta mysteria Deus & homo.

19. Respondebis hoc in Hebræo non haberi. Visne tibi Hebraicum sermonem disseramus? In quo sic continetur: *Ad Syon dicetur vir, & ipse natus est in ea, & ipse fundavit eam Excelsus. Dominus dinumeravit scribens populos, ipse natus est in ea.* Audi modo attentiùs: *Ad Syon dicetur vir.* A quo? à Zacharia propheta, qui ait: *Ecce vir oriens nomen ejus.* Quid de viro isto futurum est? *Ipse*, inquit, *natus est in ea*; ac ne simpliciter solummodo virum intelligas, sequitur: *Ipse fundavit eam Excelsus.* In Hebraico & in latino idem sonat solidissima veritas. Hæc ipse Dominus narravit, quia prædixit in scripturis populorum, à quibus est illud poeticum

Zach. 6. 12.

Jam nova progenies cœlo dimittitur alto.

Virg. egloga 4.

Et Sybilla vaticinando sic ait:

E cœlo rex adveniet per sæcla futurus,
Scilicet in carne præsens ut judicet orbem.

Hoc de scripturis populorum. Nunc principum horum qui fuerunt in ea quorum unus Jeremias sic ait:

Jer. 31. 22. Jeremiæ locus de partu Virginis expenditur.

20. *Faciet Dominus quoddam novum super terram; femina circumdabit virum.* Verè novum & inauditum feminam absque virili opere gestare virum in utero. Nam eo tempore feminam de viro concipere novum esse non potuit, quia jam usu tali ab initio sæculi hucusque processit humana conditio. Sed novum quid à Domino faciendum nihil aliud est quàm aliquid facere quod numquam antea fecit. Alioquin novum esse non posset, si illud idem antea fecisset. Feminam circumdare virum nescio quid esse potest, nisi virum totum includi à femina, non ut solet amplexu & osculo, neque enim id novum est; sed ita circumdari, ut sit vir totus in femina, id est masculus conceptus in utero: sed nec ita novum quid erit, quia cunctis retro sæculis usitatum. Ergo ut novum sit quod vir concipiatur à femina, debet ordinis usus & naturæ consuetudo mutari, ut videlicet vir sine viro procedat ex femina; & post novum conceptum appareat singularis & inusitata nativitas. Quoddam, inquit, novum non tantùm virginem virum sine viro concipere, verùm etiam virginem parere. Virginem, inquit, vis esse, quia feminam dixit, audi: Omnis virgo feminei sexus est femina, non omnis femina virgo. Quare si feminam dixit, non ideo virginitatem exclusit. Præterea sicut novum est virginem sine viro concipere, ita novum est virginem sine peccato parere. Hoc novum, quia ipse Dominus fecit, fuit ultra naturam. Si femina peperit quæ tempore pariendi virgo non fuit, non est hoc novum, neque mirandum; quotidie enim videmus quid simile fieri. Ecce non potest esse novum sive mirabile quod facturus est Dominus super terram, videlicet feminam circumdare virum, nisi virgo concipiat & virgo pariat. Nam feminam non virginem concipere sive parere, novum esse non potest.

Michææ Prophetia de loco nativitatis Christi. Mich. 5. 2.

21. Michæas propheta inter cetera quæ Spiritus-sanctus per os ejus insonuit, de hoc viro & ejus nativitate sic ait: *Et tu Bethleem Effrata parvulus es in millibus Juda. Ex te enim exiet qui sit Dominator in Israel; & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet.* Hunc virum nasciturum & ejus nativitatis locum Prophera manifestè pronunciat, illum videlicet qui sit Dominator in Israel. Ac ne putes eum non fuisse antequam homo fieret, consequenter adjungit: *Et egressus ejus ab initio.* Num ab initio temporali? Non, sed *à diebus æternitatis*, hoc est ab æterno. Et tamquam aliquis vellet ab eo subtilius indagare quid fieret de populo Israel, *Dabit eos*, inquit, *usque ad tempus in quo parturiens pariet.* Quod est apertius dicere: Dabit eos, id est Judæos, ut sint ceremonias legis & sacrificia celebrantes, non semper, sed usque ad tempus in quo parturiens pariet illum qui sit dominator, non tantùm in Israel, sed in toto orbe terrarum. Et egressus ejus ab initio est, & *à diebus æternitatis*, quia æternus ab æterno est. Propter quod, quia ita futurum est, sustinebit Dominus populum Judæorum usque ad tempus quo pariat filium illa cujus partus signum est singulare vocationis gentium & abjectionis populi Judæorum. Pariet enim filium qui est ab initio & à diebus æternitatis. Quo tempore non omnes convertentur, sed reliquiæ fratrum ejus, id est mulieris vel filii sui, qui frater est Judæorum secundùm carnem, hoc enim sequitur: *Reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.* Hoc est qui eo tempore credent ea quæ modo pronuncio, illum videlicet qui æternus est, & ab initio natum in Bethleem, & Dominum Dominatorem in Israel, qui non erunt omnis populus, sed reliquiæ populi tantùm, illi convertentur fide & opere ad filios Israel, qui erunt de reliquiis patris sui Jacob intelligentes illud esse completum in ipso quod ait Moyses: *Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super caput Joseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Convertentur itaque ad eum tamquam ad Dominatorem & doctorem in Israel, qui Deus erit, quia ab æterno est; & homo erit quia nascetur ex Virgine. Quo veniente quid erit agendum procedat Osee primus in duodecim prophetis, & dicat quid eo tempore quo parturiens pariet, nos oporteat agere.

Deut. 33. 16.

Dominus quo tempore requirendus. Osee. 10. 12.

22. *Tempus*, inquit, *requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos justitiam.* Ordo verborum hic est: Tunc erit tempus requirendi Dominum cùm venerit, cùm præsens fuerit inter vos, tempus opportunum habebitis requirendi eum super his quæ pertinent

ad salutem. Et quid facturus est? *Docebit vos justitiam.* Non illam tantùm quæ in lege est, quam hucusque didicimus, sed illam quæ sufficiens erit ad salutem. Tunc verè tempus erit in quo splendebit doctrina justitiæ, quia ille talis ac tantus Dominator & Dominus, ille, inquam, per se, non per alium docebit justitiam, quæ servata prosit ad vitam, contemta demergat ad pœnam, & ideo tempus requirendi Dominum, cùm ipse post prophetas Dominus venerit.

Divinitas Christi ex variis ejus nominibus asseritur. Johel. 2. 23

23. Sequitur Johel & his verbis sensum præcedentis prophetæ affirmat. Ait namque: *Filiæ Syon exultate, & lætamini in Domino, quia dedit vobis doctorem justitiæ.* Quem Isaias *Dominum* vocat, David *Hominem* & *Altissimum*, Jeremias *Virum novum*, Michæas *Dominatorem*, Osee *Dominum*, Johel *Justitiæ doctorem* nominat, filiasque Syon cohortatur ad lætitiam & exultationem, eo quod talem eis Dominus dederit, qui justitiam doceat verbo & opere, talisque doctor habeat discipulos exultantes in lætitia & exultatione. In his omnibus quid aliud nisi Deus homo prædicatur? Modo *Dominum* vocant ut Isaias, modo *Virum* & *Hominem* ut Jeremias, *Loquentem* & *Docentem* ut Johel, *Natum* & *Conceptum* ut David. Unus est omnium sensus & una sententia, quia unus fuit in omnibus spiritus & una fides.

Amos 4. 12.

24. Amos propheta postquam minas Domini contra vaccas pingues quæ erant in monte Samariæ subtili sermone descripserat, de adventu Domini & Salvatoris hoc modo subjunxit, dicens: *Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel: quia ecce formans montes, & creans ventum, annuncians homini eloquium suum, & gradiens super excelsa terræ, Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Est itaque sensus verborum: O tu Israel, postquam hæc omnia sustinueris, quæ Dominus comminatur, scito pro certo quod ipsemet sit venturus in proximo; & ideo præparare quatenus talis sis qui tanto Domino possis occurrere. Præparare non in adventum prophetæ, vel angeli; sed in occursum Dei tui, qui te creavit & fecit. Occurret itaque tibi Deus, quia ecce formans montes & creans ventum, annuncians homini eloquium suum, ut ipse loquatur homini sicut loqui solet homo ad amicum suum. Nequaquam de cœlo vel in nebula sicut locutus est Moysi & Salomoni, sed ipse gradiens super excelsa terræ, juxta David qui ait: *Justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Ibit ut homo, loquetur ut homo, inter homines conversabitur, & in terra videbitur.

Prophetia Amos de Christi adventu.

Ps. 84. 14.

25. Tuum, inquis, est hoc, qui prophetas exponis ad libitum. Respondeo: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur in partes. Quod dixi ibit ut homo, non est meum; sed David qui ait: *Ponet in via gressus suos:* Loquetur ut homo, est Isaiæ qui de Domino loquens ait: *Ego ipse qui loquebar ecce adsum.* Baruch notarius Jeremiæ prophetæ, quamvis idem liber apud vos non habeatur in canone, sic ait de Domino: *Hic invenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Jacob puero suo, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Cernis me nequaquam propria voluntate seductum in contrarium extorquere sententias, sed, ut à prophetis prædictæ sunt, in lucem exponere? Proba, si potes, hæc ita non dixisse prophetas, & ego mei erroris veniam deprecabor.

Isa. 52. 6.

Liber Baruch in canone Hebræorum non habetur.

Baruc. 3. 37.

26. Procedat Abdias propheta, & quid super his cum choro prophetarum audierit proferamus. *Auditum, inquit, audivimus à Domino, & Legatum ad gentes misit.* Dicit non solùm se, sed omnes prophetas audisse à Domino, quod Legatum ad gentes mitteret. Legatus vices illius supplere solet à quo missus est, quodcumque præceperit aut statuerit, tamquam ipse dixisset qui misit, fixum ac stabile perseverat. Quis est iste Legatus, qui missus à Domino Judæum postponit, & ad gentes ingreditur? quod ejus propositum vel mandati executio? Profectò ut reminiscantur & convertantur ad Dominum universi fines terræ. Hoc est ejus propositum, & hoc mandatum Dei expressum, quod unus post prophetas cunctis gentibus nunciavit. Quis est, inquis, ille de quo loqueris? Universus orbis, immo gentes ipsæ respondeant quis ille sit quem jamdudum missum à Domino receperunt ut Dominum. Ipsæ sibi testes sunt, quod prophetia rei veritate completa est: Sed & Jonas propheta qui recessit à Judæa ut pœnitentiam Ninive prædicaret, ostendit apertè quod ista legatio, repulsa Judæa, transmigraret ad gentes, unde & difficultates itineris ac in ventre ceti angustiæ tenebrosæ, necnon & hedera quæ caput ejus operuit & orto sole exaruit, in figura illius contigerunt, quem in his præsignavit operibus.

Christus ad gentes Legatus. Abd. 1.

Jonas 1. &c.

27. Michæas de quo superius dictum est, sæpius de Christo * ministeria manifestat. Nunc de ejus nativitate, sicut prædictum est, ac passionem ejus commemorat, ut ibi: *Nunc vastaberis filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel.* Ad Judæam & Jerusalem loquitur, & utrisque nomen unum imponit: *filia*, inquit, *latronis*; non Dei, sed diaboli, nunc vastaberis: tempus erit in proximo, quo Romano veniente exercitu depopulaberis, & fere redigeris ad nihilum. *Obsidionem posuerunt super nos*, quod non est aliud quàm ab ipsis obsideri Romanis; & quare causa tantæ vastationis adveniat, subjungit: *In virga percutient maxillas judicis Israel.* Quomodo hoc completum sit, nullus qui passionem Domini legit ignorat. Dicit Jerusalem obsidendam, & post obsidionem penitus esse vastandam, eo quod percussit maxillam judicis Israel, qui est Christus.

* f. mysteria.

Michææ prophetia de Domini passione & eversione Jerusalem. Mich. 5. 1.

28. Nahum propheta post descriptam ejus eversionem, Evangelium Christi toto orbe prædicandum manifestè prænunciat ita

De prædicatione Evangelii. Nahum 1. 15.

dicens: *Ecce super montes pedes evangelizantis & annunciantis pacem.* Unum insinuat qui evangelizet, hoc est evangelium primus prædicet, & annunciet pacem quæ futura sit, non inter Babilonem & Judæam, sed inter Deum & hominem. Et pedes ejus super montes stare dicit, quod nequaquam de puro homine valet intelligi. Possibile namque est hominem super unum montem stare; sed quod divaricatis pedibus stet super duos non video, neque id intelligi voluit ille qui scripsit. Quis ergo poterit hic esse de quo loquitur nisi Deus, qui nutu & voluntate sua montes & colles instituit? Cujus pedes ideo super montes stare dicuntur, quia quotquot prophetæ sive magistri in lege fuerunt, qui propter ejusdem divinæ legis scientiam & alta virtutum insignia montes appellati sunt, illo inferiores sunt: cujus evangelium tantò excellentius eminet, quantò perfectius pacem hominibus datam insinuat. Si non recipis hoc esse dictum de Christo, manifesta nobis quis ille sit qui supra montes ad litteram statum habeat, & per evangelium pacem annunciet. Magis enim volo de tuo mucrone perfodi, quàm mea sagitta quasi puncto vulnerari.

Abac. 2. 1. Prophetia Abacuc de Christi adventu.

29. Sequitur Abacuc & Christum in sæculi fine venturum ostendit, ita dicens: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor ut videam quid dicatur mihi.* Querimoniam fecerat in principio voluminis sub persona populi clamantis ad Dominum, ac juxta morem humanæ impatientiæ cum Domino disputare cupierat, causatus cur pateretur Nabucodonosor aggravare jugum captivitatis super populum suum, & non potius redderet impio juxta impietatem suam, & justo juxta justitiam suam, ita dicens: *Usquequo, Domine, clamabo & non exaudies; vociferabor vim patiens, & non salvabis?* Cui Dominus tamquam ad interrogata respondit: *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram super latitudinem terræ, &c.* Cui primæ causationi respondit Dominus, & quæ esset causa plenius est executus in partibus. Ideo, inquit, non misereor super Judam & Jerusalem, quia ad hoc suscitavi Nabucodonosor ut propter peccata populi civitatem & templum incendat, ac ultionem meam experiantur qui contemserint me. Quod propheta cognoscens tamquam super temeraria inquisitione pœnitens, temperat quæstionem ac à proposito resilit, nequaquam de cetero Dominum ad deceptionem provocans, cur hoc vel illud faciat, sed divina secreta soli divino judicio derelinquens, quid in se reversus sit acturus in posterum prophetica voce subjungit: *Super custodiam meam stabo.* Et est sensus: In sublimitate prophetiæ meæ constitutus à Domino, diligenter attendam quid divina revelatio mihi pronunciet ac proferre præcipiat. *Figam gradum super munitionem*, in ipso qui firmus & immutabilis est tota mentis intentione perseverabo, & contemplabor in illo tamquam in specula, ut videam quæ futura sunt longis post retro temporibus, quid dicatur mihi super his quæ complebuntur in tempore suo. *Et respondit mihi Dominus & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum: quia adhuc visus procul, & apparebit in finem & non mentietur. Si moram fecerit, expecta eum quia veniens veniet, & non tardabit.* Propheta secum deliberante & ex diuturna deliberatione sententiam tandem proferente quid ageret, ad hoc totum suæ contemplationis defixit intuitum, ut in sanctitate perseveraret, & meritò sanctitatis audiret quæ Dominus post tristia læta promitteret, quæ futura prædiceret. *Et respondit mihi*, inquit, non qualiscumque, sed Dominus. Respondit non ut meæ disputationi quam superius sub persona populi proposueram, sed mihi, mecum in corde meo cogitanti quid agerem, quæ futura prædicerem. Et dixit, quia pretium futurorum instituit: *Scribe visum*, non quod in corpore, sed in mente vidisti. Et quis est iste visus? Stetit in custodia, ut omni diligentia servaret cor suum. Fixit gradum super munitionem, ut in proposito perseveraret, ac dignus haberetur indignatione divina noscendi cœleste secretum, & loquendi futura de Christo mysteria. *Et explana eum super tabulas.* Non tantùm more prophetali per figuras & ænigmata scribes quæ me promittente vidisti: sed explana visum, hoc est manifestè pronuncia, ut non sit necesse lectori propter lectionis difficultatem doctores adire: immo celeri intellectu percurrat qui legerit eum, & statim fiat credulus, quia qui legerit & incredulus fuerit, non erit anima ejus recta in ipso. Hic, Judæe, manifestè damnaris, quia legis & non credis: *Si moram fecerit, expecta eum.* Si moram fecerit quadringentorum & nonaginta annorum, (tot enim anni juxta rationem annorum lunarium computantur à tempore quo templum reædificatum est sub Eszra & Neemia usque ad Christum,) ô propheta, ne desperes minimè posse promissum impleri, sed *expecta eum*, quem tu vides in spiritu venturum in carne, quia *veniens* non in phantasmate, sed verè *veniet*: & quamvis videatur sub præscripti temporis spatio differre præsentiam, *non tardabit* quin tempore constituto promissus adveniat. Et hoc quidem signum. Qui incredulus est eo tempore quo hæc fierent, non erit anima ejus recta cum ipso, quia legis prævaricator existet, me dicente per Moysem: *Ipsum audietis tamquam me, & si quis illum non audierit, delebitur anima illa de populo suo.*

Abac 1. 2. Ibid. 6. Abac. 2. 1. Ibid. Ibid. 2. 3.

30. Hæc de Habacuc quantum ad litteram. Sed quæris ubi iste visus explanatus sit à propheta. Respondemus quod in consequenti scriptura quæ intitulatur *Oratio Abacuc*, non tantùm visum, hoc est quod vidit explanavit, sed manifestè tamquam bonus auditor exposuit: *Domine*, inquit, *audivi* in Abac. 3. 1.

spiritu prophetiæ *auditum tuum* tamquam tenuis auræ sibilum. Suave quidem admodum & lene est quod auditur à Domino; *& timui* cognoscens & prævidens quæ facturus sis. Obstupui tanto miraculo, & timui illud scribere digno minus eloquio. At quia tuum propositum impleri necesse est; ô Domine, *Opus tuum* sit; Et hoc oro, ut sit juxta beneplacitum voluntatis tuæ, tempore præfinito, hoc est *in medio annorum*. Eo tempore impleatur sermo tuus Domine, quo veteri testamento finito cum annis sub lege transactis, vel ante legem, succedant anni de quibus locutus es: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Et alibi: *Feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias David fidelis*. Et iterum: *Ecce dies veniunt, dicet Dominus, & disponam testamentum domui Juda*, non secundùm testamentum quod dedi patribus eorum. Ergo in medio duorum testamentorum, hoc est in fine præcedentis & in initio subsequentis, quando hoc medium annorum inter duo tempora fiet. Vivifica Domine illud opus tuum, quod superius jussisti explanari in tabulis & apertius scribi. Certus itaque de futuris effectus, non orando
Abac. 3. 2. sed prædicendo prosequitur: *In medio annorum notum facies*. Tunc sine omni ambiguitate quod modo promittis, quando illud medium erit quod dividet inter duo, videlicet inter testamentum quod dedisti patribus nostris, & testamentum quod te daturum promittis multum à primo diversum; ac tunc *cùm iratus fueris*, quia propitiatio fiet per unum cunctis, *misericordiæ recordaberis*. Non erit amplius necesse oculum pro oculo, vel dentem pro dente restituere: quia ejus qui in te est populi misereberis, videlicet credituri, & securitatem legis gratiæ misericordia temperabis. *Misericordiæ recordaberis*, illius videlicet quam primus homo peccando perdidit, cujus tantopere videris oblitus, dum reddis iratus quod justè meremur, & subtrahis jure miserantis affectum usquequo tempus veniat miserendi, & illud opus tuum fiat quod audivi, quod quia terribile & sanctum est, timui videns in spiritu modum quo illud impleri disponis. Quod quia jussisti scribi apertius & explanari in tabulis, libenter implebo jubentis officium, ac illud opus tuum diligenter exponam manifestis indiciis.

Abac. 3. 3 31. Audite, tribus & linguæ, gentes & populi, quæ Domino jubente prænuntio. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan*. Hic est visus quem mihi ostendit Dominus, & explanare jussit. Hoc opus ejus quod audivi, & timui, quod vivificandum & notificandum est in medio annorum, hoc est in illo tempore quo lex finem accipiet & gratia sumet initium. Ac ne vobis veniat in ambiguum quo tempore visus adimpleatur, & opus Domini veniat; nunc vobis prædico sicut prædixi, quod fiet in medio, annis veteris instrumenti succedente gratuita misericordia, & cessante ritu sacrificiorum. Opus Dei jam venisse ipsa rei veritas comprobabit, quod non erit aliud quàm veniens ipse Deus. *Ab austro veniet*, ut visus explanetur ad litteram, de Bethleem consurget, quæ ad austrum sita est, quia in ea nascetur juxta Michæam qui ait: *Ex te exiet quasi Dominator in Israel*. Qui idem est & non alius *Sanctus de monte Pharan*, qui mons vicinus est monti Synaï, à quo iccirco venire dicitur, quia non tantùm ut temporalis & natus surget ex Bethleem, sed tamquam æternus qui legem dedit in monte Syna, & Moysi locutus est facie ad faciem. Vel Deus ab austro sive à meridie, qua hora lux diei clarior est, veniet, ab illo scilicet qui lucem habitat inaccessibilem, & sanctus de monte, de sublimitate cœlorum, juxta David qui ait: *A summo cœlo egressio ejus*, qui Os & Verbum Patris est, cuncta videntis & regentis. Pharan quippe interpretatur Os videntis. Et rectè de Pharan venire dicitur, quia Verbum procedit ex ore Altissimi. Ab austro ergo secundùm quod temporaliter natus est, venire dicitur, & de monte Pharan, quia æternaliter ex ore cuncta videntis Altissimi Patris procedit æternus.

32. Fortassis nimius fuerim in unius expositione capituli, & lectori fastidium generans. Iteremus ergo quæ dicta sunt, & quid Judæus audire rogatur breviter replicemus. Dixerat superiùs se super custodiam suam stare, & figere gradum super munitionem, ut contemplari posset & videre quid sibi diceretur: responsumque est illi à Domino atque præceptum ut scriberet & explanaret in tabulis; at ille prosecutus jubentis imperium, hanc explanationem dedit, quod opus Domini in medio annorum notum faceret. Quid amice contendis? Aut hic Propheta, ut Domini præcepto pareret, visum explanavit, insinuando tempus & locum; aut cuncta reliquit obscura, & tamquam inobediens Domini voluntatem implere contemsit. Sed ipse sibi testis est in hoc versu quod imperata peregit. Nam docet apertè quòd in medio annorum Christus, qui & Deus, adveniet. Qua ratione, inquis, visum ad Christum refers, & medium annorum ad ejus adventum? De Christo respondemus in primis, quod hoc propheta præter Isaiam nemo Prophetarum apertiùs Christi nomen insonuit. Ait namque: *Exultabo in Deo Jesu meo*. Sed & ea quæ Abac. 3. 18.
de hoc nostro JESU futura erant, videlicet passionem & mortem clara voce prædixit. Præmisso namque quod veniret ab austro, mox omnipotentiam ejus subjunxit, dicens: *Operuit cœlos gloria ejus*. Solius Dei est ope- Abac. 3. 3.
rire gloria cœlos, *& laudis ejus plena est terra*. Quod hodie completum esse videre potes ad litteram. JESUM Salvatorem totus orbis agnoscit. Tu solus excæcatus es, & tui similes, parum videns in terra, nihil in cœlo visurus, apud inferos totus iturus in tenebras exteriores, nisi lucem aspicias quæ splendor ejus est cujus laude plena est terra. *Splendor*, Ibid. 4.

inquit, *ejus ut lux erit*, illius, videlicet qui venit ab austro Deus, qui cœlos gloria regit, & terram laude replet. Et quid de illo qui tantus ac talis venturus est? Juxta Isaiam in fortitudine veniet, ipsa tamen occultaque cornua in manibus ejus, & ibi abscondita erit fortitudo ejus. Et quæ est fortitudo Dei nisi ipse Deus? Ipse secundùm quod homo est manifestus erit, secundùm quod Deus occultus, ut ait idem Isaias, *Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Jacob.* Isa. 8. 17.

33. Quomodo cornua in manibus ejus sint, exponat ipse qui visionem explanare videtur. *Altitudo*, inquit, *manus suas levavit.* Quid! Pedes ejus profundum abyssi penetrant, & manus in altum levat: ut oret, an ut operetur? Æstimo ut oret, ut operetur, ut moriatur: oret in cœlis, operetur in infernis, moriatur in terris. Quid enim magnum esset si altitudo manus suas sine causa levaret; sed altitudo quæ Deus est manus suas levavit, ut compleret ad litteram quod prædixerat per prophetam: *Cornua in manibus ejus.* Quomodo, inquis, id in Christo completum est. Interrogas ea quæ invitus audire cogeris? Aspice Christum morientem in cruce, & in utroque cornu crucis manus ejus clavis affixas, ac inclinato capite morientis levatas in altum, & cornua videbis in manibus, ubi abscondita est fortitudo ejus, quia in cruce positus attigit à fine superiori cuncta regens ad finem inferiorem fortiter moriens, utraque manu suaviter cuncta disponens, vincens in inferno, regnans in cœlo, inter utrosque tamquam inter dextram & sinistram ipse moriens uno suavi somno mortis, quia voluntariè cœlis reddit gloriam, terris vitam, mortem inferis, id est inferni principibus, ut cuncta ad suum ordinem redeant, hoc est humana natura propter quam temporalia cuncta facta sunt, ab imis ascendat ad superos. Hæc est abscondita fortitudo morientis in cruce, & cornua tenentis in manibus.

Abac. 3. 9. Ibid. 4.

Medium annorum quomodo intelligendum.

34. Diximus de visu quomodo referatur ad Christum, restat nunc dicendum de medio annorum quomodo adventum ejus insinuet. Asseris quod in fine sæculi Christus venturus sit. Ubi primùm, quæso te, ut doceas quomodo finis sæculi medium annorum dici possit? si finis sæculi medium annorum est; tot anni sæculi post finem ejus futuri sunt quot præcesserunt: non ergo finis dici, quod medium erit. Si non in medio annorum juxta prophetam notum fiet promissum Dei, discerne quo tempore fiet, aut in fine juxta tuam sententiam, aut in medio annorum juxta prophetam. Cui vestrûm magis credendum est? Sicut finis alicujus temporis medium ejus dici non potest, ita nec medium finis. Sed in medio annorum juxta prophetam notum fiet, ergo non in finito statu temporum. Falsa est igitur assertio tua, qua dicis Christum in sæculi fine venturum. Videamus itaque de medio annorum & prophetam dixisse verum per omnia comprobemus. Millesimus centesimus sexagesimus sextus, meis dico temporibus, jam annus evolvitur, ex quo Filius virginalis effulsit in mundo tempore constituto, juxta præscriptum numerum hebdomadarum Danielis, de quo in suo loco plenius Deo volente dicturi sumus: quantùm verò adhuc temporis restet soli Deo notum est, mortalibus cunctis ignotum. Illud tamen medium annorum esse non dubitamus, quo dulcedo Christianorum de cœlo stillavit in terras, & una benedictio juxta Isaac de rore cœli desuper, & de pinguedine terræ confecta est, id est unus Christus ex divina & humana natura proveniens, in quo notum faciens Dominus salutare suum ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. Quod ideo medium annorum dicimus, quia lex una præcessit, & altera, id est nova, subsequenter est; translato quippe sacerdotio, necessario facta est translatio legis, illo succedente cui dictum est: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Si hoc non concedis esse medium annorum primæ legis & secundæ, ostende templum & sacerdotium & regnum in Judæa, ut adhuc expectari debeat primus Salvatoris adventus. Si vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes. Hæc de Abacuc huc usque dixisse sufficiat, ubi iterum atque iterum quæso lectorem, ut hæc eo sensu dicta recipiat, quo superiora dicta sunt, videlicet quo debeat Judæus arctari, & prophetarum auctoritate convinci. Non ignoramus quin apud majores subtiles intellectus habeantur, sed nostrum propositum est cum Judæo confligere, non cum Christiano de scripturarum expositione disserere. Ps. 109. 4.

Ætas auctoris anno 1166.

35. Veniamus ad Sophoniam qui ob profunditatem mysteriorum quæ de Christo prænoverat *Arcanum Domini* dictus est. Hic Spiritu sancto plenus, in quo factus est præscius futurorum, gaudium quod de Christi adventu in corde conceperat, ineffabili mentis exultatione pronuncians ait: *Lauda & exulta filia Sion, jubila Israël, exulta & lætare in omni corde tuo, filia Jerusalem.* Causamque post pauca subjungit: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit te.* Lauda, inquit, Dominum de multitudine misericordiæ suæ, maximèque exulta juxta Johel qui ait: *Filiæ Sion exultate in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ*, ut laus Dei prius ex ore procedat ex hoc quod misericordia ejus tam copiosè per Christum abundat, jungiturque laudibus oris exultatio mentis, ut omnia quæ in te sunt lætentur & laudent corde & ore, mente & opere, quia Dominus Deus tuus in medio tui erit. Et non tantùm lauda & exulta, filia Syon, hoc est duæ tribus Juda & Benjamin; sed & tu, ô Israël, jubila, tantaque in corde tuo replere lætitia, ut magis mente vultuque pronuncies quàm voce cantandi vel usu loquendi, quàm ardenti desiderio Dominum Salvatorem expectes, quantisque votis venientem suscipias, quàm laudabili fide dilectionem ejus in corde retineas. *Exulta & lauda, filia Jerusalem*, cui ante prædixi, ut laudares in fide & exultares in spe;

Sophonias arcanum Dei dictus. Soph. 3. 14. Ibid. 17. Johel 2. 23.

iterum dico, exulta & lætare in omni corde tuo, ut ex duplicata lætitia veniat geminata dilectio, & in trina laude fit una perfectio, videlicet in fide, in spe, & caritate. Indixi tibi laudem & exultationem qua prius dicta es filia Sion, id est specula quæ mecum: quia & hoc nomen meum est, per prophetas tuos futura prævides. Nunc autem verè te filiam Jerusalem nomino, quia vides eum oculo ad oculum, qui juxta Michæam pax erit in medio tui cùm venerit.

36. Quærisne quis iste sit? *Dominus Deus tuus qui est in medio tui fortis*, de quo Balaam in Numeris prosecutus est dicens: *Cujus fortitudo sicut Rinocerotis est.* Rinoceros à nullo venantium capi potest, contra quem venientem si virgo sinum expanderit, statim in eam prosilit, & magis amore quàm violentia appropinquatur. Ideo Balaam fortitudinem ejus Rinoceroti comparavit, quia ad ejus similitudinem, relictis omnibus persequentibus, in medio sinu filiæ Jerusalem, id est ecclesiæ, caput Dominus inclinavit; & ipsa recepit in sinu quem in arvis apprehendere synagoga non potuit. Qui ideo libentius ad eam inclinavit, quia invenit in ea verecundiam pudicitiæ, mansuetudinem humilitatis, tranquillitatem morum, & disciplinæ custodiam. Fortis ergo in medio filiæ Jerusalem factus est humilis Dominus Deus: unde ad lætitiam & exultationem provocatur, lætitiam dico temporalem de ejus adventu; ad exultationem de perpetuo salutis obtentu, quia ita subsequitur: *Ipse salvabit te*, ideo gaudere & lætari te moneo filia Jerusalem, quia non ut hactenus, propheta vel angelus vices sponsi geret circa te vel operam dabit; sed ipse qui Dominus & Deus est, ipse salvabit te. Ipse, quod non negligenter prætereundum est, ipse per suam præsentiam quam exhibebit in medio tui salvabit te. Præsens quippe erit quadam præsentia quæ salvabit, quia corporalis in carne videbitur qui ubique potentia divinitatis præsens est. Hanc præsentiam de qua prophetæ loquuntur, exhibebit in corpore. Non enim solummodo divinitatis ejus præsentiam intelligi voluerunt, qui totiens ejus adventum prædixerunt; sed aliquid retro sæculis inusitatum futurum esse crebra sententiarum permutatione testati sunt. Quid enim veri contineret sententia prophetarum qua dicitur: Veniet, veniet, apparebit, apparebit, videbitur, non morabitur, nisi Veritas, ut ita dicam, aliquando in veritate veniret? Sophonias ergo præsentiam Domini corporalem insinuans ait: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit te.* Dominus ad universas gentes regendas, Deus ad formandas, fortis ad aëreas potestates debellandas in medio tui præsentia corporali, ipse non alius salvabit te, hoc est à potestate mortis æternæ liberabit te. Non recipio, inquis, expositionem tuam, quia magis contrarium esse videtur quàm veritatis series. A me breviter hoc responsum habeto, nec ego contentioni tuæ assentio, quia neque veritati innititur, nec aliquid verisimile habere videtur. Quapropter sicut tuam falsitatem non recipimus, ita tuas assertiones auctoritate prophetarum facile reprobamus.

Num. 23. 22.

Christus Rinoceroti comparatus.

37. Proferatur Aggæus, qui Festivus interpretatur, in medium, & cui nostrûm magis assentiat audiamus: Dominum Deum omnipotentem inducet ita loquentem ad populum Judæorum: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Quis est iste desideratus, vel à quo desideratus, quem Dominus promittit esse venturum? Abraham patriarcha hujus desiderio inflammatus ait ad Dominum: *Domine Deus, ego vadam absque liberis, & hæres meus iste Damascus Heliezer.* Audierat in semine benedictionem cunctis gentibus esse dandam; & tamen quod differri dolet, impleri postulat nimio desiderantis affectu. Isaac pari voto benedictionem filii precatur adesse, dicens: *Esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* Quod nequaquam in Jacob vel in aliquo successorum ejus esse completum probare potes ad litteram. Si hoc completum esse dixeris in Joseph vel in aliquo regum, quomodo verum erit quod sequitur, *Et adorent eum tribus*, cùm nequaquam aliquis eorum à cunctis gentibus adoratus sit? Soli Deo convenit, ut adoretur ab omnibus: ergo completur in Christo, sicut hodie cernitur, qui Deus est & homo de semine ejus natus. Jacob in benedictionibus filiorum expectationem suam ad Christum refert ita dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*, ac si diceret: Expectabo Salvatorem, qui mihi veram & æternam salutem restituet. Responde ubi expectavit iste salutare Domini, qui statim completa benedictione se collegit in lectulo, & ex luce migravit, ad patres suos appositus ad animarum loca descendit? Et tamen ibi per salvatorem salvari se credidit. Job nequaquam hujus desiderii expers fuit, sed optavit venturum in carne, quem præviderat in spiritu ita dicens: *Quis det ut veniat petitio mea, & quod expectabo tribuat mihi Deus?* Quis, inquit, det, id est verè fiat ut veniat, & non moretur petitio mea tamdiu desiderata, quæ nihil aliud est quàm Christus; & quod expecto, videlicet præsentiam ejus, tribuat mihi Deus qui eum missurus est. Moïses quidem pari voto sic ait: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Quod est apertè dicere: Disponis, Domine, dare legem populo tuo, & me ductore ad terram promissionis inducere: attamen, obsecro Domine, ut quod modo fit in figura, postquam tempus advenerit, appareat in veritate; & ad hoc mysterium tuæ voluntatis implendum, mitte, Domine, quem missurus es Christum, qui aquas verè vertat in sanguinem, veniatque simul in aqua & sanguine, ut postquam baptismum dederit, proprio sanguine redimat, & sic populum suum per mare rubrum ad terram repromissionis, hoc est ad pacem æternæ quietis, inducat. David hoc idem in psalmo

Agg. 2. 7.

Patriarcharũ de Christo desideria.

Gen. 15. 2.

Gen. 27. 29.

Gen. 49. 18.

Job. 6. 8.

Exod. 4. 13.

Pf. 79. 4. precatus est dicens: *Ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus.* Isaïas Salvatoris adventum à
Isa. 16. 1. Domino postulans: *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Syon.* Emitte, inquit, Domine, quod adhuc in secreto tuo est, videlicet Agnum mansuetum, innocentem, & justum; qui ideo Agnus dictus est, quia coram occidente se non aperiet os suum. Emitte eum Domine de petra deserti, Ruth veniente de gentibus ad Judæam & generante Obeth, Obeth Jesse, Jesse David, de cujus fructu redde nobis Dominatorem terræ, & veniat usque ad montem filiæ Sion, hoc est ut videatur in Jerusalem. Hic est Desideratus de quo nunc Aggæus propheta loquitur, quem Dominus promittit esse venturum. Adhuc, inquit, modicum est, exiguum temporis spatium restat, quia mille anni ante oculos meos tamquam dies hesterna quæ præteriit; & ego commovebo cœlum & terram, mare & aridam. Quorum sensus hic est: Semel movi cœlum, quando legem dedi in monte Sinaï, & descendi super eum in igne. Movi terram, quando fontes abyssi rupti sunt, & diluvium super terram induxi. Movi mare, quando in duas partes divisum est, & populus sicco pede pertransiit. Sed & aridam movi, quando os suum aperuit & peccantes absorbuit. Ad hæc unum modicum est, quia neque mille anni erunt; & ego movebo cœlum, quia cœli Dominum mittam. Movebo terram, quia aperietur & germinabit salvatorem. Mare movebo, quia cetum, qui in eo est interficiam. Sed & arida movebitur, de qua
Isa. 35. 6. Isaïas loquitur: *Scissæ sunt aquæ in deserto & torrentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontem aquarum.* Cùmque hæc omnia complevero, veniet Desideratus ob salutem in mundo, ob vitam æternam in futuro, non tantùm Judæ & Israël, sed cunctis gentibus tribuendam. Veniet desideratus quidem à patriarchis, prædictus à prophetis, desiratus cunctis gentibus, quia provocatus quadam ineffabili dilectione ferventis illius... quæ de cunctis gentibus congregata sunt, ut pene præ ejus desiderio morientis, ... quæ dicit in
Cant. 1. 1. canticis: *Osculetur me osculo oris sui.* Hæc Aggæus de Christi adventu.

38. Si tibi volueris hæc signa expone ad litteram; cœlum dicimus esse motum, quando Christo moriente sol obscuratus est. Terra mota est juxta sensum quem superiùs exposuimus, quia cœli distillaverunt à facie Dei Sinaï: ultrà ad litteram, quia petræ scissæ sunt. Mare commovit, super quod pedibus ambulavit; & ipso in navi consistente, ad ejus imperium liquidum elementum nunc procellis intumuit, nunc tempestate sedata pacatum stetit. Aridam movit, quæ nihil aliud quàm gentium multitudo illius prædicatione rigata, ut floreret ac fructum boni operis ferret, juxta Isaïam
Isa. 35. 1. qui ait: *Florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* Florebit odore bonorum operum sicut lilium, candore munditiæ, in cujus medio color aureus erit Deus in Christo mundum reconcilians sibi, germinans initium boni operis germinabit fructum perfectionis; & exultabit in gaudio lætabunda de promisso, quod est, *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*; & laudans Dominum de salutis adepto beneficio. Ac post pauca subjungit: *Ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri.* Quod nequaquam de arida vel deserta terra intelligi valet ad litteram. Cùm enim præmisisset: *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo*, ut gentes intelligerentur hortatus est Isa. 35. 1.
cùm subjunxit: *Ipsi videbunt gloriam Domini.* Ibid.
Viderunt enim Christum miracula facientem, audierunt prædicantem, suscepere docentem, secutæ sunt præcipientem, dilexere morientem, amplexatæ sunt fide resurgentem, & jam tenent in fide regnantem. Viderunt ergo gloriam Domini in mundo, videbunt decorem Dei in cœlo. Illis itaque desideratus extitit, illis desideratus advenit, illis fidem dedit, & vitam æternam ob meritum fidei repromisit.

39. Audiamus de cetero quid de ejus adventu Zacharias propheta locutus sit. Post multa & varia quæ in textu prophetiæ suæ locutus est, pauperem regem inducit sedentem super asinum & super pullum filium asinæ, ac huic pauperi & ejus paupertati hortatur filiam Syon obviam procedere dicens: *Exulta, filia Syon; jubila, filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator.* Ipse pauper ascendens super asinum & super pullum filium asinæ, juxta prophetam: qui futurus est, pauper erit non dives, quem tamen Regem Sion esse dicit. Ubi est ergo tota illa vana spes tua, qua tibi repromittis regem nescio quem regnaturum mille annis in Jerusalem, qui tanta abundet auri copia, ut universæ plateæ sternantur auro mundissimo? qui in auro & argento, juxta tuam assertionem, tam copiosus erit, quomodo pauper futurus prædicitur? Aut propheta fallitur, aut tua prophetia dolosè mentitur. Sed omissa fabula vanitatis, veniamus ad paupertatem veri Regis. *Exulta,* inquit, *filia Syon; jubila filia Jerusalem:* quæ suprà jam plenius dicta sunt, non est ea necesse repetere. *Ecce Rex tuus,* inquit, *veniet tibi,* qui modo Rex tuus est, Deus vivens in sæcula. *Ecce,* quod est demonstrandi certitudo, *Ecce veniet tibi justus* ad judicandum, *& Salvator* ad sanandum, exhibendo præsentiam corporalem juxta quod alibi ait: *Ego veniam, & sanabo contritionem populi mei.* Ac ne putes adventum ejus non esse venire, sed vel indicium voluntatis suæ per angelos, vel opem auxilii per virtutes. His enim modis huc usque & patribus & nobis apparuit. Audi quid facturus sit, ut ex eis rei veritatem citiùs valeas intueri. Ipse pauper, quantùm ad humanum spectabit judicium, pauper in veste, pauper in victu, pauper in habitu, pauper & potens, pauper & humilis, pauper & mansuetus, pauper & justus, & ut cetera brevi fine concludamus, simul in unum dives & pauper. Hic ut corporis veritatem ostendat, paupertatis amator, non super

Zach. 9. 9. — Judæorum vana spes de Messia.

super currum vel equos regia potestate vehetur, sed tamquam pauper ascendens super asinum, quod animal rudibile est, veniet tibi Rex, nihil in hoc suæ potestatis amittens. Quod in Salvatore completum esse constat ad litteram, qui ante sex dies passionis sedens in asino Jerosolymam passurus advenit. Quantùm ad mysticum intellectum, quod Judæum libenter audire non credo, super asinum ascendit, quia regnum populi Judæorum pro sua voluntate disposuit, cui legem tamquam frænum immisit, & sacerdotium tamquam ornamenta sedilia. Ascendit super asinum, quia potestati ejus semper subjecta fuit: alioquin quomodo rex ejus fuit antequam ad eam venit? *Rex tuus*, inquit, *veniet tibi*, qui jam præteritis temporibus sæculorum Rex & Deus tuus fuit, immo adhuc est & erit; ipse tibi veniet, non tamquam districtus & puniens, sed justus & salvator, justitiam juxta prophetam

Osee. 10. 12. Osee docens in præsenti. Ait enim: *Tempus requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos justitiam, qua salvabit eos qui requirent eum, quorum corda vivent in sæcula.* Veniet ergo justus & salvator, & ne tamquam te per ignorantiam excuses eo quod certa &

Paupertas Christi regiæ potestatis insigne. præcedentia signa nescieris, SCITO hoc esse regiæ potestatis ejus insigne, quod ipse pauper. Et ut in ore duorum stet omne verbum, en aliud signum, quod ipse erit ascendens super asinum & super pullum filium asinæ. Super asinam sedens civitatem intrabit, ut hoc quod prædico possit compleri ad litteram, & super pullum filium asinæ, quia utrumque sibi exhiberi jubebit. In quibus verbis quid aliud quam per regiam paupertatem humano generi justitiam & salutem provenire designat? Et quidem non satis admiror, qua fronte pauperem Regem, justum & salvatorem non recipias, cùm talem prophetica descriptio docuerit esse venturum. Divitem, inquis, & potentem expecto, qui nos de cunctis locis captivitatis in unum adducat, ac civitatem & templum nobis restituat. Debes hoc certè prophetarum auctoritate probare, non tam facilè pro libitu mendacium falsitatis asserere. Sed de his hactenus.

Malachiæ prophetia de reprobatione Judæorum & Christi adventu. Malach. 1. 10.

40. Videamus nunc quid Malachias qui in ordine prophetarum duodecimus est, de abjectione populi Judæorum & de adventu Christi prædixerit. Deum loquentem inducit ita dicens: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur oblatio munda nomini meo; quia magnum est nomen meum in gentibus.* Non est, inquit, mihi voluntas in vobis, ut de cetero populus meus sitis, vel munus, aut sacrificium, vel libamen suscipiam de manu vestra. Non est mihi voluntas in vobis, quia jam prævidi & elegi populum meliorem, gentes videlicet in toto orbe diffusas, quæ non observatione sabbati vel circumcisionis mihi complaceant; sed animo bonæ voluntatis

A & fructu perfectæ religionis: quandoquidem voluntas mea non est in vobis, quid frustra sacrificium offertis vel hostias immolatis? Aliud mihi magis habetur acceptum & voluntarium, videlicet quod nomen meum magnum est in gentibus. Quod in vobis non habui, inter gentes inveni; videlicet divini cultus amorem, immo divinæ voluntatis effectum, quia circumcisionem cordis habent, non carnis; sabbata celebrant, quia à servili opere peccati cessant; hostias immolant cor humiliatum & continentiam carnis, quibus maximè placari desidero. Magnum est nomen meum in gentibus, non tantùm ab India usque ad Æthyopiam, sed ab ortu solis usque ad occasum:

B & hoc non in Judæis, sed in gentibus. Ubi tota frustratur illa sententia Judæorum qui dicunt, non esse sacrificandum, neque altare construendum nisi in Judæa, cùm Isaïas dicat: *In die illa erit altare Domini in medio* Isa. 19. 19. *Ægypti, & colent Ægyptii Dominum in hostiis & muneribus, & vota vovebunt Domino & solvent.* Et in præsenti, *in omni*, inquit, *loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Et ne sibi velint adscribere quod dicitur *in omni loco*, eo videlicet quod dispersi sunt, & sic ubique legis cerimonias celebrent; audiant quod præmissum est: *Non est mihi voluntas in vobis*, sed in gentibus, à quibus offertur nomini meo oblatio munda.

C In quibus verbis Domini voluntatem & acceptiones oblationum ad gentes à Judæis transiisse manifestè probatur. Ubi ergo erit regnum & sacerdotium, quod tibi, Judæe, futurum esse promittis? Si aliqua sint, contraria Deo erunt, quia neque voluntas ejus in vobis est, ut regnetis, neque munus suscipiet de manu vestra ut sacerdotium celebretis. Quanti enim apud illum constent vestra solemnia, consequenti versu manifestius aperit. *Dispergam*, inquit, *super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum & assumet vos secum.* Malac. 2. 3. Quid est hoc quod assumet aliud secum? Stercus Judæum, ut merito cum stercore pereat qui Christum Salvatorem esse negat.

D 41. Hæc de abjectione populi Judæorum. De adventu Salvatoris subsequitur ita dicens: *Ecce ego mittam angelum meum qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Malac. 3. 1. Edissere nobis parabolam hanc, ut audiamus quid ista significent secundùm tuam sententiam. Angelus, inquis, quem Dominus se missurum promittit, Helias est, qui præcedet annuncians quæ futura sunt, & præparabit viam ante Haymenon, id est

E Christum nostrum, qui statim post eum venturus est. Venietque ad templum suum tamquam Dominator, eritque nobis angelus testamenti, quia legem Moïsi renovabit & sacrificia celebrari instituet, audivimus sententiam tuam. Nunc auxiliante Deo respondeamus ad singula.

42. Dicis hunc angelum Heliam esse, qui

præcedat Haymenon. Hic primùm volumus scire per te, utrum iste Haymenon, qui venturus est, Deus erit. Secundò quæ erunt leges aut sacrificia quæ instituet, cùm in his sit voluntas Domini, ut paulò superiùs testatus est. Tertiò quid erit templum ad quod veniet, cùm templum usque ad fundamentum destructum sit, & cùm ipse sit templum restituturus, quomodo ad illud veniat antequam illud restituat. Exitus acta probat, & ipsa rei veritate docetur, non futurum esse quod prophetatur, sed jam esse completum. *Mitto*, inquit, *Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam*, non dixit ante Haymenon, vel ante aliquem alium, sed ante faciem meam, hoc est ante meipsum, ac ut mos prophetarum est, repente persona mutata, de se tamquam de alio loquens subjungit: *Et statim veniet ad templum suum Dominator*: quod in Christo completum est, qui quadragesimo nativitatis ejus die in templo est præsentatus. Hic misit angelum suum ante faciem suam, non qualem tu asseris, sed qualem Isaïas prædixit: *Vox clamantis in deserto Parate viam Domino*, quem dicimus esse Johannem Baptistam, qui angelus dictus est propter vitæ munditiam & præconium Domini venientis. Hic viam præparavit ante faciem ejus, præsentem eum esse prænuntians, ita dicens: *Medius vestrûm stetit, quem vos non scitis.* Ac si diceret, in medio vestrûm & inter vos est, quem prophetæ prædixerunt, quem vos non scitis: quia vos non recipietis eum. *Mitto*, inquit, *Angelum meum ante faciem meam.* Quibus verbis se ipsum per se venturum esse designat, in hoc quod ait *mitto*, personæ suæ proprietatem & operationem insinuans; quod subintulit *ante faciem meam*, apertiùs præsentiam Dei ad homines venientis ostendit. Quia cùm idem sit qui loquitur & qui mittit, ipse Deus & non alius esse dignoscitur qui venturus est, cùm dicit *ante faciem meam*: Et *statim veniet ad templum suum Dominator.* Aut Haymenon Dominus & Dominator est, & videberis duos Deos asserere, scriptura repugnante, quæ ait: *Dominus Deus tuus Deus unus est*, aut pro Dominatore qui Deus est alium præstolaris, qui jam venisse probatur, quia non est, neque erit templum quo futurus adveniat, & hoc verum esse probemus, Daniele ita dicente: *Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas.* Et post pauca: *Usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Si usque ad consummationem & finem desolatio templi perseveratura est, & impossibile est Deum, qui prophetis locutus est, in sua sententia falli, quis erit iste Haymenon, qui contra Dei propositum, contra prophetarum edicta, poterit ædificare templum vel civitatem, quorum desolatio usque ad consummationem & finem perseverabit? quod quia ridiculum est expectare vel credere, cùm non habeas auctoritatem unde possis tuam affirmare sententiam, agnosce Dominatorem, id est Deum, jam ad templum suum venisse, &, ut hodie cernitur, jam esse transacta quæ futura contendis.

Isa. 40. 3. Johannes Bapt. Angelus dictus. Deut. 6. 4. Dan. 9. 29.

43. Sed dicis: Helias, de quo in hoc propheta dicitur: *Ecce ego mittam vobis Heliam*, nondum advenit; & iccirco Christianis assentire differimus, quia ejus expectamus adventum. Sufficit huic rationi responsio brevis. Diversa diversis promittuntur locis & crebra mutatione personarum quid diverso temporum statu veniat propheticus sermo describit. Nam cùm præmisisset superius: *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam*, quo tempore illud erat implendum, adjunxit dicens: *Statim veniet ad templum suum Dominator.* Ostende mihi templum quod à Vespasiano & Tito destructum est, & ego Christum non venisse fatebor. Si templum in Judæa non est, nec Dominator ad illud venturus est quod non est. Ergo jam venit dum templum in Judæa fuit. Non est itaque futurum quod in hac prophetia texitur, sed transactum, nec aliqua ibi fit mentio de adventu Heliæ, ubi primus adventus Domini prophetatur, sed tantummodo illius de quo Isaïas ait: *Vox clamantis in deserto.* Probat hoc ita esse tempus & locus, casus & rei exitus, & quod his certius est auditus & visus. Quo tempore vero Helias adveniat ultimo versu declaratur, cùm dicitur: *Mittam vobis Heliam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Dies horribilis & magnus dies judicii est, qui magnus erit justis propter regnum sempiternum adeptum; & horribilis peccatoribus propter interitum sine fine cum tormentis illatum. Hunc diem præcedet Helias, ut appropinquante mundi termino corda patrum convertat in filios, & saltem in ipso temporum fine salventur reliquiæ populi Israël. Et notandum quod ait, *ut convertat*, non jam conversos, quos non erit necesse convertere; sed adversos, id est Judæos, quibus dicitur, *mittam vobis Heliam, ut convertat*, inquit, *corda patrum in filios*, Abraham videlicet, Isaac & Jacob, quorum primo dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, qui statim credidit & fide justificatus est. Secundus odorem futuri floris odoratus ait: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Tertius hac fide ditatus ait: *Salutare tuum expectabo, Domine.* Sed & omnes electi, quos nunc enumerare longum est, id corde senserunt, omnes dilexerunt, quidam dilexerunt & prædixerunt, ut prophetæ; quidam dilexerunt, prædixerunt & viderunt, ut apostoli & apostolici viri, quorum corda convertit Helias in filios, ut ejusdem fidei sint quos in carne viventes invenerit, cujus & patres prænominati fuerunt, ac digno remunerentur merito qui patrum instrui merebuntur exemplo.

Malac. 4. 5. Isa. 40. 3. Malac. 4. 5. Gen. 22. 18. Gen. 27. 27. Gen. 49. 18.

44. Huc usque duodecim prophetarum testimoniis innitentes ad hoc, Domino Deo miserante, venire conati sumus, ut discussis

sentit in hoc, ut tali termino debeas tempora diffinire. Ait namque: *Scito & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem.* Qui prius, inquis, visionem intelligere hortatus sum, iterum te ad intelligentiam profundiorem provoco, ut scias à quo tempore numerus hebdomadarum incipi debeat. *Scito* ergo, id est pro certo habeas, *& animadverte*, hoc est animo retine, quod ab exitu sermonis quo iterum ædificatur Jerusalem, subaudis hebdomadarum debet initium sumi, non ab eo tempore quo prima, indulgentiâ Cyri, Judæorum est laxata captivitas, & promissio data est ab eodem Cyro templum extruendi murosque civitatis; sed ab illo exitu sermonis quo iterum, hoc est alio tempore, Jerusalem ædificetur, manifestè designat imperii Artaxerxis regis annum vigesimum. Nehemias quippe hujus pincerna, sicut in Ezræ libro legimus, rogavit regem, accepitque responsum, ut ædificaretur Jerusalem. Et iste est egressus sermo struendæ urbis, & circumdandæ muris data licentia: à quo tempore quia prius à Cyro prima permissio facta est, hortatur nos sermo divinus initium hebdomadarum sumere, ab eo tempore quo iterum ædificetur Jerusalem, id est secunda vice qua civitatis ædificandæ permissio concedatur.

Dan. 9. 25.

50. Sed super his nulla contentio est, cùm constet quod septuaginta hebdomades transactæ sint, & Judæorum inanis expectatio & omnino falsa probetur. At quoniam super his respondere non possunt: neque enim veritas eorum protervitate mendacio potest immutari, transferunt se ad ea quæ omnino probare non possunt; aiunt quemdam sapientissimum Judæorum hoc modo Danielis hebdomadas numerasse. Unamquamque diem, inquit, in hebdomada pro septem annis computare debemus, ut septies septem anni unam hebdomadam faciant, hoc est annos quadraginta novem; & hoc numero diligenter inspecto, continebunt septuaginta hebdomades annos tria millia quadringentas triginta. nec arctari poterimus intellectu vel numero quem computant Christiani, cùm adhuc supersint anni mille nongenti & eo amplius, antequam septuaginta hebdomades impleantur. Quibus respondemus, in primis ut hoc scripturarum auctoritate probetur, doceantque diem pro septem annis computari debere, cùm ipse Dominus Ezechieli locutus sic describens pro quanto temporis spatio diem nunciare deberet. *Diem*, inquit, *fili hominis, diem pro anno dedi tibi.* Si juxta dominicam descriptionem & sanctarum consuetudinem Scripturarum, diem pro anno debemus accipere; cesset imperitia Judæorum affirmare quod est omnino rationi contrarium, & impossibile veritate probari; vel si de numero disceptare voluerint, ostendant quomodo in sæculi fine secunda vice fient quæ jam juxta prophetiæ textum transacta sunt. *Civitatem*, inquit, *dissipabit populus cum duce venturo.* Quod Jerusalem subversa sit, populo veniente Romano cum duce Vespasiano, nullus qui historiam legit ignorat: unde facilè probatur septuaginta hebdomades esse finitas, cùm constet esse transactum quod in earum fine propheta prædixit esse futurum. Si vastatio civitatis & eversio templi nondum factæ sunt, nec populus cum duce populum Judæorum de civitate delevit, falsa sunt omnia quæ sub Romanis acta sunt. Sed universo mundo testante, notum est quid Vespasianus & Titus egerint. Ergo verum est illud impletum esse quod dictum est, *Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* Noli itaque falli de numero hebdomadarum, nec tempus usque in infinitum extendere, cùm numerus quo computare conaris in nullo sanctarum Scripturarum libro reperiatur, ut dies pro septem annis intelligi debeat. Lege quid Dominus locutus sit Moysi, quando in exploratores terræ Chanaan vindictam exercuit; & proba, si potes, ipsum Dominum & legislatorem docuisse diem pro septem annis computari debere. *Filii*, inquit, *vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto juxta numerum dierum quibus considerastis terram. Annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras & scietis ultionem meam.* Quadraginta diebus quadraginta comparavit annos, sicut in Ezechiele ita in Moyse, volens intelligi diem pro anno computari debere. Et miror unde hujus dementiæ causam acceperis, cùm in tota serie veteris instrumenti minimè ratio reperiatur qua probare possis spatium septem annorum significatione vel numero unius diei articulo contineri. Si adhuc futurum est quod civitatem & sanctuarium dissipare debeat populus cum duce venturo, oportet ut prius ædificetur templum quod jampridem usque ad solum eversum est, ut iterum destrui possit; sed semel secundùm tuam sententiam instaurandum est, ut aurea sæcula fiant, & civitas Jerusalem in auri & argenti copiis superabundet. Ergo iterum destruendum est, ut prophetia stare possit ad litteram. Dic mihi si ulterius postquam semel reædificatum fuerit everti debeat, & post eversionem iterum innovari. Si hoc iterum verum est, frustra sperantur tot & tanta quæ spe fallaci nescio per quem futura promittis, cùm eadem sint denuo destruenda, & ad nihilum penitus redigenda. Si potes hic respondere septuaginta hebdomades nondum præterisse, neque Christum venisse, nec populum cum duce civitatem & sanctuarium dissipasse, nec hostiam & sacrificium defecisse, Phillida solus habeto.

Judæi qua ratione explicent LXX hebdomadas Danielis.

Ezech. 4. 6.

Dan. 9. 26.

Septuaginta Danielis hebdomadæ jam completæ.

Dies in scriptura pro uno anno sumtus.

Num. 14. 33.

51. Sed dicis: Si Jesus, ut asseritis, est justitia sempiterna, & in ejus adventu juxta prophetam finiri debeat peccatum & prævaricatio, quomodo peccatum finem accepit, cùm adhuc hodie omnis homo peccet? Ad

Peccatum qua ratione finem accepisse dicatur.

hæc respondemus: In illis omne peccatum A sive prævaricatio terminatur, quibus Christus factus est justitia sempiterna, quia omnes in illo unum sunt. Testatur hoc Scriptura quæ ait: *Ejus qui in te est populi misereberis.* Si populus in Deo est, & ipse Deus justitia sempiterna est, profectò omnes in illo unum sunt per gratiam & misericordiam, non per naturam, quorum ipse miseretur. Terminatur ergo in eis omnis prævaricatio, sive peccatum, quia cùm in Deo sunt, in quantum unum cum ipso sunt, peccare non possunt. Est itaque in eis finis peccati & prævaricationis, quia justitia sempiterna regnat in eis quæ Christus est. Si non recipis prophetam, B audi discipulum Gamalielis, Paulum dico apostolum: *Servus*, inquit, *& liber, omnes in Christo unum sumus.* Et iterum: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Itemque: *Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu.* Hæc de hebdomadibus Danielis breviter dixisse sufficiat. Itaque terminum lectioni ponamus, ut in his quæ sequuntur ab Isaia sumamus initium.

Osc. 14. 4.

1. Cor. 12. 13
Gal. 3. 27.

Rom. 8. 1.

52. Expletis testimoniis XII. prophetarum, necnon & quæstione super hebdomadibus Danielis, ut potuimus, enodata, veniamus ad Isaiam prophetam, qui Christi mysteria præ cunctis apertiùs intuens, principatum C tenet in choro prophetarum, excepto David, de cujus semine ipse Rex regum natus est. Is tanta complectitur, tam profunda scrutatur, tam manifesta de Christo loquitur, quòd nullus est nisi deceptus amentia, neque Judæus, neque gentilis, qui ejus possit obviare sermonibus à principio voluminis usque ad locum ubi ait: *Verbum quod vidit Isaias filius Amos, de Juda & Jerusalem* prædicat abjectionem populi Judæorum. post cujus descriptionem transit ad nativitatem & infantiam Salvatoris, & quod Judæum libenter audire non credo, Virginem asserit filium parituram, qui non tantùm uno nomine quod D est Emmanuel, sed & aliis sex appelletur nominibus, id est Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, de quibus in suo loco, Domino Deo largiente, dicturi sumus. Incipiamus ergo à capite & Judæum compellamus respondere per singula.

Isaiæ vaticinia de Judæorum abjectione & Christi adventu.

Isa. 2. 1.

53. *Visio Isaiæ filii Amos quam vidit super Judam & Jerusalem*, à dejectione populi Judæorum sumit exordium, ostendens ea quæ dicturus est non de Juda & Jerusalem dici, sed super Judam & Jerusalem, ut contra eos E hæc omnia futura prædicet quæ propheticus sermo subjungit, non de omni Israel loquitur, sed specialiter contra tribum Judæ, id est Judæos qui tunc regnabant in Jerusalem. In hos invehitur Dominus per prophetam, & omnem creaturam sive cœlestem sive terrenam contestatur, ut audiant quid Judæis fecit, & quòd ipsi econtra malum pro bono reddiderunt.

Isa. 1. 1.
Isaiæ prophetia non de civitate Jerusalem, sed de illius habitatoribus intelligenda.

54. *Audi cœlum & auribus percipe terra.*

Ibid. 2.

Qui quondam per Moysen, quando fœdus inii cum filiis Israel, testes vos inter me & illos constitui, ut si mandatis obedirent, ad altiora proveherem; si non, de contemtu punirem, dicens: *Contestor hodie cœlum & terram*: nunc iterum vos inter me & Judæos ad testificandum de collectione bonorum, ad audiendum de ingratitudine beneficiorum provoco. Audi ergo cœlum & auribus percipe terra quod justè debeam de hostibus meis ultionem expetere.

55. *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Vobis notum est qui habitatis in cœlis simulque & his qui morantur in terra, quæ & quanta fecerim populo Judæorum, quos adoptavi in filios, & dixi *primogenitus meus Israel*, quos enutrivi quadraginta annis in eremo, & exaltavi in terra Chanaan, dans eis possessionem eorum: ipsi autem pro his omnibus quæ eis feci, quem debuerant adorare ut Dominum, reddiderunt pro servitute contemtum, quia spreverunt me. Hæc Dominus de Judæis querimoniam faciendo habitatoribus cœli & terræ locutus est. Quod si Judæi superbierint eo quòd filios ac primogenitum suum eos Dominus appellaverit, audiant se ideo dici primogenitos, quia populum meliorem & fortiorem post eos electurus erat, juxta quod ipse ait ad Moysen: *Dimitte me ut irascatur furor meus super populum istum, & ego constituam te super gentem fortiorem quàm hæc est.* Respondeat Judæus quis sit ille populus, qui longe fortior & melior post eum futurus sit, noveritque in veteri instrumento sæpius primogenitum esse reprobatum. Caïn primogenitus fuit, sed Abel Deo complacuit. Ismael primogenitus fuit, sed in Isaac repromittitur benedictio cunctis gentibus tribuenda. Esaü primogenitus fuit, sed benedictionem ejus Jacob supplantator accepit. Ruben primogenitus extitit; sed benedictio de Christi Incarnatione futura ad Judam translata fuit, in quibus omnibus comprobatur priori populo successurum fore populum meliorem. Sequitur.

Ibid.

Judæi cur filii primogeniti dicti.

Exod. 32. 10.

Primogeniti sæpius reprobati.

56. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, populus meus non intellexit.* Ostendit in quo sit contemtus ab eis, in hoc videlicet quod brutis animalibus agnoscentibus Dominum & creatorem, populus autem Judæorum non cognoverit eum, neque intellexerit. Quòd velim ut dicat mihi Judæus, si hoc de Patre & non de Filio velit intelligi, quomodo Israel Dominum non cognoverit, quem ipse Dominus eduxit de Ægypto, & per medium rubri maris sicco pede transire fecit, ac manna pavit in eremo, sed & ad ultimum in terram repromissionis induxit: quod quia probare non potest dici de Patre, de Filio confiteri cogetur, quòd ipse non sit agnitus ab eis neque intellectus, de matre Virgine natus, & reclinatus in præsepio, ubi eum pastores pecorum viderunt

Isa. 1. 3.

sententiis singulorum, probaremus semen mulieris, per quod de serpente triumphus humano generi proveniret, ipsum esse Christum, qui de Spiritu-sancto conceptus & de MARIA Virgine natus est. Vis, Judæe, adhuc contra tot athletas pro Christo pugnantes velum tuæ falsitatis opponere? Si his facilè te contradicturum æstimas, reservavi mihi adhuc duos tamquam duces validissimos, Danielem videlicet & Isaïam, qui in nomine Domini vindicabunt sociorum suorum prophetarum injuriam, & vindictam retribuent in hostes eorum. Daniel de statu temporum evoluto, Isaïas de vaticinio simul & evangelio. Restat ergo ut Danielem opponamus in primis, & ictu primo ac impetu validissimo Judæam ad ima prosternat atque proprio mucrone spem expectationis suæ tamquam caput abscindat è corpore. Prædicet tempus quo Christus adveniat, qui est justitia sempiterna, terminumque præfigat, ultra quem si Judæus expectare voluerit, errore deceptus mendacium pro veritate recipiat. Huic angelus Gabriel, cui magis quàm Judæo credendum est, Deo jubente atque dicente: GABRIEL, *fac istum intelligere visionem*, non solùm quæ futura essent, sed quo tempore complerentur aperuit.

Dan. 8. 16.

Dan. 9. 24.

45. *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum.* Super quo capitulo, quia multa à majoribus dicta sunt, valde pertimesco lectorem offendere, ne si aliqua dixero, me tamquam superfluum judicet: aut si omnino tacuero, dextram me Judæo dedisse tamquam victum accuset. Sed ne superfluus aut victus inveniar, procedam inter utrumque moderamine quodam, ut nec declinem ad dextram neque ad sinistram, sed regia via veritatis à Daniele ad usque Christum perveniam. Ergo auxiliante Domino Deo nostro, dicamus quod ipse donaverit.

Danielis prophetia de LXX hebdomadibus exponitur.

46. In septuaginta hebdomadibus inveniuntur anni quadringenti nonaginta, quas ideo abbreviatas esse dicit, quia juxta lunares menses computandæ sunt, qui menses singuli habent dies viginti novem, & horas duodecim, habetque lunaris annus undecim dies minus anno solari, qui constat ex trecentis sexaginta quinque diebus & sex horis. Ita juxta menses & annos minoris numeri, ut hebdomades abbreviatæ sint, computandæ sunt, & per singulas septem anni numerandi sunt, ut unaquæque hebdomada septem annos habeat, quæ si juxta lunares, ut dixi, annos numerentur, erunt quadringenti nonaginta anni. Si verò juxta solares, superabundabunt dies trecenti sexaginta quinque & sex horæ, & per XII. menses singulorum annorum undecim dies & sex horæ amplius reperientur. Annus namque solaris est quo sol totum signiferum, id est duodecim Zodiaci signa, perlabitur, & in unoquoque signo moratur triginta dies decem horas & semis. Ut ergo juxta sententiam Gabrielis archangeli hebdomades abbreviatæ sunt, juxta lunares menses earum computationem oportet accipere.

Quando illæ incipi debeant.

47. Diximus quomodo numerentur. Videamus nunc à quo tempore numerus earum incipi debeat. Cunctis legentibus liquet quod anno tertio regni Joachim regis Judæ venit Nabucodonosor rex Babylonis Jerusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manus ejus Joachim regem Juda. Tertio itaque regni sui anno decima die captus est à ducibus Nabucodonosor, ductusque in Babylonem, & in loco ejus constitutus est Sedechias filius Josiæ patruus ejus, cujus anno undecimo Jerusalem capta atque subversa est, in qua captivitate cum ceteris & Daniel ductus est, qui propter somniorum interpretationem, & præsentiam futurorum, magnus effectus usque ad tempus quo Balthasar qui quartus, à Nabucodonosor Babyloniorum rexit imperium, mansit in Babylone. Hunc Cyrus adjuncto sibi Dario avunculo suo interfecit, ac Caldæorum subvertit imperium. Isdem Cyrus postquam regnum obtinuit, quinquaginta circiter millia hominum captivorum remisit in Judæam. Vasa quoque quæ Nabucodonosor abstulerat reddidit, & templum ædificari jussit in Jerusalem. Principes quoque populi qui reversus est, constituit Zorobabel filium Salathiel & Jesum filium Josedech, sub quibus tantùm jactis fundamentis templi, altare constructum est. Mansit ergo opus imperfectum, prohibentibus per circuitum nationibus, usque ad Nehemiam & vicesimum annum Artaxersis regis. Quo tempore regni Persarum centum & quindecim anni fuerant evoluti, captivitatis autem Jerusalem centesimus octogesimus quintus annus erat. Et tunc primùm jussit Artaxerses muros extrui in Jerusalem, cui operi præfuit Nehemias, & ædificata est platea, & muris circumdata. Igitur à centesimo & quinto decimo anno regni Persarum, quando Artaxerses rex ejusdem imperii vicesimum regni sui habebat annum, & erat octogesimæ & tertiæ olimpiadis annus quartus usque ad ducentesimam secundam olimpiadem, & secundum ejusdem olimpiadis annum, Tyberii verò Cæsaris annum quintum decimum, juxta lunarem supputationem, fiunt hebdomades septuaginta, hoc est anni quadringenti nonaginta. Sed & Evangelista testante cognovimus, quod anno quindecimo imperii Tyberii Cæsaris factum est verbum Domini super Johannem Zachariæ filium in deserto, ut prædicaret & ostenderet præsentiam Domini venientis.

48. Hac itaque ratione ostensa transeamus ad reliqua, studiosè notantes quo tempore mysterium septuaginta hebdomadarum Danieli sit revelatum. *In anno*, inquit, *primo Darii filii Assueri, de semine Medorum, qui primus imperavit super regnum Chaldæorum.* Hic est Darius qui cum Cyro Chaldæos Babyloniosque superavit. Annum ætatis habens

Dan. 9. 1.

sexagesimum secundum, qui subversa Babylone ad regnum suum in Mediam reversus est, adducens secum Danielem in eodem honore quo à Balthasare provectus fuerat. Cyro autem propinquo suo reliquit regni gubernacula. In hujus regni anno primo, sive Darii sive Cyri, revelatum est Danieli mysterium septuaginta hebdomadarum. Quod si ab hoc tempore quo prima Cyri indulgentiâ Judæorum est laxata captivitas, septuaginta numerantur hebdomades, centum & eo amplius invenientur anni qui statutum septuaginta hebdomadarum excedant numerum; & multò plus, si ex ea die qua Danieli locutus est angelus; additurque amplior numerus, si captivitatis exordium hebdomadarum voluerimus habere principium; permansit enim regnum Persarum usque ad initium Macedonum annos ducentos triginta, & Macedones regnarunt annis trecentis, atque inde usque ad annum quintum decimum Tyberii Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni sexaginta, qui simul faciunt annos quingentos nonaginta, ita ut centum supersint anni. A quocumque horum temporum numerentur, tempora non concurrent, immo multa reperientur contraria. Teneamus ergo quod firmissimum est, & nequaquam rationi contrarium, & hoc probemus ipsius propositione capituli.

Dan. 9. 23. 48. *Animadverte*, inquit angelus, *sermonem, & intellige visionem: Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum & super urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio & finem accipiat peccatum, ut deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem.* Animadverte, inquit, sermonem, ut nequaquam errore deceptus falsum pro vero recipias; sed ut in consequente doceberis, corde & animo sermonem diligenter adverte, & non tantùm sermonem, sed & visionem intellige. Magno namque debet intellectu subtilique perpendi, quando aliquid ex secretis Dei mortali homini revelatur. Visio quidem magna est & post tempora longa futura; sed ut eam verbo & sensu intelligas, audi principium & finem nequaquam incertum, sed certo numero & statuto termino præfinitum, Septuaginta annis pene jam populus tuus in captivitate detentus est. Adhuc septuaginta hebdomades abbreviatæ futuræ sunt super populum tuum & super urbem sanctam tuam, pro quibus nunc oras. Tanto tempore erit populus tuus populus, & urbs tua civitas, & non amplius, ut consumetur prævaricatio primi hominis qua in Deum prævaricatus est, & peccatum ejus finem accipiat, adveniente justitia sempiterna, quæ est & Christus, non tantùm unius hominis, sed totius mundi. Ubi est, Judæe, tota insultatio tua qua nobis insultare solebas? quomodo, inquiens, peccatum finem accepit? Ubi est illa justitia sempiterna? Si dixeris tempora septuaginta hebdomadarum adhuc non esse transacta, cum quadringentis nonaginta annis superadditi sunt postquam incarnatus est Dominus mille centum sexaginta sex anni, jam non erit expectatio salutis humanæ vel finis peccati, sive adventus justitiæ sempiternæ, juxta sententiam Danielis tempus per septuaginta hebdomades constitutum, sed centum vel eo amplius juxta stultam & imperitam assertionem tuam. Sed exponat nobis apertiùs angelus qui locutus est Danieli, quod erit signum tanti mysterii venientis: *Et impleatur*, inquit, *visio & prophetia, & unguatur Sanctus sanctorum.* Cùm constet quod lex & visio & prophetia jam pridem cessaverint; manifestum est Sanctum sanctorum venisse, te nescio qua ratione resistente ac affirmante quod in fine sæculi futurus sit. Si in fine sæculi futura sunt quæ hic per angelum Danieli dicta sunt, mentitus est angelus, qui terminum visioni præfixit, quod audere suspicari extremæ dementiæ est. In septuaginta, inquit, hebdomadibus evenient ista quæ dico. Veniet Christus, occidetur Christus, & non erit ejus, id est ut amplius per eum regnet sicut hactenus, populus Judæorum qui eum negaturus est, Pilato dicente, *Ecce Rex vester*, illis exclamantibus *Crucifige eum, non habemus regem nisi Cæsarem.* Sed & Christus postquam occisus fuerit, civitatem dissipabit populus Romanus cum duce venturo Vespasiano, & finis ejus vastitas, quia non relinquetur in ea lapis super lapidem qui non destruatur: & post finem belli, id est civitate subversa, & Judæis per totum orbem dispersis, statuta desolatio, quia stabilis erit & refragari non poterit. Usque enim ad consummationem mundi & finem perseverabit desolatio.

Æras natoris. Joan. 19. 14. & 15.

49. Hæc Gabriel angelus. E contra Judæus: Septuaginta, inquit, hebdomades nequaquam impletæ sunt. O caput insanum! nonne completum est quod in fine hebdomadarum angelus prædixit esse futurum? *In medio*, inquit, *hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.* Nonne templum usque ad fundamenta destructum est, & defecerunt immolationes hostiarum, necnon & sacrificium tam matutinum quàm vespertinum? Esto, si volueris, adhuc tempus hebdomadarum manere: numeres à die qua Danieli locutus est angelus, eruntque anni mille septingenti viginti sex & eo amplius. Revolvat prudens lector ea quæ superius dicta sunt, videlicet annos regni Persarum atque Macedonum, necnon & Augustorum Romanorum usque ad adventum Christi, & post adventum ejus quot anni effluxerint, & facilè animadvertere poterit quanta falsitate cæcatus sis, qui ducentas quinquaginta sex hebdomades & eo amplius pro septuaginta computare conaris. Sed neque angelicus sermo con- Dan. 9. 27.

& intellexerunt, ac sicut Deum glorificaverunt.

Isa. 1. 4. 57. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Væ, inquit, genti Judæorum in hoc peccatrici, quod non agnovit, neque recepit Salvatorem, sed interfecit. *Populo gravi iniquitate*, hoc est onerato peccatis homicidii & contemptus in Deum. *Semini nequam*, quia ex patre diabolo sunt. *Filiis sceleratis*, in quos omne scelerum genus influxit. Et causam subdit cur tanta populus Judæorum denotetur infamia.

Ibid. 58. *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Dereliquerunt Dominum conclamantes; Joan. 19. 15. *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Blasphemaverunt sanctum Israel, dicentes: *Dæmonium habes & Samaritanus es.* Joan. 8. 48. Abalienati sunt retrorsum, qui quondam fuerant in caput, nunc vertuntur in caudam. Et qua de causa sic alienentur, ipse Dominus per Jeremiam exposuit, dicens: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, facta est mihi hereditas mea sicut leo in silva, dedit super me vocem suam.* Jer. 12. 7. Propterea odit eam, quæ quondam fuit hereditas, quia dedit super eum vocem suam, clamans: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Joan. 18. 40

59. *Facti estis mihi in satietatem, nequaquam dimittam peccata vestra.* Ad hæc causam per partes exsequitur qua Judæos abjecerit. Isa. 1. 15. *Non dimittam*, inquit, *peccata vestra.* Quare? quia *manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et quid per hoc velit intelligi, paulo post de civitate loquens subjungit: Ibid. 21. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judiciis? justitia requievit in ea, nunc autem homicidæ.* Hæc omnia, inquit Judæus, propter peccata nostra comminatus est, ut de cetero nos à malo compesceret. Et hoc scripturæ repugnat: nam aperte pronuntiat quod facti estis in satietatem, quod tantumdem valet, ac si dixisset in tædium. Contra hoc quod patrocinium vobis assumitis, comminationem Domini pœnam esse peccatorum vestrorum, suam ponit sententiam, dicens: *Non dimittam peccata vestra*; causamque subjungit: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* quo, vel cujus sanguine? Non bovis, non arietis, vel alicujus bruti animalis; sed hominis. Sanguis unius hominis justi quem effudistis, manus vestras infecit: & ob hujus culpam commissi facinoris manus vestræ sanguine plenæ sunt. Quòd autem hoc peccatum homicidium sit, ut superiùs dictum est, ipse propheta testatur loquens de civitate: *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Ob Salvatoris itaque necem, qui ab eis occisus est, vocantur viri sanguinum & homicidæ. Et quamvis superiùs dixisset, *non dimittam vobis peccata vestra*, ostendit tamen apud eum nullum impossibile esse, si uno tantum remedio, hoc est baptismi lavacro salutaris, salvari voluerint. Unde subinfert.

Isa. 1. 16. 60. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Quid est lavari nisi baptizari? Aqua nihil prodest nisi affuerit qui remissionem peccatorum dederit. Non ergo de omni aqua jubetur ut laventur, sed de ea tantùm in qua peccata mundantur, quæ non est alia nisi aqua baptismatis. Et hoc facilè probari potest, nam cùm superiùs præmisisset, *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*, & *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* de sanguinis effusione & homicidio peccatum eos contraxisse denunciat, statimque subinfert quòd non dimittet eis hoc peccatum, nisi laventur & mundentur. Ac si diceret: Non dimitto vobis peccatum homicidii perpetrati, nisi fueritis aqua baptismatis loti, qua peccata mundantur. Respondeat Judæus ubi invenerit scriptum in lege, quod homicidium expiationis aqua deleri debeat: quod cùm reperire non poterit, noverit aquam baptismatis esse meliorem Abana & Pharphar fluviis Damasci, insuper & omnibus aquis Israel, in qua sola tribuitur omnium, operante Spiritu-sancto, remissio peccatorum. *Auferte*, inquit, *malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Quibus verbis manifestè novi testamenti religio commendatur, quæ non solùm opera, sed & cogitationes à malo discerni jubet; simulque docet quòd pro victimis & holocaustis & adipe pinguium & sanguine taurorum & hircorum, & pro thymiamate, neomeniis, sabbato, die festo, jejuniis, calendis, & aliis solemnitatibus, fidei christianæ religionem magis habeat acceptabilem. Et probat in consequentibus quod si Judæi lavari voluerint aqua baptismatis, per quod solùm possunt à peccato mundari, posse nigredinem peccatorum mutari candore munditiæ. *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Isa. 1. 18. Hoc est, quamvis effuderitis sanguinem Salvatoris, in cujus passione signum Raab coccinum quondam in fenestra dependit, præfigurans quod ipsa & domus ejus in æternum, quæ est Ecclesia congregata de gentibus, à morte per ejus mortem salvaretur. Scitote tamen quod ubi superabundavit delictum in opere, meritum superabundavit in gratia. Si fueritis aqua loti quæ cum sanguine Christi manavit de latere, ... ac velut nix dealbabuntur, quia rubor rubore, id est, sanguis peccati sanguine salutari, & nigredo candore delebitur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, in similitudinem cruoris veneno malignitatis intincta; sciatis tamen quod ille tenerrimus ligni vermiculus qui pendebit in cruce, ut interficiat illum uno mortis suæ impetu, qui jugum peccati accrevit super populum Domini; ille, inquam, pro confusione vestra duplici & rubore induet vos lana mundissimâ proprio vellere, eritisque oves, & ipse Pastor, sicut scriptum est: *Ego ipse requiram oves meas, & visitabo illas sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum.* Ezech. 34. 12. Audi, Judæe, consilium Isaiæ, &

Judæorum peccata aqua baptismatis abluenda.

festina lavari, quia quibuscumque aquis lotus fueris, nisi baptismus subvenerit, sorde peccati semper immundus eris, Job attestante,
Job. 9. 30. qui ait: *Si lotus fuero quasi aquis vivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur vestimenta mea.* Quibus verbis ostenditur neminem à peccato posse salvari, nisi per gratiam baptismi, quæ in præcedenti versu subtili sermone describitur. Hæc super abjectione populi Judæorum dicta sufficiant, sequentia videamus, & ea quæ Judæo magis displicere noverimus, proferamus in medium. Non enim nostrum propositum est ex ordine Isaiam exponere, sed ea quæ de Christo manifestè dicta sunt contra perfidiam Judæorum apertiùs explanare.

Isa. 2. 2. Isaiæ prophetia de vocatione gentium expeditur. 61. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent; Venite ascendamus ad montem Domini.* Post descriptam abjectionem populi Judæorum, transit ad vocationem gentium, & uno populo deleto, multitudinem populorum ad montem Domini venturam esse constanter affirmat. Prius agit de Verbo quod postea Montem vocat, & dicit se vidisse Verbum de Juda & Jerusalem, statimque subjungit illud Verbum novissimis diebus montem esse futurum in verticem montium.

62. *Erit*, inquit, *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Quod est apertè dicere, novissimo tempore fiet Verbum Altissimi mons in verticem montium, hoc est sublimis supra sublimitatem sublimium. Erit præparatus, quia prædestinatus est, ut homo fiat. *In vertice montium*, quia homo supra homines & Sanctus sanctorum erit. Nihil eo altius, sub quo omnis creatura est. Ipse tamen erit præparatus, ut elevetur super colles, quia ideo fiet Deus humilis, ut elevetur homo sublimis, ac super omnes cœlos ascendat, sedeatque ad dexteram majestatis in excelsis. Et quidem
Ibid. 1. hoc est quod ait: *Verbum quod vidit Isaïas.* In prima visione videt abjectionem populi Judæorum, in secunda Verbum Dei sub specie montis altissimi apparendum, in tertia ipsum & eumdem, qui mons dictus est, post Incarnationis ejus mysterium videt Dominum sedentem super solium excelsum, ut exponat apertiùs quid sit mons domus Domini in vertice montium. Sequitur: *Et fluent ad eum omnes gentes*, non tantùm una gens de Judæa, sed omnes gentes; ut uno populo derelicto, veniant multi populi & dicant: *Ascendamus ad Montem*, nequaquam Synaï vel Oliveti, sed Montem Domini. Dicat nunc Judæus quis sit iste mons qui tam sublimis est, ut elevetur super omnes colles; tam accessibilis, ut fluant ad eum omnes gentes. Utinam circumferat oculos suos per universam Judæam, quia inde debuit iste mons surgere, & tamdiu aspiciat capita montium,

A quousque probaverit aggerem terræ conglobatum debere dici montem istum, de quo Isaïas locutus est: Templum, inquit, quod in monte situm est, tam sublime erit ædificatum veniente Messia, quod super omnes montes & colles videri poterit. Et ideo dicit quòd de Syon debeat exire lex & verbum Domini de Jerusalem. Sed si hoc verum est, quomodo propheta postquam prædixerat omnes gentes ad hunc montem venire, & ibi doceri de viis Domini, populum suum hortatus est, ut cum eo ad hunc montem venirent, & ambularent in nomine Domini? Sic
B enim ait: *Domus Jacob, venite ambulemus in lumine Domini.* Isa. 2. 5. Si Judæi templum & civitatem habebunt, quomodo invitantur venire ad id quod habetur ab eis? Destruit hoc propheta cùm subdit: *Projecisti enim populum tuum domum Jacob.* Ibid. 6. Quia noluerunt audire prophetam monentem ut venirent & ambularent in lumine Domini: ubi apertè innuitur quod ipse Dominus iste mons est. Dicit enim ideo projecisse populum suum. Et ne veniat in ambiguum quis sit iste populus, adjungit domum Jacob. Si populus Judæorum ideo projectus est quia noluit ad hunc montem accedere, non est iste mons templum
C quod futurum est, si tamen aliquod erit, ut Judæus affirmat. Convincat ipse propheta Judæum falsa de hoc monte dixisse. Et primùm quæratur ab eo, cùm probare non possit hæc esse dicta de templo, quid dicat esse domum Domini. Si cœlum in quo Deus habitat domus Domini est, & Deus altior cœlo est, utique mons iste Deus est. Ergo totus hic locus de Domino est, quod videlicet ipse sit præparatus in vertice montium, hoc est sanctus incarnatus in medio sanctorum. Hic elevatus est super colles, quia altior omni homine factus est Deus homo. Ad hunc jam confluxit Ecclesia ex omni gente congregata, si-
D mulque cum ea populi multi dicentes: Ascendamus ad Dominum & docebit nos viam salutis, ut eamus per eam. Probat hoc hodie verum esse tam Jerosolymitana quàm Romana Ecclesia, & completur quod in eodem propheta dictum est, *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Isa. 60. 4. Ac quoniam quod propheta petierat obtinere non potuit, adhortatus enim fuerat populum, ut cum eo venirent, & ambularent in nomine Domini, tamquam ex consilio Judæos post pauca præmunit dicens: *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.* Isa. 2. 22.
E Ac si dicat apertiùs quoniam projecti estis eo quod in montem domus Domini, hoc est in Christum Salvatorem credere noluistis, cavete vobis de cetero, ne injiciatis manus in eum qui Deus homo factus est inter homines: spiritum habet & animam, & spirat ac vivit ut ceteri. Quiescite ab eo, nolite eum persequi, nolite æmulari, quia non cedet vobis in prosperum. Erit enim vobis in ruinam & in laqueum, lapis offensionis & petra scandali, nisi cessetis ab odio quo nocere studetis.

tis. At quia per hoc minimè videt eorum cessare perfidiam, relictis eis post multa & varia quæ refert in medio de hujus hominis glorificatione subjungit.

Isa 4. 2. Prophetia de Christi glorificatione.

63. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israël; & erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, Sanctus vocabitur, omnis qui inventus fuerit scriptus in vita in Jerusalem.* Qui superiùs dictus fuerat *Mons* propter altitudinem divinitatis, postea *Lumen* Domini, quia Filius à Patre lumen de lumine est; postremo manifestè vocatus est *Homo*, ubi ait: *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est*; nunc tamquam ex novo *Germen Domini* appellatur, ut ejus sublimitas deitatis intelligatur apertiùs. Et rectè germen Domini appellatur, quia virtus & imago Patris est. Hoc Germen Domini dixit esse *in magnificentia & gloria* in diebus illis, videlicet quando Germen Domini homo fieret; prius in magnificentia, propter ea quæ gloriosè facturus erat inter homines; postea in gloria, propter glorificationem humanitatis assumtæ ad thronum majestatis. Quid verò sit germen in gloria, statim exponendo subjungit: *Et fructus terræ sublimis*, de quo fructu David ait quod Dominus daret benignitatem, Filium de cœlo mitteret, & terra nostra daret fructum suum, hoc est corpus virgineum Dei Filium generaret. Fructus ille sublimis factus est, quia natura humanitatis ejus assumtæ super omnem creaturam exaltata est. Judæus affirmat quod iste fructus esse debeat ficus, aut malogranatum, aut aliquid hujusmodi. Et si ficus præter solitum in sublimitatem status altioris accresceret, quæ inde exultatio salvandis de populo proveniret? Sed fructus sublimis Filius Virginis est, elevatus ad dextram Patris, per quem lætitia & exultatio salvatis de salute provenit; & non dixit omnem populum salvandum, sed reliquias tantum, id est apostolos & eos qui per apostolos & eorum successores crediderunt. Sic enim ait: *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, Sanctus vocabitur, omnis qui inventus fuerit scriptus in vita in Jerusalem.* Relictum & residuum non solet dici aliquid totum, sed pars totius, & ipsa minima. Reliquiæ ergo populi tantùm salvæ factæ sunt, non omnis populi multitudo. Et, Deus bone! qua ratione tibi repromittis, Judæe, Saturnia regna, Jerusalem auream, & de cunctis partibus orbis dispersos ad Judæam confluere? Isaias affirmat, abjecto populo Judæorum, omnes gentes ad montem qui Christus est esse venturas, & Judæus adhuc nova tempora Salomonis expectat. Salomon namque fecit ut tanta esset auri argentique copia in Jerusalem quanta lapidum. Hæc ipse vel his similia futura contendit, hoc eodem propheta resistente atque dicente: *Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quæ vastatur*, de cujus vas-

Isa. 2. 22. (margin)

Ridicula Judæorum explicatio de germine.

Isa. 1. 8.

A titate superiùs in capitulo Danielis quædam pleniùs dicta sunt. Sequitur: *Sanctus vocabitur omnis qui inventus fuerit scriptus in vita in Jerusalem.* Cui germen Domini fructus terræ sublimis, qui est Christus, fuerit gloria & exultatio, hic planè vocabitur Sanctus & erit, quia scriptus invenietur in vita, in illa cœlesti Jerusalem, ad quam alius propheta suspirans ait: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Verè Sanctus erit, cui religio descripta superiùs placuerit, videlicet qui lotus fuerit in baptismo, & postea mundus in baptismi sacramento permanserit, invenietur scriptus in vita, hoc est electus in Christo. Ps. 83. 3.

B 64. His Propheta de Christo prædictis, post quædam interposita, quæ nunc enumerare longum est, transit ad aliam visionem, in qua videt Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum. Sed antequam de visione dicamus, libet interrogare Judæum in qua forma prophetæ vel patriarchæ Dominum viderint. Abraham vidit Dominum non in divinitate, sed in humana forma, quod Judæus negare non potest, quia scriptum est: *Apparuit autem Dominus Abrahæ in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi.* Cùmque levasset oculos suos, apparuerunt ei tres viri. In humana ergo forma fuit hoc quod vidit

Deum in qua forma viderint prophetæ & patriarchæ.

Gen. 18. 1.

C de Domino; sed ne aliquis amicorum meorum mihi objiciat hoc non esse verum, tibi, lector, in aure dico, ne Judæus hoc audiat; Hieronymus super eodem capitulo in Isaïa locutus est: Legimus, inquit, quod ab Abra- «
ham visus sit Dominus in hominis figura, & «
cum Jacob quasi homo luctatus sit qui Deus «
erat, unde & ipse locus appellatus est Fanuel, «
hoc est facies Dei. *Vidi enim*, ait, *Deum fa-* « Gen. 32.
cie ad faciem, & salva facta est anima mea. « 30.
Ezechiel quoque vidit Dominum in forma «
hominis sedentem super Cherubim, à lumbis «
D ejus & deorsum erat quasi ignis, & superiora «
habebant speciem electri. Hæc Hieronymus, «
cui non est alter similis in expositione scripturarum. Si Deus à patriarchis & prophetis in figura hominis visus est, permittat nobis Judæus ut dicamus his novissimis diebus Deum nobis apparuisse per hominem. Restat adhuc ut nobis exponat quid Moïses de Domino, vel in qua figura Deum viderit. Sic enim ait ad Dominum: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Cui Dominus: *Non poteris videre faciem meam. Ecce*, inquit, *est locus apud me, stabis super petram, cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextra mea donec transeam;*

Exod. 33. 13. & 20.

Ibid. 21.

E *tollamque manum meam, & videbis posteriora mea.* Si Moïses non potuit videre faciem Domini, quid sibi vult quod ait: *Loquebatur autem Dominus ad Moïsen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum?* Præterea si non potuit videre nisi posteriora Domini; quæro quid viderit, talos, an humeros, tergum an cetera? Sed Dominus ait: *Tollam manum meam & videbis posteriora mea.* Satis comperit lector prudens ad quod incon-

Exod. 33. 11.

veniens duci poterit, si super hoc disputationis ordo processerit, neque meum est ad præsens nugas Judæorum exponere, sed mysteria veritatis inquirere. Redeamus ergo ad visionem prophetæ, & audiamus quid viderit.

Isa. 6. 1. Alia Isaiæ visio expenditur. 65. *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Ipsum profectò quem superiùs fructum terræ sublimem dixerat, nunc eamdem sublimitatem exponit apertiùs, & Dominum in majestate divina regnantem vocat, cujus solium est altitudo cœlorum, cui ipse præsidet, prout suæ voluntati complacuit, quia sub eo omnis altitudo est, quæ Deus non est. Excelsum est ergo solium ejus & elevatum, quia sub eo omnis altitudo est quæ Deus non est. B Excelsum est ergo solium ejus & elevatum, quia quicquid sublimius in creaturis est, ipsi divinitati submissum atque subjectum est. Vidit itaque propheta Dominum qui super omnia est, sedentem super solium excelsum & elevatum. *Seraphim stabant super illud*, hoc est illa agmina beatorum spirituum quæ excelsiora post Deum sunt in altioribus semper commorantia. *Sex alæ uni & sex alæ alteri.* Senas alas habere dicuntur qui in circuitu Domini sunt: quia de fabricatione tantum mundi, quæ sex diebus facta est, notitiam juxta Dei præceptum mortalibus præbent. Ministri enim Dei sunt ad ejus voluntatem implendam quotquot sunt, vel superiores vel inferiores, attestante propheta, qui ait: Ps. 102. 20. C *Benedicite Dominum omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendum vocem sermonis ejus. Duabus velabant caput ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Caput Dei superioribus alis & inferioribus pedes ejus operiunt, quia præterita ante mundum, & futura post mundum, dum soli Deo nota sunt, media tantùm videri possunt quæ in hoc mundo facta sunt. Et notandum quod Seraphim dicuntur alis suis velare Domini caput & pedes. Illa divina substantia Trinitatis, quæ tota est perfectio Deitatis, nec caput nec pedes habere rectè dici potest, quæ in sua natura hominibus invisibilis est, angelis incomprehensibilis, utrisque mirabilis & D adoranda ac super omnia veneranda. Quamvis ergo propheta Dominum videat sedentem super solium excelsum ac totam Trinitatem intelligat, non tamen videt ex toto illam perfectam atque ineffabilem substantiam Deitatis; sed id tantùm quod se visibile præbuit, ad insinuandum post tempora multa futurum Dominicæ Incarnationis sacramentum. Nec mirum si Deum in figura corporis videat antequam fiat homo, cùm ipse Dominus dicat: Ose. 12. 10. *Ego visiones multiplicavi, & in manibus prophetarum assimilatus sum*, & multa E in figura præcesserunt, quæ postea rei veritate completa sunt, & hoc probemus exemplo. Daniel tamquam in visione nocturna mysterium Incarnationis filii Dei se vidisse testatur, ita dicens: Dan. 7. 13. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis venit, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnis populus, tribus & linguæ servient ei.* Præcesserunt hæc in figura quæ postea rei veritate completa sunt. Sed & Manuhe Dominum in hominis figura se vidisse testatur, uxori suæ dicens: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Jud. 13. 22. Non dixit quia vidimus angelum, sed quia vidimus Dominum. Attamen respondeat Judæus, quis sit iste filius hominis, qui venit cum nubibus cœli, & ascendit usque ad Antiquum dierum ac sempiternum Deum, cui ipse Deus dedit potestatem & honorem & regnum, ut omnis populus, tribus & linguæ serviant ei: ostendatque simul quomodo potestas ejus potestas æterna sit, & regnum ejus corrumpi non possit. Quis sit filius hominis quem vidit Daniel. Cùm omnis homo sit filius hominum, qua ratione debet intelligi filius hominis numero singulari, qui ex duorum procreatione sit generatus? Præterea quis filiorum hominum potest usque ad nubes ascendere, penetrare cœlum, & pervenire usque ad thronum majestatis in excelsis, ut ibi detur ei ab Altissimo potestas & honor & servitus omnium populorum ac regnum sempiternum quod finem non habeat? Quærat donec inveniat, & tamdiu quærat quousque quærendo deficiat. Nullus poterit alius inveniri, nisi ille flos MARIÆ, Virginis filius, qui Deus de cœlo venit, ut ex ea carnem assumeret; absque omni conditione virili natus est, ac filius hominis factus, ipsam suam humanitatem ad excelsa levavit, sicut de eo propheta canens in psalmo prædixerat: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Eph. 4. 8. & *Psallite Domino, qui ascendit super cœlos cœlorum.* Ps. 67. 34. Hinc data est à Summo Patre potestas secundùm quod homo est, & honor regni, ut sedeat ad dextram ejus, donec ponat omnes inimicos ejus sub scabellum pedum ejus; cujus regnum sempiternum est, quia etsi cœpit secundùm id quod homo est, tamen secundùm quod Deus est, nec incœpit esse, nec desinit. Potestas ergo non datur ei nisi secundùm id quod homo est, quia juxta id quod cum Patre & Spiritusancto unus Deus est, ejusdem cum eis potentiæ est, quæ nequaquam ab eo auferri potest, quia Deus & homo una persona est. Vidit itaque Isaïas non totam substantiam deitatis, sed media Domini tantùm, videlicet quod in hoc mundo factus est, qui recte quoddam medium dicitur positum inter præterita ante mundum & futura post sæculum. Cetera vero Domini alis Seraphim velata sunt, quia nobis occulta, nec possumus intellectu percipere priora quæ fuerunt antequam mundus fieret, nec ea quæ post finem ejus futura sunt. De his tantùm cognoscere possumus quæ in præsenti sæculo facta sunt; & hoc est quod duabus alis mediis volabant, & media Domini visibilia esse demonstrantur, per id dantes intelligi, quod Deus mundo visibilis appareret in homine. *Et clamabant alter ad alterum.* Non duo tantùm, hoc est unus ad unum, sed

unusquisque ad alium, resonando mysterium A Trinitatis. Felix & gloriosa illa multitudo beatorum spirituum, cui data est illius summæ divinitatis videre decorem, sentire dulcedinem, contemplari faciem, adorare majestatem, nihil aliud agere nisi laudes Domini resonare. Quid verò clament insinuat cùm subjungit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Ut personarum proprietates ac sacramentum Trinitatis insinuent, tertiò Sanctum clamant; ut ejusdem Trinitatis in substantia prædicent Unitatem, subjungunt: *Dominus exercituum*, id est omnium cœlestium virtutum. *Plena est omnis terra gloria ejus*, non tantùm templum B vel sola Judæa, sed omnis terra. Admirantur agmina supernarum virtutum Dominum majestatis ad ima velle descendere, & humiliari ut fiat homo, ostendatque gloriam suam non soli populo Judæorum, sed universo mundo; ac cum digna admiratione laudantes dicunt, *Plena est omnis terra gloria ejus.* Moyses cùm pro adorato vitulo Dominum deprecaretur dicens: *Obsecro, Domine, dimitte peccata populi tui*; respondit ei Dominus: *Propitius ero illis, verumtamen vivo ego, & vivit nomen meum; quia implebitur gloria mea omnis terra.* Ac si diceret: Quia cerno quòd populus iste duræ cervicis est, & adhuc me præsente vitulum adoravit; vivo ego, & vivit nomen C meum, quia sicut contemserunt me, & ego contemnam eos, ac pro una gente derelicta, implebitur gloria mea omnis terra, & omnis quicumque invocaverit nomen meum salvus erit, nec tenebitur intra unius terræ terminos, ut inde glorientur & dicant: Non fecit taliter omni nationi, sed per totum orbem abundabit ex gratia, ut impleatur illud quod scriptum est: *Replebitur majestate ejus omnis terra.* Cur ergo Judæus expectet novum propitiatorium, ubi habitet gloria Domini, quæ jam in omni terra refulget? Frivolum est affirmare de cetero, ut omnem terram Dei gloria deserat, ac pro libitu Judæorum inter alas Cherub D tamquam in occulto resideat. Sentiant illi quod voluerint, nos omissis fabulis otiosis quid propheta post visionem audierit videamus.

Mysterium Trinitatis.

[N]um. 14. 19. [Ib]id. 20.

66. *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis?* Responde Rabi. Quærimus à te quid sibi velit quod Dominus loquitur de se ipso primus numero singulari dicens: Quem mittam? & postea numero plurali subjungit: Et quis ibit nobis? Vides-ne adhuc quod in substantia Dominus se velit unum intelligi & trinum in personis? Quæ est ista in verbis Domini variatio, immo in ipso Domino Trinitatis & Unitatis affirmatio? E *Quem mittam?* in Unitatis est. *Quis ibit nobis?* de quibus dicitur? non de agminibus Seraphim, quia propheta nullius vocem audivit, nisi solius Domini dicentis *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Recordare quid superiùs Seraphim clamaverint, quomodo Unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate monstraverint ac dixerint *Sanctus, Sanctus, Sanctus*

[Is]a. 6. 3. [T]rinitatis [m]ysterium [ve]rum explicatur.

[Is]ai. 6. 3.

Dominus exercituum, & solutionem hujus quæstionis invenies. Concedo, inquis, quod de se & de Spiritu suo locutus sit, sed quòd Filium habeat non recipio. Respondeant hic virtutes cœlorum, & utrum bene an male senseris apertius innuant. *Sanctus*, inquiunt, *Sanctus, Sanctus.* Si Trinitas non est Deus, quis est ille qui tertiò dicitur Sanctus in Deitate? Aut tres personas & unum Deum confiteri cogeris Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, aut aliquid novum & inauditum more tuo reperies, quod erit falsum & execrabile & omnino probare non poteris. Unde quia hinc facilè convinci posse te comperis, de cetero digito compesce labellum.

67. Sequitur: *Et dixi: Ecce Ego, mitte me.* Isa. 6. 8. Non hoc ex præsumtuosa temeritate locutus est, sed ex magno desiderantis affectu, ut omnipotentis pareat jussioni & populo suo voluntatem ejus annunciet. Simulque notandum quòd Domino jubente Trinitas imperat, & propheta se per omnia servum Trinitatis affirmat. Et *dixit: Vade & dices populo huic: Audite auditu, & nolite intelligere; videte visu, & nolite cognoscere.* Ibid. 9. Quid est hoc quod jubentur audire Judæi, & non intelligere? Certè mysterium Salvatoris quod superiùs Propheta cognovit & intellexit, audivit & credidit. Viderat namque Dominum sedentem super solium excelsum; ac quia sublimis Deus dignaretur homo fieri humilis, audierat Seraphim proclamantia, quod ipso descendente de cœlo propter ejus præsentiam venientis in carne; plena esset omnis terra gloria ejus, cujus intellectum penitus à Judæis avertens imperat, ut propheta prædicet eis quid futurum sit. *Audite*, inquit, *auditu* verba Salvatoris cùm venerit, & *nolite intelligere* quia permisit Dominus indurari corda vestra, & nequaquam ad pœnitentiam emolliuntur. Et *videte* eum *visu* præsentem in carne, & *nolite cognoscere* ne Dei cassetur propositum, quòd una gens cœca fiat, ut omnis mundus videat. At postquam propheta præceptum audierat, intelligens & ipse Domini voluntatem, orat & precatur ut ejus voluntas per omnia fiat. *Excæca*, inquit, *cor populi hujus, & aures ejus aggrava, ne fortè videat oculis suis, & auribus audiat, & corde suo intelligat, & convertatur & sanem eum.* Isa. 6. 10. Hic vellem per te, Judæe cognoscere cujus sit ista oratio, Domini imperantis, an prophetæ deprecantis, aut illius justo judicio disponentis, qui neque audiendus, neque intelligendus est à populo Judæorum? Si Domini imperantis, non est culpa populi quod cœcus fiat, sed potentia præcipientis: Si prophetæ deprecantis, quamvis ita sanè possit intelligi, quomodo ad eum referri poterit quod subinfertur, *& convertatur & sanem eum*, cùm solius Dei sit post conversionem dare salutem? Sed illius non incongruè, salva fidei ratione & majore auctoritate, dici potest, cui possibile est prius convertere, & post conversionem præstare salutem. At cujuscumque sit, hoc imprecatur populo

Execratio Judæorum.

Judæorum, ut audiant & non intelligant, videant & non cognoscant, cœci fiant & surdi, ne convertantur & sanentur. Ubi apertè monstratur quanta miseria teneantur, qui nec audire, nec intelligere, nec videre, nec cognoscere possint Dominum Salvatorem, nec etiam pœnitentia digni sunt, ut convertantur & salutem obtineant. Sequitur.

Isa. 6. 11. 68. *Et dixi: Usquequo Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta.* Ac si superiùs dixisset: O Domine, præcipis mihi loqui nunc populo Judæorum, ut audiant & non intelligant Salvatorem, videant eum & non cognoscant: verumtamen usquequo, Domine, hæc sententia permanebit, ut audiens non audiat, vidensque non videat? Cui respondit Dominus: Tamdiu non audiet & non videbit, & excœcatum habebit cor, donec civitates Judææ, Vespasiano Titoque pugnantibus, penitus subvertantur, in tantùm ut ne nomen quidem permaneat; & domus, si quæ remanserint, sine habitatore sint, & terra redigatur in solitudinem, & vel fuga vel captivitate in totum orbem Judaïcus populus dispergatur. Dat ergo Judæis certum captivitatis atque vastationis signum, causamque describit, eo videlicet quòd Salvatorem ad se venientem non receperint, neque intellexerint, sed è contrario filium

Luc 20. 14. patrisfamilias interfecerint, dicentes: *Hic est heres, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus.* Hæc postquam de cœcitate Judaïci populi & eversione Jerusalem Propheta Domino revelante cognovit, transit ad obsidionem quæ facta est in diebus Achaz, præliantibus contra Jerusalem Rasin rege Syriæ & Phacee filio Romeliæ, ut sub occasione misericordiæ qua Dominus populum liberavit obsessum, filium suum de Virgine nasciturum annunciet: quod quia longum est per singula verba discutere, melius est ut Judæo relinquamus historiam ruminandam, & veniamus ad rem, ut prophetiam Emmanuelis tam de Virgine nascituri, quàm apud inferos animas liberaturi, ac postea super omnes cœlos ascensuri, intelligere cum propheta possimus. Hæc enim sunt duo signa, quæ Dominus Achaz regi proposuit quærenda, ac optionem dedit, quod horum prius vellet accipere, aut de excelso cœlorum aut de profundo infernorū.

Isa. 7. 10. 69. *Locutus est*, inquit, *ad Achaz dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra.* Dixerat ei

Ibid. 4. propheta superius, Domino jubente, *ne timeas à duabus caudis titionum fumigantium istorum.* Quod est aliis verbis dicere: Vide ne paveas à facie duorum istorum qui consurrexerunt adversum te, Rasin videlicet regis Syriæ & Phacee filii Romeliæ, quia utriusque imperium infra sexaginta quinque annos finiendum est. Quos ideo dico caudas titionum, quia omnis virtus eorum fini est proxima; & si quid restat de cetero, velut fumus evanescet in posterum. Ergo ne paveas quia te & populum tuum de manibus eorum liberare decrevi. Quòd si hoc præ nimia desperatione non credis, pete tibi signum à Domino, quia ipse præsto est revelare quæ facturus sit post tempora multa vel apud inferos vel supra cœlos. Pete ergo tibi hoc signum, quod in utroque potens sit, in cœlo videlicet & in inferno, quod quamvis non petieris, ipse tamen domui David daturus est, ut impleat illud quod promisit, dicens: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Isa 7. 12. *Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum.* Quod rectè diceret, si hoc ea causa dixisset, ne fieret transgressor legis, qua dictum est: *Non tentabis* Deut. 6. 16. *Dominum Deum tuum.* Sed idolatra erat, & ideo noluit signum à Domino postulare, ne Dominus glorificaretur in eo, si signum quod postulaverat præstitisset. Quod propheta comperiens, rege impio derelicto, convertit signum & sermonem Domini ad domum David, hoc est ad Judam & Jerusalem, dicens: *Audite ergo domus David*; & paucis interpositis, subjungit: *Propterea dabit Dominus ipse vobis signum*, quod sitis hac vice de manibus obsessorum liberandi. Non propheta, non angelus, sed ipse Dominus dabit vobis quod Achaz accipere renuit, videlicet signum quod modo non fiet, sed in futuro, & quia hoc signum dare solius Dei est. Memento quod quicquid Deus dixerit esse futurum, necesse est ut veniat: quapropter adhibe fidem promisso Dei, ut futuri signi certitudine roboratus, illius fide ab instanti periculo libereris. Non fiet statim quod loquitur, nec in continenti, sed in longinquum; ideoque majus erit meritum quòd salvaberis in præsenti, si speraveris quod nondum est, & credideris quod non vides, & nunc audi domus David. Isa. 7. 14.

Achaz cur signum petere noluit à Domino.

70. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* En signum quod tibi Dominus dat in præsenti, verè novum atque mirabile; quia Virgo pariet, hoc est non modo, sed in futuro: cujus partus ideo nunc prænuntiatur, & filius datur in signum, ut agnoscas quod Deus qui tunc nascetur ex Virgine, modo tecum est, & ob præconium & gratiam subsequentis præveniet te, ac liberabit ab instanti periculo donum misericordiæ præcedentis. Vocabitur enim Emmanuel, quod est nobiscum Deus ut ante sæcula Deus, de Virgine natus, Homo nobiscum converfetur in mundo. Prædixit tibi Deus filium nasciturum qui dicatur nobiscum Deus, ac te secretum suum quodammodo præscire concessit. Crede quod futurum est, & ob fidei meritum etiam in præsenti beneficio gratulare, quia jam præcedit effectus sacramenti futuri in hoc quod ejus nomine invocato, fugatis hostibus, eris de pace simul & triumpho secura. Ne velis dicere, quod promissam in præsenti victoriam debeat hoc signum, id est nativitas Emmanuelis præcedere: quia beneficium quod præmittit, non adimit signi subsequentis effectum. Est ergo liberatio de præsenti significatio signi, non tamen ipsum signum sacramenti futuri, quia hoc erit ipsum signum

Prophetia de Virginis partu expenditur.

quod Virgo concipiet & pariet filium. Hic Judæus totis viribus ad bella procedit armatus, diversis quæstionibus præmunitus, ut si prima non potuerit, secunda vel tertia feriat, quousque spem christianorum vanam esse probare sua falsitate prævaleat. Et quia hæc quæstio sæpius inter nos ventilata Judæos de respondenda ratione prudentiores effecit, triplicem nobis solutionem objiciunt, approbare nitentes non hæc esse de Christo dicta, sed vel de Ezechia, vel de filio Isaïæ, vel de alio nescio quo, qui de nupta & experta maritum & non de virgine sit generatus: quorum oppositiones facilè redigemus ad nihilum, & filium virginalem Deum & Dominum nostrum JESUM CHRISTUM esse, ipso auxiliante, probabimus.

Triplex illius à Judæis explicatio.

Demonstratur hanc prophetiam non intelligendam de filio Ezechiæ.

71. Igitur incipiamus respondere fidei nostræ adversariis, & vera falsis opponere, ut per omnia se convictos intelligant, qui nos convincere sperant. Aiunt hunc esse de quo propheta loquitur Ezechiam filium Achaz, sub quo Samaria capta atque subversa est, in qua tunc regnabat Phacee filius Romeliæ, & post eum Ose filius Hela, & hos esse duas caudas titionum, quorum imperium finitum asserunt & deletum, antequam sciret Ezechias reprobare malum & eligere bonum, quod omnino falsum esse probat historia, in qua sic legitur: *Regnavit Achaz filius Joathan super Judam & Jerusalem annis sexdecim, cui successit in regnum filius ejus Ezechias annos natus viginti quinque, & viginti novem annis regnavit in Jerusalem.* Si Ezechias viginti quinque annorum erat quando patri successit in regnum, & pater ejus regnavit sexdecim annis in Jerusalem, invenitur Ezechias primo anno regni patris sui novem annos habuisse, & quomodo puer novem annorum eo jam tempore quo hæc dicta sunt concipiendus erat, aut hunc aliqua mulier iterum erat paritura? Primo namque anno imperii Achaz prophetata sunt hæc quæ scripta commemorat. Item, quomodo stare poterit quod sequitur: prius enim quàm sciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra quam detestaris à facie duorum regum istorum? Siquidem anno sexto imperii Ezechiæ venit Salmanasar rex Assur, & obsedit Samariam tribus annis, & nono anno regis Ose cepit eam, vinctumque Ose misit in carcerem, & transtulit Israel in Assyrios. Si iste qui nasciturus est tam parvulus erat, ut malum à bono discernere nequeat, & antequam tempus egrediatur infantiæ, terra Samariæ ab Assyriis vastanda est, respondeant quomodo Ezechias triginta & uno annis infantulus prædicetur, & tam rudis ætatis, ut mel & butyrum comedens nesciat quid sit bonum vel malum? Quod cùm probare non poterunt, agnoscant esse falsum quod super Ezechia interpretari conantur.

4 Reg. 16. 1.

72. Præterea illud attendat quòd is qui de Virgine nasciturus est, non sit à Propheta vocatus Ezechias, sed Emmanuel. Hoc, inquiunt, referri potest ad Ezechiam, quia cunctis diebus vitæ ejus fuit Deus nobiscum, quod intelligitur Emmanuele. Respondemus hoc verum esse, si Ezechias eo tempore nasciturus esset, quo hæc prædicta sunt, sed jam novem annorum erat. Ergo neque nomen, neque nativitas ei aptari potest. Sed iste qui nasciturus est de puella, ut ipsi volunt, vel de virgine, ut nos probamus, hoc nomen debet habere. Probent Ezechiam ætate novem annorum secunda vice non de propria matre, sed de puella natum, & unum hominem secundùm carnem posse duas matres & duas nativitates habere, & dabimus ei cum secunda nativitate hoc nomen quod est Emmanuel. Quod si bis natus fuerit, & bis conceptus erit, quia propheta de nascituro sic ait: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Sed quod novem annorum adolescens iterum possit à patre generari, vel à matre concipi, & corpus ætate solidum iterum resolvi in humorem aptum ad concipiendum, sicut nefas est credere, ita stultissimum est affirmare. Desinant itaque prophetiam de Christo ad Ezechiam vertere, quia ex superioribus liquet, ea quæ dicunt omnino esse non posse; & hoc quidē nos speramus satis apertè monstrasse.

Demonstratur prophetiam de Christo non intelligi de filio Isaiæ.

73. Transeunt ad aliud, & dicunt Isaïam duos filios habuisse, quorum unus dictus sit Jasub, alter Emmanuel: & quia in consequentibus legitur, *& accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium*, prophetiam de filio ejus Emmanuele dictam esse contendunt. Quibus respondemus: Si hæc de filio Isaïæ dicta sunt, quomodo præsumsit pater ejus filium suum hoc nomine nominare quod est Emmanuel contra Domini jubentis imperium? Nam sequitur: *Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, Velociter spolia detrahe, cito prædare, quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Quomodo ista de Emmanuel filio Isaïæ dicta sunt, cùm & ipse natus sit antequam hæc propheta prædiceret? Nam sic legitur: *Et dixit Dominus ad Isaïam: Egredere in occursum Achaz tu & Jasub filius tuus qui derelictus est.* Qui Jasub ideo derelictus dicitur, quia frater ejus de quo nunc sermo est, juxta sententiam Judæorum fugerat ad Assyrios, & prodiderat eis partem civitatis. Et hunc dicunt esse Rapsacen, qui locutus est Hebraïcè ad eos qui sedebant super murum quando exercitus Sennacherib obsederat Jerusalem. Sed fidem dictorum his à quibus dicta sunt derelinquentes, probemus non eumdem esse filium Isaïæ, quem hic propheta de virgine nasciturum affirmat. Patet cunctis qui noverunt historiam, quod sub rege Achaz ascendit Tegla Phallasar rex Assyriorum in Damascum, & vastavit eam, & transtulit habitatores ejus Cyrenen, & Rasin interfecit. Hinc Judæi argumentum assumunt, & ab Emmanuele transeunt ad nescio quem filium tertium Isaïæ, quem prophetissa, ut ipsi asserunt, juxta prophetæ sermonem concepit & pepe-

Isa. 8. 3.

Ibid.

Isa. 7. 3.

rit, & nomen imposuit *Cito prædare*; & dicunt antequam ille, qui sub rege Achaz natus est, sciret vocare patrem & matrem, quòd rex Assyriorum Damascum vastaverit. Sed quæso, ut respondeant, quomodo spolia Samariæ idem rex Assyriorum abstulerit, antequàm prædictus puer tempus egrederetur infantiæ, cùm manifestum sit, quòd sexto anno regni Ezechiæ Samaria subversa sit à Salmanasar rege Assyriorum, utrumque debere compleri antequam puer vocare sciret patrem & matrem asseruit, qui ait: *Antequam sciat puer hæc & illa, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Aut quomodo sub uno completum esse probabunt quod sub duobus regibus actum est? Quocumque anno regni Achaz Damascus à Tegla Phalasar subversa sit, illud tamen notum est, quòd sexto anno regni Ezechiæ Samaria à Salmanasar rege Assyriorum vastata est. Et si primo anno regni Achaz quando hæc dicta sunt conceptus & natus est puer, hoc enim volunt Judæi, quòd statim accessit ad prophetissam, & concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus *Velociter spolia detrahe, cito prædare*, vel ut multum sit, tertio vel quarto quomodo nescitur vocare patrem & matrem qui eo tempore quo Samaria subversa est, si diligenter annos numeremus, decem & octo annorum fuit. Achaz quippe regnavit annis sexdecim, & si puer infra quatuor annos regni ejus primos natus est, duodecim annos qui remanent habuit sub Achaz, & sex sub Ezechia, qui simul fiunt decem & octo. Num per tantum tempus mutus fuit, & non posset vocare patrem & matrem, aut nesciret? Eligant quodcumque voluerint, & dicant nobis utrum puer iste natus fuit antequam Damascus subverteretur, vel ante subversionem Samariæ. Dum utrumque uno tempore fuisse probare non possint; probent prius quomodo infans, quem eo tempore natum esse volunt, à subversione Damasci per vinginti annos & supra usque ad subversionem Samariæ semper elinguis fuerit, & discernere nescierit inter bonum & malum; simulque ostendant de quo dictum sit, quòd post pauca propheta subjungit, ubi describit exercitum Assyriorum venientem contra Jerusalem, dicens: *Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ, ô Emmanuel.* Num Emmanuel quem dicunt filium Isaïæ fuisse, totam Judæam obtinuit? Nullus regum Emmanuel dictus est. Quis ergo est cui Propheta loquitur, quòd extensio alarum regis Assyrii, hoc est multitudo exercitus illius, totam terram Emmanuelis operiat? Terra ejus, inquiunt, dicta est, eo quòd in ea natus est. Si hoc de nato jam Emmanuele filio Isaïæ dicunt, falsissimum est; si de nascituro Virginis filio, verissimum atque firmissimum est. Omnis enim mundus ejus fuit antequam nasceretur, sed Judæa propriè ejus terra dicitur, quia in ea nasciturus erat, quia futurum erat quod ait propheta *Concipiet & pariet filium*, & de præterito nequaquam valet intelligi. Simulque notandum, quòd terram illius vocet antequam fiat homo, ut potentiam deitatis ejus insinuet, qua cuncta regit ut Deus, qui est de Virgine nasciturus ut homo. Quod si omnibus modis obtinere voluerint, quòd Isaïas hunc Emmanuelem de Prophetissa genuerit, audiant quod ille qui natus fuit, si tamen aliquis fuit, sit vocatus à Domino *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Respondeantque quomodo Propheta non erubuit coram duobus testibus, ut conciperet, ad prophetissam accedere? Sic enim ait: *Et adhibui mihi testes fideles Uriam sacerdotem & Zachariam filium Barachiæ, & accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium.* Cogamus eos, velint nolint, ut fateantur prophetam contra legem egisse, dicente Moyse: *Turpitudinem uxoris tuæ non revelabis*, qui duos adesse coëgit ubi cum uxore coïerit. Testes esse non possent nisi vidissent vel audissent quæ propheta fecisset. Sed absit hoc à sancto viro, ut aliquid inhonestum vel sanctæ legi contrarium egerit. Desinant ergo non minus stultè quàm imperitè prophetiam de Christo referre ad Ezechiam vel ad filium Isaïæ, cùm neutrum sit probabile. Satis enim apparet ex superioribus, quòd magis innituntur aperto mendacio, quàm in testimonio veritatis. His ergo omissis intueamur rei veritatem, & quod suum esse nolunt, nostrum esse probemus.

Isa. 8. 3. Isa. 8. 8. Isa. 7. 14. Isa. 8. 1. Ibid. 2. Lev. 18. 7.

74. *Audite ergo domus David.* Quibus superiùs dixeram *audite & nolite intelligere*, ne contrarius sim sententiæ superiori, audite quid facturus sit Dominus, qui concedit auditum, sed subtrahit intellectum. Audite novæ nativitatis arcanum, sed abscondatur à vobis divini sacramenti mysterium. Ait enim mihi Dominus: *Excæca cor populi hujus*, ut quamvis audiatis, tamen non intelligatis. Videatis Deum hominem factum, & non agnoscatis eum. Frustra ergo Judæi affirmant se hanc prophetiam intelligere, cùm ab ipso Domino cor eorum obcœcatum sit & induratum, id est cœcari & indurari permissum, ablatusque sit ab eis intellectus prophetiæ hujus, ne convertantur & sanentur. *Audite*, inquit, *domus David.* Est-ne parum vobis quod molesti estis hominibus, non credentes ea quæ prophetæ prænuntiant, qui homines sunt, nisi molesti estis & Deo meo, non credentes quod ipse vobis hoc signum daturus sit, quod promittit? Propterea non, non fiet per alium quod daturus est; sed ipse dabit vobis signum, quod est seipsum; quod quamvis audiatis, non intelligetis, quia cœcati estis & indurati, ne vobis signum hoc veniat in salutem, sed fiat ipse vobis lapis offensionis & petra scandali in laqueum & in ruinam. Non fiet quod antea factum est, aut post illud futurum quid simile, sed quod usus naturæ nesciet, & humana ratio ignorabit.

Isa. 7. 13. Verus prophetiæ sensus explicatur.

75. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Isa. 7. 14.

Ecce novum, ecce mirabile sæculis inusitatum, & humanis auribus inauditum. Ecce pro una costa quam tulit Dominus de Adam ut formaret eam in mulierem, reddetur pro osse vir, pro costa corpus integrum; & quæ virum decepit, viri deceptorem decipiet, reddendo virum pro viro, pro perdito Salvatorem, pro servo Dominum, pro creatura Creatorem restituet. Et hoc quomodo? Virgo concipiet, non de viro, quia si virum cognoverit, non poterit virgo concipere; sed ipse Dominus dabit hoc signum, ut Virgo concipiat. Ergo quod natura est impossibile implebit potentia Deitatis. Ne miremini si Virgo concipiat, multa enim signa contra omnem usum, contra naturæ ordinem hactenus facta sunt. Rubus in igne non aruit, virga Aaron florem & fructum protulit, vellus in area maduit, & miramini si virgo concepit? Natura non potest contra naturæ donum, nec usus contra Deum qui omnipotens est, & nihil ejus voluntati difficile. Poterit ergo verum esse, quod ipse disposuit, videlicet quod virgo concipiat. Sed cùm tantum sint creator & creatura, & virgo non possit de viro concipere, ut in conceptu virgo permaneat, nec homo possit ab alia creatura concipi nisi ab homine, restat ut si virgo concepit, non de creatura, sed de Creatore concipiat, & cùm omnis conceptus ex carnis voluptate proveniat, attestante Propheta, qui ait: *In peccatis concepit me mater mea.* Nemo concipitur sine peccato, sed ipse Dominus hoc signum daturus est, quòd Virgo concipiat. Ergo conceptus iste sine peccato erit. Concipiet itaque cum integritate virginitas, non de carne, sed de Spiritu; nec carnis ardorem, sed divinum florem, super quem requiescet idem Spiritus septiformis. Concipiet de virtute virginitas & lilium germinabit, nec tamen Patrem aut Spiritum-sanctum, sed tantummodo concipiet & pariet Filium. Genitum ab æterno concipiet, conceptum ex tempore pariet unigenitum Altissimi Filium. Quid natura miraris? Virtus Dei est quòd Virgo concipiet, subtrahe cursum, nec quæras usum. Cesset consuetudo, mutetur agnitio. Sola divina ratio prævaleat, cui omnia possibilia sunt, cujus velle potentia, cujus posse est omnia. Virgo concipiet, non ex ardore carnis, sed ex amore divino: de virtute, non de vitio; de Creatore, non de creatura; hoc est de Spiritu sancto. Virtus Altissimi erit quòd concipiet, & Virtutem Altissimi, hoc est Dei Filium pariet. Et quia non erit vitium in conceptu, non erit difficultas in partu; quia Virgo concipiet, & Virgo pariet. Absit enim à divinitate corruptio, quæ cuncta virtute penetrat, potentia cuncta perlustrat. Qui se absque omni corporis læsione ingerit desiderio mentis humanæ, non poterit salva corporis integritate nasci de Virgine? Qui non dividit terræ molem & tamen intuetur abyssos, non poterit salva matris integritate prodire? Facile est omnipotenti qui cuncta creavit ex nihilo corpus formare de corpore, & novo modo novum hominem quarta vice formare. Primum namque formavit hominem de limo terræ, secundò formavit mulierem de latere viri, tertiò de commixtione maris & feminæ, quartum genus est quod Virgo concipiet & pariet Filium. Prius fuit mulier sine muliere formata de viro, nunc vir sine viro de muliere formabitur, quia *Virgo concipiet & pariet filium.* Verè de Spiritu sancto conceptus erit in utero quadam ineffabili mutatione naturæ, habebitque crescendi primordia, donec perfectè novus homo formetur in utero, ut qui Dei Filius est ab æterno, Virginis filius fiat ex tempore, quem ipsa Virgo concipiet, & absque omni læsione integritatis filium pariet. Dignum namque est, ut quod potentia Dei absque omni peccato incœpit, sine omni corruptione perficiat, hoc est ut matrem conservet illibatam Incarnata Divinitas, & illius virginitatis honorem amplificet deitatis Incarnatæ nova nativitas.

Signa multa in Scripturis contra naturæ ordinem.

Psal. 50. 7.

Hominis quadruplex formatio.

76. Concipiet ergo & pariet filium, & vocabitur uno nomine, quod duas in ipso naturas, divinam scilicet & humanam, insinuet. Vocabitur enim Emmanuel, quod est nobiscum Deus. Hoc quippe sonat hoc nomen, quòd Deus inter homines est conceptus & natus ex virgine. Dicitur namque nobiscum Deus, quia invisibilis in sua natura ab æterno in nostra visibilis venit ex tempore, una persona Deus & homo ex duabus compacta naturis, homo cum hominibus, ut verè sit hoc quod vocabitur Emmanuel. Vocabitur quidem aliis nominibus quæ sequuntur, *Velociter spolia detrahe, cito prædare*, natus & adhuc parvulus aliis sex nominibus *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, quibus sempiterna virtus ejus & divinitas prædicabitur. Verùm hoc nomen quod est Emmanuel, exprimet in eo utramque naturam, divinam & humanam, hoc est Deum hominem esse factum inter homines, hunc Virgo concipiet & tamquam filium pariet, ut inimicitiarum vindictam exerceat, ac matris injuriam vindicando de serpente triumphet. Illa sententia Domini veritate completa, qua dictum est *Ipse conteret caput tuum.* Is contra fortem virtute fortiori procedet, sinistra pugnabit ut dextera, pro matre filius, pro homine Deus, fietque pro primi parentis delicto redemtio vera, pro dolo decipientis victoria gloriosa. Hunc Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Emmanuelis nomen duas insinuat naturas.

Isa. 9. 6.

Gen. 3. 15.

77. Hic resistunt Judæi, affirmantes nequaquam haberi in Hebraïco quod virgo concipiet, sed puella. Quibus respondemus, ut dicant nobis quæ fuerit illa puella quæ concepit filium, de quo propheta nunc loquitur. Qui nisi ad opiniones superiùs explanatas se verterint, minimè poterunt ali-

Judæorum objectio contra Virginitatem Christum parituræ.

quam reperire, quæ hanc prophetiam impleverit, & illas omnino falsas puto sufficienter satis esse probatum. Præterea illud quod nobis objiciunt in Hebraïco non haberi *bethula*, quod latinè dicitur *Virgo*, sed pro hoc verbo scriptum est *Alma* quod *puellam* sonat, audiam apud eos *Alma* verbum esse ambiguum, & non tantùm puellam, sed adolescentulam vel absconditam interpretari, & non quamlibet puellam, sed infra annos puellares constitutam, ac parentum studio diligentissimè custoditam, & quæ numquam patuerit virorum aspectibus resonare. Simulque respondeant ubi umquam legerint *Alma* positum pro muliere nupta & virum experta. Rebecca quidem dicta est *Alma*, sed antequam perveniret ad nuptias Isaac. Itaque sive puella, sive adolescentula dicatur, pro nobis facit. Utrumque enim recipimus, quod puella fuerit minoris ætatis, & adolescentula infra annos puellares. Cùm id probare non possint, neque per historiam, neque per auctoritatem, quòd de viro conceperit; dicant nobis quæ sit ista mulier, sive puella; vel quis sit ejus filius, & nos parati erimus assentiri veritati per omnia. Hoc tamen caveant ne dicant aliquid super hoc capitulo quod probare non possint. Adhuc enim, ut mihi videtur, super eos sententia manet, qua dictum est: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, ne fortè videant & intelligant, & convertantur & sanem eos.* Quæ Dei misericordia relaxabitur, quando velamen auferetur à facie Moïsi, & pallium de vultu Eliæ, ut residuum populi Judæorum saltem posteriora Domini videat, ac eum per passionem & mortem ad gloriam majestatis pervenisse cognoscat. Hæc contra Judæos de præsenti capitulo breviter dixisse sufficiat.

Alma vox Hebraïca quid significet.

Isai. 6.




DIALOGUS



DIALOGUS
INTER
CLUNIACENSEM MONACHUM
ET CISTERCIENSEM
DE DIVERSIS UTRIUSQUE ORDINIS OBSERVANTIIS.

Ex mſ. codice monaſterii Morimundi.

ADMONITIO PRÆVIA.



IALOGUM Cluniacenſem inter monachum & Ciſtercienſem de variis utriuſque ordinis obſervantiis, ſuppeditavit nobis codex antiquus Bibliothecæ Morimundi monaſterii ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Lingonenſi, ante annos quingentos exaratus, quem inter plura alia humanitatis officia nobis exhibita tranſcribendum gratanter conceſſit Reverendiſſimus Abbas ejuſdem monaſterii.

Auctor ipſius Ciſtercienſis ordinis fuit, qui primum in Cluniacenſi monachus factus fuerat ad ſuccurrendum, *hoc eſt in extremo vitæ periculo conſtitutus Regulæ Benedictinæ profeſſionem emiſerat, quam ſanitate recuperata publice coram Deo & ſanctis ejus ratam habuerat; cumque decennium integrum Cluniacenſi in ordine tranſegiſſet, majoris perfectionis deſiderio accenſus, ad Ciſtercienſem convolavit, atque ut tranſmigrationem ſuam ab omni levitatis aut inconſtantiæ vitio vindicaret, ſequentem Dialogum conſcripſit, in quo Cluniacenſes aliquando plus æquo perſtringit, Ciſtercienſes vero ſuos mite, nec ſane immerito, extollit.*

Quis autem ille fuerit, cùm nomen ſubticuerit ſuum, certo reſcire non poſſumus. Extitiſſe tamen Germanum plura perſuadere videntur, nam primo divino quaſi oraculo per quemdam fratrem de RICHERSPERG, *ad tranſeundum in ordinem Ciſtercienſem ſe fuiſſe allectum aſſerit initio ſui Dialogi num.* 1. *Deinde ſe hac de re contuliſſe* cum Domino G. Admuntenſi abbate doctæ ſanctitatis & magnæ honeſtatis viro, *ejuſdem Dialogi part.* 2. *num.* 19. *Porro Richerſpergenſe monaſterium uti & Admuntenſe in Germania ſunt conſtituta, & quidem Admuntenſe à Gebehardo Saliſburgenſi archiepiſcopo ſæculo* XI. *fundatum; in cujus etiam diœceſi ſitum eſt Richerſperſenſe. Præterea Dialogi ſui parte* 3. *num.* 25. *dicit tunicam veſtem eſſe ex laneis filis contextam* ſecundùm communem uſum tam Latinorum quàm Teutonicorum: *quæ verba ſcriptorem natione Germanum clare evincunt. Denique modus pronunciandi* Cloniacenſis *pro* Cluniacenſis, Roudpertus *pro* Rupertus, *quid aliud quam germanicæ nationis hominem demonſtrant?*

Jam vero quonam tempore opus suum condiderit paucis inquirendum est. Sane cum primævum ordinis Cisterciensis fervorem, integram primorum Patrum disciplinam ubique spirent verba auctoris, eum sæculo duodecimo scripsisse manifestum est. Præterea Rupertum abbatem Tuiciensem adducens in medium Dialogi prima parte num. 34. ita habet: Quod munus impii non sit accipiendum etiam NOSTRI TEMPORIS scriptor, domnus Roudpertus Tuiciensis abbas testatur. *Porro Rupertus initio sæculi duodecimi florebat, scribebatque anno* MCXI. *ut ipse declarat libro 8. de divinis officiis cap. 4. Scripsit itaque monachus ille Cisterciensis Dialogum suum sæculo* XII. *& quidem media sui parte jam evoluto. nam libros S. Bernardi varios, etiam eos quos de Consideratione ad Eugenium papam sub finem vitæ scripsit abbas sanctissimus, citat, quemadmodum & Gratiani decretum quod anno 1151 prodiit in lucem. immo cum* FELICIS MEMORIÆ domnum Bernardum Clarevallensem abbatem *appellet; clarum est operi suo manum admovisse defuncto jam Bernardo, hoc est post annum 1153. verum ante sancti abbatis canonizationem illud perfecisse inde conficitur, quod cum Bernardum sæpissime laudet, numquam tamen eum* sanctum *appellat, sed simpliciter* domnus Bernardus *aut* abbas Clarevallensis *proferat, quod sane non fecisset, si sanctorum numero adscriptus ille fuisset, multo minus sanctum Bernardum scribendo aliquando dormitasse affirmasset. Igitur sequens Dialogus inter annum 1153 quo Bernardus obiit, & 1174 quo in sanctorum album solemni ritu referri meruit scriptus est. Cujus auctor quicumque tandem ille sit, fuit vir ingenio, eruditione & pietate præstans, qui nec sine delectatione, nec sine fructu percurri potest. Ex hoc vero opere disces excitatas initio Cisterciensis ordinis querelas Cluniacenses inter monachos & Cistercienses, nec S. Bernardi ad Guillelmum abbatem Apologia, nec Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis epistola præclara ad sanctum Bernardum, statim sopitas fuisse.*

INCIPIT DIALOGUS DUORUM MONACHORUM

CLONIACENSIS. A CISTERCIENSIS.

Instabilitas reprehenditur.

1. INTER omnia quæ vitiosis dominantur vitia, nullum est instabilitate detestabilius. hoc enim vitio irretiti homines, à discretis & ratione utentibus hominibus, etiam in ipsa qua apparent sancta conversatione, quasi desperati habentur. Nec mirum cùm instabiles in nulla vitæ suæ qualitate, nisi in sola instabilitate stabiles, ut ita dixerim, quasi utens oppositione in adjecto, à Sancto Spiritu sint cauteriati in sacra Scri-
Eccli. 41. 24. ptura ubi dicit: *Melior est iniquitas viri, quam bene faciens mulier.* Hæc sacræ auctoritatis verba quamvis & alium generent intellectum, tamen leves & inconstantes tamquam muliebri vitio laborantes apta descriptione depingunt. Sed cùm instabiles etiam in sæculi hominibus alii detestentur sæculares; non solum detestandi, verum etiam abominandi sunt monachi illi, qui de antiquo & discreto Cloniacensi ordine ad indiscretam Cisterciensium novitatem levitatis & inconstantiæ instinctu quasi quadam impulsiva causa rapiuntur contra rationem, contra suam ipsorum professionem, contra Apostoli præceptum di-
1. Cor. 7. 20. centis: *Unusquisque in ea vocatione in qua vocatus est permaneat.*

Auctor narrat suum à Cloniacensi ad Cisterciensem ordinem transitum.

2. Dictorum tuorum sententiâ generaliter prolatâ, cùm præsens sim, me specialiter notari non dubito: quia ut nosti in Cloniacensi ordine, immo consuetudine, jam decem annis conversatus sum, vix unius tridui monachus. Aspirante vero divina clementia de Cloniacensi ordine imo consuetudine ad Cisterciensium, nec ut tu calumniaris, indiscretam novitatem, sed antiquam discretionem & regularem veritatem, nullo levitatis vel inconstantiæ instinctu raptus, sed potius longa deliberatione prius habita transivi. Ratione itaque persuadente, & sacra auctoritate compellente, secutus sum meam ipsius professionem, & Apostoli illud quod mihi opposuisti præceptum, periculoso naufragio meo mihi cooperante, & quodam quasi divino oraculo per quemdam fratrem de Richersperge ab alia nave clamosa voce hunc ipsum transitum meum cohortante. Non ergo absque Dei nutu reliqui illas vestras consuetudines, ex magna parte superstitiosas, & tam decretalibus quam synodalibus sanctionibus ipsique regulæ oppositas.

CLONIACENSIS.

Cloniacenses consuetudines à Sanctis traditæ.

3. Non possum satis mirari, qua fronte

A tam impudenter eorum, qui in nostro ordine Deo placuerunt, sanctorum Patrum traditiones in tantum reprehendas, ut tam decretalium quam synodalium ipsiusque sanctæ regulæ contrarietatem eisdem impingas, magni præsumptoris vicem & personam gerens. Non ergo miror, quod meorum dictorum veritatem cassare & refellere conaris, quamvis tam manifesta sit, ut & lippis & tonsoribus secundùm poëticum dictum patere possit.

CISTERCIENSIS.

4. Monachilis propositi ratio exigit, ut dura & intemperata verba tua quibus me dicis impudentem & magnum præsumtorem cum omni mansuetudine & absque omni indignatione audiam, & absque omni doloris sensu sentiam hanc contumeliam illatam mihi propter veritatem: quæ si te scandalisat, patrona mea excusabit me auctoritas, scilicet sancti Gregorii dicentis: *Si pro veritate scandalum sumitur*, [a] *melius est ut scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.* Ipsa Veritas Christus, sicut evangelica testatur historia, tributum cujus debitor non fuit, ne exactores ejus scandalizaret dedit, & tamen quando Scribæ & Pharisæi scandalisati sunt pro eo quod dixerat, non quod intrat in os coinquinat hominem, scandalum eorum, quia veritatem dixerat, pro nihilo habuit, dicens: *Sinite eos, cæci sunt, duces cæcorum, &c.* ecce quos hic tamquam cæcos duces deserendos esse dicit, eosdem cum obedientia audiendos esse affirmat hoc præcepto, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, facite; secundùm opera verò eorum nolite facere.* Quid ista, ut videtur, verborum contrarietate Summi Patris sapientia nos docet, nisi ut prælatos nostros, quamvis pravam vitam habentes, si secundùm sacræ legis auctoritatem nos & regunt & docent, cum omni obedientia audiamus: si vero tali perversitate perversi fuerint, ut in regimine subditorum suæ voluntatis motum vel opinionem, non sacræ legis auctoritatem sequantur, sed audita à subditis sacræ legis auctoritate scandalisati & indignati irascantur, tunc eosdem tamquam cæcos duces fugiamus, ne cum ipsis in æternæ damnationis foveam incidamus? Quod autem in suggillatione mea poëticis verbis uteris, non miror, quia tibi & ceteris tui ordinis monachis poëtica figmenta adeo placent, ut in eis studeatis, & eadem lectitetis, & doceatis etiam in illis horis, quas S. Benedictus sacræ lectioni & manuum operi designavit & instituit.

Greg. hom. 7. in Ezech. [a]

Matth. 15. 14.

Matth. 23. 2.

Reprehendit Cluniacenses quod poëtas legerent.

CLONIACENSIS.

5. Libros gentilium legere solemus, ut per eorum lectionem majorem sacræ Scripturæ intelligentiam nobis comparemus, quia sicut tibi notum est, sacra lectio & oratio in nostro ordine sibi invicem succedunt. de lectione itur ad orationem, ab oratione reditur ad lectionem; & sicut vester ordo est activus, quia elegit sibi justum laborem cum Martha; ita noster ordo est contemplativus, quia elegit sibi sanctum otium cum Maria, quæ quia elegit sibi, Christo teste, partem meliorem, non dubito nostrum ordinem vestro ordine esse digniorem.

Lectio & oratio sibi succedunt in ordine Cluniacensi.

CISTERCIENSIS.

6. Christus in Evangelio dicit Judæis, *Erratis nescientes scripturas.* Idipsum liceat mihi, B salva pace tua, tibi dicere, caritate compellente, erras, frater, scripturas ignorans.

Matth. 22. 29.

CLONIACENSIS.

7. Caritas de qua dicit Apostolus, quia patiens est, quia benigna est, ipsa revera non compellit te ad hoc, ut lædas me, errorem & ignorantiam scripturarum cum quadam insultatione mihi improperando: sed quædam animi tui passio, illa scilicet indignatio, quam falsa habet justitia, de qua dicit beatus Gregorius: *Vera justitia habet compassionem, falsa justitia habet indignationem.*

Greg. hom. 34. in Evang.

C

CISTERCIENSIS.

8. Caritas de qua scriptum est, quia patiens est ad tolerandas injurias, benigna ad conferenda beneficia, sicut testatur in quadam epistola sua felicis memoriæ domnus Bernardus Clarevallensis abbas, ipsa pie solet sævire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari.

CLONIACENSIS.

10. Abbas ille, quem præfatus es, in sanctitate, doctrina & eloquente sapientia episcopos & abbates excellenti dono Dei supergressus, vestri ordinis magnum decus, & firmissima columna fuit: qui cùm tantus ac talis esset, ut apostolica sedes ejus inniteretur prudentiæ, nullatenus nostro derogavit ordini, sed potius & multa vivæ vocis laude eum extulit, & speciali tractatu propter ejus laudem suscepto, ipsum commendando laudavit, & laudando commendavit, omnibus vobis idipsum faciendi relinquens exemplum. Omnibus de nostro ordine ad vestrum transire volentibus, tamquam otiosam & superfluam vitæ & habitus immutationem dissuasit. Omnes de nostro ordine ad suum monasterium sine commendatitiis litteris venientes, & suo regimini subdi cupientes retinuit & remisit.

D S. Bernardi elogium.

E

CISTERCIENSIS.

11. Non est ita, ut asseris. Lege regestum

(a) Idem habet S. Augustinus lib. de Libero arbitrio, & de Prædestinatione Sanctorum & S. Bernard. epist. 34. ad Drogonem & epist. 78. ad Sugerium.

Diversimode se gessit S. Bernardus erga Religiosos aliorum ordinum ad se transire volentes.

epistolarum ejus, & longe aliud invenies. quosdam enim, scilicet perseveranter pulsantes suscepit: aliquos etiam suis abbatibus remisit, illos forsitan in quibus ut homo sagacis ingenii aliqua futuræ instabilitatis prognostica deprehendit. Quod autem perseveranter pulsantes receperit, ipse testatur de quodam quem recepit, & secum usque ad obitum ejusdem habuit contra voluntatem abbatis sui, conquerentis de injuria, ut sibi videbatur, illata. Confitetur, inquam, in quadam epistola sua eidem abbati post obitum recepti missa, fatentis verba sunt ista. *Denique non eum prævenimus sollicitando, non circumvenimus attrahendo, quo vos desereret, vel ad nos veniret: quin potius rogantem, pulsantem, supplicantem, non prius, Deus scit, consensimus recipere, quam remittere tentavimus, non autem eo acquiescente, ejus nos importunitati vix tandem acquievimus.* Et in alia quadam epistola sua, cujus magnam partem ecce tibi recolo propter tuam & aliorum ædificationem, quibusdam monachis in simili causa querimoniam facientibus, respondet his verbis: *Modestiæ quidem vestræ erat, ô boni fratres, super querimonia vestra priori nostra satisfactione contentos vos esse debere, & ab immeritorum infestatione quiescere: sed quia prioribus malis pejora junxistis, & rursus nobis jurgiorum seminaria misistis, quæ absit ut germinent, sicut nec priora germinaverunt in nobis: ne tamen non respondendo culpam quæ non est cognoscere videamur; hæc etiam sedulo ad ea quæ procaciter objicitis, veraciter respondemus. Hæc tota nostra culpa est, quantum æstimamus; hæc grandis illa injuria quam vobis fecimus, quod monachum, solum, peregrinum, pauperem, miserabilem, animæ suæ periculum fugientem, salutem suam sollicite quærentem, pulsantem, supplicantem suscepimus; seu quod talem taliter susceptum denuo non ejecimus, ut quod ædificavimus, iterum destruentes prævaricatores nos constituamus. Hinc regulæ, hinc canonum, hinc ipsius naturalis legis transgressores judicamur. Opponitis enim cur vestrum, & à vobis excommunicatum, nobis sociare præsumsimus: quod utique ab alio pati nolimus. Sed de excommunicatione quid respondebimus? quando vos vobis inde satisfacitis pro nobis, scientes procul dubio prius à nobis fuisse receptum, quam à vobis excommunicatum. Cum autem prius susceptus, dum tamen regulariter fuerit, profecto non jam in vestrum, sed in nostrum vestræ maledictionis sententiam intorsistis: quod si recte factum sit, vos videritis. Restat ergo sciendum, & hoc tantum quæritur inter nos, an rationabiliter susceptus sit: Et vos quidem de ignoto monasterio monachum regulariter posse suscipi non negatis. Vestrum nobis notum esse contenditis: Negamus, & non creditis. Verùm si non creditis simpliciter negantibus, credite vel jurantibus. In Veritate, quæ Deus est, vobis dicimus, nec novimus vos, nec noscimus, ignotorum scripta suscepimus; ad ignotos rescripsimus: sensimus quidem stimulationes & inquietationes vestras, sed necdum sti-*

Epist. 65. ad Alvis. abb. Aquicinct.

Epist. 68. ad monach. Flaviacenses.

A *mulatores & inquietatores agnovimus. Vos tamen ad convincendum nos de simulata ignorantia invictissimum argumentum inducitis, non posse videlicet ignotos esse nobis, quorum & abbatis scilicet & ipsius monasterii nomen in nostris posuimus litteris: quasi mox ut rerum vocabula scimus, etiam res ipsas noverimus. Multum ergo valet mihi Michaëlis, Gabrielis, Raphaëlis nomina nosce, quando ex solo auditu vocabulorum, etiam de ipsorum beatorum spirituum cognitione jam beatus sum. Non mediocriter, inquam, profeci, quia didici ab Apostolo paradisum æthereum cœlum nominare; sed & non raptus cum Apostolo solis ex nominibus secreta*
B *cœlestia jam novi, & audivi verba quæ non licet homini loqui. Stultus ergo, qui jam sciens nomen Dei mei, nescio quid adhuc superflue gemo quotidie, frustra suspirans, & dicens cum Propheta:* Vultum tuum, Domine, requiram. Ps. 26. 8. *Et illud*, Quando veniam, & apparebo Ps. 41. 3. ante faciem Dei? *Et*, Ostende faciem tuam, Ps. 79. 4. & salvi erimus. *Sed quid est quod vobis facimus, quod nobis fieri nolimus? hoc nos utique nolle putatis, ut quis à nostro monasterio discedens monachus in alio suscipiatur. Utinam omnes commissos nobis sine nobis salvare possitis. Si quis de nostris ad vos majoris perfectionis*
C *gratia, & arctioris vitæ desiderio, convolaverit; non solum non causamur, si ei in tali studio consulitis; sed & multum precamur ut hoc faciatis, nec offensos nos conqueremur, sed valde in hoc esse adjutos fatebimur.* Ecce habes ipso testificante quod non omnes de vestro ordine ad se venientes, & suo regimini subdi cupientes rennuit & remisit.

CLONIACENSIS.

12. Sicut ex verbis ejus, modo dum recitabas, ea colligere potui, abbas ille noluit esse consequens, ut noto nomine & abbatis & monasterii propter hoc notum sit ipsum mo-
D nasterium: quam ergo voluerit esse notitiam quæ monachum de uno monasterio ad aliud transire volentem non permittat recipi absque consensu abbatis sui. Dic, si nosti, quia audire desidero.

CISTERCIENSIS.

13. De hoc ipso, sicut accepi, in quodam Cisterciensi capitulo orta est quæstio. Quidam dixerunt monasteria in uno & eodem episcopatu sita, quia monachi eorum ab uno &
E eodem episcopo suos acciperent ordines, dici debere sibi invicem esse nota. Alii dicebant illa monasteria sibi invicem esse nota, quorum vicinia & abbates & monachos familiari conjungit amicitia, & monachum non esse recipiendum absque consensu abbatis sui, ne rumpatur familiaris amicitiæ vinculum. Abbas verò Clarevallensis talem in medium protulit sententiam, nulla vicinia, nulla familiaritas facit illam de qua queritur notitiam, si monachi sequantur vel

Quomodo intelligi debet de noto monast. neminem recipiendum sine commend. litteris.

suas opiniones, vel hominum traditiones, & non vivant secundùm illam quam professi sunt sancti Benedicti regulam, quæ lex est monachis à Deo data per legislatorem sanctum Benedictum quasi per alterum Moysen. Christus enim in Evangelio arguit Pharisæos de transgressione legis, dicens: *Quare vos transgredimini legem propter traditiones hominum?* (Matth. 15. 3.) Aut ergo dicendum est cum Apostolis, *Magis oportet obedire Deo quam hominibus*; (Act. 5. 29.) aut audiendum cum Pharisæis: *Quare vos transgredimini legem propter traditiones hominum?* Ecce habes quod quæsisti. dices tu mihi, in quo tractatu vestrum laudaverit ordinem, qui non sequitur legem, sed traditiones hominum. Non enim credere possum, tam cautum, tam sanctum, tam discretum abbatem in suis dictis & scriptis, sibimetipsi fuisse contrarium.

(An & ubi S. Bern. laudaverit ordinem nigrum.)

CLONIACENSIS.

14. In eo tractatu quem scripsit [a] Carnotensibus nostri ordinis monachis, & in illa longa epistola, quam scripsit ad W. [b] abbatem S. Theodorici in nostro ordine, lege utrumque, & in utroque invenies eximiam nostri ordinis laudem.

CISTERCIENSIS.

15. Utrumque legi & relegi, & diligenter consideravi: in prima lectione idipsum quod tibi, visum est mihi: nec mirum, quia in utroque loquitur eo dicendi genere, in quo simplices & minus diligenter legentes falluntur lectores.

CLONIACENSIS.

16. Quod est illud dicendi genus, quod auditum suos auditores, & lectum suos facit cæcutire lectores?

CISTERCIENSIS.

17. Rhetores appellant illud Insinuationem, qua utendum est in defensione illius accusati, quem auditores adeo exosum habent, ut patronum causæ ejus nullatenus velint audire. Tunc enim advocatus accusati in principio orationis cum detestantibus detestatur, cum accusantibus accusat eum ipsum quem excusare intendit: postea verò mira verborum arte, quæ firmaverat infirmat, quæ accusaverat excusat, & è contrario in contraria causa. Nihil ergo mirum, si vir doctæ sanctitatis, & sapientis eloquentiæ, vestris scribens insinuative usus est industrii oratoris officio, eo tempore quo vestri nostros nimio oderant odio, appellantes eos detractores, & laceratores sui ordinis, & æstimantes se viliores & despectiores haberi apud sæculum, quia nostri quasi singulares & novi monachi inter vestros habitare videbantur, quod testatur HUGO Lugdunensis archiepiscopus, & in quadam epistola sua eisdem verbis, quæ ego modo dixi. Scripsit itaque vir sanctus sicut decuit scribere virum sanctum: illum scilicet, quem describit S. Jeronymus exponendo verba libri Danielis prophetæ ita: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* (Dan. 12. 3.) Dans enim differentiam inter sanctos viros, ait: *Tantum distat inter doctam sanctitatem, & sanctam rusticitatem, quantum inter totum firmamentum & unam stellam.*

CLONIACENSIS.

18. Cum tractatus ille & epistola illa fere in omnibus monasteriis nostris habeantur, & multi docti & litterati viri in nostro sint ordine, nullus eorum sic umquam intellexit sicut tu intelligis illa ad gloriam vestri & ignominiam nostri ordinis. Ipsi quoque vestri ordinis abbates & monachi, qui apud nos hospitantur, & quorum notitiam habemus; nequaquam tuum, sed nostrum in scriptis illis habent intellectum; & si per aliquam occasionem fiat mentio utriusque ordinis, omnes quasi uno ore & eadem sententia nostrum laudant & venerantur, dicentes transitum illum qui à multis fit de nostro in vestrum otiosum & superfluum esse, & magis esse curiositatis, quam alicujus necessitatis vel utilitatis.

(Abbates & monachi Cistercienses divertentes ad Benedictinos eos laudabant.)

CISTERCIENSIS.

19. Solet vulgus inter sua proverbia & isto niti proverbio, cujus panem comedo, ejus & cantilenam cantare debeo. Multi de nostris minus perfecti quando apud vos hospitantur; eodem utuntur proverbio non in voce sed in re: quia si scientiam habent, zelum Dei non habent. Item qui zelum Dei habent, scientiam non habent. Si qui verò sunt qui utrumque habeant, id est zelum Dei secundùm scientiam, parcunt tamen hospitalitatis tempore secundùm illud Salomonis, *Omnia tempus habent, tempus tacendi, & tempus loquendi.* (Eccle. 3, 1.) Istos ego credo magis tacere, quam aliquid loqui de vestra consuetudine: nec tamen culpandos esse propter illius temporis taciturnitatem. unde Augustinus super quintum psalmum: *Manifestum est non esse culpandum aliquando verum tacere.*

CLONIACENSIS.

20. Secundùm Ambrosium & secundùm ipsius rei veritatem tutius est tacere quàm loqui: quia multi peccant in loquendo, vix

(a) Is est insignis ille tractatus de Præcepto & dispensatione nuncupatus, quem ad precem Carnotensium S. Petri monachorum conscripsit.

(b) Id est Vuillelmum abbatem S. Theoderici, cujus rogatu S. Bernardus scripsit Apologiam, quam ille longam epistolam vocat.

aliqui in tacendo: unde Jeronymus in Commentario super epistolam ad Ephesios sic dicit: *Quotiens loquimur aut non in tempore, aut non in opportuno loco, aut non ut convenit audientibus, totiens sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum qui audiunt.* Consideremus itaque quid loquamur, quia pro omni otioso verbo reddituri sumus rationem in die judicii; etiamsi non lædamus, non tamen ædificemus, mali verbi nobis luenda est pœna. Ista sententia à beato Jeronymo generaliter prolata potest terrere cunctos ad loquendum faciles & promptos, & maxime monachos, quorum professio exigit secundùm præceptum regulæ omni tempore silentio studere.

Reg. S. Bened. c. 42.

CISTERCIENSIS.

21. Veritas quæ per os asinæ bruti animalis humana verba protulit, ipsa modo extorsit ab ore tuo magnam tui ordinis reprehensionem, te non intelligente, ad similitudinem asinæ.

CLONIACENSIS.

22. Quod asinæ me procaciter assimiles interim patienter porto: quia quæ sit illa reprehensio audire desidero.

CISTERCIENSIS.

23. Non procaciter, sed ea caritate, quæ juxta dictum sapientis aliquando verbis pie solet sævire propter correctionem errantis: qua caritate Apostolus Galatas insensatos vocat. non video quomodo durius posses ordinem tuum arguere, quàm proferendo in medium illam terribilem sententiam Jeronymi, & præceptum regulæ, de studio silentii omni tempore habendo. Si omni tempore debent monachi silentio studere, id est animum ad tacendum vehementer applicare, quia paria sunt studere & vehementer animum applicare, sicut deffinitio & deffinitum, tunc & post capitulum debent habere silendi studium: sed illo tempore per licentiam ordinis, si tamen ordinis, & non magis exordinationis, habent studium otiositatis & confabulationis. Sedent enim, quia in tam longa hora, & in tanta mora, stare non possent, & loquitur quilibet quodlibet cum quolibet. Ipsa sessio signum studii est. Volant rumores à summo ad imum, & è converso ab imo usque ad summum; & quia unusquisque loquitur cum sibi confidente, consurgit quidam confusus & strepens sonus quasi in foro cauponantium, & quasi in taberna plena compotantium, in qua unusquisque cum suo compotore & unaquæque cum sua loquitur compotrice. Nonnumquam proclamant in capitulo; suos proclamatores duris verbis aggrediuntur in colloquio, & ex confabulandi licentia nascitur rixandi materia, ex rixa minæ & vituperia, in tantum ut necesse sit percussione tabulæ

De studendo silentio.

Cap. 31. l. 1. Consuetud. Clun.

ad capitulum conventum secundo vocari. Hoccine est illud sanctum otium, de quo paulo ante dicebas, noster ordo est contemplativus propter sanctum otium, & vester activus propter justum manuum laborem, tamquam ignorans quid faciat contemplativam vitam & quid activam: propter quod respondi tibi, Frater, erras nesciens scripturas.

CLONIACENSIS.

Satis mordaciter expressisti illam nostri ordinis dispensationem.

CISTERCIENSIS.

24. Immo veraciter exposui ordinis non dispensationem sed dissipationem. Dispensatio enim nec debet nec potest fieri, nisi aut propter magnam necessitatem: ita ut cessante necessitate, cesset quod factum est pro necessitate; aut propter magnæ utilitatis recompensationem, nec dispensator esse potest qui illi præcepto quod dispensandum est subditus est. Nihil enim aliud est dispensatio, nisi illius rei quæ præcepta est per licentiam intermissio. quis enim sibimetipsi, nisi absurdissima præsumtione potest licentiam dare? quia juxta sapientis dictum, *Dispensatio non à te, sed circa te est.*

Quid dispensatio & quando fieri debeat.

CLONIACENSIS.

25. Non possunt abbates dispensare præcepta regulæ?

CISTERCIENSIS.

Non possunt, nisi eo modo quem regula docet. Subditi enim sunt regulæ præcipienti, quod abbas faciat omnia cum observatione regulæ. Plus aliquid infero, salva abbatum gratia, immo ipsorum est ex necessitate magis obedire præceptis regulæ, quàm eorum qui tantum sunt monachi. Ipsi namque bis professi sunt regulam, primò in ordinatione monachi, secundò in ordinatione abbatis. Dic quæso, quæ dispensatio necessaria est illis præceptis, quæ sunt præcipuæ discretionis.

Reg. c. 3.

Abbates bis regulam professi sunt.

CLONIACENSIS.

Æstimo nulla, quia si necessaria est eis, non sunt præcipuæ discretionis.

CISTERCIENSIS.

Mecum sentis. Quid autem est regula nostra, nisi quædam legalia præcepta monasticam conversationem ordinantia & mores monachorum informantia?

CLONIACENSIS.

26. Nihil aliud, quod ostendit sanctus Ja-

cobus in epistola sua dicens, *qui offendit in* A *uno*, subauditur legis præcepto, *reus est omnium*, id est legis: quia lex nihil aliud est quam illa omnia præcepta: & conversim nihil aliud sunt omnia illa præcepta, quam lex. Ipse sanctus Jacobus hoc quod dixerat *qui offendit in uno reus est omnium*, diligenter & fideliter glosat, dicens: *qui dixit Non mœchaberis, dixit Non occides*; *si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Ecce habes quod idem significat nobis per *transgressor legis*, quod significat per *reus omnium.*

Regula quid sit.

Jac. 2. 10.

CISTERCIENSIS.

Placet mihi quod dixisti, sed tibi displicebit quod dicam. B

CLONIACENSIS.

27. Quæ dixisti huc usque ex magna parte mihi displicuerunt. quid mirum si quæ dicturus es displicebunt? Dic tamen quid sit illud; quia ego æquanimiter audire volo talia, cupiens exercitari per ea.

CISTERCIENSIS.

Tui oris confessio, ut tuæ sententiæ consensio, convincit Cloniacensem consuetudinem legis à Deo nobis datæ, id est regulæ, esse prævaricatricem, & per hoc datoris legis, id est Dei; & latoris legis, id est S. Benedicti, esse inhonoratricem. C

Constitutiones Cluniacenses regulæ sunt prævaricatrices.

CLONIACENSIS.

Absit ab ore meo talis confessio & à sententia mea talis concessio.

CISTERCIENSIS.

28. Audi patienter, & considera diligenter, & intelliges verum esse quod dico. Confessum est os tuum, concessit sententia tua, præcepta præcipuæ discretionis nullius esse receptiva dispensationis. D

CLONIACENSIS.

Non nego.

CISTERCIENSIS.

29. Sed præcepta regulæ sunt præcipuæ discretionis, ut testatur Spiritus-sanctus per organum suum beatum Gregorium, dicens: *Hoc autem nolo te lateat, Petre, quod vir Dei Benedictus inter tot miracula quibus in hoc mundo claruit, doctrinæque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam.* De præcipua discretione regulæ audivisti testem unum valde idoneum S. Gregorium. Audi & alium ipsum scilicet S. Benedictum in pro- E

Dial. lib. 2. c. 36.

logo dicentem: *Constituenda est à nobis dominici schola servitii, in qua constitutione nihil asperum, nihilque grave nos constituturos speramus; sed & si quid paululum restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, & conservationem caritatis, processerit; non ilico pavore perterritus, refugias viam salutis quæ non est nisi angusto initio incipienda.* Et quod regula ejus sit dispensatoria aliarum monasticarum regularum ipse insinuat, ubi dicit: *Licet legamus vinum omnino monachorum non esse, sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest; saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius.*

S. Bened. Reg. in prolog. Reg. S. Bened. est dispensatrix aliarum regularum. cap. 40.

CLONIACENSIS.

30. Quæ sunt illæ regulæ tam austeræ, & tantæ districtionis, ut nostra regula sit illarum dispensatrix?

CISTERCIENSIS.

Regula Augustini, quæ præcipit carnem domari abstinentia escæ & potus, quando valetudo permisit. Regula Bachumii, quam scripsit angelus, quæ interdicit monachis vinum & liquamen. Et regula Macharii, quæ quantæ sit austeritatis, collige ex verbis ejus dicentis: *Sapiens suis manibus operatur, & victum sibi quotidianum acquirit, & lucratus est orationes & jejunia sua. Si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat & vigilat? Sicut mercenarius malus, sic nudus evadit.*

Reg. S. Aug. c. 5. Reg. S. Pach. c. 13.

CLONIACENSIS.

Durus est hic sermo, quis eum potest audire?

CISTERCIENSIS.

31. Sermo durus, & nos monachi duri auditores ejus, quia nihil capit in nobis. Semper enim parati sumus ad accipiendum, numquam dicturi: Sufficit, quod proprium est avaritiæ. Dic si nosti monasterium aliquod sufficientes vel quantoscumque redditus habens, cujus monachi nihil accipiant ab offerentibus?

An liceat monachis accipere ab impiis.

CLONIACENSIS.

Quare me de hoc interrogas, cum tibi notum sit, quod etiam divites monachi pro lege habent accipere ab omni dante, etiam ab impio?

CISTERCIENSIS.

32. Nec in naturali, nec in scripta lege invenitur hoc, sed contrarium ejus Jeronymus in exponendo verba Psalmistæ ista, *qui dat escam esurientibus*, dicit monachis, *audi, monache, qui dat esurientibus, non ructantibus: escam habes, ructans es; noli accipere panem esurientis. Accipe quod mittas in ventrem, non quod in saccum. Accipe quod mittas in dorsum, non quod*

Ps. 145. 7.

in arcam. Sancto Jeronymo concordat Prosper in regula [a] canonicorum, dicens: *Habentibus dare, nihil aliud est quam perdere.* Est etiam sententia Prosperi quam teneo, licet ipsa verba ejus non teneam, quod elemosyna debeatur illis tantummodo pauperibus, [b] qui tam infirmi & tam debiles sunt in corpore, ut nullum opus facere possint unde vivant: & si validi corporis pauper accipiat elemosynam, quasi per rapinam accipiat invalidi pauperis præbendam.

CLONIACENSIS.

Divites elemosynas accipere non possint.

33. Sermo iste, ut mihi videtur, non minus durus est sermone S. Macharii. qua ergo ratione nos monachi sani in corporibus, divites in reditibus, elemosynam accipiamus non video.

CISTERCIENSIS.

Nec ego, quia elemosyna & misericordia idem significant Illud græcum nomen, istud latinum. Misericordia vero & miseria se invicem respiciunt. Igitur ubi non est miseria, nullum locum habet misericordia, id est elemosyna. Si vero ab his qui sibi de suo sufficiunt impii munus accipiatur, transgressio duplicatur. Si pro eodem non converso post mortem oratur, prævaricatio triplicatur.

CLONIACENSIS.

34. Dic manifestius, quæ modo dixisti; quia plenarie non intelligo.

CISTERCIENSIS.

Triplex peccatum accipientium ab impiis non conversis.

Non intelligis, quia prima transgressio est accipere, secunda ab impio, tertia pro eodem non converso post mortem oratio. Quod munus impii non sit accipiendum etiam nostri temporis scriptor domnus Roudpertus Tuiciensis abbas testatur, dicens: *Munus quod ab impio accipitur, non solum non prodest offerenti, sed & eum qui accipit prævaricatorem constituit: quia & ille pertinaciter peccat, & iste peccata ejus comedit.* Quod pro illo in sua iniquitate mortuo non sit orandum Apostolus Johannes testatur, præcipiens his verbis: *Peccatum usque ad mortem non dico ut quis oret pro eo.* (1. Joh. 5. 16.) Lege historiam Fursei abbatis quam scripsit Beda, & invenies quod monachi cum grandi periculo suo accipiunt munus ab impio.

CLONIACENSIS.

30. Quid per hoc insinuas, quia illud quod dat impius, non elemosynam, sed munus appellas?

CISTERCIENSIS.

Elemosyna nisi sit ordinata, non est elemosyna, id est misericordia.

CLONIACENSIS.

Quomodo est ordinanda?

CISTERCIENSIS.

Qui vult elemosynam dare, à semetipso debet incipere, id est sui ipsius prius misereri, id est converti: quia scriptum est, *Miserere animæ tuæ, &c.* Item, *Qui sibi nequam, cui bonus?* Hinc est quod Veritas in Evangelio Pharisæis, cùm frequenter elemosynam darent, dixit: *Vos Pharisæi non quod intus, sed quod deforis est calicis mundatis. verumtamen date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* quasi diceret, Prius vos ipsos in me credendo date, & postea vestra.

Elemosyna quo modo ordinanda. Eccli. 30. 24. Eccli. 14. 5. Luc. 11. 41.

CLONIACENSIS.

Placet quod dicis.

CISTERCIENSIS.

36. Vester ordo, quia illa quinque sensuum oblectamenta, sicut noster ordo, non amputavit, plura accipit, quia pluribus indiget, nec necessitate, sed sola voluntate.

CLONIACENSIS.

Quæ sunt illa?

CISTERCIENSIS.

Contra curiositatem ornatus ecclesiæ & sensuum oblectationes.

Pulchræ picturæ, variæ celaturæ, utræque auro decoratæ, pulchra & pretiosa pallia, pulchra tapetia variis coloribus depicta, pulchræ & pretiosæ fenestræ, vitreæ saphiratæ, cappæ & casulæ aurifrigiatæ, calices aurei & gemmati, in libris aureæ litteræ. Hæc omnia non necessarius usus, sed oculorum concupiscentia requirit.

CLONIACENSIS.

37. Ut de ceteris taceam, quid posset fieri decentius, quam quod sacratissima Christi sacramenta pretiosissimo metallo honoramus?

CISTERCIENSIS.

Sanctus Ambrosius in libro de Officiis introducit

(a) Quod ait *Prosper in Regula canonicorum*, non sic capiendum est quasi canonicis Prosper scripsisset regulam, sed quia hic citat excerpta Prosperi seu potius Juliani Pomerii, quæ extant in Regula canonicorum condita in concilio Aquisgranensi anno 816.

(b) Hic respicere videtur auctor ad illa S. Prosperi seu Juliani Pomerii verba lib. 2. de vita contemplativa cap. 10: *Ipsi quoque pauperes si se possint suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant quod debet debilis & infirmus accipere: ne forte Ecclesia, quæ debet omni solatio destitutis necessaria ministrare; si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata illis quibus debet subvenire non valeat.*

troducit Christum causantem contra prælatum his verbis: Quare pauperes meos passus es emori fame? Respondet prælatus, Dedi pauperibus quod habui. Cui Christus, Habebas aurum. Et ille, nonnisi in calice tuo. Et Christus sacramenta mea aurum non quærunt, &c. S. Jeronymus in epistola ad Nepotianum ait: Aut repudiemus aurum cum ceteris superstitionibus Judæorum, aut si aurum placet, placeant & Judæi, &c. Abbas Clarevallensis in eodem scripto in quo tu dicis eum esse laudatorem tui ordinis, reprehendit eumdem ordinem tuum cum magna ironia, dicens, Dicite pauperes, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum?

Apolog. ad Guil. abbat.

CLONIACENSIS.

38. Ita est, ego legi, & miratus sum religiosæ devotionis nostræ insignia, quibus Deum honoramus, quare adeo reprehenderet, ut satiricam reprehensionem nobis opponeret.

CISTERCIENSIS.

Numquid putabant vestri ordinis auctores, qui nesciuntur, quod Christus in extremo examine inter cetera dicturus sit electis: Venite benedicti Patris mei, quia mihi fecistis aureum calicem, & casulam aurifrigiatam; & contrarium reprobis?

CLONIACENSIS.

Quare dixisti, qui nesciuntur, cum S. Odilo & S. Maiolus nostram consuetudinem ordinaverint?

CISTERCIENSIS.

Consuetud. Clun. auctor incertus.

39. Ubi hoc legitur? in libro consuetudinis non invenitur, nisi quod unam solam consuetudinem non incongruam S. Odilo constituit: hanc scilicet, quod monachus fœdo & flagitioso crimine lapsus occulte puniatur si aliquo modo occultari possit. Ego qui in ordine illo fui, à senioribus quærens audivi, quod Cluniacenses mutuaverunt eum à quodam monasterio mediocri, quod postea subditum est illis. Quis tamen fuerit [a] auctor monachi certant, & adhuc sub judice lis est. Quis non miretur, & mirando non indignetur, quod regularia instituta, quorum auctor omnium justorum Spiritu plenus propheticum spiritum habuit, postponuntur à vobis institutis incertæ auctoritatis & canonibus contrariis?

CLONIACENSIS.

40. Dic quæso in quibus consuetudo nostra canonibus sit contraria?

CISTERCIENSIS.

In multis.

CLONIACENSIS.

De multis? dic saltem aliqua, sed prius exequere illa quatuor sensuum oblectamenta, quibus secundùm te oblectamur, quia de visu sufficienter dixisti.

CISTERCIENSIS.

Multas diversi soni, & tam diversi ponderis campanas, ut aliquam earum propter nimium pondus ejus vix duo monachi pulsare possint, non requirit usus necessarius, sed aurium curiositas. Quidam monachi, sicut ipsi mihi testati sunt, in pulsando tantum laboraverunt quod rupti ponderosi facti sunt. Hæc est utilitas quæ consequitur illam magnam impensam, & illum magnum laborem, cum quibus tales campanæ fiunt. Illæ tennulæ & eviratæ voces, quas vos graciles vocatis, & succo liquericii & sumtuosis electuariis acuere soletis, quid sunt, nisi oblectamenta aurium, contra regulæ interdictum?

Campanæ nimii ponderis.

Voces eviratæ non viriles.

CLONIACENSIS.

Ubi interdicit illas regula?

CISTERCIENSIS.

41. Ubi præcipit legere & cantare cum humilitate & gravitate, & sanctus Ambrosius interdicit eas in libro de Officiis his verbis: *Vox ipsa plena succi virilis, nihil femineum sonet.* Talibus vocibus cum novis & lascivis melodiis in novis & usurpatis festis vestris utimini contra veneranda canonum decreta.

CLONIACENSIS.

Quæ sunt illa nova festa nostra à nobis usurpata?

CISTERCIENSIS.

42. Festum Transfigurationis & festum sanctæ Trinitatis, quæ nullum speciale festum debet habere, cum in hymnis, in psalmis, in responsoriis, & in missalibus officiis, sanctam Trinitatem venerantes & laudantes, quotidie cantemus *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Et quia occasio se obtulit, non possum reticere illam vestram non modicam absurditatem, qua solemnitatem Circumcisionis Domini celebratis, cantantes officium sanctæ Martinæ virginis & martyris *Vultum tuum*, cum ejus nullam memoriam habeatis.

Nova festa.

(a) Auctorem designat Trithemius in lib. de Scriptoribus eccles. his verbis: *Bernardus monachus Cluniacensis Ordinis S. Benedicti, vir in Scripturis sanctis jugi meditatione exercitatus & sacularis litteratura non ignarus, religione quoque & morum honestate conspicuus, jubente venerabili abbate Hugone, omnes consuetudines Cluniacensis monasterii in unum volumen luculento sermone congessit.* Has consuetudines in aliquibus mss. adhuc videre licet, quas præter habemus etiam sancti Udalrici consuetudinum Cluniacensium libros 3. editos Spicilegii. tom. 4.

Ad quam partem vertat se diaconus. Nec prætereundum quod diaconus vester A dum legit evangelium vertit se ad orientem: in qua consuetudine vestra estis contrarii non solum sacræ auctoritati, sed etiam matricibus ecclesiis vestris, & vobismetipsis.

CLONIACENSIS.

43. Secundùm Salomonis sententiam, homo inconsideratus ad loquendum sentiet mala: ita nimirum homo inconsideratus ad agendum sentiet mala. Parva aut nulla esset consideratio nostra, si actio nostra sibimetipsi esset contraria; nec tantum inconsiderati, sed etiam inordinati jure diceremur. B

CISTERCIENSIS.

In privatis missis vestris quo versi legitis evangelium?

CLONIACENSIS.

Ad aquilonem.

CISTERCIENSIS.

44. Rectè. Unde Augustinus in quadam epistola, ad aquilonem versus legat evangelista evangelium, quia prophetæ dictum est à Domino, Prædica ad aquilonem. In libro qui sacramentarius dicitur, sic legitur: Diaconus dum legit, sistat versus ad aquilonem, quia frigidis in fide prædicatur evangelium; Romæ cur se vertat ad meridiem. Romæ verò quia masculi ad meridiem, feminæ consistunt ad aquilonem, vertit se diaconus ad digniorem sexum. Ecce contra sacram auctoritatem, contra Romanum morem, contra vestrum in privatis missis morem, in publica missa legitis evangelium versi ad orientem. dic quæso si nosti hujus tam miræ consuetudinis aliquam rationem?

CLONIACENSIS.

Ego nullam possum dicere, quia nullam scio, nec prælati nostri dant aliam, quam ipsius nostræ consuetudinis auctoritatem.

CISTERCIENSIS.

45. Usus rationi & sacræ auctoritati contrarius, non est usus, sed abusio. S. Ambrosius in libro de Officiis præcipit, dicens: Nihil eorum facias, de quibus non possis reddere certam & probabilem rationem.

CLONIACENSIS.

Numquid vult Ambrosius quod non obediam prælatis meis?

CISTERCIENSIS.

Immo vult quod obedias, sed non in his quæ rationi & sacræ auctoritati sunt contraria.

CLONIACENSIS.

Huic sententiæ S. Ambrosii non consentiunt abbates * nostri. * f. vestri

CISTERCIENSIS.

Abbates nostri, quia homines sunt, falli possunt: Spiritus-sanctus qui loquitur in sacra Scriptura, quia Deus est, falli non potest. Cui ergo magis obediendum est, Deo an homini?

CLONIACENSIS.

Verbis apostolorum respondeo: *Magis oportet Deo obedire, quam hominibus.* Act. 5. 29.

CISTERCIENSIS.

Hoc ipso sacræ Scripturæ testimonio utitur S. Basilius in regula monachorum, ubi determinat, quomodo authenticis Scripturis, & quomodo hominibus sit obediendum.

CLONIACENSIS.

Determinationem illam libenter audio. Dic C quæso eam, si tenes in memoria.

CISTERCIENSIS.

46. Basilius: In omnibus negotiis quæ inter nos versantur vel verbis, quædam quidem per mandatum Dei in divinis scripturis distinguuntur: quædam verò reticentur. De his quidem quæ scripta sunt, nulla prorsus licentia permittitur cuiquam vel admittere quod prohibitum est, vel omittere quod præceptum est. De his vero quæ scriptura reticuit, regulam nobis Apostolus posuit evidentem, dicens: *Omnia licent, sed non omnia* 1. Cor. 10. *ædificant: omnia licent, sed non omnia expe-* D 23. *diunt. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.* Ecce habes quomodo obediendum sit præceptis sanctæ regulæ.

CLONIACENSIS.

Habeo, sed vellem me non habere: quia ista sententia S. Basilii manifestè contradicit nostræ consuetudini.

CISTERCIENSIS.

Consuetudo vestra multos sacræ scripturæ E tractatores habet contradictores.

CLONIACENSIS.

Qui sunt illi?

CISTERCIENSIS.

47. Ambrosius in libro de Officiis, Jerony-

mus in regulis monachorum quas scripsit, A & interpretatus est, & in epistolis suis. Augustinus in libro de Opere monachorum, in quo disputat contra vestræ consuetudinis otium, ut destruat illud. Cassianus fere in omni tractatu suo, & maxime in tractatu acidiæ. Expositor regulæ nostræ adeo contrarius est consuetudini vestræ, quod dicit illa monasteria non esse laudabilia, ubi omnes monachi utuntur bracis: quia non habeant reverentiam regulæ suæ. Item in exponendo capitulo illo cui titulus est, De quotidiano manuum opere aufert vobis omnem religionem dicens: *Ubi istud capitulum diligenter non observatur, ibi pro certo scias nullam esse religionem.* Istos consuetudinis vestræ contradictores aut non legerunt, aut legentes non intellexerunt; aut si legerunt & intellexerunt, solo veritatis odio inflammati quidam garriunt contra nos, dicentes vos instabiles qui de antiquo & discreto Cloniacensi ordine ad indiscretam Cisterciensium novitatem transistis; & ita primam fidem irritam fecistis, nec in ea qua vocati estis vocatione permansistis. Hæc dicentes, suam dum palliare volunt, denudant enormitatem: quia noster ordo sequens regulam, si regula antiqua est, antiquus est; si regula discreta est, discretus est. Sed eorum consuetudo, quæ regulam non sequitur, indiscreta est. Quid enim tam indiscretum, quàm quod rationi & auctoritati est contrarium? Ipsi quia in regulari veritate, quam professi sunt, tamquam instabiles nec stant nec steterunt, primam fidem etiam in ipsa prima die irritam fecerunt, nec in ea in qua vocati sunt vocatione permanserunt: & quia non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum. De primo & maximo instabili, scilicet de patre mendacii, scriptum est *quia in veritate non stetit*: Et ille quia in veritate voluit esse instabilis in veritate, factus est immutabiliter stabilis in falsitate, sicut Tullius testatur in libro de Officiis: fides inde dicitur quod fiat quod dicitur. Itaque illi qui nec in prima die fecerunt quod in professione promittendo dixerunt, etiamsi monasterium numquam exierunt, [a] instabiles sunt, quia in promissa regulari veritate non steterunt, & ita primam fidem irritam fecerunt, nec in ea qua vocati sunt vocatione permanserunt. Aliud est enim locus in quo vocatur monachus, aliud ipsa vocatio. Vocatio monachi est ipsa regularis veritatis professio, quam si custodit, ubicumque locorum est, in ea vocatione permanet in qua vocatus est: si non custodit, etiamsi numquam monasterium quod primo intravit exeat, secundùm Augustinum extra est. Multum ergo inconvenienter illud Apostoli *unusquisque in ea vocatione in qua vocatus est permaneat*: & illud de prima fide irrita opponunt nobis, qui propter

Ibi nulla religio ubi caput de opere manuum non observatur.

Joh. 8. 44.

[a]

Licet deserere monasterium in quo non servatur regula.

1. Cor. 7. 20

custodiam regulæ Cisterciensem ordinem intravimus, cùm utrumque illis quia declinaverunt à regula, proprie velint nolint opponi possit. Nos enim secuti sumus consilium sancti Basilii in regula sua dicentis, Permixtum vivere cum his qui declinant à regula plurimum nocet; sicut & Salomonis sermo testatur dicentis: *Cum homine iracundo ne habitaveris, ne forte discas vias ejus, & accipias laqueos animæ tuæ.* Et iterum quod dicitur, *Exite de medio eorum; & separamini ab eis, dicit Dominus*, ad hoc idem respicit. Id ipsum Apostolus præcipit dicens, *Denuntiamus vobis in nomine Domini nostri* JESU-CHRISTI; B *ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante.* Inordinatos vocat eos, qui nolunt habere opus manuum sicut ipse præcepit.

Prov. 22. 24

Isa. 52. 11.

2. Thes. 3. 6

CLONIACENSIS.

48. Considerata multiplici argumentatione tua, hoc in summa collegi, quod idem ipsum telum quod tibi intorsimus, tu te vindicando retorsisti in nos, oblitus Domini præcipientis *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Rom. 12. 19.

CISTERCIENSIS.

C Non pro mea vindicta, sed pro correctione vestra hoc feci, quia respondendum est stulto secundùm stultitiam ejus, ne sibi sapiens esse videatur, id est ut sapiens fiat.

CLONIACENSIS.

Quare Salomon huic præcepto contrarium præceptum dedit, dicens: *Noli stulto respondere secundùm stultitiam suam?*

CISTERCIENSIS.

Ut mihi videtur de illo stulto hoc dixit, D de quo nulla spes correctionis habetur, quem derisorem vocat, dicens: *Noli arguere derisorem, ne forte oderit te.* Sed ut ad nostra revertamur, illum transitum qui fit de non regulari conversatione ad regularem omnes Deum & proximum diligentes diligunt: unde sanctus Gregorius in Moralibus suam sententiam scitu dignam & præcipue abbatibus notandam profert, dicens: *Arrogantes magistri & caritatis ignari, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut ejus filius saltem apud extraneam* E *sit & vivat; quia concedunt perdices magistri, ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant: per quæ viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine caritatis approbatur; & sola totum recipere meruit, quem quasi totum*

Prov. 9. 8.

Transitus de non regulari ad regularem conversation. probatur.

Greg Mor. l. 21. c. 10.

(a) Huc spectat quod scribit S. Bernardus epistola 7. ad Adam. *Qua die, inquit, (quod quidem Deus avertat) aliis incipiam vivere legibus, aliis moribus conversari, diversis deservire observantiis, adinvenire nova, extraneus usurpare consuetudines, transgressor professionis, promissam stabilitatem jam me non tenere confido.*

concessit : quia fideles præpositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem etiam eis provectus exorant ipsi & integros & viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia consequuntur. Vaniglorius aliquis prælatus legens ista sancti Gregorii verba, dum legit negligit, quia temporalem gloriam diligit. Mavult enim subditum suum sub sua prælatione purum hominem esse, quam sub magisterio alterius angelum. Quare hoc, nisi ut possit gloriari de discipulatu ejus, gaudens magis de multitudine discipulorum suorum, quam de regulari conversatione eorum ?

CLONIACENSIS.

49. Ex abundantia cordis tui os tuum loquitur, tota cordis tui intentio hoc intendit, ut nostri ordinis monachos de fracto stabilitatis voto facias securos, si nostra exeant & vestra intrent monasteria : & ita multi fiant imitatores tui, & in fracto stabilitatis voto socii.

CISTERCIENSIS.

Asinus liram audiens liricæ jocunditatis expers est. Tu non asinus, sed simulatorius surdaster, quasi non intellexeris rationes & auctoritates illas, quibus ostendimus vestræ consuetudinis monachos instabiles & votifragos, dixisti me velle multos habere in fracto stabilitatis voto socios. Esto. Huc usque nihil sit dictum, nihil sit probatum. Ecce adduco alia magnæ auctoritatis testimonia, quibus obstruatur os tuum loquens iniqua. Ipse legis nostræ lator S. Benedictus de loco mutato propter Deum & lucrum, magnam dat securitatem dicens : In omni loco uni Domino servitur, uni regi militatur. Eamdem securitatem dat sanctus Gregorius in eadem regula eisdem verbis, quia regula S. Benedicti est regula S. Gregorii, sicut testatur Alexander papa secundus dicens : Canonica S. Benedicti quæ est etiam præcipue beati Gregorii prædecessoris nostri institutio, interdicit monachum ante unius anni probationem effici.

Argumenta quibus probetur licere.

CLONIACENSIS.

[a] In nostro ordine fiunt monachi etiam infra mensem. [a]

CISTERCIENSIS.

50. Est ergo consuetudo vestra & regulæ & canonibus contraria. Sed de contrarietate canonum postea dicemus. Nunc illud quod magis coarctat nos consideremus, si Romana

A privilegia, quæ sibi comparant vaniglorii prælati, possint impedire licentiam à beato Gregorio sanctoque Benedicto monachis datam. Hujus nodum quæstionis solvit Zozimus papa dicens : Contra sanctorum patrum statuta aliquid concedere vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas.

CLONIACENSIS.

Præmeditatus venisti, quia ad omnem assertionem tuam profers auctoritatem præparatam.

CISTERCIENSIS.

B 51. Nulli licet ex proprio dicere quod sibi videtur bonum absque testimoniis scripturarum, Domino JESU-CHRISTO dicente de Spiritu-sancto : *Non enim loquetur à seipso, sed quæcumque audierit loquetur.* Item, *Ego à me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi dedit mandatum quod dicam & loquar.* Monachis his verbis interrogationem suam formantibus respondet S. Basilius dicens : *Quis potest in tantum temeritatis progredi, ut audeat à se quicquam vel loqui vel cogitare? immo vero dicendum, quia omnes duce itineris indigemus Spiritu-sancto, ut ipse nos inducat in viam veritatis & in cogitatione, & in verbis, & in actibus.* Huic sententiæ C consentit S. Ambrosius dicens, *Quomodo possumus aliquid usurpare nobis quod ex sacra scriptura non habemus?* Vestra verò consuetudo multa sibi usurpat, quæ ex scriptura sacra non habet, sed contraria eorum : minus enim considerat quia servitium quod Deo exhibetur, non ei placere potest, nisi fiat secundum voluntatem ipsius : sed voluntas ejus ubi quærenda est, nisi in sacra scriptura cui commisit eam ? Ibi quærit eam omnis timens Deum, quia inquisitio voluntatis Dei in scripturis sanctis est indicium timoris ipsius : D quod testatur Augustinus dicens : *Homo timens Deum voluntatem ejus in scripturis sanctis diligenter inquirit.* Illud Sapientis, *Qui timet Deum nihil negligit*, ad idem respicit. Consuetudines suarum opinionum usurpatrices Gregorius VII. quasi deridet his verbis : Ipsi opponunt nobis consuetudines. Jam Christus dixit : Ego sum veritas. Non dixit Ego sum consuetudo, sed ut beati Cypriani utamur sententia, quælibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino postponenda est, & usus veritati contrarius abolendus. Temeraria ergo est, immo plusquam temeraria consuetudo vestra, quia non E solum sine auctoritate, sed etiam contra auctoritatem loquitur.

Joh. 16. 13. Ibid. 12. 49. Reg. S. Bas. c. 11. Eccle. 7. 19.

CLONIACENSIS.

Habetne vester ordo cum custodia regulæ custodiam canonum ?

(a) Idem disertis verbis tradit Petrus Venerabilis lib. 1. epist. 28. *Nos quando expedire videmus, annum ad novitii susceptionem integrum expectamus ; aliquando post dimidium annum ceteris illum fratribus aggregamus ; multoties non tantum mensem, aut hebdomadam, sed nec biduum prestolamur : semper tamen quod animabus utilius esse perpendimus, facere non differimus, sed caritatem sequentes, regulam sequimur.* In statutis vero decernit ut saltem menstrua fiat probatio.

CISTERCIENSIS.

Sicut vester neutram, ita noster utramque: quia tam in ecclesiasticis, quam in ceteris observationibus, regulæ vestigiis est adæquatus.

CLONIACENSIS.

52. Exordium ordinis vestri, & brevem summam historiæ ejus, libenter audirem propter meam ædificationem, & quia monachorum non est contendere, sed conferre: sit hoc negotium nostrum non contentio, sed collatio.

CISTERCIENSIS.

Apostolus præcipit, dicens, Omnia vestra in caritate fiant. Dura ergo & intemperata verba, si fiant in caritate, ipsa caritas facit ea mollia & temperata. Auctores nostri ordinis gesta sua scripserunt, eadem gesta sicut ego in eodem scripto repperi, quadam brevi summa ecce tibi refero. Molismensis abbas in ordine vestro, & quidam fratres ejus, sæpius inter se Dei gratia adspirati de transgressione regulæ beati Benedicti patris monachorum loquebantur, conquerebantur, contristabantur, videntes se ceterosque monachos hanc regulam solemni professione servaturos promisisse, eamque minimè custodisse; & ob hoc perjurii crimen scienter incurrisse: & propter hoc apostolicæ sedis auctoritate ad hanc solitudinem, ut professionem suam observantia sanctæ regulæ adimplerent, veniebant. Nec immemores sponsionis suæ, regulam beati Benedicti in loco illo ordinare, & unanimiter statuerunt tenere, rejicientes à se quicquid regulæ refragabatur: froccos videlicet, & pellicias, ac staminia, capucia quoque, & fœmoralia, pectina, & coopertoria, stramina lectorum, ac diversa ciborum in refectorio fercula, sagimen etiam, & cetera omnia quæ puritati regulæ adversabantur: sicque rectitudinem regulæ supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in ecclesiasticis, quàm in ceteris observationibus, regulæ vestigiis sunt adæquati seu confirmati; exuti ergo veterem hominem, novum se induisse gaudebant. Et quia nec in regula, nec in vita S. Benedicti, eumdem doctorem legebant possedisse ecclesias, vel altaria, seu oblationes, aut sepulturas, vel decimas aliorum hominum; seu furnos, molendina, aut villas, vel rusticos, nec etiam feminas monasterium ejus intrasse, nec mortuos ibidem excepta sorore sepelisse. Ideo hæc omnia abdicaverunt, dicentes, ubi Benedictus pater docet, ut monachus à sæcularibus actibus se faciat alienum, ibi liquido testatur hæc non debere versari in actibus vel in cordibus monachorum, qui nominis sui ethimologiam hæc fugiendo sectari debent. Decimas quoque aiebant, à sanctis patribus, qui organum erant

Brevis relatio Cisterc. ordinis initii.

Decimarum partitio.

A Spiritus-sancti, quorum statuta transgredi sacrilegium est committere, in IIII. partitiones distributas; unam scilicet episcopo, alteram clerico, tertiam hospitibus, quartam reparandæ ecclesiæ. Ecce habes quamvis brevem, tamen fidelem relationem gestæ rei quam quæsisti.

CLONIACENSIS.

Finis relationis tuæ de decimis, non mediocriter terret me: quia nostri ordinis monachi nullas possessiones libentius habent, quàm decimas.

B

CISTERCIENSIS.

53. Redeundum est mihi post longam interpositionem ad eam quam cœperam, fracti voti purgationem: non propter me, sed propter quosdam pusillanimes, qui libenter transirent ad meliora, & saluti viciniora; si non timerent fracti voti oppositionem. Magister Anshelmus Laudunensis in Sententiis suis transitum de uno monasterio in aliud districtius probat licere auctoritate S. Augustini dicentis, *Qui de uno monasterio transit ad aliud*
C *districtius, non frangit votum: sed abundanter implet:* dat tamen idem magister consilium transire volenti, ut petat licentiam à prælato suo. Verba consilii sunt ista: *Pete licentiam à prælato tuo, qui si dare noluerit, scias eum caritatem non habere: & tu vade cum licentia Dei.* His verbis magistri subjungimus quod non solum contra caritatem facit, sed etiam contra præceptum.

Abbates possunt dare licentiã transeundi ad strictiora.

CLONIACENSIS.

54. Ubi hoc præcipitur abbatibus, ut dent licentiam monachis suis, locum mutare vo-
D lentibus?

CISTERCIENSIS.

In regula SS. Patrum Serapionis, & Macharii, Pafnucii & alterius Macharii.

CLONIACENSIS.

Quid ad nos de illa regula?

CISTERCIENSIS.

Multum ad nos: quia quicquid reticuit
E S. Benedictus in nostra regula, hoc præcepit nos quærere in aliis libris; & maxime in institutis SS. Patrum. Hoc docet nos titulus ultimi capituli regulæ nostræ, qui talis est. *Non omnis justitiæ observatio est in hac regula constituta*; id est, non omnia quæ justè debent observare monachi, inveniuntur in hac regula. Nullum autem capitulum justius & utilius observaretur in monasteriis, quam illud, cujus observatio firmam pacem faceret inter monasteria.

Reg. S Bened. c. 73.

CLONIACENSIS.

Nihil verius, sed quod non observatur. qui hoc facit nisi pacis inimicus, scilicet hostis antiquus? dic illud quia delectat me audire.

CISTERCIENSIS.

Reg. SS. Serapionis Macharii, &c. c. 13. 55. Macharius dixit: *Quoniam, sicut Veritas protestatur, in ore duorum aut trium testium, stabit omne verbum: Non est tacendum, qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant; non licebit de alio monasterio, sine voluntate ejus qui praeest, fratrem suscipere: nec non solum suscipere; sed nec videri oportet; dicente Apostolo*, 1. Tim. 5. quia qui primam fidem irritam facit, & est infideli deterior. *Quod si precatus fuerit eum qui praeest, ut in alio monasterio ingrediatur; commendetur ab eo ei qui* [a] *praeest ubi esse desiderat, & suscipiatur* [a]; *ut quantos fratres in monasterio invenerit, tantos se noverit habere priores. Nec attendendum est qualis fuit, sed probandum est qualis esse coeperit.*

CLONIACENSIS.

Vere ipsa ratio docet hujus capituli observationem, monasteriis utilissimam, tamquam pacis & caritatis inter abbates & monachos effectivam.

CISTERCIENSIS.

56. Sed quod capitulum dicit; Commendetur ab eo ei qui praeest ubi esse voluerit, recte intelligendum est. Id est monasterio paris, vel majoris religionis, non minoris. Quia hoc esset apostatare. Sicut enim ad majorem religionem, etiam sine licentia, sic ad minorem nec cum licentia; ad parem verò numquam sine licentia, transiri potest: Quid si abbas licentiam dare nolit. siquidem duae sunt vocationes Dei; una fit per praeceptum, altera fit per consilium. Praeceptum vocat de non bona ad bonam vitam: consilium vocat de bona ad meliorem, & saluti viciniorem. qui prohibet sequi praeceptum tamquam malus pater fugiendus est: qui verò prohibet sequi consilium, si vanigloriius est, ipse tamquam malus pater fugiendus est: si non est vaniglorius, sed carnaliter diligens, quia non vult carere praesentia filii, quamvis non sit fugiendus tamquam malus pater; tamen est ei immortalis pater praeponendus. Id ipsum insinuat nobis ultimum regulae nostrae praeceptum, quod S. Benedictus decentissime posuit in fine, dicens; Reg. Ben. c. 72. *Abbatem tuum humili & sincera caritate diligas. Christo autem omnino nihil praeponas.*

CLONIACENSIS.

Obedientia 57. Cum obedientia vel sola, vel maxi-

A me faciat perfectum coenobitam, nulla scientia nobis est magis necessaria, quam scire obedire. dicunt quidam quod illa sola sit perfecta obedientia, quae obedit sine mora, nihil discutiens. perfectum facit monachum.

CISTERCIENSIS.

Ista soli debetur Deo, Augustino testante, qui ait, Intonante divino praecepto, obediendum est, non disputandum.

CLONIACENSIS.

Quare non debetur praelatis, cum Christus dicat *Qui vos audit, me audit; qui vos* B *spernit, me spernit?*

CISTERCIENSIS.

Ideo non debetur praelatis, quia homines sunt: cum scriptum sit, *multae viae videntur hominibus rectae, quarum finis mergit in profundum inferni.* Reg. c. 3. Propterea praecepit S. Benedictus, ut omnes in omnibus magistram sequamur regulam: quia cum homines simus, nonnumquam fallimus & fallimur: regulae verò praecepta sequentes, quia divina sunt, tamquam ea quae Spiritus-sanctus per sanctum Benedictum instituit, & per S. Gregorium C commendavit, nec fallimus nec fallimur. Verba Christi dicentis, *qui vos audit, me audit*; sic intelligenda sunt: qui vos vicarios meos audit, me audit: quia, quando dant praeceptum, cui non est obediendum, tunc non sunt vicarii: sed contrarii ejus. Quomodo vero sit hominibus obediendum, S. Basilius in regula sua plenaria determinatione distinguit. Tu qui desideras scire obedire; quod revera desiderandum est: ibi diligenter lege, & doceberis.

CLONIACENSIS.

D 58. Dic tu, quae sit illa plenaria determinatio; quia vivae vocis expositio efficacior est quam lectio.

CISTERCIENSIS.

Basilius. *Quando aliquid praecipitur, necessarium est nobis meminisse apostolici praecepti* Reg. S. Bas. interrog. 13 *dicentis: Prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni* 1. Thes. 5. *specie mala abstinete vos. Si quid ergo est, quod conveniat cum mandato Dei, & animae* E *expediat, & hoc nobis ab aliquo fuerit imperatum; velut voluntatem Domini promptè & libenter debemus accipere, & explere quod dictum est*, obtemperantes invicem in caritate Christi. Ephes. 4. *Si autem contrarium aliquid mandatis Dei, vel quod ea corrumpere videatur,*

(a) Hic subticuit sequentia S. Macharii verba sibi omnino non faventia, quipe sic subdit: *Nam sine voluntate qui praeesse debet in monasterio patris, nullatenus alibi recipiatur frater; quod si praesumserit talia facere, noverit se in synodo episcoporum aut in conventu fratrum suorum in audientiam venire, &c.*

aut contaminare jubemur ab aliquo facere; tem- A
Act. 5. 29. *pus est nos dicere :* Obtemperare oportet Deo magis quàm hominibus. *Sed & S. Apostoli meminisse debemus, qui ad nostram cautelam ausus est nec angelis quidem parcere, dicens :*
Gal. 1. Etiamsi, aut angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Ex quo enim docemur, ut etiamsi valde nobis carus sit aliquis, etiamsi magnificus habeatur, & in admiratione sit positus, qui prohibet nos facere quod à Domino præceptum est, vel rursum imperat fieri, quod Dominus fieri prohibuit, execrabilis debet esse qui ejusmodi est, omnibus qui diligunt Deum.*

CLONIACENSIS.

59. Legi nescio quotiens hoc capitulum, nec tamen aliquando tam bene intellexi sicut nunc. sed in eo quod dicit etiamsi in admiratione sit positus, habeo quendam intellectum, qui tibi forsitan puerilis videtur.

CISTERCIENSIS.

Quis ille?

CLONIACENSIS. C

Papa id est admirabilis. Cum *Papa* sit nomen sumptum à *Papæ*, quod est interjectio admirantis; forsitan ipsum significat per illa verba, quia papa interpretatur admirabilis.

CISTERCIENSIS.

Etsi ipsum significaret, numquid erraret, cùm S. Benedictus præcipiat, dicens, *Christo nihil omnino præponas.* Reg. c. 72.

CLONIACENSIS.

60. Vos vultis nostrum ordinem vestro ordine in religione esse inferiorem. Ordo Cluniac. Inferior Cisterc. in religione.

CISTERCIENSIS.

Idipsum vult abbas Clarevallensis, quem tu dicis esse laudatorem tui ordinis. affirmat, dum laudat de vestro ordine, in nostrum transire licere, retransire minime licere; quia hoc esset apostatare. [a] B

CLONIACENSIS.

61. Christus, in evangelio apostasiam describendo prohibet, & prohibendo describit, dicens, *Nemo mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Luc. 9. 62. Dic, quæso, si præciperet tibi papa, in nostrum ordinem redire; numquid velles ei in tali apostasia obedire?

CISTERCIENSIS.

Huic interrogationi tuæ, nullum dabo responsum hodie, sufficiant tibi hodierna responsa mea. Cras tamquam præmeditatus, respondebo fortassis consideratius.

(a) Hic auctor respicere videtur ad illum Bernardi locum de præcepto & dispensatione cap. 16. ubi postquam dissuasit transitum à monasteriis bene ordinatis ad strictiora, hæc subdit: *Ceterum qui inquietus est, & ita credere non potest, sed magis credens & cedens stimulanti conscientia exit, & quærit ubi solvat quod suo in loco, suo utique judicio voverat quidem, sed non solverat: sicut non laudo quod egreditur, ita ut regrediatur non consulo, &c.* Quæ verba auctori hujus dialogi non omnino favent. Ex his siquidem verbis & aliis quæ hoc in tractatu fusè exponit S. Bernardus, luculenter demonstratur sanctissimum abbatem non probasse translationes ab uno ad aliud etiam strictioris observantiæ monasterium, nec risi ægrè eas tolerasse, qua de re videsis ea quæ scripsimus in Commentario in Regulam S. Bened. cap. 61.

INCIPIT SECUNDA PARTICULA.

CLONIACENSIS. D

1. Ecce adveni, auditurus promissum responsum tuum.

CISTERCIENSIS.

Interrogatio tua, responsione mea indigna est: quia cornuta est, & in utroque cornu ejus suspectus mihi latet laqueus: sed captio, quam abscondit, apprehendat eum qui captiose interrogat; & in laqueum cadat in ipso quod interrogat, sicut Pharisæi, quibus respondit Christus: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Matth. 22.

CLONIACENSIS.

Dic mihi qui sunt illi laquei quibus adeo pertimescis illaqueari?

CISTERCIENSIS.

Aut affirmative aut negative respondere me necesse foret; si dicerem me obediturum, subsannares forsitan dicens: Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. Tu qui prædicas observationem regulæ in omnibus, quomodo observares hoc regulæ præceptum: *Christo omnino nihil præponas*, si papam vicarium Christi, ipsi Christo præponeres, obediendo sibi in apostasia, quam Christus prohibet, dicens, *Nemo mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei?* Reg. S. Ben. c. 72. Luc. 9. 62. E quomodo audires S. Basilium, in regula sua dicentem: *Qui præcipit quod Christus prohibet, etiamsi in admiratione sit positus: execrabilis esse debet omnibus qui diligunt Deum?* Basilius Regula brev. interr. 114. Si verò dicerem me non obediturum, pronunciares me contemtorem esse apostolicæ sedis.

CLONIACENSIS.

2. Ista confinxit in corde tuo suspicio. Sed quomodo justus es, si suspicionem habes? De occultis & ambiguis judicare, contrarium est huic præcepto Christi: *Nolite judicare ut non judicemini.* Et Apostolus: *Tu quis es, qui judicas fratrem tuum?*

Matth. 7. 1. Rom. 14. 4

CISTERCIENSIS.

Scio, quia suspicio vitium est. Sed incuria interioris hominis fecit hoc vitium tam familiare monachis, ut aliqui putent, se in suspicando non peccare.

CLONIACENSIS.

Tu quidem, ni fallor, malles non obedire, quàm obedire. Sed tutius esset obedire. Nullus enim abbatum præsumeret te habere secum, contra Domini apostolici interdictum. Prudentia rerum exitus metitur. Prudentem ergo esse judico quemdam abbatem in ordine vestro, qui jam fere per xxx. annos, sui pater monasterii extitit doctus, & religiosus, & magnæ æstimationis apud omnes: qui olim venit ad conversionem in nostro ordine, hic sicut certa relatione didici, fatetur se indubitanter rediturum in ordinem nostrum, si papa præciperet. Quid tibi super hoc videtur? cum jubeat ultimum regulæ nostræ præceptum, Christo nihil omnino præponi; & S. Basilius dicat: Etiamsi in admiratione sit positus qui præcipit quod Deus prohibet; ille debet esse execrabilis omnibus Deum diligentibus.

CISTERCIENSIS.

Verbis S. Augustini respondeo tibi: *Homo timens Deum, voluntatem ejus in scripturis sanctis diligenter inquirit.* Dic tu mihi quomodo tibi placeat apostasia ista laudi tui ordinis inserta?

CLONIACENSIS.

Extollit Letanias Cluniac.

3. Laudavit quidem ordinem nostrum, sed in hoc non laudavit. debuerat enim dixisse, de nostro ordine in vestrum transire, quod hoc esset apostatare. quia sola nostra Prima, cum Letania & sibi adjunctis, superat omne servitium vestrum, quod Deo exhibetis in oratorio per totum diem præter missas & vesperas.

CISTERCIENSIS.

4. Sanctus Benedictus servitium nostrum in oratorio constituit, cum præcipua discretione. Hanc discretionem vos relinquentes, incurritis præcipuam indiscretionem. Insuper operi manuum suas horas hoc modo subtrahitis, contra præceptum regulæ & contra præceptum Apostoli. Audi S. Augustinum disputantem contra vestram hanc consuetudinem: Quid agant, qui operari nolunt corporaliter, cui rei vacent, scire desidero. Orationibus inquiunt, & psalmis, & lectioni, & verbo Dei, Sancta plane vita, & Christi suavitate laudabilis. Sed & si ab his avocandi non sumus, nec manducandum, nec ipsæ escæ quotidie præparandæ, ut possint apponi & assumi. Si autem ad ista vacare servos Dei certis intervallis temporum ipsius infirmitatis necessitas cogit; cur non etiam præceptis apostolicis observandis, aliquas partes temporum deputamus? citius enim exauditur una obedientis oratio; quàm decem millia contemnentis. Cantica divina cantare etiam manibus operantes facile possunt; & ipsum laborem tamquam divino celeumate consolari. An ignoramus omnes opifices, in quibus vanitatibus & plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum, donant corda & linguas suas, cum manus ab opere non recedant? quid ergo impedit servum Dei manibus operantem, in lege Dei meditari, & psallere nomini Domini Altissimi? Item, idem in eodem: Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inveniunt quod præcepit Apostolus? quæ ista ergo perversitas est, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare? Item idem in eodem: Quid autem iniquius quam velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus, apostolo dico, non nobis? Notasti cum quanto rectitudinis zelo S. Augustinus invehitur, & invehendo persequitur illud otium vestrum, quod tu dicis vos elegisse cum Maria & utinam cum Maria?

Aug. de oper. mon. Pro labore manuum.

CLONIACENSIS.

5. In quo opere suo & contra quos loquitur ita?

CISTERCIENSIS.

In libro de opere monachorum, & contra monachos. Erant enim illo tempore Cartagini quidam monachi, non recte intelligentes verba Christi dicentis, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, qui nolebant operari manibus, sicut vos non vultis, sed vacare tantum lectioni, & orationi. Quod valde displicuit S. Aurelio Cartaginensi archiepiscopo, & rogavit S. Augustinum, ut scriberet contra illos, & destrueret illorum errorem.

Quidam monach. Cartagin. à labore alieni. Luc. 10. 42.

CLONIACENSIS.

6. Quare dixisti utinam cum Maria?

CISTERCIENSIS.

Quia vos non vultis imitari Mariam.

CLONIACENSIS.

Quomodo debemus imitari eam?

CISTERCIENSIS.

CISTERCIENSIS. A

Maria illa hora quando audiebat verbum Dei ab ore Verbi Dei, intentissima fuit tacens, & vacans ab omni opere. Aliis horis, sicut ceteræ mulieres, nebat, suebat, texebat, non tamen aurifrigia. Sic etiam vos quando auditis verbum Dei ab ore prælati vestri, intentissimi esse debetis, vacantes ab omni opere. In illis vero horis, quas designavit regula operi manuum, debetis obedire Apostolo & regulæ vestræ.

CLONIACENSIS.

7. Per illam adductam de opificibus similitudinem, sicut ego intelligo, S. Augustinus hortatur nos, illa quæ regularibus horis in oratorio adjungimus, scilicet preces, suffragia, psalmos & illam longam nostram letaniam & cursum S. Mariæ, operando manibus extra oratorium decantare. Sed quid fieret tunc de illa longa prostratione totius corporis, quæ non potest fieri in opere manuum, per quam humiliati sub potenti manu Dei letanizando supplicamus ei, in qua arbitramur devotæ religionis & religiosæ devotionis nostræ fere summam consistere?

CISTERCIENSIS.

Longa letania & corporis prostratio improbantur.

8. Quicquid contra rationem, & SS. Patrum statuta, præsumitur, religiosa devotio vel devota religio nequaquam recte dicitur. Itaque longa totius corporis prostratio contra decretum SS. Patrum præsumpta, & matutinales laudes vestræ, cum celebritate Primæ in horis incompetentibus, contra ordinationem regulæ celebratæ, erunt minus fructuosæ ipsis hymnis earumdem horarum, reclamantibus & quasi vestram præsumptionem accusantibus. Quid sancti Patres de his decreverunt, ut de regulæ præcepto interim taceamus, Cassianus ostendit dicens: *Dum volumus excedere modum qui antiquitus à majoribus statutus est, subputantes numerum residuorum psalmorum ad finem tendere urgemur, de refectione lassi corporis potius cogitantes, quam orationis utilitatem & commoda requirentes. Apud sanctos ergo patres Ægyptios, ita non est: sed antequam flectant genua, paulisper orant, & stantes in supplicatione, majorem temporis partem expendunt. Post hæc itaque puncto brevissimo procidentes humi, velut adorantes tantum divinam clementiam: summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti expansis manibus eodem modo quo prius stantes oraverant, suis precibus attentius immorantur: humi namque diutius procumbentes, non solum cogitationibus, aiunt, verùm etiam somno gravius impugnari: quod scilicet nos verum esse utinam non experimentis & quotidiana consuetudine resciremus; qui sæpe numero hanc eamdem incurvationem membrorum non tam orationis, quam refectionis obtentu, in terram prostrati optamus diutius prolongari?*

Cassian. l. 2. Inst. c. 7.

Mos Ægyptiorum.

CLONIACENSIS.

9. Cassianus confessus est, & non negavit, quia etiam ipse homo fuit. & quid mirum si aliqui de nostris in tam longa totius corporis prostratione dormitant, aliqui dormiunt, aliqui etiam stertunt, cum Ethnicus ethicus dicat,

Verum opere in longo fas est obrepere somnum?

CISTERCIENSIS.

B Utinam nihil deterius quam dormitare, dormire, aut stertere contingeret.

CLONIACENSIS.

Quid posset hoc esse?

CISTERCIENSIS.

Nonne possunt in dormiendo, surripiente hoste antiquo, fœdæ fantasiæ & fœdæ illusiones fieri? hæc omnia animadvertentes nostri ordinis auctores, supersederunt istam vestræ consuetudinis minus consideratam devotionem: innisi illi præcipuæ sanctæ regulæ discre-

C tioni, & quia scriptum est, *Melior est obedientia quam victimæ*; maluerunt magistræ suæ sanctæ regulæ obedire, quam vestræ consuetudinis victimas offerre: cum è contrario ariolandi scelus incurrerent, si tam discretæ magistræ suæ, scilicet sanctæ Regulæ, non acquiescerent. & ita ipsum Deum legis datorem, & sanctum Benedictum legislatorem, & S. Gregorium legis commendatorem inhonorarent. Attenderunt etiam Deum interioris hominis humiliationem, & prostrationem requirere, sicut testatur propheta, dicens: *Cor contritum & humiliatum Deus* non spernit: Ipsa quoque Veritas in evangelio testatur, publicanum stando, orantem exauditum esse.

1. Reg. 15. 22.

Deus respicit interiorem humiliationem. Ps. 50. 19.

D

CLONIACENSIS.

10. Satis exquisitis rationibus, & auctoritatibus tuum ordinem commendas & nostro ordini derogas.

CISTERCIENSIS.

Contra dormitionẽ matutinam


Quod autem illum dulcem matutinum somnum monachis negatum, contra ordi-

E nationem regulæ, carpitis vos, ipsi non ignoratis qua præsumptione hoc faciatis. Dormitis enim quando vigilare deberetis: & vigilatis quando dormire deberetis, & ita ordine perverso, horas competentes non observatis.

CLONIACENSIS.

11. Quæ est competens hora matutinarum laudum, & quæ est competens hora celebritatis Primæ?

Matutinarum hora competens



CISTERCIENSIS.

Ortus auroræ est competens hora matutinarum Laudum, quod innuunt verba hymni Primæ. ista, *Aurora cursus provehat.* & ortus solis est competens hora Primæ, quod notat hymnus ejusdem horæ his verbis, *Jam lucis orto sydere.* Sydus lucis est sol. Cassianus quid sentiat de dormientibus in his horis audi. Cassia. l. 3. Inst. c. 4. *Ratio primæ solemnitatis cur statuta sit vel inventa in hac provincia nonnulli ignorantes, expletis matutinis hymnis rursum revertuntur ad somnum, in illam causam nihilominus incidentes, ob quam compescendam, hæc à senioribus nostris solemnitas instituta est. Illa namque hora, eam consummare festinant, qua negligentioribus minusque sollicitis rursum dormiendi reddatur occasio: quod omnimodis fieri non oportet, sicut superiori libello describentes Ægyptiorum synaxim exposuimus, ne purificationem nostram confessione supplici & antelucanis orationibus acquisitam, vel emergens quædam redundantia humorum naturalium polluat, vel illusio inimici corrumpat, vel certè intercedens etiam puri ac simplicis somni refectio interrumpat spiritus nostri fervorem, ac tepefactos somni torpore per totum diei spatium inertes deinceps ignavosque traducat: quod Ægyptii ne incurrant, equidem cum soleant certis temporibus etiam ante gallorum cantum consurgere, missa canonica celebrata, usque ad lucem posthac vigilias extendunt, ut eos superveniens lux matutina in hoc fervore spiritus reperiat constitutos, ac per totum diei tempus ferventiores, sollicitioresque custodiat; præparatos eos suscipiens ad conflictum & contra diurnam colluctationem diaboli, nocturnarum exercitatione vigiliarum ac spiritali meditatione firmatos.*

CLONIACENSIS.

12. Scio, & certus sum, quia Cassianus nullis suis allegationibus poterit nobis persuadere, ut velimus matutino somno carere, quem sancti patres nostri ordinis auctores nobis indulsere?

CISTERCIENSIS.

Ante Primam nihil operãdum, & qua hora dicenda sit. In æstate, sonitu excitati post solis ortum surgitis; & antequam Primam cantetis, opera vestra tam otiosa quam negotiosa soletis operari, ipsam Primæ celebritatem in horam diei secundam fere plenam differentes. Hanc consuetudinem vestram arguit & principium & finis ejusdem synaxeos: est enim ita instituta, ut præcedat diurnos actus, non subsequatur: quod testatur primus versus hymni, *Jam lucis orto sydere, Deum precemur supplices, ut in diurnis actibus nos servet à nocentibus.* Et ultima oratio idipsum insinuat. *Domine Deus, qui nos ad principium hujus diei pervenire fecisti, tua nos salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant cogitationes & opera.* Ubi est ergo quod præcepit Apostolus rationabile obsequium vestrum? Item, *Spiritu ambulate, & desideria carnis vestræ non perficietis.* 1. Cor. 5. 16. Secundum Cassianum, spiritu ambulate, id est rationabilitatem mentis sequimini; vel secundum Augustinum, sacram scripturam, quæ per Spiritum-sanctum scripta est, sequimini, & desideria carnis non perficietis; id est voluntates vestras non facietis.

CLONIACENSIS.

13. Nos non facimus voluntates nostras, quia hoc non licet monachis: sed consuetudinem nostram servamus.

CISTERCIENSIS.

Quare hoc? nisi quia voluntarii estis in consuetudine vestra, & involuntarii in lege vestra, scilicet regula. Tales non erant qui Matathiam sequebantur ad bellum: de illis enim scriptum est, *& sequebatur eum omnis voluntarius in lege.* 1. Mach. 2. 42. Item psalmus de beato viro, *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Ps. 1. 2. Septenarium sacratum numerum per diem in divinis laudibus habendum, sicut regula præcipit, vos non habetis.

CLONIACENSIS.

14. Quid est hoc quod tu dicis? quare mentiendo animam tuam occidis?

CISTERCIENSIS.

Matutinales Laudes nullas habetis, quia per totum annum non in mane, sed in nocte eas celebratis, ut in mane quando Christus surgens apparuit, dormiatis, & ita apud vos sunt nocturninæ, non matutinæ. Matutinæ enim, sicut dicit Priscianus, dicuntur, quasi manuninæ. scilicet à mane, in quo ille evangelicus paterfamilias exiit conducere operarios in vineam suam, quod est prima pars diei.

CLONIACENSIS.

15. Nos non dormimus per totum annum in mane.

CISTERCIENSIS.

Scio quia à pascha usque ad festum omnium sanctorum in XII. lectionibus, quas frequenter habetis, in mane dormitis. qua ratione hoc faciatis vos ipsi ignoratis, nisi quia vobis est pro ratione voluntas; & cum Primam in hyeme ante diem cantetis, non convenit vobis versus iste: *Septies in die laudem dixi tibi, Domine;* sed in hyeme quinquies in die laudem dixi tibi, in æstate sexties in die laudem dixi tibi, Domine. Mos Cluniac. dormiendi post mat. æstate & aliquando hyeme. Ps. 118. 164.

CLONIACENSIS.

Nos ista talia tam acute, tam subtiliter

non consideramus; sed simpliciter, ideoque A confidenter ambulamus.

CISTERCIENSIS.

Simplicitas sine prudentia non est simplicitas, sed fatuitas.

CLONIACENSIS.

Matth. 6. 22. Quare ergo dixit Christus, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.*

CISTERCIENSIS.

Math. 10. 16. Per oculum significavit prudentiam, cui adjunxit simplicitatem, sicut ibi, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* B

CLONIACENSIS.

16. Quædam dixisti, quæ nondum elapsa sunt à memoria mea. Quid per illa significaveris edissere mihi. Dixisti enim in principio nostræ collationis, in Cloniacensi ordine conversatus sum per x. annos vix unius tridui monachus.

CISTERCIENSIS.

Illud triduum significavi, quando monasticæ professionis litteras legi. quia tunc per C tres dies tacui & vestitus dormivi: & propterea dixi me vix unius tridui monachum: modo verò dico me nec unius tridui monachum: quia nihil facit legitimum monachum, nisi legitima professio. nulla autem est legitima professio, nisi quam præcessit legitima probatio, legitima probatio non potest fieri nisi infra annum: unde sanctus Benedictus dicit in regula, quia novitio, cui finito anno ter regula ex integro lecta est, si in illa die quæ finis est anni promiserit se omnia servaturum quæ in regula sibi servanda audivit, tunc ex illa die non liceat ei egredi monasterium, nec collum de sub jugo regulæ excutere; quod licuit sub tam morosa deliberatione aut excusare aut suscipere. In illa die numquam fui. Itaque per transgressionem legis facta est professio mea. Sed apostolicæ sedis auctoritas dicit, quicquid contra legem præsumitur, per legem dissolvi meretur. conclusionem quæ provenit ex præmissis silentio præterire volo; quia sufficit hoc solum dicere, quod sicut consecratio abbatis non habet vim, si non fuerit regulariter electus: ita & professio monachi non est satis rata, si non est regulariter probatus. Regularis enim probatio ipsa est, quæ maxime facit monachum debitorem regularis obedientiæ & regularis stabilitatis. Sicut stulti promittunt quod non habent, sic & putant se posse quod non possunt antequam experimentum sui capiant, quod vix integro anno capi potest, quorum vel præcipiti temerariæ promissioni credi non debet, sicut Christus non credidit Petro promittenti, quod non potuit quando dixit: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

Monachum non facit nisi legitima professio.

Reg. S. Bened. c. 58.

Matth. 26. 35.

CLONIACENSIS.

Assertiones tuæ videntur rationabiles esse, quamvis nostræ consuetudini sint contrariæ.

CISTERCIENSIS.

17. Si non pigeret te audire conversionem meam, narrarem tibi quam inconsultè, quam inconsideratè, quam irrationabiliter, & irregulariter mecum actum sit.

Qualiter auctor factus sit monachus.

CLONIACENSIS.

Statum mentis tuæ, quem verba tua manifestant, quæ causa efficiens præcesserit libens audire volo.

CISTERCIENSIS.

Puniente & miserante Deo, tam gravem ægritudinem incidi, quod à perito & sapienti medico desperatus fui. Venit ad me visitandum quidam monachus, qui postea factus est abbas: qui videns me dixit, Homo, mortuus estis: quare non facitis vos portari ad monasterium? Ego volens respondere, non potui, nisi prius labiis meis aqua humectatis; ita fui exhaustus & humore & virtute totius corporis. Tandem collectis tantillis quæ supererant viribus, vix respondi, dicens, Meus monachatus nullus esset, nec Deo acceptus, qui in extremis jaceo. Et ille, Nolite, inquit, diffidere, ecce promitto vobis in vera fide, me pro vobis rationem Deo redditurum, si feceritis quod dixi. qua promissione audita, cœpi confidere in ea, & dixi, date fidem ponendo manum vestram in manum meam. Ita factum est; portatus sum ad monasterium. Monachi in infirmaria assistentes lecto meo, dixerunt mihi: Vos debetis dominum abbatem rogare, ut faciat D vos monachum. Rogavi, scriptæ sunt mihi litteræ continentes professionem monachi. Tunc ego qui non potui me vertere de uno latere in aliud latus, vix legens litteras, promisi magna fortium opera, scilicet conversionem, & obedientiam, & stabilitatem, secundum regulam sancti Benedicti, quam penitus ignorabam absque omni conditione.

CLONIACENSIS.

18. Quare dixisti absque omni conditione?

CISTERCIENSIS.

E Ideo dixi absque omni conditione, quia, si promissioni meæ ista conditioni verba adjuncta fuissent; *Si convaluero de infirmitate mea*, minus stulta, & magis rationi consentanea fuisset professio mea. Deinde cum per misericordiam Dei convaluissem de infirmitate mea, eduxerunt me de infirmaria, & statuerunt me ante altare, & fecerunt me litteras professorias legere secundò.

A Itaque infra quatuor menses fecerunt me bis monachum secundum ipsos, quia secundùm regulam & secundùm canones, nec semel potui fieri monachus infra annum.

CLONIACENSIS.

In hoc facto non sunt secuti Cloniacensem consuetudinem, sed suam opinionem.

CISTERCIENSIS.

19. Regula vero audita & lecta, longe aliud inveni, & miratus cum abbate meo sum inde locutus: qui non libenter audiens, hoc respondit, quod libentius meo discipulatu caruisset, quam quod me secundum regulam suscepisset. Hoc responso intellexi eum non voluntarium esse in lege sua, & in regula. Cum enim audirem capitula regulæ in capitulo legi & interpretari, quæ nec facerent, nec umquam facere vellent, judicavi in animo meo lectiones & interpretationes illas verba esse otiosa, quæ regula damnat æterna clausura, & non solum otiosissima, sed etiam scandalum facientia. Postea contigit ut conferrem de his cum domino G. Admuntensi abbate, doctæ sanctitatis & magnæ honestatis viro. qui respondit mihi, Ego cum verecundia interpretor capitula regulæ in capitulo, quæ fratres mei nec faciunt nec facere volunt, & pro nihilo habent. Item cum opponerem ei sacræ auctoritatis verba ista; *Qui avertit aurem ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*; sapientissimo & brevissimo responso expressit mihi animum suum dicens: Ego non averto, sed avertor.

Ex hoc loco potest colligi ætas auctoris.

Prov. 28. 9.

CLONIACENSIS.

Idem abbas magnæ liberalitatis & magnæ benevolentiæ famam habet.

CISTERCIENSIS.

Abbates non debere comedere in refectorio.

20. Miror abbates ordinis vestri, cum omnia debeant facere & fere nihil faciant cum observatione regulæ, qua fronte velint, ut suscepti ab eis contra regulam observent eam in non deserendo monasterium propter animæ suæ lucrum; quia hoc deserere non est contra regulam, sed secundum eam. Cottidie exemplis suis docent transgressionem regulæ, quia mensam suam secundum præceptum regulæ in domo hospitum debent semper habere cum hospitibus & peregrinis; habent in refectorio cum fratribus. [a]

[a]

CLONIACENSIS.

Hoc nos habemus pro magna religione, scilicet in refectorio reficere abbatem cum fratribus.

CISTERCIENSIS.

Absit, ut hoc sit religio, immo & naturalis & scriptæ legis transgressio, & hoc est non tantum legem judicare, verum etiam infatuare.

CLONIACENSIS.

21. Mira dicis, si ea quæ dicis poteris probare: consequens est nos & abbates nostros non mediocriter errare.

CISTERCIENSIS.

B Naturalis lex dicit, *ne feceris alii quod tibi non vis fieri.*

CLONIACENSIS.

Illum honorem quem regula præcipit abbatibus exhiberi, ipsi abbates nolunt sibi subtrahi.

CISTERCIENSIS.

Sed illum honorem, quem eadem regula jubet hospiti impendi, ipsi abbates subtrahunt illi; scilicet nec aquam in manibus ejus fundunt, sicut regula præcipit, nec spiritali cibo eum reficiunt, nec honorant eum manducando cum ipso. Honorem ergo hospiti debitum auferendo, faciunt alii quod sibi nolunt fieri; & major est rapina, auferre alicui honorem suum, quam tunicam suam: cui autem fit ista injuria, nonne Christo? Ipse enim dicturus est in extremo examine; hospes fui apud vos, honorem meum abstulistis mihi; & quia putant hoc justum esse, scilicet abbatem cum fratribus in refectorio reficere; sequitur ut præceptum regulæ existiment injustum esse: & ita judicant regulam. Item quia putant se in hoc sapienter agere, quia volunt mensam suam cum fratribus in refectorio habere; sequitur ut arbitrentur regulam insipienter præcipere, & ita infatuant eam. Convenit ergo eis parabola Salomonis ista, *Piger sapientior sibi videtur* VII. *viris loquentibus sententias.* Spiritus-sanctus septem vir est, propter VII. dona ejus qui in sancta regula suas loquitur sententias, quas vos & abbates vestri vestris sententiis, immo vestris postponitis erroribus. Et quod erretis, regula SS. Pafnutii, Serapionis, & utriusque Macharii, testatur dicens: *Non licebit peregrino fratri manducare cum fratribus, sed cum eo qui præest, ut ædificetur.* In Collationibus Patrum ita legitur: *Irrationabile & nimis absurdum est, ut hospiti immo Christo mensam pares, & te alienum ab ejus refectione facias.* Quis non videat illam præcipuæ discretionis dispensationem quam regula indulget; dicens: *Si vero minus fuerint hospites, in pote-*

C Absurda inde sequuntur.

Prov. 26. 16.

Ex diversis regulis

cap. 8.

Cassian. Coll. 2. c. 26.

De mensa Abbatis cur

(a) Id faciebant ad præscriptum concilii Aquisgranensis anni 817. can. 27. cujus hæc verba: *Ut abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiantur.* *In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi & bibendi exhibeat, &c.* Vide Petri Venerabilis epist. 28. lib. 1.

fratres vocentur ad Abbatem Reg. S. Bened. c. 56.

state abbatis erit vocare de fratribus, quos voluerit? Quare hoc? nisi ut vocatis fratribus fiat recreatio indulgentiori cibo, quam fratres habere soleant in refectorio. Igitur ratio suadet & auctoritas jubet, ut abbates habeant mensam suam, non in refectorio cum fratribus, sed in domo hospitum cum peregrinis & hospitibus, tam propter peregrinorum & hospitum ædificationem, quam propter fratrum ad mensam abbatis vocatorum indulgentiorem recreationem. Sed quidam abbas de ordine vestro volens deffendere suam ipsorum irregularem consuetudinem, dixit mihi, præsente abbate meo, Ideo nolumus habere mensam nostram cum peregrinis & hospitibus, sed in refectorio cum fratribus: quia si in domo hospitum haberemus, joculatrices feminas à nobis repellere non possemus; quæ excusatio quam sit inanis & frivola noster ordo probat; qui non solum joculatrices feminas, verum etiam omne genus feminarum à totius monasterii septis exclusit. Est ergo verisimilius causam reficiendi cum fratribus hanc esse, scilicet ut

[a] minus expendant, & [a] suavius vivant; obliti quod in terra suaviter viventium, non invenitur sapientia: & quia Deus per sanctum Benedictum tamquam per alterum Moysen populo suo de Ægypto exeunti, id est monachis tenebras hujus mundi relinquentibus, legem dare voluit; idcirco ipsum prius omnium justorum spiritu replevit, ita ut per prophetiæ spiritum, absentium discipulorum facta videret, præsentis discipuli cogitationem audiret, futura prædiceret, mira & stupenda operaretur miracula. Quare hoc? nisi ut nemo auderet de lege per eum data dubitare, nullus eam auderet judicare.

CLONIACENSIS.

22. Parce à tam vehementi abbatum invectione: quia in tam mordaci reprehensione eorum, non habebis me auditorem tuum. Dic mihi quid significaveris per hoc quod dixisti de Maria, Nebat, suebat, & forsan texebat, non tamen aurifragia.

CISTERCIENSIS.

Aurifragia non decent personas religiosas.

Quia non decet religiosas & Deo dicatas feminas, tali operi operam dare: quia aurifragia, nec nuditatem nec frigus repellunt; solam tantum oculorum curiositatem pascunt: & ob hoc feminæ talia operantes opera, non tam operatrices, quam oculorum oblectatrices dici possunt. Unde Jeronymus ad Letam de institutione filiæ: *Spernat bombicum telas, sericum vellera, & aurum in fila lentescens,* &c. Sed vestri ordinis monachi, qui debe-

A rent talia opera dehortari, hortantur ea, & care mercantur ea, cum rapina pauperum.

CLONIACENSIS.

23. Absit quod cum rapina pauperum, quia res pauperum sub diligenti custodia sua habet præpositus domus pauperum.

CISTERCIENSIS.

Contra superfluitatem albarum, &c.

Quicquid expenditis non necessario, sed superfluo usu, rapina pauperum est. Verbi gratia, sicut sunt albæ & manipuli, quibus

B à minimo usque ad supremum, tam conversi vestri, quam monachi, etiam ipsi homicidæ, in festis diebus induuntur, quid sunt ista, nisi rapina pauperum?

CLONIACENSIS.

Istis non utimur superflue, quia cum sacra significatione.

CISTERCIENSIS.

Illa significatio sufficienter completur in ministris altaris. Eadem ratione possetis cot-

C tidie uti pretiosis cucullis rubeis de panno, qui appellatur in nostra lingua, *Scarlat*, dicentes, Ideo utimur quotidie rubeis cucullis, quia quotidie promti & parati debemus esse ad fundendum sanguinem pro Christo; ideo pretiosis, quia pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus: vere superflua significatio non excusat superfluum usum.

CLONIACENSIS.

24. Quare episcopi cum clericis suis in matricibus ecclesiis suis utuntur talibus ornamentis?

CISTERCIENSIS.

D Non est necesse me respondere ad hoc, quia Abbas Clarevallensis sufficienter respondet in illo scripto, quod tu dicis esse laudativum tui ordinis, cum in rei veritate magis sit reprehensivum, quia est insinuativum. Mittit enim in sinum lectoris brevibus verbis intentionem suam, in ipsa media disputatione dicens: [b] *Scriptum est, Labia sacerdotis custodiunt scientiam Dei, & legem requirent ex ore ejus quia angelus Domini exercituum est.* Quam legem? non illam quam aliqua autentica scriptura commendat, vel manifesta ratio probat, [b] Malach. 2. 7.

E quia in illa nec præceptor expectandus est, nec prohibitor auscultandus. Regula nostra est lex nostra, quam & manifesta ratio probat, & autentica scriptura, scilicet dialogus sancti Gregorii commendat. In exequẽdis ergo præ-

(a) Immo reficiebant cum fratribus, ne suavius viverent extra refectorium cum hospitibus, audi Petrum Venerabilem lib. 1. epist 28. *Si vero opponitis non in conventu, sed extra conventum mensæ abbatis hospites debere sociari. Respondemus hac occasione abbates à fratribus se sequestrare solere, & sub prætextu hospitum, lautioribus & familiaribus epulis indulgere, neque de ovium suarum pastu curare . . . qui quoniam bono præcepto male abutebantur, novo ulceri novum emplastrum superponendum fuit, & præceptum quod aliquando salubre fuerat, salubriori consilio commutandum.*

(b) Hæc verba non reperiuntur in apologia S. Bernardi ad Guillelmum abbatem, in qua tamen respondet propositæ hic objectioni c. 12. Extant vero in lib. de Præcepto & disp. c. 9.

ceptis ejus, nec præceptorem debemus expectare, nec prohibitorem auscultare.

CLONIACENSIS.

25. Satis diligenter ostendisti ista, & notata in sinum tuum misisti ea, ut nostrum ordinem destruas, & tuum ædifices.

CISTERCIENSIS.

Illud insinuativum dum legeres, velles nolles intravit sinum mentis tuæ, ubi loquitur contra detractorem dicens: quomodo, inquis, regulam observant; qui pelliciis induuntur, & tria vel quatuor fercula habent in refectorio, opus manuum non habent, quod præcipit regula, & tenent quod volunt, & dimittunt quod volunt de regula. Rectè. Non possunt ista negari. Quid si ille qui non observat ista exteriora habet humilitatem, & tu non habes eam, qui observas ista? quis vestrum est melior? nonne ille qui humilior? melior est enim pellibus involuta humilitas, quam tunicata superbia. Sed oportebat ista facere, & illa non omittere, quia scriptum est, Sumite psalmum & date tympanum.

Tria in quibus desinquebât Cluniacenses Bernard. in Apol. c. 6.

CLONIACENSIS.

26. Fateor, quando legi ista, quia non placuerunt mihi, non misi ea in sinum meum: tu vero misisti in sinum tuum, quia tibi placuerunt: ut per ea dimices contra nos. Misistine aliquid amplius, ex eodem scripto, in sinum tuum quo impugnes nos?

CISTERCIENSIS.

Ubi de obedientia monachi loquitur, quam debet abbati suo secundum regulam, ita disserit: Nec ultra, nec citra, multo minus contra vota sua, quæ distinxerunt labia sua, quando professus est, jure potest cogi monachus. Ecce habes per istos terminos regulæ, quia monachus nihil aliud profitetur, quàm regulam.

Bern. de Præcepto & disp. c. 5.

CLONIACENSIS.

27. Quare ipse negavit hoc, dicens, Nemo promittit regulam, sed secundùm regulam vivere?

CISTERCIENSIS.

Nescio quare, nisi ut tali blandimento, insinuative mulceret aures eorum, qui quærunt occasionem discedendi à regula. Apostolus pro eodem accipit facere legem, & vivere secundum legem, dicens, *Non auditores, sed factores legis, justificabuntur.* Item S. Jacobus apostolus, ait, *Estote factores verbi, & non auditores tantum: fallentes vosmetipsos.* Et Christus ad Judæos: *Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem.* Est ergo idem profiteri regulam, & promittere

Profiteri regulam & secundùm regulam idem.

Rom. 2. 13.

Jac. 1. 22.

Joh. 7. 19.

A regulam: & est idem facere regulam, & vivere secundum regulam: quia regula est lex. Contra duas istas duorum apostolorum auctoritates, vos vultis esse auditores tantum legis vestræ & non factores; ideoque fallentes vosmetipsos, ita ut non possitis vos excusare de ignorantia.

CLONIACENSIS.

28. Quomodocumque alia Abbatis dicta, in eodem scripto intellexeris: in illa tamen proportionali similitudine, quam dat de evangelio ad regulam, non poteris alium habe-
B re intellectum, nisi illum, qui nostram defendit consuetudinem: dicit enim: Sicut non omnes bene viventes christiani observant omnia quæ in evangelio continentur, & tamen omnes vivunt secundum evangelium; ita non omnes bene viventes monachi, observant omnia quæ in regula continentur, & tamen omnes vivunt secundum regulam; aliter enim conjugati, aliter continentes & virgines, aliter proprium habentes, aliter in hoc mundo propter Christum nihil possidentes, & tamen omnes obediunt evangelio: ita aliter Cistercienses, aliter Cloniacenses, & tamen utrique obediunt regulæ.

Bern. de Præcept. & disp. c. 16.

C CISTERCIENSIS.

29. Quia unum opus est misericordiæ errantem in viam reducere, quamvis sciam te in tuo errore delectari; ego tamen faciam te illam proportionalem similitudinem rectè intelligere. In præmissa similitudine ubi consequens adaptatur antecedenti, ibi possunt haberi duo intellectus: unus verus, & alius falsus: falsus defendit enormitatem vestram, verus impugnat eam. Quando enim dicitur: Ita non omnes bene viventes monachi, observant omnia quæ in regula continentur; & tamen omnes vivunt secundum regulam; si
D per bene viventes monachos accipiantur bene ordinata monasteria, falsum est quod dicitur, & falsitas illa vobiscum est. Si per bene viventes monachos accipiantur unius & ejusdem bene ordinati monasterii personæ monachorum; verum est quod dicitur, & veritas illa non est vobiscum. In uno enim & eodem monasterio omnes vivunt secundum regulam, nec tamen omnes observant omnia quæ in regula continentur. Portarius enim non observat capitulum cellerarii, nec cellerarius portarii: ita nec ebdomadarius lector, capitulum ebdomadarii coquinæ, nec
E ebdomadarius coquinæ capitulum ebdomadarii lectoris; & tamen omnes vivunt secundum regulam. Videtur tamen Abbas ille minus consideratè adduxisse similitudinem de evangelio ad regulam: quia quæ in evangelio continentur, quædam sunt consilia, quædam præcepta: quæ vero continentur in regula, scilicet S. Benedicti, instituta, omnia sunt consilia novitiis; sed monachis omnia sunt præcepta.

Reg. S. Bened. noritiis consilium, professis præceptum.

A

CLONIACENSIS.

Exercitato ingenio tuo, & artificiosis verbis tuis, quæ olim didicisti in scholis, conaris subvertere simplicem intellectum meum.

CISTERCIENSIS.

30. Ecce experior in te verum esse illud poëticum. Invitum qui servat idem fac t occidenti. Cogis ergo me priora repetere argumenta, si vel sic possim corrigere errorem tuum.

CLONIACENSIS.

Quæ sunt illa?

CISTERCIENSIS.

Repetitio superiorum argum. & conclusio. Concessisti mihi quod præcepta præcipuæ discretionis sunt, & hanc acceptionem meam probavi ratione & auctoritate. Conclusionem quam tunc non intuli, modo infero. Ablata ergo dispensatione, quæ sola poterat scutum esse vestræ enormitatis; remanet regulæ prævaricatio, & Dei, sanctique Benedicti inhonoratio, & secundum Damasum papam, blasphemia in Spiritum-sanctum.

CLONIACENSIS.

Argumentare quantumvis ad exercitandum ingenium meum, accommodabo tibi auditum meum: numquam tamen concedam tam horribiles tuæ argumentationis conclusiones.

CISTERCIENSIS.

Abusio Cluniac. post capitulum. 31. Mira & periculosa abusio, quod illo tempore, quod proprie pertinet ad opus manuum, scilicet post capitulum, sedet conventus ad otiandum & confabulandum. Numquid docet hoc versus ille præmissus in capitulo à toto conventu, *Respice, Domine, in servos tuos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige?* Jam per decem annos quæsivi & investigavi, nec invenire potui quod sibi velit hoc, quod unusquisque, sicut liber consuetudinis præcipit, inter otiandum & confabulandum librum clausum tenet in gremio, cujus consuetudinis nulla potest inveniri ratio. Illa nihil aliud est quam superstitio, quæ talem habet descriptionem. Superstitio est observantia superfluè inventa: ista verò observantia contraria est auctoritati.

CLONIACENSIS.

Cui auctoritati?

CISTERCIENSIS.

Augustini.

CLONIACENSIS.

Ubi interdicit hoc Augustinus?

CISTERCIENSIS.

In regula monachis & monachabus ab eo scripta præcipit dicens: *Extra horam qui codicem petierit, non accipiat.* Reg. S. Aug. c. 14.

CLONIACENSIS.

32. Augustinus non scripsit regulam mo-
B nachis, sed regularibus canonicis. Illi nequaquam volunt dici monachi. Canonicos regulares veros esse monachos.

CISTERCIENSIS.

Velint nolint omnes qui illam regulam professi sunt, monachi sunt. Aut enim monachi sunt, aut de nullo ordine sunt.

CLONIACENSIS.

Dic frater, si tamen frater, & non magis adversarius noster: quare te facis odiosum tribus ordinibus, nigris scilicet monachis, & canonicis regularibus, tam Tunicatis id est
C Norbertinis, quam Superpelliciatis? cessa ab hac stulta præsumtione, ne detractoris cauterio cauterieris.

CISTERCIENSIS.

33. Tritum proverbium est, Veritas parit odium. Et ego dico, quod non solum odium, verum etiam parit martyrium, teste Veritate, quæ dicit in evangelio: *Et eritis odio omnibus, propter nomen meum.* Nomen Christi veritas est, quod ipse testatur dicens: *Ego sum via, & veritas, & vita.* Propter
D veritatem occisi sunt martyres, odio præcedente & mediante: quia veritas odium, & odium parit martyrium. In veteri testamento sancti prophetæ propter veritatem, ideoque propter Christum, martyres facti sunt. In novo testamento primi martyres, infantes & lactantes propter veritatem, id est propter Christum, occisi sunt. Veritas parit martyrium. Matth. 10. 22.

CLONIACENSIS.

34. Verba prophetæ quæ cantat ecclesia in festo eorum, quomodo eis conveniant
E non video.

CISTERCIENSIS.

Quæ sunt illa?

CLONIACENSIS.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Ore non poterant laudare Christum,

quia infantes & lactantes erant: nisi ore ponatur ibi pro morte: morte enim sua laudaverunt Christum, sed quod ore possit pro morte poni, numquam audivi, nusquam legi; & ideo videtur mihi valde absurdum.

CISTERCIENSIS.

Explicat illud Proph. *Ex ore Infantium*, &c.

Scriptura non multum curat proprietates verborum observare. Clamor non est nisi oris aut cordis. Clamor oris hominibus est audibilis, clamor cordis soli Deo: quia ipse dixit ad Moïsen non ore, sed corde clamantem: *Quid clamas ad me?* Sanguis Abel in terram fusus nec os nec cor habuit; & tamen Deus dixit ad Caïn: *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Simplex divinus es, si nescis quod & inanimatæ creaturæ, sensu & vita carentes, Deo loquuntur, & Deum laudant. Quid aliud insinuat nobis hymnus trium puerorum, & ultimæ laudes psalmorum, in quibus omnes creaturæ ad laudandum Deum invitantur? Sed quid ad me divina ænigmata modo tractare? redeundum est mihi ad meum negotium, quod tu interrupisti interserendo illam propheticam obscuritatem.

Exod. 14. 15. Gen. 4. 10.

CLONIACENSIS.

Quod est illud negotium?

CISTERCIENSIS.

35. Hoc quod debeo ostendere ratione & auctoritate, non me mereri justum odium trium ordinum; nec detractoris caracterem cauterio infamiæ fronti meo inurendum esse, ut tuæ minæ mihi prophetavere.

CLONIACENSIS.

Est-ne aliquod odium justum, quia dixisti modo justum odium trium ordinum?

CISTERCIENSIS.

Non solum justum, sed etiam perfectum: unde Psalmista: *Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi.* Est etiam, quod magis mireris, sancta superbia.

Ps. 138. 22.

CLONIACENSIS.

36. Sancta superbia? quis umquam hoc dixit?

CISTERCIENSIS.

Licet virgini semetipsam interficere si non possit aliter virgin. conservare.

Jeronymus ad Eustochium virginem, hortatur eam habere sanctam superbiam; & quod amplius mireris, in Commentario super Jonam prophetam, affirmat sacræ virgini licere semetipsam interficere, si non possit aliter corruptorem carnis suæ evadere: quamvis secundum beatam Luciam & secundum rei veritatem, corruptio carnis sine consensu mentis, nullatenus minuat meritum virginis.

CLONIACENSIS.

Mira dicit S. Jeronymus, & à dictis aliorum ortodoxorum patrum multum diversa, quamvis non adversa. Non enim credo eum contrarium esse in suis assertionibus aliis sanctis Patribus.

CISTERCIENSIS.

Iterum fecisti digredi me ab actione causæ meæ.

CLONIACENSIS.

Non sunt inutiles tales digressiones: Perge, exequere propositum tuum habendo semper in mente illud comicum proverbium: *Qui pergit dicere quæ vult, audiet quæ non vult.*

CISTERCIENSIS.

37. Verum dicere, non est detrahere, si dicatur propter ipsam veritatem non propter infamationem eorum de quibus dicitur, sed propter correctionem eorumdem, & audientium utilitatem. Quid enim est aliud detrahere, nisi aliquid quod sit honestum de aliquo trahere: id est alicui verbis subtrahendo auferre, & aliud minus honestum verbis subinferre? Si alicui Norbertino aufero hoc nomen, *Canonicus*, & confero hoc nomen, *Monachus*, numquid honestum nomen abstuli, & minus honestum contuli. hoc enim nomen *Monachus*, tam dulce, tam dignum est, quam dulcis est & quam digna est monas, id est unitas: quia sumtum est à monade, id est unitate, cujus mater est caritas, quæ multa corda facit unum cor, multas animas facit unam animam.

Detrahere quid.

Monachus nomen dulce.

CLONIACENSIS.

Qui erant primi Ecclesiæ monachi?

CISTERCIENSIS.

Ipsa prima Ecclesia, illi scilicet de quibus scriptum est: *Erat omnibus cor unum & anima una.* Nam unanimitas fecit eos monachos, & omnes imitatores eorum. Hinc est quod quidam interpres psalmorum in illo versu in quo est, *Qui habitare facit unanimes in domo*; pro unanimes, posuit monachos, dicens, qui habitare facit monachos in domo. quod autem omnes communem vitam habentes, & illos imitantes, de quibus scriptum est, *erat omnibus cor unum, & anima una*, dicti sunt monachi, testatur Collatio de generibus monachorum, & S. Augustinus, in Expositione psalmi, *Ecce quam bonum & quam jocundum habitare fratres in unum*, concordat

Monachi qui fuerint primi. Act. 4. 32.

Quid peperit monasteria ex Augustino. Ps. 132. 1.

cordat in idipſum, dicens : Iſta verba pſal- A terii, iſte dulcis ſonus, iſta ſuavis melodia, tam in cantico quam in intellectu peperit monaſteria : ex voce hujus pſalmi, appellati ſunt monachi. Ecce ſecundùm Auguſtinum nihil aliud eſt eſſe cœnobitas monachos, quam eſſe fratres habitantes in unum. Itaque Norbertini, & omnes communem vitam habentes monachi ſunt. Multos legi monachos ſanctos : nullum unquam Canonicum ſanctum legi.

Norbertini ſunt monachi.

CLONIACENSIS.

39. Quid eſt hoc quod tu dicis ? nonne beatus Auguſtinus canonicus fuit, qui ſanctus eſt ?

B

CISTERCIENSIS.

S. Aug. ſe monachum fuiſſe affirmat.

Ubi hoc legitur ? nec ipſe de ſe hoc teſtatur, nec aliqua authentica ſcriptura : immo ipſe affirmat ſe fuiſſe monachum.

CLONIACENSIS.

In quo tractatu ſuo ?

CISTERCIENSIS.

In quodam ſermone quem habuit ad populum loquens de ſe, & de clericis ſuis qui ſecum in epiſcopali domo communem vitam habebant, ait : Ecce quomodo vivimus : nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid pro- C prium ; ſed ſunt nobis omnia communia. Et quia ipſe cum clericis ſuis erant fratres habitantes in unum, ergo erant monachi. quia nihil eſt aliud eſſe monachos cœnobitas, niſi eſſe fratres habitantes in unum ; & quia quidam Norbertini propter inanem gloriam negant ſe eſſe monachos, quia volunt dici prædicatores, & rectores eccleſiæ, increpat eos propheta dicens : *Erubeſce Sydon ; ait mare.*

CLONIACENSIS.

40. Quid ad eos iſta prophetica incre- D patio ?

CISTERCIENSIS.

Significative pertinet ad eos, quia per Sydon ſignificantur docti & legiſperiti, per mare laïci ſæculares litteras & legem ignorantes. Cum ergo ſolo ductu rationis, laïci videant eos eſſe monachos in rei veritate, ideoque eos vocent monachos ; hanc manifeſtam veritatem ipſi non erubeſcunt negare, quamvis ſint docti & ſacræ legis periti.

E

CLONIACENSIS.

41. Ecce in duabus appellationibus offendis eos.

CISTERCIENSIS.

In quibus ?

CLONIACENSIS.

Quod appellaſti eos Norbertinos, & quod appellaſti eos monachos. ſicut enim nolunt dici monachi, ſic nec volunt dici Norbertini.

Norbertini nolunt ita appellari.

CISTERCIENSIS.

Nonne tu ſuperius vocaſti eos Norbertinos, & regulares canonicos tunicatos ?

CLONIACENSIS.

Quia modo primum ſubiit mentem meam illa eorum non laudanda noluntas ?

CISTERCIENSIS.

Recte dixiſti, quia non eſt laudanda : numquid ſcis quare nolint appellari utroque nomine ?

CLONIACENSIS.

Quia videtur eis utrumque nomen ipſis eſſe ignominioſum. Recte ne ? ipſi viderint. Ego non video. Conjicio tamen, ex linguatis tunicis eorum, quia volunt eſſe prædicatores & rectores eccleſiæ, quod non licet monachis, cùm beatus Jeronymus dicat monachus, de monachis. *Monachus non habet officium docentis, ſed plangentis, qui ſe ipſum & mundum lugeat.* Norbertini, ideo forſitan nolunt dici, quia auctor eorum dominus NORBERTUS, dicitur apoſtataſſe, factus de nudipede aſſenſore aſini, bene calceatus & bene veſtitus, aſcenſor falerati equi : de heremita, curialis in curia LOTHARII imperatoris : de pane cibario & vili pulmentario, ad regales & ſplendidas epulas : de magno contemtore mundi magnus actor cauſarum mundi.

Hieron. adv. Vigil.

CISTERCIENSIS.

42. Illa vero eorum appellatio qua dicuntur regulares canonici, abſurda eſt : quia canon & regula unum & idem eſt in ſignificatione. unde canonicus & regularis prorſus idem eſt, & nihil aliud eſt dicere canonicus regularis, quam regularis regularis : appellantur ergo fallaciter, & abſurde regulares canonici : quia nequaquam canonici ſunt. Illam enim regulam profeſſi non ſunt, quæ de canonibus excerpta & collecta eſt, cujus profeſſores proprie dicuntur canonici : ſcilicet clerici in matricibus eccleſiis conſtituti, quibus licet proprium habere : unde quoddam capitulum ejuſdem regulæ, ſic incipit : *Quamvis canonicis liceat proprias habere manſiones*, &c. qui ordo non erat in eccleſia tempore Ambroſii, Jeronymi, Auguſtini, Gregorii, Iſidori. hinc eſt quod iſti ſcriptores ſancti in omnibus ſcriptis ſuis, canonicorum nullam faciunt mentionem, quia hic ordo primum cœpit ſub Loudewico Pio imperatore, qui col-

Canonici regul. reduplicatio.

Canonicis licet proprium habere.

legit synodum quamdam episcoporum; in A qua synodo ipso imperatore faciente, constituta est regula canonicorum: quod scriptor ejusdem regulæ insinuat in quibusdam capitulis, dicens, *Placuit sacro conventui*, &c.

CLONIACENSIS.

Quæ modo dixisti libenter audivi, quia incognita erant mihi, tamquam ea quæ numquam audivi, numquam legi.

CISTERCIENSIS.

Utinam voluntaria oris mei beneplacita fierent tibi, quia tunc possent in animo tuo fru- B ctificare.

CLONIACENSIS.

Monachos esse Norbertinos. 43. Dic, quæso, quandoquidem ostensum est quod canonici non sunt, in quo ordine erunt, cùm nolint esse monachi.

CISTERCIENSIS.

Secundùm ipsos in nullo: sed quod monachi sint, testatur S. Augustinus in principio regulæ, duas monachorum descriptiones ponens his verbis: Aug. reg. c. 1. *Hæc sunt quæ præcipimus observari, ut in monasterio habitantes prius principalia præcepta, dilectionem dico Dei & proxi- C mi, primum propter quod in unum estis congregati, caritatis vinculum custodiatur, & unanimes in domo, & sit vobis cor unum, & anima una.* Esse habitantes in monasterio & esse monachos paria sunt, sicut collatio de generibus monachorum testatur, dicens: Cass. Coll. 18. c. 10. *Monasterium nomen est nihil amplius quam locum, id est habitaculum significans monachorum. Cœnobium vero etiam professionis ipsius qualitatem, disciplinamque designat. & monasterium potest etiam unius monachi habitatio nominari: cœnobium verò appellari non potest, nisi ubi plurimorum monachorum cohabitantium deget unita communio.*

CLONIACENSIS. D

44. Subiit animo meo quod legi in Isidoro ethymologiarum, quod plane probat eos esse monachos. Isidorus enim cum tractet de omnibus ecclesiæ ordinibus, canonicorum nullam mentionem facit; sed de monachis tractans, dicit, Duo sunt genera monachorum, unum heremitarum, aliud est cœnobitarum. Apostoli ergo erant monachi. Heremitæ imitantur Heliam & Johannem Baptistam: Cœnobitæ vero imitantur apostolos. Ergo secundùm Isidorum apostoli erant cœnobitæ monachi. E

CISTERCIENSIS.

Ecce si non credis mihi, crede Collationibus patrum, crede sanctis ecclesiæ doctoribus Augustino & Isidoro.

CLONIACENSIS.

45. Unde ergo eis iste error accidit, quod negant se esse monachos?

CISTERCIENSIS.

Aut imperitia, aut vana gloria, aut utrumque fecit eos errare. Quare non sunt dici monachi canonici regulares. Gloriantur enim se esse prædicatores & doctores, dicendo: Monachus non habet officium docentis, nos habemus, hæc eadem verba Jeronymi nequaquam rectè intelligentes, nec attendentes quod Apostolus dicit: Rom. 10, 15. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Itaque sola missio facit prædicatorem. Et illi, nos, inquiunt, quia clerici sumus, ex clericatu officium prædicandi habemus: quibus cum respondetur, ergo & monachi sacrum ordinem habentes, quia clerici sunt, ex clericatu officium prædicandi habent: illi satis imperitè respondent, dicentes: Monachi habent clericatum ex indulgentia, nos ex debito. Errant enim in utroque, in hoc quod dicunt, *Nos ex debito*, & in hoc quod dicunt *illi ex indulgentia*.

CLONIACENSIS.

46. Miror quod dicis eos in hoc errare, quia magister Hugo in libro de sacramentis dicit id ipsum: scilicet monachos ex indulgentia clericatum habere. Monachi non ex indulgentia Clerici.

CISTERCIENSIS.

Aliquando bonus dormitat Homerus. Hoc proverbium ventilatum, quod etiam illi sciunt & dicunt, qui auctorem ejus Horatium numquam legerint, videtur in hoc convenire magistro Hugoni, & duobus Romanis pontificibus Gregorio VII. & Urbano II. & quibusdam episcopis in Eduensi concilio congregatis. hi enim omnes putabant eos non esse monachos, sed debere dici regulares canonicos. ideoque reliquerunt quædam scripta de eis continentia non satis sensatam sententiam.

CLONIACENSIS.

47. Mira audio. ecce audes etiam in ipsos apostolicos, tuæ reprehensionis mittere manum: sed per eorum reprehensionem mitigasti nobis nostram. Ego multotiens audivi, quod successores Petri pontifices Romani, numquam errent; & quod eis hoc impetraverit rogatio Christi pro Petro, Christo id ipsum promittente, quando dixit: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. 32.

CISTERCIENSIS.

48. Absit à me homuncione talis audacia, immo insania, ut dicam præfatos apostolicos à fide exorbitasse. Nonnumquam quia homines sunt, ab hominibus falli possunt: quia per surreptionem suorum familiarium, qui sunt circa eos, fortassis muneribus corruptorum, præcipiunt aliqua minus consulte, dant privilegia minus considerate, ut Romani Pontifici aliquando imponitur.

testatur libellus de Consideratione, à præfato domno BERNARDO Clarevallensi abbate compositus. In illo scripto quod misit Senonensi archiepiscopo sic loquitur: *Non curant valde Romani, quo fine res terminetur, sed quia valde diligunt munera, sequuntur retributiones. Nudè nuda loquor, non retego verenda, sed inverecunda confuto. Utinam privatim hæc fierent! Utinam nec loquentibus crederetur! Utinam relinquerent nobis moderni Noe, unde à nobis aliquatenus possent operiri! Nunc vero orbe cernente mundi fabulam, soli tacebimus? caput meum undique conquassatum est, & ego sanguine circumquaque ebulliente, putaverim esse tegendum? Quicquid apposuero cruentabitur, & major erit confusio voluisse celare, cum celari nequiverit.* Lege epistolam ejus missam adolescenti illi, quem seduxit magnus prior Cluniacensis, in qua reprehendit Romani pontificis judicium durissima reprehensione, dicens; *Justificati sunt qui injuriam fecerunt, ceciderunt à causa qui passi sunt, absolvitur reus absque satisfactione, firmatur privilegio crudeli nimium clemens sententia absolutionis; & hic tenor litterarum, hæc judicii summa, hæc totius causæ diffinitio: ut teneant qui tulerunt, sileant qui amiserunt. Tuum, Domine* JESU, *tribunal appello: tuo me judicio servo; ubi plus valet conscientia bona, quam marsupia plena.*

Bern. de Offic. episc. c. 7.

Bern. ep. 1.

CLONIACENSIS.

Vere durissima & valde amara invectio in apostolicam sedem est ista, & vix credibilis.

CISTERCIENSIS.

Si non credis verbis meis, crede oculis tuis: Ecce eam lege.

CLONIACENSIS.

49. Antequam legam eam, volo audire à te quomodo intelligenda sint ista verba sancti Jeronymi: monachus non habet officium docentis, sed plangentis, & qua ratione dicas, magistrum Hugonem dormitasse.

Quomodo officiū monachi est plangentis non docentis.

CISTERCIENSIS.

Beatus Jeronymus scripsit contra quemdam Vigilantium, qui reprehendit heremitas dicens: Si omnes se recluserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias? Defendit ergo eos his verbis: *Monachus non habet officium docentis, sed lugentis.* hoc nomen *monachus* secundum etymologiam vocis, pro *solitarius*, posuit. Non enim Jeronymus hoc dixit de cœnobita, sed de solitario, quem Jeremias hoc modo describit: Sedebit solitarius & tacebit, & levabit se super se. Omnis homo habens intellectum, illud scilicet talentum quod nequam servus fodit in terram, si non est solitarius, si habitat cum hominibus, officium habet docentis: quia debet fratrem suum quem videt errare à veritatis vel morum via, ad rectam viam docendo reducere: unde beatus Gregorius ait: *Omnis homo habens intellectum, curet omnino ne taceat, ne veniens dominus suus dicat ei: Serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usura reciperem eam?* Sed officium prædicandi, id est publice docendi, non habent nisi missi, id est episcopi & presbyteri in ecclesiis suis, & abbates in monasteriis suis: quibus commissa est cura animarum.

CLONIACENSIS.

50. Quomodo aliquis levat se supra se?

CISTERCIENSIS.

Hoc ostendit Johannes solitarius, qui in utraque vita, heremitica scilicet, id est contemplativa, & cœnobiali, id est activa, secundum S. Benedictum mixta, perfectè se habuit. Narrat enim suas levationes dicens; *Si quis igitur secretis heremi delectatus, oblivioni tradere potuit humana consortia, ac secundum Jeremiam dicere*, & diem hominis non desideravi, tu scis: *ego quoque id Domino suam gratiam largiente, vel assecutum, vel certè assequi innisum fuisse me fateor. Itaque pio Domini nostri munere, memini me in hujusmodi raptum frequenter excessum, ut oblivliscerer me sarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentemque meam ita omnes exteriores sensus respuisse, & à cunctis materialibus rebus omnimodis exulasse, ut neque oculi, neque aures meæ, proprio fungerentur officio: & ita divinis meditationibus, ac spiritalibus theoriis animus replebatur, ut sæpe ad vesperum, cibum me non percepisse nescirem, ac sequenti die de hesterna absolutione jejunii penitus dubitarem. Ob quam etiam causam, septem dierum cibus, hoc est septem paximatiorum paria, in prochirio, id est, admanuensi sporta sequestratim die sabbati reponuntur, ut refectio prætermissa non lateat. qua consuetudine, illius quoque oblivionis error excluditur, ut expletum hebdomadæ cursum, ac solemnitatem diei ipsius revolutam, finitus panum indicet numerus; festivitasque diei sacræ & congregationis solemnitas solitarium latere non possit. Quod si etiam hunc ordinem, ille quem prædiximus mentis excessus forte turbaverit, nihilominus quotidiani operis modus, dierum numerum signans, arcet errorem.* Ecce habes ex fine hujus narrationis, quod etiam perfectissimi contemplativi habuerunt quotidianum opus manuū. Erratis ergo qui putatis vos esse contemplativos, ideo quia non habetis opus manuum. Propterea dixi tibi, si recordaris: erras, frater, nesciens scripturas. non enim dicitur aliquis contemplativus, quia vacat ab operibus manuum; sed quia vacat ab operibus misericordiæ, propter desiderium contemplationis. Opus manuum non obest, sed prodest contemplativis. unde *Paulus probatissimus patrum*, sicut Cassianus refert, *cum in heremo*

Cass. Coll. 19. c. 4. Levare se supra se. Jerem. 17.

Labor manuum à cōtemplativis usurpandus

Cass. l. 10. c. 24.

vastiore consistens, quæ Prosyrion nuncupatur, palmarum fructibus, & horto modico securus, haberet sufficientem alimoniæ suæ victusque substantiam, nec posset aliquid aliud unde sustentaretur operis exercere; eo quod ab oppidis vel habitabili terra septem mansionibus, vel eo amplius, deserti illius separaretur habitatio, plusque expeteretur pro mercede vecturæ, quam valere posset pretium operis desudati. collectis palmarum foliis, quotidianum pensum velut exinde sustentandus, à semetipso jugiter exigebat: cùmque opere totius anni antrum ejus fuisset impletum, id quod sollicita cura laboraverat, annis singulis igne supposito cremabat: in tantum probans sine opere manuum, nec in loco posse durare monachum, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere, ut cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis, & cogitationum soliditate, ac perseverantia cellæ, vel accidiæ ipsius victoria, & expurgatione perficeret. Apud Ægyptum ab antiquis patribus sancita sententia hæc est: *operantem monachum, uno dæmone pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari.*

Pauli eremitæ labor.

CLONIACENSIS.

51. Quamvis nec in horto, nec in agro laboremus, tamen ex toto otiosi non sumus. Aliqui legunt, aliqui manibus operantur.

CISTERCIENSIS.

Ego novi illa vestra otiosa opera.

Opera Cluniac. otiosa.

CLONIACENSIS.

Quare dicis ea otiosa?

CISTERCIENSIS.

Sicut verba quæ non ædificant sunt otiosa; ita illa opera quæ non pertinent ad necessarios usus, rectè dicuntur otiosa, ut interim de ceteris taceam: aurum molere, & cum illo molito, magnas capitales pingere litteras, quid est nisi inutile & otiosum opus? etiam ipsa necessaria opera vestra, quia tempus regulare non observatis in eis, præceptis regulæ sunt contraria. Sed in opere Dei nec modum regularem, nec tempus regulare observare, major mihi videtur esse transgressio regulæ.

CLONIACENSIS.

52. Ita tu nobis improperans manuum nostrarum opera, dicis ea otiosa & inutilia, quasi vestra sint valde laboriosa, & valde utilia.

CISTERCIENSIS.

Rusticationi quam Deus creavit, & instituit, operam damus; & omnes in commune laboramus, nos & fratres nostri, & mercenarii nostri, unusquisque secundum suam possibilitatem, & omnes communiter de labore nostro vivimus.

Cisterc. dant operã rusticationi.

CLONIACENSIS.

53. Sicut audivimus, etiam à vestris, nec unus posset vivere de labore quem xxx. monachi vestri faciunt: quia illa vestra rusticatio non est labor, sed recreatio, & euntis diei deductio: idcirco nos credimus animabus nostris majus esse lucrum, ut in claustro sedentes, operam demus aut psalmodiæ, aut lectioni sacræ propter compunctionem cordis, complentes illud psalmistæ, *Vacate & videte quoniam suavis est Dominus.* Ps. 33.

CISTERCIENSIS.

54. Apostatæ nostri qui ad vos veniunt, mendacissimè nobis detrahentes, talia solent dicere: sed vestrum esset mendacibus Dei nihil credere. Ego autem dico tibi, quod quamvis prioris providentia custodiat, ut omnia secundùm præceptum regulæ mensurate fiant propter pusillanimes: tamen à labore revertentes, multociens in sudore vultus nostri, pane nostro vescimur. In ipso quoque labore per misericordiam Dei non solum integri [a] psalterii decantationes, sed etiam cordis compunctiones, & lacrymarum effusiones frequenter fiunt à timentibus & amantibus Deum: qui si in claustro contra præceptum regulæ sederent, forsitan aut dormitarent, aut per vagationem mentis minus utilia cogitarent.

[a] Psalterii inter laborandum decantatio.

CLONIACENSIS.

55. De opere manuum sufficienter dixisti, restat ut dicas quare dixeris magistrum Hugonem dormitasse.

CISTERCIENSIS.

Una est dormitatio magistri H. cum esset professus monasticam regulam, illam scilicet quæ dat præcepta habitantibus in monasterio, non recognovit se esse monachum. Alia dormitatio, quod clericatum, quem habemus ex lege nostra, id est ordinatione regulæ nostræ, dixit nos habere ex indulgentia. Regula enim nostra præcipit eligi presbyterum & diaconum, qui dignus sit, & suscipi sacerdotes & clericos perseveranter pulsantes. Sed regula eorum nec de clericatu, nec de linguata tunica, nec de hoc nomine, *Canonicus*, aliquam facit mentionem, tamquam ea quæ mulieribus monachabus scripta est. Hoc etiam sufficiens causa esset nostri clericatus, quod auctoritas Isidori, &

Ex regula habemus clericatum.

[a] Ea fuit apud veteres monachos pia & sancta consuetudo, ut dum operi exteriori manus vacaret, lingua psalmos decantaret, uti videre est apud Cassianum l. 3. c. 2. S. Basilium in Reg. fusioribus c. 37. & in Regula Tarnatensi c. 8.

Collationes patrum dicunt nos esse imitatores apostolorum.

CLONIACENSIS.

Regula August. mulieribus scripta. 56. Unde hoc habes, quod regula eorum mulieribus scripta sit?

CISTERCIENSIS.

Ex prologo ejusdem regulæ.

CLONIACENSIS.

Regula eorum nullum habet prologum?

CISTERCIENSIS.

Quia ipsi substraxerunt eum, & mutaverunt feminina nomina in masculina.

CLONIACENSIS.

Secundùm causas has nos habemus clericatum ex debito, illi vero ex indulgentia. Sed quis est presbyter, qui illorum omnium curam gerit, quem regula illa, magis ac magis honorari ab eis præcipit?

CISTERCIENSIS.

Unusquisque presbyter ab episcopo suscipit curam animarum omnium illorum qui in sua habitant parochia, & quia presbyter ille, in cujus parochia situm erat monasterium illarum, debuit illis & missas celebrare, & sanctam communionem dare, & confessiones earum audire; idcirco, ut mihi videtur, præcepit S. Augustinus eumdem presbyterum ab eisdem monachabus magis & magis honorari.

CLONIACENSIS.

Verisimile est quod dicis.

CISTERCIENSIS.

Clericorum dignitas. 57. In præmissis diximus clericatum ex indulgentia haberi, sed qui diligenti consideratione vult intueri, quid sit clericatus longè aliud inveniet.

CLONIACENSIS.

Et quid est clericatus?

CISTERCIENSIS.

Officium altaris, quod non facit sanctam vitam, sed requirit sanctam vitam, non solum præsentem, sed etiam irreprehensibilem præcedentem, scilicet unius uxoris virginis virum virginem, & cetera multa quæ Apostolus & canones enumerant. hinc est quod S. Augustinus ait: Populus dicit, Malus monachus, Epist. 60.

A bonus clericus: sed ego dico, quod vix bonus monachus potest esse clericus: quasi diceret, Tanta est dignitas, & tanta est altitudo officii altaris, ut etiam illi qui sanctiores sunt aliis hominibus, id est monachi boni, vix digni sint exercere illud officium. Idipsum testatur Johannes Chrysostomus dicens: Sacerdoti quæ puritas necessaria. Ipsis radiis solis splendidiorem oportet esse animam sacerdotis, ut numquam à Spiritusancto deseratur, sed ut possit dicere: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Gal. 2. 19. Quod boni monachi aliis bonis hominibus sanctiores sint, Augustinus ostendit in quadam epistola sua dicens: *Sicut non invenio aliquos* Epist. 78. B *homines meliores illis qui in monasteriis profecerunt, ita non invenio aliquos deteriores illis qui in monasteriis defecerunt.* In tantum verò & sancti monachi olim pertimuerunt clericatum suscipere, ut aliqui eorum fugerent, aliqui per vim ordinati presbyteri ab officio altaris ipsi se suspenderent, aliqui sibimetipsis auriculas amputarent, ut vel sic clericatum evaderent. Olim monachi fugiebant clericatum.

CLONIACENSIS.

58. In vita patrum inveniuntur quædam capitula de fugiendo clericatu, nullum inve- C nitur de appetendo clericatu: quid ergo causæ est, quod monachos modernos adeo titillat desiderium clericatus, ut omnes velint digni & indigni ordinari presbyteri? Cur hodie monachi gestiant ordinari.

CISTERCIENSIS.

Forsitan ideo quia gaudent de honore altioris gradus, nihil cogitantes de onere & periculo ejus. Sed altior gradus etsi decenter teneatur, tamen indecenter appetitur. Monachus qui dignus est ordinari, non fiat sacerdos nisi coactus; qui indignus est nec coactus: ne ascendat tam altum gradum, Qui ordinandi. D non solum per transgressionem regulæ & canonum: verum etiam per falsum testimonium eorum qui eum offerunt episcopo ordinandum.

CLONIACENSIS.

59. Collectis in unum præmissis rationibus, & SS. Patrum exemplis, manifestè constat, quod clericatus monacho non datur per indulgentiam, sed negatur per indulgentiam. Sed si illud sanctissimum altaris officium non facit hominem bonum & sanctum, quid est E quod faciat bonum & sanctum?

CISTERCIENSIS.

Nihil nisi fides; illa quæ operatur per dilectionem, secundùm scientiam. Illi verò abbates, qui dicunt quod nemo sit dignus; & hac occasione omnes fere monachos suos, sine differentia & sine electione faciunt ordinari presbyteros: illi, inquam, nesciunt quid dicant. quia & regulam & canones judicant: & non

solum judicant, sed etiam infatuant. Et quamvis noster ordo in ordinandis presbyteris vestræ consuetudini fere concordet, tamen in aliis veneranda canonum decreta diligentius custodit.

CLONIACENSIS.

Cistercienses numquam cum uno solo adjutore celebrant.

60. In quibus aliis?

CISTERCIENSIS.

In hoc scilicet, quod nostri presbyteri privatas missas suas numquam cum uno solo adjutore celebrant, quod vestra consuetudo minimè custodit. quia cum uno solo auditore soletis privatas missas celebrare, nec præcepto obedientes, nec rationi. Nam Sother papa, qui præcipit, ipse etiam rationem præcepto subjungit dicens: Præcipimus ut sicut statutum est, nullus presbyter præsumat missam celebrare, nisi ad minus duos habeat, quibus convenienter possit dicere *Dominus vobiscum.*

CLONIACENSIS.

In nostra lingua unum solum quem honorare volumus, plurali numero salutamus.

CISTERCIENSIS.

Nimiæ absurditatis esset, ut presbyter auditorem suum salutans honoraret plurali numero, dicens, *Dominus vobiscum*; & ille presbyterum resalutans despiceret, singulari numero dicens, *Et cum spiritu tuo.*

CLONIACENSIS.

61. Quidam dicunt quod salutatio presbyteri pertineat ad totam Ecclesiam.

CISTERCIENSIS.

Laïci Cistercienses albas nequidē contingebant.

Illi nesciunt quid dicant: quia si sanctam Ecclesiam salutaret, nequaquam se verteret ad auditores suos, cùm ipsa sit constituta, & ante eum in oriente, & retro in occidente, & in dextra in meridie, & in sinistra in septentrione. In hoc etiam valde reprehensibilis est consuetudo vestra, quod laïci monachi albas induunt contra præceptum canonum, quas in nostro ordine nec tangere audent.

CLONIACENSIS.

62. Propterea quædam monasteria nostra habent albas non sacratas, quas laïci monachi nostri induunt.

CISTERCIENSIS.

Illa vestis non debet haberi, nisi sacrata, quia sic institutum est. Habetur ergo per

A rapinam pauperum. Illa vero intolerabilis temeritas est quod laïci monachi vestri, quando sunt adjutores presbyterorum privatas missas cantantium, in offertorio offerunt presbyteris calicem cum pane & vino, cum in nostro ordine, nec gradus sanctuarii audeant ascendere, nisi quando communicant, nec etiam vascula vinaria in quibus servatur vinum, ad sacrificium audeant tangere, nec cingulum sacratarum vestium. Nescio quid dicam, nisi hoc solum, quod vestræ consuetudinis auctoritas ultra modum magna est: quia facit quod vult, & dimittit quod vult. Ipsa occasio postulat me enumerare quæ fa-

Non audebant ascendere gradus sanctuarii.

B citis non facienda, & quæ omittitis non omittenda: sed præ multitudine non possum, quia festinus loquendo ad finem collationis tendo. Illam tamen consuetudinem vestram, quæ mihi aliquando risum movit, silentio præterire non possum: quod Hebdomadarii coquinæ, nec coquinam intrant, nec pedes fratrum lavant, sicut præcipit regula: sed cum tribus digitis madefactis tangunt pedes desuper brevissimo tactu, statim manum retrahentes.

Mos Cluniac. de lotione pedū.

CLONIACENSIS.

C

63. Non est necesse tunc lavari pedes, quia unusquisque prius sibimetipsi suos lavat pedes.

CISTERCIENSIS.

Si non est necesse lavari pedes, multo minus necesse est tangi. Nostri vero coquinarii regulæ obedientes, ita nostros lavant pedes, ut alia ablutio non sit necessaria.

CLONIACENSIS.

Ego expecto quando dicas de oblectamentis trium sensuum, quia de duobus dixisti.

D

CISTERCIENSIS.

64. De nota via interrogas, quia tu ipse non ignoras artocreas, placentas, frixuras, & cibos pipperatos, ac pastillos, nihil aliud esse quam gustus oblectamenta & gulæ irritamenta, quia non sunt cibi monachorum, sed delicatorum: ideoque à nostro ordine refutati.

Artocreæ placentæ frixuræ nō sunt monachorum cibi.

CLONIACENSIS.

Qui sunt cibi qui propriè pertineant ad

E monachos?

CISTERCIENSIS.

De cibis monachorum, ego meam non præcipitabo sententiam. sed qui sint & quomodo præparandi sint, consulendæ sunt sanctorum patrum regulæ. quibus consultis, in proxima loci & temporis oportunitate respondebo tibi; hodierna vero collatio nostra finem postulans, ne modum excedat, hic finiat.

INCIPIT TERTIA PARTICULA.

CLONIACENSIS. A

1. QUIA opportuno loco convenimus, ne ipsa opportunitas sit nobis infructuosa, conferamus aliqua, quibus ingenium exerceatur, scientia augeatur, mores ædificentur. Tali enim negotio occupati, non dilabemur in rumores, & verba otiosa quæ regula nostra æterna damnat clausura.

CISTERCIENSIS.

tiosa vercavenda. 2. Bene mones, quia nisi diligentissima custodia verbum otiosum caveatur, ita ut discussio ejus in die judicii futura in memoria habeatur, linguæ mobilitas & mentis vagabilitas citissimè interferunt negotiosis otiosa, malignis spiritibus menti subministrantibus ea. Cùm ergo in colloquio duorum tantum talis custodia linguæ vix possit haberi; in colloquio multorum ubi senes, juvenes, & adolescentes omnes simul loquuntur, impossibile est à verbis otiosis abstinere. Itaque tale monachorum colloquium Evangelio, Apostolo, & regulæ est contrarium: in otio, regulæ specialiter & Apostolo; in verbis otiosis, regulæ & Evangelio. Habetur ergo non per licentiam, sed per illicitum placitum vestrum; non per dispensationem, sed per dissipationem. Propter hoc monachus, quem comedit zelus legis suæ, in corde suo dicit: *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam.* Vestri vero ordinis monachi ita habent illud legitimum, ut librarii scriptores monachi, in monasterio scribentes, qui nec regularibus horis, id est operi Dei, intersunt, illi velint interesse colloquio, utrobique legem suam & regulam transgredientes; & in colloquio & in scribendo dum opus Dei agitur in choro.

Ps. 118. 126

CLONIACENSIS.

Scriptores librorum ab opere Dei dispensati. 3. Quod scribentes ad opus Dei non veniunt, in hoc nequaquam regulæ transgressores sunt, quia præcepto abbatis obediunt.

CISTERCIENSIS.

Utrumque regulæ contrarium est, & illa eorum obedientia, & illud abbatis præceptum.

CLONIACENSIS.

Quid est hoc quod tu modo dicis? hoc dictum tuum est regulæ dicto contrarium, quæ dicit abbati esse obediendum, etiamsi ipse impossibilia præcipiat. Credunt ergo utrique, utrumque licere, & abbates si hoc præcipiant, & illi si in hoc abbatibus obediant.

CISTERCIENSIS.

Peccatis ergo exigentibus, contigit cœcitas in utrisque. Quid itaque aliud restat, nisi quod Veritas in Evangelio dicit? *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt.*

CLONIACENSIS.

4. Hanc insensatam sententiam tuam, ut mihi videtur, si non ratione & auctoritate probaveris, meo & aliorum judicio tu cœcus & erroneus esse pronuntiaberis?

B

CISTERCIENSIS.

Ista planissima regulæ verba, *Operi Dei nihil præponatur,* non intelligere mentis cœcitas est: intellecta contemnere, mentis superbia est. Abbates tamen magis delinquunt præcipiendo quam scriptores obediendo. Reg. c. 43.

CLONIACENSIS.

Tu es unus illorum qui oculos habent acutè cernentes delicta aliorum, in propriis cernendis lippientes.

C

CISTERCIENSIS.

5. Quia dicis meam sententiam insensatam, cum ipsa non sit mea, sed omnium rectè sentientium, audiamus Abbatem Clarevallensem determinantem & præceptum abbatis, & obedientiam monachi. *De hoc*, inquit, *non parum prælati præscribitur voluntati, quod is qui profitetur spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam: sed determinatè secundùm regulam, nec aliam quam sancti Benedicti: ut oporteat eum qui præest non fræna relaxare suæ voluntatis super subditos, sed præfixam sibi ex regula scire mensuram, & sic sua demum imperia moderari circa id solum, quod rectum esse constiterit; nec quodlibet rectum, sed hoc tantum quod prædictus Pater instituit, aut certe quod sit secundum quod instituit.* Bern. de Præcepto & disp. c. 4.

D

CLONIACENSIS.

6. Hæc disjuncta rectum hoc quod S. Pater Benedictus instituit, aut quod sit secundùm quod instituit, describit utrumque ordinem. Vester enim ordo tenet hoc quod instituit, id est corporales illas observantias, sed noster ordo non tenet hoc quod instituit, sed quod est secundùm quod instituit, scilicet bonos usus qui secundùm ipsum, & secundùm rei veritatem, non discordant à regula. Item ipse dicit: *Nemo cum profitetur spondet regulam, sed determinate secundùm re-* Bern. ibid. c. 16.

E

gulam. una quidem oris ubique promissio, sed quia non est omnibus una cordis intentio, non aliud proculdubio quisque promittit, quam quod habere pia illorum vita videtur, cum quibus deinceps vivere disponit & eligit. Item ipse dicit: Ibid. *Quamdiu corporales observantiæ, quas instituit S. Benedictus, caritati militant, immobiliter fixæ sunt, mutarique omnino ne ab his ipsis præpositis sine offensa possunt: at si è contrario contrariæ forte aliquando caritati visæ fuerint, his dumtaxat quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est, nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro caritate inventa fuerunt, pro caritate quoque, ubi expedire videbuntur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius dimittantur. Omnibus his sententiis suis nostrum defendit ordinem, &c.*

CISTERCIENSIS.

7. Ista dixit aut per insinuationem, aut per dormitationem: quia quandoque bonus dormitat Homerus. Quod autem sententiæ istæ secundùm litteralem sensum suum tam à ratione, quàm ab auctoritate discordent, tam directa quàm indirecta ratiocinatione colligere possumus. Prima sententia est ista: Nemo cùm profitetur, spondet regulam. Dic mihi, quid est regula?

CLONIACENSIS.

Regula quid. Regula nihil aliud est, sicut communis omnium sententia testatur, nisi præcepta illa, quibus S. Benedictus regit, & ordinat vitam monachorum, præcipiens facienda, & prohibens vitanda.

CISTERCIENSIS.

8. Stare potest hæc descriptio tua, quia convertibilis est hoc modo: Regula est omnia præcepta illa, & omnia præcepta illa simul compaginata sunt regula. De illis præceptis dicit S. Benedictus: Suscipiendus cui tertio integre lecta est regula, id est illa præ- Reg. c. 58. cepta, *Si promiserit se omnia custodire, & servare omnia imperata, tunc suscipiatur.* Quod est dicere, nisi promittat se totam regulam custodire, & servare omnia imperata, id est consuetudinis præcepta, non suscipiatur. Consuetudinis præcepta propriè dicuntur illa, quæ tales observantias præcipiunt, de quibus nulla mentio facta est in regula; quæ dicuntur in octavo humilitatis gradu, ut mihi videtur, exempla majorum. Nihil enim novum, sed hoc solum debet monachus agere, quod habet regula, vel consuetudo, id est bonus usus priorum suorum, id est eorum quos ipse De opere manuum. invenit in monasterio: quia malus usus, id est rationi vel auctoritati contrarius, non est usus, sed abusio, sicut otiari & confabulari illo tempore quod regula designavit operi manuum, in quo nec sacræ lectioni licet monachos operam dare. Nam præceptum de

A opere manuum nullam potest habere dispensationem, nisi illam quam S. Benedictus facit, dicens: *Omnia mensurate fiant propter pusillanimes.* Cap. 48. Item: *Infirmis & delicatis talis opera aut ars injungatur, ut non vacent, nec violentia laboris opprimantur ut effugentur.* Voluntatem legislatoris nostri, quid velit in profitendo sponderi, audisti: amplius adhuc audi: *Omnes in omnibus magistram sequantur regulam.* Cap. 3. Si in omnibus, ab omnibus est sequenda; tunc revera in profitendo tota est spondenda. Amplius est, in fine regulæ dat tale præceptum. *Hanc maximam inchoationis regulam primum perfice,* Cap. 73. id est totam fac: quia secun-B dùm Apostolum *non auditores legis, sed factores justificabuntur: qui vero offenderit in uno, factus est omnium reus,* Jac. 1. 2. id est transgressor legis est.

CLONIACENSIS.

9. Ergo omnes Cistercienses suæ legis transgressores sunt, qua nullus eorum est, qui non offendat in aliquo?

CISTERCIENSIS.

Si est transgressor, non tamen est contemtor, quia transgressionem suam regulari satis-C factione emendat; & quia unus illorum est qui veraciter dicere possunt, *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, Domine;* Ps. 118. etiam illa præcepta legis quæ complere non potest complevit, quia quod vult, & non potest, Deus pro facto reputat. Sed vos, Cloniacensis, Non qui prævaricantur, sed qui contemnunt sunt damnandi. qui præceptum legis, cujus dator Deus, cujus lator S. Benedictus, cujus commendator S. Gregorius, & omnes Romani Pontifices commendatores & confirmatores, nec facitis, nec facere vultis, & pro nihilo habetis, vestram justitiam statuentes, justitiæ Dei non estis subjecti. Cùm sola voluntas Dei & S. Benedicti, quæ eadem est, sit in nostra conver-D satione exequenda, numquid vel adhuc scis quid velit S. Benedictus in professione sponderi? An totam regulam aut mediam aut aliquam partem ejus?

CLONIACENSIS.

10. Nullus est tam hebes, qui possit dubitare de voluntate ejus, si considerat supradicta verba ipsius. Manifestant enim, quia vult & in profitendo totam sponderi, & in operando totam compleri, vocans eam minimam inchoationis regulam. sed abbates & ceteri interpretes nostri hæc verba interpre-E tantes affirmant eum hoc dixisse non propter rei veritatem, sed propter humilitatem. Dicunt enim regulam hanc grandem & tam perfectam, quod nullus monachorum in sua conversatione possit ad ejus perfectionem pervenire.

CISTERCIENSIS.

11. Qui hoc dicunt, minus animadvertunt. quod

quod perfectio alia est in affectu, alia in effectu. Illam quæ in affectu est, facit caritas illa quæ foras mittit timorem, & est simplex, id est, carens integralibus partibus; quia virtus est, id est habitus animi bene constituti, difficile mobilis. Quæ vero est in effectu, id est, in conversatione monachi; tam multiplex est, quod partium ejus vix medietatem, S. Benedictus in regula comprehendit: ceteræ partes ejus in libro qui dicitur ordo, vel consuetudo, continentur: quas jubet S. Benedictus in authenticis libris nos quærere, ne consuetudo aliquid sibi usurpet vel rationi vel auctoritati contrarium. Hoc præceptum quia auctores vestri ordinis non custodierunt, idcirco aliquas traditiones, auctoritati contrarias, posteris suis reliquerunt: propterea non humiliter mentiendo, sed veraciter pronuntiando, dixit hanc minimam inchoationis regulam, &c.

Quomodo Regula dicitur minima inchoationis regula.

CLONIACENSIS.

12. Profer in medium aliquas partes illius perfectionis, quæ in effectu est, ut manifestiora fiant quæ dixisti.

CISTERCIENSIS.

Prandium Dominicæ.

Prandium dominici diei in hyeme, videtur regula nostra negare: sed quia canones & Ægypti patres dominicum diem à jejunio exceperunt: habemus illud prandium legitimum. Utrum liceat, vel non liceat abbatibus habere sub suo regimine monasteria feminarum, S. Benedictus silentio præteriit: sed quia S. Basilius in sua regula de regimine earum dat abbatibus quædam præcepta, & quia SS. Patrum idipsum hortantur exempla: possunt abbates si volunt monacharum esse rectores.

Monialium monasteria.

CLONIACENSIS.

Cisterciensis ordo prohibet regimen monialium.

13. Quare Cisterciensis ordo suis abbatibus interdixit, tale regimen, quo fieri possent non modica animarum lucra?

CISTERCIENSIS.

Ideo quia possent fieri eodem regimine non modica animarum damna. Terret eos etiam casus multorum, & illæ frequentes confabulationes quæ fiunt ad fenestras earum, etiam à religiosis abbatibus, contra exemplum S. Benedicti, qui semel tantum in anno, cum sorore sua habuit colloquium, & tantum de cœlestibus.

CLONIACENSIS.

Hoc exemplum S. Benedicti non habent in memoria, nec regulam S. Basilii dicentis: quantum fieri potest, rarius videnda & sermocinatio brevius habenda est.

CISTERCIENSIS.

14. Ne te ligent insolubiliter in ore tuo illæ

A abbatis sententiæ, si tamen sententiæ, quas insinuativè mulcens aures tuas, nisi fallor protulit; revertamur ad eas discutiendas. Nemo cum profitetur spondet non regulam, sed secundùm regulam. per hanc vocem *secundùm*, vult significari non illas observantias quas S. Benedictus instituit, sed alias quæ non discordent ab illis, in eo quod bonæ sint, vocans eas bonos usus. cùm tali significatione, hæc vox, *secundum*, nequaquam conveniebat fidei beatæ Mariæ respondentis angelo, fiat mihi secundùm verbum tuum. Ipsa enim his verbis nullum aliud bonum optavit, nisi quod sibi angelus nuntiavit. Magister discipulo, sive
B dicat, Fac præceptum meum; sive dicat, Fac secundùm præceptum meum, prorsus idem significat: & si discipulus non illud quod magister præcepit facere vellet, sed quod sibi placeret, numquid discipulus ille magistro suo obediret? minimè. Similiter, si in illis horis, in quibus regula magistra nostra præcipit fieri opus manuum, manibus operari nollemus, sed sacræ lectioni vacaremus, numquid magistræ nostræ sanctæ Regulæ obediremus? minimè. Sed quomodo S. Benedicto, immo Deo qui per eum regula mediante cœnobiale opus nobis injunxit, obediendum sit, S. Basilius in sua regula diligenter examinan-
C do determinat, dicens: *Impossibile est aliter stare posse operis nostri formam, nisi voluntas ejus qui injungit opus semper in memoria habeatur, ut ejus voluntate servata, & laboris diligentia competenter expleta, semper jungamur Deo, dum ejus qui opus injunxit memores sumus. Sicut enim, verbi causa, faber securim faciens, aut falcem, meminit semper ejus qui opus injunxit, & retinet in corde suo cujus magnitudinis, vel qualitatis, vel formæ injunxerit fieri securim, & illud semper intendens, quod sibi meminit à domino opus injunctum, ad hoc dirigit manuum ministerium, ut forma ope-*
D *ris cum ejus qui injunxit animo, ac voluntate conveniat: si autem obliviscatur quid vel quale sit quod sibi fuerat imperatum, sine dubio aliud aliquid quam quod injunctum fuerat faciet: ita & christianus omnem conatum & omne studium in actibus suis adhibere debet, ut secundùm voluntatem Dei, qui opus injunxit, suum quoque dirigat opus, ut & actus sui ornentur, & possit ejus qui præcipit voluntatem implere. Si vero declinet quis à regula, & corrumpat observationem mandati, ex hoc ipso arguetur quod sit immemor Dei.*

Profiteri secundùm regulam quid.

Quomodo obediendú. S. Basil. Const. mon. c. 25.

E CLONIACENSIS.

15. Vos Cistercienses, quia judaizatis in regula sequentes occidentem litteram, idcirco auctoritates ad puram litteram pertinentes diligenter notatis, ut per eas vestrum Judaismum defendatis.

CISTERCIENSIS.

Ecce sibilus serpentis, qui Evam decepit.

Per Judaicas voces christianis odibiles tentat nos avertere à regulari veritate. Quare ergo tu judaizas sequendo occidentem litteram in abstinentia carnium? comede carnes, ne judaizes, & abstine à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. O quanta insania in regulis monasteriorum allegorias quærere: abbas Clarevallensis quia parumper propter vestram defensionem à littera declinavit insinuative, mulcens aures vestras, absurditatum antecedentia posuit pro sententia.

CLONIACENSIS.

16. Quæ sunt illæ absurditates, & quæ sunt antecedentia earum?

CISTERCIENSIS.

Non aliud proculdubio quisque promittit, quam quod habere videtur pia illorum vita cum quibus deinceps vivere disponit & eligit. Item una est quidem oris ubique promissio; sed quia non est omnibus una cordis intentio, potest indubitanter sine detrimento salutis, & sine damno professionis, operis quoque non una ubique observatio celebrari.

CLONIACENSIS.

17. Istæ sententiæ rationi innituntur, & à peritis comprobantur.

CISTERCIENSIS.

Quomodo rationi innititur quod positum ponit & magnam absurditatem & magnum inconveniens? Si monachus profitens non illud promittit quod professionis verba significant, sed quod habere videtur pia illorum vita cum quibus vult vivere, tunc nostræ professionis verba ita conveniunt Norbertinis, sicut & nobis: quia eorum vita pia est. Amplius. Si profitens monachus non illud promittit quod significant professionis verba; sed quod habere videtur pia eorum vita, cum quibus vivere disponit: tunc iste versus Horatii *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus* in profitendo prolatus tantumdem valeret, quantum illa quæ scribi & proferri solent verba. Amplius. Si aliud ore & aliud corde promittitur, talis promissio quid est nisi ejus cui fit irrisio? verbi causa, qui tibi promisit aureum nummum, si daret argenteum, dicens, Ore quidem aureum promisi, sed corde argenteum; nonne irrisum te judicares? Quod tibi non vis fieri, proximo ne feceris, multo minus Deo, qui nobis & proximus, & pater, & dominus, & conditor, & redemptor est. Obsequium irrationabile, non est Deo acceptabile, præcipiente Apostolo rationabile obsequium. Quid tam irrationabile, immò tam detestabile, quàm dolose aliquid illi vovere, de quo dicit propheta *& dolus non* (Isai. 53. 9.) *est inventus in ore ejus*? Dolus enim est, quando aliud est in in ore, & aliud in corde.

CLONIACENSIS.

18. Istam sententiarum suarum contradictionem, quasi prophetico spiritu prævidens, conclusit eas, dicens: *Ceterum qui inquietus est, & ita credere non potest, sed magis credens & cedens stimulanti conscientiæ, exit & quærit ubi solvat quod suo in loco, suo utique judicio, voverat quidem, sed non solverat, sicut non laudo quod egreditur, ita ut regrediatur non consulo.* (Bern. de Praecept. & disp. c. 16.)

CISTERCIENSIS.

19. Cautum & sollicitum de salute animæ suæ vocat inquietum, minus attendens quod & oris & cordis promissione promisit regulam, id est observationem regulæ: quod verum esse sic mecum collige. Regula S. Benedicti apud sæculares & clericos & laïcos nominatissima est & celebris famæ, proinde qui de sæculo ad conversionem veniunt, cum tali intentione intrant monasteria, ut de cetero vivant sicut S. Benedictus instituit, & regula docet. Credunt enim monachos ita vivere, dum ignorant eorum à regula declinationem: & cùm in profitendo audiunt vel legunt nomen S. Benedicti, nullum aliud genus vitæ mente concipiunt, nisi illud quod S. Benedictus ordinavit. Non ergo duæ promissiones, una cordis & alia oris: sed una & eadem tam cordis quàm oris fit sponsio regulæ, id est regularis vitæ, non Cloniacensis consuetudinis. Postea verò audientes interpretationem regulæ in capitulo, & suam conversationem considerantes, longe aliam esse ab illa quam S. Benedictus instituit mirantur, scandalizantur, hoc ipsum scandalum regulæ interpretatione operante, & nihil aliud. Propter hoc quod in extremo examine de ignorantia regulæ se excusare non poterunt. Et quia jugum regulæ de collo vestro excussistis, idcirco auctoritas regulæ apud vos nulla est.

CLONIACENSIS.

20. Totus in accusatione nostra es: oblitus dilatæ responsionis scilicet, qui sint cibi qui proprie ad monachos pertineant.

CISTERCIENSIS.

Regulæ monachorum, & instituta SS. Patrum, & S. Jeronymus, huic interrogationi tuæ respondeant. S. Basilius in regula sua: *Continentiam autem dicimus, non quod à cibo penitus abstinendum sit: hoc enim est vitam violenter dissolvere; sed eam qua vitæ usus non superfluus, sed necessarius constat: cum refugimus quod suave est, & explemus ea quæ sola corporis necessitas poscit.* (Cibi Monach. Basil.) S. Columbanus in regula sua: *Cibus sit vilis & vespertinus monachorum, satietatem fugiens, & potus ebrie-* (Columbanus Reg. c. 3)

tatem, ut & sustineat & non noceat: olera, legumina, farinæ aquis mixtæ cum parvo pane paximate, ne venter oneretur, & mens suffocetur; etenim utilitati & usui tantum consulendum est æterna desiderantibus præmia. Cassianus: *Igitur eligendus est cibus, non tantum qui concupiscentiæ flagrantis æstus temperet, minusque succendat: verum etiam qui ad parandum sit facilis, & quem ad comedendum opportuniorem vilioris pretii compendium præstet, quique sit conversationi fratrum usuique communis.* Jeronymus: *Sit vilis & vespertinus cibus: olera & legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis. qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere, quam de pretiosis cibis stercus conficiat.*

Cassian. l. 5. c. 23.

Hieronym. epist. 13. ad Paulinum.

B

CLONIACENSIS.

21. Regulæ istæ sanctorum Patrum non congruunt imbecillitati modernorum monachorum, fragiliora corpora habentium, quam olim sancti Patres monachi habuerint.

CISTERCIENSIS.

Duo fercula.

Quamvis imbecillior modo sit hominum natura, tamen contenta potest esse duobus ferculis in uno prandio.

CLONIACENSIS.

Nihil verius.

CISTERCIENSIS.

Tria aut quatuor Cluniac. fercula.

Quare ergo vos habetis tria aut quatuor contra præceptum regulæ?

CLONIACENSIS.

Absit hoc. nos enim duo tantum regularia habemus: quia quod ex caritate inter duos & duos datur, pro ferculo non computatur.

CISTERCIENSIS.

22. Nihil est quod dicis: quia secundùm hoc clerici & laici qui bini & bini vesci solent, nullum haberent ferculum. Illi ergo ferculo quod non benedicitis, ideo quia ex regula non habetis, benedictio magis esset necessaria. Electuaria vero ex pretiosis & odoriferis speciebus confecta, quibus gustus & olfactus vester oblectatur, in refectorio noster ordo refutat: quia nequaquam monachis conveniunt, nisi forsitan in infirmaria ægrotantibus. tria tintinnabula in refectorio habetis, nos unum solum, & sufficit. Duo ergo vestra, unum scilicet secundi ferculi regularis, & aliud vini superflua sunt, sed, sicut ait poëta, *stultitiam patiuntur opes.*

Electuaria.

Tria tintinnabula in refect. Cluniac.

E

CLONIACENSIS.

Multa tibi videntur modo superflua, quæ tunc videbantur necessaria, quando eras in ordine nostro.

A

CISTERCIENSIS.

23. Tunc sola ratione, modo ratione & experimento video superfluitates illas, fumus aromatum qui in pretiosis thuribulis, nimis frequenter vestris applicatur naribus, tunc ex parte, modo ex toto videtur mihi superfluus, quia noster ordo, nisi in sacramento altaris, festis tantum diebus, numquam eo utitur, nullum inde patiens detrimentum vel corporis, vel animæ: sumptus enim qui pro thure & myrrha superfluè expenditur, pauperum necessitati subtrahitur. Circulares vero illæ vestræ inclinationes, & ambulationes per medium chorum, toto dorso incurvato, tamquam superstitiosæ, & indecentes à nostro ordine repudiatæ sunt. Superest ut de oblectamento tactus conferentes collationem nostram finiamus. Mollibus & calidis pelliciis, tactû oblectantibus contra præceptum regulæ vestimini, non attendentes verba Christi: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.*

Pellicia molles & calidæ.

CLONIACENSIS.

C

24. Non contra, sed secundùm præceptum regulæ utimur eis, quia pelliceæ sunt tunicæ, testante sacra Scriptura quæ dicit: *Fecit eis Deus tunicas pelliceas.*

Tunicæ pelliceæ nō sunt tunicæ

Genes. 3. 21.

CISTERCIENSIS.

Deus fecit eas tunicas pelliceas, nec tamen fecit eis tunicas: quia pellicea tunica non est tunica: quod possem Aristotelica regula probare, sed quia monachus sum, debeo notam arrogantiæ devitare.

CLONIACENSIS.

D

Forsitan de ista regula dicis: quæcumque prædicantur conjunctim, illa eadem prædicantur disjunctim, nisi sit oppositio in adjecto vel accidentalis prædicatio.

CISTERCIENSIS.

25. Quid secundùm communem usum penes quem est norma loquendi, significat hoc nomen, tunica? Nonne vestem ex laneis filis contextam? & quid pellicia nisi vestem de pellibus consutam? Itaque ista duo ita sibi invicem sunt opposita, ut de quocumque affirmatur pellicia, ab eodem removetur, id est, negatur tunica. In hac ergo prædicatione, qua dicitur, *fecit eis Deus tunicas pelliceas*, oppositio est in adjecto. Potest etiam tunica accipi pro veste, scilicet species pro genere; & ita erit illa locutio accidentalis, id est figurativa. Cum ergo hoc nomen tunica significet vestem ex laneis filis contextam, secundùm communem usum tam Latinorum quàm Teutonicorum; manifestum est quod pellicias ex regula non habetis, id ipsum attestante

Genes. 3. 21.

Vestimenta Cluniacensium perstringit.

expositore regulæ. Similiter froccos & staminia ex regula non habetis. Illa vero vestis quam cucullam appellatis, nec cuculla est, nec scapulare. Cuculla non est, quia cum careat manicis non habet sex alas, secundùm descriptionem Bonifacii papæ. Scapulare non est, quia latitudo ejus non tantum scapulas, sed etiam tota brachia tegit. Non est ergo regularis vestis. Sed quid mirum si capitulum de vestibus non observatis, cum regulæ capitula aut nulla aut paucissima observetis? Si vero regulæ præcepta ideo non custoditis, quia non vultis; superbi estis, sicut testatur Abbas Clarevallensis in eo scripto, quod tu dicis laudare ordinem tuum: sed eodem attestante si propterea non observatis, quia non potestis; securi estis. quod autem possitis ipse Deus comprobabit testibus suis, quos instauravit contra vos ad convincendum vos de possibilitate.

CLONIACENSIS.

26. Qui sunt testes illi?

CISTERCIENSIS.

Non solum ordinis nostri monachi, sed etiam fragiles feminæ, illæ scilicet quæ regularis veritatis sunt observatrices, & ordinis nostri imitatrices.

CLONIACENSIS.

Miror quod nobiles feminæ, quæ in sæculo multum erant delicatæ, pati possunt tam asperam vitam.

CISTERCIENSIS.

Omnia vincit amor sanctus, & ego miror quod osores estis regularis veritatis, cujus estis professores, auditores, lectores, & interpretatores.

CLONIACENSIS.

Absit ut osores simus.

CISTERCIENSIS.

Absque dubio si regularem veritatem diligeretis, nullas hominum traditiones ei præponeretis. Una clavis est sapientiæ honor magistri. Regulam magistram vestram quomodo honoratis, quando præcepta ejus rationabilia etiam absurdæ consuetudini postponitis? quid faceres discipulo tuo, si tuis præceptis non obediret, & magis alios quam te audiret?

CLONIACENSIS.

Tamquam superbum & contumacem illum punirem.

CISTERCIENSIS.

27. Damnationis sententiam tu ipse in te ipsum protulisti; quam ut evadere possis suadeo tibi, aliquod monasterium intrare, in quo possis primam fidem, quam huc usque irritam fecisti, de cetero ratam facere, & domino Deo tuo reddere vota tua quæ distinxerunt labia tua.

CLONIACENSIS.

Numquid suades me primam caritatem relinquere; & mutuæ caritatis fraternam societatem deserere?

CISTERCIENSIS.

Caritatem numquam relinquere debes: nam vera caritas non est localis, quia loco mutato ipsa non mutatur. Propter rationabiles causas ipsa caritas aliquando separat corpora, non corda. Ego enim qui propter observationem regulæ fratres meos reliqui, corpore non corde, quotidie in orationibus meis speciali oratione supplico Deo pro eis.

CLONIACENSIS.

28. Dic quæso quæ sit illa oratio.

CISTERCIENSIS.

Fiat. Miserere Domine, miserere famulis tuis N. & dirige eos in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant. Da eis, Domine, tui & proximi quantam jubes haberi dilectionem, & zelum tui secundùm scientiam.

CLONIACENSIS.

Non me fefellit opinio. Ex hac ipsa oratiuncula tua intelligo, quia credis priores fratres tuos errare, & zelum Dei secundùm scientiam non habere.

CISTERCIENSIS.

Rectam viam, quam regula, etiam ipso nomine suo docet, deserere, & per devia consuetudinis incedere, quid est aliud quàm errare? numquid zelus ille operatur secundùm scientiam, qui fervet in hominum traditione, & tepet in Dei lege? quæ est regula, pro qua, sicut debemus, si usque ad mortem certaremus, legitimo coronaremur martyrio?

CLONIACENSIS.

29. Non modica perturbationis commotione fratres meos commoverem, suscitans lites & contentiones, si secundùm tuum consilium fratres meos relinquerem, & monasterium vestri ordinis intrarem?

CISTERCIENSIS.

Hinc scire potes, quod non rectè diligunt: si enim sicut dicit beatus Gregorius, vera caritate diligerent te, gauderent utique ad meliora & saluti viciniora transire te. Noli trepidare ubi nullus est timor. Accipe securitatem, quam tibi dat Abbas Clarevallensis, dicens: *Attende cor tuum, discute intentionem tuam, cur ordinem, cur fratres tuos, cur locum deserueris; si ut arctiùs, ut rectiùs, ut perfectiùs viveres; securus esto, quia non retro aspexisti; sed gloriare cum Apostolo dicens, quæ retro sunt oblitus: ad ea quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam gloriæ.*

Bern. ep. 1.

Phil. 3. 13.

CLONIACENSIS.

Ista abbatis verba tuo concordant consilio.

CISTERCIENSIS.

30. Urbanus papa secundus epistolam misit Ratenburgensibus fratribus propter Epponem monachum, in qua determinat suum quod eis dederat privilegium: probans licitum esse locum majoris religionis & altioris propositi adire, illicitum redire, quia hoc sit apostatare. Idipsum affirmat Gratianus determinator canonum dicens, liberum est monachum ad districtius transire propter lucrum animæ suæ. In idipsum concordat collatio de definitione, & expositor regulæ.

Gratianus.

CLONIACENSIS.

Auctoritates satis abundant tibi. putabam te plures non habere, auditis prioribus.

CISTERCIENSIS.

31. Auctoritatis testimonia audivimus. restat ut ratio consulta quid super hoc negotio nostro respondeat audiamus. Omnia monasteria nostra quasi unum corpus sunt: quia uno reguntur capite, cum consilio singulis annis communicato in capitulo nostro, quod facit religionem ordinis nostri durabilem. & quia abbates vestri sine capite sunt tamquam acephali, non habentes magistrum super se, facit unusquisque in suo monasterio quod vult, dimittit quod vult: hæc est causa quod religio in vestris monasteriis non est durabilis. Positio & depositio abbatum vestri ordinis, cum quibusdam difficilioribus causis tractantur ab episcopis quasi in publico contra decorem monasticæ religionis, sed apud nos, inter nos, & à nobis, in secreto, cum decore ordinis; & quia decimas aliorum hominum, reditus villarum, & molendinorum, ac tributa rusticorum, ipsos quoque rusticos possi- A detis, ex tam multiplici possessione solent oriri causæ perturbantes sancta monachorum sabbata. Hæc omnia quia ordo noster abdicat, cum legitima possessione fruitur monastica quiete: & quia vestra monasteria non solum in villis, sed etiam in civitatibus, & in locis, quæ sunt contigua civitatibus, sita sunt: nostra verò minimè, idcirco nos in respectu vestri, solitarii & contemplativi rectè dici possumus: quamvis tu dixeris: noster ordo est contemplativus & vester activus. Item quia feminæ vestra [a] monasteria licenter intrant [a] & exeunt, quæ penitus à nostris exclusæ sunt: B & quia vestri ordinis monachus cum quolibet fratre suo licenter loquitur, nostri verò ordinis monachus cum nullo, nisi cum abbate, aut cum priore, idcirco mors, quæ per fenestras corporis intrat usque ad animam, faciliorem aditum habet in vestris, quam in nostris monasteriis. Christus ergo sponsam suam, id est fidelem animam, propter majorem custodiam, mavult in nostris habitare quam in vestris monasteriis. Nec mirum, cùm rex terrenus, non solum sponsam, sed etiam vas aureum aliquod sibi carum malit in camera bene custodita, quam in minus C bene custodita servari. Nullum autem vas aureum Christo tam carum, quàm illud vivens vas quod ipse redemit sanguine suo. Propterea Christus non parum offenditur, quando propter calicem aureum furto sublatum fiunt missæ, letaniæ, communis & specialis oratio: sed propter fratrem à primo & maximo fure, scilicet diabolo, seductum, subtractum & in sæculum retractum; nec missæ, nec letaniæ, nec communis, nec specialis fit oratio. Nonne sunt ista manifesta indicia, quia magis diligitur aurum, quam anima fratris, pro qua Christus mortuus est? cur D taces? cur non loqueris solito more tuo?

Cur collapsa religio apud Cluniacens. cur vigeat apud Cisterc.

CLONIACENSIS.

32. Nescio quid dicam, nisi hoc solum, quod veritas ad tempus ligari potest, vinci non potest.

CISTERCIENSIS.

Interior homo meus, quid sentiat de utroque ordine, quamvis minus eloquenter, tamen sufficienter, ut arbitror, exposui tibi. De cetero loquatur Abbas Clarevallensis in epistola sua, & sua nobis eloquentia utrumque describat ordinem. Tu nota verba signa mysteria. E

B. Abbas Clarevallensis R. Adolescenti: Si cui mirum videtur, quomodo puer verecundus &c.[b]... post fugam præliaturus, gloriosius pugnaturus, triumphaturus. [b]

Epistola S. Bernardi ad Robertum.

CLONIACENSIS.

33. Dixisti mihi, ut notarem verba, signa-

(a) Per monasteria hic auctor intelligit ecclesias, quarum aditus feminis penitus interdictus erat in ordine Cisterciensi, etiam reginis: non vero interiora cœnobii loca regularia, quorum ingressus feminis apud Cluniacenses perinde ac apud Cistercienses inhibitus erat. (b) Prima & ultima tantum verba amanuensis hic descripsit prolixissimi loci ex S. Bernardi epist.

rem mysteria; notavi, signavi, notæ & signa A
insinuant mihi, quia secundùm abbatem, epistolæ compositorem, magnus prior ille adolescentis seductor, & novi evangelii prædicator, laudando nostrum ordinem, vituperavit eum; vituperando vestrum, laudavit eum.

CISTERCIENSIS.

S. Bern. epist. 1.

Intelligentia tua rectam tenet viam, ipso Abbate testante, ubi dicit: *Si ergo salus magis in cultu vestium, & ciborum opulentia est, quàm in sobrio victu, vestituque moderato, quid moror & ego quod te non sequor? &c.* Opulentia ciborum multum est contraria illi B
præcepto, quod sanctus Augustinus dat in regula sua.

CLONIACENSIS.

34. Quod est illud?

CISTERCIENSIS.

Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentia escæ & potus, quantum valetudo permittit.

CLONIACENSIS.

Hoc pœnitentiale præceptum illi non custodiunt, qui eamdem regulam professi sunt. C

CISTERCIENSIS.

Si non custodiunt, suæ professionis transgressores sunt: & quia prædicatores esse volunt, quod linguatæ vestes eorum ostendunt, debent illam regulam observare, quam egregius prædicator observavit, & prædicatoribus observandam proposuit, dicens: *Castigo corpus meum, &c.* Et si Vas electionis corpus suum castigavit abstinentia, & in servitutem redegit per manuum opera, ne aliis prædicans ipse reprobus efficeretur: quid putamus D
faciendum esse illis prædicatoribus, qui in multitudine vocatorum se esse sciunt, & si in paucitate electorum sint nesciunt?

1. Cor. 9. 27.

CLONIACENSIS.

Clerici debent esse monachis abstinentiores.

35. Ego puto, clericis prædicatoribus & ecclesias regentibus, quia in sæculo conversantur, & plura quam monachi tentamenta patiuntur, abstinentiam carnis, vini & lautioris cibi magis esse necessariam quam monachis: quamvis ipsi dicant ista sibi licere, monachis verò minimè. E

CISTERCIENSIS.

Recte arbitraris, quia lapsus doctorum est ruina docendorum, & error rectorum est præcipicium regendorum.

CLONIACENSIS.

Est ergo vita prædicatoris clerici, via plena periculo, & vita monachorum quasi via sine offendiculo.

CISTERCIENSIS.

Propterea soli perfecti, qui in lubrica via sæculi, quæ periculosa est, non facile laberentur, deberent esse prædicatores & rectores in populo Dei.

Soli perfecti prædicatores esse deberent.

CLONIACENSIS.

36. Qui dicuntur propriè esse perfecti?

CISTERCIENSIS.

Qui sequuntur consilium Christi dicentis: *Si vis perfectus esse, vade & vende, &c.*

Matth. 19. 21.

CLONIACENSIS.

Boni ergo monachi perfecti sunt, qui seipsos & omnia sua reliquerunt propter Christum.

CISTERCIENSIS.

Ita est. Et quia monachus est nomen perfectionis, & clericus est nomen officii, quod non debent habere nisi perfecti; idcirco clericatus propriè pertinet ad monachos. ipsi enim sunt, sicut testatur Isidorus & Collationes Patrum, imitatores Apostolorum, qui primi clerici erant in ecclesia, quibus dictum est à Domino. *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, &c.* Hinc est quod quando fiunt monachi, insigniuntur perfectionis signo, id est clericali, [a] quod est corona: quia tunc intrant sortem Dei, & fiunt hereditas Dei, ipsum Deum à quo possidentur possidentes, in terra nihil habentes, & tamen cum illis quorum imitatores sunt, scilicet apostolis, omnia possidentes.

Cassian. Coll. 18. c. 5. Matth. 19. 27. [a]

CLONIACENSIS.

37. Extraneum est valde quod dicis, à communi opinione quam etiam magister H. confirmat. Dicunt enim fere omnes quod monachorum vita sit pœnitentialis & habitus eorum sit pœnitentialis, & corona in eis non sit signum clericale, sed pœnitentiale.

CISTERCIENSIS.

Vita monachorum est apostolica.

E contrario ego dico, quod ratione & auctoritate confirmare paratus sum, quia vita monachorum est apostolica, habitus eorum est angelicus; & corona quam habent, est &

(a) Hinc vulgaris apud plerosque scriptores loquendi ratio, apud quos *clericum facere, monachum facere* idem sonant, ut apud Gregorium Turonensem lib. 3. Hist. Franc. cap. 18. & lib. de vita Patrum cap. 6. vide Cangii Glossarium. verbo *Clericus.*

perfectionis signum, & clericale signum. Magistrum H. fefellit opinio communis, & forsitan niger habitus Cloniacensis ordinis, qui propter nigredinem suam, videtur esse poenitentialis. S. Jeronymus monacho & clerico scribens, dehortatur, tam Cloniacensis quàm Norbertini ordinis colorem, dicens: Pullas vestes æquè vita ut candidas.

CLONIACENSIS.

Priscus color Cisterc. vestium.

38. Ecce commendas ordinem tuum etiam per colorem, eo quod neque albus, neque niger, sed griseus sit. Forsitan quæris occasionem prætermittendi promissam probationem.

CISTERCIENSIS.

Nequaquam. Habeo enim ad manum rationem & auctoritatem, quibus probem illa tria. Tu non dubitas vitam monachorum, qui cœnobitæ sunt, esse apostolicam: quia hoc affirmasti in præmissis per auctoritatem Isidori dicentis: *Duo genera sunt monachorum, unum est cænobitarum, aliud est heremitarum. heremitæ imitantur Heliam, & Johannem Baptistam, Cænobitæ imitantur apostolos.* Si non sufficit tibi ista auctoritas: audi Cassianum, idipsum plenius exequentem ista narratione: C *Cænobitarum disciplina à tempore prædicationis apostolorum sumsit exordium, nam talis extitit in Jerosolymis omnis illa credentium multitudo quæ in Actibus apostolorum discribitur ita*: Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia, *possessiones & substantias vendebant, & dividebant ea omnibus prout cuique opus erat. Et iterum*, neque enim quisquã egens erat inter illos: quotquot enim possessiones agrorum, aut domorũ erant, vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorũ. Dividebatur D autem singulis prout cuique opus erat. *Talis, inquam, erat tunc omnis ecclesia, quales nunc perpaucos in cænobiis invenire difficile est. Sed cum post Apostolorum excessum tepescere cæpisset credentium multitudo, ea vel maxime quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diversis gentibus confluebant: à quibus Apostoli pro ipsis fidei rudimentis & inveterata gentilitatis consuetudine nihil amplius expetebant, nisi ut ab immolaticiis idolorum, fornicatione, & suffocatis, & sanguine temperarent, atque ista libertas quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis* E *indulta est, etiam illius ecclesiæ perfectionem quæ Jerosolymis consistebat, paulatim contaminare cæpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero vel advenarum, primæ illius fidei refrigeret fervor; non solùm hi qui ad fidem Christi confluxerant; verum etiam illi qui erant ecclesiæ principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id quod videbant gentibus propter infirmitatem concessum, sibi etiam licitum, nihil sibi detrimenti perpeti cre-* A *diderunt, si cum substantiis, ac facultatibus suis fidem Christi confessionemque sequerentur. Hi autem quibus adhuc apostolicus inerat fervor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à civitatibus suis, illorumque consortio qui sibi vel ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, & ea quæ ab apostolis per universum corpus ecclesiæ generaliter meminerant instituta, privatim ac peculiariter exercere cæperunt: atque ita coaluit ista quam diximus discipulorum, qui se ab illorum contagio sequestraverunt disciplina: qui paulatim tempore procedente segregati à credentium turbis,* B *ab eo quod à conjugiis abstinerent, & à parentum se consortio mundique hujus conversatione secernerent, μόναχοι, sive monazontes, singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt.*

Cass coll. 18. c. 5.

Act. 4. 32.

Origo monachorum.

CLONIACENSIS.

Monachi unde dicti.

39. Aliam hujus nominis, *monachus*, rationem, qua tu probasti omnes regulam S. Augustini professos esse monachos, dat Augustinus ejusdem regulæ scriptor, dicens: Ecce quam bonum & quam jocundum habitare fratres in unum. Ex hujus voce psalmi appellati sunt monachi.

CISTERCIENSIS.

Propter utramque rectè dicuntur monachi: quia & separati sunt à sæcularibus habitantes in monasteriis suis, & sunt fratres habitantes in unum. Ecce habes quod vita monachorum est apostolica; quia vivunt illa vita quam habuerunt apostoli, cum illis quos sua prædicatione converterunt; de quibus scriptum est: *Erat omnibus cor unum & anima una, & erant illis omnia communia*, & quia monachi omnia propter Deum reliquerunt: & ita de sorte Dei sunt, & Deum sortem habent. Idcirco quasi reales clerici sunt: quamvis ante acceptum clericale signum nomine careant & officio. Clerici enim inde dicti sunt, quod sunt de sorte Domini, vel quod Deum sortem habent, ut testatur S. Jeronymus dicens: Cleros græcè, latinè sors appellatur: propterea vocantur clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus ipse sors, id est pars clericorum est. qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Qui possidet Dominum, & cum Propheta ait *pars mea Dominus*, nihil extra Deum habere potest: quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: verbi gratia si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem; cum istis partibus, Dominus ejus pars fieri non dignatur.

Act. 4. 32.

Clerici unde dicti.

Thren. 3. 24.

CLONIACENSIS.

40. Mihi videtur quod monachi ante fiant

clerici, quam monachi: quia antequam faciant professionem monachi, accipiunt clericale signum, scilicet coronam per eamdem sacerdotalem benedictionem, & eodem modo quo ceteri clerici.

CISTERCIENSIS.

Clerici tres acceptationes.

Tibi recte videtur. Sed debes scire, quia ortodoxi hoc nomine, *clericus*, usi sunt in ampla, & stricta, & media significatione. Amplam habet significationem, quando dicitur, omnis coronatus per sacerdotalem benedictionem est clericus. Secundùm strictam significationem dixit S. Jeronymus: *Clerici oves pascunt, ego pascor.* Nam episcopos significat & cooperatores eorum, quibus est commissa cura animarum in populo Dei. Secundum mediam significationem dixit S. Jeronymus cuidam monacho habitanti in monasterio: *Sic vivas in monasterio, ut clericus esse merearis, ut dignus sis officio altaris.*

CLONIACENSIS.

41. Quid dicis de homicidis, qui in sæculo publicam egerunt pœnitentiam, quæ Carrina vocatur, quos canones removent à clero? Venientes ad conversionem in monasteriis, accipiunt clericale signum, id est coronam, sunt ipsi clerici?

CISTERCIENSIS.

Publice pœnitentes possunt fieri Ostiarii.

Revera clerici sunt, sed nullum gradum clericalem ascendere possunt præter primum. Possunt enim fieri ostiarii: si invenitur scriptum, quod neget eis clericatum, mediam significationem habet ibi hæc vox clericatus, officium altaris significans, omnes coronati monachi clerici sunt.

CLONIACENSIS.

42. Quare dixisti coronati monachi? sunt modo alii monachi, quam coronati?

CISTERCIENSIS.

Quos nos modo appellamus fratres, proculdubio monachi cœnobitæ sunt: quia sunt fratres habitantes in unum. Tales erant olim heremitæ monachi, qui divisi à se invicem in singulis cellis habebant presbyteros, sicut modo rustici habent, ad quos cum oblatione convenerunt dominicis diebus audire missam, & accipere sacrosanctam Corporis & Sanguinis Christi communionem. Hinc est quod S. Jeronymus dum esset unus illorum in juventute, fuit heremita quatuor annis, scribens de heremo Heliodoro, qui ab heremitica vita apostataverat, inter cetera ait: *alia monachi causa est, alia clerici. Clerici de altario vivunt; mihi tamquam infructuosæ arbori securis ad radicem posita est, si munus ad altare non defero, &c.*

CLONIACENSIS.

Ista verba S. Jeronymi modo primum intelligo.

CISTERCIENSIS.

43. Nos modo habemus infra ambitum monasterii, duo monasteria: unum scilicet laïcorum fratrum, & aliud clericorum: ideoque etiam non proprie vocamus coronatos laïcos monachos, nisi laïcos accipiamus per illiteratos.

CLONIACENSIS.

Nec ista prius audivi.

CISTERCIENSIS.

Quis ita desipiat, ut hoc sapiat, quod imitatoribus apostolorum, scilicet cœnobitis olim fuisset negatum altaris officium, & postea per indulgentiam concessum: immo ipsi sibi negaverunt, propter nimiam humilitatem, judicantes se indignos sacratissimo altaris officio: propterea paucissimi olim erant in cœnobiis presbyteri. Legitur in epistola S. Epiphanii Cyprii archiepiscopi, quia fuit quoddam monasterium satis grande, habens tantum duos presbyteros, quos epistola vocat sanctos, qui propter nimiam humilitatem, subtraxerunt se à celebratione missæ. Cum ergo monachi non possent habere sacrosanctam communionem, prætereuntem S. Epiphanium adierunt, postulantes consilium & auxilium ejus. Qui respondit, Si habetis adhuc aliquem qui dignus sit ordinari, illum adducite ad me. Et illi, habemus, inquiunt, unum, qui in adventu episcoporum solet fugere & abscondere se, pertimescens ordinari: sed modo non fugit, nesciens adventum tuum. S. Epiphanius respondit: Ite, & captum adducite, & os ejus obcludite, donec ordinem eum, ne me adjuret per nomen Christi. Adjuratus enim per nomen Christi, non ordinabo illum invitum. Ita factum est, quia captus, & ore ejus obcluso, ordinatus est.

CLONIACENSIS.

44. Modernis monachis longe alia mens est: quia omnes & digni & indigni volunt ordinari.

CISTERCIENSIS.

Olim boni monachi quietam vitam & sanctum otium in tantum amaverunt, quod clericatum fugientes latuerunt: sed Christus ad officium prædicationis & regiminis, tales vocat: quia dum sponsa in lecto quiescit, sponsus pulsans dicit: *aperi mihi soror mea*, subauditur, corda incredulorum & male viventium. idipsum insinuat ubi dicit, *Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam*: quasi diceret: Vos qui in monasteriis odoriferis sacræ Cant. 5. 2 Ibid. 8. 13

cræ Scripturæ floribus mentes vestras pascitis, quæ in hortis collegistis propter lucrandas animas prædicando seminate.

CLONIACENSIS.

45. Satis ostensum est, quod monachi qui omnia sicut apostoli propter Christum reliquerunt, & apostolica, id est communi vita vivunt, propriè etiam ad apostolicum eligendi sunt officium: cum ergo monachorum vita non sit pœnitentialis, sed apostolica, quæ vita proprie dicatur pœnitentialis expone.

CISTERCIENSIS.

B

Pœnitentes qui vere dicantur.

Qui in valle lacrymarum sumus, flere debemus; & quia quotidie peccamus, quotidiana pœnitentia indigemus. Nec tamen propter hoc absolutè pœnitentes dicimur: illi vero qui propter magna crimina ab introitu ecclesiæ prohibiti, publicam faciunt carrinam, nec ecclesiam intrant antequam in cœna Domini per episcopum introducantur, absolutè pœnitentes dicuntur, & ab altaris officio ex toto removentur, etiamsi monachi fiant, & in monasterio valde religiosè vivant.

CLONIACENSIS.

C

46. Adhuc unum restat tibi comprobandum, scilicet quod habitus monachi non sit pœnitentialis, sed angelicus.

CISTERCIENSIS.

Habitus monachi angelicus.

Hoc non eget mea probatione: quia Bonifacius papa probat, & vitam monachi esse angelicam, & habitum ejus esse angelicum. Velat enim caput monachi quasi duabus alis, & brachia quasi duabus alis, & corpus quasi duabus alis. Ecce sex alæ monasterialis Cherubin in una veste, scilicet cuculla nostra: quia vestra non est cuculla carens manicis.

D

CLONIACENSIS.

47. Si non in una veste, tamen in duabus, frocco scilicet & nostra cuculla, habemus & nos sex alas.

CISTERCIENSIS.

Ita & rusticus, quando indutus est tunica & cappa, & clericus superpellicio & cappa. Irregularis habitus vester non poterit hoc modo defendi.

E

CLONIACENSIS.

Monachi angelis similes.

Sanctorum Patrum sententia est, quod boni monachi comparandi sunt bonis angelis; mali verò apostaticis. Idipsum testatur abbas Clarevallensis his verbis: Monastica conversatio professores & amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit; immo

A divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar baptismi; & quasi secundo baptizamur, dum per id quod mortificamus membra nostra quæ sunt super terram, rursus Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis ejus.

CISTERCIENSIS.

48. Est & alia sublimior & sacratior figura in cuculla nostra.

CLONIACENSIS.

Quæ est illa?

CISTERCIENSIS.

Tutius vestiti dormiunt monachi.

Habet enim rectissimam crucis Christi formam, & ut expressius dicam, cuculla nostra est crux: scilicet signum potestati tenebrarum terribile, quo signo contra eamdem potestatem est munitus, si dum dormit monachus, est cuculla sua vestitus. Quis non videat vestem istam, monachis esse convenientissimam? Ipsi enim secundùm professionem suam semetipsos abnegantes, crucem Christi portant in homine interiore, cujus signum est crux, quam portant in homine exteriore. Est ergo cuculla signum perfectionis: quia, ut testatur beatus Ambrosius, perfectis dictum est: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, dicit Dominus. Tutius itaque atque decentius in cuculla sua dormit monachus, quod non scripsit, sed, ut arbitror, intellexit S. Benedictus, præcipiens ut vestiti dormiamus.

Matth. 16. 24.

CLONIACENSIS.

49. Et nos licet non in cucullis, sed in solis camisiis; tamen vestiti dormimus, quia camisia vestis est.

CISTERCIENSIS.

Hæc est illa ratiuncula qua ego me defendi quando eram in ordine vestro. utinam vel talem haberetis in ceteris regulæ præceptis, quæ non custoditis. dic, exempli causa, quare non lavatis pedes hospitum, sicut regula præcipit.

CLONIACENSIS.

50. Hic non habemus ratiunculam, sed grandem rationem: quia pro illa pedum lavatione, quam instituit S. Benedictus fieri hospitibus, nos trium pauperum pedes lavamus, & hoc magis Deo placere credimus.

CISTERCIENSIS.

Ecce regulam magistram vestram, cujus jurati discipuli estis, & verbis & factis reprehenditis. Quis cujus interioris hominis sanus est sensus, hoc sentiat quod oblatio rapinæ Deo placeat? cùm ipse dicat: *Ego Dominus* Isaiæ 61. 8.

diligens judicium & odio habens rapinam in holocausto. Nos Cistercienses quando apud vos hospitamur, lavationem pedum nobis debitam ex praecepto legis nostrae si nobis aufertis, & illam propter Deum pauperibus confertis, nonne Deo rapinam offertis? non possum satis mirari, quod tam manifesti contemtores sanctae regulae, non erubescitis esse in nobis,& coram nobis apud vos hospitatis; cum nos vobis apud nos hospitatis, & lavationem pedum, & cetera quae regula praecipit exhibeamus. quapropter, quia multum inordinate ambulatis, contemnentes praecepta regulae, & Apostoli praeceptum de opere manuum, non deberemus apud vos hospitari secundùm ipsum Apostolum praecipientem: B *Denuntiamus vobis in nomine Domini nostri Jesu-Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante.* (2. Thess. 3. 6.)

CLONIACENSIS.

51. Si apud nos non hospitaremini, quid ex hoc perderemus nos? certe tot sunt euntes & redeuntes, & totiens eunt & redeunt vestri, quod aliqua monasteria nostra de hospitalitate vestra gravantur, & quod nonnulli tam frequentia itinera vestra mirantur, dicentes griseos monachos semper esse in motu. (Vertitur in proverbium quod frequenter itineri se committant Cistercienses.)

CISTERCIENSIS.

Praeter illas, quae nobis & vobis sunt communes, sunt aliae causae nobis speciales quae faciunt tot nostros euntes & redeuntes, & totiens ire & redire, sicut tu nobis improperas.

CLONIACENSIS.

Quae sunt illae?

CISTERCIENSIS.

52. Una & principalis causa est, quod abbates nostri singulis annis eunt ad Cisterciense Capitulum tractaturi de statu ordinis nostri: ita ut ad invicem proclamentur propter excessus suos, & negligentias sui regiminis, & digni depositione deponantur, & alii injunctis sibi poenitentiis emendentur. Secundaria causa est, quod unusquisque abbas nostri ordinis semel in anno debet visitare monasteria, à suo monasterio derivata, ut quae corrigenda sunt corrigant, & ordo noster integer in omnibus monasteriis nostris observetur. Tertia causa est, cum nec rusticos, nec redditus nummorum, qui census dicuntur, habeamus. oportet nos ipsos quae vendenda sunt, vendere; & quae emenda sunt, emere: nos imus ad proxima fora propter viliora emenda; vos ad remota propter pretiosiora emenda. (Causae tot itinerum tres.)

CLONIACENSIS.

De tribus quae dixisti, tertium non culpandum, priora duo laudanda.

A

CISTERCIENSIS.

53. Si diligeretis nostrum regularem laborem, ipse vester fieret per amorem: sed quia non diligitis, idcirco dicitis nos gravare monasteria vestra. quomodo gravamus? Dum ibi sumus, nostra comedimus, & bibimus. (Jus hospitalitatis sine sacrilegio non violatur.)

CLONIACENSIS.

Vestra? quomodo vestra? qui nec annonam equorum vobiscum portatis, sed omnia accipitis à nobis ministrantibus vobis nostra.

CISTERCIENSIS.

Sicut quotidianus victus vester, ideo est vester, quia Spiritus-sanctus, cujus totus mundus est, loquens in sancta regula, vobis eum constituit: ita omnia quae nobis ministratis, dum hospites sumus, nostra sunt: & ideo nostra; quia idem Spiritus-sanctus Dominus omnium loquens in regula, nobis ea constituit, & vos ministros nostros. Videte ergo, ut ea quâ debetis, humili devotione nostra nobis ministretis: quia si aliquid de nostris nobis subtraxeritis, proculdubio illam rapinam quae sacrilegium dicitur committitis. Ideo vero dixi humili devotione, ut si pro ministratis gratias referamus, non eas recipiatis, dicentes, Servi inutiles sumus, quod praecipit C regula fecimus; vobis vestra dantes, & nihil super erogantes.

CLONIACENSIS.

54. Istam inutilem & inusitatam praedicationem tuam absconde, si velis aliquando hospitari in nostris monasteriis: ne, si resciatur à nostris, repulsam patiaris. Certè, si ita, sicut regula praecipit, omnibus supervenientibus hospitibus ministraremus, non remaneret nobis unde viveremus.

CISTERCIENSIS.

D Ecce magna infidelitas, quia times quod ille qui praeceptum dedit, scilicet Deus, permitteret vos fame perire. Non credis Veritati praecipienti & promittenti his verbis: *Primum quaerite regnum Dei & justitiam ejus, & haec omnia adjicientur vobis.* (Matth. 6. 33.) Propterea dicit S. Jeronymus: *Vir fidelis & ferventis fidei, cautam distributionem genus infidelitatis putat.* Ut audio, nec regulae, nec evangelio vultis obedire, dicentes vos simpliciter secundùm ordinem vestrum incedere: Sed talis simplicitas est magna duplicitas, sicut testatur Ab- E bas Clarevallensis in hac ipsa epistola quam modo legisti: describit enim ordinem vestrum breviter, his verbis: *Vovetur quod non solvitur, proponitur quod non tenebitur.* (Epist. 1.) Itaque finis nostrae collationis sit. Tibi consilium do secundae conversionis, ut intres ordinem illum, inquo solvetur quod vovetur, tenebitur quod proponitur.

CLONIACENSIS.

55. Iterum divertere vis à me, sed non dimittam te, nisi prius dixeris mihi, quare indiscussam reliqueris illam Abbatis sententiam, quæ maxime favet nostro ordini.

CISTERCIENSIS.

Quæ est illa?

CLONIACENSIS.

Bern. de Præcept. & disp. c. 2. *Quamdiu* corporales observantiæ, quas instituit S. Benedictus, *caritati militant, immobiliter fixæ sunt, mutarique omnino ne ab ipsis prælatis sine offensa possunt. At si è contrario contrariæ forte aliquando caritati visæ fuerint, his dumtaxat quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est. Nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro caritate inventæ fuerunt, pro caritate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur?*

CISTERCIENSIS.

56. Intactam reliqui sententiam hanc tamquam à memoria mea elapsam, sed tu tibi consuluisti in eo quod eam me rememorari fecisti; quia discussio ejus liberabit te à vana spe, si non es nimis obstinatus in ea. Hæc est enim illa sententia, quæ Cloniacensi consuetudini non solum non favet, sed etiam in tantum adversatur, ut ejus sit peremtoria.

CLONIACENSIS.

Abbas hujus propositione sententiæ intendebat nostrum ordinem fulcire & roborare, & tu quomodo poteris ea uti ad destructionem ejus?

CISTERCIENSIS.

Modum quæris, tacitus citius audies. Dic mihi, magisterium indiscretum & intemperatum poteritne cum sua indiscretione aliquando caritati militare?

CLONIACENSIS.

Numquam. Semper enim indiscretio caritati contraria est: rumpit enim vinculum ejus.

CISTERCIENSIS.

Nostræ ergo magistræ, scilicet regulæ, magisterium semper caritati militat, cum sit discretione præcipuum, sicut affirmat beatus Gregorius de S. Benedicto, dicens: *Regulam scripsit discretione præcipuam.* Discretio quæ virtutum mater est, caritatis non violatrix, sed ordinatrix est.

CLONIACENSIS.

57. Jam video quo tendas, scilicet ut concludas observantias regulares immobiliter fixas esse, mutarique omnino sine offensa non posse, secundùm hanc ipsam Abbatis sententiam: sed nostri ordinis auctores forsitan non erant argumentatores, & sanctam rusticita- A tem habentes mutaverunt eas, pia simplicitate & simplici pietate.

CISTERCIENSIS.

Et si credamus eos sanctam habuisse rusticitatem, non tamen credere possum quod constituerint illud colloquium, quod abbates vestri solent habere post completorium cum obedientiariis monachis & exterioribus fratribus, in quo nonnumquã cum negotiis monasterii tractantur negotia regni, diversis rumoribus sese interserentibus. Protelati ergo in tantum, ut postea suum cantantes completorium in hora incompetenti, cantent hunc hymnum B *Te lucis ante terminum*, sicut *Aurora lucis rutilat*, & *Jam lucis orto sydere.*

CLONIACENSIS.

58. Si, *Aurora lucis rutilat*, aurora rutilante cantaremus, tunc illo dulci matutino somno fraudaremur, quem noster ordo nobis indulget.

CISTERCIENSIS.

Illo ergo matutino somno vestro, illas divitias perditis, quas nocturnis vigiliis lucrati estis: quia contra præceptum regulæ, & C SS. monachorum exempla, matutino tempore dormitis: propterea convenit vobis illa prophetica exprobratio psalmistæ dicentis: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Somnum post nocturnas vigilias improbat. Ps. 75. 6.

CLONIACENSIS.

Absit ut propheta de illo nostro somno prophetaverit.

CISTERCIENSIS.

59. Monachi Cloniacenses, qui dicunt se esse imitatores Mariæ in otiando, quare non imitantur eam in vigilando? Ut scilicet matu- D tino tempore, [a] quo Christus resurgens apparuit, cum ipsa vigilantes, resurrectionis officium, matutinas laudes competenti hora secundùm præceptum regulæ celebrarent; & ita Christi resurrectionem rationabili obsequio honorarent. Sed claudenda est nostræ collationis sermocinatio, ne modum excedens suam perdat rectitudinem juxta illud poëticum: [a]

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Ultra quos citraque nequit consistere rectum.

60. Omnia talia quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec con- E ciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint causæ, quas in eis constituendis homines consecuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda æstimo.

(a) Huc spectat id quod scribit S. Bernardus ad Robertum nepotem, qui ad Cluniacenses migraverat: *Securus nunc, projectis armis, capis matutinos somnos, cum illa hora Christus resurrexerit.*




EULOGIUM MAGISTRI JOHANNIS CORNUBIENSIS AD ALEXANDRUM PAPAM III.

QUOD CHRISTUS SIT ALIQUIS HOMO.

Ex mſ. codice S. Petri Conchenſis.

ADMONITIO PRÆVIA.



ÆCULO duodecimo inter doctores ſcholaſticos plurimæ agitari cœperunt quæſtiones, quæ cùm ſubtilitatis & curioſitatis plus haberent quàm veritatis, non paucos in errorem inducere, ſed & præcipua chriſtianæ religionis fundamenta convellere poterant. Harum præcipui propagatores fuere Petrus Abaëlardus & Gilbertus Porretanus Pictavorum epiſcopus, quorum ille in concilio Sueſſionenſi primùm, deinde in Senonenſi, alter in Remenſi, agente præſertim S. Bernardo, debitam ſuis erroribus cenſuram pertulere. Ab hoc nævo non immunis fuit Petrus Lombardus, qui poſtea fuit Pariſienſis Epiſcopus, magiſtrorum ſua ætate facile princeps, unde & Magiſtri *titulum hactenus retinuit: nam inter varios quos in Academia Pariſienſi legens docuerat errores, Chriſtum ſecundùm quod homo non eſſe aliquid, Verbumque divinum corpori & animæ humanæ ita unitum fuiſſe, non ſecus ac ſi indumento veſtitum fuiſſet, prædicare non reformidavit, Eccleſiæ de perſonali Verbi cum natura humana unione fidem perverſo hoc dogmate evertens. Hanc doctrinam ex lectione librorum Petri Abaëlardi, qua plurimum delectabatur, hauſerat, eaque poſtmodum innumeros prope imbuit, ſeu potius infecit: tametſi illam ut propriam ſententiam numquam docuerit, ſed veluti opinionem quæ in ſcholis proponi, ac diſputando diſcuti poterat. Verum iſtius opinionis tot ac tantos patronos habuit, ut ad eam diſſipandam concilia epiſcoporum congregari neceſſe fuerit. Hujuſmodi fuit Turonenſe ab Alexandro papa III. anno* 1163. *convocatum, cui utriuſque Gallicanæ & Anglicanæ Eccleſiæ epiſcopi perplures interfuere; ſed & idem ſummus Pontifex datis litteris ad Guillelmum Senonenſem poſtea Remenſem archiepiſcopum, eamdem doctrinam proſcripſit, juſſit auctoritate apoſtolica convocari magiſtros Pariſienſes coram ſuffraganeis, quatenus interdicerent ne quis deinceps doceret* Chriſtum non eſſe aliquid ſecundùm quod homo, quia ſicut verus eſt Deus, ita & verus eſt homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. *Alexandri epiſtola ad annum* 1179. *à Matthæo Paride*

relata est hujusmodi: Cum in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viva voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisiis tibi adscitis, abrogationem pravæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis episcopi, qua dicitur, *quod Christus secundum quod est homo, non est aliquid*, omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi cum præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, & una cum illis & aliis viris religiosis & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, & à magistris studentibus Christum, sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem ac verum hominem ex anima & corpore consistentem præcipias edoceri, universis firmiter & districte injungens, quod doctrinam illam de cetero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur.

Inter eos vero qui hujus doctrinæ veneno infecti fuerant, Johannes Cornubiensis nonnisi ægre & post multos annos illud evomuit. Verum agnita tandem veritate, errorem non abjuravit modo & condemnavit: sed insuper egregium opus ad Alexandrum papam, ut illum impugnaret, conscripsit, quod Eulogii titulo insignivit. Quis autem fuerit iste Johannes non omnino constat, eum tamen fuisse virum eruditissimum ac in Patrum lectione, S. Augustini præsertim versatum, ex hoc opusculo facile colligi potest, immo & Doctoris laurea decoratum satis indicat magistri *titulus, quo in hujus libelli inscriptione donatur. Petri Lombardi discipulum se profitetur, Mauricium qui post Petrum Parisiensis ecclesiæ thronum ascendit, in Academia Parisiensi legentem non semel audiit ut & Robertum Melidensem. Scripsit autem post annum 1175. cum jam Guillelmus archiepiscopus, à sede Senonensi translatus esset ad Remensem.*

IN Turonensi concilio quod dudum convocatis plerisque omnibus tam Anglicanæ quàm Gallicanæ prælatis ecclesiæ auctoritate vestra celebratum est & præsentia illustratum, dogma quorumdam asserentium quod Christus non est aliquis homo, & quod Christus secundùm quod homo non est quid, disputando ventilari cœpit. Utra verò pars disputantium in pugna verborum prævaluerit nescio, sed tam iniquam & fidei christianæ inimicam falsitatem in tali ac tanto Christi auditorio nullis credo fuisse veritatis aut victoriæ titulis insignitam. Noluit tamen tam dives & copiosa mansuetudinis vestræ clementia assertionem illam statim canonica ferire censura, ne ejus auctores & defensores, qui forte non pertinacia, sed ignorantia deliquerant, vel ipsa condemnatio pravitatis tantum involveret, vel perpetuam eis infamiæ notam impingeret. Ex eadem vero mansuetudine vestra multo postmodum temporis sustentationis elapso, etiam quadam epistola decretali, quæ super arrogationem pravæ illius doctrinæ ad venerabilem GUILLELMUM tunc Senonensem hodie Remensem archiepiscopum legitur directa, nequaquam exprimitur anathemate perculsos vel etiam percellendos esse, qui errorem illum tenere seu docere præsumerent. Quoniam itaque infiniti scholares hoc calice debriati & in furorem versi usque in hodiernum diem patientia vestra contumaciter abutuntur, qui nequaquam misericordiæ vestræ piam dispensationem laudant, sed impium dogma velut

A catholicum prædicant; fiat tandem illud Prosperi quod in Decretis legitur: In eis, inquit, qui diu portati & salubriter objurgati corrigi noluerint, tamquam putridæ corporis partes debent ferro excommunicationis abscidi, ne sicut caro morbis emortua, sed si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti qui emendari contemnunt, & in suo morbo persistunt, alios exemplo suæ perditionis inficiant. Unde & Callixtus papa: Justum est, ut qui divina contemnunt mandata, & inobedientes paternis existunt jussionibus, sævioribus corrigantur vindictis. Quatenus ceteri committere talia caveant, & B omnes gaudeant fraterna concordia, & cuncti sumant severitatis ac bonitatis exemplum. Item Pelagius papa: Apostolicæ auctoritatis exemplo didicimus errantium & in errorem mittentium spiritus tradendos esse satanæ, ut dediscant blasphemare. Item Hieronymus: Secandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa à caulis ovis repellenda, ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.

Corrigi nollentes tamquam putridæ carnes abscindendi.

Confessionis auctoris cum captatione benevola.

C Hic est nimirum ecclesiasticæ rigor pietatis, quo percutit ut sanet, destruit ut ædificet, evellit ut plantet. Ne deserat, quæso, pastor agnos, pater filios; & si contradicentium error corrigi non potest, vel sanæ fidei professionem in me & similibus indefes-

sam perire non sinat. Quod si ego cùm sim cinis & pulvis rectè sentio, auctoritas vestra roboret infirmitatem meam; sicubi erro, ad se revocet simplicitatem meam. Credo enim Christum esse aliquem hominem, & ipsum esse aliquid secundùm humanitatem, & quod secundùm divinitatem incorporea substantia est, secundùm humanitatem corpoream esse substantiam; & secundùm alteram naturam rem simplicem, secundùm alteram verò rem compositam. Credo etiam quod ipse idem qui secundùm Deitatem increatus & infectus est, secundùm humanitatem & creatus est & factus est; & qui secundùm alteram naturam creator est, secundùm alteram creatura est. Hæc autem evidentissimis sanctorum testimoniis munita esse sequentia declarabunt. Sed ante hæc omnia quatenus singula repertu faciliora sint, prænotanda sunt ex more capitula. Mox etiam ut quæ dicturi sumus lucidiora fiant, & firmius consistant, tres illas sententias, quas magister PETRUS LOMBARDUS scriptas reliquit, breviter proponendas arbitramur. Sic enim fiet ut quia omnia contraria juxta se posita magis apparent, ex collatione secundæ & tertiæ, veritas primæ fortius vigeat & amplius enitescat.

CAPITULA TOTIUS LIBELLI.

Tres sententiæ de homine assumto cum explananationibus horum verborum: Deus est homo, & homo est Deus; Deus factus est homo, & homo factus est Deus.

Prima explanatio.

B Prima est illorum qui dicunt in ipsa Verbi incarnatione hominem quemdam ex anima rationali & humana carne constitutum, ex quibus duobus omnis verus homo constituitur; & ille homo cœpit esse Deus, non quidem natura Dei, sed persona Verbi, & Deus cœpit esse homo ille. Concedunt etiam hominem illum assumtum esse à Verbo & tantum esse Verbum. Et ea ratione tradunt dictum esse, Deum factum esse hominem vel esse hominem; quia Deus factus est vel cœpit esse Deus, non tamen ex migratione naturæ in natura, sed utriusque naturæ servata proprietate factum est, ut Deus esset illa substantia, & illa substantia esset Deus, unde verè dicitur: Deus factus est homo, & homo factus est Deus, & Filius Dei Filius hominis, & è converso.

C

Secunda explanatio.

Secunda verò illorum est, qui dicunt hominem illum non ex anima rationali & carne tantum, sed ex humana & divina natura, vel ex tribus substantiis, divinitate, carne, & anima constare. Hinc Christum fatentur & unam tantummodo personam ante incarnationem, verùm non solummodo simplicem, sed per incarnationem factam compositam ex divinitate & humanitate: nec est ideo alia persona quàm prius; sed cum prius esset Dei tantum persona, in incarnatione facta est hominis persona, ut non duæ essent personæ, sed in una persona esset Dei & hominis. Persona ergo quæ prius erat simplex & in una tantùm natura existens, in duabus & ex duabus subsistit naturis; quia cœpit esse quædam substantia ex anima rationali & humana carne subsistens, & illa substantia facta est persona quæ tantùm Deus erat. Facta est & verus homo subsistens non tantùm ex anima & corpore, sed ex divinitate etiam. Nec tamen persona illa debet dici facta persona hominis, sicut Verbum factum est, id est cœpit esse Verbum humanum, non tamen factum est, vel cœpit esse Verbum. Facta est igitur illa persona, ut quibusdam illorum placet, aliquis subsistens ex anima & carne, sed non est facta persona vel substantia vel natura. Secundùm istos

D

E

cùm dicitur Deus factus est homo, intelligitur cœpisse esse subsistens ex duabus naturis & tribus substantiis; & è converso homo factus est Deus, quia subsistens in duabus naturis cœpit esse Deus, vel pòst homo factus est Deus, & è converso dicitur; quia Deus assumsit hominem, & homo assumtus est à Deo: unde Augustinus in libro de Trinitate: Talis fuit illa assumtio, quæ hominem facit Deum, & Deum hominem.

Tertia sententia.

Tertia verò illorum est sententia, qui in Incarnatione Verbi non solum personam ex naturis compositam negant, verum etiam hominem aliquem vel aliquam substantiam ibi ex anima & carne compositam vel factam diffidunt, sed sic illa duo, scilicet animam & carnem Verbi personæ & naturæ unitam esse aiunt, ut non ex illis duobus vel his tribus aliqua substantia vel persona fieret sive componeretur, sed illis duobus velut indumento illud Verbum Dei vestiretur, ut mortalium oculis congruenter appareret. Qui ideò dicitur factus verus homo, quia veritatem carnis & animæ accepit: quæ duo etiam in singularitatem vel unitatem suæ personæ accepisse legitur, non quia illa duo vel aliqua res existens vel composita sit una persona cum Verbo & sit Verbum; sed quia illis duobus accedentibus Verbo, non est personarum numerus auctus ut fieret quaternitas in Trinitate, & quia ipsa persona Verbi quæ erat prius sine indumento, assumtione indumenti non est divisa vel mutata, sed una & eadem immutata permansit; qui secundùm habitum Deum hominem factum dicunt, accipiendo enim hominem dicitur Deus esse verus homo, & propter assumentem hominem dicitur homo esse Deus. Nam si essentialiter, inquiunt illi, Deus esset homo, vel homo esse Deus intelligeretur; tunc si Deus hominem assumsisset in sexu muliebri, etiam mulier essentialiter esset Deus, & è converso. At potuit Deus assumsisse hominem in sexu muliebri, potuit igitur Deus esse mulier & è converso. In hac igitur sententia sic dicitur factus homo, quia accepit hominem; & sic dicitur esse homo, quia hominem habet, vel quia est hominem habens; & homo factus est Deus, quia assumtus est à Deo; & homo est Deus, quia habens hominem est Deus. Cum ergo dicitur Deus est homo, vel habitus prædicatur vel persona, sed quòd humanata & quòd persona humanata prædicetur, » Cassiodorus ostendere videtur dicens: Factus » est, ut ita dixerim, humanatus Deus, qui » etiam in assumtione carnis Deus esse non de» sistit.

Solutio.

Illa autem istorum ratiocinatio: nam si essentialiter Deus esse homo vel homo esse Deus intelligeretur, &c. quid habeat falsitatis, quid etiam impietatis sequentia propalabunt. Falsitatem dixi, quia ex veris falsum concludit. Impietatem addidi, quia piæ fidei obstrepit, dum Christum cui solam hominis vestem donat, vera hominis essentia spoliare laborat. Nota etiam quod hæc tertia sententia commune habet cum secunda; quia Christus non est aliqua substantia constans ex carne & anima, & quod Christus secundùm quòd homo non est aliquid. Hoc habet diversum, quod persona Christi non est ex duabus naturis sive tribus substantiis composita: unde primo inducendæ sunt auctoritates utrique sententiæ communes, ut solutionibus sive rationibus eisdem competenter subsecutis, eadem falsitas utriusque reveletur. De illo vero de quo dissentiunt cùm ad illam quæstionem ventum fuerit; utrum Christus sit aliquod totum sive compositum suo loco disputabitur.

Auctoritates sanctorum quibus secunda & tertia sententia in eo quòd conveniunt roborari videntur.

Augustinus tractans illud verbum Apostoli *Habitu inventus ut homo* in libro LXXXIII. quæstionum, habitus in ea re dicitur, quæ nobis ut habeatur accidit. Verumtamen hoc in- « terest, quia quædam eorum quæ accedunt « ut habitum faciant, non mutantur, sed im- « mutant ipsa inter se integra & inconcussa « manentia, sicut sapientia accedens homini « non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quo- « niam de stulto sapientem facit. Quædam ve- « ro sic accedunt, ut mutent & mutentur, ut « cibus qui amittens speciem suam in corpus « vertitur, & nos cibo refecti atque ab exili- « tate atque languore in robur atque valen- « tiam mutamur. Tertium genus est cum ea « quæ accedunt, nec mutant ea quibus acce- « dunt, nec ab eis ipsa mutantur; sic anulus « positus in digito, quod genus rarissime in- « venitur. Quartum genus est cùm ea quæ ac- « cedunt, non mutantur à sua natura, sed « aliam speciem & formam accipiunt, ut est « vestis quæ dejecta atque deposita, non ha- « bet eam formam quam habet vel sumit in- « duta. Induta enim membris accipit formam, « quam non habebat exuta: quod genus con- « gruit huic comparationi. Dei enim Filius exi- « nanivit seipsum formam servi accipiens, non « suam formam mutans, sed nec conversus « aut transmutatus in hominem amissa stabili- « tate, sed in similitudinem hominum factus « est ille susceptor verum hominem suscipien- « do, vel habitu inventus est ut homo: id est « habendo hominem inventus est ut homo, non « sibi, sed eis quibus in homine apparuit. Quod « autem dicit ut homo, veritatem exprimit. « Nomine ergo habitus satis significavit Apo- « stolus qualiter dixit, in similitudinem homi- « num factus; quia non transfiguratione in « hominem, sed habitu factus est, cum indu- « tus est hominem, quem sibi uniens quodam- « modo atque conformans immortalitati æter- «

Accidentium quatuor genera.

» nitatique sociaret. Non ergo oportet intel- » ligi mutatum esse Verbum susceptione homi- » nis, sicut nec membra veste induta mutan- » tur; quamvis illa susceptio ineffabiliter sus- » ceptum suscipienti copularet. His verbis innuere videtur Augustinus Deum dici factum hominem secundùm habitum: qui etiam ipsius Incarnationis volens modum exprimere quærentibus in quarto libro de Trinitate ait: » Si quæritur ipsa Incarnatio quomodo facta sit, » ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id » est hominem factum, non tamen in hoc quod » factum est conversum atque mutatum, sed » carne ut carnalibus congruenter appareret » indutum. Ita sane factum, ut ibi sit non tan- » tum Verbum Dei & hominis caro, sed & » rationalis hominis anima, atque hoc totum » & Deus dicatur propter Deum, & homo » propter hominem: quod si difficile intelligi- » tur, mens fide purgetur à peccatis abstinendo » & bona operando. Difficilia enim sunt hæc. » Idem de fide ad Petrum: Dei Filius cum » sit Deus æternus & verus, pro nobis factus » est homo verus & plenus. In eo verus, quia » veram habet Deus ille humanam naturam. » In eo vero plenus est, quia carnem huma- » nam suscepit, & animam rationalem. Item: » Non fuit aliud illa Dei summi exinanitio, ni- » si formæ servilis, id est naturæ humanæ sus- » ceptio. Utraque ergo in Christo est forma, » quia utraque natura & plena est in Christo » substantia, divina scilicet & humana. Item » in libro contra Maximinum: Cùm esset per » se ipsum invisibilis, visibilis in homine appa- » ruit quem de femina suscepit, de qua natus » est. Item in eodem: Nos Christum Deum » verum hominem suscepisse credimus, & in » ipso visibiliter invisibilem hominibus appa- » ruisse, in ipso inter homines conversatum » fuisse, in ipso ab hominibus humana pertu- » lisse, in ipso homines docuisse. Hilarius quo- » que in libro de Trinitate ait: Quomodo Dei » Filius natus ex Maria est, nisi quòd Verbum » caro est, scilicet quòd Filius Dei cum » in forma Dei esset, formam servi accepit, » unum tamen eumdem, non Dei defectio- » ne, sed hominis assumtione, profitemur & » in forma Dei per naturam divinam, & in » forma servi ex conceptione Spiritus-sancti » secundùm hominis habitum repertum fuis- » se. Non fuit habitus ille tamen hominis, sed » ut hominis, neque caro illa caro peccati, » sed in similitudine carnis peccati.

Incarnatio quomodo facta.

De similitudine Christi cum verme.

Hoc autem quod hic dicitur *Non hominis*, ita accipiendum est *Non peccatoris*, sicut ibi: *Ego sum vermis & non homo.* Vermis, quia sine virili semine natus de Virgine; & non homo, id est non peccator: unde etiam explanando dicitur neque caro illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati Adant si placet: *In Idumeam extendam calceamentum meum.* Item: *Venit ad nos calciata divinitas.* Item: *Induebar cilicio.*

Ps. 21. 7.

Ps. 59. 10.

Ps. 34. 13.

A

Hæ & omnes auctoritates hujusmodi, ut asserunt, hæc docent, quod Christus non sit aliquid secundùm quod homo, & quod assumens non sit aliquid quod assumtum est. Miror autẽ quod inter alia sanctorum testimonia quæ pro illis præmissa sunt, penitus vel unum illud Augustini documentum totam falsitatem hanc penitus subvertere non intelligunt: Non er- « go oportet intelligi mutatum esse Verbum « susceptione hominis, sicut nec membra in- « duta veste mutantur, quamvis illa susceptio « ineffabiliter susceptum suscipienti copularet. «

B

De similitudine vestis.

Si quod de similitudine vestis dicitur advertunt, cur ab eo quod de personali unione subditur faciem mentis avertunt? Quæ est enim ista ineffabilis copulatio, nisi Dei assumentis & hominis assumti personalis unio? quæ unio nihil est, si homo non est una persona cum Deo. Quod si homo factus est una persona cum Deo, quid factum est una persona cum Deo? Illud etiam Augustini, *Difficilia sunt hæc*, parum attendunt. Quæ est enim

C

hæc difficultas intelligentiæ, si nihil est aliud Deum esse hominem, quàm habere humanæ formæ ac similitudinis vestem? Et si hoc est Deum factum esse hominem, id est accepisse tantummodo hujusmodi indumentum, quid hic mirum, quid ineffabile dicendum? Nonne quælibet persona sive hominis sive angeli, quæ suscepit, indumentum manet eadem persona quæ prius erat. Hoc potius novum & mirum esset, si acceptio vel mutatio vestis personam mutaret. Quod si diligentiùs quæ scripta sunt de habitu hominis

D

& hujusmodi aliis inspicere velint, facile intelligent, nec per verba sanctorum, nec per explanationem verborum doceri quod Christus secundùm quod homo non sit aliquid, sed hoc potius quod divinitas in carne accepit. Est itaque Deus homo non modo vestimentaliter, sed essentialiter, quod in sequentibus suo loco demonstrabitur. Illud verò quod velut firmissimo argumento probatum putant, quod Deus non sit essentialiter homo: potuit Deus assumsisse hominem in sexu muliebri, potuit igitur mulier esse Deus & è converso. Manifestè falsum est. Non enim si Deus potest aliquid facere, illud potest esse.

E

Deus enim multa potest facere quæ fieri non possunt, quia impossibilia sunt. Respondeant & ipsi an potuerit Deus humanam naturam in sexu muliebri assumsisse, quod negare non possunt, ergo ex eis concluditur quod potuit Deus esse mulier. Hi tamen secundùm subtile illud judicium suum negare non debent, Deus potuit esse mulier; sed istud, Deus potuit esse aliqua mulier, sicut potuit esse homo, sed non potuit esse aliquis homo: magnorum etiam magistrorum nos mole premunt, quos laudare solent auctores.

Auctoritates

Auctoritates magistrorum qui pro illis facere videntur.

Magister GILEBERTUS PORRETANUS, ut multi perhibent, ea docuit quæ in secunda sententia præmissa sunt, scilicet quod Christus & sit & factus est persona composita ex duabus naturis, sive tribus substantiis, & tamen non est factus aliqua persona, non factus aliqua substantia, non aliquid secundùm quod homo. Sed quia super iis aliquod ejus scriptum non legi, & auditores sui etiam à se invicem dissentiunt, ad alios transeo, quorum scriptis falsitas eadem quam & ipse docuisse creditur, quod scilicet Christus secundùm quod homo non sit aliquid, firmata & munita videtur.

Magister PETRUS ABAILARDUS in theologia sua sic differit: „Quid est dicere Deum fieri hominem, nisi divinam substantiam quæ spiritualis est, humanam quæ corporea est, sibi unire in personam unam. Non enim quod spirituale est corporeum fieri potest, sed in illa unione personæ Christi in qua simul divinitas Verbi & caro & anima conveniunt, unaquæque istarum substantiarum propriam retinet naturam, ut nulla illarum in aliam commutetur, ut nec caro, nec anima divinitas fiat, sicut nec caro umquam anima esse potest, quamvis in singulis hominibus una persona sit anima & caro. Et post pauca: Mutatio, inquit, in aliud esse non potest, nisi esse desinat quod prius erat. Spiritualis autem essentia nunc quoque sicut prius spiritualis permanet, nec corporea facta est. Cùm igitur spiritus sit Deus, nec umquam quod spiritus est corporeum fiat, aut partes recipiat, quomodo propriè vel Verbum dicitur fieri caro, vel Deus homo? cùm Verbum ipsum etiam nunc sit spiritus, quia est Deus, sicut & ante Incarnationem fuerat. Homo quippe corporea res est, & membris composita, ac dissolubilis. Deus verò incorporea res est, nec partibus constat, ut solvi possit. Deus igitur nec caro nec homo propriè dicendus est: alioquin & homo è converso Deus proprie dicendus esset unum aliquod creatum, vel quod non semper fuit concedi oporteret Deum esse, cùm videlicet constet hominem creaturam esse atque initium habere. Absit autem ut aliquam rem Deum esse ponamus, quæ non semper extitit, aut non semper Deus fuerit. Hoc quippe est novum Deum recentemque confiteri. Sic igitur accipiendum est cùm dicitur caro fieri, vel esse homo, ut divina substantia humanaque in unam personam sociari intelligat. Alia quippe est substantia quæ assumpta est, licet non sit alia persona. Sicut enim in uno Deo tres sunt personæ una substantia: ita è contrario in homine Christo duæ substantiæ sunt, sed in duabus substantiis vel naturis una persona. Non est autem Deus in aliud mutatus quam fuit, licet & aliud sibi in personalem

A unionem conjunxerit. Nam nec animæ nostræ cum resumtis corporibus eis in unam personam sociabuntur, ideo aliud quàm erant efficientur, quamvis corpus animando immutent, & de inanimato ad animationem promoveant: ut ex hoc potius corpus per animam, quàm ipsam per corpus mutari dicendum sit. Corpus enim ex anima, non ipsa ex corpore in quemdam proficit statum, cùm ipsa per se persistat immobilis. Multo minus igitur Deus homini unitus ob hoc aliud fieri dicendus est, cui nihil conferre creatura potest: unde ab omni mutabilitate Deum penitus immunem profitemur. «

B

Quomodo hæc sanè possunt intelligi.

Si quis autem disputationem istam diligentius inspiciat, reperiet illud primo loco improbari divinam substantiam factam esse humanam. Similiter de divina substantia dicit quod non possit fieri res composita, vel res corporea, vel aliqua creatura. Illud etiam quod ait: « absit quod aliquam rem Deum esse ponamus, quæ non semper extiterit, si Dei nomine non » divina persona sed substantia intelligatur, sicut ipse abinitio quæstiones interpretatus fuit, nihil habet erroneum. Quod autem ante solutionem more disputantium vera & falsa C permiscet, hoc lectorem perturbare non debet: quæ enim in ipsa solutione dicuntur, quæ ibi incipit, *Sic igitur accipiendum est*, catholica sunt nobis, cùm non contra nos faciunt usque ad illud, *Multo minus igitur Deus homini unitus ob hoc aliud fieri dicendus est.* Sed & illud etiam quod nobis adversari videtur, si de essentia intelligatur, nec ipsum est ideo nobis contrarium, vel forte aliud fieri intelligit ac si diceretur mutari: unde statim subdit: *Ab omni mutabilitate Deum penitus immunem esse profitemur.* Verum Catholicum quemlibet movere potest quod ait: « Cum ergo semper sit Deus, nec umquam D quod spiritus est corporeum fiat, aut partes recipiat, quomodo proprie vel Verbum dicitur caro fieri, vel Deus homo, cum Verbum etiam ipsum nunc sit spiritus, &c? » Videtur enim hoc sentire velle, quod Filius Dei non dicitur propriè, seu essentialiter homo, sed solo habitu: nisi quis dicat, quòd non dicitur propriè Deus homo, vel Verbum homo: quia plura nomina quibus de eo loquimur à creaturis ad creatorem transumta sunt. Sed non hic quærebatur quid de eo propriè dicatur, vel non; sed quid hoc sit Deum fieri hominem. Hac etiam transum-E tionis ratione perspecta posset similiter dicere quod nec Verbum propriè dicitur Verbum, nec Deus propriè dicitur Deus. Ecce si sana est magistri PETRI ABAILARDI doctrina, pravæ assertioni patrocinari non prævalet; si prava est, catholicæ professioni præjudicare non debet. Quod vero à magistro PETRO ABAILARDO hanc opinionem suam magister PETRUS LOMBARDUS accepit, eò magis suspicatus sum, quia librum illum frequenter præ

Nota Petrus Lombardus Abaëlardo addictus.

manibus habebat, & forte minus diligenter A singula perscrutans, ut qui ex usu magis quàm ex arte disputandi peritiam haberet, falli poterat. Opinionem suam dixi. Quod enim fuerit hæc ejus opinio certum est. Quod vero non fuerit ejus assertio hæc, ipse testatur in capitulo suo.

Unde præsumitur quod fuit assertio magistri Petri.

Satis diligenter juxta diversorum sententias suprapositam absque assertione & præjudicio tractavimus quæstionem. Verumtamen nolumus in re tanta, tamquam ad cognoscendum difficili, putare lectorem istam sibi B nostram sufficere debere disputationem; sed legat & alia melius forte considerata atque tractata, & ea quæ hic movere possunt, vigilantiore si potest mente discutiat. hoc firmiter tenens quod Deus hominem assumsit, homo in Deum transivit, non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione, ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumendo hominem; nec homo in divinam glorificatus in Deum: quæ mutatio vel versibilitas naturæ diminutionem & abolitionem substantiæ facit.

Alia de eodem præsumtio.

Petrus Lombardus non assertive sed tantum opinative docuit Christum non esse aliquid secundum quod homo.

Præterea paulo antequàm electus esset in C episcopum Parisiensem, mihi & omnibus auditoribus suis, qui tunc aderant, protestatus est, quod hæc non esset assertio sua, sed opinio sola quam à magistro acceperat. Hæc etiam verba subjecit: Nec umquam Deo volente erit assertio mea, nisi quæ fuerit fides catholica. Postea verò per quosdam homines loquaces magis quàm perspicaces quæ nec in cubiculis essent audienda usque hodie prædicantur super tecta. Nunc igitur quia adversarii nostri de magistris gloriantur, & nos aliqua pro nobis magistrorum ducamus testimonia, ut fortissimis sanctorum cuneis etiam D doctorum hujus temporis levior armatura præludatur.

Auctoritates magistrorum contra illam sententiam.

Magister ANSELMUS Cantuariensis in Epistola ad Urbanum Papam. Suscepit Deus hominem in unitatem personæ, ut sint duæ naturæ, divina scilicet & humana, una persona. Dicunt quidam, quomodo dicimus in Christo non esse duas personas sicut duas naturas? Nam Deus & ante assumtionem hominis persona erat, nec postquam hominem E assumsit persona destitit esse: & homo assumtus persona est; quia omnis homo individuus persona esse cognoscitur. Quare est alia persona Dei quæ fuit ante Incarnationem, alia hominis assumti? Sicut igitur Christus est Deus & homo: ita duæ in illo videntur esse personæ. Sed non ita est. Sicut enim in Deo una natura est, plures personæ, & plures personæ sunt una natura: ita in Christo una persona est plures naturæ, & plures naturæ sunt una persona. Non enim est alius Deus, alius homo in Christo: quamvis aliud sit homo, aliud Deus. Sed idem ipse est Deus qui & homo. Et post pauca: In assumto verò homine, vel in nomine Jesu, intelligitur cum natura, id est cum homine, collectio proprietatum quæ est eadem assumto homini & Verbo: unde eadem sunt persona. Ecce quod Christus est duæ naturæ sive substantiæ, & quod aliud & aliud sunt, non alius & alius.

BERNARDUS abbas Clarevallensis in libro de Consideratione: Decuit quippe familiarius similiusque cum hominis convenire constitutione quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit & cum summa quæ in Deo est & Deus est unitate congruere, ut quomodo ibi tres personæ essentia una, ita hic convenientissima quadam contrarietate tres essentiæ sunt una persona.

De tribus essentiis in divinitate.

Tres essentias dicit Verbum, animam & carnem. & utique sicut intelligit divinitatem, ita in carne & in anima totum hominem intelligi voluit, Augustinum sequens, qui sæpe pro toto homine carnem & animam ponere consuevit, magister HUGO DE S. VICTORE: Verbum persona æterna fuit, neque tunc persona esse cœpit, quando animam & carnem in personam accepit. accepit animam & carnem, ut in se persona essent, non ut se personam faceret. Quia ergo caro & anima in eo persona esse acceperunt, quando Verbi personæ uniri cœperunt, semper quidem cum Verbo una & eadem persona permanserunt, quia numquam postea à Verbo vel inter se divisa recesserunt.

Quod per animam & carnem totum intelligit hominem.

Hic nimirum per animam & carnem totum hominem intelligit, qui cœpit esse illa persona, unde & post pauca subditur: Præterea partes hominis duæ sunt, quia in natura hominis duo sunt, scilicet anima & caro. Ubi hæc duo sunt, totus homo est: ubi alterum horum, pars hominis est. Propter hoc igitur Verbum totum hominem assumsit, quia totum quod hominis erat assumsit, animam & carnem. Si partes hominis Christi sint anima & caro, quomodo non est aliquod totum? & si partes habet secundùm humanitatem, qua ratione negari potest eum esse aliquid secundùm humanitatem? Hæ etiã partes anima & caro non possunt esse partes nisi alicujus substantiæ, quare secundùm humanitatem Christi est aliqua substantia.

Magister [a] ACHARDUS in libro suo de Trinitate: In Christo duæ naturæ sunt qua-

(a) Is fuit abbas S. Victoris, deinde episcopus Abrincensis.

» rum utraque persona dici potest per se, non » tamen duæ sunt personæ, sed una in naturis duabus: In Deo assumente hominem, » id est in Verbo ex ipsius natura: in homine » assumto ex assumentis beneficio Verbi, & » gratia. Item: Quamvis in Verbo assumente » & homine assumto alterum sit ex altero, homo scilicet à Verbo, non tamen duas ibi esse » personas, vel unam à se ipsa consequens est: » eo quòd homo alterius naturæ est à Verbo, » secundùm quam potest esse ab eo. Et ideo » propter pluralitatem naturarum jam non ibi » exigitur pluralitas personarum. Si enim alterum non sit ab altero secundùm personam » alteram; potest tamen ab eo esse secundùm » eam quæ ibi est naturam alteram. Si vero » ibi altera non esset natura, necessario cum » personalitatem ibi esse constet, & utramque » personam dici per se; persona ibi esset altera, » aut neutrum esset ab altero, aut persona una » prius à se ipsa.

Quid super his senserint magister Robertus Melidensis, & magister Mauricius.

Duos etiam venerabiles magistros, quos in theologia nihil hæreticum docuisse certissimum est, ROBERTUM scilicet Melidensem & MAURICIUM [a] hodie Parisiensem episcopum silentio præterire non debeo. Eorum itaque super his disputationibus vel quæstionibus scripta non legi; sed multis eorum lectionibus & disputationibus interfui, in quibus & de homine assumto & de aliis quibusdam magistri PETRI LOMBARDI doctrinam falsitatis arguebant, ne dicam erroris. Mihi tamen non facile, nec citò potuerunt avellere quod diu tenueram; sed ex tunc meum cœpit fluctuare judicium, usquequo per doctorum aliorum etiamque sanctorum testimonia veritas ipsa de qua quærebatur velut per speculum & per ænigma se se tandem intimaverit.

[Auctor doctrinæ quam impugnat olim assertor.]

Assertio magistri Achardi.

Hæc disputatio magistri ACHARDI in principio sui asserit duas esse naturas in Christo; quarum utraque est persona & utique non alia quam Christus. Cetera vel modicam explanationem efflagitant, ut hæc: Quarum utra- » que persona dici potest per se hoc modo, sci- » licet Verbum assumens est persona, homo as- » sumptus est persona: unde videtur pluralitas » esse personarum. In alio enim quolibet homine » hæ duæ naturæ anima & caro simul dicuntur » unus homo, sive una persona, sed neutra per se » est homo vel persona: unde propter hujusmodi » pluralitatem naturarum in quolibet homine » nulla exigitur pluralitas personarũ. In Christo » verò secus est, quia sunt duæ naturæ qua- » rum utraque est persona, unde videri posset » quod sicut sunt duæ naturæ, ita etiam duæ » essent in eo personæ, quod sic infringitur, nec » tamen duæ sunt personæ &c. Quod vero sequitur: *In Verbo ex ipsius natura*, &c. illi auctoritati innititur: Quod habet Filius Dei per naturam, hoc habet Filius hominis per gratiam. Item: *Quamvis in verbo assumente*, &c. Hic geminam expugnat falsitatem. Quia ergo Verbum assumens est persona, & homo assumtus est persona, & hæc est à Verbo, videtur quod altera persona esset ab altera, vel eadem à se ipsa. Sicut in Trinitate Pater est persona, Filius est persona, & Filius est à Patre: unde cum sint duæ personæ, altera est ab altera: & si una essent persona, eadem esset à se ipsa. Sed non est similis utrobique necessitas. In Christo enim sunt duæ naturæ, quarum altera est ab altera. In Patre & Filio eadem natura, sed personalitates una & altera. Et hoc est *Quamvis in Verbo assumente, &c.* Quod ergo hæc ejus disputatio ita intelligenda sit, ibi subtiliter & breviter innuit: *Si verò ibi altera non esset in natura* &c. quia enim utraque per se dicitur persona, si non esset ibi natura altera, aut nec homo esset à Verbo, nec Verbum ab homine, aut persona ibi esset altera ab altera, aut eadem à seipsa.

Epilogus prædictorum.

His breviter discursis quatenus dicendorum notitia plenior haberetur; restat ea quæ in exordio demonstranda proposuimus, firmissimis sanctorum testimoniis & rationibus fidei consentaneis roborare, ut quasi post quædam præludia jam nunc ad seria veniatur.

Quod Christus est aliquis homo auctoritates.

In psalmis omnia hæc leguntur de Christo: *Beatus quem elegisti & assumsisti.* Item: Ps. 64. 5.
Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis? Item: *Dies super dies regis adjicies annos ejus.* Item: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi.* Item: *Iste pauper clamavit & Dominus exaudivit eum.* Item: *Ego sum mendicus & pauper.* Item: *Tu es sacerdos in æternum.* Item: *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?*

[Ps. 8. 5. Ps. 60. 7. Ps. 79. 6. Ps. 33. 7. Ps. 39. 18. Ps. 109. 4. Ps. 88. 49.]

Epilogatio proximorum.

Si Christus non est aliquis homo, quis est iste beatus homo? quis est iste filius hominis? quis est iste beatus rex? quis est iste vir dexteræ? quis est iste pauper? quis est iste sacerdos? " quis est homo qui eruet animam suam de manu inferi? Utique nullus. Quod si Christus est homo de quo ista dicuntur, Christus est aliquis homo. Item super psalmum legitur istud CASSIODORI: Hæc omnia non « omni beato viro conveniunt, sed soli Christo. « Potius dicendum erat, nulli beato viro « conveniunt, nulli enim alii viro conveniunt. « Et Christus cui soli conveniunt non est aliquis vir? Item ibi legitur: hæc est plena dif- « finitio beati viri; sed quomodo est diffinitio « beati viri, quæ nullo beato viro convenit? «

(a) Electus est episcopus anno 1164.

Nec Christus enim, nec aliquis alius est beatus vir cui conveniat ipsa. Item Apostolus: Rom. 5. 15. *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Item AUGUSTINUS in libro de Trinitate, sicut per » unum hominem peccatum &c. Apostolus » de duobus hominibus prolixius disputat, uno » eodemque primo Adam per cujus peccatum » & mortem ejus posteri obligati sumus. Alteri » verò secundo Adam, qui non homo tantum, » sed & Deus est. Item AUGUSTINUS super » Johannem: Cecidit primus homo, & omnes qui ab eo nati sunt de illo traxerunt » concupiscentiam carnis. Oportebat ut nasceretur alius homo, qui nullam traxit concupiscentiam, homo & homo, homo ad mortem, & homo ad vitam, sicut dicit Apostolus: 1. Cor. 15. 21. *Quoniam quidem per hominem mors & per hominem resurrectio.* Per quem hominem mors, » per quem resurrectio? Sicut enim in Adam » moriuntur, ita & in Christo omnes justificabuntur. Item AUGUSTINUS in libro de » prædestinatione sanctorum: Præclarissimum » lumen prædestinationis & gratiæ ipse est mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. » Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumtus Filius Dei unicus esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum » qualecumque præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret, & faciente aut » suscipiente Deo Verbo, ipse homo ex quo esse cœpit, Filius Dei unicus esse cœperit? » Item: Ita ab initio fidei suæ homo quicumque gratia fit Christianus, sicut gratia homo » ille ab initio factus est Christus. Item AUGUSTINUS de bono perseverantiæ: Qui fecit » illum hominem sine ullis præcedentibus ejus » meritis, nullum quod ei dimitteretur vel » originem trahere vel voluntate perpetrare » peccatum; ipse nullis eorum meritis præcedentibus facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Item: Et illum ergo & quos prædestinavit, quia & in illo ut » esset caput nostrum, & in nobis ut ejus corpus essemus non præcessura merita nostra, sed » opera sua futura præscivit. Item AUGUSTINUS de Littera & Spiritu: Deus humilis descendit per misericordiam, & gratiam claram » & manifestam commendans in ipso homine quem tanta præ participibus suis caritate » suscepit. Neque enim ipse Verbo Dei conjunctus, ut ipsa conjunctione unus Filius Dei » & idem ipse unus filius hominis fieret præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Item: » Mons in quo beneplacitum est Deo &c. AUGUSTINUS: Verbum habitavit eum, scilicet » hominem Christum usque in finem: quia personaliter unitus est ei in quo habitat omnis » plenitudo divinitatis corporaliter. Sic erat » itaque Verbum in carne, ut Verbum etiam » caro factum solum diceretur, id est homo » Verbo in unam Christi personam copularetur. Item AUGUSTINUS super Johanne: » Primitiæ homo & homo, homo ad vitam & homo ad mortem. Homo ille non Deus: « iste Deus & homo. Item: Matri Syon dicit homo. Augustinus: Ecce est quidam homo, id est Christus qui dicit Syon, id est « Synagoga est mater mea secundùm carnem. « Et quis est homo ille? homo qui in ea natus est &c. Item AUGUSTINUS in Homilia « de Symbolo: Hæc fuit natura hominis qui « factus est ex Virgine, quæ natura Virginis « ex qua Christus formatus & natus est ejusdem est naturæ cum Patre secundùm divinitatem. Item HAIMO, *Quia prædestinatus est, &c.* Non de Verbo loquitur hic Apostolus, sed de homine, qui non erat antequam factus esset. Item JOHANNES CHRYSOSTOMUS: Et adorent eum hominem qui « passus est & mortuus. Non de Deo verba « ista dicuntur, sed de homine suscepto, adorent, inquam, omnes angeli Dei. Item in « evangelio Caïphas per Spiritum-sanctum ait: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Joan. 11. 50. Item ministri Pharisæis responderunt: *Numquam locutus est homo sicut hic homo.* Joan. 7. 46. Centurio etiam clamat: *Verè hic homo Filius Dei erat.* Marc. 15. 39. Si Christus secundùm Apostolum est unus homo, si secundùm Augustinum est alter duorum hominum, de quibus disputat Apostolus: si est homo alius à primo Adam: si est quidam homo qui dicit, Syon est mater mea: si, ut legitur in Evangelio, est unus homo qui moriturus erat pro populo; patet quia Christus est aliquis homo. Item omnes illæ auctoritates quibus de Christo legitur hic homo, iste homo, ille homo, vel aliquid hujusmodi; si Christus nec fuit, nec est, nec erat aliquis homo, incongruæ sunt, & propter incompetentem demonstrationem sive relationem, aut nullum, aut cassum faciunt intellectum: nisi forte dicant eo tropo dici de Christo, hic & ille homo, quo de idolo dicitur, hic & ille Deus; sed ibi non attenditur naturæ participatio, sed nuncupatio sola. Sicut ergo idolum solo nomine est Deus: ita & Christus solo nomine est homo. Absit. Ecce his & aliis infinitis auctoritatibus edocemur, quod Christus est aliquis homo. Idem firmis probari potest rationibus.

Rationes quibus probatur quod Christus est aliquis homo.

Hominum enim alius est Christus, alius non est Christus, ergo & quidam homo non est Christus. Item, Christus est unus aliquorum hominum, ergo est homo. Item, unus solus homo est Christus, & multi homines sunt: ergo unus hominum est Christus: quare aliquis homo est Christus. Item, in his locutionibus omnes declinaverunt, omnes in Adam peccaverunt, omnis homo mendax; in his, inquam, & similibus omnes catholici expositores Christum excipiunt: quod si natura alius homo, quam Christus excipiendus est, & Christus non est aliquis ho-

mo qui excipi debeat, nullus homo excipiendus est. Quæ ergo sic dicuntur sine omni exceptione vera sunt. Item, Christus est sanctissimus hominum, beatissimus hominum: hæc & hujusmodi omnia falsa sunt, si Christus non est aliquis homo. Item, si quis est habens naturam humanam est homo. Et qui est aliquis habens naturam humanam est aliquis homo. Item; est aliquis animatus anima humana: Ergo est aliquis homo. Item, aliquis est filius Abrahæ, cui factæ sunt repromissiones. Christus non est aliquis filius Abrahæ, quare alii quam Christo factæ sunt promissiones qui Christus non est. Item, nullus homo redemit nos, quia non alius redimere potuit, nec aliquis homo est vel fuit Christus qui nos redemit. Item, cum Christo crucifixi sunt duo latrones, sed duo illi homines cum Christo crucifixi sunt, & nullus alius homo tunc crucifixus est: Ergo soli latrones tunc crucifixi sunt. absit. Quod si tunc alius homo crucifixus est, quis est iste alius homo, cùm Christus non sit aliquis homo? Item, Ubi duodecim apostoli erant cum Domino, ibi erant duodecim homines, & non soli duodecim, quia Christus ibi erat: ergo si præter duodecim aliquis homo ibi erat, & hic erat Christus, aliquis homo erat Christus. Quod si non erat ibi aliquis homo præter duodecim, soli homines duodecim ibi erant. Item, Christus fuit aliquis vir, ergo fuit aliquis homo. Sed forte qua ratione asserunt eum non fuisse aliquem hominem, istud etiam fateri cognoscuntur ipsum non fuisse aliquem infantem, aliquem puerum, aliquem juvenem. Si enim, inquiunt, Christus fuit aliquis homo, cum nec ab æterno fuerit homo, in tempore factus est aliquis homo. Sed si in tempore factus est aliquis homo, in tempore factus est aliquid. Concedant igitur simili ratione quod non fuerit aliquis infans, quia si ex tempore cœpit esse aliquid, quod ipsi absurdum dicunt & impossibile. Numquid ergo non beata Virgo non peperit aliquem infantem? Numquid Simeon justus Christum accipiens in ulnas suas non vidit, nec tenuit aliquem infantem? numquid apostoli & alii videntes & audientes Christum non videbant, nec audiebant aliquem hominem? Miror autem quod non attendunt hujus phantasmatis assertores quam modicum distent à Manichæis. Illi dogmatizaverunt: Christus videbatur homo & non erat homo. Isti hoc dogmatizant: unde necesse habent confiteri: Christus videbatur homo, & non erat aliquis homo. Nam si erat, & videbatur homo: videbatur utique, sed non erat aliquis homo, quare videbatur homo, & non erat aliquis homo. Similiter videbatur infans, & non erat aliquis infans. Videbatur puer, & non erat aliquis puer. Videbatur homo vivus, & non erat aliquis homo qui viveret. Visus est homo moriens, & non erat aliquis homo qui moreretur. Visus est postea homo resuscitatus à mortuis, & non erat aliquis homo resuscitatus à mortuis. Visus est homo ille ascendere ad cœlos, sed non erat aliquis homo qui in cœlum ascenderet. Et quia in hujusmodi errores incidunt, & qui negant Christum secundùm humanitatem aliquid fuisse, nos huic falsitati contrariam veritatem auctoritatibus & rationibus munitam esse demonstremus.

A Manichæis parum distant quos auctor impugnat.

Quod Christus secundùm quod homo est aliquid.

AUGUSTINUS de Trinitate: Caput Christi Deus, si Deus omnia simul, tria hæc intelliguntur, quomodo igitur caput est Deus, id est caput Christi est Trinitas, cùm in Trinitate sit Christus? an quod Pater est cum Filio & Spiritu sancto ei caput est quod solus est Filius? cum Patre enim & Spiritu sancto Filius est Deus, Filius autem solus est, homo factus est. Item Augustinus in Johannem: Ipse est homo qui Deus, quia Deus factus est homo, sed factus quod non erat, non amittens quod erat. Item: Creator hominis homo esse dignatus est, factus est quod fecerat, ne periret quem fecerat. Item: Angelus ad Mariam Virginem: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Item: Super illum locum in Evangelio Johannis: *Nunc autem quæritis me interficere, hominem* &c. legitur illud Augustini: non dicit ut poterat Dominum Abrahæ, ne sit occasio calumniæ, nec Filium Dei, sed quod vident, quem possunt accipere. Item AUGUSTINUS: ne sileas à me, id est ne unitatem verbi tui separes ab eo, quod homo ego sum. Item AUGUSTINUS, super psalmum illum *Domine refugium*; Incepit esse quod non erat: servata substantiarum proprietate, quod creabile mansit creabile, quod increabile increabile. Item AUGUSTINUS de Trinitate; Nam si ego non abiero, advocatus non veniet ad vos. Oportebat ergo ut auferretur ab oculis forma servi, qua intuentes hoc solum esse Christum putabant quod videbant. Item AUGUSTINUS de Trinitate: Et quid tam grate suscipi posset, quàm caro sacrificii nostri corpus effectum Sacerdotis nostri? quoniam quatuor considerant in omni sacrificio, pro quibus offeratur, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur. Idem ipse unus verus mediator per sacrificium pacis reconciliavit nos Deo, unum maneret cum illo cui offerebatur, unum in se faceret pro quibus offerebat, vel ipse esset qui offerebat & quod offerebatur. Item AUGUSTINUS super Johannem *Noli me tangere.* Quid est hoc? hic solum me esse putas quod vides. Noli sic credere, id est noli me tangere. Item AMBROSIUS: Homo Christus quid est? id est quàm magnum quid & dignum. Per hoc quod memor es ejus faciendo eum immunem à peccato, aut id est, Et filius hominis, scilicet idem ipse Christus homo de homine, ut Deus de Deo. Quid est? scilicet quàm excellentissimum quid per hoc quod visitas eum resuscitando.

Luc. 1. 35.

Joan. 8. 19.

Joan. 20. 17.

Epilogatio.

Ecce secundùm humanitatem Filius est aliquid quod non est Pater, nec Spiritus-sanctus. Et est quod non erat. Et factus est quod fecerat. Et secundùm eamdem naturam est hoc quod ex Virgine natum est, & quod Judæi videbant & occidere poterant, & secundùm quod homo erat, id est cui Verbum unitum erat. Et id quod creabile erat, & id quod offerebatur, id quod videbatur, & magis quid & dignum & quoddam excellentissimum. Quomodo ergo secundùm quod homo, non erat aliquid? Ex his & aliis infinitis auctoritatibus elucescit, quod Christus secundùm quod homo erat, & est aliquid: quod ut firmius sit & rationibus comprobetur.

Item aliæ rationes.

Christus secundùm quod homo habet humanitatem, ergo secundùm quod homo habet aliquam substantialem qualitatem, ergo secundùm quod homo est aliquid. Item, Christus secundùm humanitatem est homo, sed esse hominem est esse aliquid. Item, Christus secundùm duas naturas est geminæ substantiæ, & secundùm utramque naturam est alicujus substantiæ, ergo secundùm utramque naturam est aliquid. Item, Christus secundùm quod homo est homousios, id est consubstantialis matri, ergo secundùm quod homo habet aliquid substantiale commune cum matre, quare secundùm quod homo est aliquid. Item, Christus secundùm humanitatem est homo vel aliud. ergo secundùm humanitatem est aliquid. Item, secundùm quod homo est caput nostrum, ergo secundùm quod homo est aliquid quod supra nos est. Item, secundùm quod homo est precium quo redemti sumus, ergo secundùm quod homo est aliquod precium, quare secundùm quod homo est aliquid. Item, secundùm quod homo est sacrificium quo expiati sumus, ergo secundùm quod homo est aliquod sacrificium, quare secundùm quod homo est aliquid. Item, Christus, Enoc, & Elias sunt tres homines, ergo sunt tria, ergo secundùm quod homo est unus illorum trium, ergo secundùm quod homo est unum aliquid. Item, Christus aut solo nomine est homo, aut nomine & re: si solo nomine est homo, non verè est homo: si re & nomine est, homo est. Item alia ratio: Substantia data secundùm hanc naturam quæ omni homini convenit, illa convenit Christo: non autem illa est substantialis diffinitio quæ convertitur cum definito, quod si secundùm quod homo suscepit aliquam substantialem diffinitionem, secundùm quod homo habet aliqua substantialia, quare secundùm quod homo est aliquid. Item, si humanitas convenit homini illi non substantialiter, nobis vero substantialiter, non

A propter humanitatem est ejusdem naturæ nobiscum vel ejusdem substantiæ. Sicut enim ignis substantialiter calidus & aqua accidentaliter calida, non sunt ejusdem naturæ vel substantiæ: ita nec nos qui substantialiter homines sumus, cum illo sumus unius naturæ vel substantiæ, qui non est substantialiter homo, sed vel accidentaliter vel nec accidentaliter nec substantialiter. Quod si substantialiter est homo, & hoc prædicabile homo non in quale, sed in quid habeat prædicari, secundùm quod homo est aliquid. Item, aliqua accidentia erant in homine Christo, ergo Christo erant aliqua in quibus erant illa

B accidentia, sed non erant aliqua in quibus essent, ergo aliquid in quo erant illa accidentia. Item, Pueritia Christi fuit in aliquo subjecto, si ergo secundùm humanitatem fuit illud subjectum, Christus secundùm humanitatem fuit aliquid. quod si corpus & anima fuit illud subjectum, corpus vel anima fuit puer vel puella, quare corpus vel anima fuit aliquis homo vel aliqua femina. Item, si Christus secundùm quod homo non erat aliquid, crucifixio & tristitia Christi non fuit in aliquo subjecto, quare corpus tantùm crucifigebatur, anima sola tristabatur, nec ex duobus illis aliquid constabat quod crucifige-

C retur & tristaretur, nec aliud aliquid ibi crucifigebatur & tristabatur. Ergo nihil ibi tristabatur & crucifigebatur. Hac ratione Christo nihil fuit quod sederet, & aliquid sciret, nec fuit aliquid quod verba proferret, & ea intelligeret, nec fuit aliquid quod moreretur, & ideo frueretur. quare sedere, proferre, mori, hæc corporis sunt: scire, intelligere, frui, animæ sunt. Christus verò nec illa duo, nec aliquod compositum ex illis erat, nec aliquid omnino cui illa convenirent. Rursum in hac assertione sua parum distant à Manichæis. Illi dicebant: Christus videbatur homo

D & non erat homo; videbatur crucifigi, & non crucifigebatur; videbatur mori, & non moriebatur. Isti dicunt: Christus videbatur homo, & non erat aliquid quod videbatur; Christus loquebatur, & non erat aliquid quod loquebatur; crucifigebatur, & non erat aliquid quod crucifigebatur. Item, Post resurrectionem apostoli viderunt Christum & non viderunt aliquid quod erat Christus. Credebant se videre & audire Christum; sed non videbant, nec audiebant aliquid quod esset Christus. Quando etiam videntibus apostolis Christus ascendit in altum, nihil quod es-

E set Christus ascendit in altum. Divina enim substantia quæ sola, ut asserunt, Christus est, localiter ascendere & descendere non potest. Quia verò condiscipuli mei & alii innumerabiles negant Christum essentialiter sive substantialiter esse hominem, illud hoc loco demonstretur. Et quæ contra dici solent dissolvantur.

Quanti per ver'am opinionem [illegible] querere.



Rationes quibus probatur quod Christus essentialiter & substantialiter est homo.

Si Christus solo habitu est homo, id est quod habet hominem ut indumentum. Et si quia sit aliquid quod sit homo, non sunt hæc vera, Deus est homo, & homo Deus est; Deus factus est homo, & homo factus est Deus. Si enim Deus habet tantummodo hominem, & non est aliquid quod sit homo, Deus non est homo. Et si tantummodo habens hominem est Deus, & non aliquid quod essentialiter sit homo est Deus, homo non est Deus. Item, Si Deus factus est homo & homo factus est Deus, cùm nec prius nec posterius factus sit, Deus homo, qua homo, factus est quando Deus factus est homo. Homo factus est Deus, sed hoc stare non potest, si vera sit traditio illorum contra quos sermo est. Non enim quando Deus factus est homo, id est habens naturam humanam, vel ipse, vel alius humanam naturam habens factus est Deus. Sicut enim homo hodie fit tunicatus, nec tamen tunicatus fit homo; ita secundùm quod illi sentiunt, dicendum esset, quòd tunc Deus factus homo, sed non homo factus est Deus, id est proprie Deus habens humanam naturam factus est Deus ens homo. Quod si verum dicerent, in hujusmodi violentis & ridiculis expositionibus non laborarent. Item, Si ideo dicitur Christus sive Deus assumsisse hominem in unitate personæ, quia manens una eademque persona quæ prius fuerat, accepit sibi tamquam indumentum carnem & animam, quæ prius non habuerat: ita tamen ut nec duo illa, nec aliquid fieret illa persona: eadem ratione dici potest quòd sic assumsit columbam in unitate personæ: nam & ipse Spiritus-sanctus assumta columba in qua appareret, mansit una & eadem persona quæ prius fuerat. Hac etiam ratione dicendum de Angelis quotiens apparuerint in corporibus undecumque assumtis, quia corpora illa assumserunt in unitatem personæ. Quod si dixerint naturam assumtam à Christo esse naturam Christi; sed naturam à Spiritu-sancto, sive ab angelo non ita assumi, ut sit natura Dei assumentis vel angeli; sciant hoc ideo esse, quia homo assumtus cum Deo assumente una est persona, cujusmodi unio inter Spiritum-sanctum & columbam fieri non posset, nisi Spiritus-sanctus vere columba, & ipsa columba vere Spiritus-sanctus fieret. Et similiter de angelo & de assumta creatura sentiendum. Item, si corpus Christi sub specie panis essentialiter corpus Christi est: quantò fortiùs ipse Christus in propria specie essentialiter homo est, & utique quia species illa in altari tantummodo ut velamen est, ideo non est species illius naturæ cujus est ipsum corpus, nec corpus illius naturæ cujus est illa species. quare similiter & Deus si habet hominem tantummodo ut velamen; tamen ut homo est illius naturæ cujus est Deus,

A nec è converso. quod si Christus essentialiter est homo, cùm omnis homo, qui vere & proprie dicitur homo, sit substantialiter homo, & Christus substantialiter est homo, aut non verè & propriè dicitur homo. Sed, ut dicunt, Christus non vere & proprie dicitur homo: solo enim habitu & non essentia dicitur homo, quod ut puto jam probatum est, & adhuc ampliùs per sequentia probabitur. Item, Christus secundùm naturam humanam substantialis est matri, & natura humana substantialiter matri convenit, ergo & Christo. Item, Si Christus non habet humanitatem tamquam sibi substantialem, sicut habet beata Virgo; Christus secundùm B humanitatem cum beata Virgine non est ejusdem substantiæ vel naturæ. Ille enim habet solummodo tamquam vestimentum, illa habet tamquam substantialem formam sive naturam. Item, Nihil est substantiale beatæ Virgini quod sit substantiale Christo, ergo non est filius homousios matri, ergo filius & mater non sunt ejusdem naturæ vel substantiæ. Quod si auctores efflagitant, audiant illud HIERONYMI in sermone *Cogitis me*. « Unus idemque manens Filius unigenitus inseparatus in utrisque naturis conspicitur, & quæ sunt utriusque substantiæ naturaliter operabatur secundùm unicuique insitam essentialem qualitatem. Si Christus habuerit essen- C tialem qualitatem humanæ substantiæ vel naturæ, generaliter fuit homo. DIONYSIUS vero ad Timotheum episcopum de mystica theologia ait: « Superessentialis Jesus humanis naturalibus veritatibus essentia factus. AUGUSTINUS in libro de Fide ad Petrum, « Qui essentialiter conceptus est natus de Virgine. Item, Græcum illud & auctenticum nomen homousios manifestè declarat, quod Christus essentialiter sit homo, cùm dicitur à catholicis homousios, id est essentialis, sive unius substantiæ, id est naturæ cum matre. Quod si Christus non est essentialiter & substantia- D liter homo, nec secundùm quod homo est animal, nec corpus, nec substantia. Quod Christus secundùm quod homo substantia sit, quod sit corpus, quod sit animal, sequentia declarabunt. Contra hæc vero quod Christum essentialiter & substantialiter hominem dicimus, multifariam disputatur.

Quæ contra objici possunt & solent.

Substantiale est Christo esse hominem, ergo destructo homine destruitur Christus. Quod si à nobis simile expetitur, responde- E mus natura humana natura est Christi, ergo & ea destructa destruitur Christus. Non sequitur. Solus enim Jesus est gigas geminæ substantiæ geminæque naturæ; & ideo sicut antequam mundus fieret & sine natura assumta extitit: ita etiam hodie sine ea existere posset, ac non tota Trinitas destructa qualis creatura existeret. Similiter & in omnibus illis quæ ei secundùm quod homo

substantialia sunt, destructis nihilominus existeret, aut non existentibus quibusdam creaturis Deus esse desineret. Hoc autem videtur dicere contra illud argumentum. Non videtur secundùm quid genus participari: nam non est homo secundùm quid animal, neque grammatica secundùm quid est disciplina, & alibi secundùm quid & non simpliciter inesse in solo accidente contigit: unde non videtur dicendum quod aliquid sit substantiale Christo secundùm humanam naturam, nisi simpliciter sit substantiale. Sed si simpliciter est substantiale, destructum destruit.

Christianæ religionis dogmata Philosophorum rationibus superiora.

Ad quod dicimus quod stultam facit Deus sapientiam hujus mundi. Hæc enim omnia philosophica: Si Virgo est, numquam peperit; si cœcus semel factus est, numquam postea videt; si Deus est, non est homo; si est visibilis, non est invisibilis; si est æternus, non est temporalis, & hujusmodi infinita, quæ philosophis videbantur verissima, catholicis omnibus constat esse falsissima. Habeant ergo philosophorum documenta locum suum in his quæ secundùm naturam se habent, non in his quæ contra naturam mirabiliter fiunt & facta sunt.

Aliæ objectiones.

Item objici potest, hæc species homo est substantialis Christo secundùm quod homo, & non sunt paria, ergo est aliquid quod est superius Christo. Sed si hæc species sive aliquid aliud universale est superius Christo, aut non omnia universalia sunt creaturæ, aut aliqua creatura est aliquid superius Christo. Item, Si aliquod prædicabile est superius Christo, aliquid quod non est Deus hoc Deo personaliter unitum est superius Christo. Simile. Hæc prædicabilia anima & corpus sunt superiora anima & corpore Christi. Ergo aut hæc prædicabilia non sunt creaturæ, aut aliquæ creaturæ sunt aliqua superiora anima & corpore Christi. Aliud simile. Si hæc universalia sunt superiora corpore & anima Christi, aliqua quæ non sunt Christus nec personaliter unita, sunt superiora anima & corpore Christi.

Possem hic nominum distinguere æquivocationem. Dicitur enim superius vel inferius loco, ordine, & dignitate, & forte aliis modis. Ordine quidem sive descendendi à generalissimis usque ad individua, sive ascendendi ab individuis ad generalissima. Superius est hoc prædicabile homo quolibet suo singulari, non loco, sed dignitate. Sed istud potius existimo & dico quotiens de Christo vel de qualibet persona in Trinitate, sive de ipsa divina essentia. quotiens etiam de sacramentis & de articulis fidei disputatur, his quæ logicorum propria omnia sunt supersedendum: aut si aliquando ne penitus absint admittuntur, sicut perstrepere velint, statim eliminentur; tum quia regulariter majestatibus verba non competunt; quæ naturale indumentum rationis non transcendunt: tum etiam quia plerique logicæ professores molesti sunt interpretes verborum & aucupes syllogismorum. Aquæ vero Syloes fluunt cum silentio, & in domo Domini non est auditus malleus, neque securis audita.

Logicæ argumenta fidei mysteriis debent cedere.

Johannis Damasceni locus objicitur.

Præterea illud objicitur JOHANNIS DAMASCENI. « Cum unam hominum naturam dicimus, sciendum est quod non considerantes ad animæ & corporis rationem hæc dicimus. Impossibile enim est unius naturæ dicere corpus & animam ad invicem corporata: Sed quia plurimæ personæ hominum sunt, omnes autem eamdem suscipiunt rationem naturæ, omnes enim ex anima & corpore compositi sunt, & omnes naturam animæ participant & substantiam corporis possident, communem speciem plurimarum & differentium personarum, unam naturam dicimus uniuscujusque scilicet personæ duas naturas scilicet habentis, & in duabus perfectè naturis existentis, scilicet animæ & corporis. In Domino autem Jesu Christo non est communem accipere speciem. Non enim factus est; non est, nec aliquando fiet alius, sed Christus ex divinitate & humanitate, in deitate & humanitate Deus perfectus est idem & homo perfectus. »

Ejus vera explicatio.

Hic JOHANNEM DAMASCENUM idem dicere & sentire putant, quod Christo non convenit hæc species homo: unde confidentius dicunt quod non erat substantialiter homo, non aliquid secundùm quod homo. Sed si diligentius totam seriem auctoritatis hujus inspicerent, hoc solum hic doceri liquido comperirent, quod sicut omnis species sive una natura est in omnibus & in singulis hominibus, eo quod homines etiam singuli in duabus perfectè naturis existunt, animæ scilicet & corporis: non ita est in Christo communem speciem sive unam naturam accipere, sed quia ex divinitate consistit & humanitate: unde subdit, neque enim factus est, &c. quibus non bene ostendit quod Christus est Deus & homo, non esse commune ei cum aliis. Alioquin si hoc dicere & probare voluit quod hæc species homo non convenit Christo, hac ratione qua illud probat, probari similiter posset quod divinitas non convenit Christo. Sicut enim non est tantùm homo, ita nec est tantùm Deus, sed perfectus homo & perfectus Deus. Videtur autem potius contra hæreticos disputare, qui dicebant esse unam speciem sive naturam in Christo ex duabus composita. Unde idem JOHANNES: « Inconverse & inalterabiliter unitæ sunt ad invicem naturæ, neque divina distante à propria simplicitate, neque humana, aut conversa in divinitatis naturam, aut in non existentiam divisa, neque ex duabus una facta composita natura. Composita enim natura neutri earum ex quibus componitur naturis homousia, id est consubstantialis esse potest, ex altero perficiens alterum, ut corpus ex quatuor elementis compositum non ignis nominatur, nec

» nec terra, nec aër, nec aqua, nec horum » alicui homousion dicitur. Si ergo secundum » hæreticos Christus unius compositæ naturæ » post unionem extitit, ex simplici natura con- » versus est in compositam; & neque Patri » simplicis naturæ existenti, neque matri est » omousios, neque Deus, neque homo deno- » minabitur, sed Christus solum, & erit hæc » natura scilicet Christus, non personæ ipsius » natura, sed unius secundum eos compositæ » naturæ. Nos autem Christum non unius com- » positæ naturæ dogmatizamus, & hæc natur a, » scilicet Christus, personæ dicimus non mo- » notropos, id est uno modo dictum, sed dua- » rum naturarum esse significatum, scilicet dei- » tatis & humanitatis. Ex deitate autem & » humanitate Deum perfectum & hominem » perfectum eumdem esse & dici ex duabus & » in duabus naturis confitemur. Ecce hic planè ostendit, quod hæc natura Christus non significat unam compositam naturam, sed duas naturas & unam personam duarum naturarum. Unde supra dixit: In Domino Jesu-Christo non est communem speciem accipere, scilicet unam compositam naturam ex deitate & humanitate. Aut forte ideo dixit, In Christo non est communem speciem accipere: species enim est totum esse individuorum & commune omnibus suis individuis. Hæc verò species homo non est totum esse Christi, quia Deus est & homo, quod non est ei commune cum aliis. Non enim factus est, &c. Boëtius verò contra Eutychen & Nestorium duas naturas in Christo, duas dicit esse specificas differentias, ac si diceret substantiales. Nec enim Deus species est, nec divinitas specifica differentia, nec etiam propria differentia cum sit substantia. Humanitas vero multo rectius specifica differentia, sive substantialis qualitas, qua substantia dici potest. Quod tamen illi asserunt, qui humanitatem in Christo non naturam vel proprietatem quæ sit ei communis cum aliis hominibus, sed vel animam, vel carnem, vel hæc duo simul intelligunt. Sed de his suo loco disputabitur. Ecce Boëtius specificam differentiam scilicet divinitatem dicit convenire Christo; quod si specifica differentia ei convenit, & ipsa species eidem convenit. Quoniam itaque omnia quæ propositæ veritati repugnare videntur, facillime dissolvuntur, confidenter asserendum est quod Christus essentialiter & substantialiter est homo, sicut essentialiter & substantialiter est Deus: & ita secundum quod Deus est aliquid, & secundum quod homo est aliquid. Quod autem secundum has duas naturas sit aliud & aliud, sacris auctoritatibus & solidissimis fundamentis innititur.

Quod Christus est aliud & aliud.

» AUGUSTINUS super Johannem: Aliud est » Verbum Dei, aliud homo: sed Verbum caro » factum est, id est homo. Non itaque alia Verbi, » alia hominis persona, quoniam uterque Chri-

A stus & una persona. Idem ad Felicianum: « Aliud Dei Filius, aliud hominis filius, sed « non alius. Item: Dei Filius aliud de Patre, « aliud de matre. Item LEO Papa: Christus « etsi unum manet ab æternitate, aliud tamen « cœpit esse in tempore: quæ tamen in unitate « conveniunt, nec separationem possunt habere, nec finem. Item AUGUSTINUS de Trinitate: Forma Dei accepit formam servi, « uterque Deus, uterque homo, sed uterque « Deus propter accipientem Deum, uterque « homo propter acceptum hominem. Idem in « libro de Trinitate: Cùm legitur Caro Verbum factum, intelligo verum Dei Filium, «
B in carne agnosco verum hominis filium, uterque simul unam personam Deum & hominem ineffabilis gratiæ largitate conjunctam. « Idem super Johannem: Utrumque novimus « in Christo, & unde æqualis est Patri, & unde « illo major est Pater. Illud Verbum est, illud « Caro. Illud Deus est, illud homo, & unus « est Christus Deus & homo. Idem super Johannem: *Qui credit in me, &c.* Quia homo « apparebat, Deus in homine latebat, ne putarent eum hoc tantum esse quod videbant. « Vult se credi talem tantum, qualis & quantus est Pater. Idem super psalmum illum «
C *Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me.* « Ps. 29. 1.
Christus nec Deus tantum, nec homo est, « sicut diversi hæretici dogmatizaverunt, sed « verus Deus, & verus homo, non duo tamen, « sed unus est Christus. Item AUGUSTINUS in « Enchiridion: Christus Jesus Deus de Deo « est, homo autem est natus de Spiritu-sancto « ex Maria Virgine: utraque substantia, divina « scilicet & humana, filius unicus Dei Patris « omnipotentis, ex quo procedit uterque unus, « sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem: non duo filii Deus & homo, sed unus « Dei Filius, Deus sine initio, homo à certo « initio. Idem super Johannem: Agnoscamus « geminam substantiam Christi, divinam scili- «
D cet, qua æqualis est Patri, & humanam qua « major est Pater: utrumque autem simul non « duo, sed unus est Christus. Idem in libro de « Fide ad Petrum: Firmissime tene & nullatenus dubites, Dei Verbum quod caro factum « est, duas naturas inconfusibiliter permanere; « unam divinam, quam habet cum Patre communem; alteram humanam secundùm quam « dicit Pater major me est. Item in libro de « Trinitate: Cum Filius sit Deus & homo, « alia substantia Deus, alia homo. Idem super « Johannem: Anima & corpus duæ res sunt, «
E sed unus est homo: Verbum & homo duæ « res sunt, sed unus Christus. Item BOETIUS « contra Eutychen & Nestorium: Si hominem « Christum intelligas, idem est Deus atque « homo, quoniam natura Deus est, homo assumtione, suntque in eo gemina natura, geminaque substantia, quoniam homo & Deus « una persona est, quoniam idem homo atque « Deus. Sed hic insurgunt qui contra nos sunt, « quia dicit BOETIUS Deus est Deus natura, homo assumtione, ac si dictum sit, quod

Christus sit natura Deus, homo vero non natura, sed assumtione, quod non est verum. Ideo ita distinxit Boëtius quod Deus est natura, & non ex assumtione: homo vero ita est natura quod assumtione. Sicut dicitur Deus est Deus natura, Salvator est gratia, quia quod Deus est, hoc est solius naturæ, quod Salvator, hoc est naturæ ita quod gratiæ. Si respondeant ipsi: Quomodo homo Christus homo est ex natura, Deus est autem ex assumtione? Non homo Christus, id est Christus habens hominem est habens hominem ex natura & Deus ex assumtione. Immo potius est Deus ex natura, homo ex assumtione. Quanto igitur verius est quod nos cum Boëtio sentimus, quia homo ille homo est ex natura sua, sed Deus ex assumtione, id est quia à Deo in unitatem personæ assumtus est, & idem ipse Deus est: Deus est ex propria natura, sed homo ex assumtione, id est quia hominem assumsit. Assumtio autem non excludit naturam, sed modum insinuat habendi naturam: qui per naturam æternam Deus est, per naturam ex tempore assumtam homo est. Ex præmissis liquido demonstratur quod Christus est aliud & aliud, & quod alia est & alia substantia: unde patet quod secundum quod homo est aliquid, & secundum quod Deus est aliud. Similiter secundum quod homo est aliqua substantia, & secundum quod Deus est alia substantia. Alioquin si Christus non est aliud & aliud, Christus non est Deus & homo. Si enim Christus est Deus & non aliud, Christus est tantum Deus. Item, si Christus est homo & non aliud, Christus est tantum homo. Ergo si Christus est Deus & non aliud, vel homo & non aliud, Christus non est Deus & homo. Si Christus est Deus & homo, ergo Christus est Deus & aliud, & homo est & aliud: quare Christus est aliud & aliud.

Quædam quæ his videntur contraria.

» AUGUSTINUS in Enchiridion: Quæ bona voluntas & quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur ille homo fieri una persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo quam Dei Filius, & hoc unicus, & propterea Dei Verbum, quia ab illo suscepta caro facta est utique Deus. aut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro: ita sit Christus una persona Deus & homo? Item HILARIUS in libro de Trinitate: Quæro an filius hominis idem sit & Filius Dei, & cur aliud non sit Filius hominis, & aliud Filius Dei, Verbum caro factum. Et eum qui Filius Dei est, ipse & hominis fit filius, requiro quis in hoc filio hominis, qui & Filius Dei est, glorificatus sit. Hoc autem absque privilegio ita solvi posse conjicimus, ut sicut Augustinus de personis dicit tria pro tres: ita & hic aliud ponatur pro alius, quod patet in prosecutione. Augustinus etiam ita concludit sententiam: una persona Deus & homo, non dicit una substantia vel una natura. Similiter accipitur illud Hilarii, vel quia non dicit Hilarius simpliciter, cum aliud non sit filius hominis, neque aliud Filius Dei, sed mox addit: Verbum caro factum. Non negat quin aliud sit filius hominis, aliud sit Filius Dei, sed dicit quod non aliud homo Christus, aliud Deus homo. Cum enim dicitur aliud Deus, aliud homo, differentia naturarum ostenditur: cum vero dicitur Deus homo, sive Verbum caro, ita personæ unitas exprimitur, ut utraque natura designetur: unde non est dicendum aliud filius hominis, aliud Filius Dei Verbum caro, ne præter divinam & humanam tertia natura intelligatur in Christo. Vel ideo dicitur, non est aliud Filius Dei, aliud filius Dei hominis; quia nihil est Filius Dei quod non sit filius hominis; nec è converso, licet filius Dei sit unum & aliud, & filius hominis sit unum & aliud. Sicut non est alterius naturæ filius Dei quàm filius hominis, cùm tamen & filius hominis & Filius Dei sit unius & alterius naturæ. Quod verò dicitur alibi: Aliud est Filius Dei, aliud filius hominis, ita accipiendum est, aliud filius Dei secundum quod filius Dei, aliud est filius hominis secundùm quod filius hominis, non quod aliquid sit filius Dei quod non sit filius hominis, vel è converso. Vel ita: Aliud est Filius Dei, aliud est filius hominis, id est alia est hæc natura, alia est illa. Sæpe enim essentialia pro personalibus & personalia pro essentialibus posita reperiuntur.

Augustini & Hilarii locus explicatur.

Item HIERONYMUS in epistola illa, Cogitis me ô Paula & Eustochium ait: « Altitudinem tanti mysterii diligenter intelligere & videre non potuerunt: qui autem duos filios, certe aut aliud Christum quàm Dei Filium æstimavere. » Hic videtur Hieronymus cum illis sentire qui dixerunt, quod Christus nihil aliud est quàm Deus, nihil aliud quàm Dei Filius, & ita non est Christus aliud & aliud. Possumus & hic dicere quod genus pro genere posuit: unde & quidam libri planius alium non aliud, vel quia hæc auctoritas duas hæreses percutit: unam illorum qui dicunt duas personas velut duas naturas esse in Christo, & ideo asserunt duos esse filios, alium Dei filium, alium hominis filium: alteram illorum qui Christum tantum creaturam credunt esse. Illud sic intelligendum videtur. Aliud Christum quàm Dei Filium existimavere. Aliud omnino quàm Dei Filium, id est disparatum, sed hoc solummodo quod non est Dei Filius. creaturam enim tantum & non Dei Filium putaverunt: contra quos illud pervulgatum est, Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Item in eadem epistola: « Sitivit Deus ac potavit in utero Virginis sine sui corruptione misceri atque uniri, ut unus esset Christus Deus & »

» homo: ut una esset persona, unaque substan- » tia: ubi notandum quod multi hodie corrupte legunt pro subsistentia substantia, cum ipse Hieronymus sic accipiat substantiam sicut Græci hypostasim; substantiam vero sive essentiam, sicut illi usiam, quod ex ipsa lectione totius epistolæ cuilibet legenti manifestum est. Verumtamen si quis librorum multitudini credendum existimat quod Hieronymus ita scripserit, una persona unaque substantia, substantiam pro subsistentia, id est pro persona secundùm Græci sermonis idioma incunctanter accipiat: unde AUGUSTINUS in » quinto libro de Trinitate: Plerique nostro- » rum, qui Græco tractant eloquio, dicere con- » sueverunt mian usian tres hypostases, quod » est latine unam essentiam tres substantias. Sed » quia nostra loquendi consuetudo jam obti- » nuit, ut hoc intelligatur cùm dicimus essen- » tiam quod intelligitur cùm dicimus substan- » tiam, non audemus dicere unam essentiam » & tres substantias, sed unam essentiam, vel » substantiam, tres autem personas. Item in VII. » Loquendi causa de ineffabilibus ut fari aliquo » modo possemus, dictum est à Græcis una es- » sentia & tres substantiæ, id est una usia, tres » hypostases. Aliter enim Græci accipiunt sub- » stantiam quàm Latini. A latinis enim dictum » est una essentia vel substantia, tres personæ. » Quia non aliter in sermone nostro, id est » latino, essentia quàm substantia solet intelligi. » Quod si Hieronymus unam solam in Christo » substantiam assereret, id est naturam sive es- » sentiam, non modo aliis catholicis, sed & » sibi contrarius esset. Ait enim in expositione » fidei catholicæ: Sic confitemur in Christo » unam filii esse personam, ut dicamus duas » perfectas & integras esse substantias, id est » Deitatis & humanitatis, quæ ex anima con- » tinetur & corpore. Cui auctoritati miror Magistrum PETRUM LOMBARDUM istud subscripsisse. Ecce hic aperte ostendit humanitatis nomine animam & corpus intelligi. Errant igitur qui nomine humanitatis non substantiam, sed proprietatem quamdam, à qua homo nominatur significari contendunt. Hoc vero si Hieronymus sentiret, non duas diceret, sed tres substantias. Humanitatis enim quam dixit ex anima contineri & corpore, si non esset aliqua natura, id est substantialis proprietas, sed substantia, vel corpus est, vel anima, cum ex his, ut aiunt, in Christo aliquid constare non possit. sed nec corpus, nec anima ex corpore continetur & anima: unde dicimus hanc auctoritatem potius intelligendam sic: Confitemur in Christo unam filii esse personam, ut dicamus duas perfectas & integras esse substantias, id est deitatis & humanitatis, hoc est Dei & hominis, qui homo ex anima continetur & corpore. Vel aliter duas substantias, id est duas naturas, id est deitatis & humanitatis intransitive, id est quæ sunt deitas & humanitas: quæ humanitas continetur ex anima & corpore, id est ex natura animæ & ex natura corporis. hu-

Substantia pro subsistentia.

Petrus Lombardus notatur.

A manitas enim est natura composita ex natura corporis & ex natura animæ. Quæ est autem illa substantia, quam magister Petrus dicit humanitatis nomine significari? qua enim ratione animam magis quam corpus, aut corpus magis quam animam significat? Quare humanitas Christi non est aliquid, sed aliqua? Item, cùm dicitur, humanitas Christi est anima, humanitas Christi est corpus, humanitas Christi est corpus & anima: idem est corpus quod anima, & idem est corpus quod corpus & anima. Sed hæ locutiones veræ sunt, & in eis idem subponitur. Et idem est anima quod corpus & anima. Sed humani-
B tas Christi est unum numero, ergo si ipsa est anima, non est corpus; & si ipsa est corpus, non est anima. Item, humanitas Christi est una sola substantia, ergo ipsa non est anima & corpus: quod si aliud hic subditur, humanitas Christi est corpus, aliud hic humanitas Christi est anima, & non est una humanitas, nec unum aliquid quod sit corpus Christi & anima, vel ex illis constans: potius dicendum esset Christus trium naturarum quàm duarum: tres enim sunt naturæ, natura divina, natura animæ, natura corporis: & dicendus esset trinæ substantiæ potius quàm geminæ. Errant ergo potius qui nomine hu-
C manitatis substantialem proprietatem à qua homo nominatur, significari negant. sed sicut prædiximus, vel in scriptis suis vel in disputationibus asseruisse magister PETRUS credebatur, postea nobis non asserenda, sed studiosius differenda reliquit vel discutienda. Est ergo Christus aliud & aliud, & alia & alia substantia: alioquin si tantum esset divina substantia, non esset animalis nec corpus.

Petrus Lombardus discutiendam esse opinionem hic impugnatam docet.

Auctoritates quibus probatur quod Christus est animal & corpus.

Quod autem Christus sit animal dicit BEDA
D super Marcum: *Aliud non manufactum ædificabo.* Dominus dixit Suscitabo vivum animal, » significans & spirans templum.. Item, quod » sit corpus, id est corporea substantia, dicit HIERONYMUS super alium locum in Evangelio Matthæi: *Et descendens Petrus de navicula, &c.* Ecce Petrus super aquas ambulat. » Ne ergo dubites Christum unum corpus esse, » etsi super aquas ambulat. Item, Tristitiam sic » assumsit quomodo & carnem Christus voluntate non necessitate: fuit enim tristis, ut evangelium dicit. Si enim tristis non fuit, cùm evangelium dicat: *Tristis est anima usque ad mortem.* Ergo quando dicit: Dormi-
E vit Jesus, non dormivit: vel cùm dicitur manducasse, non manducavit. Et ita nihil sanum relinquitur, ut etiam dicatur quia corpus non erat Christus. Item super Lucam: Corpus Christi granum synapis, quia accipiens Joseph in horto sepelivit, quod postea in resurrectione & ascensione crevit, expandit ramos, prædicatores scilicet per totum mundum mittens. Hic autem corpus Christi non

Marc. 14. 58.

Matth. 14. 29.

Matth. 26. 38.

videtur accipiendum de parte hominis, quæ A cum anima constituit hominem. Illa enim non misit prædicatores, sed illud totum, illa scilicet corporea substantia quæ est quoddam totum suum compositum, quod est Christus. Nemo autem sanctis doctoribus insultet propter illud documentum Aristotelis: Latent autem quandoque totum in partes ponentes ut animal corpus sensibile. Nullo enim modo pars de toto prædicatur: quare non erit corpus genus animalis, eo quod pars est. Hic enim garriunt multi quod nullus homo sit corpus, ac si melius ista intelligant quàm Porphyrius & Boëtius & alii omnes sive interpretes Aristotelis, sive expositores, nec attendunt quod corpus multipliciter accipitur. Aliquando enim significat quamdam continuam B quantitatem, aliquando idem quod corporea substantia, aliquando partem animalis, quæ cum anima constituit animal, aliquando cadaver, aliquando collectionem quamdam, ut cum dicitur populus est unum corpus. Contra illos loquitur Aristoteles qui partem animalis dicebant genus animalis. Fuerunt qui dicerent quod animal nihil aliud esset quam corpus animalis. Alii vero dicebant quod animal nihil aliud esset quàm anima animalis. unde usquecumque non est quis cui erat contraria sententia corpus cujusque hoc est utique sicut ab eruditis accepimus apud Græcos manifestum est quod in illa definitione Corpus sensibile prout eam reprehendit Aristoteles, in uno vocabulo non solum omnium C corporum, sed pars animalis intelligenda sit. Quod vero Christus secundùm humanitatem sit quoddam totum, tam auctoritatibus quàm rationibus probatur.

Corpus multipliciter accipitur.

Quod Christus sit aliquid totum sive compositum.

» Augustinus super Johannem: Dominus » Jesus Christus totum quod videbatur, & te- » nebatur, & crucifigebatur. Num totum hoc » ipse est? Ipse est quidem, sed non totus. Il- » lud quod viderunt Judæi, non hoc totus » Christus. Et quid est? In principio erat Ver- D » bum. Idem in eodem: Quia homo constat » ex carne & anima, totus autem homo in » Christo; non enim partem deteriorem susce- » pisset, & partem meliorem deseruisset. Pars » quippe hominis melior est anima quàm cor- » pus. Quia ergo totus homo in Christo, quid » est Christus, inquam? Verbum & homo. Quid » Verbum & homo? Verbum anima & caro? » Item, Johannes Chrysostomus: Quia » ergo pueri communicaverunt carni & san- » guini, & ipse similiter participavit eisdem, » id est pueris, quia factus est puer constans E » ex carne & anima. Item Augustinus super » Johannem: Verbum caro factum est, id est » Deus homo factus est in anima rationali & » carne. Usus namque scripturæ est aliquando » per solam animam totum significare homi- » nem, aliquando per solam carnem. Per so- » lam animam, ut *descendit Jacob in Ægyptum* *in* LXX. *animabus*: per solam carnem, ut « Isaias: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Sic « ergo dictum est, Verbum caro factum est, « quasi diceretur Deus homo factus est. Idem: « Accedit homo ad Deum & fit una persona, « ut non sit semideus, quasi ex parte Dei Deus, « & ex parte hominis homo, sed totus Deus « & totus homo. Item Hilarius: Homini ac- « quirebatur ut Deus esset, numquid divinitati « ejus? numquid animæ vel carni? non utique, « sed homini constanti ex utroque. Idem: Chri- « stum non ambigimus esse Deum Verbum, ne- « que rursum filium hominis ex anima & cor- « pore constitisse ignoramus. Hieronymus « in expositione catholicæ fidei: Sed confite- « mur in Christo unam Filii esse personam, ut « dicamus duas perfectas & integras esse sub- « stantias, id est deitatis & humanitatis, quæ « ex anima continetur & corpore. Item* Anastasius: Maledictus qui totum hominem « quem assumsit Dei Filius, denuo assumtum « & liberatum tertia die à mortuis resurrexisse « non confitetur. Fiat, fiat. Idem: Perfectus « Deus, perfectus homo ex anima rationali « & humana carne subsistens. «

Gen. 46. 27.

Isa. 52.

* l. Athanasius

Rationes quibus idem probatur.

Christus habet corpus humanum, illud constat ex partibus suis: ergo illæ partes sunt partes Christi, vel alicujus quod est Christus. Item, Christus habet membra humana, caput, brachia, &c. Illa sunt membra Christi: ergo sunt partes Christi. Item, Cum Christus sit homo, aut est homo habens partes, aut non habens. Si nullas habet partes, cum naturale sit homini habere partes, Christus caret partibus; si caret omnibus partibus hominis, caret corpore & anima, quod absit. Item, Aliqua est statura Christi, quæ non est, nec esse potest rei simplicis; ergo Christus est aliqua res composita. Item, Christus major est secundum tres dimensiones corporis aliquo composito: ergo aut aliquod simplex secundùm has tres dimensiones majus est aliquo composito, aut Christus est aliquod compositum. Item, si Christus sine incremento membrorum suorum non crevit, sine incremento partium suarum non crevit: ergo aliqua pars ejus crevit, ergo erat aliquod totum, sive aliquod compositum. Mira autem hebetudo hominum qui non attendunt, quod non aliquis, non digitus hominis possit esse, quin sit aliquod compositum: quanto minus totus homo & integer potest esse, quin sit aliquod compositum: nec nos præterit Christum aliter dici totum sive compositum.

Rationes ad idem.

Augustinus in libro Sententiarum « Prosperi: Christi persona constat & confici- « tur ex Deo & homine, cum ipse Christus « unus sit Deus & verus sit homo. Idem in li- « bro de Trinitate: Ex utraque substantia divini- «

» tatis & humanitatis unus atque idem est Deus, » Dei & hominis Filius Jesus-Christus: ut Deus » verus, ita & homo verus. Item: Sic Deo con- » jungi potuit humana natura, ut ex duabus » substantiis fieret una persona: atque per hoc » constat ex tribus, Deo, anima & carne. Item » JOHANNES DAMASCENUS: In Domino no- » stro Jesu-Christo duas naturas cognoscimus, » unam autem hypostasim, ex utraque compo- » sitam. Incarnatus est ergo Christus ex Vir- » gine assumens primitias nostræ massæ, ut ipsa » extiterit carnis hypostasis, quæ Dei Verbi » hypostasis, & composita facta fuerit, quæ prius » simplex Verbi hypostasis; composita vero ex » duabus perfectis naturis, deitate & humani- » tate. Idem: Confitemur has duas naturas » unitas invicem in unam hypostasim compo- » sitam Filii Dei. Idem: Ex deitate & huma- » nitate Deum perfectum & hominem perfe- » ctum, eumdem & esse & dici ex duabus & » in duabus naturis confitemur. Item AUGUS- » TINUS: Sicut est Christus veritas, ut dum » totum accipias: verum est Verbum, vera » anima, vera caro, verus Deus, verus homo. » Idem: Non tantum Verbum Dei & homi- » nis caro, sed etiam rationalis hominis ani- » ma, atque hoc totum, & Deus propter » Deum, & homo propter hominem. Item » BOETIUS in libro contra Eutychen & Nesto- » rium: Si Dei atque hominis diversa substan- » tia est, unumque in utrisque Christi nomen, » non diversarum conjunctio substantiarum » unam credimur fecisse personam; Æquivo- » cum est nomen Christi, & nulla potest dif- » finitione concludi. Quibus autem scripturis » numquam Christi nomen generatur? Quid » novi per adventum Salvatoris effectum est? » Nam catholicis & fidei veritas & raritas mi- » raculi constat: quàm enim magnum est, » quàmque novum, quod semel, & nullo alio » sæculo possit evenire, ut ea quæ solus Deus » est natura, cum humana quæ ab ea diversis- » sima erat conveniret. atque ita ex distantibus » naturis una fieret copulatione persona. Se- » cundùm vero Nestorii sententiam quid con- » tigit novi? Servat, inquit, proprias divinitas » humanitasque personas: quando enim non » fuit divinitatis propria humanitatisque per- » sona? quando vero non erit? Et post pauca: » Quod si nulla ex homine atque Deo una per- » sona conjuncta est, ergo omnes sanctos, sci- » licet homines.

Epilogatio præcedentium.

In his, ut dixi, longe aliter accipitur totum, sive compositum quàm supra. Ibi enim dicitur Christum esse totum, & constare & compositum esse, sicut ex partibus, & hoc secundùm humanitatem solam. hic vero non sicut ex partibus, sed sicut ex naturis, quod non significat hic alicujus rei integralem constitutionem, sicut frequentius, sed diversarum naturarum personalem solummodo unionem. Quod Augustinus dedit intelligere in

A illa auctoritate: Christi persona constat & « conficitur ex Deo & homine. Mox enim sub- « jecit: Cum ipse Christus verus sit Deus & « verus homo, ac si diceret, hoc ideo dicimus, « quia una persona Christi est duarum naturarum. Nunc quia illi adversus quos nobis est sermo, impium putant & hæreticum, quicumque qualibet ratione dixerit Christum factum esse vel creatum, vel creaturam aliquam: super his sanctorum patienter audiant testimonia omni exceptione & contradictione majora.

Auctoritates ad idem.

B Apostolus: *Qui factus est ei ex semine David.* Rom. 1. 3. Item: *Factum ex muliere.* Gal. 4. 4. Item: *Inducite novum hominem qui secundùm Deum creatus est*, Eph. 4. 24. quod Haïmo de Christo exponit. Item HAIMO: Non de Verbo loquitur Apostolus, « sed de homine qui non erat antequam esset « factus. LEO in Sermone illo *Exultemus in* « *Domino*: Nativitatem, inquit, pueri in sa- « lutem humani generis procreati: AUGUSTI- « NUS contra Maximianum: Deus Domini « nostri Jesu-Christi Christus secundùm homi- « nem de Virgine natus est, ut non solum illi « C pater esset qui eum genuit, sed etiam ejus « Deus esset quem de ventre matris hominem « creavit. Idem super Johannem: Quomodo « creavit Mariam & creatus est per Mariam; « sic dedit baptismum Johanni, & post bapti- « zatus est à Johanne. In eodem magna mi- « sericordia Domini nostri Jesu-Christi factum « eum esse in tempore propter nos, per quem « facta sunt tempora, factum esse inter omnia per « quem facta sunt omnia, factum eum esse quod « fecit: factus est enim homo qui hominem fe- « cerat, ne periret quod fecerat. HIERONYMUS « super Jeremiam: *Creavit Deus novum super* « Jer. 31. 22 D *terram*, nota, inquit, quod nativitas Salvato- « ris & conceptio Dei dicitur creatio in libro « Sapientiæ. *Primùm omnium creata est*, quod « Eccli. 1. 4. sic exponitur: creata secundùm humanitatem « in consilio Dei Patris, scilicet pro salute hu- « mani generis prædestinata est incarnari. Ubi « mox subditur: Notandum autem quod pro- « pter unitatem personæ aliquando Christus di- « citur genitus, aliquando creatus. AUGUSTI- « NUS de Trinitate: Est ergo Deus, id est di- « vina essentia vel Trinitas caput Christi secun- « dum quod homo; quia divinitas, utpote crea- « trix, caput est creaturæ assumtæ. Hac inter- « pretatione non pietas Filii minuitur, sed mi- « E sericordia prædicatur. Item super hæc verba « Apostoli: *Attendite vobis ne quis seducat vos* « Colos. 2. 8. *per philosophiam & inanem fallaciam.* AUGUS- « TINUS: Tradiderunt namque Philosophi « Deum non posse fieri creaturam, hominem « non posse nasci de Virgine, vel mortuum re- « viviscere. Leo in alia homilia: O mira & ex- « quisita propago! O nova & incredita con- « junctio! Deus qui est & qui erat Creator, « fit creatura, qui immensus est capitur, divi- « tes constituens pauper efficitur, in corpore « vestitur. Item AUGUSTINUS in libro de Tri- «

nitate: Factum quippe creaturam per quem omnis creatura facta est, omnem creaturam testem habere oportebat. Item de Trinitate: Pertinebat ad justitiam bonitatemque creatoris, ut per eamdem creaturam rationalem superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat, & de ipso genere venientem, quod genus origine vitiata per iram tenebat universum. Idem: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, omnis, id est omni modo habitandi, ut etiam personaliter sit unita, quod non est in alia creatura. Idem: Pater major me est. Non carni suæ solum, sed etiam menti quam gerebat humanæ Deum Patrem præferebat: quæ tota sine dubio agnoscitur forma servi, quoniam servit tota creatura Creatori. Idem in libro de Trinitate: Qui in me credit, non in me credit. Quomodo in ipsum? quomodo non in ipsum? quomodo tantum contrarium sibique adversum potest intelligi? Qui in me credit, non in hoc quod videt credit, ne sit spes nostra in creatura, sed in illo qui suscepit creaturam, in qua humanis oculis appareret. HIERONYMUS super Marcum: Mansit super eum Spiritus, hoc est unctio Christi secundum carnem, de qua dicitur: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, &c.* oleum non potest esse sub aqua, nec Creator sub creatura. Ecce comparat hic Hieronymus spiritum oleo, hominem Christum aquæ: unde vult ostendere convenienter dictum, mansit super eum Spiritus, non sub ea: quia sicut non potest oleum esse sub aqua, ita nec Spiritus creator sub Christo creatura. Item AUGUSTINUS in Sermone de Physicis: Non te offendat quod ait factum, cum confiteamur natum; factum enim non confitemur nisi hominem. Deus autem semper faciens est. Fieri nescit, ut sit, sed fit, ut aliquid alicui, sicut dicitur: *Domine refugium factus es nobis.* Quando factus est, qui numquam factus est? Dominus autem Jesus Christus factus est, ut esset homo; ut qui creator semper erat, creatura esset: manens Deus, factus est homo, ut fieret quod non erat, ut non periret quod erat. Factum ergo dicit propter susceptionem creaturæ. Idem super Johannem: Cum tradiderit regnum Deo & Patri, Deo creatori suo in quantum est homo, & Patri suo in quantum est Deus. Item Isaias: *Rorate cœli desuper, &c.* usque *Ego Dominus creavi eum.* Item AUGUSTINUS: Unxit te Deus Deus tuus: Ex Græco patet & ita intelligendum. O Deus Deus tuus, id est Creator tuus. Idem: Et præ eis sanctifico meipsum, id est ego me hominem sanctifico, in me Verbo quod est ab initio creationis suæ, quando Verbum caro factum est.

Colos. 2. 9. — Isa. 45. 8. — Joan. 1. 1.

Hæ omnes auctoritates manifeste declarant quod Christus sit factus, sive creatus, sive creatura: licet aliqua Scripturarum testimonia, si facie tenus inspecta, contrarietatem quamdam prætendant. AUGUSTINUS: Non est creatura per quem facta est omnis creatura. Item: *In principio erat Verbum*, non in principio fecit Verbum quomodo cœlum & terra. Ecce quia non est creatura. Item in primo libro de Trinitate: *Omnia per ipsum facta sunt.* Liquido apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia: & si factus non est, creatura non est, &c. Idem: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Nomen ejus non debet in vanum accipi, ut putemus eum factum, per quem omnia facta sunt. Item, Ambrosius in primo libro de Trinitate: Probemus, inquit, creatum esse Dei filium. Ubi sunt qui creaturam Christum appellant? Nam si creatus esset, subditus esset vanitati. Non ergo Christus creatura est, quia attestante Apostolo omnis creatura subjecta est vanitati. Item * Anastasius: Non factus, non creatus, sed genitus. Hanc autem contrarietatem quæ videtur, facile est solvere secundum regulam illam Augustini in libro de Trinitate. Quapropter, inquit, cognita ista regula intelligendarum Scripturarum de Filio Dei, ut intelligamus quid in eis sonet secundum formam Dei, in qua æqualis est Patri: & quid secundùm formam servi quam accepit, in qua minor est Patre, non conturbamur tamquam contrariis ac repugnantibus inter se sanctorum librorum sententiis. Nam secundum formam Dei æqualis est Patri & Filius & Spiritus-sanctus, quia neuter eorum est creatura; secundum autem formam servi minor est Patre: quia ipse dixit *Pater major me est.* Minor est seipso, quia *seipsum exinanivit*: minor Spiritu-sancto, quia ipse dixit: *In Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Et iterum, *Spiritus Domini*, inquit, *super me.* Secundum formam Dei omnia per ipsum facta sunt, secundum formam servi ipse factus est ex muliere factus sub lege, &c. Hanc itaque tamquam utilem regulam sequentes dicimus, quia omnes auctoritates quibus affirmatur Christum creatum sive creaturam esse ad humanitatem ejus referendæ sunt: quibuscumque vero hujusmodi aliquid negatur, ad divinitatem ipsius referri non dubitetur. Unde ipse Augustinus in eodem: Quid vero de ipso propter quid, & quid secundum quid dicatur, adjuvante Domino, prudens & diligens & pius lector intelligat. Hinc etiam Gregorius *Surrexit, non est hic.* Non est hic, inquit, per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deest per præsentiam majestatis. Ecce & ibi erat secundum divinitatem, & ibi non erat secundum humanitatem. Si quis ergo hanc regulam diligenter inspiciat, videbit in talibus nullam esse contrarietatem sive contradictionem. Maxime autem & auctoritates & rationes quibus probant sancti auctores sive doctores, Christum sive Dei Filium non esse creaturam contra Arrianos facerent, qui dicunt Christum Filium Dei esse adoptivum, non genitum, sed factum & creatum. Magister HUGO DE S. VICTORE istam reddit rationem quare Christus non sit creatura: Hoc est, inquit, creaturam esse aliquid de nihilo esse, hoc est esse aliquid ex nihilo fuisse. non

Ibid. 3. — Exod. 20. 7. — * I. Athanasius. — Contraria de Christo scripturæ loca quomodo debeant côciliari. — Joan. 14. 28. — Matth. 12. 28. — Luc. 4. 18. — Marc. 16. 6.

» autem omnis qui aliquid incipit esse non in-» cipit, quia incipit esse aliquid. Sicut qui ali-» quid esse desinit, non ideo desinit, quia ali-» quid esse desinit. Non ita aliquid esse desinit » ut nihil sit, sed solum ut id quod esse desi-» nit, jam non sit. Sicut non semper, qui ali-» quid esse incipit, quasi esse incipiat, ut ali-» quid sit, sed ut aliquid quod prius non fuit » esse incipiat ut jam sit. Ita Christus quando » esse incepit, nec tamen aliquid ita esse ince-» pit quasi prius aliquid non fuisset: quia prius-» quam hoc fuit quod aliquando esse incepit, » fuit aliquid quod semper fuit, & numquam » cœpit. Et circa finem capituli subdit: Pau-» lus, inquit Ambrosius in libro de Trinitate, » prohibet me creaturæ servire, & Christo am-» monet serviendum. Non enim Christus fuit » creatura. Et post pauca: Vide ergo quomodo » Christum & factum & creatum, secundum » aliquid affirmat, quem tamen creaturam esse » negat. In hoc capitulo venerabilis ille magister testatur quod Christus in tempore esse cœpit aliquid quod prius non fuit, & quod Christus sit factus & creatus. Aliam autem ab ea quam præmisimus assignat rationem, quare Christus non sit dicendus creatura. Sed quia idem ipse Ambrosius cujus auctoritate nititur, sicut supra in proximo ostensum est, alibi asserit Christum creatum esse, & Augustinus & alii quilibet sancti doctores in hac assertione conveniunt: prior illa solutio secundum regulam Augustini præferenda videtur.

Sed adhuc objicitur: Si Christus est aliquid creatum, ergo est aliquid posterius & minus Patre, quod est contra illud In Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus. Item, si Christus est aliquid creatum, est aliquid differens à Patre. In Trinitate autem nulla est differentia, nulla diversitas, sed convenientia & prima unitas. Similiter Christus est alicujus naturæ creatæ. Ergo est posterioris & minoris naturæ quam Pater. Item, est alicujus naturæ creatæ: ergo est alterius naturæ quàm Pater. Vel sic, Natura Filii est creata, quod non Patris: ergo natura Filii est differens à natura Patris. Hæc omnia ergo & hujusmodi facile solvuntur secundùm prædictam regulam Augustini; Quia enim Christus geminæ naturæ est, refert quid de Deo & secundùm quid dicatur. Item Ambrosius: Si Christus fuit aliquid personaliter unitum, mortuo Christo illud fuit, aut non. Si Christo mortuo fuit, cùm illud non esset nisi quoddam totum anima & carne compositum, illud totum sive compositum tunc fuit. Quod si illud unicum tunc non fuit per fruitionem Dei & personalem unionem, quam habuerat, amisit. Hæc autem bona sine peccato mereri non potuit: Ergo aut illud unitum peccavit, aut Deus injuste tali & tanto bono ipsum privavit. Possem hic dicere quod illud totum mirabiliter fuit in partibus separatis, sicut etiam localiter separatis singulis hominibus, nihilominus est unus populus; & disgregatis singulis capitibus, A nihilominus est unus grex; sicut & panis incisus non perit, sed in partibus suis existit; Vino etiam in diversis vasis transfuso, in diversa manet illud vinum quod prius. Quid autem mirum si Christus divulsis partibus hominis, totus homo erat, quandoquidem & mortuus vivebat, & in morte, sicut ante, perfectus Deus & perfectus homo erat. Verisimilius est tamen quod secundum integritatem & totalitatem suam ad tempus esse desiit, sed in meliori statu tertia die resurrexit. Et hoc eadem justitia qua secundum bona merita nihilominus sancti, resoluti corporum & animarum vinculis, per multa etiam temporum curricula à gloria resurrectionis differuntur. B quod autem totum aliquod ad tempus esse desierit videtur, Anastasius de Christo sensisse. Qui ait, maledictus qui totum hominem quem assumsit Dei Filius denuo assumtum quod in morte fuit depositus, vel assumtum ideo dicit in resurrectione: tunc enim quem assumserat in personam assumsit in gloriam: unde est illud pro assumtione matutina, id est pro resurrectione mane facta. Legitur etiam super illud in Evangelio Johannis *Ego pono animam*, &c. illud Augustini. Verbum ex quo suscepit hominem, id est car- « nem & animam, numquam deposuit animam, « C ut esset anima à Verbo separata, sed caro « animam posuit quando expiravit, qua redeun- « te surrexit. Mors itaque ad tempus carnem « & animam separavit, sed neutrum à Verbo « Dei. Ideo forte cum dixisset suscepit homi- « nem, ita exposuit, id est carnem & animam, « sed separavit neutrum à Verbo Dei. Ideo forte cum dixisset suscepit hominem, statim subjecit, id est carnem & animam, ne hoc quod sequitur, scilicet numquam deposuit, de composito ex carne & anima intelligeretur: quod in triduo illo non fuit, nisi tropicè dicatur fuisse in partibus, quia partes ejus etsi ab invicem separatæ, in terra tamen fuerunt. D Quid autem in talibus propriè, quid etiam tropicè dici possit aut debeat, prudens & diligens lector intelligat. Potest etiam simplicius intelligi. Suscepit hominem, id est carnem & animam, ut hac expositione diversæ hæreses percellantur. Quidam enim dixerunt Deum tantum humanam animam accepisse: alii vero tantum humanam carnem; sed proculdubio, qui totum hominem fecit, ut totum reficeret, totum suscepit. Ideo cum dixisset Verbum suscepit hominem, ne quis nomine hominis audito, partem tantum hominis acciperet, addit: id est carnem & animam, E non carnem sine anima, nec animam sine carne: quia sicut ait Augustinus, factus « est pro nobis verus homo & plenus; in eo « verus; quia veram habet humanam naturam; « in eo vero plenus, quia carnem humanam « suscepit & rationalem animam. Relinquitur « ergo firmum illud etiam indissolubile Christum ex tempore factum & creatum esse, unde & legitur quod Christus sive homo ille non semper fuerit.

Auctoritates quibus probatur quod Christus non fuit semper.

» Super illum psalmum *Exaudiat te Deus*, » legitur auctoritas illa: Dum ait lætabimur, » magnificabimur, ostendit Propheta se unum » de ecclesia tanto tempore anteChristum.Item AUGUSTINUS & alii sancti Doctores unanimiter docent quod quædam membra caput,id est Christum præcesserunt, quædam secuta sunt, juxta illud: *Et qui præibant & qui sequebantur clamabant: Osanna filio David.* Si antiqui justi tempore Christum præcesserunt, ante Christum fuerunt: Item AUGUSTINUS super Johannem: habuit aliquando Dei Filius » humanæ. Idem ipse hominis Filius nondum » erat homo, non semper fuit hominis Filius, & » postea cœpit habere quod habuit Dei Filius, » sed ex quo fuit, totum habuit quod Dei Filius: non semper habuit hominis filius quod » fuit Dei filius. Idem: Sic nos electi quomodo » ille clarificatus, quia priusquam mundus esset » nec nos eramus, nec ipse mediator Dei & » hominum homo Christus Jesus. Item HAIMO: Pater & Filius & Spiritus-sanctus unus » est Deus & Rex omnium sæculorum, scilicet præteritorum, præsentium & futurorum. » Homo vero assumtus à verbo ex eo tempore » Rex est futurorum ex quo assumtus est à » Verbo. Nam præteritorum sæculorum non » fuit Rex homo ille quando erat. Item AUGUSTINUS: Christus naturaliter etsi forte homo est, recens est, tamen est æternus Deus: » si est homo recens, est homo qui non semper » fuit. Item AUGUSTINUS: Ex quo homo esse » cœpit, ex illo est Deus. Idem: Creavit Virginem creandus ex Virgine. Si creavit, erat; » si creandus, nondum erat. Idem: Ita ab initio fidei suæ homo quicumque gratia fit » Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus. Homo ille non ab initio temporis, non ab initio mundi, sed ab initio suo, » hominis scilicet, factus est Christus. Ergo homo ille habuit initium terræ. quare homo ille non semper fuit.

Marc. 11. 9.

Auctoritates quæ videntur contrariæ.

» AUGUSTINUS super Johannem: Quomodo de mundo per quem factus est mundus, » Deus de mundo post mundum facti sunt » quia prius mundus, & sic homo de mundo, » prius autem Christus, deinde mundus, quoniam ante mundum Christus, ante Christum » nihil, quia in principio erat Verbum. Item » ISIDORUS: Pauliani à Paulo Samosateno exorti » sunt, qui dicunt non semper fuisse Christum, » si à Maria sumsisset exordium. Alibi etiam » legitur: Puer ille creavit stellas. Et ipse Christus: *Ego principium qui loquor vobis.*

Joan. 8. 25.

Solutiones.

Harum contrarietatum similis est solutio

A præcedentium secundùm Regulam S. Augustini, ut auctoritates quæ dicunt Christum sive hominem illum non semper fuisse ad personam illam secundùm humanitatem referantur: illæ vero quæ dicunt semper fuisse de eadem persona secundùm divinitatem accipiantur. Poteftque dici quod aliquando hoc nomen Christus sive per hunc sermonem homo ille significatur persona, aliquando substantia sive natura ipsius personæ. Quando ergo dicitur Christus sive homo ille non semper fuit, substantia illa sive natura subponitur. quando vero dicitur Christus sive homo ille semper fuit, non natura humana vel divina sed persona subditur. Ad explanationem etiam horum verborum Deus est homo

B & homo est Deus, Deus est Deus & homo, homo est homo & Deus: Deus factus est homo, & homo factus est Deus, hujusmodi consideratio non erit inutilis, utrumque enim illorum nominum Deus & homo aliquando personam, aliquando naturam sive substantiam significat. Cùm ergo dicitur Deus est homo, hoc dicitur quod persona divina est substantia humana: è converso cùm dicitur homo est Deus, hoc dicitur quia substantia humana est persona divina. Cùm verò dicitur Deus est Deus & homo, uni personæ duæ naturæ attribuuntur. Similiter cum dicitur homo est homo & Deus, eidem per-

C sonæ eædem duæ naturæ attribuuntur. Item, cùm dicitur Deus factus est homo, hoc dicitur quod persona divina facta est substantia humana. Cùm verò dicitur homo factus est Deus, hoc dicitur quod substantia humana facta sit persona divina. Non tamen nego frequenter his locutionibus unionem sive habitum, sive assumtionem figuratè significari. Nunc verò sequestrata paulisper hujusmodi figura, proprios liceat distinguere intellectus: quando enim factus est homo aut substantia sive natura divina facta est substantia sive humana natura; aut persona divina facta est persona quæ ipsa prius non fuerat; aut

D natura sive substantia divina facta est persona humana quæ non semper fuerat, aut persona divina facta est natura sive substantia humana. Similiter quando homo factus est Deus, aut quædam persona humana facta est persona divina; aut natura sive substantia humana facta est substantia divina, aut natura sive substantia humana facta est persona divina. Cùm ergo impossibile sit utramque istarum naturarum sive alteram factam esse aliam. hoc enim fieri non posset sine conversione vel confusione substantiæ

E quod esset contra illud ATHANASII: Unus « autem non conversione divinitatis in carnem, « sed assumtione humanitatis in Deo; unus om- « nino non confusione substantiæ, sed unitate « personæ. Cùm etiam impossibile sit perso- « nam divinam & personam humanam vel alteram earum esse aliam. hoc enim nullatenus fieri posset, nisi permixtione quadam utraque in alteram transiret, & altera pars esse

esse desineret. Cùm etiam hæc impossibilia sint quòd natura divina in Christo facta sit aliqua persona, & quòd illa persona facta sit natura divina. hoc autem fieri non posset quin Christus unus & alius esset contra illud ATHANASII: Cùm sit Deus & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Cùm hæc, inquam, omnia impossibilia sint, hæc duo veræ & catholicæ fidei relinquuntur, quod persona divina facta est natura humana, sive substantia humana facta est persona divina, & sic una persona est duæ substantiæ, & duæ substantiæ sunt una persona: alioquin nec Deus factus est homo & homo Deus, nec unus Christus est Deus & homo: quod vero in hac disputatione naturam & substantiam indifferenter accipimus, quemquam movere non debet. BOETIUS enim contra Eutychen & Nestorium naturam quadrupliciter describit. Prima descriptio sic assignatur: Natura est earum rerum, quæ cùm sint, quoquo modo intellectu capi possunt, hanc ait omnes res includere quæ sunt. Secunda sic: Natura est vel quod facere vel quod pati possit. Habes, inquit, diffinitionem ejus significationis naturæ qua tantum substantiis copulatur. Qua in re substantiæ quoque reddita est diffinitio. Nam si nomen naturæ substantiam monstrat, cùm naturam descripsimus, substantiæ quoque est assignata. Descriptio tertia proponitur hoc modo: Natura est motus principium secundùm se, non per accidens. Hic vero, ut ipse ait, naturæ nomen relictis incorporeis substantiis ad corporales usque contrahitur, ut corporeæ tantum substantiæ naturam habere videantur. Quarta etiam subditur: Natura est unamquamque rem informans specifica differentia. Cum tot modis dicatur & diffiniatur natura, tam catholici quàm Nestorius secundùm ultimam diffinitionem duas in Christo naturas esse constituerunt. Neque enim easdem dicunt in Deum atque in hominem differentias convenire. Ecce, teste Boëtio, aliquando nomine naturæ intelligitur substantia. AUGUSTINUS super illum locum psalmi: *Infixus sum in limo profundi & non est substantia.* Substantia intelligitur id quod sumus à Deo: naturæ ipsæ substantiæ dicuntur, ut homo, pecus, terra, cœlum, & hujusmodi omnia: unde & in libro de Trinitate, Formam, id est naturam humanam, dicit esse personam Filii: Forma, inquit, illa suscepti hominis Filii persona est, non etiam Patris. Quapropter Pater invisibilis una cum Filio secum invisibili, eumdem Filium visibilem faciendo, eum misisse dictus est. Ecce formam sine dubio ita accepit, ac si diceret naturam: unde idem in libro de Fide ad Petrum: Cùm de Christo audis quia in forma Dei erat, oportet te agnoscere firmissimeque tenere in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei erat, de quo natus erat. Idem, non aliud fuit illa Dei summi

Naturæ descriptio quadruplex

Ps. 68. 3.

exinanitio, nisi formæ servilis; id est naturæ humanæ susceptio. Utraque ergo in Christo est forma, quia utraque natura & plena est in Christo substantia divina & humana. Et hic pro eodem accepit formam & naturam sive substantiam. HILARIUS quoque in libro de Trinitate ait: Vere in forma non alia intelligentia est quàm in Dei munere natura. Quod autem Christus sit divina natura, nemo catholicus negat. Quod autem sit natura humana, præmissis & aliis auctoritatibus multis comprobatur. quare Christus est duæ naturæ, quia est duæ substantiæ, & est duarum naturarum, quia duas habet secundùm Boëtium specificas sive substantiales differentias, divinitatem & humanitatem; & quæ secundùm naturam semper à se invicem longe differunt, & contra naturam in unitatem personæ inseparabiliter conveniunt. Utrum autem propriè vel improprie Boëtius specificas differentias dixerit supra diximus. Illud etiam quod ait Boëtius, neque easdem in Deum & hominem differentias convenire, si utroque nomine Dei scilicet & hominis persona significetur, stare non potest. Omnia enim quæ conveniunt Christo, conveniunt personæ Dei & hominis. Una enim & eadem est persona Dei & hominis, quæ à seipsa non differt: sed his nominibus duæ substantiæ hic significantur, quibus eædem differentiæ non conveniunt. Alii vero, sicut jam diximus, & iterare non piget, utrumque nomen personam non naturam significat, ut cùm dicitur Deus passus est & similia, nihil de divinitate dicitur, sed de divina persona. Et cùm dicitur homo seipsum suscitavit & similia, nihil humanitati attribuitur, sed personæ hominis, scilicet Christi, quæ non est alia persona quàm Dei: una est enim persona Dei & hominis, licet una & alia natura. Si qui mirantur quod duplicem hujusmodi significationem in his nominibus habere contendimus, quid in his dicent: Deus genuit, Deus genitus est, Deus procedit, sive processit? Nonne in singulis de persona servi est? Nonne de substantia? Sed tamen hæ tres proprietates his tribus verbis personis tantùm attribuuntur, ut quidam ex illa auctoritate JOHANNIS DAMASCENI conjiciunt: non differunt ab invicem hypostases secundùm caracteristica idiomata, id est determinativas proprietates. Caracteristica vero, id est determinativa sunt, id est hypostases determinant. Hic tamen non dicitur quia hæ proprietates divinæ naturæ non conveniant, sed hoc potius quod non naturam à seipsa, sed personas ab invicem distinguant, hanc autem quæstionem utrum una substantia sive natura genuit & genita sit & procedat, perplexam non credit quisquis existimat quod non unus & idem Deus genuit & genitus est & procedit: vel qui è contrario sentit quod una res & eadem & gignens est in Patre, & genita in Filio, & procedens in Spiritu-sancto.

Sed de his aliàs disputabitur, nunc ad propositum revertamur. Quid etiam de eis dicent, Deus est unus, Deus est trinus, Deus est trinitas, Deus est Pater & Filius & Spiritus-sanctus? Nonne de substantia sermo est? Nonne de personis sive persona? Audiant etiam unde magis mirari possunt. AUGUSTINUS in expositione symboli ait: » Si quis dixerit atque crediderit hominem Jesum-Christum à filio Dei assumtum non fuisse, anathema sit. Hic sine dubio homo Jesus-Christus non pro persona accipitur, sed pro substantia. Alibi verò personam potius significat, ut cùm dicitur Homo Jesus æqualis est Deo & coæternus Patri, & creavit omnia, & similia. Hæc de persona quam assumsit, non de natura vel substantia quæ assumta est intelligenda fore nemini sapientum ambigere licet.

Opiniones hæreticorum.

Non timent condiscipuli mei, sed timeo ego ne anathema istud involvat. Si quis dixerit atque crediderit, &c. quia non dicunt nec credunt aliquem hominem à Filio Dei assumtum fuisse. Hanc verò distinctionem geminæ significationis sive acceptionis utriusque horum nominum Deus & homo, hæreticos omnes aut omnino latuisse aut in erroris sui periculo subterfugisse non dubito, qui vel duas personas vel unam solam substantiam sive naturam Christum esse dogmatizaverunt; ut Nestorius, qui Christum confitens Deum esse & hominem, his duobus nominibus duas in Christo personas intelligendas esse putavit. Eutyches verò Deum factum hominem confitens, in una persona manere duas naturas non credidit, id falso arbitratus, quod si in Christo essent duæ rationales naturæ, duæ necessario essent personæ: quorum miseram stultitiam, stultum & miserum est tot greges scholarium, his temporibus, in hac tanta luce & gloria christianæ fidei, sive magistrorum amore, sive qualibet alia causa blandiente, pertinaciter imitari. Me vero non metuo vel ingratitudinis vel levitatis damnari, si quæ junior accepi vel tradidi, nunc tamen senior & sanior graviori & saniori judicio immutaverim. Non est hoc culpa levitatis, nisi leves judicandi sunt omnes peccatores qui vel serò pœnitent: non ingratitudinis, nisi hæc gratia debeatur magistris, ut eorum sequamur errores: cum unus sit magister noster qui in cœlis est, contra quem quicquam sentire vel cuiquam consentire non licet.

Auctor junior docuerat quæ his impugnat.

Conclusio ex præmissis quæ in exordio præposita sunt.

Quoniam itaque quæ in exordio proposuimus, prout capiebant brevitas operis & parvitas opificis, auctoritatibus & rationibus roborata sunt, sanctos patres & institutos fidei sequens audeo dicere, credere & confiteri A quòd Christus est aliquis homo & utique sanctissimus & beatissimus hominum; & quòd Christus secundùm humanitatem est aliquid, & utique verus homo, animalis verum corpus, natura, substantia, unum totum. Et quod ipse secundùm alteram naturam increatus & creator; secundùm alteram & creatus & creatura. Non tantum dico simpliciter Filius Dei est creatura, vel etiam Christus est creatura, sed hoc addito secundùm humanitatem, sicut ait Apostolus: *Qui factus est ex semine David secundùm carnem:* unde AUGUSTINUS: « Hoc dicit Apostolus ne putetur homo tantum. Dicendo namque eum factum « secundùm carnem, innuit esse alteram na- « B turam secundùm quam est infactus, scilicet « divinam. Ubi occurritur impietati hæretico- « rum, qui obtuso corde hoc capitulum intelligentes, Christum tantum hominem esse accipiunt, divinitatem verò in eo non intelligunt. Addendo enim secundum carnem, servando divinitati suam dignitatem, qua Christus Verbum Dei Patris est, per quod facta sunt omnia. Non enim est factus secundum id quod Verbum Dei est. Ideoque Apostolus cum factum diceret Christum, addidit secundùm carnem, ut secundùm Verbum quod est Filius Dei non factum à Deo, sed natum esse monstraret.

Rom. 1, 3.

C *Cum de Christo agitur, distinguendum est quid de eo & secundùm quid dicatur.*


Quotiens autem verba sanctorum vel ipsius Domini hujusmodi determinationes non habent, ut est illud *Pater major me est. Spiritus Domini super me. Ab initio & ante sæcula creata sum. Ego Deus creavi eum. Minuisti eum paulo minus ab angelis*, & similia: tunc recurrendum est ad præmissam Augustini auctoritatem, qua monemur distinguere cum de Christo agitur, quid de eo & secundum quid dicatur. Ut ergo sicut à principio, ita & in fine hujus Eulogii quod de pauperie mea gratiæ vestræ destinavi. Licet sim novissimus in D ecclesia, totius Ecclesiæ principem sed patrem; judicem sed pastorem alloquor. Hoc est desiderium meum, hæc est petitio mea, ut sicut Romani Pontificatus apicem decet, generali decreto & in perpetuum valituro sublimitas vestra præcipiat omnes nos in unum de homine assumto certa sapere. Et hoc amplius de assumtione hominis quam de assumtione vestis sentire: quod Deus qui assumsit, est homo qui assumtus est, sicut Deus qui creavit est homo qui creatus est, Deus qui suscitavit est homo qui suscitatus est, & clarificavit & clarificatus est. Eadem etiam auE ctoritate vestra, quam nulli hominum contemnere licet omnes inviolabilis præcepti necessitatem sive spontanei, sive inviti suscipiamus, ut simul & similiter confiteamur & contra Eutychem unam personam Christi duas esse substantias, & contra Nestorium duas

Joan. 14, 28. Luc. 4, 18. Eccli. 24, 14. Isa. 45, 8. Ps. 8, 6.

ſubſtantias unam perſonam, & contra Appellem & Manichæum Deum non in fantaſia hominem apparuiſſe, ſed verè & eſſentialiter hominem extitiſſe; & contra Appollinarem non ſolum corpus, ſed corpus & animam ſimul aſſumſiſſe, in quibus & ex quibus perfectus homo dignoſcitur; & contra Aligios Chriſtum non modo hominem eſſe, ſed hominem qui ex tempore cœpit, & Verbum quod erat in principio; & contra Paulinos Chriſtum Dei Filium ſemper fuiſſe, non à Maria ſumſiſſe initium, quia idem ipſe & A ſecundum divinitatem creator fuit ante creandam Virginem. Hæc & his conſentanea quælibet catholica ſunt; & niſi credantur in eccleſia, non moneri tantum, ſed juberi etiam poſſunt. Credere namque neceſſe eſt quæ niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Hæc concluſio eſt inſerta petitioni, ex qua ſcribentis intentio plenius quàm procemio declaratur. Explicit feliciter.







DISPUTATIO INTER CATHOLICUM ET PATERINUM HÆRETICUM.

Ex duobus mss. uno Bibliothecæ RR. PP. Prædicatorum Claromontensium, altero Colbertino.

OBSERVATIO PRÆVIA.



E origine Paterinorum, qui & Publicani & Cathari dicti sunt, deque multiplici eorum heresi pluribus differere supervacaneum est. Norunt enim viri eruditi omnes, eos sæculo XII. *mediante exortos, priscos Manichæorum aliorumque hæreticorum errores suscitasse. Hos vero, ut primum perversa dogmata disseminare cœperunt, apostolico gladio confodere tentavit Alexander Papa III. in Concilio Lateranensi* III. *cap.* 27. *edito hoc decreto*: Quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis & aliis locis, ita hæreticorum, quos alii Catharos, alii Paterinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos: eos & defensores eorum & receptores, anathemati decernimus subjacere: & sub anathemate prohibemus, nequis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, non sub nostrorum privilegiorum cuilibet indultorum obtentu, nec sub aliacumque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter christianos recipiant sepulturam. *Apostolico gladio imperialem conjunxit Fredericus II. Imperator, editis adversus hæreticos constitutionibus, quarum secunda Paterinos respicit*, quos à finibus Italiæ præsertimque à partibus Lombardiæ, in quibus ipsorum nequitiam latius abundare *certo sciebat*, jam usque ad regnum Siciliæ, suæ perfidiæ rivulos derivasse *conqueritur. Hos tamquam læsæ majestatis reos puniri, ac morti addictos, vivos in conspectu omnium comburi imperat. Non defuerunt etiam doctores catholici, qui gladium Spiritus, hoc est verbi Dei, adversus eos exeruerunt, quorum opera habes in Patrum Bibliotheca Lugdunensi. His accensendus sequentis disputationis auctor, cujus lucubrationem invenimus in veteri codice RR. PP. Prædicatorum Claromontensium, ante* 400 *annos exarato & in ms. Colbertino cujus ope supplevimus nonnulla quæ in priori codice, uno aut altero folio truncato, desiderantur.*

INCIPIT DISPUTATIO CATHOLICI CONTRA HÆRETICOS super articulis fidei & aliis capitulis quæ inferius subscribuntur.

VERGENTE mundo ad occiduum, & instantibus periculosis temporibus, quibus multi à fide discedentes, confixerunt sibi perditionis sectas, congregantes sibi discipulos prurientes auribus, unusquisque fidelis, prout divisit sibi mensuram fidei, in illos debet surgere hæreticos, qui Paterini vocantur, & non in uno solo articulo errant, sed etiam in omnibus. Dicunt enim Christum phantasma fuisse, non hominem; & sic non verè baptizatum, nec verè tentatum, nec passum, nec sepultum, nec resurrexisse, nec in cœlum ascendisse credunt. De personarum Trinitate malè sentiunt, dicentes quod tres personæ post judicium erunt una persona tantùm; non attendentes illud Jacobi *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Duos etiam creatores ponunt, duo æterna principia, duos Deos constituunt; unum visibilium, & alium invisibilium. Quid plura? In omnibus fidem corrumpunt. Ego autem, ut jam non dicam me murum pro domo Dei, sed super muros Jerusalem, id est auctoritates evangelicas & apostolicas ascendens, hos quos in sequentibus videbitis lapides vivos contra jam dictos hæreticos projiciam: qui autem fortiores me sunt, cominus illos potentioribus armis expugnent. Non enim putavi me coram superni regis præsentia excusandum, si hostibus suis, saltem prout potero, non resistam.

INCIPIT ARGUMENTUM.

Ut Paterinis per hoc opusculum via luceat resistendi, opponentium & respondentium more, hinc hæreticum, inde catholicum introducimus disputantes.

INCIPIUNT CAPITULA LIBELLI SEQUENTIS.

1. *De creatione visibilium, quam Paterinus à diabolo, Catholicus à Deo esse dicit, & de unitate Dei, quia Paterinus dicit duos Deos esse, duoque principia realiter.*
2. *De matrimonio.*
3. *De Patribus veteris testamenti, & scripturis eorum.*
4. *De spiritibus hominum, quos Paterinus, id est hæreticus, dicit esse dæmones, fidelis contradicit.*
5. *De corpore Christi, quod Paterinus dicit esse phantasticum.*
6. *De Johanne-Baptista.*
7. *De baptismo aquæ, & baptismo puerorum.*
8. *De sacramento Eucharistiæ.*
9. *De oratione pro defunctis, quam Ecclesia facit, Paterinus damnat.*
10. *De carnis resurrectione.*
11. *De juramento.*
12. *De pœnis quas Paterinus penitus in hoc mundo fieri prohibet, cùm mater Ecclesia regibus materialem gladium concedat.*
13. *De excommunicatione, quam Paterinus dicit fieri non debere.*
14. *De distinctione ciborum, quam facit Paterinus.*
15. *De blasphemia crucis, quam facit Paterinus, sed Ecclesia veneratur.*
16. *De miraculis & signis invisibilibus quæ Paterinus à diabolo dicit esse.*
17. *De blasphemia Ecclesiæ.*

CAPITULUM I.

De creatione visibilium.

EXsurge Deus, & judica causam tuam. In evangelio Johannis dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Et infra: *Mundus per ipsum factus est, & sui eum non cognoverunt.* Et Paulus ad Ephesios 3. *Qui omnia creavit.* In eodem cap. 2. *Ipsius factura sumus creati in* JESU-CHRISTO. Ad Hebræos cap. 3. *Qui omnia creavit Deus est.* Ad Romanos cap. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Iterum in eodem, *Et ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ad Timotheum cap. 4. *Prohibentium nubere, & abstinere à cibis quæ Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Apocalypsis c. 11. *Juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum & omnia quæ in eo sunt, & terram & omnia quæ in ea sunt, & mare & omnia quæ in eo sunt.* In Actibus cap. 4. *Domine, tu qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Et cap. 17. *Deus qui fecit hunc mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat.* Sic ergo auctoritatibus his patet quod solus Deus omnium creator est.

RESPONDET PATERINUS.

Deum creasse omnia concedo. Intellige bona; sed mala, & vana, & transitoria, & visibilia ipse non fecit; sed minor creator, scilicet Lucifer; & ideo dicitur à Johanne: *Sine ipso factum est nihil,* id est transitoria, quæ nihil sunt. Quod autem dicitur *mundus per ipsum factus est,* ita intellige, id est mundæ animæ, scilicet nostræ; sed corruptibilia ista visibilia à minore creatore, id est à

diabolo facta sunt. Cœlum autem etiam creavit Deus, id est cœlestes animas nostras; & terram, id est terrenas animas credentium; mare, id est animas nostras, quæ aqua doctrinæ abundant; omnia quæ in eis sunt, id est fidem nostram totam, quæ in prædictis animabus est. Omnia hæc creavit Deus.

JAM DICTÆ RESPONSIONIS REPROBATIO.

Impiissime Manichæe, quomodo exponis *non receperunt sui eum?* quomodo sui erant, qui eum non receperunt? Non erant sui gratia, ergo creatione: cùm alius hic exponendi modus reperiri non possit. Quod autem omnia bona à Deo, & visibilia & transitoria à diabolo facta esse dicitis, audite Paulum in epistola ad Colossenses cap. 1. vobis contradicentem, ubi de Christo dicit, *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia.*

Item ad Hebræos cap. 1. *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Si vis intelligere sicut exposuisti, ut per terram animas credentium, per cœlum animas perfectas Paterinorum intelligas; audi quid sequitur *Ipsi peribunt.* Ergo Paterinorum animæ peribunt.

Item Petrus in cap. 3. epistola 2. *Cœli autem qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt.* Si de visibilibus cœlis intelligas, ergo Deus creavit visibilia; si de animabus Paterinorum, audi quid sequatur *Igni reservati in diem judicii & perditionis impiorum hominum.* Ergo animæ Paterinorum cum impiis igne peribunt.

Item 1. ad Corinthios cap. 11. *Sicut vir de muliere, ita vir per mulierem, omnia autem ex Deo.* Ergo ex Deo est & priorum hominum & sequentium nativitas, non ex diabolo, sicut vos mentimini. Si autem per virum Christum, per mulierem Ecclesiam intelligitis, jam mentitus esset Apostolus, quia ille vir, id est Christus, non est per mulierem, id est Ecclesiam, immo Ecclesia per illum, & ab illo esse debet.

OPPOSITIONES PATERINORUM QUOD DUO SUNT DII, ET QUOD DIABOLUS HUNC MUNDUM CREAVIT.

In evangelio Johannis cap. 8. *Vos ex Patre diabolo estis.* Ad Ephesios cap. 2. *Eramus natura filii iræ.* Ad Romanos cap. 9. *Vasa iræ apta in interitum.* In evangelio Johannis cap. 14. *Venit princeps mundi hujus.* Matthæi cap. 4. *Ostendit ei omnia regna mundi dicens: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Et in 1. epistola Johannis cap. ultimo, *mundus in maligno positus est.* Sic ergo diabolus est pater hominum, & ipsi sunt vasa ejus, & sic princeps mundi; ergo est Deus, & princeps mundi.

RESPONSIO CATHOLICI.

Bene concedo primas propositiones hujus argumentationis: scilicet quod ipse est pater, & princeps mundi, id est mundanorum hominum, & mundanarum delectationum; & ipsi sunt filii ejus, qui eum imitantur in malum. Ergo fecisti, dices: Ergo est creator & Deus. Zebedæus fuit pater Johannis & Jacobi, ergo fuit Deus & creator, quod falsum est.

Alia instantia est *Reges gentium dominantur eorum*, Ergo sunt creatores & dii eorum, quod falsum est. Quod autem diabolus Christo promisit omnia regna mundi, sicut solet, mentitus est, ignorans quod Regi regum loqueretur.

RESPONSIO PATERINI.

Dicit Apostolus 1. Corinthiorum cap. 4. *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Sic ergo hujus sæculi Deus est excæcator mentium, id est diabolus.

RESPONSIO CATHOLICI.

Sic intellige, Deus pater cœlestis excæcavit, id est excæcari permisit mentes infidelium hujus sæculi, sicut dicit Apostolus ad Romanos 9, *Deus cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, id est indurari permittit. Vel potest intelligi Deus hujus sæculi, id est sæcularium iniquitatum, scilicet diabolus, non Deus creatione, sed illectione, quia illicit homines ad iniquitatem, sicut dicit idem Apostolus ad Philippenses 3. *Quorum Deus venter est*, id est quos venter allicit. Sicut ergo Deus venter dicitur, non quia creavit, nec quia aliquos fecerit, sed tantum quia allicit, sic etiam diabolus Deus sæculi, id est sæcularium iniquitatum.

RESPONSIO PATERINI.

In evangelio Johannis 1. dicit *quod factum est, in ipso vita erat*; sed corpora moriuntur. ergo non sunt facta, ergo Christus etiam non fecit corpora.

RESPONSIO CATHOLICI.

Stulte, non dicitur, quod factum est ab ipso, sicut tu intelligis, vita erat; quia ab ipso facta est vita & mors. Ipse enim occidit & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Dicitur ergo ita, quod factum est in ipso, quia in ipso facta est prædicatio, nativitas, circumcisio, baptismus, jejunium, passio, crucifixio, resurrectio, & hoc totum quod factum est, in ipso vita erat, quia per passionem ejus vivimus, & cetera quæ superius narravimus. Quod autem bene exponamus patet etiam per hoc quod sequitur, *& vita erat lux ho-*

minum, quia nunc de alia vita, quàm de ipso dicit.

DE EODEM PATERINUS.

Nemo potest duobus Dominis servire. Hoc in Matthæo cap. 6. Siquidem ergo sunt dii multi & Domini multi; non ergo incompetenter dicimus duos Deos esse.

RESPONSIO CATHOLICI.

Non dicitur in Evangelio duobus diis, sed duobus Dominis. Et revera ipse diabolus Deus est nuncupativè, non verè, sicut ipsemet Apostolus ad Corinthios exponit eamdem auctoritatem, quam sic contra nos introduxisti; ubi subinfertur: *Nam etsi sint qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo, & unus Dominus* JESUS-CHRISTUS, *per quem omnia, & vos per ipsum.* Retorqueamus ergo & dicamus auctoritates Evangelii & Apostoli dicentis, quod dici potest Deus, sed non est: immo unus solus Deus Pater; & potest dici Dominus eorum qui sibi serviunt, sicut vos, sed non per eum, creatum est aliquid, immo unus solus Christus, per quem omnia.

OPPOSITIO PATERINI DE EODEM.

Quare in ordine baptismi dicitis *Abrenuncio satanæ*; & in evangelio dicitur, quod ejecit Dominus septem dæmonia de Maria Magdalena, nisi quia est diabolus in baptizandis, & in omnibus malis? Creavit ergo eos.

RESPONSIO CATHOLICI.

Verè diabolus in multis est, sicut in vobis, non tamen ut creator, sed ut fur & invasor, sicut dicit in evangelio Dominus: *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, &c.* quia alligavit eam, scilicet ut fur, & invasor, & latro; sed tamen non ipse pater, immo Abraham.

RESPONSIO PATERINI.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Et iterum, *universa vanitas, omnis homo vivens.* Et ad Corinthios cap. 12. *quæ videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna.* Cùm ergo ista quæ videntur sint vana, à Deo qui est æternus creata non sunt; & cùm sint mala, non à bono Deo sunt creata.

RESPONSIO CATHOLICI.

Nihil vanum, nihilque malum in eo quod creata sunt à Deo; immo omnia bona in eo quod creata sunt à Deo. Omnia bona in sui natura, sed vitio sunt depravata & corrupta. Item quæ est * instantia tuæ argumentationis, hæc est virgo, ergo non est de corrupta.

*al. justitia.

PATERINUS.

Johannes in passione: *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Ergo Christus non est rex hujus mundi.

CATHOLICUS.

Non dixit JESUS quod regnum suum non esset super hunc mundum, sed quod non erat ex mundo, id est à mundo; quia mundus illam potestatem illi non dedit. Ergo verè regnum ejus non est ex mundo, sed ex Patre. Terrenorum vero regnum ex mundo est, quia à mundo, id est ab hominibus illam habent potestatem.

OPPOSITIO CONTRA PATERINUM.

Ad Ephesios cap. 11. *In principio hujus rei gratia flecto genua ad patrem Domini nostri* JESU-CHRISTI, *ex quo omnia, &c.* Item ad Timotheum cap. 2. *Regi autem sæculorum.* Item ad Hebræos cap. 1. *Quem constituit universorum hæredem, per quem fecit & sæcula.* Item ad Hebræos cap. 16. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Item ad Romanos cap. 26. *Potestatem habet figulus ex eadem massa luti aliud vas fieri in contumeliam, aliud in honorem.* Vasa enim figuli, ut Scriptura testatur, probat fornax, & homines castos tentatio tribulationis. Item Judas cap. 1. *Solum Dominatorem & Dominum negantes*, id est Christum, de quibus superius dixerat quod erant impii. Sic ergo ambo sæcula creata sunt à Deo, non sicut dicitis unum à Deo, alterum à diabolo. Et unus est figulus, scilicet Deus, qui facit vasa in honorem, id est bonos; & vasa in contumeliam, id est malos; & qui negat solum Christum Dominum, impius est.

MANICHÆUS OPPONENS.

Homo natus est de peccato, ergo non de Deo.

RESPONDET CATHOLICUS.

De peccato non nascitur homo, sed in peccato concepti sumus: sicut margarita non est de luto, sed in luto. De peccato autem non nascitur aliqua substantia, sed mors, sicut dicit Jacobus: *peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem.*

PATERINUS.

Credere debemus quod lignum quod est in medio paradisi est vulva mulieris, de quo dictum est, *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas:* id est noli fornicari cum muliere; sed serpens, id est diabolus, primò comedit

de hoc ligno, quia fornicatus est cum Eva & ex illo coïtu natus est Caïn; Eva postea porrexit, & dedit viro suo, quia postea adulterata est cum Adam, & nati sunt inde Abel & Seth. *Videntes autem filii Dei*, id est dæmones, *filias hominum quod essent pulcræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.*

RESPONDET CATHOLICUS.

Sceleratissimi hæretici, ita coram simplicibus dogmatizatis, & de Genesi occasionem hujus doctrinæ assumitis; sed ex ipsa Genesi falsam esse expositionem vestram probabimus. Ibi enim dicit quod plantavit Deus ab initio paradisum voluptatis, sed mulier non ante sextam diem, & post hominem, quia de costa ejus. Ergo prius fuit facta paradisus, & primò fuit homo in ea quàm mulier plasmaretur. Sic ergo mulier non est paradisus, nec lignum in medio paradisi est vulva ejus, sicut dicitis. Item ibi dicitur quod ejectus est vir de paradiso, sed patet quod de muliere non est ejectus. Ergo mulier non est paradisus. Quod autem dicitis dæmones accepisse filias hominum, male exponitis; quia dæmones non habent virilia, non carnem; sed ita intelligitur. *Filii Dei*, id est illi qui descendunt de Seth, qui fuit bonus & pro Abel à Domino datus, *videntes filias hominum*, id est mulieres quæ descenderant de Caïn, qui fuit ex maligno per imitationem, & cetera quæ sequuntur.

CAPUT II.

De matrimonio quod Paterinus condemnat, & Catholicus approbat.

CATHOLICUS.

De vobis, qui matrimonium condemnatis, prophetavit Paulus ad Timotheum 1, cap. 6. *Spiritus autem manifestè dicit, quod in novissimis diebus quidam à fide recedentes, spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentes mendacium cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere & abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt.* Vere vos estis spiritus erroris, & dæmones prohibentes nubere. Vos etiam præcipitis abstinere à cibis quos Deus creavit, sicut carnibus, ovis, & caseo propter hypocrisim vestram, ut simplices vos laudent.

RESPONSIO PATERINI.

Nos matrimonium non condemnamus, sed adulterium. Matrimonium est inter Christum & Ecclesiam, sicut dicit Apostolus. *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Hoc matrimonium & tale nubere non condemnamus; sed vos qui non dimittitis aliquem ad prædicationem nostram venire; sed illud turpe negotium, quod homo facit cum muliere, quando ei carnaliter commiscetur, illud adulterium est quod nos prohibemus, & Dominus prohibet, dicens: *Non adulterabis.*

RESPONSIO CATHOLICI.

Caupones diaboli immiscent aquam vino. Vos enim estis ministri satanæ, vera falsis miscentes. Verum est quod matrimonium est inter Christum & Ecclesiam: Sed falsum est, quod inter virum & uxorem sit adulterium; & quamvis mendacium coloretis, dicentes quod turpe est officium, non tamen peccatum est, sicut nec superfluum pondus deponere peccatum est, quamvis turpe sit.

RESPONSIO PATERINI ET OPPOSITIO.

Hoc ait Apostolus ad Corinthios 1. cap. 21. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque mulier virum suum.* Et infra: *hæc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Volo autem omnes esse sicut meipsum.* Ergo fornicari est cum uxore, cum dicatur quod propter fornicationem debet haberi; & ideo subditur indulgentia quæ peccatis necessaria est, & contra voluntatem Apostoli, & ideo subdit, *Volo autem omnes sicut meipsum.*

CATHOLICUS.

Pravè omnia exponitis; quod enim dicitur: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*, non intelligitur propter fornicationem faciendam, sed propter evitandam; & simile est illud ad Romanos cap. 10. *Christus traditus est propter delicta nostra*, non facienda, sed destruenda. Quod autem dicitis indulgentiam non dari nisi pro delictis, verum est secundùm quod indulgentia accipitur pro venia; sed ibi accipitur pro permissione, quæ non datur delictis, sed minoribus bonis: minus enim bonum est matrimonium, quàm virginitas; sed tamen bonum est matrimonium. In eodem cap. 36. *Qui matrimonio jungit virginem bene facit, & qui non jungit melius facit.* Utrumque igitur bonum & Deo placens, sed virginitas magis placens; & propter hoc dicit, *Volo omnes homines esse sicut ego sum.* Item: *Uxori vir debitum reddat, & similiter uxor viro.* Ne autem de spiritali uxore intelligas, subdit: *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir.* Similiter dicitur de viro, quia neuter corpus suum alteri dare potest, nec etiam continere, *nisi*, sicut subditur, *ex consensu ad tempus, ut vacetis.* Impii Manichæi, vos materiam eis datis malignandi, qui propter aliquam occasiunculam dimittere volunt uxores: quibus dicitur in evangelio

evangelio Matthæi cap. 20. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, mœchabitur.* Et Apostolus circa superiora loca, his qui matrimonio juncti sunt, *præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* Quod autem virginitas non sit præceptum, probatur in his auctoritatibus Matthæi 21. *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum Dei, qui potest capere capiat.* quasi diceret: nemini dico vel præcipio, sed qui potest virgo esse, benefacit. Ad Corinthios 1. cap. 37. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et infra: *Qui alligatus fueris uxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti; & si virgo nupserit, non peccavit.*

MANICHÆUS.

Bonum est mulierem non tangere. Ergo malum est tangere.

CATHOLICUS.

Bonum est non bibere vinum. Ergo malum est bibere vinum.

MANICHÆUS.

Verum est quandoque.

CATHOLICUS.

Ita malum est quandoque tangere mulierem, quando modum excedimus.

MANICHÆUS.

Dicit Apostolus: *Qui habent uxores, sint tamquam non habentes.* Ergo non debemus cum ipsis concumbere.

CATHOLICUS.

Qui habent agros sint tamquam non possidentes. Ergo non debemus de fructibus agri comedere.

MANICHÆUS.

Qui non reliquerit uxorem & filios propter me, non est me dignus. Ergo separanda sunt matrimonia.

CATHOLICUS.

Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus. Ergo debemus animam odisse, & sic graviter vel mortaliter peccare. Igitur eodem modo relinquenda est uxor, & odienda anima. Uxor cum vult ad idololatriam vel hæresim, vel ad aliud maleficium trahere virum, relinquenda est ne ipsi consentiatur; & anima odienda est, cum trahit ad carnalia desideria, ne ei consentiatur. Sed sicut anima non propter hoc separatur à corpore, quia propter hoc nemo seipsum interficit: sic nec uxor propter supradicta, si velit resipiscere, relinquenda est, sicut dicitur ad Corinthios cap. 33. *Si quis frater infidelem habet mulierem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Et infra: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Quod autem non sit adulterium, sicut dicitis, ad secunda vota transire, probatur per Apostolum ad Romanos cap. 22. *Quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est legi viri.* Ergo vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est lege viri mulier; ita ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Item ad Corinthios cap. 27. *Mulier alligata lege viri quanto tempore vixerit vir ejus. quod si dormierit vir ejus, soluta est à lege viri, nubat in Domino cui vult*, id est Christiano, qui in Domino vivat. Est etiam nobiscum Dominus, qui dixit ad Samaritanam: *quinque viros habuisti, quem autem habes non est tuus vir.* Qui sextum non damnavit, procul dubio, nec quintum damnaret, si primum conjugium & prima proles esset permissa. Ideo septem viros non damnavit, sed in resurrectione sicut angelos Dei futuros dixit.

PATERINUS.

Audite Johannem Chrysostomum damnantem secundum matrimonium, & dicentem secundam quandoque uxorem accipere secundùm consilium Apostoli, est secundùm veritatis rationem fornicatorem fieri, sed si secundùm permittentem Deum publicè & licenter committatur, honesta est fornicatio

CATHOLICUS.

Quod dicit Johannes Chrysostomus, ita exponitur, honesta fornicatio est, id est honesta delectatio. Jam ergo quiescite, nolite matrimonia condemnare, jejunantes & honesti. Sodomiticum vitium prius eligitis, vel masculorum concubitus; & si adhuc alias auctoritates requiritis, inferiora considerate. Ad Ephesios cap. 25. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam.* Et idem, *vir qui diligit uxorem suam, seipsum diligit: nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit & fovet eam.* Ad Timotheum cap. 8. *Adolescentiores viduas devita.* Et infra: *Volo autem juniores nubere, filios procreare, matres esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro, &c.* Ad Hebræos cap. 16. *Fide Sara sterilis virtutem conceptionis seminis accepit, etiam præter tempus ætatis.* Quod autem prægnantes non damnentur, sicut mussitatis, quia irremediabiliter damnantur, si moriantur ante partum

vel in partu, improbamus illa ratione: quia in partu est pœna, non culpa, ficut dicit Dominus, quia tristitiam habet. Ergo si in conceptione etiam mortaliter excesserit, si isto dolore patienter utatur, & illud pro pœna sceleris humiliter confiteatur se pati, citius salvatur. Idem auctoritatibus probamus inferioribus. Angelus in evangelio Lucæ c. 1. de Johanne Baptista. *Spiritu sancto replebitur in utero matris suæ.* In eodem capite: *Repleta est Spiritu-sancto Elisabeth, quia exultavit infans in utero ejus.* Ad Timotheum cap. 3. *Mulier seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem.*

CAPUT III.

De Patribus veteris testamenti & scripturis eorum quas Paterinus condemnat.

CATHOLICUS.

SANCTISSIMOS Patres veteris testamenti testes Dei condemnatis, quia cujus causam non diligitis, ejus testimonia reprobatis, non attendentes quantas ab ipso Domino & ejus apostolis laudes percipiant, sicut in inferioribus continetur. Matthæi c. 33. *Iota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Idem in capite 70. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regnum.* Idem c.74. *Diliges Dominum Deum tuum & proximum sicut teipsum: in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Ergo in bono tantum pendent. Idem cap. 40. *Ecce ego mitto ad vos prophetas.* Et infra, usque ibi *à sanguine Abel justi.* Marcus cap. 70. *Bene irritum fecisti mandatum Dei propter traditiones vestras. Moïses enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam.* Ergo quod dictum est Moïsi, est mandatum Dei, à quo legem accepit, non à diabolo, sicut dicunt Paterini. Item cap. 24. *Ipse David dixit in Spiritu-sancto: Dixit Dominus Domino meo, &c.* Et ita ipse David dixit eum Dominum. Lucas cap. 25. *Habent Moïsem & prophetas, audiant illos.* Idem in evangelio septimanæ paschalis. *Incipiens à Moïse & prophetis, interpretabatur illis quæ de illo erant scripturas*, quasi diceret, Ipse est. Johannes cap. 45. *Si crederetis Moïsi, forsitan crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Ibidem: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Jacobus cap. 22. *Exemplum accipite fratres laboris & prophetarum qui locuti sunt in nomine Domini.* Petrus 1. cap. epistolæ 1. *De qua salute exquisierunt & scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, significantes in quem vel qualem significaret in eis Spiritus-sanctus, Christi prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones.* Idem cap. 10. *Sic enim sanctæ mulieres ornA bant se, sicut Sarra.* Item in 2. cap. 3. *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* In eodem 4. cap. *Spiritu-sancto inspirati locuti sunt sancti Dei omnes.* In eodem cap. 5. *Justum Loth oppressum à nefandorum injusta ac luxuriosa conversatione eripuit. Aspectu enim & auditu justus erat, &c.* Item Paulus ad Romanos cap. 1. *Paulus apostolus servus* JESU-CHRISTI *vocatus apostolus in evangelio Dei quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo.* In eodem cap. ultimo *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Dico JE-
B SUM-CHRISTUM *ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum propter veritatem Dei.* Item 2. ad Corinthios cap. 13. *Habentes eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est; Credidi propter quod locutus sum, &c. & nos credimus propter quod loquimur.* Ergo idem Spiritus fuit in David, qui hæc scripsit, qui & in Paulo. In eodem cap. 23. *Qui accepistis legem in dispositione angelorum.* Ergo Moïses cum angelis loquebatur, non cum diabolo. Ad Galatas cap. 5. *Lex adversus promissa Dei? absit.* Et idem: *Lex per angelos ordinata est in manu mediatoris*, subdens: *Lex pædagogus vester fuit in Christo.* Ad Thessalonicenses 1. c. 7.
C *Spiritum nolite extinguere, Prophetas nolite spernere.* Ad Timotheum cap. 1. *Scimus quia bona est Lex, si quis ea legitime utatur.* Ad Hebræos cap. 3. *Et Moïses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, & testis eorum quæ dicenda erant, Christus verò tamquam filius in domo. quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moïsem.*

Jam acquiescite impiissimi Manichæi, & Patres veteris testamenti cum scripturis eorum, tam dominica, quàm apostolica voce laudatos reprobare nolite, quia Spiritu-sancto inspirante locuti sunt. Attendite etiam quod
D in evangelio Johannis de Abraham dicitur cap. 88. *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est.* Non potestis hic dicere, quod ibi Abraham pater Judæorum cœlestis intelligitur, quia non dixisset de eo Johannes, Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: sicut enim superius in evangelio continetur, ipsi ex patre diabolo erant, non ex patre cœlesti: unde ipsis dictum est: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ergo non intelligitur ibi per Abraham pater cœlestis, sed ille terre-
E nus, qui vidit diem Domini & gavisus est, per ipsum de inferno extractus. Item ibidem dicitur: *Est Pater meus qui glorificat meipsum, quem vos dicitis, quia Deus vester est.* Patet ergo quod ipsi Judæi ad quos hæc verba erant de nullo alio dicebant, quod Deus eorum esset, nisi de illo qui legem dederat Moïsi, qui locutus fuerat Eliæ, Abraham, Isaac & Jacob, qui Deus in flamma rubi apparuerat. Ergo ille Deus erat pater Christi. Sic ergo non fuit diabolus, sicut dicitis, qui apparuit

patribus, & legem dedit, sed Pater cœlestis. Idem patet ex Actibus: *Oportet impleri scripturas quas prædixit Spiritus-sanctus per os David.* Et paulo inferius legitur de David propheta: *Igitur cùm esset, & sciret quod jurejurando jurasset illi Deus de fructu ejus ponere super sedem ejus.* Proinde locutus est de resurrectione Christi. Ergo sibi juravit Deus, & locutus est. Ibidem cap. 8. idem Petrus: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum.* Subinde ergo ille cujus filius fuit JESUS, & est, fuit Deus pater apostolorum. Ergo boni fuerunt patres antiqui; quia, sicut dicitis, malorum Deus est Lucifer. In eodem capite: *Domine, tu qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in iis sunt, qui Spiritu-sancto per os patris nostri David, &c.* In eodem c. 8. *Vos estis filii prophetarum & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros:* Ergo testamentum quod ipsi tenebant erat à Deo. In eodem Paulus cap. 35. *Et nos vidimus, & annunciamus illam quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam Deus hanc adimplevit filiis vestris, resuscitans* JESUM, *&c.* Considerate adhuc, miseri, mecum quantas laudes fecit Jacobus, dicens: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam, & amicus Dei appellatus est:* quod de patre cœlesti intelligi non potest, quia non est ejus credere, sed omnia sunt ei nuda & aperta. Credere enim est de non apparentibus: quia fides est argumentum non apparentium rerum. Item ad Romanos cap. 10. *Dicimus quod reputata est fides Abrahæ ad justitiam, & ita nec consideravit corpus suum & mortuum esse, cùm jam ferè centum esset annorum, nec emortuam vulvam Sarræ.* Item ad Galatas cap. 8. *Scriptum est quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera, &c. Hæc enim sunt duo testamenta.* Ergo sicut illi duo filii ex Abraham, ita duo testamenta ex uno Deo. Ergo ille qui Deus est novi Testamenti, Deus est & veteris. Ergo vetus Testamentum non est à diabolo, sed à Christo, à quo novum. Item Judas: *Commonere autem vos volo scientes simul omnia quoniam* JESUS *populum de terra Ægypti salvans, secundò autem eos qui non credunt perdidit, angelos verò qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in judicio magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.*

Hoc de JESU Nave intelligi non potest, quia ipse angelos non judicat; sed de JESU-CHRISTO intelligi oportet, qui procul dubio est judex Angelorum, & ipse per Moïsen populum de terra Ægypti salvavit: quod probatur similiter per epistolam ad Corinthios cap. 45. *Neque tentaveritis Christum sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* Sic ergo Christus qui tentatus est, qui in Moïse erat.

MANICHÆUS NITITUR PROBARE QUOD DAMNATI SUNT PATRES VETERIS TESTAMENTI.

Cùm scriptum sit in evangelio cap. 4. *Lex per Moïsen data, gratia & veritas per Jesum-Christum facta est.* Idem cap. 89. *Quotquot autem ante me venerunt, fures sunt & latrones.* Ad Corinthios: *Quod si ministratio mortis litteris deformata fuit in lapidibus in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel faciem Moïsi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis ministratio erit in gloria? Nam si ministratio damnationis, &c.* Sic ergo lex Moïsi ad perfectum non ducit, immo mortem ministrat. Ergo mala præstitit. Qui autem ante Christum venerunt fuerunt fures & mali.

CATHOLICUS.

In Evangelio dicitur, quotquot autem ante me venerunt, non quotquot fuerunt. Intelligimus autem ante venisse ei, qui à Deo missi non erant, ut isti pseudoprophetæ de quibus Propheta ait: *Væ illis qui dicunt & prophetant ex corde suo, dicit Dominus, & Dominus non misit eos.* Petrus vero c. 4. *Fuerunt verè pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erant magistri mendaces.* Et Dominus in Evangelio: *Qui à semetipso venit, propriam gloriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est.* Sed Moïses & David & alii propriam gloriam non quærebant. Ergo veraces erant. Lex Moïsi ad profectum non ducit, immo solus Christus, sicut prædicatio Petri nisi Christum asserit: nec tamen lex nec prædicatio mala est. Quod autem ministratio mortis & damnationis dicitur, idem de Evangelio dici potest, non quod ministret, id est faciat mortem, sed quia ministrat, id est minatur vel promittit mortem & damnationem non credentibus.

MANICHÆUS.

Nonne David, Moïses & Helias homicidæ fuerunt?

CATHOLICUS.

Non, quia non omnem hominem occidere facit homicidam hominem esse sicut inferius ostendimus.

MANICHÆUS.

Quam pessimus est ille Deus, qui apparuit Moïsi in flamma rubi, & post in caligine montis, certe ille fuit Deus tenebrarum! O quam crudelis fuit ille Deus, qui Eliam rapuit in curru igneo! Nolumus illum credere nos, quia comburet nos.

CATHOLICUS.

O quam terribilis nobis est iste Deus in die judicii, cùm venerit judicare vivos & mortuos; & vos de tanta blasphemia puniet! Nobis autem est iste Deus dulcis & mansuetus ipse. Nam est Deus apostolorum, qui super apostolos in die Pentecostes in linguis igneis apparuit, & sui eos amore inflammavit. O stulti! consueta est sibi hæc species. Ipse enim sicut dicit Paulus ad Hebræos cap. 19. Deus noster est ignis consumens, quia peccata consumit, & purgat; & de hoc igne sanctissimo dicit Dominus in evangelio Lucæ cap. 40. *Ignem veni mittere in terram.* Quod enim n... ut & caliginem quæ erat in monte Sinaï, impetum dicit Petrus cap. 4. in Actibus Apostolorum hoc quod dictum est per prophetam Johel, dabo prodigia in cœlo sursum & signa deorsum in terra, sanguinem & ignem & vaporem fumi. Et Johannes-Baptista, Ego baptizo vos aqua, medius autem vestrum est: quem enim nomino, ipse baptizabit vos Spiritu-sancto & igne. Ergo talem nolite vituperare: quia sanctissimus est, qui nos etsi voluerit, suo amore inflammabit.

CAPUT IV.

Manichæus in hoc capite quarto intendit probare quod animæ nostræ sunt Spiritus de cœlo.

VILLICUS iniquitatis de quo evangelium loquitur, fuit diabolus, cui omnis curia angelorum fuerat deputata, ut laudes & psalmorum pensiones Deo ab angelis reddendas ipse colligeret. Pro tam dura pensione gravatus, conjuravit ut similis esse posset Altissimo. Primo & de pensionibus jam dictis, quotidie defraudabat, dicens: *quantum debes Domino meo? Respondit centum coros tritici. Et ille: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta, &c.* Hæc autem videns Altissimus Michaëlem substituit ei, & ipsum cum suis complicibus de cœlo ejecit. Ipse verò diabolus terram discooperuit aqua, & duo hominum corpora fabricavit, sed cum per xxx. annos vitalem spiritum istis corporibus infundere non posset, accessit ad curiam Altissimi, & duos angelos ab ipso quæsivit. Astiterunt autem duo, qui occulte diabolum diligebant, & rogaverunt Altissimum, ut cum diabolo irent cito reversuri: quorum fraudem Deus agnoscens, dixit: Ite, sed cavete ne dormiatis, quia post soporem reverti non possetis, quia viam oblivioni tradetis; sed si dormieritis, post sex aut septem millia annorum veniam ad vos. Venerunt ergo & dormierunt, & ita duo prædicta corpora obliti cœlestis patriæ inclusi sunt. Isti sunt Adam & Eva. Isti spiritus per corpora Enoch, Noë, Abrahæ, & omnium Patriarcharum & Prophetarum euntes & errantes, numquam salutem reperire potuerunt; sed deinde in Simeone & in Anna, veniente Christo, secundùm promissionem in paradiso factam, salvati sunt: unde Simeon dixit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Verbum intelligo promissionem, quam mihi in cœlo antequam descenderem fecisti: sic & omnes spiritus qui ceciderunt, in diversa corpora intrarunt, & per amaritudinem & viam patrimoniorum salvantur; & si in uno corpore hæc non fecerint, intrant alia puerorum corpora nascentium & salvantur, nec aliud sunt hominum animæ, quàm spiritus qui ceciderunt.

CATHOLICUS.

Ad hoc quod exponitis Luciferum fuisse illum villicum, repugnat quia in fine evangelii legitur: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis*, quia Deus diabolum non laudaret, neque hunc in exemplum dedisset Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Sic enim ad malè faciendum hortaretur. Sic ergo expositio vestra nulla est. Quod autem dicitis corpus Adæ xxx. annis exanime extitisse, & hoc quod in Genesi prius legitur factus fuisse Adam, post dicitur Spiritum accepisse, non idcirco post dicitur, quia post sit factum, sed quia actor more suo epilogat dicta: quod legitur ex eo quod cum sex diebus opera numerasset, ab opere primi diei reincipit, dicens: *Istæ sunt generationes cœli & terræ, in die qua creavit Deus cœlum & terram.* Ad hoc quod dicitis animas hominum spiritus qui de cœlo ceciderunt, & non alias novas, & quod sedes omnes cœlorum implendæ sunt, ut saltem tot ascendant quot ceciderunt. Ergo omnes servabuntur. Quibus ergo dicturus est Deus in judicio: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* Et quomodo sequitur: *Qui paratus est diabolo & angelis ejus*, si omnes angeli sunt servandi? Item, si spiritus ab uno transit in alium, quid ergo faciunt jejunia & afflictiones? cogentur jam multi ex quo damnari non timent, carnis desideriis liberrime vacare. Item Paulus ad Romanos cap. 14. de Jacob & Esaü dicit: *Cùm nondum nati essent nec fecissent aliquid boni vel mali.* Sic ergo spiritus eorum non peccaverunt. Non ergo de illis spiritibus fuerunt qui de cœlo ejecti. Illi enim omnes peccaverunt.

MANICHÆUS.

Nonne dicitur in libro vestro Jesu Sirac filii, *Qui vivit in æternum creavit omnia simul?* Ergo omnes animæ simul sunt creatæ; non ergo de novo creantur, sed spiritus cœlestes fuerunt.

CATHOLICUS.

Verum est quod omnia creavit Deus simul quantum ad præsentiam; sed quotidie adhuc creat Deus animas, sicut ipse dicit in evangelio: *Pater meus usque modo operatur, & ego*

operor. Similes dicuntur auctoritates in Ecclesiaste c. 1. *Quid est quod fuit, ipsum quod futurum est? quid est quod factum est, ipsum est quod faciendum est?* quasi diceret, futura enim in mente divina, facta, & præterita, sunt jam; quia vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.

CAPUT V.

De humanitate Christi quam catholicus confitetur, Paterinus vero falsam & phantasticam dicit.

CATHOLICUS.

MATTHÆUS cap. 1. *Liber generationis* JESU CHRISTI *filii David, filii Abraham.* Johannes cap. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Item in epistola Johannis prima cap. 4. *Omnis spiritus qui confitetur* JESUM-CHRISTUM *in carnem venisse, ex Deo est. Qui non confitetur Dominum* JESUM *in carnem venisse, hic est seductor & antichristus.* Ad Romanos cap. 1. *Qui factus est ex semine David secundùm carnem.* In eodem cap. 49. *Quorum patres, ex quibus Christus secundùm carnem.* Ad Galatas cap. 4. *factum ex muliere, factum sub lege.* Ad Colossenses c. 2. *Quoniam in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Ad Timotheum cap. 3. *Unus mediator Dei & hominum homo Christus* JESUS. Ad Hebræos cap. 4. *Manifestum est quod ex Juda ortus est Deus noster.* Lucas cap. 5. JESUS *autem crescebat sapientia & ætate apud Deum & homines.* Johannes 75. *Mea doctrina non est mea*, & cetera. Passio secundùm Lucam, *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Johannes 10. *Potestatem habeo ponendi animam & iterum sumendi eam.* Johannes 24. *Solvite templum hoc, &c. hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Johannes 33, JESUS *fatigatus ex itinere.* Lucas in fine: *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habent.* His auctoritatibus probamus Christum verum hominem fuisse, veram carnem habuisse, humanamque animam, per quam tristabatur timens mortem, quam deponere potuit: qui si tantùm divinitatis habuisset substantiam, ipsam proculdubio deponere non potuisset, nec secundùm illam tristari, nec gaudere, nec tædere, nec pavere poterat, quia apud divinitatem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Humana ergo anima erat quæ tristabatur. Quomodo & fatigatus esset ex itinere? Quod autem dicitis JESUM-CHRISTUM non comedisse carnalem cibum, sed tantùm spiritualem, de quo ipse ait discipulis: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei*, falsum est hoc quoniam utrumque comedit, sicut in his auctoritatibus Lucæ 63. *Venit Johannes non manducans neque bibens, &c* deinde habet, *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, potator*

A *vini, publicanorum amicus.* Marcus cap. 72. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, &c.* Et, *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Actorum cap. 1. *Et convescens præcepit eis, &c.* In eodem: *Vobis qui manducavistis & bibistis cum illo.* Ad Corinthios 1. cap. 63. *Similiter & calicem postquam cœnavit dicens.* Lucas circa finem, *Et cùm manducasset, sumens reliquias, dedit eis.*

MANICHÆUS.

Si credas MARIAM matrem fuisse ejus &
B feminam, dic quæ fuit mater MARIÆ, & quis pater? & in toto evangelio istud non invenies, quia ipsa fuit quidam archangelus, unde non texitur genealogia Christi per MARIAM, sed per Joseph, quoniam evangelistæ non potuerunt invenire à quibus sit genita MARIA.

CATHOLICUS.

O stulte, non est consuetudo divinæ scripturæ, ut per mulieres genealogia texatur, sed per viros; & viri in veteri testamento tantum de sua cognatione & tribu accipiebant uxores, maximè si justi, ut Joseph. Pa-
C ter verò MARIÆ fuit Joachim, mater verò Anna. In evangelio verò non omnia scripta sunt, sed tantùm quæ ad salutem sufficiunt. Non enim scriptum est de matre Philippi vel patre, creditis tamen ipsum parentes habuisse. Probamus autem quod Maria non fuit angelus, quia angelus turbari non potest, sed ipsa turbata fuit in salutatione angeli. Item angeli non habent consanguineos, sed MARIA habuit consanguineos, Elizabeth & alios; unde dictum est: *Ecce Elizabeth cognata tua.* Ad Hebræos cap. 1. *Nusquam angelos apprehendit.*

D

MANICHÆUS.

Ad nuptias invitatus est JESUS, & dixit MARIÆ, *quid mihi & tibi est mulier?* Ergo nihil commune habebat cum ea. Ergo non fuit mater ejus.

CATHOLICUS.

Verum est quod nihil Christo & MARIÆ quantum ad hoc quod ipsa petebat aquam in vinum converti; quia hanc potentiam ex carnali genitura non traxerat, sed ab æterna
E Patris potentia. Non dixit autem de omnibus sic, quia postea eam Virginem virgini commendavit, ut haberet solatium fortioris sexus, & erat subditus illi, sicut in evangelio legitur.

MANICHÆUS.

Cùm requireretur JESUS à parentibus dixit, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et ait ad discipulos: *Ecce mater mea &*

frater meus, quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, hic meus frater & soror & mater est.

CATHOLICUS.

Impie, discipuli Domini laudantur, sed MARIA mater ejus non vituperatur, nec mater esse negatur.

MANICHÆUS.

Asculta, *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Noluit hæc audire, sed respondit: *Quin immo, beati qui audiunt verbum Domini, & custodiunt illud.*

CATHOLICUS.

Istud *quin immo* valet quantum *insuper*, quasi diceret, non solum illa quæ me portavit per me beata est, sicut faciunt ceteri homines, qui solam matrem beatam faciunt: quin immo vel insuper illi qui audiunt verbum Dei, &c. beati sunt, quia potens & volens sum ego beatificare omnes credentes.

MANICHÆUS.

Johannes in Evangelio cap. 89. *Ego non sum de hoc mundo*, ergo non fuit natus e muliere.

CATHOLICUS.

Non sum de hoc mundo, id est de mundanis, sicut ipse dicit de apostolis cap. 53. non sitis de hoc mundo, sicut ego non sum de hoc mundo. Ergo sicut apostoli de mundo erant, quia de mulieribus; & non erant de mundo, id est de mundanis, ita Christus. Item Christus est veritas, sed veritas non fallitur, nec fallere potest. Ergo Christus non fallit. ergo nec fuit phantasma.

CAPUT VI.

De Johanne-Baptista quem Manichæus damnare nititur, contra quos Catholicus dicit hæc.

CATHOLICUS.

LUCAS cap. 1. *Spiritu-sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Johannes c. 2. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Johannes, &c.* Lucas cap. 72. *Omnis populus audiens publicanos & peccatores, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Johannis. Pharisæi autem & legisperiti consilium sumserunt in seipsis, non baptizati baptismo Johannis.* Idem in cap. 71. *Major inter natos mulierum propheta Johanne-Baptista non surrexit, &c.* Idem cap. 73. *Venit Johannes Baptista non manducans panem, neque bibens vinum, &c.* Matthæus cap. 5. *A diebus Johannis regnum cœlorum vim patitur, &c.* Et infra: *Omnes Prophetæ & lex usque ad Johannem prophetaverunt, & si vultis accipere, ipse est Elias qui venturus est in mundum: qui habet aures audiendi audiat.* Sic ergo ex testimonio Christi, & Gabrielis, probatur eum non solum sanctum, sed ex utero fuisse, & testimonium de lumine, non contra lumen dedisse, sicut Vos mentimini, dicentes quod ideo Johannes-Baptista dixit: *Ecce Agnus Dei, &c.* quasi diceret: Istum capite, non me. Sed stulti hæc verba sunt laudantis, non vituperantis. Adulteratis litteram, ô Manichæi, dicentes debere sic intelligi, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne-Baptista*, id est major diabolus; sed non sic, impii, non sic; sed sic expositio intelligenda, major propheta.

MANICHÆUS.

Si bonus esset Johannes-Baptista, JESUM quem laudabat secutus esset, sicut apostoli & alii discipuli.

CATHOLICUS.

Secutus est Johannes JESUM spiritualiter, sicut Paulus & multi alii, qui cum eo corporaliter non fuerunt. Semper enim Johannes bonum testimonium protulit de JESU humiliter. Cùm enim turbæ crederent, ne fortè ipse esset Christus, ipse *confessus est & non negavit, quia non sum ego Christus*; & dixit: *Medius vestrum stat, quem vos nescitis, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Idem: *Venit fortior me post me.* Si autem voluisset Christus, Johannes venisset post eum corporaliter, sed noluit Christus, ut Judæi testimonium Johannis cavillare non possent, dicentes quod Johannes corruptus esset, sicut liberatum à legione dæmonum & volentem ire post eum carnaliter non permisit eum Dominus, sed dixit ei sicut dicit Marcus 18. cap. *Vade in domum tuam, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecit, & abiit, & cœpit prædicare in Decapoli quanta fecit illi* JESUS: *& omnes mirabantur.* Plus igitur fuit homo iste prædicans in Decapoli in absentia JESU, quàm si carnaliter cum eo ivisset; & idcirco non permisit eum secum ire. Similiter Johannes plus fecit, laudis testimonium in absentia proferens JESU-CHRISTI, quàm tunc fecerunt apostoli vel discipuli carnaliter cum eo euntes. Non poterat esse suspectum testimonium Johannis, quando visum digito ostendit Dominum: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*

MANICHÆUS.

Dubitavit autem Johannes cùm duos ex discipulis suis misit, interrogare JESUM *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Re-

A vertentibus autem præoccupatus est morte antequam venirent, & in dubitatione defunctus, & sic damnatus.

CATHOLICUS.

Valde melius testimonium post recessum duorum discipulorum protulit ei Jesus-Christus, quàm perferatis vos, dicens ad turbas: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* quasi diceret non hæc .... subdit: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*; & ita vocavit eum Plus quàm prophetam. Et postea vocavit eum Angelum suum, dicens: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.*

B

MANICHÆUS.

Quia igitur ejus Angelus fuerat in terris, vocavit eum Angelum ejus esse in inferis. Revera ergo dubitavit de descensu Christi ad inferna personaliter, & ideo interrogavit eum. *Tu es qui venturus es?* subintellige ad inferna in propria persona, an alium expectamus? id est per alium extrahes nos de inferno, ut annunciavi his sanctis patriarchis qui ibi sunt. Nam omnis dubitatio est damnosa & mortifera.

CATHOLICUS.

Sceleratissime, etsi esset dubitatio Johannis damnosa, hæc tamen ex evangelio non habetis, quod in dubitatione mortuus fuerit. Immo nuncii sui ad eum reverti potuerunt, & sibi nunciare. Si enim, sicuti dicitis, præoccupatus fuerit morte; ergo male præcepisset Jesus dicens: *Ite renunciate Johanni*, quia rem impossibilem præcepisset. Non ergo esset illis jugum ejus suave, sed impossibile; quia prius mortuo non poterat nunciari. Patet ergo quod falsa sit alia doctrina vestra, quia propter se quem laudavit, vos illum condemnatis, & præceptis Christi impossibilitatis vitium adaptatis.

Possumus etiam aliter dicere, quòd non sibi interrogavit, sed discipulis. Cùm enim vitam asperiorem duceret quàm Christus in victu & vestitu, quia panem non comedit, nec vinum bibit, Christus verò sic. Item, discipuli Christi non semper jejunabant, discipuli Johannis semper jejunabant: unde videbatur discipulis, quòd Johannes esset major, & dubitabant de Christo, nec in hoc testimonio Johannis credebant: immo videbatur eis Johannem causa humilitatis mentiri. Igitur ne in hac dubitatione manerent, misit eos ad Jesum, ut ipse tamquam bonus magister & propheta testimonium de seipso proferret. Nec sequitur, interrogavit, ergo dubitavit, quia Christus interrogavit: *Cujus hoc numisma?* Ergo dubitavit, non est verum.



CAPUT VII.

De baptismo, quem Paterinus dicit esse superfluum, & specialiter de baptismo puerorum, quos in fide parentum negat posse salvari.

CATHOLICUS.

In Evangelio Johannis. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum.* In prima epistola Johannis cap. ultimo. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis.* Actus apostolorum. *Ecce aquam, quis prohibet me baptizari?* Matthæus cap. ultimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit; qui verò non crediderit, & cetera.* Matthæus cap. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Actus cap. 11. *Numquid aquam, quis prohibere potest ut baptizentur hi?* In Evangelio. *Post hæc venit* Jesus *in Judæam terram, & discipuli ejus cum eo, & illic morabatur cum eis, & baptizabat.*

MANICHÆUS.

C Concedo quod baptizabat Jesus & discipuli ejus in aqua, id est in prædicatione, & Spiritu-sancto; sed non in aqua corporali, sicut dicit Johannes Baptista in evangelio Matthæi cap. 3. *Ego baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est, fortior me est; ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto & igni.* Et in Actibus: *Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu-sancto, &c. non post multos hos dies.* In evangelio c. 7. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. hæc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Ex his
D collige quod per aquam intelligitur prædicatio Spiritus-sancti.

CATHOLICUS.

Baptismum Spiritus-sancti non negamus; sed aquam & sanguinem in baptismo esse epistola Johannis testatur aquam baptismatis sanguinem Redemtoris, quia nisi esset effusus sanguis Christi, non esset ibi Spiritus-sanctus, aqua tantum corpus baptizaret. Sed ista tria sunt ibi necessaria, & ista tria unum baptismum sunt, sicut dicit Paulus ad Ephesios 5. cap. *Dilexit Christus Ecclesiam, & seipsum tra-*
E *didit pro ea, ut illam sanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, invocatione sanctæ Trinitatis. Si vero idem credis esse baptismum & prædicationem vel Spiritum-sanctum, cur dicit Apostolus ad Corinthios 1. *Non misit me Deus baptizare, sed evangelizare.* Et *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Cornelius verò prædicatus & Spiritu-sancto inflammatus, & Eunuchus prædicatus quasi postea essent in aqua baptizati. De infantibus verò ad-

miramini dicentes, quia non salvantur. Sed A incredulitas vestra de ampla Dei misericordia refrenatur. Ipse enim præcepit Matth. 18. *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis.* Et contra, *Dico autem vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.*

MANICHÆUS.

Excœcati estis, si putatis quod de infantibus ibi Dominus loqueretur, cùm superius dixisset *pusillis istis qui in me credunt.* Infantes enim & pueri non credunt, quia scientiam non habent. Sed nobis datum est nosse myste- B rium regni Dei, qui per puerum statutum in medio discipulorum intelligimus Christum, qui puer erat humilitate & innocentia; per pusillos qui in eum credebant, intelligimus discipulos, qui pueri erant malitia.

CATHOLICUS.

Potius vos estis excœcati, qui solam istam spiritualem intelligentiam hic vultis habere, & intellectum historicum verum respuistis. De puero enim isto dicit Marcus cap. 19. *Accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cùm complexus esset, &c.* Patet ergo hunc pue- C rum alium à Christo esse, quia semetipsum amplexatus non esset. De pusillis autem in tertia persona loquitur; de discipulis verò in secunda, Matthæi 18. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Unde patet quod illi pusilli erant, nec aliàs pueri pusilli poterant dici malitia, sicut exponitis. Immo erant magni in malitia, quia superbè & arroganter contendebant, quis eorum esset major in regno cœlorum. Nulla est ergo expositio vestra, sed de aliis pusillis & de alio puero statuto in medio intelligendum est, quos Dominus amplexabatur, & benedice- D bat. Sic enim dicit Marcus *Offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus, quos cùm videret* Jesus *indignè tulit, & ait: Sinite parvulos venire ad me, & non prohibeatis eos, talium est enim regnum cœlorum. Amen dico vobis quisquis non percipit regnum Dei sicut parvulus, non intrabit in regnum cœlorum; & complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat illos.* Patet ergo quod alios aliquos benedixit Dominus; quàm apostolos. Ergo salvantur pueri. E

MANICHÆUS.

A Domino dicitur, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Sed pueri non credunt. Ergo condemnabuntur.

CATHOLICUS.

Intelligitur sic illud, *qui non crediderit*, si potest credere, condemnabitur. Et similis intelligentia est ibi in epistola Jacobi, *qui non peccat verbo, hic perfectus est vir.* Sed mutus non peccat in verbo. Ergo, &c. Sed ibi intelligitur de his qui in verbo peccare possunt, & non peccant. Sed muto non peccare in verbo non est meritorium, quia ex impotentia sibi contigit. Similiter puero non credere non est mortiferum, quia ad hoc est impotens. Sic & illud Pauli intelligitur: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Intellige, si haberi potest.

MANICHÆUS.

Quomodo salvabitur, qui nihil boni fecit?

CATHOLICUS.

Quomodo damnabitur qui nihil mali fecit? In fide parentum salvantur pueri.

MANICHÆUS.

Unusquisque onus suum portabit.

CATHOLICUS.

Verum est, sed non ita est de corona, sicut de pœna. Et hæc ex larga Dei misericordia, quia peccata unius alteri non imponit: sed fides unius alterum salvat.

MANICHÆUS.

Unde habes quod fide unius alter salvetur?

CATHOLICUS.

Ex evangelio; fides enim unius Cananææ profuit filiæ: unde dictum est ei à Domino in Matth. cap. 15. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis: & sanata est filia ejus ex illa hora.* & de his qui paralyticum per tectum coram Domino submiserunt, dicit, *Quorum fidem videns* Jesus, *ait Paralytico: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Sicut ergo istorum fides insensato paralytico promeruit remissionem peccatorum; sic & fide parentum parvulus baptizatus promeretur vitam æternam.

CAPUT VIII.

De Sacramento Eucharistiæ.

MANICHÆUS.

QUOMODO potest hoc esse, quod panis & vinum convertatur in corpus Christi aut sanguinem?

CATHOLICUS.

Si sic quæreres non maledicendo mutationem

nem prædictam, non blasphemando fidem catholicam, non esses arguendus, sed prædocendus, sicut B. Virgo non discernens, sed piè credens respondit Angelo Luc. c. 1. *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Id est me non cognituram propono, & propositum servabo. Et respondit Angelus, *Spiritus-sanctus superveniet in te, &c.* Sicut ergo Filii Dei [incarnatio] non naturæ possibilitate, sed Spiritus-sancti gratia & virtute facta est in Virgine: sic hæc mutatio non est naturæ, sed dexteræ Excelsi, id est summi Dei. Sequitur quod accidentia panis & vini remanent, & non sunt in Christi corpore, seu in alio subjecto, contra naturam accidentis, cujus esse est in subjecto esse, potentiæ Dei est, non naturæ.

MANICHÆUS.

Si corpus Christi esset tantæ quantitatis, quantæ est mons unus, jamdudum consumtum esset, ex quo cœpit ab omnibus mundi partibus manducari.

CATHOLICUS.

Hæretici qui hoc dicunt similes sunt illis, de quibus dicitur Johannis 6. qui propter illud verbum, quod Deus dixerat; *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, &c. abierunt retrorsum.* Cujus erroris & nequitiæ es tu hæretice, dicens: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Carnali enim intellectu plenus, spiritalem Domini intellectum non habes, sicut illi qui dicebant, *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Credebant enim quod ejus caro laceraretur, diminueretur, & sumeretur, sicut tu intelligis, cùm dicis: Si Corpus Christi tantæ esset quantitatis, &c. Sed Corpus Christi comeditur sine diminutione, sineque corruptione, frangitur sine laceratione: frangitur quoad speciem panis, sed non laceratur essentia Corporis. Diminuitur & consumitur quoad speciem prædictam; sed manet integrum quoad propriam essentiam. Non enim morsibus laceratur; si enim cibus quo Jesus quinque millia hominum satiavit comedendo, non est consumtus, sed auctus, ut habetur Johannis 6. multo magis Corpus Christi comeditur, non consumitur.

MANICHÆUS.

Si de pane fit Corpus Christi, quotidie debet augeri ipsum.

CATHOLICUS.

Corpus ejus non denotat naturam sed conversionem. Et est sensus, Panis convertitur in Corpus Christi, id est simul vertitur, & quoad naturam & quoad substantialem formam, licet accidentia remaneant. Cum igitur materia panis transeat cum forma sua substantiali, & non addatur materiæ Corporis Christi, non est necesse ipsum Corpus Christi inde augeri. Augmentum enim fit ex additione materiæ augmentantis ad materiam ejus quod augmentum recipit.

MANICHÆUS.

Johannis enim 6. dicitur, *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam.* Quare ergo Christus dedisset carnem suam discipulis suis ad manducandum? Si eis non prodesset, frustra dedisset eis illam, quod esse non potest. Ergo non est credendum quod eis illam dederit.

CATHOLICUS.

Verba Domini sic intelligenda sunt. Caro non prodest quidquam, id est carnaliter intelligentibus carnem meam frustatim cædendam, & sic dandam vobis, & aliis ad manducandum, sub propria specie sua, non prodest quicquam, sed spiritualiter intellecta. Unde Dominus dicit, *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*, & spiritualiter sunt intelligenda, & ita vivificant.

MANICHÆUS.

Marc. 14. Luc. 22. dicitur, *Accipite & dividite inter vos.* Item, *Bibite ex ea omnes.* Hæc præpositio *ex*, & hoc etiam verbum *dividite*, notant non divisionem, sed participationem. Illud ergo quod discipuli comedebant, & bibebant, & dividebatur, non Corpus Christi aut ejus sanguis.

CATHOLICUS.

Immo Corpus Christi & Sanguis dividebatur, non quoad substantiam suam, sed quoad speciem panis & vini, quæ circa ipsum erant. Sciendum est autem quod ante divisionem semel est ibi Christus: facta autem divisione, resultat sub qualibet specie totus, & sic quilibet Christum integrum sumit. Nonne vides quod in speculo unica resultat imago, fracto autem speculo, resultat in qualibet specie ejus.

MANICHÆUS.

Matthæi 26. dicitur, *Accepit Deus panem, & benedixit, & fregit, &c.* Hic dicitur quod accepit panem, & non est dubium quin materialem panem acceperit, & illum benedixit; ergo & illum fregit: ergo in fractione panis erat materialis, non Corpus Christi.

CATHOLICUS.

Panem materialem benedixit, id est benedictione sua in Corpus suum mutavit, vel con-

vertit, dicens: *Hoc est Corpus meum.* quo facto & dicto, fregit panem prædictum non quoad ejus substantiam, sed quoad ejus speciem; quæ est circa Corpus Christi.

MANICHÆUS.

Per hoc pronomen *Hoc* demonstravit Dominus corpus suum proprium, intelligens sic, Accipite panem materialem, & comedite; postea tangens corpus suum, dixit: *Hoc est Corpus meum, &c.*

CATHOLICUS.

Hæretice, pronomen apertam facit demonstrationem ejus quod Dominus accepit, & acceptum sua benedictione sanctificavit, & sanctificatum fregit, & fractum discipulis dedit; quod patet; quia de uno non fit demonstratio, nisi de quo fit mentio, scilicet de accepto, benedicto, fracto & dato discipulis suis. Ergo male dixisti dicens, quod aliud dedit, & aliud demonstravit.

MANICHÆUS.

Illa verba accipiuntur significativè, unde *Hoc est corpus meum*, id est significat corpus meum, sicut illud *Petra autem erat Christus*, id est figurat Christum.

CATHOLICUS.

Si panis materialis significat Corpus Christi transsumtivè, seu per similitudinem, ut tu hæretice dicis, hoc non potest stare: quia ubi est similitudo, ibi est communicatio, sed creatura diaboli est panis materialis. quoniam tu dicis, Creatura diaboli & corpus Christi nihil habent super. Ergo non est verum, quod panis materialis significat corpus Christi transsumtivè seu per similitudinem. Ergo hoc pronomen *hoc* rem subjectam hominis, scilicet corpus Christi tractum de Virgine non figuraliter, sed propriè, licet sub forma panis & vini, significat.

MANICHÆUS.

Ozeæ 6. *Dicit Dominus, Misericordiam volo, & non sacrificium*, scilicet altaris vestri.

CATHOLICUS.

Non loquitur hic Dominus de quolibet sacrificio, sed Judaïco tantum; quod non vult Dominus, postquam Corpus Christi oblatum est in cruce pro nobis. Ab illo enim tempore debet cessare sacrificium legale, & debet offerri sacrificium secundùm ordinem Melchisedech. Rom. 7. *Mortificati estis, &c.*

MANICHÆUS.

Dicit Dominus Matth. *Omne quod intrat in*

A *os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Ergo si corpus Christi comeditur, ut vos Christiani dicitis, in secessum emittitur, quod est inconveniens.

CATHOLICUS.

Hæretice, Dominus loquitur ibi de cibis corporis. Corpus autem Christi non est cibus corporalis, sed mentis. Unde non comprehenditur sub illa distributione, *omne quod in os intrat, &c.* Præterea non loquitur Dominus universaliter. quandoque enim aliquid intrat in os quod statim spuitur & de ore B ejicitur, nec in ventrem vadit: ponitur ergo sic omne quod in os intrat, id est aliquid de omni. Quod autem in altari panis transsubstantietur in corpus, & vinum in sanguinem, verè dicitur Matth. 26. *Cœnantibus illis*, scilicet discipulis, &c. Marc. 24. *Sumite, hoc est corpus meum.* Infra ad Corinthios 11. *Dominus* JESUS *qua nocte tradebatur accepit panem*, &c. Credere ergo debes hoc hæretice tribus testibus: quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.

C CAPUT IX.

De oratione pro defunctis quam Paterinus damnat, Catholicus utilissimam probat.

CATHOLICUS.

MARIA & Martha pro Lazaro mortuo exorantes impetraverunt, &c. Ergo pium est pro defunctis orare. Item Apostolus ad Corinthios 1. cap. 65. *Si mortui non resurgunt, quid facient qui pro mortuis baptizantur?* Ergo aliquid est baptizari pro mortuis, sed aliud baptisma pro eis non fit, nisi oratio vel D eleemosyna. Similia ergo talia pro defunctis prosunt. In prima Johannis canonica: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, oret pro eo, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Ergo licet pro aliis orare, quod de hac oratione quæ fit pro mortuis intelligitur. Qui enim in veniali quod non est ad mortem decesserit, ei prodest oratio. Qui autem in mortali discesserit, pro illo fieri non debet oratio. Si autem, pessime Manichæe, de oratione quæ fit pro vivis velles intelligere, mentiretur Johannes. nullum enim E peccatum est à Deo mortalissimum, pro quo orare non liceat, dum vivit ille peccator. Quod enim peccatum mortalius quàm illud eorum qui Christum & Stephanum interficiebant & ceteros martyres, &c. Pro illis interfectoribus Christus & Stephanus orabant, & sic pro vivis orare debemus, ut convertat eos Dominus ex Bazan. Patet ergo quod pro damnatis & mortuis dixit Johannes *est peccatum ad mortem, &c.* Pro his verò qui sunt in purgatorio, & in veniali decesserunt, di-

xit, *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, &c.*

MANICHÆUS.

Nescio quid sit peccatum veniale, nec scio quid sit purgatorium. Omne peccatum credo mortale, omnes peccatores etiam æqualiter esse puniendos. Unus erit judicii ignis, omnes comburentur æqualiter. Cùm autem peccata in hoc mundo remissa non sunt; neque post mortem remittuntur.

CATHOLICUS.

Crassa & supina est ignorantia tua, & stulta credulitas, scilicet idem esse peccatum veniale. Patet enim quod quidam minus punientur, quidam fortius, alii magis, juxta quantitatem, vel qualitatem criminis. Unde Pilato dictum est à Domino: *Verumtamen qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Et in evangelio Matthæi cap. 7. *Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quàm vobis.* Sic ergo credere debetis quod non omnia peccata sunt paria, & quod levia peccata dimittentur in futuro sæculo. nisi enim hoc esset, quomodo diceret Dominus *qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro?* Superfluè diceretur *neque in futuro*, si omnia hic dimitterentur.

Quod autem purgatorium ignis sit, qui distat ab inferni gehenna, nec est æternus, immo extinguibilis, per hoc patet, quod dicit Apostolus ad Corinthios 1. cap. 12. *Si quis autem ædificasset super fundamentum hoc aurum, argentum, lapidem pretiosum, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini revelabit; si cujus opus mansit quod superædificabit, mercedem accipiet.* Et post: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Bonus est ergo iste ignis, qui & diem Domini, id est post mortem revelat. Dum enim vivimus, dies noster est, dies est operandi: postquam autem morimur, est dies Domini, dies retributionis. In illo enim die ignis purgatorius revelat opera nostra, per quem ignem sicut inferius dicitur, salvamur nos imperfecti, detrimentum patimur tamen & tormenta. pro istis enim animabus quæ sunt in hoc purgatorio orat etiam. Hi enim sunt, ut dicit Johannes, qui peccaverunt peccatum non ad mortem: pro his qui sunt in inferno non orat, quia, ut dicitur, in Proverbiis c. 26. *mortuo homine impio, non erit ultra spes.* Ecclesiastes cap. 24. *quæcumque potes facere instanter operare, quia nec opus, nec ratio, neque scientia erit apud inferos, quo tu properas.*

MANICHÆUS.

Apostolus ad Romanos cap. 5. *Reddet unicuique secundùm opera ejus. Itaque unusquisque vestrum pro se reddet rationem.* Et ad Corinthios 1. cap. 40. *Unusquisque onus suum portabit.* Et Propheta, *Unumquemque secundùm opera sua judicabo, dicit Dominus.* Et Dialogorum lib. 4. *Qualis unusquisque hinc exierit, talis in judicio apparebit.* Pro se ergo laboret unusquisque, nec expectet juvamen alterius.

CATHOLICUS.

Concedo quod unusquisque pro se reddet rationem, sicut supradictæ asserunt auctoritates; sed quod de glossa tua vis addere, non accipio, scilicet, quod juvamen alterius non expectet dum vivo & post mortem, quia dictum est christianis *Alter alterius onera portate.* & dictum est nobis: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini:* Nec etiam istud recipio quod unus pro alio reddere non debeat rationem; quia dictum est Petro in persona omnium episcoporum vel aliorum prælatorum: *Pasce agnos meos:* quia si impasti fuerint, Petrus & omnes episcopi & alii prælati reddent Domino rationem. Illi etiam qui laïcus est, & in lege Dei aut jurisperitus, quæretur ratio pro aliis, si abscondat talentum pro se. Ergo unusquisque rationem reddet, & quidam pro se & pro aliis. Quod autem dicit Gregorius verum est, & sic intelligitur. Si bonus exierit, bonus apparebit; sed non dixit qualiscumque, quia multi cum maxima tristitia exeunt, qui cum maxima lætitia apparebunt, de quibus Propheta: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Sunt ergo quidam, qui minus purgati exeunt, qui purgatissimi apparebunt.

MANICHÆUS.

Ecclesiastes cap. 26. *Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ergo non potest homo post mortem locum mutare.

CATHOLICUS.

Verum est, quia non possunt ab austro in aquilonem reverti, sed ab ipsa parte quæ est per austrum, ibi intelligitur scilicet purgatorium & correptio, & de ista transitur ad illum. In ista ibi arbor ponitur & eraditur, ut ad illam coronam quam expectant coaptandam perveniatur. Hic ad polliendum necessariæ sunt orationes nostræ, & jejunia plura, & eleemosynæ, ut bipenni & ascia: unde Propheta, *Transivimus per ignem & aquam, & adduxisti nos in refrigerium.*

MANICHÆUS.

Ubi te invenero, ibi te judicabo. Ergo si invenitur in mortali, ibi judicabitur. Ergo non prosunt postea orationes.

CATHOLICUS.

Verum est hoc, quantum ad judicium dam-

nationis quod non mutatur per orationes; sed judicium absolutionis propter orationes executioni mandatur citius. Statim enim à morte judicium est ei ad absolutionem, qui in mortali non reperitur, sed non statim illa sententia absolutionis effectui mancipatur, nisi intervenientibus orationibus, & his quæ proficiunt ad salutem.

MANICHÆUS.

Ubi invenitur in divina pagina, quod de pœnis post mortem animæ extrahuntur, vel quod Deus ad inferna descendit?

CATHOLICUS.

Dixi tibi quod salvi erimus, sic tamen quasi per ignem. Quod autem Dominus ad inferna descenderit, & ipsa spoliavit, per Prophetam probo. Si enim vultis credere ei qui in persona Dei dixit: *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Item per Actus apostolorum, ubi Petrus cap. 6. dicit: *Propheta igitur cùm esset, & sciret quod jurejurando jurasset illi Deus, &c.* providè locutus est de resurrectione Christi, quia videlicet derelictus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem. Et supra dixerat Petrus de Jesu, *quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri eum ab illo.* Item Paulus ad Romanos 30. cap. *Ne dixeris in corde tuo, quis descendat in abyssum? hoc est Christum ex mortuis revocare.* Et in Apocalypsi Johannis cap. 50. in fine: *Ego sum primus & novissimus, qui sum vivus & fui mortuus, & ecce sum vivus in sæcula sæculorum, & habeo inferni claves.* Et Paulus ad Corinthios cap. 6. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & illud tulit de medio, affigens illud cruci expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans in semetipso illos.* Et in evangelio: *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Istis auctoritatibus stulti debetis credere, quod Christus infernum sanctis animabus spoliavit. Neque obstat quod dicitur *In inferno nulla est redemtio*; quia de inferno inferiori intelligitur, ubi sanctorum animæ non erant, sed erant in quadam parte quæ dicitur sinus Abrahæ, ubi non aliqua pœna afficiebantur, nisi desiderio videndi Deum.

CAPUT X.

De resurrectione corporum, quam Catholicus contra Paterinum asserit hoc modo.

CATHOLICUS.

Lucas cap. 7. *Et videbit omnis caro salutare Dei nostri.* Ad Corinthios 2. c. 12. *Ut vita Jesu manifestetur in carne nostra mor*A*tali.* Ad Corinthios 1. cap. 65. *Insipiens quod tu seminas non vivificatur, nisi moriatur prius.* In eodem: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et item: *Oportet enim corruptibile & mortale hoc induere immortalitatem.* Ad Philippenses 6. cap. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Ad Timotheum 1. cap. ultimo. *Ut integer spiritus noster & anima nostra & corpus sine querela in adventu Domini nostri servetur.* Ad Ephesios cap. 16. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ad Romanos cap. 18. *Qui suscitavit* Jesum *à mortuis vivum.* Im-
B piissimi Manichæi, multas auctoritates de resurrectionibus corporum in medio possumus deducere, sed quia vos ipsas cauteriata mente creditis, intelligentes tantum de resurrectione animæ, quæ habet fieri per pœnitentiam, & etiam dicitis animam appellari nomine corporis, quia secundùm Apostolum sunt corpora cœlestia, & terrestria, & idcirco concebitis resurrectionem corporum ut intelligatur cœlestium, hoc est animarum, & idcirco his auctoritatibus nos vicisse sufficiat, in quibus mortalibus corporibus necessario intelligi oportet quod resurgant.

MANICHÆUS.

C Nonne sic distinxit Apostolus, Si est corpus animale, est & corpus spirituale; seminatur animale, surget spirituale? Ergo erit spiritus.

CATHOLICUS.

Depravatis, impii, sensum Apostoli, quia vultis esse aliud corpus animale, aliud spirituale; sed ipse vult esse idem, quod patet per litteram præcedentem. Dicit enim *Insipiens, qui seminat non vivificabitur, nisi prius moriatur.* Per sequentem litteram patet similiter, ubi dicitur: *Cùm mortale hoc, &c.* Ea-
D dem ergo quæ nunc est caro, id est ponderosa, tunc erit spiritualis & lenis, & admodum spiritus agilis, impassibilis, & incorruptibilis; & sic Christus verus & * palpabilis introivit corpore aut carne ad discipulos januis clausis. Sic & nos sicut dicitur in epistola Johannis, similes erimus ei, & verum & palpabile corpus habebimus; spirituale tamen & impassibile. Ad argumentum quod facitis, erit spirituale, ergo erit spiritus: instantia corpus est animale, corpus ergo est anima; quia sicut animale non verè est anima, sed simile animæ in sensibilitate: ita spirituale
E non verè est spiritus, sed in agilitate est similis.

* Al. pa bilis.

MANICHÆUS.

Stulti, rem creditis impossibilem. Istud enim dicit Apostolus: *Caro & sanguis regnum Dei*

non possidebunt. Sic ergo tunc carnem non habebimus, sed solam animam. Et hic labia refrænate, quia sicut de carne estis, ita de carne tractatis.

CATHOLICUS.

Nos qui carnales sumus & peccatores, vos autem neque carnales, neque spirituales; sed quod pejus est, diabolici estis, qui in occulto Luciferum adoratis; de carne vero tractamus, de qua Dominus & Prophetæ tractaverunt, & Apostoli, sicut ibi: *Nescitis quia corpora nostra templum sunt Spiritus-sancti.* Quod verò dicit Apostolus, *Caro & sanguis regnum Dei* B *non possidebunt*, exponitur ab eodem dicente *neque corruptio incorruptionem*; quia hæc vocabula alias caro & sanguis intellexit Apostolus corruptionem: quia nihil in eo corrumpetur. Potest & referri ad opinionem quorumdam, qui putabant postea matrimonium contrahere. In resurrectione enim non erit caro & sanguis, vel opus matrimoniale, in quo homo corrumpitur, & de carne & sanguine generatur.

MANICHÆUS.

Audi Dominum, qui dicit in evangelio, *In* C *resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Ergo sicut ipsi sunt incorporales, ita & nos erimus.

CATHOLICUS.

Ibi dicitur *sicut*, non sicutcumque: quia in hoc erimus eis similes in non nubendo, sed non erimus similes illis in omnibus. Instantia tuæ argumentationis. Nos erimus similes Christo, ergo erimus Altissimi, quod non sequitur, quia non per omnia erimus ei similes. Item si præter resurrectionem, aliam non intelligitis, quàm animæ, quomodo di- D citur: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur?* Equidem corpore resurgemus, non tamen omnes ad coronam immutabimur. Item quomodo intelligitis illud Jacobi apostoli: *Aurum & argentum æruginavit, & ipsa ærugo erit in testimonium vobis, & manducabit carnem vestram.* Ergo in resurrectione. Ergo inter carnes erunt.

CAPUT XI.

De juramento, quod ferè omnes hæretici dicunt prohibitum, Catholici in necessitate non.

MANICHÆUS.

DOMINUS in Matthæo, *Audistis quod dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramentum tuum. Ego autem dico non jurare omnino; neque per cœlum, quia* A *thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est regis magni; neque per caput tuum, quia non potes unum capillum facere album, neque nigrum. Sit autem sermo vester Est est, non non. quod amplius est, à malo est.* Sic ergo quicumque jurat male facit.

CATHOLICUS.

In hac auctoritate sunt tria, prohibitio, consilium, & permissio. Prohibitio, ad quam cavendam necessariò tenemur, scilicet ne juremus per creaturas, sed non prohibemur jurare per Dominum. Consilium, ad quod soli perfecti tenentur, ut sit sermo vester Est est, non non. Permissio, quæ imperfectis & etiam perfectis in tempore necessitatis conceditur. quod amplius est à malo est, id est à malo non credentis procedit. quasi diceret, ubi malum est incredulitatis & tu imperfectus rem tuam vel pauperum, vel proximi tui vides deperire abundantius; tibi dicere permitto, tibi jurare, sicut in causis civilibus, & hoc non est à malo jurantis, quia jurans bene facit; sed à malo non credentis. Item si perfectus es, & aliquod verbum ad utilitatem animarum suades, & tibi simplici verbo non creditur, jurare potes, sicut Apostolus in multis locis, ubi dicebat: *Testis est mihi Deus.* Tunc abundantius dixit quàm est est, non non. Et tamen non est credendum contra prohibitionem Domini dixisse. Ergo non est prohibitum, nec malum abundantius dicere.

MANICHÆUS.

Si vera est opinio vestra, quomodo hæc littera cum superiori consonabit, ubi dicitur, quod abundare debet justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum? Quid amplius antiquis, quid amplius faciemus Pharisæis?

CATHOLICUS.

Multum quidem per omnem modum, quia in evangelio continetur, cap. 33. quòd Pharisæi jurabant & faciebant homines jurare per templum, per aurum templi & altare, per donum altaris. Et populus etiam in usu habebat jurare per cœlum & terram, & templum, & per Jerusalem, & caput suum, quæ omnia hic prohibentur; & dicitur sic nostra justitia plus quàm illorum abundare, & consilium additur, quod non nisi necessitatis tem- E pore juretur.

MANICHÆUS.

Et quomodo cavetis jurare per creaturas, qui juratis per Evangelium & per ossa mortuorum, scilicet reliquias quas sanctorum dicitis?

A

CATHOLICUS.

Nec per Evangelia, nec per reliquias sanctorum juramus, sed super Evangelium & super reliquias sanctorum: ut in rebus pertinentibus ad Deum concutiatur ita animus ad timorem. Et si quando vel à vulgaribus, vel à scripturis invenies quod aliquis juret per Evangelia, vel alia, intellige *per* pro *super.*

MANICHÆUS.

Palliato sermone uteris, sed latere non potes, quia hic est tenor juramenti vestri. *Sic te Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia, quin & hæ reliquiæ sanctorum, & sanctum sepulcrum Domini, & sancta crux,* & ita juratis per res insensatas.

B

CATHOLICUS.

Ita debes intelligere, sic te Deus adjuvet & sanctum Evangelium, id est Deus per sanctum Evangelium adjuvet te, vel per crucem, vel per illum cujus sunt reliquiæ; & Deus etiam per res insensatas nos adjuvat, sicut per lignum crucis, &c. supra notata. Totum ergo juramentum ad solum Deum refertur.

C

MANICHÆUS.

Ita qui jurabant per cœlum & terram, per Jerusalem, juramentum ad solum Deum referebant, quia istæ sunt creaturæ mirabilis ipsius Dei.

CATHOLICUS.

Non ita, quia ipsi in eis aliquid numinis esse putabant; ut in altari, & sancto templo, & in his quæ ibi offerebantur, & ideo prohibitum est, ne per ipsas creaturas jurent.

D

MANICHÆUS.

Similiter & simplices ex vobis aliquid numinis esse putant in cruce manufacta, & sepulcro manufacto.

CATHOLICUS.

Qui talem credulitatem haberent, non essent simplices, sed fatui; sed per Dei gratiam nulli habent.

E

MANICHÆUS.

Audite Jacobum vos refrænantem. *Ante omnia, fratres carissimi, nolite jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque per aliud quodcumque juramentum, ne in judicium Dei incidatis.*

CATHOLICUS.

Respondemus, dictum est *nolite,* & nos nolumus nisi cogamur, atque pro qualicumque juramentum, id est pro qualibet vili re, sed pro re utili, causa necessitatis juramus, sicut legimus etiam apostolos Dei jurasse, sicut continetur in Actibus Apostolorum & in Apocalypsi cap. 8. *Angelus juravit per viventem in sæcula sæculorum, amen.* Ad Romanos cap. 2. *Testis est mihi Deus, cui deservio in spiritu meo.* In eodem cap. 23. *Veritatem dico, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea.* Ad Corinthios 2. c. 2. *Ego autem testem Deum invoco in anima mea, qui parcens vobis, non veni ultra Corinthum.* Ad Philippenses cap. 1. *Testis est mihi Deus quod cupiam vos omnes in visceribus* Jesu-Christi. Ad Thessalonicenses 1. cap. ultimo. *Adjuro vos per Deum vivum, ut legatur epistola omnibus sanctis fratribus.* Ad Hebræos cap. 4. *Cui autem juravit non introire requiem suam, nisi illis qui increduli fuerunt?* In eadem ad Hebræos: *Namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum dicens, &c.* Et ita, *Homines enim per majorem suum jurant, ut omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem sit juramentum.*

CAPUT XII.

De pœnis temporalibus quas justè facit Ecclesia vel permittit fieri, sed Manichæus contradicit sic.

MANICHÆUS.

Tam in vestro veteri testamento, quàm in evangelio, & epistolis Pauli legitur, *Non occides.* Ergo nec hominem, nec bestiam licet alicui occidere.

CATHOLICUS.

Fatui Manichæi, sicut dicit apostolus Paulus ad Corinthios: *Numquid de bobus cura est Deo?* Sicut ergo nec de bobus, nec de quibuslibet bestiis vetitum est non occidere, sed de hominibus tantum. Vos autem coram simplicibus philosophiam dantes dicitis, non est licitum interficere, non etiam serpentem, vel pecudes, quia generaliter intelligitis non occidere, scilicet de omni occisione, sed generaliter intelligitis quod quælibet occisio sit vetita. Ergo nec vitia debemus occidere, quod falsum est.

MANICHÆUS.

Si vobis in hac parte consentimus, quod homicidium sit vetitum, non alia quæcum-

que occasio, cur vos interficitis nos vel aliquem, & Papa vester, qui dicit locum Petri se habere, cur præcipit occidi & bella fieri, cùm dicitur ab Apostolo: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem*, id est homines, *sed adversus principatus & potestates*, id est dæmones? Et Dominus in Evangelio: *Ego autem dico non resistere malo, &c.* Cur nos odit Papa, cùm dictum sit à Johanne *qui odit fratrem suum homicida est, &c.*

CATHOLICUS.

Papa noster non occidit, nec præcipit aliquem occidi, sed lex occidit quos papa permittit occidi, & ipsi se occidunt qui ea faciunt unde debeant occidi. Minister verò, qui vel alio permittente sæculari judice, vel lege mundana, manum ad occidendum porrigit, non occidit, sed zelo rectitudinis, non concupiscentia occidendi, movetur. Hoc autem ex Evangelio probamus, ubi dicitur: *Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, &c.* Ergo solum illud est homicidium, quod ex corde procedit. Ergo si non desideramus vindictam vel ultionem, sed amorem pacis inter duos conservandæ & justitiæ. Miles, vel minister ejus, ad quem pertinet, * occidit, non est homicida: quia non ex corde illud occidere procedit, immo sicut dicit Paulus ad Romanos, *Non sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in ira ejus qui male agit.* Pro talibus autem ad Timotheum præcipit orare dicens: *Obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, petitiones, obsecro primum omnium fieri pro regibus & principibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti.* Et causam subdit, *Ut quietam & tranquillam vitam ducere possimus.* Sed cavillas, ô hæretice, quia non oratur, ut occidant, sed ut convertantur ad vitam veram. Non valet expositio, quia sic pacem & tranquillitatem Ecclesiæ non darent. Major enim pars malefactorum gladium spiritualem non curat, sed materiali gladio reprimitur. Johannes etiam Baptista militibus non dixit militiam relinquere, stipendia refutare; sed dixit sic: Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris. Sed cavillas, ô hæretice, neminem concutiatis, id est nullum bellum faciatis. Pravè enim exponis, quia sic docuisset eos decipere duces, si stipendia reciperent, &c. & bella non facerent. Sicut B. Martinus rectè respondit imperatori: Dona tui militatus accipiant. Et Paulus: Non ad oculum servientes, id est fictè. Item rectè facit papa, qui militare jubet, non ad occidendum, sed ad christianitatem defendendam & tranquillandam: sicut Paulus milites armatos, cum nocte sibi factæ essent quædam insidiæ quorumdam, qui devoverunt non manducaturos neque bibituros, quin prius eum occiderent, impetravit. Si dicis non impetravit milites Paulus, nisi ut deterreret alios. Sed si venissent contra eum causa occidendi eum, tunc nonne insidiatores illi in manus militum incidissent. Dicis fortè Paulus sciebat eos contra se non venturos. quomodo ergo milites impetravit? Verè autem dixisti nostrum papam locum Petri tenere, qui Petrus duos interfecit, scilicet Ananiam & Zaphiram. Dicis quomodo interfecit? Respondeo, Verbo. Dicis: Sic faciat papa vester, non gladio. Respondeo: Dummodo quis occidatur, quod differt, utrum gladio, an verbo?

* al. occidi.

MANICHÆUS.

Non ipsos damnatione legis obnoxios Dominus præcepit vel permisit occidi, sicut legis de muliere in adulterio deprehensa, sed misericorditer ei dixit, *Nec ego te condemnabo, vade in pace, jam noli peccare.* Sic omnibus debet dicere papa vester, & non præcipere occidi homines.

CATHOLICUS.

Dicit quidem sic papa noster & præcipit fieri de corrigibilibus, qualiter de illa muliere, sed cùm reperit incorrigibiles, minis & pœnis præcipit corrigi; sicut ipse Christus coegit Paulum excœcando, & sicut paterfamilias præcepit servo compellere intrare: unde alibi dicitur: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

MANICHÆUS.

Licet Christo & Patri vindicare & cogere, quia sibi reservavit jus vindicandi dicens: *Mihi vindictam & ego retribuam.*

CATHOLICUS.

Verum est quod ipse solus habet omnem potestatem, & quicumque habet, ab ipso habet, sicut dicit Apostolus: *Omnis potestas à Domino Deo est*; & ipsam vindictam per ministros exercet, sicut dicitur in Evangelio cap. 21. *Missis exercitibus perdidit homicidas illos.* Et in evangelio Lucæ: *Ite & adducite illos, & interficite ante me.* Per Paulum etiam Elymam magum excœcavit Deus. His auctoritatibus credimus & sanctissimos patriarchas & omnes patres veteris testamenti, & omnes reges christianos, qui bella faciunt pro defendenda & tranquillanda Ecclesia, à reatu homicidii excusatos. Malo enim non resistere, non à præcepto Domini habemus, sed est consilium temporale. Tunc enim malo resistere non debemus, cùm sola persona læditur, cujus vindictam sperare debemus à Deo, quamvis Paulus malo resisteret cum milites armatos à tribuno impetravit. Non autem hoc fecit timore mortis, vel propriæ personæ vindicta, sed pro salute universalis Ecclesiæ, cui se necessarium sentiebat & servabat. quomodo cùm pax & salus Ecclesiæ turbatur,

nec potest aliter turbatio Ecclesiæ sedari, qui A vicem Pauli tenet in terris, id est papa noster auxilium materialis gladii debet implorare, sicut supra legimus Paulum armatos milites impetrasse. Est etiam aliud consilium temporale, quoad tempus uti debemus, ut illud: Si quis te percusserit ad unam maxillam, præbe ei alteram. Nisi enim temporale consilium esset, contra se fecisset Christus, qui percutienti maxillam non præbuit aliam, sed suam justitiam allegavit, dicens: *Si male locutus sum, &c.* Paulus etiam Judæo percutienti maxillam non præbuit alteram, sed dixit *Percutiat te Deus paries dealbate.* Ergo B non semper ad istud consilium necessario tenemur. Possumus allegare nostram justitiam exemplo Dei, & etiam auxilium legum sæcularium implorare exemplo Pauli, quia Cæsarem appellavit.

MANICHÆUS.

Dicitur in Evangelio in Passione Domini ad Petrum: *Pone gladium tuum in vaginam. omnis qui gladio occidit, gladio peribit.* Ergo occidere non debemus.

CATHOLICUS.

Ad istam satis est evidens responsio. qui gladium acceperit amore vindictæ vel odio proximi. Item Abraham non solum homicidium, sed etiam parricidium perpetravit, quia voluit & per eum non stetit mactare filium suum Isaac. Deus autem non tam considerat manum, quàm cor; sed hoc placuit Deo, ut dicitur ad Hebræos cap. 16. *Fide Abraham obtulit Isaac filium suum, & quia Deo sibi præcipienti credidit, reputatum est hoc sibi ad justitiam,* ut dicit Jacobus, *& amicus Dei appellatus est.*

MANICHÆUS.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Nos sumus illi de quibus hoc dicitur. Immo non reperitur in novo testamento, quod boni persequantur malos; sed mali bonos persequebantur, sicut synagoga semper persequitur etiam nostram.

CATHOLICUS.

Immo legitur quod Dominus flagellum fecit de funiculis, sicut dicitur in Evangelio. quo facto, ejecit ementes & vendentes de templo, & ibi dicitur: *Zelus domus tuæ comedit me.* Et Paulus ad Corinthios cap. 23. *Parati sumus omnem inobedientiam ulcisci.* Sarra autem quæ typum tenet Ecclesiæ dixit: *Ejice ancillam* speluncæ* vel hæreticorum. Sic ergo boni persequuntur malos hæreticos, non ut perdant, sed ut convertantur.

* al. id est hæreticorum.



MANICHÆUS.

Prædicatione debet quis converti, non cogi; quia coacta servitia Deo non placent, sicut dicit Augustinus. Cetera potest homo nolens, credere non potest nisi volens.

CATHOLICUS.

Non placent coacta servitia Deo, cùm coacta sunt; sed quæ prius coacta sunt, postea fiunt spontanea & placent. Ideoque nos cogimus, ut Christus Paulum. Verum est etiam quod credere non potestis nolentes, sed audire potestis nolentes, & tacere potestis nolentes. Idcirco cogimus vos potentia, ut quia dedignamini audire, coacti audiretis, & postmodum Deo dante sponte credatis, quia fides ex auditu. Vel si non auditis coacti, saltem taceatis, cum lingua vobis fuerit mutilata.

CAPUT XIII.

C *De excommunicatione quam Paterinus non debere dicit, Catholicus verò contrarium.*

MANICHÆUS.

LUCAS cap. 56. *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, &c.* Paulus ad Romanos cap. 40. in fine. *Benedicite & nolite maledicere, qui maledicit diabolo, maledicit animæ suæ.* Ad Corinthios 1. c. 27. *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Sic ergo malefaciunt sacerdotes vestri, qui judicant, maledicunt, excommunicant & condemnant nos, etiam cùm Christus salvator nullum legatur maledixisse. D

CATHOLICUS.

Duo sunt genera maledicendi & judicandi impium & justum, quod fecit Paulus, scilicet justum. Johannes evangelista, Petrus & ipse Deus injustum, quando exhibitio temeritatis procedit, quod prohibetur, sicut in evangelio Johannis ipse Deus dicit cap. 75. ad Judæos, *Nolite secundùm faciem judicare, sed justum judicium judicate.* Et de seipso ait Dominus in eodem cap. 41. *Ego non possum à* E *meipso facere quidquam, sed sicut audio judico, & judicium meum justum est, &c.* Hoc autem dixit vobis ad exemplum: Unde omnibus apostolis & specialiter Petro potestatem ligandi atque solvendi tribuit, & nos dictam potestatem habemus judicandi non solùm sæcularia, sed etiam angelos, prout inferioribus auctoritatibus probatur. Matthæus 67. cap. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Et circa finem Evangelii Johannis dicitur, *Accipite Spiritum-sanctum, quorum*

quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis retenta sunt. Dominus ad ficum in Matthæo, *Numquam ex te crescat fructus.* Et in eodem cap. 84. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Act. 22. Petrus ad Simonem magum, *Pecunia tecum sit in perditionem.* Et in eodem cap. 58. Paulus ad Principem Sacerdotum: *Percutiat te Deus, paries dealbate.* In epistola Johannis ultimo cap. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domos, nec ave ei dixeritis.* Hic est effectus excommunicationis. Ad Corinthios de illo qui tenebat novercam: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri* Jesu Christi *traditum hujusmodi hominem sathanæ in interitu carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri* Jesu-Christi. Et ibi cap. 23. *Si quis supernominatur inter vos, & est fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, aut avarus, &c. cum hujusmodi nec cibum sumere, & ita nonne de his quæ intus sunt vindicatis, &c.* Et cap. 25. *Nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Et cap. ultimo. *Si quis non amat Dominum nostrum* Jesum-Christum, *sit anathema maranatha.* Ad Galatas 1. *Si angelus de cœlo evangelizet aliud, præterquam evangelizavimus, anathema sit.* Ad Timotheum cap. 2. *Ymeneum & Alexandrum, quos tradidi sathanæ, ut discant non blasphemare.* In eadem cap. 9. *Quorumdam peccata sunt manifesta præcedentia ad judicium, quorumdam & subsequentia.* Manifesta dicit ea, de quibus clarum est quo animo fiant, & hæc sunt præcedentia ad judicium; quia si justa sequantur judicium, non est temerarium, ut sunt peccata plurimorum qui fidem corrumpunt, quorumdam peccata subsequuntur ad judicium, scilicet illa quæ occulta sunt, quæ modo non judicantur, sed in futuro, modo nos latebunt. De his ergo, stultissimi, prohibetur vobis *Nolite judicare, &c.* Unde Apostolus ad Romanos cap. 64. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? servus suo Domino stat aut cadit.* Ad Corinthios cap. 16. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* De manifestis autem sicut sunt vestra peccata, intimat apud Timotheum 1. cap. 7. *Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant.* Fovent patrem vestrum diabolum, idcirco maledicere prohibemur. Numquid debeamus confiteri quod ipse diabolus maledictus est cum omnibus operibus suis? Sed ne ipsum irato animo maledicentes, excusemus excusationes in peccatis, & in ipsum culpam refundamus, & ab ipso sicut Eva fecit, & adhuc multi faciunt. Ipsa enim non humiliter respondit Domino, Peccavi, parce. Sed dixit, Serpens decepit me & comedi. Ac si diceret, Non ego peccavi, sed tu Domine qui fecisti serpentem quoniam nisi fecisses, non deciperet me, nec ego peccassem. Sic hodie dicunt multi de peccato aliquo, cum accusantur, diabolus sit maledictus qui fecit me peccare. Alii dicunt, maledicta sit fortuna quæ fecit istud accidere; & maledicunt fato. Refrænet ergo quisque linguam suam, quia omnia peccata sic intelliguntur tacitè excusare, & in Deum culpam refundere quasi dicerent: Ego non peccavi, sed diabolus, qui sic infatuavit me. Sed respondeamus humiliter: Parce, Domine, & ne intres in judicium cum servo tuo, &c. Omnis ergo talis blasphemia quæ ex furore procedit, sicut diximus, mortalis est. Unde sicut legitur in Cantico Judæ, *Cùm Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moïsi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus.* Ergo ex furore nullum judicare, nullum maledicere debemus; sed cum sunt peccatores incorrigibiles & manifesti denotandi ab ecclesia, excommunicandi mali, ut erubescant & convertantur, & ceteri similia vitent.

CAPUT XIV.

De cibis, carnibus & ovis, quæ Paterinus tamquam mala spernit, sed Catholicus concedit, & si abstinet quis, non blasphemat.

MANICHÆUS.

B*ONUM est non comedere carnes, non bibere vinum.* Idcirco nos non manducamus carnes, ex illa ratione quod omnis caro nascitur ex adulterio.

CATHOLICUS.

Fatui, si per primam auctoritatem dimittitis carnes comedere: Ergo eadem ratione vinum bibere non debetis. Si autem propter sequentem rationem, ergo nec pisces comedere debetis, qui similiter de coïtu nascuntur. Quod autem coïtus bestiarum adulterium dicitis, stultè movemini; quoniam, ut dicit Paulus: *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Sed bestiis lex data non est. Ergo non prævaricantur, ergo nec adulterantur, nec aliquod peccatum committunt. Quod autem caro & omnis cibus sine discretione sumi possit & comedi, probamus his auctoritatibus Luc. cap. 12. *In eadem domo manentes, edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Matth. cap. 54. *Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore.* Ad Romanos cap. 46. *Scio & confido in Domino* Jesu, *quia nihil commune per ipsum est, nisi ei qui existimat quid esse commune ei.* Et item, *Non est enim regnum Dei esca & potus.* Ad Corinthios cap. 38. *Esca autem non commendat nos Deo. Neque enim si non manducaverimus deficiemus.* Item, *Omne quod in macello vænit manducate, nihil interrogantes, propter*

conſcientiam. Ad Timotheum 1. cap. 6. *A cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui noverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum eſt, quod cum gratiarum actione percipiatur. Sanctificatur enim per verbum & orationem.* Ne ergo de ſpiritualibus cibis intelligas. Ideo dicitur: *Sanctificatur enim per verbum & orationem*, quia ſpiritualis cibus amplius ſanctificari non poteſt. Ad Titum c. 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem aut infidelibus nihil eſt mundum; quoniam coinquinatæ ſunt mentes eorum & conſcientia.* Ita ergo accipiendum eſt, quod dicit Apoſtolus, *Bonum eſt non comedere carnes* propter abſtinentiam: ita tamen quod non blaſphemes manducantem, ſicut dicit Apoſtolus ad Romanos c. 44. *Qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.* Item, *Bonum eſt non manducare carnes*, ut propter hoc frater tuus non ſcandalizetur, ſicut dicit Apoſtolus ad Corinthios 1. cap. 38. *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.*

CAPUT XV.

De laude ſignaculi crucis, quam Paterinus blaſphemat, Catholicus approbat.

PATERINUS.

CUM ad ignominiam ſuam & noſtram crucifixus ſit Chriſtus; cur ignominiam ſuam adoratis, & in frontibus veſtris imprimitis? Numquid ſi ſuſpenderetur alicujus veſtrûm pater, furcas illas adoraretis? Sic debetis crucem.

CATHOLICUS.

Perfidi, ſic coram ſimplicibus arma fidei veſtræ confringitis. Concedimus quod crux fuit ignominia Chriſti, ſed illius ignominia eſt gloria noſtra, ſicut Petrus ait 1. cap. 8. *Quod peccata noſtra ipſe tulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus, cujus livore ſanati ſumus.* Sicut ergo ſumus ſanati ejus livore, ſic ſumus ejus ignominia glorificati. *Nos autem*, ſicut dicit Apoſtolus ad Galatas cap. ultimo, *Abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* JESU-CHRISTI. Bene autem diximus ignominiam Chriſti, quia quantum ad infideles hæreticos, & illos qui pereunt, ſtultitia & ignominia fuit crucifigi; ſed quantum ad fideles, gloria, ſapientia & virtus Dei eſt: unde ad Corinthios 1. cap. 4. *Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia fuit; his autem qui fuerunt ſalvati, id eſt nobis, virtus Dei eſt.* Et *quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius hominibus.* Crux enim quæ infirmum & ſtultum apparet Domini, fortior eſt hominibus. quia ſalus eſt totius mundi & victoria

A diaboli, quod omnes homines ſapientia vel fortitudine facere non poſſent, unde in eodem capite, *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum; gentibus ſtultitiam, nobis autem vocatis, Judæis atque Græcis Chriſtum, Dei Virtutem, & Dei Sapientiam.* Signaculum autem crucis tamquam imaginem regis noſtri, caracterem imperatoris, vexillum fidei, armaturam Dei frontibus noſtris imprimimus, ſicut dicitur à David: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Et in Apocalypſi, *Quouſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* Et in capite 8. Præceptum eſt ne læderent fœnum

B terrenum, omne viride, neque omnem arborem, niſi tantum homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis. In Matthæo cap. 4. Dominus de die judicii. *Et tunc apparebit ſignum filii hominis in cœlo*, quia crux in judicio apparebit ad terrorem crucifixorum, quia tunc videbunt in quem pupugerunt, & humilitatem & gloriam electorum; quia ad exemplum magiſtri noſtri, qui ſemetipſum exinanivit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Nos ipſi gratias referentes humiliabimur & gloriabimur tamquam vexillo ſalutis noſtræ.

C

PATERINUS.

Audiat omnis Catholicus ſummam crucis blaſphemiam, quia ſicut loquitur ejus patronus Chriſtus, non fuit homo, ſed videbatur homo; nec mortuus eſt, ſed viſus eſt mori. quemdam enim dæmonem in ſui ſpeciem mutavit, quem crucifigi fecit; & ille dæmon dixit latroni: *Hodie mecum eris in paradiſo*, id eſt in hoc mundo, qui eſt paradiſus ſtultorum. Quod autem latro damnatus ſit probamus. Hoc dicit Paulus in epiſtola ad Galatas cap. 4. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, pro nobis factus maledictum*, id eſt

D ſpeciem ſuam maledictam eſſe, ſcilicet dæmonem, qui crucifixus eſt; & ſic ſignum crucis eſt caracter hoſtis, de quo dicitur in Apocalypſi cap. 4. *Faciet ut quicumque non adoraverit caracterem beſtiæ occidatur.* Et hoc dictum eſt propter nos, quia idcirco occidimur, quia imaginem beſtiæ non adoramus in cruce.

CATHOLICUS.

Audiſtis, Chriſtiani, crucis blaſphemiam,

E ſignum diaboli eſſe. Sic ergo exponite illud: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*, factus eſt pro nobis maledictus non à Deo, ſed ab hominibus, cùm dicebant *Nonne Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Et iterum In Belzebuth principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Sic factus eſt pro vobis maledictus, maledictione pœnæ, non culpæ, ut illa maledictio eſſet noſtra benedictio.

PATERINUS.

Simulacra gentium argentum & aurum, &c. Et in evangelio *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies.* Propter hoc Christus venit ut nos redimeret de idololatria & liberaret. Quod idolum, id est crucem adoratis; & cùm ubique sit Deus, cur magis in Ecclesia vestra adoratis, quam in aliis locis? Immo in cubiculo clauso ostio præcepit Dominus adorare Patrem.

CATHOLICUS.

B Nos simulacrum vel idolum non adoramus, nec crucem; sed in solo Deo speramus, & ipsum solum adoramus. In scripturis tamen quando reperitur, crucem adoramus, sic intellige, id est honoramus propter Deum.

PATERINUS.

Quare facis honorem ligno putrido?

CATHOLICUS.

Quia signum est ibi Regis nostri.

PATERINUS.

C Signum Dei est in anima.

CATHOLICUS.

Verum est & in corpore, quia corpora nostra, ut dicit Paulus, templum sunt Spiritus-sancti. De omnibus autem picturis dicimus, quod non sunt adorandæ, sed ad memoriam, ut visa pictura crucis compungantur fideles, & crucifixum solum adorent. Solus autem Deus adorandus est, ut in eo omnem spem ponamus. In ecclesia autem ideo D adoramus, non quod ille locus nos sanctificet, sed nos illum sanctificamus, & multitudo sanctorum facit illum esse sanctum. Unde terrena Jerusalem dicitur sancta civitas, sicut in evangelio habetur, *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, & venerunt in sanctam civitatem*, non quia ipsa sanctificaret aliquem, sed Christus & sancti eam sanctificaverunt, in ea stando & ambulando per eam. Numquid autem non legimus per Christum? Nam annon cum parentibus suis ascendebat in templo, ut oraret, qui alibi orare poterat? Nonne de illo templo ejecit ementes & vendentes, dicens: Domus mea domus E orationis vocabitur? Nonne Petrus & Johannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam? sicut nos oramus ubique, præcipuè tamen in ecclesia, sive templo nostro, in quo nec saltare, nec comedere, nec aliud quodcumque sit minus honestum facere debemus, nisi causa necessitatis, sicut ait Apostolus ad Corinthios 1. cap. 56. quibusdam,

A qui ibi volebant comedere: *Numquid non habetis domum ad manducandum? an Ecclesiam Dei contemnitis? Si quis esurit, domi manducet.*

CAPUT XVI.

De miraculis visibilibus, quæ sancti faciunt, sed Paterinus à diabolo esse dicit.

CATHOLICUS.

QUARE nullus Paterinus facit aliquod miraculum?

MANICHÆUS.

Faciunt quando convertunt aliquem hominem ad Deum, & dæmonia & peccata ab eo ejiciunt, serpentes, id est venenosas cogitationes ab eo tollunt; linguis novis loquuntur, quia ipsi credentibus suis inaudita proferunt, & sic miracula faciunt Paterini. In Apocalypsi cap. 16. *Vidi tres spiritus immundos in modum ranarum exire de ore draconis & de ore bestiæ. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.* Sic ergo qui talia signa faciunt dæmonium habent.

CATHOLICUS.

Verum est quod per dæmonia multa signa fient in tempore antichristi, & hodie, sicut facta sunt tempore Pharaonis à magis suis; sed non tot miracula poterunt facere, sicut Moïses: unde dixerunt *Digitus Dei est hic.* Signa verò quæ fiunt in nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, non phantastica sunt, sed vera. Verbi gratia, cùm Lazarum resuscitavit, ipse Lazarus post multos annos supervixit, & vera illius anima vero illius corpori * resuscitata fuit. Signa verò dæmoniorum phantastica sunt, non vera, ut Phitonissa quæ dicitur suscitasse spiritum Samuelis, nec ipsum quidem spiritum sancti viri, sed dæmonium quoddam ejus speciem assumentem. Antichristus etiamsi aliquos videbitur suscitare, non veram animam mortuo corpori sociabit, sed ab aliquo dæmone cadaver aliquod faciet vegetari. De talibus ergo signis phantasticis non veris, in Apocalypsi fit mentio. quare sicut Christus & apostoli signa visibilia non facitis?

* f. restituta.

MANICHÆUS.

Adhuc velamen positum est in cordibus vestris, qui creditis Christum & Apostolos signa fecisse visibilia. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Spiritualiter autem debemus intelligere, non quod animam Lazari Christus ad cadaver ejus redire fecerit, sed quia ipsum mortuum & peccatorem & quatriduanum, vel fœtentem in desperatione resuscitavit, cùm ad fidem suam convertit. Sic fa-

ciet de vobis, si vultis ita intelligere omnem litteram quæ de signis Christi vel apostolorum loquitur. Non enim signa visibilia fecerunt.

CATHOLICUS.

Posuistis, fatui, os vestrum in cœlo, & spiritualem intelligentiam toti divinæ scripturæ adaptatis, fundamentum historiæ denegantes. Sed videte quod Christus loquebatur quandoque in proverbiis, & sine parabolis non loquebatur quicquam; & tunc omnia spiritualiter sunt intelligenda, ut de filio prodigo, & de decem virginibus, & de thesauro abscondito in agro; sed apostolis dicebat occulta hæc & exponebat: quam expositionem ad litteram sufficit intelligere, quia suam expositionem superexponere non debemus, ut in expositione parabolæ seminis & zizaniorum. Post promissionem verò quam promisit apostolis, jam non in proverbiis loquebatur, dixit: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur.* Ergo ad litteram oportet intelligere quod multa credentes signa fecerunt. Item de cæco nato, sicut superius dicitis, intelligitis quod tunc illuminatus fuit, quia conversus est ad fidem, non alia illuminatione corporis. Quare ergo cœcus idem postea dicenti Domino *Credis in Filium Dei?* respondit & dixit: *Quis est, Domine, ut credam in eum?* si illuminatus erat spiritualiter, quia lumen, id est Christum, non cognoscebat? Hic os claudite, quia nescitis quid dicatis. Item si sanitatem corporis non faciebat, sed tantum animarum, quare dicebant Judæi venientibus ad JESUM, sex dies sunt in quibus operari oportet, in his venite & curemini, quia non licet sabbato curare? Non reperiebatur in lege quod sabbato tale quid operari, id est curare animas non liceret, immo eadem die magis ipsi & synagogis suis adunati legunt, orant, & psallunt. Numquam ergo animarum curam fieri in sabbato prohibebant, sed curam corporum quam JESUS faciebat.

CAPUT XVII.

De blasphemia Ecclesiæ & ipsius humili defensione.

MANICHÆUS.

AD Ephesios cap. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam nec rugam.* Verba Pauli sunt; Romana Ecclesia habet maculam & rugam, quia ibi sunt adulteri, avari, ambitiosi, lupi rapaces. Non est ergo illa Ecclesia. Ergo ipsi credere non debemus: sed

A nostra est Ecclesia, ubi sunt homines justi, & casti, non mentientes, non fraudantes.

CATHOLICUS.

Adulteros, ambitiosos, avaros, & lupos rapaces in Romana Ecclesia esse credimus & cognoscimus. Castos & etiam eleemosynarios & pauperes Christi credimus & cognoscimus, & non dubitamus ibidem esse, quamvis paucos, sicut dicit Apostolus ad Timotheum 2. cap. 3. *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed lignea & ficulnea, & aliud quidem vas in honorem, aliud in contu-*

B *meliam.* Non tamen propter malos qui sunt mixti, minor est ecclesia, quia non dicit Apostolus, quod in hac vita Ecclesia non habet maculam; frustra enim diceret tunc *mundans eam lavacro*; quia proculdubio aliter non mundaret, si maculam non haberet; sed in futuro, ipso præstante, exhibenda est gloriosa, non habens maculam aut rugam; impossibile enim est in hac vita sine macula vivere.

MANICHÆUS.

Dicas mihi qui sunt in Ecclesia vestra boni,

C qui non vitientur, aut non occidant, aut non irascantur?

CATHOLICUS.

Pauci aut nulli, sed aliqui sunt qui caveant sibi, Deo dante, à gravioribus.

MANICHÆUS.

Jacobus cap. 8. *Qui in uno offenderit, factus est omnium reus.*

CATHOLICUS.

D Verum est, quoniam qui peccaverit in uno, &c. sed quo ad verba illa, *dilige* scilicet *Dominum Deum tuum, & proximum tuum.* Sed si aliquando irascar vel loquar ultra quàm satis, vel comedam non comedenda, offendo quidem, sed non sum omnium reus; quia non illo uno offendo diligere Deum & proximum.

MANICHÆUS.

E Ejus mundas oportet esse manus, qui aliorum debet tergere sordes.

CATHOLICUS.

Verum est.

MANICHÆUS.

Quomodo ergo possunt tergere sordes vestri, qui polluti sunt? quomodo possunt be-

nedicere, qui maledicti sunt? Qui si non A possunt, quare ergo auditis missas eorum? Quare baptizabimini ab eis? Vos oportet baptizari, & venire ad eos qui mundi sunt, & potestatem habent, scilicet nos.

CATHOLICUS.

Abusivè dicitur missa sacerdotis; propriè dicitur Dei. Vulgare est quod aliquis sacerdos vel sanctus baptizet, immo solus Christus, sicut Johanni Baptistæ Spiritus-sanctus dixit: *Super quem videris spiritum descendentem, hic est qui baptizat*, intellige spiritualiter. Ergo Christus baptizat spiritualiter, B sed sacerdos sicut minister deforis tantum baptizat, sicut in inferiori auctoritate dicit Apostolus: Christus mundans Ecclesiam lavacro atque verbo. Et ad Corinthios: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Vos autem licet mundi essetis, eo solo quod vos mundos appellatis, immundi estis, sicut Pharisæus, qui dixit *gratias ago tibi, &c.*

MANICHÆUS.

Ad Timotheum 1. cap. 5. *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitatorem, doctorem, non molestum, non percussorem, non immodestum, non cupidum, suæ domui bene dispositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Nullus inter vos talis est. Ergo, &c.

CATHOLICUS.

Breviter me expedio, nec alicui doctorum meorum Augustino, Hieronymo, &c. præjudicium facio, qui optimè vixerunt. Ego sic expono. Multi enim inter nos sunt tales; quia sic intelligo Episcopum oportet esse talem, id est ad hæc talia quæ sequuntur studere. Multi autem ad hæc omnia per Dei gratiam student, & si ipsam rem non assequantur, quandoque in contrarium cadunt propter fragilitatem humanam, sicut Petrus incidit in primum membrum. Galat. 3. ubi dicitur, quod Paulus ei in faciem restitit, quia reprehensibilis erat. Cùm itaque sic vel gravius cadit Episcopus, habet consilium Johannis, *Filioli mei hæc scribo vobis tantum ut non peccetis.* id est, ut superius exposuimus, studeatis non peccare. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem* JESUM CHRISTUM *justum*: quasi diceret, Ipse solus est justus, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

CATHOLICUS.

Audistis, Paterini, quod justum est. quem quæritis non peccantem esse? Jesus-Christus justus, sicut ipse ait in Evangelio, *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et alibi dicit Apostolus suus, *cùm omnia bene feceritis, dicite quia servi inutiles sumus.* Johannis 3. cap. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Jacobus: *In multis offendimus omnes.* Obstruite igitur labia vestra, hypocritæ perfidi, qui à nobis quæritis: Quis inter vos justus? & quibuscumque simplicibus dicitis, Ego ducam te ad talem, qui non jurat, nec mentitur, per quem poteritis intrare regnum cœlorum, quia per eum oportet te intrare. Stulti, solus Christus est ostium, per quem solum intratur in regnum cœlorum, ad quod vos perducere dignetur, &c.

Disputationi Catholicum inter & hæreticum in codice ms. absque auctoris nomine præmittuntur sequentia quæ hic subjicere visum est.

In hoc concordant Pauperes de Lugduno cum Pauperibus Lombardis contra Ecclesiam, scilicet quod papa Silvester & Laurentius martyr non sunt sancti.

Item, quod Ecclesia Romana tenendo cursum quem tenet, non est Ecclesia Christi, sed Ecclesia maligna.

Item, quod non est purgatorium.

Item, quod non meretur visitando sepulcra sanctorum, nec adorando crucem, nec C ædificando ecclesias, nec faciendo orationes, vel eleemosynas pro mortuis & missas.

Item, quod est salus aliquo modo jurando.

Item, quod non licet justitiam corporalem malefactorum facere.

Item, quòd non est peccatum omni die anni comedere carnes, ova, aut caseum, nisi fortè propter scandalum.

Similiter si homo acciperet sororem suam vel consanguineam in uxorem.

Item, credunt quod à beato Clemente citra exclusivè, nullus successit B. Petro apostolo aut Lino vel Clementi, qui haberet potestatem ligandi vel solvendi usque ad Don D Valdense.

Item, credunt quod Silvester papa instinctu diaboli fuerit ædificator Ecclesiæ Romanæ primus.

Pauperes Lombardi credunt quod malus sacerdos non possit consecrare corpus Christi, nec Deus ad preces illius.

Item, quod animæ sint ex traduce.

Item, quod pueri baptizati à sacerdotibus Ecclesiæ Romanæ non salvantur.

E Dicti Pauperes de Lugduno solum semel consecrant in anno, scilicet in Cœna Domini; & tunc quasi juxta noctem, ille qui præest inter eos, si est sacerdos, convocat omnes de sua familia utriusque sexus, facit ibi ante eos præparari bancum seu unum scrinium, & poni desuper unum mundum gausape, cui postea superponunt unum bonum scyphum de vino puro, & unam fugaciam azymam. Postmodum ait ille qui præest astantibus; *Rogemus Dominum nostrum, quòd ipse*

parcat nobis nostra peccata & nostras offensiones propter misericordiam suam, & ea quæ petimus dignè propter suam misericordiam debeat adimplere, & dicamus septies PATER NOSTER *ad honorem Dei, & sanctæ Trinitatis, ut ipse hæc faciat.* Et tunc flexis genibus omnes dicunt septies PATER NOSTER. Postea verò surgunt; & tunc ille qui consecrat, signat panem & scyphum, & fracto pane dat omnibus astantibus particulam suam; & postea dat omnibus bibere cum scypho; & stant semper in pedibus; & sic finitur eorum sacrificium; & credunt firmiter, & confitentur quod istud est corpus & sanguis Domini nostri JESU-CHRISTI; & si aliquid superaret de sacrificio, gubernarent illud usque ad pascha, & tunc totum sumerent. Si autem essent ibi aliqui alii qui peterent, bene darent eis. Per aliud spatium anni non dant infirmis suis, nisi panem benedictum & vinum.

Omnes pauperes utriusque sectæ eumdem modum consecrandi tenebant, scilicet prædictam ante divisionem quæ fuit inter eos.

Isti sunt errores Valdensium, seu Insabbatorum qui etiam Pauperes de Lugduno.

Credunt enim primò unitatem personæ sicut essentiæ.

Secundò, quod anima primi hominis facta fuerit materialiter de Spiritu-sancto, & aliæ ex illa ex traduce post illam generantur. Nam formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.

Tertiò, quod animæ bonæ sunt Spiritus-sanctus.

Quartò, quod anima mali hominis sunt diabolus, & animæ damnatorum diaboli.

Quintò, quod animæ bonorum sint Spiritus-sancti.

Sextò, quod quilibet bonus homo sit eodem modo Dei filius, sicut Christus habens animam pro divinitate.

Septimò, quod corpus cujuslibet hominis sit ita corpus dominicum & venerandum, sicut corpus Christi.

Octavò, quod nec corpus Christi, nec aliqua creatura, ut imagines & cruces possint adorari, vel venerari sine idolatria, aliquo genere adorationis.

Nonò, quod finalis pœnitentia nihil prodest.

Decimò, quod tantum duo sunt loca animarum decedentium, scilicet quietis & pœnæ.

Undecimò, quod animæ bonorum quàm citò migrant, tam citò evolant sine omni culpa.

Duodecimò, pœnam purgatoriam non esse aliam, nisi præsentem tribulationem.

Decimotertiò, quod nullæ animæ sive bonorum sive malorum sunt adhuc regnantes in cœlo, vel punitæ in inferno, usque ad diem judicii, sed sunt in loco pœnali malæ, bonæ verò in loco quietis.

A Decimoquartò, quod nihil valent suffragia mortuis.

Decimoquintò, quod decimæ aut aliqua beneficia non sunt danda sacerdotibus, sed pauperibus.

Decimosextò, quod omnia loca sint æqualiter benedicta.

Decimoseptimò, quod festa & prædicationes irrident, & dicunt ea esse festa lapidum.

Decimooctavò, luminaria sanctorum, cantus Ecclesiæ irrident, & dicunt quod melius audiret Deus sine notis.

Decimononò, quod orationes in latino non proficiunt; quia non intelliguntur.

B Vigesimò, quod festa nunc non sunt colenda, nisi à peccato.

Vigesimoprimò, quod peregrinationes sunt irritæ.

Vigesimosecundò, quod omnes boni sunt sacerdotes; & ordinati à Deo, & possunt ligare & solvere, & confessiones audire & confiteri.

Vigesimotertiò, quod Romana Ecclesia non est caput Ecclesiæ.

Vigesimoquartò, quod omne illud est bonum quod fit bona intentione.

Vigesimoquintò, quod omne mendacium est peccatum mortale, & omne juramentum est illicitum.

C Vigesimosextò, omnem justitiam mortis esse illicitam, & omne judicium similiter.

Vigesimoseptimò, dicunt Dominum papam peccare mortaliter mittendo contra Saracenos, vel hæreticos homines, & quod peccant mortaliter qui ei obediunt in hoc, & quod non valent indulgentiæ prælatorum, cùm nullus peccatum possit dimittere, nisi solus Deus.

Vigesimooctavò, quod non debent obedire papæ, ne prædicent.

Vigesimononò, quod solum factum excommunicat hominem.

Trigesimò, quod sacerdos non est nisi pronunciator.

D Trigesimoprimò, quod quilibet potest dimitere uxorem suam, & sequi eos ipsa invita, & è contrario.

Trigesimosecundò, quod locis sanctis nullam exhibere reverentiam, nec plus dicunt peccare illum qui comburit ecclesiam aut frangit, quam aliam domum.

Trigesimotertiò, quòd nullus salvatur, nisi in secta sua, vel eorum.

CATHOLICUS.

E Quidam de prædestinatione divina male sentientes, dicunt quod quidam homines ex necessitate salvabuntur, quidam ex necessitate damnabuntur, non credentes quod Dei intentione vita æterna communis sit hominibus, neque quod omnes salvare proposuerit. Intelligunt enim prædestinationem Dei esse ordinationem quorumdam ad supplicium,

quorumdam verò ad præmium. Sed si homo A ex necessitate salvaretur vel damnaretur, frustra tunc esset liberum arbitrium in homine. Præterea Matthæi v. dicitur, *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, &c.* Poterat ergo abundare vel non abundare; intrare vel non intrare in regnum cœlorum. Ergo salvari & non salvari. Ergo non salvantur ex necessitate. Item, Matthæi XVIII. *Nisi conversi fueritis, &c.* Poterant ergo converti & non converti. Ergo, &c. Item Apocalypsis III. *Tene quod habes, &c.* Poterat ergo coronam amittere. Non ergo necessario salvabatur.

MANICHÆUS.

Legitur Actuum XIII. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*: sed quicquid Deus ordinavit, totum fiet, & sicut ordinavit. Ergo, &c.

CATHOLICUS.

Concedimus, quod aliqui ordinati sunt à Deo ad vitam æternam; sed non sunt ordinati ad eam habendam, nisi salvo libero arbitrio: unde 1. Corinth. III. *Dei coadjutores sumus.*

MANICHÆUS.

Apostolus Rom. IX. dicit: *Numquid non potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Item, 2. Timoth. II. *In magna autem domo non solum vasa aurea, &c.* Ergo quidam ex Dei factione damnabuntur.

CATHOLICUS.

Dominus fecit vas, sed illud non in contumeliam ex Dei factione; sed ex hominis vitio proprio, scilicet originali, vel actuali. Et hoc vitium vocat Apostolus massam luti. In honore autem est vas ex gratia Dei, sed cum libero arbitrio in adultis, ex gratia autem sine libero arbitrio est vas in honorem parvulus baptizatus.

HÆRETICUS.

1. Timoth. II. *Vult omnes homines salvos fieri.* Ergo cum voluntatem Dei necesse sit impleri, de necessitate salvabuntur. Item, Rom. XI. *Omnia concludit sub peccato, ut omnium misereatur.*

B

CATHOLICUS.

Quemadmodum ex Dei intentione & voluntate omnes salvabuntur, nisi eorum mala voluntas impediat. Non enim per Deum remanet, quin omnes homines salventur; & cum damnat aliquem, ex culpa illius est. quem verò salvat ex gratia sua est. Cujus enim vult miseretur, & quem vult damnat. Rom. IX. Quod autem aliqui salventur & aliqui damnentur, patet Matthæi III. *Triticum autem congregabit in horreum: paleas autem, &c.*

MANICHÆUS.

C

Quæ Deus præscit, necesse est ut eveniant, sed præscit istum vel illum salvandum vel damnandum. Ergo illa necesse est evenire.

CATHOLICUS.

Non sequitur propter hoc quod sit necessarium & inevitabile quod illa eveniant, si Deus præscit illa: quia non præscit illa simpliciter & absolutè, sed cum conditione, si illa evenirent, & sic præscientia Dei non inducit necessitatem.






SUMMA FRATRIS RENERII

DE ORDINE FRATRUM PRÆDICATORUM, DE CATHARIS ET LEONISTIS SEU PAUPERIBUS DE LUGDUNO.

Ex duobus mss. uno Rothomagensi altero Claromontano RR. PP. Prædicatorum.

ADMONITIO PRÆVIA.



SUMMAM Renerii de Catharis & Leonistis, cum sequenti Tractatu anonymi de hæresi Pauperum de Lugduno, ac libello de modo procedendi adversus hæreticos, quem Inquisitorum directorium nuncupare possemus, descripsimus ex veteri codice ms. bibliothecæ RR. Patrum Prædicatorum Conventus Rotomagensis, ipsius auctoris ætate exarato, quem nobis perhumaniter utendum præbuit Reverendus Pater Jacobus vir non minus religione quàm eruditione commendandus. Eamdem Renerii Summam etiam reperimus in altero codice RR. PP. Prædicatorum Claromontensium, quem cum Rothomagensi contulimus. Quis autem aut qualis extiterit Renerius ex hac ejus Summa discimus, ubi non sine insigni humilitatis nota atro se hoc depingit penicillo: Ego frater Renerius olim hæresiarcha, nunc Dei gratia Sacerdos in ordine Prædicatorum licet indignus. *Ex quibus verbis intelligimus Renerium, antequam fratrum Prædicatorum ordini addictus esset, hæreses quas hoc in opusculo repræsentat professum fuisse, nec qualemcumque inter pestiferæ sectæ asseclas habitum, sed ex præcipuis unum ac coriphæum extitisse, utpote qui non simplex hæreticus, sed* hæresiarcha *diceretur. qui cùm apud eos annis omnino decem & septem versatus sit, & eorum errores universos apprimè didicisset, nemo eo certius aut verius hoc de argumento tractare potuit, indubitatamque fidem merentur quæcumque de ipsis retulit. Præter hanc suam Summam scripsit insuper Librum contra Valdenses hæreticos, quem anno 1614 Ingolstadii publici juris fecit Jacobus Gretserus, ex quo in Bibliothecis Patrum non semel recusus fuit. De Renerio autem agunt Possevinus in apparatu sacro, & Sixtus Senensis in Bibliotheca, cujus hæc verba :* Frater Reinerius Sachonus Placentinus vir apprimè eruditus in theologiæ doctrinâ & in Aristotele non infimè, in jure quoque canonico versatus non modicum, primo degit in tenebris & fuit cœcorum dux, cœcus quoque, & hæreticorum episcopus; sed Dominus suæ misericordiæ viscera erga illum aperiens, cùm ab his errorum tenebris ad fidem convertitur, & ut nostri ordinis habitum susciperet illi inspiravit,

vit, in quo plurimum profecit, & hæreticorum censor factus per Lombardiam, multa pro fide Christi pertulit. Scripsit Summam præclaram contra hæreticos. Plura alia scripsisse fertur, sed non vidi. Claruit anno M. CC. LIV. *De Renerio etiam mentionem facit Thomas Lentinus in vita S. Petri martyris aucta ab Ambrogio Taëgro n. 36. apud Bollandum 29. April. ubi ait Jacobum Clusam, qui mille libras Petrum occidenti promiserat, etiam in vitam Renerii conspirasse, ac similem pecuniæ summam obtulisse sicario, qui Renerio vitam eriperet. Sic enim eum loquentem inducit*: Nolo numismatis defectu tam necessarium mihi opus omitti, nam & mille libræ mihi suppetunt, siquidem opus fuerit: unde & tantumdem Papiam deferre prorsus institui, ut fratrem Raynerium, præfatæ urbis & diœcesis inquisitorem, pariter occidi faciam.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Cùm sectæ hæreticorum olim fuerint multæ, quæ omnino fere destructæ sunt per gratiam Jesu Christi, tamen duæ principales modo inveniuntur, quarum altera vocatur Cathari, sive Paterini; altera Leonistæ, seu Pauperes de Lugduno, quorum opiniones præsenti paginæ annotantur.

De diversis sectis Catharorum.

Sciendum est itaque primum, quod prima secta, videlicet Catharorum, divisa est in tres partes sive sectas principales, quarum prima vocatur Albanenses, secunda Concorrenses, tertia Bajolenses: & hi omnes sunt in Lombardia. Ceteri verò Cathari sive sint in Tuscia, sive in Marchia, vel in Provincia, non discrepant in opinionibus à prædictis Catharis, sive ab aliquibus eorum. Habent igitur omnes Cathari opiniones communes, in quibus conveniunt, & proprias in quibus discordant, de quibus omnibus dicendum est, & primo de communibus.

De communibus opinionibus Catharorum.

Communes opiniones omnium Catharorum sunt istæ, scilicet quod diabolus fecit hunc mundum & omnia quæ in eo sunt. Item, quod omnia sacramenta Ecclesiæ, scilicet sacramentum Baptismi aquæ [a] naturalis, & cetera sacramenta nihil prosunt ad salutem, & quod non sunt vera sacramenta Christi & ejus Ecclesiæ, sed deceptoria & diabolica, & ecclesiæ malignantium. Quot vero sacramenta & quæ & qualia habeant prædicti hæretici, dicetur inferius. Item, communis opinio Catharorum est omnium quod matrimonium carnale fuit semper mortale peccatum, & quod non punietur quis gravius in futuro propter adulterium vel incestum, quàm propter legitimum conjugium, nec etiam inter eos propter hoc aliquis gravius puniretur: Item, omnes Cathari negant carnis resurrectionem futuram. Item, credunt quod comedere carnes, & ova, vel caseum, etiam in urgenti necessitate sit peccatum mortale; & hoc ideo quia nascuntur ex coïtu. Item, quod non licet jurare in aliquo casu, & hoc ideo esse mortale peccatum. Item quod [b] potentes sæculares peccant mortaliter puniendo malefactores vel hæreticos. Item, quod nemo potest fieri salvus nisi per eos. Item, quod omnes parvuli etiam baptizati non lenius æternaliter punientur, quàm latrones & homicidæ: sed in hoc videntur dissentire aliquantulum Albanenses, sicut infra dicetur. Item, quod omnes negant purgatorium.

De sacramentis Catharorum.

Cathari namque ad instar simiarum, quæ hominis actus imitari conantur, quatuor habent sacramenta, falsa tamen & inania, illicita & sacrilega, quæ sunt Impositio manus, Panis benedictio, Pœnitentia, & Ordo; de quibus per ordinem est dicendum.

De manus impositione.

Manus impositio vocatur ab eis consolamentum, & spirituale baptismum, sive baptismum Spiritus-sancti, sine qua secundùm eos nec peccatum mortale remittitur, nec Spiritus-sanctus alicui datur: sed per eam factam solummodo ab eis utrumque confertur. Differunt tamen aliquantulum in hoc Albanenses à ceteris. Albanenses enim dicunt quod manus ibi nihil operatur, cùm à diabolo sit ipsa creata secundùm eos, ut infra dicetur, sed sola Dominica oratio, quam ipsi tunc dicunt qui manus imponunt. Ceteri verò Cathari dicunt quod utrumque est ibi necessarium & requiritur, scilicet manus impositio & Dominica oratio. Est etiam communis opinio omnium Catharorum, quod per illam impositionem manus non fit aliqua remissio peccatorum, si illi qui manum imponunt sunt tunc in aliquo peccato mortali. Fit autem hujus manus impositio à duobus ad minus, & non solùm à prælatis eorum, sed etiam à subditis, & in necessitate à Catharabus.

[a] Al. materialis.
[b] Al. potestates.

De fractione panis.

Panis benedictio Catharorum est quædam fractio panis, quam ipsi quotidie faciunt, tam in prandio quàm in cœna. Fit autem hujusmodi fractio panis hoc modo: Cùm ingressi sunt ad mensam Cathari sive Catharæ, stantes omnes dicunt *Pater noster*. Interim qui prior est professione vel ordine tenet panem & vinum, vel etiam plures, si necesse est, ad multitudinem, quæ ibi forte esset, & dicendo: *Gratia Domini nostri Jesu-Christi sit semper cum omnibus nobis*. Frangit panem sive panes, & distribuit omnibus discumbentibus, non solùm Catharis, sed etiam credentibus suis, latronibus, adulteris & homicidis. Verumtamen Albanenses dicunt, quod panis ille non benedicitur [a] corporaliter, nec potest accipere aliquam benedictionem, cùm ipse panis sit creatura diaboli secundùm eos: & in hoc differunt à ceteris omnibus, quod dicunt quod ille panis vere benedicitur. Nemo tamen ex eis credit, quod ex illo pane conficiatur Corpus Christi.

De falsa pœnitentia Catharorum.

Tria ad veram pœnitentiam requisita.

Nunc dicendum est qualis sit pœnitentia Catharorum. Pœnitentia Catharorum omnino falsa est & vana, deceptoria & venenosa, sicut subsequenter ostenditur. Tria namque requiruntur in vera pœnitentia, scilicet cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Ego autem frater RANERIUS olim hæresiarcha, nunc Dei gratia sacerdos in ordine Prædicatorum, licet indignus, dico indubitanter & testificor coram Deo, qui scit quod non mentior, quod [b] aliquod illorum trium non [c] cernitur apud Catharos sive in pœnitentia eorum. Erroris namque venenum quod ex ore antiqui serpentis biberunt, non sinit eos de peccatis suis aliquem habere dolorem. Hic autem error quadruplex est, scilicet quod pro aliquo peccato nec gloria æterna alicui pœnitenti diminuitur, nec pœna inferni non pœnitenti augetur, & quod ignis purgatorius nemini reservatur; sed impositione manus culpa & pœna à Deo totaliter relaxatur. Non enim gravius punietur Judas proditor quam infans diei unius, sed omnes erunt æquales tam in gloria quàm in pœna, sicut ipsi credunt, exceptis Albanensibus, qui dicunt quod quisque restituetur in statum pristinum, non tamen propriis meritis, & quod in utroque regno, Dei scilicet & diaboli, alii aliis sunt majores.

Ad hæc etiam dico amplius quod multi ex eis qui infecti sunt erroribus memoratis, sæpe dolent cum recolunt quod non impleverunt sæpius libidinem suam tempore quo nondum professi fuerant hæresim Catharorum. Et hæc

A est causa quare multi credentes tam viri quàm mulieres non timent magis accedere ad sororem suam vel fratrem, filiam seu filium, [d] nepotem, consanguineum, vel cognatum, quàm ad uxorem & virum proprium. Tamen [e] aliqui hujusmodi ex horribilitate ac humana verecundia fortasse, ab hujusmodi retrahuntur.

Probatur & manifestè quod non dolent de peccatis suis quæ ante professionem hæresis suæ commiserunt, pro eo quod nulli homini restituunt usuram, furtum, aut rapinam: immo reservant eam sibi, vel potius relinquunt [f] filiæ, vel nepotibus suis in sæculo permanentibus. Ipsi tamen dicunt usuram nul- B lum esse peccatum.

Auctor per annos XVII. fuit Catharus.

Præterea dico indubitanter, quod in annis XVII. quibus conversatus sum cum eis, non vidi aliquem ex eis orare secretò seorsum ab aliis, aut ostendere se tristem de peccatis suis, sive lacrymari, vel percutere pectus, & dicere: *Propitius esto, Domine, peccatori*, sive aliquid hujusmodi quod sit signum contritionis. Numquam etiam implorant auxilium vel patrocinium angelorum, sive beatæ Mariæ Virginis, vel Sanctorum, neque muniunt se signo crucis.

Catharorum confessio.

Nunc de confessione Catharorum dicendum est, quæ & qualis sit, & quando faciunt eam & quibus confitentur. Confessio eorum C fit hoc modo. *Ego sum hic coram Deo & vobis ad faciendam confessionem & ad ponendum me in culpam de omnibus peccatis meis quæ sunt in me usque modo, & ad recipiendum de omnibus veniam à Deo & à vobis*. Fit etiam ista confessio coram omnibus & publicè qui sunt ibi congregati, ubi multotiens sunt centum vel plures viri & mulieres Cathari & credentes eorum, & dictam confessionem facit unusquisque eorum quando recipit supradictam manus impositionem, & eam facit principaliter prælato eorum tenenti codicem evangeliorum & totius novi testa- D menti ante pectus suum: Qui facta absolutione, ponit librum super caput ejus; & alii Cathari qui adsunt manum dextram incipientes quærunt suas orationes.

Quando autem quis eorum cadit in peccatum carnis, vel in aliud quod sit secundùm opiniones eorum mortale, post receptam manus impositionem; oportet eum confiteri illud peccatum tantùm, & non alia, & recipere iterum manus impositionem secretò à prælato suo, & ab uno alio ad minus cum eo.

Item, de venialibus fit confessio hoc modo: Unus pro omnibus loquens, alta voce, om- E nibus inclinatis in terra coram prælato tenente librum ante pectus suum dicit: *Nos venimus coram Deo & vobis ad confitendum peccata nostra, quia multùm peccavimus in verbo, opere, in visione & cogitatione, &c. hujusmodi.* Unde apparet manifestè quod om-

[a] Al. corporalis.
[b] Al. aliqua.
[c] Al. Est inter Catharos.

[d] Al. neptem consanguineum.
[e] Al. aliqui ex eis horribilitate.
[f] Al filiis.

nes Cathari sine confessione moriuntur in peccatis suis. Et hoc modo confitentur semel in mense, si commodè possunt.

Opera satisfactoria apud Catharos inusitata.

Nunc dicendum est si Cathari faciunt opera sua pro satisfactione peccatorum, quæ priusquam profiterentur hæresim commiserunt. Ad quod dico quod non, licet ignorantibus fortasse hoc mirabile videatur. Nam frequenter orant, & jejunant, & abstinent se omni tempore à carnibus, ovis, & caseo, quæ omnia videntur esse satisfactoria pro peccatis eorum, & de quibus ipsi sæpe inaniter gloriantur. Sed est in eis triplex error, qui facit dicta opera non esse satisfactoria. Primus est quod culpa & pœna totaliter [a] dimittuntur per suam manus impositionem & orationem, & per orationem tantùm juxta Albanenses, sicut suprà dictum est. Secundus est quod Deus nemini infert pœnam purgatoriam, quam penitus esse negant; neque temporalem, quam à diabolo inferri putant in hac vita. Hinc etiam dicendum est quòd prædicta opera non injunguntur eis cùm fuerint Cathari in pœnitentiam sive in remissionem peccatorum suorum. Tertius est quod tenetur quilibet necessario facere illa opera tamquam præcepta Dei. Ita puer x. annorum, qui numquam ullum omnino peccatum mortale commiserat, antequam fieret Catharus, sicut senex qui numquam à peccato cessavit. Non enim gravius puniretur aliquis Catharus apud eos, si bibat toxicum volens se occidere, quàm si pro morte vitanda comederet pullum de consilio medicinæ, vel in aliquo casu necessitatis; nec etiam in futuro gravius puniretur secundùm eos. Idem etiam dicunt de matrimonio, sicut suprà ostensum est.

Triplex in his error.

Ab eleemosynis abstinent, & quare.

Item, eleemosynas paucas aut nullas faciunt, nullas extraneis, nisi forte propter scandalum vicinorum suorum vitandum; & ut honorificentur ab eis, paucas suis pauperibus. Et est triplex ratio. Prima est quia non sperant hinc majorem gloriam in futuro, nec suorum veniam peccatorum. Secunda est quia omnes fere sunt avarissimi & tenaces, & est causa quia pauperes eorum qui tempore persecutionis non habent victui necessaria, vel ea quibus possint restaurare suis receptoribus res & domos, quæ pro eis destruuntur, vix possunt invenire aliquem qui velit eos tunc recipere. Sed divites Cathari multos inveniunt; quare quilibet eorum, si potest, divitias sibi congregat & conservat.

Præterea non est prætermittendum de oratione eorum, quam ipsi putant necessario dicendam, & maxime quando sumunt cibum vel potum. Siquidem multi ex eis in suis infirmitatibus dixerunt aliquando eis qui ministrabant eis, quòd ipsi non ponerent aliquid cibi vel potus in os eorum, si illi infirmi non possent dicere *Pater noster* ad minus: unde verisimile est quod multi ex eis occiderunt seipsos hoc modo.

(a) Al. dimittitur.

Ex præmissis igitur apertissime patet, quod Cathari nullam faciunt pœnitentiam, maxime cùm non habeant contritionem de peccatis, nec ea confiteantur, nec pro eis satisfaciant, quamvis multum se affligant; & quod pro suis erroribus in æternum gravissime punientur.

Nunc dicendum est de quarto & ultimo sacramento Catharorum, scilicet de Ordine, & primo quot Ordines habent, secundo de nominibus eorum, tertio de officio cujuscumque Ordinis, quarto & quinto à quibus & quomodo fiunt. Ultimo additur quot & ubi sunt ecclesiæ Catharorum.

De Ordinibus Catharorum & Officiis eorum.

Ordines Catharorum quatuor.

Ordines Catharorum sunt quatuor. Ille qui est in primo & maximo Ordine constitutus, vocatur Episcopus. Ille qui in secundo, filius major. Ille qui in tertio, filius minor. Et qui in quarto & ultimo, dicitur diaconus. Ceteri qui inter eos sine ordinibus, vocantur Christiani & Christianæ.

Eorum officia.

Officium episcopi est tenere semper prioratum in omnibus quæ faciunt, scilicet in impositione manus, in fractione panis, & incipiendo orare. Idem servat filius major absente episcopo, similiter facit filius minor absente episcopo & filio majore.

Præterea isti duo filii simul vel separatim discurrunt visitando Catharos & Catharas omnes qui sunt sub episcopo, & omnes tenentur obedire eis. Similiter in omnibus servant & faciunt diacones, unusquisque in suis subditis absentibus episcopo & filiis. Et est notandum quod episcopus & filii habent in singulis civitatibus, maximè in quibus morantur Cathari, singulos diacones.

Item, officium diaconorum est audire confessionem peccatorum venialium à subditis suis, quæ fit semel in mense, de qua suprà dictum est, & facere eis absolutionem injungendo eis tribus diebus jejunium, sive centum inclinationes flexis genibus: & appellatur istud servitium, ut ita loquar, caregare servitium.

Ordines à quibus fiant.

Fiunt vero ordines prædicti ab episcopo, & etiam à filiis de licentia episcopi. Ordinatio autem episcopi consueverat fieri in hunc modum: Mortuo episcopo, filius minor ordinabat filium majorem in episcopum, qui postea ordinabat filium minorem in majorem filium. Postea eligitur filius minor ab omnibus prælatis & subditis qui sunt congregati, ubi fit dicta electio, & ab episcopo in minorem filium ordinatur. Et hæc ordinatio filii minoris non est mutata inter eos. Illa verò quæ suprà dicitur de episcopo mutata est ab omnibus Catharis morantibus citra mare, dicentibus quod per talem ordinationem videtur quod filius instituat patrem, quod satis apparet incongruum: unde fit modo aliter in hac forma, scilicet quod episcopus ante mortem suam ordinat filium majorem

A in episcopum; altero istorum mortuo, filius minor efficitur filius major, & episcopus eadem die. Et ita fere quælibet ecclesia Catharorum habet duos episcopos: unde Johannes de Lugio qui est unus ex illis taliter ordinatis, semper describit se in epistolis suis sic. Johannes Dei gratia filius major, & ordinatus episcopus, &c. Verumtamen utraque ordinatio est reprehensibilis manifestè, quia nec umquam filius carnalis suum instituit genitorem, & nusquam legitur quod una & eadem ecclesia habuit eodem tempore duos episcopos, sicut nec una mulier, duos viros.

Johannes de Lugio Catharorũ episcopus.

B Fiunt autem omnes ordines supradicti cum impositione manus, & attribuitur illa gratia scilicet conferendi ordines memoratos, & dandi Spiritum-sanctum soli episcopo eorum, vel alii quicumque est prior vel auctor in tenendo librum novi testamenti super caput illius, cui imponitur manus. Proinde omnes Cathari laborant in maximo dubio & periculo animæ. Verbi gratia, si prælatus eorum & maxime episcopus occultè commiserit aliquod mortale peccatum, quales etiam olim multi reperti sunt inter eos, omnes illi quibus ille manum suam imposuit sunt decepti & pereunt, si in eo statu decedunt. Et causa hujus periculi evitandi omnes ecclesiæ C Catharorum, una excepta solummodo vel duabus, receperunt secundo & aliquæ tertio consolamentum, id est manus impositionem, quod est baptisma eorum, ut suprà dicitur; & de prædictis est fama publica inter eos.

Quot sunt ecclesiæ Catharorum.

Sunt autem xvi. omnes ecclesiæ Catharorum; nec imputes mihi lector quod eas nominavi ecclesias, sed potius eis, quia ita se vocant.

Ecclesia Albanensium vel de Donnezacho, Ecclesia de Concorrezo, Ecclesia Bajolensium, D sive de Bajolo, Ecclesia Vincentina, sive de Marchia, Ecclesia Florentina, Ecclesia de Valle Spoletana, Ecclesia Franciæ, Ecclesia Tolosana, Ecclesia Carcassonensis, Ecclesia Albigensis, Ecclesia Sclavoniæ, Ecclesia Latinorum de Constantinopoli, Ecclesia Græcorum ibidem, Ecclesia Philadelphiæ in Romania, Ecclesia Burgaliæ, Ecclesia [a] Dugunthiæ, & omnes habuerunt originem de duabus ultimis. [a]

Prima, scilicet Albanenses morantur Veronæ & in pluribus civitatibus Lombardiæ; E & sunt numero fere circiter quingenti utriusque sexus. Illi autem de [b] Concorrezo diffusi sunt fere per totam Lombardiam & sunt utriusque sexus M. & D. & plures etiam. Bajolenses [c] Mantuæ, Brixiæ, Bergami, & in comitatu Mediolani, sed perpauci & in Romaniola; & sunt CC. Ecclesia de Marchia nihil habent Veronæ, & sunt circiter C. Illi de Tuscia & de Valle-Spoletana fere C. Ecclesia Franciæ morantur Veronæ & in Lombardia; & sunt circiter CL. Ecclesia Tolosana, & Albigensis, & Carcassonensis, cum quibusdam qui olim fuerunt Agennensis ecclesiæ, quæ fere destructa est, sunt fere CC. Ecclesia Latinorum in Constantinopoli sunt fere L. Item Ecclesia Sclavoniæ, & Philadelphiæ, & Græcorum Burgariæ, & [d] Dugunthiæ omnes simul fere D. O Lector dicere potes secure, quod in toto mundo non sunt Cathari utriusque sexus numero quatuor millia, & dicta computatio pluries olim facta est inter eos.

De propriis opinionibus Albanensium.

Suprà ostensum est de communibus opinionibus & sacramentis sive de ministris Catharorum. Ammodo dicendum est de propriis, & primo de Ecclesia Albanensium, qui alio nomine dicuntur de Donzenacho, eo quod errant in pluribus quam ceteri.

Primo igitur notabiliter sciendum est, quod isti Albanenses divisi sunt in duas partes, in opinionibus contrariis & diversis. Hujus partis caput est [e] Balasinansa Veronensis eorum episcopus. Et eum sequuntur plurimi antiquiores & pauci juvenes ejus sectæ. Alterius verò partis est Johannes de Lugio Bergamensis, eorum filius major & ordinatus episcopus. Et hunc sequuntur è contrario juniores & pauci antiquiores, & ista pars est major satis quam prima.

Albanenses divisi in duas partes.

De opinionibus Balazinansa.

Prima pars tenet opiniones antiquas, quas omnes Cathari & Albanenses habebant in annis Domini currentibus M. CC. usque ad annos currentes M. CC. XXX. ita quod opiniones istorum propriè præter communes suprà scriptas hæ sunt, scilicet quòd sunt duo principia ab æterno, videlicet boni & mali.

Item, quod Trinitas, scilicet Pater & Filius, & Spiritus-sanctus, non est unus Deus, sed quòd Pater est major Filio & Spiritu-sancto.

Item, quòd utrumque principium, sive uterque Deus creavit suos angelos, & suum mundum, & quòd iste mundus est creatus, factus & formatus à malo Deo, & omnia quæ in eo sunt.

Item, quòd diabolus cum suis angelis ascendit in cœlum, & facto ibi prælio cum Michaële archangelo & angelis boni Dei, extraxit inde tertiam partem creaturarũ Dei, & infundit eas quotidie in humanis corporibus, & in brutis, & etiam de uno corpore eas transmittit in aliud, donec omnes reducentur in cœlum. Vocantur autem istæ

(a) Al. Dugunithiæ.
(b) Al. Concorrozezo.
(c) Al. Mandiæ.
(d) Al. Dugunithiæ.
(e) Al. Belasmansa.

Dei creaturæ secundùm eos Populus Dei, & Animæ, atque Oves Israel, & etiam multis aliis nominibus.

Item quòd Dei Filius non assumpsit humanam naturam in veritate, sed ejus similem ex beata Virgine, quam dicunt esse angelum; nec verè comedit, nec verè bibit, nec verè passus est, nec verè mortuus & sepultus, nec ejus resurrectio fuit vera, sed fuerunt hæc omnia putativè, sicut de eo legitur in Luca, *ut putabatur filius Joseph.* Luc. 3. 23. Similiter dicunt de omnibus miraculis quæ [a] Christus fecit.

Item quòd Abraham, Isaac & Jacob, & Moyses, & omnes antiqui Patres, atque Johannes Baptista fuerunt inimici Dei & ministri diaboli.

Item quòd diabolus fuit auctor totius veteris Testamenti, exceptis his libris, Job, Psalterio, libris Salomonis, Sapientiæ, Jesu filii Syrach, Isaïæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, & duodecim Prophetarum, quorum quosdam dicunt esse scriptos in cœlo; illos scilicet qui fuerunt scripti ante destructionem Jerusalem, quam dicunt fuisse cœlestem.

Item quòd mundus iste [b] numquam habebit finem.

Item quòd judicium futurum jam factum est, nec amplius fiet.

Item quòd infernus sive pœnæ æternæ sunt in isto mundo tantùm & non alibi.

Siquidem prædictas opiniones tenebant omnes Albanenses in prædicto tempore generaliter, exceptis simplicioribus, quibus singula non revelabantur.

De propriis opinionibus Johannis de Lugio.

Opiniones verò Johannis de Lugio supradicti & sequentium eum hic inferius describuntur. Et est primo sciendum quod dictus Johannes adhuc tenet aliquas prædictarum opinionum, & quasdam penitus mutavit in pejus. Errores aliquos plurimos à se finxit, ut subsequenter apparet. Fingit quoque dictus Johannes de Lugio Albanensis quod duo sunt principia, sive dii, vel domini ab æterno; unum scilicet boni, & alterum mali; sed diversimode quàm primi ut infra apparebit. Trinitatem vero & unitatem juxta fidem catholicam in Deo penitus negat. Primum principium mali juxta quod ipse asserit, vocatur in divinis scripturis multis nominibus. Dicitur enim malitia, iniquitas, cupiditas, impietas, peccatum, superbia, mors, infernus, calumnia, vanitas, injustitia, perditio, confusio, corruptio, & fornicatio; & etiam dicit quod omnia supradicta vitia sunt dii vel deæ, & quod habent suum esse à malitia, quam asserit esse causam primam; & quod ipsa causa prima aliquando [c] significatur per prædicta vitia.

Præterea dicit quod malum principium notatur per linguam, de qua B. Jacobus dicit, quod est inquietum malum & plenum veneno mortis. Similiter per diem de quo ait Dominus in evangelio, *Sufficit diei malitia sua.* Math. 6. 34. Item notatur per illud verbum Apostoli ad Cor. *Est & non.* Item notatur mons Seyr, de quo in Ezec. dicitur *Eo quod fueris inimicus sempiternus Domini.* Ezech. 35. 5. Dicitur etiam venter de quo ait Apostolus, *Quorum Deus venter est.* Phil. 3. 19.

Præterea dicit quod idola gentium quæ leguntur per totam seriem veteris testamenti, naturaliter sunt dii mali, hoc est maligni spiritus; & quod ipsi gentiles faciebant imagines eorum, ut eos amplius colerent. Quid plura? tædium est mihi scribere multa fabulosa, quæ dictus Johannes [d] sumsit de prædictis vitiis & idolis, ut suos asserere conaretur errores.

Consequenter dicendum est quid credit dictus Johannes de Creatore omnium visibilium & invisibilium. Et primo quid sit creare, secundo si creaturæ factæ sunt ex nihilo, vel creatæ, tertio utrum creaturæ boni Dei fuerint creatæ bonæ simpliciter & purè sine materia aliqua, quarto si umquam fuerit in aliquo libertas arbitrii.

Creare secundùm eum est ex aliqua præjacenti materia aliquid facere, & sic sumitur, & non ex nihilo: & distinguit creare triplex, primo de bono in melius, & secundùm hanc distinctionem ipse fuit à patre creatus sive factus: unde illud Isaïæ *Ego Dominus creavi eum.* Isa. 45. 8. Et ait Apostolus, *Pontifex factus in æternum.* Heb. 6. 20. Secundo dicitur creare de malo in bonum, juxta illud Apostoli: *Ipsius sumus factura creati in Christo* Jesu. Eph. 2. 10. Et illud Genesis: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, Genes. 1. 1. quod sic exponit: In principio quod hic est in filio, qui ait *Principium* [e] *quod & loquor vobis.* Joan. 8. 25. Et dicit expressè dictus Johannes quod tunc creavit Deus Pater cœlum & terram non ex nihilo, sed ex aliquo ad aliquod bonum, sicut illi de quibus dicit Apostolus, *Creati in Christo in operibus* [f]. Eph. 2. 10. Tertio dicitur creare ex malo in pejus facere, ad quod inducit illud in codice, in titulo de hæreticis & Manichæis, omnes creatæ divinis legibus & imperialibus Constitutionibus hæreses &c. usque ad ministros creare [g] qui nunc sunt. Dicit itaque quod omnes creaturæ sunt ab æterno bonæ creaturæ cum Deo bono, & malæ cum malo Deo, & quod creatores non præcedunt creaturas æternitate, sed causa: & quod creaturæ ex Deo sunt ab æterno, sicut splendor vel radii in sole qui non præcedit radios suos tempore, sed tantùm causa vel natura.

Creare triplex secundùm Catharos.

Item dicit quod iste mundus est à diabolo vel potius à patre diaboli, & quod num-

(a) Al. Deus.
(b) Al. non.
(c) Al. figuratur.
(d) Al. scribit.
(e) Al. qui.
(f) Al. vetitæ.
(g) Al. qui non sunt.

quam habuit principium, nec finem habebit.

Item, intelligit quod bonus Deus habeat alterum mundum, in quo sunt homines & alia, & omnia similia istis visibilibus & corruptibilibus creaturis; & ibidem fiunt conjugia, & fornicationes, & adulteria, ex quibus procreantur infantes, & quod etiam turpius est, quod populus boni Dei duxerunt contra præceptum ipsius ibidem filias alienigenas in uxores, id est filias alieni Dei, sive malorum Deorum, & ex tali coïtu inhonesto & prohibito nati sunt gigantes & multi alii diversis temporibus.

Nunc dicendum est si Deus bonus creavit creaturas suas puras sine malitia aliqua. Ad hoc autem prætermittendæ sunt multæ blasphemiæ, quas ipse JOHANNES dicit videlicet, quod Deus non est omnipotens. Dicit tamen quod Deus vult & potest omnia bona quantum in ipso est, & in suis creaturis quæ sibi necessario obtemperant; sed impeditur hæc Dei voluntas & potentia ab hoste suo.

Item quod alteruter agit in alterutrum ab æterno, & quod causa mala, id est Deus malus agit in Deum verum & in ejus filium atque in cuncta ejus opera ab æterno.

Ad hæc inducit multas auctoritates, ut est illud verbum Domini ad Satan Job: *Tu autem commovisti me adversus Job, ut affligerem eum frustra.* Et iterum Job ad Deum: *Mutatus es mihi in crudelem.* Job. 2. 3. Job. 30. 21.

Item dicit quod ille qui est summus in malo plus potest quàm creaturæ quæ sunt infra summum Deum in bono: unde concludit ex præmissis, quod bonus Deus non potuit perfectas facere creaturas suas, quamvis hoc voluerit: & hoc sibi & creaturis suis accidit propter resistentiam mali Dei, qui actum suum sive quamdam malitiam ab æterno inseruit in eas, ex qua malitia creaturæ habuerunt posse peccare, & ad hoc inducit illud in Ecclesiastico: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, & malum facere & non* [a] *fecit*, quod totum semper exponit de Christo; & illud Job: *In angelis suis Deus reperit pravitatem.* Et iterum, *Stellæ non sunt mundæ, &c.* Et illud in principio Genesis, *Sed & serpens callidior erat cunctis animantibus quæ fecerat Deus.* Et inde sic infert: Ergo cuncta animantia calliditate participant; sed plus omnibus serpens, & ideo per eum facta est deceptio. Ad prædictum facit aliud etiam quod ipse dicit, scilicet quod nihil est quod habeat liberum arbitrium etiam Deus summus, qui etiam non potuit perficere suam voluntatem propter resistentiam hostis sui. Eccli. 31. 10. Job. 4. 18. Gen. 3. 1.

Item dicit quod omnis creatura Dei boni duxit potentiam ad actum decepta errore, quam etiam dicit esse Domini summum in malo, excepto Christo, in quo illa potentia peccandi, sive jus [b] transgressionis ita oppressa est per summum bonum, ut caruerit suo effectu, quod mirabile & insolitum fuit ipsi Christo. Ideoque laudabilis est, sicut de eo dicitur in libro Sapientiæ: *Quis est hic & laudabimus eum, &c.* Et omnes aliæ creaturæ Dei boni vituperabiles extiterunt. Ad hoc autem inducit illud Apostoli: *Vanitati enim creatura subjecta est non volens.* Et iterum: *Scimus quod omnis creatura ingemiscit, &c.* Eccli. 31. Rom. 8. 20. Ibid. 22.

Item dicit quod quando Deus infert pœnam pro culpis creaturis suis, tunc agit malum, nec conversatur secundùm Deum, immo servit adversario.

Item dicit, quod cùm Deus dicit, *Ego sum & non est alius Deus.* Et iterum: *Videte quod ego ipse sum Deus*, & similia duplicando, tunc movetur ab adversario. Deus enim verus semel tantùm loquitur, & idipsum non repetit, sicut dicit Job. Deut. 32. 39.

Item dicit, quod Deus non præscit aliquod malum ex vi suæ essentiæ, quia illud non fluit ab eo, sed præscit illud aliquando per adversarium suum.

Item credit quod verus Deus propter peccata creaturarum ejus induxit diluvium, & destruxit Pentapolim, & subvertit Jerusalem; & ut breviter dicam, omnia mala prædicta quæ passus est populus Jerusalem in Judæa sive in terra promissionis, intulit eis verus Deus motus ab adversario propter peccata quæ ipsi fecerunt, sicut dictus Johannes ait, & etiam putat prædicta omnia fuisse facta in quodam altero mundo Dei veri.

Item credit quod animæ Dei transmittantur de corpore in corpus, & quod omnes in fine liberabuntur à pœna & à culpa.

Item iste Johannes recipit totam bibliam, sed putat eam scriptam fuisse in altero mundo, & ibidem esse formatos Adam & Evam.

Item credit quod Noë, Abraham, Isaac & Jacob, & ceteri Patriarchæ; & Moyses, & Josue, & omnes Prophetæ, & B. Johannes Baptista placuerunt Deo, & quod fuerunt homines in alio mundo, & quod Christus natus est ex patribus secundùm carnem antiquis suprà nominatis, & quod verè assumpsit carnem ex B. Virgine, & verè passus est, crucifixus, mortuus, & sepultus, & resurrexit tertia die, sed putat quod omnia prædicta fiunt in alio superiori mundo, & non in isto.

Item quod in prædicto mundo totum humanum genus incurrit mortem propter peccatum cui obedivit, quod peccatum appellatur à prædicto Johanne principium & causa omnium malorum, sicut sæpe dictum est suprà; & corporibus eorum defunctis ibidem animæ descenderunt necessario in infernum, id est in hunc mundum, & ad hunc infernum descendit Christus, ut auxiliaretur eis.

Item credit quod ibidem fiet resurrectio mortuorum, scilicet quod unaquæque anima Dei recipiet proprium corpus.

Item quod verus Deus dedit in eodem mundo populo supradicto legem Moysi. Ibidem etiam offerebant sacerdotes hostias &

(a) Al. facit.

(b) Al. transgressoris.

holocausta pro peccatis populi quæ secundùm legem [a] præcipiebantur offerri.

Item, in eodem loco Christus ad litteram fecit [b] vera miracula suscitando mortuos & illuminando cœcos, & pascendo de quinque panibus hordeaceis quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis.

Quid plura? quidquid in tota biblia legitur fuisse in hoc mundo, ipse in quodam alio mundo ad litteram fuisse convertit.

Johannis de Lugio liber de suis erroribus.

Siquidem blasphemias & errores prædictos, & multos alios, quos longum esset & mihi tædium enarrare, finxit sæpe dictus Johannes de Lugio hæresiarcha, & ex eis compilavit volumen magnum decem quaternorum, cujus exemplarium habeo, & perlegi, & ex illo errores supradictos extraxi. Est etiam valde notandum, quod dictus Johannes & ejus complices non [c] audeant revelare dictos errores credentibus suis, ne ipsi credentes discedant ab eis propter hos novos errores, & propter divisionem, quæ horum causa est inter Catharos Albanenses. Cathari Albanenses damnant & Concorrezenses, & è converso. Sequitur de propriis opinionibus ecclesiæ Catharorum de Concorrezo.

De propriis erroribus Catharorum de Concorrezo.

Isti bene sentiunt de uno principio tantùm, sed multi ex eis errant in Trinitate & Unitate.

Item, confitentur quod Deus ex nihilo creavit angelos, & quatuor elementa, sed errant credendo quod diabolus de licentia Dei formavit omnia visibilia, sive hunc mundum.

Item, credunt quod diabolus formavit corpus primi hominis & in illud effudit unum angelum, qui in modico jam peccaverat.

Item, quod omnes animæ sunt ex traduce ab illo angelo.

Item, reprobant totum vetus Testamentum, putantes quod diabolus fuit auctor ejus, exceptis illis tantummodo verbis, quæ sunt inducta in novo Testamento per Christum & Apostolos sicut illud, *Ecce Virgo concipiet*, & similia.

Item, isti omnes damnant Moysen, & ex illis multi dubitant de Abraham, Isaac & Jacob, & ceteris Patriarchis & etiam Prophetis in speciali, & multi ex eis modo bene credunt de B. Johanne Baptista, quem olim omnes damnabant.

Item, dicunt quod Christus non assumsit animam humanam, sed fere omnes credunt eum assumsisse carnem de B. Virgine.

Nazarius episcopus Catharorũ.

NAZARIUS [d] vero quondam eorum episcopus & antiquissimus coram me & multis aliis dixit, quod B. Virgo fuit Angelus, & quod Christus non assumsit animam humanam, sed angelicam, sive corpus cœleste. Et dixit quod habuit hunc errorem ab episcopo & filio majore Ecclesiæ Bulgariæ jam fere elapsis annis LX.

Præterea notandum est, quod omnes Cathari qui confitentur Christum assumsisse verum corpus humanum, negant illud corpus esse glorificatum & glorificandum: & dicunt quod Christus in die Ascensionis suæ deposuit illud in cœlo aëreo, & iterum resumet illud in die judicii, & post judicium resolvetur in præjacentem materiam tamquam cadaver putridum.

Item, dicunt quod anima B. MARIÆ Virginis, & Apostolorum, omniumque sanctorum non sunt adhuc in gloria, nec erunt usque in diem judicii, sed sunt in aëre isto, in quodam loco cum corpore JESU-CHRISTI.

Nunc dicendum est de opinionibus ecclesiæ de Bajolo.

De propriis opinionibus ecclesiæ de Bajolo, &c.

Isti conveniunt cum prædictis Catharis de Concorrezo fere in omnibus opinionibus supradictis, excepto hoc scilicet quod dicunt, quod animæ sunt creatæ à Deo ante mundi constitutionem, & quod tunc etiam peccaverunt.

Item, credunt cum prædicto NAZARIO quod B. Virgo fuit Angelus, & quod Christus non assumsit naturam humanam ex ea, nec verè passus est aliquem dolorem in morte, sed quod assumsit corpus cœleste.

Ultimo notandum est, quod Cathari ecclesiæ Tholosanæ, & Albigensis & Carcassonensis tenent errores [e] Belezmansæ & antiquorum Albanensium, & fere omnes ecclesiæ Catharorum de ultra mare quas scripsi similiter.

Nulla vero ecclesia Catharorum concordat in omnibus ecclesiæ de Concorrezo. Ecclesia Franciæ concordat cum Bajolensi. Illi vero de Marchia Tervisina, & de Tuscia, & de Valle Spolitana concordant dictis Bajolensibus in pluribus quàm cum Albanensibus.

Item, omnes ecclesiæ Catharorum se recipiunt ad invicem, licet habeant diversas & contrarias opiniones, præter Albanenses & Concorrozenses, qui se damnant ad invicem, sicut suprà dictum est. Si quis vero Catharus sive Cathara, cujuscumque sexus sit, præfatos errores confessus non fuerit proprios aut saltem communes, tunc est dicendum de illo indubitanter quod ipse in hypocrisi mendacium loquitur, quod est proprium Catharorum, teste Apostolo, qui de eis hic sine velamine prophetavit, nisi forte fuerit homo simplex vel novitius inter eos, talibus enim multis illorum secreta minimè revelantur.

(a) Al. præcipiuntur.
(b) Al. verè.
(c) Al. audent.
(d) De hoc Nazario hæc lego in vita S. Petri martyris apud Boll. 29. Aprilis n. 34. *Cum vice quadam cum fr. Gerardo Tridentino ante annum passionis suæ juxta castrum de Gatha transitum faceret, socio suo dixit: Castrum istud pro fide destruetur, & duo hæreticorum episcopi Nazarius & Desiderius qui ibi sepulti sunt igne cremabuntur: quod plene ita per ordinem postmodum factum per ministerium inquisitorum.*
(e) Al. Belezmaniæ.

A

De hæresi Leonistarum seu Pauperum de Lugduno.

Supradictum est sufficienter de hæresi Catharorum, nunc dicendum est de hæresi Leonistarum seu Pauperum de Lugduno. Dividitur autem hæresis in duas partes. Prima pars vocatur Pauperes Ultramontani, secunda vero Pauperes Lombardi. Et isti descenderunt ab illis. Primi, scilicet Pauperes Ultramontani. Dicunt quod omne juramentum est prohibitum in novo Testamento tamquam mortale peccatum. Et illud idem dicunt de justitia sæculari, scilicet quod non licet Regibus, Principibus & Potestatibus punire malefactores. B

Item, quod simplex laïcus potest consecrare Corpus Domini. credo etiam quod idem dicant de mulieribus, quia hæc nonnisi negaverunt.

Item, quod Ecclesia Romana non est ecclesia JESU-CHRISTI.

Pauperes Lombardi concordant cum primis in juramento & justitia sæculari. De corpore vero Domini sentiunt etiam pejus quàm primi, dicentes, quod concessum est cuilibet homini sine peccato mortali consecrare illud.

Item, dicunt quod Ecclesia Romana est Ecclesia malignantium, & bestia & meretrix, quæ leguntur in Apocalypsi: & ideo dicunt nullum esse peccatum in quadragesima & sextis feriis contra præceptum Ecclesiæ comedere carnes, dummodo fiat sine scandalo aliorum. C

Item, quod Ecclesia Christi permansit in episcopis & aliis prælatis usque ad B. Silvestrum, & in eo defecit quousque ipsi eam restaurarunt: tamen dicunt quod semper fuerunt aliqui qui Deum timebant & salvabantur.

Item, dicunt quod infantes salvantur sine baptismo.

Anno Domini M. CC L. compilatum est fideliter per dictum fratrem Rainerium opus superius annotatum. Deo gratias.

Forma qualiter hæretici hæreticant hæreticos suos.

Ille qui major est inter eos dicet ita credenti qui vult hæreticari: *Frater vis te reddere fidei nostræ*? Et credens dicet: *Sic.* Et tunc à longe veniens ille credens, flectens genua & manus in terra, dicet: *Benedicite.* Et hæreticus dicet: *Dominus te benedicat.* Et iterum eundo aliquantulum dicet credens illud idem, & tertio similiter. Et addet tunc credens: *Rogate Deum pro isto peccatore, quod me perducat ad bonum finem, & faciat me bonum christianum.* Et respondebit hæreticus: *Deus sit rogatus quod faciat te bonum christianum, & perducat ad bonum finem.*

Post hæc interrogabit eum hæreticus in his verbis: *Tu reddis te Deo & Evangelio*? Et credens respondet: *Sic* stando genibus flexis & manibus in terra.

Item: *Promittis quod de cetero non comedas carnes, nec ova, nec caseum, nec aliquam victuram, nisi de aqua & ligno*? Et pro aqua intelligunt pisces, & pro ligno oleum.

Item, *Quod non mentieris, nec jurabis, nec occides quicquam ex reptilibus, nec exercebis aliquam libidinem de corpore tuo, nec ibis solus dum possis socium habere, nec solus comedes, nec jacebis sine camisia & bracis, nec relinques fidem timore ignis vel aquæ, vel alterius generis mortis*? Et his promissis omnes circumstantes flectunt genua sua, & manus in terra: & major eorum ponit librum ubi sit Evangelium S. Johannis & manus supra credentem illum, & legit totum Evangelium: *In principio erat Verbum.*

Post hæc ille major osculatur eum bis in ore ex transverso, & ipse alium, & sic omnes assumunt pacem: & si sint illi mulieres aliquæ, aliqua illarum recipiet pacem de cubito alicujus hæretici, sicut nostræ faciunt de libro; & deinde dat altera alteri pacem bis ex transverso. Et datur illi hæreticato quoddam filum subtile lineum vel laneum pro habitu quem portat supra camisiam: & sic ille postmodum dicitur hæreticus indutus, & portat [a] quam levius vult vel potest habere indumentum. [a]

(a) Al. Qualecumque.



TRACTATUS



TRACTATUS DE HÆRESI PAUPERUM DE LUGDUNO

AUCTORE ANONYMO.

De Libro Fratris Stephani de Bellavilla accipiuntur ista.

QUIDAM diviti civi Lugdunensi, cui nomen erat Valdensis, scripsit BERNARDUS pauper scholaris in Gallico evangelia, & aliquos alios libros de Biblia, & aliquas auctoritates sanctorum ordinatas per titulos, quas appellaverunt sententias; & ista transtulit dicto civi in Romano pro pecunia quidam grammaticus nomine STEPHANUS de Evisa, qui postea beneficiatus in ecclesia majore Lugdunensi promotus est in sacerdotem, & de solario domus quam ædificabat corruens, morte subita vitam finivit. Dictus verò Valdensis & ei adhærentes cum omnibus venditis & datis pauperibus prædicando seminarent errores, moniti à JOHANNE archiepiscopo Lugdunensi quod cessarent, noluerunt desistere, propter quod ab eo fuerunt excommunicati & de terra ejecti. Deinde in quodam concilio Romæ celebrato ante Lateranense, cùm essent pertinaces, schismatici sunt judicati, deinde ut hæretici condemnati. Incœpit autem hæc secta circa annum ab Incarnatione M. C. LXXX. sub Johanne de Belesmains archiepiscopo Lugdunensi.

[Pauperes Lugduno anno orti.]

Unde ortum habuit error Pauperum de Lugduno.

Ortus illius sectæ quæ dicitur *Pouvre de Lyon*, sive Pauperes de Lugduno, sicut à diversis audivi, & à quibusdam ipsorum qui videntur ad fidem reversi, dum eorum interessem examinationibus, sic fertur habuisse.

Apud Lugdunum fuerunt quidam simplices laïci, qui quodam spiritu inflammati, & super ceteros de se præsumentes, jactabant se velle omnino vivere secundùm evangelicam doctrinam, & illam ad litteram perfecte servare: postulantes à domino papa INNOCENTIO III. hanc vivendi formam auctoritate sua sibi & suis sequacibus confirmari: adhuc recognoscentes primatum apud ipsum residere apostolicæ potestatis. Postea cœperunt ex se, ut plenius se Christi discipulos & apostolorum successores ostentarent, & etiam sibi prædicationis officium jactanter assumere, dicentes Christum præcepisse discipulis suis evangelium prædicare; & quia sensu proprio verba evangelii interpretari præsumserunt, videntes nullos alios evangelium juxta litteram servare, quod se facere velle jactaverunt, se solos Christi veros imitatores esse dixerunt. Cùmque ecclesia videret eos officium prædicationis usurpare, quod eis commissum non fuerat, cùm essent idiotæ & laïci, prohibuit, ut debuit, & nolentes obedire excommunicavit. Illi autem contemserunt in hoc claves ecclesiæ, dicentes clericos hoc facere per invidiam, quia viderent eos meliores se esse, & melius docere, & majorem ex hoc favorem populi habere, cum pro bono & perfecto opere nullus debeat aut possit excommunicari, quale est docere fidem & doctrinam Christi, & quod contra ejus doctrinam nullus debeat homini dictum bonum prohibenti aliquatenus obedire, & illam excommunicationem reputabant sibi esse æternam benedictionem, gloriantes se apostolorum successores, quod sicut illi pro doctrina evangelii à Scribis & Pharisæis extra synagogas ejecti, maledictioni eorum & persecutioni sub-

[Suam vivendi rationem ab Innocentio tertio confirmari postulant.]

jacebant: ita & ipsi à clericis similia paterentur. Sic superba præsumtio palliatæ sanctitatis & à sanctitate singularitatis cœcitatem induxit hæreticæ pravitatis, cùm evangelica perfectio magis doceat humiliter obedire doctoribus & rectoribus ecclesiæ, quàm per tumorem singularitatis se scindere à catholica unitate.

Prima illorum hæresis. Hæc fuit prima hæresis eorum, contemtus ecclesiasticæ potestatis. Ex hoc traditi satanæ, præcipitati sunt ab ipso in errores innumeros, & antiquorum hæreticorum errores suis adinventionibus miscuerunt. Quia ejecti sunt de Ecclesia catholica, se solos esse Christi ecclesiam & Christi discipulos affirmant. Dicunt se apostolorum successores, & habere auctoritatem apostolicam, & claves ligandi & solvendi. Romanam ecclesiam dicunt esse meretricem Babilon, & omnes ei obedientes damnari. Omnes clericos & eis obedientes à tempore B. Silvestri papæ dicunt esse damnatos: nulla miracula dicunt esse vera quæ fiunt in Ecclesia, quia nullus ipsorum aliquando miracula fecit. Omnia statuta ecclesiæ post Ascensionem Christi dicunt non esse servanda, nec alicujus esse valoris. Festa, feriarum jejunia, ordines, benedictiones, officia ecclesiæ, & similia respuunt omnino, & ecclesias consecratas & cimiteria: omnia talia blasphemant, & dicunt ea pro avaritia solum à clericis instituta, ut ea ad suum quæstum reducant, & à subditis hac occasione pecuniam & oblationes exquirant. Dicunt tunc hominem primò baptizari verè, cùm in eorum hæresim fuerit inductus. Quidam autem dicunt baptismum non valere parvulis, quia numquam actualiter possunt credere. Confirmationis sacramentum respuunt, sed magistri eorum imponunt manus discipulis vice illius sacramenti. Episcopos, & clericos, & religiosos, dicunt esse Scribas & Pharisæos apostolorum persecutores. Corpus Christi & sanguinem non credunt verè esse, sed tantum panem benedictum, qui in figura quadam dicitur corpus Christi, sicut dicitur, Petra autem erat Christus, & simile. Hoc autem quidam dicunt tantum per bonos fieri, alii autem per omnes qui verba consecrationis sciunt. Hoc cùm in conventiculis suis celebrant recitantes verba illa evangelii in mensa sua, & sibi mutuo participantes, sicut in cœna Christi, dicunt quod peccator sacerdos non possit aliquem solvere & ligare, cùm ipse sit ligatus peccato, & quilibet bonus & sciens laïcus possit alium absolvere, & pœnitentiam imponere. Unctionem extremam respuunt, dicentes potius fore maledictiones quam sacramentum. Matrimonium dicunt fornicationem juratam, nisi continenter vivant: quaslibet alias immunditias magis licitas dicunt quàm copulam conjugalem. Continentiam laudant, sed urente libidine, concedunt ei satisfieri debere quocumque modo turpi, exponentes illud apostolicum *melius est nubere quàm uri*, quod melius sit quolibet actu turpi

Hæreses circa sacramenta.

1. Cor 7. 9.

A libidini satisfacere, quàm intus in corde tentari: Sed hoc valde tenent occultum, ne vilescant. Si aliqua honesta, quæ casta putatur, peperit puerum, occultant & tradunt eum alibi alendum, ne prodatur. Dicunt illicitum esse omne juramentum, inde vero & peccatum mortale. Sed tamen dispensant, nisi juret quis pro evadenda corporis morte, vel ne alios prodat, vel secretum revelet perfidiæ suæ. Dicunt esse crimen inexpiabile, & peccatum in Spiritum sanctum prodere hæreticum. Dicunt etiam quod non licet occidere maleficos per judicium sæculare. Quidam quadam superstitione asserunt quod animalia & bruta non liceat occidere, ut pisces & hujusmodi. Cùm autem volunt talia manducare, suspendunt ea super ignem & fumum donec per se moriantur. Pulices & alia animalia excutiunt contra ignem, vel vestem ipsam intingunt in aqua calida; & tunc ea nolunt occidisse; sed dicunt ea per se mortua esse. Ita fictas habent conscientias in aliis suis observantiis, sicut in hoc poterit æstimari, quia veritatem deserentes falsis figmentis se illudunt. Dicunt non esse purgatorium, sed omnes morientes statim transire in cœlum vel in infernum. Suffragia pro defunctis ab ecclesia facta asserunt non prodesse, cùm in cœlo non indigeant, & in inferno existentes nullatenus adjuventur. Unde dicunt quod oblationes pro defunctis factæ prosunt clericis qui comedunt, non animabus qui his non utuntur. Dicunt etiam quod sancti in cœlo non audiunt orationes fidelium, nec venerationes quibus eos honoramus. Attendunt arguentes quod cum corpora sanctorum hic mortua jaceant, & spiritui tam remoti sunt à nobis in cœlo, nullo modo valeant orationes nostras auditu percipere vel visu. Dicunt quoque sanctos non orare pro nobis, & ideo non oporteat nos implorare suffragia eorum, quod absorpti gaudio cœlesti, nobis non possunt intendere, nec aliquid aliud curare, unde derident solemnitates quas in sanctorum veneratione celebramus, & alia quibus eos veneramur vel honoramus. In diebus festivis, ubi cautè possunt, operantur, arguentes quod cum operari bonum sit, bona in die festo agere non sit malum. In quadragesima & in die jejuniorum Ecclesiæ non jejunant, sed carnes comedunt ubi audent, dicentes quod Deus non delectatur in afflictionibus amicorum suorum, cum sine his potens sit eos salvare. Quidam tamen hæretici affligunt se jejuniis & vigiliis & hujusmodi, quia sine talibus non possunt apud simplices nomen sibi sanctitatis acquirere, nec decipere simulationis figmento. Vetus testamentum non habent vel recipiunt, sed evangelia, ut per ea nos impugnent & se defendant, dicentes quod superveniente evangelio vetera omnia transierunt. Sic & verba Augustini, Jeronymi, Gregorii, Ambrosii, Johannis Chrysostomi, Isidori, & auctoritates ex libris eorum truncatas decerpunt, ut per hæc fig-

B C D E

De suffragiis pro mortuis & veneratione sanctorum.

menta sua inde approbent, vel nobis resistant, vel simplices facilius seducant, pulcris sanctorum sententiis doctrinam sacrilegam colorantes. Illas autem sanctorum sententias, quas sibi vident esse contrarias, quibus error suus destruitur, tacitè prætermittunt, dociles inter aliquos complices & facundos docent verba evangelii, & dicta apostolorum & sanctorum aliorum in vulgari lingua corde firmare, ut sciant & alios informare, & fideles illis esse, & sectam suam pulcris sanctorum verbis polire, ut putent salubria quæ persuadent; & sic per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. non solum viri sed & feminæ apud eos docent, quia feminis magis patet accessus ad feminas pervertendas, ut per illas & viros subvertant, sicut per Evam serpens illusit Adam.

Quæ sint secta ipsorum.

Duo sunt genera sectæ ipsorum. Quidam dicuntur perfecti, & hi propriè vocantur, *Poure Valdenses de Lyon*, nec omnes ad hanc formam assumunt, sed prius diu informantur, ut & alios sciant docere. Hi nihil proprium dicunt se habere, nec domos, nec possessiones, nec certas mansiones. Conjuges si quas ante habuerunt relinquunt. Hi dicunt se apostolorum successores, & sunt magistri eorum, & confessores, & circumeunt per terras visitando & confirmando discipulos in errore. His ministrant discipuli necessaria. In quocumque loco veniunt, insinuant sibi mutuo, à Domino tamen illorum. Conveniunt ad eos plures in tuto loco in latibulis audire eos & videre, & mittunt eis illuc optima quæque cibi & potus, & indicunt collectas minorum discipulis pro sustentatione eorumdem pauperum, & magistrorum suorum, & studentium qui per se sumptus non habent, vel etiam ad alliciendum aliquos quos cupiditas nummi trahit ad sectam eorum.

De habitu ipsorum. Quomodo vadunt de loco ad locum.

Vadunt etiam in diversis habitibus vestium isti curatores ne agnoscantur, & cum transeunt quandoque de domo in domum, aliquod onus deferunt in capite paleæ, vel vasis, & in obscuro vadunt, ne quis perpendat quid agant.

Ubi morantur.

Solent etiam tales mansiones habere in locis ubi habent studia sua, vel celebrant conventicula, quæ circumquaque aliis sunt inaccessibiles, ne prodantur, ut in foveis subterraneis vel aliter sequestratis.

Ubi & quando conveniunt.

Noctibus autem maximè hujusmodi con-

A venticula frequentant, quando alii dormiunt, ut libenter ministeria iniquitatis operentur. Quod autem, ut dicitur, osculentur aliqui catos & ranas, & videant diabolum, vel extinctis lucernis pariter fornicentur, non puto istius esse sectæ, quia Cathari dicuntur hoc facere, nec aliqua eorum veraciter intellexi quibus fidem adhiberem.

Docent in verbis palliatis.

Docent enim verbis coopertis loqui, ut pro veritate loqui studeant loqui mendacium: ut cùm de uno requiruntur, de alio
B obliqua respondeant, ut sic auditores versutè deludant, ubi timent per confessionem veritatis errorem suum deprehendi. Ex eadem simulatione frequentant nobiscum ecclesias, intersunt divinis, offerunt ad altare, percipiunt sacramenta, confitentur sacerdotibus, jejunant jejunia ecclesiæ, & festa colunt, & benedictiones sacerdotum inclinato capite suscipiunt, cùm hæc & omnia similia ecclesiasticæ institutionis irrideant, & prophana judicent & damnosa, sicut aliquando lupus pelle se contegit, ne lupus ab ovibus dignoscatur.

Quanta Vvaldensium dissimulatio.

C *De studio pervertendi alios & modo docendi.*

Omne studium adhibent, ut multos secum in errorem deducant. Puellas parvulas docent evangelium & epistolas, ut à pueritia consuescant errorem amplecti: & quæ ex his aliqua didicerunt, omni conatu laborant, & alios docere ubicumque invenerint qui velint æquanimiter auscultare. Ad simplices & rudes solent accedere, maximè ad eos qui non sunt fratribus Prædicatoribus & Minoribus familiares, vel aliis fidei zelatoribus, & ad loca quæ non frequentantur ab illis: & primò per simulatos sanctitatis mores ani-
D mos ipsorum ad se intentos reddunt. Deinde blandis alloquiis alliciunt in hunc modum: *Videris mihi, ô bona femina, ad hoc disposita, ut si esset qui tibi viam veritatis ostenderet, magna coram Deo terræ cito agnosceres, & Deum videres, & loquelam ejus audires, & ab ipso quæcumque posceres impetrares, & par angelis & summis sanctis in cœlo similis fieres.* Cùm ergo illa stulta tantis promissionibus illecta cœperit verba eorum avidè suscipere: quia & serpens Evam promissione scientiæ & divinæ similitudinis sublimitate seduxit, ut suis suasionibus eis acquiesceret:
E tunc hæreticus incipit eam multa docere de castitate & humilitate, & aliis virtutibus, & de cavendis vitiis, & verba Christi & apostolorum & aliorum sanctorum proponere, ut putet se illa non hominem sed angelum de cœlo audire. Jubet eam tunc clam ista tenere, & nulli omnino se prodere: quia thesaurus inventus debet abscondi ne prodatur, & secreta cœlestia non sunt passim & indignis pandenda, ut illa tanto reverentius ser-

vet audita, quo se jam æstimat à Domino Deo ad tanta arcana percipienda singulariter prælectam, vel ne etiam ipse hæreticus prodatur, vel ne ab aliquo illi dissuadeatur si sibi forte revelaret, talem doctrinam ulterius recipere, quam ille non audet apertè docere. Tradit postea aliquas orationes de B. Virgine vel de aliis sanctis dicendas, ut experiatur quàm sit docilis, & alliciat eam ad dicendum. Cùmque sic diu probavit eam, si velit esse stabilis & secretum tenere quod didicit, adjungit ei aliam doctrinam, vel doctorem qui possit secretius & sæpius cum ipsa morari sub prætextu alicujus operis vel alterius commercii, ut sic paulatim tenacius ei astringatur. Narrant ei de aliis magistris suis quanta sancti sint passi, ut & Christum videat, & audiat, & amplius eam in desiderio adhærendi sibi accendant, & magis authenticum sit ei quod eam docuerunt, & securius ei aperiant erroris sui doctrinam. Non enim facile cuiquam aperiunt sectam erroris sui, nisi postquam securi sunt quod credat eis in omnibus, timentes quod recedat ab eis & prodat eos. Primò ergo docent quales esse debent Christi discipuli ex verbis evangelii & apostolorum, dicentes tantùm esse illos apostolorum successores qui eorum vitam sequuntur. Ex hoc arguendo inferunt, quod papa & episcopi nostri & clerici qui divitias sæculi habent & sanctitatem apostolorum non imitantur, nec sint ecclesiæ gubernatores, nec talibus dignetur Christus dilectam sponsam suam ecclesiam committere, qui potius prostituant eam malis exemplis & malis operibus, quam virginem castam Christo exhibeant custodiendo eam in illa puritate quam accepit ab ipso, & ideo eis non esse obediendum. Dicunt etiam quod immundus non potest alium mundare, nec ligatus alium solvere, nec reus potest reo judicem sibi iratum placare, nec qui in via perditionis ambulat potest alii ducatum præbere. Dicunt etiam quod per astutiam suam & potentiam suam clerici tenent laïcos sibi subjectos, ut dent eis decimas & oblationes, ut inde alantur & luxurientur, & concubinas & parvulos suos pascant. Ideo autem clero detrahunt, ut cum eos exosos reddiderint, non credatur eis, nec obediatur. Quo facto, cùm laïci docere nesciant, ipsi hæretici fiunt doctores populi, ut omnes abducant post se. Ex occasione ergo perversitatis quorumdam clericorum, inducunt eos in detestationem omnium clericorum. Dissuadent ergo dari eis oblationes, decimas, & alia similia, dicentes quod hæc & alia tantùm pro sua utilitate statuerunt, & causa lucri omnia ecclesiastica ordinaverunt instituta. Non solum autem clericos in judicio suo condemnant, sed & omnes eis obedientes juxta illud: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, cùm aliquem seduxerint, blandiuntur etiam hoc modo: *Modo primum ad veram lucem venisti, modo aurum veræ doctrinæ invenisti, qui prius cuprum pro auro deceptus tenuisti*, & hujusmodi. Finxerunt etiam quosdam rithmos, quos vocant triginta gradus S. Augustini, in quibus docent quasi virtutes sectari & vitia detestari, & callidè inserunt ritus suos & hæreses, ut melius alliciantur ad ea dicenda & fortius inculcent ea memoriæ, sicut nos laïcis proponimus symbolum, Dominicam orationem, & alia pulcrà hujusmodi causa confinxerunt.

Hæretici papæ & episcopis contrarii.

Matth. 15. 14.

A B C D E

Quomodo dispensaverunt ut possent jurare.

Diffinierunt olim non jurare omnino, sed quia per hoc facilius deprehendebantur & condemnabantur, cautè dispensaverunt modo jurare pro se, vel pro alio à morte liberando & defendendo. Cùm autem jurare compelluntur, aut palliatis verbis jurant, ne putentur jurasse: sed fictè agunt ex his diversis modis. at si cogantur ab alio jurare, refundunt peccatum in ipsum, ut ipsi videantur immunes. Aut si jurant per se timore mortis, proponunt facere pœnitentiam, ut pro XIV. perjuriis teneantur unum attrahere ad sectam suam pro satisfactione peccati.

De familiaritate clericorum vel religiosorum.

Ingerunt se aliquando simulatè familiaritatibus religiosorum & clericorum, ut sic se contegant, & si facta fuerit inquisitio de hæreticis, defendantur ab eis; & largiuntur eis propter hoc munera, & recipiunt eos in hospitio, redimentes per hoc vexationem suam; ut sibi & suis liberiorem latendi & vivendi, & nocendi animabus opportunitatem conquirant, sicut de facto pluries comperimus. Frequentant ecclesias & prædicationes, & in omnibus religiosissimè se gerunt. mores autem compositos habent, verba limitata & cauta, libenter loquuntur de Deo, de sanctis, & de virtutibus, de vitiis cavendis, & aliis bonis agendis, ut per hoc meliores habeantur, & si quis eos audire cœperit, ut isti tunc secretiùs perfidiæ suæ infundant venenum, & favorem vitiorum suorum acquirant. Quicumque in secta eorum stabilis manserit, etiamsi in aliis peccatis sit mortalibus, in fornicatione, usuris, & aliis, dant ei spem salutis; quia dicunt hujusmodi perfidiæ suæ confessionem in morte facile abolendam, vel per manus impositionem alicujus doctoris ipsorum. Præficiunt se sanctis in cœlo etiam B. Virgini, in eo quod dicunt se ita dilectos, quòd quidquid petierint à Deo exaudiantur, cùm tamen videamus quod non obtinent, ut omnes hæretici, & quod nullus eorum pro hæresi concremetur: quod certum est eos satis desiderare, & sic mentitur iniquitas sibi, asserendo vel promittendo falsa, omnes autem sanctos in cœlo dicunt nihil valere impetrare orando.

De non occidendo.

Licet autem dicant non debere quemquam occidere, & ipsi personaliter non occidant, quamvis sine causa gladios, vel arma ferant, pro simulatione tamen dant complicibus suis intelligere, præstari obsequium Deo, si occidunt aliquando tales per quos timent exterminari. Et sic fuit occisus S. Petrus de ordine Fratrum Prædicatorum & quidam alii.

Quomodo attrahunt mulieres potentes.

Student diligenter attrahere sibi aliquas potentes & nobiles feminas, ut per illas etiam viros vel cognatos earum sibi faciant faventes; ut sic liberiùs in terris illis se dilatent, & nullus audeat eos tangere sub tuitione illorum munitos.

Quomodo impediunt prædicationem.

Nam si forte aliquis in prædicatione quandoque cœperit informare populum, ut caveant sibi ab hæreticorum erroribus, illi commovent seditionem contra eum, quod velit infamare civitatem de hæresi, cùm nullus sit ibi manifestè deprehensus hæreticus, ut etiam populus fidelis ei indignetur, quod tantam injuriam velit eis inferre, & ita compescant eum, ut de cetero nec ille, nec alius audeat de cavendis hæreticis facere mentionem. Si etiam inquisitio facta fuerit de hæreticis, timore illorum potentium nullus audeat eos accusare, vel contra eos testificari, & apud judices infamati precibus vel muneribus, vel pro timore mali eos inclinant, & sic de infamia expurgantur, & ex hoc efficiuntur audaciores hæretici ad nocendum.

De modo prædicandi hæreticis.

Unde videtur iste modus in talibus locis in prædicando de fide utilior, ut proposito aliquo fidei articulo, dicatur Ista est vera fides, & ita credit sancta Ecclesia: sed hæretici è contra hoc & hoc asserebant: unde quicumque forte veniret, & sic palam vel occultè doceret, illum velut hæreticum tenere deberetis. Per talem enim modum loquendi os hæreticorum obstruitur, & fideles in fide muniuntur, & non habent causam quod de hæresi infamentur.

De detractione hæreticorum contra clericos.

Multum autem gaudent hæretici, quando populus contra clerum & doctores Ecclesiæ provocantur: quia tunc audaciùs audent clero detrahere, & laïcos in detestationem cleri inducere, quando populus stat contra clerum & doctores Ecclesiæ: quasi sub communi intentione, & facile tunc possunt laïci trahi in hæresim; quia qui mecum inimicum meum

A persequitur, hunc quasi amicum reputo; & si quid mihi mali de ipso persuadere voluerit, facile acquiesco. Et hoc astuti hæretici attentare non negligunt, ubi viderint opportunum: unde tempore dissentionis quæ fuit inter Dominum INNOCENTIUM papam IV. & FREDERICUM quondam imperatorem & ejus fautores, quemdam principem Theutoniæ, qui ob hanc causam erat Ecclesiæ adversarius & cleri inimicus, jam disposuerant inimici persuasionibus aggredi, & ad se allicere, nisi Deus hunc subito sublatum de medio prævidisset, & Ecclesiam suam à tanto malo defendisset: & ideo valde male faciunt

B qui quacumque occasione laïcos provocant . . . cleri: quod tamen ipsi clerici maximè faciunt per mala exempla, & extorsiones pecuniæ, & multiplicationes excommunicationum aliquotiens indiscretè, quia minus malum quandoque prudenter dissimulandum est, ubi majus & irremediabile è vicino timetur. Excommunicationes indiscretæ improbatur.

De modo procedendi contra hæreticos.

Citiùs autem quisque ipsorum qui subversus est, inducetur per se confiteri hæresim, quàm quod alios accuset vel prodat. Si autem videt non sibi prodesse propriam con-

C fessionem ad evadendam mortem, nisi & alios prodat mortuos, vel longè absentes, vel jam convictos, vel illos de quibus non potest dubitari ex quo ipse talis fuerit, quin etiam illi scierint eum talem esse, ut conjugem vel domesticos familiares, vicinos autem & notos vix numquam sponte prodet. Extrema etiam quædam & parva solum de domesticis suis dicet, videlicet quòd audierit eos discere orationem unam ab hæretico, vel exhortationem de cavendo mendacio, & hujusmodi; & tacet illa in quibus possent hæretici judicari.

D *Quomodo deprehenduntur fautores hæreticorum.*

Facilè possunt deprehendi hæreticorum fautores, & per hæc quinque indicia satis probabilia. Unum est, quicumque clam visitant eos dum captivi tenentur, & susurrant cum eis, & victualia ministrant eis, suspecti sunt quòd eorum sint discipuli & fautores. Secundum est, qui valde lamentantur de eorum deprehensione vel morte, videntur eorum amici speciales fuisse dum viverent. Esse autem hæretico diu familiarem & ejus ignorare sectam vix est credibile. Tertium est,

E quicumque causantur, quòd injustè sunt condemnati postquam apertè convicti fuerint, vel etiam confessi de hæresi, apparet quod eorum sectam approbant & Ecclesiam reputent errare quæ eos condemnat. Quartum quicumque amarum vultum habent ad illos qui persequuntur hæreticos, vel prædicant contra hæresim efficaciter, sicut potest tunc in oculis & naso & aspectu talium notare qui

Vuuuu iij

velit advertere, ita quod non possunt eos rectis oculis aspicere, suspectum est valde quod odio habent illos contra quos cor eorum ita amarescit, quod etiam in vultu apparet, & diligunt illos de quorum exterminio tantùm dolent. Quintum est si aliqui furtive inveniuntur ossa hæreticorum combustorum nocte colligere quasi reliquias, dubium non est, quin eos pro sanctis venerentur, quorum ossa pro sanctuario recondunt, & esse hæreticos sicut illi. Nullus enim habet hæreticum pro sancto, nisi qui ejus sectam credit esse sanctam, & talis est hæreticus sicut ille. Hæc indicia vehementem faciunt præsumtionem contra illos de hæresi, etsi non plenam probationem ad condemnationem, nisi & alia concurrant argumenta, ex quibus liquido constaret prædicta eos in favorem hæresis fecisse.

De reducendis timore mortis vel carceris.

Qui vero profundè adhuc immersus est in hæresim, potest aliquando reduci per minas mortis, etiamsi tunc spes detur ei quod permittatur vivere, si velit confiteri purè, & errores quos didicit, & alios prodere, quos de secta cognoverit. Si autem recusat hoc facere, recludatur in carcere, & incutiatur ei timor, quod testes contra eum habeantur, & si per testes fuerit convictus, nulla fiet ei misericordia, quin morti tradatur, & sustentetur tenui victu, quia timor talis humiliabit eum: & non permittatur aliquis accedere complicum suorum, ne roboret eum vel instruat quomodo callide respondeat, & nullum prodat, nec alii accedant, nisi aliquando duo fideles & providi, qui cautè quasi compatientes moneant eum ut à morte se liberet, & confiteatur quod erravit, & in quibus, & promittant ei quod si hæc fecerit, quod tunc poterit evadere, nec cremetur. Timor enim mortis & spes vitæ emolliunt cor quod vix aliter possunt emollire. Loquantur etiã ei blandiendo sic: *Non formides securè confiteri, si fortè quia credebas illos bonos homines, quia ista & ista dicebant, adhibuisti eis fidem, & libenter audiebas eos, & dedisti eis de substantia tua, vel fecisti eis confessionem, cum omnes ... & diligeres eos quos putabas esse bonos & malum nescires de ipsis: hoc enim posset contingere multo sapientioribus quàm tu es & sic decipi.* Si cœperit ex his emolliri, ut velit aliqua dicere se aliquando audisse ab hujusmodi doctoribus in angulis de evangelio, & epistolas & consimilia; pedetentim quæratur si hoc vel hoc credant illi doctores, videlicet quod non sit purgatorium, si non prosint suffragia pro defunctis; si malus sacerdos cùm sit ipse peccato ligatus, possit alios pœnitentes à peccatis absolvere, & sic de sacramentis ecclesiæ. Postea quæratur cautè si ipse eorum doctrinam crediderit bonam & veram. quod si concedat, jam confessus est se hæresim credidisse. Qui autem credit hæresim esse bonam & veram, cùm hoc habeat ab illis quos scit ab Ecclesia pro hæreticis haberi, jam est credens hæreticorum, & hæreticus judicatur. Si autem nude quæras, si ipse prædicta crediderit, non respondebit, quia timet quod velis eum capere, & pro hæretico accusare: unde cautè per aliam viam deprehendendus est, ut dixi. Vulpes enim astutæ sunt subtili astutia capiendæ: unde tali modo quære, non quasi velis discere, quid illi magistri & complices eorum credant. Singulariter autem de quolibet articulo in quibus errant perquire, donec habeas sufficiens testimonium de hæresi convincenda, quia aliter vix prodet per se errores eorum. Adjuretur etiam districtè quod nihil contra veritatem, vel nullum scienter de aliquo accuset.

De modo examinandi hæreticos.

Si autem aliquis infamis & suspectus offertur examinandus, licet nimis sit tædiosum cum talibus occupari, tamen propter aliquam notitiam examinandi aliquas vias ostendamus quasi vulpium calles, in quibus possint aliquatenus comprehendi. Si litteratoriè aliquis contra fidem disputaret, per fideles Ecclesiæ litteratos facile convinceretur hæreticus, cùm eo ipso jam censeretur hæreticus, quo defendere niteretur errorem. Sed quia moderni hæretici magis quærunt latenter palliare errores suos, quam apertè profiteri; litterati per scientiam litterarum & scripturarum non possunt eos convincere, quia non procedunt per viam illam: & potius confunduntur ab eis viri litterati, & hæretici per hoc roborantur, videntes quod nostris litteratis ita illudunt, quod quasi de manibus eorum credentes per suas vulpinas versutias & tortuosas responsionum ambages callidè elabuntur. Una enim vilis focaria, sicut ipse vidi & audivi per plurimos dies, litteratos viros & electos tam sæculares quàm religiosos diversorum ordinum taliter fallendo decepit, qui eam quasi innocentem dimittere volebant, nisi quod nutu Dei ipso die quo dimittenda fuit, ossa cujusdam nuper combusti hæretici in arca ipsius inventa sunt, quæ manu propria nocte pro reliquiis collegerat, sicut testabantur aliæ ejus sociæ, quæ cum ipsa similiter collegerant eadem ossa, quæ super hoc postea pœnitentiam ab Ecclesia susceperunt. Et ut amplius mireris perversæ gentis nequitiam, vilis hæretica argueretur, quod tot mendaciis tantos viros tot diebus negando fefellerit, & in argumentum deprehensionis ejus de inventis ossibus illis exprobraretur, & ipsa territa confiteretur, se ad hoc inductam à diabolo, cùm viri illi deliberarent quid de ipsa facerent, illa mira versutia aliam viam negandi iterum reperit dicens: Ex his quæ in arca mea ossa invenistis, non potestis me convincere hæreticam esse, quia medio tempore quo hic detenta mansi, alius qui me oderat potuit in eam reponere ossa

illa. Tamen propter hoc non evasit. Talis ergo etiam vilis persona quæ nosset hæreticorum fallacias, citius convinceret hæreticum, quam magnus Theologus qui Parisius diu in cathedra rexisset.

De modo hæreticorum comprehensorum.

Iste tamen pro parte solet esse mos eorum. Cum aliquis eorum captus offertur examinationi, venit quasi intrepidus & quasi nullius mali conscius & securus.

Qualiter examinantur.

Interrogo eum qua ex causa sit adductus. Respondet valde mansuete & subridendo, Domine libenter discerem à vobis causam. Dico, Incusaris quod sis hæreticus; & alia quàm sancta Ecclesia credat credas & doceas. Respondet cum magna fiducia elevatis ad cœlum oculis: Domine tu scis quod de his innocens sum, & quod numquam aliam habui, nisi veram fidem christianam. Dico, fidem tuam dicis christianam, quia fidem nostram reputas falsam & hæreticam. Sed adjuro te quærens si umquam aliam fidem pro vera didiceris vel credideris, quàm illā quam gens & Ecclesia Romana credit esse veram fidem. Respondet, Illam fidem quam Ecclesia tenet ego pro vera fide habeo. Dico, Complices erroris tui credis esse sanctam Ecclesiam, & illius fidem credis? Respondet, Veram fidem quam Romana Ecclesia credit, & quam vos ipsi prædicatis nobis apertè, ego credo. Dico, Forte Romæ aliquos habes de secta tua, & illos vocas Romanam Ecclesiam, & illorum fidem tenes. Ego cum prædico diversa loquor, & aliqua dico in quibus etiam videmur consentire, ut vivum Deum esse. Ita & tu aliqua credis eorum quæ prædico. Nihilominus tamen posses esse hæreticus, si alia non credis quæ similiter sunt credenda. Respondet, Omnia credo, quæ debet credere Christianus. Dico, Versutias tuas intelligo, quia, ut supra dixi, illa judicas christiano esse credenda, quæ complices sectæ tuæ credunt. Sed quia nimis longum foret hujusmodi cavillationibus contendere, dic simpliciter: Credis in unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum? Respondet promtè, Credo. Credis Christum de Virgine natum, passum, resurrexisse & ascendisse in cœlum? Respondet alacriter, Credo. Credis panem & vinum in missa per sacerdotes cum celebrant in corpus Christi virtute divina mutari? Respondet, Nonne deberem hoc credere? Dico, Non dico vel quæro si debeas credere, sed si credas. Respondet, Credo quicquid vos & alii boni doctores me jubetis credere. Dico, Illi boni doctores quibus vis credere sunt magistri sectæ tuæ, cum quibus si ego sentio, credis & mihi; si alias, non credis. Respondet, Etiam vobis libenter credo, si quid me docetis quod mihi sit bonum. Dico, Hoc judicas tibi bonum si hoc doceo te, quod & alii magistri tui: dico ergo, Credis in altari esse corpus Domini nostri Jesu-Christi? Respondet promte, Credo. Et dico, Scis quod ibi est corpus, & quod omnia corpora sunt Domini nostri. Quæro autem utrum sit ibi illud corpus Domini quod natum est de Virgine, quod pependit in cruce, resurrexit, ascendit, &c? Respondet, & vos Domine numquid ita creditis? Dico ita omnino credo. Respondet, & ego similiter credo. Dico, Credis me ita credere, quod ego non quæro, sed quæro utrum tu ipse credas? Respondet, Si omnia quæ dico vultis aliter interpretari quam sanè & simpliciter, tunc nescio quid debeam respondere. Simplex homo sum & illiteratus, nolite me capere in verbis meis. Dico ergo, Si simplex es, responde & age simpliciter sine palliatione verborum. Respondet, Libenter dico. Vis ergo jurare quod numquam didicisti aliquid, quod sit contra fidem, quam nos credimus esse veram? Respondet aliquantulum pavidus: Si debeo jurare, libenter jurabo. Dico, Non quæro utrum debeas, sed an velis jurare. Respondet, Si jubetis me jurare, jurabo. Dico, non cogo te jurare, quia cum credas esse illicitum juramentum, velles refundere culpam in me, qui te coegissem: sed si tu juraveris ego audiam. Respondet, Ut quid ego jurem si non jubetis? Dico, ut auferas mihi suspicionem quod non reputem te hæreticum esse. Respondet, Domine nescio, nisi vos doceatis me. Dico, Si ego deberem jurare, tunc elevata manu, & digitis, ut solet, extensis dicerem, Sic me Deus adjuvet, quod numquam didici hæresim, nec credidi quod sit contra veram fidem. Tunc ille tremiscens, & quasi qui nesciat eadem formare verba, cespitabit in eis, ut vel ipse vel alius interloquatur, ne fiat directa forma jurandi, sed quædam loquitur non juratoria, ut tamen ab aliis putetur jurasse. Si autem continuaverit verba illa, tunc intendit revolvere verba illa, non per illa jurare, & sic fallere circumstantes, ut putetur jurasse. Aut enim formam jurandi convertit in formam orandi, ut, sic me Deus adjuvet quod non sum hæreticus, vel simile: aut verba juramenti tantùm revolvendo muniet, non jurando. Cùm autem quæritur an juraverit, respondet, Nonne audisti me jurare?

Omnes istas interrogationes & responsiones audivi etiam ab illis hæreticis qui postea sunt conversi, ut sciatur quod tales vias in interrogatione solent habere. quando autem interrogationibus arctantur, aut morosè deliberant, quomodo callidè respondeant, non directè ubi timent deprehendi, aut ad aliud quàm ad principalem interrogationem respondent, aut dicunt se esse simplices, aut non sapere sapienter respondere. Cùm autem vident quod astantes videntur eis compati quasi simplicibus, quibus fiat injuria, & in quibus nihil mali inveniatur, sumunt fidu-

ciam & simulant se flere, & miserabiles se ostendere examinatoribus, ut sic eos ab Inquisitione deflectant. Dicunt autem, Domine, si in aliquo deliqui, libenter portabo pœnitentiam, tantùm juvate me, ut ab ista liberer infamia, de qua sum sine culpa & ex invidia infamatus: sed strenuus Inquisitor non debet flecti his adulationibus, nec credere eorum simulationibus; sed constanter instet ut aut inducat eos ut confiteantur errorem suum, aut saltem abjurent hæresim publicè, ut si postea deprehendantur falsum jurasse, sine audientia tamquam subversi penitus relinquantur judicio sæculari.

Si autem aliquis consentit jurare se non esse hæreticum, dico ei, Si vis jurare ut sic te ab incendio liberes, non sufficit mihi unum juramentum, nec duo, nec decem, nec centum, nec mille, quia inter vos dispensatis de certo numero juramentorum, quando necessitas angit, sed sine numero juramenta volo requirere. Insuper si habeo ad hæc testes contra, sicut præsumo, non proderunt tibi juramenta tua quin cremeris. Et tunc maculasti conscientiam tuam contra eam jurando, & inde non evades mortis sententiam. Si autem simpliciter confessus fueris errorem tuum, poteris misericordiam invenire. In tali anxietate vidi aliquos confiteri errores suos, ut evaderent: aliquos enim vidi apertè confiteri, quia ex quo non prodesset eis semel vel sub certo numero jurare, ut evaderent, tunc omnino nollent jurare, illicitum esse omne juramentum apertè asserentes. Et cùm quæritur ab aliquo eorum quare noluit jurasse, si reputabat esse illicitum. Respondebit, Volui me liberare à morte per hoc, & vitam meam conservare, & pro peccato postea pœnitentiam subire. Per illas autem prædictas responsionum fallacias intendunt aut occultare se, ut quasi innocentes evadant, aut ut Inquisitores tædio lassati desistant eos insequi, sicut venator diu insequens feram, tandem lassus relinquit eam: aut ut infametur Inquisitor apud laïcos quod simplices homines sine causa infestet, & quærat occasionem perdendi eos, nimis cautelosè examinando illos. Nimis enim grave est hæreticos deprehendere, ubi non apertè confitentur errorē, vel ubi non habentur certa testimonia, quia timor conscientiæ angit ex una parte & infamia si condemnat innocentes: ex altera parte nocumentum fidei, si evadunt vulpes astutæ vineam Domini demolientes, quæ ex hoc roborantur & multiplicantur, & callidiores efficiuntur: ex tertia parte quod laïci fideles inde sumunt materiam scandali, quod incœptum inquisitionis negotium quasi confusè relinquitur, & infirmantur in fide, videntes quod litterati viri sic à rudibus vel vilibus personis illuduntur, quia credunt nos ipsas fidei rationes ita in promtu & lucidas habere, quòd nullus in his nobis valeat obviare, quin statim sciamus eum convincere, ita quod & ipsi laïci clarè possint ipsas intelligere rationes, & ubi hoc non fit, non expedit coram laïcis multum de fide disputare. Duabus autem causis statutum est, quod hæretici prius debent in judicio spirituali examinari & judicari, quàm sæculari judicio derelinquantur: una quia hæresis est spirituale peccatum, & non potest nisi à litteratis & peritis in Scriptura sacra dijudicari plenè, qui regulas fidei scire debent & docere. Alia, ut exhibeatur eis locus pœnitentiæ, si volunt redire purè ad Ecclesiam, quia judicium spirituale clementius est, quàm sæculare. Ubi autem aliquis convincitur esse hæreticus, & non ostendit per evidentia signa, quòd verè sit pœnitens in eo quod purè non confitetur omnes errores suos, & non prodit omnes quos scit hæreticos & sectas eorum; quid restat nisi ut abscindatur ab Ecclesia tamquam membrum putridum, ne sana membra per ipsum corrumpantur? Paulus: *Utinam abscindantur qui vos conturbant.* Unde quicumque clerici talem relinquunt judicio sæculari, non fiunt irregulares per homicidium, licet postea ille occidatur, sed tantùm denunciant populo quòd talis est hæreticus judicatus, de quo non habetur certa spes correctionis, secundùm formam juris, & ideo sciant eum ab Ecclesia condemnatum, & non permittant eum in periculum animarum & subversionem fidei in finibus suis morari, sic diligunt fidem christianam & famam suam: quia qui hæreticos non exterminant, judex vel alii ad quos pertinet, fautores eorum reputantur. Tunc illi secundùm statuta legum suarum judicent eum, vel ad exilium, vel ad perpetuum carcerem, vel ad aliam pœnam, sicut expediens videbitur. Denuntietur etiam populo qualiter & in quibus convictus vel confessus est se errasse: vel caveatur ne permittatur excusare se, vel alio modo se innocentem fingere, ne populus scandalizetur, putantes eum injustè damnatum, ne quæratur, si velit redire, quòd tunc permittatur vivere, quia si hoc promitteretur, & tamen occideretur, scandalum esset laïcis. Si autem evaderet, periculum esset fidei: cùm vix deinceps aliquis hæreticus permitteret se cremari, si posset ita evadere. Moneri autem potest ad sinceram ab errore conversionem, ut evadat æternam damnationem, pœnitentiam peccatorum, & puram & apertam sui erroris confessionem. Quod si ad ista non flectitur, constat quod pro evasione mortis corporalis se velle redimere promitteret, fictè id faceret, non credens se pro sua hæresi esse æternaliter damnandum. Unde talem pro ejus fictione dimittere, sic esset sicut qui lupum in cavea se humiliantem in spe correctionis abire permitteret: immo tales sæpe efficiuntur nociviores ex torpore christianorum circa zelum fidei, & stulta eorum compassione amplius animati, sicut pluries est compertum.

Hæretici à spirituali prius quàm sæculari judice examinandi.

Gal. 5. 12.

De avaris judicibus & infectis.

Sciendum est quòd judices tam ecclesiastici,

ftici, quàm fæculares & advocati & confiliarii, & quilibet alii ad quos habetur recurfus in negotio hæreticorum, fi funt avari, quòd poffunt corrumpi muneribus, vel funt infecti perfidia, vel habent propinquos infectos, vel etiam fufpectos de hærefi, vel propinquos propinquorum infectos vel avaros, quibus acquiefcunt ut à juftitia devient, judicium de hæreticis vix habebit efficacem proceffum, quia quærent diverfas vias, quibus cautè poffint proceffum hujufmodi per varias aftutias impedire, & tamen in aperto fimulant fe ad exterminium hæreticorum valde fervere, & culpant Inquifitorum negligentias, quare non expeditè in examinatione procedant, vel ut reos fæculariter puniendos tradant, vel innocentes abfolvant, dicentes fe promtiffimos effe ad omnia quæ pro fidei facere juberentur promotione. Et hoc faciunt in dolo, ut fuam malitiam contegant & hæreticos defendant, & Inquifitores infament quafi negligentes & ftultos, qui incipiant negotia, quæ nefciant congrue perficere, & ob hoc de cetero nolint eis in hujufmodi negotio cooperando aftare. Et fic hæretici deinceps fecuriores erunt & ad nocendum audaciores.

Doctrina pro Inquifitoribus.

Nota quod Inquifitor femper debet fupponere factum, fine aliqua commendatione, & quærere de circumftantia facti, ut dicat, quotiens fuifti confeffus hæreticus? In qua camera jacuerunt in domo tua? & fimilia.

Item, poteft Inquifitor refpicere in aliquo libro, quafi ibi fcripta fit vita hæretici & quicquid quæretur ab eo.

Item, in privata confeffione debet imponi hæretico quòd accufet fuos focios, aliter non verè pœniteret.

Item, quando hæreticus non plenè confitetur errores, vel accufat complices, ad terrorem dicatur ei: Bene videmus quid eft. A Cogita de anima tua, & perfectè abnega hærefim, quia te oportet mori, & recipere in bona pœnitentia quicquid tibi evenerit. Et fi tunc dicat: Ex quo debeo mori, melius volo mori in ifta fide, quàm in fide Ecclefiæ; certum eft quod fingebat fe pœnitere; & tunc talis folet exponi juftitiæ.

De circumcifione Chriftianorum judaizantium.

Nota quòd Judæi aliter circumcidunt pueros; & aliter Chriftianos noftros adultos quando judaizant: quia fcindunt eis pellem defuper femiplenè, non totum circulum ficut B in pueris fuis faciunt. Nota etiam quòd tradunt Chriftianis qui fiunt Judæi cartam judaizationis, quam femper debent fecum portare; aliter alii Judæi non biberent cum eis. Et debet continere loco fingulorum nomina magiftrorum qui eos debaptizaverunt.

Quomodo fe cognofcant inter fe hæretici.

Nota, dictum eft mihi à quodam facerdote qui audivit hoc in confeffione à quadam hæretica, quod in principio quando hæretici fibi obviant, nec cognofcunt fe, faciunt & dicunt quod fequitur. *Pren le par l'oreille.* Et ipfe refpondet: *Bien venant foyez-vous,* C *parlerez-vous, ou fi je parleroi? Parles, quar il me pleft bien que vous parles. Quand nous orons, fi parlons à Dieu. Quand nous recordons, fi parle Dex à nous. Or reparles, quar il me pleft bien. Ce dit faint Pol, Ne mentir. Ce dit faint Jaques, Ne jurer. Ce dit faint Pierre, Ne rendre mal por mal, mes biens contraires. Qui en fi grand defir con lia d'avoir le bon jour, plus grant defir ait l'ame d'avoir lon.*

Item ita dicunt, quando comedunt carnes in diebus prohibitis. *Dex ne commanda onques feftes, ne ne voia char à mangier au chief du feptiefme jour, vous repoferez. C'eft noftre creance.*


Bien ha hecho el Autor de ocultar su nombre, porque merece ser quemado, mas que sy heresy confesor





DOCTRINA
DE MODO PROCEDENDI CONTRA HÆRETICOS

Este y otro Barbaro, como el antecedente —



ISTO modo procedunt Inquisitores in partibus Carcassonensibus & Tholosanis. Primò accusatus vel suspectus de hæresi citatur: qui veniens jurat super sancta Evangelia super crimine hæresis vel Valdesiæ tam de se quàm de aliis, tam vivis quàm defunctis dicere plenariam quam scit veritatem: & si celaverit, vel negaverit, in carcere ponitur, & detinetur donec fuerit confessus. Si autem dicit veritatem, diligenter ejus confessio per notarium publicum scribitur; & si errat in dicendo, ille qui confitetur potest se emendare, & ejus confessio corrigitur. Facta autem confessione vocantur duæ personæ religiosæ, in quarum præsentia ejus confessio sibi recitatur: qua recognita, & sic depositione facta, abjurat hæresim. Jurat etiam quod fidem Romanæ Ecclesiæ servabit, & stabit mandatis Ecclesiæ & Inquisitorum, & complebit pœnitentiam sibi ab Inquisitoribus injungendam. quo facto, absolvitur & reconciliatur, & in fine suæ depositionis scribitur sic. *Hæc deposuit in tali loco, coram tali & talibus Inquisitoribus, in præsentia & testimonio talis & talis, & mei talis notarii, qui hoc scripsi; & fuit reconciliatus.* Relapsi tamen qui sunt relinquendi, non reconciliantur etiamsi petant, nec hæretici perfecti, quia non petunt nec volunt. Et quando plures sunt confessi qui sufficiunt ad faciendum unum sermonem, tunc Inquisitores ad locum determinatum ab eis vocent jurisperitos, fratres Minores, & Prædicatores, & ordinarios, sine quorum consilio vel suorum vicariorum numquam aliquem condemnent: & congregato concilio, Inquisitores abstractionem brevem substantiam confessionis continentem in concilio, non expresso nomine confitentis, proponunt dicentes sic: *Quædam persona talis diocesis sic*

A *& sic fecit.* Tunc respondent consiliarii: *Pœnitentia ad arbitrium Inquisitorum est ei injungenda*, vel *Ista persona est immuranda, vel relinquenda.* Quo facto citentur omnes quod tali die coram Inquisitoribus compareant, culpas suas recogniturі, & die Dominica sequenti pœnitentias pro suis culpis recepturi. Tunc Inquisitores vocent prælatos, abbates, priores, guardianos, ballivos, & in eorum præsentia & totius populi ad hoc convocati & congregati, primò vocantur omnes qui confessi fuerant, & in confessione sua perdurant; alias si negant, in carcere reponantur, & recitentur culpæ eorum.

B Primò illorum qui debent habere pœnitentias arbitrarias, & dentur eis cruces, & peregrinationes majores vel minores, secundùm exigentiam culparum, & perjuris dentur cruces duplices, aliis simplices. Perjuris datæ cruces duplices aliis simplices.

Postmodum istis cum crucibus exeuntibus, recitentur culpæ immurandorum, ita quod unus surgit post alium, & stat donec lecta sit & recitata ejus confessio. Quibus recitatis, sedet Inquisitor, & sedendo dat sententiam, primò in latino, postea recitatur statim in gallico. Postmodum recitentur culpæ relapsorum; & data sententia, prædicto modo relinquitur. Et in fine sententiarum sic scribitur & pronunciatur, *Lata fuit hæc sententia anno tali & die tali, in loco tali, & in*

C *præsentia & testimonio talium.* Illi autem qui relinquuntur pro relapsu, ipso die quo judicantur, non debent comburi, sed induci ad confitendum. Et debet eis dari Eucharistia si petunt, & appareant signa pœnitentiæ. Sic enim vult & consulit Dominus papa. Eucharistia reis dat.

Qui dicantur hæretici, qui suspecti, & sic de singulis.

In primis quæritur qui dicantur hæretici, qui suspecti, qui fautores, qui receptatores, Hæretici quis dicatur.

qui defensores, qui relapsi, cùm ista genera hominum in canone explicentur. Et videtur quòd hæretici sint illi qui in suo errore perdurant, sicut Insabbatici, qui dicunt aliqua causa non esse jurandum, & potestatibus ecclesiasticis vel sæcularibus non esse obediendum, & pœnam corporalem non esse infligendam aliquo casu, & similia. Credentes verò dictis erroribus similiter hæretici sunt dicendi. Suspectus de hæresi potest dici qui audivit prædicationem vel lectionem Insabbatorum, vel qui flexit genua orando cum eis, vel qui credit ipsos Insabbatos esse bonos homines, vel alia quæ possent probabilem suspicionem inducere. Et potest dici suspectus simpliciter qui semel oravit, vel alterum de prædictis fecit cum eis.

Suspectus de hæresi.

Si vero pluries audierit prædicationem, vel lectionem, vel orasset, vel aliquid aliud de prædictis fecisset; tunc posset dici vehementer suspectus.

Si autem prædicta omnia fecisset maturè, si pluries, posset dici vehementissimè suspectus; & ista ideo dicimus, ut discretus judex possit purgationem gravare vel moderare prout magis visum fuerit expedire.

Celatores. Celatores credimus eos qui viderunt Insabbatos in platea, vel domo, vel alio loco, & cognoverunt eos Insabbatos, & non revelaverunt eos, cùm habent aptitudinem revelandi Ecclesiæ, vel justitiario, vel aliis qui possent eos capere & vellent.

Occultatores. Occultatores qui fecerunt pactum de non revelando hæreticos vel Insabbatos, vel alias procuraverunt, ut non revelarentur.

Receptatores. Receptatores qui bis vel ter vel ultra receperunt hæreticos vel Insabbatos in sua domo vel alio loco suo. Receptatores qui semel receptaculum esse domum vel hospitium in quo hæretici vel Insabbati bis vel pluries convenerunt ad prædicationem, collationem, vel orationem, vel etiam ubi hæretici vel Insabbati pluries hospitentur.

Defensores. Defensores qui scienter defendunt hæreticos vel Insabbatos, facto vel verbo vel quocumque ingenio in terris suis vel etiam alibi, quominus ecclesia valeat exercere suum officium ad extirpandam hæreticam pravitatem.

Fautores. Fautores credimus posse dici omnes supradictos secundùm magis & minus, & etiam qui alias quocumque modo eis dederint auxilium, consilium & favorem. Et omnes fautores credimus posse dici omnes supradictos suspectos, ita quòd debent se purgare, & abjurare hæresim, & omnem fautoriam, & debent matri Ecclesiæ reconciliari.

Relapsi. Relapsos credimus illos qui post abjuratam hæresim vel renunciatam in pristinam hæresis credentiam revertuntur. Eodem modo dicimus relapsos in fautoriam illos qui post abjuratam hæresim vel fautoriam benefaciunt hæreticis, vel celant eos; & omnes prædictos dicimus excommunicatos anathemate.

Sententia contra fautorem.

Sententia autem contra fautores formabitur ut infra: *Pateat omnibus quòd per ea quæ inventa, probata & acta sunt in inquisitione, liquido nobis constat quod talis deprehensus est in fautoriam. Denunciamus ipsum excommunicatum & suspectum de hæresi. Et hoc, si non fuerit absolutus, & si per annum contemserit satisfacere, subjaceat pœnis concilii generalis; & si defecerit in purgatione, & in excommunicatione steterit per annum, ut hæreticus condemnetur.*

De hæreticis dogmatizantibus & relapsis in incredentiam quid sit agendum.

Dubitatio oritur apud quosdam utrum relapsi in incredentiam & hæretici dogmatizantes, si postquam fuerint deprehensi, voluerint pœnitere, relinqui debeant judicio sæculari. Et videtur nobis quod non, sed in quocumque casu tales ad intrusionem sint condemnandi.

Item, si multitudo hæreticorum credentium est in causa, & parati sunt abjurare hæresim, discretus judex secundùm magis & minus juxta provisionem sedis apostolicæ, pœnas canonicas poterit infligere talibus, & sic pœnam intrusionis vitare. Et etiam si multitudo non est in causa, eorum pœna circa credentes discretus judex, consideratis circumstantiis, poterit moderari, prout viderit expedire: proviso tamen quod perfecti hæretici vel Insabbati dogmatizantes eorum errores, vel credentes relapsi in incredentiam post abjuratam hæresim, vel renuntiatam in perpetuo carcere recludantur, hæresi penitus abjurata, & absolutione habita excommunicationis, ut ibi salvent animas suas, & alios de cetero non corrumpant.

Item quæritur utrum ille qui dedit osculum Insabbato, quem credebat vel sciebat Insabbatum, vel oravit cum eo, vel celavit eum, vel audivit prædicationem, vel lectionem ab eo, & credidit talem esse bonum hominem, sit judicandus credens ejus erroribus. Et credimus quod non, sed talis condemnatur tamquam fautor, occultator, & benefactor, & vehementer suspectus, cùm non posset ignorantiam prætendere, quòd arbitrio discreti judicis duximus relinquendum.

Item si ante inquisitionem inceptam fuit aliquis confessus sacerdoti suo de hæresi vel fautoria, & modo vocatur ab Inquisitoribus. In casu isto credatur confessori suo; & si inventus fuerit bene confessus per confessionem sacerdotis, licet sacerdos malefecerit, quia ipsum non remisit: ille tamen confitens per talem confessionem evitet pœnam temporalem. Ubi invenietur falsa pœnitentia vel relapsus post pœnitentiam vel reconciliationem probet per duos testes. Si quos vero

constet ante inquisitionem de his fuisse confessos, debent publicè abjurare hæresim & aliam solemnitatem facere, nisi ita sit secretum factum, quod non habeat contra se famam vel testes, & ideo in utroque casu sunt ab omni pœna temporali immunes.

Quia vero aliqui vocati ab Inquisitoribus degerunt tempore suæ depositionis; & postea ad instantiam Inquisitorum vel metu probationum discooperiunt veritatem; sed dicunt quod hoc tacuerunt propter verecundiam vel timorem; tales credimus, quia qui scienter falsum dicunt, vel verum tacent, perjuri sunt; & ideo pœnitentia canonica gravior imponenda.

Item, quia in Inquisitione generali hæretici vel relapsi interdum ad cautelam, Ecclesiæ juris solemnitatibus reservatis, secretò absolvuntur, qualiter sententia sit formanda dubitatur, & dicimus quod cum jam non sit hæreticus sic formetur.

Forma sententiæ.

Pateat omnibus quòd per ea quæ in inquisitione inventa, probata, & acta sunt, liquidò constat nobis quod talis deprehensus in hæresi, & postmodum reversus ad Ecclesiæ unitatem, agentes misericorditer cum eodem, ipsum ad perpetuum carcerem condemnamus secundùm canonica instituta.

Si vero nondum est absolutus, sic formetur.

Alia forma.

Pateat omnibus, &c. quòd talis est deprehensus in hæresi, & vult reverti ad Ecclesiæ unitatem, agentes misericorditer cum eodem; &c.

Si vero non vult pœnitere, sed in errore perdurat, præsente judice sæculari, sententia sic formetur.

Alia forma.

Pateat omnibus quod per ea quæ in inquisitione inventa, probata, & peracta sunt, liquidò nobis constat, quod talis est deprehensus in hæresim per Ecclesiam condemnatam, ipsum tamquam hæreticum condemnamus.

Hæreticus vero pœnitens post absolutionem, hæresim taliter abjurabit, ut inferius continetur publicè, &c.

De forma abjurationis.

Ego talis agnoscens veram catholicam & apostolicam fidem, abjuro, & abjurando detestor omnem hæresim, præcipuè sectam Valdensium, Insabbatorum, sive Pauperum de Lugduno, in quam peccatis meis exigentibus incidi: quæ astruere conatur non esse obediendum Romanæ Ecclesiæ, vel prælatis ei subjectis, nec principibus sæcularibus, claves Ecclesiæ con-

A *temnendo, & asserendo orationes vel eleemosynas non posse prodesse mortuis in remissiones, sive indulgentias quæ fiunt à Domino papa, vel ab aliis prælatis, nulli prodesse. Astruit etiam in nullo casu pro quacumque necessitate vel utilitate esse jurandum. Item, astruit quod pro justitia infligi pœna non debeat corporalis. Item, quòd in sacramento altaris panis & vinum postquam consecratum est non efficitur corpus & sanguis Christi, si sacerdos sit peccator, & quemlibet reputant peccatorem nisi sit de secta eorum. Item, quòd consecratio corporis & sanguinis Christi potest fieri à quolibet justo, licet laico,*
B *dum tamen sit de secta eorum, quamvis non sit presbyter ab episcopo catholico ordinatus.*

Istos & omnes alios eorum errores abjuro, detestor & condemno. Consentio autem Romanæ Ecclesiæ & apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor me eamdem tenere fidem, & observare in præmissis articulis & in aliis omnibus quos beatissimus Gregorius, vel qui præest Romanæ Ecclesiæ & apostolicæ, atque catholicæ, tenent, prædicant publicè, & affirmant, & quam modo vos, Domine Archiepiscope, & alii Prælati mihi traditis & affirmatis, & specialiter super his.

Credo & sentio obediendum esse Domino
C *Papæ, Romanæ Ecclesiæ, & aliis eorum prælatis, & principibus sæcularibus catholicis, & potestatem clavium, ligandi scilicet & solvendi, beato Petro apostolo ceterisque apostolis, & per eos universis prælatis Ecclesiæ catholicæ à Domino datam affirmo, indulgentias & remissiones eorum, eleemosynas & orationes vivis & defunctis prodesse firmiter credo. Item, pro necessitate & utilitate jurandum sine peccato, & pro justitia pœnam corporalem posse debere infligi credo firmiter & contestor. Confiteor etiam sacramentum corporis & sanguinis Christi à nullo fieri posse, nisi à presbytero, ab episcopo catholico ordinato, qui Domino papæ & sanctæ*
D *Romanæ Ecclesiæ sit obediens, etiamsi talis presbyter sit peccator: licet peccet qui ad sacramentum accedit, credo tamen firmiter & confiteor quòd verum sit sacramentum, & quòd panis & vinum post consecrationem talis presbyteri verum corpus & verus sanguis efficitur. Unde juratus dico per Deum omnipotentem & hæc sancta quatuor evangelia, quæ in manibus meis teneo, & sub obligatione anathematis, vobis tanto Domino P. Dei gratia archiepiscopo Terracensi, & B. de Villa-gravata archidiacono & tali capitulo Batheræ, vacante sede, & per vos apostolorum principi atque ejus Vicario papæ*
E *Gregorio beatissimo, & successoribus ejus, quod numquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo aliter credam, nisi secundùm quod vos & Romana Ecclesia docet & tenet & ego superius protestatus sum. Juro etiam quòd cum Valdensibus, Pauperibus de Lugduno, Insabbatis, vel hæreticis cujuscumque generis sint, consortium, familiaritatem, vel participationem aliquam non habebo, nec in recipiendo, occultando, fovendo, benefaciendo, vel in aliquo casu præstabo eis consilium, auxilium & favo-*

rem. Et si aliquem vel aliquos de prædictis, vel de eorum fautoribus, alicubi scivero, vel intellexero; revelabo eum, quàm cito habuero opportunitatem, episcopo vel prælato, vel judici, vel rectori loci illius, catholicis tamen & fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ servantibus. Quod si contra fecero, quod absit à me, & prædicta singula non servavero, subjaceam canonicæ severitati, & perjurii reatum incurrens, æternæ damnationi obligatus inveniar, & condemnatus hæresis, habeam in futuro sæculo portionem. A

De forma purgationis.

B Suspectus purgabit se publicè in posse diœcesani in hunc modum, prout inferius continetur.

Ego talis juro, & per Deum omnipotentem, & per hæc sancta Evangelia quæ in manibus meis teneo, coram vobis Domine P. Dei gratia Terracensi archiepiscopo, & coram vobis assistentibus, quod non sum vel fui Insabbatus, vel Valdensis, vel Pauper de Lugduno, neque hæreticus in aliqua secta hæresis damnata per Ecclesiam Romanam, nec credo, vel credidi eorum erroribus, nec credam aliquo tempore vitæ meæ, immo profiteor & protestor me credere & semper in posterum crediturum fidem catholicam C *quam sancta Romana & apostolica Ecclesia tenet, docet, & prædicat, & vos, Domine archiepiscope, & ceteri prælati sanctæ Universalis Ecclesiæ tenetis, prædicatis publicè & docetis.*

Qualiter compurgatores jurare debeant.

Compurgatores jurabunt in hunc modum.

Ego talis juro per Deum & hæc sancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, me firmiter credere quod talis non fuit Insabbatus, Valdensis, vel Pauperum de Lugduno, neque hæreticus credens eorum erroribus, & credo firmiter eum in hoc jurasse verum. D

Videat tamen judex quia ex quo certum numerum compurgatorum duxerit alicui injungendum, non est honestum quod postea mutet, ut sic Lateranense concilium non illudatur.

De hæreticis & Insabbatis in cimiterio sepultis quid sit agendum.

Item, si in inquisitione inveniatur aliquis hæreticus, vel Insabbatus, vel credens fuisse sepultus in cimiterio, ossa ejus extumulentur & comburantur, si possunt discerni. E

Item, si aliqui incœpta inquisitione, per quam constiterit inquisitoribus de fautoria ipsorum per confessionem vel testes, viam universæ carnis ingressi sunt: qui si viverent, essent condemnandi de fautoria, si secretò vel publicè fuerint absoluti, in eadem inquisitione tales divino judicio relinquantur.

Item, quia in inquisitione generali multi inveniuntur decessisse in fautoria, credimus, cum fautoria sit sequela & accessorium hæresis, quod tales extumulentur, si ossa eorum possunt discerni, non tamen comburentur: quia tales excommunicati decesserunt, nisi fortè probetur absolutio, vel quod signa pœnitentiæ præcesserunt secundùm canonica instituta. Si vero fautores aliqui post abjuratam seu renunciatam fautoriam in aliquam speciem fautoriæ relapsi inveniantur, quia vulnus iteratum tardius curatur, gravius juxta discreti judicis arbitrium puniantur.

Qualiter sacerdos debet inquirere in confessione de facto hæresis.

Item, injungitur sacerdotibus quod in pœnitentiis diligenter inquirant de hæreticis & Insabbatis, credentibus, & fautoribus eorumdem, & si quid invenerint, fideliter conscribant, & mox cum illo vel cum illis qui hoc confessi fuerint, episcopo, vel ejus vicario, quid super hoc invenerint manifestent. Si vero confessus noluerit consentire, ut quod dictum est reveletur episcopo vel ejus vicario, Ipse nihilominus sacerdos requirat consilium non specificando personam à peritis & Deum timentibus, qualiter sit ulterius procedendum. bueno !

Item, aliquis Insabbatus dicit catholicis prædicando, exhortando, vel conferendo aliqua verba quod nullum continent errorem, saltem explicitè, V. G. nolite mentiri, neque jurare, neque fornicari, & reddite cuilibet quod suum est, Eatis ad ecclesiam, solvite decimas & jura sua clericis & similia. Audientes autem, scientes, vel credentes istum hæreticum & Insabbatum; credunt illum esse bonum hominem propter sua verba, quæ audiunt, & sectam talium esse bonam, & quod homines possunt salvari in secta illa. Dubitatur utrum propter hoc possint tamquam Insabbati vel credentes eorum erroribus condemnari, præsertim si sciunt vel credunt quod Ecclesia persequatur Insabbatos tamquam hæreticos, & nisi convertantur, relinqui sæculari judicio comburendos. Et visum est super hoc sapientibus, habito diligenti consilio & tractatu, quod tales vehementissime debent haberi suspecti, quod sint credentes Insabbatorum erroribus, & propter hoc purgatio est illis cum multis compurgatoribus indicenda juxta qualitatem personæ, nec tamen propter hoc judicandus est Insabbatus vel credens, nisi adeo litteratus sit & discretus, quod nullatenus per simplicitatem & ignorantiam valeat excusari: quod videtur arbitrio discreti judicis relinquendum. Secus tamen videtur cum illo qui dicit vel credit P. Jo. vel alios Insabbatos jam ab Ecclesia condemnatos tamquam hæreticos vel etiam propter hoc jam per justitiam sæcularem combustos fuisse bonos homines & salvos & alios quoslibet salvari posse in illa secta, vel fide, in qua vel pro qua illi condemnati vel combusti fuerunt. Tales enim non judicantur ali-



quando posse excusari, dum tamen sint adulti & rationis capaces.

Purgatio & abjuratio fautoriæ.

Fautores autem omnes sunt suspecti secundùm magis & minus, ut superius dictum est, & ideo debent publicè se purgare & abjurare hæresim secundùm numerum compurgatorum. Forma autem compurgationis & abjurationis fautorum erroris consimilis est formæ hæreticorum, ut superiùs scripta est.

Illud tamen non est omittendum, quòd qui ante inquisitionem sunt confessi & absoluti, reconcilientur in secreto coram aliquibus testibus, & abjurent, & nomina ipsorum & testium retineantur in actis, nisi factum ipsorum esset manifestum per famam vel testes; & tunc publicè abjurent & reconcilientur.

In utroque tamen casu immunes sunt ab omni pœna. Solemnis autem pœnitentia injungitur omnibus fautoribus & credentibus secundùm magis & minus, prout inferius distinguemus.

Formæ pœnitentiarum.

Hæretici perseverantes in errore relinquantur judicio sæculari. Perfecti vero hæretici & dogmatizantes relapsi in incredentiam, absolutione habita in perpetuo carcere retrudantur. Credentes autem hæreticorum erroribus solemnem faciant pœnitentiam; scilicet hoc modo, quod in festo omnium Sanctorum proximo venturo, & in prima Dominica adventus, in die natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, S. Mariæ Februarii, S. Eulaliæ, S. Mariæ Martii, & per omnes dies Dominicos quadragesimæ, sint in processionibus ad sedem; & ibi discalciati in brachis, in camisia, præterquam die S. Mariæ Februarii & Ramis Palmarum; & tunc reconcilientur in Ecclesia S. Mariæ de mari, in processione publicè disciplinati per episcopum vel sacerdotem reconcilientur Ecclesiæ.

Pœnitentes in quadragesima ab ecclesiæ introitu prohibiti.

Item in quarta feria in capite jejunii veniant simul ad sedem & eodem modo, & secundùm formam juris discalciati in bracis in camisia expellantur ab Ecclesia, & sint extra Ecclesiam per totam quadragesimam, sed tamen ad fores Ecclesiæ, & quod ibi audiant. Et in die cœnæ Domini sint discalciati & in bracis & in camisia ante fores sedis, tunc secundùm canonica instituta publicè reconcilientur ecclesiæ: & hanc pœnitentiam de quarta feria, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & die cœnæ faciant quamdiu vixerint quolibet anno. Sed in diebus Dominicis quadragesimæ facta reconciliatione, exeant ecclesiam, & stent ad fores usque ad diem cœnæ, & portent duas cruces perpetuò ante pectus, quæ non sint ejusdem coloris: & portent taliter ut videri possint solemniter pœnitentes, ita tamen quod A non abstineant ab introitu ecclesiæ in quadragesima ultra decem annos. Pœnitentia illorum qui relapsi sunt in fautoriam similiter erit solemnis, ut de credentibus proxime dictum est, in diebus omnibus supradictis; hoc excepto, quod cruces portare & pœnitentiam die Mercurii Cinerum, & sancto die Jovis faciant solummodo per decennium.

Pœnitentia illorum qui non sunt relapsi in fautoriam, si sunt fautores, & vehementissimè suspecti, erit solemnis eo modo in festo omnium Sanctorum, natalis Domini, S. Mariæ Februarii, Ramis Palmarum, & aliam pœnitentiam IV. feriæ quadragesimæ, & de B stando extra ecclesiam per totam quadragesimam & de reconciliatione in die cœnæ faciant, ut supra dictum est, per quinquennium.

Pœnitentia illorum qui fuerunt fautores erit solemnis eodem modo in festo omnium Sanctorum, S. Mariæ Februarii, & aliam pœnitentiam de quarta feria quadragesimæ, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ faciant per triennium.

Intelligatur tamen quod mulieres vestitæ veniant & disciplinentur. Hanc autem pœ- C nitentiam faciant omnes prædicti in festivitatibus & diebus prænordinatis in civitate ista, & non alibi usque ad festum Paschæ, illi scilicet qui sunt cives: forenses autem faciant in parochiis suis & non alibi, præterquam in quarta feria in capite jejunii & in die cœnæ Domini, in quibus omnes veniant ad sedem Barchinonæ; in sequentibus vero temporibus quadragesimalibus, decennalem pœnitentiam, septennalem, quinquennalem, & triennalem, quam debent facere in quarta feria in introitu quadragesimæ & in die cœnæ Domini secundùm diversitatem culparum, ut jam diffinitum est, faciant omnes tam cives quàm D civines in sede civitatis Barchinonæ, & non alibi, nisi ex justa & rationabili causa, & de speciali licentia episcopi Barchinonæ, vel illius qui locum suum tenuerit, si absentes fuerint: & tunc in locis ad quæ de licentia episcopi iverint, faciant coram episcopo illius loci & locum ejus tenente eamdem pœnitentiam, portantes litteras episcopi vel illius qui locum suum tenuerit, continentes pœnitentiam quam facere debent & reportent; tunc illi qui pœnitentiam litteras episcopi illius ad episcopum Barch. de peracta pœnitentia testimonium continentes: quod Hic aliquid deesse videtur.

E si forte casu fortuito sine fraude tamen & dolo in illis duobus diebus non possent ad cathedralem ecclesiam pervenire, non redierint in duabus festivitatibus solemnibus assignatis eis juxta arbitrium episcopi, ut publice disciplinentur apud sedem Barchinonæ secundùm formam illorum duorum dierum.

Quædam convenientia inter Inquisitores.

Duæ sunt super quibus conveniunt fratres Inquisitores ad uniformiter procedendum, videlicet quod universalis inquisitio & citatio ad abjurandum hæresim & veritatem dicendam fiat de locis multum suspectis & diffamatis, dato tempore gratiæ, ubi alias non est datum. De locis non suspectis communiter citentur omnes illi qui noverint se & alios in crimine labis hæreticæ deliquisse, & hoc generaliter sub dicta restrictione nominibus non expressis.

Forma jurandi & inquirendi.

Rei nominatim suspecti vel qui per inquisitionem culpabiles inventi sunt, cùm visum fuerit inquisitoribus, citati pro veritate dicenda vel hæresi abjuranda, sive nominatim sive generaliter jurent tantum ab initio quod dicent plenam & veram veritatem de se atque aliis vivis & mortuis, super crimine hæresis & Valdesiæ; remotis prece, pretio, timore, odio, & amore; nec obstantibus pactis & juramento firmatis. Deinde requiretur expedite, videlicet si vidit hæreticum vel Valdensem, & ubi, & quando, & quocum, & cum quibus, & de aliis circumstantiis diligenter, & ista replica ad singulas interrogationes. Si eorum prædicationes vel monitiones audivit, si hospitio recepit, si de loco ad locum adduxit, seu aliter associavit, aut duci, vel associari fecit, si cum eis comedit aut bibit, vel de pane benedicto ab eis accepit; si dedit vel misit eis aliquid; si fuit eorum quæstor, aut nuncius, aut minister; si eorum depositum aut quid aliud eorum habuit; si hæreticum adoravit, aut caput inclinavit, vel genua flexit, vel dixit *Benedicite* coram eis; si eorum consolamentis aut palliamentis interfuit; si Cœnæ Valdensi affuit; si peccata sua fuit eis confessus, vel accepit pœnitentiam, & didicit aliquid ab eisdem; si aliter habuit familiaritatem, vel participationem cum hæretico vel Valdensi quoquomodo; si pactum, aut preces, aut minas recepit vel fecit super veritate de se aut de aliis non dicenda; si quemcumque monuit vel induxit, aut aliquid de prædictis; si credit hæreticum vel Valdensem, aut eorum erroribus. Et nota quod per singula quærendum est de persona quæ agit, & de ejus conditionibus, scilicet nomine, patria, parente, ætate, corporis dispositione & similibus. Item, de actu quem agit, & conditiones actus; item de loco; item de tempore; item de assistentibus & conditionibus vel de pertinentibus circa ista quinque; tandem de his omnibus, & quandoque de pluribus: in fine causa rationabili requisitis scriptis fideliter, quid de se fuerit confessus, vel deposuit commendetis coram nobis ambobus vel altero.

A

Forma recipiendi redeuntes hæreticos & credentes eorum.

In nomine Domini nostri Jesu-Christi. Amen. Anno & die tali, Nos talis & talis de ordine fratrum Prædicatorum Inquisitores, &c. Quia legaliter nobis constat quod talis de tali loco vidit & adoravit hæreticum, &c. Item quia talis de tali loco vidit & adoravit hæreticum, & fecit hæc & illa quæ commisit à tali tempore & citra; ipsos nunc usos saniori consilio ad unitatem ecclesiæ, prout asserunt, redire volentes in primis abjurata omni hæretica pravitate, ab-

B *solvimus secundùm formam Ecclesiæ à vinculo excommunicationis, qua ratione prædicti criminis tenebantur astricti, si ad unitatem Ecclesiæ de corde bono redierint, & mandata sibi injuncta compleverint.*

Et quia in Deum & sanctam matrem Ecclesiam prædictis modis temere deliquerunt, ipsos coram nobis comparentes die sibi ad recipiendam pœnitentiam super crimine hæresis assignata, communicato bonorum consilio, ad peragendam condignam pœnitentiam tamquam deprehensos ad perpetui muri carcerem condemnamus, retenta potestate, &c.

C

Forma sententiæ contra credentes hæreticorum qui citati nolunt comparere.

Anno & die prædictis, nos supradicti Inquisitores. Quia legaliter nobis constat quod Guillelmus Petri de tali loco vidit & adoravit hæreticum, & hoc commisit ab anno octavo. Item quia Ar. Rigardi de S. Leofario multotiens vidit, duxit, & associavit hæreticum, &c. & propter hoc legaliter citatus ad recipiendam pœnitentiam super præmissis, & assignata sibi die

D *non comparuerunt, coram nobis ipsos ad audiendam diffinitivam sententiam peremtoriè citatos, sed per contumaciam absentes, communicato bonorum virorum consilio, per diffinitivam sententiam condemnamus, excommunicantes eosdem, & omnes qui eis scienter deinceps dederint consilium & auxilium, vel favorem, actum, &c.*

Forma sententiæ contra suspectum de hæresi qui non vult citatus se defendere vel purgare.

Anno & die prædictis nos supradicti Inquisitores. Quia Helena uxor talis de tali loco diffamata de hæresi quam plurimum suspecta vi-

E *dit & adoravit hæreticum, &c. sicut per testes legaliter nobis constat, & oblata sibi defensionis copia noluit se defendere, examinatis testibus diligenter, publicatione facta attestationum, & aliis ritè actis, die sibi peremtoriè assignata, ad diffinitivam sententiam super crimine hæresis audiendam, ipsam Helenam secundùm quod de ea audivimus, communicato prudentium virorum consilio, per diffinitivam sententiam tamquam hæreticam condemnamus, excommunicantes eam & omnes, &c.*

A

Forma sententiæ contra credentem hæreticorum defunctum, qui coram Inquisitore vocatus noluit cognoscere veritatem.

Anno & die prædictis, nos supradicti Inquisitores, quia legaliter nobis constat, quod talis, de tali loco, vidit & adoravit, duxit & receptavit hæreticos in domo sua, de quibus omnibus celavit coram talibus Inquisitoribus veritatem, &c. vocatis ad ejus defensionem qui fuerant evocandi, jure & ordine in ceteris observato, die prædicta ad diffinitivam sententiam peremtoriè assignata, &c. ipsum G. assignamus credentem hæreticum cum de ipsius confessione vel pœnitentia minimè nobis constet, quare ipsum licet mortuum de hæresi condemnamus: præcipientes nihilominus quòd ejus ossa exhumentur, & extra ecclesiam & cimiterium penitus ejiciantur, contradictores, si qui fuerint, &c.

Ossa hæreticorum credentium defunctorũ exhumanda & à cimiterio projicienda.

Forma sententiæ contra illum qui recidivavit in hæresim abjuratam.

Anno & die prædictis Jacobus de Odartio postquam coram Inquisitoribus omnem hæresim abjuravit, & habuit pœnitentiam pro his quæ commiserat, in crimine hæreticæ pravitatis vidit & adoravit hæreticum, &c. Cum igitur supradictus Jacobus tamquam canis ad vomitum rediens in ipsam hæresim inciderit abjuratam, non servans promissum quod fecerat, nec etiam juramentum, sed gratiæ sibi factæ ab Ecclesia pluries immemor & ingratus, nos tales fratres Inquisitores hæreticæ pravitatis te Jacobum, sicut supradiximus, pronuntiamus per diffinitivam sententiam relapsum, & de foro vel de jurisdictione Ecclesiæ amplius te minimè reputamus. Actum, &c.

Forma sententiæ contra hæreticos defunctos, quos post legitimam sententiam nullus defendit.

D

Anno & die prædictis, nos præfati Inquisitores. Quia sicut legaliter nobis constat Guabardus de Sequervilla & Vernerus frater ejus fuerunt hæreticati in infirmitatibus, de quibus obierunt, & hæretici decesserunt, & vocatis ad ipsorum defensionem qui fuerant evocandi, juris ordine in ceteris observato, die postea ad audiendam diffinitivam sententiam peremtoriè assignata; communicato bonorum virorum consilio, ipsos hæreticos fuisse in morte, & hæreticos decessisse pronunciamus, & per diffinitivam sententiam tamquam hæreticos condemnamus: præcipientes nihilominus quod eorum ossa exhumentur, & extra ecclesiam & cimiterium penitus ejiciantur, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles excommunicationis sententiæ supponendo. Actum, &c.

Forma sententiæ excommunicationis contra illum qui præsumitur relapsus & citatus non venit.

Anno & die prædictis, nos præfati Inquisitores. Quia per illa quæ in Inquisitione invenimus contra R. de Manso, ipsum vehementer suspectum habemus, quod postquam fecit confessionem suam de hæresi, commiserit contra fidem, & propter hoc legitimè citatus, ac peremtoriè ad respondendum de fide sua coram nobis non curaverit respondere, licet diutius fuerit exB pectatus, ipsum tamquam suspectum de hæresi, & contumacem excommunicationis vinculo innodamus: præcipientes sub pœna excommunicationis, ne quis eum scienter de cetero receptare audeat, & ei dare consilium, auxilium & favorem.

Forma sententiæ contra hæreticos conversos, qui post juramentum suum usuras acceperunt.

Anno & die prædictis, nos supradicti Inquisitores, quia Isannius de Fontenella & Poncius Ranga diocesis Tholosanæ in judicio constituti juraverunt coram Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, qui tunc erant, quod omnem pœniC tentiam facerent, quam ipsi Inquisitores vel qui essent pro tempore ducerent injungendam, & mandatis Inquisitorum & Ecclesiæ obedirent; ac per Inquisitores eisdem injunctum fuit inter alia, quod usuras non exercerent per se vel per alios, & restituerent si aliquas extorsissent; & postmodum tamquam salutis immemores, & contemto proprio juramento, denarios suos mutuarunt per se vel per alios ad usuras & multa à multis extorserunt; communicato bonorum virorum consilio, ipsos perpetui muri carcere retrudi volumus, & præcipimus eos ibi perpetuo commorari ad pœnitentiam peragendam, retenta potestate.

Pœnitentia hæreticorum quando credit.

Omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis fratres Ordinis Prædicatorum Guillelmus Bernardi & Johannes de S. Benedicto Inquisitores hæreticæ pravitatis in Communitatibus & terris nobilis viri Comitis Tholosani Salutem. Quia talis de tali loco, diocesis Tholosanæ, vidit & adoravit hæreticum, audivit monitiones eorum, credidit hæreticos esse bonos homines, & habere bonam fidem, & hoc commisit à tali tempore citra, sicut juratus coram nobis in judicio recognovit; injunximus ei in E pœnitentia pro prædictis, quod in omni veste sua præterquam in camisia portet perpetuo duas cruces de filtro crocei coloris ante & retro, sine quibus prominentibus infra domum vel extra non incedat; quarum quantitas sit duorum palmorum, & dimidii iu longitudine, brachium unum, vel duorum palmorum brachium aliud, scilicet transversale, & trium digitorum in latitudine utrumque brachium. Et eas reficiat si rumpuntur, & eat semel hoc anno apud S. Jacobum de Compostella, S. Dionysium in Francia, Solatium, &c. Et de

Crucis hæreticorum pœnitentũ forma.

A de singulis peregrinationibus reportet litteras testimoniales. Item, visitet semel singulis annis ecclesiam S. Stephani de Tholosa in Inventione ejusdem, & ecclesiam S. Saturnini in octavis Paschæ. Item, quod confiteatur ter in anno ante nativitatem Domini, Pascha & Pentecosten: & eisdem communicet festivitatibus, nisi debeat abstinere de sui proprii consilio sacerdotis. Item, quod omnibus diebus Dominicis & festivis missam audiat, & sermonibus intersit, si fuerit in locis, in quibus fiunt, nisi legitimè valeat excusari. In adventu Domini quadragesimali cibo jejunet. Auguria, divinationes, sortilegia non observet. Usuras, rapinas, per se vel per alium non exerceat, & restituat si accepit. Officio publico, sotularibus incisis aut pictis, sella, fræno, calcaribus deauratis de cetero non utatur. Item, persequatur hæreticos & fidem catholicam pro viribus tueatur. Retenta nobis & aliis Inquisitoribus potestate mutandi, diminuendi, & etiam augendi in prædicta pœnitentia cùm videbitur expedire, &c.

Communio ter in anno.

Concessio de cruce deponenda.

Noverint universi quod nos tales fratres Inquisitores hæreticæ pravitatis in terris & communitatibus Domini Comitis Tholosani auctoritate apostolica deputati damus & concedimus tali de tali loco licentiam deponendi cruces de filtro sibi impositas pro crimine hæreticæ pravitatis: retenta nobis & aliis Inquisitoribus potestate eidem reponendi easdem cruces, vel alias sine omni nova causa, cum videbitur expedire. Nihil vero immutamus in aliis quæ sibi injuncta fuerant in pœnitentia pro crimine supradicto, Actum, &c.

Commutatio carceris muri in aliam pœnitentiam.

Pateat universis quod nos frater Poncius de Poreto & frater Stephanus Vastinensis de ordine fratrum Prædicatorum Inquisitores hæreticæ pravitatis in terris & districtu illustris Regis Franciæ, quæ sunt in Narbonensi & Arelatensi provinciis, & Albiensi, Ruthenensi, Carcassonensi, Petragoricensi, Mimatensi & Aniciensi civitatibus & diocesibus, auctoritate apostolica deputati, Bernardum de Sorroilla de Sancello diocesis Tholosanæ à muri carcere sibi injuncto in pœnitentia pro his quæ in hæretica commisit pravitate, in quo nostris & ecclesiæ humiliter parendo mandatis fuerat aliquandiu moratus, de bonorum virorum consilio duximus misericorditer liberandum: injungentes eidem in commutationem seu mitigationem dictæ pœnitentiæ carceris sive muri, ut in detestationem erroris veteris portet in omni veste sua, excepta camisia duas cruces de filtro croceo, unam anterius in pectore, & aliam posterius inter scapulas, sine quibus prominentibus infra domum vel extra alterius non incedat, & eas reficiat si rumpantur, quarum quantitas sit duorum palmorum & dimidii in longitudine: brachium unum & duorum palmorum aliud scilicet transversale habeat, quod brachium trium in se amplitudinem digitorum. visitet quoque infra quatuor annos continuos limina B. Jacobi Compostelli, B. Mariæ de Rupe Matorio, de Podio Aniciensi, de Valle-viridi, de Tabulis in Monte Pesulano, & de Serigniano, S. Ægidii, S. Guillelmi de deserto, S. Antonii Viennensis, & S. Vincentii de Castris. Testimoniales exinde reportans litteras illorum qui dictis locis præfuerunt, quod peregrinationes compleverit memoratas. Confiteatur insuper ter in anno ante nativitatem Domini, Pascha & Pentecosten, & eisdem festivitatibus communicet, nisi de consilio sui abstineat capellani; totiensque eisdem temporibus præ-B sentes litteras sibi legi & exponi sibi faciat in vulgari, ut per hoc quid facere, & à quibus abstinere debeat certior habeatur. Singulis vero diebus Dominicis & festivis missas parochiales ex integro audiat dum vixerit, & sermones qui fient in locis in quibus fuerit, nisi legitimè valeat excusari, & in missis eisdem sacerdotibus eas celebrantibus inter epistolam & evangelium cum virgis in manu publicè se præsentans, disciplinam recipiat ab eisdem. Sequatur etiam processiones, quæ fient in locis quibus fuerit inter clerum & populum, virgas portans, & ab illo qui processioni præfuerit, disciplinam in ultima C recipiat statione & ab omni servili opere diebus Dominicis abstineat & colendis, aut quibuscumque publicis officiis suo vel etiam alieno nomine modo aliquo de cetero non fungatur; & usuras & rapinas per se vel per alium non exerceat, vel restituat si accepit. Auguria, divinationes, & sacrilegia non observet. Præterea persequatur hæreticos quocumque nomine censeantur, fidem catholicam, & personas ecclesiasticas, & jura ecclesiastica pro viribus tueatur. Hæc autem sibi injungimus, retenta nobis & nostris in hoc officio successoribus potestate addendi, diminuendi, & mutandi quandocumque in pœnitentia prætaxata, & ipsum Bernardum sine omni D nova culpa vel causa si expedire visum fuerit, ad dictum carcerem reducendi: concedentes eidem præsentes litteras nostris sigillis sigillatas in testimonium prædictorum. Actum Carc. pridie Idus Aprilis anno Domini MCCLXXI.

Confessio & communio ter in anno.

Disciplina pœnitentibus publicè data.

Forma convocandi clerum & populum pro sermone.

Frater Symon de Valle Ordinis fratrum Prædicatorum Inquisitor hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica in regno Franciæ deputatus, discretis & dilectis viris universis presbyteris & capellanis infra Cadomum, & E banleucam constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in auctore & consummatore fidei Jesu-Christo. Auctoritate prædicta vobis injungimus, quatinus hac instanti Dominica die post festum B. Vincentii martyris, post prandium una cum plebe vobis subjecta conveniatis processionaliter in domo fratrum nostrorum Cadomi, verbum Dei & mandatum apostolicum audituri. Tantum inde facientes, quod non possitis de negligentia redargui; sed magis de obedientia

promtitudine commendari. In signum vero recepti mandati sigilla vestra præsentibus litteris apponatis. Datum Cadomi anno Domini MCCLXXVII. in festo S. Agnetis.

Alia forma convocandi clerum & populum.

Frater Symon de Valle Ordinis fratrum Prædicatorum Inquisitor hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica in regno Franciæ deputatus, universis presbyteris, curatis & capellanis in civitate & banleuca Aurelianensi constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in auctore & consummatore fidei Jesu-Christo. Quoniam in his quæ spectant ad exaltationem fidei obedientes vos exhibere debetis pariter & devotos, auctoritate prædicta districtè vobis injungimus, quatenus hac instanti die Jovis post octavas apostolorum Petri & Pauli in prima pulsatione ad primam S. Crucis in curia Domini regis una cum populis vobis subjectis personaliter convenire curetis, audituri mandatum apostolicum & nostrum & magnam indulgentiam habituri. In signum vero recepti mandati sigilla vestra præsentibus faciatis apponi. Datum Aurelianis anno Domini MCCLXXVIII. feria III. post festum Beatorum Petri & Pauli.

Forma citandi eos qui vocati non venerunt.

Frater Symon de Valle Inquisitor hæreticæ pravitatis discretis viris Domino R. & magistro J. Curiæ de Locoveris Ebroicensis diœcesis salutem in auctore & consummatore fidei Jesu-Christo. Quia Radulphus Alavy parrochianus noster citatus à nobis ad perhibendum in negotio fidei testimonium veritatis ad diem sibi assignatam non venit ut debuit; auctoritate prædicta vobis præcipiendo mandamus, quatenus dictum R. citetis coram nobis primum ad feriam quartam post festum instans B. M. Magdalenæ, ut ibi recipiat pro demeritis justam pœnam, & satisfaciat de inobedientia & contemtu. In signum recepti & executi mandati præsentibus litteris sigilla vestra faciatis apponi, quas mihi remittatis per aliquem illorum qui ad diem Dominicam sunt citati. Datum Ebroicis anno Domini MCCLXXVII. feria VI. ante festum.

Forma citandi suspectos de hæresi.

Frater Symon de Valle Inquisitor hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica in regno Franciæ deputatus, discretis viris Domino Raynaldo & Domino Johanni curatis de Locoveris Ebroicensis diocesis, salutem in auctore & consummatore fidei Jesu-Christo. Auctoritate apostolica districtè vobis in remissionem peccatorum injungimus, quatenus citetis coram nobis apud Ebroicas in domo fratrum nostrorum ad diem crastinum Galterum dictum ad Par. Richardum Mercerii, Guillelmum & Reginaldum dictos La Bretaigne, *Radulphum Alavy, ut ipsi coram nobis compareant in negotio fidei perhibituri testimo-*

A *nium veritatis. Eodem modo Petrum Clementis, & Isabellem* la Fauveile, *licet alias sit audita. Simili modo & eadem de causa & ad eumdem locum citetis ad instantem Dominicam Aliciam* la Hardie, *Placentiam dictam Asperam, Matildem* la Roarde, *Petrum & Robertum* de Corboel, *& eorum uxores. Fiant prædictæ citationes secreto; & citandi personaliter veniant, ceteris prætermissis, ne propter inobedientiam gravem vexationem incurrant. In signum vero recepti & executi mandati præsentibus sigilla vestra apponatis. Datum apud Ebroicas feria V. ante festum B. M. Magdalenæ anno Domini MCCLXXVII.*

B *Forma citandi eos qui regnum exierunt & in regno commiserunt.*

Frater Symon de Valle Ordinis fratrum Prædicatorum Inquisitor hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica in regno Franciæ deputatus, religiosis viris fratrum Prædicatorum & Gardiano fratrum Minorum & eorum vices gerentibus salutem in auctore & consummatore fidei Christo Jesu. Cùm in authentico apostolico nobis Inquisitoribus misso contineatur expressè, quòd nos citationes, examinationes testium, denunciationes sententiarum fratribus ordinis Prædi-

C *catorum & Minorum possumus committere, non obstante quolibet privilegio à Sede apostolica sibi dato; necnon & quod nos contra eos qui in crimine hæresis in regno Franciæ peccaverunt, & se ad partes alias transtulerunt liberè procedamus. Qua fungimur auctoritate vobis & cuilibet vestrum præcipiendo mandamus, quatenus magistrum Suggerum de Verbancio canonicum S. Martini Leodiensis & magistrum Bernerum de Nivilla canonicum ejusdem de crimine hæresis probabiliter & vehementer suspectos, & qui in regno Franciæ dicuntur in tali crimine commisisse, citetis peremtoriè præsentibus testibus fide dignis, ut die Dominica post octavam Epi-*

D *phaniæ apud S. Quintinum in Veromandia Noviomensis diocesis compareant personaliter coram nobis responsuri de fide, & dicturi tam de se quàm de aliis vivis & mortuis super crimine hæresis & super contingentibus ipsum crimen puram & plenariam veritatem. In signum vero recepti & executi mandati præsentibus sigilla vestra faciatis apponi. Datum anno Domini MCCLXXVII. die lunæ in festo B. Clementis.*

Forma scribendi pro capiendis fugitivis.

E *Universis præsentes litteras inspecturis frater Symon de Valle Ordinis fratrum Prædicatorum, Inquisitor hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica in regno Franciæ deputatus, salutem in auctore & consummatore fidei Jesu-Christo. Cùm ego auctoritate apostolica, necnon regia potestate quibus fungor in capiendis hæreticis & perfidis christianis, conversis vel reversis ad ritus damnabiles Judæorum mittam, Copinum servientem baillivi Cadomensis ad capiendam Judæam*

quamdam nomine Bonamfiliam, uxorem Copini de Samois, quam pro apostasia à fide christiana Cadomi facio detineri. Rogo vos omnes & singulos, & nihilominus auctoritate & potestate prædictis attentè vos requiro, quatenus in capiendo dictam Judæam, & reducendo eam Cadomis, dicto Copino impendatis consilium & auxilium opportunum, cum ab eo fueritis requisiti. Tantum inde facientes quod in negotio fidei non possitis redargui de negligentia, sed magis de obedientiæ promtitudine commendari. Valeant præsentes usque ad instantes octavas B. Vincentii martyris.

Citatio contra mortuum qui fecit se circumcidi, & se transtulit ad ritus damnabiles Judæorum.

Talis Inquisitor tali curatori salutem. Cum talis defunctus per acta Inquisitionis legitimè facta inveniatur se ad circumcisionem carnis præputii & ad alios ritus Judæorum damnabiles transtulisse, veritatem catholicæ fidei & baptismi sacramentum quæ prius susceperat damnabiliter abnegando, quòd tantò magis reprobum fore cognoscitur, quantò per tales sanctissimum nomen Christi quadam familiari hostilitate securius blasphematur, & secundùm commissionem summi Pontificis super hoc nobis commissum contra hujusmodi reprobos tamquam contra hæreticos procedendum: quorum crimen non solum in vivos, sed etiam in mortuos per jura promtissima judicatur. Vobis qua fungimur auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus adjunctis vobis testibus fide dignis, citetis peremptoriè talem & talem filios & hæredes dicti defuncti, ut tali die & tali loco compareant coram nobis dicturi & propositiri, si quid proponere ad defensionem dicti talis quondam ... eorumdem super præmissis quare non debeat velut hæreticus condemnari. Datum, &c.

Secunda citatio quæ addatur post prædicta hujuscemodi.

Actum citationis editum publicè in vestra ecclesia præsente populo proponatis, ut si qui sunt alii præter dictos prædicti mortui filios & hæredes, qui prædictum defunctum velint defendere, & ad quos spectet de jure ipsius defensio, dicta die compareant propositiri de dicto defuncto, sicut superius est expressum, & processuri prout & in quantum de jure fuerit procedendum. Datum, &c.

Tertia in qua dictis addatur post prædicta.

Significantes publicè quòd si ullus ad dictam diem comparuerit qui velit & de jure possit dictum defunctum super præmissis defendere, procedemus contra eum ad diffinitivam sententiam, prout de jure fuerit procedendum. Datum, &c.

Citatio super facto proprio.

Citetis quod compareat responsurus de fide & dicturus tam de se quàm de aliis vivis & mortuis super crimine hæresis, & super contingentibus ipsum crimen puram & plenariam veritatem. Datum, &c.

COMMISSIO DOMINI ALEXANDRI Papæ IV. facta Priori Parisiensi super negotio inquisitionis contra hæreticos exequendæ.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Priori Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem.

Præ cunctis mentis nostræ desiderabilibus catholicæ incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cùm audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem quacumque malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam depravando reprehensionibus aut detractionibus ei arrogabilibus derogando; seu commentis eamdem mendacibus pervertendo, ad quorum iniqua sternenda molimina eò animosius aspiramus, quò in animarum stragem perniciosiùs eos agnoscimus conspirare. Unde quia in aliquibus partibus regni Franciæ adeo infidelitatis horror invaluit, quod ibi quàm plurimi à via veritatis prorsus aversi ruentes per devium falsitatis, pestiferas ad concutiendum orthodoxæ murum fidei machinas construebant, mollientes ipsum fallacium argumentationum impulsibus: sedis apostolicæ diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusus serpat morbus iste, remedium adhibuit opportunum, instituens illic viros idoneos, quorum honesta conversatio exemplum tribueret puritatis, & erudita labia doctrinam funderent salutarem: ut sacro ipsorum ministerio præfatæ partes ab hujusmodi contagiis purgarentur. Et licet horum ducatu homines partium earumdem in rectam semitam sint directi, & per hoc sit ibidem multis periculis obviatum. Cupientes tamen anxiè, ut negotium inibi fidei jugi profectu, elisis omnino erroribus, fortiùs invalescat, vigilare ad hoc per vos & alios, prout solertius possumus, non cessamus, & modo circa idipsum eò studemus attentiùs, quò carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Francorum ferventiorem sentimus ad id negotium efficaciter promovendum. Quia igitur habita deliberatione diligenti providimus ibidem ad præsens personam circumspectam pro tanto negotio deputare: nos de sollicitudine prudentique industria tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, te tamquam inter alios prælectum, in toto prædicto regno, exceptis terris dilecti filii nostri nobilis viri Pictaviæ & Tholosæ comitis, in quibus negotium fidei certis personis est specialiter commissum, ad instantiam præfati Regis ad hoc duximus deputandum.

Quocirca discretioni tuæ per apostolica

scripta præcipiendo mandamus, tibi in remissionem peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem Spiritus induens ex alto, inquisitionis officium contra hæreticos ad extirpandum de regno ipso ejusque districtu hæreticam pravitatem, sub spe mercedis æternæ totis assumens affectibus, illud sic efficaciter prosequi per te aut per duos alios, quos ad hoc idoneos elegeris, studeas: ut per sollicitudinis studium de prædicto regno ac ejus districtu radix iniquitatis hæreticæ succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quæ perversis moribus demoliuntur eamdem, fructum afferat catholicæ puritatis. I. Si quos autem de pravitate prædicta culpabiles inveneris, vel infectos, seu infamatos, contra ipsos, nisi diligenter examinati absolute velint mandatis Ecclesiæ obedire: necnon & receptatores & fautores ipsorum juxta sanctiones canonicas auctoritate apostolica, hominum metu, timori divino postposito, procedere non omittas: invocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus aliquibus litteris diocesanis scit quibuscumque a . . . . . . super hoc negotio ab apostolica sede directis, quas auctoritate præsentium revocamus. II. Facies tibi quaternos & alia scripta in quibus Inquisitiones factæ contra hæreticos, & processus contra ipsos per quoscumque contra ipsos habiti, continentur, à quibuslibet assignari. III. Si vero aliqui de hæreticis ipsis hæretica labe penitus abjurata redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium largiaris, injungens eisdem quod injungi talibus consuevit, proviso solertiùs ne simulata conversione redeant fraudulenter, & te immo potius seipsos fallentes sub agni specie ferant lupum. IV. Ceterum quia in tam gravi crimine cùm multa cautela oportet procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore duræ & dignæ severitas ultionis, volumus & mandamus; ut & illis quos recipi super crimine prædicto ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis vobis duas religiosas personas & discretas, sub quorum testimonio per viros idoneos fideliter ipsorum depositiones testium conscribantur. V. Cum vero aliqui fuerint hæretici sententialiter condemnandi, vel aliquibus ex ipsis incarcerationis pœna perpetuæ pro hujusmodi crimine fuerit infligenda, vobis discretos viros, nec juris ignaros curetis adjungere, de quorum consilio maturius, sicut expedit, in hoc negotio procedatur. VI. Sanè si fortè accusatoribus aut testibus, quos à te vel aliis vice tua super crimine hæresēos recipi contigerit, ex publicatione nominum eorumdem videris periculum imminere, eorumdem nomina non publice, sed secreto coram aliquibus personis providis & honestis ad hoc vocatis religiosis & aliis exprimantur: quorum testium depositionibus sic publicatis ad cognitionem judicis instruen-

A dam plenam fidem volumus adhibere. VII. Ut autem liberius & facilius commissum tibi officium exsequaris, committendi citationes, testium examinationes, cum de dicto crimine ac ipsius circumstantiis duxeris inquirendum, & sententiarum denuntiationes, quas hac de causa in quoslibet tuleris, non obstante si religiosis quibuslibet quod causarum & negotiorum commissiones minime teneantur recipere, quodque excommunicari vel interdici, aut suspendi nequeant à sede apostolica sit indultum. VIII. Compescendi quoque, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, prædicatores quæstiarios à prædicationis officio, quod ad
B ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantùm caritativa subsidia petere, ac indulgentiam si quam forte habeant exponere. IX. Convocandi etiam clerum & populum civitatum, & castrorum, aliorumque locorum; necnon sapientes & discretos viros prout videris expedire ad tuam evocandi præsentiam, ut eorum utaris consilio, & in ferendis sententiis contra ipsos hæreticos intersint, ac eisdem sapientibus ut tibi super hoc pareant in virtute obedientiæ artius injungendi. X. Faciendi insuper observari inviolabiliter omnia statuta provide edita tam in conciliis
C legatorum sedis apostolicæ, quàm etiam in forma pacis olim initæ inter Ecclesiam Romanam & prædictum regem ex parte una, & quondam R. Comitem Tholosæ ex altera, quæ negotium fidei tangere dignoscuntur, sicut promotioni negotii & augmento ipsius fidei fuerit opportunum. XI. Ac procedendi in eodem negotio summarie absque judicii & advocatorum strepitu. XII. Necnon interpretandi statuta contra hæreticos credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum edita, quotiens in eis apparuerit aliquid ambiguum vel obscurum. XIII. Et eosdem hæreticos credentes, receptatores, &
D fautores, & defensores, eorumque filios & nepotes dignitatibus, personatibus & honoribus quibuscumque ac beneficiis ecclesiasticis & publicis officiis; illos etiam qui hæreticorum vel aliorum prædictorum interventu & gratia talia sunt adepti vel etiam assequuntur in posterum eisdem dignitatibus, personatibus, honoribus, & beneficiis seu officiis privandi. XIV. Insuper si aliqui à pœnitentiis occasione pravitatis hæreticæ sibi impositis absque speciali mandato sedis apostolicæ minus juste fuerint absoluti, ne facilitas veniæ ipsos, quod absit, ad peccandum pro-
E trahat, easdem pœnitentias eisdē reimponendi, in melius commutandi, prout eorum saluti, & fulcimento fidei videris expedire. XV. Similiter & eis qui ad prædicationem tuam occasione prædicti negotii faciendam accesserint, viginti vel quadraginta dierum indulgentiam, prout tibi videbitur, concedendi tibi auctoritate præsentium plenam concedimus facultatem. XVI. Et ut tu & alii in hujusmodi negotio fideliùs & libentiùs labore-

tis, quo exinde liberiùs spiritualia dona vos senseritis percepturos, tibi siquidem pro hujusmodi negotio laboranti, & omnibus tibi personaliter assistentibus in eodem, illam vestrorum peccaminum veniam elargimur, quæ succurrentibus Terræ sanctæ in concilio generali est concessa. XVII. Illis vero qui ad impugnandum hæreticos, fautores, & receptatores, ac defensores eorum, tibi ex animo auxilium, consilium præstiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi tres annos de injunctâ sibi pœnitentia misericorditer relaxamus: & si qui ex eis in prosecutione hujus negotii forte decesserint, plenam eis omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti & ore confessi fuerint veniam indulgemus. XVIII. Contradictores autem si qui super præmissis fuerint vel rebelles per censuram eamdem, appellatione remota, compescas; non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Anagniæ v. Idus Novembris Pontificatus nostri anno II.

GREGORII PAPÆ X.

Ad Inquisitores de modo & forma procedendi in negotio inquisitionis, & de auctoritate & potestate eorumdem Inquisitorum.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in regno Franciæ deputatis auctoritate apostolica & in posterum deputandis salutem & apostolicam benedictionem. Præ cunctis mentis desiderabilibus catholicæ incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cùm audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem qualicumque malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam depravando reprehensionibus aut detractionibus ei arrogabilibus derogando seu commentis eorum mendacibus pervertendo. Ad quorum iniqua consternenda molimina eò animosius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos agnoscimus conspirare. Sane licet ubilibet sedis apostolicæ diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusius hujusmodi serpat morbus, remedium libenter adhibeat opportunum; in christianissimo tamen regno Francorum, in quo præcipue fides catholica vigere dignoscitur, cupientes anxie ut negotium fidei jugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, fortiùs convalescat, vigilare ad hoc per vos & alios eo studemus attentiùs, quo charissimum in Christo filium nostrum PHILIPPUM Francorum regem ferventiorem sentimus ad idem negotium efficaciter promovendum. Providimus igitur ad præsens ibidem personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputari, quarum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia salutarem, ut sacro ipsarum ministerio præfatum regnum maxime prorsus ab hujusmodi contagiis præservetur. Ut autem Inquisitionis officium contra hæreticos in præfato regno auctoritate apostolica possit efficaciùs adimpleri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus inducentes ex alto, prædictum officium quod auctoritate apostolica vobis committimus, in dicto regno, comitatibus & terris carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris, & Provinciæ comitis dumtaxat exceptis, simul & separatim aut singulariter prout negotii utilitas suadebit, sub spe mercedis æternæ sic efficaciter prosequi & exequi studeatis; ut per sollicitudinis vestræ prudentiam de regno ipso radix hæreticæ pravitatis, si qua est, in aliquibus ejus partibus, succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quæ perversis morsibus demoliuntur eamdem, fructus afferat catholicæ puritatis. Si quos autem de pravitate supradicta culpabiles inveneritis, vel infectos seu etiam infamatos contra ipsos, nisi examinati absolutè velint mandatis ecclesiæ obedire, necnon & contra receptores & fautores eorum juxta sanctiones canonicas auctoritate apostolica, metu postposito, procedatis, non obstantibus aliquibus litteris ad quoscumque alios de regno ipso, exceptis locorum diocesanis & Inquisitoribus pravitatis ejusdem in comitatibus & terris prædictis à sede deputatis eadem, super hujusmodi negotio ab ipsa sede directis, quarum deinceps ad inquisitiones hujusmodi faciendas nolumus auctoritate procedi: quin immo nec procedatur per illas districtius inhibemus, ne prætextu commissionis specialiter eisdem diocesanis super hoc factæ, nostros processus in eorumdem diocesanorum civitatibus & diocesibus volumus impediri, & per hoc quod fidei negotium in ipso regno vobis committimus, commissiones à præfata sede diocesanis eisdem factas, si forsan illarum seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Verumtamen sive auctoritate ordinaria sive ex delegatione prædictæ sedis iidem diocesani in hujusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, vel per concursum processuum quoquomodolibet nostros impediri processus, quin diocesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio libere procedere valeatis. Si vero aliqui ex prædictis hæretica labe penitus abjurata redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eisdem quod injungi talibus consuevit. Proviso solerter ne simulata conversione redeant fraudulenter; & nos immo potius seipsos fallentes sub agni specie gerant lupum.

Fides præcipuè viget in regno Franciæ.

Quod si aliqui fuerint judicati hæretici, vel etiam incarcerationis pœna perpetuæ alicui pro hujusmodi crimine fuerit infligenda, ad id per vos de diocesanorum vel vicariorum suorum, si ipsis diocesanis absentibus præsentes fuerint, consilio procedetur: ut in tantæ animadversionis judicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat. Verum quia in tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore duræ ac dignæ severitas ultionis: volumus & mandamus, ut vos & illi quos ad hoc duxeritis deputandos in examinatione testium, quos recipi super crimine prædicto, ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis duas religiosas personas, in quarum præsentia per publicam, si commodè poterit haberi, personam, aut per duos viros idoneos fideliter eorumdem depositiones testium conscribantur. Ad conscribendas quoque depositiones testium, & ad faciendum omnia quæ in commisso vobis officio ad scriniarii seu tabellionis officium pertinent, teneri districtè præcipimus cùm per vos seu deputatos ad hoc à vobis fuerint requisiti, omnes & singulos vestri ordinis fratres qui dum essent in sæculo hujusmodi tabellionatus officium habuisse & exercuisse noscuntur; & illos etiam quibus idem tabellionatus officium ratione præfati negotii fidei fuit à prædicta sede commissum, & in posterum committetur. Concedentes hujusmodi fratribus, necnon & aliis religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in sæculo dictum tabellionatus officium exercuerunt & habuerunt, quibuscumque etiam clericis sæcularibus ipsum habentibus, etiamsi iidem fratres & clerici sint in sacris ordinibus constituti, exercendi libere officium ipsum quoad præmissa, nonobstante aliquo contrario statuto canonis vel ordinis quocumque vallato munimine, plenam facultatem. Quod si testibus, quos à vobis recipi vel alio vice nostrum super sedem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorumdem videritis periculum imminere, ipsorum nomina non publicè, sed secretè coram aliquibus personis providis & honestis religiosis & aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam vel condemnationem procedi volumus exprimantur; & sic non obstante quod illis contra quos hujusmodi testes deposuerint, eorum nomina non fuerunt publicata, ad cognitionem judicis instruendam, adhibeatur fides testium depositionibus eorumdem. Ut ergo commissi vobis officii debitum utiliùs & liberiùs exsequamini, committendi citationes, testium examinationes, cum de hujusmodi crimine ac ejus circumstantiis duxeritis inquirendum, ita tamen quod eidem examinationi duæ personæ religiosæ, ut dictum est, intersint, & denunciationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis, accersiendi quoque prout expedierit peritos quoslibet, ut vobis in hujusmodi ferendis senten-

A tiis præbeant consilium opportunum ac vobis assistant. Convocandi clerum ac populum civitatum, castrorum aliorumque locorum, prout dicto negotio fidei videritis expedire. Insuper in dicto negotio de plano & absque judiciorum & advocatorum strepitu, ac contra illos quos in prædicto regno in hæreseos crimine incidisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint procedendi. Necnon faciendi vobis libros seu quaternos & alia scripta in quibus inquisitiones factæ & processus per quoscumque auctoritate sedis apostolicæ vel legatorum ejus habiti contra hæreticos à quibuslibet assignari vel observari

B omnia statuta providè edita tam per sedem apostolicam, quàm in conciliis legatorum ejusdem sedis & etiam in forma pacis olim initæ inter Romanam Ecclesiam & claræ memoriæ regem Franciæ ex parte una, & quondam R. Comitem Tolosanum ex altera, quæ negotium fidei tangere dignoscuntur, sicut promotioni negotii & augmentationi fidei fuerit opportunum. Privandi præterea de diocesanorum, vel eis absentibus, vicariorum suorum consilio, hæreticos eosdem, credentes, receptatores, & defensores, eorumque filios & nepotes personatibus, dignitatibus,

C ac beneficiis ecclesiasticis, & officiis publicis, & honoribus quibuscumque: necnon largiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiam, quotiens opportunum videritis omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad vestram convocationem propter hoc faciendam accesserint, plena sit vobis & singulis vestrum præsentium tenore facultas. Vobis autem pro hujusmodi negotio laborantibus illam peccatorum veniam indulgemus, quæ succurrentibus terræ sanctæ in generali concilio est concessa. Sociis vero fratribus vestri ordinis & notariis vestris, qui unà vobiscum in prosecutione hujus negotii laborabunt, & omnibus qui personaliter vobis astiterint in præ-

D dicto negotio, & qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum vobis ex animo præstiterint consilium, auxilium, & favorem de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi tres annos de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus: & si qui ex eis in prosecutione hujus negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compescendi, monitione præmissa, per censuram ecclesia-

E sticam, appellatione postposita; prædicatores & quæstiarios ubi contigerit, pro inquisitionis seu fidei negotio congregationem fieri, vel alias eidem negotio quolibet ex hoc impedimentum afferri à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritativa subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam habent, exponere, liberam vobis & singulis vestrum concedimus auctoritate præsentium facultatem.

Ceterum si forte, quod non credimus, A aliqui cujuscumque conditionis huic negotio vobis commisso se opponere, seu illud præsumserint aliquatenus impedire, ut non possit liberè procedi in eodem contra eos, tamquam contra hæreticorum fautores & defensores: contra illos vero qui illud negotium requisiti juxta officium & posse suum juverint seu foverint, studiose eadem auctoritate intrepidè procedatis secundùm canonicas sanctiones. Deinde ut circa præmissa plene vobis & singulis vestrum cohertionis expedita & inviolabilis assit auctoritas, volumus ut ea omnia viriliter exsequamini, invocato, si opus B fuerit, auxilio brachii sæcularis: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis quibuscumque personis cujuscumque conditionis, dignitatis, vel gradus, religionis vel ordinis, & præsertim Cisterciensis & Prædicatorum, Minorum, seu Heremitarum, sive communitatibus vel universitatibus civitatum vel locorum specialiter vel generaliter sub quacumque verborum expressione vel forma à memorata sede concessis vel in posterum concedendis, etiamsi dicatur in illis quod eis per aliquas litteras totum de verbo ad verbum tenorem non continentes privile- C giorum vel indulgentiarum ipsarum nequeat derogari. Et illis maximè privilegiis & indulgentiis quibus ab ipsa sede concessum est aliquibus, seu concedetur deinceps quod excommunicari vel ipsorum terræ supponi non possunt ecclesiastico interdicto, aut quod Prædicatorum vel aliorum quorumlibet ordinum fratres ad executiones negotiorum aut ad citationes quorumlibet, denuntiationes sententiarum & communicationis, suspensionis & interdicti auctoritate litterarum apostolicarum minimè possint cogi, nisi de D ipsorum ordinibus & privilegiis, vel indulgentiis eis super hoc à sede concessis eadem, habeatur in eisdem litteris mentio specialis; cum ex hujusmodi & aliis privilegiis & indulgentiis nullum nobis in tantæ pietatis negotio volumus obstaculum interponi, & constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum apud Urbem-veterem XII. Calendas Maii, Pontificatus nostri anno secundo.



LITTERA DOMINI PAPÆ Gregorii X. ad Priorem Parisiensem super electione & mutatione Inquisitorum.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Priori fratrum Ordinis Prædicatorum Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Præ cunctis mentis nostræ desiderabilibus, &c. *ut in præcedenti usque ad hæc verba: ab hujusmodi contagiis præservetur.* Unde quia de prudentiæ tuæ industria firmam in Domino fiduciam obtinemus, discretioni tuæ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de consilio aliquorum discretorum fratrum tui Ordinis eligas sex de fratribus ejusdem Ordinis provinciarum Franciæ & Provinciæ idoneos ad hujusmodi opus Dominicum exequendum: eisque in virtute obedientiæ districtè apostolica præcipere auctoritate procures, ut inquisitionis officium in ipso regno, comitatibus & terris carissimi in Christo filii nostri C. Regis Siciliæ illustris & Provinciæ Comitis dumtaxat exceptis, contra hæreticos, fautores & receptores eorum juxta formam in aliis litteris expressam, quas fratribus prædicti Ordinis Inquisitoribus hujusmodi pravitatis in eodem regno deputatis auctoritate apostolica & in posterum deputandis, non expressis aliquorum nominibus super exequendo dictæ inquisitionis officio destinamus, studeant exequi diligenter. Nos enim prædictos sex fratres quos ad hoc elegeris, & quilibet ipsorum præfatum negotium exequi juxta formam in ipsis litteris expressam, ac ipsam illam potestatem & auctoritatem plenarie habere volumus, quæ in eisdem litteris continetur. Si vero aliquem Inquisitorum hujusmodi ex aliqua forte causa nonnumquam fore videris amovendum, ipsum amoveas & substituas loco ejus alium, quem similem auctoritatem & potestatem habere volumus, quandocumque tibi deliberatione cum aliquibus discretis fratribus dicti ordinis præhibita, hoc fore videbitur faciendum, & si aliquem vel aliquos Inquisitorum ipsorum decedere forte contigerit, nos substituendi de consilio aliquorum fratrum ejusdem Ordinis alium vel alios loco illius vel illorum qui decesserint; ita quod ejusmodi substituti eisdem omnino auctoritate & potestate fungantur, tibi plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem III. Calendas Maii, Pontificatus nostri anno secundo.





LIBER DE DOCTRINA NOVITIORUM ORDINIS GRANDIMONTENSIS

Ex duobus mss. uno Majoris-monasterii, altero S. Germani à Pratis.

ADMONITIO PRÆVIA.



S*EQUENTEM librum de Doctrina sive de Institutione novitiorum Ordinis Grandimontensis reperimus in duobus mss. codicibus, uno recentiori Majoris-monasterii; altero antiquiori cœnobii S. Germani à Pratis, in utroque absque ullo auctoris nomine. Sed si conjecturis locum dare licet, Guillelmum Pellicerii primum Grandimontis abbatem ipsius parentem esse existimamus: nam in ms. Pratensi antiquis consuetudinibus ordinis illius, ab eodem Guillelmo digestis, immediate subjicitur, etiam ante antiquiora Grandimontensium statuta, valdeque fit probabile Guillelmum, qui zelum religionis habebat, cujus pars non infima est novitiorum institutio, post conscriptas ab eo consuetudines, quibus fratres suos professos informabat, sequentem etiam doctrinam novitiis tradidisse. Quidquid sit, illius saltem tempore opusculum illud compositum esse persuadet caracter codicis Pratensis, qui illius ætatem referre videtur. Sed neque ante ipsum lucem vidisse certum esse probat nomen abbatis, quod aliquibus in locis occurrit. Nam ante Guillelmum præpositi Grandimontensium Prioris dumtaxat nomine contenti, abbatis sibi titulum non usurpaverant, quem ipsi primus tradidit Johannes Papa XXII.*



INCIPIT PROLOGUS LIBRI DE DOCTRINA NOVITIORUM Ordinis Grandimontensis.

CUM, teste Salomone, nihil incertius sit quàm viri via in adolescentia, & noviter conversus de mundo sit, sicut tiso tractus de incendio, qui facile incenditur & ad peccatum facile inclinatur, juxta illud prophetæ Amos, *Facti estis quasi torris raptus de incendio*. Non solum in favorem Novitii ad religionem conversi, sed etiam monasterii, probationis tempus à sanctis patribus est indultum, ut ille novitius asperitates regulæ monasterii, & monasterium mores novitii valeat experiri. Ideo ut adolescens juventutis fervore inclinatus ad peccandum, monasterium ingrediens, lubricæ ætatis adolescentiæ annos ad peccandum pronos, non in luxuria & gulæ illecebris, sed disciplinis ecclesiasticis agat, deputatur sibi magister senex bonæ conversationis, qui adolescentem novitium instruat in silentio & ecclesiasticis disciplinis, ac confessionem ejus audiat, capitulumque ei teneat, & in omnibus aliis ad quæ fratres professi tenentur informet. hunc magistrum doctrinæ & testem vitæ habebis, tu de novo ad religionem conversus, & magister tuus erit tibi in docendo & corrigendo humilis & benignus, non asper & austerus, cùm asperitatis nimiæ increpatio correctionem non recipiat nec salutem, & nimia magistri sævitia culpæ comparetur. Modica tamen ac lenis castigatio conceditur magistro, ita ut excommunicationem non incurrat, nec sæviendi audacia permissa magistro, nec magistralis diligentia est obmittenda ab ipso.

EXPLICIT PROLOGUS, INCIPIUNT CAPITULA.

CAPUT I.

Qualiter sit intrandum & orandum in ecclesia.

CUM spiritualia sint semper omnibus præponenda, ad omnes horas antequam ecclesiam intres, manus lavabis, & divinum officium providebis aliqua hora diei, & nihil in ecclesia leges aut cantabis, donec prius auscultetur à magistro. Sedebis autem in ecclesia, refectorio, claustro, capitulo, ad collationem & ad processionem ibis post eos qui ante te ad ordinem venerunt, nisi abbas vel conventualis prior voluerit te in sessione hujusmodi, tuis suffragantibus meritis, honorare, tibi ordinem sedendi altiorem quam anni tui habeant conferendo, eritque tuus in ecclesia humilis & devotus ingressus: quia diebus ferialibus & festis unius candelæ, in ingressu & egressu ecclesiæ, ante legendas & post lectas lectiones, & quando accedis ministraturus ad altare, vel missam celebraturus, genua flectere debes: & cum ad legendum vel psallendum accedis, ibidem vertere debes te per gyrum ante & retro, humiliter supplicando Deo, qui ubique est præsens, & cujus oculi ubique contemplantur bonos & malos, in cujus conspectu & angelorum ejus in legendo & psallendo debes te ubique humiliter præparare cum omni humilitate & puritatis devotione, & supplicando & vertendo te per gyrum à dextra parte in sinistram, ad pietatem corroborandam dicere potes: *Omnis terra adoret te Deus, & psalmum dicat nomini tuo, Domine.* Vel illud: *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Sed in festis duarum candelarum vel trium, & infra octavas quæ cum duabus candelis accendendis in vesperis & matutinis celebrantur, & in omnibus diebus dominicis, & à pascha usque post octavam festivitatis corporis Christi, & à vigilia natalis Domini post nonam usque post octavas epiphaniæ, genuflectiones in conventu obmittes, nisi cum dicitur in symbolo missæ, *Et homo factus est, passus & sepultus est*; & ad elevationem corporis Christi, & ad *Agnus Dei*, & ad benedictionem sacerdotis post missam, & ad antiphonam beatæ Mariæ quæ dicitur in completorio *Salve regina*, & ad *Alleluia, Veni Sancte Spiritus*, & ad introitum missæ beatæ Mariæ *Salve sancta parens*, & ad *Alleluia, Ora pro nobis pia Virgo Maria.* & eris tu novitius in ecclesia omnibus horis canonicis diurnis, pariterque nocturnis, & aliis divinis

officiis in ecclesia vel alibi in monasterio celebrandis, dicesque psalmos & alios cantus ecclesiasticos morose pariter & distincte, & quotiescumque nomen JESU-CHRISTI profertur in missa, inclinabis humiliter caput tuum ob reverentiam Salvatoris. Dum vero in ecclesia legetur evangelium, non appodiabis te supra stallum, sed semotus aliquantulum à stallo stans audies evangelium humiliter & devote, abstracto capucio, manibus appositis supra pectus; & existens in ecclesia ad divinum celebrandum officium, non sis ibi cum vagatione cordis interpretando nociva, vel cogitando diversa: quia sicut dicit Bernardus: *Magna est abusio habere os in choro & cor in foro*, nam de talibus dicitur per prophetam: *Quia ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Sed dicas illud cum profunda cordis reverentia & timore. Nam testante scriptura, *Amor Domini delectabit cor, & dabit gaudium & lætitiam.* Et stude intelligere quæ dicis, si potes; si vero non potes, reverere: quia sicut dicit Sapiens: *Per reverentiam accedet tib bona gratia*: & semper ad totum officium sis erectus, tam in officio beatæ Mariæ quàm in alio, hoc excepto quod in officio canonico, & non in officio beatæ Mariæ Virginis, licebit tibi ap odiare, si indiges. Officium vero beatæ Mariæ etiam in festis unius ordinis non dimittas, sed secrete dicas taliter, quod tumultum non facias. Deus enim vocem cordis audit, teste Apostolo qui ait: *Si orem lingua, spiritus meus non orat, mens mea sine fructu est.* Et ut dicit sanctus Stephanus confessor pater noster: *Qui sic orat ut aliis noceat, ab oratione charitatem excludit, quam ibi Deus amplius diligit.* Verumtamen cum beatæ Mariæ vel defunctorum officium in conventu obmittitur, tu in ecclesia, vel claustro, capitulo, vel alio loco de nocte post conventum non remanebis causa dicendi officia supradicta. Cum in missa pacem sumes, tibi tribuenti assurges, nisi pro infirmitate dimittas: & quotiens ante crucem transibis, toties supplicare debes, dicens in corde: *Deus benedictus sis, qui ita me redemisti*; vel dices: *Crux benedicta vale, mundi decus imperiale, de membris Christi quæ sanctificata fuisti.* Quandocumque frater aliquid tibi tradit, tu & ipse tradenti supplicare debet; & quamdiu stas in officio, taliter sis honestus, ut numquam respicias circumstantes, nec cum aliquo loquaris ibidem, sed capite aliquantulum inclinato, oculis dimissi ; manus habeas ante te, aut in modum crucis, aut manum in manu, numquam in sinu, vel inhonesto cubito appodiatus: cogitans te esse non solum coram fratribus seu aliis personis sæcularibus, sed coram Deo & Angelis suis. Nam teste Propheta, *Prævenerunt principes*, id est angeli, *conjuncti psallentibus.* Et semper sis sollicitus ad librum, ne aliquando negligentia vel verecundia ductus, aliquod verbum officii prætermittas, & non dicas illud solummodo prolatione vocis sicut hypocritæ versipelles, de quibus conqueritur Dominus per Prophetam dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Vide ne aliquid facias aut dicas ibi, quod alios provocet ad ridendum: quia sicut dicit Isidorus, *Nullum habebit accessum compunctio, ubi immoderatus risus seu jocus.* sed jocus & meditatio tua sit semper in Domino JESU, ut psallendo dicere possis cum Propheta: *Et ut complaceant eloquia cordis mei in conspectu tuo semper:* Et dicta qualibet hora dicas, *Pater noster*, & *Ave Maria*, pro conservatione pacis. Et mane finita missa conventuali de prima, & sero post vesperas exibis è conventu ad visitationem & absolutionem defunctorum, dicendo psalmos *Miserere mei Deus*, & *De profundis.* orationes, *Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam. Deus cujus miseratione, Fidelium Deus.*

CAPUT II.

De oratione.

CUM Dominus dicat in Evangelio, *Quia oportet semper orare & numquam deficere*, stude semper expendere tempus tuum aut in oratione, aut in lectione, aut in sancta meditatione, aut in servitiis: non enim cessat orare, qui non cessat benefacere. In oratione autem frequenter & morose permaneas cum profunda cordis humilitate & devotione: *Oratio enim humiliantis se, penetrat nubes*, juxta sententiam Sapientis. Quicquid autem in oratione petieris, cum confidentia impetrandi petas. Veritas enim ait in Evangelio: *Quicquid orantes petitis, credite quod accipietis & fiet vobis.* Sit ergo oratio tua in excelsa charitate fundata. Gregorius dicit: *Quia virtus perfectæ orationis est celsitudo charitatis.* Sit etiam secreta, verecundosa, justa, devota, frequens & lacrymosa. Et quia nihil aliud est quam ascensus mentis in Deum, idcirco antequam incipias orationem, præpara te ad habendam devotionem, si vis attingere ad divinam speculationem. Nam, teste Gregorio, oratio cordis non labiorum est. *Nec*, inquit, *verba deprecantis intendit Deus, sed cor orantis appetit.* Et ideo dicit Sapiens: *Fili, ante orationem præpara animam tuam, & noli esse tamquam homo qui tentat Deum.* Tunc enim orator dicitur tentare Deum, quando absque ulla cordis præparatione, currit ad vocalem orationem, & petit ibi divinam speculationem; sed vix aut numquam habebit, quia non dicitur talis devotus orator, sed potius verborum latrator. Si ergo vis affici in oratione, præpara cor tuum ad devotionem; nam de cordis præparatione dicitur à Domino per Prophetam: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Unde legitur in vita Patrum. Quales orantes voluimus in-

veniri, tales ante orationem nos præparare debemus. Ad istam autem præparationem tria concurrunt, scilicet quinque sensuum revocatio, propriæ parvitatis consideratio, Christi redemtoris ignita dilectio. Primo quinque sensuum revocatio; scilicet ab exterioribus, ut ad nihil intendas nisi ad quietem mentis, ne forte anima quæ in oratione vacare soli Deo intendit, per eos ad plura diffundatur. Nam invisibilis anima invisibili Deo conformis, dum Deum orat, debet omnium visibilium oblivisci, ut oratio permixta terrenis ad cœlestia cito vadat. Certum est enim quia anima ad modum arboris in altum cogitur elevari, si longe lateque per sensus non dimittitur dilatari. Unde dicebat Dominus: *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum.* Sed quia nemo ascendit ad Dei contemplationem, nisi prius descendat per sui humilitatem: ideo sequitur propriæ parvitatis consideratio. Si autem vis videre parvitatem tuam, qui oras, considera illius immensitatem quem oras. Nam nihil es tu respectu Dei viventis. Tu es enim vermiculus putridus; ipse vero Deus æternus. Tu creatura mortalis & infirma, ipse vero Deus creator omnipotens. Nec tamen cum nihil sis, ipsum honorasti tamquam creatura creatorem suum, & tamquam servus Dominum suum; sed quod periculosum est, peccando ipsum ad iracundiam provocasti, & semper suis stipendiis impugnasti: & ideo non es dignus exaudiri, sed potius flammis æternis cruciari. Et hic descende mentaliter in infernum, cum fletu cogitando, quam gravia commisisti, & quantam gloriam amisisti, & quam dura supplicia meruisti, ut cogitando tuam transgressionem qua juste damnatus es, & dominicam passionem qua redemtus es, totus in amore ejus convalescas. Ideo tertio sequitur Christi redemtoris ignita dilectio. Si autem vis perfecte diligere Christum, considera primum quantum fueris dilectus à Christo. Nam *majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sed Christus plus fecit: quia pro nobis inimicis mortuus est. Nam teste apostolo Paulo, *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Cogita ergo hic grandia beneficia Dei: quia cum deberes meritis tuis in inferno æternaliter cruciari, voluit tamen ipse Dei filius pro te redimendo de muliere paupercula nasci, crudelissima supplicia pati, & horribili morte mori, ut mortuus ad inferna descenderet, & te de inferni pelago liberaret, & in cœlesti collegio coronaret, & hic ascende mentaliter ad illud collegium bonorum, & tunc diutius charitate ignitus incipias orare ferventer, ut possis dicere cum Propheta: *Concaluit cor meum intra me.* Et quamdiu oras, semper respice, seu speculare illam cœlestem Jerusalem triumphantem, ut orando dicere possis cum Apostolo: *Nostra conversatio in cælis est.* Studeas ergo frequentius & morosius cum fervore devotionis orare, quanto tibi plus ceteris majora beneficia conferuntur: quia sicut dicit B. Gregorius: *Tanto humilior atque ad serviendum promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem conspicit in reddenda oratione.* Et omnis oratio tua semper volvatur aut circa beneficia collata cum gratiarum actione, aut circa tua & proximorum scelera perpetrata cum dolore, & lacrymarum effusione. Illa enim scala est, per quam videbat Jacob angelos ascendentes & descendentes de cœlo. & quotidie semel ad minus à fratrum consortio separatus, stude animum tuum ab omni sollicitudine revocare, & tunc illicitis operationibus impermixtus cum profunda cordis humilitate & devotione & gratiarum actione recogita cuncta beneficia creatoris, & maxime quando pro te creator voluit humiliter incarnari, acerbissima supplicia pati, & morte turpissima mori. Quæ autem de passione debeas tunc cogitare, S. Bernardus ostendit, dicens: « O homo, respice mentali oculo, quo remunerationis « munere astringaris Deo, & Domino patienti; « respice sudorem sanguineum, alaparum « contumeliam, flagellorum duritiam, coronam « spineam, sputi ludibria, crucis angariam, « patibuli suspendimentum, oculos languentes, « oris pallorem, fellita cibaria, acetosa pocula, « caput inclinatum, mortis supplicium, & « quid plura? vita pro nobis mortua est. Non solum hoc, sed & alia facias, sicut Dominus ministrabit. Et cum hæc omnia prolixe & cum lacrymis cogitasti, revertere protinus in teipsum, & cogita quia Jesus non solum supradicta, sed & alias multas sustinuit passiones, ut te de servitute diaboli liberaret, & tu ingratus beneficiis creatoris cum sis sua morte redemtus, non solum eum ardentius non amasti, sed eum peccando potius impugnasti, sicut ipse conqueritur per Prophetam dicens: *Retribuerunt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*; & hic cogita prolixe cum dolore quantum & qualiter Deum offendisti, & per consequens quantam gloriam perdidisti, & quanta supplicia meruisti, & hic liquefiat anima tua dolendo & pœnitendo, & præ amaritudine lacrymetur, ut possis dicere cum Propheta: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Ad ultimum vero resurge, sperando de misericordia Jesu. Jesus patiens enim est, & multum misericors, sicut dicitur in Psalmo, & ideo confidenter & humiliter roga eum, ut qui te sua redemit passione, & redemptum in mundo vocavit, in religione positum, immaculatum te finaliter conservet in sanctorum collegio coronandum. Deinde roga pro papa cui immediate cum abbate tuo & ceteris ordinis, in quem intrasti, fratribus suberis, cum professionem feceris, & pro ceteris prælatis sanctæ Ecclesiæ, pro rege & principibus, pro religione nostra, & ceteris omnibus, & pro fundatoribus & benefacto-

ribus eorumdem, & pro omni populo christiano, deinde pro defunctis in fide catholica, deinde pro terra sancta, prout Dominus tibi ministrabit.

CAPUT III.

De confessione.

QUIA ad remissionem peccatorum requiritur contritio amara, confessio pura, & satisfactio condigna: idcirco antequam venias ad confessionem omnia peccata quæ post confessionem præcedentem fecisti, vel corde, vel ore, vel opere, aut obmittendo bona, aut committendo mala, ad mentem revoca diligenter, ne ea in confessione prætermittas, & cum singula peccata ad memoriam revocaveris, vade ad sacerdotem, & deposito capucio, humiliter genuflecte, & junctis manibus dicas: *Confiteor Deo, & beatæ Mariæ, & angelis Dei, & S. Stephano confessori, & omnibus sanctis, & tibi pater.* & hic incipias dicere illa peccata quæ supra cogitasti: quibus dictis, subjungas ultimo, dicens: *De istis & de omnibus peccatis meis, mortalibus & venialibus, confessis & oblitis, quibus offendi creatorem meum. Mea culpa, ideo precor, &c.* & ista sufficiant ad confessionem frequentem. Cum autem vis prolixius confiteri, dicas de offensione regulæ seu transgressione, maxime de obedientia, paupertate & castitate; ut exprimas si in aliquo istorum specialiter offendisti. Item de multa negligentia & irreverentia circa horas, quia dicis somnolenter & indevote, & etiam imperfecte, obmittendo quandoque versus & verba. Item de multa ingratitudine quam habes circa spiritualia & temporalia bona, & beneficia, & dona Dei, & maxime beneficia redemptionis & religionis, quæ cum gratiarum actione debes recogitare frequenter; & etiam de beneficiis corporalibus ei ingratus, quia pro elemosynis acceptis, de quibus vivis, non reddis Deo grates debitas sicut debes, & parum pro benefactoribus oras. Item de modica charitate quam habes circa Deum & proximum: quia Deum non diligis toto corde sicut debes, nec recte obedis præceptis & consiliis suis, sed quod periculosius est voluntati suæ sæpe resistis, nec etiam proximum sicut debes diligis: quia non congaudes sibi in prosperitate sua, nec in adversitate compateris sicut debes. Item de perditione temporis, quia nimis stas otiosus in die, dicendo & audiendo verba otiosa & ad iracundiam provocantia. Item de inhonestis & noxiis cogitationibus, quibus non resistis viriliter, sicut potes; sed forte, quod pejus est, negligendo meditationem Christi circa passionem motus carnales insurgunt. Item de superfluitate & aviditate in comedendo & bibendo, & alia non necessaria recipiendo. Item de bonis voluntatibus quas per dilationem frequenter repellis. Item de falso & temerario judicio aliorum. Item de vana lætitia & vana tristitia. Item quod pronus es ad malum & remissus ad bonum. Item de multa superbia, vana gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, acidia, gula ac luxuria. Item de modico dolore quem habes de peccatis tuis, & non doles de offensa Dei sicut debes. Et alia dicas de quibus te conscientia reprehendit. Et cum hæc omnia confiteris, semper descendes mentaliter ad specialia quæ fecisti: & sit confessio tua præmeditata, brevis, frequens, aperta, integra, verecunda, & lacrymosa, cum contritione & sine excusatione; & si potes quotidie, bene quidem; sin autem, de tertia in tertiam diem, vel saltem semel in qualibet septimana, salubriter juxta statuta ingressi ordinis studeas confiteri. Et studeas semper, ut semel confitearis generaliter annuatim juxta ordinationem concilii generalis Innocentii tertii.

CAPUT IV.

De præparatione ad communionem.

CUM Apostolus dicat, quod qui illud incogitabile sacramentum manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit: idcirco quotiescumque communicare proponis, studeas te per totam præcedentem hebdomadam ad hoc sollicite præparare, scilicet per peccatorum contritionem, per continuam meditationem passionis Christi, & per devotam orationem. Nam de hac præparatione loquebatur Apostolus, cum dicebat: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Et si in dominico die communicare proponis, stude te ante per triduum ad fervorem spiritus ordinare, ut scilicet in sexta feria præcedenti ab omni cogitatione mundana suspensus, semper ante mentales oculos habeas JESUM in cruce suspensum, clavis crucifixum, spinis coronatum, aceto cum felle potatum, sputis & contumeliis satiatum, & à pendentibus blasphematum, flagellorum multitudine fatigatum, acerbissima morte consumtum, lancea perforatum, à mortalibus jam sepultum; & hoc cogita illa die, sive comedas, sive bibas, sive aliquid aliud facias, ut cogitando creatorem crucifixum, in corde dolorem habeas tota die, & in corpore ostendas tristitiam faciei, dicendo cum Apostolo: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* JESU CHRISTI. Die vero sabbati propone penitus fratrum consortia devitare, & quietem mentis eligere, dies enim requietionis est, & impone strictum silentium ori tuo, ut saltem illa die non solum otiosa verba non dicas, sed etiam necessaria vix loquaris. Nam teste Jeremia: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.*

& usque post completorium exerceas te aut in oratione, aut in lectione, aut in sancta meditatione. Post completorium vero vade in ecclesiam, & ibi revoca mentem tuam; & quicquid umquam in creatorem fecisti, recogita totum cum dolore & amaritudine cordis, dicendo cum Propheta: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Semper autem cum communicare proponis, die præcedenti jejuna, & matutinum non dormias, sed vigila in oratione: sciendo quod in vigiliis matutinis salvator noster potissimum invenitur, sicut scriptum est: *Qui mane vigilaverit ad me, inveniet me*. Cum autem communicaveris, statim vade ad cellam, & ibi cum gaudio magno cogita ipsius communicationis effectum: quem quidem ipsa Veritas exprimit, dicens: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Et dic immediate septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, & cave ne saltem illa die exeant de ore tuo verba nociva vel otiosa per quod intravit refectio gloriosa. Nam teste Paulo: *Nemo potest digne calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*. De frequentatione communionis suadere non audeo, nisi quod Augustinus suadet. Ait enim: *Quotidie Eucharistiam manducare vel sumere nec laudo, nec vitupero*. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor: si tamen mens in affectu peccandi est, magis dico gravari eucharistiæ perceptione, quam purificari. & licet peccato medeatur, si peccandi de cetero non habeat voluntatem, & satisfaciat lacrymis & orationibus, accedat securus: sed hoc de illo dico, quem peccata mortalia non gravant. Professi autem fratres singulis mensibus tam in monasteriis, quàm extra sublata occasione quacumque ad confessionem saltem semel accedere debent, & communicare in prima dominica cujuslibet mensis.

CAPUT V.

De comestione.

STATIM cum pulsatur ad comestionem, stans in silentio diligenter examina teipsum, scilicet quomodo illo die, in ordine, vel in lectione, vel in servitiis laborasti, ut præparatas elemosynas possis secura conscientia manducare. Nam peccatores idcirco elemosynas largiuntur, non ut loquaris de partibus, aut de nationibus, vel de guerris, seu dissentionibus retroactis, vel maneas otiosus; sed ut pro eis incessanter ad dominum intercedas. Quod si te invenieris otiosum stetisse, aut fecisse vel dixisse illicita, timeas cum dolore cordis: sciendo quod de elemosynis acceptis oportebit te rationem reddere cum dicetur: *Redde rationem villicationis tuæ*. Cum introieris ad mensam, sede semper juxta & post maturiores & honestiores qui ante te venerunt ad heremiticam professionem, si abbas vel conventualis prior hoc permittat, & fieri possit bono modo. Et antequam incipias manducare, dic *Pater noster*. Et invocato nomine sanctæ Trinitatis, dicas: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen*. Et tunc incipias comedere cum timore & dolore cordis, ut verificetur in te illud Job, *Antequam comedam suspiro*. Et sicut dicit Bernardus: *Non tantum manduces, quam diligenter attendas lectioni, si fueris in loco ubi legatur. Si vero non legitur ibidem, cogita de Deo ut uterque homo prophetica sit refectione refectus*. Sis ergo honeste in mensa capite coopertus, oculis non diffusis. Nulli loquaris ibidem, nisi aliqua necessitate coactus, nec cures scire, quid vel qualiter alii comedant. Paulatim incidas panem, ne forte antequam comedas moriaris, & panis remaneret scissus, & cave ut non sis primus in comedendo, nec ultimus in finiendo; & dum sanus es, numquam panem eligas meliorem, & deteriorem tantum dimittas, ne Deum offendas & proximum scandalizes, sed communiter manduca illum, & non comedas rapaciter ut gulosi, quorum Deus venter est, sicut dicit Apostolus: sed curialiter & honestè, sicut decet Religiosum. Et quoties biberis, dicto prius *Ave Maria*, cum ambabus manibus bibas, ne quod datur ad nutrimentum, fiat tibi ad detrimentum; habet enim ad libidinem provocare, sicut dicit Sapiens: *Luxuriosa res est vinum*. Ideo dicit Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Et alibi, *semper*, inquit, *modico vino utere*. Appone ergo semper aquam in eo. Specialia vero numquam procures, nec oblata recipias, si evitare poteris bono modo. Encenia non mittas per mensam, nisi forte illi qui juxta te sedet: quia encenia fratribus facere non ad te pertinet, sed ad abbatem vel priorem conventualem; qui de cibis ante se apportatis possunt debilibus & delicatis facere pitantiam pro substentatione naturæ sine scandalo aliorum. Micas vero in fine diligenter collige & manduca, quia dicit Dominus: *Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant*.

CAPUT VI.

De sobrietate.

CUM Dominus dicat in evangelio: *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate*. Semper stude & crapulam fugere, & sobrietatem eligere: quia sicut dicit Sapiens: *Multi propter crapulam obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam*. Cum autem fueris in comedendo, sicut dicit Bernardus, non sapor sed fames pro-

Nuga!

vocet appetitum, ut numquam voluptate sed necessitate pascaris: quia sicut dicit Augustinus: Mens ciborum varietate & nimietate laxata orationis & devotionis perdit vigorem. Unde toto tempore vitæ tuæ modico & communi cibo utere, quia dicit B. Jeronymus, ubicumque ebrietas & saturitas fuerit, ibi libido dominatur, & cave ne modum excedas abstinendo vel comedendo, immo sicut dicit B. Jeronymus, *Tantum tibi jejunium pone, quantum ferre poteris, melius est*, inquit, *quotidie parum quàm raro multum sumere.* Augustinus dicit: *Nihil prodest quotidie longum producere jejunium, si postea saturitate vel nimietate aliqua obstruatur.* Et cave, ne de cetero aliquam specialitatem vel singularitatem cibi tibi procures, sed in omni tempore quo sanus fueris, cibaberis communibus. Esto etiam contentus pane & vino, & coquina & communibus cibis conventus. Quia conventus istis pulmentis uti potest, quandoque caseo, & ovis, vel piscibus, eo quod omnes à carnibus & sanguine abstinent, exceptis omnino debilibus & ægrotis, & duobus diebus in septimana, dominica & Jovis: quibus diebus certis anni temporibus, de abbatis vel prioris sui indulgentia, fratres carne uti possunt. Cave tamen ne aliquid ad vescendum certis horis ex debito postulare præsumas. quod si petieris omnino non exaudieris, nisi forte ægrotes: ægrotanti autem cum omni humilitate debet serviri. Sal & aquam petere potes dum es ad mensam. Cave etiam ne fratribus alterius cellæ referas largitatem loci ubi moraris. Cibaria vero quæ magis provocant ad gulam quam sustentant naturam, semper devita, sicut inusitata, delicata, speciebus composita, & similia. Cave etiam ne abstinendo manducantes judices vel contemnas: quia dicit Apostolus: *Qui non manducat, manducantem non spernat.* Extra refectorium etiam numquam comedas, nisi necessitate vel infirmitate coactus: sed communem vitam semper in bono sequaris. Et si quandoque videtur tibi abstinentia insuportabilis, cogita de domino Jesu, qui cum esset Dominus omnium, in anxietate patibuli fatigatus, spinis coronatus, clavis perforatus, sitiens potatus est cum aceto felle mixto. Tunc enim talia cogitando, non solum ciborum abstinentiam, sed quaslibet asperitates & passiones facile sustinere valebis. Ait enim Gregorius: *Si passio Christi ad memoriam reducitur, nihil tam grave est quin facile toleretur.* Abstineas ergo semper à cibis delicatis & calidis, quia sunt provocatio ad nutrimentum luxuriæ, & semper in omni cibo & potu superfluitatem & aviditatem devita, & post comestionem videaris esurire & famelicus esse, si æterno convivio vis saturari. Ait enim Jeronymus: *Impossibile est præsentibus & futuris quis fruatur bonis, ut hic ventrem & ibi mentem impleat, & de delitiis mundi ad delitias transeat angelorum, ut in cœlo & in terra appareat gloriosus.* Beati ergo qui esuriunt & sitiunt justitiam in præsenti: quoniam ipsi saturabuntur in futuro.

CAPUT VII.

De modo dormiendi.

SEMPER cum veneris ad horam dormiendi, te prius aqua benedicta asperge, & tunc vadens ad lectum, aliquam orationem præmittas, & facto signo crucis, in lecto te humiliter Deo commendato. honeste & composite jaceas in dextro latere vel sinistro, numquam supinus, vel aliter inhonestus. In lecto autem sic positus, indutus camisia grossa de stupis, donec somnus te occupet, dicas psalmos submissa voce, vel aliquid aliud meditare, vel quod utilius est imaginare Jesum in cruce pendentem: quod si sollicite cogites, vix aut numquam poterit te diabolus molestare, quia per devotam meditationem passionis Christi exercitus dæmonum effugatur. Cum autem surrexeris de lecto, statim recurre ad memoriam Crucifixi, ut cum Apostolo, inter homines nihil dicas nisi solum Jesum-Christum & hunc crucifixum. Ait enim S. Bernardus: *Totus tibi fixus sit in corde, qui pro te fuit totus crucifixus in cruce.* Et facto signo crucis, vade ad ecclesiam festinanter, & aspergens te aqua benedicta, ingrediens ecclesiam dicas: *Introibo in domum tuam Domine & adorabo, &c.* Cum autem perveneris ad altare, humiliter genuflectens, Deum adora, & lacrymare si potes, & facias orationem quam tibi Dominus ministrabit, & recommenda te sibi cum profunda cordis devotione & humilitate. Semper sis in ecclesia antequam officium inchoetur, ut congregatis aliis libentius possis intendere his quæ dicis.

CAPUT VIII.

De servitiis faciendis.

OMNIA servitia quæ facies radicentur in charitate: alioquin non expectes meritum inde apud Deum. Nam sicut Augustinus ait: *Tanta virtus est charitatis, ut prophetia & martyrium nihil esse credantur sine ipsa.* Cum profunda etiam cordis & corporis reverentia & devotione sollicita sacerdotes ad celebrandum, & sis semper sollicitus ibi circa officia facienda; ne forte, quod absit, tua negligentia impediatur aliquando devotio celebrantis: & caveas summopere in serviendo ne umquam respicias in faciem sacerdotis. Cum autem fueris cum fratribus pro aliquo servitio faciendo, cave ne loquaris ibidem, nisi forte interrogatus, & tunc diligenter audias cum silentio quæ dicuntur, quia, teste psalmista, vir linguosus non dirigetur in terra.

CAPUT IX.

De otio fugiendo.

CUM otiositas sit multa occasio delinquendi, testante Sapiente, qui ait: *Multa mala docuit otiositas.* Studeas semper in divinis laudibus occupari vel charitatis operibus. Nam otiosos divina Sapientia reprehendit, dicens: *Quid statis tota die otiosi?* Nec mirum, quia diabolus otiosum frequenter præcipitat in peccatum: unde Jeronymus: *Semper fac aliquid boni operis, ut te diabolus inveniat occupatum.* In his maxime te exercere procures, scilicet in frequenti & ferventi oratione, in sancta Dei meditatione, in devota & utili lectione, aut in servitiis antiquorum. Et per ista tota vita tua decurrat. Cum autem ecclesiam exieris, statim vadas ad cellam, ut ibi ores, aut legas, aut mediteris, & inde non exeas, nisi urgenti necessitate vel utilitate coactus, memor illius Bernardi: *Angeli Dei cellam habent pro paradiso, & delectantur in cellis ut in cœlis. A cella,* inquit, *ad cœlum frequenter ascenditur.* Unde versus,

Delitiis veris cellam sectando frueris.

CAPUT X.

De honestate.

CUM honestas sensuum exteriorum sit ornativa interiorum, ideo cum omni verbo, gestu & actu tuo semper honestatem cum discretione prætendas. Ait enim Apostolus: *Omnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis.* Si ergo desideres honestatem fulcitam virtutibus invenire, inventam facile retinere, stude semper habere subscripta. Primo ergo habeas ferventem & frequentem orationem de quo poteris dicere illud Sapientis: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* deinde stude semper omnia verba inhonesta & otiosa devitare, ut nullo modo proferas nec audias proferentes: quia teste Paulo: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Postea inhonestorum & dissolutorum consortia cave. Infames fugiat tua conversatio semper, & socio gaude te meliore frui. Ludos etiam maxime manuum cum juvenibus semper devita, otiosorum & ludentium conventicula fuge, adulatorum blandimenta deride; colloquia susurronum, murmuratorum, bilinguium, & detractorum semper abhorre. Nam teste scriptura, *Murmuratores & detractores Deo odibiles sunt.* Non loquaris cum aliquo sæculari vel alterius religionis fratre, nisi de abbatis vel de prioris licentia, aut locum tenentis: & tunc magistro præsente & audiente, numquam etiam loquaris cum aliquo nisi

A verbum præmeditatum, ordinatum, utile vel honestum. Duplicitates & simulationes semper devita in loquendo, quia sicut dicit B. Augustinus: *Omnis dissimulatio & omnis duplicitas est mendacium.* Omnia igitur verba tua prius veniant ad limam quam ad linguam, nec aliquem de cetero reprehendas, nisi manifeste faciat contra Deum, sed tu potius reprehensus statim genuflectens dicas: *Mea culpa,* sive sis culpabilis, sive non. Nam teste Augustino: *Bonarum mentium est ibi culpam timere, ubi culpa non est.* Quicumque alius te offendat non respondeas ei, sed statim recurre ad patientiam, dicens: *Dignum quippe*

B *est ut me omnes creaturæ offendant, quia ego offendi sæpe & injuste omnium creatorem & offendo quotidie incessanter.* Præterea quando vadis ad ecclesiam, ante altare si fieri potest congruenter ingrediendo, humiliter genuflecte: quia scriptum est: *In nomine Domini* JESU, *omne genu flectatur.* Item quando vadis per domum vel extra, semper habeas gressum mitem, mansuetum, & maturum; manus continentes, oculos demissos, stabiles, non vagos, quia sicut dicit Augustinus, *Impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Et quotiescumque videris fratres loquentes

C non de Deo vel etiam de scriptura sancta, statim recede, maxime si murmuraverint de aliquo vel loquerentur de guerris. Est enim lingua eorum gladius. ut autem supradicta melius habeas & observes, stude semper in corde, ore, & opere humilitatem habere, quia sicut dicit Augustinus: *Qui sine humilitate ceteras virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat.*

CAPUT XI.

De resistendo tentationibus.

D QUIA humani generis adversator innititur incessanter per impulsiones, tentationum fidelibus obviare, teste B. Petro qui ait: *Fratres sobrii estote.* Ideo semper custodias teipsum & animam tuam sollicite juxta consilium Sapientis. Et si sentieris te tentationibus impugnari, statim recurre ad JESUM: *Fidelis est enim & faciet cum tentatione proventum.* Et dicas, *Adjuva me, Domine Deus meus, ne discedas à me, intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. Libera me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me. Pone me Domine juxta te, & cujusvis*

E *manus pugnet contra me*; & *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Et cogita statim quod per peccatum privatur homo incogitabili gloria bonorum, & condemnatur ad infinita supplicia damnatorum. Nam ista, si ea bene habeas in mente, expellent tentationes omnino: & si adhuc tentatio prævaleret, cogita ferventer de acerbissima passione Christi Jesu. Nam, teste scriptura, *Recogitare de ea sensus est consummatus.* & hoc

est, quia si bene imprimatur in mente passio redemtoris, non habebit locum impulsio tentatoris: hæc est enim armatura de qua dicebat Apostolus: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Hoc etiam Bernardus dicit expressius: *Quoties te senseris turpibus cogitationibus impugnari, & ad illicitas cogitationes affici, toties pone ante oculos mentis tuæ quomodo Christus crucifixus est pro te. Intuere quomodo à Juda Judæis traditur, blasphematur, colaphisatur, judicatur, condemnatur, expoliatur, flagellatur, ad ultimum vero contumeliis & opprobriis affectus inter duos latrones suspenditur, clavis crucifixus, sputis derisus, spinis coronatus, felle potatus, lancea perforatus est, & ex omnibus partibus corporis sanguis emanat, & inclinato capite emisit spiritum.* Ita, inquit, redemptor tuus moritur pro te in cruce, & tu nescis cujusmodi turpi cogitatione sordescis in mente.

CAPUT XII.

De fugiendo seculares.

TOTO tempore vitæ tuæ studeas quantum poteris bono modo familiaritates sæcularium devitare: *Generatio enim perversa est & infideles filii*, testante scriptura: Familiaritas sæcularium minuit religionis devotionem, turbat contemplationem, impedit orationem: est enim difficile religiosos inter sæculares pompas & lascivias regulares observantias custodire, & inter sæculares homines spiritualium hostium expectare conflictum. Cum autem de licentia abbatis vel prioris fueris cum eis, aliqua necessitate vel utilitate cogente; cave ne umquam loquaris cum eis verba, nisi verba utilia & honesta: Et si ipsi loquerentur de sæculo, vel de guerris, vel alia inutilia, numquam respondeas: dicendo tecum cum Propheta: *Non loquatur os meum opera hominum*, & semper sis cum eis pavidus, non securus, humilis, benignus, & honestus, ut impleatur in te illud evangelium: *Luceat lux vestra coram hominibus.* Mulieres vero fuge sicut serpentes, & numquam loquaris cum aliqua, nisi urgens necessitas te compellat. Numquam tamen inspicias in faciem alicujus mulieris, & si mulier loqueretur tecum aliquando, verba sua sæpissime circumcide. Nam teste Propheta: *Molliti sunt sermonem ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Ideo dicit B. Augustinus: *Austerus sermo & rigidus tibi cum mulieribus est habendus, nec tamen quia sanctæ sunt, ideo minus cavendum: quo enim sanctiores, eo magis illiciunt, & sub prætextu blandi sermonis se immiscet viscus impiissimæ libidinis. Crede, inquit, mihi, episcopus sum. In quo loquor non mentior; Cedros libani & gigantes sub hac specie corruisse reperi*: de quorum casu non magis præsumendum quam Gregorii, vel Ambrosii. Fuge ergo laqueos mulierum, quia non es David sanctior, non Samsone fortior, nec sapientior Salomone.

CAPUT XIII.

De non judicando alios.

CUM nulli commissum sit occulta cordium judicare, sicut dicit Apostolus: *Nolite ante tempus judicare quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit occulta cordium.* Idcirco numquam te transferas ad aliorum judicium vel contemtum, sed quotiescumque videris aliquid fieri, quod tibi displiceat: antequam judices facientem, primo respicias in teipsum, utrum invenias in te aliquid reprehensibile, quod si inveneris in te, tunc in quo alium judicabas teipsum condemna: dicendo cum Propheta: *Ego sum qui peccavi, ego sum qui inique egi.* Et non sis sicut hypocrita, qui semper vult videre festucam in oculis ceterorum, trabem autem quæ est in ejus oculo non considerat: quem divina sapientia reprehendit, dicens: *Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo.* Bernardus etiam dicit: « Cave alienæ vitæ esse aut curiosus explorator, aut « temerarius judex, etiam si percipias actum « quem reprehendis, nec judices proximum. « Magis autem excusa intentionem si opus « excusare non potes; puta ignorantiam, puta « casum, spera resurrectionem. quod si rei cer- « titudo nullam excusationem recipiat, apud « temetipsum dicas; Vehemens fuit illa tenta- « tio, & quid de me illa fecisset, si similem in me potestatem forsitan habuisset? Non sis pronus ad judicandum vel murmurandum de aliis, sed potius judica, & despice teipsum, dicendo cum psalmista: *Iniquitatem meam ego annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.*

CAPUT XIV.

De silentio.

QUIA divina consolatio semper per multiloquium denegatur, toto tempore vitæ tuæ strictum silentium serva, in locis maxime & temporibus ordinatis. Nam teste scriptura, *in silentio & spe erit fortitudo vestra.* Si à cella exieris cum socio tuo, causa eundi in aliquem locum, si occursus alicujus exigit, unus loquatur, alter vero taceat: & si exterior quærat tibi loqui, non exibis sine jussu abbatis, vel conventualis prioris, aut locum tenentis: & cave ne umquam loquaris, nisi interrogatus, vel aliqua necessitate, vel utilitate coactus: nam fractura silentii de facili patitur jacula inimici. Ideo dicit Augustinus, mutum debet esse os hominis, nisi ad tria, scilicet ad laudem Dei, ad accusationem sui, & ad utilitatem proximi. Sileas ergo

ergo, ita ut numquam verba detractionis, dissolutionis, vel inhonesta loquaris. Attendendo quod non solum de verbis nocivis & periculosis, sed etiam de omnibus verbis otiosis quæ locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii, secundùm sententiam Salvatoris. Ideo dicit Propheta : *Lætati sunt, quia siluerunt.* Ait enim Augustinus : Qui otiosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. In hoc autem potissime silentium serva. Caveas ut numquam loquaris de sæculo, vel de guerris, nec audias proferentes, cum illud sit venenum mortiferum animarum. de talibus enim dicitur in psalmo : *Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.* Item psalmista : *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis.* Ubi dicit B. Augustinus & Benedictus in sua Regula, *De bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis de malis verbis, propter pœnam peccati debet cessari.* Et sequitur, *Scurrilitatem vero & verba otiosa vel risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum os aperire non permittimus.*

CAPUT XV.

De obedientia.

QUONIAM ad viam salutis nihil est tutius quàm per communem obedientiam abnegare seipsum, idcirco sequentibus se dicit Veritas : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* per obedientiæ subjectionem, *& tollat crucem suam* per carnis macerationem, *& sequatur me* per finalem consummationem. & merito invitat eos ad obedientiæ subjectionem : quia per eam habetur mira victoria contra hostes, teste Sapiente qui ait : *Verus obediens loquetur victorias*, & quod plus est, Ipse Deus per obedientiam vinci potest : ait enim Gregorius : *Si obedientes fuerimus prælatis nostris, obediet Deus orationibus nostris.* Et Augustinus, *Citius*, inquit, *exaudiet Deus orationem unam obedientis, quam decem millia contemnentis.* Igitur toto tempore vitæ tuæ studeas secundùm Deum omnibus subjacere, & semper humiliter omnibus obedire, non solum prælatis, sed etiam aliis fratribus, in iis quæ ad commodum & honorem domus pertinent, fraternæ charitatis officium & auxilium debitæ subventionis impendendo, & non cures discernere, sed statim simpliciter obedire : & cave ne umquam pro te vel pro alio obedientiam extorqueas aperte, vel fureris occulte : quia talis non dicitur obedire humiliter, sed propria voluntate abire : non enim tu prælato, sed prælatus tibi obediret. Caveas igitur à talibus, quia ut dicit Bernardus, Propria voluntas ardebit in inferno. *Tolle*, inquit, *propriam voluntatem, & jam non erit infernus.* Quandocumque vero aliqua gravis obedientia te conturbat, instantissime cogita de JESU, qui cum esset Rex regum, & Dominus dominantium, humiliavit semetipsum; factus obediens usque ad mortem. Dicebat enim ipse : *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed aliorum.* Qualis autem debeat esse verus obediens, describit S. Bernardus, dicens : *Verus obediens nescit moram; mandatum non procrastinat, sed statim oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, mox præparat ad agendum, & totum se intus colligit, ut præparatus exterius voluntatem perficiat imperantis.* Et sanctus Stephanus confessor ait : Obedientia virtutes inserit insertasque custodit. Nam sine obedientia nullum bonum est salutare. homo quippe inobediens nihil valet agere quod ei proficiat ad salutem. Sive frater oret, sive aliud faciat, semper sit obedire paratus, nihil obedientiæ præponendo.

CAPUT XVI.

De paupertate.

CUM paupertas voluntaria sit totum spiritualis ædificii fundamentum primarium, idcirco numquam proprium possidere præsumas. Est enim proprium, quicquid possides præter victum & vestitum, & manifestas necessitates. Qui proprio renuntiat, non solùm possessiones, sed propriam voluntatem relinquere debet. Qui enim relictis exterioribus omnibus, sæcularem retinet voluntatem, perniciosam sibi retinet proprietatem : quia religiosus, qui totum voluntati pastoris se subjicit, potestatem in corpore & rebus amittit, & velle & nolle habere desinit. Si enim proprietas apud te inventa fuerit in morte, es cum ipsa in signum perditionis extra cimiterium in sterquilinio subterrandus, secundùm quod B. Gregorius narrat se fecisse in Dialogo. Unde si quicquam tibi fuerit specialiter destinatum, non præsumas illud accipere, sed abbati tuo, vel priori conventuali, aut cellerario assignetur; sed nec litteram tibi missam aperies, nisi antea abbati, vel priori, aut eorum locum tenenti exhibita fuerit, & tibi ab eis legendi eam licentia concedatur. Nec etiam intrabis coquinam, scriptoriam, vel alias officinas, sive habitacula, sine licentia abbatis, vel prioris, aut locum tenentis speciali. Et cave ne post ingressum religionis te reputes nobilem, vel potentem, cum secundùm Augustinum, jam non habeas propriam voluntatem. Toto tempore vitæ tuæ in omnibus transitoriis, strictam paupertatem servabis : quia omne quod est in mundo est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Ista enim transitoria sunt contraria æternis. qui enim voluerit esse amicus hujus mundi, inimicus Dei constituetur, ut ait Gregorius : Tanto unusquisque à superno amore disjun-

gitur, quanto inferius delectatur: Omnia reputavit Apostolus ut stercora: ait etiam Gregorius: *Si consideremus quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris.* Beati ergo pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Igitur si per paupertatem pervenitur ad gloriam beatorum, studeas eam semper strictissime retinere, lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus. Regnum quidem cœlorum paupertate emitur in præsenti. ait enim Veritas: *Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cœlorum.* Ad quod vos ducat ille qui paupertatem tenuit, paupertatis doctrinam tenuit, paupertati distribuit regnum suum possidendum, per omnia sæcula sæculorum.

CAPUT XVII.

De instructione religiosorum & secularium.

SI omnes non possunt implere quod Dominus ait: *Vendite quæ possidetis:* illud tamen quod adjicit, dicens *Date elemosynam*, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si absit dira cupiditas; omnibus salubre, si fuerit charitas. Cunctis debet esse commune, ut omnibus donetur æterna felicitas. Qui tantam virtutem accepit à Domino ut omnia quæ in mundo sunt cœlestis regni amore contemnat, quæ habet vendat & in egenis alendis expendat. Qui vero tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, in quantum valet, elemosynam faciat: tantum operetur bona voluntas, quantum suppetit facultas. Perfectus religiosus possideat primum virtutis locum, imperfectus sæcularis, saltem perveniat ad secundum. Efficiatur ille gloriæ dignus, sit iste laudabiliter gloriosus, sit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator; sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator, habeat iste scilicet sæcularis apud Deum patronos pauperes, quos ille scilicet religiosus gaudet se virtutis habere consortes. Sit ille scilicet religiosus talis, qui cum Domino judicaturus sedeat. Sit iste scilicet sæcularis, qui ad dexteram

A judicandus existat, sit ille scilicet religiosus, talis qui æterna tabernacula perpetuo jure possideat, sit iste sæcularis, talis quem religiosus recipiat. Admonet enim Dominus sæculares homines dicens, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Hæc autem quæ diximus necessaria sunt tam religiosis, quàm sæcularibus, ut in bonis operibus nullus sit segnis aut sterilis, nec præsentium delectatione futura contemnat. Nemo æterna despiciens sola temporalia perversus aspiciat, nemo spiritualibus corporalis præferat. Nemo terrena cœlestibus anteponat. Thesaurum suum quilibet in cœlo ponat, ut cor suum in cœlis habitare faciat: quia necesse est ut quo præcessit dilectionis thesaurus, illuc etiam

B cogitationis sequatur affectus, juxta illud quod Veritas ait: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* ut ergo in cœlis thesaurum quisque nostrum habeat, cœlestia diligat. In unoquoque religioso tria præcipua debent esse. Primo perfectionis regularis scientia. Secundo, voluntas adimplendi promissa. Tertio, quod illa quæ scit & promisit cum effectu impleat, ut ait Psalmista: *Memores sunt mandatorum ad faciendum ea.* Quæ verba intelligenda sunt cum effectu. unum enim non prodest sine altero. si enim sciat suæ professionis statuta, & nolit ea adimplere, vel si velit & nesciat, aut si velit & sciat & non faciat, non prodest scientia, & voluntas sine effectu. Ideo dixit Salvator apostolis: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Item, si aliquis facit

C illud quod nolit aut nescit, quid illud habebit meriti ignoratur, quia qui nolens, vel nesciens aliquid facit non est compensatione dignus. Legitur in Deuteronomio Dominum Moïsi dixisse: *Ligabis mandata legis in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos.* Et est sensus secundùm Jeronymum: Præcepta mea sunt in manu tua, ut ea scias & opere compleas, & sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Nihil aliud docent, divinæ legis mandata nisi religionem amare, unitatem servare & charitatem habere. Laus Deo Virginique Mariæ, & beato Stephano Confessori patri nostro.





CONSULTATIONIS ZACHÆI CHRISTIANI ET APOLLONII PHILOSOPHI

EDITÆ SPICILEGII TOMO X.

Collatæ cum mſ. codice Vindocinenſi variantes lectiones.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI ALTERCATIONUM PRIMI.

qui aut hominem restitueret, aut diabolum perderet.

XXXIV. *Cur iniqui florent & recti premuntur.*

XXXV. *Si justus est Deus, quare infantes malorum nescii diversis malis afficiuntur.*

XXXVI. *Quæ sit plenitudo legis, confessio credulitatis ad Deum.*

Hæc omnia capitula desiderantur in editis.

PRÆFATIO LIBRI I.

PAG. 1. lin. 4. *edit.* Spernenda. *ms.* Et spernenda.

P. 1. l. 7. *edit.* Nostra sit sancta & simplex. *ms.* Nostra sicut est sancta & simplex.

P. 1. l. 8. *edit.* Eo docti credere. *ms.* Edocti credere.

P. 1. l. 8. *edit.* Dicta. *ms.* Dictam.

P. 2. l. 6. *edit.* Gentilitatis. *ms.* Gentilitati.

P. 2. l. 7. *edit.* Propositionis suæ. *ms.* Propositionis.

P. 2. l. 12. *edit.* Cognoscet. *ms.* Cognoscit.

P. 2. l. 18. *edit.* Perstringet rationem. *ms.* Perstringet ratione.

P. 2. l. 19. *edit.* Disputatoribus. *ms.* Disputationibus.

CAPUT I.

P. 3. l. 1. *edit.* Ut mihi. *ms.* Te mihi.

P. 3. l. 3. *edit.* Præloquebamur, proferre liceat. *ms.* Præloquebatur, & proferre liceat.

P. 3. l. 19. *edit.* Virentem præterea. *ms.* Vigentem præterea.

P. 3. l. 21. *edit.* Degentibus. *ms.* De gentibus.

P. 3. l. 25. *edit.* Eam præsentium. *ms.* Eum præsentium.

P. 3. l. ult. *edit.* Et de Deo verum. *ms.* Verum & de Deo verum.

P. 4. l. 2. *edit.* Talisque justitiæ. *ms.* Talique justitiæ.

P. 4. l. 4. *edit.* Sed per se omnia scire. *ms.* *Deest* sed.

P. 4. l. 5. *edit.* Majorem. *ms.* Majori.

CAPUT II.

P. 4. l. 5. *edit.* Videre Deum. *ms.* Videri Deum.

P. 4. l. 11. *edit.* Vestrarum. *ms.* Nostrarum.

CAPUT III.

P. 4. l. 1. *edit.* At ego. *ms.* Ut ego.

P. 4. l. 4. *edit.* Præterea. *ms.* Propterea.

P. 5. l. 10. *edit.* Tantum & convinci impune niteris. *ms.* Tantum niteris & convinci impune.

CAPUT IV.

P. 5. l. 5. *edit.* Pro religione loqui nemo. *ms.* Ac vere pro religione loqui non me.

P. 5. l. 12. *edit.* Quia excitare. *ms.* Qui excitare.

P. 6. l. 7. *edit.* Ut adsentis. *ms.* Ut asseritis.

P. 6. l. 9. *edit.* Uno verso. *ms.* Uno versu.

P. 6. l. 13. *edit.* Distantibus. *ms.* Disputantibus.

P. 6. l. 16. *edit.* Cum vocat. *ms.* Vocat.

P. 6. l. 18. *edit.* Consequi. *ms.* Sequi.

P. 6. l. ult. *edit.* In hoc. *ms.* Etiam in hoc.

CAPUT V.

P. 6. l. 8. *edit.* Edoceri. *ms.* Doceri.

P. 6. l. 12. *edit.* Tam inops. *ms.* Jam inops.

P. 7. l. 6. *edit.* Credulitati. *ms.* Credulitatem.

CAPUT VI.

P. 7. l. 14. *edit.* Majestatis vera. *ms.* Majestas vera.

P. 7. l. penult. *edit.* Mendacio. *ms.* Mendaciis.

CAPUT VII.

P. 8. l. 9. *edit.* Intelligetis proinde. *ms.* Intelligitis proinde est.

P. 8. l. 14. *edit.* Ut visibiliter appareret. *ms.* Visibiliter apparere.

CAPUT VIII.

P. 8. l. 11. *edit.* Quam pro ultionibus mali pensaret. *ms.* Quam ultionibus mali.

P. 8. l. 11. *edit.* Scripturæ referta exemplis. *ms.* Scripturis referta & exemplis.

P. 8. l. 14. *edit.* Qui est summa justitia. *ms.* Quæ est summa justitiæ.

P. 8. l. 17. *edit.* Proficerent. *ms.* Profecerint.

P. 9. l. 2. *edit.* Actibus. *ms.* Et actibus.

CAPUT IX.

P. 9. l. 6. *edit.* Ita homini. *ms.* Homini.

P. 9. l. 10. *edit.* Assumsit. *ms.* Assumit.

P. 9. l. 13. *edit.* Sed ut hoc esset vellet. *ms.* Sed hoc esse velit.

CAPUT X.

P. 9. l. 3. *edit.* Femineum. *ms.* Feminæ.

P. 9. l. 4. *edit.* Eum nasciturum. *ms.* Ecce nasciturum.

P. 9. l. 7. *edit.* Se altiora. *ms.* A se altiora.

P. 10. l. 1. *edit.* Ex non subsistenti materia. *ms.* *Deest.*

P. 10. l. 3. *edit.* Subsistenti sua, ut & nihil. *ms.* De subsistenti & sua ut nihil.

P. 10. l. 16. *edit.* Cristalla. *ms.* Cristallina.

P. 10. l. 17. *edit.* Suam molliciem. *ms.* Molliciem.

P. 10. l. 18. *edit.* Credis. *ms.* Crede.

CAPUT XI.

P. 10. l. 12. *edit.* Vel maxime. *ms.* Maxime.

P. 11. l. 1. *edit.* Non solvit. Dubium ergo non est. *ms.* Non violavit. Non solum ergo dubium non est.

P. 11. l. 2. *edit.* De spiritu incorruptibili, Dei incorruptibilem. *ms.* De spiritu incorruptibilis Dei, incorruptibilem.

CAPUT XII.

P. 11. l. 3. *edit.* Quam rationi. *ms.* Quem rationi.

P. 11. l. 5. *edit.* In cunis. *ms.* *Deest.*

P. 11. l. 7. *edit.* Ut possibilitate. *ms.* Ubi possibilitate.

P. 11. l. 10. *edit.* Respondit. *ms.* *Deest.*

P. 11. l. 11. Tulerat. *ms.* Tolerat.

P. 11. l. 13. *edit.* Dignatus fuerat. *ms.* Dignatus est.

P. 11. l. 14. *edit.* Nisi hos. *ms.* Si hos.

P. 11. l. 18. *edit.* Pertulit. *ms.* Prætulit.

CAPUT XIII.

P. 12. l. 7. *edit.* Addere. *ms.* Adjicere.

P. 12. l. 15. *edit.* Earum similitudinem. *ms.* Eorum similitudinem.

P. 12. l. 29. *edit.* Dicto sistitur. *ms.* Dictu sistitur.

P. 12. l. 31. *edit.* Medicamine.... verbo. *ms.* Medicamina.... verba.

P. 12. l. 35. *edit.* Plurima hominum. *ms.* Plura hominum.

P. 12. l. 38. *edit.* Qui ventis. *ms.* Quis ventis.

P. 13. l. 6. *edit.* Coæquanda est. *ms.* Æquanda est.

CAPUT XIV.

P. 13. l. 1. *edit.* Si prædicta. *ms.* Si prædicata.

P. 13. l. 7. *edit.* Debuerit. *ms.* Debuerat.

P. 13. l. 15. *edit.* De diabolo. *ms.* De zabulo.

P. 13. l. 18. *edit.* Cruci data est. *ms.* Trucidata est.

P. 13. l. 24. *edit.* Et ab omni immunis. *ms.* Et omnis immunis.

P. 14. l. 4. Quoniam quicumque alius. *ms.* Quomodo quicumque alios.

P. 14. l. 6. *edit.* Dedisse. *ms.* Dedisset.

P. 14. l. 7. *edit.* Non posset. *ms.* Non possit.

CAPUT XV.

P. 14. l. 1. *edit.* Ut quis. *ms.* Ut qui.

P. 14. l. 15. *edit.* Ex limo. *ms.* Ex nihilo.

P. 14. l. 16. *edit.* Ex animo. *ms.* Exanimi.

P. 14. l. 23. *edit.* Tantam. *ms.* Tantum.

P. 15. l. 3. *edit.* Prælatis omnibus præesse non sibi oblivisceretur. *ms.* Prælatus omnibus præ se esse non oblivisceretur.

P. 15. l. 7. *edit.* Sed ut eo. *ms.* Sed ut eum.

P. 15. l. 13. *edit.* Interdictum gustatum. *ms.* Interdictum gustatu.

P. 15. l. 16. *edit.* Ideo. *ms.* In Deo.

P. 15. l. 18. *edit.* His deceptos. *ms.* His deceptus.

P. 15. l. 19. *edit.* Similes esse quamvis non possint. *ms.* Similis esse quamvis non possit.

P. 15. l. 20. *edit.* Ausi sint. *ms.* Ausus sit.

P. 15. l. 23. *edit.* Pellicius. *ms.* Pelliceus.

P. 15. l. 25. *edit.* Sponte præbiturum. *ms.* Spontaneum præbiturum.

P. 15. l. 30. *edit.* Promptam patientia. *ms.* Prompta patientia.

P. 15. l. 34. *edit.* Possint. *ms.* Possent.

CAPUT XVI.

P. 16. l. 3. *edit.* Et bonus est. *ms.* Est.

CAPUT XVII.

P. 16. l. 14. *edit.* Reservato. *ms.* Reservatur.

P. 16. l. 15. *edit.* Sicut nunc manente. *ms.* Sic manente.

P. 16. l. 16. *edit.* Resurrectione. *ms.* Resurrectionum.

P. 16. l. 18. *edit.* Terrore. *ms.* Timore.

P. 17. l. 10. *edit.* Eo tempore. *ms.* Eo temporum.

P. 17. l. 16. *edit.* Velut necessaria. *ms.* Necessaria.

P. 17. l. 18. *edit.* Ut miraculis. *ms.* Ut miraculi.

P. 17. l. 21. *edit.* In quam sermonis novitatem. *ms.* In qua sermonis novitate.

P. 17. l. 25. *edit.* In Dei injuria. *ms.* In Dei injuriam.

P. 17. l. 28. *edit.* Qui ubique est. *ms.* Ubique est.

P. 17. l. 30. *edit.* Et qui fecit speciem. *ms.* Et qui fecit, specie.

CAPUT XVIII.

P. 18. l. 2. *edit.* Gentes facta. *ms.* Gentes factas.

P. 18. l. 3. *edit.* Cum Moyse. *ms.* Moysi.

P. 18. l. 9. *edit.* Per successionum. *ms.* Per successionem.

P. 18. l. 14. *edit.* Ob hoc meritum. *ms.* Ob meritum.

P. 18. l. 15. *edit.* Domum patriam propinquosque per vocationem Dei ad ignota & peregrina iturus reliquit. *ms.* Domum propriam propinquosque relinquit.

P. 18. l. 19. *edit.* Retineret. *ms.* Remaneret.

P. 18. l. 26. *edit.* De ambustis cineribus. *ms.* De ambusti cineribus.

P. 18. l. 28. *edit.* Clara divinitas. *ms.* Dura divinitas.

P. 18. l. 29. *edit.* Lectissimum. *ms.* Latissimum.

P. 18. l. 30. *edit.* Jamque ferientis. *ms.* Jam jamque ferientis.

P. 18. l. 33. *edit.* Quæ Deum. *ms.* Qui Deum.

P. 19. l. 4. *edit.* Transiit. *ms.* Transmisit.
P. 19. l. 12. *edit.* Validos *ms.* Validus.
P. 19. l. 13. *edit.* Et sub his. *ms.* Sub his.
P. 19. l. 21. *edit.* Mediocris intellectus institutus. *ms.* Mediocris intellectu si institutus.
P. 19. l. 26. *edit.* Revisuri erant. *ms.* Remansuri erant.
P. 19. l. 27. *edit.* Possetque. *ms.* Possitque.
P. 19. l. 33. *edit.* Magis resistunt &. *ms.* Acre resistunt.
P. 19. l. 34. *edit.* Fecissent. *ms.* Fecisset.
P. 19. l. 35. *edit.* Fantasia. *ms.* Fantasiæ.
P. 19. l. 36. *edit.* Profanorum. *ms.* Prodigiorum.
P. 20. l. 3. *edit.* Nocere noverant... nesciebant. *ms.* Nocere poterant... non valebant.
P. 20. l. 6. *edit.* Impossibilitatis suæ confessione. *ms.* Et impossibilitatis suæ confessionum.
P. 20. l. 16. *edit.* Cum & à tergo. *ms.* Cum à tergo.
P. 20. l. 26. *edit.* Dispositos. *ms.* Dispositus.
P. 20. l. 28. *edit.* Intelligentis obsequio dividitur. *ms.* Intelligentes obsequio dividi.
P. 20. l. 29. *edit.* Et ima pelagi. *ms.* Etiam pelagi.
P. 21. l. 3. *edit.* Hoc per noctem. *ms.* Hos per noctem.
P. 21. l. 4. *edit.* Dux iis præibat. *ms.* Dux præibat.
P. 21. l. 7. *edit.* Sola.... dignatione. *ms.* Solam.... dignationem.
P. 21. l. 9. *edit.* Et cum inter. *ms.* Cum inter.

CAPUT XIX.

P. 21. l. 3. *edit.* Muniatur. *ms.* Munitur.
P. 21. l. 10. *edit.* Deprome. *ms.* Depromit.
P. 21. l. 12. *edit.* Desertis ac. *ms.* *Deest.*
P. 21. l. 15. *edit.* Ut & illic. *ms.* Ut illic.
P. 21. l. 19. *edit.* Posset. *ms.* Possit.
P. 22. l. 14. *edit.* Vocatur. *ms.* Vocatus.
P. 22. l. 17. *edit.* Quos reliquerat. *ms.* *Deest.*
P. 22. l. 18. *edit.* Essent refert. *ms.* Essent refecti.
P. 22. l. 21. *edit.* Cito à quo. *ms.* Cito Deum à quo.
P. 22. l. 24. *edit.* Quæ culti. *ms.* Quæ cultu.
P. 22. l. 38. *edit.* Edictione non præceptorum novitatem, sed reparationem justitiæ naturalis ferret. *ms.* Editione hoc præstitit.

CAPUT XX.

P. 23. l. 1. *edit.* Hærere. *ms.* Serere.
P. 23. l. 4. *edit.* Prospera. *ms.* Propria.
P. 23. l. 6. *edit.* Sit bonitas. *ms.* Sic bonitas.
P. 23. l. 21. *edit.* Illi coætera. *ms.* Illico æterna.
P. 23. l. 30. *edit.* Exerceri. *ms.* Exeri.

A P. 24. l. 5. *edit.* Trucidantes. *ms.* Crucidantes.

CAPUT XXI.

P. 24. l. 3. *edit.* In morte propria. *ms.* In mortem propriam.
P. 24. l. 6. *edit.* Grandis.... dispensatio Dei. *ms.* Grandi.... dispensatione Dei.
P. 24. l. 7. *edit.* Tutata semper est atque servavit ut si. *ms.* Tutatum semper est atque servatum & si.
P. 24. l. 9. *edit.* Vides. *ms.* Videbis.
P. 24. l. 12. *edit.* Et tamen pro. *ms.* Et pro.
B P. 24. l. 24. *edit.* Non judicii. *ms.* Non in judicii.
P. 24. l. 25. *edit.* Faciendo à vero. *ms.* Faciunt dum à vero.
P. 25. l. 2. *edit.* Providentia. *ms.* Sollicitudo.
P. 25. l. 6. *edit.* Largitus. *ms.* Largitur.
P. 25. l. 15. *edit.* Dei dignatio. *ms.* Dignatio.
P. 25. l. 17. *edit.* Abusio fidem, sed cum. *ms.* *Deest.*
P. 25. l. 18. *edit.* Et oblivio. *ms.* Oblivio.
P. 25. l. 21. *edit.* Dominicæ crucis. *ms.* Divinæ crucis.
P. 25. l. 31. *edit.* Prout. *ms.* Pene ut.
C P. 26. l. 2. *edit.* Ut interclusione. *ms.* Ut in conclusionem.
P. 26. l. 6. *edit.* Perfecta sunt. *ms.* Perfecta.
P. 26. l. 9. *edit.* Quem alium. *ms.* Quæ talium.

CAPUT XXII.

P. 26. l. 7. *edit.* Decedentium. *ms.* Decidentium.
P. 26. l. 8. *edit.* Tota in errore. *ms.* Nota in errore.
P. 26. l. 9. *edit.* Quemadmodum. *ms.* Nam quemadmodum.
D P. 26. l. 16. *edit.* Quælibet olim receptura. *ms.* Quamlibet olim recepturæ.

CAPUT XXIII.

P. 27. l. 7. *edit.* Posse revocari. *ms.* Revocari.
P. 27. l. 8. *edit.* Et admonitionis. *ms.* Ut admonitionis.
P. 27. l. 10. *edit.* De resurrectione. *ms.* *Deest.*
P. 27. l. 11. *edit.* Fecit. *ms.* Fecit ut esset.
E P. 27. l. 25. *edit.* Non capit. *ms.* Non capiet.
P. 27. l. 22. *edit.* Et quidam vestitus. *ms.* Et quadam vestitus.
P. 27. l. 24. *edit.* Nonne plenam. *ms.* Non plenam.
P. 27. l. 25. *edit.* Grana. *ms.* Gramina.
P. 27. l. 27. *edit.* Considera. *ms.* *Deest.*
P. 27. l. 29. *edit.* Non revivifcunt. *ms.* Non virescunt.

P. 27. l. 29. *edit.* Viventia. *ms.* Virentia.

P. 27. l. 30. *edit.* Ex uno. *ms.* In uno.

P. 28. l. 3. *edit.* Maxime stupeat. *ms.* Magis stupeat.

P. 28. l. 5. *edit.* Cineres. *ms.* Cinerem.

Caput XXIV.

P. 28. l. 1. *edit.* Pone interim. *ms.* Pone iterum.

P. 28. l. 4. *edit.* Membra. *ms.* Membra sua.

P. 28. l. 4. *edit.* Ex iisdem locis confidenter reposcant. *ms.* Ex iisdem sedibus locos confidenter reposcunt.

B

P. 28. l. 6. *edit.* Exequiis funebribus. *ms.* Funeribus.

P. 28. l. 11. *edit.* Facto. *ms.* Facito.

P. 28. l. 13. *edit.* Faciundum . . . Et ideo. *ms.* Faciendum . . . Ideo.

P. 28. l. 22. *edit.* Quælibet ergo. *ms.* Quamlibet.

P. 29. l. 2. *edit.* Custodiant. *ms.* Custodiunt.

P. 29. l. 4. *edit.* Promitur. *ms.* Prometur.

P. 29. l. 7. *edit.* Inde fidei meritum credentibus augeatur. *ms.* Hoc in fidei merito credentibus augeatur.

C

Caput XXV.

P. 29. l. 15. *edit.* Et ideo ei coæterna non sunt à quo facta sunt. *ms.* Et ideo coæterna non sunt.

P. 29. l. 18. *edit.* Ex pluribus. *ms.* A pluribus.

P. 29. l. 23. *edit.* In hujus mundi actu. *ms.* In hujusmodi actu.

P. 29, l. 26. *edit.* Agi cernimus. *ms.* Agi credimus.

P. 30. l. 3. *edit.* Exclusum. *ms.* Exclusus.

P. 30. l. 5. *edit.* Rectoris. *ms.* Restitutoris.

D

P. 30. l. 6. *edit.* Et rationis signa famulantia. *ms.* Deest.

P. 30. l. 22. *edit.* Dei præsint. *ms.* Dei præsunt.

P. 30. l. 24. *edit.* Formator. *ms.* Formator est.

P. 30. l. 24. *edit.* Nec consempiterna majestati illius æstimanda. *ms.* Nec cum sempiterna majestate illius æstimata.

Caput XXVI.

E

P. 31. l. 7. *edit.* Ut nec magnitudo ejus ratione aut notitia deprehendi. *ms.* Ut nec ejus ratio notitia deprehendi.

P. 31. l. 11. *edit.* Ad integrum. *ms.* Deest.

P. 31. l. 13. *edit.* Et à creatore lux veniet quam ab eodem. *ms.* Cum creatore lux veniet quam est ab eodem.

P. 31. l. 18. *edit.* Multiplicatur perinde supra. *ms.* Multiplicabitur per desuper.

P. 31. l. 30. *edit.* Diemque junctura est. *ms.* Quæ junctura est.

P. 31. l. 20. *edit.* Omnium specie. *ms.* Omnium specierum.

Caput XXVII.

P. 32. l. 1. *edit.* Sicut dicis. *ms.* Sicut scis.

P. 32. l. 2. *edit.* Sed nondum gentilium vana potuit religione, aut vacua honore divinitatis numina nuncupari. *ms.* Sed nondum patuit gentilium vanam religionem aut vacua honore divinitatis nomina nuncupari.

P. 32. l. 15. *edit.* Haud officiunt ita nihil prosunt. *ms.* Officiunt aut nihil prosunt.

P. 32. l. 18. *edit.* Consuerunt. *ms.* Consueverunt.

P. 32. l. 19. *edit.* Beneficiis. *ms.* A beneficiis.

P. 32. l. 21. *edit.* Si sub mortuorum. *ms.* Hii sub mortuorum.

P. 32. l. 23. *edit.* In terra locus est. *ms.* integer locus est.

P. 32. l. 26. *edit.* Aut à se . . . faciunda. *ms.* Aut se . . . facienda.

P. 32. l. 28. *edit.* Ejusque substantiæ . . . amisere. *ms.* Æque substantiæ . . . miseræ.

P. 33. l. 1. *edit.* Sed quæ. *ms.* Et quæ.

P. 33. l. 2. *edit.* Per vitia. *ms.* Per viam.

P. 33. l. 5. *edit.* In cruciatibus. *ms.* Cruciatibus.

P. 33. l. 7. *edit.* Divinandi dissimulatio. *ms.* Divina dissimulatio.

P. 33. l. 9. *edit.* Ne cogitationes. *ms.* Negotiationes.

P. 33. l. 16. *edit.* His vobis. *ms.* His.

P. 33. l. 20. *edit.* Subjici quos tibi possis Deum credendo subjicere &c. *ms.* Subjicere.

P. 33. l. 23. *edit.* Placari. *ms.* Placare.

P. 33. l. 24. *edit.* Si spreti. *ms.* Hii spreti.

P. 33. l. 26. *edit.* Vobis prosunt. *ms.* Vobis præsunt.

Caput XXVIII.

P. 34. l. 1. *edit.* Etiam. *ms.* Deest.

P. 34. l. 6. *edit.* Nobis pro sacrilegio adscribitis. *ms.* Nobis objicitis.

P. 34. l. 10. *edit.* Vel aeris. *ms.* Deest.

P. 34. l. 21. *edit.* Cujus effigies salutatur nec adolentur thure. *ms.* Nec adolentur.

P. 34. l. 28. *edit.* Hoc nolint. *ms.* Nollent.

Caput XXIIX.

P. 35. l. 5. *edit.* Nativitatis. *ms.* Propriæ nativitatis.

P. 35. l. 15. *edit.* Permittat. *ms.* Permittit.

P. 35. l. 24. *edit.* Videtur adfigat. *ms.* Videatur afficiat.

P. 35. l. 29. *edit.* Ut & faciamus. *ms.* Ut efficiamus.

P. 35. l. 35. *edit.* Non credunt. *ms.* Non norunt.

P. 35. l. 37. *edit.* Nec alias. *ms.* Nec alis.

P. 36. l. 5. *edit.* Et quod est sævius. *ms.* Et vide sævius. A

P. 36. l. 10. *edit.* Hora. *ms.* Horæ.

P. 36. l. 13. *edit.* Prosperorum. *ms.* Prosperum.

P. 36. l. 15. *edit.* Quæ evadi. *ms.* Quæ evadendi.

P. 36. l. 20. *edit.* Vulnus &c. *ms.* *Deest.*

P. 36. l. 21. *edit.* Ac præscientiam. *ms.* Ac præscientiam Dei.

CAPUT XXX.

P. 37. l. 3. *edit.* Sicut exposui. *ms.* Sicut exposuit. B

P. 37. l. 8. *edit.* Stoliditatis. *ms.* Instabilitatis.

P. 37. l. 9. *edit.* Præcipue. *ms.* *Deest.*

P. 37. l. 16. *edit.* Diabolo. *ms.* Zabulo.

P. 37. l. 23. *edit.* Ingerant. *ms.* Ingerunt.

P. 37. l. 28. *edit.* Captorum. *ms.* Capturum.

P. 37. l. 30. *edit.* Deputant his. *ms.* Deputatis.

CAPUT XXXI.

P. 38. l. 6. *edit.* Diabolum. *ms.* Zabulum.

P. 38. l. 9. *edit.* Ipsorum genere. *ms.* Illorum genere. C

P. 38. l. 29. *edit.* Datum est disciplinæ. *ms.* Datum & disciplinæ.

P. 38. l. 33. *edit.* Diabolus. *ms.* Zabulus.

P. 38. l. 34. *edit.* Ita & gradu. *ms.* Et gradu.

P. 38. l. 36. *edit.* Se etenim. *ms.* Se etiam.

P. 39. l. 11. *edit.* Semper bona nostri creatoris. *ms.* Semper bona nostræ creationis.

P. 39. l. 18. *edit.* Sibi virginitatem placere. *ms.* Sub virginitate placere.

P. 39. l. 21. *edit.* Plus quid eam. *ms.* Plus quidem.

P. 39. l. 23. *edit.* Scire queat. *ms.* Scire quærat. D

P. 39. l. 24. *edit.* Diabolus. *ms.* Zabulus.

P. 39. l. 25. *edit.* Hos ergo. *ms.* Hos.

P. 39. l. 29. *edit.* Fecerint. *ms.* Fecerit.

P. 39. l. 30. *edit.* Futurorum. *ms.* Futurorum bonorum.

CAPUT XXXII.

P. 39. l. ult. *edit.* Suppetit. *ms.* Suppetis.

P. 40. l. 11. *edit.* Voluntati potestas. *ms.* voluntatis potestas.

P. 40. l. 21. *edit.* Ratibus adita submergunt. *ms.* Rates submergunt. E

P. 40. l. 24. *edit.* Hominibus datum non &c. *ms.* Homini datum est.

P. 40. l. 25. *edit.* Gladios bella sumserunt . . . in resti. *ms.* Gladius bella sumsit . . . in reste.

P. 40. l. 29. *edit.* Ut tyrannides. *ms.* Ut tyrannis.

P. 40. l. 30. *edit.* Et acceptum effusius. *ms.* Et accepto effusius.

P. 40. l. 34. *edit.* Cootibus. *ms.* Cœtibus.

P. 40. l. 37. *edit.* Et scientia. *ms.* Et scientiam.

P. 41. l. 3. *edit.* Ne ipsa. *ms.* Nec ipsa.

P. 41. l. 8. *edit.* Amari . . . & timeri. *ms.* Amare . . . & timere.

P. 41. l. 10. *edit.* Nec ab angelis. *ms.* Ne ab angelis.

P. 41. l. 14. *edit.* Malitia. *ms.* In aliam.

CAPUT XXXIII.

P. 41. l. 7. *edit.* Qui condemnationem. *ms.* Qui in condemnatione.

P. 41. l. 9. *edit.* Conscientiam. *ms.* Conscientia.

P. 41. l. 15. Vindictæ est. *ms.* Vindicta est.

P. 41. l. 19. *edit.* proditionem obnoxias. *ms.* Proditione obnoxias.

P. 41. l. 20. *edit.* In eos. *ms.* In eis.

P. 42. l. 14. *edit.* Dominos . . . præ se. *ms.* Dominus . . . per se.

P. 42. l. 15. *edit.* Ad Dei sedem virtutum . . . transmittit. *ms.* Ad sedem Dei virtutum . . . transmittunt.

P. 42. l. 24. *edit.* Quam nullo. *ms.* Quod hii nullo.

CAPUT XXXIV.

P. 42. l. 2. *edit.* Dei filium. *ms.* *Deest.*

P. 42. l. 4. *edit.* Vel jam. *ms.* Vel etiam.

P. 42. l. 6. *edit.* Et angelus mitti. *ms.* Et angelos mittere.

P. 43. l. 6. *edit.* Mittere. *ms.* Dimittere.

P. 43. l. 15. *edit.* Qui ante plasmaverat. *ms.* *Deest.*

P. 43. l. 23. *edit.* Liberati. *ms.* Liberi.

CAPUT XXXV.

P. 44. l. 6. *edit.* Bene parta. *ms.* Bene parata.

P. 44. l. 11. *edit.* Quia vero morum. *ms.* Quia vero horum.

P. 44. l. 13. *edit.* Ut successibus. *ms.* Ut in successibus.

P. 44. l. 14. *edit.* Commessationem . . . vertatur. *ms.* In commessatione . . . vertitur.

P. 44. l. 15. *edit.* Irrigetur. *ms.* Irrigatur.

P. 44. l. 16. *edit.* Minor. *ms.* Major.

P. 44. l. 18. *edit.* Et tumentes. *ms.* Ut tumentes.

P. 44. l. 19. *edit.* Angustatos. *ms.* Angustatus.

CAPUT XXXVI.

P. 44. l. 5. *edit.* Ac peccatorum. *ms.* *Deest.*

P. 45. l. 2. *edit.* Ut nullum. *ms.* In nullo.

P. 45. l. 4. *edit.* Ex quatuor &c. *usque ad lineam 27. inclusa parenthesi desunt.*

P. 45. l. 33. *edit.* Affectum. *ms.* Affectuum.

P. 45. l. 38. *edit.* Exitus. *ms.* Exiciis.

P. 46. l. 2. *edit.* Etiam tamen. *ms.* Etiam.

P. 46. l. 5. *edit.* Ob vitia. *ms.* Obviantia.

P. 46. l. 6. *edit.* Si quis forte. *ms.* Si quibus forte

P. 46.

P. 46. l. 9. *edit.* Ex malis. *mſ.* Malis.
P. 46. l. 10. *edit.* Geniti... auctoribus. *mſ.* Genti... auctores.
P. 46. l. 17. *edit.* Consilio. *mſ.* *deest.*
P. 46. l. 22. *edit.* Putes omnia hominem scire posse. *mſ.* Potest omnia per hominem scire.
P. 46. l. 28. *edit.* Quam cum penitus revelatam. *mſ.* Quæ cum penitus revelata.
P. 46. l. 30. *edit.* Ut licet. *mſ.* Ut si.
P. 46. l. 31. *edit.* Conversione. *mſ.* Confessione.

Caput XXXVII.

P. 46. l. ult. *edit.* Occupatiore. *mſ.* Occupato.
P. 47. l. 6. *edit.* Christianæ fidei. *mſ.* Christianis fidei.
P. 47. l. 11. *edit.* Enixe Deum... dedas. *mſ.* Si enixe Deum... das.
P. 47. l. 14. *edit.* Quam illi. *mſ.* Ut ille.
P. 47. l. 17. *edit.* Diligi. *mſ.* *deest.*
P. 47. l. 21. *edit.* Destruere. *mſ.* Distribuere.
P. 47. l. 22. *edit.* Conducibilibus. *mſ.* Condecibilius.
P. 47. l. 24. *edit.* Quam ob. *mſ.* Quia ob.

Caput XXXVIII.

P. 47. l. 1. *edit.* Dei unam. *mſ.* Divinam.
P. 47. l. 3. *edit.* Sed intelligere quoque non possunt. *mſ.* Et intelligere possunt.
P. 47. l. 6. *edit.* Effectu æterno careat. *mſ.* Effectum æternum careat.
P. 47. l. 8. *edit.* Redemtorem. *mſ.* Redemtionem.
P. 47. l. 9. *edit.* Evecto. *mſ.* Elato.
P. 47. l. ult. *edit.* Vindicem... consortio. *mſ.* Judicem... consortia.
P. 48. l. 1. *edit.* Profundæ. *mſ.* Profanæ.
P. 48. l. 2. *edit.* Fragrantis. *mſ.* Fragrantes.
P. 48. l. 7. *edit.* Maculatæ idolorum. *mſ.* Pollutæ idolum.
P. 48. l. 10. *edit.* Vel dolosa. *mſ.* Vel dolosa est.
P. 48. l. 17. *edit.* Innovatione. *mſ.* Novatione.
P. 48. l. 17. *edit.* Si quid enim. *mſ.* Si quidem.
P. 48. l. 21. *edit.* Sperem esse... agnitam. *mſ.* Spero me esse... agnitum.
P. 49. l. 5. *edit.* Seducuntur. *mſ.* Seducantur.
P. 49. l. 10. *edit.* Tradiderint. *mſ.* Intulerunt.
P. 49. l. 14. *edit.* Prius... abjectis. *mſ.* Primum... abusis.
P. 49. l. 15. *edit.* Edocet. *mſ.* Et edocet.
P. 49. l. 17. *edit.* Qui nos dicunt. *mſ.* Qui duos dicunt.
P. 49. l. 18. *edit.* Marcionitas & Fotiniacos quorum unus. *mſ.* Marcionistas & Fotinianos quorum versæ unus.
P. 49. l. 20. *edit.* Non posse. *mſ.* Non posse credit.
P. 49. l. 22. *edit.* Credendum. *mſ.* *Deest.*
P. 49. l. 24. *edit.* Patripassanos. *mſ.* Patripassianos.
P. 49. l. 26. *edit.* Esse minores patri dicunt. *mſ.* Minorem esse dicunt à patre.

Præfatio.

P. 50. l. 3. *edit.* Observantiam... præcipui. *mſ.* Observantia... præcipue.
P. 50. l. 4. *edit.* Rebus aut. *mſ.* *Deest.*
P. 50. l. 9. *edit.* Prædicationis. *mſ.* Precationis.
P. 50. l. 10. *edit.* Audentiori liceat calcare ingressu. *mſ.* Audentior licitis calcet ingressus.
P. 50. l. 13. *edit.* Schismaticorum. *mſ.* Schismaticum.
P. 50. l. 13. *edit.* Melius agi. *mſ.* Agi.
P. 50. l. 21. *edit.* Qui discendi accenditur studiis. *mſ.* Qui descenditur studiis.
P. 51. l. 4. *edit.* Perfungi. *mſ.* Perjungi.
P. 51. l. 11. *edit.* Pro effectu. *mſ.* Profecto.
P. 51. l. 15. *edit.* Si spiritualium conscius. *mſ.* Spiritualium conscius.
P. 51. l. 22. *edit.* In trinitatem. *mſ.* In trinitate.

Caput I.

P. 51. l. 1. *edit.* Professionis. *mſ.* Promissionis.
P. 51. l. 8. *edit.* Ocius. *mſ.* Tutius.
P. 52. l. 2. *edit.* Ac tam plane. *mſ.* Ac plane.
P. 52. l. 4. *edit.* Rudes. *mſ.* Rudis.
P. 52. l. 6. *edit.* Refricare... ut clarioribus. *mſ.* Refragari... aut clarioribus.
P. 52. l. 7. *edit.* Monumentis. *mſ.* Monimentis.

Caput II.

P. 52. l. 13. *edit.* Non illustraverit præcedentum. *mſ.* Illustraverit recedentium.
P. 52. l. 13. *edit.* Revela. *mſ.* Revelat.
P. 52. l. 16. *edit.* Probari autem testimoniis. *mſ.* Probari ut est testimoniis.
P. 52. l. 17. *edit.* Dictaverint. *mſ.* Dictaveris.
P. 52. l. 21. *edit.* Et fide. *mſ.* Fide.
P. 52. l. 22. *edit.* Reticendi. *mſ.* Recitandi.
P. 52. l. 22. *edit.* hac vice fœnoris multiplicare præcipimur. *mſ.* Præcipimur.
P. 53. l. 5, *edit.* Solvamus. *mſ.* Solvemus
P. 53. l. 5. *edit.* Atque à sua æternitate. *mſ.* A se tamen ab hoc atque in sua æternitate.
P. 53. l. 11. *edit.* Personam. *mſ.* Persona.
P. 53. l. 21. *edit.* Æstimas prius. *mſ.* Æstimes.

P. 53. l. 23. *edit.* Hic tibi. *mſ.* Ictibus.
P. 53. l. 24. *edit.* Traditionis. *mſ.* Traditiones.

CAPUT III.

P. 53. l. 1. *edit.* Adest sperata interpretationibus fides ac veritati ratio. *mſ.* A desperata in interpretationibus fides ac virilitati.
P. 53. l. 8. *edit.* Posse non arbitror. *mſ.* Non posse arbitror.
P. 54. l. 4. *edit.* Adstructa. *mſ.* Instructa.
P. 54. l. 16. *edit.* Ille principium est, qui Judæis quis esset interrogantibus, dixit: principium quod & loquor vobis. *mſ.* Ille principii nomine designatur, qui de semetipso ait: ego principium quod & loquor vobis.
P. 54. l. 29. *edit.* In eo. *mſ.* In Deo.
P. 54. l. 31. *edit.* Sed consummata signatur in tertia. *mſ.* Sed consummatur in tertia.
P. 54. l. 37. *edit.* Spiritum sanctum tuum. *mſ.* Spiritum sanctum.
P. 55. l. 2. *edit.* Sanctus vero cognominis. *mſ.* Sanctus vero spiritus cognomine.
P. 55. l. 2. *edit.* Et Spiritus-sanctus. *mſ.* Et Spiritus.
P. 55. l. 5. *edit.* Una sit in singulis ... quia. *mſ.* qui.
P. 55. l. 7. *edit.* Diversitas qui enim. *mſ.* Diversa qui.
P. 55. l. 11. *edit.* Sub persona Dei. *mſ.* Sub persona Domini verbi.
P. 55. l. 12. *edit.* Ego locutus sum. *mſ.* Et ego locutus sum.
P. 55. l. 26. *edit.* Precaretur, hæc subdidit. *mſ.* Prædicat.
P. 55 l. 28. *edit.* Cum omnibus vobis ... brevitatis. *mſ.* Sit cum omnibus vobis ... veritatis.
P. 55. l. 32. *edit.* Fidelium est. *mſ.* Fidelium.
P. 56. l. 9. *edit.* Ante omnes. *mſ.* *Deest.*

CAPUT IV.

P. 56. l. 19. *edit.* Si in cunctis attentos sensus. *mſ.* Et si in cunctis accentibus sensuum.
P. 56. l. 34. *edit.* Aderam illi. *mſ.* Aderam illic.
P. 56. l. 35. *edit.* Validos. *mſ.* Validas.
P. 57. l. 5. *edit.* Divinitatem. *mſ.* Nativitatem.
P. 57. l. 11. *edit.* Increpans dicit. *mſ.* Increpat dicens,
P. 57. l. 13. *edit.* Trucem populum. *mſ.* Ducem populum.
P. 57. l. 14. *edit.* Jesum Nave. *mſ.* Jesu Nave.
P. 57. l. 15. *edit.* Ut in cognomine. *mſ.* Ut cognomine.
P. 57. l. 22. *edit.* Judæis. *mſ.* A Judæis.
P. 57. l. 24. *edit.* Cui repositum est. *mſ.* Qui mittendus est.
P. 57. l. 32. *edit.* Electrum. *mſ.* *Deest.*
P. 57. l. 35. *edit.* Sic memorat. *mſ.* Sic meminit.
P. 57. l. 36. *edit.* Vocabant. *mſ.* Vocabis.
P. 58. l. 2. *edit.* Nesciebamus. *mſ.* Nesciebam.
P. 58. l. 4. *edit.* Hic est Deus noster. *mſ.* Hic Deus noster.
P. 58. l. 6. *edit.* Et Israel dilecto suo. *mſ.* *Deest.*
P. 58. l. 7. *edit.* Michæas verum. *mſ.* Michæas vero.
P. 58. l. 17. *edit.* Prolixitatem. *mſ.* *Deest.*

CAPUT V.

P. 58. l. 6. *edit.* Si sine assertore percenseas, ipsa se comprobent ... idem Judæi. *mſ.* Sine assertore pergentes, & à se comprobent ... Judæi.
P. 58. l. 11. *edit.* Possunt. *mſ.* Possint.
P. 58. l. 12. *edit.* Ostendit. *mſ.* Ostendi.
P. 59. l. 2. *edit.* In oreb... hæc dicantur. *mſ.* In choreb. ... hæ desiderantur.
P. 59. l. 4. *edit.* Deus unus est. *mſ.* Unus est.
P. 59. l. 5. *edit.* Demutor. *mſ.* Mutor.
P. 59. l. 7. *edit.* Ab initio. *mſ.* *Deest.*
P. 59. l. 10. *edit.* Non recipit cum vere. *mſ.* Non recipiat cum vero.
P. 59. l. 15. *edit.* Substantia majestate cognoscerent. *mſ.* Substantiæ & majestate cognovissent.
P. 59. l. 21. *edit.* Similitudinem. *mſ.* Similitudinem nostram.
P. 59. l. 22. *edit.* Aperta cognitio in quæ *mſ.* Apertæ cognitio, in quo.
P. 59. l. 26. *edit.* Perfecit. *mſ.* Perficit.
P. 59. l. 28. *edit.* Tametsi est enuntiantis sermo. *mſ.* Tamen si est enuntiantis sermone.
P. 59. l. 31. *edit.* Et comprobat ... sacramento. *mſ.* in sacramento.
P. 59. l. 33. *edit.* Benedices. *mſ.* Sic benedices.
P. 59. l. 34. *edit.* Et inluminet Dominus. *mſ.* Illuminet.
P. 59. l. 36. *edit.* Unde & intelligis. *mſ.* Unde intelligis.
P. 59. l. 37. *edit.* Atque indemutabilis Dei. *mſ.* Dei.
P. 59. l. 38. *edit.* Humanæ. *mſ.* Humana.
P. 60. l. 2. *edit.* Semper à Trinitate credatur. *mſ.* Agi & effici semper à Trinitate credatur.

CAPUT VI.

P. 60. l. 14. *edit.* Cœlique. *mſ.* Cœli.
P. 60. l. ult. *edit.* Quæ parit *mſ.* Quæ paret.
P. 61. l. 7. *edit.* Et pedes meos ... universa. *mſ.* Et pedes ... omnia.
P. 61. l. 9. *edit.* Lancea enim latus illius penetrante. *mſ.* Lancea latus illius penetrantes.
P. 61. l. 20. *edit.* Jam defuncto. *mſ.* Jam defunctorum.
P. 61. l. 22. *edit.* Accipient agnum. *mſ.* Accipe agnum.

P. 61. l. 24. *edit.* Ea nocte. *mſ.* Eum nocte.

P. 61. l. 25. Suſpenſioni ei. *mſ.* Suſpenſioni ejus.

P. 61. l. 27. *edit.* De pactione. *mſ.* Deſpectionem.

P. 62. l. 3. *edit.* Prodit quo. *mſ.* Pro quo.

P. 62. l. 20. *edit.* Tranſeunti. *mſ.* Tranſeuntis.

P. 62. l. 28. *edit.* Adverſari ei. *mſ.* Ut adverſaretur ei.

P. 62. l. 30. *edit.* Increpet Dominus in te qui elegit. *mſ.* Qui elegit.

P. 62. l. 31. *edit.* Exigui eſt. *mſ.* De igne eſt.

P. 62. l. 34. *edit.* Videbam ecce. *mſ.* Videbam & ecce.

P. 62. l. 36. *edit.* Data eſt ei. *mſ.* Data eſt.

P. 62. l. 38. *edit.* Non corrumpetur. *mſ.* Quod non corrumpitur.

P. 63. l. 4. *edit.* Lege vixerunt. *mſ.* Legem vixerunt.

P. 63. l. 3. *edit.* Elucere & iſta omnia. *mſ.* Educere & ita omnia.

P. 63. l. 5. *edit.* Excuſatione defendi, damnari præſentium incredulitatem. *mſ.* Excuſatione damnari pro incredulitate.

P. 63. l. 10. *edit.* Antiquandorum. *mſ.* Antiquorum.

P. 63. l. 13. *edit.* Subſtantiam. *mſ.* Subſtantia.

P. 63. l. 16. *edit.* Unius Dei. *mſ.* Utrius Dei.

P. 63. l. 24. *edit.* Michæas lex ex Sion prodiet. *mſ.* *deeſt.*

P. 63. l. 27. *edit.* Alia... nunciabatur.. *mſ.* Alias... nunciabantur.

P. 64. l. 4. *edit.* Mitiorem. *mſ.* Mitterem.

P. 64. l. 10. *edit.* Juſtificatur. *mſ.* Juſtificatura.

P. 64. l. 12. *edit.* Fine degentes. *mſ.* In Eccleſiæ gentes.

P. 64. l. 15. *edit.* Neomeniarumque. *mſ.* Neomeniorumque.

P. 64. l. 18. *edit.* Alitum. *mſ.* Alituum.

P. 64. l. 19. *edit.* Exegil. *mſ.* Exigit.

P. 64. l. 26. *edit.* Præbentur. *mſ.* Præbebatur.

P. 64. l. 28. *edit.* Intentionem valeret. *mſ.* Intentio non valeret.

P. 64. l. 29. *edit.* Quo mihi. *mſ.* Quid mihi.

P. 64. l. 38. *edit.* In abundantiam. *mſ.* In abundantia.

P. 65. l. 6. *edit.* Dealbabo ea. *mſ.* Dealbabo.

P. 65. l. 8. *edit.* Signatur. *mſ.* Deſignatur.

P. 65. l. 9. *edit.* Verſa eſt ac. *mſ.* Converſa eſt atque.

P. 65. l. 10. *edit.* Alitum. *mſ.* Alituum.

P. 65. l. 15. *edit.* Ubi ergo. *mſ.* Ubi.

P. 65. l. 18. *edit.* Qui laboratis. *mſ.* Omnes qui laboratis.

P. 65. l. 21. *edit.* Leve. *mſ.* Leve eſt.

P. 65. l. 25. Et ego retribuam. *mſ.* Ego retribuam.

P. 65. l. 30. *edit.* Quia licet. *mſ.* Licet.

P. 65. l. 37. *edit.* Atque ideo. *mſ.* Atque.

P. 66. l. 2. *edit.* Indulgentiæ gratiam. *mſ.* Gratiæ indulgentiam.

CAPUT VIII.

P. 66. l. 10. *edit.* In hanc. *mſ.* In hac.

P. 66. l. 17. *edit.* Deus... hoc. *mſ.* Dominus...

P. 66. l. 21. *edit.* Carnaliter. *mſ.* Rationabiliter.

P. 66. l. 23. *edit.* Vixerant. *mſ.* Vixerunt.

P. 66. l. 27. *edit.* Avitæ. *mſ.* Avetæ.

P. 67. l. 1. *edit.* Jeſus enim ille ſed vocabulo tantum noſter & facto. *mſ.* Jeſus enim ille verbo noſter & facto.

P. 67. l. 11. *edit.* Deo veſtro... cordis veſtri. *mſ.* Deo... cordis.

P. 67. l. 15. *edit.* Poſſe ſalvari aut. *mſ.* *deeſt.*

P. 67. l. 16. *edit.* Dico vobis. *mſ.* Dico tibi.

P. 67. l. 23. *edit.* Virtutes meas. *mſ.* Virtutes tuas.

P. 67. l. 24. *edit.* Nonnumquam. *mſ.* Non nunc etiam.

P. 67. l. 35. *edit.* Quia manifeſtæ. *mſ.* Quod manifeſtæ.

CAPUT IX.

P. 68. l. 5. *edit.* Statutum fidei dum notitiam generis cuſtodiunt. *mſ.* Statum fidei ſed notitia generis cuſtodivit.

P. 68. l. 8. *edit.* Sciente. *mſ.* Scientiæ.

P. 68. l. 11. *edit.* Judicetur. *mſ.* Æquiſſimum judicetur.

P. 68. l. 13. *edit.* Præcipua. *mſ.* Præcipuæ.

P. 68. l. 15. *edit.* Contendens. *mſ.* Contemnens.

P. 68. l. 16. *edit.* Innoxium reperiſſet eaque. *mſ.* Noxium reperiſſe te atque.

P. 68. l. 22. *edit.* Præ ceteris deligebat. *mſ.* Præ ceteris augeretur quam præ cæteris diligebat.

P. 69. l. 3. *edit.* In ſpiritu planius. *mſ.* Plenius in ſpiritu.

P. 69. l. 5. *edit.* Sedem tuam. *mſ.* Sedem meam.

P. 69. l. 7. *edit.* Radice. *mſ.* Radice ejus.

P. 69. l. 10. *edit.* Hoc docente. *mſ.* Hæc dicente.

P. 69. l. 16. *edit.* Pariet filium. *mſ.* Pariet filium & cetera.

P. 69. l. 21. *edit.* Accerſione. *mſ.* Acceſſione.

CAPUT X.

P. 69. l. 2. *edit.* Sævioris. *mſ.* Sævæ.

P. 69. l. ult. *edit.* Inopina. *mſ.* Inopinata.

P. 70. l. 4. *edit.* Quibus *mſ.* Qui.

P. 70. l. 11. *edit.* Facti essent. *ms.* Sint facti.

P. 70. l. 16. *edit.* Mutuatus est. *ms.* Mutatus est.

P. 70. l. 19. *edit.* Similem sibi poterit fingere Deum. *ms.* Similem poterit fingere Deo.

P. 70. l. 18. *edit.* Melior est ipse. *ms.* Melior est.

P. 70. l. 28. *edit.* Deos putaverunt. *ms.* Putaverunt.

P. 70. l. 29. *edit.* Ex hominum. *ms.* Et hominum.

P. 70. l. 35. *edit.* Dilecto canticum. *ms.* *deest.*

P. 71. l. 4. *edit.* Quorum spes. *ms.* Hii quorum pes.

P. 71. l. 7. *edit.* Quod certe non factum sit. *ms.* Quod ante non factum sit.

P. 71. l. 17. *edit.* In patribus. *ms.* In paribus.

P. 71. l. 18. *edit.* Affluentis. *ms.* Fluentis.

P. 71. l. 24. *edit.* Pretiosius. *ms.* Potius.

P. 71. l. 25. *edit.* In remedia pereuntium ex utriusque. *ms.* Remedio pereuntium utriusque.

P. 71. l. 29. *edit.* In illos. *ms.* In illis.

P. 71. l. 30. *edit.* Posteros. *ms.* In posteros.

P. 71. l. 31. *edit.* Et non diligatur auribus audiant & non audiant. *ms.* *deest.*

P. 72. l. 2. *edit.* Alas suas. *ms.* Alas.

P. 72. l. 4. *edit.* Dæmonum est. *ms.* Dæmonum.

P. 72. l. 24. *edit.* Subintroiret. *ms.* Subintraret.

P. 72. l. 28. *edit.* Prælati. *ms.* Præliati.

P. 72. l. 36. *edit.* Non respuit. *ms.* Non respuat.

Caput XI.

P. 73. l. 2. *edit.* Contumacia si intellecta contemnunt. *ms.* Contumelia.

P. 73. l. 3. *edit.* Sed sive ignorent seu intelligant & recusent. *ms.* Sed sive ignorent seu intelligant nec recusant.

P. 73. l. 8. *edit.* Erroresque. *ms.* Proprietatesque.

P. 73. l. 9. *edit.* In immobili *ms.* Immobili.

P. 73. l. 20. *edit.* Ut etiam hæretici hæreticos habere se credant. *ms.* Ut jam nec haberi hæreticos se credant.

P. 73. l. 26. *edit.* Abnegandum. *ms.* Negandum.

P. 73. l. 27. *edit.* Proprio nuncuparunt. *ms.* Proprio ut est Arrio nuncuparunt.

P. 73. l. 28. *edit.* A sacrilegio non abessent. *ms.* A sacra religione abessent.

P. 74. l. 4. *edit.* Hereditate. *ms.* Hæreditatem.

P. 74. l. 7. *edit.* Indignos facit. *ms.* Dignos facit.

P. 74. l. 8. *edit.* Impietati ... connexi. *ms.* Impietates ... connexæ.

P. 74. l. 9. *edit.* Veritate. *ms.* Varietate.

P. 74. l. 27. *edit.* Qua in Dei. *ms.* Qua Dei.

P. 74. l. 27. *edit.* Ac filio sacramentum veræ Trinitatis assumit. *ms.* Veritatem Deitatis assumit.

P. 74. l. 30. *edit.* Sed ipsum. *ms.* Sed.

P. 74. l. 31. *edit.* Ab inita. *ms.* Ab innata.

P. 74. l. 38. *edit.* Dignitatem. *ms.* Dignitatum.

P. 75. l. 1. *edit.* In nomine. *ms.* In homine.

Caput XII.

P. 75. l. 7. *edit.* Obtendatur. *ms.* Ostendatur.

P. 75. l. 12. *edit.* Venialibus. *ms.* Venerabilius.

P. 75. l. 17. *edit.* Credere detrectantes. *ms.* Quæ credere detrectantes.

P. 75. l. 19. *edit.* Qui sine lege. *ms.* Et qui sine lege.

P. 75. l. 21. *edit.* Latenti perfidia. *ms.* Latenter perfidia.

P. 75. l. 25. *edit.* Effecit. *ms.* Efficit.

P. 76. l. 8. *edit.* Vel gignere. *ms.* Gignere.

P. 76. l. 13. *edit.* Docente. *ms.* Dicente.

P. 76. l. 14. *edit.* Sic diversum. *ms.* Si diversum.

P. 76. l. 18. *edit.* Non vindicat bis. *ms.* Non judicat bis.

P. 76. l. 19. *edit.* Supplicia mitioris. *ms.* Supplicii mitioris.

P. 76. l. 28. *edit.* Dicitur bonus. *ms.* Dicetur bonus.

P. 76. l. 39. *edit.* Ex nescio quo aere. *ms.* Ex nescio qua re.

P. 76. l. 37. *edit.* Diversis vicibus. *ms.* Diversis vocibus.

P. 77. l. 6. *edit.* Puerperi signa. *ms.* Pueri signa.

P. 77. l. 14. *edit.* Nonne ... & mater. *ms.* *deest* ... & mater ejus.

P. 77. l. 21. *edit.* Inimitabilis. *ms.* Inæstimabilis.

P. 77. l. 29. *edit.* Infelix perfidia sibi velit, clamantem, &c. *usque* hominem intelligas *exclusive. ms. desunt.*

P. 77. l. 33. *edit.* Apostolo. *ms.* *deest.*

P. 78. l. 1. *edit.* Tardius. *ms.* Tardus.

P. 78. l. 8. *edit.* Penetrarit. *ms.* Penetraret.

P. 78. l. 8. *edit.* Inscenderit. *ms.* Inscenderet.

P. 78. l. 13. *edit.* In corpore. *ms.* Corpore.

P. 78. l. 14. *edit.* Faleantur. *ms.* Fateantur.

Caput XIII.

P. 78. l. 4. *edit.* Consequens. *ms.* *deest.*

P. 78. l. 5. *edit.* Ve cum defensionem obtineat singularum. *ms.* *deest.*

P. 78. l. 8. *edit.* Fit clarius. *mſ.* Sit clarius.

P. 78. l. 9. *edit.* Refugit. *mſ.* Refulget.

P. 79. l. 21. *edit.* Ut in ſingulis. *mſ.* In ſingulis.

P. 79. l. 19. *edit.* Manifeſto. *mſ.* Manifeſte.

P. 79. l. 20. *edit.* Cœleſtis militiæ &. *mſ.* Se cœleſtis militiæ.

P. 79. l. 21. *edit.* Se dixit nemo enim. *mſ.* Edixit nemo.

P. 79. l. 24. *edit.* Qui cœleſtem ſocietatatem. *mſ.* Quia cœleſtem.

P. 79. l. 38. *edit.* Recubans dormiſti. *mſ.* Recubans dormis.

P. 80. l. 5. *edit.* In ſalvatorum. *mſ.* Salvatori.

P. 80. l. 9. *edit.* Computantur. *mſ.* Putantur.

P. 80. l. 10. *edit.* Hi ſancti fratres. *mſ.* Hi fratres.

P. 80. l. 12. *edit.* Confortate manus diſſolutas. *mſ.* Confortamini manus diſſolutas.

P. 88. l. 14. *edit.* Retribuit. *mſ.* Retribuet.

P. 80. l. 23. *edit.* Induere incorruptionem. *mſ.* Incorruptionem.

P. 80. l. 24. *edit.* Corporis Chriſti. *mſ.* Corporalis Chriſti.

P. 80. l. 25. *edit.* Non enim fuerat. *mſ.* Non fuerat.

P. 80. l. 35. *edit.* Ipſum audite, id eſt jam non Moïſem. *mſ.* Hunc audite, id eſt non Moïſem.

P. 80. l. 38. *edit.* Cui & ſermo. *mſ.* Cum & ſermo.

P. 81. l. 1. *edit.* De eo. *mſ.* *deeſt.*

P. 81. l. 12. *edit.* Tueantur &c. confeſſionem. *mſ.* *deeſt.*

P. 81. l. 14. *edit.* Hebeſque perfidia partem negantis. *mſ.* Hebenſque perfidiæ partem negantes.

CAPUT XIV.

P. 81. l. 1. *edit.* Plana eſt... inſpectatio. *mſ.* Plena eſt... inſpectio.

P. 81. l. 4. *edit.* Hæreſes. *mſ.* Hæreſis.

P. 81. l. 4. *edit.* Vulgationem ſeries cepta percurratur tamquam. *mſ.* Vulgationum ſeries cœpta percurrat ut tam.

P. 81. l. 5. *edit.* Peccatorum. *mſ.* Pectorum.

P. 81. l. 7. *edit.* Lux revolvat. *mſ.* Lux perſolvat.

P. 81. l. 8. *edit.* Nedubiorum. *mſ.* Nebiorum.

P. 81. l. 17. *edit.* Interrogati. *mſ.* Interrogavit, aut interrogant.

P. 82. l. 1. *edit.* Datur quidem. *mſ.* Datorem quidem.

P. 82. l. 4. *edit.* Conſpicitur. *mſ.* Ac rurſum in ipſo eſt uterque conſpicuus.

P. 82. l. 11. *edit.* Ille non veniet. *mſ.* Non veniet.

P. 82. l. 16. *edit.* Aſcenſum Salvatoris. *mſ.* Adventum Salvatoris.

P. 82. l. 21. *edit.* Linguæ dividuæ ſeditque ſicut ignis ſuper ſingulos eorum. *mſ.* Diſpertitæ linguæ ſeditque ignis ſuper ſingulos eorum ſpiritus.

P. 82. l. 30. *edit.* Ad omnem. *mſ.* Omnem.

P. 82. l. 36. *edit.* Non ſanctificatur. *mſ.* Non ſanctificatus.

P. 83. l. 5. *edit.* Æſtimare. *mſ.* Æſtimari.

P. 83. l. 6. *edit.* Non queant. *mſ.* Nequeant.

P. 83. l. 7. *edit.* Illum perinde angeli. *mſ.* Illi perinde angeli.

P. 83. l. 10. *edit.* Spiritu tuo. *mſ.* Spiritu tuo & cetera.

P. 83. l. 17. *edit.* Unicuique. *mſ.* Cuique.

P. 83. l. 24. *edit.* In deitatem. *mſ.* In deitate.

P. 83. l. 27. *edit.* Ipſe Dei Iſaia. *mſ.* Ipſe de ſe.

P. 83. l. 37. *edit.* Credere & confiteri. *mſ.* Credi & confiteri.

P. 83. l. 38. *edit.* Non propter. *mſ.* Poteſt.

CAPUT XV.

P. 84. l. 5. *edit.* Ab unitate propriæ divinitatis excipiunt Trinitatem ſcripturis omnibus recenſentem. *mſ.* Ab unitatis excipiunt Trinitate & ſcripturis omnibus pœnitentes.

P. 84. l. 9. *edit.* Retectum. *mſ.* Tectum.

P. 84. l. 12. *edit.* Si quando. *mſ.* Si quandoque.

P. 84. l. 13. *edit.* Non reticet. *mſ.* Non reticeto.

P. 84. l. 19. *edit.* Cum etiam ſenſus. *mſ.* Cum ſenſus.

P. 84. l. 29. *edit.* Prædicatur. *mſ.* Prædicantis.

P. 84. l. 35. *edit.* Ut creberrime memini. *mſ.* Ut creberrime in id.

P. 85. l. 4. *edit.* A tot ſæculis. *mſ.* Tot ſæculis.

P. 85. l. 6. *edit.* Proveniret. *mſ.* Perveniret.

P. 85. l. 6. *edit.* Cujus mortem licet jam. *mſ.* Cujus mortis licentiam.

P. 85. l. 9. *edit.* Sumimus. *mſ.* Sumamus.

P. 85. l. 15. *edit.* Mortuus ſæculi. *mſ.* Mortuos ſæculi.

P. 85. l. 18. *edit.* Et debellata. *mſ.* Et bellata.

P. 85. l. 19. *edit.* Noſtræ ſalvationis vivorum ſimul ac mortuum. *mſ.* Nos ſalvationis vivorum.

P. 85 l. 22. *edit.* Calicem haberemus. *mſ.* Calicem biberemus.

P. 85. l. 23. *edit.* Manifeſtet. *mſ.* Manifeſte.

CAPUT XVI.

P. 85. l. 1. *edit.* Quam metui ne quod. *mſ.* Quam metus in eo quod.

P. 86. l. 3. *edit.* Arriani. *mſ.* Arriana.

P. 86. l. 5. *edit.* Vel lectioris. *mſ.* tectiores.

P. 86. l. 6. *edit.* Adhæreant. *mſ.* Hæreant.

P. 86. l. 25. *edit.* Atque illud. *mſ.* Ad quem illum.

P. 86. l. 32. *edit.* Corripiunt. *mſ.* Arripiunt.

P. 86. l. 34. *edit.* Quaſi. *mſ.* Quæ ſi.

P. 86. l. 35. *edit.* Prædicta non eſſent. *mſ.* Dicta non ceſſent.

P. 86. l. 36. *edit.* In eodem ſpiritu. *mſ.* In eodem.

P. 87. l. 2. *edit.* Pater meus, & iterum Philippe. *mſ.* Pater, & iterum.

P. 87. l. 7. *edit.* Et ſicut operatur pater, operatur & filius, ſimiliter clarificari perinde ſe à patre poſtulat. *mſ.* Et ſicut operatur, & Filius ſimiliter & perinde clarificare à patre poſtulat.

P. 87. l. 10. *edit.* Vel quod ei. *mſ.* Vel quod.

P. 87. l. 12. *edit.* Arriani. *mſ.* Affricani.

P. 87. l. 13. *edit.* Finge. *mſ.* Pange.

P. 87. l. 17. *edit.* Ac de immenſo. *mſ.* Ac deinde immenſo.

P. 87. l. 20. *edit.* Ut bonis mala referas. *mſ. deeſt.*

P. 87. l. 21. *edit.* Malis. Cunctis poſterior factus. *mſ.* Mallis. Tu cunctis potentior factus es.

P. 87. l. 22. *edit.* Factus es. *mſ.* Factus.

P. 87. l. 23. *edit.* Permiſcere ſtudes. *mſ.* Permiſces.

P. 87. l. 25. *edit.* Non renuis limo, ſenſu, ſpecie, ac poteſtate imago. *mſ.* Non rennues limos cenſu ac poteſtate imago.

P. 87. l. 26. *edit.* Modicis. *mſ.* Modo dicis.

P. 87. l. 29. *edit.* Univerſorum germinum educat fructus. *mſ. deeſt.*

P. 87. l. 30. *edit.* Aluntur. *mſ.* Gignuntur.

P. 87. l. 34. *edit.* Sit iſta. *mſ.* Iſta.

P. 87. l. 35. *edit.* Si tuque materiæ ſuæ ulterius non gravandus choris miſceberis angelorum. *mſ.* Si tu materiæ inſereris angelorum.

P. 88. l. 6. *edit.* Perpetuo. *mſ. deeſt.*

P. 88. l. 7. *edit.* Ignorabit. *mſ.* Ignorabat.

P. 88. l. 11. *edit.* Ignorabit, cum in ipſa. *mſ.* Ignorabat cui in ipſa.

P. 88. l. 13. *edit.* Deus meus volui. *mſ.* Deus meus es tu.

P. 88. l. 16. *edit.* Sed ut alter. *mſ.* Sed ut.

P. 88. l. 19. *edit.* Congruum fuiſſe. *mſ.* Congruum.

P. 88. l. 30. *edit.* Ut attentiores ad juſtitiam incerti exitus ſollicitudo perficiat. *mſ.* Ut attentioris ſollicitudo perficiat.

P. 88. l. 24. *edit.* Scriptura præmonuit dicens. *mſ. deeſt.*

P. 88. l. 25. *edit.* Expoſtulabitur. *mſ.* Expoſtulatur.

P. 88. l. 29. *edit.* Subruat. *mſ.* Subtrahat.

P. 88. l. 35. *edit.* Intonante. *mſ.* Docente.

P. 89. l. 5. *edit.* Diſſentiant. *mſ.* Diſſentiunt.

P. 89. l. 8. *edit.* Utraque nativitate complexus eſt. *mſ.* Utramque nativitatem complexus eſt.

Caput XVII.

P. 89. l. 4. *edit.* Modus competenter detexit. *mſ.* Modos competenter retexit.

P. 89. l. 5. *edit.* Celeratæ. *mſ.* Celebratæ.

P. 89. l. 6. *edit.* Ut nulla. *mſ.* Nulla.

P. 89. l. 7. *edit.* Diſcedentes. *mſ.* Diſcidentes.

P. 89. l. 9. *edit.* Impetant. *mſ.* Impetunt.

P. 89. l. 15. *edit.* In evangeliis hoc loquente. *mſ.* In evangelio ſic loquente.

P. 89. l. 17. *edit.* Fuerunt non hi aliquando nobiſcum, ſed quidam Novato auctore diſrupti ſunt. *mſ.* Fuerunt hi enim mali, quando à nobis cum quodam Novato auctore diſrupti ſunt.

P. 89. l. 24. *edit.* Qua primum in Job. *mſ.* Quia primum Job.

P. 90. l. 4. *edit.* Decipimus. *mſ.* Seducimus.

P. 90. l. 6. *edit.* Quæ numquam in confeſſionem. *mſ.* Quæ per confeſſionem.

P. 90. l. 10. *edit.* Eſaiam converſuris. *mſ.* Ezechielem converſis.

P. 90. l. 11. *edit.* Prius. *mſ.* Primus.

P. 90. l. 12. *edit.* Præmium. *mſ.* Primum.

P. 90. l. 17. *edit.* Non legitimus. *mſ.* Non legimus.

P. 90. l. 21. *edit.* Piæ communionis excluſos. *mſ.* Communionis excluſi.

P. 90. l. 25. *edit.* Suſcipi. *mſ.* Suſcipere.

P. 90. l. 29. *edit.* Diſtitit. *mſ.* Non deſtitit.

P. 90. l. 30. *edit.* Potuiſſe. *mſ.* Potius intellexit.

P. 90. l. 31. *edit.* Non ſteterit. *mſ.* Non ſtetit.

P. 90. l. 35. *edit.* Fragilitatis. *mſ.* Facilitatis.

P. 90. l. 35. *edit.* Id eſt. *mſ. deeſt.*

P. 91. l. 1. *edit.* Ecce jam. *mſ.* Ecce etiam.

P. 91. l. 6. *edit.* Et convertar ad vos. *mſ.* Et ego convertar ad vos.

P. 91. l. 8. *edit.* Deſperatione. *mſ.* Deſperationis.

P. 91. l. 14. *edit.* Vita vivet. *mſ.* Et vita vivit.

P. 91. l. 16. *edit.* Sed tamen Dei munus. *mſ.* Sed tu videns Dei munus.

P. 90. l. 18. *edit.* Novatianus reddi prohibet. *mſ.* Novatianos redigi prohibet.

P. 91. l. 21. *edit.* Exertæ. *mſ.* Excretæ.

P. 91. l. 25. *edit.* Inventa. *mſ.* Inventam.

P. 91. l. 26. *edit.* In amiſſæ recuperatione. *mſ.* In amiſſa reformatione.

P. 91. l. 27. *edit.* Formari in ſe. *mſ.* Formaret.

P. 91. l. 28. *edit.* Galatiis ait quos revaleſcentibus. *mſ.* Chorintios ait: quos recaleſcentibus.

P. 91. l. 30. *edit.* Et opere caritatis effectio peccatorum multitudinem tegi. *mſ.* Et opera caritatis peccatorum multitudinem.

P. 91. l. 31. *edit.* Affirmant. *mſ.* Affirmat.

P. 92. l. 4. *edit.* Inremeabiles. *mſ.* Inremediabilis.

P. 92. l. 9. *edit.* Ante. *mſ. deeſt.*

P. 92. l. 18. *edit.* Durantibus. *mſ.* Jurantibus.

P. 92. l. 27. *edit.* In via. *mſ.* In via quam ambulant.

P. 92. l. 30. *edit.* incautæ. *mſ.* exutæ.

P. 92. l. 31. *edit.* ad proclivem. *mſ.* ad proclive.

P. 92. l. 35. *edit.* remiſſionis. *mſ.* remiſſio.

P. 93. l. 1. *edit.* committi. *mſ.* dimitti.

P. 93. l. 5. *edit.* ne vel. *mſ.* ne velut.

P. 93. l. 6. *edit.* ſine exceptione. *mſ.* ſine acceptatione.

P. 93. l. 8. *edit.* tantæ. *mſ.* tacitæ.

P. 93. l. 10. *edit.* quod ſoli conſcientiæ. *mſ.* quod ſi ille conſcientiæ.

P. 93. l. 29. *edit.* perſonam. *mſ.* perſona.

P. 93. l. 36. *edit.* in volutabris. *mſ.* iterum involutabris.

P. 94. l. 1. *edit.* in ſic evangeliis monente. *mſ.* in evangelio ſic præmonente.

P. 94. l. 5. *edit.* dicit Dominus. *mſ. deeſt.*

P. 94. l. 9. *edit.* offenſæ. *mſ.* offenſa.

P. 94. l. 11. *edit.* ne quæquam pollueret. *mſ.* ne quemquam polluerit.

P. 94. l. 13. *edit.* lepra vero... effigies. *mſ.* lepræ vero.

P. 94. l. 14. *edit.* expiandus. *mſ.* expiandos.

P. 94. l. 17. *edit.* in Dei laudibus. *mſ.* in laudibus.

P. 94. l. 21. *edit.* & ſumis. *mſ.* & aſſumis.

P. 94. l. 30. *edit.* dilui intelligant lacrymarum. *mſ.* diluiſſe lacrymarum.

P. 94. l. 31. *edit.* atque à ſe in cœlum. *mſ.* à ſene.

P. 95. l. 8. *edit.* ſacri. *mſ. deeſt.*

P. 95. l. 4. *edit.* blaſphemia. *mſ.* blaſphemiæ.

P. 95. l. 5. *edit.* aboleri in ſe commiſſa non reſnuit, ſi veræ converſionis labore mereamur. *mſ. deeſt.*

P. 95. l. 10. *edit.* ad veniam ſed honorem. *mſ.* venia dignos ſed honore, quos.

P. 95. l. 11. *edit.* ſe emundaverit. *mſ.* ſe mundat.

P. 95. l. 12. *edit.* in honore. utile Domino. *mſ.* in honorem utile Deo.

P. 95. l. 22. *edit.* recuſare. *mſ.* recuſavit.

P. 95. l. 24. *edit.* proximam. *mſ. deeſt.*

P. 95. l. 30. *edit.* promptioris. *mſ.* promptiores.

P. 95. l. 31. *edit.* quam. *mſ. deeſt.*

CAPUT XIX.

P. 96. l. 1. *edit.* ignoſci. *mſ.* ignoſcere.

P. 96. l. 1. *edit.* gignit. *mſ.* gignat.

P. 96. l. 10. *edit.* ſingulis. *mſ. deeſt.*

P. 96. l. 13. *edit.* tenens, ſemper hæc recolens, unus eſt Deus pater qui. *mſ.* tenent ſemper recolis, eſt Deus pater.

P. 96. l. 18. *edit.* perfectus. *mſ. deeſt.*

P. 96. l. 20. *edit.* credendus eſt. *mſ.* credendus eſſe.

P. 96. l. 22. *edit.* Salvatoris. *mſ.* Salvatori.

P. 96. l. 27. *edit.* ſimul. *mſ.* ſimiliter.

P. 96. l. 30. *edit.* virtutis divinitatis. *mſ.* virtute divinitatis.

P. 96. l. 34. *edit.* patrique ſemper ac filio. *mſ.* patriſque ſemper ac filii.

P. 97. l. 10. *edit.* retuſos nos. *mſ.* retuſos.

P. 97. l. 16. *edit.* numquam fide... confeſſione. *mſ.* numquam fidem ... confeſſionem.

P. 97. l. 18. *edit.* exuare. *mſ.* exuaris.

P. 97. l. 19. *edit.* altiora à te ne quæſieris & fortiora à te. *mſ.* altiora te ne quæſieris & inferiora te.

P. 97. l. 23. *edit.* ſcientiæ *mſ. deeſt.*

P. 97. l. 27. *edit.* notitiam. *mſ.* notitia.

P. 97. l. 28. *edit.* ſummaque. *mſ.* ſumma.

CAPUT XX.

P. 98. l. 2. *edit.* perſpicui intellectibus. *mſ.* perſpicuis intellectibus.

P. 98. l. 4. *edit.* utilitati. *mſ. deeſt.*

P. 98. l. 6. *edit* raro. *mſ.* parvo.

P. 98. l. 9. *edit.* cognoſcere. *mſ.* cognoſſe.

P. 98. l. 17. *edit.* per eum quem. *mſ.* per quem.

P. 98. l. 19. *edit.* nativitate. *mſ.* nativitatem.

P. 98. l. 20. *edit.* alumnæ. *mſ.* alumna.

P. 99. l. 1. *edit.* jam inſtruentes. *mſ.* ſtruentes.

P. 99. l. 4. *edit.* quid effici. *mſ.* qui effici.

P. 99. l. 9. *edit.* judicans. *mſ.* vindicans.

P. 99. l. 11. *edit.* æſtimavit. *mſ.* æſtimaret.

P. 100. l. 1. *edit.* à cognito. *mſ.* à cognitore.

P. 100. l. 9. *edit.* divina proviſione. *mſ.* divinæ promiſſione.

P. 100. l. 11. *edit.* repetet ſubnixa auctoritate vel. *mſ.* repetit ſubnixa.

P. 100. l. 15. *edit.* librato. *mſ.* libato.

P. 100. l. 17. *edit.* audire. *mſ.* audere.

CAPUT I.

P. 100. l. 7. *edit.* intecta. *mſ.* infixa.

P. 100. l. 11. *edit.* & hauſtus. *mſ.* & actus.

P. 100. l. 14. *edit.* integram fidei. *mſ.* integritatem fidei.

P. 101. l. 6. *edit.* alia vita eſt. *mſ.* alia vitæ eſt.

P. 101. l. 11. *edit.* dilatis. *mſ.* dilatatis.

P. 101. l. 13. *edit.* exprome. *mſ.* exprime.

P. 101. l. 16. *edit.* virtutes operum. *mſ.* virtutis opera.

P. 101. l. 24. *edit.* tutis .... propoſito. *mſ.* totis... propoſita.

P. 101. l. 27. *edit.* cogitavit. *mſ.* cogitabit.

P. 101. l. 29. *edit.* tales ... causas ... pugnaturos decet. *ms.* talis ... causa ... pugnaturus docet.

P. 101. l. 34. *edit.* facti precipitis. *ms.* tacti precipites.

P. 101. l. 35. *edit.* motis. *ms.* mortis.

P. 102. l. 7. *edit.* tamquam te. *ms.* sicut teipsum.

P. 102. l. 16. *edit.* & commodat. *ms.* & fœnerat.

P. 102. l. 20. *edit.* pes claudorum. *ms.* & pes claudorum.

P. 102. l. 23. *edit.* istis, mihi & fecistis. *ms.* mihi fecistis.

P. 102. l. 25. *edit.* & qui seminat in benedictione, de benedictione & metet. *ms.* *deest.*

P. 102. l. 27. *edit.* datorem. *ms.* *deest.*

P. 102. l. 32. *edit.* sine tecto. *ms.* sine tecta.

P. 102. l. 33. *edit.* vesti, *ms.* operi esse.

P. 102. l. 35. *edit.* parta. *ms.* partire.

P. 103. l. 2. *edit.* protestante. *ms.* attestante.

P. 103. l. 5. *edit.* conjugia. *ms.* conjungi.

P. 103. l. 6. *edit.* solemnis thori modesta dilectio. *ms.* sobolem nitori modestia dilectio.

P. 103. l. 10. *edit.* non disjungat. *ms.* non separet.

P. 103. l. 14. *edit.* in spiritu sancto. *ms.* *deest.*

P. 103. l. 17. *edit.* per Salomonem. *ms.* *deest.*

ibid. lividi oculi. *ms.* *deest.*

P. 103. l. 23. *edit.* & conversationis. *ms.* conversationis.

P. 103. l. 25. *edit.* aut faciant. *ms.* aut faciunt.

P. 103. l. 34. *edit.* adhortantis Domini succurrit. *ms.* adorantis Domini succurrat.

CAPUT II.

P. 104. l. 1. *edit.* & si honor. *ms.* & honor.

P. 104. l. 5. *edit.* non veniat. *ms.* non veniet.

P. 104. l. 6. non damnet. *ms.* non damnat.

P. 104. l. 9. *edit.* non sint. *ms.* sunt.

P. 104. l. 10. *edit.* vel quadam. *ms.* vel quidam.

P. 104. l. 12. *edit.* quod jam mereri. *ms.* quod jam non mereri.

P. 104. l. 17. *edit.* ut ipse dixisti. *ms.* ipse dixisti.

P. 104. l. 32. *edit.* ipse subjiciet dicens. *ms.* subjicit.

ibid. l. ult. dignitatem &. *ms.* *deest.*

P. 105. l. 2. *edit.* possessurus. *ms.* possessoris.

P. 105. l. 3. *edit.* rumpenda. *ms.* rumpenda sunt.

P. 105. l. 9. *edit.* ipso in evangeliis sic protestante. *ms.* in ipso evangelio sic veritate testante.

P. 105. l. 14. *edit.* quod mando vobis ecce non jam. *ms.* quæ mando vobis jam non dicam.

P. 105. l. 17. *edit.* pro spe. *ms.* prope.

P. 105. l. 19. *edit.* & in imperio spiritus. *ms.* & imperitia spiritus.

P. 105 l. 23. *edit.* humanæ. *ms.* vanæ.

P. 105. l. 24. *edit.* & linguam. *ms.* & linguæ.

P. 105. l. 26. *edit.* imitatoresque illius simus, sicut ille Christi. *ms.* imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

P. 105. l. 27. *edit.* in cœlis est. *ms.* in cœlis.

P. 105. l. 28. *edit.* intenti nec visu recipimus nec auditu. *ms.* intentionem nec visum recipimus nec auditum.

P. 105. l. 30. *edit.* cogitari. *ms.* cogitare.

CAPUT III.

P. 106. l. 1. *edit.* segregarit. *ms.* segregaret.

P. 106. l. 3. *edit.* exprome. *ms.* exprime.

P. 106. l. 8. *edit.* malis. *ms.* malit.

P. 106. l. 11. *edit.* execretur. *ms.* exerceretur.

P. 106. l. 12. *edit.* perpendis. *ms.* perpendes.

P. 106. l. 14. *edit.* non debere, nec. *ms.* non deberent.

P. 106. l. 16. *edit.* delinquunt. *ms.* delinquent.

P. 106. l. 23. *edit.* dissimili. *ms.* *deest.*

P. 106. l. 27. *edit.* captasque. *ms.* *deest.*

P. 106. l. 31. *edit.* aut dolo subditas vincunt. *ms.* *deest.*

P. 106. l. 33. *edit.* devotæ. *ms.* devoto.

P. 106 l. 35. *edit.* detrectantium persuasionibus moliuntur, atque. *ms.* detrectant, aut persuasionibus moliuntur.

P. 106. l. 37. *edit.* remissionibus assuefacti; *ms.* remissionibus ad sua facta.

P. 107. l. 13. *edit.* gloriam. *ms.* gloria.

P. 107. l. 14. alii tamen summis, alii mediocribus student. *ms.* alii tamen omissa in mediocribus, sic denique.

P. 107. l. 18. *edit.* matrimonia. *ms.* habere matrimonia.

P. 107. l. 20. *edit.* provenit. *ms.* proventi.

P. 107. l. 23. *edit.* rebus. *ms.* in rebus.

P. 107. l. 25. *edit.* consuetudinem. *ms.* consuetudinis.

P. 107. l. 33. *edit.* poscentium inopiæ. *ms.* poscentem inopiam.

P. 107. l. 38. *edit.* exhortationibus. *ms.* hortationibus.

P. 108. l. 5. *edit.* vel quam vili liquore satietur, dum potandi vectat voluptatem, & vim corpore necessitatis excludat. *ms.* vel aliquam vilis liquoris satietur, dum potandi ad voluptatem & vim corpoream nec status exultat.

P. 108. l. 9. *edit.* devotio. *ms.* *deest.*

ibid. labor & opus diurnum pro ut est scientia exercetur. *ms.* laboraret opus diurnum pro tanta scientia exercitura.

P. 108. l. 17. *edit.* fallentis auroræ. *ms.* psallentes auroræ.

P. 108. l. 25. *edit.* purum. *ms.* parum.

P. 108. l. 28. *edit.* incessabiles. *ms.* ita acceptabiles.

P. 108. l. 30. *edit.* exercitio. *ms.* exercita.

P. 108. l. 32. *edit.* dolis. *ms.* *deest.*

P. 108. l. 35. projecta. *ms.* dejecta.

P. 109.

P. 109. l. 1. *edit.* votiva mors omnibus atque optabilis. *mſ.* devotio & amor omnibus amabilis.

P. 109. l. 4. *edit.* & ſine ulla. *mſ.* ulla.

Caput IV.

P. 109. l. 2. *edit.* vel laudibus ſervitus glorioſa. *mſ.* famulantium vel laudibus, vel ſervitus glorioſa.

P. 109. l. 4. *edit.* & pernicioſa. *mſ.* pernicioſa.

P. 109. l. 7. *edit.* ex Dei moventis manare præcepto. *mſ.* ex Dei munere.

P. 109. l. 19. *edit.* dilexerit. *mſ.* diligit.

P. 109. l. 29. *edit.* miſcebam. *mſ.* commiſcebam.

P. 109. l. 23. *edit.* ſæculi. *mſ.* hujus ſæculi.

P. 109. l. *ult. edit.* deſertum. *mſ.* deſerto.

P. 110. l. 1. *edit.* veſtimentis indutum. *mſ.* veſtitum.

P. 110. l. 13. *edit.* Dominus. *mſ.* Deus.

P. 110. l. 14. *edit.* vincit. *mſ.* vicit.

P. 110. l. 16. *edit.* ab injuria. *mſ.* injuria.

P. 110. l. 18. *edit.* velit. *mſ.* vellet.

P. 110. l. 19. *edit.* carnes. *mſ.* carnem.

P. 110. l. 21. *edit.* plus cogitet. *mſ.* cogitet.

P. 110. l. 25. *edit.* in exhibendis. *mſ.* exhibendis.

P. 110. l. 27. *edit.* requirunt. *mſ.* inquirunt.

P. 110. l. 32. *edit.* congerunt. *mſ.* congregant.

P. 110. l. 35. *edit.* adponentur. *mſ.* adjicientur vobis.

P. 111. l. 1. *edit.* itaque intelligis, &c. *uſque* credi. *mſ.* itaque inſipientes judicio pauperis.

P. 111. l. 6. *edit.* cum diſcrimine. *mſ.* diſcrimine.

P. 111. l. 9. *edit.* receſſuris. *mſ.* receſſuri.

Caput V.

P. 111. l. 1. *edit.* clare patuit. *mſ.* claruit.

P. 111. l. 2. *edit.* propoſito. *mſ.* propoſitum.

P. 111. l. 5. *edit.* atque ad hoc monachos. *mſ.* ad hoc monachus.

P. 111. l. 10. *edit.* à juſtis conventibus. *mſ.* ad juſtitiam conventibus.

P. 111. l. 11. *edit.* licita aut. *mſ.* licet ea ut.

P. 111. l. 12. *edit.* quæ ſi itaque. *mſ.* quæ ſi utique.

P. 111. l. 17. *edit.* à principio. *mſ.* in principio.

P. 111. l. 21. *edit.* ſolutio quam conjugio. *mſ.* ſola quoquam conjugi.

ibid. inobedientia. *mſ.* *deeſt.*

P. 111. l. 24. *edit.* docente. *mſ.* dicente.

P. 112. l. 3. *edit.* tædia & perituram. *mſ.* tædii perituram.

P. 112. l. 4. *edit.* quos. *mſ.* *deeſt.*

P. 112. l. 6. *edit.* unde apoſtolus. *mſ.* apoſtolus.

P. 112. l. 8. *edit.* inhonorabilis thori. *mſ.* inhonorabile ſtuprum.

A P. 112. l. 10. *edit.* ſed ſublimius. *mſ.* & ſublimius.

P. 112. l. 14. *edit.* tribuat. *mſ.* tribuant.

P. 112. l. 17. *edit.* illud. *mſ.* illic.

P. 112. l. 30. *edit.* continentes. *mſ.* contentos.

P. 112. l. 35. *edit.* filiis. *mſ.* à filiis.

P. 113. l. 12. *edit.* permanſerunt. *mſ.* ſunt.

P. 113. l. 17. *edit.* væ prægnantibus. *mſ.* de prægnantibus.

Caput VI.

P. 114. l. 5. *edit.* dignitatis & . . . imitantur. B *mſ.* emitantur.

P. 114. l. 5. *edit.* regimen . . . poſtulare. *mſ.* regnum . . . præſtolare.

P. 114. l. 11. *edit.* effugere. *mſ.* fugere.
vobis, &c. *uſque* apoſtolus. *mſ.* *deeſt.*

P. 114. l. 13. *edit.* orantes inceſſabiliter. *mſ.* orate ſine intermiſſione.

P. 114. l. 14. *edit.* in illo de canticis. *mſ.* in illo decantato.

P. 114. l. 16. *edit.* adeoque. *mſ.* adeo.

P. 114. l. 20. *edit.* à ſui. *mſ.* ab utraque.

P. 114. l. 25. *edit.* eligenti. *mſ.* legendi.

P. 114. l. 26. *edit.* amœnitas ſedit. *mſ.* ammoneret.

P. 114. l. 27. *edit.* tuo Altiſſime. *mſ.* Domini altiſſimi.

C P. 114. l. 32. *edit.* non minorabuntur. *mſ.* non erunt minorati.

P. 114. l. 36. *edit.* ad illa. *mſ.* ab illo.

P. 115. l. 2. *edit.* clamabo. *mſ.* *deeſt.*

P. 115. l. 7. *edit.* officii ipſius. *mſ.* officii ſalutis ipſius.

P. 115. l. 10. *edit.* iiſdem. *mſ.* idem.

Caput VII.

P. 116. l. 3. *edit.* per quæ omnia. *mſ.* per quem omnium.

P. 116. l. 5. *edit.* qui ita. *mſ.* qui & à.

P. 116. l. 19. *edit.* ſit futura. *mſ.* futura.

D P. 116. l. 31. *edit.* Diabolum. *mſ.* Zabulum.

P. 117. l. 2. *edit.* adſeret. *mſ.* aſſerit.

P. 117. l. 5. *edit.* qui veritati. *mſ.* quia veritati.

P. 117. l. 17. *edit.* infauſtæ abominationis imagines, vultuſque mortificos. *mſ.* infauſtæ abominatione imaginis vultuſque mortificiis.

P. 117. l. 26. *edit.* ut dent ipſi ſibi. *mſ.* ut det unuſquiſque ſibi.

P. 117. l. 28. *edit.* quam Daniel . . . futuram. *mſ.* quem Daniel . . . futurum.

P. 117. l. 29. *edit.* exurget. *mſ.* & ſurget.

E P. 117. l. 30. *edit.* mirabilia corrumpet & diriget. *mſ.* & mirabilis corrumpet multos & diriget.

P. 117. l. 32. *edit.* populum ſanctum. *mſ.* populum ſuum.

P. 117. l. 36. *edit.* ſuperba. *mſ.* ſuperbia.

P. 117. l. 37. *edit.* fiet, & omnem deum. *mſ.* finem, & in omnem deum

P. 118. l. 3. *edit.* carpere. *mſ.* corrumpere.

P. 118. l. 6. *edit.* ſanctum populum, id eſt

christianum, crudeli internecione vastabit. A mſ. denique populum christianum crudeliter & dura interjectione vastabit.

CAPUT VIII.

P. 118. l. 1. *edit.* futurum vero ... in orbis. *mſ.* futurum vero ... orbis.

P. 118. l. 6. *edit.* quæ regnantem. *mſ.* quo regnante.

P. 118. l. 9. *edit.* destruendus rebus aut signatius. *mſ.* destruendis rebus aut signantius.

P. 118. l. 10. *edit.* dignoscendæ. *mſ.* diu nascendæ.

B P. 118. l. 13. *edit.* obscura notione. *mſ.* obscura vocatio.

P. 118. l. 16. *edit.* divinæ autoritatis editione distingue, ut. *mſ.* divina autoritate seditione distinguet.

P. 119. l. 5. *edit.* in prodigia. *mſ.* prodigia.

P. 119. l. 7. *edit.* sed nondum finis, percurre nunc singula. *mſ.* sed Domino Deo fines percurrente per singula.

P. 119. l. 11. *edit.* aut jungi quisnam natus. *mſ.* aut tergi vel jungi quænam natio.

P. 119. l. 17. *edit.* hiantis. *mſ.* hiantes.

P. 119. l. 20. *edit.* in terra. *mſ.* interea.

C P. 119. l. 24. *edit.* augustos. *mſ.* augusta.

P. 119. l. 29. *edit.* parricidiis famem pastam. *mſ.* parricidium pastos fame.

P. 119. l. 34. *edit.* utrumne hæc. *mſ.* utrumne.

P. 120. l. 3. *edit.* tecta peraguntur qui coram. *mſ.* tecto redarguuntur qui horam.

P. 120. l. 6. *edit.* in toto orbe. *mſ.* in quo.

P. 120. l. 13. *edit.* prædicet. *mſ.* prædixit. qui qualibet. *mſ.* qui quamlibet.

P. 120. l. 28. *edit.* advenientis. *mſ.* adventus.

CAPUT IX.

D P. 121. l. 3. *edit.* supremi. *mſ.* superni.

P. 121. l. 10. *edit.* tam plena est. *mſ.* jam plena est.

P. 121. l. 17. *edit.* hic lugeri. *mſ.* hic lucere.

P. 121. l. 19. *edit.* me spiritus Domini, & ecce facies campi. *mſ.* spiritus me in campo.

P. 121. l. 8. *edit.* 21. & ecce arida. *mſ.* & erant arida.

P. 121. l. 24. *edit.* ecce ego adducam super vos nervos & viscera. *mſ.* super vos viscera.

P. 121. l. 35. *edit.* interivimus. *mſ.* interibimus.

P. 122. l. 1. *edit.* quomodo legistis. *mſ.* quando legistis.

P. 122. l. 4. *edit.* sancti apostoli. *mſ.* sancti populi.

P. 122. l. 16. *edit.* in victoria. *mſ.* victoriæ.

P. 122. l. 21. *edit.* ut vituli ... dissoluti. *mſ.* sancti sicut vituli ... soluti.

P. 122. l. 24. *edit.* ante constitutionem mundi. *mſ.* à constitutione mundi.

P. 122. l. 26. *edit.* jam non subditus. *mſ.* jam non sum subditus.

P. 123. l. 7. *edit.* si nobis etiam sub corruptibili. *mſ.* si bona etiam sub corrupto.

P. 123. l. 13. *edit.* sed omnium in omnibus. *mſ.* sed omnia in omnibus.

P. 123. l. 18. *edit.* aut ad propositum contendens ad bravium cursu propositi ferventis retardes. *mſ.* vel bravium propositi cursu ferventes retardes.

P. 123. l. 22. *edit.* nisi per actus. *mſ.* per acta.

P. 123. l. 24. *edit.* in evangelio. *mſ.* in evangelio legistis.

P. 123. l. 26. *edit.* ergo fide. *mſ.* fiat ergo fides.

P. 123. l. 30. *edit.* inundatio ... defluet. *mſ.* in judicio ... defluere.

P. 123. l. 31. *edit.* constantiæ. *mſ.* conscientiæ.

P. 123. l. 37. *edit.* in vitam æternam. *mſ.* *deest.*

CAPUT X.

P. 124. l. 4. *edit.* promptum. *mſ.* propositum.

P. 124. l. 7. *edit.* præcipua. *mſ.* præcipui.

P. 124. l. 8. *edit.* quid molles sine exercitio meritorum somni. *mſ.* quid viles sine exercitio meritorum, quid proderunt somni.

P. 124. l. 9. *edit.* labore. *mſ.* labore vel pretio.

P. 125. l. 10. *edit.* exceptio. *mſ.* acceptio.

P. 124. l. 16. *edit.* jactatio. *mſ.* jactantia.

P. 124. l. 22. *edit.* præbebitur. *mſ.* plicabitur.

P. 124. l. 24. *edit.* supplicanti. *mſ.* supplicandi.

P. 125. l. 6. *edit.* vel quod lubricæ. *mſ.* vel qui lubricæ.

P. 125. l. 7. *edit.* devotio pura. *mſ.* devotio sanguinis pura.



INDEX ONOMASTICUS

VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM quæ in his quinque tomis reperiuntur.

Ascella, ala axilla, *aisselle*, tom. I. 890. c.
Asile est assula seu lignea tabula tectis cooperiendis apta. *Adalardus abbas noster hanc ecclesiam* asili *coopertam plumbo cooperiri fecit.*
Assalire, adoriri, appetere, aggredi, invadere. *Si quis homo hominem invaserit, quod vulgariter* assalire *dicitur*, tom. I. 776. b.
Assaltare, oppugnare. *Castrum domini sui terribiliter* assaltando, *cum impetu & tumultu bona domini invadendo*, 1241. e. tom. I.
Assaltus, aggressio. *Obsiderunt ipsam terram praliantes & dantes* assaltum terræ prædictæ. tom. III. 81. a.
Assassini, genus hominum in Oriente 13ᵒ sæculo, qui & Elisei dicebantur. eorum mores describuntur, to. III. 281. a. v. & de eisdem, 285. e.
Assecurare, assecurationem præstare, vox forensis. Securitatem facere pignore vel sacramento interpositis, tom. IV. 244. a. 853. b. 886. d.
Assellare ventrem exonerare. *Anastasius enim Papa II.... dum* assellaret *emisit intestina*, tom. 2. 1209. b.
Assentare accipere ad censum.
Assessores qui judici assident, quorum consilio judicat, tom. IV.
Assisia sunt comitia quædam juridica à principe vel a domino feodi certis indicta temporibus pro diversis negotiis. *Quæ placita ante nos vel senescallum nostrum vel* in assisias *nostras debent adduci*, tom. I. 761. f.
Assissini, homicidæ, grassatores, sicarii, to. IV. 743. d.
Attaminatus inquinatus. *De Ecclesia sacramentis ab Ecclesia ministro quantumcumque perverso nulla indignitate* attaminatis, tom. I. 236. c.
Attornatus, procurator ad aliquod negotium constitutus, vox forensis in jure Normanico v. Statuta Ecclesiæ Constantiensis, cap. XIV. XV. XVI. tom. 4. pag. 805.
Auctoramentum, consensus domini vel uxoris aut liberorum in venditionibus, sive confirmatio.
Auctoriso, confirmo. *Totum illum honorem... absque omni inganno eis dono &* auctoriso, tom. I. 411. a.
Avenagium, vectigal seu pensitatio ex avenis dominis debita in suo feodo. Cangius. tom. I. 596. e.
Aver, bona pecuniæ seu quævis alia possessio, præsertim mobilium, Gallice, *avoir. Si comes de Fuxo de pignora prædicta male conquestus fuerit & præfatum* aver (*septem millia solidos*) *reddere noluerit*, &c. v. tom. I. novæ edit. Gall. *Chris.* in probationibus, pag. 128.
Averium, equus, bos, &c. quæ agriculturæ inserviunt, aut computantur in bonis agricolæ. *Hac est lex terræ.... quod dominus tuus melius habeat* averium *quod ille habuit dum vivebat*. to. III. 1807. a.
Avigo, Avenio, civitas metropolis comitatus Vainaissini, tom. 3. 430. a.
Avisare, Consilium dare, monere, deliberare.
Avisamentum, Consilium, deliberatio, tom. II. 1695. f.
Avisatus, admonitus, tom. 2. 1509. c. 1510. c.
Aureamentum, *sive arreamentum. Vix sine* aureamento *animi audiatur*, tom. 5. 704. e. Gallica voce *arremiment* quæ interdum fuit usurpata pro bello indicto significaretque eo loci horrorem sive animi rebellionem. vide Cang. in verbo Adramire.
Aurificium quod ex auro confectum est. *aurifrigium* Gall. *Orfroy*.
Vestimenta alba quæ fecimus fieri de pannis pretiosis ultramarinis cum aurificiis *de Anglia*, to. I. 1472. e.
Authenticare, confirmare. *Supradicta vero... reformationes publicabunt &* authenticabuntur *in plena congregatione cleri*, tom. IV. 398. a.
Aygueria, aquarium, canalis, cloaca, Gall. *Evier. & in* aygueria *sive cloaca projecit*, tom. 2. 1735. e.
Aysina, suppellex, utensilia, res mobilis, tom. 4. 792. e. 1043. b.
Aytogium, vestis longa. *ab omnibus cucullis albis, diploidibus seu* aytogiis *abstineant*, tom. 4. 1582. b.

B

BAJULATIO, Gubernatio, tutela. *Si femina decesserit.... vir ejus ante puerorum suorum plenam ætatem in ipsis prius & in feodis eorum & bonis* bajulationem *habebit*. tom. I. 770. e.
Balatio, Saltatio, choreæ. *Quàm grave peccatum sit in loco sacro choreas vel* balationes *ducere, &c.* tom. IV. 935. c.
Balistrerius, Qui arcu baleari utitur in præliis, gall. *Arbalestrier. In quo fuerunt viri pedites* balistrerii *& lancerii ducenti*. tom. III. 79. e.
Balius, est gubernator, seu alterius vice administrator.
Ballerius, f. Bajulus, gerulus, à voce *bala*, onus, sarcina. *Excepta avena & fœno, in quo tamen equi* balleriorum *conventus congruam percipient portionem*. tom. I. 838. d.
Ballistum sive *ballisteum*, Chorea, cantilena ad quam saltatur: gall. *ballet*. tom. IV. 178. b.
Ballum, Bajulatio, tutela. *Si prolem ex dicto matrimonio reliquerit, ipsa proles, salvo dictæ filiæ jure* balli, *secundùm locorum consuetudinem succedat*. tom. I. 1238. a.
Balluticiacum. Ad custodiendas fronterias, & faciendum balluticiacum *cum hostibus ipsis, & damnificandum eos*, &c. tom. III. 76. c.
Balthuta lactis, f. legendum, *balducta* lactis, lac pressum. *Tenuclæ vero, vel* balthuthæ *lactis sextario romano*. tom. IV. 7. b.
Bancale, subsellii stragulum seu tapes. *Unum* bancale *de ciricio*. tom. I. 1525. d.
Banchius. *Et fecit orificio fossatorum approximare* banchios *multos & vicinos invicem, & post eos Carabagas qui jaciebant lapides magnos*. tom. II. 770. e.
Banchum sive *banchus*, subsellium, sedile, scamnum. tom. IV. 799.
Banderium, Cohors quadringentorum militum.
Bandositas, Seditio, motus civilis. tom. II. 1455.
Bandum, Vexillum. Te Deum laudamus *est gloriose decantatum, & inde ad palatium, cum* bandis *& aliis insigniis papalibus*, &c. tom. I. 448. d.
Baniere, Vox gallica; vexillum est bellicum. *Arborerent grande quantité de* bannieres *& estandars d'un cousté & d'autre*. tom. III. 1519. e. 1520. a.
Banleuca, Modus est agri, ait Cangius, cujus finibus loci seu oppidi immunitas vel jurisdictio terminatur. tom. I. 761. d.
Bannire, Proscribere, relegare, alia significatione, citare; quo sensu Canon 84. Concilii Terraconensis debet intelligi. tom. IV. 315. d.
Bannitus, Proscriptus, extorris è solo patrio. tom. II. 428. d.
Bannum, Confiscatio seu mulcta pecuniaria qua quis banni seu legis promulgatæ infractor punitur. tom. IV. 253. d.
Bannum etiam dicitur districtus, jurisdictio, justitia, ambitus intra quem potestas porrigitur mulctam & proscriptionem bonorum inducendi vel bannum promulgandi.
Bannum, futurarum nuptiarum promulgatio. tom. IV. 391. d. & alibi passim.
Banoa, Vestis species. *Tres* banoas, *unam botonatam*, &c. tom. I. 1525. c.
Baratum, Fraus in contractibus aut venditionibus, usurariæ venditiones. tom. IV. 697. b. 1030. c.
Barateria, fraus. tom. II.
Barbacana sive *barbicana*, gall. *barbequennes*, propugnaculum exterius quo portæ aut muri urbis seu oppidi muniuntur. tom. I. 1820. e. tom. III. 187. a.
Barbota, navis cooperta, tecta. tom. III. 296. b.
Barbuta, navis species. tom. II. 898. e.
Barca, scapha quæ onera gerit.
Barga, naviculæ species, gall. *une barque*. *Quosdam eorum simul cum galeis & naviculis &* bargis *ceperunt*. tom. I. 786. c.

Buata f. *buaca*, tom. I. 576. b. quidam locus sic dictus. Vide Cangium in voce *buaca*.

Bucula, umbo clypei. tom. I. 1306. a.

Buesus, navis species. *Venit Comes Galterus*.... *&* *armavit quinque galeas & duos* buesos. tom. III. 287. a.

Bufones, scurræ, Gall. *des bouffons. Clerici non sint joculatores, goliardi, seu* bufones. tom. IV. 727. d.

Bunarium, seu *bonarium*, certa terræ mensura. *Quinquaginta jugera agri faciunt duodecim* bonaria. tom. III. 522. c. 525. c. 1273. b.

Burneta, pannus confectus ex lana tincta. tom. IV. 1208. V. *bruneta*.

Bursa, societas, colligatio, sic fortassis dicta ex arca communi ad eam fovendam destinata. *Qui conventicula &* bursam, *vel communem societatem seu collegium illicitum fecerint*. tom. IV. 1149. c.

Buscus, sylva, nemus, Gall. *bois*. tom. III. 422. d.

Buticularius, œconomus, dispensator, cui rerum summa commissa est.

Bustula, specillum, conspicillum, à bicyclo duobus circulis vitreis velut lunulis, gall. *besycles. Statim ut litterarum vestrarum bajulum vidi*, bustulam *arripiens non solum avide legi*. tom. I. 516. c.

Buxivulsor, arculæ dilapidator. *Alii convicia ingerunt*, buxi vulsorem. *bonorum omnium exterminatorem, &c.* tom. III. 1696. c.

C

CABALLICARE *super aliquem*, bellum alicui inferre. *Si Abbas vel sui... propter injuriam sibi illatam*, caballicare *super eum voluerit, vel contra eum exercitum movere*. tom. I. 279. a.

Caballicatio, equitatio, vid. *Cavalcata. Nullus de hominibus hujus loci præsumat in hostem nec in* caballicationem *ducere milites vel pedites*. tom. I. 637. a.

Caballus, equus. *Dedit*... caballos *centum indomitos*. tom. I. 801. a.

Cadaphalli. Deprimendo statum dignitatis pontificalis.. aliquos ex nobis (episcopos) *mandat* (officialis archiepiscopi) *citari, &* Cadaphallis *ecclesiarum nostrarum, civitatum & diœcesum*. tom. IV. 357. b.

Calceria, via strata, itinerarius agger. *Stratam publicam de Cameraco ad Atrebatum*... *fecit, quæ* calceria Brunechildis *nominatur*. tom. III. 456. c.

Calciata, itinerarius agger. Calciata *& strata regia quæ tendit ad villam de Sotavilla*. tom. I. 648. b.

Calengia, actio qua quis rem repetit. *Nos post illud dictum posuimus in* calengia *sive reclamavimus terram de Waveres*. tom. I. 1094. e.

Calfagium, jus annuæ lignationis in sylva aut nemore. tom. I. 627.

Caliga, tibiarum tegumentum. *Omnes Capellani*... *cum Missas celebraverint*, caligas *deferant honestas*. tom. IV. 1128. a.

Calixtus sive *Calipha*, sic dicitur papa seu pontifex Saracenorum. *Regnum de Baldac, ubi est papa Saracenorum, qui vocatur* Calixtus; *igitur colitur & adoratur, & timetur in lege Saracenorum, sicut Romanus episcopus inter nos, qui non potest videri nisi bis in mense*. tom. III. 270. a.

Calogerus, bonus senex, monachus senio & ætate venerandus. tom. I. 799. e.

Camba, locus ubi cervisia coquitur. *Ad* cambas *S. Amandi nihil accipiet*. tom. I. 432. c.

Cambarius, cervisiæ confector, gall. *brasseur. Vade fili ad fratres nostros, &* cambarium *eorum*... *rebus humanis exemptum intolerabiliter cruciari nuncia*. to. III. 826. c.

Camberlingus, Camerarius, officium monasticum. tom. I. 839. e.

Cambire, *cambiare*, permutare, unde *cambium* pro permutatione, à Gallico *échange*.

Cambuta, baculus pastoralis, gall. *Croce. Inventurus cruciculam cum* Cambuca *ipsius summi pontificis*. to. III. 1121. a. Vide pag. seq. a.

Camparta, vectigalia agris imposita, & domino fundi debita. *Solutionem* Campartorum *præcedat solutio decimarum, vel saltem qui* camparta *percipiunt, ea decimare cogantur*. tom. IV. 176. a.

Campiones, gladiatores, pugnatores.

Camyrus, curvus; *camyrus baculus*, pontificale pedum, virga pastoralis. *Pastoralem gratiam distribuere*, camyros *baculos & annulos, &c.* tom. V. 779. c.

Cana melli Zachariæ, arbor Palestinæ. *Sunt ibi cannæ ex quibus fluit fructus dulcissimus, & vocantur* Cana melli Zachariæ. tom. III. 279. d.

Canna, mensura agri. *Quod locum eumdem dictis fratribus prædictis non licebat habere... cum ab ecclesia eorumdem trecentarum* cannarum *spatio non distaret*. tom. II. 452. a.

Cancellarius, qui cartas scribit, scriba. *Socium sibi asciverunt Carolum ex illustri Vicecomitum familia natum, qui scriba erat, sive* Cancellarius *apud Dominos consilii secreti ipsius*. tom. I. 1844. e.

Candelosa, festum Candelosæ, festum purificationis S. Mariæ. tom. I. 844. d.

Canonica, Monasterium Canonicorum regularium, locus Canonicis destinatus.

Canonicare, Canonicum facere, instituere. *Item filii canonicorum, & maxime spurii non* canonicentur *in ecclesiis secularibus in quibus instituti sunt patres eorum*. tom. IV. 174. e.

Canonicus ad succurrendum, qui instante mortis articulo canonici ordinis habitum induit. tom. I. 320. f. V. *Monachus*.

Cantabrum, forte legendum *Cantharus*, species poculi. *Aqua qua ingurgitatus fuerat, statim per os ipsius quasi de* cantabro *erupit*. tom. III. 1141. e.

Cantaria, Beneficia ecclesiastica missis decantandis addicta, gall. *Chanterie*. tom. I. 1508. f. 1509. f.

Capella sive *Capellania*, hac voce interdum omnia comprehenduntur ornamenta quæ sunt in solemni celebratione officii necessaria. *Statuimus quod semper Tarracona archiepiscopus vel quilibet episcopus provinciæ ejus in morte sua unam* capellam *integram de pulchris pannis & mobilibus, ecclesiæ cui præfuerit, relinquere teneatur*. tom. IV. 318. d.

Capellaria, munus & beneficium Capellani. *Sacerdotes* capellariam *potentium ne suscipiant nisi per manum episcopi*. tom. 142. b.

Capellus. Prohibemus... ne quis.. diebus prædictis dominicis & festis choreas & capellos *cantilenasque publicas cantare... præsumat*. tom. IV. 526. c.

Capribrevium, regestum seu inventarium. *Statuimus quod tam per nos episcopum, prælatos, canonicos, præpositos quosque beneficiatos Sedis nostræ, fiant* capibrevia *de omnibus reditibus ad dignitates vel alia beneficia nostra pertinentibus*. tom. IV. 623. b.

Capillare, capillos evellere. *De* capillatione *vel percussione sine sanguine, XV solidi. Unde* capillatus *vel percussus. &c.* tom. I. 707. e.

Capitaneus, præfectus exercitus. Capitaneus *atque magister exercitus christiani*. tom. I. 869. c. Vide tom. III. 425. d. 430. e. 434. b.

Capitanea crux, in ecclesia est crux principalis. *Duas etiam imagines ligneas... in ecclesia juxta* Capitaneam *crucem statuit*. tom. III. 588. c.

Capite census, capitalis census.

Capite-census, qui solvit censum.

Capones, galli castrati. tom. I. 638. c.

Capulla, vestis candida quæ super caput ejus qui baptizatur, ponitur. *Si propriam* capullam *propter paupertatem... non habeant... baptisandus cum* capulla *cum qua & alius fuerat baptisatus, baptisetur*. tom. IV. 686. b. 1026. c.

Caputium, capitis tegumen, tom. IV. 249. d. 393. a. 394. e Inde *caputiati*, 334. b. qui utuntur caputio. *Nulli nisi sint sacerdotes*, caputia *de cetero*

Christianisare

Christianare, Catechisare. *Si certum fuit ... capellano secundum formam prædictam eos fuisse baptisatos, nec etiam catechiset, quod vulgariter apud nos* (Occitanos) *appellatur* Christianare. tom. IV. 645. a.

Christianismus, catechismus in baptismo. tom. IV. 645. b.

Chyrographisatum scriptum, est instrumentum duplex quod olim duas dividebatur in partes, quarum una uni, altera alteri contrahentium servanda tradebatur. Scripto chyrographisato *commendatum sigillo Ecclesiæ nostræ & sigillo Comitis confirmavimus, de quo medietatem sigillo comitis signatam in archivis ecclesiæ nostræ, medietatem vero sigillo ecclesiæ nostræ signatam comes ubi sibi placuerit reponet.* tom. I. 620. c.

Ciborium, est sacra pixis in qua sacra servatur Eucharistia.

Cingere, obligari. *Ad ministerium* (prædicationis) *exequendum tanto districtius* cingimur, *quanto ad hoc ... nescimur instituti.* tom. 4. 1851. c.

Ciricum, id est sericum, *ciricum* vermellum. tom. I. 1525.

Cispitaticum, est vectigal pro via cespitibus munita.

Cissonium f. legendum *essonium. Et si comes haberet legitimum* cissonium, *ipse dimitteret gentes suas ad id agendum.* tom. I. 928. c.

Cistex, vox gallica antiquata, *Cisteaux*, Cistercium ordinis caput. tom. I. 601. f.

Civinis, civis femina. *Ut jam definitum est, faciant omnes tam cives quam* civines. tom. 5. 1804. d.

Clamatio, in capitulo accusatio, vox monachis nota. tom. 4. 1218. d. *Deinde fiant* clamationes, *si faciendæ sunt, qui autem* clamat *non quærat circuitiones in* clamatione sua, *sed aperte dicat, ille hoc fecit; & qui* clamatus *fuerit, mox ut audierit nomen suum non respondens in sede sua, eat petere veniam, &c.*

Claretum, vinum factitium, dulce, pigmentum, Germanis *claret*, nostris *hipocras. Qui conficientes situlam plenam* clareti. tom. 3. 1145. d. & infra, *cumque cifum plenum* clareti *in lecto collocatus bibisset*, &c.

Clargaster, clericulus, minister altaris. *Quod idem præcentor aliquem clericulum non possit facere seu* clargastrum, *donec vigesimum annum attingat.* tom. 2. 479. a.

Classicum, solemnis pulsatio omnium campanarum unius ecclesiæ. *Monachi qui morantur apud S. Michaelem, quotiens canonicus S. Martini ... obierit ... celebrent pro defunctis missas & vigilias cum* classicis. tom. 557. d.

Classus, pulsatio omnium campanarum, gall. *un glas.* tom. 4. 563. b.

Classus, signum est ad officium, ut aiunt, ultimum, quod cum omnibus campanis pulsatur. *Quod officiatores quibus officium chori injungitur ... ante finem* classi ... *chorum ipsum teneantur intrare.* tom. 2. 478. d.

Clavarius, videtur esse idem ac Thesaurarius. *Nullus recedat de præsenti civitate* (Avenionensi) *nisi agnoscatur quod bene satisfecerit ac solverit* clavario *curiæ episcopalis.* tom. 4. 387. e.

Clavingus, *Benedictus quoque infelix archiepiscopus captus trahebatur imposita humeris geminorum sarcina* clavingorum. tom. 3. 204. d.

Clenodium, res quævis pretiosa & mobilis, gall. *des bijoux. Peculium dicimus pusillas res in vestibus &* clenodiis *& alias mobiles quas tenent* (monachi) *præter licentiam.* tom. 4. 558. b. *Gemmis &* clenodiis. tom. 2. 1376. e.

Cloquerium, Campanile. *Neque in ipsa turre, neque in ipsius* cloqueriis *ecclesiæ.* tom. I. 385. a.

Cocha, navis. *Primo quamdam navem seu* cocham, *& deinde* cocham *supradictam conscendit.* tom. 2. 783. f.

Coctanum. Cum ... ad comedendum cocta porrexisset coctana. tom. 3. in vita S. Edmundi circa finem.

Coctarius, assator.

Cœnobium, à cœno, pollutio. *Qui voluntate obscœno liquore maculatus fuerit dormiendo, si cervisa & carne abundat*, cœnobium *est, &c.* tom. 4. 8 c.

Coffia, linea cucufa, gall. *coeffe. Nec cum capellis seu* coffiis *lineis apparentibus incedat.* tom. 2. 485. d.

Cofrum, arca. *In* cofris *nostris.* tom. I. 1524. e.

Cogo, navis species, quæ & *cocha*, *coqua*, in variis autoribus dicitur. V. Cang. *Venerabilis autem Pater Albanensis episcopus* cogonem *suam fecit ad superiora pertrahi fluminis....* Cogo *vero Templariorum, &c.* tom. 3. 296 a.

Colobium, vestis monastica. *In benedictione monachica exuta vetustate suscipitur cum benedictione* colobium, *quod est novitatis Christi sacramentum.* tom. 5. 971. Vid. & 973. a.

Colvokeria, genus servitutis, quam Radulphus comes Ghisnensis in terra sua instituit. *Bastardus iste à quo Ghisnenses Comites descenderunt, uxorem duxit Mathildem.... de quâ genuit filium Rodulphum ... qui in terra sua servitutem induxit quæ* colvokerlia *vocatur, per quam populares astrinxit ut arma nullus nisi clavas deferret; undi* clovokerli *dicti sunt, quasi rustici cum clava; nam eorum vulgare* colve *clavam, &* kerel *rusticum sonat.* tom. III. 564. e.

Combinare, conjungere, hinc combinatio, vox usitata in ordine Prædicatorum, significatque apud eos conjunctio unius fratris cum alio, cum quo possit egredi. *Cum insolentiæ crescant ex defectu ... incautæ combinationis ac fratrum separatorum combinatione, mandamus ... prioribus ... quod ... districte fratres combinent, nec fratres combinati se separent quin ad invicem videantur.* tom. 4. 1831. a.

Comcanbiare, permutare.

Comitia, comitatus. *Ad eamdem* comitiam *attinente.* tom. I. 841. d.

Comestores & custodes ponere in domo alicujus, id est, milites præsidiarios collocare, gall. *mettre garnison.* tom. 4. 965. b.

Commenda, protectio, tutela. *Præcipimus & constituimus in nostra protectione & custodia*, commenda *& guidatico speciali vos venerabilem, &c.* to. 2. 595. b.

Communia, urbis vel oppidi incolarum universitas certis astricta legibus, certis etiam privilegiis alligata. *Populum ipsum &* communiam *in spiritu lenitatis diligentius monuistis, &c.* tom. I. 659. c.

Complex socius, peccati particeps. *Nam illorum* (simoniacorum) complex *& condiscipulus* (latro) *quamvis dicit Deo, si filius Dei es, &c.* tom. 5. 760. c.

Compurgatores, testes sacramentarii, qui una cum reo pro ipsius absolutione sacramentum præstant. Compurgatores admittebantur ab Inquisitoribus Albigensium, qui fidem facerent pro suspectis de hæresi. Vide tom. 5. 1801. c.

Condergendum, f. corrigendum.

Confessare; confiteri, peccata ad sacerdotem deponere. *Tandem* confessata *& voto facto &c.* to. III. 1938. b.

Confessio, capsa seu sepulcrum alicujus sancti.

Confraternia, in malam partem pro conjuratione usurpatur, gall. *ligue. Ne aliquis ... conjurationes, colligationes*, confraternias *seu alias quascumque obligationes fide vel juramento seu qualibet alia infirmitate vallatus facere præsumat.* tom. 4. 253. a.

Congediare, dimittere, à voce gallica *congedier. Quamquam idem dominus Benedictus à Portu-veneris* congediatus ... *jam concilium generale in Perpiniano ... convocasset.* tom. 2. 1726. d.

Congerire, dimittere, gall. *congedier. Etiam* congeriendo, *eos expresse à civitate & interdicendo suis Cardinalibus quod dictis nunciis non loquerentur.* tom. 2. 1535. c.

Conquirere, armis quærere, in potestatem redigere. *Normanni gentiles Neustriam* conquirentes *subverterunt.* tom. 3. 465. e.

Curiosus, nomen officii in ordine Grandimontis, cui temporalium cura committitur. *Ad portam eat ille quem corrector & curiosus huic officio deputandum decreverit.* tom. 4. 1232. d. *Duobus singularum domorum ministerio deputandis, uno videlicet clerico, alio converso; quorum alter, conversus scilicet*, curiosi, *clericus vero correctoris officium gereret.* tom. 1. 910. e.

Currizare, curru vehi. *Quicumque fratres equitaverint vel* currisaverint, *secundum gravitatem culpæ gravius puniantur.* tom. IV. 1738. b.

Curseriæ, viæ in summitate murorum ad hostes in expugnationibus insectandos dispositæ, per quas ex una turri ad aliam fit transitus, unde curseriæ dictæ. *Unam de turribus quæ construuntur in prædictis muris ... possideant à parte inferiori usque ad* curserias, *quæ fient desuper in muris prædictis; parte vero dictæ turris supra* curserias *prædictas, semper nobis .... remanent.* tom. 1. 1160. e.

Curtilis, villa rustica, prædium cum terris, possessionibus & rebus ad rem agrestem pertinentibus. *Dans ei ...* curtiles *duos cum castiicis, terram arabilem & pratum.* tom. III. 524. c.

Curtis, domus septimento cincta.

Curtificia, quæ ad curtim pertinent, appenditiæ. *Curtes cum* curtificiis. tom. 2. 1131. d.

Curtis regia, aula regia.

Cussinum seu *cussinus*, pulvinus, culcitra,

Custos, in monasterio sancti Bertini syndicus sive procurator. tom. 3. 757. c.

Custus, expensæ, tom. 2. 593. e. Vide superius *custamentum.*

Cymbalum, campanula. *Pulsetur unus classus cum* cymbalis *& squillis.* tom. 4. 663. b.

D

Dacium, tributum, à verbo *dare. Absque cujuslibet* dacii *& gabellæ vel alterius vectigalis aut cujuslibet gravaminis, quocumque nomine censeretur, exactione.* tom. 2. 905. f. & 906. f. iisdem fere verbis.

Damascenum opus, *Mappæ mensarum contextæ opere* damasceno, sunt mappæ opere vario distinctæ, quæ gallico idiomate dicuntur *nappes ouvrées.* Vide tom. 4. p. 456. a.

Deadvocare, inficiari, non agnoscere, gall. *desavouer.*

Deassecurare coram judice aliquem, est judici tradere in manus; seu permittere fieri alicui justitiæ complementum. *Excommunicatos denunciamus omnes laicos & alios quoscumque qui clericos* deassecuraverint, *maxime coram suo judice, volentes facere justitiæ complementum, nisi infra octo dies eosdem assecurent.* tom. 4. 853. b.

Debatum, contentio, gall. *debat. Sæpissime committuntur scandala, rancores,* debata, *perjuria, &c.* tom. 4. 389. b.

Debitalis, censualis. *Assideant eidem Philippæ decem libros Podienses* debitales. tom. 1. 897. e.

Deboychatus. Legamus ... unum salinum argenti, in quo quidem salino est deboyschatus *unus draco ermentatus, &c.* tom. 1. 1524. c.

Decantare ecclesiam, est ejus onera explere, gallice *desservir. Nullus presbyter curatus sive secundarius, vel presbyter habens officium diaconi in ecclesia, aliquam ruralem ecclesiam audeat* decantare. tom. 4. 650. c.

Dechristianatus, prophanatus. *In lapides & ligna prophanorum ... contactu* dechristianata *scopis animadvertentes.* tom. 1. 237. b.

Decius seu *Decium*, tessera, talus, gall. *un dé. Scholas etiam* deciorum *prohibemus, &c.* tom. 1. 439. f. *Prohibetur penitus omnibus sacerdotibus ludere cum* deciis. tom. 4. 898. c.

Decrusare. Ecclesiæ thesauri distrahuntur, ciboria, feretra ceteraque jocalia auro & argento decrusantur. tom. 3. 644. c. Legendum *decrustantur*, id est evelluntur incrustationes auri.

Defalcare, tollere, gall. *retrancher. Ita tamen quod quidquid ... solutum jam fuit ... integraliter* defalcetur. tom. 4. 1553. b.

Defalcare; item est usurpare aliquid in solutionem debiti, & talliam imponere. *Committimus decanis quod inquirant de ecclesiis defalcatis, & nobis referant quod ecclesiæ sunt defalcatæ, & per quos & in quibus, & nos omnes defalcationes ecclesiarum minus legitime factas revocamus, & præcipimus omnibus qui bona ecclesiarum habent per defalcationem minus legitime factam, ea restituant.* tom. 4. 860. d.

Defensor, Advocatus, Gastaldus, judex, qui de causa cognoscit.

Defensum, defensio.

Defossa foresta, videtur esse cæsiones, cæsuræ, gall. *coupes. Indictis forestis & in omnibus* defossis *earumdem factis vel faciendis ... indifferenter capiant & explectent quid ad usum & ædificationem.* tom. 1. 572. e.

Defunctorum judicium, jus quod rectori debetur cum quis decedit. *Tertia pars judicii* defunctorum. tom. 1. 948. b. Vide Cang. in voce *mortuarium.*

Deliberare, emittere è custodia. *Cum tu quosdam homines ... teneas ... ipsos* deliberes *absque difficultate.* tom. 1. 1256. e. 1257. a.

Demanda, petitio, exactio nomine præstationis gratuitæ. *Nullam exactionem vel forciam, nullam* demandam *seu adimprivium habeo.* tom. 1. 953. f.

Demanium, dominium. *In terra quam tenet de* demanio *in diœcesi.* tom. 1. 948. e.

Dementare, ad iram provocare. *Si prior priorem aliquem* dementaverit *vel proprium vel hospitem, pœnam levioris culpæ solvere teneatur.* tom. 4. 1666. b.

Denerata, pretium rei per denarios, gall. *denrée.* Denerata *panis.* tom. 1. 432. b.

Denesia forte *devesia*, loca defensa, in quibus quidquam agere, verbi gratia fruges colligere, vindemiare ante præconisationem non licet. *Idem volumus de banno fructuum ut* (clerici) *illud observent piscationum & venationum in* denesiis *& terminis.* tom. 4. 631. d.

Dequitatio, redemptio. *Concluserunt domini quod ad petitionem partium poterunt permittere redemptionem &* dequitationem *parvorum censuum usque ad sex scutiferos seu duodecim grossos certo tempore præfixo, intra quod hujusmodi* dequitatio *fieri permittatur, & denario ad minus vigesimo quarto, quodque denarii capitales provenientes ex hujusmodi* redemptionibus *applicentur, &c.* tom. 4. 458. a.

Desemparare, dimittere.

Desesiare, privare, gall. *desaisir. Quia nemo sine culpa vel causa privandus est jure suo ballivis nostris .... inhibemus ne* desæsiant *aliquem sine juris cognitione.* tom. 1. 439. b.

Despichare, contemnere, despicere. *Cum ... nonnulli iniquitatis filii ... deum omnipotentem, beatissimamque dei genitricem virginem Mariam sanctosque suos & eorum sacratissima nomina vilissime & perniciose abnegent, renegent, blasphement,* despichent, *atque jurent, & alias diversimode ac vituperose.* tom. 4. 674. e.

Deveria, personalia quædam tributa domino loci à subditis debita, gall. *devoirs.* tom. 1. 1592. e. tom. 4. 800. c. ibid. 1009. e.

Deveria, subductiones, declinationes, effugia.

Devium. Monemus omnes & singulos rectores ... ne de cetero deferant redundellos, nisi devium *longum in modum habitus.* tom. 4. 798. e.

Dextrarius, equus bellator. *Fugit & ipse Otho imperator eorum in palafrido suo, suum enim* dextrarium *mira probitatis magnique pretii equum occisum.... reliquit in acie.* tom. 3 402. a. vide & pag. 270. b.

Dialopes. Dialopes *& tres barones .... in prima acie.* to. 1. 827. b.

Dicus, moles, agger, gall. *digue. Eodem anno tanta fuit in mari tempestas & inundatio vehemens maritimorum fluctuum, quod aggeres &* dici *maritimis flu-*

E

Exercitus

Exercitus seu exercitum debere dicuntur vassalli cum dominorum expeditionibus interesse ac pro iis dimicare tenentur. tom. I. 647. a.

Exforcium, auxilium, copiæ auxiliares. *Scivimus hostes nostros ante Trapanum cum toto suo* exforcio .... *declinasse*. tom. 3. 78. a.

Exonium, impedimentum; *exoniare*, excusare, impedimentum causare. *Episcopus non posset se exoniare super his nisi haberet* exonium *proprii corporis*. tom. I. 804. d.

Exorbitare, irregulariter incedere, declinare à recta via, prævaricari. *Ut abbatissas ... per quarum insufficientiam ... deo devotæ feminæ... observantiam religionis* exorbitant. tom. I. 621. b.

Explectare, proventus & reditus percipere. *Omnes reditus; fructus & emolumenta... levare ac* explectare *nomine nostro ... faciatis*. tom. I. 1414. b.

Explectare, percipere, gall. *exploitter*, vox forensis. *Servientes tuæ ballivæ non permittas in terra Ostrevandi justitiare vel* explectare *nisi in casu ressorti*. tom. I. 256. e. *Si gentes nostræ justitiando sicut ad nos pertinet aliquid saisiant, capiant vel* explectent, *vel saisire vellent, capere aut* explectare. to. I. 1251 c.

Explectare arborem, est excidere arborem. *In dictis forestis & in omnibus defossis earumdem factis vel faciendis ... indifferenter capiant &* explectent *quidquid ad usum & ædificationem*. tom. I. 572. e.

Expletivium, dominia quorum proventus dominus percipit. tom. 3. 1111. a.

Expletum, reditus, proventus. *Quod clericus hujus majoris ecclesiæ* (Barcinonensis) *quocumque tempore decedat habeat* expleta *ipsius anni integriter à die mortis ad finem anni completi*. tom. IV. 604. c.

Exstolium, classis. *Faciebat armari in Messana suum* exstolium *galearum grossarum* LVII. *&c*. tom. 3. 77. b. 81. b. & alibi passim.

Extruscare, f. evellere. *Adeo vitiis inveteratis mos consentit, ut ferro durata cutis* extruscanda *sit protinus*. tom. I. 1697. b.

F

F*Abrica ecclesiæ*, reditus seu bona ecclesiæ reparationi assignata.

Fabricales litteræ, litteræ quæ summam aliquam concedunt de ecclesiæ proventibus. *Ne credat rex idem quod ultra finem primi triennii* fabricales litteras *de nostro percipere possit assensu*. tom. II. 476. c.

Fachinarii, fascinatores, magi, præstigiatores, sortilegi; in Occitania appellantur *Falchiners*. Vide tom. IV. 651. d. *Incantatores, augures, sortilegos, & sortilegas, aruspices, vel divinatores & maleficos... quos vulgariter* fachilners *appellamus. Item* fachinerarii *& divinarii, auguratores & facientes experimenta diabolica*. tom. IV. 1036. c.

Faida, inimicitia seu aperta simultas.

Faidimentum, satisfactio quæ ex delicto debetur, confiscatio. tom. I. 1039. c. 1040. b.

Falco, falcio, falso, armorum genus olim usitatum, adunco præfixum ferro, lanceæ genus, falx. Vide tom. IV. 726. a. 1482. e. Item ibidem 1044. c. *Enses non deferant* (clerici) *nec cultellos acutos nec lanceas seu* falcones.

Falsdarius, falsarius, falsator, falsus signator, tom. IV. 286. b. *Si aliquis litteris indulgentiæ sigilli archiepiscopi Toletani in nostra provincia* (Terraconensi) *usus fuerit tamquam* falsdarius *puniatur*.

Falsidia, leg. *falcidia*, lex qua cavetur ne legata superent quartam partem hereditatis, à Falcidio tribuno plebis lata. Falcidiam *contrahere*. to. IV. 294. b. Falcidiam *detrahere*. ibidem c.

Fanum, imperiale vexillum.

Fanones, syndones seu vela, est etiam manipulus.

Fatiga, fatigatio. *Post longas laboriosi itineris* fatigas. tom. II. 1610. a.

Fatiga juris, dilatio reddendæ justitiæ; vox est fori Catalanici & Hispanici. *Nisi prius in* (nobis *leg*. vobis) *manifesta* fatiga juris *inventa fuerit cum denuntiatione legitima præcedente*. tom. II. 595. f. & pag. seq. a. *Hoc tamen retento quod si homines nostri* fatigam juris *in vobis vel vestris officialibus invenerint*. Vide tom. I. 1051. b. c.

Fenestratus, apertus, calcei fenestrati Cisterciensibus prohibiti in Capit. gener. anni M D. XXIX. tom. IV. 1642. e.

Fenestrati. *Prohibemus etiam ne clerici caractere neglecto comas nutriant aut* fenestratis *tondeantur*. tom. IV. 1190. e.

Feodum, ligium. tom. I. 784. b.

Feretrum, reliquiarum capsa. *Egrediente conventu cum* feretro *comitante innumerabili multitudine... ad processionem faciendam*. tom. I. 476. b. Vide tom. III. 644. c.

Ferto, quarta pars marcæ. *Jus & consuetudinem ecclesiæ nostræ Argentinensis ab antiquo servatam scilicet quod & qualiter decedentes clerici saltem* fertonem *legare episcopo teneantur, inviolabiliter præcipimus observari*. tom. IV. 556. a.

Ferula, significat baculum pastoralem. tom. IV. 78. a. *Ut ergo eorum cognovi appetitum probum* (canonicorum Romanensis ecclesiæ) . . . *hanc* ferulam *more prædecessorum nostrorum illis contuli*.

Feudum, beneficium, terra tributaria.

Fictur pro *fit*. tom. V. 100. b.

Fidantia, tributum, exactio, vectigal, alia quævis onera libertati & immunitati contraria. Fidentiatum remissio, concessio libertatis & privilegiorum restitutio. Fidantias *ab omnibus remitti facietis & remittetis eisdem*. Fidantiarum *autem remissio est concessio libertatis &c*. tom. II. 232. d.

Fidatus, cui fides haberi potest, fidelis. *Centum balistarios quantum fieri poterit honestos &* fidatos *per quemlibet dictorum duorum dominorum eligendos*. to. II. 1316. d.

Fidentialia, sponsalia, gall. *fiançailles*. *Non fiant sponsalia sive* fidentialia *cum repentalitiis, quia libera debent esse matrimonia nec metu pœnæ astringi*. tom. IV. 821. a.

Filatoria nocturna, congregationes sunt mulierum, quæ vulgo pervigilia vocantur, ubi inter ducendum fusos cantilenas & choreas agunt. Gallice cœtus isti dicuntur *veillées*. tom. IV. 1176. e.

Filiaster, privignus. Isid. *Matthæus puer* filiaster *Pascæ uxoris Petri &c*. tom. III. 1637. c.

Filo, depeculator, gall. *un filou*. *Notum facimus...* filonem *illum Joannem Carrerii scandalum orbis*. to. II. 1712. e.

Finantia, præstatio pecuniaria. *Absque eo quod... compelli possint ...* finantias *solvere seu quaslibet alias servitutes*. tom. I. 650. e.

Finare, solvere. *In præsenti de veniendo vel mittendo exercitum, vel* finando, *aut præstando aliam subventionem pro eodem excusati ... habeantur*. tom. I. 1338. d.

Firma. Firmas *sive apporta*. tom. I. 1509. d.

Firma, possessio est aliqua ad certum tempus sub annua præstatione elocata. *Prohibemus districte ne aliquis clericus futuros reditus alicujus ecclesiæ nostræ diœcesis emat recipiendo ad* firmam *ipsam ecclesiam cum reditibus ipsius ecclesiæ sub certo pretio, &c*. tom. IV. 1066. a. vide pag. 255. ejusdem vol. b.

Firmarius, is cui firmariæ cura incumbit. tom. I. 838. f.

Firmare, claudere, gall. *fermer*. *Ecclesias* firmare *studeant*. tom. IV.

Firmitas, castrum, ars, munitio. tom. I. 843. b.

Firmitudo, ars, munitio. *In confinio etiam terrarum nostrarum ... non debemus.. alias construere* firmitudines. tom. I. 586. b.

G

Gardiator, protector, custos. *Attendentes quod præfatum serenissimum principem ut dominum nostrum carissimum fundatorem & gardiatorem studii Parisiensis revereri tenemur.* tom. I. 1385. d.

Gargocil. Abbas Belli-loci in Anglia qui coram tribus Comitibus inordinate in mensa hilariter bibendo ad gargocil. tom. IV. 1316. d.

Garnachia, ampla vestis sine manicis. *Deportent super pellicium cum longis manicis decens & honestum. Illa* garnachia *quæ manicas non habet olim per aliquos ferri consueta, ab eisdem ... dimissa penitus & trajecta.* tom. IV. 579. e. *Ne habeant* (sacerdotes) garnachias *vel vestes inordinatas.* tom. IV. 898. c. *Deferunt* (moniales de Moleges) *vela alba & garnachias & nutriunt crines longos.* tom. IV. 1355. a.

Garnimentum, suppellex, utensilia. *Exceptis ... vaissilementis meis argenteis omnibus ... utensilibus & aliis* garnimentis *hospitiorum meorum.* tom. I. 1307. a.

Garnitus, instructus, paratus. *Si aliud quicpiam diceret, ad omnem legem examinandam quamcumque ei synodus indicasset, semper* garnitus *adesset.* tom. IV. 72. c.

Garrica, terra inculta.

Garrandire, tueri, gall. *garantir. Nulla villa libera... illum tueri vel* garrandire *potest.* tom. I. 767. b.

Gastaldio, Gastaldus, Gastaldius, villarum ac prædiorum præfectus, rerum dominicarum actor, procurator, administrator, villicus, regionis aut urbis præfectus, qui jurisdictionem exercebat in plebem. *Si quis dux, marchio ... advocatus, villicus*, Gastaldio *magna parvaque persona, &c.* tom. I. 260. c.

Gavallum, tributum quod ex messibus domino penditur. *Hæc est colligendi* gavalli *mensura & ordo, carruca debet dare dimidium frumenti & dimidium avenæ, &c.* tom. I. 654. a.

Gaudichetum, quædam pars armaturæ. *Do & lego... unam integram armaturam ... meum godbertum, meam gorgretam, meas buculas, meum* gaudichetum. tom. I. 1306. a.

Gelta, certa mensura liquidorum. *Vineæ nostræ .... de quibus debebat domus duas* geltas *vini omni die distribuendas.* tom. III. 1269. b.

Generale pulmentum, vox monastica. Generalia *etiam conventus simplicibus diebus sagimine decoquantur.* tom. I. 974. d.

Gentilis, nondum baptisatus. *Quam cum* gentilem *adhuc esse rescissent, more ecclesiastico cathechisaverunt &c.* tom. III. 1103. c.

Giberia. Abbatibus & personis regularibus ordinis præcipitur ne ... gestare præsumant ... giberias *seu capsellas.* tom. IV. 1621. d.

Gippo, vestimenti genus. *Cum nostri domicelli seu scutiferi ... calamistrati incedant, ut feminæ & cum vestibus seu diploidibus, hoc est* gipponis *tam brevibus, ut femoralia & signa posteriora eis appareant.* tom. IV. 334. a. vide & 1577. d.

Gitta, f. *getia*, præstigiæ per manuum invocationem, maleficia. *Injuramentis illis nullæ occasiones ammiscendæ quæ* gitta *dicuntur.* tom. I. 768. a.

Glandella. Pœnitentia bardicationis glandellæ *post obitum laici vel laicæ.* tom. IV. 27. c.

Glena, spicilegium, gall. *glane. Ne de* glenis *pauperum clerici decimas exigant.* tom. II. 461. a.

Godbertum, vestis militaris, tom. I. 1306. a.

Goliardia, histrionatus. *Si in* goliardia *vel histrionatu per annum fuerint vel brevi tempore.* tom. IV. 727. d.

Goliardus, histrio. *Clerici non sint jaculatores*, goliardi *seu bufones.* tom. IV. 727. d. Vide & p. 853. e.

Gorgreta, quædam pars armaturæ. *Do & lego ... unam integram armaturam de armaturis meis, videlicet meum heaume à visiere, meum bassignetum, meum pourpoinctum de cendallo, meum godbertum, meam* gorgretam. tom. I. 309. a.

Graantare, vox forensis, fide & sacramento interposito promittere, stipulari. *Super istas pactiones omnes sæpe nominato domino de Legniaco* graantaverunt *quod tenebunt.* tom. I. 807. a.

Graffarius, scriba, tabellarius, tom. IV. 398. d.

Grammatia, limbus vestis. *Canonici insuper & clerici... manicas supertunicalium rotundas & largas habeant competenter, nec in circumferentiam manicarum vel* grammatiarum *& aliarum vestium portent circumferentias pellium additarum.* tom. IV. 323. d.

Granatarius, is est qui apud monachos annonam recipit. In monasterio sancti Bertini qualia ejus fuerint munia vide tom. III. 757. d.

Grangiola, prædiolum rusticum, villula, tom. I. 581. c.

Granicarius, officium monasticum, vide tom. I. 63. a. & supra *Granatarius.*

Graverium, onus, gallice *charge*, à voce *gravis. Præcipimus de omnibus ecclesiis .... arcas &* graveria *penitus removeri; quod si anno elapso amota non fuerint, ea in usu pauperum converti faciemus.* tom. IV. 787. c.

Gregia seu *grengia*, gravamina, gall. *griefs. Theodorus de* gregiis *dicit; si pro ultione &c.* tom. IV. 26. b.

Grisium varium, pellis animalis quod gallice *vair* appellatur. *Nec canonici ... portent in caputiis capparum de choro .... forraturam nisi de* variis grisiis *vel pellibus nigris.* tom. IV. 323. e.

Guadium, pignus, gallice *gage.*

Guadiatores, executores testamentorum. tom. I. 1521. 1624. c. 1632. f.

Guarda, custodia, advocatio. *Et quia nos dicebamus ad nos pertinere* guardas *seu* custodias *ecclesiarum & abbatiarum prædictæ terræ easdem* guardas *seu* custodias *ecclesiarum &c.* tom. I. 1234. d. Hinc *guardare* custodire. 1244.

Guardagium seu *Wardagium*, quoddam tributi genus.

Guardiator, testamenti executor. *Ecclesiarum rectores... cujuslibet morientis heredes, successores, executores seu* guardiatores *moneant.* tom. IV. 647. e.

Gubernare, servare. *Si aliquid superaret de sacrificio*, gubernarent *illud usque ad pascha.* tom. 4. 1755. b.

Guerrificare, *guerrire*, bellum inferre, facere. tom. IV. 319. c.

Guerpire seu *guirpire*, possessionem alicujus rei dimittere.

Guidagium, præstatio quæ solvitur in certis locis pro securo transitu vel mercium exportatione. *Et omnes qui ab ecclesiis vel personis ecclesiasticis aut rebus suis propriis, quas non causa negotiationis deferunt vel deferri faciunt seu transmittunt aliqua pedagia seu* guidagia *exigant & extorqueant ... excommunicatos... nuncietis.* tom. IV. 964. b.

Guidaticum, protectio, salvus conductus. *Præcipimus & constituimus in nostra protectione & custodia commenda &* guadatico *speciali vos venerabilem &c.* tom. II. 595. b.

Guphus, portæ cardo, gallice *un gond. Quibus adhuc de seris januarum dubitantibus sonuerunt* guphi *& cardines.* tom. III. 1700. e.

Gyndragia, tributum pro vino, quod vulgo vindragium seu vinerogium. tom. I. 387. a.

Gyro. Iste papa Adrianus IV. fecit gyronem *in vadiscono ac muris & turribus munivit.* tom. III. 649. c.

H

Habentia, possessio, facultates, bona. *Anni duo nondum fluxerant, &* habentia *monasterii sic est exhausta &c.* tom. III. 1150. d.

Harnesium, equorum strata, ornatus, gall. *harnois. Nullus prior claustralis vel alius monachus cameram, equos, familiam,* harnesium *sibi appropriet, vel de eis contendat, sed si vel ex utilitate vel ex necessitate oporteat eum exire, per illum qui præest in necessariis*



I

&c. ingenia dicuntur, gall. *engins. Captioni civitatis per* ingeniorum *erectionem frequenter per terram & aquam insultui vacavimus.* tom. III. 299. b. Vide tom. I. 786. a. e. 787. a. e.

Ingenium, ars, dolus. *Juravi bona fide & sine malo* ingenio. tom. I. 881. a. & alibi.

Inquesta, inquisitio. tom. I. 386.

Insabbati, hæretici Valdensium sectarii, sic dicti à certa specie calceorum, quos *sabots* vocamus. Eorum errores prolixius describuntur tom. V. 1797. a. Vide & Cangium, in voce *Sabbatati*.

Installatio, immatriculatio.

Insultatio sive *insultus*, assultus, oppugnatio, gall. *assault. Captioni civitatis per ingeniorum erectionem & frequenter per terram & aquam* insultui *vacavimus.* tom. III. 299. b. Vide p. 410. e. 411. a. & tom. I. 787. b. & alibi passim.

Intacibilis, qui tacere non potest. *Omniifrenesi ablata* intacibili *ore sancti protestans mirabilia.* tom. III. 1687. e.

Intentionare, litigare, contendere. *Quicumque hoc donum invadere aut* intentionare *sive litigare voluerit.* tom. I. 407. e.

Interesse, fenus, usura; gall. *interest. Nihilominus si ipsam pecuniam recipi contigerit sub usuris, dicti abbates qui ad diem præfixam solvere omiserint dictas usuras*, interesse *pariter solvere teneantur.* tom. 4. 1448. e.

Interragium, funus, exequiæ, sepultura, gall. *enterrement. Prohibetur districte ne pro* interragio *corpus sepeliri deferatur* (differatur), *sed post sepulturam si quid datum fuerit, in eleemosinam recipiatur.* tom. IV. 161. c.

Interstallare, intersistere. *Rex ordinato exercitu, densatis turmis strictisque lanceis & ensibus in Imperatorem acer invehitur, & aciebus* interstallantibus, *utrimque durissima pugna sed non longa inseritur.* tom. III. 697. e.

Intestabilis, cui non est dictio testimonii. *Quicumque in transgressione juramenti de cetero manifeste deprehensus fuerit.... denuncietur* intestabilis *& infamis, nec ad testificandum vel ad alios actus legitimos admittatur.... Nos vero verbum præmissum* intestabilis *non ad testamentum, sed ad testimonium dumtaxat referri & intelligi declaramus.* tom. IV. 231. a.

Invadiare, tom. I. 653. b. Vide *Ingadiare.*

Invultuores, magi, vultivoli. tom. IV. 985. e. De hæresi, de schismate, de sortilegiis & divinationibus, de magis. *In alio manuscripto codice:* de sortilegiis, de divinationibus, de *invultuoribus.*

Jocalia, pretiosa mobilia ecclesiæ. tom. IV. 390. c. 393. c.

Jornale, diurna opera. *Recipient ab hominibus suis* jornalia *in operibus suis, &... dent eis ad comedendum.* tom. I. 835. c.

Juglandes, nucum species quædam, jovis-glans dicta sive basilica nux.

Jupo, vestis talaris species indusio proximior. *Nullus in ordine sacerdotum constitutus præsumat vel audeat missam celebrare, nisi habeat caligas cum* jupone *seu alia veste propinquiori camisiæ.* tom. IV. 1150. c.

Juriosus, juris doctor, jurisperitus. *Ad ostendendam varietatem...in magnis clericis, doctioribus &* juriosis. tom. II. 1468 e.

Justitia, est jurisdictio, seu judicis cognitio. Justitia etiam dicitur præstatio census, mulcta judiciaria, portio potus quæ monachis dabatur ad mensam. *Abbati in prandio nonnisi duæ* justitiæ *apponantur, & una in cœna.* tom. IV. 1283. d.

Justitium, luctus publicus. *Intolerabile luctum, immo potius totius Normanniæ genti* justitium *inferrent.* to. III. 1676. c.

Jusum, inferius. *Sola itaque frons urbis phœbo nascenti obnoxia ad medium sui, id est à porta* jusum *accessum patitur*, id est à porta inferiori. tom. III. 144. c.

K

Kalenda, conventus presbyterorum per decanias singulis mensium calendis. *Quod decani christianitatis singulos hujusmodi ordinationis transgressores saltem ter in anno, videlicet intra* XV. *dies post celebrationem suorum conciliorum seu* kalendarum. tom. IV. 669. a.

Kanrotius, esseda, currus, gall. *carosse. In* kanrotio *quem juga boum non pauca trahebant.* tom. I. 474. c.

Koka, est navis. *Disrobationem cujusdam* kokæ.. *factam ... per quosdam piratas.* tom. III. 70. a.

L

Lancerius, qui gerit lanceam. *In quo fuerunt viri pedites balistrarii &* lancerii *ducenti.* tom. III. 79. e.

Lamma, lamina, gall. *lamme. Argenti* lamma *quæ lata fere cubitalis.* tom. III. 190. e. & pag. sequenti, a. *Pondus erat* lammæ *quasi septem millia marcæ.*

Laquirium, cancelli, gall. *treillis. Monialis ne loquatur nisi per fenestram bene & spisse ferratam, vel* laquirium *modo simili præparatum.* tom. IV. 1378. d.

Larvaria, ludibria seu convicia quæ nuptiarum occasione olim fiebant, gall. *charivari*, à verbo *Larva*, quod demonem aerium significat, cui curæ est ludicris hominum vel illusionibus vacare. *De cetero fieri prohibentur sub pœna excommunicationis*, tom. IV. 506. d. Vide chalvaricum.

Lasurus sive *lazurum* cæruleus color. *Hic arma detulit auri &* lazuri *distincta piramidibus in umbonis... scuto aureo junctis.* tom. III. 497. e.

Lemna, tributum quod penditur in urbis exitu pro certis rebus venalibus, sic forte dictum à voce *lemen* sive limen. *In exitu portarum* lemnam *persolvant.* tom. I. 280. b.

Ledda, quodvis tributum, maxime quod pro mercibus penditur. *Si quis...meraturam emeret.... à venditore* lesdam *reciperet.* tom. I. 279. c.

Lessa, terra est apud Anglos seu tenementum locatione acceptum. *Nullus alterius silvam*, lessam *& algam devorat.* tom. IV. 18. a.

Lesta halecium sive lissa, cadus harengorum, gallice *caque d'harens. Ego Philippus Flandriæ.... comes ecclesiæ Claravallensi duas* lestas *halecium apud Mardich in perpetuum assignavi.* tom. I. 632. e.

Leucroy seu *le vroi*, juramenti species, sic dicta à voce quam jurans proferebat. *Vroy, en verité, cela est vrai. Quod si neque scabinos, neque juratos testes habuerit, per* leucroi *eum vocabit, id est sola manu faciet jusjurandum.* tom. I. 830. b. d.

Leuda, consuetudo seu tributum quod penditur pro mercibus. tom. I. 637. b.

Librare, distribuere. Vide tom. II. 477. d. 478. a. b. c. d. & sequent.

Libratio claustri, distributio est quæ singulis fit canonicis ratione præbendæ. *Quod de cetero de illis quatuor solidis Podiensis monetæ qui pro* libratione claustri *consueverunt singulis canonicis exhiberi, cuilibet eorum dentur duo. Reliqui vero duo solidi ratione illius horæ cui interfuerit* librentur *unicuique*. tom. II. 477. d. *Item*, librationes claustri *quas amittent canonici, specialibus distributionibus deputentur.* tom. II. 486. d.

Libratio superpellicii, distributio est quæ fit canonicis pro assistentia in choro. *Clericus semel ad minus in die chorum ipsum teneatur intrare... alias ipsa die qua defecerit, vel proxima qua post defectum hujusmodi clericis primum* librabitur; superpellicii *ipso facto sit* libratione *privatus.* tom. II. 478. d. Vide pag. præced. d. Librationes superpellicii *ipsius ecclesiæ quas amittent canonici, chori servitio deputentur.* tom. II. 485. f.

III. 427. d. Vide & 414. e. 428. b. ejusdem tomi.

Marchare, pignori capere. *Quod nullus sit ausus vos vel prædictum monasterium ... invadere, capere, detinere, impedire*, marchare, *vel pignorare*. tom. II. 595. d. vide tom. I. 1051. a.

Maritagium, dos, gall. *dote*, Maritagia *mulierum revertantur ad heredes ipsarum*. tom. I. 887. *Gaufridus de Dauziaco dedit filiam suam Ansello de Triangulo in uxorem ... dedit in* maritagio *Nulliacum*. to. I. 863.

Matalassium, culcita, gall. *matelas*. Matalassia *de cirico listata*. tom. I. 1525. c. 1527. b.

Mathimonii seu *marthimonii*, mathematici, astrologi. *Januenses & Venetiani navali exercitio præditi ....* matimoniorum *ingenio flagrantes*. tom. III. 276. d.

Matricularius, qui bona ecclesiæ conservat, præcipuè decimas.

Matricularius, custos ecclesiæ. Munus matricularii parochialis ita definit concilium Trevirense can. XIX. cujus titulus talis est: *Pro* Matriculario *habenbendo in parrochiali ecclesia. Quilibet presbyter pastor seu vicarius in quacumque parochiali ecclesia divina celebrans ... clericum vel personam saltem litteratam secum habeat, qui sibi competenter legendo & cantando respondeat in divinis*. tom. IV. 243. b. Et 851. a. *Nequaquam laicus vel clericus uxoratus instituatur* matricularius, *ubi matricula valet LX. solid. Leod. vel amplius, sed clericus honestus non uxoratus si haberi possit*. Vide & pag. 669. b.

Maux-morts, genus morbi in pedibus & tibiis. tom. I. 890. e.

Mazzetta. *In publicum proditurus* (episcopus)... *tunicam lineam quam rochetum vocant, semper induat cum* mazzetta, *ex Innocentii tertii decreto*. tom. IV. 1194. c.

Medietaria, prædium quod colitur à colono partiario. *Non patitur ordinis nostri* (Cisterciensis) *institutum ut* medietarias *præstemus de laboribus nostris functiones, id est ut collocemus alicui seu committamus agros prædia culturas ad medietatem*. tom. I. 580. e.

Medo, hydromeli, aqua mellita, mulsum. *Qui contumeliose dictos repellendo fratres dixerunt quod cum potatoribus* medonis *audacter confligerent*. tom. III. 426. b.

Mellat, ludus quidam in Armorica inferiori usitatus, quem ex parte descriptum habemus in statutis synodalibus Radulphi episcopi Trecorensis, anni 1440. statuto VI. his verbis: *Quidam lusus valde perniciosus & noxius, nuncupatus vulgariter* mellat *cum stropho rotundo grosso & eminenti*. tom. IV. 1151. b.

Mellea, rixa, tumultus, pugna extemporalis. *Ne dicti archidiaconi ... se intromittant nec de ecclesiis seu cimeteriis violatis neque de* melleis *factis in eisdem*. tom. IV. 909. a. b.

Memoriale, monumentum, sepulchrum. Memoriale *vero ejus sive tumbam solemnem statuerunt*. tom. III. 613. e.

Mencaldum, mensura in diœcesi Cameracensi usitata. *Manu operator qui terram cultivam non habet* (debet dare) *unum* mencaldum *frumenti & unum avena ad mensuram Cameracensem*. tom. I. 654. e.

Mensurnus, menstruus, à mense, sicut diurnus à die. *Terris jam* mensurni *imbris resolutis*. tom. III. 1119. b.

Mercatum, nundinæ. Mercata teneri in ecclesiis & cemeteriis prohibet concilium Trevirense anni 1310. can. LXIV. Vide tom. IV. 253. d.

Merconari, mercari, emere, merces comparare, ut opinor. *Et tu ... cum aliquibus qui Deum nesciunt* mercatus *pariter &* merconatus *effusa pecunia*. tom. II. 410. a.

Merrementum, gall. *bois merrein*. *Inhibemus ne quando legitur biblia... clerici aliqui seu canonici* merrementa *seu* ligna *aliena comburere præsumant*. tom. IV. 1071. a.

Meschita templum Mahumetanorum, tom. I. 2·1 c.

Meteria, villa, prædium, gall. *metairie*. Vide supra *medietaria*, vox explicatur. Meterias *terrarum quas cantor acquisivit*. tom. I. 912. b.

Metreta, mensuræ nomen. *Quicumque in prædicta villa novam* metretam *frumenti vel alicujus leguminis seu liquoris facere voluerit, villico quatuor nummos dabit*. tom. I. 831. c.

Michelatus, species nummi aurei Michaelis imperatoris Constantinopolitani imagine signati. *Boamundus revertitur decem myriadibus* michelatorum *vix redemptus*. tom. 3. 203. d.

Migeria, mensura granorum in Hispania. *Item erant tam in monasterio quam in membris quingenta* migeriæ *frumenti, & de alio blado quadringenta* migeriæ. tom. I. 1548. e.

Miles, homo nobilis in ordine equestri.

Minagium, jus quod domino competit pro mensuratione frumentaria per minas. tom. I. 573. b. c. & 809.

Minare, ducere, expellere. *Omnia autem prostibula & eos qui tabernas ad potandum frequentarent .... ab exercitu Christi* ... minabat. tom. III.

Mineria, cuniculus, suffossio. *Insulam obsedit, & sic per trium mensium spatium impugnando eum cum insultibus bellicosis, machinis, sagittis, lapidibus & mineriis parum profecit*. tom. III. 405. c.

Minihium idiomate Armorico immunitatem significat. *Item quia nonnulli .... franchisias, immunitates, libertates* minihii seu asyli *B. Tudguali infringunt, tallias, collectas & alia opera hominibus & vassallis dicti* minihii *imponunt, terram dicti* minihii pillant, *&c*. 1116. e. Vide Historiæ Armoricæ tom. II. pag. 100, 327. 1135.

Ministeriales, ministri villarum.

Miniteres, fossores, cunicularii, tom. I. 786. a. 787. c.

Minoria. *Persolvatur de* minoriis *meis de villa magna & de Brunna, & de Avena, & de Teddes*. tom. I. 573. a.

Mislata, certamen, pugna, gall. *meslée*. *Et si in exercitu vel in curia, vel in via curia vel exercitus* mislata *evenerit, quæ præcedenti ira facta non fuerit, & in ea vulneratus vel occisus fuerit aliquis*. tom. IV. 117. e.

Missa, oratio. tom. IV. 8. c.

Missare. *Præcipimus quod nullus audeat* missare *sponsalia secunda die desponsationis suæ, nisi super hoc à nobis vel officiali nostro receperit mandatum speciale*. to. IV. 908. a.

Missi, legati regii vel imperiales commissarii.

Missoclus, tenue ferculum, gall. *petit mets*, diminutivum *missus*. *Ceteris vero diebus paximati panis mensura &* misoclo *parvum impinguato*. tom. IV. 7. a.

Mitana, chirothecæ species, manicæ, gall. *mitaines*. tom. IV. 1234. c. 1251. b. 1353. c.

Mititas, mansuetudo. *Regalis consuetudinis innata* mititas *benigna compassione subveniat*. tom. I. 1589. d.

Molinagium, molta, gall. *mouture*, jus quod dominus exigit à vassallis pro frumenti molitura. tom. IV. 649. f.

Molinus, molendinum.

Moluta arma, polita, samiata, acuta, to. II. 167. c.

Monachus ad succurrendum, qui in extremo vitæ periculo constitutus, profitetur aliquam regulam. tom. V. 1570.

Monagium sive *monetagium*, tributum à vassallis debitum domino ut monetam non mutet. tom. I. 649. f.

Monasterium, ecclesia. *Femina vestra* monasteria *licenter intrant*. tom. V. 1642. a. Vide tom. I. 1381. e. tom. III. 541. e. 549. c.

Moneta, locus ubi moneta cuditur. *Infra hunc terminum non fabricabitur in* moneta *Autissiodorensi*. to. I. 844. b.

Monopeda, genus hominum de quibus tom. III. 362. d.

Monopolium, statio ubi res una tantum venditur, sæpius instituta in damnum populi. *Inhibemus districtè ne quævis persona .... res & jura ecclesiæ nostræ .... invadat, perturbet, occupet vel usurpet, seu ad id præstet auxilium, consilium vel favorem* monopoliumve, *conspirationem ... ineat, tractet, &c.* tom. IV. 665. *Conspirationes*, monopolia, *consilia, conventicula.* tom. I. 1590. b.

Monstrantia, vas in quo exponitur sanctum Sacramentum. *Iste fecit* monstrantiam *argenteam deauratam, quæ defertur sacrosanctum corpus Christi ipso die ejusdem Sacramenti.* tom. III. 1304. b.

Morabotinus, genus monetæ in Hispania hactenus commune, in Occitania olim notum. *Reliquit uxori suæ* mille morabotinos *qui persolvantur ipsi ab heredibus ejus.* tom. I. 575. b. 1143. d.

Moresc, vox gallica antiquata, *Moretum, moratum*, color subfuscus, nubilus. *Legamus unum pannum aureum* moresc. tom. I. 1523. c.

Moreta, panni subfusci species. *Ne .... abbatissa nec moniales mantella seu sorcocia aperta portent, de cetero nec habeant pannos de nigra bruneta, nec de* moreta. tom. IV. 249. d.

Morsellus, frustum, frustellum, gall. *un morceau.* Morsellum *de manu domini sui recepit .... & ... ad mensam comedit &c.* tom. III. 1812. b.

Morsus, buccella, frustum. *Ego signum crucis super* morsum *murenæ quæ est in disco meo, faciam, &c.* tom. III. 1812. a.

Multrum, homicidium furtive factum, gall. *meurtre.* tom. 3. 167. c.

Mundiburgis, defensio proprie & tutela, immunitas. *Curtis dominica cum omni* mundiburge *sua, ecclesia videlicet cum decimis, salica terra, mansus serviles, &c.* tom. III. 1132. e.

Muragium, vectigal ad muros urbium ædificandos aut reparandos. tom. I. 649. f.

Murdrum, meurtre. *Præsagium hujus* murdri *prætulerunt.* tom. III. 622. c.

Munerius, qui molestrinæ præest, gall. *Meusnier. Filia Bernardi* munerii *de Fuciaco.* tom. III. 1936. c.

Mutatoria, varia ad mutationem ornamenta muliebria. *Partita onerantur* mutatoriis. tom. I. 754. d.

N

Navagium, vectigal e[illegible] navium transitu. tom. I. 649. f.

Nebulæ, oblatæ, panis tenuis, crustula mellita, gall. *oublies*; olim canonicis & monachis ministrabantur certis diebus solemnioribus cum pigmento. *Præpositi dictæ sedis* (Barcinonensis) *& quivis alii qui canonicis ejusdem ecclesiæ nectar &* nebulas *dare consueverunt & debent, dent & dare teneantur cuilibet canonico in festo Paschæ resurrectionis Domini inclusive usque carnis privium adventus Domini exclusive, scilicet in festivitatibus & diebus ejusdem temporis in quibus nectar &* nebulæ *canonicis ministrantur, pro eodem nectare &* nebulis *duodecim denarios, &c.* to. IV. 613. b.

Necchie, navis species in partibus septentrionalibus nota. *Nam diebus paucis evolutis venerunt Daci, Normanni, Franci, Scoti .... gentes bellicosæ .... navibus jocundis quæ* necchie *dicuntur.* tom. III. 283. e.

Neuma, productio cantus in finali littera antiphonæ aut versus, &c. *Cantor monachorum incipiet Kyrie eleison, & monachi cantabunt versum, & canonici* neuma *ejusdem versus.* tom. I. 595. e. Nota hic vocem *neuma* neutrius esse generis, quod favet iis qui eam ducunt à Græco πνεῦμα.

Nodellus, fibula, quoddam etiam ornamenti species virorum & mulierum.

Nola, proprie est campanula quæ in refectorio ad mensam abbatis olim appendebatur, qua is vel lectionis vel convivii finem significabat. Sedere ad nolam in refectorio, est abbatis munus ibidem exercere. *Quod si Subprior jam resederit, ingrediatur* (Prior) *tamen ut ceteri monachi, & retrahente se paululum Subpriore, ad* nolam *sedeat, & suum deinceps officium exequatur; simili modo ad capitulum & ad collationem.* tom. IV. 1143. e. *Prior vel Subprior cum conventus surgit à mensa in loco suo stantes pulsant* nolam *refectorii.* 1717. b. *Abbati nonnisi duæ justitiæ apponantur, & una in cœna, si ibi comederit, excepto eo qui sedet ad* nolam, *cui una poterit desuper apponi.* tom. IV. 1283. d.

Noluntas, non volitio. *Illa eorum non laudanda* noluntas. tom. V. 1618. a. b.

Nonnus, Pater reverendus.

Nonna, moniales.

Novana, novendialia sacra, gall. *neuvaine. Vidit ad sepulturam dicti Philippi facientem* novanam, *&c.* tom. III. 1941. b.

Novellare, res novas scribere, seu annunciare. tom. I. 1744. f.

Nuptiæ, convivia quæ solent fieri post episcopi consecrationem. *Vidit prædictum Hugonem* (episcopum Dolensem (*redeuntem à consecratione sua recipi processionaliter apud Dolum, & quod interfuit* nuptiis *prædicti factis in domo Conani Archidiaconi.* tom. III. 914. c. vide tom. III. 917. a.

O

Oberare, pecuniis corrumpere.

Obedientia, officium claustrale. *Omnes* obedientias *ad conventum pertinentes, videlicet præposituram camerariam, cellariam, thesaurariam, &c.* tom. I. 762. d.

Oblata, panis rotundus in sacrificium offerendus.

Obtalmia, oculorum morbus, à Græco ὀφθαλμία. *Quidam vero patientes* obtalmiam, *&c.* in Vita sancti Edmundi in fine, pag. 1823. b.

Offertorium, oblatio quæ in altari offertur, & à pontifice consecratur.

Offertorium, syndon, linteum quo calix in missa tegitur.

Onera, quædam vini mensura. *Decem vel quindecim* onera *in potationibus &c.* tom. IV.

Opitegium, vestis talaris. *Quicumque clerici utentes* opitegio *seu tabardo folerato usque zonam, & ita brevi quod vestis inferior notabiliter videatur ipsum tabardum teneantur dare.* tom. IV. 794. d. *Vestis eorum* (clericorum) *superior sit* oputegium *vel* opulenda, *longa vestis usque ad talones vel circa, prout volunt canonicæ sanctiones. Habeant manicas longas & in parte anteriori non pendentes vel excisas ad modum joculatorum. Non sint etiam vestes eorum à parte superiori nimis excisæ, vel etiam incolatæ, sicut multi faciunt, ne carnes eorum inverecunde videantur.* to. IV. 508. a.

Opulenda, vestis talaris, vide *Opitegium.*

Oraculum, locus in quo sacræ reliquiæ reponebantur.

Oramen, intercessio. *Ab hac igitur lethifera labe ejus eximi cupiebant* oramine, *qui multos ab inferorum eruit voragine.* tom. III. 1673. d.

Oroma, visio. *Hujus &* oromatis *quæso scelera tenete.* tom. III. 1662. b.

Ortalegium, quæ in hortis nascuntur. *Prohibemus ne aliqui clerici bladum,* ortalegia, *vel qualibet alia decimare præsumant, nisi præsentibus dominis rerum illarum de quibus decima debet dari.* tom. IV. 739. d.

Ostagium, vadimonium, fidejussio. tom. IV. 1447. c.

Ostare, eliminare, expellere, à gallico *oster. Contra hostes eosdem ad* ostandum *& persequendum dictos hostes.* tom. III. 76. c.

Pabulum

P

PAbulum caritativum, convivia aliaque onera quæ vulgo procurationes, apud Cistercienses dicebantur pabulum caritativum, eo quod ab hujusmodi oneribus essent immunes. *Dominus episcopus Autissiodorensis* pabulum *quod dicimus* caritativum, *sibi tamquam debitum omni anno de jure à Rigniacensi monasterio sua diœcesis requirit cum violentia sibi & suis exhiberi.* tom. IV. 1540. d.

Paciarius, pacificator, dignitas ad triennium collata Siciliæ regi Carolo à Clemente IV. vacante imperio. Vide tom. II. 456. f. 457. a.

Pacta, solutio. *Item debeo quinque millia solidorum domui Caciani pro mea sepultura, ut habeant pro illis in* pacta *post natale domini illud pignus quod habeo in sextaria Biterrensi de tribus millibus solidis.* tom. I. 598. d.

Pagamentum, solutio. *Faciant* pagamentum *quolibet anno ad tres terminos ... & fiet istud* pagamentum *Comiti.* tom. I. 1523. c.

Pagnota, est panis distributio quæ ex summi pontificis eleemosinis pauperibus fiebat. *Cum dilectus filius Dominicus de Campo-Cassio ... conduci fecerit certam frumenti quantitatem pro usu nostrorum hospitii &* pagnotæ, *&c.* tom. II. 891. c. & supra pag. 886. a. 888. e. 908. a. *Cum pro usibus nostrorum hospitii &* pagnotæ, *ad quam propter ingruentem ... bladorum caritudinem major solito confluit pauperum multitudo.* tom. II. 905. e. 906. d.

Palafridus, equus gradarius, qui leni passu ducitur, gall. *cheval de main. Fugit ipse Otho imperator eorum in* palafrido, *suum enim dexterarium mira magnitudinis magnique pretii equum occisum à quodam milite reliquit in acie.* tom. III. 402. a.

Palatini, optimates domum principis seu palatium habitantes, gallice *courtisans. Sicut enim* Palatinis... *rectissimum videtur principi suo blandiri.* tom. III. 1696. c.

Pallium, insigne archiepiscopalis dignitatis quod assumitur de corpore, id est de altari S. Petri, in signum unitatis apostolicæ.

Palitium, contexus ac series palorum, gall. *palissade. Nulli licuit* (in Normannia) *facere* palitium *nisi in una regula.* tom. IV. 118. c.

Palmata salis, certa mensura salis. *Solvimus & definimus illas* palmatas *salis quas alibi .... consueverunt percipere.* tom. I. 968. d.

Panciarius, ventriosus; sic metaphorice dicitur qui aliorum spoliis impinguatur, à verbo gallico *panse. Ceterum nullus timeat quod se faciat* panciarium *quem paciarium nominamus.* tom. II. 457. a.

Pannum. Si quis in custodia fructuum terrarum suarum... per se vel per servientem panna *seu vadia accipere voluerit, & ei* pannum *vel vadium denegatum id est sconditum fuerit.* tom. I. 766. b.

Panothi, qui fuerint vide tom. III. 361. c.

Papelardus, scortator, à voce gallica *paillard. Eamus ad* papalardum *illum, & eum cominus videamus.* tom. III. 1191. d.

Papio, canis est silvestris in oriente. *Sunt ibi* (in Palestina) *cameli & bubali abundanter &* papiones *quos appellant canes silvestres acriores quam lupi.* tom. III. 279. b.

Paradisus, atrium ecclesiæ, cemeterium, in cathedralibus sic fortassis dictum fuit presbyterium seu claustrum ubi suas habent canonici mansiones, quemadmodum territorium sancti victoris Massiliensis paradisus nuncupabatur, uti ex variis instrumentis hujus monasterii constat. *Nullus canonicus... habens hospitium in ecclesia prædicta* (Barcinonensi) *possit hujusmodi hospitium locare nec commodare nec alio quovis modo concedere infra locum vocatum* paradisum *alicui personæ nisi canonico vel clerico.* tom. IV. 607. e.

Paradisus, arbor in terra sancta. *Sunt ibi arbores quæ dicuntur* paradisi *habentes folia unius cubiti longa & medii lata, ferentes poma oblonga, & in uno ramusculo centum sese tangentia, & melleum saporem habentia.* tom. III. 279. c.

Parangaria, angariæ sive præstationes jumentorum seu plaustrorum per transversa, dugariæ vero per directa itinera. Vide *Dugaria*.

Parcitas, ærarium, gallice *l'épargne*.
Procurator parcitatis, Ærarii præfectus, Thesaurarius, gall. *Tresorier de l'epargne.* Procurator parcitatis *dictæ ecclesiæ* (Barchinonensis) *percipiat portiones eorum* (canonicorum absentium) *& faciat fieri servitium in absentia eorum, & satisfaciat de portionibus eorum illis per quos faciet fieri servitium prædictum & residuum volumus quod distribuant in usus pauperum.*

Parcolerii. Clerici exercentes vilia officia moneantur in casibus infra scriptis, & inprimis fabri ferrarii & parcolerii, *item sutores sotularium sive sabbaterii.* tom. IV. 191. a.

Paria, est honor seu feodum alicujus loci, ut nobis videtur. *Nec permittent aliquem de inimicis ecclesiæ & nostris in civitatem Agennensem ingressum habere &* pariam *cum eisdem, sed ipsam civitatem deffendent.* tom. I. 885. c.

Parlamentum, collocutio, colloquium ad deliberandum, gall. *pourparler. Comite Flandriæ ipsos nihilominus ad tenendam pacem & concordiam in multis & frequentibus* parlamentis ... *alliciente.* tom. III. 428. c. & alibi passim.

Parliamenta, cœtus, concilia. tom. I. 1636. d.

Partita, clitellæ, ni fallor. Partitæ *onerantur mutatoriis.* tom. I. 754. d.

Pascuagium, jus quod præstatur pro pascuis. tom. I. 573. c.

Pasnagium, census vel tributum pro jure pascendi porcos in sylva domini. tom. I. 647. a. 649. e.

Passagium, transitus, iter institutum, tributum quod a transeuntibus exigitur, peregrinatio ad terram sanctam. *In* passagio *mensis martii primo venturi ad terram eamdem ... profecturi feliciter ad salutem animarum vestrarum, ejusdem terræ negotium, omni occasione postposita transfretetis.* tom. II. 336. e.

Passare, conficere, transigere. *Litteris per eum missis & vicariatus generalis ad hoc per eum* passati *& missi.* tom. IV. 402. a.

Pastillus, caro, piscis seu quodvis edulium farrea crusta inclusum, gallice *pasté. Et sciendum quod flatones &* pastillos *vel caseum, si non est in pulmento, pro pulmentis intelligamus.* tom. IV. 1248. e.

Patella, patella salis, labrum salinum, *cuve de sel. Nulla thelonia de illa eorum* patella *quæ est in Mediano vico.* tom. I. 35. b.

Patimonium, passio. *Per amaritudinem & viam* patimoniorum *salvantur.* tom. V. 1720. a.

Patrinus, qui de fonte aliquem suscipit, compater. Hæc vox passim occurrit tom. IV. ubi de baptismo agitur.

Paulative, paulatim, sensim. *Cardinalis sancti Stephani in Paniscola residens* paulative *& secrete, ut melius potuit, se informavit.* tom. II. 1736. a.

Paximacium, parvus panis sex unciarum, & statutus modus refectionis diurnæ, monachis Ægypti fuere duo paximacia, ut Cassianus scribit Collat. 19. c. 4. Vide tom. V. 1622. c.

Pecia, certum panni volumen. *Nec aliquis clericus, nec nos etiam Archiepiscopus* (Terraconensis) .... *socios nostros induamus de panno, cujus communis* pecia *ultra octodecim libras ... constet.* tom. IV. 323. c.

Pedagium, portorium, portorii reditus, tributum quod pro rebus ad certa loca transvehendis penditur. *Centum solidos eisdem Sanctimonialibus* [de Crisenone] *assignavit in* pedagio *Autissiodorensi.* tom. I. 586. f. *Præcipio ut* pedagiorum *& guidagiorum*

urbe. *Robertum de Robertis* potestatem *eis concedit.* tom. II. 209. d.

Pottus, poculum, gallice *un pot. Ollas, patellas*, pottos, *scutellas ... providere debebat.* tom. II. 757. d.

Potulentus, satiatus.

Poulentia, rostrum calcei. *Non gerent caputia subtus guttur, mulierum more patenter nodulata, sotularesve aut ocreas ad* poulentiam, *id est rostratas.* tom. IV. 984. b. Vide *Poliena.*

Prabenda defunctorum, portiones cibi & potus quæ præbentur monachis vel canonicis die anniversarii defuncti, & ab ipso vel heredibus sunt fundatæ. *Quod si quod breve pro defuncto ipso die legendum fuerit, statim subjungatur, quibus pronunciatis, si* præbenda *pro eis fuerit, dicat lector: habet* præbendam, *vel, habet* præbendas, *quot scilicet annotatas viderit.* tom. IV. 1218. a.

Praconisatio. Preceperat omnibus & singulis personis ecclesiasticis, ut de eorum titulis, præconisationibus, *unionibus .... fidem facere teneantur.* tom. IV. 394. a.

Praplavare, coloniam mittere, gallice *peupler. Cum capta fuit civitas Valentia diximus ... aliquibus hominibus ac militibus quos ibi* præplaveramus *... quod postquam eos ibi hereditaveramus, astimarent nos defendere.* tom. I. 1141. c. *Plavis* planitiem significat, ab hac voce potest duci *praplavare*, quasi planitiei seu territorio præficere & illud dividere. *Fuerunt etiam aliqui* præplavationis *dicti regni, qui tenebant ibi hereditates sibi à nobis datas hermas, & non faciebant ibi personalem residentiam.* tom. I. 1142. c.

Prastimonia, beneficia sunt ecclesiastica & perpetua. *Cum ... magister Bartholomaus de Carpineto ... canonicatum & prabendam ac* præstimonia *&* præstimonialium *portionum in ecclesia .... Astoricensi jamdudum obtinere noscatur, &c.* tom. II. 962. c.

Pratazare, prius numerare, pretium alicujus rei definire. *Nisi certam summam pecunia dandam cum eis monasterio* prætaxaret. tom. III. 1780. b.

Prevendarius, qui possidet præbendam, gallice *prebendier.*

Precaria. Emphiteusis hoc monasterium ... donaverat eo tamen tenore ut ipse & filia ejus Auriana pradicta eumdem locum quamdiu viverent in precaria *haberent.* to. III. 471. c.

Presfoch, vox apud Occitanos olim usitata, forte locatus ager, gall. *ferme. Regularibus vel laicis ecclesiam ad* firmam, *id est à* presfoch (clerici) *concedere non prasumant.* tom. VI. 1066. a.

Pressorium, torcular. *Usum etiam totius sylva qua nostri juris est usque ad* pressorium *eis donavimus.* Concedit igitur talem usum pro quavis necessitate etiam ad opus torcularis. tom. I. 830. a. Simile privilegium lege pag. 647. d. 648. e.

Primicerius, primus in ceram & tabulas relatus. *Primiceria puritatis*, primas tenens inter virgines. *Matri misericordia te devove, &* primiceriam *puritatis amplectere.* tom. III. 1782. c.

Prinsecus. Casula ... ideo unita prinsecus, *non scissa, non aperta.* tom. V. 99. c.

Prisio, carcer. *Rex ... Comitem Flandria in Compendio, Robertum Nivernensem in Bituria & Willelmum in Normannia ceterosque in diversis* prisionibus *fecit strictissime detineri.* tom. III. 406. d. 410. e. 422. e. 426. c. & 435. a. ejusdem tomi. & tom. I. 784. d.

Prisio, captivus, bello captus. *Comes ... fecit* prisiones *suos de Brugis in curru ponere, proponens eos abducere & villam exire.* tom. III. 422. c. *Omnes* prisones *qui capti fuerunt.* tom. I. 858. a. b. c.

Prisionarius, qui in carcere detinetur. tom. I. 1590. d.

Prisionatio, inclusio, injectio in carcerem. to. I. 1590. b.

Proba sive *Credentia*, est prægustatio ciborum, quæ in mensis regum fieri solet securitatis gratia. *Dominus Rodericus in comessationibus mutuis faciebat fieri* probam *sive credentiam dicto domino Ægidio, licet sibi non consuevisset fieri* proba *sive credentia, nec esset status seu dignitas quod ei fieri deberet, unde assistentes prasumpserunt ... fore verum quod dictus dominus Rodericus promiserat eidem domino Ægidio ipsum facere papam.* tom. II. 1731. d.

Processionales pœnitentia, pœnitentiæ publicæ species, quæ in statutis synodalibus ecclesiæ Meldensis inhibentur, statuto LXXIV. tom. IV. 983.

Prochirium, sporta amanuensis, *petit panier. Septem paximatiorum paria in* prochirio *id est admanuensi sporta reponuntur.* tom. V. 1622. d.

Procuratio, convivia episcopis & archidiaconis ecclesias visitantibus à rectoribus seu curionibus debita. *Nulli capellani vel laici nobis vel archidiaconis vel presbyteris nostris ecclesias visitantibus, praterquam illi qui sunt de familia nostra & ipsorum, in* procurationum *refectione remaneant.* tom. IV. 755. e. 768. e. *Item pracipimus presbyteris omnibus ne recipiant Decanos ad* procurationes *nisi cum duobus equis.* tom. III. 606. e.

Promissarii, sic vocantur præbendarii seu sacerdotes stabiliti ecclesiarum parochialium in statutis synodalibus ecclesiæ Argentinensis, statuto XII. *Statuimus ut* promissarii *seu prabendarii ecclesiarum parochialium suis plebanis seu viceplebanis reverentiam exhibeant.* tom. IV. 532. e. vide & 533. b.

Pronus, familiaris ad populum de rebus fidei oratio, quæ singulis dominicis in ecclesiis parochialibus fieri solet. tom. I. 926. b.

Propina, apud Alemannos est oblatio alicujus partis de fructibus primi anni majorum prælaturarum ab iis qui promoventur Papæ ex consuetudine debita, quæ juxta vulgare Italicum dicitur servitium commune. Vide Nic. de Clemangis, de Annatis non solvendis. pag. 84.

Proposta. Haretici & pra omnibus Symoniani qui ex accepta virtute spiritus sancti faciunt sibi propostam *ad solum negotium saculi, &c.* tom. V. 741. a.

Prosceneta, scenicus actor. *Ne clerici exerceant negotia turpia & officia inhonesta, qua non decent clericos, qualia sunt hac .... officium cambitoris, carnificis, tabernarii*, proscenetæ, *&c.* tom. IV. 853. e.

Protocollum, registrum seu liber in quo acta publica referuntur. *Omnia testamenta parochianorum vestrorum ... afferatis seu mittatis grossata in forma prout decet & ... de dictis testamentis seu eorum effectu faciatis registrum seu* prothocollum *quod penes vos remaneat.* tom. IV. 918. e. Vide *Creanta.*

Proxeneta sive *proseneta*, cursor, legatus. *Mutuum quari fecimus quantum possumus, nostris & tuis interpositis* prosenetis. tom. II. 153. e.

Pulsabulum, pulsatio. Pulsabulum *quoque campanarum intermittendum erit.* tom. I. 493. f.

Pulveraticum, tributum quod à transeuntibus in certis locis exigitur. Vide *Pedagium. Neque in ripatico, neque in cespatico, neque in* pulveratico, *neque in telonio.* tom. I. 95. b.

Puncta, acumen, mucro. *Qui cutellum cum* puncta *portaverit, nisi sit venator vel coquus vel macellarius .... emendare debet.* tom. I. 767. d.

Punctuarius, is est in Cathedrali qui absentes à choro notat, sic dictus quod eorum nomina subula pungat. tom. II. 480. f.

Punitas, punitio. *Puniendus* punitati *subtrahitur.* tom. III. 825. a.

Q

Quadrellus. Castella lignaminum, gattos & innumerabiles quadrellos *de balistis unius pedis.* tom. III. 90. e.

Quarentena, spatium quadraginta dierum, gall. *quarentaine. Adjunctum est quod si non emendarem infra duas* quarentenas, *postquam de hoc fuissem requisitus.* tom. I. 865. e.

Quarta, præstationis agrariæ species, mensura frumentaria, mensura vinaria, mensura seu modus agri, unde *Quarterium*. Item, quarta pars redituum ecclesiasticorum, decimarum ecclesiasticarum. *Ad audientiam apostolatus nostri pervenit quod cum monachos S. Savini excommunicationi decrevimus subjacere pro restitutione* quartarum *ecclesiarum quæ venerabili fratri nostro Bigoritano episcopo fuerant adjudicata*. tom. I. 458. c.

Quartanarius, qui quartana laborat. *Cujus vocis virtutem persensit illa* quartanaria, *quæ numquam postea molestiam aliquam pertulit à quartana*. tom. III. 1814. c.

Quarterium, mensura frumentaria. *Ubi frumentum venale aut avena invenitur, viginti solidis comparatur* quarterium. tom. I. 604.

Quarterium, modus agri quartam jugeri partem continens. *Pro tribus* quarteriis *terræ ... dedimus*. to. III. 1187. c.

Quarternus, chartæ invicem compactæ, foliorum complicatorum quaternio, gall. *Cayer. Tenor vero præfati* quarterni *papyri responsionem & apostolos de quibus supra fit mentio, continentis ... est talis*. tom. II. 1585. a.

Quaternus, synodalis liber est seu registrum, in quem referuntur statuta synodorum; sic liber synodalis in diœcesi Nannetensi appellatur. *Omnibus & singulis personis curatis nobis subditis & eorum capellanis .... ut* quaternum *qui dicitur synodalis in quo continetur instructio simplicium sacerdotum ab antiquis patribus ordinata, saltem quater in anno studeant ... præcipimus*. tom. IV. 953. b. 978. a. 980. b.

Quidagium seu *Guidagium*, præstatio pro securo transitu. *Præcipio ut pedagiorum &* quidagiorum *exactiones penitus dimittatis .... nec dimissa pedagia seu* quidagia *resumatis*. tom. I. 815. e. 816. a.

Quietare seu *quittare*, cedere, renunciare alicui juri. *Simon de Nealfa .... quidquid in potestate ecclesia de Basenvilla habebat in dominio ....* quietavit *& dimisit*. tom. I. 588. c. 589. a.

Quietatio seu *quittatio*, renunciatio, cessio pacifica alicujus juris. tom. I. 589. a.

Quittus, absolutus, liber. *Sit libera &* quitta *atque francha*. tom. I. 1526. c.

Quoerfare, colligere. *Dictos exemtos & non exemtos ad dictos denarios* quoerlandos *in vim & autoritate dicti nostri consilii provincialis solvendum, cogendum*. tom. IV. 401. b.

Quoqueluca, species vestis laxioris, quæ ceteris vestibus superaddebatur, & caput ipsum tegebat. Quoquelucas ad terram usque protendentes habere clericis interdictum, in statutis Harduini episcopi Andegavensis, statuto XVI. tom. IV. 528. c. *Prohibemus universis & singulis personis ecclesiasticis ... ne ... in latere atque retro* coquelucas *ac retro fixas zonas auro cum clavis clavatas .. habere & deferre .... præsumant*. tom. IV. 527. d.

Quotinocturnus, quod fit singulis noctibus. *Redintegrato sicut soliti quotidiano, vel ut ita dicam*, quotinocturno *calle*. tom. III. 126. d.

R

Rachatum, redemptio, ex gallico *rachat*; certa pecuniæ quantitas quam heres vassalli demortui domino præstat pro obtinendo feudo paterno; quæ quidem pecunia in Cœnomania, &c. à domicella ante matrimonium non exigebatur. *Quando contigit in comitatu Andegaviæ & Cœnomanniæ & Turoniæ quod terra accedit alicui domicillæ, quod vos potestis & debetis illam maritare .... & ille qui domicillam habuerit, debet finire vobiscum de* rachato. tom. I. 805. a.

Rata, pars, portio. *Dum itaque Comes recessit à Flandria & Comiti promissa donaria Scabini & Procuratores popularibus imponerent* ratas *suas ad exhibendam pecuniam, &c.* tom. 3. 416. b.

Rauba sive *Raupa*, vestis talaris, gall. *robe*. Raubam *nostram de scarlata sanguinea cum caputio*. tom. I. 1524. d. *Bona nostra mobilia, sicut sunt Roussini ....* raubæ *nostri corporis, vaxella auri, &c.* to. I. 1633. b. *Quod portantes de novo à modo superpellicium in ipsa ecclesia habeant* raubam *novam ad minus scilicet superpellicium & capam ecclesiæ*. tom. II. 485. c.

Rauba, spoliatio, deprædatio, à verbo *raubare*, id est diripere.

Reatus pannus, idem qui scacatus, *rayé*. *Pannis de serico transgulatis seu* reatis *à modo non utantur*. tom. II. 485. e.

Recelare, occultare. *Super quibuscumque aliis excessibus & forefactis ... hucusque* recelatis *... vos informetis*. to. II. 1389. b.

Recidizare, in morbum relabi. *Tota sana facta est .. nec* recidizavit, *&c.* tom. III. 1942. c.

Recompensa, merces, gall. *recompense*. *Placeat ... providere quod condignam* recompensam *à Prælatis .... suscipiant*. tom. II. 1542. b. & paulo infra ... *ut oratores ipsi, prout est rationi consonum*, recompensam *hujusmodi .... effectualiter consequantur*.

Recomputare, revocare in memoriam. *Qui statim ordine* recomputato *ad confessionem eorum quæ viderat, &c.* tom. III. 827. d.

Recreator, redemptor noster Jesus-Christus. tom. I. 877. c.

Recredere, laxare è custodia, *elargir*. *Dictos homines* recredas *usque ad proximum parlamentum*. tom. I. 1257. a.

Recussa. aggressio. *Si gentes nostræ ... aliquid fasiant, ... fierent aut fient gentibus nostris violenta* recussæ. tom. I. 1251. b.

Reddituare, reditus annuos concedere.

Redundelli, vestis species. *Monemus omnes & singulos rectores, presbyteros & alios beneficiatos nostræ diœcesis maxime religiosos, ne de cetero deferant* redundellos *nisi devium longum in modum habitus*. tom. IV. 798. e.

Refundare, reficere à fundamentis, restaurare. *Ad restitutionem usque* refundare *dejecta*. tom. I. 1697. b.

Refutare crimen alicui, imputare, ipsum arguere criminis reum. *Contra eumdem dominum Benedictum eadem crimina quæ in Pisano conventiculo .... in dicto generali concilio Perpiniani convocato & celebrato* refutaverunt, *& duas hæreses eidem .... impingere ausi sunt*. tom. II. 1728. c.

Regestrum, liber in quem regeruntur acta publica & quæ qualibet die contingunt, commentarii. *Unusquisque Curatus in sua parochia per totum anni circulum in suis* regestris *omnium decedentium in sua parochia nomina .... describat*. tom. IV. 389. e. vide 386. ejusdem tomi.

Regnies, vox gallica. Regnies *ou de personnages*. tom. I. 1807. e.

Regulare se, se conformare, sequi. *Ne deinceps mandata contra juris formam & stilum curiæ Eduensis, secundum quem* regulare se *debent, concedere audeant*. tom. IV. 506. a.

Relevagium seu *relevium vavassoris*, genus servitutis qua tenetur filius equum parentis, qualem habuit tempore mortis suæ, ejusdem loricam, &c. domino suo dare. *Exceptis placitis*, relevagiis, *& servitiis vavassorum*. tom. I. 861. a.

Reliquiarium; theca sacrarum reliquiarum, gall. *reliquaire*. *Legamus ... unum nostrum vas argenti deauratum ... de quo fiat unum* reliquiarium *argenti*. tom. II. 1523. d.

Remanentia, mansio, habitatio. *In prædicta villa nullus .... recipietur pro* remanentia *facienda*. tom. I. 829. a.

Remelinum. *Assignamus .... omnes reditus nostros civitatis Cæsar-augustanæ cum salinis & castello & de villa & de* remelinis

remelinis. tom. I. 1122. d.

Renduale, quod solvitur quotannis. *Usque ad summam & valorem quingintarum librarum Turonensium parvorum* rendualium. tom. I. 1475. e.

Repatriare, redire in patriam. *Quicumque* repatriare *voluerit, quacumque habuerit, vendere vel dare poterit, & sub pracepto villici ... liber abibit.* tom. I. 1525. a.

Repentalitia vulgo *repentalia*, mulcta qua afficitur is qui à pacto matrimonio recedit. *Non fiant sponsalia sive fidentialia cum* repentalitiis, *quia libera esse debent matrimonia, nec metu pœna astringi.* tom. IV. 821. a.

Repentida, feminæ ob flagitia & pravos mores inclusæ. *Legamus congregationi* Repentidarum *Narbona unum florenum.* tom. I. 1525. a.

Represalia. tom. I. 1768. c. idem quod *Reprensalia.*

Reprensalia, potestas pignerandi de terra debitoris concessa creditori. *Persona singularis ipso facto excommunicata est, & Universitas interdicta qua concedit* reprensalias *sive marchas id est pignorantias fieri contra personas ecclesiasticas.* tom. IV. 744. c.

Requestarum gentes, hospitii regis supplicum libellorum magistri. tom. I. 1386. d.

Resconsa, aggressio, violentia. Resconsas *vero & injurias factas per gentes suas ... emendavit nobis.* tom. I. 1234. f.

Rescousse, vox gallica idem significans quod *Reconsa. A nul doute que la ville n'eut été* rescousse. to. I. 1823. e.

Responsalis, Responsor, is qui absentem excusat. *Qui pro alia causa quam pro infirmitate de capitulo remanserint, pro se* responsalem *non mittant.* tom. IV. 1263. e. vide 1452. b.

Ressortum, jurisdictio, gall. *ressort. Cum intentionis nostra non sit in terra pradicta habere nisi homagium &* ressortum. tom. I. 1243. c. *Salvis nobis* ressorto *& superioritate pradictis.* ibid. d. Vide & pag. 1256. d.

Restabilire, restituere, redintegrare. *Ac bonam famam ipsorum* restabilimus. tom. I. 1593. a.

Resultare, resistere. *Gloriosus Deus ... cui nemo audet dicere cur ita facis, quamvis multi tentent* resultare *his qua ipse facit.* tom. I. 453. a.

Retrodecima, decima decimæ. *Nonnulli* (domini) retrodecimam *seu aliam certam partem de fructibus quos homines ecclesiarum & locorum ecclesiasticorum colligunt cum maximis laboribus & expensis ab ipsis hominibus invitis indebite exigunt.* tom. IV. 317.

Revestiarium, vestiarium, vox monastica. *Proventibus qui ad* revestiarium *suum .... pertinent.* tom. I. 1261. e.

Revestrati calcei. Non autem deferant (sacerdotes) *calceos* revestratos. tom. IV. 377. c.

Reyretaule, vox gallica obsoleta. Reyretaule *trium postium.* tom. I. 1523. d.

Ribaldus, sic apud Gallos, abjecti, scortatores, fures, exules, fugitivi, excommunicati, vilissimi denique hominum dicebantur, & vitiis obnoxii, mimi etiam & joculatores. Sic tom. IV. 177. a. *Statuimus quod clerici* ribaudi *maxime qui dicuntur de familia Golia per episcopos ... tonderi pracipiantur.*

Ribansdequins, vox gallica. Ribansdequins *& leur artillerie.* tom. I. 1815. b.

Richi homines, sic vulgo nominantur Proceres Aragoniæ, à voce gallica *riche. Jacobus Dei gratia rex Aragonum .... dilectis* richis *hominibus, castellanis, &c.* tom. I. 1554. d.

Rigata vestis, vestis est sinuata sive multipliciter plicata; quo sensu concilium Salzburgense anno 1420. cap. 6. vide Cang. Potest etiam rigata vestis dici ea quæ dicitur scacata, id est variis colorum lineis distincta, uti tom. IV. pag. 240 & 241. a. *Quamplures presbyteri, canonici & clerici* rigatas *& scacatas vestes gestantes .... venerabile signum clericale ... deferre prasumptuosa superbia vilipendunt .... firmiter inhibemus ne deinceps hujusmodi vestes* rigatas *&* scacatas *.... de cetero deferre prasumant.*

Rigmeries, vox gallica, *farce*, tom. I. 1805. f.

Ripaticum, tributum quod accipitur in ripis pro ipsis tuendis & continendis, seu pro facultate ipsas terendi. tom. I. 95. b.

Rivagium, tributum quod accipitur in ripis pro facultate ipsas terendi ad subvehendas naviculas, &c. Vide Cang. in voce *Ripaticum. Immunes ... à venda, pedagio, passagio,* rivagio, *fossagio.* tom. I. 647. a. Vide infra 649. f.

Roisnatus, læsus, *estropié. De homine* roisnato, *vel de membro fracto quinquaginta solidi denariorum donandi sunt.* tom. I. 707. e.

Romana lingua, id est vernacula. *Addidit tamen quod dixit professionem in lingua* Romana *& in latina.* tom. III. 915. d.

Romanum verbum sive *Romantium*, lingua materna, vulgaris. *In* Romano *verbo sub hac forma laicos doceant sacerdotes debere frequenter baptisare pueros, &c.* tom. 4. 931. c. & 1079. e. eadem verba repetuntur. 963. c. *In* Romancio *exponant constitutionem apostolicam incipientem,* Quoniam intelleximus.

Roncea, rubus, sentis, gall. *ronce.* tom. I.

Rotaticum, vectigal pro rotis, gall. *droit de rouage.*

Rotulus, carta, instrumentum. *Item dominus Ludovicus reddat domino regi* rotulos *de scacario cartas Judaorum.* tom. I. 858. d.

Roussinus, equus minor, plura videsis in Cangio. *Bona nostra mobilia sicut sunt* roussini, *rauba nostri corporis, vaxella auri, &c.* tom. I. 1633.

Rubtarius, ruptor, infractor pacis. *Exceptis latronibus, raptoribus,* ruptariis, *infractoribus pacis, homicidis, &c.* tom. I. 967. c.

S

Sabana, linteum candidum & villosum. *Membra parvoli* sabana, *id est candido ac villati linteo exterguntur.* tom. V. 98. c.

Sabbaterii, veteramentarii sutores, à voce gallica *Savetier. Item sutores sotularium sive* sabbaterii. to. IV. 191. a.

Saccamannum, videtur idem significare ac direptio, *sacagement. Qui ad domum prafati domini Cardinalis postea pergentes ... posita fuit ad* saccamannum *in Luca, & familiares ejus capti, &c.* tom. II. 1396. b.

Sacretarius, Sacretaria, ecclesiæ custos. ... *Qua ad* sacretariam *ecclesia Romaricensis pertinebant, quam nos proprie custodem ecclesia vocamus.* tom. III. 1187. c.

Sacristaria, sacristæ munus monachicum cum reditu. *Universa qua* sacristariæ *vestra obedientia possidet .... eidem obedientia .... conserventur.* tom. I. 391. c.

Sagimen, adeps, arvina, gall. *sain. Duo pulmentaria cocta habeat quarta* sagiminis, *prout consuetum est, confecta.* tom. I. 974. d. Usus sagiminis Cisterciensibus interdictus; vide Statuta Cap. gener. tom. IV. 1252. b.

Sagio, apparitor. *Quod aliquis vel vicarii vel bajuli vel nostri locum tenentes vel* sagiones *seu nuncii curia nostra vel suarum non possint ... distringere eos.* tom. I. 1051. b.

Saisire, investire, in manu regis ponere, gall. *saisir*, capere, occupare, recipere. *Mansum cum vinea ....* saisiri *fecit, & super altare Belli-prati fecit offerri.* tom. I. 583. d.

Saisina, jus investiendi. *Etsi ... non possint scire ad quem debeat spectare donatio ecclesia de jure patronatus, ipsi dicerent quis ultimam fecerit prasentationem ecclesia, & inde ille habebit* saisinam. tom. I. 804. c.

Saissagnesia carreria, strata ad urbem sancti Aniani in Occitania, gall. *S. Chinian.* tom. I. 967. e.

Salagium, consuetudo salis. *In* salagio *de Malliaco.* to. I. 842. e.

breve. *Reprehendimus presbyteros qui per parochias vadunt in supertunicalibus apertis nimia brevitate notandis & in* sigaudis, *& etiam in habitu tali coram nobis venire non formidant, in quo habitu potius videntur arbalestrii vel pugiles, quam clerici vel presbyteri.* tom. 4. 806. c.

Signum, campana. Signorum *pulsu plebem ammirantem convocant.* tom. III. 1088. c.

Silla, Schilla, Skella, Squilla, campanula, nola. *Sedere in refectorio ad sillam*, est sedere in mensa abbatis seu prioris, prope cujus sedem, pendet. vide tom. I. 410. b.

Solerium, domus contignatio. *Possint facere pilarios lapideos... contiguos dictis muris, in quibus possent trabes, tigna*, solerium, *& tectum domuum suarum apodiare.* tom. I. 1160. d.

Soliva, trabs, gallice *solive. Quæ vulgo* soliva, *quasi quia per solum vadat, nuncupatur trabs, fissa latus alterum enervat, &c.* tom. III. 187. c.

Sommarius, equus fascinarius. *Sola jacula & sagittas viginti millia* sommariorum *ferre vix possent.* tom. I. 828. a.

Soprisa. Nec de cetero ecclesiasticorum soprisas *tolerabunt.* tom. I. 948. b.

Sorcotium, vestis genus, *surcot.* Cang. *Ne abbates vel monachi mantella seu* sorcotia *aperta portent de cetero.* tom. IV. 249. d.

Spata, gladius, gall. *épée.* Placitum de spata, vide *Placitum.*

Sortes Apostolorum, vide *Apostoli.*

Sortiarius, magus, veneficus, tom. IV. 155. c.

Springalis, ballistæ species, gall. *Espringale. Quod sagittis & telis, machinis minutos lapides projicientibus, &* springalibus *eos mirabiliter infestabat.* tom. III. 410. e. vide 411. a.

Spatula. Pœnitentia manducandi vel dormiendi in una domu vel spatula *cum laico laicave.* tom. IV. 22. c.

Squilla, campanula. *Pulsetur unus classus cum cymbalis sive* squillis *juxta ecclesiarum facultates.* tom. IV. 663. b. vide & 112. a. ejusdem tomi.

Stallum, sedes seu locus ad sedendum in choro. Stallum abbatis, sedes abbatialis. Hæc vox sæpius occurrit in statutis Capit. gener. ordinis Cisterciensis: sic Capit. anni MCCXIX. *Abbas sancti Cypriani... xl. diebus sit extra* stallum. tom. 4. 1293. d. *Abbas Morimundi... xl. diebus sit extra* stallum *suum. in Morimundo.* ibid.

Staminium, lanea interula monachorum. *Similiter froccos &* staminia *ex regula non habetis, illa vero vestis quam cucullam appellatis &c.* tom. V. 1639. a.

Standarus, exercitus præcipuum vexillum. Standarum *altissimum draconem desuper præferentem Comes secum super currum rotarum quatuor duci fecit.* tom. III. 391. c.

Staupus, mensura justitiæ vini. *Abbas cellarium ingressus mensuram potus aream inibi pendentem reperit, cumque à cellerario* staupum *justitia fratrum esse cognovisset &c.* tom III. 1143. b.

Staurum, penu, Anglis *store*, nostris *provision pour la nourriture. Archiepiscopatus... quem propterea quasi totaliter in* stauro *destitutum & velut inanem & vacuum reperit, &c.* tom. III. 1823. b.

Sterifius, stapes gallice *estrier. Cumque puer non valens residere ad terram decidisset, pes ejus* sterifio *sive ascensorio sellæ inhæsit.* tom. III. 1127. e.

Stolium, exercitus navalis, classis. *Quod si maluerit ecclesia... navali immutari exercitu prædictos milites, debita taxatione præhabita in navale* stolium *commutetur.* tom. II. 231. f.

Strata, via lapidea.

Strepa, Stapes cui insistunt pedes equitantium. *De equo* strepam *humiliter tenuit.* tom. I. 451. c. *Cum abbas de equo suo descenderit,* strepam *suam tenebit.* tom. I. 1038. e.

Strumentum, instrumentum. *Per* strumenta *emtionis adquisierunt.* tom. I. 59. f.

Strunus, loculus, feretrum. *Vidit in somnis duos loccellos seu* strunos *pro mortuis ab angelis in cœlum deferri, ex hoc cum evigilasset conjecturans illorum obitum.* tom. III. 604. c.

Stupha, stupa, stuba, balneum calidum, vaporarium, gall. *estuve*, hinc *stuphari*, balneo uti. *Considerantes quod* stuphæ *pontis tronati præsentis civitatis* (Avenionensis) *sunt prostibulosæ... statutum... inhibitum homines conjugatos ad ipsas* stuphas *non audere* stuphari, *&c.* tom. IV. 385. a. vide 527. e.

Stuphæ apud Germanos dicuntur tabernæ seu loca ubi fiebant potationes, eo quod in tabernis sint æstivalia seu hypocausta; inde nata vox apud eosdem *trinkastuben*, à verbo *trinkein*, quod est bibere, & *stuba* hypocaustum. *In* stupis *virorum quæ dicuntur* trinkastuben. tom. IV. 550. b.

Subdariolum, linteolum, manutergium. *Missale...: habeat* subdariolum *vel manutergium dependens, quo presbyteri nares, os & faciem detergant.* tom. IV. 838. c.

Subterrare, humare, humo tegere, gallice *enterrer. Rogans eum & obtestans ut ubi natura sors humanis eum rebus eximeret, corpus suum... ibidem cum monachis* subterraretur. tom. III. 467. a.

Subtitulatus, subscriptus, subsignatus. *Astantibus in Palatio nostro, quorum nomina* subtitulata *sunt.* tom. I. 402. b.

Summare, monere, denunciare. tom. IV. 358. c.

Superpellicium, vestis linea qua utuntur clerici in ecclesia, gallice *surplis.* tom. IV. 387. d.

Superpellicium dare, clericum est facere, seu admittere inter clericos & canonicos. *Quod nulli in ipsa ecclesia* superpellicium concedatur, *nisi de legitimo matrimonio.* tom. II. 483. d. & infra. *Quod quilibet clericus cui à modo* superpellicium concedetur, *juret capitulo ipsius ecclesiæ fidem servare.*

Superpositio, strictior abstinentia, jejunium superadditum jejunio regulæ vel ecclesiastico. Vide Cangium. *Si monachus exundante ventre evomuerit sacrificium in die cœnam suam non præsumat, & si non infirmitatis causa*, VII. superpositionibus, *si infirmitatis & non voracitatis causa* IV. superpositionibus *deleat culpam.* tom. IV. 7. d.

Supertunicale, vestis quæ tunicæ superponitur. *Ne habeant* supertunicalia *inferius aperta publice apparenda vel apparentia.* tom. 4. 898. d.

Supplicare, vox in monasteriis usitata, significatque profunde inclinare. *Ille qui juxta abbatem sessurus est, humilietur profunde de loco suo versus abbatem, & sic resedeat, & ita faciat in omnibus locis qui juxta eum sedere voluerit, excepto in ecclesia, nam ei fratres non* supplicant, *nec ad missas, neque in dormitorio, sed nec nocturno tempore.* to. 4 1217. c. *Quoties frater ante crucem, altare, sacrosanctas reliquias transit, totiens* supplicare *debet humiliter & profunde.* tom. IV. 1231. b. vide tom. V. 1826. d. 1827. d.

Susum, superius. *Sola itaque frons urbis phœbo nascenti obnoxia, ad medium sui, id est à porta jusum, accessum patitur, nam à porta* susum *rupis abrupta præcipitium, &c.* tom. III. 144. c.

Symbolisationes, vox usitata in ordine Prædicatorum ad designandas illicitas fratrum colligationes & seditiosas societates, vide tom. IV. 1946. e.

Synodus sive *Synodale*, census quem episcopo clerici in synodis annuis pendere solebant. *Quilibet vestrum antequam recedat* (à synodo) *solvat* synodalem *& cathedraticum &c.* tom. IV. 575. d. 580. d.

T

T*Abardum*, pallium, epitogium, *Cum quidam sint laici in civitate Trevirensi qui sub prætextu cujusdam religionis fictæ begardos se appellant, cum* tabardis *& tunicis longis & longis capuciis cum otio intendentes.* tom. IV. 250. d. *Omnibus prohibemus ne*

jurisdictionis fines. *Donavit .... medietatem honoris vel trictura quam ipse habebat in Prioratu vel honore S. Pauli.* tom. I. 575. d.

Trinkastuben, dictio Germanica composita ex *trinkein*, bibere, & *stuba*, hypocaustum, significatque tabernam, vide *Stupha*.

Tripodare, gradus baculo veluti tertio pede firmare. *Baculo sustollente, vivum cadaver segniter ac fatigabiliter* tripodabat. tom. III. 821. e. vide & pag. 825. a.

Troita, piscis, truta, gall. *truite*. *Ne quis de ordine nostro* troitas *comparet in lacu Lausanna.* to. I. 1293. b.

Tromperia, dolus. *Et dictum fuit quod incivile est &* tromperia *quodam modo facere plenum procuratorium pro aliquo & ad partem facere restrictionem.* tom. II. 1356. a.

Trufari, jocari, deridere. *Diligunt proditiones, sed valde odiunt proditores & contemnunt, & de his* trufantur *& cavent.* tom. II. 1454. c. *Immo etiam rustici & populares ubique subsannant &* trufantur. tom. II. 1464. a.

Trufa, joci, nugæ. *Per carrerias publicas vacant* trufis, *cachinnis & verbis fabulosis & inutilibus.* tom. IV. 564. c.

Truffa, fraus, fallacia. *Multa ex hoc* truffæ *& deceptiones committuntur.* tom. IV. 251. b. 1140. d.

Truffator, fallax. *Nonnulli abusores sive* truffatores *sub fictis coloribus, &c.* tom. IV. 1140. d.

Trumulieres, loricæ triplici macularum ordine confectæ. *Do & lego ... unam integram armaturam... meam gorgretam, meas buculas, meum gaudichetum, meas* trumulieres dacier. tom. I. 1306. a.

Truncus, sic vulgo appellantur capsæ, quæ ad recipiendas fidelium eleemosynas in ecclesiis prostant. tom. IV. 376. a.

Tuchinus, rebellis, *Tuchinatus*, rebellio. *Capitaneorum* Tuchivorum (*leg.* Tuchinorum) *& aliorum rebellium ordinationes.* tom. I. 1590. c.

Turbo, niger cespes, qui vicem carbonis præbet in certis provinciis, in Picardia, &c. gall. *tourbe*. *Officium Granatarii omnia ædificia monasterii sustentare. ligna,* turbones, *minora luminaria per hospitium & cameras providere debebat.* tom. III. 771. a.

Turquemen, interpres. *Tertia die* turquemen, *id est interpretem respondet nuntiis.* tom. II. 271. a.

V

VAdium, cautio, securitas, fidejussio, pignoratio, repressalia. *Valletis de Riveria terram quam habemus in* vadio, *quittamus.* tom. I. 868. b. *Humbaldo ... quittamus terram suam quam pro ducentis libris in* vadio *habemus.* ibid.

Vadium duelli, id quod vice pignoris in medium accusatus projiciebat ad probandum duello seu monomachia innocuum se esse; is vero qui colligebat, eo ipso duellum amplectebatur. *Hominem suum rehabebit sine* vadio duelli *dando, & sine alia lite.* to. I. 129. c.

Vadiare, componere, judici mulctam dare.

Vaissilomentum, vasorum supellex, gallice *vaisselle*. *Exceptis tamen & retentis ...* vaissilomentis *meis argenteis omnibus, totalibus, quæcumque habeam, utensilibus, &c.* tom. I. 1306. e.

Valitor. *Intendimus ipsum juvare contra prædictum regem & quoscumque* valitores *suos.* tom. III. 88. a.

Valletus, famulus, tom. I. 868. b.

Vammum. *Nulli licuit inimicum quærendo vel* vammum *capiendo, vexillum vel loricam portare.* tom. IV. 118. e. *Nulli liceat in Normannia haufare facere vel incendium vel raptum mulieris vel* vammum *capere, quin fieret inde clamor.* 119. a.

Vandegia, *Vandagia*, indumenti genus tibias & pedes operiens. *Pedules de corio omnibus omnino interdicuntur, & de* vandegiis *sententia scripta teneatur.* tom. IV. 1285. b. *Inhibetur ... universis ordinis nostri personis ne* vandagia *sive sotulares sine corrigiis portare præsumant.* 1411. d.

Vans, vox gallica obsoleta, navis species. *Dixhuit à vingt* vans. tom. I. 1820. c.

Vassallus, cliens, qui pro beneficio accepto fidem suam obligavit.

Vavassor, vassalli feudales. Vide Cangium. *Hoc idem stabilitum fecit de castellanis &* vavassoribus, *qui habent castella vel domos fortes.* tom. I. 826. c.

Vaura. *Et terras quas habebant in* vaura. tom. I. 809. c.

Vaxella, vasorum supellex, gallice *vaisselle*. *Legamus capellæ S. Andreæ ecclesiæ de Crassa pro quadam quantitate* vaxellæ *argenti quam .... mater nostra dictæ capellæ S. Andreæ legavit, &c.* tom. I. 1632. a.

Velotum, sericus pannus altera parte villosus, gallice *velours*. *Abstineant* (scholares Universitatum) *ab effrenatis & inhonestis habitibus eorum, puta barretis rubeis, vestibus fronsatis & camisiis necnon caligis* veloto *ubique circumdatis.* 380. b.

Venda, tributum quod præstatur pro quibuslibet mercibus quæ in foris & nundinis venduntur. tom. I. 646. c. 647. 649. f.

Vermellum, roseus color. *Moresc* vermellum *foratum.* tom. I. 1523. c. 1525. c.

Vertapes, morbi genus, sic vulgari idiomate dictum. tom. I. 888. f.

Vertibulorum compages, vertebrarum compages. *Nam &* vertibulorum *compages immensum dedere crepitum in restaurando suis locis.* tom. III. 1033. d.

Vertigilensis, Trecorensis. tom. I. 627. a.

Viagium, iter, gallice *voyage*. *Si vero contingat dictos commissarios aut eorum aliquos ultra dictos quatuor menses in dicto* viagio *instare, &c.* tom. II. 1540. c. Vide tom. I. 1720. a.

Viceplebanus, curionis vicarius. tom. IV. 532. e.

Viella, rotata sambuca, instrumentum musicum.

.... *Sistris respondent cymbala dulces,*
Organa concordant voces, lyricisque viellæ
Contendunt odis. ... tom. III. 315. e.

Vigaria, jurisdictio vigerii seu domini viarum. Vigaria *Albiensis.* tom. I. 1843. a.

Villicus, Major seu judex villæ. *Et sub præcepto* villici *coram scabinis si amplius burgensis esse noluerit.* tom. I. 850. b.

Vinagium, præstatio certæ vini mensuræ pro vineis, quæ domino feodi solvitur. *Sint liberi & immunes... à venda & pedagio ... foagio,* vinagio, *pasnagio.* tom. I. 647. a. vide superius 646. c. & infra 649. f. vide *Gyndragium*.

Vinitarius, officium monasticum, cujus partes describuntur tom. 3. 757. d.

Virgatus pannus, lineis seu virgis distinctus, vario colore in virgarum modum distinctus. Vestes virgatæ clericis interdicuntur in concilio Bituric. ann. 1280. tom. IV. 192. a.

Virito. *Infra civitatem per modum insultus fecit per bombardas projici lapides,* virітones *& ignem.* tom. II.

Vissere, gall. *visiere*, cassidis pars quæ faciem vel oculos tegit. *Lego meum* heaume à vissere. tom. I. 1306. a.

Vista, gistum, seu procuratio, hospitium quod à vassallo dominus iter faciens exigebat. Jus *vista*, quod gallice *droit de gist*, in monasteriis exerceri improbare videtur concilium Terraconense ann. MCCXXXIX. can. 5. vide tom. IV. 285. c.

Undenus. *Fuit prohibitum clericis quod non emant* undenos, *retrodecimas nec possessiones laicas.* tom. II. 663. a.

Vogues, sic in provincia Viennensi vulgari idiomate celebritates festorum oppidis aut vicis specialium quales forte dedicationis, patroni, vocabantur, in quibus indulgebant parochiani choreis & saltationibus, &c. *Ut occurratur delictis atque offendiculis quæ*

Finis Indicis onomastici.



INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ
HOC TOMO EXPLICATORUM.

26. 27.

1. 33.



INDEX



INDEX RERUM ET VERBORUM HUJUS VOLUMINIS.

Genesis

F

G

H

N

O

P

Sidereum

V


Wandalorum

Finis Indicis Voluminis quinti & ultimi.

ERRATA CORRIGENDA ET EMENDANDA.

PAgina 64. sanctæ Andreæ, *lege* sancti Andreæ. *pag.* 65. c. nonagintos, *lege* nongentos. *pag.* 68. d. subsequentem, *lege* subsequente. *pag.* 147. a. utpote qui, *lege* utpote cui. *pag.* 150. a. habent, *lege* habebat. *ibid.* c. dominum orbem, *lege* dominicum orbem. *pag.* 154. b. uscipiebat, *lege* suscipiebat. *pag.* 157. e. cui ab, *lege* quibus ab. *pag.* 223. d. dixerunt qui, *lege* dixerunt, à quo qui *pag.* 224. e. quæ velut, *lege* qui velut *pag.* 249. d quorum, *lege* quare. *pag.* 262. e divina, *leg* divinæ. *pag.* 332. beatudinem, *lege* beatitudinem. *pag.* 370. a. quasi, *lege* quia si. *pag.* 384. paradisi genas, *lege* paradisigenas. *pag.* 432. d. legis velut pro, *lege* legis velut auribus pro. *pag* 436. a. beatum Job, *lege* perbeatum Job. *pag.* 474. a. *in margine*, ibid. 1. 11. *lege* Isaiæ 1. 11. *pag.* 487. stabit, *lege* stabis. *pag.* 587. c. in hæreditatem, *lege* in hæreditate. *pag.* 495. e. rursum Jacob, *lege* rursum Joseph. *pag.* 511. b. *in margine*, 2. Cor. 6. *lege* Isaiæ. *ibid.* c. Matth. 10. 22. *lege* 10. 32. *pag.* 517. c. historam, *lege* historiam *pag.* 530. c. quadragesimi *lege* quadragesimæ. *pag.* 538. c. neque, *lege* namque. *pag.* 559. conversatione, *lege* conversione. *pag.* 597. d. sub intus ruat, *lege* intus subruat. *pag.* 610. b. texicti, *lege* texisti. *pag.* 646. b. Cituco, *lege* Cisico. *pag.* 652. matrimonii, *lege* matrimonium *pag.* 675. b. sicut, *lege* si quis. *ibid.* c. dispositio, *lege* depositio, *ibid* monstratum sit, *lege* monstratum fuit *ibid.* d. defensores, *lege* defendere. *ibid.* revelationem, *lege* relevationem. *pag.* 684. d. in homines, *lege* in hominis. *pag.* 688. d. gemina, *lege* germina. *pag.* 692. c. Jesus, *lege* Moises. *pag.* 703. a. vituperarum, *lege* viperarum. *pag.* 705. b impersa, *lege* impura. *pag.* 710. e. hinc, *lege* hunc. *pag.* 712. inferiores esse, *lege* inferiores dæmonibus esse. *pag.* 716. b. quia fide, *lege* qui à fide. *pag.* 740. e. jam non me *lege* jam me. *pag.* 746 a. adeo, *lege* à Deo. *ibid.* c. appropriat, *lege* appropiat. *pag.* 764. e. pseudoprophetam, *lege* pseudopropheta. *pag.* 784. e. Mauricis, *lege* Mauricio. *pag.* 809. b. loquatur. Et plane, *lege* loquatur & plane. *pag.* 810. c. servi, *lege* servit. *ibid.* e. Trinitatem, *lege* Trinitate. *pag.* 812. e. vocabis, *lege* vocari. *pag.* 821. e. à cujus ascensione, *lege* ab hujus assensione. *pag.* 822. d. plane, *lege* ut plane. *pag.* 867. e. idem dominum, *lege* idem dominus. *pag.* 900. b. quia genitum, *lege* quam genitum. *ibid.* c. validior, *lege* validius. *pag.* 910. a. utique, *lege* ubique. *pag.* 922. b. beata, *lege* beatus. *pag.* 929. e. penes eos, *lege* penes nos. *pag.* 930. c in primo, *lege* ut primo. *pag.* 932 e. credidit, *lege* cecidit. *pag.* 937. b. mysteria, *lege* ministeria *pag.* 937. d. à Deo, *lege* adeo. *pag.* 944. a. præmissa permisit, *lege* permissa præmisit. 971. c. officit, *lege* efficit. *pag.* 1001. b. reservari, *l ge* reserari. *pag.* 1008. e. cooperata, *lege* cooperatio. *pag* 1063. b. conversatione, *lege* conservatione. *pag.* 1078. d. bonus auctor, *lege* bonus odor. *pag.* 1092. d. dejectis, *lege* de dejectis. *pag.* 1102. a. peccata, cum, *lege* peccata dimittit cum. *pag.* 1106. b. hæreticis, *lege* hæreticos. *pag.* 1125. a. dicuntur, *lege* non dicuntur. *prg.* 1134 c. vivis, *lege* ecclesia vivis. *pag.* 1160. a. jurandum, *lege* juvandum. *pag.* 1160. significetur, *lege* eo quod significetur. *pag.* 1181. a. humanitatis, *lege* humilitatis *pag* 1200. a. prophetia, *lege* propheriam. *pag.* 1214. e. sed ite, *lege* cedite. *pag.* 1214. e. effectu, *lege* affectu. *pag.* 1215. c. gentis, *lege* gentes *pag.* 1217. b. potitur, *lege* patitur. *pag.* 1230. d. insigne, *lege* insignis. *pag.* 1234. d. hunc tua, *lege* hunc sua. *pag.* 1298. d. trium hypostaseos, *lege* trium hypostaseon, *pag.* 1319 e. quod ex, *lege* quod est. *pag.* 1338. d. temporalem, *lege* temporalis. *pag.* 1340. *linea ult.* principaliter, *lege* quæ principaliter. *pag.* 1358. d. exercere, *leg.* excrescere. *p.* 1378. a nec cum, *l.* ne cum . 1385. nobis, *l.* molis. *p.* 1393. b. habent, *l.* habet. *p.* 1398 d. potuit, *l.* non potuit. *p.* 1421. a. creatori, *l.* creatoris. *p* 1421. b. quam liberum, *l.* quia liberum. *ibid.* hoc est suo., *l.* hoc est non suo. *p.* 1427. b. & alteris, *l.* nec alteri. *p.* 1451. c. meditationem, *l.* mediationem. *p.* 1452. c. resurgentes, *l.* resurgentis. *p.* 1473. ar veraces, *l.* verax est. *p.* 1529. c. securitatem, *l* severitatem. *p.* 1533. b. in arvis, *l.* in alnis. *p.* 1558. b. *in margine*, execratio, *l.* excæcatio. *p.* 1574. e. retinuit, *l.* renuit. *p* 1657. b. tantum, *l.* reatum. *p.* 1670. *linea ult.* quæ nullo, *l.* quæ nulli. *p.* 1677. a. quia, *l.* negatur quia. *p.* 1686. e. quia accipiens, *l.* quod accipiens. *p.* 1687. a. latent, *l.* latet. *p.* 1696. c. factus est, *l.* Deus factus est. *p.* 1720. a. patrimoniorum, *l.* patimoniorum. *p.* 1720. e. ad præsentiam, *l.* ad præscientiam. *p.* 1731. e. à Deo, *l.* adeo. *p.* 1744. b. ut quia, *l.* ut quæ. 1844. a. corporalis, *l.* corporalia.

Ceterum lectores monebo regium librorum censorem, in epistola Gregorii papæ IX. quæ refertur tomo primo pag. 993. improbasse quod idem summus pontifex ait, Dominum Petro *terreni simul & cœlestis imperii jura tradidisse*; & ecclesiam *gladii spiritualis & materialis obtinere à Domino potestatem*; quam doctrinam Galli non admittunt, qui reges à Deo ipso potestatem gladii materialis immediate accepisse asserunt.



JUDICIUM.

HUnc *Thesaurum Anecdotorum*, Reverendorum admodum Patrum EDMUNDI DE MARTENNE & URSINI DURAND è Congregatione Sancti Mauri operâ & indefesso labore collectum, notisque illustratum, jussu illustrissimi Franciæ Cancellarii perlegi, eximium ac per se commendatum Opus, non suffragium postulans sed encomium; quid enim magis laude dignum est, quàm non pati occidere quibus æternitas debetur? Ita lecto hoc Opere laboriosissimo, non probari tantùm, sed editione quamplurimâ celebrari dignum judicavi.

Lutetiæ Parisiorum octavâ die Junii anno 1717.

DE VERTOT.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux Conseillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra; SALUT. Notre bien amé FLORENTIN DELAULNE, Libraire & Imprimeur de Paris, Syndic de sa Communauté, nous a fait remontrer qu'il lui a été remis entre les mains un Livre intitulé *Thesaurus novus Anecdotorum*, recueilli avec de tres-grands soins par deux Religieux Benedictins de la Congregation de Saint Maur, avec *Le Voyage Litteraire*, lequel ouvrage il desireroit imprimer; mais comme il ne le peut faire sans s'engager à une tres-grande dépense, il nous a tres-humblement fait supplier de vouloir bien, pour le dedommager des grandes avances qu'il lui convient faire à ce sujet, lui accorder nos Lettres de privilege pour l'impression dudit Ouvrage. A ces Causes voulant favorablement traiter ledit Delaulne, & lui donner moyen de se dedommager des grandes avances qu'il convient faire pour un si grand Ouvrage, & exciter par son exemple les autres Libraires & Imprimeurs à entreprendre des éditions de Livres dont la lecture pût être avantageuse à l'avancement des Sciences & au progrès des belles Lettres qui ont toûjours fleuri dans notre Royaume, ainsi qu'à soûtenir la Librairie, & rétablir l'Imprimerie dans une plus grande perfection, recompenser ceux qui se distinguent dans ces deux professions, & encourager les autres; Nous avons permis & permettons par ces Présentes audit Delaulne, d'imprimer ou faire imprimer ledit *Thesaurus novus Anecdotorum* & *Voyage Litteraire de deux Religieux Benedictins*, en tel volume, marge, caractere, conjointement ou separément, & autant de fois que bon lui semblera; & de les vendre, faire vendre & debiter par tout notre Royaume pendant le tems de *vingt années* consecutives, à compter du jour de la date desdites Presentes. Faisons défenses à toutes sortes de personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance; & à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire ledit Livre en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque pretexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant ou de ceux qui auront droit de lui; à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de dix mille liv. d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & interêts: A la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs-Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles; que l'impression desdits Livres sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beau caractere, conformément aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant de l'exposer en vente, il en sera mis deux exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur DAGUESSEAU; le tout à peine de nullité des Presentes: du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Exposant ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites Presentes, qui sera imprimée au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenue pour dûment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers-Secretaires, foi soit ajoutée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires: Car tel est notre plaisir. Donné à Paris le treiziéme jour du mois de Juillet, l'an de Grace mil sept cens dix-sept, & de notre Regne le deuxiéme. Par le Roi en son Conseil,

FOUQUET.

Registré sur le Registre IV. *de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page* 185. *N.* 215. *conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du* 13. *Aoust* 1703. *A Paris le* 19. *Juillet* 1717.

DELAULNE, Syndic.

J'ay fait part du present Privilege à Messieurs Foucault, Clouzier, Nyon l'aîné, Ganeau & Gosselin. A Paris le 19. Juillet 1717. Signé, DELAULNE.

Registrée la presente cession sur le Registre IV. *de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page* 186. *conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrest du* 13. *Aoust* 1703. *A Paris le* 19. *Juillet* 1717.

DELAULNE, Syndic.

